


CRITICA
HISTORICO-CHRONOLOGICA
IN UNIVERSOS
ANNALES
ECCLESIASTICOS
Eminentissimi & Reverendissimi
CÆSARIS CARDINALIS
BARONII,
IN QUA

RERUM NARRATIO DEFENDITUR, ILLUSTRATUR, SUPPLETUR, Ordo Temporum corrigitur, innovatur, & PERIODO GRÆCO-ROMANA, nunc primùm concinnata munitur,

Auctore R. P. ANTONIO PAGI, *Doct. Theol., Ordinis Minorum Convent. S. Francisci.*

OPUS POSTHUMUM;

NON SOLUM ANNALES ECCLESIASTICOS, HORUMQUE EPITOMEN legentibus; sed etiam omnibus Antiquitatis Studiosis necessarium.

Accedunt Catalogi decem Veterum Summorum Pontificum hactenus inediti.

TOMUS QUARTUS;

Ab initio Imperii OTTONIS MAGNI, ad initium Pontificatûs INNOCENTII III, seu ab Anno Christi CMLXII ad MCXCVIII.

Studio & curâ R. P. FRANCISCI PAGI, *Auctoris Nepotis, ejusdem Ordinis Doctoris Theologiæ.*



ANTVERPIÆ,
Sumptibus SOCIETATIS.

M. DCCV.



CRITICA
HISTORICO-CHRONOLOGICA
IN UNIVERSOS
ANNALES
EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI
CÆSARIS CARDINALIS
BARONII.

Anno Eræ Hispan. M. Anno Hegiræ cccli, inchoato die 9 Febr. fer. 1.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6455. ☉. 19. E. ☽. 13. P. 30. Mart. Indict. 5.
JESU CHRISTI 962.
JOANNIS XII PAPÆ 7.
OTTONIS IMP. 1.
ROMANI JUN. IMP. 4.

SÆC. X. An. Ch. 962.

1. *Otto M. fit Imperator*



Num. I ad XIII. *Otto* post solemne Christi Natalitium anno superiori ab eo Papiæ celebratum cum lectissimo exercitu Romam perrexit, ut coronam Imperii à Joanne XII Papa promissam acciperet. Vacabat illud à morte Berengarii Aug. quæ anno CMXXIV contigit. Rem narrat Baronius ex Continuatore Regionis & Luitprando, & Lambertus Schafnaburgensis his verbis perstringit: *Otto Rex perrexit Romam, eumque Joannes Papa gratanter suscipiens honorificè super cathedram Augustalem posuit, & benedictione atque consecratione sua Imperatorem fecit.* Otto primus ex Germanis fuit sacris Imperii insignibus & infulis exornatus, qui statim Joanni Papæ oppida Ecclesiæ ad id tempus recuperata restituit, ut patet ex ejus Diplomate à Baronio recitato, cujus autographum Romæ in castello Sancti Angeli asservatur. In ejus fine legitur: *Anno dominicæ Incarnat. Nongentesimo sexagesimo secundo, indictione quinta, mense Februarii, decimo tertio die ejusdem mensis, anno verò Domini Ottonis imperii invictissimi Imp. vigesimo septimo, facta est hæc pactio feliciter.* Quare Otto ante diem XIII mensis Februarii Romæ coronatus fuit. Est quidem hic annus ejus regni XXVI usque ad diem secundam Julii, sed in hoc Diplomate annus primus Imperii cum anno XXVI Regni ejus conjungitur, cujus rei simile exemplum anno DCCCLIII num. XII exhibuimus. Neque enim existimandum, Ottonem, qui in aliis suis Diplomatis annos Imperii sui expressit, in isto epocham illam prætermisisse. Est hæc prima profectio Romana Ottonis M. qui ter postea in eamdem urbem rediit, ut ex dicendis patebit.

SÆC. X. An. Ch. 962.

SÆC. X. An.Ch 962.

II. *Refellitur, Goldaſtus.*

Goldaſtus Tom. II Conſtitut. Imperial. pag. 44. Diploma illud exhibet & pag. 393. ſuppoſititium eſſe contendit, præſertim ob prætermiſſum in eo primum Imperii Ottonis annum, quò illud datum eſſe conſtat. Verùm vana illa ratio, aliæque quæ ab eo adducuntur, contra certiſſimum illud antiquitatis monumentum. Otto in illo Diplomate num. VII apud Baronium ait: *Per hoc noſtræ delegationis pactum confirmamus donationes, quas piæ recordationis domnus Pippinus Rex, & poſtea domnus Carolus excellentiſſimus Imperator B. Petro Apoſtolo ſpontanea voluntate contulerunt.* &c. Quibus verbis ſuppoſititia demonſtratur donatio Ludovici Pii, cùm ejus nulla fiat mentio, ubi facienda erat, ut rectè ex illis verbis Goldaſtus deducit. Paulò pòſt Otto inquit: *Salva ſuper eoſdem Ducatus* (nempe Tuſciæ & Spoleti) *noſtra in omnibus dominatione, & illorum ad noſtram partem & filii noſtri ſubjectione.* Et deinde: *Ut ea in illius ditione ad utendum & fruendum atque diſponendum firmiter valeant obtinere, ſalva in omnibus poteſtate noſtra.* Deinde num. XI ſubjungit Imperator: *Huic inſtrumento hoc neceſſarium annectendum eſſe perſpeximus, ut Miſſi domni Apoſtolici ſive noſtri ſemper ſint conſtituti, qui annuatim nobis, vel filio noſtro renunciare valeant, qualiter ſinguli Duces, ac Judices populo juſtitiam faciant.* Quare ſicut poſt renovationem imperii Pontifices Romani ſupremum dominium Urbis, Ducatûs Romani, & aliarum ditionum Eccleſiaſticarum in Imperatorem tranſtulerunt, reſervato ſibi dominio utili; ita & *Joannes* XII imperium Romanum iterum renovans eodem ſe ſe modo geſſit. Goldaſtus ait, ex illis clauſulis eluceſcere Pontificem Romanum non magis ab obedientia Imperii & contributionibus exemi, quàm Archiepiſcopum Moguntinum, alioſque, quibus territoria ab Imperatoribus donantur. Verùm vir Romanæ Eccleſiæ parum æquus imperium Romanum, quale à Pontificibus Romanis renovatum, malè paſſim deſignavit, ipſoſque Germaniæ Reges à Papa nunquam coronatos pro libitu Imperatores fecit. Supremum itaque Urbis & ditionum à Pippino & Carolo Magno Eccleſiæ Romanæ conceſſarum dominium penes Pontifices fuit donec à Proceribus Romanis indignè habiti quieti & tranquillitati tam ſuæ, quàm Eccleſiæ conſulere volentes, & eorum temeritatem fræno aliquo coercere ſupremum Urbis, Ducatus Romani, & Exarchatus Ravennenſis dominium in Imperatores tràſtulerunt, ſalva quam ſibi Romani promiſerant fide, aliiſque quibuſdā juribus ſibi reſervatis. Quare vanæ ſunt omnes ratiunculæ à Goldaſto in medium adductæ, nec ampliori confutatione indigent.

III. *Decernitur, ut Pontifices Rom. coram Legatis Cæſareis ordinentur.*

Pergit Otto in ſuo Diplomate: *Salva in omnibus poteſtate noſtra, & filii noſtri, poſterorumque noſtrorum, ſecundùm quod in pacto & conſtitutione ac promiſſionis firmitate Eugenii Pontificis, ſucceſſorumque illius continetur, id eſt: Ut omnis Clerus & univerſa populi Romani nobilitas propter diverſas neceſſitates, Pontificum irrationabiles erga populum ſibi ſubjectum aſperitates retundendas, ſacramento ſe obligent, quatenus futura Pontificum electio (quantum uniuſcujuſque intellectus fuerit) canonicè & juſtè, fiat; ut & ille qui ad hoc ſanctum atque Apoſtolicum regimen eligitur, nemine conſentiente conſecratus fiat Pontifex, priuſquam talem in præſentia Miſſorum noſtrorum, vel filii noſtri, ſeu univerſæ generalitatis faciat promiſſionem pro omnium ſatisfactione atque futura conſervatione, qualem* (ſcilicet promiſſionem) *domnus & venerandus ſpiritalis pater noſter Leo ſponte feciſſe dignoſcitur.* Idem prorſus legitur in Privilegio à Sancto Henrico hujus nominis primo Imperatore, in gratiam Eccleſiæ Romanæ emiſſo, quod extat apud Baronium anno MXIV num. VII. Decretum Eugenii II anno DCCCXXV datum ad nos non pervenit, ſed in utroque Privilegio laudatum ejus ſummarium habemus.

SÆC. X. An.Ch 962.

IV. *Id autem à Leone IV PP. ſtatutum fuerat.*

Nomine *Leonis* Pontificis Romani ab utroque Imperatore memorati Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſtorico de alio Leone, quàm de ſeptimo hujus nominis intelligi non poſſe ſcribit, cùm de eodem verba facit. Verùm toto hujus Pontificatûs tempore Imperium Occidentale vacavit, ideoque ad alium Leonem recurrendum. Goldaſtus loco citato ait, vel hanc unam rationem falſimoniæ convincere hanc conſtitutionem, ubi electionis ſuæ confirmationem ab Imperatore impetrare Pontifices mandantur, *qualem Domnus & venerandus ſpiritalis pater noſter Leo ſponte feciſſe dignoſcitur.* Atqui Leo VIII, inquit, anno tantùm ſequenti in Synodo Pontifex ordinatus fuit. Verùm *Otto* in Diplomate hoc anno dato non loquitur de Leone VIII anno ſequenti in Sedem Romanam intruſo, ſed de *Leone* IV qui ut anno DCCCXLVII, num. IX & ſeq. vidimus, decrevit ut Romani Pontificis electio juſtè fieret, ac ſecundùm mores antiquos, ſcilicet ut electus Pontifex non conſecretur, niſi coram Miſſis Imperatoriis, ut *Eugenius* II jam decreto ſuo ſtatuerat. Legenda quæ ibidem diximus, quæ lucem ex his Ottonis verbis accipiant, & allatam ibi explicationem magis confirmant. Neque enim ea hujus Imperatoris verba de alio Leone, quàm de quarto hujus nominis intelligi poſſunt, neque Leonis IV decretum aliter ac à nobis factum, exponi.

V. *Qualè à tempore Ottonis M. regimen Italiæ fuerit.*

Porrò qualis poſt *Ottonem* M. ſtatus Italiæ fuerit, quæve regiminis forma, his verbis Sigonius lib. VII de Reg. Italiæ exponit: „Quamquam Italia à Rege, eodemque Imperatore, & à Romano Pontifice tenebatur, non eadem tamen erat in utroque auctoritas. Pontifex *Romam, Ravennamque*, & ditiones reliquas tenebat auctoritate magis, quàm imperio, quòd civitates Pontificem, ut Reipublicæ Principem, Regem verò, ut ſummum Dominum intuerentur, atque ei tributa, obſequiaque, quæ dixi, præberent; & Pontificis vires in ſacris deteſtationibus verſabantur, quas Chriſtiani Reges tum maximè exhorruerunt, Imperatoris in armis & expeditionibus, quibus ipſi etiam Pontifices cedere ſæpe compulſi ſunt. Pontifex tamen ab hoc tempore majores in dies opes habuit, eximiis ſtudiis faventis Italiæ ſublevatus. Utraque verò poteſtas ſacra erat, & ad Chriſtianam conſervandam Rempublicam inſtituta. Pontifice autem & Imperatore excepto, trium Antiſtitum ſumma adhuc erat auctoritas, *Aquileienſis, Ravennatis, & Mediolanenſis.* De tributis verò paulò antè ſcripſerat Sigonius: Tributa, quæ ille à Francis inſtituta retinuit, fuêre foderum, parata, & manſionaticum. *Foderum* ſumma quædam frumenti fuit, quam advenienti in Italiam Regi populi ſolvere tenebantur, pro quo ſæpe etiam æſtimata pecunia pendebatur. *Parata*, ſumptus quem iidem in vias, ponteſque „fluminum,

„ fluminum, quà transiturus, aut quò aditurus Rex erat, reficiendos impendere. *Mansionaticum*, sumptus in tecta, & cetera, quæ „ Regio exercitui in agro hospitanti necessaria „ præbere jubebantur; siquidem tantùm Regibus jus terræ tributum est, ut ex omnibus, „ quæ ipsa ferre ad usum hominum necessaria „ solet, exceptis bobus & seminibus ad colendam terram idoneis, quantum opus militibus „ fuerit, ad Regios usus suppeditatum sit. Ita Sigonius de Ottone Magno loquens.

VI. *Jus Cæsarum Italiam ingredientium.*

Otto Frisingensis, qui anno MCLVIII vitam cum morte commutavit, quæ Sigonius à variis Auctoribus à se non citatis in medium producit, his verbis exprimit lib. 2. de Gestis Friderici I Imp. cap. 12. *Mos Antiquus, ex quo imperium Romanum ad Francos derivatum est, ad nostra usque deductus est tempora, ut quotiescumque Reges Italiam ingredi destinaverint, gnaros quoslibet de familiaribus suis præmittant, qui singulas civitates seu oppida peragrando, ea quæ ad fiscum Regalem spectant, quæ ab accolis fodrum dicuntur, exquirant. Ex quo fit, ut Principe advenieme, plurimæ civitates, oppida, castella, quæ huic justitiæ vel omnino contradicendo, vel integraliter non persolvendo, reniti conantur, ad solum usque prostrata, protervia sua documentum posteris ostendant. Alia itidem ex antiqua consuetudine manasse traditur justitia, ut Principe Italiam intrante, cuncta vacare debeant dignitates & magistratus, ac ad ipsius nutum secundùm scita legum, jurisque peritorum judicium, universa tractari. Tantam ei quoque Judices terræ recognoscere dicuntur jurisdictionem, ut ex omnibus, quæ terra producere solet, usui necessariis, exceptis vix bubus & seminibus, ad excolendam terram idoneis, de ceteris quantum necesse fuerit militi profuturis, ad Regios usus suppeditare æquum arbitrentur.* Baronius anno MCLIX num. XIV refert ex Radevico lib. 2. cap. 30. responsum *Hadriani* IV ad postulata *Friderici* I, qui durissima capitula, quando actum fuit de pace inter regnum & Sacerdotium, proposuit, inter quæ unum fuit de *fodro*, ad quod à Nunciis Pontificis responsum: *de Dominicalibus Apostolici fodrum non esse colligendum, nisi tempore suscipiendæ coronæ.* Baronius in margine dicit *fodri* nomine intelligi *fænum & paleam*; verùm in Glossario Ducangii variis exemplis ostenditur, fodrum passim usurpari pro quavis exactione, atque adeo non pro equorum duntaxat, sed & pro ipsorum militum annonis vel etiam victu, seu, ut tum loquebantur, *procurationibus* ac prandiis, de quibus duabus ultimis vocibus idem Glossarium legendum.

VII. *Moritur S. Guibertus fundator Monasterii Gemblacensis.*

Ad num. XVIII. *Sanctus Guibertus* cœnobii Gemblacensis conditor, postquam prævidit mortem sibi imminere, *ultimum vale dicens fratribus & amicis, & optabilem pacis & dilectionis memoriam relinquens eis, maturavit viam ad amicam sibi quietem Gorziensis solitudinis*, inquit Sigebertus Chronographus in ejus Vita Seculo V Benedictino recitata, qui paulò pòst subdit, eum *X. Kal. Junii* spiritum Deo reddidisse, & corpus ejus ad monasterium Gemblacense relatum esse. Paulo pòst: *Obiit autem hic Sanctus Dei anno dominicæ Incarnationis nongentesimo sexagesimo secundo, decimo Kalendas Junii.* Idem Sigebertus in Chronico ad annum MCX Elevationem corporis ejus his verbis narrat: *Sanctus Wigbertus fundator Gemmelacensis cœnobii, ubi & sepultus requiescit, quem Deus multis & magnis miraculorum signis per annos XII longè latèque clarificaverat, auctoritate venerabilis Friderici Coloniensium Archiepiscopi, & assensu generalis Synodi à Domno Otberto Legiensi Episcopo elevatur: quæ elevatio innumerabili concursu, & mirabili gaudio populorum celebrata est IX Kal. Octob.* Seculo V Benedict., recitatur etiam Relatio hujus Elevationis, in eaque dicitur ejus partem maximam fuisse Sigebertum Sancti Guiberti Vitæ Scriptorem. Porrò anno MCX dies XXIII mensis Septembris in eadem Relatione etiam memoratus in feriam sextam incidebat, ideoque hoc & sequentibus seculis Translationes & Elevationes Sanctorum aliis diebus, quàm Dominicis non rarò peractæ.

VIII. *Nicephori Phocæ de Saracenis victoria.*

Triumphi honore accepto *Nicephoro* Romanus Imperator, inquit Leo Diaconus in Romano Juniori, munifica ambitiosaque tribuit munera, atque Asiæ ei Præfecturam credit. Is verò *Domestici* rursùs auctus dignitate, trajectoque Bosphoro, atque copiis congregatis, *Agarenorum* terras peragrabat. Qui audita *Nicephori* irruptione ad præsidia profugerunt, exque locis munitis pro facultate velitando ac procul jaculando incursiones avertere tentabant. Ille verò instar fulminis omnem circùm regionem depopulabatur, oppidaque hominum multitudine longè frequentia direpta in potestatem redigebat. Ubi autem quæ erant obvia cuncta igni ferroque vastasset, præsidiis atque arcibus manum adjicit, quorum pleraque primo statim assultu cepit. Quæcumque verò muris obsepta nec non præsidiariorum multitudine freta erant, iis machinas contra adhibebat, bellumque implacabile inferebat. Captis igitur eversisque brevi satis tempore *Agarenorum* supra sexaginta præsidiis, prædâque longè maximâ reportatâ resumens copias ad suas quemque sedes remisit, cùm immensam divitiarum vim congessissent. Ipse verò ad Imperatorem laborum ex illo præmia accepturus commeavit. Jam verò in medio itinere constituto *Nicephoro*, fama quædam pervasit, *Romanum* Imperatorem humanis excessisse. Quo ille inexpectato rumore perterritus iter inhibuit, inque regione substitit. Quare cùm Romanus Imp. die XV Martii sequentis anni è vivis excesserit, hæ victoriæ currenti à Nicephoro reportatæ. Porrò *Domestici* nomine recentiores Græci Ducem exercitûs supremum exprimebant, qui militares copias sub Imperatore duceret, communiumque rerum administrationem ab eo sibi commendatam teneret, ut variis exemplis demonstrat Goarus in Notis ad cap. 2. Codini de Officiis Constantinop.

IX. *Obitus Salvi Abbatis Albaildensis.*

Floruit hoc seculo in Regno Navarræ *Salvus* Abbas Albaidensis monasterii, qui *scripsit sacris Virginibus Regularem libellum, & eloquio nitidum, & rei veritate perspicuum*, inquit Auctor Anonymus in brevi ejus Vita, subjuncta à Miræo libro Ildefonsi Toletani Episcopi de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 102. *obiit temporibus Garseani Christianissimi Regis* (nempe Navarræ, patris Sanctii Regis Abarcæ cognominati), *& Theudemiri Pontificis* (seu Tudomiri Episcopi Naxarensis) *quarto Idus Februarii, erâ millesimâ* (hoc nempe anno) *sana doctrina præstantior cunctis, & copiosior operibus charitatis.* Extat adhuc libellus ille, sed ineditus, cujus Labbeus in Nova Bibliotheca MSS. pag. 35. mentionem facit, aitque continere capita LXXVIII, qui

SÆC. X. An. Ch. 963. cùm in eo MS. *Sancto Salvo* Abbat. Alveldensi, quod idem est ac Albaildensi, tribuatur, immeritò Nicolaus Antonius locum ei dedit in Bibliotheca Veteri Hispana lib. 6. cap. 14. & Balæus & Joannes Pitsæus in suis Catalogis hunc libellum malè adscripsêre Beato Ælredo Rievallensi in Anglia Abbati; cùm Vitæ *Salvi* præfatum MS. suffragetur. Composuit præterea Salvus libellum de Missis & Hymnis sacris in ejus Vita memoratum, sed ille ad nos non pervenit. Laudatam Vitam recitat etiam Mabillonius Sec. V. Benedict.

Anno Eræ Hispan. MI. Anno Hegiræ CCCLII. inchoat odie 30 Iā uar. fer. 6.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6456.

☉ 10. D. ☽ 14. P. 19. April. Indict. 6.

JESU CHRISTI 963.

JOANNIS XII PAPÆ 8.

OTTONIS IMP. 2.

NICEPHORI PHOCÆ IMP. 1.

I. *Conciliabulum Rom. adversus Joan. XII.* ANum. I ad XXXI. Continuator Reginonis hoc anno scribit: *Rex* (nempe Otto) *cum Papia natalem domini & Pascha celebravit. Interim Adalbertus* (Italiæ Rex) *huc illucque discurrens, quoscumque poterat sibi undique attraxit, sed & Corsicam ibi se tueri nitens intravit. Romanum etiam Pontificem multipliciter in suum adjutorium sollicitavit. Dum hæc igitur aguntur, Imperator à Papia movens iter, Berengarium* (Italiæ Regem) *in Monte Sancti Leonis obsedit, totamque ibi æstatem sedens, sæpe Montem undique circumdedit, & ne aliquatenus pateret exitus vel introitus, prohibuit. Interim Joannes Papa promissiones Imperatori factas oblivioni tradens, ab eo defecit, & Berengarii seu Adalberti partibus favens, Adalbertum Romam intromittit. Quis dolositatis ejus fraudes Imperator audiens, relicta circa montem obsidione Romam versus cum hoste* (idest exercitu) *pergit: cujus ipsi metuentes adventum, plurimum thesaurum Sancti Petri rapientes, fuga subsidia petunt. Tunc Roma in plura divisa, partim Imperatori faventes (multi enim à prædicto Papa injuriis se opprimi conquerebantur) partim Apostolico blandientes, licet diversa sentirent, Imperatorem tamen cum honore debito Urbem intromittunt, seque per omnia, datis obsidibus, illius ditioni subjungunt. Imperator verò plurimorum Episcoporum collecta multitudine Synodum coadunavit, & consilio eorum missa legatione, canonica auctoritate, profugum Apostolicum ad sedem Pontificalem & Apostolicam revocavit. Illo tamen hoc omnibus modis renuente, plebs Romana Leonem Protoscrinarium, virum strenuum & industrium, communi consensu in locum ejus elegit & ordinavit: cui Synodo interfuerunt omnes prope Romani & Italia Episcopi: Angelfredus etiam Aquileiensis Patriarcha, qui tunc temporis etiam ibidem obiit. Sed & de nostratibus interfuerunt Adaldagus* (Hamburgensis) & *Heiuricus* (Trevirensis) *Archiepiscopi, Landuvardus* (Mindensis) *& Otgerus* (Spirensis) *Episcopi. Postea Joannes, qui & Octavianus, videns se esse depositum, sera pœnitentia ductus, Adalberto disjungitur, Adalbertus verò in Corsicam revertitur.* Est hæc secunda Ottonis M. Romana profectio. Continuator enim Luitprandi lib. 6. cap. 6. narrata ejusdem Imperatoris unctione à Joanne XII peracta, subdit: *Post hæc ad patriam gratanter repedavit.* De secunda profectione Hepidannus in Annal. ad annum CMLXIII habet: *Otto Rex secundam profectionem in Italiam fecerat cum magno exercitu in mense Augusto.* Sed fallitur hic Auctor, quia Otto M. anno superiori mense Julio adhuc in Italia agebat, ut liquet ex ejus Diplomate ibidem dato, & à Baronio num. XIV & seq. recitato. Quare cùm eo anno Otto M. Natalem domini Papiæ celebrarit, teste Continuatore Reginonis citato, qui annos Christi ab eodem die auspicatur, manifestum est, hunc Imperatorem post mensem Julium anni superioris in Germaniam rediisse, eodemque anno in Italiam reversum Natalem Domini Papiæ celebrasse. SÆC. X. An. Ch. 963.

Fusiùs hæc narrat Luitprandus seu ejus Continuator lib. 6. cap. 6. cujus verba recitat Baronius. Concilium illud seu veriùs Conciliabulum Romanum *octavo Idus Novembris* habitum, ut liquet ex ejus Epistola Synodica apud Baronium num. XXV, *data decimo Kalend. Decembris*, ut in fine ejus legitur. Quoad *Leonem* in Joannis XII locum Pontificem subrogatum, Papebrocius in Conatu Chronico-Historico existimat, eum die sexta mensis Decembris ordinatum fuisse, & refert hæc verba ex Vita Joannis XII adhuc inedita, à Petro Bibliothecario scripta: *Consecraverunt eum Romanum Pontificem, mense Decembris in Lateranensi Palatio: qui fecit Ordinationem in eodem mense, Presbyteros VII, Diaconos II: & sedit annum I mensem III.* Privilegium Rodoaldo sanctæ Aquileiensis Ecclesiæ Patriarchæ, *datum in sacratissima æde beati Petri Apostoli Idibus Decembris anno Pontificatus Leonis primo, imperante Ottone anno II* hanc sententiam extra omne dubium ponit. Illud enim die XIII mensis Decembris emissum ante quam nulla illius mensis Dominicalis est præter diem sextam. Sedit itaque *Joannes* ante Leonis ordinationem annos septem, & unum aut alterum mensem, ut ex iis, quæ in morte Agapiti II ejus Decessoris diximus, manifestum fit. Porrò exauctorationem *Joannis* XII ab Ottone Imp. & Synodo Romana tentatam nullam fuisse & illegitimam, pluribus ostendit Baronius num. XXXI & seqq. II. *Leo VIII fit Antipapa.*

Quoad *Luithprandum* Ecclesiæ Ticinensis Diaconum & postea Episcopum Cremonensem, de cujus Historia Baronius num. III verba facit, ille rerum suo præsertim tempore gestarum narrationem inter annos CMLVII & CMLX in lucem edidit. Libro enim 4. cap. 7. *Luitolfi* Ottonis M. filii mortem deplorat, & lib. 3. cap. 7. *de Constantino Porphyrogenneta* tanquam de Imperatore vivente loquitur. Quare cùm *Luitolfus* anno CMLVII vivere desierit, *Constantinus* verò die IX Novembris anni CMLIX, ut anno CMLX vidimus, ea Historia libris sex comprehensa, intermedio illo tempore publicata, eique caput sextum & quinque sequentia adjecta, ut ex variis conjecturis deducit Baronius. In iis enim de gestis anno CMLX & quatuor sequentibus sermo est. Incertum tamen, an ipsemet *Luitprandus*, vel quispiam Anonymus illa capita addiderit. Scripsit etiam *Luitprandus* Legationem, quam ad *Nicephorum Phocam* Imperatorem pro Ottonibus Augustis suscepit; sed Chronicon & Adversaria, quæ ab aliquot annis sub ejus nomine prodière, supposititia esse fusè demonstrat Nicolaus Antonius III. *Luitprandi Historia.*

in

in Bibliotheca Hispana veteri lib. 6. cap. 16. & seqq.

IV. *Obitus Romani Junioris Imp.*

A num. XLII ad XLVI. Curopalates & Cedrenus tradunt, Romanum Juniorem *XV die Martii Mensis, indictione VI, annos natum viginti quatuor* è vivis excessisse: imperasse verò *annos tres, menses quatuor, dies quinque.* Ex quo apparet, verum esse quod anno CMLX diximus, *Constantinum* nempe *Porphyrogennetam* anno CMLIX die nona mensis Novembris, ut Cedrenus & Curopalates habent, vivere desiisse, & utrumque Scriptorem de duratione Imperii Romani Junioris loquentem excludere diem emortualem, tam Constantini, quàm Romani filii. Subdit Cedrenus: *Imperium ejus morte ad Basilium & Constantinum ipsius filios, & eorum matrem Theophanonem rediit: quæ biduo ante mortem mariti filiam quoque peperit, cui Annæ nomen fecerunt.* Hæc postea Ulodomiro Russorum Principi matrimonio conjuncta, ex hac ratione fides Christiana in Moscoviam illata, ut infrà videbimus. *Theophanou* verò fuit obscuro genere nata; cùm tamen venustate ac forma corporis per hoc tempus cunctis ejus sexûs præstaret, inquit Leo Diaconus, qui subdit.

V. *Nicephori Phocæ de Saracenis triumphus.*

Nicephorus maximi Imperii mutatione audita, animo suspensus, inque omnem partem anxius erat, aliæque subinde cogitationes eum exterrebant. Rerum enim negotiorumque infida lubricitas fortunæque vicissitudo ac instabilitas, tranquillo in statu virum agere non sinebant, quod maximè *Josephi* potentiam suspectam habebat. Is nimirum cùm spado esset, atque in Aula Imperatoria cumprimis auctoritate polleret; quippe qui Accubitoris (ac si sacri cubiculi summum Præfectum dicas) auctus dignitate esset, infenso in *Nicephorum* animo, eique hostis erat. Visum itaque mox res novas moliri: sed cùm minores copias, quàm par esset, in promptu erat (cohortes enim in suam quamque patriam remiserat) tantum hactenus certamen suscipere formidabat. Operæ pretium igitur putavit, ut res novas moliri tantisper differret, Byzantium verò invectus, ductoque triumpho, si modo Imperatores ipsius fidei exercitum regendum committerent, (noverat enim quandiu vita superstes esset, alium neminem fore, qui Barbarorum impetum sustinere posset, iisque aciem opponere) copias resumeret, tutoque consilio aliorum causâ decertaret. Hoc igitur consilio secum animo constituto ac deliberato, Byzantium venit: placidissimèque à populo Senatuque susceptus, prædâque quantam induxerat triumpho traductô, ac in ærarium illatâ Barbaricâ opulentiâ, domi privatus agebat. Cedrenus refert illum *VI indictione mense Aprili jussu Augustæ* Constantinopolim venisse, & duxisse triumphum in Circo inferentem in eo Cretensia & Berrhoensia spolia.

VI. *De Imperio arripiendo cogitat.*

Sed redeo ad Leonem Diaconum, cujus narrationem de verbo ad verbum reddam. *Josephus (metuebat enim Nicephori Byzantii moras, ne quid novarum rerum adversus Imperatores moliretur, cùm præsertim militares ordines impensè virum amarent, populusque admirationi haberet, ob erecta tropæa, & fortissimi roboris pugnando edita facinora) in Palatium evocabat, si fortè copiis atque milite nudum offendens, oculis privare posset, hincque in exilium mitteret. At Prætor Josephi vaferrimo malignissimoque intellecto consilio, (acerrimi quippe vir ingenii erat, ut eis frans subolerer) in magnam Ecclesiam venit, collatoque cum Patriarcha Polyeucto sermone (viro scilicet divina humanaque Philosophia longè exculto, ut qui à puero monasticam vitam ac religiosam paupertatem consectatus, majore quàm pro homine ratione fultus fiduciâ esset, quam non indoles præstaret, quippe qui spado esset, & ad extremam senectatem devenisset; sed bonorum abdicatio, omnisque expers criminis, simplexque nec quidquam superflua vitæ ratio). Cum hoc itaque Polyeucto in colloquium veniens Nicephorus: Egregias sanè, ait, tot tantorumque certaminum atque laborum vices percipio, ab eo qui aula præest. Is nimirum, quem nil latet, magnum oculum fore ut lateat, ipse arbitratus, machinandæ mihi mortis nullum finem facit, qui Deo propitio ejusque numine, Romani imperii fines produxerim, cùm nihil hactenus in Rempublicam deliquerim, sed in eam potius, quanta nemo hujus ætatis virorum, contulerim: qui tantam denique Agarenorum regionem igni ferroque desolaverim, tamque multa oppida, urbesque à fundamentis diruerim. Ad me sanè quod attinet, optabam Ordinis Senatorii virum, placidum, modestum esse ac moderatum, non sic infensum, atque id frustrà nullo fine iras agitare ac moliri interitum.*

VII. *S. Polyeucti Episc. Constantinop. studium in bonum publicum.*

His Patriarcha ex Nicephori ore auditis, animique ardore succensus, in Palatium venit, unà comitem adducens Nicephorum. Convocatoque Senatu, *haud æquum*, inquit, *ut qui pro Romana felicitate nulla sui ratione habita, labores ac pericula sustinuerunt, quique erga sua Gentis homines ac cives suos, viros se probos ac moderatos exhibent, probro ignominiaque afficere, sed honori potius habere ac coronare. Ergo, si mihi creditis, quæ meliora sunt consulenti, meam statim dicam sententiam. Operæ pretium existimo, ut nos, qui Romani sumus ac divinis legibus instituti, tenellos Romani Imperatoris liberos, quandoquidem nostro universique populi suffragio Imperatores renunciati sunt, in honore à Majoribus accepto conservemus, eumdemque eis cultum, quem Majoribus ipsorum tribuamus. Quia verò Barbaræ gentes Romanam ditionem diripere non cessant, eamque incessare, auctor vobis sum, ut virum hunc (ostenso Nicephoro), qui solertis ingenii sit, reique militaris apprimè gnarus ac bello fortis, quique plurimas victorias, (quod & vos ipsi agnoscitis) retulerit, ac quem præ reliquis maximè suspicitis, jurejurando obstrictâ fide, nihil inconsultum adversùs Majestatem ac Senatum moliturum Imperatorem Ducem creemus, atque ei Asiæ copias concredamus, quæ is fide rem Romanam ulciscatur, inhibeatque alienigenarum insultum ac grassationem. Nam & Romanus Imperator cùm in humanis adhuc ageret, hanc ei dignitatem commiserat, ac ne vir probis moribus ejus imperii munere moveretur, scriptis testamenti tabulis caverat.*

VIII. *Nicephorus Phocas fit Dux totius Asiæ.*

Ubi Patriarcha in hæc verba sententiam dixerat, etiam Senatus calculum adjecit. Assensus est & *Joseph Accubitor*, non quidem sponte, sed quod ita Senatus ipse annuens cogeret, ac sanè tremendissimis juramentis obstricto Nicephoro, *quandiu tenellæ ætatis pueri ac Imperatores superstites essent, ne quid infausti malique adversus eorum imperium moliretur, ipsis quoque jurejurando firmantibus, Neminem Procerum ac Magistratuum extra ejus sententiam se moturos esse, aut ad majores infulas provecturos, sed & communi cum eis consilio Rempublicam recturos; totius*

S Æ C. X. An. Ch. 963.

Asiæ Imperatorem Ducem promulgarunt.

IX. *Nicephorus Phocas & Josephus Accubitor inter se dissidens.*

Jam verò media fermè verna tempestate, Luciferoque ad Arcticum polum paulatim cursum flectente, ac circa Taurum currum agitante Byzantio profectus Nicephorus, ad objectam ex adverso maris littore Asianam regionem commeat. Cumque venisset in Cappadociam (Troglodytas ante eam gentem vocabant, quòd in terra meatibus & cavernis ac labyrinthis, velut lustris antrisque tecta subeant) ibique fixo tentorio, missis in omnem latè regionem edictis, omnem ad se exercitum congregat. Interimque dum exercitum cogeret, quos secum habebat bellicis institutis exercebat, nec quidquam omittebat eorum, quæ ad pugnæ bellique artem inventa sunt. Interim verò dum Prætor militem exercet, (secum enim ipse statuerat, ut adversùs Chabdam ac Tarsenses potissimum educeret) Josephus Accubitor Nicephori solertem animum consultumque reputans præter ea quæ viri fortitudinem infractumque pectus secum ipse cogitans, veritusque ne collecto circa eum exercitu novarum aliquid rerum perperàm moliretur, intus pavore animi palpitabat, suamque vituperabat consilii mentisque absentiam; quod cùm prædam velut intra casses inclusam teneret, haud neci dedisset, sed imprudenti consilio tantis eum copiis armisque munivisset: totus igitur cogitabundus atque animi anxius, vitam sibi infelicem, minimeque vitalem ducebat. Considerans igitur multasque rationes versans, quotandem modo tanto Prætorem imperio movere liceret, cujusdam fraudis in mentem venit, quâ illius Præfecturam haud secus ac securim quamdam cervici suæ imminentem à se depulsum iri putabat.

X. *Nicephorus Phocas acclamatur Imperator.*

Refert postea Leo Diaconus quæ Josephus, ut Nicephorum perderet, excogitarit, & quomodo *Joannes Tzimisces* Nicephori *ex materna stirpe consobrinus* huic rebellionem suaserit, & *ineunte mense Julio* Nicephorus ab exercitu Imperator acclamatus fuerit. Is itaque *projecta privati veste, sago militari, Imperatorio, Regioque paludamento infibulatus ad Regiam se Majestatem magis composuit, equoque conscenso per Auream portam invectus est, omni populo Senatuque cum plausu excipiente, ac ei acclamante. Augusti mensis dies sextus decimus agebatur, in dict. sexta cùm hæc gererentur. Jam verò ubi celeberrimum dei delubrum ingressus erat, atque à Sacerdotum cœtu debitos honores susceperat, à Polyeucto Patriarcha munus obeunte Imperiali caput cingitur diademate; cùm unum supra quinquaginta ætatis annum ageret.* Postquam summam rerum inierat, tutoque ac securè Imperii gubernacula regebat, *Bardam* patrem Cæsaris dignitate ornavit; *Joannem* cognomento *Tzimiscem* Orientis Domesticum creavit; *Leonem* verò germanum suum Curopalatam, Magistrumque.

XI. *Ejus virtutes.*

Ipse verò quam sibi indixerat, inviolabilem se castitatem servaturum præferebat, quippe qui & uxoris conjugium vitaret, & carnium esum repudiaret. Verùm monasticæ vitæ cultores, & qui ejus animum sanctis moribus componebant, (præclarè enim hujus instituti viros colebat) in his, quæ sibi ipse constituisset, manere non sinebant, sed hortabantur, ut & conjugium amplecteretur, nec carnium esu ut re nefaria, sibi prorsus interdictum vellet. Metuebant enim, ne prono in delicias ac comessationes animo in turpes sensim voluptates delaberetur. Monachorum igitur admonitionibus animum accommodans, familiatem olim ac consuetam vitæ rationem ab se ablegavit; *Romani* verò uxorem, venustam admodum mulierem sibi conjugem copulavit. Rumor autem murmurque erat, haud legitimas esse nuptias, propeque abhorrere à ratione conjugium, quippe cum Nicephorus Romani Imperatoris ac *Theophanonis* liberorum ex sacro lavacro susceptor extitisset. Quod cùm accepisset *Polyeuctus* Patriarcha, omni conatu Imperatorem à sacris cœptis arcere conabatur; cùm enim vir esset divina plenus æmulatione, omnisque generis scientia atque virtute incomparabilis, non desinebat etiam ipsos Imperatores arguere. Imperator autem negabat se susceptorem *Theophanonis* liberorum ex sacro baptismate fuisse, sed *Bardam* patrem hoc munus obiisse. In eum modum Patriarchæ flexus animus valdeque delinitus, adeò ut lætus atque hilaris conjugium ejus cum *Theophanone* admiserit ac dispensarit. Hæc summariè ex Leone Diacono Scriptore adhuc inedito.

XII. *Græci à Saracenis in Sicilia devicti.*

Ad num. XLVI. Luitprandus in sua Legatione ad Nicephorum Imp. anno CMLXV.II obita, eodemque anno num. LV integra à Baronio recitata, de Manuele Patricio à Nicephoro Imp. adversùs Saracenos Siciliæ misso habet: *Scribit præfatus Hippolytus, Græcos non debere Saracenos, sed Francos conterere, qua lectione Saraceni animati, ante triennium cum Manuele Patricio, Nicephori nepote, juxta Scyllam & Charibdim in mari Siculo bellum parant; cujus immensas copias cum prostravissent, ipsum comprehenderunt, capiteque truncum* (legendum truncatum) *suspenderunt: cujus socium & commilitonem* (sc. Nicetam Eunuchum) *cùm caperent, qui neutrius erat generis, occidere sunt dedignati; sed vinctum ac longa custodia maceratum tanti vendiderunt, quanti nec ullum hujusmodi mortales sani capitis emerent.* Quare cùm hæc triennio ante Luitprandi Legationem contigerint, manifestum est errasse Curopalatem, Cedrenum, & Zonaram, qui ea ad primum Nicephori Phocæ annum referunt, & bellum istud pertinere ad annum CMLXV, ut ibidem magis probabitur.

XIII. *Reliquiæ S. Epiphanii Hildesheimium translatæ.*

Hoc anno *Thangwardo* Presbyter Sancti Epiphanii Episcopi Ticinensis sepulchrum clanculum refodit, & hujus Sancti Præsulis Reliquias ad Episcopum suum *Ottwinum*, nempe Antistitem Hildesheimiensem, qui tunc in Italia erat, detulit, isque in Germaniam misit. *Translatum est autem corpus beati ejusdem patris à Fratre nostro, decima Kalendarum Decembrium die* (sc. anno superiori) *ad nos verò Dei gratia comitante, domino nostro sanctæ memoriæ Otwino Episcopo, octavo Kalendarum Martiarum die perductum,* inquit Auctor Hildesheimiensis Anonymur & coætaneus in Historia Translationis sancti Epiphanii Ticino Hildesheimum, recitata à Bollando ad diem XXI mensis Januarii, & primùm à Christophoro Brouvero promulgata. Die XXII Februarii, qui hoc anno in Dominicam incidit, sacræ Reliquiæ Hildesheimium translatæ.

XIV. *An Translatio justa?*

Quia verò Pontificum Edictis cautum, ne quis divorum pignora sublegere ea ratione audeat, quod veteribus quibusdam minori fuisse religioni, plurima quæ passim extant, demonstrant exempla, de jure Translationir hujus hæc habet Browerus quæ ad Annales Ecclesiasticos illustrandos faciunt: „Si quis Translationem hanc

„ ex

,, ex jure sacrorum æstimet æquus Judex, vel de
,, ea judicium accipiat, Reliquiarum hanc de-
,, ductionem, nec lege, nec moribus factam
,, illicò censebit; sed eos qui manum fecêre, &
,, sacras exuvias nativâ quasi glebâ & fundo ab-
,, straxêre, interdicto *Unde vi*, ut levissimè di-
,, cam, obooxios fuisse, & repetundarum actio-
,, ne conveniri potuisse pronunciabit. Valuêre
,, interim hujus & superioris ætatis exempla,
,, eamque sibi licentiam immodica pietas & re-
,, ligio fecit, ut callidè pii furti & religiosæ
,, rapinæ titulis, non stricta æquitatis lege has
,, actiones rei dijudicarent, cognitores plerum-
,, que litem dissimularent, Magistratus hic pluri-
,, mum conniverent. Jam quod caput, felici-
,, tas eventûs, & religionis ex prodigiis & mi-
,, raculis secutis opinio, fas sæpe & licentiam,
,, his evectionibus non solum constituit, sed
,, furti ao sacrilegii probrum in gloriam vertit:
,, quod Franci & Germani afflicta à Barbaris vel
,, tyrannis Romanæ Sedis libertate, cum in novo
,, vel precario imperio, quod Pontifices dabant,
,, nobilitate sua & gente majores sæpe spiritus
,, caperent, non civilibus contenti, sacris etiam
,, potentiam admoverent & religionem licentiùs,
,, quàm vel ipsis expediret, vel jus fasque per-
,, mitterent, haberent. Hinc omnia prope Latii
,, jura unà cum Ecclesiis & populis sibi subdere,
,, & qui fide vel armis apud Reges valebant, non
,, honore tantùm, sed præmiis quoque læti, con-
,, tra fas plurimum sibi licere volebant, sive
,, Episcopi essent, sive Militiæ cingulo clari.
,, Aliquid tamen hic Otwino Præsuli, & Tang-
,, wardoni ejus Presbytero veniæ scriptor con-
,, ciliasse videtur, cùm post preces & jejunia de
,, traosferendo sancto Epiphanio per quietem
,, divinitus admonitum Sacerdotem, comme-
,, morat. Ita scitè Browerus.

Anno Eræ Hispan. MII. Anno Hegiræ CCCLIII, inchoato die 15. Januar. fer. 3.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6457.

☉ 21. CB. ☽ 15. P. 3. April. Indict. 7.

JESU CHRISTI 964.

BENEDICTI V PAPÆ 1.

OTTONIS IMP. 3.

NICEPHORI PHOCÆ IMP. 2.

I. *Joannes XII PP. Romam à Berengarianis intromissus.*

ANNum. I ad XXII. *Imperator*, inquit Continuator Reginonis, *Roma natalem domini celebravit. Berengarius* (Italiæ Rex) *cum suis in Monte sancti Leonis obsessus vincitur, & id ipsum castellum Imperatoris ditioni subditur, & Berengarius cum Willa* (ejus uxore) *in Bavariam mittitur. Romani iterum ab Imperatore solito more deficientes, pluribus aliis castellanis sibi per conjurationem extrinsecus adjunctis, eum occidere nitebantur: sed insidiis eorum patefactis, eodem die quo eum extinguere moliebantur, necem sibi paratam anticipans, III Nonas Januarii cum paucissimis suorum eos invasit, & non modicam illorum multitudinem intra muros Urbis prostravit. Die verò sequenti Romam iterum venientes, centum obsides dederunt, & supra corpus sancti Petri sub jure jurando fidelitatem Imperatori & Papæ promiserunt. Tunc Imperator plenâ adhuc hebdomada apud illos manens, Spoletinum Ducatum & Camerinum ordinaturus exivit, & ad preces Papæ Leonis obsides Romanis dimisit: quibus ipsi beneficiis ingrati, non longè illo ab Urbe posito, Joannem, qui & Octavianus Urbi intromittunt, & fidem Imperatori & Papæ promissam annihilare non metuunt. Leo verò Papa vix cum paucis facultatum omnium nudus evasit, & Imperatorem in Camerino ducatu positum adiit, ibique Pascha celebravit. Joannes autem qui & Octavianus, Joannem Diaconum & Azonem Scrinarium crudeliter detruncavit, & Otgerum Spirensem Episcopum comprehensum & flagellatum, aliquandiu licet incommode secum detinuit: sed postea statum tum spe impetranda ab Imperatore venia remisit: qua spes eum divina ordinatione fefellit. Nam II Idus Maii rebus humanis excessit.*

II. *Moritur Joannes XII PP.*

Berengarius itaque, qui in Italia à mense Decembri anni CML regnabat, currenti Regnum amisit, postquam oppiduio vulgari vocabulo *S. Leo*, vel *Mons Leonis* dictum ultrà Maceratam, versùs Ravennam, inter Concham atque Marechiam flumina positum, cujus ager vulgò appellatur *Monte Feltro*, ut videre est apud Cluverium lib. 2. Ital. Antiq. pag. 622. in manus Ottonis Imp. pervenit. *Joannes* verò XII Papa, qui anoo CMLVI post diem XX mensis Augusti Pontificatum inierat, die decima quarta mensis Maii vitam cum morte commutavit, postquam sedisset anoos septem & aliquot menses. Marianus Scotus & Auctores Catalogorum ei omne tempus, quod ab ejus ordinatione ad mortem usque fluxit, attribuunt, sed in iis numeri in annis, mensibus, ac diebus corrupti. Fuit quidem *Joannes XII* vir flagitiosus, sed Pontificem Romanum à oemine judicari posse, Baronius anno superiori & Marca lib. 1. de Concordia cap. XI pluribus demonstrant, ideoque Joannis exauctoratio defendi non potest.

III. *Benedicti V Papæ electio & depositio.*

Pergit Continuator Reginonis: *Tunc Romani non modicè metuentes Imperatoris adventum, Benedictum quemdam Romanæ Ecclesiæ Diaconum, fidei & electionis domini Leonis immemores eligunt, & ordinatum sedi Apostolicæ imponunt. Quo audito, Imperator collecta secum undique fidelium suorum multitudine, Romam adiit, & firma eam omni parte obsidione, ne quis pateret exitus, munivit. Sed prædictus Benedictus falso nomine Apostolicus, dimitis ut Imperatori resisterent, Romanos animavit, ipseque Imperatori suisque fidelibus excommunicationem comminans, muros Urbis ascendit, & elatiori se fastu, quàm Apostolicum decuerat, ostendit. Ad ultimum Romani fame & obsidione constricti, se errasse, contraque Imperatorem injustè deliquisse, pœnitentes in Vigilia Præcursoris, idest IX Kalendas Julii portas Urbis aperiunt, & Imperatore cum honorificentia debita intromisso, Benedictum sacrilegum & perjurum Imperatoria ditioni reddunt, & dominum Leonem in Sedem Apostolicam restituunt. Tunc Leo Apostolicus coadunata multorum Episcoporum Synodo, eumdem Benedictum Romanæ Sedis invasorem judicio omnium ab invaso gradu deposuit, & Pontificale Pallium quod sibi imposuerat, abscidit, ferulamque Pastoralem manu ejus arreptam coram omnibus in frusta confregit, & ad preces Imperatoris, Diaconatus ei tantum gradu uti concessit. Celebrata verò beati Joannis Nativitate, & Sanctorum Apostolorum festivitate, Imperator ab Urbe Romana revertitur, & infeliciore quam speraverat omine in redeundo fruitur. Nam tanta exercitum ejus pestis & mortalitas invasit, ut vix vel sanus quis a mane usque ad vesperam, vel à vespera usque mane se victurum speraverit.* Tertia

SÆC. X. An.Ch.964.

est hæc profectio Romana Ottonis M. cujus mentionem facit Continuator Luitprandi lib. 6. cap. 11.

IV. *Infœlix status Ecclesiæ Romanæ.*

Hæc Continuator Reginonis, qui hoc tempore vivebat, in gratiam Ottonis Imp. *Benedictus* hujus nominis *Quintus* ordinatus videtur die XV mensis Maii, in quam Dominica cadebat; cumque ab Ottone Imp. die vicesima tertia mensis Junii Vigiliæ sancti Joannis Baptistæ sacra depositus fuerit, sedit mensem unum & dies novem. Marianus quidem Scotus & Auctores Catalogorum ei menses duos & dies quinque passim assignant, sed non video, quo die ejus Pontificatum absolvant, aut quomodo hoc cohærere possit. Ejus ordinationem contra decretum ab *Ottone* Imp. anno CMLXII renovatum, quo jubetur ut nullus consecretur Pontifex Romanus præter quam in præsentia missorum Cæsareorum, annullavit Leo VIII in sua pseudo-Synodo Lateranensi à Baronio num. XIX & seq. recitata. Verùm Romanos in ordinatione Benedicti V non peccasse, ex iis, quæ anno CMXCIX in medium afferam, liquebit. De infelici hoc tempore Ecclesiæ Romanæ statu Gerbertus Remensis Archiepiscopatûs invasor, in Actis Remensis Synodi, ait: *Vidimus Joannem, cognomento Octavianum, in volutabro libidinum, etiam contra eum Ottonem, quem Augustum creaverat, conspirasse: quo fugato, Leo Neophytus* (dicitur Laicus à Sigeberto in Chronico) *in Pontificem creatur: sed Ottone Cæsare Roma decedente, Octavianus Romam redit, Leonem fugat, multaque cæde Primorum in Urbe debaccatus cito moritur. Cui Benedictum Diaconum, cognomento Grammaticum, Romani substituunt. Eum quoque Leo Neophytus cum suo Cæsare non multò pòst aggreditur, obsidet, capit, deponit, perpetuoque exilio in Germaniam dirigit.*

V. *Nomen Salomonis nominis loco usurpatum.*

Hinc scitè observavit Joannes Beslius in Historia Pictaviensium Comitum & Ducum Aquitaniæ pag. 136. & cum eo Papebrocius in Leone VIII, *Aquitanos* in hac temporum caligine, cùm vellent annum Pontificatûs cum anno Regis Francorum conjungere, & duo vel tres Papæ simul viverent, loco nominis Pontificis, *Salomonis* nomen scripsisse, sive, ut significarent Deum esse, cujus suprema sapientia Ecclesiam regat, & Apostolicam Sedem conservet, sive ob aliam quamcumque causam eos ad hujusmodi formulam usurpandam inducentem. Hinc reperitur Diploma, *Datum mense Martio, feriâ III Lunâ XXIV Lothario Rege, Salomone regnante*, anno *DCCCCLXIV*. Post hæc autem cùm *Benedictus* & *Bonifacius*, uterque VII unitatem Ecclesiæ iterùm distraxissent, aliud scriptum in quo legitur: *Datum mense Junio, regnante Lothario Rege, anno D. N. Jesu Christi DCCCCLXIV, Salomone Papa.* Ac denique tertium scriptum contendentibus de Papatu *Gregorio V* & *Joanne XVI*, in quo habetur: *Datum mense Februario, regnante Hugone Rege, anno ab Incarnatione Domini Jesu Christi DCCCCXCVI Salomone Papa.* Ubi tertium hoc Diploma spectat ad annum CMXCVII, à Januario incipiendum, quia *Aquitani*, qui primùm seculo X sub Duce Guillelmo III cœperunt annos Eræ Christianæ in publicis instrumentis adhibere, à Paschate eorundem desumpsêre exordium, ut liquet ex hoc instrumento ab eodem Beslio pag. 284. exhibito: *Datum mense Januario, regnante Lothario Rege anno DCCCCLXIX, indictione XIII*, quo tempore, qui annum à Januario vel à Nativitate Christi auspicabantur, numerabant annum CMLXX.

SÆC. X. An.Ch.964.

VI. *Constitutio Leoni VIII attributa.*

A num. XXII ad XXXI. In *Leonis* octavi pseudo-Synodo Romana fertur edita Constitutio, qua *Ottoni* Imperatori, ejusque Successoribus concesserit in perpetuum facultatem eligendi Romanum Pontificem, & investituras Episcopis tribuendi. Hanc Constitutionem Goldastus Tom. I Constitut. Imperial. pag. 29. & seqq. ex Gratiano Dist. LXIII cap. XXIII, Theodorico Niemo, & ex aliis refert, pluribusque defendit. Imo Marca lib. VIII de Concordia cap. XII & cap. XXIX à Leone VIII datam fuisse contendit. Verùm Vir doctissimus Baronii argumentis non respondet, quorum primum petitur à falsitate similis concessionis ab Hadriano I Carolo Magno factæ, & in Constitutione Leoni VIII attributa ab eodem Leone memorata, quasi verè eam Hadrianus I emiserit. Quare cùm anno DCCLXXIV hujus concessionis Hadriano primo suppositæ falsitatem ostenderimus, Baronii argumenta adversùs Leoninam nobis non possunt non probari. Porrò cùm Decretum *Hadriani* mox laudatum circa finem seculi decimi confictum fuerit, & in prætenso Leonis VIII rescripto citetur, apparet, illud Leonis VIII rescriptum ante ejusdem seculi decimi finem auditum non fuisse.

VII. *Merè commentitia est.*

Refert ibidem Goldastus pag. 36. aliud exemplar Bullæ Leonis VIII ex Theodorico Niemo, qui circa annum MCCCCX vixit, in quo continentur quæ Romanæ Ecclesiæ à variis Principibus data dicuntur, & à Leone VIII confirmata. Verùm Diploma illud ab aliquo imperito schismatico excogitatum. Ait in eo Leo VIII se donare Ottoni, quæ sibi obvenerunt *à Justiniano Imp. & Ariperto Rege*, & tamen Justinianus Imp. & Aripertus Longobardorum Rex nihil Ecclesiæ Romanæ dedêre. Tum addit se tradere *Corsica Regnum* quod tamen *Ottonis* tempore nondum institutum erat. Dat etiam *insulam Venetiarum*, qui loquendi modus ab Antiquis non usurpatus, nec Venetiæ à Pontificibus Romanis unquam possessæ; *Ducatum Ferrariæ*, cùm tamen nonnisi diu post hæc tempora à Pontificibus Romanis institutus fuerit; *Ducatum Istriæ, Dalmatiæ*, in quibus Pontifices nihil unquam possedêre; *Capitenatam Apuliam*, sed hoc nomen ducentos post Ottonem annos inventum; *Calabriam*, & hæc hoc tempore Græcorum erat. Sic Regnum *Trinacriæ* ibidem designatum nonnisi sub seculi XIII finem institutum. Sed pudet in his immorari. Hoc tantùm dicam, Marcam lib. VIII de Concordia cap. XII, ubi Leonis VIII rescriptum genuinum putat, illud juxta leges Criticæ non examinasse, indeque Hadriani Papæ I Decretum de Investituris, quo Diploma istud innititur, ut legitimum admisisse, licet merum schismaticorum commentum sit.

VIII. *Victoria Nicephori Phocæ Aug. de Saracenis.*

Ad num. XXXII & seqq. gesta in Oriente à *Nicephoro* Imp. adversùs *Saracenos* Leo Diaconus refert, quæ ex eo in summam contraho. Postquam tristem hyemis faciem verna tempestas in sereniorem oram mutaverat ac serenitatem, indicta adversùs *Agarenos* expeditione Byzantio *Nicephorus* proficiscitur; moratusque in Cappadocia, justisque collectis copiis Tarsensem Urbem in Cilicia sitam petit,

tunc

SÆC. X. An.Ch.964.

tunc Civium virtute numeroque ac bellicæ rei exercitamentis ferocientem, nimiumque superbientem: cinctoque undique oppido obsidioni instabat. *Agareni* verò in eo præsidiarii Urbis munitione firmissima freti Imperatorem subsannabant, Urbeque effusi, factaque impressione, Romanorum plurimos trucidabant. Ubi itaque *Nicephorus* Imp. inconcessâ à se aggredi cognovit, inde movens circumposita *Tarso* præsidia castraque hostili acie invadit, primoque statim assultu *Adanam*, & Abarzam, aliaque supra viginti ejusmodi præsidia capit.

IX. *Mopsuestiam capit.*

Iode *Mopsuestiam* aggressus, ductoque vallo fortiter oppugnabat, petrariis atque sagittis quotidie velitando, hostem fatigans, præsidiarii ipsi quoque strenuè obsistebant, ignitaque tela & saxorum pondera io Romanos mittentes, se seque ex turribus omni conatu defeodentes. Tandem cuniculis dejectæ turres ac murus. Imperator quoniam collapsa muri rudera aditum volentibus præbere videbat, omni confertim exercitui mens *Mopsuestiam* subjugavit, ac qui residui Barbarorum erant, servituti mancipavit: ipseque subductis manubiarum primitiis, Imperatorioque ærario addictis, atque milite ab oppidi direptione revocato, quia Sol Sagittarium prætergressus ad Capricornum transibat, rigorque increbescebat, iode motis castris ad Romanæ se ditionis loca recepit: hincque Cappadociam ingressus, domum quemquam reverti jussit, rursùs meminisse monens, ut ineunte vere ad se redirent. Ipse verò cum residuis ibi hyberna ducebat. Anno sequenti de Tarsensis oppidi expugoatione sermo erit. Hanc Nicephori expeditionem *anno imperii ejus secundo mense Julio, indictione septima* susceptam esse, rectè refert Cedrenus, & loco *Abarzæ* vocis apud Leonem Diacoouni corruptæ, habet *Anabarzam*, seu *Anazarbam*, Ciliciæ oppidum. Verùm perperàm scribit, Nicephorum ad Tarsum & Mopsuestiam ducere ausum non esse, *quòd jam hyems appeteret*; hoc enim Leo Diaconus ignorare non potuit. In eumdem errorem Zonaras ac Cedrenus labitur, rectè tamen ait, Nicephorum Imp. *secundo imperii sui anno* Ciliciam invasisse.

X. *Translatio Reliquiarum S. Agnetis.*

Reliquiæ *Sanctæ Agnetis* Virginis, quæ seculo tertio Romæ martyrium fecit, & sancti Benigni Carnorensis Episcopi Martyrio etiam coronati, quæ seculo superiori Normannis Franciam devastantibus occultatæ fuerant, anno primo imperii Ottonis divinitus revelatæ fuot, & currenti à Thiadboldo Comite Ultrajectensi impetratæ per Baldricum Trajectensem ad Rhenum Episcopum, qui *Præsul voti compos, gratiarum actiones Deo cum laudibus extollens choro clericorum conjuncto, populique frequentia, decuit ut Sanctos, occurrit in obviam, quos honore condigno susceptos infra Trajectensem Episcopalis sedis aulam pridie Kalendarum Aprilium loco locavit in uno, sed singulis semotim in loculis, anno scilicet Incarnationis domini nostri Iesu Christi nongentesimo sexagesimo quarto, indictione septima, sabbatorum quinta*, inquit Auctor Anonymus Historiæ Inventionis & Translationis SS. Agnetis & Benigni Episc. è Gallia Ultrajectum apud Bollandum ad diem XXI Januarii. Præcipua quidem sanctæ Agnetis Romanæ pignora Urbs ipsa asservat, sed quædam eorum partes ab aliis urbibus possidentur. Seculo elapso furentibus in Francia hæreticis hæ Reliquiæ Luteriam Parisiorum translatæ, & in Ecclesia sancti Eustachii, quæ primùm sub ejusdem sanctissimæ Virginis nuncupatione constructa claruit, magna solemnitate collocatæ, ut apud Bollandum ibidem videre est.

SÆC. X. An.Ch.965.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6458.

☉ 22. A. ☽ 16. P. 26. Mart. Indict. 8.

JESU CHRISTI 965.

JOANNIS XIII PAPÆ 1.

OTTONIS IMP. 4.

NICEPHORI PHOCÆ IMP. 3.

Anno Æræ Hisp. MIII. Anno Hegiræ CCCLIV. inchoato die 7. Januar. fer. 7. Anno Hegiræ CCCLV. inchoato die 28. Decemb. f. 5.

I *Moritur Benedict. V.*

ANNum. I ad IV. Rediit hoc anno Româ in Germaniam Otto Imperator, postquam Benedictum V Adaldego Archiepiscopo Hamburgensi custodiendum tradidisset. *Reversus autem Archiepiscopus in patriam duxit in comitatu suo Benedictum Papam ordinatum, sed ab Imperatore Ottone depulsum, quem ille in Hammaburg custodia mancipari precepit: Archiepiscopus verò magno cum honore usque ad obitum ejus detinuit*, inquit Adamus Bremensis lib. 2. cap. 6. qui addit: *Igitur apud nos in sancta conversatione vivens, aliosque sanctè vivere docens, cum jam, Romanis poscentibus à Cæsare restitui debuisset* (mortuo sc. Leone VIII), *apud Hammaburg in pace quievit. Cujus transitus III Nonas Julii contigisse describitur.* Lambecius lib. I de Originibus Hamburgensibus pag. 37. ait videri hodieque Cenotaphium ejus io medio chori Ecclesiæ B. Virginis Mariæ, cui inscripta sunt hæc verba: BENEDICTUS PAPA, QUI DE SEDE APOSTOLICA PER VIOLENTIAM AMOTUS, ET POST, CUM REVOCARETUR, OBIIT HAMBURGI ANNO DOMINI DCCCº QUADRAGESIMO PRIMO, QUINTO NONAS JULII, & SEPULTUS EST HIC. Verisimile est, subdit Lambecius, ab illis, qui trecentis vel quadringentis ab hinc annis Beoedicti illud cenotaphium vel extruxerunt vel renovarunt, errorem hunc in numero commissum esse. Verùm non tantùm illud verisimile, sed etiam certum; cùm epitaphium neque diem, neque anoum, neque seculum ex vero referat. Papebrocius in Paralipomenis ad Conatum Chronico-Hist. refert, *Othonem Sperlingum* nuper Kilonii eruditam Dissertationem sub hoc titulo typis mandasse: *Monumentum Hamburgense Benedictinum, seu de Inscriptione & tumulo Benedicti V Pontificis Rom. qui in choro majoris Ecclesiæ B. V. Mariæ apud Hamburgenses olim fuit, & hodiedum spectatur*, io qua docet, post *Benedicti* adventum sæpius incendio conflagrasse, & Urbem & Ecclesiam, ut illius, si quod fuerit, monumentum, debuerit funditus periisse: & si *Ottonis* III ætate, quo ejus corpus Romam translatum, in paupertina tunc Ecclesia fuisseot inscriptiones, apud Bremenses, Hamburgeosesque, Adamum Bremensem eas omninò tacitas præteriturum non fuisse in suo Opere, quo ætatem & sepulturas Episcoporum, ex aliis monumentis librisque donationum, tam anxiè conquisivit. Denique concludit Sperlingus vix ante annum MCC Hamburgi conspici cœpisse Cenotaphium illud, quod vidit descripsitque

Krant-

Krantzius, multò amplius altiùsque, & literis longioribus multò quam nunc videantur, insculptum. Ita Spetlingus Vir in Critica versatissimus. Post mortem ejus Interpontificium mensium aliquot fuit, ut statim ostendam.

II. *Joannes XIII fit Papa.*

Ad num. IV. Hoc annu, ut habet Continuator Reginonis, *Leo Papa obiit.* Marianus Scotus & Auctores Catalogorum ei annum unum & menses tres adscribunt, ideoque cùm anno CMLXIII die sexta Decembris consecratus fuerit, mors ejus ineunte circiter Martio accidit. Etsi verò verus Pontifex non fuerit, dicendus est tamen Leo ordine VIII, ut Antiqui & sequentes ejusdem nominis Pontifices nos dubitare non sinunt. *Joannes* natione Romanus, Episcopus Narniensis ei successit, non die secunda Octobris, ut scribit citatus Lambecius, sed die prima ejusdem mensis, in quam Dominica hoc anno incidit, ut ex dicendis in morte ejus certum fiet. Hujus Pontificis initium à Papebrocio in Conat. Chron. benè collocatum.

III. *Capua à Joanne XIII Metropolis fit.*

Ad num. V. refert Baronius hæc Leonis Ostiensis verba: *Hujus Abbatis, Aligerni scilicet anno XIX, Joannes Papa Roma pulsus exilio, capuam venit, & a memorato Principe Pandulpho rogatus, tunc primùm in eadem civitate Archiepiscopatum constituit.* At verum quidem est, Joannem hoc anno Romà pulsum Capuam venisse, annoque sequenti eum Romam rediisse, ut habet Baronius ex Continuatore Reginonis; sed Aligernus Abbas Casinensis anno CMXLIX ad hanc Præfecturam evectus, sequenti annum tantùm XVIII ejusdem numerabat. Quare in Leone loco *anno XVIIII*, legendum, *anno XVIII.* Hermannus Contractus Joannis Papæ Romam reditum differt usque ad annum CMLXIX, sed rectè scribit, Joannem *per decem & amplius mensos* in Campania afflictum fuisse, qui ideo circa finem anni CMLXVI Romam reversus est; tuncque Capua ab eo Metropolica dignitate exornata. Vide quæ dicam anno CMLXVIII num. XIV.

IV. *Erat antea tantum Metropolis civilis.*

Capuam jam inde à Constantii Imp. temporibus fuisse Metropolim, Sirmondo *in Adventoria* visum est, auctoritate Synodi Sardicensis & Athanasii ad *Solitarios*, ubi Campania, Calabria, Apulia ab Italia dividitur. Deinde refert subscriptiones Conciliorum & Sardicensis & Arelatensis, in quorum primo ita subscriptum est: *Lucillus ab Italia, Vincentius à Campania de Capua, Jannarius à Campania de Benevento, Stercorius ab Apulia de Canusio.* In altero verò: *de Provincia Italia civitate Mediolanensi Mirocles Episcopus; ex provincia Campania de civitate Capuensium Proterius Episcopus; de provincia Apulia de civitate Arpiensium Pardus Episcopus.* Denique adhibet verba Athanasii ex Epistola ad Solitarios: *Vincentium quidem à Capua; illa verò est Metropolis.* Verùm, uti Cantelius in Historia Metropolitanarum Urbium part. 3. Dissert. 2. aliique observant, ex his tantùm sequitur, *Campaniam* ab Italia utroque jure, & civili & Ecclesiastico, sejunctam fuisse, non verò à Romana provincia. Fuit enim *Campania* jure civili diversa à Romana provincia, sed non more Ecclesiastico; cùm utraque diversis Magistratibus, sed uni Metropolitæ Romano paruerit. In laudibus verò sive Epistolis sive subscriptionibus, juris plerumque civilis, non verò Ecclesiastici, habita ratio est; tumque urbes diversis vulgò provinciis adscriptæ sunt; ii aliis alius, sive Præses sive Proconsul præfuit. Nec alia mens fuit Athanasii, dum Capuam Campaniæ *Metropolim* appellat: Metropolis quidem fuit, non Ecclesiastica tamen, sed civilis; eoque respexisse videtur *Athanasius*, qui non vocat Vincentium Metropolitanum, sed Capuam *Metropolim*: hæc enim prærogativa Urbis fuit, non Episcopi.

V. *Tempore Gregorii M. non erat Metropolis Ecclesiastica.*

Præterea, subdit Cantelius, si *Campania* solida provincia Ecclesiastica fuit, an non & Apulia & Calabria solidæ itidem provinciæ fuerunt? Eadem enim omnium ratio est. Quænam verò in his provinciis Metropoles, an Hydruntum? an Tarentum? Barium? At eas multò post Sanctum Athanasium hac dignitate ornatas in confesso est. Eò accedit, quod si *Capua* Campaniæ erat Metropolis, an illi contributa *Neapolis?* At subditam Capuæ fuisse nullum extat vestigium. Si verò *Neapolis* Metropolis etiam erat, fuerunt in una Campania provinciæ multæ. Et tamen vel ex unius Gregorii Magni Epistolis cuivis intelligere licet, *Capuam* præ cæteris nihil habuisse præcipui. *Festus* Capuæ Episcopus à Gregorio commendatur Petro Campaniæ Subdiacono: moritur paulò pòst Romæ: *Gregorius* Gaudentium Nolanum Capuam visitatorem mittit. *Basilius* Festo suffectus apud Siciliæ Præfectum hærebat diutiùs; illum *Gregorius* per Romanum defensorem ad suam Sedem intra quinque dies redire jubet, eumque Romam ad Synodum evocat. Quid hîc est, ex quo elici possit, Capuanum Episcopum fuisse Metropolitam? Annon potius inde planum fit, ut ceteros Campaniæ Præsules, ita Capuanum fuisse Romano Metropolitæ contributum? Id certè nemo negaverit, qui *Gregorii* Epistolas vel leviter perlegerit; longè enim alia illius est cum Mediolanensi & Ravennate Metropolitanis agendi ratio.

VI. *Polonia à S. Andrea Apostolo fidei lumen accepit.*

A num. VI ad X. Stanislaus Lubienskius Episcopus Plocensis in *Vitis & Serie Episcoporum Plocensium*, de initiis fidei in *Poloniam* introductæ differit, atque fundamenta Christianæ religionis in Polonia, sive ea Vandalia, aut Gothia, quo titulo Regni, Principes Poloniæ, usque ad Boleslaum Audacem usi sunt, appelletur, sive universum Septentrionem Rheno & Tanai magnis Europæ fluminibus circumfusum, sub magnæ Sarmatiæ nomine comprehendendum censueris, sive denique totum hunc tractum, Scythiam Europeam, quam veteres Historici longè latiùs, quàm omnes alias regiones patere scripserunt, existimaveris; non primum, ut plerique opinantur, sub *Miescone* Duce, è Piastorum familia exordium habuisse. Nam *Sanctus Andreas* Apostolus, Scythiam Europeam, cujus appellatione universus Septentrio continetur, primus ex Achaia Istro transmisso ingressus, revelatæ à Christo veritatis lumen in Poloniam intulit. Nec deinceps per annos ferè à Christo nato DCCC deerant viri pii, qui partim ex Græcia, partim ex Italia & Gallia, ac ipsamet Anglia progressi, foverent sementem Evangelii in agro Sarmatico, suaque prædicatione Poloniam, Russiam Magnam, Bohemiam, Daniam, Sueviam, Saxoniam, Pomeraniam, Vandaliam, præceptis & mysteriis Evangelicis imbuerent, maximè posteaquàm Gregorius M. missis in Angliam doctrinæ Evangelicæ Sanctissimis Magistris Anglos, veterum Saxonum (quos Sarmatiæ partem fuisse nemo dubitaverit) prolem, ad obsequium Romanæ fidei reduxit.

Nec

VII. *Miecislaus Poloniæ Rex fit Christianus.*

Nec à temporibus Apostolorum defuisse putandum est Viros zelo Evangelico accensos, qui ipsa penetralia Vandaliæ (ita appellata est ea pars Sarmatiæ, quam nobilissimus fluvius *Vandalus* mediam secat, quæ nunc Polonia dicitur) penetrarint, quorum etsi labor non infructuosus fuit, memoria tamen obscurior, & nisi soli Deo nota nomina. Ad præsentem usque Christi annum, nullus erat qui publico nomine religionem Christianam palam profiteretur, non quòd ea res Principum Edictis vetaretur, sed quod nullus esset, qui statum religionis ad normam Ecclesiæ Catholicæ formaret, Regibus ipsis nondum sacramentis cœlestibus imbutis. Primus fuit *Miecislaus*, qui à Christianis subditis suis (qui jam tum frequentes etiam ex Primoribus fidem Christianam colebant), ut damnato cultu falsorum deorum, Christianus & ipse fieret, ac uxorem Christianam *Dambroncam* Boleslai Bohemiæ Regis sive Ducis filiam duceret, persuasus, primus se Christianum Principem esse palam professus est.

VIII. *Vandalia à Polonia minimè distinguenda.*

Nec hoc tempore ullum alium fuisse *Miesconem*, qui in alia Vandalia quàm in Polonia regnaret, ostendi ac probari potest, & *Vandalos* à fluvio *Vandalo*, qui ex montibus Carpatiis Hungariam à Polonis dirimentibus ortus, mediam secat Poloniam, dictos fuisse manifestum est. Antiquioribus quidem temporibus latiùs patuit Vandalorum Imperium, priusquam patriis sedibus exuti, ad occupandum Imperium Romanum ingenti facto agmine, præter complura Europæ regna, Africam etiam ipsam armis occupassent; multa illorum præclara facta leguntur ab Historicis illorum temporum scripta. Eosdem non diversos fuisse à *Lechitis* seu Polono-Vandalis, ejusdem linguæ commercium luculentissimum est argumentum; quidquid modo Bohemia, Moravia, Bojoaria, nunc Bavaria dicta, Saxonia, quidquid Brandeburgica ditione, Pomerania cum adjunctis provinciis, Lusatia, Silesia, quidquid denique Moschovitico, Rothenico & amplissimo Poloniæ Regno, ac ipsis etiam Daniæ & Succiæ coronis continetur, Vandalorum sedes & patria fuit, prout id sermo ipse & lingua, cujus etiam in iis regionibus, quas Germani vel Nemetes potius, postea occuparunt, non obscura extant vestigia, abundè testatur. Quæ ut Lubienskius probet, refert quæ Cromerus lib. 2. Historiæ suæ de successoribus & liberis *Lesci* tertii monarchæ Poloniæ sive Vandaliæ, memoriæ prodidit. Verùm neque hæc neque Grotii, de qua statim, opinio Antiquos suffragatores habet.

IX. *Polonia primæva Vandalorum sedes non fuit.*

Vandalos aut *Wandalos*, Grotius in Prolegomenis ad Historiam Gothorum editioni Procopii præfixam non existimat, gentis alicujus nomen extitisse, sed sic vocatos fuisse Germanos quosdam ab iis, qui primi eorum vim sensêre; cùm Germani hac voce eos designent, qui non se se certis sedibus tenent, sed nunc hùc, nunc illùc vagantur. Verùm quantum ex Antiquis inter se collatis colligi potest, *Vandalorum* nomen *uni & soli* Germaniæ populo primitus datum, & quidem postquam per aliqua tempora huc illuc excurrendo prædas egisset. Quare Vandalorum rapinæ & excursiones post annum Christi quadringentesimum ab eis factæ, nihil cum eorum nomine commune habent, sicut nec omnes Septentrionales populi, qui prolixas barbas aluêre, Langobardi vocati sunt, sed istud nomen peculiari populo datum. Sic quicumque enses à Germanis *Sachs* denominatos tulêre, *Sachs*, seu *Saxones* dicti non sunt, sed gens quædam peculiaris. Quare licet *Vandalorum* nomen vagari significet, & varii Barbari huc illuc vagando vitam traduxerint, Vandalorum tamen voce peculiaris gens denominata. Adhæc hi Vandali diversi omnino fuêre ab *Slavis*, seu *Sclavis*, *Venedis*, *Vinidis*, aut *Vindilis*, qui Vandali dicti sunt, quòd eadem loca postea occupassent, & utrorumque nomina magnam inter se affinitatem haberent. Hi enim populi linguâ & moribus prorsus inter se discrepabant; nec ulli magis inter se oppositi quàm *Germani* & *Sclavi*. Poloni communiter persuasum habent, Vandalos à *Vistula* fluvio, qui universam Poloniam irrigat, nomen traxisse, & fluvium illum *Vandalum* olim fuisse appellatum. Verùm nullum hactenus ad id probandum argumentum in medium attulêre, & conjecturæ nullis fundamentis innixæ, qualis illa reputanda, ad rem tam densis tenebris sepultam nihil conducere possunt.

X. *Cæteri Barbari à Saracenis primùm Vandali appellati.*

Verum quidem est, *Vandalorum* nomen Barbaris omnibus, qui Europam vagando deprædati sunt post annum Christi quadringentesimum, adscriptum fuisse, sed id non contigit, nisi diu postquam veri *Vandali* excursiones suas fecêre. Vandalorum ergo nomen omnibus Barbaris à *Saracenis* primùm inditum, quia cùm Africam sibi subdidissent, notiores illis fuêre Vandali, qui eam incolebant, quàm *Gothi* & *Suevi*: præterquamquod cùm *Vandali* præcipuam Hispaniarum partem aliàs obtinuerint, inde factum, ut alias, sicut etiamnum, Hispaniam omnem *Vandalous*, & corruptione *Andalos* Mauri appellarint. Neque enim ea sola provincia, quæ ab Hispanis Christianis hodie *Andalusia* dicitur, sed universus Hispaniarum ambitus ab eis *Andalos* nuncupatus. Denique infinitis Auctorum, qui octavo, nono, & decimo seculo vixêre, testimoniis probari posset, *Mauros* Hispaniam inhabitantes *Vandalos* dictos fuisse; quod mirum videri non debet, cùm ipsimet se se Andalos dicerent. Legenda quæ anno DCCCCVII num. XVI hanc in rem in medium adduxi. Ex quibus tandem omnibus sequitur, neque *Vandaliam* hoc tempore communiter *Poloniam* dictam esse, nec ab hac varios populos Vandalos appellatos. Witichindus & Ditmarus, qui sub finem hujus seculi floruêre, & Antiqui qui res hoc seculo gestas in literas misêre, quos nunc Polonos, ipsi *Sclavos*, & Poloniam Slaviam de more vocant, non verò Vandaliam. Quare Lubienskii opinio non admittenda.

XI. *Nullus Archiepiscopatus ante annum M. in Polonia erectus.*

Lubienskius laudatus, passimque Rerum Polonicarum Historici nullo fundamento innixi asserunt, tunc *Archiepiscopatus* in Polonia institutos, & Vandaliam aliàs tantam latitudinem habuisse. Nam, ut infrà videbimus, Polonia quidem anno millesimo, quô ad Sancti *Adalberti* Reliquias venerandas *Otto III Imp.* illuc accessit, Episcopos habebat, sed tunc primùm *Gnesna*, quæ sedes Regia erat, in Metropolim erecta. Neque enim usus ferebat, ut in regionibus noviter lumine fidei illustratis statim Archiepiscopatus conderetur. Anno Christi millesimo Sanctus Stephanus Hungariæ Rex è suis Præsulibus unum ad Silvestrem II Papam misit, *ut recèns conversa Pannonia largam benedictionem impertiret, Strigoniensem Ecclesiam sua auctoritate Metropolim constitueret, reliquos Episcopatus*

sua

sua benedictione firmaret, inquit Cartuitius in Vita hujus sancti Regis; & tamen Pannonia seu Hungaria jam ab aliquot annis fidem Christianam amplexa fuerat. Imo *Bohemia* Moguntino Archiepiscopo subjecta fuit, usque Bohemiæ Reges coronavit, licet in ea Sedes Episcopales essent, usque ad annum MCCCXLIV, quô Clemens V Pragam Archiepiscopali cathedra decoravit, ut eo anno num. VIII apud Spondanum, fusiúsque apud Baluzium in Vitis Paparum Avenionensium Tom. I in Notis ad tertiam Vitam Clementis V, à Bernardo Guidonis scriptam, legere est. Cùm itaque non solum nullus antiquus Auctor referat Poloniam hoc seculo Archiepiscopali sede insignitam fuisse; imo contrarium aliqui asserant, & id tantum anno millesimo contigisse disertè tradant; non video communem illam Historicorum Polonorum traditionem sustineri posse. Quod enim Lubienskius in Martiali secundo Episcopo Plocensi habet, seriem sc. ipsam Archiepiscoporum Guesnensium & Cracoviensium, eorumque Catalogos illorum opinionem refellere, qui *Poloniam* per aliquot annos Archiepiscopo caruisse existimarunt, levissimi est momenti adversus Auctores coætaneos, & ad rem tanti momenti adstruendam. Hundius in Metropoli Salitzburgensi, & Henricus Canisius in Antiquis Lectionibus Archiepiscoporum Salisburgensium varios Catalogos, eosque antiquissimos exhibent, in quibus nomina *Archiepiscoporum*, qui ab initio seculi septimi usque ad initium octavi Salisburgensi Metropoli præfuêre, descripta sunt; & tamen eam Ecclesiam ante octavi seculi exordium Sedem Metropolitanam non fuisse certis argumentis me demonstrasse existimo. Hujusmodi itaque Catalogi, si alia desint, aut certa documenta contraria habeant, fidem facere non possunt: neque dubito, quin *Gnesna*, Cracoviaque, & aliæ Sedes Episcopales in Polonia hoc tempore erectæ Archipræsuli Moguntino usque ad annum millesimum subjectæ remanserint.

XII. *Moritur S. Bruno Archiep. Coloniensis.*

Ad num. X. Rotgerus Monachus in vita sancti Brunonis Coloniensis Archiepiscopi à Surio ad diem XI Octobris recitata, cap. 41. de ejus morte locuturus ait: *Cùm Imperator tricesimum regni sui* (ab anno scilicet CMXXXVI, non à sequenti, ut putavit Baronius, deductum) *germanus ejus duodecimum Pontificatûs sui ageret annum* (quem anno CMLIII inierat) *nondum nisi vix prælapsus ætatis quadragesimum, Sanctam Pentecosten simul Coloniæ celebrantes, quâ major mortalibus gloria concessa non est, se se invicem inter sancta solemnium dierum officia, unà cum diva matre, sorore Regina, nepotibus, filiisque Regiis, totaque illa Deo dilecta familia, & cunctis regni Senatoribus adfuerunt. Constat enim nullum aliquando locum tanta celebritate, tanto splendore omnis generis hominum, ætatum, ordinum floruisse. Hanc itaque gloriosissimi Cæsaris Augusti, & germani ejus, summi & incomparabilis viri Brunonis Archiepiscopi, fidam, Deoque placitam in omni voluntate & opere conjunctionem, hanc conspirationem in omni utilitate & honestate administranda & bene gerenda, hanc jucundissimam vitæ, officiorumque omnium societatem, mors sæva, mors horrenda, mors, inquam, sola diremit.* Remis obiit quinto Idus Octob. in reditu è Conventu Compendiensi, ubi *Nepotes* suos, idest *Lotharium* Francorum Regem, & Hugonis Magni filios *ab invicem dissidentes ad concordiam* revocavit. Ejus corpus Coloniam relatum, sepultum est *in monasterio Monachorum, quod in honore Sanctorum Pantaleonis, Cosmæ & Damiani, atque Quirini extra urbis muros construxit*; quod monasterium Ordinis Sancti Benedicti adhuc perstat. Hoc etiam anno Continuator Reginonis, Auctor Chronici Hildesheimensis aliique mortem ejus consignant. Porrò Rotgerus annum XXX Ottonis Regis, non ad celebrationem festi Pentecostes, quæ hoc anno die XIV Maii celebrata, sed ad *Brunonis* mortis diem refert. Is Lothariensis regni Ducatum & Episcopatum simul rexit. *Nemo autem super hac re illum culpabilem dicat*, inquit Chronographus Magdeburgensis ineditus; *cùm Samuelem sanctum, & alios plures, Sacerdotes pariter legamus & Judices.*

XIII. *Moritur Adelbero Episc. Metensis.*

Adalberone hujus nominis primo Episcopo Metensi anno superiori demortuo, ut legitur in ejus Epitaphio à Meurissio lib. 3. Epist. Metensium recitato, idque VI Kalendas Maii, ut ex Necrologio Ecclesiæ Metensis & Chronico Sancti Trudonis part. 2. lib. 3. constat, *Theodericus* seu *Deodericus* in locum ejus suffectus est præsenti anno, non verò superiori, ut perperàm ibidem habet Meurissius. Continuator enim Reginonis ad annum CMLXV ait, eo anno *Imperatore ab Italia redeunte* Adalberoni Metensi Episcopo *Theodericum* consobrinum Imperatoris successorem institutum esse. In Vita ejus versibus à Sigeberto Chronographo descripta, & à Meurissio ibidem relata, inter alia dicitur;

A Rege clarebat secundus,
Vix alicui sub eo secundus,
Hic consobrinus Cæsaris incliti
Hærebat illi militia & domi,
Regni ferens partes secundas,
Cæsaris allevians que curas.
Regni per illum cuncta negotia,
Et jura stabant Ecclesiastica.

XIV. *Nicephorus Phoca Aug. Tarsum obsidet.*

Gesta hoc anno in Oriente Leo Diaconus narrat, ex quo hæc in summam contraxi. Imperator *Nicephorus* in Cappadocia hyberna ducens animo discruciabatur, quod *Tarsum* prima statim aggressione capere non potuisset, sed ab ea haud secus leve telum fortiori impactum repulsus esset, inviolabiliterque dolebat, quod *Tarsenses*, vicinis undique bello confectis, ipsi soli reliquorum abierint, ejus fortitudinem subsannantes. Moxque *vere illucescente, hyemisque asperitate transacta*, pro eo ac jussæ erant copiæ, ad eum confluebant. Is igitur firmiter armato exercitu ad quater centena millia supraque collecto, sublatoque signo versus *Tarsum* ibat. Porrò *Tarsenses* urbe egressi, firma acie ex adverso constipati stabant: Imperator verò ipse quoque robustam, fortemque manum sensim è castris educens, mediusque inter cohortes stetit: *cornu dextrum cum confertissima equitum turma ipse tenuit; in secunda Joannes cognomento Zimisces Ducis decoratus honore pugnavit: vir ira impatiens, nimiaque audacia, ac si quis alius calentis animi, quamquam supra modum brevis statura erat, velut qui in fabulis habetur, vir bellicosus Tydeus. Verum inerat minusculo corpori heroica vis quædam, ardorque ac impetus, generosusque spiritus.*

XV. *Et capit.*

Nicephorus verò Imperator, quod penè inaccessam aggressuque prorsùs difficilem urbem noverat, operæ pretium duxit, eam fami tradere,

SÆC. X. An. Ch. 965. re, castraque communire. Quoniam igitur *Tarsenses* cum insopetabili famis necessitate, tantisque copiis dopuguare haud potis erant, paciscuntur cum Imperatore, & urbem certis pactis dedunt. Sic nimiom urbs à *Nicephoro* capta, spoliorumque parte in milites distributa, assumtisque crucibus ex auro fabrefactis ac margaritis, quas Tarsenses variis præliis fusis, fugatisque Romanis ceperant, ad urbem Regiam reversus est. Cedrenus narrata Tarsi deditiooe, ait, Imperatorem, *Octobri mense indictione nona*, Constantinopolim rediisse, additque: *Attulit & Deo donum sui exercitûs decimam, venerandas cruces captas, quando Scholarum Domesticus Stypeiotes Tarsum obsidens imprudentiâ suâ cum omni exercitu funditus deletus: quas etiam sacrosancto templo Dei Verbi Sophia dedicavit.* De clade illa Stypeiotæ, quæ Basilio Macedone imperante accidit, Cedrenus, Porphyrogennetta, aliique agunt.

XVI. *Ejus expeditio in Bulgaros.* Imperator, subdit Leo Diaconus, justo conscripto exercitu adversùs *Mysos* processit: ac quidem præsidia atque castella Romanis finitima quotquot erant, excursione unoque quasi impetu subegit: regionem verò considerans eamque saltuosam atque præcipitiis asperam, præruptamque videns: est enim ora plurimum aquosa, valdeque saltuosa, ac undique inaccessis montibus ambientibus clausa, ad *Æmum* atque *Rhodopen* sita, maximisque fluviis circumquaque irrigua, cavendum esse duxit, ne Romanas copias incomposito ordine per lubrica parumque tuta loca educens, velut pecora *Mysorum* gladio cædenda præberet. Aiunt enim haud rarò Romanos ibi internecione deletos esse. Itaque Byzantium regressus est, ac quem *Calocyrum* vocant, Patricia dignitate auctum (hominem sanè audentis omnino ac calentis ingenii) ad *Tauroscythas*, quos vulgò *Rossos* nominant, misit, data quindecim centenariorum auri summa, ejusque fidei commissa; qui illi acceptâ *Mysorum* fines invaderent. Ac quidem ille ad *Tauroscythas* iter contendebat: Imperator verò equestres ludos editurus in Circo consedit; inter quæ jubet intra se positæ cohorti, ut in stadium descendentes, inque simulatos adversarios strictis gladiis irruentes ad bellum exercerentur. Byzantii verò militum collidentium impetu ac fragore conterriti, atque spectaculi novitate in pavorem acti domum quisque currebant. Cumque alii alios comprimerent, plurimi miserabilem in modum conculcati ac suffocati sunt: ea res Byzantinorum in Imperatorem odii scintilla fuit. Huic comes accessit ejus germani ac *Curopalata Leonis* scelus: is nimirum virili ac militari pristina iodole valere jussâ, penuriam tritici rerumque necessariarum immitem caritatem invexerat, & Imperator ipse tributa nunquam hactenus exacta imponebat. Aiunt autem, sive Astrologorum quopiam divinante, sive Monachorum cælibemque vitam profitentium cujusdam vaticinio præmonente, in Imperatoris aurem venisse: *Vitam illi in Regia ac Palatio explendam, parricidiali civium necato manu. Eo itaque formidolosus pavidusque effectus oraculo, ab altera parte vergente in mare ad alteram maris partem ducto cæptoque aggere ac terminato, murum qui & nunc cernitur extruxit, sublimem sanè atque validum, eoque Regiam ac Palatii ædes, ut augurabatur, communiens, ab omni intus injuria fecit.*

Rursus verò incendiarias tutò saburratas ac stabilitas, onerariasque magnâ armorum militumque copia impletas in Siciliam misit: ac classi quidem Nicetam Patricia dignitate fulgentem (virum religiosum ac venerabilem, tametsi eunuchus erat,) ducem præfecit, equestri verò militia Manuelem consobrinum suum, vir nimirum calentis ingenii præfractaque audacia, propeque furentis animi. Superato itaque mari Adriatico, Siciliamque appulsi cùm navibus excendissent, aciem instruxerunt. Tanta verò à principio felicitate, sicque rebus secundis usi sunt, ut ipso clamore atque impetu clausas urbes longè celebres Syracusam atque Hymeram ceperint: præterea quoque Tauromenium & Leontinos in potestatem redegerint. Haud enimverò futurum erat, ut invida fortuna in finem usque plenis eis velis aspiraret, sed ut valido, sævoque flatu adversè spirans res naufragio mergeret; id quomodo evenerit jam oratio palam declarabit. SÆC. X. An. Ch. 965. XVII. *Expeditio Sicula Græcorum.*

XVIII. *Infelix fuit.* *Siculi, cùm tantæ vi insuperabilique Romanorum audacia atque animis non possent resistere, relictis urbibus atque oppidis angustias montium subierunt, locisque opportunis in manipulos atque cohortes coierunt.* Manuel igitur, cum par esset, acceptas urbes præsidio tenere, omnemque agrum pascuum ac campestria sibi addicere, oec non fugaces à pabulatu, ac quibus reliquis sustentari vita posset, arcere. Sic enim fame exhaustis duorum alterum necessariò evenisset, ut vel ipsis Romanis deditionem facerent, vel necessariorum penuriâ interirent: is verò superioribus jam victoriis ultra modum elatus, per salebrosa, præruptaque loca fugaces scrutans insequebatur. Jam verò per eas locorum angustias dissoluta phalange, ac per scopulos, scissasque valles & lustra rimasque incompositè effusa, qui priores insidias posuerunt Barbari, strepitu inconditisque vocibus è latebris exciti in eos repentè irruerunt. Hi porrò inopinato eventu stupefacti prorsùsque exterriti, in fugam declinarunt. Barbari verò irruentes pecudum more Romanos diré jugulabant. *Sublatus ipse quoque Manuel: quotquot verò Romanorum gladii aciem effugêre, vivi ab Agarenis capti sunt, ac sub jugum missi. Jam autem terrestri exercitu in potestatem redacto ad littus festinè accurrentes, quo loco Romana classis in anchoris stabat, ejus partis plurima impetu compotes evaserunt. Captus est & Patricius Nicetas, Afrorumque Duci missus captivus. Ex tanto itaque exercitu, pauco quodam exiguoque numero fugâ lapsi ad Nicephorum Imp. venerunt. Is porrò tantarum copiarum audita strage contristatus quidem est, animoque indoluit, tanto scilicet opera negotio eventuque sic inauspicato.* Hæc Leo Diaconus.

Infelicis hujus expeditionis meminit Leo Protospata io suo Chronico ad annum CMLXV. *Introivit Manuyci Patricius in Siciliam, & ibi moratus est.* Ubi Codex MS. Ducis Andriæ rectè habet, *Manuel.* Nowcirius in Historia Siciliæ, quem sequitur Inveges in suo Chronico prodit, *Manuelem Patricium* in Siciliam excensionem fecisse *medio mense Shawal*, anni Hegiræ CCCLIII, ideoque die quinta mensis Novemb. superioris Christi anni, subditque, *post aliquod tempus* ventum esse ad prælium decretorium, in quo Christiani, postquam diu & fortiter pugnassent, victi, eorum Præfectus occisus, paucique fugâ saluti suæ consulere potuêre. Do- XIX. *Hoc anno suscepta.*

 mesticus

SÆC. X. An. Ch. 965.

... meiticus Imperatoris Constantinop. qui cum aliis copiis urbem *Messanam* obsidione cingebat, ab eadem destitit, & non multò post *Rametha* munitissimum oppidum à Christianis possessum, in Musulmanniorum potestatem venit. Siciliæ tunc præerat *Ahmed-Ifan* illuc à *Muazzo Ledinilla* Africæ Calipha missus. Tandem pax Domesticum inter & Musulmannos anno Hegiræ CCCLVI, (Christi sc. CMLXVII) composita, & duobus consequentibus annis *Tauromenium* & *Rametha*, urbes à Musulmannis Christianis ereptæ *Muazzi* Caliphæ jussu eversæ ac incensæ, annoque Hegiræ C CLXV, Christi sc. CMLXXVI, *Rametha* à Saracenis reædificata, quo anno Christianos inter & eosdem Saracenos bellum in Sicilia renovatum. *Abulcasem* Siciliæ Amera tribus præliis Christianos superavit, & in quinto ipsemet occisus anno Hegiræ CCCLXXII, Christi scilicet CMLXXXII. Denique Consentia vulgò *Cosenza*, Calabriæ urbs, Ptolemæo, Straboni, aliisque memorata, hoc anno à Saracenis capta flammisque tradita. Ughellus quidem Tom. X Italiæ Sacræ scribit, id factum anno CMLXXV, sed is error typographis attribuendus videtur. Hieronymus enim Marafiniotus, Franciscanus Calaber in Chronicis & Antiquitatibus Calabriæ, in quibus de civitatibus & castris ejusdem provinciæ diligenter disserit, dicit id eo tempore contigisse, quo *Otto* in Germania erat, & Joannes XIII Papa Capuæ exul agebat, ideoque hoc Christi anno.

Anno Eræ Hispan. MIV. Anno Hegiræ CCCLVI, inchoatæ die 17. Decemb. fer. 2.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6459.

☉ 23. G. ☽ 17. P. 15. April. Indict. 9.

JESU CHRISTI 966.

JOANNIS XIII PAPÆ 2.

OTTONIS IMP. 5.

NICEPHORI PHOCÆ IMP. 4.

I. *Quarta profectio Romana Ottonis M.*

AD num. I & seq. *Ottonem* Imp. hoc anno iterùm Romam profectum esse testantur Continuator Reginonis, Lambertus Schafnaburgensis & Chronographus Hildesheimiensis. Est hæc quarta ejusdem Imperatoris profectio Romana, non verò tertia ejus profectio Italica, ut perperàm tradit idem Chronographus Hildensheimensis. *Otto* enim anno CMLI Adelhaidem Papiæ sibi matrimonio copulavit, in prima scilicet profectione sua Italica, cujus respectu hæc quarta fuit. Anno CMLI *Otto Magnus* Romam non venit, ut ibidem diximus. De quarta profectione Romana hæc Continuator laudatus: *Imperator Coloniæ natalem Domini celebravit, cunctaque ibi Regni Lotharienfis negotia prout sibi videbatur, disposuit. Erkanbertus Virtzburgensis Cœnobii Abbas obiit, & Imperator electione Monachorum Adelbertum Rugis ordinatum Episcopum eidem monasterio præfecit.* Mabillonius Sec. V Benedict. in Sancto Adalberto Archiepiscopo Magdeburgensi primo, ex Chronico Magdeburgensi MS. rectè observat, in isto Continuatore pro *Virtzburgensi*, legendum esse *Vicemburgensis Cœnobii*. Insigne est istud in Diœcesi Spirensi monasterium, cujus originem ad Dagobertum Regem plerique referunt. *Adalbertum* autem non in insulam Rugiam, sed in Russiam Albam, hodie Moscoviam appellatam, missum fuisse jam suo loco demonstravimus.

SÆC. X. An. Ch. 966.

II. *Otto M. Longobardorum audaciam reprimit.*

Pergit idem Continuator: *Udo Comes conjurationem cum Adelberto Berengarii filio habens, & in Italiam ad excæcandum Waldonem Cumanum Episcopum ire disponens, Imperatoriæ majestatis reus esse convincitur, & sacramento, ne aliquatenus ullas partes regni præsumat ingredi, regno expellitur ... Imperator in Italiam iterum ire disponens, Assumptionem beatæ Mariæ Virginis Wormatiæ celebravit, ibique habito cum omnibus Regni Majoribus consilio, inde per Alsatiam & Curiam Alpes transcendens, Italiam intravit, & Sigovulfum Placentinum Episcopum, quosdamque ex Comitibus Italicis propter Adalbertum priori anno a se deficientes, in Transalpinas partes Franciæ vel Saxoniæ custodiendos direxit .... Eodem anno Berengarius quondam Italiæ Rex exul moritur, & in Badenberg Regio more sepelitur: cujus vidua Willa antequam sepeliretur, sibi velum sanctimoniale assumsit.* Nulla post hæc mentio occurrit *Adelberti*, qui cum Berengario patre per aliquot annos in Italia regnavit. Sic *Otto* bis severitatis exemplis Longobardorum audaciam coercuit, & postea Romam profectus est, ibique Natale Domini celebravit, ut habet Continuator Reginonis, qui annum sequentem ab eo die incipit.

III. *Lotharius Francorum Rex Emmam ducit.*

Frodoardus antequam Chronicon suum absolvat, ait: *Anno CMLXVI Lotharius Rex* (nempe Francorum) *uxorem accepit, Emmam filiam Regis quondam Italici*, Lotharii scilicet, qui ante Berengarium II, de cujus morte mox egimus, in Italia regnavit. Ex hoc matrimonio natus *Ludovicus* dictus *Iners*, qui ultimus Regum Francorum Secundæ Familiæ fuit, ut infrà videbimus.

IV. *Moritur Frodoardus.*

In fine Chronici *Frodoardi* antiqua manu scriptum legitur, *hoc anno* Frodoardum Remensis Ecclesiæ Presbyterum, honore Sanctitatis venerandum, *quinto Kalendas Aprilis* terrenæ peregrinationis reliquisse exilia. In Necrologio Ecclesiæ Remensis eadem die mentio est *Frodoardi*, sed sine tituli gradûsve adjectione teste Sirmondo. Composuit *Remensem Historiam* quatuor libris, ex vetustis illius Ecclesiæ Archivis, Conciliorum Actis, Gestis Martyrum, aliorumque Sanctorum Epistolis Pontificum, aliisque Monumentis erutam. Scripsit etiam versibus libros XV *de Triumphis Italicis Martyrum & Confessorum*: item libros tres *de Triumpho Christi & rebus Sanctorum Palestinæ*: libros duos *de Triumphis Christi & rebus Antiochiæ gestis*, & ut ipsemet testatur lib. 3. Hist. cap. 6. *Miracula* suo tempore facta in Ecclesia B. Mariæ ab Hincmaro ædificata. Sed libri isti nondum editi, præter ultimam partem libri XII *de Triumphis Martyrum & Confessorum* à Gregorio II usque ad Leonem VII à Mabillonio Sec. III Benedict. part. II publicatam ex Codice MS. qui extabat Parisiis in Bibliotheca Patrum Carmelitarum Discalceatorum, postea in Arverniam translato in Bibliothecam Cœnobii ejusdem Ordinis.

V. *Edgari Anglorum Regis pietas.*

Turketulus è Cancellario Angliæ Monachus & Abbas Crulandensis creatus multos literatos traxit, *quorum decem secum schema monachicum susceperunt; cæteri rigorem religionis abhorrentes, adhuc in seculari habitu permanebant: at nihilominus secum in monasterio habitabant, quia præsentia ejus nullo modo carere poterant*, inquit Ingulphus in Historia Crulandensi, qui addit, obtinuisse eum ab Edgaro Angliæ Rege *octavo*

anno

SÆC. X. An.Ch.966. *anno regni sui*, Dunstano Archiepiscopo Cantuariensi sibi familiatissimo, & Osketulo cognato suo intercedentibus, Chartam Regiam de confirmatione Croylandensis monasterii, quam recitat, & Diploma aliud ab Edgaro Rege adversùs violatores præfatæ Chartæ, datum *anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo sexagesimo sexto*. Tandem Turketulus *anno Dominicæ Incarnationis CMLXXV, qui erat Edgari Regis decimus sextus & ultimus, die undecimus mensis Julii* spiritum Deo reddidit, inquit idem Ingulphus.

VI. *Concordia de uniformi vitu servando in monasteriis Angliæ.* *Sancti Dunstani* Archiepiscopi Cantuariensis, aliorumque Episcoporum, qui pro monachis & monasteriis excubabant, muneris erat; ita fundare monasteria omnia, legibusque munire, ut unaoimes omnes & unius moris, in domo habitare & Deo servire possent. Is igitur è variis, quæ domi forisque didicerat religiosæ vitæ exercitiis, Regulam composuit; ad quam omnium Regularium loca componeret, & utrumque sexum Benedictioæ sectæ perfectionem profitentem, cogeret; non obstante locorum, personarumque differentia. Quoniam verò omoium proviociarum intererat, Monachorum mores & vitam contemplari; voluit etiam omnium Episcoporum suffragio probari, quod ipse pro monasticæ conversationis sanctitate digesserat. *Wintoniam* itaque prælati conveniuot, Edgaro Rege jubente, ut indicat rei gestæ proœmium, quod Alfordus hoc anno ex Seldeno, qui illud ex vetustissimo exemplari scripsit, repræsentat. Quòd verò in Proœmio Dunstanus scribat de Edgaro: *Regali functus officio, veluti Pastorum Pastor, solicitus, à rabidis perfidorum retibus, uti hyantibus Luporum faucibus, oves quas Domini largiente gratia studiosus collegerat, muniendo eripuit*, Casaubonus in Epistola dedicatoria contra Baronium adversùs Ecclesiasticos argumentum sumit, quia ibidem Edgarus à viro Ecclesiastico dicitur *Pastor Pastorum*. Verùm, ut rectè ibidem Alfordus non dicit Dunstanus, Edgarum esse *Pastorum Pastorem*, sed tantùm *Pastorum veluti Pastorem*, quod longè aliud est, cùm si Pastori similis, simpliciter pastor dici non debuit. Sic Eusebius in Vita Constantini lib.4. cap.22. *Ad hunc igitur modum ille Deo suo, quasi Sacerdos quidam, sacra faciebat*, & iterùm lib. I cap.37. *Constantinus Ecclesiæ Dei eximiam & peculiarem curam adhibens: cùm quidam inter se in diversis locis dissensione discordarent, tanquam communis Episcopus à Deo constitutus, Ministrorum Dei coegit Concilium.* Constantinum itaque Edgarus imitatus Concilium illud coëgit, & sanctionem publicavit, quâ regularis concordia Monachorum & Sanctimonialium in Anglia viventium stabilitur, quæ legenda Tom.IX Concil. pag. 667 & seqq.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6460.

Anno Eræ Hispan. M V.

☉ 24. F. ☽ 18. P. 31. Mart. Indict. 10.

Anno Hegiræ CCCLVII, inchoato die 6 Decemb. fer. 6.

JESU CHRISTI 967.

JOANNIS XIII PAPÆ 3.

OTTONIS IMP. 6.

NICEPHORI PHOCÆ IMP. 5.

I. *Concilium Ravennense.* AD num. I. Concilium Ravennense hoc anno celebratum juxta Continuatorem Reginonis, qui ait: *Otto Imperator Roma natalem Domini celebravit: & excepto Præfecto Urbis, qui aufugerat, tredecim ex Majoribus Romanorum, qui auctores expulsionis Domini Joannis Papæ fuerant, suspendio interire jussit* (vides Ottonem, sicuti aote eum Carolum M. & alios supremo jure in Romanos à Joanne XII donatum fuisse). *Inde progrediens per Spoletum, Ravennam adiit: ibique Pascha celebrans cum Domino Joanne Papa, plurimos ex Italia & Romania Episcopos coadunavit, & habita Synodo multa ad utilitatem S. Ecclesiæ adinvenit. Et Apostolico Joanni Urbem & terram Ravennatium, aliaque complura, multis verò temporibus Romanis Pontificibus erepta* (quæ scilicet Berengarii occupaverant, ut rectè Rubeus in Hist. Ravenn. lib.5. pag.261.) *reddidit* (seu data anno CMLXII confirmavit), *eumque inde Romam cum magna lætitia remisit.* Ex his verbis etiam liquet, quod jam suprà insinuavimus, Reges sc. Italiæ oullum jus, oeque in Urbem, oeque in Ducatum Romaoum, neque in Exarchatum Ravennensem habuisse, ideoque quæ ipsi usurpaverant, Ecclesiæ Romanæ restituta, & donatiooes à Pippino & Carolo M. factas ab Ottone confirmatas fuisse.

II. *Institutio Archiep. Magdeburgensis.* Tom. IX Concil. pag. 675. refertur ex Chronico Magdeburgensi MS. Archiepiscopatûs Magdeburgensis institutio in hoc Concilio peracta: *Serenissimus Imperator Augustus Otto*, inquit Chronographus, *qui eamdem S. Synodum ob communem imperii sui salutem congregaverat, plurimas Sclavorum nationes ultra flumen Albiæ in confinio Saxoniæ multo se labore & maximis sæpe periculis ad Christum convertisse coram omnibus retulit: rogans, ut quod ipse summo studio Deo mancipaverat, pastoris negligentiâ ad vomitum redire non fineret. Hujus dignam relationem, & tantam fidei confessionem Sancta Synodus benigna aure suscipiens, Deoque in his omnibus gratias agens, tot Sclavorum populos ad Deum noviter conversos nonnisi per Episcopos in convenientibus locis in unaquaque eorum provincia, secundum populi quantitatem, in rationabilem terræ divisionem constituendos, ad hoc animari atque erudiri posse censuit.* Paulò pòst: *Est civitas in Parochia Halberstadensis Episcopii, Magdeburg dicta, in confinio Saxonum & Sclavorum in ripa fluminis Albiæ: in qua isdem serenissimus Cæsar populi multitudinem adunavit, Ecclesiam construxit, plurimorumque Martyrum, beati scilicet Mauricii, & Innocentii, aliorumque innumerabilia corpora sanctorum illuc transferens, Canonicosque inibi Deo famulantes constituens, ad eorumdem victum & Ecclesiæ utilitatem, castra, villas, prædia, decimasque cum universis adjacentiis affluenter ex proprio concessit. Placuit igitur omnibus apud prædictam civitatem Magdeburg Archiepiscopalem fieri cathedram, eo quod hæc in confinio Sclavorum, ut prædiximus, loco videretur opportunior, & in ejus propagatione voluntas Imperatoris esset amplior*, &c.

III. *Heroldus Archiepiscopatu Salisburgensi depositus excommunicatur.* Præterea in Concilio Ravennensi *Heroldus* Salisburgensis Archiepiscopus depositus & excommunicatus; *Fridericus* verò ejus loco Archiepiscopus creatus, ut docet Epistola Joannis Papæ XIII Patribus Ravennensibus data, in cujus fioe legitur. *Actum Ravennæ VII Kal. Maii, per manum Stephani Scriniarii S. Romanæ Ecclesiæ, in mense Aprili, & indictione X, in præsentia omnium Sanctorum Episcoporum.* Anno CMLIV, ut ibidem num. I ostendimus, He-

SÆC. X. An.Ch.967.

rolclus ob rebellionem excæcatus fuerat, & tamen non desistebat, *contra canonicam & Apostolicam auctoritatem nefaria præsumptione post suorum oculorum amissionem sacrum celebrare mysterium, & quod ridiculum est, Pallium gestare solemniter. Hoc namque*, inquit Pontifex in laudata Epistola, *non ad modicam hæreseos vesaniam attinet, & nobis, omniumque fratrum orthodoxorum prudentia debet videri execrabile: præsertim cùm ipse pro sua culpa & perfidia temeritate exoculatus sit, eo quod Ecclesias Dei expoliaverit, thesaurum Paganis erogaverit, seque eis junxerit, in Christianorum necem & deprædationem, contra dominum Imperatorem suum seniorem rebellis & infidelis extiterit: & proinde à decessoribus nostris sanctæ memoriæ Pontificibus omne sacerdotale officium sæpe ei sit interdictum: atque electione & postulatione omnium pene nobilium, Bauvariorum scilicet Clericorum & Laicorum, S. Romana mater Ecclesia, sua auctoritatis Privilegio Fridericum virum venerabilem & cunctis laudabilem loco ejusdem Heroldi fieri esseque Archiepiscopum omnino decreverit.* Quapropter idem Pontifex Decessorum suorum auctoritatem sequens, & Patrum Ravennensium assensione roboratus, ipsius *Heroldi* hæreticam & temerariam pravitatem damnat, eique communicantes excommunicat, ac jam dicto Friderico dignitatem Saltzburgensis Archiepiscopatus confirmat. Porrò ex ea Epistola die XXV mensis Aprilis data Ravennensis Concilii epocha constituenda. Extat ea Tom. IX Concil. pag. 674. Præterquamquod eandem Regino citatus accuratè notat.

IV. *Duo Concilia Ravennensia distinguenda.*

Verùm duo Concilia Ravennensia distinguenda, quorum alterum hoc anno, alterum insequenti indictum. De priori tantum loquitur Baronius, & ex eo Collectores Conciliorum, in eoque institutio Archiepiscopatûs Magdeburgensis rata habita. In secundo anno CMLXVIII celebrato ad finem perductum, quod hoc anno circa Magdeburgensis Archiepiscopatûs institutionem inchoatum fuerat. Utriusque Concilii diserta mentio in instrumento de institutione hujus Archiepiscopatûs, relato à Labbeo Tom. IX Concil. & à Meibomio in fine suarum ad Witichindum Notarum pag. 108. sed instrumento à Labbeo recitato à quopiam interpolatore malè additus est annus Incarnationis CMLXVII, qui rectiùs abest ab exemplari, quo usus est Meibomius; certum enim illud anno tantùm sequenti exaratum fuisse, ut ex eius lectione manifestè liquet. In eo de prima Synodo dicitur: *Habita est Synodus Ravennæ in suburbio, in Ecclesia beati Confessoris Episcopi Severi, residentibus domno Joanne Summo universali Pontifice, & pluribus Italiæ, Germaniæ, & Galliæ Præsulibus, & de statu Ecclesiæ tractantibus, adstante etiam innumerabili Clero & populo.* Otto Augustus sanctam Synodum consuluit, rogans, ut quod ipse summo studio Deo mancipaverat, Pastoris negligentia ad vomitum redire non sineret. Synodus judicavit, tot Sclavorum populos ad Deum noviter conversos ab Archiepiscopo regi & erudiri oportere. *Placuit igitur omnibus, apud prædictam civitatem Magdeburg Archiepiscopalem fieri cathedram, eò quòd hæc in confinio Sclavorum, loco videretur opportunior, & in ejus propagatione voluntas Imperatoris esset amplior. Adhæc Imperator precibus & Dei voluntate commotus, sanctæ congregationis decreto paruit, & hoc Privilegio Apostolicæ Sedis corroborari dignum duxit: quod & actum est, & à Summo Pontifice, omnibusque Præsulibus Italiæ, Galliæ & Germaniæ, qui aderant, propriis manibus corroboratum. Ceterùm quia Præsul Halberstadensis Synodo huic non affuit, causa clausulam in ejus adventum differre placuit, ut civitatem ipse à debito subjectionis absolveret, & tunc demum Privilegium & subscriptio illibata fieret.* Hæc de priori Synodo Ravennensi hoc anno congregata, quæ etiam à Chronographo Magdeburgensi laudato pag 272. iisdem ferè verbis narrantur.

V. *Quod actum sit in II Concilio Ravennensi.*

De secunda Synodo Ravennensi in præfato instrumento post recitata ex eo verba statim subjicitur: *Eo ergo revoluto* anno (nempe CMLXVII) *& altero dimidio transacto, cum Hattonem Archiepiscopum Moguntiacensem & Hildiwaldum Episcopum Halberstadensem Ravennam convenire contingeret, sanctissimus Imperator, si bona voluntate commutationem parochiæ Halberstadensis Ecclesiæ ad Magdeburgensem fieri vel coram Archiepiscopo Ravennate & Episcopis comprovincialibus eos omni dilectione convenit. Tunc venerabilis Hildewardus Episcopus in præsentia omnium & prædicti Præsulis Hattonis hoc se pro Deo nullo modo negare & contradicere posse.* Deinde narratur concambium inter Ecclesiam Magdeburgensem & Halberstadensem in Synodo factum, idque anno sequenti, post annum nempe & dimidium à priori Synodo, quæ ideo post Pascha habita fuerat. Idem legitur in citato Chronico Magdeburgensi, in quo etiam dicitur: *Hunc etiam concambio confirmando Petrus Ravennæ Archiepiscopus, & plurimi Episcoporum Italiæ & Germaniæ subscripsère, anno Dominicæ Incarnat. CMLXVIII, indictione duodecima, imperii autem ipsius domini Ottonis VII, regni verò XXXIV*, sed loco, *regni XXXIV*, legendum, *regni XXXIII*; certum enim Ottonem annos Regni ab anno CMXXXVI deduxisse. Porrò ex indictione XII Kalendis Septembris in Italia anno CMLXVIII incœpta apparet secundum Concilium Ravennense post illum diem celebratum.

VI. *Adelbertus post Concilium Ravennense II Pallium Romæ accipit.*

Paulò post Chronographus Magdeburgensis ait, Ottonem Imp. Adelbertum, *qui dudum Treviris de cœnobio Sancti Maximini Monachus abstractus & Episcopus consecratus ad prædicandum Rugis* (idest Russis) *fuerat destinatus, Romam pro Pallio & Privilegio ab Apostolica sede suscipiendo cum literis suæ auctoritatis* direxisse. *Sedit eo tempore in clavigeri cœlestis Petri cathedra, gratia & nomine Joannes Papa nominis illius XIII, in ordine verò Rom. Pontif. CXXXVI. Hic igitur benignissimè illum suscipiens pro pio studio gloriosissimi Imperatoris, quod in amplificatione divini cultûs habebat gaudens, ideoque justis ejus petitionibus annuens, illum Apostolica auctoritate Archiepiscopum fore, ejusque successores decrevit. Cui & Pallium ad Missarum solemnia celebranda dedit, & ipse nimia dilectione commonitus XV Kalend. Novemb. id est, in festo sancti Lucæ Evangelistæ ordinavit* (idest Pallium concessit) *& Privilegio Apostolicæ auctoritatis sanxit, ac confirmavit, eum in ordine Ecclesiastico Primatum habere omnium Ecclesiarum, Archiepiscoporum, qui in Germania sunt ordinati, in Gallia quoque Coloniensi, Trevirensi Archiepiscopis, per omnia honore similem esse*, &c. *Præterea statuit eum esse Metropolitanum totius*

ultra

S Æ C. X. An.Ch 967.

ultra Salam & Albiam Slavorum gentis tunc ad Deum conversa vel convertenda, & ut secundùm desiderium Imperatoris in his civitatibus, in quibus olim barbari ritùs maxima viguit superstitio, idest Cizi, (seu Zitiæ, vulgò *Zeitz*, in Misnia provincia sitæ, quæ sedes postea Neoburgum, vulgò *Naumburg*, in eadem provincia positum translata) *Misni*, (seu Misnæ, vulgò *Meissen*, in Misnia regione sitæ) *Merseburg*, (quæ Urbs est ejusdem provinciæ) *Brandenburg*, *Havelberg*, *Pornam*, (legendum, *Poznam*, quæ Urbs Poloniæ Inferioris Posnania nunc appellata, vulgò Posnam) *in honorem Domini Episcopia fundarentur, quorum Pastores secundùm canonicam auctoritatem Magdeburgensi Episcopo fidem & subjectionem debendo sociarentur.*

VII. *Episcopatus Brandeburgensis & Posnaniensis ante hoc tempus fundati.*

Quibus tamen ex verbis malè quis colligeret, omnes illos Episcopatus post annum CMLXVIII fundatos fuisse. Idem enim Chronographus pag. 271. de conditu urbis Magdeburgensis, quem ad initium regni Ottonis M. refert, verba faciens, ait: *Non longo post tempore ipse* (sc. Otto) *in terra Slavorum Brandeburg beato Petro Apostolorum Principi, & Havelberg Dei Genitrici Episcopatus duos construxit, & Moguntiæ Metropolis suffraganeos esse constituit.* Adhæc Ditmarus lib. 3. pag. 32. tradit, *Brandeburgensem Episcopatum XXX annos ante Magdeburgensem constitutum.* Quare cùm Magdeburgum hoc anno sede Archiepiscopali exornatum fuerit, Brandeburgum Episcopali sede donatum circa annum CMXXXVII. Denique idem Ditmarus lib. 2. pag. 20. loquens de Episcopis hoc anno consecratis, de quibus mox: *Additus est*, inquit, *his confratribus Brandeburgensis Ecclesiæ Pastor Ditmarus ante hos unctus, & Jordan Episcopus Posnaniensis*, de quo anno CMLXV sermonem habuimus.

VIII. *Adalbertus anno CMLXVIII inthronizatus.*

Sed redeo ad Chronographum Magdeburgensem, qui pergit: *His & aliis, quæ Privilegia adhuc inibi consecrata*, (legendum, conservata) testantur, Synodali decreto (in secunda Synodo Ravennensi anno sequenti indicta) *ordinatis, & interminatione Dei & Apostolici nominis confirmatis præfatus Archiepiscopus cum Legatis Romanæ Ecclesiæ, Widone scilicet Episcopo Bibliothecario* (Episcopo Cardinali Sylvæ Candidæ, cujus mentionem facit Luitprandus lib. VI cap. VI, de quo etiam Ciampinius in Catalogo Bibliothecariorum Sedis Apostolicæ pag. 21. & seq.) *& Benedicto Cardinali* (Archidiacono Ecclesiæ Romanæ, qui subscripsit Privilegio à Joanne XIII Ecclesiæ Beneventanæ concesso, de quo Ughellus in Episc. Beneventanis Tom. VIII) *qui illum cum Hildewardo Halberstadensi Episcopo sedi sua inthronizarent, dimissus ad Imperatorem remeavit lætus, quem Imperator nihilominus gaudens, utpote beati desiderii sui compos, cum literis commendatitiis Magdeburgum destinavit. Illuc ergo ex præcepto Imperatoris Episcopi, Marchiones & reliqui Saxoniæ Principes convenientes, ipsum honorificè susceperunt, & vocum acclamatione manuumque elevatione electum cum præfatis Apostolicæ Sedis Legatis celebri ritu inthronizaverunt. Adfuit omnis sexus & ætas gaudentium, fuit prorsus generale tripudium, ubi ad confirmationem suis idem Archiepiscopus in præsentia eorumdem, Nativitatem Domini secum celebrantium Bosonem Monachum Merseburgensi, Burchardum Misnensi, Hugonem Cizensi Ecclesiis primos Episcopos ordinavit, & Adaldagum primum Ecclesiæ Præpositum Magdeburgensem instituit. Dudo quoque Havelbergensis, & Dudellinus Brandenburg Episcopi primi quidem Moguntino Archiepiscopo subjecti, sed tunc agente Imperatore à debita sui obedientia absoluti, Magdeburgensi Ecclesiæ & ejus Archiepiscopo, cum præfatis confratribus fidem & subjectionem promisere.*

S Æ C X. An.Ch 967.

IX. *Ab eo anno ejus inthronizatio non potest removeri.*

Adalbertum anno CMLXVIII Magdeburgensi Archiepiscopatui Præpositum fuisse indicat non tantùm Chronographus Magdeburgensis à Meibomio editus; sed etiam alter Chronographus Magdeburgensis ineditus disertis verbis prodit. Hæc ejus verba: *Quem* (nempe Adalbertum) *& Romam pro Pallio a domno Papa suscipiendo direxit* (sc. Otto). *Domnus autem Papa Joannes illius nominis XIII, & priùs Narniensis Episcopus, justis petitionibus annuens, nihilque tarditatis impendens Privilegio Apostolicæ auctoritatis eum dignum Archiepiscopum decernens, pro amore beati Mauricii, & Innocentii, & sanctorum qui in Magadaburg requiescunt, & prædicti Imperatoris, Pallium ad Missarum solemnia celebranda dedit anno Dominicæ Incarnat. CMLXVIII, indictione XII* (à mense Septemb. inchoata) *XV Kal. Novembris, hoc est in festivitate sancti Lucæ Evangelistæ, anno Pontificatûs ipsius domni Joannis universalis Papæ quarto. Tunc Imperator misit eum ad sedem suam cum magno honore, præcipiens universis Saxoniæ Principibus, ut proximum Natale Domini cum eo essent.* Adhæc cum eodem Christi anno Archiepiscopatûs Adalberti initium Chronographus Hildeshemensis connectit. Denique Paulus Langius in Chron. Citizensi ipso initio Operis & iterum infrà asserit, Hugonem primum Citizensem Episcopum consecratum fuisse anno Incarnat. Dominicæ CMLXVIII, & postea semel & iterùm Ditmarum laudat, ex quo ideo id accepit. Ditmarus quidem lib. 2. pag. 20. scribit Adalbertum *anno Dominicæ Incarnat. CMLXX, XV Kal. Novemb. ad Archiepiscopatûs apicem* promotum esse, sed error est in numeris. Ditmarus quippe hoc ignorare non potuit, qui acta publica viderat; ex quibus quæ ipse, & uterque Chronographus Magdeburgensis habent de Archiepiscopatus Magdeburgensis initiis, descripta sunt. Errat etiam Adamus Bremensis, cujus verba recitat Baronius anno CMLXXI num. XI, qui arbitratus est, *Adalbertum* anno Ottonis XXXV Archiepiscopum Magdeburgensem renunciatum; quem Ottonis annum Baronius ab anno CMXXXVII deducens, ex eo infert, *Adalbertum* anno CMLXXI dictum Archiepiscopum; Adamus enim corruptum Ditmari Chronicon hac in re secutus est, ut & passim alii, quia usque ad nostra tempora utrumque Chronicon Magdeburgense latuit.

X. *Otto Rex Germaniæ Romam petit.*

Ad num. II. Continuator Reginonis Concilii Ravennensis mentione facta, subdit: *Interim Papa Joannes & Imperator Regi Ottoni* (ejusdem Imperatoris filio) *literas invitatorias miserunt, & ut cum ipsis ad natalem domini Romæ celebrandum festinaret, jusserunt. Tunc Rex pro disponendis regni negotiis ante suum in Italiam iter Wormatiam venit, ibique in primo suo Placito, Deo propitio, plurima futura prudentiæ simul & clementiæ indicia præmonstravit.... Domino Imperatore in Italia commorante, Legati Ni-*

SÆC. X. An.Ch.967.

cephori Græcorum Imperatoris Ravenna ad eum venerunt, honorifica secum munera ferentes, & pacem ab eo vel amicitiam poscentes. Quibus honorabiliter susceptis deceaterque remissis, dominus Imperator nuncium suum eidem Græcorum Imperatori, pro conjungenda in matrimonium suo filio Regi Ottoni privigna ipsius Nicephori, filia scilicet Romani Imperatoris (sc. Junioris, mariti Theophanonis, quam post illius mortem Nicephorus duxerat) *Constantinopolim dirigit: qui iterum eodem anno ante Natalem domini ad Imperatorem revertitur. Eodem anno, inerante Septembri mense, Otto Rex* (Ottonis Imp. filius) *Romam iturus, decenti se comitatu egressus, memoriam sancti Michaelis in Augusta civitate celebravit.* Quibus verbis Auctor iste Anonymus, qui sicuti Regino, annum à Nativitate Domini auspicatur, Continuationem suam absolvit, indeque de Ottone in consortium Imperii à patre adscito verba non facit.

XI. *Coronatur Imperator.*

Eum enim in Natalitiis Christi à Joanne XIII coronatum esse Imperatorem ipsemet Otto Senior asserit apud Baronium anno sequenti num. III. Currenti verò, ut testatur Chronographus Hildenshemensis, *transmisit Imperator Legatos suos ad Willihelmum Archiepiscopum, & ad alios Principes ejus, ut Ottonem filium suum, æquivocumque ejus cum omni Regali dignitate proveherent ad Italiam. Illicque ipse Otto senior suscepit eum, & secum deduxit Romam, commendavitque illum Apostolico Joanni posteriori, ut ab eo Augustalem benedictionem recepisset, ut Imperator Augustus foret appellatus à cunctis, qui eum agnovissent veluti pater ejus.* Ottonem II hoc anno Imperatorem dictum scribunt etiam Lambertus Schafnaburgensis, & Sigebertus in Chronicis. Sigebertus enim qui hanc coronationem cum anno sequenti copulat, annos Christi à die Nativitatis ejus exorditur, ut non semel suprà observavimus. Baronius eam in annum superiorem confert, innixus subscriptione cujusdam diplomatis, in quo mense Septemb. annus XI Ottonis M. cum anno V Imperii Ottonis & indictione prima jungitur. Verùm fallitur Cardinalis eruditissimus; cùm annus V Ottonis II à præsenti anno deductus, adhuc in cursu fuerit anno CMLXXII, quo indictio prima mense Septembri cœpit.

XII. *Moritur Sancius Legionis Rex.*

Ad num. III. *Sancius Crassus* Galiciæ seu Legionensis Rex, qui anno CMLV Regnum inierat, illudque annos duodecim tenuit, hoc anno mortuus est, quo Saracenis Hispaniæ præerat *Alhacan*, at non verò *Abraham*, ut errore librariorum apud Baronium legitur. Mentio mortis Sancii Regis in Vita Sancti Rudesindi Episcopi Dumiensis à Stephano Cellæ-novæ seculo XII monacho scripta, & Seculo V Benedict. ac in Actis S. Bollandianis ad diem primam mensis Martii recitata. In ea num. IV legitur: *Ecclesia Apostolica Compostellana per Sisnandum Rudesindi consanguineum regebatur. Hic Sisnandus ludis, excessibus & vanitatibus attendens, officii sui curam parvipendebat: immo flagitiosius populo, Clero & Proceribus & Regi Sancio infensus erat. Rex post admonitionem Sisnandum incarceravit, & annuente Clero & populo Rudesindum substituit, ut consanguinei sui defectus suppleret. Ille novum Episcopatum accipere nolebat: sed Rex cum Magnatibus contendit, quousque consensit & accepit. Hoc tempore, absente Rege* (Sancio sc.) *Gallæcia a Normannis invadebatur, & Portugallia à Mauris devastabatur. Rudesindus, exercitu congregato, confidens in misericordia divina magis, quam in illo, repetensque versiculum Psalmi* (19. v.8.). „Hi in curribus, & hi „in equis, nos autem in nomine Domini nostri invocabimus, *Normannis & Mauris obviavit; Normannos favente Deo ex Gallæcia expulit; Mauros sic repressit, ut intra terminos suos continere coegerit. Victor ab Compostella civibus communi gratulatione receptus est. Post pauca Sancius Rex moritur.* Quid postea contigerit anno CMLXX narrabimus. *Sancio* successit *Ramirus* III ejus filius annos tantùm quinque natus.

SÆC. X. An.Ch.967.

XIII. *Boleslaus Pius Boleslao Sævo patri in Ducatum Bohemiæ succedit.*

In MS. Chronico Magdeburgensi habetur: *Anno Dominicæ Incarnat.* DCCCCLXVII, *Idus Julii, Dux Bohemiæ, cui agnomen Sævus Boleslaus, male mercatum fraterno sanguine, scilicet beati Martyris Wenezlai* [seu Wenceslai] *Bohemiæ ducatum cum vita amisit. Cui filius ejus æquivocus suus in principatu successit, multùm dissimilis patri moribus bonis, & conversatione spirituali. Erat enim vir Christianissimus, fide catholicus, pater orphanorum, defensor viduarum, & clericorum, & peregrinorum, præcipuusque Ecclesiarum fundator. Nam, ut in Privilegio Ecclesiæ Sancti Georgii in Praga legitur XX Ecclesias erexit, & eas omni Ecclesiastica utilitate ampliavit.* Idem narrant Aeneas Sylvius in Hist. Bohem. cap. 15. & seq. Dubravius in Hist. Boiem. lib. 5. & initio seq. & Cosmas Pragensis Decanus in Chron. Bohem. totidem ferè verbis ac Chronographus Magdeburgensis, qui pergit scribens.

XIV. *Institutio Episcopatus Pragensis.*

Hujus fuit soror, nomine Mlada, virgo sacra, literis erudita; quæ cùm orationis gratiâ Romam venisset, & a Papa Joanne XIII hujus nominis benigne suscipitur, ibique aliquandiu degens, monasticis disciplinis imbuitur. Dehinc Papa consilio Cardinalium, immò volens novæ Ecclesiæ subvenire, consecrat eam Abbatissam, mutato nomine MARIAM, *dans ei sancti Benedicti Regulam & Abbatialem virgam. Quæ Pragam rediens, & à fratre suscepta, ei obtulit literas Apostolici.* Recitantur ex Sec. V Benedict. pag. 833. ex eodem Chronographo, dataque sunt, *Boleslao Catholicæ fidei alumno. Annuimus & collaudamus,* inquit Pontifex, *atque incanonizamus, ut ad Ecclesiam sancti Viti, & Sancti Venezlai martyrum fiat sedes Episcopalis: ad Ecclesiam verò sancti Georgii martyris sub Regula sancti Benedicti, & obedientia filiæ nostræ* MARIÆ *sororis tuæ, constituatur Congregatio Monialium. Verumtamen non secundum ritum, aut sectam Bulgaricæ gentis, vel Ruziæ aut Sclavonicæ linguæ: sed magis sequens constituta & decreta Apostolica, unum potiorem, ad placitum Ecclesiæ totius, eligas in hoc opus clericum, Latinis apprime literis eruditum.*

XV. *Dietmarus primus Episc. Pragensis.*

Statim, ut jussum fuerat, inquit Chronographus Magdeburgensis, *consilio Ducis & Abbatissæ Ecclesia sancti Viti decernitur futura Episcopo, & Ecclesia sancti Georgii Martyris ad præsens datur Abbatissa, sorori Ducis, Mariæ. Igitur quidam de Saxonia, vir eloquens ac literatus, ordine Presbyter, ac professione Monachus nomine* DIETMARUS, *olim causâ orationis venerat Pragam: qui Duci cognitus, & amicitiam ejus adeptus, præsertim quia Slavanicam linguam perfecte sciebat. Hunc per Legatos evocat. Tunc Clerum, & Primates terræ, ac populum convocans,*

vocans, precibus & monitis efficit, ut eum sibi in Episcopum eligant. Qua re, postera die peracta, ad Imperatorem Ottonem eum direxit, orans per literas, ut in Episcopum Boemiis ordinaretur. Quod Imperator consilio Principum & Præsulum consulens Christianæ novitati, fieri jussit. Qui à Moguntino Archiepiscopo (Willelmo nepote ejusdem Imperatoris filio) *consecratus, in civitate Praga, modulante Clero & Duce, populoque concinente susceptus, Ecclesias a fidelibus in multis locis constructas consecravit, & multos Gentiles baptizavit.* Porrò Bohemos sæculo præterito à *Sancto Methodio* fidem Christianam accepisse ibidem ostendimus.

Anno Eræ Hispan. MVI. Anno Hegiræ CCCLVIII, inchoato die 25. Novemb. fer. 4.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6461.

☉ 25. E D. ☽ 19. P. 19. April. Indict. 11.

JESU CHRISTI 968.

JOANNIS XIII PAPÆ 4.

OTTONIS IMP. 7.

NICEPHORI PHOCÆ IMP. 6.

I. *Gesta ab Ottone M.*

ANum. I ad V. *Otto Magnus* ad Proceres Germaniæ literas die XVIII Mensis Januarii datas misit, quibus significavit æstate hujus anni cum Ottone filio, *per Fraxinetum ad destruendos Sarracenos* se se iter arrepturum, si Græci in conditiones pacis consenserint, aliàs Saracenos Apuliam & Calabriam daturos. Addit, Ottonem filium *in Nativitate domini* à Joanne XIII coronatum Imperatorem. Recitat eas literas Baronius ex Witichindo lib. 3. in fine. Ipsemet tamen Witichindus ibidem pag. 35. dicit, Ottonem M. postea judicasse *ab expeditione Fraxineti abstinere.* Quoad Calabriam & Apuliam, utraque hoc anno ab Ottone M. recepta, juris tandem Occidentalis imperii facta. Hac de re queritur Nicephorus Imp. ut videre est in Legatione Luitprandi anno sequenti obita, & ibidem à Baronio num. IX & seqq. recitata, ubi num. XXXVII de Principibus Capuano & Beneventano sermo est. Principes autem Capuani, qui per multos annos à Beneventanis diversi fuêre, hoc tempore iidem erant, nisi quod *Pandulphus* Beneventanæ & Capuanæ urbium Princeps *Landulphum* filium in societatem Principatûs adsciverat, uti anno sequenti videbimus.

II. *In Apulia manet Otto usque ad annum sequentem.*

Loquitur de hac profectione Ottonis M. in Apuliam Joannes Berardus in Chron. Casauriensi, atque: *Gloriosissimus Imperator Otto cum de urbe Roma, ubi eodem tempore, idest, anno Dom. Incarnat. nongentesimo sexagesimo octavo filium suum Ottonem in Imperatorem Augustum excellentissimè coronaverat, in Apuliam & Calabriam, ut eam sub suo subjugaret imperio tetendisset, domnus Adam Abbas, &c. in eisdem Apuliæ finibus apud Bivinum secundò impetravit Privilegium de libertate monasterii, &c. datum Kalendas Maias, anno Dom. Incarnat. DCCCCLXIX, imperii verò domni Ottonis Augusti octavo. Actum in Apulia in suburbio Bivino in Dei nomine feliciter, Amen.* Otto itaque hoc anno, & sequentis initio in Apulia fuit.

III. *Terræ motus.*

Ad num. V. Narrat Baronius ex Curopalate, *mense Maio, XI indictione*, flavisse ventos, qui fruges corrupêre, *ita ut deinde usque ad XII indictionem, ingenti fame laboratum sit*, scilicet in Oriente. Cedrenus verò ait, indictione XI die secunda mensis Septemb. terræ motum horrendum fuisse, *mense Maio ejusdem anni* ventos illos spirasse, subditque Cedrenus: *Itaque anno proxime insecuto penuria extitit gravissima*, ideoque post Kalendas Septembris hujus anni, à quo die Græci annum auspicantur. Denique Luithprandus, ut videre est apud Baronium num. XLIV, asserit, mense Julio hujus anni magnam famem Cpoli fuisse. Gesta hoc anno fusiùs Leo Diaconus narrat: *Cùm jam æstas autumno appetente excederet, ingens adeo terræ motus fuit, ne adeo & Urbes everterentur, contigitque, ut Claudiopolis Galatiæ ditissimum oppidum, opimoque solo ex importabili motu ac quassatione diruta, excisaque, in civium tumulum subitò verteretur, multique advenarum momento temporis, cùm ibi reperti essent, intermerentur;* quæ præsenti anno contigisse subsequentia verba demonstrant.

IV. *Imber solito copiosior.*

Præterea hoc anno media circiter æstate, jam Sole Cancrum ineunte imber Byzantii, locisque finitimis erupit, qualis nunquam superioribus temporibus extitit. Vergente namque die (erat hæc parasceve, sexta scilicet feria) cœptum malum in horam nonam vix desiit. Trium itaque horarum spatio tantus ille imber duravit, eratque videre per Urbis vias & compita ac angiportus fluvios stagnantes, ac quidquid animâ præditum raperent extinguentes. Contigit verò, ut & rursùs imber turbidus favillâque mixtus ac cinere plueret, velut in fornacis fuligine, isque adeo his qui tangebant, caloris aliquid atque teporem injiciebat.

V. *Tegula Christi effigie impressa Cpolim defertur.*

Nicephorus Imp. assumtis Romanis copiis ac cohortibus, *Antiochiam* Syriæ versùs iter direxit: ibique castris positis, cùm Urbs necessario commeatu abundè instructa, haud statim pacisci sustineret, ipseque eam obsidionalibus machinis diruere nollet, brevi tempore eam obsidere voluit: indeque profectus mediterraneam regionem, quam & Palæstinam vocant, populabatur ac incessebat. Veniens itaque *Edessam*, ibi exercitum reficiebat: audierat enim in Tegula Salvatoris expressam formam hac in urbe ac munitione asservari. Tunc verò *Nicephorus* Imp. eruto oppido venerabilem eam Tegulam inde abstulit, auroque ac lapillis capsam inde fabricatus, eaque obtecta reverenter ejusmodi Tegula in Sanctæ Dei Genitricis *Templo*, quod est in Palatio, munus obtulit. Postquam verò *Mempze* oppidum ceperat, ex obliquo Libano monte superato *Tripoli* admovit: quam munitam præque reliquis urbibus præcipuè expugnatu difficilem videns, quod & classe adversorum ventorum flatu detinente destitueretur, *Arca* oppidum obsidendum duxit, penes quod reposita erat immensa divitiarum vis. Eam per novem totos dies expugnavit, atque alia complura præsidia, castraque, ipso clamore atque impetu cepit. Hæc de tentata Antiochia, de Tegula Christi, & de Tripoli Curopalates cum anno tertio Imperii Nicephori perperàm conjungit, ut Solis defectio, quam mox Leo Diaconus narrat, manifestissimum facit.

VI. *Magna Solis defectio.*

Pergit enim Leo Diaconus: *Interim verò, dum hæc Imperator in Syria ageret, Solis defectio contigit circa Solstitium hybernum, qualis nunquam priùs extiterat, unâ illâ duntaxat exceptâ,*

qua in dominica venit Passione, defectionis genus istiusmodi accidit. Vigesima secunda mensis Decembris agebatur dies verò hora tertia cœlo prorsus sereno tenebra terra offusa, stellaque omnes ejusdem magnitudinis, qua à nobis cerni possint, collucebant. Erat videre Solis orbem sine splendore ac lucis expertem, quemdam verò obscurum, tenuemque fulgorem in modum vittæ tenuis extremis partibus circum orbem collustrantem. Paulatim verò Sol Lunam præteriens (apparebat enim illa Soli supposita, illius intercipiens lucem) pristinos radios immittebat, ac tutius lucis fulgoribus terram adimplebat. Novo igitur ac insolito spectaculo territi homines, Deum, ut par est, supplicibus votis propitium sibi deposcebant. Addit Leo Diaconus, se tunc Byzantii liberalibus disciplinis operam dedisse. Hanc verò eclypsim, cujus etiam meminère Curopalates, Cedrenus & Luitprandus in sua ad Nicephorum Legatione, hoc Christi anno contigisse, horâ diei III, die XXII Decemb. ex calculo mathematico demonstrat Calvisius in Opere Chron.

VII.
Antiochia à Græcis circumsepta.

Imperator, ait idem Leo, cùm hostium extella ac præsidia nullo labore cepisset, *Antiochiam* cum omnibus copiis properat, eamque statim muro cinxit, & in eo equitum turmam peditumque agmen atque cohortem reliquit, ut quotidianis incursionibus atque grassationibus Antiochiam affligerent, ac vel invitam Romanis fœderari, manusque dare cogerent: nolebat enim illam destruere atque igni tradere. Postea *inde profectus in Urbem Regiam reversus est, magnificèque à civibus susceptus ibi moras trahebat.*

VIII.
Nicetas Dux Græcorum ais ab Afris redditur.

Imperator *Syriam* ejusque maritima populatus *Byzantium* reversus est. Inde apud Carthaginenses de pace belloque actum, impiissimi Mahomedis gladio dono misso, quem ex quodam ex captis in Palæstina oppidis tulerat, patricium *Nicetam* sibi reddi poscebat, hunc nempe qui in Sicilia captus fuerat. Tyrannus Carthaginensium terrefactus *Nicetam* & quotquot Romanorum ex diversis locis tenebat in carcere, dono misit Imperatori; eum enim gentes omnes etiam atque etiam formidabant, & amicum habere ambiebant.

IX.
Calocyri rebellio.

Interim dum in Syria ac Byzantii hæc agerentur, qui Regio nutu ad *Tauroscythas* Calocyri, Patricius missus fuerat, cùm in Syria versans *Taurorum* amicitiâ junctus esset, ac muneribus eum corrupisset, auctor fuit, ut grandi conscripto exercitu *Mysos* invaderet: iisque expugnatis regionem sibi obnoxiam faceret, inque sedium propriarum usum ad habitandum retineret. Operam quoque adversùs Romanos ferret, ut Imperium ipsi consequi, rerumque summa potiri liceret. Id si præstaret, magna ac quæ nec verbis exprimi possint, ex ærario Regio, reque privata in eum munera exportaturum. His Sphendosthlaus (hoc enim illi à *Tauris* nomen) animi impetum cohibere non poterat; sed divitiarum spe suspensus arrectusque, terræ *Mysorum* possessionem somnians, ac cùm alioqui vir ferventis animi esset, *Taurorum* pubem omnem ad eam expeditionem adegit. Sexaginta igitur millium fortium virorum collecto exercitu, exceptis calonibus ac impedimentis, unà cum Calocyri Patricio, quem & germanum amicitiæ legibus adsciverat, adversus *Mysos* movet. Jamque eo Istrum adnavigante, & in continentem excensum maturante, intelligentes Mysi quod in eos ille molitetur, triginta millium virorum constipata cohorte, se illis objecerunt. Verùm *Tauri* validissimo impetu ratibus excedentes, scutaque obtendentes, ac strictis gladiis, hinc inde Mysorum stragem dabant. Porrò *Mysi* ne primum quidem impetum sustinentes in fugam versi fusique *Dorystili* munito ejus gentis oppido præ ignavia degenerique proposito se se incluserunt. Tunc autem ferunt & Petrum Mysorum Ducem, virum religiosum ac venerabilem, inopinato fugæ eventu nimio dolore percitum in sonticum morbum incidisse; paucosque dies superstitem humanis excessisse. Verùm hæc in Mysia postea gesta sunt. Romanorum verò Imperator *Taurorum* molitionem consiliaque non nesciens, cum alioquin in omnem vitam curis sollicitus, animique pervigilis fuisset, haud è re sua existimavit, ut adversùs utramque gentem bellum susciperet. Commodum ergo visum est, si ex illis unam sibi gentem consiliaret: sic enim facilè breviqne alterius compotem fore. Ita Leo Diaconus.

X.
Sfendosthlabus à Moscis Swatoslavus dictus.

Qui ab Auctoribus Byzantinis σφενδόσθλαβος, ab Auctoribus qui de rebus Polonicis aut Moscoviticis scripsère, *Swatoslavus* appellatur: *Swatoslawm autem filium ad baptismum nequaquam perducere potuit*, inquit Herberstainus Comes in Commentariis Rerum Moscoviticarum pag. 3. loquens de Helena Regina Russorum, qui hodie Moscovitæ vocantur, qui addit eum post *Helenæ* matris obitum in Russia regnasse, & ex concubina *Wolodimerum* suscepisse, quo regnante Russia seu Moscovia Christiana efecta, ut suo loco ostendemus. Porrò *Swatoslaws*, ab aliis *Stoslaus* ab aliis *Sphendoslaus* vocatur propter rationem à nobis anno DCCCXC num. II assignatam.

XI.
Legatio Luitprandi ad Nicephorum Phocam Imp.

A num. VI ad XCI. Otto Magnus *Luitprandum* Cremonensem Episcopum Constantinop. ad *Nicephorum* Augustum misit nuptiarum causâ inter ipsius Ottonis filium & Theophaniam Romani Junioris & Theophanonis filiam, non verò inter Annam Theophaniæ sororem natu minorem, & eumdem *Ottonem* Juniorem, ut credidit Baronius, qui tamen rectè ostendit hanc Legationem ad præsentem annum pertinere, & confirmatur ex Luitprando num. XLIV apud Baronium, qui scribit eo anno diem XX Julii in secundam feriam incidisse, quod præsenti contigit. Mirum autem videri non debet, quod Luitprandus Nicephorum tantis dotibus præditum plurimis vitiis laborasse scribat; cùm Zonaras, Cedrenus & Curopalates eum avaritiæ, crudelitatis, & aliorum morum perversorum insimulent.

XII.
Simeon Metaphraste Protosecretarius.

Ex hac Legatione constat, *Simeonem Protosecretarium*, vulgò *Metaphrastem* appellatum hoc tempore adhuc in vivis fuisse, sed nondum ad dignitatem Logothetæ pervenisse. Luitprandus enim apud Baronium num. XXIX ait: *Leo Curopalates Imperatoris frater, & Proto à Secretis Simeon pone me sequuntur, hac latrantes*, &c. Is enim Simeon alius non est à Metaphraste, quem infrà videbimus, anno CMLXXV Logothetam fuisse. Allatius & Bollandus, qui, ut anno CMII num. V vidimus, eum circa annum CMLX demortuum credidère, ad hunc locum animum non adverterant. Liquet secundò, *Hydruntum*, oppidum Regni Neapolitani hodierni

SÆC. X. An. Ch. 968. diemi permunitum, à *Polyeucto* Patriarcha Constantinopolitano hoc tẽpore Sede Archiepiscopali exornatum fuisse. Id enim disertè asserit Luitprandus apud Baronium num. LXXXIV. Tertiò intelligimus, Imperatores Constantinopolitanos nomen *Imperatoris* Occidẽtalibus Imperatoribus nuquam tribuere voluisse, quod jam ostendimus anno DCCCXXIV, quibus addi potest quod in Gestis Ludovici VII Francorum Regis cap. 8. dicitur dum termo fit de iis, quæ anno MCXLVI in bello sacro contigêre. Ait enim Auctor Anonymus illius Historiæ: *Invideat Alemannis* (nempè Græci), *nec vellent quod potestat eorum & dominium cresceret. Dedignantur valdè, eò quòd Imperator Alemannia Imperatorem se nominat Romanorum. Voluit enim dicere, quod suus Imperator solus de jure debet totius mundi monarchiam obtinere.* Idem habent Helmoldus lib. 2. cap. 15. & Willelmus Tyrius. Nec dubitandum, quin inde Græcæ & Latinæ Ecclesiæ deploranda divisio vires acceperit.

XIII. *Roma & Ravenna Imperatoribus subdita.* Intelligimus denique *Ottonem*, ceterosque Imperatores Occidentis Romæ & Ravennæ dominos fuisse, ac coram eorum Legatis Romanos Pontifices de more ordinatos. Luitprandus enim, ut videre est apud Baronium num. XXVI & seqq. ait, cùm filiam Nicephori Imp. Ottonis Imp. filio conjugem postularet, Græcorum Proceres, ut utramque civitatem Græcis redderet, poposcisse: *Si datis quod decet, accipietis quod libet; Ravennam scilicet & Romam, cum his omnibus continuatis, qua ab his sunt usque ad nos. Si verò amicitiam absque parentela desideratis, Romam liberam esse dominus suus permittat,* &c. Res mira, satis erat Græcis Romam relinqui liberam, & à cujuscumque laici Principis dominio independentem; *Otto* verò quamvis eam tributis & servitute immunem vellet, jus tamen in eamdem cedere recusabat. Cùm verò Luitprandus dixit Ottonem Ecclesiam ditiorem ac liberiorem reddidisse, è Proceribus unus respondit, idem facturum suum Imperatorem, cùm Urbi dominaretur, & coram ejus Legatis Pontifices Romani ordinarentur: *Sed hoc, ait Basilius Parakimomenos, faciet, cùm ad nutum suum Roma, & Romana Ecclesia ordinabitur.* Hæc *cana & prisca* consuetudo, de qua loquitur Anastasius in Leone IV, quæ quidem Leonis Papæ IV tempore nova erat, cùm sub Ludovico Pio cœpisset, sed vetus respectu Græcorum, qui à Justiniani Magni tempore illo jure potiti fuerant, & quod rursùs sibi asserere volebant. Is itaque mos à plerisque recentibus Scriptoribus negatus certis Antiquorum testimoniis innititur.

XIV. *Joannes XIII Capuam non venit.* Ad num. XCI & seq. Non invenio Joannem Papam XIII hoc tempore Capuam venisse; imò Continuator Reginonis, ut videre est apud Baronium anno CMLXV num. IV ait eum eo anno Urbe expulsum in Campania custodiæ mancipatum esse. Et idem Continuator anno CMLXVI apud Baronium num. I narrat, eo anno eumdem Pontificem à custodia, qua tenebatur, liberatum esse. Joannem tamen Papam hoc anno Capuæ fuisse elicit Baronius ex his Leonis Ostiensis verbis: *Hujus Abbatis, Aligerni videlicet, anno XIX, Joannes Papa Roma pulsus exilio Capuam venit .... & tunc primum in eadem civitate Archiepiscopatum constituit.* Verùm anno CMLXV num. III. locum illum emendavimus, & Capuam anno CMLXVI Metropolim effectam diximus.

Joannes Papa hujus nominis XII anno CMLXII rogatus ab Ottone Magno à se Imperatore coronato, ut Archiepiscopalem sedem Magdeburgi construeret, jussit, *ut Magdeburgense Monasterium in regno Saxonum juxta Albim constructum, quod prælibatus Christianissimus Imperator ob novam Christianitatem construxit, quia vicinus id locorum gentibus est, in Archiepiscopalem transferatur sedem, quæ per subditos Suffraganeos totum Dei gregem regere & gubernare valeat*, ut ipsemet Joannes in literis suis scribit, in quarum fine legitur: *Scriptum per manum Leonis Scriniarii S. Sedis Apostolicæ in mense Februar. indict. V. Data II Id. Febr. per manum Georgii Secundiserii Sanctæ Sedis Apostolicæ, anno Deo propitio Pontificatûs Domni Joannis Summi Pontificis & universalis Papæ VII, imperii Domni piissimi Augusti Ottonis à Deo coronati magni Imperatoris anno I, in mense & indictione prædictis*, ut videre est Sec. V Benedict. pag. 575. Verùm loco, *anno Pontificatûs VII*, legendum, *anno Pontificatûs VI*, uti suprà demonstravimus, quia Joannes XII anno CMLVI in finem vergente Pontificatum suscepit. SÆC. X. An. Ch. 968. XV. *Fundatio Archiepiscopatus Magdeburgensis.* Hæ tamen literæ effectu tunc caruêre, rursùmque anno præcedenti in Concilio Ravennensi primo Urbs Magdeburgensis Metropolis declarata à Joanne XIII, ut ibidem vidimus, sicuti & Adalbertum hoc anno post secundum Concilium Ravennense dictum esse Archiep. Magdeburgensem.

Hoc anno *Sancta Mathildis* mater Ottonis Magni & *Guilelmus* Archiep. Moguntinus ejusdem Imperatoris filius vitâ functi sunt, ut anno CMLXXIII ostendemus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6462. Anno Eræ Hispan. MVII.
☉ 26. C. ☽ 1. P. 11. April. Indict. 12.
JESU CHRISTI 969. Anno Hegiræ CCCLIX, inchoato die 14. Novemb. fer. 2.
JOANNIS XIII PAPÆ 5.
OTTONIS IMP. 8.
JOANNIS TZIMISCÆ IMP. 1.

AD Num. I ad XII. Leo Diaconus, postquam retulit quæ anno superiori de Calocyri rebellione narravimus, statim subdit: I. *Legatio Nicephori Imp. ad Bulgaros.* *Hinc adeò Nicephorus quod nulla spes erat Tauros* (sic Russos appellat) *missa legatione conciliatum iri: noverat enim Patricium Calocyrum, qui à recta via semel declinasset, ipsiusque dominatum jugumque excussisset, ac magna auctoritatis apud Sphendosthlabum* [Russorum Regem] *esset, non facilè illius cessurum voluntati, pacemque initurum, ad Mysos potius, qui eodem Christiano cultu tenerentur, maluit Legationem mittere. Ac sanè ad eos Legatos misit, Nicephorum cognomento Heroticam & Philotheum Euchaitarum Episcopum, eosque meminisse rogabat, quòd Christiani essent, (Mysi enim fidem Christianam dubio procul profitentur) exposcebatque Regii sanguinis puellas virgines, quas Romani Imperatoris liberis uxores locaret, ut ex juncta affinitate inviolabilis, firmaque Romanos inter Mysosque confœderatio, amicitiaque consisteret. Mysi verò placidissime legatione suscepta puellas ex semine Regio plaustris impositas* [*sic enim comparatum Mysorum fœminis, ut plaustris veherentur*] *Nicephoro Imperatori miserunt, orantes cum lachrymis ac supplicantes, ut quàm citiùs ulcisceretur, eorumque*



SÆC. X. An.Ch.969.

rumque cervicibus imminentem Taurorum (idest Russorum) *securim averteret: ac si modo iuendos susciperet, tropaa adversùs Tauros constituturum, quippe qui etiam adversus omnes quibus Romana signa intulisset, sua splendidè constitatis clareret.*

II. Mors Nicephoro Phoca Imp. prædicta.

Sanè *Mysi* quidem supplices extendebant manus, obsecrantes Imperatorem, ut ipsorum hostes ulcisceretur, dumque is in adornanda esset expeditione, rumor increbuit, allatusque nuncius est captam urbem Antiochiæ. Capta ea astu ac stratagemate & direpta. *Contigit verò tunc sanctorum spirituum synaxim occurrere; in qua & Monachum dicunt, ex iis qui vitam solitariam agunt, & Græca voce Eremitas vocant, cùm brevem Epist.lam Imperatori dedisset, confestim se subduxisse: Nicephorum verò eam evolvisse, ejusque sensum omnem sibi collegisse illius autem vim ejusmodi fuisse. Mihi etsi vermis sum, ò Imperator, Dei providentià atque numine detectum est ac indicatum ex humanis te ereptum ire, tertio post Septembrem mense. Multa igitur Imperator in regni indagine, nullo modo Monachum potuit offendere. Exinde in mœstitia tristisque animi agebat, nec ex illo tempore in animum induxit, ut in lecto quiesceret, sed humi strata sibi pelle, pannoque ex lana constipato cocco tincto, in eis dormiebat; Michaelis Monachi ejus avunculi cognomento Maleini, brevi pallio Monachi ritu ab humeris sursum, operiendo corpusculum, in quibus illi dormire moris erat, cùm aliqua Dominicarum solemnitatum advenisset, ac intemerata Christi mysteria sumere constituisset.*

III. Occiditur.

Post aliquot dies arreptâ Augusta opportunitate eum seorsum aggreditur: *Joannem* Magistrum cognomento *Tzimiscem* exposcendi nullum faciebat finem: petens, ut juberet eum ad se venire, & cum nobili aliqua puella conjugium inire: is verò cùm in urbem Augustam veniret: mox regressus est, postea verò iterum atque iterum redeundi nullum faciebat finem. Quodque calentis vir ingenii erat, machinam invenit, ut per occultos quosdam meatus ab Augusta paratos subiret. Inde viros fortes ad eam mittebat, quos illa suscipiens in tenebricoso cubiculo penes se servabat. *Mensis tunc Decembris dies decima agebatur. Aiunt verò ad vesperam circa tempus, quo divina celebrantur laudes, Palatinum quemdam clericum libellum tradidisse Imperatori, in quo hæc conscripta erant. Notum tibi sit, Imperator, hac tibi nocte dirum parari ac præsto esse interitum, quodque hæc vera sint, jubeto scrutari Gynæconitidem, ubi deprehendes armatos viros, qui eam sint patraturi cædem.* Imperator sacri cubiculi Præfectum jussit diligentiùs viros indagare: is autem dira sua stoliditate cubiculum, quod sicariorum agmen consederat, imperscrutatum reliquit. Conjurati verò Joannis servi ab Augusto suscepti, gladiisque instructi, ex cubiculo exilientes, illius sustinebant adventum. Postquam Joannes advenit, tum expergefacto Imperatori, ac capite nixo cubito, ictum ense *Leo Valens* dictus fortiter impingit, & Joannes Imperatorem ad se trahi jussit, cui exprobravit, quod ei militare abrogasset imperium, & illius arrepta barba immaniter vellebat. Tum pectus calce pulsat, intantoque gladio medium cranium transverberat, jubens ut & alii virum cædant.

IV. Virtutes Nicephori Phocæ.

Hujusmodi Nicephorus nactus est vitæ exitum, cùm vitæ omne tempus annos septem supra quinquaginta vixisset, sexque duntaxat ac menses quatuor (à die nona mensis Augusti anni CMLXIII deductos) *imperii habenas moderatus esset; vir fortitudine ac corporis robore suæ ætatis cunctos penè mortales superans, militari scientia solertissimus, agendique vi acerrimus, atque ad omne laborum genus rigidus, voluptatum sensu durus, omnique earum superior illecebra: civili administratione magnanimus ac magnificus: justissimè judicans, certaque rectitudine jura decernens, nec ulli eorum, qui in iis versati sunt, secundus. Orationis, precumque instantia & in vigiliis seu stationibus inflexus erat ac adamantinus, divinis canticis atque laudibus mentem indistractam servans, nec in ea, quæ vana sunt, prorsùs evagari sinens. Ad me, quod attinet, dico, nisi rebus sic secundo cursu fluentibus per invidiam indignata fortuna virum hunc citiùs humanis extruxisset, dubio procul imperium Romanum, maximam, & qualem nusquam antea gloriam consecutum esset.*

V. Joannes Zimisces fit Imperator.

Joannes verò, sic Deo exoso, improboque patrato facinore, ad magnificas Palatii ædes veniens rubros calceos pedibus aptavit, & in Imperatorio throno consedit, & Nicephori caput afferri jussit, ejusque satellitibus per rimam ostendi. Veniensque unus quis Atzypotheodorus nomine, caput trunco tumultuantibus ostendit. Quo sic inanditо, incredibilique spectaculo Joannem Imperatorem Romanorum proclamarunt. Porrò Nicephori cadaver, quod tota sub dio in nive jacuerat, (erat mensis Decembris dies undecima sabbato) Joannes alto jam vespere efferri jussit, tumuloque mandari. Hoc verò anno Sabbatum in diem XI mensis Decembris incidit.

VI. Cur Zimisces dictus.

Haud enim verò dormitavit divina justitia super scelestissimorum capitum illorum cruenta cæde, sed cunctos postmodum pœnis ulta est, bonisque publicatis, alius aliter vitam malè finierunt. *Joannes* porrò *dictus Tzimisces est linguâ Armeniacâ cognomento, quod græcè Muzakitem sonat; inde nimirum adeptus ut sic cognominaretur, quod perbrevis statura erat.*

VII. Ejus virtutes.

Jam verò quarta noctis vigilia ineunte, die septima dilucescente, ipsa mensis Decembris undecima, tertia decima indictione anni sexcies millesimi quadringentesimi septuagesimi octavi, lectorum virorum cuneus per urbis compita, vicosque circumcursans, adjunctis Romani haud ita pridem Imperatoris liberis Joannem Imperatorem proclamabat. Cùm verò Joannes tum sibi ipse, tum rebus satis prospexisset, ac quidquid suspectum videbatur, è civitate procul amolitus esset, in Regia morabatur, *annum tum ætatis agens quintum supra quadragesimum, cùm rerum summam capessivit.* Staturâ admodum brevis erat, gygantea tamen illi vis inerat, manuumque agilitas ac robur insuperabile. Heroicus enim illi concretus erat animus, omnis expers timoris ac imperculsus, eximiamque prodens audaciam in brevi adeò corpore. *Donis magnificus ac supra omnes munificus erat. Quisquis enim ab eo petiisset, spe sua nunquam frustratus abibat, cunctis nimirum benignè ac hilariter humanitatis officia præstabat: ac nisi Basilius Accubitor insatiabilem illam proclivem vim eruce demerendi inhibuisset, ipsos quoque thesauros Regios erogatione in egenos quantocyus exhausisset. Hoc Joannis vitium herebat, quod nimirum potibus vinoque ac comessationibus quandoque plus æquo indulgebat, corporisque voluptatibus avide inhiabat. Verùm sic quodem*

S Æ C. X. An. Ch. 969.

dem septem dierum spatio composita illi Respublica est, assertumque ac roboratum imperium, qua nemo ratione unquam putaverit. Cum enim in maximis rerum mutationibus magna plerumque cotio & turbatio suscitetur, tunc nescio qua fortuna ac providentia ordinis quadam honestas altumque silentium populum tenebat.

VIII. Coronatur à S. Polyeucto Episc. Constantinop.

Tum subdit Leo: *Sublato itaque Nicephoro Imp. cùm praeterea nemo alius satellitum vel in genam pugnum accepisset, ad divinum magnumque Dei Sapientia delubrum venit, ut à Patriarcha ex more diademate caput cingeretur. Ita enim moribus receptum, ut qui Romanum imperium adeat, in Templi ambonem ascendat, & ab eo qui pro tempore sacris praeest, summumque agit antistitem, bene ipsi apprecato diadema capiti impositum accipiat. Porro Polyeuctus id temporis Sedem Patriarchalem tenebat, vir sanè divinus & spiritu fervens, etsi aetate effoetus erat. Is Imperatori denunciat, non ei licere in Templum ingredi, nisi ante Augustam Aulâ expulerit, ac eum qui Nicephorum Imp. parricidio sustulisset, quisnam ille sit, ostenderit. Ad hoc etiam Tomum Synodo redderet, quem praeter fas Nicephorus novasset; is namque sive eo animo, ut divina a nonnullos Sacerdotibus convulsa (ut sibi videbatur) corrigeret; sive etiam quòd Sacerdotes (quod nefas) sibi subjicere vellet, Episcopos ex tempore Tomum edere coegerat, ne quid rerum Ecclesiasticarum, nisi ejus nutu, sibi permitterent. Haec quidem Polyeuctus Imperatori ut faceret injunxit; alioquin non licere in Basilicam ac sacram aedem intrare. At ille, eâ acceptâ sententiâ, tum Augustam Aulâ amovit, & in insulam, quam Proten vocant, relegavit, tum Nicephori Tomum Synodo reddidit; eum denique Leonem Valentem ostendit, sanctè affirmans illum unum Nicephoro manus intulisse, & eum, nec alium quemquam ejus necis auctorem.*

IX. Ejus liberalitas & pietas.

In hunc igitur modum Joannes in divinum Templum admissus, & à Polyeucto corona insignitus in Palatium revertitur, faustis eum vocibus prosequente omni, tum militari tum populi, civiumque multitudine. Inde exiguum aliquid induciarum ac remissionis nactus, quam olim possederat substantiam, duplici portione divisit. Nempe multa illi & copiosa erat substantia, partim à majoribus relicta (quippe cùm clarissima ortus prosapia esset, & paterna stirpe nobilis, si quis usquam Orsimaham, materna verò, Nicephori Imp. consobrinus) partim Imperatorum munificentiâ aucta, effusa in ipsum largitate ab eis contributa, ob tanta illius bello tropaea ac facinora. Hujus itaque partem alteram in finitimos ac vicinos agricolas distribuendam dimisit, alteram nosocomio leprosorum ad alterum littus ex adverso Byzantii sito assignavit; aliàs tum novas aedes vetustis adjiciens, eorum qui sacro morbo laborarent, tam ipsorum numerum multis partibus adaugens. Atque ad eos ascendens, venteasque aurum erogabat, ulcerosaque membra atque morbo confecta, quoad licebat, fovere non recusabat. Idque adeo cùm maximè delicatus, cultûsque mundioris studiosus esset: tanta animum miseratione ducebatur, sicque laborantis naturae condolebat, flecti paedens ipsam majestatis amplitudinem, & quem purpura fastum parit, si quandoque ullo modo istis incommodaret. Ita Leo Diaconus.

X. Conjugium Theophanus

Quoad conjugium *Theophanonis* seu *Theophaniae* Romani Junioris Imp. filiae ab Ottone M. pro Ottone filio expetitum, licet Otto M. à Phoca repulsam passus esset, hanc tandem impetravit à Joanne Tzimisce Imperatore, missique ex Occidente Legati, ut dicitur in Chronico Flaviniacensi pag. 166. qui novam sponsam deducerent, Coloniae scilicet Archiepiscopus, ac Episcopi duo, quorum alter fuit *Theodoricus* Metensis, Ducesque complures ac Comites. — S Æ C. X. An Ch. 969. cum filio Ottonis M.

Baronius num. IV de hoc matrimonio verba facit ex Witichindo lib. 2. & quam anno CMLXVIII num. VI Annam, rectè hîc Theophaniam appellat. Subdit Baronius has nuptias ante annum sequentem contingere non potuisse; quod verum est, cùm Chronographus Hildensheimensis ad annum CMLXXII scribat: *Ottoni Imperatori Juniori venit Imperatrix Romam de Constantinopoli XVIII Kal. Maii Octab. Paschae.* Ditmarus lib. 2. de Tzimisce Imp. ait: *qui mox magnificis muneribus, comitatuque egregio, non virginem desideratam, sed neptem suam Theophaniam vocatam, Imperatori nostro trans mare mittens, suos absolvit, amicitiamque optatam Caesaris Augusti promeruit.* Verùm videtur Ditmarus ignorasse affinitatis gradum, qui Theophanonem inter & Tzimiscem erat, & Theodoram Theophanonis amitam uxorem duxisse Tzimiscem Imperatorem, ut inquit Ducangius in Familiis Augustis Byzantinis Familiâ XIX.

XI. Beneventum fit Sedes Archiepiscopalis.

Joannes Papa XIII Concilium Romae hoc anno *septimo Kalendas Junias* celebravit, praesente Ottone Magno, Ottone Secundo hujus filio, nec non religiosis quàmplurimis totius ordinis viris, & hortatu Ottonis M. cum consensu multorum Praesulum, Beneventanam Cathedram in Metropolim erexit, *intervenientibus Pandulpho Beneventana & Capuana urbium Principe, seu Spoleti & Camerini ducatûs Marchione & Duce, simulque Landulpho excellentissimo Principe filio ejus*, ejusque Ditioni subjecit Episcopos *Sanctae Agathae, Abellini, Quinodecimi, Ariani, Asculi, Bibini, Vulturaria, Larini, Thelesia, Alifa.* In fine legitur: *Scriptum per manum Stephani Scrinarii S. R. E. in mense Maii, indict. XII*, & post subscriptiones Episcoporum: *Datum VII Kal. Junii per manum Guidonis Episcopi Sanctae Sylvecandida Ecclesiae, & Biblioth. Sanctae Sedis Apostolicae, anno Pontific. Domini nostri Joannis XIII Papae quarto, Imperatoris Ottonis majoris VII, & minoris II. Indict. supradicta duodecima, anno dominicae Incarnationis DCCCCLXIX.* Legitur haec Epistola à Joanne XIII Landolpho Beneventanensi Archiepiscopo data, Tom. IX Concil. pag. 1238. Postea Metropolis Beneventana modò plures, modò pauciores Suffraganeos habuit. Ex hac porrò Epistola liquet, *Beneventum* & Capuam hoc tempore eidem Principi paruisse.

XII. Ægyptus in Calipha Africani potestatem venit.

Anno Hegirae CCCLVIII, teste Elmacino lib. 3. Hist. Sarac. cap. 4. *Muazzus Lidinilla* Calipha Africae misit cum exercitu, qui *Aegyptum* occuparet; quod cùm factum esset, dominium Caliphalum Abasidarum in Ægypto cessavit. Tunc *Alcahira* seu *Cairus*, urbs Ægypti praecipua & amplissima ad Nilum fluvium posita, aedificata, ut in ea milites habitarent, & arx Imperialis in ea constructa. Quam urbem anno Hegirae CCCLVIII conditam testatur etiam Guillelmus Tyrius. Plurimùm crevit civitas illa, cùm Sultanos seu Reges habuit proprios, sed postquam seculo XVI in potestatem Turcarum venit, sensim defecit, licet

etiamnum

SÆC. X. An.Ch.970. etiamnum amplissima fit. Maazzus Lidinilla Ægypti Calipha dominio Africæ Josephum Bolquinum è Familia Ziridum minorem Africam obtinentium investivit, sicque Reges isti potentissimi evasêre.

Concilium Anglicanum, de quo anno sequenti num. VII huc retrahendum.

Anno Eræ Hispan. MVIII. Anno Hegiræ CCCLX, inchoato die 3 Novemb. fer. 5.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6463.

☉ 27. B. ☽ 2. P. 27. Mart. Indict. 13.

JESU CHRISTI 970.

JOANNIS XIII PAPÆ 6.

OTTONIS IMP. 9.

JOANNIS TZIMISCÆ IMP. 2.

I. *Theodorus Eremita fit Episc. Antiochiæ.*

AD num. I & seq. Leo Diaconus res hoc anno in Oriente gestas his verbis narrat: *Jam magna Antiochia ad Orontem sita Nicephori Imp. armis capta, ac Antistite destituta; qui enim priùs ejus urbis compos extiterat, Agarenus, Patriarcham Christophorum virum Apostolicum, divinumque sustulerat, adacto in ejus pectus spiculo, eo scilicet crimine, quòd Christiana fulgeret pietate* (quæ de re Baronius anno superiori num. XII). *Hujus frequentiam civium maxime rem frugi Joannes Imp. existimans, diligenter curabat, sollicitioreque agebat opera, ut ejus sedis dignum Præsulem inveniret. Sic igitur animo æstuanti remque satagenti, venit in mentem Coloniensis Theodori, viri à teneris unguibus eremiticam atque à negotiis remotam vitam consecrati, multisque Asceticis sudoribus edomiti corporis. Cilicinam enim vestem, qua indutus erat, ac qua contegebat ferrum quod gestabat, ut affligeret corpusculum, non ante deposuit, quàm tota difflueret, & in nihilum cederet. Aiunt istiusmodi Monachum tum primùm Nicephoro, tum rursùs Joanni divino oraculo vaticinatum esse, ad imperii infulas fore assumendos. Hunc itaque cùm in Urbe tunc versaretur Joannes, adducit Polyeucto, Polyeuctus verò cùm Episcoporum in Urbe præsentium Synodo, habito de illo examine, ubi seculari quidem eruditione haud admodum excultum, divina verò & Christiana magnificentissimè instructum comperisset, Patriarcham consecrat Antiochenum.*

II. *Obitus S. Polyeucti Episc. Constantinop.*

Porrò Polyeuctus cùm dies haud plures à Theodori ordinatione superstes fuisset, ex humanis migrat, relictis Ecclesiæ monumentis, virtutum scilicet simulachris, divinaque & humana sapientia, scientiaque notitiâ, quâ ad summum excultus fuit. Polyeucto autem annos tredecim Patriarchatûs gubernacula moderato atque ad beatam vitam translato, diligentem adhibuit Joannes operam, ut in Sacerdotali throno virum virtutibus atque moribus præstantem collocaret. Postridie igitur convocatis in Palatium Episcopis & Senatu, dixit: Ego cujus vitæ à longo tempore indubitatum periculum feci hunc in Ecclesiasticam sedem proveho, ne lateat in angulo vitam tolerans, vir omnis generis virtutum excellentiis clarus, cui & prænoscendi futura Deus donum concessit: multa enim mihi ejus generis divino edidit oraculo, quæ temporibus suis evenerunt. Dixerat Imperator, & Basilium Monachum in medium produxit, qui à teneris unguibus arreptâ vitâ monastica crebròs agones religiosa palæstra ludorum in Olympi montis arduis clivis ostenderat. Hunc videlicet in Patriarchales ædes jussit ascendere, postridieque (eâ scilicet dominicâ, qua Sancti Patres orthodoxam fidem de cultu venerabilium imaginum sanxerunt) Basilius summi Sacerdotis unctionem accipit, ac œcumenicus Patriarcha acclamatur. Cedrenus testatur, Polyeuctum post Tzimiscæ designationem, tantùm triginta quinque dies vixisse, Curopalates verò triginta solùm dies habet; sed cùm Zonaras Cedreno suffragetur, mors ejus contigit circa diem XVI mensis Januarii. Illius nomen Menæis adscriptum ad diem V. mensis Februarii. Porrò festum *Orthodoxiæ* incidit hoc anno in diem XIII Februarii, quæ Quadragesimæ Dominica prima fuit, quo die illud celebrabatur.

III. *Tzimisces Imp. Legatos ad Rossos mittit.*

Pergit Leo Diaconus: *Joanne verò Imp. multis curis anceps pendebat animus, cuinam prius momentum daret in trivio constitutus, ne ab officio aberraret. Tum enim annonæ penuria, altaque jam triennium fames, Romanum depascebatur imperium, ingruensque Rossica motio, nihil ipsi fausti sperandum ingerebat, ac nec Carthaginensium Arabumque adversùs Antiochiam Syriæ incursio, quæ Romanæ ditioni nuper accesserat. Enim verò fames quidem insuperabile malum, frumentationem ex omnibus ubique emporiis promptâ diligentiâ dissolvit, gravius adeo mali grassante vi inhibita. Agarenorum verò motus repressus, objecta illis Orientalium copiarum acie, Nicolao Patricio exercitûs duce. Fuerat is Imperatoris spado, multaque exercitatione magnam rei bellicæ peritiam nactus erat. Cum Sphendosthlabo autem Rossici exercitûs duce gentisque Principe ineunda pacis fœdera missis ad eum Fecialibus putavit. Missis itaque ad eum Legatis denunciat, ut pacta cum Nicephoro Imp. mercede recepta, ea ratione quod Mysos invaserat, ad suas sedes ac Cimmerium Bosphorum se recipiant; Romanis verò Mysiam utpote ad ipsos attinentem, ac quæ olim Macedoniæ portio existat, relinquant.*

IV. *Bellum adversùs eos decretum.*

Sphendosthlabus autem victoriis adversùs Mysos (sic Leo Diaconus Bulgaros vocat) elatus barbaricâ insaniâ ac dementiâ respondit, Legatis se brevi Byzantium forti vallo cincturum. Imperator nihil cunctandum esse existimavit, indeque Magistrum *Bardam*, cognomento *Sclerum* (nos *Durum* dicamus) defunctæ *Mariæ* hujusce Imperatoris conjugis fratrem, nec non Petrum Patricium, à Nicephoro Imp. Stratopedarcham creatum circum se esse præcepit, hisce duobus præcepit Imperator, ut assumtis copiis, ad loca Mysis vicina, usque contermina transirent, atque ibi hyberna ducerent. His ab Imperatore in mandato acceptis in Europam veniunt. *Tauroscythæ* verò (hodie Moscovitæ appellati) suorum partes segregantes, eique sociam adjungentes *Vnnorum*, *Mysorumque* manum in eos immiserunt. Adversariorum copiæ longè majores erant, ac triginta millia virorum excedebant; cùm *Bardæ* Magistri acies non plures decèm millibus haberet. Conserto prælio utrimque cadebant, qui animosiores atque impetu incitatiores erant. Tandem Scythæ in fugam versi sunt, quorum Romani ad profundam usque vesperam eos insecuti multam stragem fecerunt. Ajunt, in eo prælio Scythas supra viginti millia periisse. *Joannes* verò Imp. Asiaticas copias in Europam per Hellespontum trajicere satagebat, ut in Thracia & Macedonia hyberna agerent, & vernam tempestatem expectarent.

V. *Bardas tyrannus in*

Dum hæc sic Joanni Imp. in *Rossos* expedirentur, *Bardas* Dux Leonis Curopalatæ filius, ac Nicephori

SÆC. X. An.Ch.970.

exilium misſus.

Nicephori Imp. ex fratre nepos ad res novandas *Amaſeâ*, ubi relegatus fuerat, fugâ evaſit, *Theodoro* Barda ac *Nicephoro* Patricio fratribus eam in rem illi adjutoribus. Eò res proceſſit, ut Bardas Dux *repudiatis nigri coloris calceis, rubros ſtatim induit, palamque Romanorum Imperator à militibus ſalutatus eſt.* Leo quoque Curopalates rebellionem conflabat, Barda pater in Lesbo inſula, ipſe quidem ſub cuſtodia habitus. Sed detecta conjuratione *Leo* Curopalata ac *Nicephorus* ejus filius juſſu Imperatoris oculis orbati ſunt. *Bardas* verò, cùm ad tyrannidem animum ſemel advertiſſet, mordicus hærebat propoſito, & Aſiam populatus, eorum incendit domos, qui ipſius partes non ſequerentur. Imperator cùm ſcriptâ ad eum Epiſtolâ, *Bardas Phocas* reſpondiſſet ſibi potius rerum ſummam ac imperium deberi, qui avo Cæſare gloriaretur, quem inquit, in ſtrato humi jacens, pecudis in morem jugulaſti, Imperator, inquam, *Bardam* cognomento *Scelerum*, cujus ſororem antea Mariam nomine thori conſortem habuerat, Magiſtri dignitate fulgentem in Aſiam adversùs rebelles miſit. Tandem *Phocas* poſtquam in extremas redactus fuit anguſtias, cum uxore & liberis ſe *Scelero* dedidit, quos Imperator in Chio inſula exilio relegandos juſſit.

VI. *Tzimiſces Imp. Theodoram uxorem duxit.*

Interim dum paratur bellum adverſus Ruſſos, *Theodoram* Conſtantini Porphyrogenniti Imperatoris filiam uxorem duxit Imperator, haud quidem eximia pulchritudine aut corporis forma gratiiſque præditam, ſed quæ caſtitate omniſque generis virtutibus cunctis procul dubio ejus ſexus præſtaret. *Menſis Novembris tempus erat altero Joannis imperii anno, cùm nuptiale ageretur convivium.* Tunc Imperator propinationibus, ludiſque equeſtribus ac muneribus accipiendo populum, hyemem Byzantii agebat, ac vernum tempus expectabat. Idem ac Leo Diaconus de Theodoræ matrimonio Cedrenus habet, qui cùm annos Imperatorum à menſe Septembri auſpicetur, illud ad præſentem annum pertinere arbitror.

VII. *Concilium Anglicanum anno ſuperiori congr.*

Ad num. III & ſeqq. Concilium Anglicanum anno ſuperiori celebratum. Hovedenus enim part. I Annal. pag. 426. ſcribit: *Anno DCCCCLXIX Rex Anglorum pacificus Eadgarus ſancto Dunſtano Dorobernenſis, & beato Oſwaldo Wigornienſis & S. Ethelwaldo Wintonienſis Eccleſiæ Epiſcopis præcepit, ut expulſis clericis in majoribus monaſteriis per Merciam conſtructis, Monachos collocarent. Unde S. Oſwaldus ſui voti compos effectus, Clericos Wigornienſis Eccleſiæ Monachalem habitum ſuſcipere renuentes de monaſterio expulit; conſentientes verò huic ipſe Antiſtes monachizavit, eiſque Wlſinum magnæ religionis virum loco Decani præfecit.* Idem narrant ad illum Chriſti annum Weſtmonaſterienſis, & Annaliſta Mailroſenſis. Et Auctor Anonymus Vitæ Sancti Oſwaldi Epiſcopi Wigornienſis, & poſtea Archiepiſcopi Eboracenſis, cujus verba recitat Baronius num. III & ſeqq. teſtatur, Decreti in Concilio Generali pro Cleri reformatione conditi executionem tribus præfatis Præſulibus commiſſam fuiſſe.

VIII. *Contra incontinentiam Clericorum, non contra eorum nuptias.*

Spelmannus hoc quidem Concilium accuratè cum anno ſuperiori illigat, ſed malè illud his verbis inſcripſit: *Concilium generale à S. Dunſtano Archiepiſcopo Cantuariæ adversùs Clericos conjugatos celebratum.* Nec enim Auctores, quos ipſe citat, aliquid habent de conjugio Clericorum, & quæſtio tantùm erat de iis, qui conjugari non poterant, quique eum gradum aſcenderant, cui continentiæ votum annexum erat. Supereſt adhuc fragmentum Orationis ab Eadgaro Rege habitæ ad Epiſcopos & ad cœnobiorum Præfectos, quod in Bibliotheca Patrum recitatur. In ea Edgarus ſic Epiſcopos alloquitur: *dicam, dicam, quod boni lugent, mali rident: dicam dolens (ſi tamen dici poteſt) quomodo diffluant in comeſſationibus, & ebrietatibus, in cubiculis, & impudicitiis; ut jam domus Clericorum, putentur proſtibula meretricum, conciliabulum hiſtrionum. Ibi alea, ibi ſaltus, & cantus; ibi uſque ad medium noctis ſpatium protracta in clamore & horrore, vigiliæ. Sic, ſic patrimonia Regum, eleemoſinæ pauperum, imò (quod magis eſt) illius pretioſi Sanguinis pretium, profligatur? Ad hoc ergo exhauſerunt Patres noſtri theſauros ſuos? Ad hoc fiſcus Regius detractis reditibus multis, detumuit? Ad hoc Eccleſiis Chriſti agros, & poſſeſſiones, Regalis munificentia contulit, ut deliciis clericorum meretrices ornentur?* &c. Decretum itaque in hoc Concilio, ut antiqui Canones de continentia Clericorum, qui temporum injuriâ contemnebantur, ſervarentur.

IX. *Pœnitentia ſeptennalis Edgari Regis Angliæ.*

Quod verò narrat Baronius num. VI & ſeq. de pœnitentia *Edgaro* Regi ob incontinentiam impoſita, ſeriùs non contigit, quàm anno CMLXIV, ut ex Hovedeno & Annaliſta Mailroſenſi citatis colligere eſt. De ea pœnitentia Malmesburienſis lib. 2. de Reg. cap. 8. ait: *Virginis Deo dicatæ audiens pulchritudinem, violenter eam à monaſterio abſtraxit, abſtractæ pudorem, & non ſemel thoro ſuo collocavit. Quod cùm aures beati Dunſtani offendiſſet; vehementer ab eo increpatus, ſeptennem pœnitentiam non faſtidivit, dignatus Rex affligi jejunio, ſimulque diademate carere ſeptennio.* Sed ne quis putaret hanc virginem Deo ſacram fuiſſe, ſed tantum Deo à parentibus dicatam, ſubjongit Malmesburienſis: *De Egelfleda cognomento Candida, filia Ordmeri Ducis potentiſſimi Edwardum genuit, & ſanctam Edgitham de Wlfrida, quam certum eſt non tunc Sanctimonialem fuiſſe, ſed timore Regis puellam laicam ſe velaviſſe, moxque eamdem arrepto velo lecto Imperiali ſubactam. Unde offenſum beatum Dunſtanum quod illam concupiſſet, quæ vel umbraticè Sanctimonialis fuiſſet, vigorem Pontificalem in eum egiſſe.* Sed hac de re legendus Alfordus in Annal. Eccleſiæ Anglicanæ, ubi plura habet adversùs Heterodoxos Osbernum ſcriptorem Vitæ ſancti Dunſtani, cujus verba refert Baronius, in pravum ſenſum interpretantes.

X. *Translatio S. Swithuni Episc. Wintonienſis.*

Hovedenus laudatus hoc anno habet: *Anno DCCCCLXX Sancti ac venerabilis Antiſtitis Swithuni Reliquiæ (peractis à ſepultura ejus centum & decem annis) indictione XIV Idus Julii feriâ VI ſublata ſunt, & de monumento à S. Ethelwaldo venerabili Præſule* (nempe Eccleſiæ Wintonienſis) *& ab Elſtano Glaſtonienſis, Ethelgaro novi monaſterii Abbatibus, & in Baſilica Apoſtolorum Petri & Pauli ſunt recondita.* Idem habent Wigornienſis, Florilegus, & Annaliſta Mailroſenſis, ad hunc Chriſti annum. Patrata tunc plurima miracula, ut videre eſt apud Malmesburienſem lib. 2. de Pontif. pag. 244. Ad illa reſpicit Auctor Vitæ Sancti Ethelwoldi Epiſcopi Wintonienſis à Worſtano Monacho, ejus diſcipulo ſcriptæ, qui num. XXVI ait: *Cujus prædicationem maximè juvit ſanctus Antiſtes Swithunus, & eodem tempore cæleſtibus*

signis declaratus, & infra Templi Regiam gloriosissimè translatus, ac decentissimè collocatus. Ideoque gemina simul in domo Dei fulsêre lumina tria candelabris aureis superposita; quia quod Adelwoldus salubri verborum exhortatione prædicavit, hoc Suvithunus gloriosa miraculorum exhibitione ad laudem nominis Christi mirificè decoravit. Sicque factum, consentiente Rege, ut partim Dunstani consilio & actione, partim Adelvoldi sedula cooperatione, monasteria ubique in gente Anglorum, quædam Monachis, quædam Sanctimonialibus constituerentur sub Abbatibus & Abbatissis regulariter viventibus. Circumivitque famulus Christi Adelvoldus singula monasteria, mores instituens, obedientes ut in bono proficerent, verbis admonendo, & stultos ut à malo discederent, verberibus acriter corrigendo. De Sancto Swithuno seu Suvithuno Wintoniensi Episcopo suo loco verba fecimus.

XI. *S. Rudesindus fit Monachus & postea Abbas.*

Redacto in ordinem *Sisnando* Compostellano Episcopo, quòd officii sui curam parvipenderet, & *Sancio* Regi Legionensi infensus esset, suffectus est Rudesindus Episcopus Dumiensis, ut incarcerati Sisnandi munia obiret sicuti suprà ex Stephano Cellæ-novæ monacho illius Vitæ Auctore diximus. Verum, ut inquit idem Stephanus, *post pauca Sancius Rex moritur* (anno nempe CMLXVII); *quo cognito, Sisnandus vincula confringens è carcere fugit, & ipsa nocte Nativitatis Domini nostri Jesu Christi Rudesindum cum canonicis pausantem aggressus est. Gladium strictum manu portabat, quo mortem minabatur, nisi Episcopatum relinqueret, & civitatem desereret. Rudesindus ponderosis verbis temeritatem arguit, prophetans mortem violentam Sisnando citò eventuram; quæ ita contigit, sicut ei fuerat à Rudesindo prædicta.* Quod hoc anno contigisse eodem anno testatur Sampirus his verbis: *Normanni Rege* (idest Duce) *Gunderedo Gallæciam ingressi, strages multas fecerunt, & in gyro sancti Jacobi Apostoli Episcopum loci ipsius gladio peremerunt, nomine Sisnandum.* Subdit Stephanus Rudesindum lætum confugisse ad monasterium Sancti Joannis de Cabero, quod ædificaverat, & postea mundo renunciasse, ac condidisse monasterium *Villare prope Limiam*, in quod non multò pòst ingressus est, illudque *Cellam-novam* appellavit. Mortuo Abbate, quem ibi constituerat sanctus Episcopus Rudesindus, à Monachis Abbas eligitur, Episcopales vices non amittens. Ad cujus mirabile exemplum Episcopi, Abbates, nobiles & ignobiles Cellam novam veniebant, *omnia suaseque dedentes*, inquit Stephanus citatus.

XII. *Sanctius II, Abarca dictus, succedit Garsiæ II in Regnum Navarræ.*

Hoc anno mortuus est *Garsia* Rex Navarræ hujus nominis II, erâ nempe M VIII, ut Moretus in suis Investigationibus Regni Navarræ pag. 418. demonstrat. Primò, Tomo Conciliorum Alveldæ, cujus autographum in Escuriali conservatur, à Vigila Monacho erâ M XIV descripto, anno scilicet Christi C M L X X V I. Secundò, Tomo Sancti Æmiliani, qui ejusdem ferè est antiquitatis; & denique donatione quadam à Sanctio II Garsiæ successore Abbati Sancti Andreæ facta *Idus Novemb.* anno tertio Regni Sanctii erâ MX, in qua ait: *Gratiâ Dei Sancius Rex & Ranimirus Rex seu cum clara Urraca Regina.* Idem Moretus lib. 2. Investigar. adversùs Zuritam, aliosque Scriptores Hispanos invictis argumentis probat, seculo decimo in Regno Navarræ regnasse Garsias duos, & Sanctios duos. Uxor Garsiæ Sanctionis primi vocabatur *Onneca Terasia Endregoto*; primum est nomen, secundum cognomen, tertium patronimicum. *Terasia* appellatur in Chartis omnibus in favorem Monasterii Sancti Aemiliani datis usque ad eram D C C C C L X X X V, eæque adhuc in archiviis ejusdem monasterii existunt. In quibusdam aliis modò *Onneca*, modò *Endregotto* vocata. Ea ultimo nomine patronimico nuncupata, quia pater ejus in duabus Chartis erâ M I X datis Endregotto vocatur: *Ego Endregotie Galindones*, inquit, *& prolem ejus* (idest è filia nepos) *Sancio Garseanis Rex & uxor ejus Urraca Ferdinandi.* Rectè autem Moretus monet, *Ferdinandi* nomine intelligendum non esse *Ferdinandum* Comitem Castellæ. Suspicatur vir Eruditus pag. 431. nomen *Fortunii* loco *Ferdinandi* substituendum; sed exemplaria ei adversantur. Fatendum tamen Librarios hoc nomen corrupisse; cùm seculo decimo non *Ferdinandi*, sed *Fredelandi* nomen usurparetur. *Garsiæ* itaque II successit *Sanctius* hujus nominis II *Abarca* cognominatus, Sanctii primi nepos, cujus uxor *Urraca*, ut anno C M X C V I videbimus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6464.

☉ 28. A. ☽ 3. P. 16. April. Indict. 14.

JESU CHRISTI 971.

JOANNIS XIII PAPÆ 7.

OTTONIS IMP. 10.

JOANNIS TZIMISCÆ IMP. 3.

Anno Eræ Hispan. MIX Anno Hegiræ CCCLXI, incho. to die 14. Octob. fer. 3.

I. *Concilium Londonense à Concilio Romano confirmatum.*

ANum. I ad IV. Duo hoc anno Concilia celebrata, alterum *Londinii*, alterumque *Romæ*. De priori agunt Spelmannus pag. 488. Alfordus hoc anno & Labbeus Tom. I X Concil. pag. 702. & seqq. In eo *Edgarus* Angliæ Rex confirmavit celeberrima Privilegia Monasterio Glastoniensi concessa, reservata sibi & hæredibus potestate baculum conferendi Abbati, qui à Monachis eligetur, ut fusè narrat Malmesburiensis lib. 2. de Reg. cap. 8. qui addit: *Inclyto domno Joanni Papæ qui Octaviano in regiminis honore successerat, direxit idem chirographum Regiæ liberalitatis, orans ut & ipse hæc roboraret scripto Apostolicæ auctoritatis: qui benignè directam suscipiens legationem, concordi assensu Romani Concilii sancita ab eis firmavit.* Recitat Baronius num. II ex eodem Malmesburiensi Epistolam Joannis Papæ X I I I, quâ peracta Londini in Anglia confirmat ad petitionem Edgari Regis, & Dunstani Cantuariæ Archipræsulis.

II. *Edgarus Angliæ Rex favet Monasteriis.*

Spelmannus & Auctores citati Chartam ab *Edgaro* Rege datam ex Antiquitatibus MSS. Glastoniensis Monasterii referunt, quâ Privilegia à suis Prædecessoribus eidem monasterio concessa confirmat, *Dunstano*, inquit, *Dorobernensi atque Oswaldo Eboracensi Archiepiscopo adhortantibus, consentiente etiam & annuente Brithelmo Fontanensi Episcopo, cæterisque Episcopis, Abbatibus & Primatibus.* In fine legitur: *Acta est hæc Privilegii pagina, & confirmata apud Londoniam communi consilio omnium Primatum meorum anno ab Incarnat. Domini nostri J. C. DCCCCLXXI, indict. X I V.* Post subscriptiones legitur: *Hanc Privilegii paginam Rex Edgarus, X I I anno regni sui, sacro scripsit apud Londo-*

niam

niam consilio optimatum suorum, confirmavit. Eodemque anno Joannes Papa XIII hanc ipsam paginam Romæ in generali Synodo autorisavit. Inter subscriptiones leguntur nomina *Elfgina* Regis matris, *Dunstani* Dorobernensis Archiepiscopi, & *Oswaldi* Eboracensis Ecclesiæ Primatis, ac postea nomina aliquot Episcoporum & quorumdam Regni Primatum.

III. *S. Oswaldus fit Archiep. Eboracensis.*

Wigorniensis, Hovedenus, Ingulphus, Symeon Dunelmensis, & alii ingressum Oswaldi Episcopi Wigorniensis in Eboracensem Sedem cum sequenti anno copulant. Verùm ex Charta laudata quæ sincera & genuina est, & meo judicio in dubium vocari non potest, liquet eos hac in re deceptos esse. Præterea in antiquo & accurato Catalogo Præsulum Eboracensium à Labbeo Tom. I Biblioth. publicato legitur: *Oswaldus suscepit Ecclesiæ regimen anno Incarnat. DCCCCLXXI. Sequenti autem anno Romam veniens à Papa Benedicto Pallium accepit.* His adde Thomam Stubs in Actis Archiepiscoporum Eboracensium in eadem ac Auctorem præfati Catalogi versari sententia, & Catalogum illum legi in Epistola edita sub nomine Symeonis Dunelmensis *ad Hugonem Decanum Eboracensem, de Archiepiscopis Eboraci.* Non audiendus itaque Warthonus part. II Angliæ Sacræ pag. 203. qui *Oswaldi* Archiepiscopatum cum anno CMLXXII connectit. *Rex consilio Dunstani*, inquit Malmesburiensi lib. 3. de Pont. pag. 270. *vacuatum Episcopo Eboracum, viro implevit, qui barbariem gentis* (nempe Northumbriæ) *moderari, pro antiquo convictu, probè nosset. Nec tamen Wigorniensi sedi renunciare permissus est, ne Monachorum recens habitatio, alterius sui destitueretur fomento. Optimates submissi viro esse, certatim possessiones ad monasteria, quæ non extabant, fundanda: ad ea quæ deciderant sublevanda offerre. Præterea literis excellentes viros in Angliam evocatos, munificenter curare; ne illo bono fraudaret patriam, sine quo cetera bona penè videntur inania. Quorum unus fuit Abbo, Floriacensis monachus, qui multam scientiæ frugem Angliæ invexit.* Quàm sollicitè Oswaldus Eboracensem Provinciam rexerit, quàm cautè, prudenterque ovibus prospexerit, declarat Auctor Anonymus, qui ejus Vitam scripsit.

IV. *Floret S. Abbo Abbas Floriacensis.*

Quoad *Sanctum Abbonem* Martyrem, is, non à Monachis suis occisus, ut credidit idem Anonymus, sed à monasterii servis, ut seculo sequenti videbimus. Ejus meminit Baronius anno superiori num. V. Reliquit is varia Opuscula partim edita, partim nondum vulgata. Composuit enim Epitomen de Vitis Romanorum Pontificum XCI, Vitam Sancti Eadmundi Anglorum Regis & Martyris, Epitomen Canonum, à Mabillonio Tom. II Analect. in lucem editam, ac quasdam Epistolas & Opuscula. Scripsit etiam Apologeticum contra obtrectatores, cùm Præsules, tum Monachos, *ad Hugonem & ejus filium Robertum* Francorum Reges, in quo non alia de causa ab æmulis se impeti significat, quàm quòd Monachorum salutem & Reipublicæ suæ augmentum quærat. Etsi verò *Roberto* Regi summopere acceptus esset *Abbo*, eum tamen ob illicitam cum *Berta* copulam increpare non dubitavit, teste Helgaldo Monacho in libro de Vita Roberti, & ea libertas, quæ piissimi Principis animum ad iracundiam provocavit, Monachorum ejus temporis osoribus Abbonem traducendi, vexandique occasionem præbuit. Vide quæ dicam anno MIII num. IV.

V. *Pax inter utrumque imperium firmatur.*

A num. IV ad XI. Cùm fœdus inter *Ottonem* M. & *Joannem Tzimiscem* Græcorum Imperatorem hoc anno firmatum sit, ut ostendit Baronius num. IV, apparet, *Theophaniam* hoc tantùm anno ab eodem *Tzimisce* uxorem datam esse Ottoni II Ottonis Magni filio; rectè scripsisse Chronographum Hildensheimensem, cujus verba anno superiori retulimus, eam sequenti tantùm anno Romæ receptam esse; Sigoniumque lib. VII de Reg. Ital. accuratè tradidisse *Arnulphum* Archiepiscopum Mediolanensem currenti anno Constantinopolim allegatum esse, ut *Theophaniam* neptem Tzimiscis ab eodem Imperatore iterùm in matrimonium postularet, eamque à Joanne Papa XIII Romæ coronatam atque Augustæ titulo decoratam anno CMLXXII.

VI. *Otto M. Magdeburgum & in eo monasterium condit.*

A num. XI ad XIV. *Otto Magnus* devictis Slavis, Saxoniæ ad Albim populis, ut Religionem Christianam illis persuaderet, cogitavit de erigendo præsidio, simulque Benedictinorum monasterio, quod fidei Christianæ seminarium esset & azylum. Itaque anno nongentesimo tricesimo septimo, Edithæ piissimæ conjugis suæ *instinctu*, ut ex Chronico Magdeburgensi MS. Sec. V Benedict. pag. 573. refertur, *Magdaburgensem ædificare cœpit civitatem, ad quam Reliquias Christi Martyris Innocentii cum magno adduxit honore. Nam urbem hanc ob æternæ remunerationis gratiam, patriæque communem salutem, & adquisivit, & construxit. Juvit eum ad hoc beatæ memoriæ Edith quibus potuit: quæ innumera virtute prædita, ut signis post obitum claruit, inducias vitæ istius sibi concessas, Deo, hominibusque acceptè perduxit. Decrevitque idem Rex eodem anno IX Kal. Octobris, hoc est in proximo die post festum sancti Mauricii, congregationem Monachorum fieri in eadem urbe ob amorem Dei, & patris suæque animæ, & sanctissimæ contectalis suæ, & Rodolfi Regis* (nempe Burgundiæ Transjuranæ) *qui ad eum sanctum transmisit Innocentium, omniumque delictorum suorum remedium, construens monasterium in honore sancti Petri Apostolorum Principis, & sancti Mauricii atque Innocentii: tradens ad eumdem locum prædia multa in diversis locis, & ipsum locum Romano subjiciens mundiburdio, fratribus concedens liberam electionem Abbatis.* Hæc fusiùs memorantur in ipsius Ottonis literis apud Meibomium post Witichindi Annales, in Privilegio secundo Magdeburgensis Ecclesiæ, ab eodem Imperatore dato *XI Kalend.* (deest mensis) *anno Dominicæ Incarnat. DCCCCXXXVII indict. XI* (ideoque post Kalendas Septemb. quo die ea Indictio cœpta), *anno verò Ottonis piissimi Regis II. Actum in civitate Magdeburg.* In tertio Privilegio ejusdem Ottonis traduntur ab eodem multa prædia *ad nutrimen Monachorum.* In fine legitur: *Dat. IX Kalend. Maii anno dominicæ Incarnat. DCCCCXL* (legendum, DCCCCXLI) *Indictione XIV, anno Ottonis V. Actum in Magdeburg.* Denique Chronographus Magdeburgensis editus idem habet ac MS. ut videre est Tom. II Collect. Meibomii.

VII. *Annales Ecclesiastici emendantur.*

Baronius num. XIII, quia Chronicon illud MS. & duo laudata Diplomata non viderat, fundationem hujus Monasterii in præsentem annum confert. Præterea ibidem tres Adelber-

tos diſtinguit, quorum unus Magdeburgenſis Archiepiſcopus fuerit, alter Epiſcopus Pragenſis, tertiuſque Rugorum ordinatus Epiſcopus. Verùm, ut ſuprà indicavimus, Sanctus *Adelbertus* primus Magdeburgenſis Archiepiſcopus, Ruſſiæ prius Præſul ordinatus fuerat, idcoque unus Adelbertus in duos non dividendus. Hunc autem anno CMLXVIII, non verò currenti, Archiepiſcopum Magdeburgenſem renunciatum fuiſſe, eo anno demonſtravimus.

VIII. *Expeditio Tzimiſcis Imp. adverſùs Roſſos.*

Ad num. XV & ſeqq. Hyberno ſquallore in vernam mutato ſerenitatem, inquit Leo Diaconus in Vita Tzimiſcis Imp. ſumto ſtatim Imperator Crucis vexillo adverſùs *Tauroſcythas* (ita hic Auctor Ruſſos, hodie Moſcovitas vocat) iter contendit. Poſtea devotionibus propitiato numine claſſem ad Iſtrum mittit, amnis meatum ſervaturos. ne qua Scythis (ideſt, Ruſſis) ad patriam ac Cimmerium Boſphorum enavigandi facultas eſſet, ſi quando illos in fugam verti contingeret. Ipſe verò Byzantio profectus Adrianopolim cum omni exercitu venit. Ad eam cùm perveniſſet, didiciſſetque ab exploratoribus, difficiles, anguſtaſque ſemitas ac calles (clyſuras vocant, quo velut clauduntur) à Scythis non cuſtodiri, conſultiſſimè ſe facturum arbitratus eſt, ſi ſtatim occaſionem arriperet, ac quanta liceret celeritate, anguſta viarum tranſiret, priuſquam *Tauroſcythæ* ad ardua tuenda loca invaleſcerent.

IX. *Aggreditur Regiam Bulgarorum.*

Cùm Imperator iter aggreſſus eſt præeuntem habens Immortalium (quos vocant egregiè armis protectam cohortem), pone ſequebantur fortiſſimorum armatorum peditum decem millia ſupra quingentos, equitum verò tredecim millia: reliquus exercitus cum impedimentis & calonibus obſidionales ac reliquas omnis generis machinas convehens, lento greſſu retrò ſequebantur, cum Baſilin Præſide, cui Imperator omnem horum curam commiſerat. Ubi præter omnem opinionem lubrica, præruptaque loca tranſivit, *Praſthlabam* urbem, quæ Myſorum Regia eſt, invaſit, crebrò tubas jubens bellicum inſonare, cymbala ululare, ac tympana ſtrepere. *Tauroſcythas* verò, ubi militari ordine, peritaque ſe invadentes Romanos conſpexêre, anxietas timorque cepit, firma tamen conſtipata acie, in campo, agrique planitie ante oppidum Romanis obviam proceſſerunt, beſtiarum more frementes. Romani conſerta cum illis manu, ſtrenuè pugnabant, belloque digna facinora edebant, ancipiti neutramque in partem nutante victoria. Porrò Scythæ, qui ferè pedites eſſent, (nec enim equites dimicare ſolent, quòd neque equeſtri diſciplina exerceantur) Romanorum jacula non ſuſtinuerunt, ſed in fugam verſi intra murorum ambitum ſe ſe concluſerunt: quos pone inſecuti Romani, dirè trucidarunt. Aiunt enim eo prælio deſiderata ſupra quingentos octo Scytharum millia. Romanos interim oborta nox ab ulteriore pugna inhibuit.

X. *Eam capit cum Rege ejuſque filiis.*

Poſtridie Imperator firma acie conſtipata phalange muros aggreditur, quaſi aſſultu urbis potiturus. *Dies erat, quam magnam quintam feriam vocant, quâ Dominus ad Crucem ſponte properans, ſalutaria diſcipulis documenta dedit.* Roſſi quoque è propugnaculis ordinati Romanos invadentes arcebant, in quos deſuper jacula, pleniſque manibus ſaxa jaciebant. Tandem ſcalis admuros admotis urbs capta, immenſa Scytharum ſtrage. Tunc etiam *Borem* Myſorum Regem cum uxore & duobus infantibus captum eſſe dicunt, cùm ſic genæ rutila lanugine floreſcerent, oblatumque Imperatori eſſe. Quo ille ſuſcepto, Virum coluit, Bulgarorum Regem appellans, in eam rem venire dicens, ut Myſos ulciſceretur, qui dira à Scythis perpeſſi eſſent.

XI. *Petit à Ruſſorum Rege, ut è Bulgaria diſcedat.*

Tunc & in Regiam Aulam facta irruptio, in quam *Ruſſorum* fortiſſimi contruſi erant. Hi fortiter reſtiterunt, & per portulam deſilientes multam ſtragem Romanorum fecêre. Tandem capta à Romanis *Praſthlaba* eſt intra duos dies. *Joannes* verò Imp. exercitu liberaliùs accepto atque refecto, divinam Salvatoris Reſurrectionem celebravit: & ex Tauroſcythis nonnullos ſeponens ad *Sphendoſthlabum* direxit, qui ei injungerent, ut aut arma poneret, & à Myſorum Ditione abſcederet: ſin id nollet omnibus viribus invadentes Romanos exciperet. Imperator paucos dies in urbe moratus, præſidioque relicto, quod ipſi tutandæ ſufficeret, exque ſuo nomine *Joannopoli* nuncupata, cum omnibus copiis Doroſtylum movet: quam urbem inclytæ memoriæ *Conſtantinus Imp.* à fundamentis erexit, & in eam pulchritudinem ac magnitudinem, quà nunc viſitur, provexit, tunc nimirum quando Crucis ſigno ſtellis radiantibus in cœlo conſpecto Scythas in ipſum irruentes profligavit.

XII. *Ruſſi ab Imperatore prælio victi.*

In itinere autem cepit Imperator *Pliſcubam*, *Diniam*, compluraque alia oppida. *Sphendoſthlabus* intellecta quam ad *Praſthlabam* ſui cladem acceperant, Tauroſcytharum omni exercitu collecto ad ſeptuaginta hominum millia in Romanos aciem inſtruxit. Utroque exercitu in Doroſtoli agro (Dextram vocare ſueverunt) conſtituto, caſtriſque è regione poſitis, magnâ conſertâ pugnâ, in qua æquo marte primis congreſſibus utrimque certatum eſt, idque ad profundam veſperam, alternante victoria, at cùm jam ſtella Veneris in occaſum vergeret, Scythæ non ſuſtinentes Romanorum impetum in fugam declinarunt, intraque muros contruſi ſunt, multis ſuorum eo prælio deſideratis. Jam verò die eluceſcente Imperator firmo vallo caſtra communivit. Scythæ verò è turribus proſpectantes, tela, ſaxaque, machinaſque petrarias in Romanos laxarunt. Tunc verò ipſæ quoque Romanorum incendiariæ triremes, cum navigiis annonariis per Iſtrum adrepentes apparuêre. Hinc Scythæ lembos ſuos, lintreſque colligentes pro urbis mænibus ſubduxêre, qua parte Iſter præterfluens alterum *Doroſtoli* latus alluit. Poſtridie valida utrimque conſerta pugna, in qua *Sphancelus*, cui tertiæ à *Sphendoſthlabo* honoris partes Tauroſcythæ tribuerant, occiſus eſt, cujus interitu turbati *Tauroſcythæ* ſenſim ſe ſe in urbem receperunt. Imperator verò receptui canere jubens, Romanos ad caſtra revocavit.

XIII. *Rebellio adverſùs Imperatorem repreſſa.*

Sic ſuſpenſa rerum expectatione, ac cùm adhuc ſubſiſteret bellum, *Leo Curopalata* Nicephori Imperatoris frater, *Methymna*, quæ Lesbi inſula eſt, cum Nicephoro filio, ubi ſub cuſtodia tenebatur, corruptis auro cuſtodibus ad rebellionem animum advertit. Cui enim injunctum erat, ut eum excæcaret, palpebras quidem ejus adducit, pupillas verò illæſas integraſque reliquit. Tunc itaque *Curopalata* lintrem conſcendens, ad littus ex adverſo Byzantii occultè appulit, ſuumque amicis adventum nunciavit. Hi verò ſpem fecêre

cêre

SÆC. X. An. Ch. 972.

cere se Palatii claves sublaturos, per quas in ædes Regias facilè admitterentur. Quod cuncta ex voto illis cedere videbantur, *Curopalatam* Byzantium vocant, qui intempesta nocte in Urbem receptus est. Sed cùm in cujusdam servorum suorum ædibus esset, quidam sequentium furtim domo excedens, accessit ad Imperatorii textrini curatorem, adventum ei Curopalatæ nuncians. Is verò ad *Leonem* Patricium ac navalem Drungarium venit, cui tunc Byzantii cura ab Imperatore concredita erat; cunctaque narrat. *Leo Patricius* urbana ac domestica cohorte assumpta domum, in qua Curopalata divertisset, confertim irrumpit: Curopalata per quemdam angulum cum *Nicephoro* filio dilabitur, & ad magnum delubrum confugit; sed inde avulsum Drungarii homines eum in insulam *Calonymum* nomine deportant. Rursumque Imperatoris mandato ex Mysia delato amborum effodiuntur oculi, ac substantiis publicatur. Interim *Russi* conferta acie Romanorum machinas incendere tentabant: non enim stridentes illarum ictus, ejaculationesque ferebant. Ita Leo Diaconus, & post eum Curopalates ac Zonaras. *Durostolon*, seu *Durostolus* urbs est Mæsiæ Inferioris ad Istrum fluvium nunc *Durosto* appellata, hancque Zonaras *Dristram* vocari testatur. Porrò expeditionem istam Baronius omisit, & de ea hic sermonem habet, quæ ad annum CMLXXIII pertinet, ut ibidem videbimus. Quare quæ de illa narrat ad eum Christi annum revocanda. Quoad *Presthlabam*, & *Pliscobam*, Cedrenus in Basilio Porphyrogenneta pag. 704. ait hæc oppida trans Æmum montem posita esse, & *Presthlabam* in majorem & minorem dividit.

Anno Eræ Hispan. MX. Anno Hegiræ CCCLXII, inchoato die 12. Octob. fer. 7.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6465.

☉ 1. GF. ☽ 4. P. 7. April. Indict. 15.

JESU CHRISTI 972.

BENEDICTI VI PAPÆ 1.

OTTONIS IMP. 11.

JOANNIS TZIMISCÆ IMP. 4.

I. *Benedictus VI succedit Joanni XIII.*

AD num. I & seq. In fine epitaphii Joanni XIII Papæ positi, & à Baronio recitati legitur: *Sedit annos septem: depositionis ejus dies VIII Idus Septembris, ab Incarnatione domini anno DCCCCLXXII.* Quare cùm die prima mensis Octobris anni CMLXV Sedem Romanam adeptus sit, sedit annos sex, menses undecim, dies quinque, ut passim in Catalogis habetur. Platina ait, Sedem vacasse *dies XIII*, sed ex mera conjectura, quæ sustineri non potest: alioquin ejus successor in die Dominica consecratus non fuisset. Præterea Pontificatum diutius cessasse ostendit Privilegium Benedicti VI, Eldrado Abbati Vizeliacensi concessum, & Tom. III Spicilegii Dacheriani pag. 465. relatum, scriptum *per manum Stephani Nolani Episc. & Scriniarii S. R. E. in mense Novembri indict. II. datum IV Kal. Decemb. per manum Joannis Episcopi* (adde Bibliothecarii) *Sanctæ Sedis Apostolicæ, anno I Pontificatus Domni Benedicti Sanctissimi VI Papæ, imperante domno Ottone à Deo coronato magno Imperatore, anno VI, indict. II.* anno sc. Christi sequenti. Quod si die XXVIII mensis Novemb. anni DCCCCLXXIII primum Pontificatus annum adhuc numerabat, hoc anno post eum diem consecratus fuerat Pontifex Rom. ideoque mensibus amplius duobus Sedes vacavit. Ex quo etiam refellitur Papebrocius, qui Benedicti VI consecrationem cum die XXII mensis Septembris connectit. Baronius, & ante eum Onuphrius in Chronico Ecclesiastico, ordinem Pontificum corrumpit. Post Joannem enim XIII collocat *Donum, Benedictum VI & Bonifacium* VII Antipapam, contra auctoritatem Sigeberti in Chronico, & antiquiorum Catalogorum, qui post Joannem XIII exhibent Benedictum VI. Hermannus quidem Contractus, & quidam alii *Donum* prætermittunt, sed nullo fundamento. Quare ad restituendam Chronotaxim Pontificiam locandus *Benedictus VI* post Joannem XIII, & post Interpontificium mensium circiter trium à Veteribus non memoratorum.

A num. III ad IX. Chronographus Hildensheimensis ad hunc Christi annum scribit: *Otto Junior cum Seniore venit de Italia*, Lambertus Schafnaburgensis addit, *in Franciam*, idest in Franciam Orientalem. Hermannus verò Contractus juxta editionem Canisianam: *Synodus apud Ingelenheim ab Episcopis collecta est, ubique B. Episcopus Udalricus & Adalbero sororis ejus filius, transgressionis canonum accusati, causâ suâ dictâ & excusatâ, absoluti revertuntur.* Erat Adalbero filius Liutgardæ sororis sancti Udalrici Episcopi Augustensis in Vindelicia, cui Otto Magnus Episcopalis honorem cathedræ post vitam Udalrici donare promisit, sed cùm uterque Imperator, pater scilicet & filius in Franciam reversi essent, celebrata est Synodus Ingelheimensis ubi cùm Antistitem vidissent *Adalberonem* baculum Episcopalem publicè portare irati sunt contra eum, uti refert Baronius ex Vita sancti Udalrici à Gerardo Presbytero ejus familiari scripta, & Sec. V Benedict. recitata. Porrò cùm in ea Synodus dicatur *in autumnali tempore peracta*, & præterea, *revertentibus de Italia Imperatoribus in Franciam*, apparet eos Romæ non fuisse, quando Benedictus VI electus est, & coram Legatis ab iisdem missis ordinatus, ideoque Interpontificium longius fuisse, quàm dierum XIII, cùm monendi fuerint de morte Joannis XIII, & Romæ Legati eorum expectandi.

II. *Synodus Ingelheimensis.*

Ad num. IX. Baronius post Synodum Ingelheimensem mortem Sancti Udalrici, quam anno sequenti contigisse insinuat, uno tenore recitat. Gerardus citatus num. LXXV eam his verbis narrat: *Clericis Letaniam devotè canentibus animam Deo commendans, anno Incarnationis domini nostri Jesu Christi CMLXXIII, ætatis LXXXIII, ordinationis autem L, quarto die Julii IIII Non. ejusdem mensis, die Veneris feliciter obitu quasi somno suavi soporatus, ergastulo corporis exemptus, migravit ad requiem.* Anno autem sequenti dies quartus Julii in feriam sextam incidit. Mabillonius ad illum locum scribit, in Necrologio Sancti Galli *IIII Non. Junii* notari obitum Sancti Udalrici Episcopi Augustani, sicuti & in variis Kalendariis atque Necrologiis ac in lib. 3. Ditmari. Verùm is dies anno sequenti non concurrit cum feria sexta, & certum est Sanctos aliis sæpe diebus, quam quibus mortui sunt, Necrologiis & Martyrologiis inscriptos fuisse. De ejus Canonizatione suo loco agemus.

III. *Obitus S. Udalrici Episc. Augustensis.*

Hoc anno vel sequentis initio Saraceni, qui

IV. *Saraceni à*

SÆC. X An.Ch.972. *Fraxineto ejecti.*

Fraxinetum inhabitabant, & Italiæ partem ac Provinciam jam ab anno circiter DCCCXC laniabant, *circumacti ab exercitu Willelmi Arelatensis Ducis, omnes in brevi perierunt, ut ne unus quidem rediret in patriam. Ipso igitur in tempore mortuus est prædictus Otto Imp.* inquit Glaber Rodulphus Monachus Cluniacensis lib. 1. pag. 6. Quare cùm Otto Magnus initio mensis Maii insequentis anni è vivis excesserit, *Fraxinetum* hoc tempore à Willielmo Comite Provinciæ beneficiario Conradi Burgundiæ Transjuranæ ac regni Arelatensis Regis, expugnatum. Hujus Christianorum victoriæ mentio est in Vita Sancti Maioli Abbatis quarti Cluniacensis, à Sancto Odilone ejus in eamdem Abbatiam successore edita: *Inter cetera mala*, inquit Odilo, *quæ populus nefandissimus gessit, beatissimum patrem Maiolum, à liminibus Apostolorum redeuntem, fraude & insidiis cepit, rebus omnibus exspoliatum alligavit, fame & siti afflixit. Ille verò divinitus absolutus, ac postremum monasterii sui pecuniis redemtus, de manibus illorum domino protegente evasit illæsus; & ejus injusta captio, expulsionis illorum & perpetuæ perditionis fuit occasio. Sicut verò post Passionem Christi Judæi sunt à suis exsulati, ita post captionem servi illius & fidelissimi ejus famuli Maioli, Saraceni a finibus Christianorum sunt expulsi, & sicut per Titum & Vespasianum Romanorum Principes dominus de Judæis vindictam exercuit, ita per Willelmum illustrissimum virum & Christianissimum Principem meritis B. Maioli, jugum Saracenorum ab humeris Christianorum deposuit, & multa terrarum spatia, ab eis injustè possessa, ab eorum tyrannica dominatione potenti virtute eripuit.*

V. *Magna strages eorum facta.*

In alia Vita à Syro Monacho Auctore coætaneo scripta num. VI Saracenorum clades ita narratur: *à Christianis itinere eorum explorato, iter securi per Alpes dum more tenerent solito; super se cum impetu venientium auribus à longè exceperunt sonitum, à clamoribus venientium & clangore tuburum consonat omne nemus, strepitu collesque resultant. Exemplo Barbaris gelidus per dura cucurrit ossa tremor, qui divina perculsi formidine, nullum senserunt auxilium præter fugæ præsidium. Certamen tunc magnum erat Christianis cum Barbaris fugientibus, & ideo resistendi meare divinitus absente secedentibus, post principia certabant nuda prætendere terga. Fugam tamen dum facerent, multi capti, perplures verò sunt neci mandati. Hi verò qui effugerunt ad tempus dilatam mortem, cujusdam promontorii supercilium tutaminis sibi elegerunt præsidium, sed decentiùs occumberent, si hostium inter tela ruerent. Illud itaque promontorium ita vastis rupibus circumcirca videtur subductum, ut præter unam partem lateris devexi, undique facultatem deneget commeandi. Hanc denique partem Christianis obsidentibus, cùm nullus adesset eis fugiendi aditus, nulloque nostrates munere à sua obsidione quivissent avertere, humilem locum explorant, quo ad ima se saltibus deponant.*

VI. *S. Bobo adversùs eos pugnavit.*

Subdit Syrus Monachus, adveniente nocte *Saracenos* ab eminenti rupis vertice in imum profundum se se præcipitasse, dieque lucescente Christianos, quosdam eorum, qui internecioni se subtraxerunt, in remotiori quodam montis latere offendentes, comprehendisse. *Qui salutari se ablui deposcentes lavacro, (hos enim vir Dei de Christo verbis edocuit salutaribus) corpori matris unitì Ecclesiæ, quanta inter Barbaros gratiâ servum suum Omnipotens illustravit, soliti erant referre.* In Vita Sancti Bobonis seu Bobi aut Bovi, qui *Viqueriæ*, quod oppidum est Dertonam inter & Papiam situm, vulgò *Voghera*, die secunda Maii colitur, dicitur hunc sanctum in Provincia nobilibus parentibus natum, virtutem cum armis conjunxisse, & monitum fuisse ab eo, qui *insulæ* introitum custodiebat, irato quòd ejus uxorem Rex adamaret, ut multos congregaret, quibus ipse *Fraxinetum* tradere posset. Quare *Bobo* cùm non modica multitudine equitum & peditum ad introitum *insulæ* venit, in Saracenos irruit, & Regem, qui cum Christianis vivere quàm cum Paganis mori maluit, baptizavit cum non paucis Saracenis. Verùm ea Vita ex Mombritio, aliisque in Actis SS. Bollandianis recitata seriùs literis mandata fuit, indeque quæ in ea leguntur, quæque à nullo alio Auctore traduntur, non sunt fidei indubiæ. Videtur Anonymus loco *Promontorii* scripsisse *insulam*, & in aliquo antiquo monumento reperisse *Sanctum Bobonem* huic expeditioni interfuisse, ac cetera incertis rumoribus accepisse. *Vilielmum* enim Provinciæ Comitem hujus expeditionis Ducem fuisse, præter ea quæ in medium adduximus, alia monumenta demonstrant.

VII. *S. Wolfangus fit Episc. Ratisponæ.*

Ratisbonæ S. Wolfangus Episcopus factus est, inquit Hermannus Contractus juxta editionem Canisii, ad annum CMLXXII. Hujus Sancti Præsulis Vitam à Scriptore Anonymo ejus familiari elucubratam exhibet Mabillonius Sec. V Benedict. & in Observat. prævijs num. IV ejus Episcopatùs initium in annum sequentem differt, fretus Brevibus Annalibus Einsidlensibus, à se Tom. IV Analect. publicatis, in quibus legitur: *Anno DCCCCLXXII Wolfangus Monachus ad Hungaros missus est, qui secundo anno Radasponensis Episcopus ordinatus est.* Verùm ex dicendis in morte sancti hujus Antistitis liquebit, hunc Annalistam, qui Opusculum suum usque ad annum MXXV perduxit, hac in re hallucinatum esse. *Wolfangus* Suevus fuit, qui à parentibus cœnobio Augiensi traditus doctissimus evasit, habitumque monasticum induit; sed majora charismata æmulans, *per Alemanniam devenit exul in Noricum: ad cujus orientalem plagam cum humili comitatu pergens, prædicandi gratiâ Pannoniæ petit confinia. Ubi cùm veterum frutices errorum extirparet, & steriles squalentium cordium agros Evangelico ligone proscindere, semenque fidei inseminare frustra laboraret, à Piligrino Pataviensi Pontifice ab in cœpto revocatus est opere; dolebat enim idem Pontifex tantum colonum in sulcis sterilibus expendere laborem. Cumque ab eo revocaretur, omnique humanitatis studio susciperetur, apud illum rogatus commorabatur aliquot dies*, inquit idem Anonymus cap. 13. qui cap. insequenti de ejus ad Ratisponensis Ecclesiæ Præsulatum evectione verba facit. Literas & Christianos mores variis in locis restituit, nempe apud Treviренses & in Ecclesia sua Ratisponensi, ubi Canonicos ad communem vivendi normam, Monachos & Sanctimoniales ad severius institutum revocavit.

VIII. *Obitus S. Elgivæ Reginæ Angliæ.*

Sancta Aelgysa, sive *Elgiva*, quæ anno superiori subscripsit Privilegio ab *Edgaro* Anglorum Rege filio suo Monachis Glastoniensibus concesso, ut ibidem diximus, non diu superstes fuit, annus tamen mortis ejus incertus. Suscepit ex *Edmundo* Angliæ Rege *Edwinum* & *Edgarum*,

SÆC. X. An.Ch 972.

rum, qui uterque in Anglia regnavit. *Edwinus*, inquit Osbertus in Vita Sancti Dunstani, *matrem, totius regni Angliæ auctricem & nobilitatricem, Ecclesiarum consolatricem, & sustentatricem oppressorum & inopum; Edgivam dico Reginam, in immensum afflixit*, quod nempe, ut suo loco diximus, moribus depravatis imbutus esset. Inscripta est aliquibus Martyrologiis, ut videre est in Actis SS. Bollandianis ad diem XVIII mensis Maii. Plurimùm illam laudat Malmesburiensis lib. 2. de Pontif. pag. 251.

Anno Eræ Hisp. MXI. Anno Hegiræ CCCLXIII. inchoato die 2. Octob. fer. 5.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6466.

☉ 2. E. ☽ 5. P. 23. Mart. Indict. 1.

JESU CHRISTI 973.

BENEDICTI VI PAPÆ 2.

OTTONIS II IMP. 1. & 7.

JOANNIS TZIMISCÆ IMP. 5.

I. *Moritur Guillelmus Archiep. Moguntinus.*

AD num. I & II. *Willelmum* Archiepiscopum Moguntinensem anno oongentesimo sexagesimo octavo è vivis abiisse, non tantùm Chronographus Hildensheimiensis & Lambertus Schafnaburgensis testantur, sed etiam sequitur ex morte Sanctæ Mathildis, quæ paucos post dies accidit, ut mox ostendam. *Wilhelmus Sanctus Præsul Moguntiæ, cui cura ab Imperatore Domino suimet & parente commissa fuit, Parthenopolin* (hoc nomine Magdeburgum appellabatur) *disponendi, ceteraque regni necessaria regendi, cùm ægrotantis Reginæ finem Mechtildis* (post dies XII à morte Wilhelmi vitâ functæ) *expectaret, in Reducuerothe, VI Non. Martii moritur*, inquit Ditmarus lib. 2. Quantus vir fuerit *Willelmus*, insinuat Rotgerus Monachus in Vita Sancti Brunonis Archiep. Coloniensis: *Archiepiscopum Trevirensem Henricum, magni meriti, & summa probitatis virum · Willelmum quoque præclara & gravissima excellentia Archimandritam, nepotem suum Friderici Moguntini Antistitis successorem, ambos egregios, ambos in lege domini perfectè instructos, Imperatori alterum consanguinitate, alterum probitate, utrumque familiaritate conjunctissimos, ipse quoque S. Bruno imprimis summa veneratione colebat. Hos igitur tales, tam illustres, tam certè sapientes, & religiosos, & in omnibus bonis artibus eruditos viros ad consilium, ne fortè ipse per se, ut sunt humana, à tramite veritatis uspiam exorbitaret, frequenter adhibuit: hos cum ipso simul, non solum in lectione, consilio & disputatione, sed etiam in acie vidimus, providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Plurimis etiam laudibus Willelmum exornat Witichindus lib. 3. cujus verba recitat Baronius num. I. Sed Typographi errore hujus Historici verba, quæ à Baronii verbis parenthesi separanda erant, commiscentur. Ad hæc enim Witichindi verba, *cujus mater licet peregrina*, ait Baronius, *nimirum Anglicana Edmundi Regis Anglorum filia nomine Edgitha, nobili tamen genere erat procreata.* Cum tamen Witichindus tantùm habeat, *cujus mater licet peregrina, nobili tamen genere erat procreata.* Neque enim Willelmus Edgithæ prioris uxoris Ottonis M. filius fuit, ut putarunt Baronius, Alfordus an. CMXIII num. III, Serarius in Hist. Moguntiæ, aliique, sed filius fuit naturalis Ottonis, ut observat Henricus Meibomius in Notis ad illum locum ex Ditmaro lib. 2. scribente: *Wilhelmus de matre quamvis captiva nobili & Slavonica genitus.*

II. *Moritur S. Mathildis Regina.*

In Vita Sanctæ Mathildis Henrici Aucupis Regis Germaniæ uxoris, & Ottonis M. matris jussu Sancti Henrici Imp. scripta, & ad diem XIV mensis Martii in Actis SS. Bollandianis publicata, cap. 6. legitur, Willelmum Archiepiscopum Moguntinum Mathildem ægrotantem visitasse: *Venit Villelmus*, inquit Anonymus, *Moguntinæ Sedis Archiepiscopus, & quamvis Deo jubente prior mortem esset subiturus, tamen aggreditur Sanctam Dei verba consolationis ministraturus; obiturus visitavit obituram, & sua mortis nescius, consolabatur modicum post se victuram.* Subdit hic Auctor, eam Willelmo peccata sua confessam esse, ab eo perunctam sacro oleo, & recreatam sacrosancto Corporis & Sanguinis Christi mysterio, ac paulò post dixisse: *Ubi sunt pallia quæ nostra sepulturæ jussimus abscondenda, illa nobis præsententur, ut nostro nepoti in pignus amoris donentur: nam ipse prior nobis his indiget, ut putamus, quia iter difficillimum est incœpturus.* Tum narrata Willelmi morte de Mathilde subjungit: *Post hæc duodecim dies mortalis vita spiratum duxit.* Ac denique scribit, famulam Christi *sancto sabbato* à seculo recessisse, & cum pace obdormivisse in Domino *II Idus Martii*, die scilicet XIV ejusdem mensis, qui anno CMLXVIII in Sabbatum incidit. Mathildis & Henricus Auceps ejus conjux Majorum suorum pietatem in construendis variis monasteriis continuarunt, de quibus legendus Mabillonius Sec. V. Benedict. in Elogio Sanctæ Mathildis Reginæ, qui & ex Chronographo Magdeburgensi MS. mortem ejus etiam conjungit cum anno CMLXVIII, quod extra controversiam esse debet.

III. *Moritur Otto M.*

Ad num. III. Ottonem M. *Nonis Maii, quartâ feriâ ante Pentecostem* vitam cum morte commutasse, docent non tantùm Witichindus & Ditmarus à Baronio citati; sed etiam Chronographus Hildensheimiensis, Lambertus Schafnaburgensis, aliique. Fuit *Otto* post Carolum Magnum Imperatorum Occidentalium maximus, atque ut ejus sceptro, ita cognomine dignissimus, Hungarorum ac Sclavorum terror, & magnus fidei Christianæ defensor ac propagator. *Nati sunt Regi* (nempè Ottoni Imp.) *filii ex serenissima Regina* (sc. Adelhaida) *primogenitus Henricus, secundus Bruno* (in pueritia demortui) *tertius Otto* (Imperator hujus nominis II) *paterni nominis majestate designatus, quem jam post patrem Dominum ac Imperatorem, universus sperat orbis. Filiam quoque sancta matris ejus* (Mathildis nempe) *vocabulo insignitam*, inquit Witichindus initio libri 3. Mathildis seu Mathilda Abbatissa Quidilinburgensis fuit, ut anno CMXCVII ostendemus.

IV. *Ob incestum excommunicatus falsò asseritur.*

Ad num. IV & seq. Quod scripsit Petrus Damiani ad Desiderium Abbatem, *Willelmum* sc. Episcopum Moguntinum Ottonem patrem excommunicasse, quòd *Adelhaidem*, quæ sibi commater extiterat, conjugem accepisset, nullo prorsus argumento, rationeve nititur, ut rectè ostendit Baronius; & quæ hoc ac superioribus annis de eodem Willelmo in medium adduximus illud planè convellunt. Decepêre itaque virum sanctissimum rumores à viris otiosis aut malignis ejus tempore dissipati.

V. *Anni Imperii Ottonis II.*

Ad num. VII. *Ottonis Secundi* Ottonis M. filii ac successoris duæ sunt epochæ, altera à die

SÆC. X. An Ch. 973 *ab anno CMLXVII deducti.*

Natali Christi anni CMLXVII, quo in consortium Imperii adscitus est, altera à die septima Maii præsentis anni, quo patri successit, deducta. Juxta priorem annus septimus Imperii ejus die Natali Christi currentis anni inchoatus, ut ex ejus Diplomatis eruitur. Sed Baronius, qui Ottonem II anno CMLXVIII coronatum putabat, annum VI Imperii post patris mortem eum inchoasse credidit, quod ex dictis stare non potest.

VI. *Moritur S. Ioannes Gorziensis abbas.*

Sanctus Joannes Abbas *Gorziensis* Monasterii in territorio Metensi à Chrodegango piissimo illius urbis Antistite fundati, usque ad præsentem Christi annum vitam propagavit. Ejus Vita à Labbeo Tom. I Biblioth. primùm publicata, & postea in Acta SS. Bollandiana ad diem XXVII Febr. ac in seculum V Benedict. inserta, & Notis illustrata. Ea jussu *Deoderici* eo nomine primi Episcopi Metensis scripta, ideoque ante annum CMLXXXIV, quo is vivere desiit. Ejus Auctor fuit *Joannes* Abbas Metensis Sancti Joannis discipulus, qui eam imperfectam reliquit. Cùm tamen Sanctus Abbas ad annum CMLXXIII vitam & regimen produxerit, ut ex ejus Vita num. III perspicuum est, annoque CMXXXIII Gorziam cum sociis accesserit, ut in eadem num. XLIII legitur, Mabillonius in Observat. prævus ad eamdem Vitam scitè inde colligit, eum usque ad præsentem annum, qui quadragesimus vitæ ejus monasticæ erat, vixisse. De hoc Sancto semel & iterùm supra verba fecimus.

VII. *Edgarus Angliæ Rex coronatur.*

Rex Anglorum, inquit Wigorniensis ad hunc Christi annum, *pacificus Edgarus, ætatis suæ anno trigesimo, indictione prima, quinto Idus Maii, die Pentecostes à beatis Præsulibus Dunstano & Oswaldo, & a ceteris totius Angliæ Antistitibus, in civitate Acamanni* (hodie Bathonia appellata), *benedicitur: & cum maximo honore & gloria consecratur, & in Regem ungitur.* Nam, ut ait Malmesburiensis lib. 2. de Reg. cap. 8. *Illud constat quod à decimo sexto ætatis suæ anno, quo Rex constitutus est, usque ad trigesimum, sine Regio insigni regnaverit.* Natus autem erat Edgarus anno CMXLIII. Coronatus Rex publica negotia studiosiùs tractare; terrâ marique hostem excludere, ubique provinciarum quieti consulere, laboravit; ut qui sacram Remp. præclarè auxerat, etiam alteram illustraret. Quid illi, hoc anno, in maritima expeditione contigerit: & quomodo vicinos Principes, qui antiquis Britannis præerant, in sui obsequium traxerit, referunt his verbis Wigorniensis & Hovedenus, postquam de Regia ejus unctione locuti sunt: *Interjecto deinde tempore, Edgarus cum ingenti classe Septentrionali Britanniâ circumnavigatâ ad Legionum civitatem appulit. Cui Subreguli ejus octo, Kynatus scilicet Rex Scotorum, Malcolmus Rex Cumbrorum, Maccus plurimarum Rex insularum, & alii quinque Dufnallus, Sifertus, Hewallus, Jacobus, Juchillus, ut mandarat, occurrerunt, & quod sibi fideles, & terra & mari cooperatores esse vellent, juraverunt.* Plura de Edgaro, ejusque Virtutibus Alfordus hoc anno. Hæc omnia iisdem fere verbis habet Simeon Dunelmensis, sed apud eum loco, *indictione V Idus Maii, die Pentecostes*, legendum, *indictione prima, V Idus Maii, die Pentecostes.*

VIII. *Continuatio*

Continuatum hoc anno in Oriente Græcos inter & Russos, Moscovitas hodie appellatos, bellum, de quo Leo Diaconus hæc scribit. Scythæ [ita Russos appellat] Sphendosthlabi [qui Russorum Rex erat] sermonibus excitati periculum se pro sua adituros salute, fortique pectore adversùs Romanam aciem pugnaturos consensêre. *Postridie sequitur sexta scilicet hebdomada, die mensisque Julii vigesima quarta* (legendum, *vigesima quinta*, qui dies hoc anno in feriam sextam incidit. Neque enim quæ hîc narrantur alio quàm currenti anno contingere potuêre, ut ex dicendis duobus sequentibus annis constabit) *sub ipso Solis ortu atque ardoribus egressi ex urbe Tauroscytha* (idest Russi) tentandam sibi pugnæ aleam statuerunt, commissoque prælio forti impetu Scythæ in Romanos impressionem fecerunt. Romanus quidam *Anamas* vocatus totis equo laxatis habenis ad *Sphendosthlabum* venit, atque ad humeri juncturam gladio ferit, eumque pronum dejicit, non tamen interimit. Ipse verò denso Scytharum agmine circumfusus necatur. Cujus nece aucti fiducia Rossi Romanos pepulêre. Imperator videns inclinare aciem in adversarios irrumpit, ejusque exemplo Romani. Contestimque exorta procella pluviæ guttis commixta hostium faciem verberabat, pulvisque excitatus illorum oculos lædebat. SÆC. X. An. Ch 973. *belli Græcos inter & Russos.*

Aiunt verò etiam virum quemdam equo albo invectum apparuisse, qui Romanis ductor esset, & ad irruendum in Scythas hortaretur, qui postea inventus non est, licet magna quærendo diligentia habita esset. Inde indubia pervasit existimatio magnum Martyrem Theodorum fuisse, quem Imperator in præliis sibi adjutorem solebat deposcere. Aiunt etiam ejusmodi aliquid accidisse ad vesperam pridie quàm pugna committeretur. Byzantii virgo Deo dicata videre sibi in visione videbatur Deiparam viris flammeis eam stipantibus, quæ & diceret, Vocate mihi Theodorum Martyrem. Moxque adductum esse virum armatum, cui dictum sit à Deipara, Joannes tuus, domine Theodore, apud Dorystolum Scythis pugnans infesta hostium acie gravius premitur: sed vade citè, ut illi opem feras; nisi enim quamprimùm veneris, res illi in grave periculum vertetur. Cui ille rursus, Paratus, inquit, sum, ut Dei ac Domini matri obsequar: quo dicto statim surrexisse, & in eum modum equum ex virginis oculis evolasse. Romani verò præeuntem divinum Virum secuti hostibus congrediuntur, qui in fugam declinaverunt, atque ad muros usque alii super alios ruentes, dirè ceciderunt. Aiunt, in hoc prælio ad quindecim millia quingentos Scythas fuisse desideratos: capta scuta viginti millia, enses plurimos, Romanorum verò occisos trecentos quinquaginta, multos esse vulneratos. IX. *Russi à Græcis devicti.*

Sphendosthlabus missis mane ad *Joannem Imp.* Legatis paciscendi fidem exposcit, ea nimirum conditione, ut *Taurocyta* Romanis tunc oppidum traderent, captivos dimitterent, atque Mysiâ recedentes patriam, laresque suos repeterent. Romani verò liberam eis enavigandi facultatem facerent, nec abeuntes cum igniariis navibus invaderent. Adhæc etiam Imperator commeatum annonamque subministraret, ac dum ii Byzantium mercaturæ causâ proficiscerentur, sicut antea consueverant, licentia daretur. Imperator, quia pace exercitus incolumis foret, bello contrà interitu periret, fœdus percussit, & singulis tritici medimnos duos mensus est. Qui frumentum acceperunt, numeratus dicunt ad viginti duo millia, qui ex X. *Pax Græcos inter & Russos constituta.*

sexaginta

SÆC. X. An. Ch. 973.

sexaginta exercitus Rossi millibus interitum evasêre; triginta enim & octo millia Romana acies confoderat.

XI. *Tzimisces Imp. Constantinopoli triumphat.*

Joannes vero Imp. totos quatuor menses expugnato Rossorum exercitu, Mysiaque receptâ ac Dorystolo ex nomine Theodori magistri militiæ atque martyris Theodoropolis novo titulo nuncupato: justo item relicto præsidio, cum maximis tropæis Byzantium venit, ubi cives pro mœnibus effusos offendit, coronis sceptrisque ex auro lapillisque pretiosis ipsum accepturos. Ducebant & currum auro compactum, quem equi albi trahebant. In eum ut ascenderet rogabant, ac consuetum ducere triumphum. Ipse verò coronas quidem ac sceptra suscepit, majoraque his munera rependit; at autem in currum ascenderet, induci non potuit, sed Dei matris imagine Deum hominem verbum sinu amplexante, quam ex Mysia attulerat, in currûs sella collocata, eique subtractis purpureis Mysorum paludamentis atque coronis ac stemmatibus ipse singulari equo invectus pone sequebatur, caput diademate cinctus, ac coronas sceptraque gestans in manibus. Hac triumphi specie per mediam civitatem, purpureis vestibus undique ornatam, instarque thalami lauri ramis auroque textis peplis contectam, ad magnum Dei Sapientiæ delubrum processit: gratiarumque actionis exsolutis precibus ac Mysorum præmagnifica corona velut manubiarum primitiis Deo dicata, atque appensa, in Regias se se ades recepit: adductumque Borem Mysorum Regem Regii cultûs insignia ei ademit; tiaram scilicet purpura prætextam auro ac margaritis interstinctam, vestemque purpuream ac rubros calceos: ipsum vero Magistrorum dignitate ornavit. Tantis porrò Joannes Imp. brevi admodum tempore præter omnem opinionem peractis tropæis, atque Mysia Romanæ ditionis effecta, Byzantii hyberna ducebat, inquit Leo Diaconus, qui hoc tempore vivebat, & ex quo Cedrenus, Curopalates, & alii, quæ de hac expeditione habent, desumsêre.

XII. *Regnum Bulgaricum postea instauratum.*

Erat *Borise* seu *Bores* filius *Petri* Bulgariæ Regis, cujus suo loco mentionem fecimus; sed Petrus ante hoc tempus mortuus erat, duosque filios reliquerat. Curopalates pag. 694. tradit, *Romanum* Borise fratrem à Josepho Cubiculario virilibus postea privatum. Verùm mortuo *Tzimisce Imp.* Bulgari a Græcis defecêre evocato *Borise*, qui Constantinopoli clam cum fratre digressus à quodam Bulgaro interfectus est: *Romanus* verò frater incolumis evasit, & aliquanto post in Urbem rediit. Deficiente igitur *Petri* Regis stirpe, rerum summam quatuor ejus fratribus detulêre *Bulgari*, ut videre est apud Ducangium in Constantinopoli Christiana in Familiis Dalmaticis cap. VI, & *Samuelus* unus ex illis, Basilio Porphyrogenito imperante, durante rebellione *Duri*, Thraciam, Macedoniam, aliasque Imperii provincias incursionibus vexavit, ut prodit Cedrenus pag. 694. qui jam pag. 683. narrato *Tzimiscæ* triumpho, de quo mox egimus, ait *Sphendosthlabum* Russorum Regem, dum patriam hoc Christi anno repeteret, & per Patcinazitas transiret, insidiis peremptum esse. Post Sphendosthlaum invenio in Russia regnasse *Wolodomirum*, quem Cedrenus pag. 699. scribit, conjugem fuisse *Anna* Basilii Porphyrogeniti sororis, de qua infrà sermo erit occasione fidei Christianæ in Russia disseminatæ, eumque *Balimerum* appellat.

Sanctus Udalricus Augustensis Episcopus hoc anno mortuus est, ut superiori vidimus.

SÆC. X. An. Ch. 974.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6467

☉ 3. D. ☽ 6. P. 12. April. Indict. 2.

JESU CHRISTI 974.

DONI II PAPÆ 1.

OTTONIS II IMP. 2. & 8.

JOANNIS TZIMISCÆ IMP. 6.

Anno Eræ Hispan. MXII. Anno Hegiræ CCCLXIV inchoato die 21. Septemb. fer. 2.

I. *Benedicto VI occiso Bonifacius VII & Donus II succedunt.*

AD num. I. Hermannus Contractus juxta editionem Canisianam, ad hunc Christi annum scribit: *Romæ Benedictus Papa criminatus à Romanis, & Crescentio Theodoræ filio in castello Sancti Angeli custodia mancipatus, ibique strangulatus est; & ea juventute* (legendum, eo vivente) *Bonifacius Ferrucii filius Papa ordinatus, & post unum mensem expulsum, Constantinopolim postea petiit, & Benedictus VII Sutriæ prius Episcopus Papa CXXXVIII ordinatus, sedit annis novem.* Marianus Scotus, qui rectè *Doni* Papæ hujus nominis II initium hoc anno consignat, Benedicto VI annum unum & menses sex uti Martinus Polonus & Catalog., perperam attribuit. Cùm enim tam ipse, quàm iidem Catalogi annum etiam unum & menses sex *Dono* II adscribant, & certum sit, *Benedictum* VII mense Aprili sequentis Christi anni jam Ecclesiam Romanam rexisse, nec Benedictus VI, nec Donus II tamdiu sedere potuêre. Hinc Onuphrius in Chron. Ecclesiast. & Baronius, Benedicto VI annum tantùm unum, & menses tres, & Dono II, rejecto anno, solùm menses tres adscribunt. At Benedicti VII initium hanc Chronotaxim planè evertit. Benedictus itaque VI currenti anno mense incerto crudeliter necatus, & hoc pariter anno, ut habet Sigebertus in Chronico, *Bonifacius*, qui antè *Franco* appellabatur, Sedem Romanam invasit, eamque per mensem unum tenuit, uti rectè Hermannus Contractus habet. Verùm eo expulso, non *Benedictus VII*, ut ipse habet, sed *Donus II* Sedem Romanam obtinuit, uti scribunt Marianus Scotus, Sigebertus, & Auctores veterum Catalogorum. Ipsemet Hermannus manifestè errorem suum prodit, cùm *Benedicto VII* annos IX assignat, & mortem ejus in annum CMLXXXIV, quo revera ea contigit, confert: à currenti enim anno ad CMLXXXIV anni decem integri intercurrunt, non verò novem.

II. *Ottonis II auctoritas Romæ vilescit.*

Ottone II Germanicis & Francicis bellis, inquit Sigonius lib. VII de Reg. Ital. quæ alienissimo tempore exarserunt, implicito, ac Regiorum armorum terrore procul amoto, Italici integræ parandæ libertatis avidi palam grandiores atque alacriores sibi spiritus asciverunt. Nam & varias in populis seditiones excire, & multiplices in Provinciis tumultus conflare, & passim Consulatus in Civitatibus instituere, & privatas turres in Urbibus ædificare cœperunt. Imprimis autem Romæ apertè de antiqua recuperanda libertate tumultuatum. Hunc tumultum *Cincius* civis Romanus excitavit. Hic quod tenere, Joanne XIII sedente, Ottonis Senis motu nequiverat, id se evicturum, *Benedicto* Ecclesiam, *Ottone* adolescente Regnum

obtinente

SÆC. X. An.Ch.974.

obtinente ratus, negotium ingens majore animo quam consilio initi ac currenti anno *Benedictum* VI jura Imperii atque Ecclesiæ retinentem nactus arripuit, atque in vincula traditum miserè mori coëgit. Renovata inde veteri in Pontificiis Comitiis ambitione, Romani, neglecto *Leonis* IV Papæ decreto, quod *Otto M.* observari jusserat, Pontifices, quos libido tulit, rursùs sine Imperatoris auctoritate crearunt.

III. *Expeditio Tzemiscis Imp. adversùs Saracenos.*

Verna jam adulta tempestate, inquit Leo Diaconus, Joannes Tzemisces Imp. Byzantio profectus adversùs Agatenos superiorem Syriam incolentes cum exercitu occurrit, ac Mediterraneis partibus peragratis *Euphratem* transmisit. Cum omni exercitu Syriam incursavit, nullo ei hostium obnitente, cunctis nimirum ejus irruptionis famâ attonitis, intraque præsidia, latebrasque se se abdentibus. Porrò *Emeta (urbs est munita atque illustris) capta, & ad deditionem coacta* redemptionisque pretiis exportatis quanta nec numerari possint, inde *profectus Myctarsim properabat. Est verò ea urbs clara atque conspicua, opibusque & pecore reliquis ejus provinciæ urbibus atque oppidis longè præstans.* Hac quoque deditionem faciente, plurimisque ae pulcherrimis donis auri argentique, ac vestium auro intextarum eoque interstinctarum ab oppidanis acceptis *Nisibim* venit; quam incolis vacuam invenit, quod hi qui incolebant, Rumanæ metu expeditionis solum verterant, atque ad interiora se fugâ receperant. Incursans ergo circumvicinam regionem, atque Romanis data fide obnoxiam faciens, animo incitabatur, ut & *Ecbatana* pergeret, Agarenorumque Regiam everteret, quæ infinitam argenti aurique vim, omnisque generis divitias in se continebat, hanc quoque assultu se capturum sperans.

IV. *Felix ac fausta.*

Aiunt enim Urbium, quæ usquam sunt, ac toto Orbe existunt, felicissimam esse, auroque ditissimam. Causam verò esse, quòd ex multis locis in eam opes confluant, nec ullam hactenus experta sit, hostium grassationem ac injuriam: *Enim verò inhibuit illius impetum, cùm aquæ defectus, tum necessarii commeatus penuria. Quam enim Carmanitem Eremum vocant, per ea panditur loca, asperum arduumque iter obtendens, ac neque aquarum scaturigines habens, nec fœnum herbamque producens, sed squallida, horrensque ac inaquosa existens. Idcirco convasatis, quæ ab Agarenis oblata acceperat muneribus, trecentarum argenti aurique Myriadum summa, Byzantium redit, ac aurum quidem atque argentum, sericasque vestes ac aromata quæcumque ab Agarenis dono sustulerat, per forum triumpho egit, spectantibus civibus, eorumque copiam admirantibus, atque ipsum magnificè suscipientibus, faustisque acclamationibus ac votis talibus clarum tropæis in Regiam deducentibus.* Quam expeditionem ad præsentem annum pertinere, ostendunt & depositio Basilii è Patriarchatu Constantinopolitano, quam Baronius malè in annum sequentem differt alteraque expeditio verno tempore sequenti ab Imperatore suscepta, quæ ab anno CMLXXV removeri non potest.

V. *Calipha Babylonis abdicat.*

Mutius Lilla Saracenorum Babyloniensium Calipha dignitatem deposuit, transtulitque in Taium Lillam filium, *idque decimo tertio Dulkiada, anni CCCLXIII*, Hegiræ nempe, ideoque die quinta mensis nostri Augusti currentis Christi anni.

SÆC. X. An.Ch.975.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6468.

☉ 4. C. ☽ 7. P. 4. April. Indict. 3.

JESU CHRISTI 975.

BENEDICTI VII PAPÆ 1.

OTTONIS II IMP. 3. & 9.

JOANNIS TZIMISCÆ IMP. 7.

Anno Eræ Hispan. MXIII. Anno Hegiræ CCCLXV, inchoato die 10. Septemb. fer. 6.

I. *S. Maiolus recusat Pontificatum Romanum.*

AD num. I. *Bonifacius* hujus nominis VII Antipapa, non hoc anno, sed præcedenti à Tusculanis Comitibus Sacerdotio pulsus est, & Constantinopolim confugit, neque Romam rediit ante annum CMLXXXIV, ut ibi ostendemus. Nec denique annum unum ac mensem Romanam Sedem tenuit, ut habet Baronius anno præcedenti num. 1. Factio enim Tusculanorum Comitum eum equo animo ferre non valens, cùm ad resistendum par non esset, post mensem Basilicâ Vaticanâ pretiosis rebus omnibus spoliatâ profugit. Quod cùm accepisset Otto II factione Comitum Tusculanorum fultus, mortuo *Dono* II, de alio Pontifice in ejus locum substituendo cogitavit, præsertim cùm à Romanis de electionis libertate ipsis conservanda interpellaretur. Syrus Monachus in Vita Sancti Maioli Abbatis Cluniacensis lib. 3. cap. 8. ait, Ottonem II voluisse hunc Sanctum Abbatem ad Pontificatum evehere. Narrata enim Saracenorum è Fraxineto expulsione scribit: *Non longo pòst tempore Romana sede proprio viduata Pastore* (nempe Dono hujus nominis II) *idem Dei famulus Ottonis secundi juncta cum matre prece, Italiam repetere à partibus est coactus Galliæ. A matre tunc & filio honore susceptus dignissimo, ac culmen Apostolicæ dignitatis precibus impelli cœpit continuatis. Sed cui magis abjectio, quam expeteretur exaltatio; nullatenus ad se promovere potuit sublimitatis ambitio, &c. Imperatoris & sanctæ matris iterum precibus alternis ad ipsum flagitatur successibus: cum nobilibus qui aderant Antistites insistebant, Imperialis quò fieret petitio, supplicabant. At ille divinâ illustratus gratiâ solerti se studuit excusare prudentia, &c.* Erant hoc tempore Otto & Adelhais ejus mater in Germania, neque ille ante annum CMLXXX post patris mortem in Italiam se contulit.

II. *Verba ejus Vitæ explicantur.*

Hæc itaque Syri Monachi verba benignè interpretanda. Insinuat enim *Maiolum*, dum in Gallia esset, sollicitatum fuisse ab Ottone II & ejus matre, ut Italiam repeteret, sed ipsum utrumque in Germania existentem adiisse, & solerti se prudentia excusasse, se seque à culmine Apostolico summopere aversum ostendisse. Quando igitur Syrus ait, *Italiam repetere à partibus est coactus Galliæ*, non significat eum reapse in Italiam profectum; sed tantùm etiam atque etiam excitatum, ut iter illud aggrederetur. Mabillonius Sec. V Benedict. in Elogio Historico Sancti Maioli num. XLV, existimat, *Syrum* in citato loco memoriâ lapsum, pro *Germania* posuisse *Italiam*. Verùm textus non est solicitandus, cùm antea *Syrus* de profectione Italica Maioli verba fecerit, non verò de aliqua Germanica, & ibidem ejusdem verbi in ea, quam mox protulimus significatione utatur. Ait enim:

Ab

Ab utraque cùm COGERETUR, *potestate* (Ottone sc. II & ejus matre) *excogitandi dilationem studuit postulare*. Sicut itaque Maiolus ad Pontificatum suscipiendum coactus non fuit, sed tantùm precibus impulsus; sic neque Italiam repetere, sed tantùm enixè instigatus. Verùm *Maiolus*, & à profectione Italica, & à Pontificatu incundis se se excusavit.

III. *Benedictus VII fit Pontifex Rom.* Cùm consilium illud non successisset, *Otto II* Missos suos, coram quibus novi Pontificis ordinatio peragenda erat, Romam direxit, eisque mandavit, ut Comitum Tusculanorum partibus faverent, indeque *Benedictus* hujus nominis VII, qui jam Episcopus Sutrinus erat, inthronizatus est Pontifex Romanus; & quidem ante diem vicesimum quintum mensis Martii currentis Christi anni, ut ex Diplomatis subscriptione recitata anno CMXLVI num. III evidenter patet. Secundò Seculo V. Benedictino pag. 560. memoratur Diploma à Benedicto Papa VII emissum quo conceditur monasterii Sancti Walarici Abbati ut sub jurisdictione Ecclesiæ Romanæ jugiter permaneat. Datum illud *anno VII Pontificatus indict. IX, Kalendis Aprilis*, anno sc. Christi CMXXXI, quod dici non potest nisi currenti ante diem primum Aprilis Pontifex Romanus consecratus fuisset. Adhæc Boucheus in Historia Provinciæ lib.9. pag. 44. recitat Benedicti hujus nominis VII Rescriptum, quô insulam Lirinensem cum Arluco Monasterio concedit Maiolo Abbati Cluniacensi, in cujus fine legitur: *Scripta per manum Stephani Notarii Regionarii Archiscrinii S.R.E. in mense Maio, indict. VI. Benè valete. Datum X Kal. Mai per manum Joannis Episcopi Salernitana Ecclesia, anno IV Pontificatus domini nostri Benedicti Sanctissimi PP. VII, imperante domino nostro Ottone, à Deo coronato magno & pacifico Imperatore, anno XI, in mense Mai, indict. VI*, anno scilicet Christi CMLXXVIII. Si enim Benedictus VII eo Christi anno, die XXII mensis Aprilis jam annum Pontificatûs IV inierat, profectò hoc anno ante eumdem diem ad illum evectus fuerat. Ex quo liquet primò, Rubeum in Hist. Raveno. lib. 5. valdè deceptum, cùm existimavit, *Benedictum* VI usque ad annum CMLXXXIV Ecclesiam Romanam rexisse, unumque *Benedictum* in duos à lectoribus, scilicet VI & VII, divisum fuisse, quòd in tabulis Ecclesiæ Ravennensis plures tabulæ charactere Longobardico scriptæ dicantur datæ *anno Benedicti Pontificis Max. quinto, Ottonis Imp. decimo, indict. V, mense Maio*, qui characteres annum CMLXXVII certò indicant. Hujusmodi enim exemplaria charactere Longobardico scripta non sunt ante annum millesimum, & Exscriptores in numeris errasse certissimum; cùm variæ *Benedicti* VII Chartæ supersint, in quibus is disertè dicitur *Benedictus* VII. Unam mox memoravimus, alteramque anno CMLXXXIII in medium adducemus. Quare in laudatis exemplis loco, anno III, Librarii perperam scripsere anno V, & Chartas à Benedicto VII datas, *Benedicto* VI magno errore attribuerunt.

IV. *Diuturnior Pontificatus Benedicto VI & Dono II perperàm assignatus.* Liquet secundò, Papebrocium in Paralipomenis ad Conatum Chronico-Hist. perperàm scripsisse, *Benedictum* VII die XXV April., vel II Maii præsentis Christi anni verosimiliter inthronizatum fuisse; *Benedictũ* verò VI die XXII Septemb. anni CMLXXII ordinatum, ac *Donum* initio mensis April. anni CMLXXIV renunciatum Pontificem, ac utrumque sedisse *annum I menses VI*, ut passim Catalogi habent; nam inter omnes nunc convenire debet, sciri non posse, quibus diebus ac mensibus tam isti duo, quàm plerique, qui hoc seculo Romanæ Ecclesiæ præfuêre Pontifices, ordinati aut renunciati fuerint, antiquis monumentis deficientibus, & Auctores Catalogorum ac alios Scriptores, qui Benedicto VI & Dono II annum unum & menses sex adscripsêre, manifestè errasse; cùm constet, *Ioannem* XIII Benedicti VI decessorem die sexta Septemb. anni CMLXXII vivere desiisse, & *Benedictum* VII die vigesima quinta mensis Martii hujus Christi anni jam Ecclesiam Romanam gubernasse. Licet enim à die VI Septemb. anni CMLXXII ad diem XXV mensis Martii currentis anni fluxerint anni duo, menses sex, & dies XIX, certum *Bonifacium* VII Antipapam post Benedicti VI mortem Sedem Romanam per mensem occupasse, quod & Papebrocius fatetur; & post *Doni* II obitum fuisse Interpontificium duorum circiter mensium, quod idem vir doctissimus etiam asserit, quia nempe petendi fuêre Legati ab Ottone II, qui electioni faciendæ præsentes, turbas, quæ futuræ timebantur, impedirent. Quæ cùm ita sint, *Benedictus* VI, & *Donus* II tamdiu in Pontificatu vivere non potuêre. Quod fusiùs explicandum fuit, quia hæc Chronologiæ Pontificiæ pars hactenus valdè depravata extitit.

V. *Bonifacius VII Antipapa à Benedicto VII excommunicatus.* *Benedictus* VII, ubi Apostolicam Sedem adeptus est, Synodum celebravit, in qua *Bonifacium* VII Antipapam excommunicationis sententia perculit, uti discimus ex Epistola Adalberonis Remensis Archiepiscopi & Stephani Romani Diaconi ad Theobaldum Episcopum Ambianensem, quæ extat Tom. IX Concil. pag. 721. in qua Stephanus & Adalbero in Concilio Remensi congregati VIII Kal. Octob. eumdem Theobaldum excommunicant, quod aliàs ab Hugone Pseudo-Archiepiscopo, Remensi ordinatus fuisset, & præsenti Synodo interesse recusasset: *Et quoniam*, inquiunt, *judicio domini Benedicti VII Papæ in* SYNODO, *qua* BONIFACIUS *damnatus est, incurabilis repertus est, nec ejus filius Stephanus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus mederi tibi pravalet: velut morbidum & morbosum hircum separamus te à grege dominico*, &c. Ex hac excommunicatione Bonifacio VII inflicta Hermannus Contractus, Marianus Scotus, & Sigebertus in Chronicis ansam sumsisse videntur, eumdem Antipapam immediatè ante Benedictum VII collocandi; cùm tamen certum esse debeat, *Bonifacium* VII Benedicti VI tempore tyrannidem arripuisse, rursumque anno CMLXXXV ad vomitum rediisse; cujus tamen ultimæ invasionis tres laudati Chronographi non meminêre: adeò Historia & Chronotaxis Pontificia per hæc tempora perturbatæ. Porrò hujus Synodi adversùs *Bonifacium* VII meminit etiam Gerbertus Remensis Archiepiscopatûs invasor, in Actis Remensis Synodi, à se vel suo jussu scriptis: *Succedit Roma*, inquit, *in Pontificatum horrendum monstrum* (nempe Benedicto Papæ VI) *Malefacius* (ita Bonifacium VII appellat), *cunctos mortales nequitia superans, & jam prioris Pontificis sanguine cruentus. Sed etiam hic fugatus, & in magna Synodo damnatus est.* Denique ejusdem Synodi

mentio

mentio in Epitaphio Beoedicti VII à Baronio anno CMLXXXIV num.I recitato, ubi eum *Franconem* vocat.

VI. *Albaca Calipha Cordubensis Christianos vexat & moritur.*

A num. II ad VIII. Memorat Baronius ex Diplomate *Veremundi* Regis Legiooensis martyrium quorumdam Christianorum sub impio Saracenorum Rege Cordubensi, vinculis & inedia per biennium maceratorum, tandemque occisorum. Erat is Rex Cordubensis *Albaca*, qui anno regni decimo sexto, Hegiræ verò trecentesimo sexagesimo sexto mortuus est, uti habet Rodericus in Historia Arabum cap. 30. & seq. cui *Isen* filius in regnum successit. Eo Caliphatum gerente datus est ei, quod adhuc puer esset, coadjutor, vir *Almanzor*, appellatus, qui toto Præfecturæ suo tempore, quæ multorum aonotum fuit, Christianos graviter afflixit.

VII. *Victoria Tzemiscis Imp. de Saracenis Syriæ.*

A num. VIII ad X Joannes Tzemisces Imp. *vere rursùs illucescente*, inquit Leo Diaconus, loquens de ultima expeditione ab eodem Imperatore suscepta, urbe Regia profectus, per Palæstinam iter habebat. Ibi positus castrum aggreditur, Syrorum lingua *Mempetze* nuncupatum, quo & belli vi, omnique machinarum genere in potestatem redacto, Salvatoris Christi sandalia illic reperit, inventaque quasi cœleste quoddam donum sustulit; venerandi quoque Præcursoris ac Præconis crines: ac illa quidem rursus, in celeberrimo Dei Genitricis Templo, quod in Palatio extructum est, tanquam uberrimum quemdam thesaurum deposuit: Hos verò in Salvatoris æde sacra, quam à fundamentis ipse extruxerat. Inde profectus, *Apameam* adortus est. Est autem illa munitissimum oppidum, ac quod ægrè expugnari possit; verùm hæc quoque intra non multos dies capta atque eversa, *Damascum* cum exercitu, signisque infensis petit. Porrò oppidani magni pretii muneribus in manus acceptis, ante Emporium Imperatori in occursum venerunt, ejus tum iram amolientes, tum & donis ipsum placabilem reddentes.

VIII. *Alia ejusdem de iisdem Saracenis victoria.*

. Is certis illis imperatis tributis, & in fidem receptis, inde per Libanum iter aggressus properabat, ipsumque præruptum, altumque jugum assecutus, *Borzo* munitissimam urbem assultu cepit; inde profectus in Phœnicen descendit, ac tum *Balaneas* castrum munitum in potestatem redigit, tum *Berytum* expugnat: ubi etiam cùm Salvatoris imaginem, qua cruci confixus erat, reperisset, inde sublatam ad sacram Salvatoris ædem, quam à fundamentis extruxerat, mittit. Postea *Tripolim* aggreditur: quam cùm primo impetu, subitaque irruptione expugnare non posset (quippe forti murorum ambitu cinctam, qua parte continentem spectat, ac quæ in prærupto colle ac tumulo se latè exporrigat, alteraque parte mari alluatur, navale protendens, sinumque placidum ac tutum à ventis) inde movens maritima oppida ac villulas, iter faciendo subigebat.

IX. *Cometes ferè trium mensium.*

Per hoc vtique tempus ineunte Augusto, Cometes stella apparuit, *divinum certè quidpiam ac novum, resque hujusmodi, quæ omnem humanam rationem excedat, portendens. Neque enim hujusmodi aliquid per has visum erat ætates, nec unquam priùs per tot dies lucere Cometem ullum contigerat. Nempe ab Oriente paulò ad Aquilonem vergens, oriebatur, ac quam maximè celso axe provectus, radios longè splendidos ac micantes vibrabat: res terroris, horrorisque plenissima quisquis hoc tueretur. Ab ineunte itaque Augusto exortus, totos dies octoginta, à media nocte ad statam usque diem, cunctis conspicuo jubare lucebat. Conspectoque Imperator sic inaudito portento, eos qui in astrorum scientiâ versati essent, rogabat, observato sydere ut edicerent, quidnam etiam stupendum istiusmodi ostentum vellet. Hi porrò non quod ars conjectandum præberet, sed quod gratum Imperatori foret, Cometem portendere falsò exponebant, nempe victoriam de hostibus, longosque Imperatori annos, illius quasi indicatione, felici eventu augurabantur. Erant autem pravi vates Symeones Logotheta atque Magister; necnon Stephanus Nicomediensis Præsul, viri ea ætate inter Sapientes eruditione clari. Haud enim verò Cometes ille indicabat, quæ illi interpretabantur in gratiam Imp. sed graves defectiones, gentiumque grassationes & domesticos tumultus: urbiumque ac oppidorum desolationes, nec non fames & pestes, horrendosque terræ motus; propè denique Romani imperii universale exitium; quæ nos ipsi ex rerum eventu vidimus.*

X. *Symeon Metaphrastes usque ad hunc annum pervenit.*

Meminit hujus Cometæ Cedrenus pag. 683. aitque visum *Augusto mense, indictione tertia,* hoc scilicet anno, & addit, *usque ad octavum mensem indictionis quartæ.* Qua in re ex Leone Diacono emendandus. Hujus Cometæ meminêre etiam Malmesburiensis, Hovedenus, & quidam alii Historici Latini. Quantum peccatum sit superiori ac præsenti seculo à plerisque, qui de ætate, qua *Symeon Metaphrastes* floruit, scripsêre, anno CMII insinuavimus, eumque circa annum DCCCLXXXI in lucem produsse statuimus, quòd anno CMIV Legatio ei concredita sit, cùm annos circiter viginti quatuor natus esset, & præsenti Christi anno adhuc vixerit. Quare cùm tria illa Chronologiæ capita locus Leonis Diaconi mox à nobis memoratus certò evincat, nulla amplius difficultas esse potest de tempore, quo Symeon floruit, quòve in vivis esse desiit. Constat enim eum hoc anno nonagenario majorem fuisse: cumque ante legationem Cretensem nihil in lucem emiserit, manifestum est omnia Opera, quæ literarum monumentis mandavit, ante hujus seculi finem ab eo confecta. Horum omnium notitiam uni Leoni Diacono hactenus inedito debemus, sicuti & quisnam *Michael Psellus* ejus laudator extiterit, an scilicet qui superiori, vel qui sequenti seculo floruit, cùm de iis nonnisi incerta ferè cognitio & divinatio antea esse posset. *Symeonem* varia Opera posteritati reliquisse, disertè insinuat Michaël Psellus in ejus Encomio apud Allatium in Diatriba de Symeonum Scriptis, cùm Psellus loquens de Vitis Sanctorum ab eo summâ curâ & studio elaboratis dicat: *Etiamsi nihil aliud Viro illi fuisset elaboratum, & non alia omnia, quæ nobis singula sufficiunt ad laudem conciliandam, opus tamen tale incœpisse, & id tam pulchrè effectum reddidisse, viro cuivis ad laudem sufficiat.* Allatius ibidem pag. 130. & seqq. egregiè discurrit de ejus Operibus, tam editis, quàm adhuc manuscriptis, ostenditque eum composuisse Orationes in festivitates Christi, Deiparæ & aliorum Sanctorum, Orationes de moribus, Epistolas, pluresque preces quarum nonnullæ inter Rituales Græcorum libros reponuntur, ac varia Carmina Jambica & Politica. Colitur *Symeon Metaphra-*

sto

ste à Græcis die XXVIII mensis Novembris, cujus Officium à Psello Juniori compositum, ejusdemque Auctoris Encomium in Metaphrastem idem Allatius in linguam Latinam vertit. De *Michaele Psello* Symeonis laudatore seculo sequenti sermo erit.

XI. *Venenum Tzemiscæ Imp. propinatur.*

Redeo ad Leonem Diaconum, qui Joannis Tzimiscis Imp. mortem his verbis narrat: *Joannes Imp. è Syria profectus, inde Byzantium petebat. Videns verò in itinere positas Longiadem, Drixemque opimas planè atque feraces regiones, multis sudoribus atque cædibus à Romano pridem exercitu receptas, jurisque pristini Romanorum ac ditionis factas, tunc vero à Basilio Præfecto ac Accubitore possessas, indignè meritò ferebat, atque viro insatiabilem habēdi cupiditatem, avarumque animum improperabat. Is verò quid palam reponeret, habebat nihil, cùm Imperatoris indignationem timeret. Clam verò illius verba subsannabat, jamque sibi durum effectum horum amoliri cogitabat. Veniens itaque Imperator ad Atroæ vallem ad Olympi radices sitam, ad Romani Patricii ac Sebastophori dignitate fulgentis ædes diversit. Ibi ferunt spadonem quemdam Imperatoriæ aulæ, ejusque ministrorum, sive ipse à se, infenso in eum erat animo, sive ab aliquo eorum, qui bonis invident, rerumque mutatione vel maximè avent, sollicitatum, atque munerum pollicitationibus illectum (quod planè fama vulgatius utrinsque habetur) temperato veneno inter pocula propinasse Imperatori. Imperatorem verò nihil ejusmodi cogitantem velut salubrem potum venenum ebibisse. Postridie itaque membrorum torpor, totiusque corporis defectio invasit. Medica omnis sagacitas ac solertia repentina vi morbi vana comprobata & inefficax, cùm ejus symptomatis ratio per illius regulas haud certò dignosci potuisset.*

XII. *Tzimisces Imp. Byzantium petit.*

Porrò Imperator, quò priùs pollebat, gygantеum robur repente collapsum sentiens, Byzantium venire properabat. Ut item urna, quam in Salvatoris Templo ab eo extructo illius corpusculo parabatur, quam citiùs perficeretur, omnem diligentiam adhibebat. Contento itaque itinere ad urbem Augustam venit, amanterque à civibus acceptus, sed qui jam fractis viribus esset ac languescens, altumque pectore ac difficilem halitum trahens perspiraret. Jam vero in Palatium devectus, lecto decumbebat, veneni vi tabescens, longèque attritis viribus.

XIII. *Moritur.*

Intelligens verò fore, ut ex tali labe haud emergeret, (veneni namque vis dirè intus viscera depascebatur) apertis rei privatæ thesauris largè ex iis pauperibus erogabat, maxime leprosis, & qui corpora sacro morbo exesa circumferrent, in quos supra reliquos pauperes humaniore affectu ducebatur. Vocatoque Nicolao Adrianopolitano Episcopo, viro divino ac venerabili, suas per vitam ignorantias ei detegebat, lacrymarum rivos oculis diducens, harumque lavacro turpia sua, sordesque delictorum abstergens. Nec non sanctam Deiparam propensè adjutricem in die judicii inclamans, tunc nimirum cùm mortalium actus coram ejus filio, Deoque justa trutina inviolabilique judicio appendentur. Talis nimirum sincera mente ac corde contrito Imperator, exhomologesi peracta, ex humanis migrat, & ad vita futura requiem transit Januarii mensis die decima, indictione quarta, anno sexies millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto (sed loco, *quinto*, legendum, *quarto*; est enim hic annus mundi secundùm Constantinopolitanos) *sepultus in Salvatoris ad Chalcem Templo, quod is magnificè à fundamentis extruxerat. Talem vitæ finem nactus est Joannes Imp. vir scilicet brevis corporis statura, sed qui heroicam fortitudinem ac robur circumferret. Bello planè strenuus & insuperabilis, atque in periculis magnis, fortisque animi. Vixit omnes vitæ suæ annos quinquaginta unum: rexit verò imperii gubernacula annos sex, dies triginta.*

XIV. *Ope Historiæ MS. Leonis Diaconi varii errores correcti.*

Quibus verbis *Leo Diaconus* vir Asiaticus, ut ipsemet asserit, Historiam suam ab obitu Constantini Porphyrogenitæ Imp. ad mortem usque Tzimiscæ Imp. perductam absolvit, quam totam summariè in hanc Criticam inserimus, ejusque ope varios errores correximus. Is enim Auctor coævus fuit, aliique Historici Byzantini, qui tardiùs scripsēre, non rarò peccarunt; quod vel ex laudatis verbis perspicuum fit. Hactenus *Tzemiscæ* Imp. obitum cum mense Decembri currentis anni Recentiores omnes auctore Cedreno copularunt, cùm tamen *Tzemisces* usque ad diem decimam mensis Januarii insequentis anni vitam protraxerit. At Cedrenus *Basilium* & *Constantinum* Romani Junioris filios, *mense Decembri* Imperium inivisse, quod & ex Curopalate Baronius habet; sed ex mox dictis liquet, id nonnisi anno sequenti contigisse. Quot verò annos *Basilius Porphyrogenitus* cognominatus, & *Constantinus* frater tunc nati fuerint, liquet ex dictis anno CMLX num. VIII.

XV. *Basilius Patriarchatu Constantinop. dejicitur.*

Ad num. X. Basilium Patriarchatu Constantinopolitano anno superiori dejectum, ostendunt Zonaras, qui ait eum *post quadriennium suæ designationis* loco motum esse, & Leo Diaconus, qui ea de re agit cùm de iis, quæ anno superiori gesta sunt, loquitur: *Tunc & Patriarcha Basilius*, inquit Leo Diaconus, *Episcoporum invidiâ apud Imp. calumniam passus, quasi in aliquem procerum moliretur transferre imperium, nec Ecclesiam regeret ex præscripto sacrorum canonum, ad Imp. tribunal vocatur. Quoniam verò renuebat, ac œcumenicam Synodum cogendam asserebat, in eaque diluenda esse crimina aiebat. Hoc enim etiam velle divina Patrum constituta cogendam universalem Synodum cum Patriarcha deponendus sit, in monasterium ad Scamandrum situm, ac quod ipse extruxerat, Imperatoris jussu relegatur. Vir scilicet nullo pene cibo utens ac carnis expers, qui à teneris jam unguibus religiosa palæstra laboribus ultra humanum modum exercitatus esset, vir uno amictu æstate hyemeque utens, nec ante exuens quàm difflueret, nullinsque jam operæ factus esset. Alius ei nullus cibus aut potus, quem gustaret, præterquam aquam, nucesque ac poma. Aiunt præterea nec in lecto quidem cubavisse, sed humi per omne tempus, quo religiosâ palæstrâ certavit. Hoc unum viro vitio datum ferunt, quod longè plurimi haberet, ut hominum instituta, moresque ac actus cognosceret, atque iis rimandis, curiosiusque scrutandis, quam pro officii ratione majorem operam poneret.*

XVI. *Antonius Studites in ejus locum subrogatur.*

Basilio itaque exilio damnato, Patriarchalia gubernacula Antonius regenda suscipit, vir in Studii monasterio à juventute asceticam professus disciplinam, vitamque ducens Apostolicam; præter enim necessaria indumenta, ac quibus caro tegatur, ferebat nihil; tametsi à viris Principibus, ipsisque Imperatoribus plurimum coleretur. Neque

SÆC. X. An. Ch. 975.

verò id solum; sed & quos sumptus habebat, ex ea dignitate qua fulgebat, (prius enim Syncelli dignitate ornatus fuerat) omnes in pauperes erogabat: divinâque & humanâ scientiâ, si quis alius, pollebat. Vultu totaque corporis compositione, mirabilem quamdam gratiam in profundissima canitie lucentem exhibebat. Nec enim ullus eorum, qui deliciis diffluunt, aliumque vanorum tabernaculorum sapiunt, ad eum divertebat, qui non statim castigatior abiret. Nec contra funestissimis malis ærumnosam quisquam trahens vitam, qui non æquo animo discederet.

XVII. *Moritur Edgarus Angliæ Rex.* A: num. X I & seqq. *Anno nongentesimo septuagesimo quinto, Anglicis orbis Basileus, flos & decus antecessorum Regum, pacificus Rex Edgarus: non minus memorabilis Anglis, quàm Romulus Romanis, Cyrus Persis, Alexander Macedonibus, Arsaxes Parthis, Carolus Magnus Francis, Arthurus Britannis: postquam cuncta Regaliter consummavit, anno ætatis suæ trigesimo secundo, regni autem illius in Mercia & Northimbria decimo nono, ex quo vero per totam Angliam regnavit, decimo sexto, indictione tertia, octavo Idus Julii, feriâ quintâ, ex hac vita transivit. filiumque suum Eadwardum, & regni & morum reliquit heredem*, inquit Hovedenus pag. 426. *Post mortem Edgari res & spes Anglorum retrò sublapsa sunt*, inquit Malmesburiensis lib. 2. de Reg. cap. 8. quia scilicet duplex factio utramque Rempublicam vexavit, & æquè pro corona, ac pro Ecclesia certatum, uti narrat Baronius. Susceperat *Edgarus Edoardum* ex Ethelfledi priori uxore, & *Ethelredum* ex Elfrida secunda uxore, indeque quidam post Edgari mortem filium ejus primogenitum, quidam verò fratrem ejus Regem volebant, & istis noverca Edoardi favebat. Præterea Optimates plurimi, Abbates cum Monachis de Monasteriis, in quibus Rex Edgarus eos collocarat, expulerunt: & Clericos, ut priùs, loco eorum, cum uxoribus induxerunt. Sed *Edgaro* mortuo longè acriùs, quàm antea secunda quæstio ventilata est, & audior clericorum spes monasteria repetendi; cùm Reginam à se stare, & ex Optimatibus aliquos dudum persensissent. Hinc bis terve Synodus coacta est, ut passim Auctores Anglici notarunt. *Archipræsules Dunstanus & Oswaldus cum Coepiscopis, Abbatibus, Ducibusque quàmplurimis in unum convenerunt, & Eadwardum, ut pater suus præceperat, elegerunt, electum consecraverunt, & in Regem unxerunt*, inquit Hovedenus citatus, qui narrat etiam Optimates aliquos, congregato exercitu, Monasteria Orientalium Anglorum defendisse, & à Monachis fortiter stetisse. Plura de his Alfordus hoc anno.

XVIII. *Obitus primi Caliphæ Ægypti.* *Muazzus Ledinilla*, qui primus fuit Calipha Ægypti, postquam regnasset annos tres & viginti, anno Hegiræ CCCLXV obiit, eique successit *Azizus Billa* filius, ut videre est apud Elmacinum lib. 3. Hist. Sarac. cap. 4. *Muazzus* verò ante captam Ægyptum in Africa regnarat.

XIX. *Floret Suidas.* Hoc tempore floruisse videtur *Suidas* arte Grammaticus; voce enim Ἀδάμ diversas annorum summas colligens computationem suam terminat in obitu Joannis Zemiscis Imp. hoc anno morte sublati. Condidit Lexicon prolixum, in quo non pauca habet ad Historiam Ecclesiasticam spectantia, & varia Veterum fragmenta, sæpe Auctoris nomine non memorato.

SÆC. X. An Ch. 976. Anno Eræ Hisp. MXIV. Anno Hegiræ CCCLXVI, inchoato die 30. Aug. fer. 4.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6469.

☉ 5. B A. ☽ 8. P. 23. April. Indict. 4.

JESU CHRISTI 976.

BENEDICTI VII PAPÆ 2.

OTTONIS II IMP. 4. & 10.

BASIL. & CONST. IMPP. I.

I. *Bardæ Scleri defectio repressa.* AD num. I. Leo Diaconus, postquam verba fecit de *Comete* anno superiori in Oriente & Occidente viso, ait, illum graves defectiones variaque mala portendisse, subditque: Posteaquam *Joannes Imp.* humanis migraverat, *Magister Bardas* cognomento *Sclerus* imperii simul pecuniarumque amore laborans, nec non ingenti turbâ, plebeque facili errore seductâ ac dementatâ, gravem adversùs Imperatores molitur defectionem, *annosque quatuor* Asiam infestavit, agros succendens, urbesque evertens, nec non Romanos conserta acie, apertoque marte fundens & fugans, dirèque interimens, partim quidem *Petro Patricio* ac Stratopedarcha legionibus Præfecto, quando ad campum *Lyparam* (est hæc confinium Armeniorum provinciæ) pugna conserta est: quando & ipse *Petrus* jaculo vulneratus ac equo excussus, in ipso conflictu efflavit animam, plurimis stipantium ejus satellitum pari nece sublatis: partim verò *Barda Magistro Phoca* Imperatore Duce. Is nimirum ab Imperatoribus Domestici Schularum auctus dignitate, cùm adversa *Sclero* ad *Pancalium* opposita acie (lata hæc planities & campus haud procul Amorio) obiit ordines, interque medias acies fuste capiti illiso, ejusque gravi ictu, equo dejectus, ac humi prostratus est, captusque esset ab hostibus, turpique ac ingloria morte sublatus, nisi per ignorantiam inter gregarios, ac quasi unus ex illis neglectus fuisset: cui nox superveniens parandæ causa salutis fuit. Porrò *Sclerus* victoriis hujuscemodi elatus, animoque tumens, importabilis quidem, nec ulla subigi posse virtute videbatur. Inde Nycæa atque Abydo ac Athalia bello potitus, Asianas copias ac legiones sibi ipse addixerat, marisque jam dominator effectus, gravi mercatores damno afficiebat. ipsamque adeo urbem Augustam, non sinens annonarias ad eam, more solito, adnavigare; donec incendiariæ naves occultè Imperatorum solertiâ Byzantio missæ sunt. Harum *Bardas Magister Parsacutenus*, ductor derepente Abydo appulsus tyranni classem succendit, militumque agmen confodit, ac præsidium recepit: rursusque *Phocas* ingenti sibi adjuncto exercitu Sclerum aggreditur, prælioque fusum *Ecbatanâ* ad Agarenos fugam inire cogit.

II. *Phocæ rebellio repressa.* Præterea *Bardas Magister Phocas* adversùs Imperatores cervicem erexit, Asiaticasque sibi copias addixit. Portus omnes & ad mare sita oppida, unâ Abydo exceptâ, cepit, subductisque compluribus triremibus atque ratibus, Hellesponti fauces tenebat, non sinens onerarias naves in Regiam urbem appellere. Ad hæc militum gravem manum, *Melisseno Magistro* Duce, ad Abydi continentem, quæ & classem tutaretur, & urbem expugnaret, locavit. Rursusque validum pro ipso Byzantio ad *Chrysopolis* tumulum, vallum fixit, ingentibus eam in rem equestribus

SÆC. X. An. Ch. 976. stribus ac pedestribus submissis copiis. Exercitui præfecti duces, ejus tum germanus *Nicephorus Patricius*, tum *Caloeyrus* item Patricius, cognomento *Delphinus*. Hos itidem Imperator Basilius, quantis par erat copiis, superato Bosphoro, consertâ pugnâ fudit, vivosque comprehensos, Nicephorum quidem ac Phocæ germanum vinctum in carcerem compegit. *Caloeyrum* verò *Delphinum* ibidem ad Chrysopolis tumulum, quo loco fixum tentorium erat, in crucem egit. Hæc summariè ex Leone Diacono, qui *Cometem* anno superiori visum protendisse existimat.

III. *Imperium Orientis per quadriennium bellis civilibus afflictum.* Hæc bella civilia pluribus verbis Cedrenus & Zonaras referunt, & Sclerum Magistrum *Bardam Sclerum* vel *Bardam Durum*, Phocam verò *Phocâ Bardam* appellant, & Cedrenus de utroque perduelli addit: *ditionem Imperatoris infestando usque ad indictionem VIII perseverarunt*, quæ Kalendis Septemb. anni Christi CMLXXIX auspicata est. Tum ait: *Ceterùm Antonius Patriarcha, cùm Sacerdotio renunciasset Duro rebellionem movente, sum temporis mortuus est: creatusque Patriarcha Nicolaus Chrysobergius, cùm per annos quatuor & dimidio Ecclesia Pastore caruisset.* Zonaras verò: *Antonius porrò Patriarcha, cùm Sacerdotio renunciasset, quod per sex annos tenuerat, ac paulo post obiisset, & Ecclesia annis IIII cum dimidio vacasset, Nicolaus Chrysoberges est designatus.* Quare Antonius Studita, qui ipso initio anni CMLXXIV Patriarcha Constantinop. constitutus fuerat, anno nongentesimo septuagesimo, oono ineunte abdicavit, & paulò post medium annum nongentesimum octogesimum tertium *Nicolaus Chrysoberges* Patriarcha Constantinop. ordinatus est. Anni enim sex *Antonio* attributi non potuêre non esse incompleti, si vera sint quæ Cedrenus & Zonaras de duratione Pontificatûs *Nicolai* literis prodiderunt. Ex quibus liquet, perperàm Baronium scripsisse *Antonium Studitam* præsenti anno abdicasse, & quoad vixit, ei successorem non datum.

IV. *In eo omnis auctoritas penes Basilium Præsidem.* Hoc itaque anno *Tzemisco* Imp. die decima mensis Januarii morte sublato, ei *Basilius* & *Constantinus* Romani Junioris filii successêre, &, ut habet Zonatas, *omnis penes Basilium Præsidem erat auctoritas: idque Basilius* (nempe Imperator) *nondum sibi ipsi fidens tolerabat, &c. ut & ipse cùm tempus postularet, in militaribus catalogis, & civili æquitate tuenda rationem eamdem sequeretur. Erat enim alacri & excitato ingenio, non dissolutus & ignaviæ mancipatus ut frater.* Narrat postea Zonaras Magistri Bardæ Scleri & Phocæ Bardæ defectiones, de quibus mox locuti sumus.

V. *Michael Psellus Historiam Byzantinam continuat.* *Michael Psellus*, vir ob rerum humanarum & divinarum scientiam sequenti seculo insignis, Imperatorum Byzantinorum Historiam post Leonem Diaconum usque ad inaugurationem Constantini Ducæ continuavit. Ejus Historia M. S. à Combefisio in linguam Latinam versa extat in Bibliotheca Regia. Ex ea ad majorem Annalium Ecclesiasticorum illustrationem varia decerpsi. Ait Psellus Tom. I. cap. 1. *Joannis Tzemiscis excessu rerum summa in Basilium & Constantinum Romani filios planè devoluta est. Erant vero ambo jam ephebis majores, diversissimis moribus. Nam Basilius quidem qui & ætate senior erat, pervigilis erat animi; ac cogitabundus, curisque solicitus: Constantinus verò cunctis remissus, laxiorque videbatur; quique vitam segnitie duceret, ac vita luxuriosa operam daret. Et ipsis quidem haud quaquam visum est, ut ambo simul Imperatores essent; sed quoniam Basilius major natu erat, omni ad se potestate translata, nomine tenus fratrem imperii collegam allegit. Nam neque aliter imperii gubernatio è re satis cessura erat, nisi illi qui major erat, ac solertia præstaret, Reipublicæ administratio pleno jure attributa esset.* Spretos à Basilio Imp. viros Eruditos Psellus cap. XVI affirmat: *quamobrem*, inquit, *etiam mirari subit, quod cùm Imperator sic humaniores literas, omnemque in eas diligentiam flocci penderet, haud exiguus per illius tempora Philosophorum ac Oratorum extiterit proventus.*

SÆC. X. An. Ch. 977.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6470.

☉ 6. G. ☽ 9. P. 8. April. Indict. 5.

JESU CHRISTI 977.

BENEDICTI VII PAPÆ 3.

OTTONIS II. IMP. 5. & 11.

BASIL. & CONST IMPP. 2.

Anno Eræ Hispan. MXV. Anno Hegiræ cccLXVII, inchoato die 19. Aug. fer. 1.

I. *S. Romualdus vitæ eremiticæ tyrocinium ponit.* ANum. III ad X. Florebat hoc tempore *Sanctus Romualdus*, qui postea eremiticæ vitæ in Italia restitutor & propagator ac ordinis Camaldulensis fundator fuit. Ejus Vita à Petro Damiani S. R. Ecclesiæ Cardinali sanctitate vitæ conspicuo cum *tria jam ferè lustra transacta essent* à morte Sancti Romualdi, scripta, ut ipsemet in Prologo testatur. Tum rursùs ab Hieronymo Eremita Camaldulensi, Hieronymo Pragensi appellato, Apostolicis laboribus in fide Barbaris prædicanda clarissimo, annoque millesimo quadringentesimo quadragesimo demortuo, etiam elucubrata. Utramque refert Bollandus ad diem VII Februarii. *Romualdus* Ravennæ ex illustrissima progenie natus, quòd pater inimicum occidisset, tanti reatûs pœnitentiam, quia ipse interfuisset, accepit, & monachum induit in monasterio Sancti Apollinaris. In eo triennium ferè transegit; sed cùm cerneret, nonnullos remissiùs vivere, & perfectionis amor in ejus animo magis ac magis in dies cresceret, venit in Venetiarum partes ad *Marinum* Eremitam magnæ sanctitatis ac simplicitatis virum. *Eodem verò tempore Petrus cognomine Urseolus, Dalmatici Ducatus gubernabat habenas. Qui videlicet ad hujus fastigium dignitatis ascendere idcirco meruerat, quia decessoris sui, Vitalis scilicet Candidiani peremptoribus fautor extiterat.* Hæc omnia Petrus Damiani, cujus reliqua verba recitat Baronius.

II. *B. Petrus Urseolus Dux Venetiarum fit Monachus.* Mabillonius Sec. V Benedict. refert Vitam beati *Petri Urseoli* Ducis Venetiarum & Dalmatiarum, ac Monachi Sancti Michaëlis de Coxano in Catalania, quæ scripta fuit ab Anonymo incertæ ætatis, ac saltem seculo integro post Urseoli mortem. In ea nonnulla sunt, ut observat Vir doctissimus, quæ à Petri Damiani sensu discrepant, multa etiam prætermissa, quæ ab illo commemorantur: ut Petri Urseoli famæ consulturum se putaverit Auctor iste Anonymus, si prava quædam ejus opera dissimularet, quæ tamen in re rerum Veneticarum Scriptores nonnullos sectatores habuit. Illud autem imprimis movet, quòd Petri Urseoli decessorem Vitalem Candidianum vocet Petrus Damiani præter receptam aliorum omnium sententiam, qui

SÆC. X. An.Ch. 977.

communi ore, non *Vitalem*, sed *Petrum Candidianum* eum appellant: Vitalem verò Petri Candidiani filium, Ursoolo substitutum. Qui in re, sicut & in quibusdam aliis, Anonymus à Petro Damiano dissentit, Anonymus enim asserit *Urseolum* fugam meditantem ambobus filiis, Joanni ac Petro, Venetiarum & Dalmatiæ Principatum asseruisse, quod stare minimè potest. *Petro & Joanne Gradenico Monachis in Sancti Michaelis cœnobio factis, Marinus & Romualdus non longè a monasterio degentes, ad singularem vitam, cui adsueti fuerant, revertuntur*, inquit Petrus Damiani. Positum illud monasterium Sancti Michaelis, vulgò *de Coxano, seu Cuxano, & Coxanense* appellatum, in Catalaunia juxta fluvium Techum, vulgò Le Ter. Sed, ut hic tantùm de Petro Urseolo verba faciam, *eductus à cella noviciorum, monachizatur, & cucullato capite incedens, videbatur omnibus esse justitiæ speculum. Fit mortuus vivens inter vivos, fitque mortuus ad exemplum vivificator, fitque lamgeris calcucista*, inquit idem Anonymus, qui fusè de ejus virtutibus disserit, aitque mortuum *IV Idus Januarii, jam reddito fructu XIX (annorum)*, anno nempe incerto, sed circiter anno CMXCVII. Petrus Urseolus miraculis illustris prædicatur à quibusdam, & à nonnullis Sanctus vel Beatus dicitur.

III. *Moritur S. Rudesindus Episc. Dumiensis,*

Ad num. X & seq. Stephanus Cellæ-novæ Monachus in Vita Sancti Rudesiodi Episcopi Dumiensis, de quo suprà mentionem fecimus, num. XI ait: *Quadragesimo secundo anno ab initio, quo cœnobium cœpit ædificare, septuagesimo autem post ejus sanctam in monte Corduba promissionem, ex quibus decem in Episcopatu, viginti verò in Abbatia exegit, die Kalendarum Martii, quintâ videlicet feriâ* (ideoque hoc Christi anno, quo feria quinta in diem primum Martii cadebat) *existente Completorii hora, adstantibus omnibus de ejus absentia valde plorantibus, sed de ipsius felici gloria lætantibus, Rege Ramiro, Sancii Regis filio imperante, cum Sanctorum agmine immarcessibili trabea, & indeficienti corona à remuneratore omnium bonorum feliciter in gloria est coronatus.* Refertur ejus Vita ab Henschenio ad diem primum Martii, & à Mabillonio Sec. V Benedict. & ille legendum monet ex Hispanico, *Septuagesimo anno post ejus nativitatem.* Prætérea pro *decem in Episcopatu*, restituit *triginta duo.* Sedes Dumiensis prope Bracaram sita erat, ubi Sanctus Martinus quondam Episcopus fuit; sed vastato Dumiensi loco aliò confugêre successores ejus, & *Rudesindus* in Cellam-novam ab se conditam se recepit; ubi monasticis addictus disciplinis post Franquillæ mortem Abbatis munus Episcopali conjunxit. Ejus genere nihil illustrius, patrem enim habuit à Regia stirpe progenitum, & matrem Ilduaram, vulgò *Aldaram*, non minus pietate, quàm natalium splendore illustrem.

IV. *Inter Sanctos relatus.*

Baronius Ambrosium Moralem secutus, *Ordonium* Monachum Rudesiodi Vitæ Auctorem appellat, & quidam viri docti librum de Vita ejus conscriptum Ordonio, alterum de Miraculis Stephano Monacho, qui seculo XII vixit, attribuunt. Verùm Henschenius laudatus unum eumdemque Auctorem Vitam, & miraculorum saltem priorem partem scripsisse existimat, idque Mabillonius ex Prologo ostendit, ubi Auctor quædam ait, se tum ex scriptis aliorum, tum ex alieno relatu accepta in literas retulisse. *Rudesindum* obvitæ innocentiam, res præclaré gestas, ac miraculorum frequentiam Sanctorum Catalogo adscripsit Cælestinus Papa III, anno Christi MCXCV. In Bulla Canonizationis meminit Pontifex libri de rebus à Rudesindo gestis: quem asserit se legisse, *cùm in inferioribus constitutus negotiis, Sedis Apostolicæ in Hispaniarum regnis Legati titulo frueretur*, tunc Cardinalis Hiacynthus nomine, missus ab Alexandro III Pontifice, anno Christi MCLXXI, ad sopiendas quasdam controversias. *Rudesindum* celebrant Martyrologia, non solùm Benedictina, quia is Regulam Sancti Benedicti professus est; sed etiam Hispanica. De hoc Sancto Antistite plura apud Henschenium & Mabillonium laudatos.

SÆC. X. An.Ch. 978.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6471.

O 7. F. D 10. P. 31. Mart. Indict. 6.

JESU CHRISTI 978.

BENEDICTI VII PAPÆ 4.

OTTONIS II IMP. 6. & 12.

BASIL. ET CONST. IMPP. 3.

Anno Ær. Hispan. MXVI. Anno Hegiræ CCCLXVIII inchoato die 8. Aug. fer. 5.

I. *Dissidium inter Ottonem II & Lotharium Regem Franciæ occasione Lotharingiæ,*

AD num. I. Anno CMLVII cùm *Bruno* Coloniæ Archiepiscopus & Lotharingiæ Dux, *bonis Ragenarii Comitis*, ut narrat Sigebertus in Chronico, *publicatis*, *Raginarium & Lambertum ejus filios ad Lotharium Regem fugere* compulisset, & post aliquot annos Otto Magnus vivendi finem fecisset, Raginarius & Lambertus *paulatim resumtis viribus*, *à Francia redierunt*, *cum Garnero* (Valentinianensi) *& Rainardo* (Remensi), *bello apud Peronam confligentes*, (eosdem) *peremerunt*, *castello Buxuda* (quod anno CMLXXIV ab Ottone II dirutum fuit) *super Hagna fluvium munito*, *Lotharingiam infestarunt*; Hadewidem Hugonis Capeti Francorum Ducis, ac exinde Regis filiam, & Gerbergam Carolo Lotharii Regis Francorum fratre natam duxerunt, annoque CMLXXVI, teste Continuatore Flodoardi *in ipso Quadragesimæ* (sc. tempore) *majoris hebdomadæ feria quartâ*, *XIII Kalendas Maii*, *indictione IV*, *circa mediam diem*, *adversùs Godefridum & Arnulfum* (Comites), *ad Montem castrum irruerunt*. Novorum turbinum metu anno CMLXXVII, teste eodem Sigeberto, *Ducatus Lotharingiæ Carolo fratri Lotharii Regis*, *multis insuper beneficiis conducto ab Ottone secundo*, *ut ipse ab insolentiis desisteret*, *& fratris sui motibus obsisteret*, *datus est*; *ipsique Raginarii filii*, *Raginarius & Lambertus in terra patrum suorum relocati sunt*. Quod etiam Nangius ex Baldrico lib. 1. cap. 108. tradit.

II. *Bellum inter Ottonem II & Lotharium Regem.*

Veritus *Lotharius* Rex, ne quid Francica Respublica detrimenti ex fratris cum Ottone conjuratione caperet, *Ludovicum* filium duodecennem, Regem salutari jussit, quod vel ex Gerberti Epistolis, & Chartis annum Ludovici primum, cum Lotharii patris XXIV, Christi CMLXXVIII, indictione VI componentibus, evincitur; ac exinde injuriæ obviam ire paratus, *Lotharingiam* armatus invasit, Aquisgranum per triduum *diripuit* (Hermanno Contracto, Lamberto, Sigeberto, Nangio, Hepidanno, & Chronographo Hildesheimensi testibus), Ottonem consobrinum & sororium fugâ

sibi

S Æ C. X. An. Ch. 978. sibi consulere coëgit. Is autem *ad vindictam properans, post recessum Lotharii, cum copiosa exercitu per Lotharingiam Franciam ingressus, & Remensem, Laudunensem, Suessionensemque, provincias omnia devastando pertransiens, usque Parisius venit, & suburbium civitatis incendit, in Francia à Kal. Octobris usque ad Kal. Decembris fines ejus diversa clade vastavit*, inquit idem Nangius. At Lotharius *congregato ingenti exercitu super hostes irruens, eos fugere compulit*, (in Axonæ transitu) *maximo detrimento* affecit, eosdemq; *tribus diebus & tribus noctibus persequens usque ad flumen quod fluit inter Ardennam* (nempe Mosam), *interfectâ ex iis maximâ multitudine cum triumpho reversus est in Franciam: Otto autem Imperator cum his, qui evaserant, confusè repatriant, non opposito ultra rediro in Franciam*, ait idem Nangius. Tunc autem contigit illud miraculum, quod Baronius in hac expeditione in gratiam Ottonis factum fuisse à Sancto Wolfango Episcopo Ratisponensi, ex Auctore ejus Vitæ narrat.

III. *Lotharingia Ottoni II in beneficium data.* Anno tandem C M L X X X *Ottonem Imp. & Lotharium Regem super Carum fluvium convenientes, datis invicem sacramentis pacificatos, Lotharingiamque à Lothario abjuratam* refert Sigebertus. Nangius verò ex Hugone Floriacensi, non *super Carum*, sed *Remis pacificatum*, non *abjurasse*, sed *in beneficium Lotharingiæ Ducatum Ottoni dedisse* Lotharium, *id contra Principum regni voluntatem* factum, *eaque eorum corda contristavisse* scribit.

IV. *Francorum odia in Carolum Lotharingiæ Ducem ardent.* Porrò ab hoc Christi anno Franci à Carolo Lotharingiæ Duce, ejusque posteris valdè alienati sunt, eòque magis, quò pervicaci per annos decem contumacia eos fatigavit; indeque *Ludovico* Francorum Rege, hujus nominis V, de mortuo, universos à se alienos sensit, & illatæ injuriæ severos judices expertus est. *Nam Franci Primates eo relicto, ad Hugonem, qui Ducatum Franciæ strenuè tunc gubernabat, magni illius Hugonis filium, cujus antè mentio facta est, se conferentes, eum Noviomo civitate solio sublimant Regio*, inquit Chronographus sancti Benigni. Hoc ipso anno, quo Otto II Franciam invasit, Gerbertus Diederici Metensium Episcopi nomine Epistolam ordine X X X I adversus Carolum scripsit, in qua ait: *Cruenta manu & ad omne scelus semper promptissima, cum latronum grege & furum manipulo, dum fratris tuo nobilis Francorum Regis* (Lothario nempe) *Laudunum civitatem suam, inquam suam, nunquam utique tuam, dolo malo surriperes, eumque regno fraudares, & Imperatoriam sororem reginque sui consortem infamares, tuisque mendaciis commaculares?* Paulò pòst: *Abhinc nisi resipiscat Spiritus sancti gladio, qui mihi commissus est, cum tibi computribilibus membris rescindam, atque igni tradam inextinguibili.* Plura alia hanc in rem Blondellus in Pleniori Assertione Genealogiæ Franciæ pag. 265. & seqq. quæ ad majorem sequentibus annis dicendorum evidentiam narranda nobis fuere.

V. *S. Eduardus Angliæ Rex occiditur.* Ad num. II & seq. Sanctum *Eduardum* Angliæ Regem jussu novercæ suæ hoc anno à suis injustè peremptum, non solùm uterque Chronographus Saxonicus tradit; sed etiam Simeon Dunelmensis, Hovedenus, Wigorniensis, Annalista Mailrosensis, & Thomas Rudbornus in Historia Majori Wintoniæ, characteribus, ex Actis publicis, ut videtur, desumtis iisdem ferè verbis confirmant. Sufficiet hic referre verba Simeonis de *Ethelrede* Eduardi fratris successore loquentis: *Indictione VI, die dominica, X V I I I Kalendas Maii, post Paschalem festivitatem à Sanctis Archipræsulibus Dunstano & Oswaldo, & decem Episcopis in Kyngestune ad regni fastigium est consecratus*, ideoque hoc Christi anno, in quem notæ illæ temporariæ competunt. Subdit Annalista Mailrosensis, *X X X & V I I I annis in multis calamitatibus regnavit, pro fratris sui nece.* Quare cùm *Ethelredus* anno M X V I periérit, regni ejus initium à præsenti anno repetendum, non verò à sequenti, in quem Alfordus Malmesburiensem errantem secutus, Sancti *Eduardi* martyrium differt. Martyrii ejus dies, nempe X V Kal. Aprilis, in variis Martyrologiis à Bollando ad eum diem in ejus Vita laudatis legitur, sicuti in Chronico Saxonico nuper Oxoniæ edito, ac in Chron. Bromptoni pag. 874. Sanctus Eduardus vulgò *Martyr* cognominatus, inter Angliæ Reges hujus nominis secundus numeratur.

VI. *Eiusdem Ethelredus frater.* Narrat autem Malmesburiensis citatus novercam Eduardi ei insidias struxisse, & dum lassus venatione reverteretur, eam *post libata basia* poculum porrectum avidè haurientem per satellitem sicâ transfodisse, ac sine honore sepeliri jussisse. *Sed adfuit divina serenitas assensus*, subdit Malmesburiensis, *qui innocenter cæsum miraculorum sublimaret gloria.* Paulò pòst: *Creditumque & celebriter vulgatum, quod propter ejus in Edwardum insolentiam, multo post tempore tota patria servitutem infremuisset barbaricam*, quod scilicet à *Danis*, ut infrà videbimus, devastata fuerit. Porrò sanctus Eduardus *Martyr* appellatur, etiamsi pro Christianæ religionis fide non obierit, sicut & Sanctus *Eduardus* Rex, ejus ex fratre Etheltedo nepos, *Confessor* dicitur, licet coram fidei hostibus fidem Christi professus non sit, quòd usus ita tunc ferret. Idem Malmesburiensis lib. 2. de Gest. Reg. cap. 10. scribit: *Ethelredus filius Edgari & Elfreda regnum adeptus, obsedit potius quàm rexit annis X X X V I I. Ejus vitæ cursus sævus in principio, miser in medio, turpis in exitu asseritur. Ita parricidio, cui conniventiam adhibuerat, immanis, ita fuga & mollitie infamis, ita morte miserabilis fuit.*

VII. *Miser status Angliæ per annos amplius L X.* Ingulphus juxta novissimam Historiæ ejus editionem Oxoniæ factam pag. 84. quàm mi e- randus status Angliæ fuerit sub sancti Eduardi proximis successoribus his verbis exponit: *Rex Ethelredus, filius Edgari Regis post S. Eduardum Regem, & tandem Dei Martyrem, germanum suum, miserrimè regnavit annis X X X V I I I. Tempore cujus Danorum exercitus totam Angliam plurimum tribulabant, & Ecclesias ac cœnobia in immensum opprimebant. Perdurabatque tanta tribulatio per plures annos sequentes, scilicet per tempora quatuor Regum, idest, ipsius Ethelredi, Knuti, Haroldi, & Hardeknuti*, qui mortuus anno M X L I I Sanctum Eduardum Confessorem habuit successorem.

VIII. *Translatio S. Gudilæ.* Ad num. IV. Cùm locus sepulturæ Sanctæ Gudilæ Virginis, quæ anno circiter DCCXII in Belgio vixit & mortua est, crebris miraculis enireret, Reliquiæ ejus Morzelam, Brabantiæ vicum, ut tradit Miræus, & Morzelâ vastatâ Bruxellam translatæ sunt, uti docet Hubertus, qui ejus Vitam post annum M X L V I I scripsit, à Bollando ad diem V I I I Januarii recitatam. In ea cap. X dicitur, Carolum *filium Lotharii* Regis Francorum, cùm Auctor dicere debuisset, *Lotharii*

SÆC. X. An. Ch. 979.

Lotharii fratrem, Bruxellam venisse, & corpus sanctæ Gudilæ in Ecclesiam *sancti Gangerici*, quæ Bruxellæ etiamnum extat, intulisse. In alia Vita hujus Sanctæ ab Auctore anonymo elucubrata, & à *Surio* ad eamdem diem relata, quam solam viderat Baronius, legitur, *Carolum* voluisse Ecclesiæ Morzelensi ablata restitui, sed id consequi non potuisse, impeditum ab iis, qui *Hermenfrido* favebant. Cùm tamen Hermenfridus, ejusque complices tetinuissent, quas invaserant terras, & corpus sanctæ Gudilæ Carolo dedissent, is illud in Ecclesiam sancti Gangerici Bruxellas deferri jussit. Quo anno hæc Translatio peracta fuerit, incompertum.

Anno Eræ Hispan. MXVII. Anno Hegiræ CCCLXIX, inchoato die 29. Jul. fer. 3.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6472.

O 8. E. D 11. P. 20. April. Indict. 7.

JESU CHRISTI 979.

BENEDICTI VII PAPÆ 5.

OTTONIS II. IMP. 7. & 13.

BASIL. & CONST. IMPP.

I. *S. Eduardus Angliæ Rex anno superiori occisus.*

AD num. I & seq. *Sanctus Eduardus* Angliæ Rex nefariè occisus est anno superiori, ut ibidem vidimus. Baronius, qui ejus Martyrium in annum præcedentem contulit, ait *Ethelredum* fratrem ejus puerum decennem *Kalendis Maii die dominica* à Sanctis Archiepiscopis Dunstano Cantuariensi, & Oswaldo Eboracensi coronatum fuisse. Verùm Kalendæ Maii hoc anno in feriam quintam inciderunt. Symeon Dunelmensis Eduardi martyrium cum superiori Christi anno etiam alligat, sed Ethelredum eodem anno XVIII Kal. Maii coronatum tradit, quod meliùs procedit; cùm is dies anno superiori dominicalis fuerit. Eumdem diem Vigorniensis exhibet, ideoque numerus XVIII ante Kalend. Maii apud Westmonasteriensem à Baronio citatum à Librario omissus.

II. *Concilium de causa Clericorum & Monachorum Angliæ.*

Ante & post mortem *Edgari* Regis magna inter Proceres Anglorum contentio fuit de ejiciendis Monachis ex Ecclesiis in quas introducti fuerant, & de reducendis in easdem Presbyteris secularibus, quos Clericos vocant. In Synodo Calnensi (erat Calne vicus Regius) *Dunstanus* à Monachis fortiter stetit, aliique in ejus sententiam concessère, ut narrat Baronius ex Westmonasteriensi, & refert etiam Malmesburiensis lib. 2. de Reg. cap. 9. qui tamen hoc Concilium, sicut & Hovedenus, vivente adhuc Edgaro Rege congregatum credidit.

III. *Piligrinus Archiep. Laureacensis Hungarorum conversioni incumbit.*

Ecclesiam Laureacensem regebat hoc tempore Pilgrinus vel Piligrinus, electus anno Christi CMLXXI. Is Pallium à Benedicto Papa petiit, literis à Lambecio lib. 2. Biblioth. Cæsareæ pag. 641. & seqq. recitatis, se seque excusavit à personali accessu ad SS. Petri & Pauli limina, quia, inquit, *à neophyta Ungrorum gente huc ire prohibeor, apud quam fœdere pacto, sub occasione pacis fiduciam sumsimus operam exercere prædicationis. Cujus enim terrorgentis ex longo tempore etiam aliarum provinciarum prædicatoribus mea diœcesis hactenus aditum clausit ad quas nihilominus præsentis opportunitas temporis ire me vocavit. Quibus Deus Omnipotens, qui solita sua pietate semper dispersa congregat, aperire dignatus est januam cordis sui diu clausam, ut discisso velamine duritiæ suæ, depositaque ferina crudelitate, leni jugo Domini colla submittant. A qua ergo præfata Ungrorum gente multis precibus ipse invitabar venire, aut missos meos in opus Evangelii illuc dirigere, ad hos dum transmitterem satis idoneos viros ex Monachis, canonicisque Presbyteros, atque de singulis Ecclesiasticis Gradibus Clericos, & vita & omni conversatione illorum sic ordinata, quemadmodum in Gestis Anglorum didici, tantum divinâ gratiâ suis institutionibus fructum statim ministravit, ut ex iisdem nobilioribus Ungris utriusque sexûs Catholicâ fide imbutos, atque sacro lavacro ablutos, circiter quinque millia lucrarentur.*

IV. *Hungari ad fidem Christianam suscipiendam dispositi.*

Christiani autem, quorum major pars populi est, qui ex omni parte mundi illuc tracti sunt captivi, quibus nunquam soboles suas licuit nisi furtivè Domino consecrare, modo certatim nullo obstante timore offerunt eas baptizare, & gratulantur omnes tanquam de peregrinatione sua in patriam reducti, quod Christiano modo Oratoria audent construere, & licentiâ percepta linguam ligatam in laudem Salvatoris præsumunt solvere. Ipsi enim Barbari, mirâ Omnipotentis Dei operante Clementiâ, quorum licet adhuc Gentilitati sint quidam dediti, nullum tamen ex illorum subditis vetant baptizari, nec Sacerdotibus invident quocumque libet proficisci, sed ita concordes sunt Pagani cum Christianis, tantamque adinvicem habent familiaritatem, ut illic Isaiæ videatur impleri Prophetia: „Lupus & agnus pascentur si„mul, leo & bos comedent paleas. *Factum est ergo, ut penè cuncta Ungrorum natio sit prona ad percipiendam fidem sanctam. Sed & aliæ Sclavorum provinciæ ad credendum promptæ; & est ibi messis quidem multa, operarii autem pauci.*

V. *Petit Piligrinus in mittantur prædicatores.*

Unde quoque visum est jam necessarium esse, quatenus Sanctitas Vestra illic aliquos jubeat ordinari Episcopos, quia & quondam Romanorum, Gepidarumque tempore proprios septem Antistites eadem orientalis Pannonia habuit & Mœsia, meæ sanctæ Laureacensi, cui ego indignus ministro, Ecclesiæ subjectas, quorum etiam quatuor, usque dum Ungri regnum Bavvaricum invaserunt (quod anno CM contigit) *sicut præsenti cognitum est ætati, in Moravia manserunt. Quod nimium grave ac valde onerosum est mihi, ut tot Pontificii Parochias solus prædicando circumeam, quibus necessitate & adjutoris inopiâ cogor nunquam meam subtrahere præsentiam. Ecce, dominorum amantissime, hujusmodi Ecclesiasticis mancipatus officiis detineor, &, ni fecissem moram sæpe dictæ gentis conversioni, ire & prosterni ad Vestræ Sanctitatis vestigia non distulissem.* Petit postea Pilgrinus, ut sibi Pallium, quod sui Prædecessores accipere soliti erant, dirigere dignetur, & confirmari sibi commissam populi gubernationem.

VI. *Literæ Benedicti VII ad Episcopos Germaniæ.*

Benedictus VII his literis acceptis alias dedit, inscriptas *Hrotberto S. Moguntinæ Ecclesiæ, & Dioterico S. Trevirensis Ecclesiæ, atque Adalberto S. Magdaburgensis Ecclesiæ, parique modo Gereoni S. Coloniensis Ecclesiæ, atque Friderico S. Juvavensis Ecclesiæ, sed & Adaldago S. Bremensis Ecclesiæ Archiepiscopis, pariterque domino nostro Ottoni gloriosissimo Imperatori Augusto, atque nepoti suo Heinrico præcellentissimo Duci Bawariorum, cæterisque omnibus Episcopis & Abbatibus, Ducibus atque Comitibus Galliæ atque Germaniæ.* In iis asserit Pontifex Piligrinum duos ad se misisse Præsbyteros, & Laureacen-

tis

sis Ecclesiæ Privilegia, in quibus co..tinebatur, *quod atate Pontificatus B. Symmachi* (anoo DXIV demortui) *hujus alma sedis Apostolica Præsulis, præfata Sancta Lauriacensis haberetur Ecclesia Metropolis: & inquantum tam exinde, quam etiam de Passionibus beatorum Martyrum, qui illic plures in tempore persecutionis pro fide Christi variis sunt tormentis mulctati, colligere possumus, ex omnibus Ecclesiarum diœcesibus Pannonia, hac antiquitate & Archiepiscopii dignitate esse primitiva creditur; qua jam multis retroactis temporibus ex vicinorum frequenti populatione Barbarorum deserta & in solitudinem redacta, nullum Christiana professionis habitatorem meminit, usque dum invictissimus Augustus & pater patria, genitor quippe pii* (sc. Ottonis II) *Imperatoris nostri (quem adhuc superesse & diu dominari mundus exoptat), bellico tropheo eorum vires retudit*, anno nempe CMLV.

VII. *Dilatatio fidei Christianæ in Hungaria.* *Nunc autem, quam ob rem vocibus exultantibus in laudem Omnipotentis Dei erumpimus, non solum sancta Dei Lauriacensis Ecclesia, hostium cessante terrore cum accolis suis pace & tranquillitate potitur; verum etiam ipsi dudum inimici, illum, quem persecuti sunt more gentili, jam jam Christum baptizati profitentur, & Sacerdotes modo haberi desiderant, ac, prout scire rudes potuere, venerantur, & Ecclesias quasdam in sua terra, quas patres incendio delerunt, posteri restaurare videntur. Hac ergo suadente ratione, quod prænominati Sancta Lauriacensis Ecclesia Archiepiscopi postulatio antiquâ Apostolicâ auctoritate commendatur, & praterea quod, cum justum esset, pariterque utile etiam visum est, ut ad fructificandas Deo gentes ex novitiis culturibus fidei Ungrorum atque Maravorum, sive etiam aliis multis Sclavorum sua Parochia finitimis, illic ordinatis Episcopis secundum quod antiquitus dispositi erant, eis hunc constitueremus Archiepiscopum. Quoniam autem Salzburgensis Ecclesia Metropolis abusa est subjectione sancta Lauriacensis Ecclesia Pontificii* (pro Pontificatu) *obliterata & attenuata sua dignitate ex devastatione Barbarorum, quam propterea perceptis Apostolicis Privilegiis nequaquam patimur privari, cum & priora sint Salzburgensibus, & ideo auctoritativa, qua conditio testimonii etiam apud secularia judicia viget & prævalet.*

VIII. *Divisio Salisburgensis & Lauriacensis Metropoleon confirmatur.* Paucis interpositis ait Benedictus VII: *Sicut modernis temporibus sancta memoria Agapitus Papa* (hujus nominis II, cujus literas suo loco retulimus) *terminos earumdem Parochiarum abinvicem distinxit; sic & ipsi diffinimus, ita quoque ut sancta Salzburgensis Ecclesia superioris Pannonia Episcopos habeat Suffraganeos, quibus usque huc sui Pontifices praesse videbantur cum tanta taliquae Diœcesi, quali hactenus in inferiori usi sunt Pannonia. Sancta autem Lauriacensis Ecclesia in inferioris Pannonia atque Masia regiones, quarum provincia sunt Avaria atque Maravia, in quibus septem Episcoporum Parochia antiquis temporibus continebantur, suique Antistites Archiepiscopalem deinceps potestatem cum tanta taliquae diœcesi, quali hactenus in superiori usi sunt Pannonia.*

IX. *Metropolis Lauriacensis duravit usque ad annum CMXCII.* Utraque Epistola Tom. IX. Concil. pag. 719. recitatur, sed ex editione parum correcta. Lambecius, qui eas refert, ait in correctis exemplaribus legi *Lauriacum*, & *Lauriacensem Ecclesiam*, non verò Laureacum aut Laureacensem Ecclesiam, observatque has literas inter annum CMLXXV, quo Benedictus VII creatus Pontifex, & CMLXXVII exeuntem, scriptas esse; cùm *Robertus* Moguntinus Archiep. & *Dietericus*, seu Theodericus Archiep. Trevirensis anno CMLXXVII, teste Trithemio in Chronico Hirsaugiensi, vivendi finem fecerint. Imò ex anno CMLXXVII scriptæ; cùm ibidem referat Lambecius epitomen Diplomatis ab Ottone II emissi, quô is Metropolitanam Ecclesiæ Lauriacensis dignitatem confirmavit literis, in quibus dicitur: *Datum III nonas Octob. anno domini DCCCCLXXVII, indict. VI anno regni Dn. Ottonis Imperatoris Augusti XVII. Actum in civitate Ratisbona*, quod effectus fuit commendationis Benedicti VII, cui detulit Otto II. Has autem Piligrini & Benedicti VII literas huc usque distulimus, quòd memoriæ lapsu illas suoc prætermiserimus. Porrò *Piligrinus* ultimus fuit Lauriacensium Archiepiscoporum, qui enim ei anno CMXCII secundum antiquum MS. Bibliothecæ Cæsareæ, non verò CMXCI secundùm Hundium in Metropoli Salisburgensi, successit, non jam amplius *Lauriacensis* fuit *Archiepiscopus*, sed solum *Episcopus Passaviensis*, & tam ipse, quàm omnes ejus successores deinceps caruerunt *Archiepiscopali Pallio*, inquit idem Lambecius. *Geisa* porrò, qui hoc tempore apud *Hungaros* regnabat, mite ingenium sortitus erat, cujus filium *Stephanum* ac postea in regno successorem baptizavit *Sanctus Adalbertus* Pragensis Episcopus, de quo secundus Auctor Vitæ hujus Antistitis loquens asserit, illum, postquam in Episcopatum Pragensem restitutus fuit, quod anno CMXCIV contigit, Hungaros à religione Christiana alienos non invenisse: *Non tacendum*, inquit, *quod juxta positis Ungaris nunc nuncios suos misit, nunc se ipsum obtulit: quibus etiam ab errore suo parum mutatis umbram Christianitatis impressit.* Sed de plena Hungarorum conversione, quorum barbaries nunc mansuescere incipiebat, suo loco sermo erit. Juvabit etiam observare hanc gentem, postquam anno CMLV ab Ottone M. acie victa fuit, valdè imminutam ac debilitatam fuisse, ideoque & innatam ferociam sensim deposuisse.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6473. — *Anno Eræ Hisp. MXVIII. Anno Hegiræ CCCLXX, inchoato die 5. Julii fer. 7.*

☉ 9. DC. ☽ 12. P. 11. April. Indict. 8.

JESU CHRISTI 980.

BENEDICTI VII PAPÆ 6.

OTTONIS II IMP. 8. & 14.

BASIL. & CONST. IMPP. 5.

I. *S. Adalbertus post triennium Episc. Pragensis dictus.* ANNum. I ad V. *Sanctus Adalbertus* Episcopus Pragensis & Martyr, cujus Episcopatûs initium in præsentem annum confert Baronius, eam tantùm dignitatem adeptus est anno CMLXXXIII. Hujus sancti Antistitis à Leone Ostiensi Bohemorum & Prussorum Apostoli appellati Vitam primùm scripsit Anonymus Cœnobii Romani Sanctorum Bonifacii atque Alexii Monachus, imperante Ottone III, ut ipsemet testatur num. XVI. Hunc Anonymum proximè secutus est alter Monachus, qui aliam ejusdem Sancti Vitam regnante Sancto Henrico, postmodum Imperatore, elucubravit, ut ipsemet

SÆC. X. An. Ch. 980.

mer indicat num. I. Utramque viderat Baronius, & utramque refert Henschenius ad diem XXIII Aprilis; priorem verò Mabillonius Sec. V Benedict. pag. 846. Sed antequam de ejus Episcopatu verba faciamus, aliqua nobis necessariò præmittenda sunt.

II. *Profectio Romana Ottonis II.*

Ottonem II hoc anno Romam profectum esse rectè scripsit Baronius, docetque Chronographus Hildensheimensis, qui adhunc annum scribit: *Lotharius Rex* (nempe Francorum) *cum magnis muneribus ad Imperatorem veniens, se secum filio suo* (nempe Ludovico V cum patre regnante) *subjecit voluntati Imperatoris: & eodem anno firmata pace Imperator Italiam penetravit.* De hac pace loquitur Sigebertus in Chronico hoc anno, referens *Ottonem Imp. & Lotharium Regem super Carum fluvium convenientes, datis invicem sacramentis pacificatos, Lotharingiamque à Lothario abjuratam.* Nangius verò ex Hugone Floriacensi, non *super Carum*, sed *Rhemis pacificatum*, non *abjurasse*, sed *in beneficium Lotharingiæ ducatum Ottoni dedisse* Lotharium, *id contra Principum regni voluntatem* factum, *magis eorum corda contristavisse* scribit: verùm cùm Otto usque ad mortem in Italia manserit, & per eam mortem *Adalbertus* Pragensis Episcopus dictus fuerit, non sequitur Adalbertum ante annum CMLXXXIII ad infulas promotum fuisse.

III. *Flores S. Adalbertus postea Episc. Pragensis.*

Natus est hic Sanctus in Bohemia maxima tunc ex parte *infidelitatis errore præventâ*, sed in illis finibus, ubi Christiana religio florebat, & quidem ex nobilissimis ac piissimis parentibus. In sacri Baptismatis lavacro datum est illi nomen *Vuoytech*, ut narrat antiquior ejus Vitæ Auctor. In Codice, quo usus Baronius, num. I dicitur *Wentius*, sed errore, ut videtur, Librarii, pro discendis liberalibus studiis missus est à patre ad *Adalbertum* Archiepiscopum Magdeburgensem, qui ei in confirmatione sacrosancti chrismatis Adalberti nomen dedit. Postea in patriam redit, ubi mortuo Episcopo in ejus locum Adalbertus noster substitutus est, quo tempore *Boleslaus Pius*, Sævi filius, Bohemiæ Dux Principatum gerebat. *Redeunt interea de Saracenico bello, adiit Veronam Imperatorius apex, scilicet Otto secundus*, &c. *Ad hunc ergo Sclavonica manus perrexit, ferens legationem de parte Ducis & obtulit electum Episcopum*, &c. *Consecratus ille festo amicorum domini Jesu Petri & Pauli, multo comitatu equitat in dulcem patriam.* Otto verò II anno CMLXXXIII *Veronæ Placitum habuit*, ut disertè notat Chronographus Hildensheimensis. Quare eo Christi anno in festo Apostolorum Petri & Pauli Adalbertus consecratus est Episcopus Pragensis. Baronius num. IV tradit, eum *triennio apud suos in Episcopali functione mansisse.* Sed ex infrà dicendis constabit, eum Episcopatum non reliquisse ante annum CMLXXXIX, & anno solùm CMLXXXIII eam dignitatem consecutum esse.

IV. *Haraldus Daniæ Rex occiditur.*

Ad num. X & seqq. *Haraldus* anno circiter CMXXXI in Dania regnare cœpit, annoque CMXLVIII cum filio *Suenone* fidem Christianam suscepit, quæ latiùs tunc per Daniam propagari cœpit, uti anno CMXLIX num. I & seq. narravimus. Verùm post aliquot annos *Sueno* ejuratâ, quam suis sciebat esse exosam, Christiana religione, arma adversùs patrem capessiit, eâque profligatâ illum fugere compulit, qui hoc anno sagittâ vulneratus moritur, uti ostendit ejus epitaphium à Baronio num. X recitatum, & ibidem Adamus lib. 2. cap. 18. pergit persecutionem exponere, quæ Danorum Ecclesias læsit, & post multa *Suenonem* Daniæ Regem à Deo castigatum, regno privatum, & in Angliam pulsum, indeque repulsum tradit. Quæ omnia, aliaque uno tenore Baronius recitat, & nos ad majorem claritatem in suos annos distribuemus.

SÆC. X. An. Ch. 980

V. *Eo mortuo gravis persecutio in Christianos Daniæ excitatur.*

Fusiùs Haroldi mortem & cladem narrat Helmoldus lib. I. Chron. Slavorum cap. 15. atque: *Apud Danos Sueinotto, filius Christianissimi Regis Haroldi, diabolico spiritu inflammatus, multas adversùs patrem molitus est insidias, cupiens eum quasi longævum & minùs validum regno privare, & opus divinæ plantationis de finibus Danorum penitùs exterminare. Haroldus autem primùm quidem gentilis, deinde magni patris Unni* (Archiepiscopi Hamburgensis) *doctrina ad fidem Christi conversus, tanta se erga Dominum devotione exercuit, ut non surrexerit similis ei inter omnes Reges Danorum, qui tantam Aquilonis latitudinem, ad fidem divinæ cognitionis traxerit, ut omnem terram Ecclesiis & Sacerdotibus fecerit esse insignem. Hujus viri industria, in divinis quidem rebus fuit eximia, nihilominus tamen in mundana sapientia, in his videlicet, quæ ad regni gubernationem pertinere videntur, adeo claruit, ut leges & jura statuerit, quæ pro auctoritate viri, non solùm Dani, sed & Saxones adhuc hodie servare contendunt. Concitantibus ergo his, qui Deo servire & pacem Regis detrectabant, Dani unanimi conspiratione Christianitatem abdicant, & statuentes impium Suein in regnum, patri ejus Haroldo bellum indicunt.* Paulò post: *Ventum est ergo ad bellum, in quo conflictu victa est pars Haroldi, cecideruntque vulnerati multi. Ipse verò Haroldus graviter sauciatus fugit ex acie, ascensaque navi elapsus est ad civitatem opinatissimam Slavorum, nomine Winneptam. Ubi præter spem, quia barbari erant, humanè receptus, post aliquos dies ex eodem vulnere deficiens, in Christi confessione migravit, adscribendus non solùm inter Deo dignos Reges; sed etiam inter gloriosos martyres. Regnavit autem annis quinquaginta. Quo defuncto Suein regno potitus, in sua crudelitate sævire cœpit, gravissimam in Christianos persecutionem exercens. Conjurrexeruntque omnes iniqui in finibus Aquilonis, gaudentes vel tunc patere locum malitiæ suæ, bellis scilicet & perturbationibus, cœperuntque finitima regna vexare terrâ marique.*

VI. *Sueno ejus filius in Angliam irrumpit.*

Auctores Anglici, uti notat Alfordus hoc anno num. IV *Suenonis* mentionem primum faciunt anno CMXCV, indeque sequentis seculi initio, quando Angliam semel iterumque ingressus, ea tandem potitus est, eumdem nominant. Omnes tamen incursium aliquem *Danorum* ad Ethelredi Regis exordia referunt. *Suenonem* verò cum illis fuisse, docet Adamus apud Baronium num. XIV, cum ait post annos quatuordecim, anno scilicet CMXCIV, e Scotia solvisse, ut repulsam, quam hoc anno tulit, ulcisceretur. De Suenonis itaque adventu in Angliam intelligendi sunt Wigorniensis, Florilegus, Hovedenus & alii, qui aiunt: *Anno nongentesimo octogesimo Suthamtonia, à Danicis piratis devastatur, & ejus cives omnes ferè vel occisi, vel captivi abducti sunt: nec multò post Tenedland insulam idem devastavit exercitus. Quo etiam anno civitatis Legionum provincia, a Norwegensibus*

Piratis

SÆC. X. An. Ch. 980

Piratis devastatur. Tanctum igitur insula in Cantio, & urbs Legionum hoc anno à Danis devastatæ, & uti ex Adamo Bremensi citato colligitur, à Suenone expeditionis hujus Principe, qui regno expulsus, sedem quærebat. Sed quia Christianorum juratus hostis, ab Anglis rejectus est. Nam, ut habet Adamus Bremensis, Hericus potentissimus Rex Sueonum Daniam invasit, & Suenonem à regno depulit.

VII. *Jurgium inter Ottonem II. & S. Adelhaidem ejus matrem.*

Otto II quorumdam adulatione deceptus recessit corde à matre Adelhaida, uti narrat Sanctus Odilo in ejus Vita in Bibliotheca Cluniacensi relata. Illa *filium diligens, auctores discordiæ ferre non valens, secundùm Apostoli præceptum, dans ad modicum iræ locum, paternum decrevit expetere regnum. Ubi à fratre Rege scilicet Chuonrado, & nobilissima Mathilde, ejus conjuge benignè & honorabiliter est suscepta. Tristabatur de absentia ejus germania, lætabatur in adventu ejus tota Burgundia, exultabat Lugdunus Philosophiæ quondam matrix & nutrix, urbs inclyta, nec non Vienna nobilis sedes Regia* (nempe Regum Burgundiæ) *postmodum verò Cæsar Otto ductus pœnitentiâ, direxit legationem Regi avunculo, & sanctæ recordationis patri Maiolo, sub celerrima festinatione obnixiùs deprecans, ut gratiam matris, quam suis exigentibus culpis perdiderat, eorum interventibus promereri possee, orans iterùm eos & obsecrans, ut quantocyùs possent, unà cum Augusta matre Papiam ei studerent occurrere. Tantorum enim virorum usa consilio, apud Papiam tempore statuto occurrit mater filio, quo cùm mutuò se cernerent, flendo & lachrymando toto corpore solo prostrati, humiliter se salutare cœperunt. Affuit in filio humilis pœnitudo, erat in matre liberalis remissio, permansit in utrisque de cetero perpetua pacis indivisa connexio.*

VIII. *A S. Maiolo aufertur.*

Idem narrat Syrus Monachus in Vita Sancti Maioli Abbatis Cluniacensis lib. 3. qui ait: *Imperator matrem zelabatur, quia apud se falso crimine deferebatur; in eamque tunc quasi Reipublicæ dilapidatricem, & sui ab ea expulsatricem, per falsos delatores tali stimulabatur jurgio, ut eam versa vice propellere minaretur regno*, &c. Chronographus Magdeburgensis ad annum CMLXXVIII scribit: *Adelheidis Imperatrix cum filia Athelheide Abbatissa in Italiam profecta est propter quasdam discordias inter se & filium factas.* At non in Italiam, ut rectè Mabillonius Tom. V Benedict. pag. 580. sed in Provinciam, ubi Conradus cognomento Pacificus ejus frater regnabat, secessit Adelhaida; cumque reconciliatio facta sit Papiæ, ad hunc Christi annum, quo Otto II in Italiam abiit, ea revocanda est. Et quidem anno insequenti Pascha Romæ Otto celebravit *præsente matre*, ex eodem Chronographo.

Anno Eræ Hispan. MXIX. Anno Hegiræ CCCLXXI, inchoato die 6. Jul. fer. 4.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6474.

☉ 10. B. ☽ 13. P. 27. Mart. Indict. 9.

JESU CHRISTI 981.

BENEDICTI VII PAPÆ 7.

OTTONIS II IMP. 9. & 15.

BASIL. & CONST. IMPP. 6.

I. *Nicolaus Chrysobergis fit Patriarcha Constantinop.*

AD num. I. *Antonius Studita* Patriarcha Constantinop. ineunte anno nongentesimo septuagesimo nono abdicavit; & paulò post medium anni nongentesimi octogesimi tertii *Nicolaus Chrysoberges* Patriarcha Constantinopolitanus constitutus est, uti anno CMLXXVI num. III ostendimus. Neque Chrysobergis initium cum præsenti anno illigari potest, etiam in Baronii anno CMXCV mortem ejus rectè narrantis sententia; cùm ipsemet fateatur, eum sedem tenuisse annos XII & menses VIII. Quantis virtutibus *Antonius* exornatus fuerit, anno CMLXXV insinuavimus.

SÆC. X. An Ch. 981.

II. *Bellum Bulgaricum.*

Eruptio verò *Samuelis* Bulgarorum Regis bellicosissimi ad annum præcedentem retrahenda. Cedrenus enim pag. 695. ait: *Samuelus homo bellicosus, ac quietis impatiens, nactus licentiam, Romanis exercitibus bello adversus Durum occupatis, totum Occidentem incursionibus vexavit* & cetera à Baronio ex Curopalate hic recitata. Quare cùm bellum illud civile initio imperii Basilii ortum quadriennale tantùm fuerit, ut suo loco vidimus, sub finem anni CMLXXIX, aut saltem insequenti extinctum est. Ad hunc annum referendum quod ibidem de Basilii Imperatoris in Bulgariam expeditione narrat Cedrenus. *Basilius Imperator*, inquit, *ut primùm Duri negotio se expediit, ulcisci Samuelis maleficia cupiens, collectis Romanis exercitibus, in Bulgariam ipse ducere statuit.* Verùm hæc expeditio infelix fuit; cùm Imperator ægrè per fauces Philippopolim pervenerit, deceptus à Stephano Scholarum Occidentalium Domestico, *quem ob staturæ humilitatem Contostephanum appellabant*, Leoni Melisseno, quo Imperator utebatur, inimicissimo.

III. *Initium belli inter Ottonem II & Græcos gesti.*

Otto II hoc anno *Natalem Domini Romæ celebravit*, inquit Lambertus Schafnaburgensis. Chronographus verò Hildensheimensis notat, eum Pascha in eadem urbe celebrasse. Denique Hermannus Contractus juxta editionem Canisianam, *Otto Imperator*, inquit, *peragratâ Italiâ, Campanorum Calabrosque fines cum exercitu ingreditur.* Sigebertus verò: *Otto Imp. Apuliam & Calabriam Italiæ provincias ad jus regni Græcorum appendentes transferre ad imperium Romanum conatur, maximè propter affinitatem, quam per uxorem suam Theophaniam cum Imperatore Græcorum habebat.*

IV. *Anglia iterùm à Danis vexata.*

Anno nongentesimo octogesimo primo sancti Petroci confessoris martyrium in Cornubia devastatur à pyratis; qui anno præterito Suthantoniam vastaverunt. Qui deinde in Domnania, & in ipsa Cornubia circa ripas maris frequenter prædas agebant, inquit Hovedenus, quod & alii Historici Anglici habent. Quare Dani iterùm Angliæ maritima invasêre, verumque est quod scribit Huntindoniensis pag. 357. postquam Sancti Eduardi Regis Martyrium narravit. *Inde dominus iterùm ad iram promotus, & plus solito irritatus, genti pessimæ malum inextricabile conferre cogitavit.* Floruit Sanctus Petrocus monachus seculo sexto, quo Romam & Hierosolymam visitavit, & in Indiam ac Orientalem Oceanum penetravit, qui postquam sanctissimè vixisset, mortuus est in Cornubiensi monasterio circa annum DLXIV, ut videre est apud Usserium in Indice Chronologico Historiæ Britanniæ, & apud Alfordum in suis Annalibus. Testantur autem Historici Anglici Episcopalem sedem erectam fuisse in oppido, ubi sepultus fuerat. Incensa autem hoc anno Ecclesia cathedrali sancti Petroci Episcopatus aliò translatus fuit, hodieque, ut testatur Cambdenus in Cornuvallia, *Exonia* illo potitur.

Hoc

SÆC. X. An. Ch. 982. Hoc anno *Sanctus Adelbertus* primus Magdeburgensis Archiepiscopus mortuus est, ut anno CMLXXXIII ostendam.

Anno Eræ Hisp. MXX. Anno Hegiræ CCCLXXII. Inchoato die 26. Junii fer. 2.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ. 6475.

☉ 11. A. ☽ 14. P. 16. April. Indict. 10.

JESU CHRISTI 982.

BENEDICTI VII PAPÆ 8.

OTTONIS II IMP. 10. & 16.

BASIL. & CONST. IMPP. 7.

I. *Anglia à Danis vexata.* HOvedenus Part. I Annal. pag. 417. Danos ab Anglis vexandis non destitisse, his verbis narrat: *Anno nongentesimo octogesimo secundo ad provincias Dorotensium* (legendum, *Dorcetensium*, ut ex Wigorniensi & Florilego rectè emendat Alfordus) *tres naves Pyratarum applicuerunt, & Portland devastaverunt. Civitas Lundonia igne cremata est.* Idem habent Annalista Mailrosensis, & quidam alii Historici Anglici.

II. *Translatio S. Eduardi Martyris.* Hoc anno corpus *Sancti Eduardi* Martyris, quod in loco non longè ab eo in quo necatus fuit, jacuerat, crebrescentibus miraculis, aliò cum pompa translatum est, uti narrat Malmesburiensis lib. 2. de Gest. Pont. pag. 151. *Jacuit ergo ibi triennio invidentibus inimicis mortuo cespitem Ecclesiasticum, cui vivo inviderant decus Regium. Sed affuit divina potentia, qui insontem signorum levaret gloriâ. Ibi ostensa de cœlo lumina, ibi claudus gressum composuit, ibi mutus organum resumsit, ibi prorsùs omnis invaletudo sanitati locum fecit.* Cùm enim Sanctus Eduardus anno CMLXXVIII occisus fuerit, triennium illud anno superiori absolutum fuit. Subdit postea Malmesburiensis, *Elfridam* Reginam Sancti interfectricem, pœnitentiæ causâ duo monasteria condidisse, & jam lib. 2. de Gest. Reg. pag. 61. hæc de eadem Regina dixerat: *quoniam animus indisciplinatus ipse sibi tormentum est, patiturque suos etiam hic mens anxia manes, Elfrida de illo Regali supercilio inclinata dirè pœnituit, adeo ut multis annis apud Walewellam* (ubi monasterium fundarat) *carnem in deliciis nutritam, cilicio convolveret, noctibus solo strata sine cervicali somnum hauriret, cruces præterea quascumque posset corpori comminiscens; speciosa mulier & pulchrè vivo sobria, sed quod tantum nefas commisit pœnâ digna.* Sancti Eduardi corpus in Septoniensi monasterio repositum, annoque MI è Septontoniensi Ecclesia ad Glastoniensem translatum.

Hoc anno magnum prælium inter Ottonem II & Græcos in Calabria habitum, ut legere est anno insequenti.

Anno Eræ Hispan. MXXI. Anno Hegiræ CCCLXXIII inchoato die 15. Junii fer. 6.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6476.

☉ 12. G. ☽ 15. P. 8. April. Indict. 11.

JESU CHRISTI 983.

BENEDICTI VII PAPÆ 9.

OTTONIS III REG. 1.

BASIL. & CONST. IMPP. 8.

I. *Prælium in-* SÆC. X. An. Ch. 983. *ter Ottonem II & Græcos.* ANum. I ad XVII. Baronius num. I ait, Leonem Ostiensem lib. 2. cap. 9. duplicem Ottonis II in Campaniam & Calabriam adventum ponere, pacificum alterum, alterum cum exercitu. De primo adventu his verbis: *Capuam venit, inde Tarentum, ac Metapontum adiit, deinde Calabriam.* De secundo: *Inde prosperè ad suos rediens anno Domini CMLXXXIII magno conflato exercitu iterum in Calabriam dimicaturus cum Sarracenis advenit.* Verùm Leonem Ostiensem prælium illud malè in præsentem annum distulisse, & Ottonem II anno CMLXXXI cum exercitu venisse in Calabriam, annoque CMLXXXII cum hostibus dimicasse, certum esse debet. De priori ejus in Calabriam adventu anno CMLXXXI egimus. Anno verò CMLXXXII *Ottonem* II cum Saracenis infeliciter pugnasse, testantur Hermannus Contractus juxta editionem Canisianam, Lambertus Schafnaburgensis, Sigebertus in Chronicis, & cum illis Chronographus Hildensheimensis, nec ullus ex Antiquis Leoni Ostiensi suffragatur.

II. *Ottoni II infaustissimum fuit.* Rem gestam his verbis narrat Hermannus: *Græci cum magnis copiis, conductis etiam pretio Saracenis, calabriam contra Ottonem Imperatorem. Defendere aggressi, magnis utrimque viribus conserta* (legendum, consertâ pugnâ) *primò victi, & deinde novâ manu succurrentibus Agarenis exercitum nostrum privant vel capiunt. Ipseque Imperator in mari natando fugiens, ab hostibus captus, cùm non agnosceretur ab eis, ad quoddam castrum maritimum pro pretio, ut rogabat, adductus, a suis redemptus est. In eo conflictu nostris infaustissimo, inter alios innumeros Heinricus etiam Augustensis interfeptus disparuit, eique Etich in Episcopatu successit.* Mortis hujus Heinrici Sancti Udalrici in Episcopatum Augustensem Successoris mentio est in hujus Sancti Vita à Gerardo Presbytero ejus familiari scripta, cujus verba Baronius num. XIII recitat, animum tamen non advertens ad errorem, vel Gerardi, vel Librarii. Ait enim Gerardus: *Anno Incarnat. Domini nostri J. C. CMLXXXIII Imperator cum exercitu Calabriam provinciam adiit,* &c. loco *anno Incarnat. Domini nostri J. C. CMLXXXII.* Mabillonio etiam Sec. V Benedict. pag. 460. fucum fecit locus iste notanti ex eo corrigendum esse Hermannum Contractum. Præterea Baronius ibidem ait, Sigebertum anno sequenti consignare mortem *Theoderi* Metensium Episcopi, cum tamen Sigebertus prælium istud cum superiori Christi anno conjunxerit, annoque CMLXXXIV *Theoderici*, seu *Dioderici* Episc. Metensis obitum narrarit.

III. *Accurata ejus narratio.* Nullus meliùs Hepidanno Sancti Galli Monacho hanc expeditionem exposuit, qui tamen in anno, ut passim in aliis hoc tempore peccavit. Ait is: *CMLXXXVIII* (scribere debuit CMLXXXII) *Otto Imperator non contentus finibus patris sui, dum esset Romæ, egressus est occupare Campaniam, Lucaniam, Calabriam, Apuliam & omnes ulteriores partes Italiæ, usque ad mare Siculum & portum Traspidem. Qua causa Imperator Constantinopolitanus, sub cujus hac erat omnis terra imperio, primò per nuncios nequicquam eum tentat revocare ab incœpto. Dein Saracenos ex Sicilia, & aliis insulis maris, & finibus Africæ vel Ægypti, adversùs eum conduxit in prælium, cum quibus ille infeliciter dimicavit. Nam ad prandendum eos venire æstimans, dum paucos in littore maris*

quasi

quasi latrunculos conspicit, parva manu aggressus est eos opprimere, & circumfusus infinita multitudine, quæ se nocte in montibus occuluit, omnibus in exercitu suo fugatis, vel occisis, vel captis, ipse navigio vix ad castellum quoddam suorum evasit. Ex captivis autem multos postea reversos vidimus tam Clericos quam Laicos, quorum unus erat Vercellensis Episcopus carcere diu maceratus apud Alexandriam.

IV. *Otto II se ad novam parat expeditionem.*

Tum narrans quæ pertinent ad annum CMLXXXIII ait: *DCCCCLXXXIX. Hoc anno Imperator cogitans se vindicare in eos, qui in Sicilia habitant, Saracenos, voluit arte Darii quondam Regis Persarum, ponte navibus juncto, quemadmodum ille Græciam, ita & iste Siciliam intrare. Sed immatura morte præventus est, & Romæ sepultus.* Huc referendum quod prior Auctor Anonymus Vitæ Sancti Adalberti Episcopi Pragensis cap. 2. in eamdem rem tradit: *Rediens de Saracenico bello, adiit Veronam Imperatorius apex, scilicet Otto II, cui fuit manus in prælio fortis. Idem tunc victor, & victus, pro recolligendo milite huc venerat, volens ultum ire damnum victoriæ; sed nesciens, quia mors eum proxima pulsat.* Ubi obiter notabis, certum esse Adalbertum anno CMLXXXIII renunciatum esse Episcopum Pragensem; cùm electionem *Adalberti* Otto II confirmavit, quando Veronæ esset. Sed hac de re postea. Porrò anno superiori magnum illud prælium, ut prodit Lambertus Schafnaburgensis *Idus Julii* commissum, de quo Historici Byzantini mentionem non fecêre, fortè quod Græci Saracenorum auxilio usi sint. Sed suspicor librarium in mense Julio exprimendo ternarium numerum omisisse. Ditmarus enim lib. 3. pag. 33. illud cum *III Idus Julii* connectit.

V. *Moritur Otto II.*

Anno autem CMLXXXIII Hermannus Contractus habet: *Otto Imp. Romæ infirmatus VI Idus Decemb. moritur, ibique honorificè in porticu Sancti Petri tumulatur.* Idem scribit Marianus Scotus, sed Ditmarus habet *VII Idus Decemb.* Chronographus Hildentheimensis *post VIII Idus Decemb.* Ita ut Otto nocte inter VI & VII Idus Decembris obierit, dieque VIII Idus ejusdem mensis sepulchro mandatus fuerit. Sic enim explicandos Auctores, qui in alicujus Principis aut viri illustris morte narranda uno tantum die inter se dissentiunt, sæpius insinuavi.

VI. *Otto III ei succedit.*

Ottonem II demortuum VII Idus Decemb. ut etiam habet Chronographus Magdeburgensis editur. Eum excepit filius Otto III in Regno Germaniæ non verò in Imperio, quod nonnisi post aliquot annos adeptus est, quando scilicet à Gregorio V Papa coronatus fuit. Eum autem die natali Christi Regem acclamatum, testatur Chronographus Hildensheimensis. *DCCCCLXXXIV filiolus Imperatoris*, inquit Chronographus, *tertius videlicet Otto per unctionem Joannis Ravennatis Archiepiscopi in die natalis Domini unctus est in Regem. Sed postea comperta nece Imperatoris Heinricus quondam Dux* (nempe Bojoariæ) *de exilio regressus, cum sibi faventibus Agrippinam civitatem intravit, ac Regem retinuit: regnumque ejus invadendo, plurimos sibi de Saxonibus associavit, qui eum in proximo Pascha* (die XXIII Martii anno sequenti celebrato) *Quidelingaburg ad Regem elegerunt. Unde quidam de Optimatibus huic electioni non consentientes, sed Regis vicem magis dolentes, è contra haud modicum decertaverunt, & Regem in regnum suum restituerunt, & Heinricum Ducem Bajuvariorum denuò affecerunt.* Ubi Chronographus Hildensheimensis annum CMLXXXIV à die Natali Christi currentis anni exorditur. Hoc enim anno Ottonem III Regem Germaniæ dictum, ejus Diplomata evincunt. Adhæc Ditmarus lib. 3. narrata Ottonis III electione, de Ottone II ejus patre ait: *VII Idus Decemb. ex hac luce subtractus est: in die proximi Natalis Domini filius ab Joanne Archiepiscopo Ravennate, & à Willegiso Moguntiacense in Regem Aquisgrani consecratus est, & completo officio, mox Legatus tristi* (paternæ scilicet mortis) *nuncio tanta perturbans gaudia advenit.* Ubi Ditmarus, sicuti Chronographus Hildesheimensis citatus & Lambertus Schafnaburgensis annum Christi CMLXXXIV ab illo die Natalis Christi exordiuntur, ut Hildesheimensis & Lambertus disertè asserunt, & de Ditmaro demonstrabimus anno CMXCI. Vidimus alibi Sigebertum, Hermannum Contractum & Marianum Scotum in Chron. Principium anni à Nativitate Christi etiam repetere, & passim Recentiorum, qui hoc non animadverterunt, errores confutavimus. *Otto* itaque initia regni turbulenta nactus est, ut anno sequenti magis videbitur, tuncque *quartum ætatis annum* agebat, ut prodit Hepidannus in Annal. ad ann. CMLXXXVIII.

VII. *Obitus S. Adalberti Archiep. Magdeburgi.*

Ad num. XVII. *Sanctus Adalbertus* Magdeburgensis Archiepiscopus primus, non hoc anno, ut perperàm tradidit Adamus Bremensis, quem Baronius secutus est, sed anno CMLXXXI ad Deum migravit. Chronographus enim Magdeburgensis MS in Biblioth. Regia asservatus hæc scribit: *Anno Dominicæ Incarnat. CMLXXXI Athelbertus Magdeburgensis primus Archiepiscopus, Imperatore Romæ commorante, XIII suæ ordinationis anno* (non XII, ut habet Adamus à Baronio citatus) *suos docendo & confirmando, & Gisilero Præsule* (nempe Merseburgensi ab anno CMLXX, quô consecratus est à Sancto Adalberto, ut eo anno idem Chronographus habet) *qui tunc cum Cæsare fuit, diœcesim perlustrans, XIII Kal. Julii in Messeburh missam celebravit*, &c. *Is verò tapeto superpositus, completisque omnibus, quæ à Clericis dicenda erant, fideliter migravit ad Christum XII Kal. Julii*, &c. *quanta sollicitudine idem Archiepiscopus sibi commissis invigilaverit gregibus, lector attende. Sæpenumero ad ovile Sancti Joannis Baptistæ* (monasterium erat Monachorum in suburbio urbis positum) *Sanctique Mauritii noctis silentio venit, duobus tantùm comitantibus, qualiterque confratres ad matutinas convenirent, vel qui in Dormitorio remanerent, ex improviso prospexit: & si bene fiat, Deo gratias egit: sin autem culpabilet, digna castigatione redarguit.* Nomen tamen incluti hujus Præsulis à Baronio *Sancti* appellati Fastis Ss. non inscriptum. Pergit Chronographus:

VIII. *Gisilerus ei in Archiepiscopatum succedit.*

Sed Clerus & populus tanti Patris funere turbatus, Ochtricum confratrem, & tunc Imperatori fideliter servientem, communiter elegerunt in Dominum & Archipræsulem: quamvis hoc nullo modo posse fieri, dum adhuc viveret, beneque valeret, multis ex eorum numero publicè prædiceret, scilicet Adalbertus. Aliquibus interpositis subdit Chronographus: *Universus autem Clerus & populus, ut suprà memoravi, completa electione miserunt Ekkihardum, qui dicebatur Rufus, cum consilio aliorum fratrum & militum, qui hanc*

Imperatori

Imperatori nunciarent, & de promissis admonerent, qui cùm Italia partes, ubi tunc Imperator erat (anno nempe CMLXXXI) *itinere attingerent, Gisileri Merseburgensis Episcopi suffragium, qui apud Imperatorem tunc plurimum valebat, implorantes, legationis sua secretum ei aperiunt. Promissa est his ab eo fidelis intercessio, completurque proxima sibi in omnibus benevolentia. Namque ut audita Cæsaris auribus instillavit, pedibus supplex advolvitur, promissu & diu exspectata longi laboris præmiu postulans, Deo hoc consentiente protinus impetrat. Egressus autem interrogatur à nunciis & maximè ab Ochtrico, qui se fidei ejus firmiter commendaverat, si quid in sibi creditis proficeret: respondit quòd vix suis necessitatibus in hoc subveniret.*

IX. *Venit ad Concilium Romanum.*

Corruptis pecuniâ cunctis Optimatibus, maximèque Romanis judicibus, quibus omnia venalia sunt, qualiter ad Archiepiscopatum aliqua ratione veniret, primùm secretò revolvit: deindeque palam domni Papæ Benedicti VII, qui sic vocabatur ex numero præcedentium æquivocorum, obnixè petit auxilium: quod cum totius concilio Senatus, si posset impendi, paratum se fore & hic promisit. Positum est Romæ Concilium Generale: sapientissimi conveniunt, impleturque illa Jeremiæ Prophetia, Quomodo obscuratum est aurum, &c. *Nam cùm judices ab Apostolico interrogarentur, si liceret Gisilerum promoveri ad Archiepiscopatum, qui certam non haberet tunc sedem, sed ab Episcopo Hildiwardo injustè, ut semper questus sit, ablata caruisset hactenus quam possederat: tunc auctoritate Canonica jure meritoque hoc percipere verbis affirmabant & exemplis Davidica transgredientes monita,* Rectè judicate filii hominum: & *illud*

" Corruptus judex nescit discernere verum.

Piget atque pudet hoc verbis exponere, quod hi ad præsentem futurumque pudorem noluerunt amittere. Merseburch, qua usque huc libera dom nabitur, Episcopali sede destructa Halberstadensi Ecclesiæ subditur, & Gisilerus ejus non Pastor, sed mercenarius, ad majora semper tendens, desiderata IIII Idus Aprilis percepit. Ditmarus, qui in lib. 3. eadem iisdem verbis commemorat, habet *Septembris.* Paulò pòst Chronographus subdit: *Gisilerus autem acceptâ ab Imperatore licentiâ Magadaburh II Kal. Decembris Theoderico Metensis Ecclesiæ Episcopo comitante venit.* Ochtricus Monachus erat ac Scholasticus Magdeburgensis. Chronographus verò Magdeburgensis à Meibomio publicatus asserit, *Gisilerum* hoc anno, *suscepto à Benedicto Papa Pallio*, Archiepiscopatum Magdeburgensem ab Ottone Imp. *III Idus Septembris, ut mos exegit*, accepisse, & *I Kalend. Decemb.* solemni ritu Magdeburgi à Clero ac populo susceptum fuisse.

X. *In eo lecti Canones adversùs Simoniacos conditi.*

Verùm falsum de *Gisilero* rumorem fuisse, insinuant non tantùm quæ de eo Baronius ex Adamo Bremensi hoc anno habet; sed etiam Epistola Benedicti VII in laudato Concilio Romano data, & Tom. IX Concil. pag. 1244. ex Baluzio recitata. Ea enim adversùs ordinationes Simoniacas, præsente Ottone II, qui eidem interfuit, emissa, demonstratque tantùm abesse, ut Synodus Romana, ad quam Gisilerus venit, Simoniacis faverit, ut in ea lecta fuerint Capitula de sacris Canonibus adversùs Simoniacos edita: *Notum esse volumus omnibus*, inquit Benedictus VII, *catholicis & orthodoxis Archiepiscopis*, &c. *qualiter Synodum aggregatum est in Ecclesia B. Petri Apostolorum Principis, ante sacratissimum ejus corpus, unà cum Domno Ottone serenissimo Imperatore Augusto, spirituali filio nostro*, &c. *& ibidem perlecta sunt capitula de sacris Canonibus, qualiter liceret Episcopo de sacris ordinibus aliquod sumere præmium*, &c. paulò pòst: *Unde nos, charissimi fratres & dilectissimi filii, sollicitè vigilare oportet, qui Pastoralem curam in nostris ovibus exercendam suscepimus, ne eas lupinis dentibus lacerandas tradamus*, &c. *Is autem qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neque exactus aut petitus, post acceptas chartas & Pallium, offerre aliquid cuilibet ex clero gratiæ tantummodo causâ voluerit, hoc accipi, nullo modo prohibemus: quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non processit.* Quod ex Divo Gregorio lib. 4. Epist. 44. desumtum. Porrò Concilium istud Romanum, non anno CMLXXXIII, ut in citato Tomo Concil. habetur, sed anno CMLXXXI proculdubio congregatum, ad quem ideò in alia Conciliorum editione omninò referendum erit cum iis, quæ de eodem memorantur in Chronico Magdeburgensi à Meibomio Tom. II Collect. publicato, in quo eadem prorsus de morte Adalberti & de successione Otrici narratur.

XI. *Mors Adalberti & Concilium Rom. anno CMLXXXI contigêre.*

Sed quia annus emortualis *Adalberti*, quo Synodus illa Romana habita, in controversiam vertitur, validè hîc confirmandus, eò magis quò *Ditmarus* Merseburgensis Episcopus Archiepiscopi Magdeburgensis Suffraganeus, qui hoc tempore vivebat, exordium Archiepiscopatûs Adalberti cum die XVIII mensis Octob. *anni CMLXX*, ejusque mortem cum die XX Junii, & cum *tertio decimo* ejus *ordinationis anno* alligare videatur lib. 3. cap. 30. Ex eo enim sequeretur, *Adalbertum* die XX Junii anni CMLXXXIII Spiritum Deo reddidisse. Verum licet error ille antiquus, non dubito tamen, quin in librarios refundi debeat, qui ubi *Ditmarus* scripserat. Adalbertum *ordinatum*, idest, Pallio donatum *anno CMLXVIII*, scripsêre *anno CMLXX.* Hoc nostræ conjecturæ fundamentum; quia Ditmarus Adalberti morte, iisque quæ eodem anno contigêre, narratis, refert expeditionem *Ottonis* II adversùs Græcos Calabriam obtinentes, & prælium initio mensis Julii anni CMLXXXII ab eo infeliciter commissum; quare supponit *Adalbertum*, non die XX mensis Junii anni CMLXXXIII, sed die XX Junii anni CMLXXXI vitâ functum, ideoque anno CMLXVIII, non verò anno CMLXX *ordinatum*, seu Pallio fuisse donatum. Verbum enim *ordinari*, & vox, *ordinatio* non semper significant *sacram ordinationem*, sed sæpe electionem, renunciationem, destinationem, aut quid simile, ut seculo VII de Sancti *Wilfridi* Episcopi Eboracensis *ordinatione* verba faciens variis exemplis demonstravi; quòd animadvertissem, ex hujus vocis, quæ non exponitur in Glossario Ducangii, perversa explicatione, varios errores exortos esse.

XII. *Hoc magis probatur.*

Adalbertus itaque anno CMLXXXI vivendi finem fecit, uti præter utrumque Chronographum Magdeburgensem disertè habet Lambertus Schafnaburgensis in Chron. Licet memoriæ lapsu Baronius num. VIII asserat, Lambertum *Adalberti* obitum consignare *anno CMLXXXII.* Idem tradit Langius in Chron. Citizensi. Nec contrarius est *Ditmarus*, sed locus, in quo dicitur Adalbertus ordinatus anno CMLXX

CMLXXX, depravatus, ut ex iis quæ mox dixi manifestè deducitur. Corruptus est & locus Chronici Magdeburgensis à Meibomio publicati, in quo pag. 274. legitur: *Adalbertus primus Magdeburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus præcessit* (idest, præfuit) *annis tredecim, menses octo*. Loco enim, *annis tredecim*, legendum, *annis duodecim*; cùm ipsemet postea pag. 277. testetur, eum demortuum *XIII Pontificatus sui anno, XII Kalend. Julii*, & tumulatum *Dominicæ Incarnat. anno CMLXXXI*. De ejus illustribus virtutibus plura habet idem Chronographus, sicuti & Mabillonius Sec. V Benedict.

XIII. *S. Adalbertus fit Episc. Pragensis.* A num. XVIII ad XXV. Alter *Adalbertus* mortuo hoc anno *Dithmaro* vel *Diethmaro* primo Pragensi Episcopo, in ejus locum subrogatus est, uti anno CMLXXX num. I diximus, & mox indicavimus. Post annos septem, ubi vidit subditos *obdurato corde in Deum grandia quæque & nova scelera adimplere, cogitat melius esse relinquere, quàm in cæco & spento pereunte populo operam deperdere; quod maximè de tribus causis esse dicunt, cujus rei ordinem, ipso narrante compererunt. Prima & velut principalis causa, propter pluros uxores unius viri; secunda propter detestanda conjugia clericorum; tertia propter captivos & mancipia Christianorum, quos mercator Judæus infelici auro emerat, emptosque tot Episcopus redimere non potuit*, inquit primus Auctor Vitæ ejus, eidem coævus.

XIV. *Deserit Episcopatum.* Relicto itaque Episcopatu Romam venit. *Erat ipsis diebus Romæ Imperatrix Augusta Theophania, mater ejus, qui modo regnat, tertius, & Deo juvante maximus Otto*, subdit idem Anonymus. Quare cùm Theophania anno CMXC Romæ fuerit, ut infrà ostendemus, Chronographus Magdeburgensis adhuc ineditus rectè scripsit: *Anno CMXC Sanctus Adalbertus Romæ ad sanctum Alexium, inscio Abbate quis esset, factus est Monachus. Nam videns quod grex sibi commissus semper in præcipitium iret, nec eum ad rectam viam convertere quiret, timens ne & ipse cum pereunte plebe periret, non ausus est cum eis amplius stare, nec passus est suam ulterius incassum prædicationis operam perdere. Sed cùm jam Romam iter arripere vellet, fortè ipso tempore Zirahquaz* (qui monachos erat) *filius Boleslai, qui sanctum Vuenezlaum* (seu Wenceslaum) *fratrem suum interemerat, atque ad placandum hunc, de quo loquimur, Abbati Sancti Emmerammi martyris Ratisponæ imbuendum voverat & contradiderat, qui veniebat cum sui Abbatis licentia de Ratispona post multos annos visere patriam, & cognatos, & fratrem suum Bohemiæ Ducem. Cum quo vir Dei Præsul Adelbertus secretum petiit, & multa conquestus est de infidelitate & nequitia populi, de incesta copula & illicito discidio inconstantis conjugii, de inobedientia & negligentia cleri, de arrogantia & intolerabili potentia Comitum. Ad ultimum intentionem sui cordis aperit, quòd vellet Romam Apostolicum consultum ire, & ad gentem apostatricem nunquam redire. Inter hæc & ad hæc addidit: Et bene est, inquit, quod tu frater nosceris esse Ducis. Te plebs ista mavult dominari, & tibi magis obedire, quàm mihi. Tu consilio & auxilio fratris superbos comprimere, negligentes arguere, infideles increpare, inobedientes corripere poteris. Tua dignitas & scientia; tui habitus sanctimonia multum concordant ad hæc regimina. Quod ut fiat, ego tibi cum Dei voluntate & mea potestate concedo, & ut liceat me vivente ut sis Episcopus, apud Apostolicum votis omnibus intercedam. Et quem manu forte tenebat, Episcopalem baculum ponit ei in sinum. Quem ille quasi furibundus in terram projecit, & hæc insuper verba adjecit: Nolo dignitatem in mundo, Episcopatu me indignum judico. Pastorali curæ non sufficio. Monachus sum, mortuus sum, mortuos sepelire non possum. Adhæc Præsul respondit: Sciat, frater, sciat, quod modo non facis cum bono, facies postea, sed cum malo tuo. Post hæc Præsul, ut proposuerat, Romam iter arripit; & gentem suis præceptis inobedientem reliquit.* Idem de Stratiquate, ut eum vocant, habent Æneas Sylvius in Hist. Bohem. cap. 16. & Dubravius lib. 6.

XV. *Fit Monachus Benedictinus.* Post relictum Episcopatum *Adalbertus* cùm Cassini aliquandiu vixisset, Romæ consedit ad monasterium Sancti Bonifacii & Sancti Alexii, ibique saltem integro quinquennio Monachum professus est, ut asserit Auctor posterioris ejus Vitæ in Actis SS. Bollandianis ad diem XXIII Aprilis num. XIV: *Quinquennio pleno miles in monasterio erat*, ab anno scilicet Christi CMXC ad annum CMXCIV, quo in Episcopatum suum rediit. Ex quo etiam liquet, verum esse quod mox affirmavimus, *Adalbertum* scilicet anno tantùm CMXC Episcopatum deseruisse, & Monachum induisse. Mabillonius Sec. V Benedict. pag. 847. *Adalbertum* in Bonifaciano Cœnobio, ubi Latinis permixti erant Græci ritûs, monachi Benedictinæ Regulæ nomen dedisse, colligit ex posteriori Auctore ejus Vitæ, ubi num. XIII dicitur: *Melius conveniunt tibi cum quibus agas, Monachi Latini. Redeas Romam*, &c. *Fecit ut homo Dei* (nempe Sanctus Nilus Junior magni nominis Hegumenus): *ad sanctum Bonifacium monachalem vestem accepit, sub Abbate* (nempe Leone), *Regula duce, militavit; pedem junxit obedientiæ imperio*, & cetera à Baronio num. XXII recitata. Porrò in illo SS. Bonifacii & Alexii monasterio Romano, *Sergius* Metropolita Damascenus Sedem habuit ex concessione Benedicti VII, in eoque monachos collegit, ut legitur in ipsius Epitaphio apud Baronium anno CMLXXVII num. I; sed, quod mirere, non Græcos homo Græcus, sed Latinos ibidem instituit Monachos, aut certè quicumque illi fuerint, Regulæ Benedictinæ servantes, ut eruitur ex eodem Epitaphio. Non mirum proinde, inquit Mabillonius, si *Adalbertus* Latinus idem ibidem institutum sectatus est. Et hoc quidem antequam ad Episcopatum redire cogeretur.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6477 — Anno Æræ Hispan. MXXII

☉ 13. F E. ☽ 16. P. 23. Mart. Indict. 12. — Anno Hegiræ CCCLXXIII inchoato die 4. Junii fer. 4.

JESU CHRISTI 984.

JOANNIS XIV PAPÆ 1.

OTTONIS III Regis 2.

BASIL. & CONST. Impp. 9.

I. *Moritur Benedict. VII PP.* ANum. I ad VI. *Benedicti* VII Papæ Epitaphium à Baronio ex lapide corroso repræsentatum, annum ejus emortualem, Sedisque durationem his verbis designat: *D. X. M. Jul.* (idest die X mensis Julii) *in Apost. Sede residens VIIII an. abiit ad Christum indict. XII* ideoque hoc Christi anno indictione XII insignito,

SÆC. X. An. Ch. 984. gnito. Novem etiam annos ei adscribunt Catalogi, nisi quod Catalogus VIII & Marianus addunt *menses sex*, Catalogus verò XII *menses V.* Neque dubium esse potest, quin præter annos IX menses vel V vel VI Ecclesiam Romanam rexerit; cùm ex dictis constet, die XXV Martii anni CMLXXV eum jam Pontificem fuisse, & die decima Julii hujus anni vivendi finem fecerit. Addit Marianus, cessasse sedem *dies XX*, octavus verò Catalogus *dies quinque*. Verùm cùm neuter numerus ad Dominicam ducat, dies mendosè descriptos esse oportet. Illud certum, breve fuisse Interpontificium; cùm vacante hoc tempore Imperio expectandi non fuerint Legati, qui novi Pontificis consecrationi assisterent, quia Imperium vacabat. *Benedicto* VII successit *Petrus Episcopus Papiensis* Ottonis II Archicancellarius, ut ostendit Baronius, qui in Pontificatu vocatus est Joannes hujus nominis XIV.

II. *Tumultus adversùs Ottonem III excitati.* Ad num. VI. Mortuo anno superiori Ottone II, licet Otto III ejus filius Rex Germaniæ die Natali Christi coronatus fuerit, orta tamen inter Primates de Rege substituendo dissensio, *aliis filio ipsius Ottonis imperium deberi certantibus, aliis odio Imperatricis* (sc. Theophaniæ) *à filio ejus imperium transferre volentibus ad Henricum Ducem* (nempè Bavariæ) *filium Henrici, qui fuit frater primi Ottonis. Hic Henricus ipsum Ottonem puerum factiosè raptum in custodiam tenet, sed Principes puerum de manu Henrici extorquentes, in regno sublimant*, inquit Sigebertus in Chron. cui adstipulantur Chronographus Hildensheimensis, cujus verba anno superiori num. VI exhibuimus, & fusiùs Ditmarus lib. 4. qui addit, *Misecum* Poloniæ Principem, & Bolislaum Bohemiæ Ducem, & complures alios *Henrico* favisse, sed hunc *futuri timore belli* coactum fuisse puerum reddere matri ejus *III Kal. Julii*.

III. *Franci stant à partibus Ottonis III.* Subdit Sigebertus: *Lotharius Rex Francorum ad invadendam Lotharingiam rursùm laborans Urbem Virdunum & Godefridum ipsius urbis Comitem capit.* Tum anno CMLXXXV. *Lotharius Rex videns Ottonem Imperatorem virtute militum suorum proficere, urbem Virdunum & Godefridum Comitem reddit.* Verùm hæc à Sigeberto contra veritatem scripta, & post eum à Nangio, ut demonstrat Blondellus in Plenioři Assertione Genealogiæ Franciciæ pag. 266. *Lotharius* enim Henrici molitionibus obsistendi, Ottonis III pueri patrocinium suscipiendi, summamque ejus potestatem asserendi animo Virdunum & Godefridum Comitem cepit. Sic enim Epistola XXII ad *Imixam* data Gerbertus: *Reges Francorum filio* (Theophaniæ Ottoni III) *faveri dicite, nihilque eos aliud conari, nisi tyrannidem Henrici, Regem se facere volentis, sub nomine advocationis velle destruere.* Epistolâ XXXII Caroli Ducis Lotharingiæ nomine ad Diedericum Metensium Episcopum scripta: *Non solus, nec in angulo fidem integerrimam filio nostri Cæsaris astruo, ut tu nocturno mero eructas; adsunt mecum Galliæ Principes, Reges Francorum (velis nolis) præclarissimi* (nempe Lotharius cum Ludovici filio jam in consortium regni adscito): *Lotharienses fide denoti, his est curæ filius Cæsaris, hi nec regnum quærunt eripere, ut tu, nec conregnantem instituere.* Idem eruitur ex Epistolis XXXV & LVIII ejusdem Gerberti. Quæ ex mox dicendis magis confirmabuntur.

Extorto de manu *Henrici* Ottone puero, & Germanici Regni pace anno sequenti firmata, Virdunum sponte reddidit *Lotharius*, tractatûque concordiæ, ut inquit Nangius, cum Ottone II jam pactum, cum filio stabilivit, & Virdunensem civitatem restituit, teste Gerberto Epist. C ad Ecbertum Trevirorum Archiep. datâ; sed Godefridum Virduni Comitem nec reddidit, nec liberavit unquam, quidquid dicat Sigebertus; cùm Epistolâ LXXII anno CMLXXXVI *sexto Non. Martias*, quô animam efflavit Lotharius, ad *Stephanum* Romanæ Ecclesiæ *Diaconum* datâ hæc Gerbertus habeat: *Exequiis domini Lotharii Regis occupati, multa tibi quærenti pauca rescripsimus: Lotharienses dudum capti omnes elapsi sunt, præter Comitem Godefridum, de quo meliora sperantur.* Tum Epistolâ CX Adalberonis Archiep. nomine ad Theophaniam Imp. scripta, Maii die XVII Godefridum libertati restitutum fuisse docet. SÆC. X. An. Ch. 984. IV. *Ottoni III Virdunum restituitur.*

Post pacem sancitam universa Lotharingici Regni possessio penes *Ottonem III* illibata mansit; nec *Hugoni Capeto*, posterisque Regibus de ea litem armis dirimere vacavit. Imperatores verò [nequando ad Francos Occidentales Lotharingorum animus inclinaret] Ecclesiarum Præsulibus *Regalia* sua per Diœceses transcripserunt, unde factum, ut in hanc usque diem *imperii Principes* abusivè dicantur, qui regni illius [cujus præcipua membra sunt & fuerunt] *Principes* propriè dici debuerant. Non tamen existimandum, *Ottonem III Lotharingiam* tunc abdicasse; is enim ac successores tot sibi jura Privilegiaque in urbes Ecclesiasticis datas retinuêre, ut eadem ferè quâ antea auctoritate in iis potiti fuerint. Porrò post Lotharingorum rebellionem, sub Sancto *Brunone* Ottonis M. fratre ac Coloniensi Archiepiscopo, eodem procurante, & *Archiducalem* titulum retinente, creati duo *Duces*, qui *Lothariense* Regnum æquali potestate tegerent sc. *Mosellanicum* & inferioris Lotharingiæ Ducem, priorisque sedes *Metæ*, posterioris verò *Aquisgranum*. Cùm enim *Lotharingia* universa ab anno DCCCLXXXVIII, quo Burgundiæ Transjuranæ Regnum institutum, eique Regni Lothariensis portio adjuncta, decem Diœceses complexa esset, quinque à Sancto *Brunone* superiori Lotharingiæ, quæ *Mosellanica*, à Mosella intersecante dicta est, Trevirensis nimirum, Argentinensis, Metensis, Virdunensis, Tullensis, assignatæ sunt; reliquas Coloniensem, Ultrajectinam, Leodiensem, Cameracensem, Tornacensem trans Scaldis Orientalem ripam sitam, *inferiori* ejusdem *Duci* assignari placuit. Sed procedente tempore accisis Ducum rebus, translataque maxima ex parte in Episcopos Comitum in urbibus constitututum potestate, Mosellanici Ducatûs ne nomen quidem mansit, ut observat Blondellus laudatus pag. 270. Quando Ducatus Lotharingiæ hodiernus constitutus fuerit, ibidem legendum. V. *Lotharingiam Otto III acquirit.*

Ad num. VII & seq. Mabillonius Sec. V Benedict. Vitam *Sancti Ethelwoldi* Episcopi Wintoniensis à Worstano Monacho, ejus discipulo, ut videtur, scriptam publicavit, in qua cap. 41. mors ejus his verbis narratur: *Sacrati olei liquore perunctus, Dominici Corporis & Sanguinis perceptione exitum suum munivit. Sicque valefaciens, & dans pacem filiis suis inter verba orationis spiritum cælo reddidit in Ka-* VI. *Moritur S. Ethelwoldus Episc. Wintoniensis.*

lendas

SÆC. X. An.Ch.984. *lendis Augusti; anno Dominicæ Incarnat. CMLXXXIV, Episcopatus autem sui XXII, regni moderamina gubernante Aedelredo Rege Anglorum. Testati verò nobis sunt, qui ibi præsentes aderant, exanime corpus sancti viri subita immutatione fuisse renovatum, lacteo candore perfusum, roseoque rubore venustum*, &c. Ecclesia Anglicana Ethelwoldo, Oswaldo, & Dunstano Episcopis pietate, ceterisque virtutibus illustribus debet Ecclesiasticæ ac Monasticæ rei restitutionem, cooperante imprimis Eadgaro Rege, teste Malmesburiensi lib. 2. de Reg. cap. 8. qui de Ethelwoldo subdit: *Tot & tanta monasteria fecit, quot vix modo credibile videatur, ut talia fecerit Episcopus urbis unius, qualia vix posset Rex Angliæ totius. Fallor, & præcipiti sententia pecco, si non palam sit quod dico.*

VII. Obitus S. Editha Sanctimonialis. Ad num. IX. *Eadgitha* seu *Editha* Eadgari Anglorum Regis filiæ & Sanctimonialis Wiltoniensis Vitam auctore, ut videtur Gotselino Monacho Cantuariensi, in lucem edidit Surius ad diem XVI Septemb. sed cum stylum nonnihil immutasset, Mabillonius Sec. V Benedict. prout ab Auctore scripta fuerat, eamdem vulgavit. *Eadgitha* Monacharum habitum apud Wiltoniam è manibus Sancti Ethelwoldi Episcopi accepit, & inter multa, Sanctorum hominum exempla, cognatorum præsertim & propinquorum suorum vehementiùs accensa est *virgineæ integritatis palmâ sanctissima amica sua Editha, quæ Eadgari Regis & patris ejus germana soror erat*, & in alio monasterio clarebat. Abbatissæ dignitatem recusavit, *& anno XXIII ætatis suæ, XVI Kalend. Octobris, migravit ad Christum circa annum Domini nongentesimum octogesimum quartum: sepelivitque eam beatus Dunstanus in Ecclesia Sancti Dionysii, quam ipsa extruxerat.* Hæc Gotselinus. Eodem ævo tres aliæ *Edithæ* Regiæ Virgines in Anglia vixisse dicuntur præter Editham Ottonis M. uxorem, ut ibidem observat Mabillonius. Una Ethelwlfi Regis filia, Alfredi Regis soror, quæ Sanctæ Morwennæ Abbatissæ tradita est: altera Editha, Eduardi Senioris filia, Aethelstani soror: tertia Edmundi Regis filia Eadgari soror; omnes sanctæ, & Sanctimoniales, de quibus ibidem Mabillonius.

VIII. Moritur Deodericus Episc. Metensis. *Theodoricus Metensium Episcopus obiit, & secundùm prophetiam viri Dei vix aliquis Principum, qui in bello Calabrico evasit, diu supervixit. Episcopatum Metensem suscepit Adelbero, vir Sanctus & nobilis, filius Friderici Ducis*, inquit Sigebertus in Chron. ad hunc Christi annum. San-Marthani quidem & Meurissius in Episcopis Metensibus Theodorici seu Diederici obitum in annum præcedentem retrahunt; verùm Auctor Anonymus & coævus, qui se ab eodem beato Adalberone Abbatem benedictum asserit, in Vita ejusdem Præsulis Tom. I Biblioth. Labbeanæ recitata, ostendit eos hallucinatos, & annum *Deoderici* emortualem à Sigeberto rectè consignatum fuisse. *Adelbero*, inquit, patre Friderico Galliæ Medianæ Duce & Beatrice, quæ magni Hugonis filia fuit, progenitus est, & mortuo Ottone II, *defuncto etiam memorandæ vitæ viro Deoderico Pontifice*, procurante matre Beatrice, & favente Adelheide Augusta *Metis Præsul elevatur & constituitur die XVII Kal. Novemb. anno Dominicæ Incarnat. CMLXXXIV, indictione XII.*

IX. Beatricis SÆC. X. An.Ch.984. operâ pax in Germania conciliata. *Mira verò Dei*, subjungit Anonymus, *& Domini nostri gratiâ & potentia antiqua virtate, quod est dictu mirabile, Principum illa discordia* [de qua hoc anno locuti sumus], *quam putabant non sine magnis periculis, nec sine sanguinis multa effusione unquam evadendam; sic sedata, sic ad nihil redacta est, ut res jam in armis constituta ad unitatem electi Principis & ad diuturnitatem vera pacis, qua quandiu vixit Princeps idem duravit, perfectissima rediit, dum votis fidelium Adelbero in hanc dignitatis Pontificalis gradum felix ascendit. Acta sunt hæc felicibus auspiciis Warmatia quondam Wangio dicta, quo exercitûs Galliarum, Germaniaque pars ad favendum puero principi, pars ut resisteret, concesserat. Sed Adelberone baculi Pastoralis donato honore, Regi quem Deus elegerat* [nempè Ottoni III], *ut erat videre, qui paulò ante restiterant, magis hujus beati meritis post plus pronos ad serviendum se se impingere festinabant, & fideles fore abhinc imposterum devovebant. Quid amplius? Pacatis rebus Regni, & tranquillatis cunctis Regis novi negotiis, Beatrix, qua hujus pacis propagatrix Deo annuente extiterat, & cujus industriâ eam subita militum & Principum in Regem confœderatio facta fuerat, cum sua felicissima prole felix, & ipsa, & cum nobili illo Metensium exercitu ad urbem filio datam ire properat.*

X. B. Adalbero fit Episc. Metensis. Paucis interpositis: *Interim benedictio Sacerdotalis usque in Christi Domini Natalem differtur: & quia Dominicus dies ad hoc sacramentum peragendum a Patribus est institutus, V Kalend. Januar. quo Natalis Innocentum celebris veneratur, Dominicalis* [hoc enim anno in illum diem Dominica incidit] *Resurrectione Domini sacratus ac sanctus dies affuit, & ecce Antistites vicinarum civitatum Treverim, quæ est Metropolis antiqua, confinentes, qui domnus Ecbertus venerabilis Archiep. præerat, paribus votis, parique assensu Dominum Adelberonem in sedem Metensis urbis præsulem consecrant atque benedicunt.* Ex quibus multa nobis innotescunt, primò, cùm juxta Necrologium Metense à Meurissio laudatum *Deodericus* septima die mensis Septembris obierit, mortem ejus ab hoc anno removeri non posse. II, *Deodericum* pissimum Antistitem fuisse; cùm teste eodem Meurissio annis ab ejus morte trecentis corpus ejus vestibus Pontificalibus indutum, ac terra coopertum detectum fuerit, eademque indumenta integra inventa, cujus casula adhuc Metis asservata, eamque singulis annis Presbyter, qui ejus anniversarium die VII Septemb. celebrat, induere solet. III, sequenti seculo, quo ea Vita scripta, Episcopos diebus Dominicalibus consecrari solitos fuisse. IV, Ducatum Mosellanicum, cui certum est, præfuisse Fridericum patrem Adalberonis, *Galliam Medianam* appellatum fuisse. V, tumultus in Germania *Ottonis* II mortis occasione exortos sedatos non fuisse ante diem XVI mensis Octobris, quo *Adelbero* Episcopus Metensis dictus. Denique verum esse quod suprà diximus, *Lotharium* Francorum Regem Ottonis III jura detendisse, & Sigebertum ac Willelmum Nangium citatos malè contrarium scripsisse; cùm *Beatrix* Hugonis Capeti post triennium Galliarum Regis futuri soror pacis conciliatrix fuerit, & Gallicus exercitus in armis pro Ottone III extiterit.

SÆC. X. An. Ch. 985. Anno Eræ Hispan. MXXIII. Anno Hegiræ CCCLXXV inchoato die 24. Maii fer. 6.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6478.

☉ 14. D. ☽ 17. P. 12. April. Indict. 13.

JESU CHRISTI 985.

JOANNIS XV PAPÆ 1.

OTTONIS III REG. 3.

BASIL. ET CONST. IMPP. 10.

I. *Mortuo Joanne XIV Bonifacius VII Sedem invadit.*

ANnum I ad V. *Joannes* XIV, cui Marianus Scotus, Hermannus Contractus juxta editionem Canisianam, Martinus Polonus, passim Catalogi menses octo attribuunt, usque ad finem circiter mensis Febr. currentis anni Ecclesiæ Romanæ præfuit. Baronius enim anno superiori num. V Monumentum exhibet scriptum tempore Joannis XIV *mensis Febr. die XXII Indict. XII*, ubi rectè monet, legendum esse *Indict. XIII*, quæ mense Februario hujus anni obtinuit. Hermannus laudatus ad annum CMLXXXIV ait, *sedit mensibus VIII, eumque Bonifacius Verrucii filius, prius* (anno nempe CMLXXIV) *relegato Benedicto, malè ordinatus, de Constantinopoli quò fugerat reversus* (hoc scilicet anno exeunte Februario) *comprehendit, & in castellum S. Angeli relegatum, fame, &, ut perhibent, veneno enecuit, ejusque sedem CXL Papa invasit.* Factum id fuisse exeunte Februario, vel ineunte Martio, non tantùm laudatum Monumentum; sed etiam Chartæ, quarum mentionem facit Rubeus lib. 5. Hist. Ravenn. pag. 269. demonstrant. Ait enim Rubeus in Archivio Ecclesiæ Ravennensis reperiri multas tabulas datas *anno nongentesimo octuogesimo quinto à partu Virginis, qui annus ibi primus Bonifacii Pontificis Max. Indict. XIII scribitur, Idibus Martii.* Quare non admittendæ Papebrocii conjecturæ in Conatu Chronico-Hist. & in Paralipomenis ad idem Opus, existimantis Joannem XIV mense Novembri superioris Christi anni, vel hujus initio in castro Sancti Angeli inclusum fuisse, & *Bonifacium* VII die XXIX Martii sacrilegè ordinatum.

II. *Joannes filius Roberti Bonifacio VII succedit.*

In MS. Codice à Baronio num. III citato legitur, *Joannem* XV *Bonifacio* VII successisse, & Hermannus Contractus, qui eidem *Bonifacio* menses XI perperàm attribuit, eumdem illi successorem assignat. Verùm *Joannem filium Roberti* ante Joannem decimum quintum Romanum Pontificatum gessisse, nos dubitare non sinunt Marianus Scotus, Gotfridus Viterbiensis, & varii antiqui Catalogi, qui inter Benedictum VII & Joannem XV duos alios Pontifices nomine Joannis appellatos exhibent, & *Joanni Roberti filio*, sicuti & Marianus Scotus *menses quatuor* assignant. Adhæc in Chronico Malleacensi, seu Sancti Maxentii ad annum usque MCXXXIV perducto, & à Labbeo Tom. II Biblioth. ex Codice MS. descripto, postquam actum de iis, quæ anno CMLXXXIII contigêre, subdit Chronographus: *Sequenti anno tres Apostolici apud Romam mortui sunt.* Et deinde agit de illis, quæ ad annum CMLXXXV pertinent. Quare tanquam rem notatu dignam mortem trium Pontificum Rom. quæ eodem anno acciderit, in medium adducit. Fallitur quidem in anno; cùm certum sit, superiori Christi anno alium Pontificem non obiisse, quàm Benedictum VII. Sed *Joannem* XIV, *Bonifacium* VII, & *Joannem* filium *Roberti* hoc anno mortuos ambigi non debet; cùm certum sit, Joannem XV hoc anno Pontificatum iniisse, & quidem, ut mox videbimus, ante finem mensis Decembris.

SÆC. X. An. Ch. 985.

III. *Duratio Sedis Bonifacii VII.*

Sed antequam ad *Joannis* XV Pontificatum veniam, observandum Epitaphium Joannis XIV, quod Baronius ait extare in Basilica Sancti Petri, & in cujus fine legitur: *Subjectis placidus, pauperibusque pius. Defunctus est Joannes Papa mense Augusti die XX*, positum fuisse vel saltem è terra effossum, postquam Romanus Canonicus Opus suum scripsit, si enim ejus tempore extitisset, illud ab eo prætermissum non esset. Quod si illud Monumentum genuinum sit, Joannes XIV per menses quinque & amplius, *squallore carceris affectus* peremptus est à Bonifacio, ut verbis utar Gerberti Sedis Remensis invasoris in sua Synodo Remensi; aut, ut loquitur Hermannus à Bonifacio *fame, aut ut perhibent veneno* necatus est. Præterea *Bonifacius* VII, non menses quatuor, ut habet Codex MS. à Baronio citatus, sed menses sex inchoatos sedit, idque, ut in eodem Codice legitur, non post mortem Joannis, sed eo in carcere detento; quo pacto Gotfridus Viterbiensis, Joannes Stella, & quidam alii menses sex ei rectè tribuerunt, magno verò errore Hermannus Contractus menses XI; adeò Historia Pontificia hujus temporis confusa.

IV. *Joannes filius Roberti non dicendus Joannes XV.*

Quoad *Joannem Roberti filium*, ab Hermanno Contracto, Joanne Stella, Baronio, aliisque quibusdam prætermissum, ita appellatus est ab Onuphrio in Chronico Ecclesiast. & ab aliis, qui post eum scripsêre, & in variis Catalogis vocatur *Joannes* XV. Verùm cùm ex pluribus Chartis alterius *Joannis*, qui ei successit, constet hunc se se in iis *Joannem XV* appellasse, apparet, *Joannem Roberti* filium non solum verum Pontificem non fuisse, sed etiam *Joannem XV*, ne turbetur Chronologia, non appellandum, quod rectè vidit Papebrocius in Conatu Chronico-Historico, cui tamen in eo assentiri non possum, quòd scribit, ideo non appellatum *Joannem XV*, quòd Electus tantùm, sed non ordinatus fuerit. Incredibile enim eum per menses quatuor Sedem Romanam occupasse, se seque nunquam consecrandum curasse. Auctores itaque, aut qui nomen ejus prætermisêre, aut qui illud sine numerali nota extulêre ad id moti videntur, quòd Joannes ejus successor *Joannes XV* nomen sibi sumserit.

V. *Joannes XV hoc anno Pontificatum init.*

Hunc verò *mense Decembri* hujus Christi anni, quod jam indicavimus, Pontificatum adeptum esse demonstrat ejus Epistola de confirmatione bonorum & possessionum monasterii Cuxanensis in Catalaunia siti, quam ex Chartulario ejusdem Monasterii eruit Baluzius in Appendice Marcæ Hispanicæ pag. 934. quæ his verbis desinit: *Scriptum per manum Stephani Notarii Regionarii & Scriniarii sanctæ Sedis Apostolicæ in mense Decembrio, Indictione XIV*, à Kalendis Septemb. inchoata. Insuper Rubeus in Hist. Ravenn. lib. 5. pag. 269. Joannem Archiepiscopum Ravennensem *anno secundo Pontificatus Joannis quinti decimi, mense Decembri Indict. XV*, quædam prædia jure emphyteutico locasse asserit, anno scilicet Christi CMLXXXVI. quod si mense Decembri illius Christi anni, secundum Pontificatûs annum Joannes XV exorsus fuerat, anno currenti eodem mense jam eum susceperat. Ex quibus patet, Papebrocium laudatum perperàm scripsisse *Bonifacium* VII

Sedem

SÆC. X. An.Ch. 985.

Sedem Romanam menses XI occupasse, & *Joannem* XV die XXV Aprilis anni CMLXXXVI Pontificem coronatum esse. Neutrum enim ex dictis subsistere potest, & præter laudatas Joannis chartas infrà alias referemus, ex quibus liquebit, *Joannem* XV saltem mense Februario sequentis Christi anni Ecclesiam Romanam administrasse. Sed cum mense Decembri hujus anni jam Pontificatum consecutum, in dubium revocari non potest.

VI. *Obitus Ranimiri III Legionis Regis.*

Ad num. V & seq. *Ranimirus* Legionensis Rex hujus nominis III hoc anno ante mensem Maium Legione vivendi finem fecit juxta accuratum Ambrosii Moralis calculum lib. 16. pag. 263. non verò anno CMLXXXII, ut habet Mariana lib. 2. cap. 8. Annus enim Eræ MXX, qui cum eo Christi anno concurrit, infartus fuit in Chronicon Sampiri; cùm in correcto exemplari, de quo mox, ab Emendatore reiciatur. Eo regnante, *Normanni Rege Gunderedo Gallaciam ingressi, strages multas fecerunt, & in gyro Sancti Jacobi Apostoli Episcopum loci ipsius gladio peremerunt, nomine Sisnandum*, inquit laudatus Sampirus, loquens de *Sisnando* Episcopo Compostellano, de quo verba fecimus de Sancto Rudesindo Episcopo Dumiensi loquentes. *Veremundus* hujus nominis II filius Ordonii III post *Ranimirum* Gallæciæ Regno præfuit. Porrò *Sampirus* Asturicensis Episcopus Chronicon suum in morte Ranimiri III absolvit, quod *Pelagius* Episcopus Overensis usque ad mortem Adephonsi VI, annumque MCIX continuavit; quibus ex Chronographis ferè coætaneis Rerum Hispanicarum narratio petenda; sed quia eorum Opera variis interpolationibus corrupta fuêre, usi sumus exemplari, quod doctissimus Anonymus cum variis MSS. contulit, è Bibliotheca Mazarina in Regiam translato.

VII. *Barcino à Saracenis capta.*

Anno superiori, ut docet Zurita lib. I. cùm *Borrellus* Barcinonensis Comes Saracenos Hispaniæ insultantes coercere conaretur, coacto exercitu in Vallensi regione, in patenti *Matabovio* campo prælio decertavit, magnaque accepta clade fusus est. Cùm verò *Barcinonem* Comes ex prælio se se reciperet, eamdem Saraceni obsidione cinxêre. Tum hoc anno *Almansor*, cui summam rerum *Issem* Hispaniarum Calipha commiserat, eamdem Urbem obsedit *Kalendis Julii, feriâ IV, Indict. XIII*, eamque die sexta Julii cepit ac depopulatus est, ut habent rerum Hispanicarum Scriptores, qui his notis chronicis præsentem annum certò designant. Tum omnes Ecclesiarum, privatorumque Chartæ, aut consumptæ à Barbaris, aut in Hispaniam asportatæ, quæ res immensùm eam urbem afflixit. Porrò civitatem paulò pòst *Borrellus* Comes recuperavit. Dubium autem non est, inquit Baluzius lib. 4. Marcæ Hisp. ad hunc Christi annum, quin tum Comes imploraverit auxilium Francorum, quibus à Caroli Magni temporibus civitas illa parebat. Inde *Almansor*, ad *Legionem* Urbem transiit, quam post ferè annuam obsidionem expugnavit. Urbs direpta, eversaque mænia, eodemque belli impetu quædam alia oppida, quà incensa, quà vi capta atque direpta, ut narrat Mariana lib. 8. de Reb. Hisp. Legendus Diagus in Hist. Comit. Barcinon. lib. 2. cap. 22. & seqq.

SÆC. X. An.Ch. 986.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6479.
☉ 15. C. ☽ 18. P. 4. April. Indict. 14.
JESU CHRISTI 986.
JOANNIS XV PAPÆ 2.
OTTONIS III REG. 4.
BASIL. ET CONST. IMPP. 11.

Anno Eræ Hispan. MXXIV. Anno Hegiræ CCCLXXVI, inchoato die 13. Maii fer. 5.

I. *Obitus Lotharii Regis Franc.*

AD num. I & seq. *Anno CMLXXXVI obiit Lotharius senex plenus dierum*, inquit Continuator Aimoini lib. 5. cap. 45. Verùm cùm ex Chronico Flodoardi Viri docti collegerint, *Lotharium* Francorum Regem anno CMXLI in lucem prodiisse, adeoque anno ætatis suæ XLV extinctum, necesse est existimare, inquit Baluzius nuper citatus, illum senem & plenum dierum ab isto Auctore dictum, non propter multos ætatis annos; sed propter diuturnum Imperium. Regnavit enim annos duos supra triginta. Obiit autem *Lotharius* VI Nonas Martii, ut habetur in Epistola LXXII Gerberti ad Adelhaidem Imperatricem nomine Emmæ data, & à Baronio recitata. Erat *Emma* seu *Hemma* Lotharii Regis uxor, filia, non Ottonis Senioris, ut perperàm habet Baronius, sed Lotharii Italiæ Regis & Adelhaidis, ut prodit S. Odilo in Vita S. Adelhaidis Imperatricis, quæ primùm Lothario Italiæ Regi & postea Ottoni Seniori nupsit. Moriens Lotharius *Ludovicum* filium jam secum conregnantem, quem ex *Emma* conjuge susceperat, *Hugoni Capeto* commendavit. Reliquit & filium naturalem nomine *Arnulphum*, postea Archiepiscopum Remensem de quo infrà.

II. *Ludovicus Rex ejus filius Emmam matrem malè habet.*

Mortuo Lothario *Emma* Regina à Carolo Lotharingiæ Duce, & ab aliis quibusdam apud Ludovicum Regem filium rea fit adulterii cum *Ascelino*, seu *Adalberone* Episcopo Laudunensi, cujus ipsa etiam vivente Lothario insimulata fuerat. Unde illa omninò se à filio malè haberi scribit ad Adelhaidem matrem operâ Gerberti, qui in Epistola XCVII ait: *Aggravatus est dolor meus, ô mi domina, ô dulce Matris nomen, dum conjugem perdidi: spes in filio fuit, is hostis factus est. A me recesserunt dulcissimi quondam mei amici ad ignominiam meam ac totius generis mei. Nefandissima in Laudunensem confinxerunt Episcopum: persequuntur eum, proprioque contendunt spoliare honore, ut inuratur mihi ignominia sempiterna*, &c. Epistolâ verò CXIX ad Theophaniam Ottonis III matrem: *Nunc quasi sine genere, sine dignitate, omnibus afficior contumeliis, ancilla captiva crudelissimorum hostium facta. Et quomodo ille impius Carolus* (Lotharingiæ Dux & Ludovici Regis patruus) *vocem meam audiret, qui vestram audire contempsit?* Erat *Adalbero* natione Lotharingus, Lotharii favore creatus Episcopus Laudunensis anno CMLXXVII, valdè adhuc juvenis, vir doctus, eloquentiæ & arti Poëticæ deditus. Sed de eo, ejusque Carmine ad Robertum Francorum Regem, nuper ab Hadriano Valesio è tenebris eruto, infrà sermo erit. Porrò *Ludovicus* Francorum Rex hujus nominis V, vulgò dicitur, *qui nihil fecit*, seu Ludovicus *Iners*, de cujus morte anno sequenti.

III. *Moritur Aligernus Abbas Casinensis.*

Ad num. III. Inter Viros illustres, qui hoc seculo in Italia floruêre, jure merito commemorandus *Aligernus* Casinensis Abbas, qui post

monasterii sui devastationem à Saracenis factam ejus bona vindicavit, ædesque resarcivit. pluribus de eo agit Leo Ostiensis, ex quo Baronius aliqua in Annales transtulit. *Aligerno* monasterio Casinensi præsidente Sanctus *Nilus* Junior eximiæ sanctitatis Hegumenus, quamquam Græcanicis addictus ritibus, *Casinum* venit; ubi perhumaniter exceptus & vicino Vallis-lucii donatus monasterio, ibi quindecim exegit annos, ut testantur ejus Acta à contubernali ejus discipulo Græcè scripta, quæ Joannes Matthæus Caryophilus Archiepiscopus Iconiensis Latinitate donavit, & Baronius magna ex parte in Annales inseruit. *Depositus est autem prædictus Abbas nono Kal. Decemb.* inquit Leo Ostiensis, idque currenti anno, ut probat Camillus Peregrinius. Aligerno successit *Manso* Abbas longè dissimilis animi, ut infrà videbimus.

IV. *Origo belli civilis in Imperio Orientis.* Adnum IV. *Indictione XV anno mundi 6494.* (legendum, 6495. est enim annus mundi Eræ Constantinop. Kalendis Septemb. hujus Christi anni inchoatus) *mense Octobri, terra vehementer concussa, multa domus atque templa corruerunt*, inquit Cedrenus, qui paulò pòst subdit, Imperii Proceres Imperatori succensuisse, Phocam Bardam, & quosdam cum ipso, *quòd Bulgaricam instituens expeditionem ipsos sprevisset, nulloque numero habuisset*, alios ob alias contumelias. De seditione inde secuta anno sequenti verba faciemus, ut initium conversionis Russorum ad fidem Christianam melius innotescat.

V. *Anglicon-fum-duunt Danis.* Hovedenus part. I Annal. pag. 427. de Ethelredo Angliæ Rege hoc anno scribit: *Anno CMLXXXVI Rex Anglorum Egelredus propter quasdam dissensiones Civitatem Hrofi* (idest, Roffi, hodie Rochester) *obsedit, & visa capiendi illam difficultate iratus discessit, & terras sancti Andreæ Apostoli devastavit.* Verùm avari Principis cupiditas justissimè expiata fuit. Florilegus enim ait: *Anno gratiæ CMLXXXVI Rex Anglorum Aethelredus, qui prohibente B. Dunstano centum libras ab Episcopo Roffensi extorserat, pro pace brevissima* (cum Danis ineunda) *pensionem sedecim millium librarum persolvere compulsus est.* primus is census Danis datus, qui posteà in immensum crevit, ut infrà dicetur.

VI. *Calabria à Saracenis vastata.* Lupus Protospata in Chronico scribit: *Anno CMLXXXVI comprehenderunt Sarraceni sanctam Chiriachi civitatem, & dissipaverunt Calabriam totam.* Porphyrogennetus verò lib. 2. de Them. cap. 10. de Calabria verba faciens ait: *In qua Regium est, & oppidulum Sanctæ Cyriacæ, & sanctæ Severinæ, & Croto.* Quare de Sanctæ Cyriacæ oppidulo Protospata loquitur.

Anno Eræ Hispan. MXXV. Anno Hegiræ CCCLXXVII, inchoato die 3. Maji fer. 3.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6480.
☉ 16. B. ☽ 19. P. 24. April. Indict. 15.
JESU CHRISTI 987.
JOANNIS XV. PAPÆ 3.
OTTONIS III REG. 5.
BASIL. & CONST. IMPP. 12.

I. *Moritur Ludovicus V. Rex Franc.* ANnum I ad IV. *Ludovicum* V Francorum Regem hoc anno demortuum esse, Sigebertus in Chronico, aliique Antiqui apud Blondellum in Pleniori Assert. Geneal. Franc. pag. 283. produnt. Ibidem Vitæ Sancti Genulfi Auctor Anonymus ejusdem ferè ætatis, & Auctor fragmenti Historiæ Aquitanicæ Tom. II Duchesnii aiunt, eum patri *uno tantùm* supervixisse *anno.* Auctor verò Vitæ Garnerii Præpositi Sancti Stephani Divionensis circa annum ML, mortuum *biennio ferè transacto*, à morte patris, quod unum & idem est, licet in loquendi modo alter Historicus ab altero differat. Eum verò annis IX regnasse, tradit Aimoini Continuator lib. 5. cap. 45. ex quo scilicet cum Lothario patre Regnum regere cœpit. Ejus coronationem aliqui conjiciunt in annum CMLXXVIII, aliqui cum Chronographo Floriacensi apud Duchesnium Tom. III in annum insequentem differunt; quòd chartæ ejus & *Lotharii* patris annis notatæ de utroque Christi anno explicari possint. Mabillonius lib. 2. de Re Diplom. pag. 201. observat, in multis Necrologiis, puta in Sangermanensi, in Autissiodorensi Sancti Stephani, & in Remigiano, obitum ejus reponi *XI Kal. Junii*; in Psalterio verò Hemmæ Reginæ aureis literis consignari *XII. Kal. Junii*, additque, hanc ultimam auctoritatem præferendam esse. Verùm juxta regulam nostram innumeris exemplis confirmatam, dicendum *Ludovicum* V die XXI Maji denatum, dieque insequenti, seu *XI Kal. Junii* exequias ejus peractas. „ Eo „ mortuo, subjungit Mabillonius, Fulchramnus Lutevensis Episcopus testamentum suum „ condidit sub hac Chronica nota: *Factum* „ *Breve eleemosynarum istud & completum prid.* „ *Nonas Februarii, Christo imperante, ac Regem* „ *sperante.* Quod si eo tempore necdum Rex erat „ *Hugo*, dicendum est, *Ludovicum* anno „ CMLXXXVI decessisse, *Hugonem* verò ei „ suffectum mense Julio anni insequentis. Hæc „ ille. At subscriptio illa ostendit tantùm Hugonem in ea urbe needum Regem anni insequentis initio agnitum, & verum esse quod in Chronico Ademari, narrata Hugonis Capeti inauguratione, legitur: *Sanè Dux Aquitanorum Willelmus reprobans nequitiam Francorum, Ugoni subditus esse noluit, unde factum est, ut Ugo exercitu Francorum admoto, urbem Pictavis obsidione fatigaret*, &c. Nec denique Lodovici V obitus à præsenti anno removeri potest, quin mors Lotharii patris ab anno CMLXXXVI removeatur, & in antecedentem rejiciatur contra Antiquorum & Chartarum fidem. Ipsemet Mabillonius Sec. V. Benedict. in Elogio Sancti Majoli Abbatis Cluniacensis num. XXIX mentionem facit cujusdam instrumenti, quo Canonicus quidam Aniciensis ædes suas donat Majolo & Cluniacensibus, *anno quo Ludovicus Rex in adolescentia vitam finivit. Datum V feria, III Id. Augusti*, ideoque hoc Christi anno, quo feria V in diem undecimum mensis Augusti cadit. Annus emortualis Ludovici V validè confirmandus fuit, quia is postremus Rex est Francorum stirpis Carlovingicæ, quæ per annos tantum CCXXXV propagata est.

Cùm enim Ludovicus improlis obierit, regnique Primares à Carolo Lotharingiæ Duce ejus patruo, præsertim quòd Teutonicas partes secutus esset, aversum gererent animum, *Hugo Capetus*, qui tunc Ducatum Franciæ gubernabat, post decem dies à morte Ludovici Regis in Regnum evectus est: *Eodem anno*, inquit vetus Charta Floriacensis, *quo Ludovicus adolescens obiit, & unctus est Hugo Remis V Nonas Julii*, qui dies in Dominicam hoc anno incide- II. *Hugo Capetus fit Rex Francorum.*

bat,

bat, postquam *Noviomo* sublimatus fuisset *Regio solio*, ut ibidem legitur. Gerbertus in Epistola CVII ex persona Regis *Hugonis*, *Siguino Archiepiscopo Senonensi* data, scribit: *Honestè ac benigno affectu vos monemus, uti ante Kalendas Novembris, eam fidem, quam ceteri nobis firmaverunt, confirmetis, ob pacem & concordiam Sanctæ Domini Ecclesiæ, totiusque populi Christiani; ne si fortè (quod non optamus) persuasione quorumdam pravorum diligenter vobis exequenda minus audiatis, sententiam Domini Papæ & Comprovincialium Episcoporum duriorem perferatis.*

III. *Regnum ei prænunciatum.* Divino oraculo prænunciatum fuisse *Hugoni Capeto* Regnum Francicum testantur duo Scriptores Anonymi, qui seculo sequenti vixêre. Prior in Historia Relationis Sancti Walarici Abbatis Leucanoensis primi in pago Picardiæ Wimacensi, qui ait, *anno nongentesimo octogesimo primo Incarnationis filii Dei* corpus Sancti Walarici, quod occasione bellorum delatum fuerat ad monasterium Sancti Bertini, ab Hugone Capeto Francorum duce revectum esse ad proprium monasterium, postquam ad id faciendum à Walarico apparente admonitus fuisset Hugo: *Accelera petitionem nostram*, inquit Walaricus, *per nostras enim orationes Rex efficieris Galliæ, & posteà heredes tui, usque ad septimam generationem, possidebunt gubernacula totius regni.* Secundus est Poëta Anonymus apud quem hæc verba sunt Walarici ad Hugonem Ducem.

Et nihil intrices, nos nostras denique sedes
Cum susceperimus per nostros scite precatus
Suscipiet regnum, Rex dictus Francigenarum,
Heredesque tui, simul unus, bis quoque terni.

Idem fusius refert Baronius ex Guillelmo Nangio ibidem errore typographi *Mangio* appellato, sed is seriùs quàm duo isti vixit. De Sancto Walarico seculo septimo egimus, & hujus Relationis Historia legenda in Actis SS. Bollandianis ad diem primam Aprilis, vel Sec. V Benedict. pag. 556 & seqq.

IV. *Originem ducit à Childebrando Caroli Martelli fratre.* Baronius num. II eorum opinioni adhæret, qui *Hugonem Capetum* fuisse de genere Caroli Magni literis mandarunt; sed hæc opinio, quomodocumque explicetur, invictis argumentis confutata fuit à Blondello *in genealogiæ Francicæ Pleniori Assertione*, & à quibusdam aliis viris Eruditissimis, qui ostendunt, eum ex linea collaterali ejusdem Gentis, & ex Childebrando Caroli Martelli fratre originem ducere. *Childebrandum* enim Caroli Martelli fratrem fuisse ac Nibelungi Comitis patrem, hunc verò Theodeberti Comitis patrem extitisse, certis rationibus constat. Sed Francici Genealogistæ inter se non conveniunt de Theodeberti Comitis filio, nec de Roberti cognomento *Fortis* Francorum Regis patre, & tam Dubouchetus & Spernonius Dux quàm alii chartas referunt, aut falsas, aut corruptas, aut saltem malè lectas, aut non benè applicatas.

V. *Basilius Imp. Russorum auxilio adversùs rebelles utitur.* Ad num. IV & seqq. Hoc anno *Bardas Phocas* perduellis Imperator à perduellibus renunciatus est *die Augusti XV, indictione XV* inquit Cedrenus, qui pag. 696. & seqq. fusè de hac rebellione agit, refertque Phocam partem exercitûs Calocyro Delphinæ Patricio tradidisse ac ad Chrysopolin, quæ ab altera freti parte contra Constantinopolim sita est, misisse. *Imperator multis frustra hortatus Delphinam, ut à Chrysopoli discederet: nocte navibus adornatis Russos imponit, (nam ab iis suppetias impetraverat, quòd sororem suam Annam Bladimero eorum Principi matrimonio conjunxisset), cumque his non sentiente, hoste freto trajecto, eos adortus nullo negotio opprimit: Delphinam in palo suffigit eo ipso loco, ubi tabernaculum is defixerat: fratrem Phocæ Nicephorum cæcum in custodiam dat, & reliquis captivis suo arbitratu punitis Constantinopolim redit.* Bardas Phoca incerto mortis genere interiit. *Phoca Aprili mense mortuo, indictione secunda, anno ab origine rerum 6497. hujusque rebellione compressa: Durus libertatem consecutus se ipsum recollegit, & pristinum conatum persequi cœpit.* Subjungit Cedrenus *Durum* cum Imperatore in gratiam rediisse, postquam Curopalatæ dignitatem ab eo accepit.

Fusè hoc bellum civile narravit Elmacinus lib. 3. Hist. Sarac. cap. 6. ex cujus collatione cum Cedreno & Sigismundo Herbesteino in Rerum Moscovit. Commentariis pag. 33. annus, quo Russi seu Moscovitæ hodierni, fidem Christianam suscepêre, eruemus. *Bardas Phocas rebellionem suam prodidit, seque Imperatorem nuncupavit in Gummada posteriori, anno CCCLXXVII* (Hegiræ sc. tertio die mensis Maij currentis anni inchoato): *& possedit omnes eas regiones quæ sunt ad littus maris. Cumque negotia ejus feliciter succederent, timere sibi vehementer ab eo cœpit Imperator Basilius, quem & pecunia jam deficiebat. Unde coactus fuit mittere ad Regem Russorum, qui inimici ejus erant, auxilium ab eo implorans. It autem id ei promisit, petita ab eo affinitate: duxitque Rex Russorum sororem Basilii Imperatoris Romanorum, postquam hic ab eo obtinuit, ut religionem Christianam amplecteretur. Misitque ad eum Basilius Episcopos, qui religione Christiana imbuerent tum ipsum, tum omnem populum ejus. Atque ante illud tempus nulla eis fuerat religio, nec professi erant quidquam. Sunt autem populus magnus; & ab eo tempore ad hoc usque omnes sunt Christiani. Hinc contendit Russorum Rex cum omnibus copiis suis ad Imperatorem Basilium: cumque eum jam convenisset constituerunt occurrere Bardæ Phocæ, & terra marique ad eum contenderunt: & in fugam eum verterunt: potitusque est Basilius toto suo regno, & vicit Phocam, eumque occidit tertio Muharrami, anno CCCLXXIX, & portatum fuit caput ejus Constantinopolim, atque ibidem affixum. Rebellaverat autem annum unum, & menses septem.* Paucis interpositis: *Sclerus imperio suo renunciavit, initio mensis Regebi anni CCCLXXIX, &c. Et compositum fuit totum negotium, idque eo modo ut Sclerus esset Cyropalates.* Ita Elmacinus, qui licet in aliquibus à Cedreno discrepet, egregiè tamen confirmat quod Herbesteinus Ferdinandi Archiducis Austriæ ad Principem Moscovitarum Legatus, loco citato ex Annalibus gentis tradit, *Wolodomirum* scilicet Russorum Regem mysteriis vivifici lavacri, *anno 6496.* (Kalendis Septemb. hujus Christi anni incœpto) initiatum. Cumque fœdus inter utramque gentem & *Wolodomiri* conjugium cum *Anna* Basilii & Constantini Imperatorum sorore ante sequentis anni initium sortiri effectum non potuerint, apparet, Russorum conversionem ad eum Christi annum pertinere. Porrò cùm annus Hegiræ CCCLXXIX die decima mensis Aprilis anni Christi CMLXXXIX exordiatur, & *Bardas Phocas* occisus fuerit *tertio Muharrami*,

VI. *Russi anno sequenti primùm Christiani facti.*

SÆC. X. An. Ch. 987.

barrami, *anni Hegiræ CCCLXXIX*, die nempe duodecima Aprilis nostri anni Christi CMLXXXIX, ac denique bellum seu rebellio *annum unum & menses septem* duravit, apparet, *Bardam Phocam* currenti anno, tam juxta Elmacinum, quàm juxta Cedrenum rebellasse.

VII. *Wolodomirus Russorum Rex Basilii Imp. sororem uxorem accipit.* *Wolodimerus*, ut jam pag. 5. asseruerat Herbesteinus, *cùm sine impedimento totius Russiæ esset Monarcha factus, venerant ad eum ex diversis locis Oratores, hortantes, ut se eorum sectæ adjungeret. Varias autem cùm videret sectas, misit & ipse Oratores suos, qui perquirerent conditiones & ritus singularum sectarum. Tandem cum aliis omnibus fidem Christianam Græcorum prætulisset, elegissetque, missis Oratoribus Constantinopolim ad Basilium & Constantinum Reges, Annam sororem, uxorem sibi si darent, se fidem Christi, cum omnibus subditis suis suscepturum, & restiturum illis Corsun, & alia omnia, quæ in Græcia possideret, pollicetur. Re impetrata constituitur tempus, eligiturque locus Corsun: quo cùm venissent Reges, baptizatus est Wolodimerus, commutatoque nomine Wolodimeri, Basilii illi nomen imponitur. Nuptiis celebratis, Corsuna unà cum aliis, sicuti promiserat, restituit. Hæc acta sunt anno mundi 6469.* (legendum, 6496. juxta laudatum ejusdem Auctoris locum) *à quo tempore Russia in fide Christi permansit. Anna moritur XXIII anno post nuptias: Wolodimerus verò anno post obitum uxoris quarto decessit. Is civitatem intra Wolham & Occam fluvios sitam condidit, quam à suo nomine Wolodimeriam nominavit, eamque Russiæ Metropolim constituit. Inter Sanctos tanquam Apostolus, solemni die videlicet XV Julii quotannis veneratur.*

VIII. *Cum duobus filiis à Moscis ut Sanctus colitur.* Baronius in Monumento *de Ruthenis ad communionem Sedis Apostolicæ receptis*, ad calcem Tomi VII Annal. subjuncto num. VIII ait, Matthiam Michovium, aliosque qui tradunt, Ruthenos, seu Russos Christianam religionem amplexos esse anno domini CMXC vel CMLXXX, sub Basilio atque Constantino Impp. errasse, & *Russos* sub Seniore Basilio Macedone dicto sacro baptismate tinctos. Verùm ut suo loco ostendimus, Russi qui Imperante Basilio Macedone idola abjecêre, paulò pòst ad vomitum rediêre, uti suo loco monstravi, ubi & insinuavi *Russorum* nomen variis Septentrionis populis attributum fuisse. Papebrocius Tomo I SS. mensis Maij præfixit Ephemerides Græcorum & Moscorum, in quibus ad diem XV mensis Julii legitur nomen *Bladimeri*, aliàs *Wlodomiri*, & ad diem XXIV ejusdem mensis habetur: *Boryssus, Glebus, Principes martyres.* Sunt verò hi filii Wlodomiri, Christianis nominibus *Romanus* & *David* appellati, à *Jaroslao* fratre post victum fratricidam *Svatopolcum*, contumulati Wissogradi. Eorum Princeps Ruthenicâ linguâ *Czar* vocatus, quod nomen Regem significat, *Wlodomiria* primùm sedem habuit, & postea *Kiovia*, donec ea urbs seculo XIII à Tartaris penitus eversa fuit, & à duobus tantùm seculis sedes Principis *Moscuam* translata, à quo tempore *Moscovitarum* nomen celebre fuit. Metropolita autem Russiæ seu Moscoviæ sedem cum Principe mutavit.

IX. *Russi fidem Christi à Græcis tunc Catholicis accepêre.* Antonius Possevinus in primo suo de Rebus Moscoviticis ad religionem spectantibus Commentario, cum pluribus aliis existimavit, *Russos* à Schismaticis, & quidem Hereticis, fidem Christianam accepisse, & *Rutheni* in Lithuania Catholici verentur eorum sanctorum memoriam facere, quos Græcorum Kalendariis inscriptos non inveniunt, ne fortè in aliquos non Sanctos, sed Schismaticos impingant. Sed rectè Papebrocius in Præfatione ad præfatas Ephemerides num. XI opinionem illam refellit, ostenditque hunc *Ruthenorum* metum ex opinione pro majori saltem parte erronea procedere. Græci enim, à quibus *Russi* fidem Christi accepêre, tunc verè Catholici erant, & ex libris de Rebus Moscoviticis scriptis apparet, extra schismatis, hæreseosque suspicionem haberi posse, quos gens illa primis quatuor à sua conversione seculis habuit *Sanctos*; non solùm quia eorum sanctitas divinis miraculis fuisse probata, creditur; sed etiam probatur multitudine & antiquitate Templorum, sub alicujus nomine erectorum. *Sanctus Alexius* Metropolita Russorum, qui circa annum MCCCXXX floruit, *Kiovia* sedit, contra quem cùm missus fuisset in Russiam à Patriarcha Constantinopolitano schismatico *Dionysius Græcus*, is intra non multos captus conjectusque in carcerem, schisma quod invexerat, plenè stabilire non potuit. Idem deinde facere conatus *Photius*, homo similiter Græcus, à Synodo Novogradensi depositus est anno MCCCCXV, & in ejus locum suffectus *Gregorius Bulgarus*, qui sicuti ejus successor *Isidorus* Concilio Florentino, interfuit Constantiensi. Quamvis autem contra hunc Schismatici nova coacta Synodo prævaluerint, Albertus tamen Cojalowicz in Miscellaneis Historiæ Lithuaniæ asserit, Isidori successores fuisse Catholicos usque ad annum MDXX, quo excisum penè schisma resuscitavit *Jonas Moscus*, tantumque non stabilivit; uti probat Epistola cujusdam Joannis Metropolitæ, ad Romanæ Sedis Episcopum apud Herbesteinum. Et licèt Metropolitæ Moscorum usque ad medium seculum XVI à Patriarcha Constantinopolitano confirmati fuerint, non inde tamen sequitur, eos fidem semper cum Græcis mutasse, ut fusiùs ibidem Papebrocius.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6481.

☉ 17. AG. ☽ 1. P. 8. April. Indict. 1.

JESU CHRISTI 988.

JOANNIS XV PAPÆ 4.

OTTONIS III REG. 6.

BASIL. & CONST. IMPP. 13.

Anno Eræ Hispan. MXXVI. Anno Hegiræ CCCLXXVIII. inchoato die 21. April. fer. 7.

I. *Obitus Adaldagi Archiep. Hamburgensis.* AD num. I. & II. *Adaldagus* Hamburgensis Episcopus hoc anno vitam cum morte commutavit, cui successit *Libentius*, natione Italus, qui ipsum ex Italia redeuntem comitatus erat, sicuti scribit Adamus Bremensis lib. 2. cap. 19. & seq. *Adaldâgi*, uti habet Lambecius lib. 1. Rerum Hamburgensium pag. 31. & sequentibus temporibus nimia Imperatorum liberalitate Archiepiscopi Hamburgenses urbes & arces, atque adeo integros Comitatus & regiones pleni Dominii jure possidere cœperunt. Quæ res ita demum potentes illos reddidit, ut nonnunquam maximos etiam Principes armis lacessere ausi fuerint. Ad quod Archiepiscopalis potentiæ incrementum digitum intendit Adamus lib.

lib. 2. cap. 1. dum Adaldagi vitam his verbis inchoat: *Iste est, qui nobis Rempublicam restituit.* Et aliquantò pòst, *Adaldagus primò ut ingressus est Episcopatum, Bremam longè prius tempore potestate ac judiciaria manu oppressam, præcepto Regis absolvit, & instar reliquarum urbium immunitate, simulque libertate fecit donari*: idest jurisdictio civilis oppidi *Bremæ*, quam antea Legati & Comites vice Imperatoris obtinuerant, *Adaldago* Archiepiscopo ab Ottone M. concessa fuit, unà cum omni proventu monetæ, telonei, banni, aliarumque fisci Imperatorii rerum & jurium, ut liquet ex ipsis tabulis donationis, quæ extant in Syntagmate Rerum German. Septentrion. Sic idem Imperator, ut patet ex Witichindo lib. 1. & Auctore Chron. Belgici Magni, *Brunoni* fratri suo Coloniensi Archiepiscopo *Coloniam*, *Willelmo* filio Moguntino Archiepiscopo *Moguntiam*, Episcopo Spirensi *Spiram*, Mindensi *Mindam* cum mero & mixto imperio & omnibus fisci Imperatorii juribus concessit. Primum ostendit Diploma Ottonis III, quo illam donationem confirmavit, & secundum continetur in Diplomate Ottonis M. donationis hujus mentionem faciente. Extat illud in Chronico Mindensi. Atque ideo Adamus ait, Bremam *instar reliquarum urbium*, scilicet *Episcopalium & Archiepiscopalium, libertate donatam fuisse.*

II. *Jurisdictio civilis Antistibus concessa limites suos habebat.*

Libertas autem tunc vocabatur, Episcoporum subjectum esse imperio: nempe quia Comites & Legati urbibus & provinciis ab Imperatore præfecti, nimis plerumque avarè & insolenter populum tractare consueverant. Qua de re in antiquis monumentis passim multæ extant querelæ. Quamvis autem *Brema*, aliarumve aliquot urbium jurisdictio civilis Episcopis & Archiepiscopis cesserit, non tamen fas erat, civilibus ipsos præsidere judiciis, sed ad hæc nomine suo exercenda, *Advocatos* habebant, homines profanos, vel, ut vulgò aiunt, *Laicos*: qui quidem etsi ad Imp. *Friderici* II tempora ut plurimùm ab Imperatoribus ipsis constituti fuerint, nonnullis tamen Episcopis & Archiepiscopis speciali quodam permissu libera eos eligendi potestas concessa est; & in his *Adaldago*, ut constat ex supradictis fragmentis Diplomatum Ottonis M. *Hamburgum* non ìtidem ac *Brema* in Archiepiscopi potestatem venit, sed sub Imperatorum eorumve, qui Saxoniam deinceps administrarunt, remansit imperio, ut videre est apud Adamum lib. 2. cap. 4. & seq. Goldastus Tom. III Constitut. Imper. pag. 311. refert Diploma Ottonis III Adaldago Archiep. Bremensis Ecclesiæ concessum, quo quidquid proprietatis *in regno Danorum* ad Ecclesias *Slevicensem, Ripensem, Arusensem & Ottonesvuingensem* pertinebat, ab omni censu juris sui absolvit. Datum illud *Wildeshusen XV Kal. April. anno Dom. incarnat. CMLXXXVIII indict. I anno autem regni nostri V.* Qua subscriptione perspicuum fit, Ottonem III in die Natali Christi anni CMLXXXIII non verò insequentis Christi anni, Germaniæ Regem coronatum fuisse. Goldastus quidem loco citato duas alias ejusdem Regis Chartas eodem anno datas profert, in quibus licet Otto se se Regem disertè appellet, non verò Imperatorem, Goldastus tamen in titulo, quem eis præfigit, Ottonem III *mirabilem Imperatorem Augustum* vocat, reclamantibus, quæ ipsemet producit ejusdem Ottonis Diplomatis, in quibus Otto III se tantùm Regem dicit.

III. *Moritur S. Dunstanus Archiep. Cantuariæ.*

Ad num. III *Sanctum Dunstanum* Cantuatiensem Archiepiscopum hoc anno ad Deum migrasse, disertis verbis asserit Osbernus Cantuariensis Monachus in ejus Vita num. XLI Sec. V Benedict. recitata, qui addit: *dies ergo Ascensione Christi festivos diem clarificationis beati Dunstani præcessit tertius.* Hoc autem anno Festum illud in diem XVII mensis Maij incidit, & in legibus Ecclesiasticis Canuti Regis anno MXXXII editis, *Dunstani* festum XIV Kal. Junii celebrari Sapientes præcepisse dicitur. Accuratè itaque Simeon Dunelmensis ad hunc Christi annum scripsit: *B. Dunstanus Archiep. indict. prima XIV Kal. Junii sabbato ex hac vita transivit.* Ante biennium prædixerat Vir Sanctus mala super *Ethelredum* Regem ventura, quòd iram Dei provocaret in exigenda pecunia ab Ecclesia Sancti Andreæ Apostoli. *Jam verò post obitum sancti viri*, inquit Ingulphus in sua Historia, *dicta prophetia in dies adimpleri, & mala innumera totam terram tribulare. Scilicet Danici pyratæ primò nostra littora in omni terra latere crebris assultibus infestare; postmodum magna classe advecti, exercitus eorum invicti, urbes & castella licenter expugnare; eodem etiam tempore fames valida indigenas maximè vexare & vastare; morbus deinde, qui dysenteria dicitur; tam in jumenta, quam homines desævire; pestilentia cum his multa millia tam divitum, quam pauperum percutere; ac omnes hostes in capite super Anglos semper vincere, & in omni certamine semper prævalere.*

IV. *Synodus Landavensis.*

Interim inter antiquos *Britannos*, licet ad summas miserias adactos Ecclesiastica disciplina vigebat. Cùm enim inter eos Rex quidam *Guenta* cum fratre inimicitias fovens eum occidisset, Britannorum Ecclesia hoc facinus detestata, illum à fidelium communione tandiu separavit, donec reus de facto pœnitens, crimen expiaret. Factum id in Synodo, cui *Landavensis* Episcopus præfuit, & in qua res gesta pleniùs narratur. Spelmannus pag. 502. hanc Synodum *Landavensem* cùm hoc anno alligavit, eaque nunc legitur Tom. IX Concil.

V. *Robertus in consortium Regni Francici assumtus.*

Hugo Capetus, qui anno superiori Francorum Rex renunciatus fuit, currenti *Robertum* filium in Regni societatem adscivit. Labbeus Tom. I Biblioth. pag. 272. mentionem facit chartæ, quæ dicitur *data die XVIII Kal. April. ann. MIV regni Roberti XVII*, sed loco XVIII Kal. April. legendum; *XVII Kal. April.* tot enim dies ante Kalendas, mensis Aprilis non habet. Quare ea inauguratio hoc anno ante diem XVI mensis Martii acta. Imò in Fragmento Hist. Franciciæ à *Roberto ad mortem Philippi I Regis* apud Duchesnium Tom. II pag. 631. de Hugone Capeto dicitur: *Is Robertum filium suum sibi consortem legit regni, & benedici fecit Remis Kal. Jann.* Idem habetur in Charta Lemovicensi, sed ea à me non visa. Cùm verò *Robertus* dicatur à Glabro, Auctore æquali, in lib. 2. cap. 1. *Rex tunc juvenis prudens, atque eruditus, dulcisque eloquio ac pietate insignis*, cùm patrem anno CMXCVIII amisit, in adolescentia nunc versabatur. Interim cùm hoc anno *Adalbero* Remensis Archiep. mortuus fuisset, suffectus ei ab Hugone & Roberto Regibus *Arnulfus* Lotharii Regis filius spurius, quem *Adalbero* Laudunensis Episcopus cum illis re-

conciliaverat,

conciliaverat. Verùm *Arnulfus*, sacramenti Regi dicti immemor, *sexto* post ordinationem *mense* (Remos ejus jussu prodente *Adalgero* Præsbytero) *Laudunum* se perducendum permisit: ibidemque *Remensis urbis prædatores*, qui nihil nisi eo conscio & probante aggressi fuerant, *excommunicavit*; & Synodus *Silvanectensis* anathema illud confirmavit. De ea Synodo anno CMXC verba faciemus, quia Baronius eam in illum Christi annum distulit. Sexto verò mense post suam ordinationem *Arnulphum* in crimen illud lapsum esse, anno CMXCI num. I ostendam.

Anno Eræ Hispan. MXXVII. Anno Hegiræ CCCLXXIX, inchoato die 10. April. fer. 4.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6482.

☉ 18. F. ☽ 2. P. 31. Mart. Indict. 2.

JESU CHRISTI 989.

JOANNIS XV PAPÆ 5.

OTTONIS III REG. 7.

BASIL. & CONST. IMPP. 14.

I. *S. Adalbertus jussu Papæ Pragam anno CMXCIV redit.*

ANnum I ad VIII. Baronius, qui quinquennium Monachatus *Sancti Adalberti* Pragensis Episcopi ab anno CMLXXXIII auspicatus est, licet illud anno CMXC inchoetur, uti suprà monstravimus, ideoque & in annum CMXCIV desinat, refert hoc anno quæ anno CMXCIV narranda fuerant. Anno itaque nongentesimo nonagesimo quarto contigêre quæ primus Auctor Vitæ hujus Sancti cap. 25. his verbis memorat: *Archiepiscopus Maguntinus* (qui eo Christi anno Willigisus erat) *beati Præsulis gregem sine Pastore ire conspiciens, misit Legatos cum literis, per quos dominum Apostolicum de Sancti viri reditu interpellat. Facta est Romæ Synodus* (anno CMXCIV, ut habet Chronographus Magdeburgensis) *pro hac causa, & oritur utrimque litigium grande, ex una parte eorum, qui monachum perdere timuerunt; ex alia eorum, qui Pastorem suum cum auctoritate quæsierunt. Cumque invicem dispugnantibus sententiis utraque pars diu decertarent, tandem dubiam nunciorum Primas* (qui in alia Vita appellatur *Radla* ac frater Ducis Boleslai) *vix promeruit victoriam. Hic ipse Primas frater erat Ducis* (nempe Bohemiæ), *cujus terra, qui exigebatur Episcopus, præfuit. Tum Apostolicus* (nempe Joannes XV) *non tam voluntate, quam jure Dei permotus, talia respondit: Reddimus, quod justè querunt; quamvis de bono patre jam degenerassent filii, & dabimus eum hac lege: Si audierint eum, teneant tum Dei benedictione, faciantque sub ipso fructu centuplum. Si autem à consueta iniquitate sua recedere nolunt, hic noster absque periculo sui capitis malorum consortia declinet.* Subdit postea Anonymus, *Adalbertum* Pragam venisse, & omnem ætatem ac sexum ei obviam processisse. Sed cum Pragenses in carnalem partem relaberentur, Adalbertus, *dulcis Romæ mœnia revisit, & novi monasterii mutat Pastoralia fræna.* Est hic secundus reditus Adalberti in Urbem Romanam, quem Baronius juxta sua principia in annum CMXC confert, cùm tamen ad annum CMXCV pertineat, ut ibidem videbimus. Porrò quæ hic narrat Baronius de baptismo *Sancti Stephani* postea Hungariæ Regis, & quæ supersunt de gestis Sancti Adalberti, ad suos annos remittimus, confusionis vitandæ causâ.

II. *Flores S. Gebhardus Episc. Constansiensis.*

Ad num. VIII Hermannus Contractus juxta editionem Canisianam ad annum CMLXXIX scribit: *Constantiæ Gamenolfus Episcopus obiit: cuique Gebehardus nobilis & venerabilis Præsul succedens, XVI annis Ecclesiam rexit: qui Basilicam Sancti Gregorii in ripa Rheni, Abbatiamque suis ex prædiis construxit. Jam dicitur Petri-domus.* In Sancti Gebehardi Vita, in Chronico Constantiensi à Joanne Pistorio recusa, inter alia de eo dicitur: *Decimo anno Ecclesiam in honore sancti Gregorii dedicavit, eamque multiplicibus & magnificis Sanctorum Reliquiis cumulavit.* Monasterium illud Petershusense, vulgò *Petershausen*, dicitur possidere Caput Sancti Gregorii Papæ à Joanne Papa XV Sancto Gebehardo concessum. Verùm Clarius in Chronico Sancti Petri Vivi refert, Caput illud uno ante seculo *Ansegisum* Archiepiscopum Senonensem à Joanne VIII accepisse. *Obiit Sanctus Gebehardus*, inquit Chronographus Constantiensis, *VI Kal. Septembris anno CMXCVI; sepultus in Basilica sancti Gregorii a se constructa;* quod & Hermannus Contractus laudatus etiam habet. Plura de hoc Sancto Antistite in Seculo V. Benedict.

III. *Theophania Imperatrix Romam venit.*

Ad num. IX. In Chronico Hildensheimensi hoc anno legitur: *Theophanu* (ita etiam Theophania appellabatur) *Imperatrix, mater Regis* (nempe Ottonis III) *Romam perrexit, ibique Natalem Domini celebravit, & omnem regionem Regi subdidit.* Tum anno CMXCI: *Theophanu Imperatrix obiit*, quod & Lambertus Schafnaburgensis & Hermannus Contractus ex editione Canisiana habent. Diem notavit Ditmarus, nempe *XVII Kalend. Julii*, qui dies erat decimus quintus mensis Junii. Ejus erga pauperes liberalitatem laudibus effert secundus Auctor Vitæ Sancti Adalberti Episcopi Pragensis. De ea Sanctus Odilo Abbas Cluniacensis in Vita Sanctæ Adelhaidæ Imperatricis scribit: *Licet illa Imperatrix Græca sibi, & aliis fuisset satis utilis & optima, socrui tamen Augustæ* (nempe Adelhaidæ) *fuit ex parte contraria. Ad postremum verò cujusdam Græci, aliorumque adulantium consilio fruens, minabatur ei quasi manu designando dicens: Si integrum annum supervixero, non dominabitur Adelhaida in toto mundo, quod non possit circumdari palmo uno. Quam sententiam inconsultè prolatam, divina censura fecit esse veracem. Ante quatuor hebdomadas Græca Imperatrix ab hac luce discessit, Augusta Adalhaida superstes, felixque remansit.* Porrò error irrepsit in numeros apud Ditmarum, in quo legitur: *An. Dom. Incarnat. DCCCCLXXXIX* (legendum, DCCCCLXXXX, ut ostendunt verba sequentia) *Sol defecit X Kal. Novemb. V diei horâ.* Hanc enim Eclypsim die XXI mensis Octob. anni CMXC contigisse demonstrat Calvisius in Opere Chronol. & Chronologus Abbatiæ Quilindburgensis in Saxonia, qui Ditmarum exscripsit, legit, *anno CMXC*, additque verba hæc, quæ in eodem Ditmaro habentur: *Insequenti anno* (idest, anno CMXCI) *in Numagen Theophano Imperatrix infirmatur, atque ab hac vita XII Kal. Julii discedit, &c.*

ANNO

Anno Eræ Hispan. MXXVIII. Anno Hegiræ CCCLXXX, inchoato die 31. Martii fer. 4.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6483.

☉ 19. E. ☽ 3. P. 20. April. Indict. 3.

JESU CHRISTI 990.

JOANNIS XV PAPÆ 6.

OTTONIS III REG. 8.

BASIL. ET CONST. IMPP. 15.

I. *Operâ Joannis XV pax inter Regem Angliæ & Ducem Normanniæ facta.*

AD Num. I ad IV. Inclyta erat per hæc tempora virtus *Leonis Episcopi*, qui Egberti Archiepiscopi Trevirensis Vicarius, Apostolicæ Sedis Apocrisarius creatus est. Quippe *Joannes Papa*, obortâ, inter Angliæ Regem *Ethelredum*, & Richardum Normannorum Ducem controversia, *Leonem* in Insulam Britanniæ Legatum de pace misit, ejusque solertiâ optatæ pacis fructum retulit. Refert Malmesburiensis lib. 2. de Reg. cap. 10. Epistolæ Joannis exemplar, cui *Leonis* inscripta memoria; quem ipsemet Malmesburiensis Episcopum Trevirensem perperam nuncupat; ipse enim Pontifex profitetur, accersitum à se Apocrisarium suum *Leonem, vice Episcopum Sanctæ Trevirensis Ecclesiæ*, eumque cum exhortatoriis ex Urbe magnis viarum intervallis missum ad oram maritimam, *in die Nativitatis Domini* pervenisse *ante conspectum Regis præfati*, consilioque cum Rege habito de pace, Legatos ex Anglia datos, trajecisse in Galliam, & pervenisse Rotomagum *usque ad Richardum Marchionem*, ita Normanniæ Ducem Pontifex appellat, ac denique Rotomagi Ethelredum inter & Richardum pacem sanxisse, *Kalendis Martii anno ab Incarnat. Domini CMXCI indict. IV.*

II. *S. Adalbertus Episc. Pragensis fit Monachus.*

Ad num. IV *Sanctus Adalbertus*, relicto Episcopatu Pragensi, hoc anno Romam venit, ibique Monachum induit in Monasterio SS. Bonifacii & Alexii, ubi *quinquennio* mansit, nempe usque ad annum CMXCIV, ut anno superiori ostendimus. Verùm Baronius, qui quinquennium hoc ab anno CMLXXXIII auspicatur, & illud anno superiori absolvit, hoc anno scribit: *Monasterium, ubi quinquennio manserat, iterum adiit: ibique totidem annos explevit*, licet secundus Auctor Vitæ Sancti Adalberti, qui solus de quinquennio Monachatûs Sancti hujus Antistitis verba facit, unici quinquennii mentionem faciat, ideoque ostendat, *Adalbertum* nonnisi præsenti anno ad Monasterium SS. Bonifacii & Alexii venisse, & Monachum induisse. Quæ narrat itaque hoc anno Baronius gesta fuisse Romæ ab Adalberto jam Monacho, ad hunc annum reapse pertinent. Præterea ad hunc etiam annum revocanda quæ ipse existimavit contigisse priori quinquennio; cùm illud fictitium sit, & hujus Sancti Antistitis Actis adversetur, ex quibus constat, eum usque ad præsentem annum Ecclesiam Pragensem rexisse, & primùm Romam venisse.

III. *Leo Exabbas Nonantulanus cum Leone Abbate Bonifaciano non confundendus.*

Ad num. V & seq. Florebant hoc tempore Romæ in Monasterio Sanctorum Bonifacii & Alexii, in quo Sanctus *Adalbertus* Monachus factus est, *Leo* Abbas ejusdem Monasterii, qui annò CMXCV tanquam Legatus Joannis Papæ XV præfuit Conciliis Mosomensi & Remensi adversùs Gerbertum celebratis, & alter Leo, qui post peregrinationem Hierosolymitanam Nonantulani Monasterii Abbatiam abdicarat, *& deinde apud Sanctum Bonifacium intra Romanæ mœnia perseverans, ex omni quod sibi vitæ hujus residuum fuit, nihil aliud, quàm æternæ vitæ sibi stipendia procuravit*, inquit Petrus Damiani in Epistola ad Nicolaum Papam II cap. XI, cujus locum integrum recitat Baronius, qui tamen, ut rectè observavit Mabillonius Sec. V Benedict. in Elogio Leonis Abbatis Nonantulani, utrumque Leonem in unum confundit; quæ enim Petrus Damiani narrat, nonnisi de *Leone Exabbate* intelligi possunt, cùm *Leonem* ob abdicatum munus Abbatis & initam privatæ vitæ rationem laudibus efferat, quod de Leone Abbate Monasterii Bonifaciani, & postea Summi Pontificis Legato Petrus Damiani non dixisset. Præterea Auctor Anonymus posterioris Vitæ Sancti Adalberti Episcopi Pragensis eos enumerans, qui in Monasterio Bonifaciano Leonis Abbatis congressum experebant, ait: *Hoc Gregorius Abbas, hoc erat pater Nilus, hoc Joannes bonus infirmus, &c. hoc simplex Leo, Psalmorum amicus & semper prædicare paratus*. Hunc verò ultimum Leonem pro loci Abbate malè etiam usurpat Baronius, ut advertit Mabillonius, quia iste Anonymus non ipsum, sed convenientes ad Abbatem enumerat, & inter eos nonnisi Gregorio *Abbatis* nomen tribuit; quod etiam Leoni ultimo loco memorato non negasset, si tum quoque hac dignitate præditus fuisset. Est itaque simplex ille Leo *Psalmorum amicus* Leo Exabbas Nonantulanus, non verò Leo Abbas Monasterii Bonifaciani, qui longè alia, quàm *simplicitatis* & Psalmorum amoris opinione inclaruit.

IV. *Arnulphus filius Lotharii Regis deficit ab Hugone Rege.*

Ad num. VII & seqq. Cùm *Arnulfus* Lotharii quondam Francorum Regis filius spurius & Caroli Lotharingi nepos evectus fuisset ad Archiepiscopatum Remensem anno CMLXXXVIII, ita volente & annitente *Hugone* Rege, ut eum sibi demereretur, & à *Carolo* averteret, postquam *menses sex* Archiepiscopatum illum rexit, *Carolus* civitate Remensi & pluribus oppidis potitus est, ipseque Arnulfus cum *Carolo* anno superiori arma sociavit. Quare hoc Christi anno *Hugo* Rex & Remensis Diœceseos Suffraganei ad Joannem Papam contra *Arnulfum* Legatos misêre, eumque infidelitatis & insignis proditionis reum fecêre, postulantes, ut sibi liceret ei Archiepiscopatum abrogare: Non tantùm quia *Carolo* urbem tradiderat contra fidei sacramentum; sed etiam quòd contra jus gentium & captivitatis, in qua ipse videri volebat detineri, sub signis Caroli milites collegisset, & vocatus ab Episcopis venire contempsisset, ut patet ex literis ipsius Hugonis Regis & Episcoporum ad Joannem XV, quas Baronius anno CMXCI, à num. II ad V, loco scilicet non suo, recitat; ad annum enim superiorem exeuntem revocandæ: Gerbertus quippe in Oratione quam habuit in Concilio Mosomensi anno CMXCV ait: *Certè nihil actum vel agendum fuit, quod Apostolicæ Sedi relatum non fuerit: ejusdem per decem & octo menses expectata sententia*, nempe usque ad diem XVII Junii anni CMXCI quo Arnulfus in Concilio Remensi depositus est, à quo die si per decem & octo menses retrocedas, pervenies ad medium circiter Decembrem anni

CMLXXXIX

SÆC. X. An. Ch. 990.

CMLXXXIX quo ideo literæ Hugonis Regis & Episcoporum datæ sunt.

V. *Synodus Silvanectensis.*

Episcopi jam anno CMLXXXVIII, ut ibidem retulimus, Synodum *Sylvanectis* habuerant, *Adalgerum* Presbyterum proditorem citaverant, atque in eum, & alios proditionis reos anathema dixerant simulque in pervasores Remensis & Laudunensis Diœcesis. Ad eam quoque videtur citatus fuisse *Arnulfus*: sed, seu quia se se captivum fingebat, seu quia judicium Episcoporum reformidabat, Conventui non adfuit. Synodum quidem Silvanectensem Baronius hoc anno locat, sed ex antecedentibus & consequentibus apparet, eam ad annum nongentesimum octogesimum octavum ut ibidem insinuavimus, retrahendam esse.

VI. *Carolus Lotharingus in potestatem Hugonis Regis venit.*

Hoc verò anno *Arnulphus post menses XVIII*, ut anno sequenti num. I videbitur, Hugoni Regi reconciliatus, imò *Regiæ mensæ particeps factus*, fidem fefellit, & *Guidonem* Suessionum Episcopum, qui eum medio inter Suessiones & Laudunum intervallo *apud Cavinionem convenerat* ludificatus, eumdem Hugonem Regem & provinciæ Remensis Episcopos ad *causam* Romam Julio mense per Legatus *perferendam* compulit; quod tamen contra facientibus Heriberti Comites ac patris Agnetis Caroli Ducis uxoris Legatis, frustra fuit. Præterea, ut habet Nangius hoc anno in Continuatione Flodoardi, *Hugo Rex Francorum collecto exercitu valde copioso, Laudunum urbem, ubi manebat Carolus Dux Lotharingiæ cum uxore sua filia Herberti Comitis Trecarum, obsidere decrevit. Sed cernens quod civitas vi assultuum inexpugnabilis esset, consilium habuit cum Anselino* (Adalberone etiam appellato) *traditore vetulo Laudunensium Episcopo, qui erat Consiliarius Caroli principalis. Is enim Anselinus Episcopus nocte quadam cunctis quiescentibus, Hugoni Regi portas aperuit: & tunc captus & vinctus Carolus cum uxore sua positus fuit à Rege Hugone Aurelianis in carcere, ubi & tandem mortuus est.* Ademarus in Chron. ait, *hebdomada ante Pascha* Carolum ab Ascelino Episc. proditum, sed annum non determinat. Verùm Carolus anno tantùm sequenti captus, & urbs Laudunensis expugnata ab Hugone Rege, ut infrà videbimus. Quare Nangius hæc uno tenore narravit, vel fortè hallucinatus est. Sed redeo ad Ademarum.

VII. *Moritur in carcere & liberos relinquit.*

Ademarus Monachus Sancti Eparchii Engolismensis, Auctor coætaneus, in suo Chronico Tom. II Biblioth. Labbei relato, qui magnam fidem hac in re meretur, subdit: *Carolus in carcere usque ad mortem retentus est Aurelianis, ubi genuit filios Carolum & Ludovicum & expulsi sunt filii ejus à Francis, profectique ad Imp. Romanorum habitaverunt cum eo. Sanè Dux Aquitanorum Willelmus reprobans nequitiam Francorum Vgoni subditus esse noluit: unde factum est ut Vgo, exercitu Francorum admoto, urbem Pictavis obsidione fatigaret, &c. pacem postmodum Willelmus cum Vgone & Rotberto filio ejus fecit, & Rex Vgo cogitans erga se Dei gratiam, quasi vicem rependens, defensor clementissimus Ecclesiæ Dei extitit. Nam ob hanc causam creditur progenies Caroli reprobata, quia jamdiu negligens Dei gratiam, & Ecclesiarum potius neglectrix, quam auctrix videbatur.* Filios tamen Caroli Ducis, non simul ac abdicatus est pater, sed post annos circiter XX, cum infelicium partium Guillelmum Ducem tædere, cœpisset, Heribertusque Trecensium Comes maternus avus, qui Arnulfi Archiepiscopi Remensis patrocinium palam susceperat, vivere desiisset, expulsos fateri necesse est, inquit Blondellus in Pleniori Assertione Genealogiæ Francicæ pag. 37. Cùm enim ex Sancti Petri Uzerchiensis in Lemovicibus ad Guillelmi Hugoni Regis rebellis ditionem pertinentibus Chartulario, Ludovicum & Carolum anno MVIII, quo jam *Otto* Dux eorum frater natu major decesserat, Regium nomen affectasse constet, utrumque ad illa usque tempora sub Guillelmi auspiciis de Regno cum Roberto Rege contendisse oportet. Hac enim nota Charta consignata reperitur: *Actum anno Incarnationis Domini MVIII, regnante Roberto, & Ludovico & Carlomo.* Duravit illa stirps Carolina usque ad annum MCCXLVIII in posteris Ludovici, qui Ottonis ex alia matre frater fuit, & Thuringiæ Landgraviorum parens.

SÆC. X. An. Ch. 991.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6484

☉ 20. D. ☽ 4. P. 5. April. Indict. 4.

JESU CHRISTI 991.

JOANNIS XV PAPÆ 7.

OTTONIS III REG. 9.

BASIL. ET CONST. IMPP. 16.

Anno Eræ Hispan. MXXIX. Anno Hegiræ CCCLXXXI. inchoato die 20. Martii fer. 6.

I. *Litera Hugonis Regis & Episcoporum adversùs Arnulfum Archiep. anno superiori data.*

AD Num. I ad XII. Non hoc anno, sed mense Decembri anni nongentesimi octogesimi noni *Hugo* Francorum Rex & Episcopi Diœceseos Remensis ad *Joannem* XV Summum Pontificem adversùs *Arnulfum* Regis Lotharii filium spurium ac Remensem Archiepiscopum literas dedêre, ut ibidem diximus. Nunc Baronii fundamentum evertendum. Ait Cardinalis "Doctissimus: Hæc omnia hujus anni exordio facta esse, Gerbertus qui interfuit, docet, dum decem & octo menses tradit intercessisse ab eo tempore usque ad Synodum Remensem habitam anno sequenti mense Junii. Ita Baronius. Verùm *Gerbertus* in fragmento Epistolæ ad *Wilderodum* Argentinensem Episcopum, quæ continet apologiam ejusdem Synodi Remensis, quam Epistolam ipsemet Baronius anno CMXCII num. XXXIX & seq. recitat, non refert menses illos XVIII ad Synodum Remensem, sed ad Arnulfi cum Hugone Rege reconciliationem. Hæc Gerberti verba: *Conjuratorum manum contra suum Regem, ejusque exercitum in aciem sub signis Caroli* (Lotharingiæ Ducis) *produxit. Interea Legatis & literis Synodicis Romanus Pontifex, ut Ecclesiæ turbatæ subveniat, ammonetur. Sed neque Legatis neque literis consulentibus consulit. Itaque gravium Episcoporum facto consultu Legatis & literis Synodicis ac meis ammonitione Arnulfus conventus*, DECEM ET OCTO CONTINUIS MENSIBUS, *ut à cœpto furore desisteret, seque à scelere proditionis & rebellionis, quo impetebatur, regulariter purgaret, noluit. Sed cùm à se fautores maximos nequitia sua discedere sensit, territus Regem adiit, novisque sacramentis ac novis rerum conditionibus* REGIÆ MENSÆ PARTICEPS FACTUS EST; *atque ita ira Regis sedata*

omni

omni crimine se exutum credidit. Quare menses illi XVIII ad ea quæ anno anteriori gesta fuerant, non verò ad ea quæ post eam Epistolam ad Episcopum Argentinensem datam contigêre, omninò pertinent. Arnulphus itaque anno CMLXXXVIII Archiepiscopus Remensis creatus est. *Necdum à sua ordinatione sextus mensis elapsus erat, & ecce quasi tempestas urbem ab eo proditam hostis invasit, Sanctuarium Dei polluit, spolia diripuit, Clerum & populum captivavit. Post hæc verò Arnulphus suos prædones sub anathemate posuit, atque ut idem facerent, Gallicarum Episcopis imperavit*, uti scripserat antea Gerbertus in eadem ad Episcopum Argentinensem Epistola, respiciens ad Synodum Silvanectensem. Quare *Arnulphi* proditio, & Silvanectensis Synodi celebratio ann. CMLXXXVIII, sexto nempe mense ab ordinatione Arnulphi, acciderant; ac menses præfati XVIII ab eodem Christi anno inchoati, antique CMXC prioribus mensibus absoluti fuêre.

II. *Arnulfus iterum adversùs Hugonem Regem rebellis.* Præterea Baronius num. I in margine citat Gerbertum de Concilio Remensi loquentem, & querelam Romani Pontificis commemorantem: *Sed neque*, inquit Gerbertus, *Primatis Romano injuriam illatam, cum per octodecim menses literis & Legatis commonitus respondere noluerit. Non enim ejus silentium aut dissimulatio, vel nova constitutio jam constitutis præjudicat legibus.* At hi menses XVIII referuntur quidem ad Synodum Remensem, quæ Arnulfum ab Archiepiscopatu Remensi deposuit, sed ea non anno CMXCII, ut arbitratus est Baronius, sed anno CMXCI congregata. Quare cùm die XVII mensis Junii illius anni habita fuerit, hi menses XVIII eo die absoluti, & circa medium mensis Decembris anni nongentesimi octogesimi noni incœpti, ideoque & eo tempore *Arnulphus* cum Hugone Rege reconciliatus, vel saltem sub initium anni CMXC; an enim Gerbertus menses illos integros vel incompletos numeret, divinare non possumus. Intra hos ultimos menses XVIII contigêre, quæ ipsemet Gerbertus in Epistola ad Wilderodum post laudata superiori numero verba statim subjungit: *Atque ita irà Regis sedatâ omni crimine se exutum credidit. Indeque mox rediens fidem sacramentorum rupit* (nempè circa initium anni CMXC) *conditionibus non servatis. At si quorum intererat, totiens se decipi, totiens bonis suis privari non ferentes, Laudunı arcem occupant* (anno nempe CMXCI) *Arnulphus inter hostes Regis invenitur, Synodo* (Remis eodem anno coactæ) *repræsentatur, pro tot tantisque flagitiis rationem reddere deposcitur*, &c. Utraque itaque Arnulfi rebellio per menses XVIII duravit, & in universum annos tres, ab anno CMLXXXVIII sexto Archiepiscopatûs ejus mense inchoandos.

III. *Moritur Miesco Dux primus Poloniæ Christianus.* Ad num. XII. & seq. *Miesco* seu *Misicho* vel *Michovio* vel *Miezulaus* seu *Miezislaus* primus Polonorum Dux, qui Christianam religionem in eam gentem intulit, anno tantùm sequenti è vivis excessit, ut disertè docet Chronographus Hildensheimensis ad annum CMXCII, ubi ait: *Misaco obiit, successitque ei filius illius Bolislavo*, seu Boleslaus cognomento *Chrobry*, Baronius ex Ditmaro lib. 4. pag. 46. *Misiconis* Ducis mortem in præsentem annum confert. At Ditmarus contrarium asserit, ait enim: *Anno Dominica Incarnat. DCCCCXCII, regni autem tertii Ottonis octavo, hic præfatus Dux jam senex & febricitans ab exilio hoc ad patriam transit.* Ubi loco, *regni autem tertii Ottonis octavo*, legendum, *regni autem tertii Ottonis nono*, cùm is die Natali Christi anni CMLXXXIII Ottoni II patri successerit. Sequendus itaque Ditmarus non in anno Regis Ottonis, sed in anno Incarnationis. Suscepit paternum Principatum *Boleslaus* primus, quem Ditmarus crudelitatis insimulat, Chromerus verò laudat.

IV. *Miesco Dux pietate insignis.* Hic Princeps, inquit Chromerus lib. 3. de Boleslao loquens, Polonorum nomen Regia di-"gnitate externorum Principum necessitudini-"bus & clarissimis rebus gestis vehementer il-"lustravit: militarem disciplinam auxit, Regni "fines longè latèque propagavit: religionem "stabilivit, & augustiorem reddidit: denique "feros ac agrestos homines ad civiliorem ali-"quanto vitæ cultum redegit. Sed quoad *Misichonem*, de eo dicitur in libro de Miraculis Sancti Udalrici Augustensis Episcopi, Vitæ ejus à Gerardo Presbytero Sancti Antistitis familiari scriptæ, subjuncto, cap. 22. quod cùm *sagittâ toxicatâ* in brachio vulneratus fuisset, votum vovisse, ut brachium argenteum cum manu ad *Sanctum Udalricum* mitteret, & continuò per merita Sancti Episcopi de mortis periculo illum liberatum fuisse. *Misichonem* hic Auctor, qui hoc seculo vixit, *Vvandalorum* Ducem appellat, & Cosmographus Hildensheimensis *Sclavorum* Ducem. Hi loquendi modi observandi, ut hujus temporis Auctores melius intelligantur. *Misicho* itaque Princeps fuit pietate insignis.

V. *Anglia Danis vectigalis redditur.* *Danis* littora Angliæ infestantibus, eodemque tempore, ut Anglorum vires distraherent, varias urbes oppugnantibus & barbara crudelitate deprædantibus, *Ethelredus* Rex, uti narrat Hovedenus part. I Annal. pag. 418. malo remedium quæsiturus Senatum vocat, ubi pauci erant, qui vim viribus opponere censerent, plures verò quibus nota Regis ignavia, & inter hos Princeps ponitur *Siricius* Cantuariensis Archiep. ducebant Danorum animos pecunia, non ferro placandos; horum *consilio*, inquit Hovedenus, *Danis tributum, quod erat decem librarum* (legendum, *decem millium librarum*, ut Huntindoniensis pag. 357. & novus Chronographus Saxo habent) *primitus datum est: ut à crebris rapinis, incendiis, & hominum occisionibus, quas circa maris ripas frequenter agebant, desisterent; pacemque firmam cum eis tenerent.* Nunc ergo primùm in singula civium capita decretus census, de quo in Eduardi Confessoris legibus, apud Hovedenum pag. 603. legitur: *Danegildi* (ita census iste vocabatur) *redditio, propter pyratas primitus statuta est. Patriam enim infestantes, vastationi ejus pro posse, insistebant. Ad eorum insolentiam reprimendam statutum est Danegeldum annuatim reddi: scilicet duodecim denarios de unaquaque hida* (quæ erat certa terræ portio) *totius patriæ, ad conducendos eos, qui Pyratarum irruptioni resistendo obviarent.* Duravit hæc servitus ad decimum Eduardi Regis annum, seu ad annum MLI, & aliquando hoc servitutis genus auctum fuit, ut hoc anno apud Alfordum videre est. Quoad Ecclesiam, ita lex cavebat: *De Danegeldo omnis Ecclesia libera est, & quieta, & omnis terra, quæ in proprio dominio Ecclesiæ erat; ubicumque jacebat; nihil prorsùs in tali redem-*

ptione persolvens: quia magis in Ecclesia confidebant orationibus, quam in armorum defensionibus, usque ad tempora Guillelmi Junioris, qui Rufus vocabatur. Hæc in legibus Eduardi Regis num. XI.

VI. *Depositur Calipha Bagadensis.*

Taius Lilla Calipha Babyloniensis depositus fuit anno Hegiræ CCCLXXXI, die XIX Schabani, qui respondet diei trigesimo mensis nostri Octobris. Et eadem die succedit *Cadirus Billa* Calipha XLVI Bagadensis, quæ fusè Elmacinus lib. 3. narrat.

Anno Æræ Hispan. MXXX. Anno Hegiræ CCCLXXXII, inchoato die 9. Martii fer. 4.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6485.

☉ 21. C B. ☽ 5. P. 27. Mart. Indict. 5.

JESU CHRISTI 992.

JOANNIS XV PAPÆ 8.

OTTONIS III. REG. 10.

BASIL. ET CONST. IMPP. 17.

I. *Epocha Synodi Remensis.*

A Num. II ad XIII. Diem congregatæ Synodi Remensis, in qua *Arnulfus* Archiep. Remensis depositus, & *Gerbertus* in ejus locum *substitutus, rectè notat Baronius num. XII ex ipsomet Gerberto, nempe XV Kalend. Julii*, seu diem XVII mensis Junii, non item annum. Eam enim anno superiori habitam fuisse, docet accurata editio Actorum, quæ Duchesnius Tom. IV pag. 101. recitat, & quorum initium est: *Anno ab Incarnat. D. N. J. C. DCCCCXCI indictione IV anno V Regni domni Hugonis Augusti, & Excellentissimi Regis Roberti congregata est Synodus in Remensi territorio*, ubi Hugo pro Rege *Augustus* dicitur; ut etiam in quibusdam Diplomatis Lotharius Rex ejus decessor *Augustus* & Angliæ Reges *Basilei* appellantur. Ex hac epocha, quæ certa est, liquet *Arnulfi* Archiep. Remensis Historiam, quæ non parvis tenebris obducta, rectè à nobis in suos annos digestam fuisse.

II. *Arnulfo deposito Gerbertus fit Archiep. Remensis.*

Legati *Hugonis* Regis, qui Romam ad Joannem XV missi fuerant, ut in dejectione *Arnulfi*, & in novi Archiepiscopi ordinatione, ei & Episcopis Galliarum suffragaretur, re infectâ, Româ rediêre, tum quia moræ impatientes; tum quia Romæ causam audiri ac finiri nolebant. Verosimile enim est, Regem eis in mandatis dedisse, ut traditis Pontifici literis, statim reverterentur, nec audientiam pleniorem spectarent. Sic enim reverentiæ Sedi Apostolicæ debitæ Rex & Episcopi non videbantur defuisse, & Romæ *Arnulfi* causa, quam in Regno judicari malebant, non judicabatur. Reversis itaque anno CMXCI Legatis, Synodum Remensem Rex convocavit, ad eamque captivus ductus est *Arnulfus*, quia *Laudunum* eodem anno majori hebdomada ab *Ascelino*, Adalberone etiam appellato, Episcopo Laudunensi traditum est *Hugoni* Regi, & *Arnulfus*, qui ibi cum Carolo Lotharingiæ Duce agebat captus, ut ex dictis liquet. Bidui spatio, duabus Sessionibus Concilium peractum. Priori consessu in utramque partem causa Arnulfi discussa, & posteriori, cui *Hugo* & *Robertus* Galliarum Reges interfuêre, extortus est ab *Arnulfo* libellus abdicationis, juxta exemplar abdicationis *Ebbonis* quondam sub Ludovico Pio Archiepiscopi Remensis, de cujus conjuratione in Ludovicum Pium suo loco egimus. Post latam in *Arnulfum* sententiam, successorem illi substitui *Gerbertum* Hugo postulavit, quòd ejus operâ multis in rebus utiliter usus fuisset, ipseque *Roberti* filii Præceptor extitisset. *Gerbertus* itaque in Archiepiscopum Remensem inauguratus est reclamante *Seguino* Senonensi Archiepiscopo, quem aliqui in ejus depositionem consensisse perperàm scripsêre; cum Seguinum eidem restitisse, optimè Baronius probant.

III. *Gerberti illegitimè ordinati dotes.*

A num. XII ad LXII. *Arnulfi* depositionem absque auctoritate Sedis Apostolicæ decretam, nullam fuisse pluribus probat Baronius, ideoque actum non agam. Ad supplendos verò Annales hîc tantùm quomodo se eo in munere gesserit *Gerbertus* tempore, quo in illo fuit, narrabo. Imprimis bonorum Ecclesiasticorum pervasores, collecta Suffraganeorum Synodo, fulminibus Ecclesiasticis terruit, & ad satisfaciendum Ecclesiæ compulit. Recitatur Synodus illa Tom. IX Concil. pag. 740. *Fulconem* quoque Ambianensem Episcopum admonuit, increpavitque, quod bona Ecclesiastica pervaderet, monuitque errata corrigere, sibique satisfacere: *ut horum excessuum recognitio, multorum peccatorum possit esse abolitio*, ut inquit in Epistola ad eum data, & ibidem recitata. Neque à docendo saltem privatim destitit, ut patet ex Epistola ejus XLI ad Hervæum Bellovacensem Episcopum data. Quos verò præsens docere non poterat, literis suis docere satagebat, imprimis autem Ottonem III Imperatorem discipulum olim suum, à quo nonnunquam de certis Quæstionibus consulebatur. Extat ipsius Epistola sub hoc titulo: *Gerberto Philosophorum peritissimo atque tribus Philosophiæ partibus laureato.* De Gerberto plura infrà.

IV. *Moritur Oswaldus Archiep. Eborac.*

Ad num. LXII. Ex tribus Antistitibus, qui hoc seculo tanquam Sydera per Angliam micuêre, Dunstano scilicet, Ethelwoldo, & Oswaldo, duobus prioribus superstes fuit *Oswaldus*, qui, ut inquit Malmesburiensis lib. 3. de Pont. solus eos exhibuisse videtur, *auctoritate illum, efficaciâ istum, ambos sanctimoniâ.* Ejus Vita ab Auctore Anonymo, qui incerta ætate vixit scripta, & à Bollando ad diem XXIX Februarii, à Mabillonio verò Sec. V nativo stylo repræsentata; Surius enim, dum eam expolire voluit, aliquibus in locis corrupit. Wartonus in parte II Angliæ Sacræ aliam *Sancti Oswaldi* Vitam ab Eadmero Monacho Cantuariensi elucubratâ pag. 191. & seqq. publicavit. Wigorniensis & passim Scriptores Anglici mortem ejus in præsentem annum conferunt, & in priori ejus Vita disertè dicitur: *Obiit S. Oswaldus anno gratiæ nongentesimo nonagesimo secundo, & Episcopatûs sui trigesimo, pridie Kal. Martii.* Ex verbis illis Baronius infert, Oswaldum anno CMLXII Episcopum Wigorniensem nuncupatum fuisse: Bollandus verò binarium numerum à Librario omissum, quòd ab anno CMLX ad currentem anni XXXII intercurrant, & Historici Anglici Oswaldum anno CMLX creatum Episcopum referunt. Denique Mabillonius Dunstanum, cui Oswaldus in Episcopatum illum successit, arbitratur anno tantùm CMLXII ad Archiepiscopatum Cantuariensem evectum esse, tuncque Episcopatum Wigorniensem dimisisse, & ideo locum putum esse. Verùm hanc ultimam sententiam loco suo confutavimus, & ex dictis anno CMLX liquet, *Dunstanum* exeunte Septembri Romæ à Joanne Papa XII Pallium suscepisse; *paucis exinde mensibus interjectis*, postquam Roma rediit, ad Edgarum Regem profectum esse, & ab eo obtinuisse, ut Oswaldus ad Sedem Wigorniensem promoveretur, quod post annum CMLXI contingere non potuit. Quo pacto re-

ctè

ctè Scriptor ejus Vitæ tradit, eum *annos triginta* Sedem illam gubernasse, neglectis scilicet mensibus, quod passim etiam ab aliis Scriptoribus præstitum. Baronius ejus Archiepiscopatûs Eboracensis non meminit, quò cùm exornatus fuerit anno CMLXXI, ut eo anno ostendimus, manifestum est, per annos XXI *Oswaldum* Archiepiscopatum illum administrasse.

V. *Floret B. Adalbero Metensis Episcopus.*

Florebat hoc tempore in Galliis *Beatus Adelbero* Metensis Episcopus, qui omnia monasteria olim à suis decessoribus constructa, & postea, vel eversa, vel derelicta reædificavit, monachos qui ea habitarent collegit, & maxima bona in eadem contulit. Meurissius in lib. 3. de Episcopis Metensibus refert Chartam Ottonis III, qua ad petitionem Adelhaidis Augustæ aviæ suæ Monasterio Sancti Symphoriani extra muros civitatis sito bona eidem, tam à suis decessoribus quàm ab Adalberone Episcopo concessa confirmat. Data illa *Octavo Kalendas Februarii anno dominicæ Incarnat. CMXCII, Indict. V. Anno autem tertio Ottonis regnantis nono.* Auctor Anonymus & coævus, qui ejus Vitam scripsit, de hoc Monasterio ait: *Primordia ac primitia actuum ipsius ad divinos usus, & ad exercendos animos, in his quæ pietatis sunt, sancti Symphoriani locus extitit, &c. Postquam verò locum hunc Deo stabilitum reddiderat, & Monachorum copiâ pulcherrimâ, quos undecumque collegerat, honestissimum fecerat, id deliberans, ut semper sui non solum spiritus, sed & anima & corpus Deo & Christo eius serviens nulla sui pars vel ad momentum quidem a divino pietatis opere otiosa consisteret, &c. Romanum iter aggreditur, limina Apostolorum adit, & suos subditorumque excessus fletibus, quibus supra mortales abundabat, deplorans deponit. Papa Ioannes sanctæ Sedi præsidebat, & vices beati Petri dignissimè administrabat, qui dominum Adelberonem tanto honore suscepit, tantaque reverentia habuit, ut hominem hujusmodi generis & nobilitatis decebat, & quod magis est, tanta sanctitatis & pietatis viro competere novit, ac Sanctorum Reliquiis honestissime muneravit.* Subdit, Adalberonem Xenodochium tunc pauperrimum ædificiis pulcherrimis exornasse, plurimis divitiis ditasse, ac constituisse *ibidem ancillas Dei ad laudes perpetuò Creatori omnium celebrandas.* De monasterio Spinalensi ab eodem constructo pro Sanctimonialibus, alteroque pro Clericis, anno DCXLII verba fecimus.

Anno Eræ Hispan. MXXXI. Anno Hegiræ CCCLXXXIII, inchoato die 26 Febr. fer. 1.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6486.

☉ 22. A. ☽ 6. P. 16. April. Indict. 6.

JESU CHRISTI 993.

JOANNIS XV PAPÆ 9.

OTTONIS III REG. 11.

BASIL. ET CONST. IMPP. 18.

I. *S. Udalricus à Ioanne XV canonizatur.*

ANNum. I ad X. Joannes XV *Sanctum Udalricum* Episcopum Augustensem hoc anno canonizavit, ut patet ex ejus Diplomate à Baronio recitato, in cujus fine habetur: *Data tertio Kalend. Februarias* (legendum, tertio Nonas Februar.) *per manum Joannis Episcopi sanctæ Nepesinæ Ecclesiæ, & Bibliothecarii Sanctæ*

Sedis Apostolicæ anno Pontificatûs domini nostri Joannis Sanctissimi XV Papa octavo, mense dicto, & indictione sexta, quæ hoc anno usque ad Kalend. Septemb. Romæ in cursu fuit. Ratio cur *III Nonas* legendum sit, ex ipsomet Rescripto Apostolico deducitur, in quo habetur *pridie Kalendas Februarias* Pontificem Synodum Romæ congregasse, ut libellus de Vita & Miraculis Udalrici recitaretur. Si enim Synodus mensis Januarii die ultima congregata fuit, die antecedenti canonizatio fieri non potuit. Ex hac subscriptione intelligimus primò, hunc Pontificem semetipsum *Joannem* ordine XV appellasse, ideoque *Joannem Roberti* filium, qui eum præcessit, pro vero Pontifice non agnovisse. Secundò, eum anno CMLXXXV ante finem mensis Januarii Pontificatum adeptum esse, & annum illum Pontificatûs octavum ab anno antecedenti, juxta ea, quæ ibidem in medium adduximus, proficisci.

II. *Forma Canonizationis.*

Existimavit Baronius jam tempore *Leonis Papæ III* solemnes Sanctorum Canonizationes in usu fuisse, quam opinionem vulgatam nostra tandem ætate Viri Eruditi sustineri non posse ostenderunt, ut suo loco vidimus. Primum itaque exemplum, de quo controversia esse non possit, hoc anno tantùm nobis occurrit; cumque Mabillonius in Præfatione Sec. V Benedict. num. XCIX & seqq. quæstionem hanc enodaverit, quæ de ea in medium adduxit, hîc referam: "Primum, inquit, indubitatæ fidei "monumentum de solemni per Romanum "Pontificem canonizatione invenimus Diplo-"ma Joannis XV, qui in frequenti Episco-"porum Conventu, ad preces *Liutulfi* Episcopi "Augustani, *Udalricum* ejusdem Ecclesiæ Epis-"copum in Sanctorum album retulit anno "DCCCCXCV (legendum, XCIII, isque er-"ror Typographo attribuendus, cùm ipsemet "Mabillonius Bullam integram Joannis XV in "eo Seculo exhibuerit). Joannis literas damus "integras in fine Vitæ Sancti Udalrici: sed "fragmentum huc adducere juvat ad proban-"dam canonizationis formam: *Cùm Conventus esset factus in Palatio Lateranensi pridie Kalendas Februarias, residente Joanne Sanctissimo Papa cum Episcopis & Presbyteris, adstantibus Diaconibus & cuncto clero, surgens Reverentissimus Liutolfus Augusta Episcopus inquit. Domine sanctissime Præsul, si vobis placet, & omnibus Episcopis & Presbyteris hic residentibus, libellus, quem præ manibus habeo, coram vobis legatur de Vita & Miraculis Venerabilis Udalrici, Sanctæ Ecclesiæ dudum Episcopi, & quid libitum fuerit vobis, decernatur.* Iis perlectis sanxit Pontifex, *quatenus memoria Udalrici jam præfati venerabilis Episcopi, divino cultui dicata existat, & in laudibus Dei divotissimè persolvendis semper valeat proficere.* "Id verò à Liutolfo ea ratione fa-"ctum existimamus, ut S. Udalrici cultus, quem "ipse in sola Augustensi Ecclesia instituere po-"terat, latiùs propagaretur auctoritate Roma-"ni Pontificis: quod alii postea in religionem "verterunt.

III. *Canonizationes insigniores ante Alexandrum III factæ.*

"In Gallia quidem Richardus Corbeiæ Ab-"bas, *missis ad Joannem XX Legatis*, ut scribit "Gerardus, Adalhardi Abbatis elevationem "fieri impetravit anno MXX; quod etiam de "Paschasio Radberto concessum est anno "MLXXIII: in Alamannia verò Nortpertus Ab-"bas ad Sanctum Gallum, *adminiculante Henrico*

SÆC. X. An. Ch. 993.

“ *Imp. & conjuge ejus Agnete, hoc obtinuit apud Dominum Apostolicum, Clementem secundum, recitata Vita Beatæ Wiborada ejusque miraculis, de tandiu neglecta re ab ipso Papa redargutus, quatenus ipsam, præeunte Theoderico Constantiensi Episcopo canonizaret, & pro sancta haberi præciperet, & anniversarium ipsius diei solemnizandum institueret*, ut scribit Burchardus Monachus in cap. VI. “ Sub hæc Leo IX anno MLIII Gerardum Tulli Leucorum Episcopum, Sanctis adnumerari præcepit, *annuente ac laudante Synodo Lateranensi*, decernens ut ex hoc Sanctus haberetur, coleretur que IX Kal. Maias tam Tulli Leucorum, quàm ubique terrarum, sicut ceteri Sancti. Literas Pontificias habes ad calcem hujus libri. *Wolfgangum* item Ratisponensem Antistitem eodem honore decoravit idem Pontifex, cujus item permissu elevatum est corpus Sancti Bertini; tametsi inter Sanctos jam honorati, ut in Seculo III Benedictino legitur.

IV. *Aliæ Canonizationes.*

“ Successit canonizatio *Petri Anagniensis Episcopi* per Paschalem II, qui compertis ejus piè factis atque miraculis per Brunonem Signiensem Episcopum, ejusdem Natalem tertio nonas Augusti Sanctorum catalogo congruè celebrem recoli mandavit anno MCV (Baronius ad illum annum). Post quindecim annos *Udalricus* Constantiensis Episcopus Vitam cum miraculis Sancti Conradi ejusdem Sedis Episcopi literis mandavit, præmissâ Epistolâ ad Callistum II, in qua dicit se *pro ejusdem Conradi gloria, ut moris est Ecclesiarum, canonizanda*, Sedem Apostolicam crebris interpellasse literis, idque tandem responsi accepisse: *Vitam ejus in Concilio generali recitandam & comprobandam: testes insuper signorum, quæ per eum fiebant seu facta sunt, adhibendos*: quod ipse hoc libro præstiterit. Ubi observandum quod dicit, de more jam recepto consulendi Sedem Apostolicam super Sanctorum canonizatione; & de examine quod hac de re in Conciliis Generalibus fieri deberet: quod totidem verbis repetit Eugenius III infrà. Postea Innocentius II anno MCXXXIV Hugonem Gratianopolitanum *cognitâ vitâ ejus, & auditis quæ* per eum *fiebant miraculis, Archiepiscoporum, Episcoporum & Cardinalium, atque aliorum communicato consilio, ipsum inter Sanctos & Electos honorari præcepit, & diem assumtionis ejus solemniter celebrari* (Bollandus Tom. I April. pag. 37.). Idem Pontifex *auditâ vitâ laudabili Beati Sturmii Abbatis Fuldensis, cognitis etiam ex parte miraculis ejus, attestatione Episcoporum, qui de partibus Teutonicis advenerant, in plenaria Synodo apud Lateranum congregata, communicato consilio Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, atque Abbatum, eumdem beatum virum inter Sanctos & Electos honorari præcepit, & diem depositionis ejus cum gaudio solemniter celebrari* (Sec. III Benedict. part. II pag. 285.) de Henrico I Imperatore extant apud Gretzerum (de divis Bamberg. pag. 63.) Eugenii III Literæ, qui Canonicorum Bambergensium petitionibus (*tametsi hujusmodi petitio, nisi in* GENERALIBUS CONCILIIS *admitti non soleret*) *auctoritate tamen S.R.E. acquiescens, Archiepiscoporum & Episcoporum, qui præsentes aderant, communicato consilio*, Henrici *memoriam inter Sanctos de cetero fieri, & anniversarium ipsius diem solemniter celebrari constituit anno* MCLII. “ Hæ sunt insigniores Canonizationes à Romanis Pontificibus factæ ante Alexandrum III, qui earum potestatem sibi, suisque successoribus reservavit primus, & post eum Innocentius III: quo ex tempore ab Episcopis nulla celebrata legitur.

V. *Antiquus mos à Metropolitanis retentus usque ad Alexandrum III.*

„ Per illud autem intervallum temporis, nempe à seculo X, quo Pontifices Romani suam in Sanctis canonizandis auctoritatem interposuêre, ad *Alexandrum III*, nihilo minus Metropolitani antiquum morem quodam modo retinuerunt, tum annuendo simul cum Papa Sanctorum elevationi & canonizationi, tum etiam sola sua auctoritate utrumque pro sua Ecclesia præstando. Unde invenio corpore Sancti Bertini (Sec. III Benedict. part. I pag. 154.) cùm *Bovo* Abbas Sithiensis, consulto proprio Episcopo, de hac inventione & de scribendo super ea libello certiorem fecisset *Widonem* Remensem Antistitem, is mandavit, ut cùm hæc descripta essent, sibi referrentur; iisque relatis præcepit, ut *Sancti Bertini* corpus levaretur, uti Leo IX annuerat (ibidem pag. 163.). Idem contigisse puto erga Sanctum *Angilbertum*, cujus Vita & miracula ab Anschero Abbate ad Radulfum Remorum Antistitem directa sunt (Sec. IV Benedict. Part. I pag. 123. & 150.) quid actum sit in elevatione corporis *Sancti Guiberti* fundatoris Gemblacensis, docet relatio à nobis edita suo loco (Sec. V Benedict. pag. 311.) nempe anno MXCIX Sigebertus Monachus, obtenta Abbatis sui facultate, rem ad Otbertum Leodicensem Episcopum refert. Deinde *ab Henrico Archidiacono causa defertur Frederico Coloniensium Archiepiscopo*, qui *in Synodo Generali* negotio discusso, tandem postulatis annuit: ubi *Synodi Generalis* nomine intelligitur Conventus præcipuorum Ecclesiæ Coloniensis Sacerdotum, aut ejus suffraganeorum. Insignes verò præ ceteris sunt literæ *Hugonis* Archiepiscopi Rotomagensis de elevatione *Sancti Gualterii* Abbatis Pontisarensis anno MCLIII datæ, in quibus Archiepiscopus commemorat, *invitantibus, imò & cogentibus miraculis, missa super hoc legatione & assensu magnifici Remorum Archiepiscopi Samsonis, & aliquorum Galliæ Pontificum*, Theobaldo Parisiensi ejusque æquivoco Silvanectensi præsentibus, Sancti Gualterii Reliquias à se levatas & translatas fuisse, concessis insuper indulgentiis in eorum gratiam, qui ipsius beati Gualterii beneficia implorarent. Appositè ad hunc locum Gerardus Episcopus Cameracensis in Synodo Attrebatensi ad annum MXXV, cap. II ubi relato Sancti Martini facto in falsum martyrem hæc subdit: *In talibus igitur locis, si quid hujc simile evenerit, de quo majorum memoria nihil certum ferat, interdicant sanctificationes, ne ritu* (sic legendus hic locus mendosus in editis) *Gentilium fana idolorum antiquitus constructa pro sacris venerentur; neve sepultis temere divina solvantur, nisi per provincialem Episcopum vita sepulti examinetur, si secundum Evangelium fuit.*

VI. *Alexander III Canonizationes Sanctorum Sedi Apostolicæ*

„ Itaque à Seculo X inquisitio de piorum meritis & miraculis facta est tum per Romanos Pontifices, tum per Episcopos & Archiepiscopos: & visis scriptis datum Diploma Pontificium ad eorum sanctitatem solemni

„ modo

SÆC. X. An. Ch. 995. *lica reservavit.*

„ modo declarandam. Jam verò *Alexander III* id tanquam unam ex majoribus causis ad Romanum Pontificem pertinere edixit. Is pios complures vita functos hoc honoris titulo affecit, *Eduardum* Angliæ Regem anno MCLXI, itemque *Theobaldum* Eremitam Vicentinum, *Thomam* Cantuariensem Archiepiscopum anno MCLXXII, & post biennium *Bernardum* Abbatem Clarævallensem, qui primus Cisterciensium solemni hoc more in Sanctorum album relatus est.

VII. *In ea adhibiti certi ritus.*

„ Ab eo tempore certi ritus ad eam celebritatem adhibiti sunt: quorum specimen in canonizatione *Bernwardi* Episcopi Hildensheimensis legere licet (Brouverus Sydera German. pag. 57. & seqq.). Alia formula recentior extat apud Spelmannum in Tomo II Angliæ Conciliorum (pag. 713. & apud Jacob de Graffiis Decis. aur. part. 2. l. 2. cap. 13.). Varias varii postea tradiderunt Auctores, Jacobus Castellanus, Angelus Rocca, & alii, quos omnes uno volumine majori Carolus Felix de Matta suo modo complexus est anno MDCLXXVIII. Gravissimè Gregorius IX in Bulla pro canonizatione sancti Antonii de Padua: *Adhoc ut sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, duo sunt necessaria, virtus morum, & veritas signorum, merita videlicet & miracula, ut hæc & illa sibi invicem contestentur: cùm nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plene sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitatis.* Hæc Mabillonius. Legenda etiam Dissertatio XX Papebrocii in Conatu Chronico-Historico *de solemnium Canonizationum initiis atque progressibus.*

VIII. *Moritur S. Majolus Abbas Cluniac.*

Ad num. X & seq. Glaber. lib. 2. cap. 7. refert, *septimo de millesimo anno* Vesuvium montem evomuisse *igne permixtam sulphureo, grandium saxorum multitudinem*, & contigisse *interea penè universas Italiæ & Galliæ civitates ignium incendiis devastari, ipsamque urbem Romam ex parte maxima igne cremari.* Per idem tempus obiisse in Italia & in Galliis præcipuos Pontifices & Duces, inter quos numerat *Joannem Papam & Sanctum Majolum* Cluniacensem Abbatem. Verùm cùm Joannes XV Papa anno tantùm CMXCVI vivere desierit, præter id quod habet de Vesuvio Glaber, cetera circa hæc tempora contigêre. Majolum verò anno tantùm sequenti spiritum Deo reddidisse, certis temporum notis demonstrat Sanctus Odilo in ejus Vita: *Plenus dierum & sanctitatis ex hac vita obiit V Idus Maii, illucescente feriâ sextâ, post celebrationem ipsius sacratissimæ solemnitatis, quâ Christus Jesus dominus noster, subacto mortis principe, ad dextram Patris ascendit*, ideoque anno CMXCIV, quo feria sexta post Ascensionem Domini in diem XI Maii incidit, qui sancto Majolo sacer est. Hunc diem & annum Nalgodus Monachus, qui etiam Sancti Majoli Vitam scripsit, disertè exprimit, eique annos XLI adscribit ab anno suæ ordinationis. Majolus cum senectute jam grandævus obitum suum præsentisceret, *Odilonem* sibi substituendum curavit. Electionis instrumentum editum Tom. VI Spicilegii, eaque anno nongentesimo nonagesimo secundo aut tertio peracta, non verò anno CMXCI, ut perperam Mabillonius Sec. V Benedict. in Elogio Historico Sancti Majoli num. LI, quod ex discendis in morte S. Odilonis manifestum fiet. Rectè autem notat Vir eruditissimus, ideo Cluniacenses Abbates sibi successorem eligere solitos fuisse, ut hoc pacto extraneis intrudendi Abbatis via præcluderetur. Præcipui *Majoli* discipuli fuêre *Odilo* ejus successor, & *Willelmus* Abbas Divionensis, qui multa monasteria ad meliorem frugem revocavit. Priores Vitæ ejus Scriptores Syrus & Aldebaldus, qui conjunctis studiis eam condidêre, eique coævi fuêre; tùm *Sanctus Odilo*, & postremus omnium *Nalgodus* Cluniacensis Monachus, ut videre est apud Mabillonium laudatum. De his etiam & *Sancti Majoli* Vita legenda Acta SS. Bollandiana ad diem XI mensis Maii.

Tom IV.

SÆC. X. An. Ch. 995.

IX. *Moritur Conradus Rex Burgundiæ.*

Hermannus Contractus ex editione Canisiana ad annum CMXCIV, ait: *Conrado Rege Burgundiæ mortuo, & apud Sanctum Mauricium sepulto, Rodolfus filius licet ignavus, Regium ibi nomen per annos circiter XXXVIII occupavit: sub quo, cessante jure, violentia & rapina in illo regno, ut non facilè propelli possint, adolevêre, ibiquè, ut hodie apparet, cum suis complicibus regnum obtinuêre*, scilicet illarum rapinarum auctores. Verùm Conradum Burgundiæ Transjuranæ Regem hoc anno obiisse, & *Rodulfum* III ejus filium eodem anno illi successisse, demonstrat Charta à Chiffletio in Probationibus Historiæ Trenorciensis pag. 297. relata. Ea enim hac subscriptione munita: *Ego Rotbaldus monachus scripsi, datavi die sabbati, VIII Kalendas Decembris, anno II regnante Rodulfo Rege.* Quare hoc anno Conradus Rodulfi pater obierat; cùm Charta illa anno sequenti, quo Sabbatum incidit in diem XXIV mensis Novembris data sit, ut optimè Chiffletius explicat. Guichenonus in Bibliotheca Sebusiana cap. 3. refert donationem factam monasterio Agaunensi à Rodolfo Burgundiæ Rege, scriptam *anno Incarnat. Domini DCCCCXCIII, regni verò domini Regis I prid. Kal. April.* Quare Rodulfus III jam mense Aprili currentis anni patri successerat.

X. *Dani Angliam deprædantur.*

Dani, qui superioribus annis maritima *Angliæ* loca tantùm deprædati fuerant, & festini discesserant; nunc *Northumbriam* ingressi Angliæ mediterranea ferro & flamma vastarunt: *contra quos*, inquit Hovedenus ad hunc Christi annum, *Provinciales quàmplures conglobati, properanter ascenderunt: sed cùm prælium essent commissuri, duces exercitus Frana videlicet, Fitegistus, & Godwinus; quia ex paterno genere Dani fuerunt, suis insidiantes auctores fugæ primitùs extiterunt.* Hæc certissima, ait Alfordus ad hunc Christi annum, captivitatis Anglicæ & Danicæ dominationis causa; nimia Anglici sanguinis cum Danico mixtio: unde mixtos mores, dubiamque in publicam rem, fidem nasci necessum fuit. Danorum incursu territi fideles de Sanctorum Reliquiis ubique solliciti fuêre, liquetque ex Ingulpho pag. 890. corpus *Sancti Neoti* aliò tunc fuisse translatum.

SÆC. X. An. Ch. 994. Anno Æræ Hispan. MXXXII. Anno Hegiræ CCCLXXXIV, inchoato die 15. Febr. fer. 5.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6487.

☉ 23. G. ☽ 7. P. 1. April. Indict. 7.

JESU CHRISTI 994.

JOANNIS XV PAPÆ 10.

OTTONIS III REG. 12.

BASIL. & CONST. IMPP. 19.

I. *Legatus ad Joannem XV missus in favorem Gerberti.*

AD num. I & II. Cùm Episcopos qui anno CMXCI in *Arnulfi* Archiep. Remensis causâ judices sederant, Joannes Papa XV à sacris abstinendos jussisset, Remensis Ecclesiæ Archidiaconus *Hugonis* Regis & Episcoporum nomine missus est, qui scripta Apologetica pro Synodo & Hugonis Regis Pontificem ad colloquium Gratianopoli habendum invitantis Epistolam secum detulit. Regis Epistolam sine temporis charactere datam recitat Baronius, & Pontifex anno sequenti Legatum in Gallias misit, ut ibi videbimus. Inter Epistolas Gerberti à Duchesnio ex exemplari Sirmondi editas, trigesima octava ad Joannem Papam data, cujus tenor est: *Sanctissimo vestro Apostolatui potuisse subripi me cujuspiam pervasionis reum videri, dolere vehementer afficior, & totis visceribus ingemisco. Eo quippe animo in Ecclesia Dei hactenus versatus sum, ut multis profuerim, neminem læserim. Non ergo Arnulfi peccata prodidi, sed publicè peccantem reliqui; non spe ut mei æmuli dicunt, capescendi ejus honoris, testis est Deus, & qui me noverunt, sed ne communicarem peccatis alienis.*

II. *Moritur S. Wolfgangus Episc. Ratisponensis.*

Sanctus Wolfgangus, vulgò *Wolfangus* appellatus, Episcopus Ratisponensis die tricesima prima mensis Octobris currentis Christi anni in pace quievit. Diem notavit Auctor Anonymus, qui ei familiaris fuit, ejusque Vitam Sec. V Benedict. recitatam elucubravit. Annum verò Lambertus Schafnaburgensis, & Auctor brevium Annalium Einsidlensium à Mabillonio Tom. IV Analect. publicatus. Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum ad diem XXXI Octob. usque in annum CMXCIX ejus mortem perperam distulit. Fuit in ordine Pontificum Ratisponensium duodecimus, ut in eadem Vita cap. 39. legitur, ideoque Hundius malè eum tertium decimum facit. Ex eo verò quod hic Auctor coætaneus testetur, *Wolfgangum* Ratisponensis Ecclesiæ Episcopum ordine duodecimum fuisse, perspicuum est, incertum Poëtam, qui versus composuit *de Ordine Comprovincialium Pontificum*, Archiepiscopo Salczburgensi subditorum, à Mabillonio Tom. 4. Analect. pag. 325. editos rectè *Wicterpum* nominasse primum Episcopum Ratisponensem, & in successione Episcoporum enarranda accuratissimum fuisse. *Sanctus Otmarus* Wolfango per visum apparens ei Episcopatum prædixit, ut in ejus Vita cap. 12. legitur, atque Otmarus: *Cujus in administratione, si fidelem te exhibueris, expletis viginti duobus annis, vitam transitoriam eris exuturus, & æternam ingressurus.* Quare ejus Episcopatûs initium cum anno CMLXXII exactè à nobis copulatum. *Per multa tempora consuetudo fuit in Ratisponensi Ecclesia, ut qui Antistites, iidem essent & Abbates.* Quo pacto monasterii bona distrahebantur, nec monachis necessaria providebantur. Quæ Sanctus Præsul emendare volens, *quemdam in regulari disciplina strenuum, nomine Ramuoldum* advocavit, & Abbatem in Sancti Emmerammi cœnobio ordinavit, inquit Auctor Vitæ ejus, apud quem plura de ejus laboribus ac virtutibus.

SÆC. X. An. Ch. 994.

III. *Moritur S. Gerardus Episc. Tullensis.*

Mortuus est hoc anno *Sanctus Gerardus* Episcopus Tullensis ad Mosellam, *die nono Kalendas Maias*, paulò ante sanctum Maiolum Abbatem Cluniacensem, postquam *annos triginta & unum, hebdomadas tres & dies tres*, Ecclesiam illam gloriosè rexisset, ut tradit Vindricus Abbas monasterii sancti Apri, qui medio seculo sequenti vixit, in ejus Vita ab Henschenio ad diem XXIII Aprilis primùm edita. Ecclesia Tullensis Pastore orbata Sanctus *Bruno* Coloniensis Archiepiscopus, *qui in tota Germania, sibique finitimis partibus Imperiales agebat vices, utpote magni Ottonis Augusti germanus frater*, eum invitum ad Episcopatum Tullensem assumsit, ideoque *dum annus Incarnat. dominicæ nongentesimus sexagesimus tertius curreret*, præsulari Sedi inthronizatus est. Summum ei fuit studium in sanctarum reparatione Ecclesiarum & sacrarum Reliquiarum indagatione. Præcipuè pauperum curam gessit, eisque semper largè subvenit; cumque duo ex potentioribus in plebe multa perpetrare cœpissent gravia ac pessima, rapinas scilicet, injustitiasque in pauperes exercendo, postquam eos diutissimè patienti sustinuit animo, tandem more legali terribilis anathematis coarctavit vinculo. Hi armata manu eum invasêre, sed *non modo à beato Præsule denuò excommunicantur, imò à cunctis Gallicanis Pontificibus, ab ipso quoque domno Apostolico de sorte Ecclesiæ eliminantur*, inquit Auctor Vitæ ejus. Leo IX anno ML eum in numerum Sanctorum retulit, ut ibidem dicemus.

IV. *Sveno Daniæ Rex vastata Anglia redit in Daniam.*

Est hic annus decimus quartus à primo *Svenonis* Danorum Principis in Angliam adventu, ab anno CMLXXX deductus, quô is Scotiam relinquens, quò secesserat, ut eo Christi anno documus, in Angliam rediit, postquam in Scotia annos quatuordecim exul mansisset. Intellecto enim *Ericum*, qui Daniam occupatat, obiisse, in eam regressus est, ultà tamen antea hoc anno injuriâ, quam anno CMLXXX ab Anglis se accepisse credebat: *Anno gratiæ*, inquit Florilegus, *nongentesimo nonagesimo quarto Swanus Rex Danorum, & Aulafus Rex Norwegensium, in die Nativitatis Beatæ Mariæ cum cogonibus* (navigii genus sunt) *nonaginta quatuor, Londonias advehuntur: quam mox acriter invadentes, eam subjugare disponunt. Sed à civibus cum magno, suorum detrimento repulsi, ad East-Sexia, Cantia Suthsexia, Suthamtonia provincias, furorem suum convertentes, eas spoliaverunt, & cæsis populis graviter contriverunt.* Cùm inermes provincias *Aulafus* seu *Anlafus*, vel *Analafus* & *Sveno* miserè vexarent, Ethelredus Angliæ Rex civium saluti consulturus, pacem iterùm à Danis emere coactus est, & inter pacis, fœdera Aulafus Christianam fidem suscepit: *Tunc Rex*, inquit Hovedenus ad hunc Christi annum, *Procerum suorum consilio, ad eos, Legatos misit, promittens tributum & stipendium, ea conditione illis se daturum, ut à crudelitate omninò desisterent. Qui petitioni Regis acquiescentes, ad suas reversi sunt naves: & sic ad Suthamtum totus congregatus exercitus, ibidem hyemarunt. Quibus de tota West-Saxonia stipendium dabatur: de tota verò Anglia tributum, quod erat sexdecim librarum* (melius Annalista Mailrosensis

SÆC. X. An.Ch.994. Mailrosensis XVI M librarum) *dependebatur. Interea jussu Regis Egelredi, Wantoniensis Episcopus Elfegius, nobilisque Dux Echelwaldus, Regem Alafum adierunt: obsidibusque datis, illum ad Regiam villam Andea-faran, ubi Rex manebat, cum honore deduxerunt. Quem Rex honorificè suscepit, & confirmari ab Episcopo fecit, sibique in filium adoptavit, & Regio munere donavit. Ille verò, se non amplius ad Angliam, cum exercitu venturum, Regi Egelredo promisit. Et post hæc ad naves rediit. Æstate quoque imminente ad patriam devectus sua promissa bene custodivit.*

V. *Relictâ idololatriâ fit Christianus.* Interim *Sveno* prædâ onustus & provinciarum spoliis in patriam reversus mortuo *Erico*, Daniæ Regnum hoc anno, qui exilii ejus decimus quartus numeratur, accepit: *post mortem diu optatam Herici*, inquit Adamus lib. 2. cap. 28. *Suen ab exilio regressus, obtinuit regnum patrum suorum; anno depulsionis suæ & peregrinationis decimo quarto: & accepit uxorem Herici relictam, matrem Olaph sive Olavi* (qui erat Rex Sveonum Christianissimus) *quæ peperit ei Chnut* (est is Canutus, qui postea Rex Angliæ fuit). *Sed nihil profuit ei affinitas connubii, cui Deus iratus est. Olaph Rex Sveonum Christianissimus erat, filiamque Slavorum Estred accepit uxorem. Hic qui post obitum patris Herici regnum super Sueoos accepit, cum exercitu superveniens; infelicem Suen regno expulit, & ipse obtinuit Daniam. Cognovit autem Suen, quod Dominus ipse est Deus: & reversus in semetipsum peccata sua præ oculis habuit: poenitensque oravit ad dominum, qui exaudivit eum, & dedit illi gratiam in conspectu inimicorum: & restituit eum Olaph in regnum suum: feceruntque pactum firmissimum, ut Christianitatem in regno suo plantatam retinerent, & in exteras effunderent nationes.* Quæ Baronius anno CMLXXX num. XV recitat, & *Sveoni* omnia prosperè postea successisse ostendit.

VI. *Synodus Romana.* *Sanctus Adalbertus* Pragensis Episcopus relictâ Româ hoc anno iterùm Pragam rediit, uti anno CMLXXXIX Baronii ordinem sequentes ostendimus. Quare quæ ibidem de hoc reditu & de Synodo Romæ celebrata diximus, huc revocanda. Tom. IX Concil. pag. 732. idem Concilium Romanum malè cum anno CMLXXXIX etiam copulatur, qui error in altera Conciliorum editione emendandus erit.

VII. *Matera à Saracenis capta.* Lupus Protospata in Chronico habet: *Anno CMXCIV obsessa est Matera à Sarracenis tribus mensibus, & quarto capta ab eis.* Matera Sancto Polyeucto Patriarchatum Constantinop. administrante facta fuerat Episcopalis, tandemque Acheruntiæ Sedi Archiepiscopali unita fuit. Utraque autem deficit in dies, priorque nunc in provincia Hidruntina continetur, posterior in Basilicata.

Anno Eræ Hispan. MXXXIII. Anno Hegiræ CCCLXXXV inchoato die 5. Febr. fer. 3.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6488.

☉ 24. F. ☽ 8. P. 2. April. Indict. 8.

JESU CHRISTI 995.

JOANNIS XV PAPÆ 11.

OTTONIS III REG. 13.

BASIL. ET CONST. IMPP. 20.

I. *Gerbertus* ANum. I ad XIII. Dum *Gerbertus* inter spem metumque positus Archiepiscopi Remensis munera obit, & Cleri ac populi mutantur animi, iis *Gibuino*, qui Archiepiscopatum Remensem ambiebat, aliis *Arnulfo* faventibus, multas injurias patitur, Sedem relinquit. Ea de re ab *Adelhaide* Imperatrice vehementer increpitus est, quia hujus mens erat, ut quandiu res integra esset, Sedem teneret, aut derelictam repeteret. At Gerbertus, quàm illud difficile esset, demonstrat Epistolâ ad eam & ad Suffraganeos datâ, inscriptâque *Adelhaidi Reginæ semper Augustæ & omnibus suis confratribus & Coepiscopis Remorum diœceseos.* Recitat eam Baronius num. XII, existimatque scriptam, postquam *Leo* Apostolicæ Sedis Legatus Remensem sedem Arnulfo adjudicavit. Verùm eam ante *Gerberti* destitutionem, & verosimiliter anno superiori datam, ejus lectio manifestè declarat. Ait enim Gerbertus: *Quid ergo, si Arnulfus absolvendus est, vel si Gibuinus, vel alius quilibet in sede mea inthronizandus est, reditum meum sine capitis mei periculo intelligere non est?* Paulò pòst: *Peto ergo ò domina mea Augusta, item à fratribus meis Coepiscopis, qui pro causa Traditoris Arnulfi sive justè sive injustè sub anathemate positi sunt, ut me judicium Ecclesiæ expectantem patienter ferant, &c. quæ judicia dum expecto, exilium quod à multis felix putatur, non sine multo dolore tolero.* Arbitratur Cossartius Tom. IX Concil. pag. 747. eam Epistolam, cùm jam jam Remensis Synodus cogenda esset, eo scilicet tempore, quô abstinere à divinis Officiis jussus est in Mosomensi Concilio Gerbertus, scriptam fuisse. Verùm hic in ea Epistola disertè asserit se ob vilitatem & contemptum, gravissimasque injurias sæpe sibi à pluribus illatas Sedem dereliquisse, & tam Adelhaidem, quàm Episcopos, se ut rediret provocare, minis etiam superadditis. Denique Hugo Flaviniacensis in Chronico, postquam retulit, *Gerbertum* dejecto Arnulfo creatum fuisse Archiep. Remensem, subdit: *Verum aliquanto tempore exacto, ubi sensit quod Arnulfus Sedem Episcopii sibi præripere, & populum ad se reducere nitebatur, nocte fugiens ad Ottonem ivit.* Quare Cossartii conjectura non admittenda.

II. *Synodus Mosomensis.* Missus à *Joanne* XV in Gallias Legatus *Leo*, monasterii Sanctorum Alexii & Bonifacii Abbas, *IV Nonas Junii* Mosomi, Urbs est ad Mosam in Campania sita, vulgò *Mouson*, Concilium habuit, in quo lectis Joannis XV literis, Gerbertus auditus causam suam magno animo prosecutus est, sed is à sacris abstinere jussus usque ad Synodum Remensem, ut videre est in Actis ejusdem Concilii Tom. IX Concil. recitati. Gerbertus in sua Oratione inter alia dixit: *Certè nihil actum vel agendum fuit, quod Apostolicæ sedi relatum non fuerit: ejusdem per decem & octo menses expectatâ sententiâ.* Cùm tamen, ut ait Baronius anno CMXCII num. XXIX, ipsemet Gerbertus alibi fateatur, non amplius quàm triduo responsionem Legatos Regis, & Episcoporum expectare voluisse, & in causa tam ardua perbrevis videri debuisset mensium trium expectatio. Interim ex illis Gerberti verbis evidenter apparet, literas *Hugonis* Regis & Episcoporum ad Joannem XV adversus Arnulfum scriptas, & à Baronio anno CMXCI num. II & seqq. relatas pertinere ad mensem Decembrem anni nongentesimi octogesimi noni; cùm *Arnulfus* die decima septima mensis Junii anni CMXCI dignitate motus fuerit, & à fine Decembris anni CMLXXXIX ad medium men-

sem,

sem Junium anni CMXCI, menses octodecim intercurrant. Quare ex literæ anno suo à nobis suprà certò redditæ.

III. *Synodus Remensis.*

Episcopi in Synodo Mosomensi congregati, *Kalendis Julii Remis habendam Synodum denunciant*, ut in Actis ejusdem Concilii legitur. *Collecto igitur Concilio*, inquit Continuator Aimoini cap. 46. *iterum in urbe Remensi, ex jussione Apostolici, revocatus est Arnulfus de custodia, & cum magno honore receptus in propria sede*, ubi Aimoinus uno tenore refert quæ ad diversos annos pertinent; quod Baronio errandi causa fuit. Inde enim deduxit, Arnulfum currenti anno in Sedem Remensem restitutum fuisse; cùm tamen nonnisi annis post Leonis legationem ac Synodum Remensem tribus, jam demortuo Hugone Rege, Roberto ejus filio solo regnante, & Gregorio V Ecclesiam Romanam regente *Arnulfus* è custodia liberatus & absolutus fuerit, uti anno CMLXXXXVIII videbimus.

IV. *Moritur Manso Abbas Casinensis.*

A num. XIII ad XVII. *Aligerno* Abbate Casinensi demortuo, in ejus locum subrogatus est *Manso*, quem Nili Junioris encomiastes non parùm carpit, ut ex eo refert Baronius. Quæ tamen Nilus profert, inquit Mabillonius Sec. V Benedict. in Elogio Aligerni Abbatis, nonnullis acriori calamo perstricta videbuntur, imò deteriorem in partem detorta, quatenus *Mansonis* orbationem afficiunt, quæ ex invidorum ejus non proprio scelere patrata est, ut in Chronico Leonis Ostiensis lib. 2. cap. 16. videre est, ubi facinus istud describit. Cùm autem cap. 12. tradat Leo Mansonem *annis undecim* sedisse, & Aligernus ejus decessor die XXIII mensis Novembris anni CMLXXXVI obierit, manifestum est Mansonem, qui, ut scribit Leo cap. 19. *depositus est VIII Idus Martii*, pervenisse saltem ad annum nongentesimum nonagesimum septimum, etiamsi anni illi undecim incompleti fuerint.

V. *Obitus Nicolai Chrysobergii Patriarchæ Constantinop.*

Ad num. XVII & seq. Cedrenus pag. 702. *Chrysobergii* Patriarchæ Constantinop. mortem & *Sisinnii* ejus successoris initium his verbis narrat: *Nicolao Chrysobergio post administratum per annos duodecim cum mensibus VIII Patriarchatum vita functo, substituitur Sisinnius magister, vir insignis & medicæ artis peritissimus, anno mundi supra sexies millesimum DIII, indictione octava. Is dissidium propter quartas nuptias dudum ortum sustulit, concordiâ factâ.* Incipit is annus mundi secundùm Constantinopolitanos Kalendis Septemb. superioris Christi anni, quo pacto Chrysobergius hoc anno ante Kalendas Septembres mortuus fuerit. At is post medium annum nongentesimum octogesimum tertium sedem iniit, ut anno CMLXXXI ostendi, & post Basilii depositionem, quam Leo Diaconus Auctor coævus anno CMLXXIV factam fuisse testatur. Cedrenus, Zonaras, & Auctor Seriei Episcoporum Byzantii, qui lib. 4. Juris Græco-Romani legitur, inter se conveniunt de annis & mensibus, quibus quilibet Patriarcha post Basilium sedit. Quare non dubito, quin Cedrenus in anno emortuali *Chrysobergii* memorando erraverit, & Chrysobergius usque ad annum sequentem in vivis fuerit; cùm iidem Auctores unanimi consensu ei annos XII & menses VIII adscribant. Præterea ipsemet Cedrenus annos tres *Sisinnio*, annos verò XX *Sergio* ejus successori attribuit, huncque *indictione secunda, mense Julio*, anno scilicet Christi MXIX vitâ functum asserit. Quare *Sisinnius* ante annum sequentem *Chrysobergio* non successit, & Cedrenus ex ipsomet Cedreno corrigendus, vel potius Curopalates, ex quo sua Cedrenus depromere solet.

VI. *Bulgari à Basilio Imp. coerciti.*

Cedrenus *Chrysobergii* morte narrata, ait, *Basilium* Imp. *Samuelis* Bulgarorum Regis excursiones coërcendas esse censuisse, ac Nicephorum Uranum misisse, qui Samuelem jam Thessalica Tempe & Peneum amnem transgressum, per Isthmum Corinthiacum in Peloponnesum grassantem, ad Sperchium fluvium incautum oppressit, profligato omni ejus exercitu.

VII. *S. Henricus postea Imp. fit Dux Bajoariæ.*

Hermannus Contractus ex editione Canisiana hoc anno scribit: *Heinricus Dux Bajoariæ obiit, & filius ejus ex Gisela Conradi Regis Burgundiæ filia, iisdem Heinricus, Imperator postea futurus, Ducatum interim obtinuit: hujus soror Gisela Stephano Regi Ungarorum, cùm se ad fidem Christi converteret, quasi verè juxta nomen suum fidei obses, in conjugium data, eleemosynis, ceterisque bonis operibus inibi intenta consenuit.* Chronographus Hildenshemensis ait, cum magno omnium dolore Heinricum obiisse *V. Kalend. Septemb.* Henricus III ejus filius, postea Romanorum Imperator, cognomento *Sanctus* ob vitæ innocentiam, & res bello & pace præclarè gestas, eas virtutes tenero adhuc animo imbibit, quæ ejus nomen immortalitati consecrarunt, ut infrà videbimus. Porrò *Henricus* hoc anno mortuus nepos erat Ottonis Magni ex fratre.

VIII. *S. Adalbertus iterum abdicat Episcopatum Pragensem.*

Sanctus Adalbertus, qui anno superiori Pragam redierat, *in morbido grege signa salutis nulla esse prospexit. Hinc pro spectandis sequentibus malis oculos claudere volens, dulcis Romæ mœnia revisit*, inquit prior Auctor Anonymus, qui ejus Vitam scripsit, cap. 4. Addit secundus Anonymus, qui ejus etiam Vitam edidit, post discessum ejus quatuor fratres ejus nefariè occisos fuisse; quæ cædes cùm currenti anno patrata fuerit, ut fidem facit Chronographus Magdeburgensis Sec. V Benedict. pag. 870. apparet, Sanctum Adalbertum currenti etiam anno iterùm Romam rediisse. Hæc Chronographi Magdeburgensis verba: *Anno CMXCV post discessum Beati Adalberti à Bohemia, quia Dux Bohemiæ non erat sua potestatis, Ducis comites versi in Dei odium, patrum iniquorum pessimi filii, valde iniquum facinus operabantur. Nam quodam die festivo irrumpunt urbem Lubic, in qua fratres sancti Adalberti & milites urbis universi, velut oves innocentes, adsistebant sacris Missarum solemniis. Et veluti lupi immanes masculum & fœminam usque ad unum interficientes, quatuor fratribus sancti Adalberti ante ipsum Altare decollatis, urbem incendunt, plateas sanguine perfundunt, & prædâ onerati hilares recedunt. Interfecti sunt autem quinque fratres sancti Adalberti, quorum nomina sunt hæc: Sobebor, Spicimer, Dobraszlau, Poreskaslau.* Dubravius lib. 6. quintum nominat *Czaslaum*. In posteriori Vita Sancti Adalberti cap. 5. dicitur, Sanctos viros *in Vigilia pretiosi Martyris Wenceslai* peremptos, ideoque die vicesima septima mensis Septembris, in quam Vigilia illa cadit. Henschenius in Notis ad illum locum ait: *MS. Pragense addit*, feriâ VI; *Surius*, sexta die; *neutrum rectè*, quia scilicet existimat hæc anno CMXCVI contigisse. Verùm cùm hoc martyrium ad præsentem annum pertineat, apparet utrumque Interpolatorem feriam

SÆC. X. An. Ch. 995. riam illam & diem ex aliquo probo monumento accepisse; cùm hoc anno littera Dominicali F notato, dies XXVII Septemb. & feria sexta concurrant. Pergit Chronographus Magdeburgensis.

IX. *Ejus prædictio adimpletur.* *His ita peractis, Dux* (nempe Bohemiæ) *Borislaus inito consilio cum Clericis, Moguntinum Archiepiscopum his sollicitat verbis: aut nostrum Pastorem Adalbertum ad nos revoces, quod magis volumus; aut alium nobis ordina. Tunc Archiepiscopus sollicitus, ne populus nuper Christo adquisitus, in antiquum relaberetur ritum, mandat Apostolico, ut aut Pragensi Ecclesiæ suum Antistitem remitteret, aut alium ordinari sineret. Et quia in Cœnobio Sancti Alexii vir Sanctus manebat* (positum illud Monasterium Romæ & cædes fratrum Adalberti patrata die XXVII Septemb. in Vigilia Sancti Venceslai Poloniæ Ducis, ideoque jam ante mensem Septembrem Adalbertus Romam pervenerat), *hunc Dominus Papa & suus Abbas sic alloquuntur. Frater amantissime, per caritatem Dei te deprecamur, ut ovium tuarum regimen dimittere recipias. Si te audierint, Deo gratias: si non fugientes te fugias, ne cum pereuntibus pereas, & ad exteras nationes prædicandi licentiam habeas. Exhilaratus Præsul de dura sibi docendi exteras gentes licentia, non sine magna fratrum mæstitia discessit; & cum viro summæ discretionis, nomine Nothario* (Præsule) *adiens Archiepiscopum in palatio, rogat experiri si suus eum grex recipere vellet. Quo facto quid ille grex responderit, aut quam ob causam eum non receperit, vel ad quas gentes inde transierit, quanta frugalitatis omnibus diebus Episcopii sui fuerit, quanta morum honestate nituerit, scire poterit, qui ejus Vitam legerit. Tunc Ztrahquaz frater Ducis, de quo supra meminimus* (Boleslai nempe cognomento Sævi, qui Sanctum Wenceslaum occidit), *videns hanc quasi regulariter repudiari, tumido fastu exarsit in Episcopatum: quem populus nequam statim in Episcopalem levat cathedram, mente tumidum, veste compositum, oculis vagum, verbis vanum, moribus hypocritam, totius erroris mandritam, atque in operibus malis iniquorum archigerontam. Ventum erat ad Moguntinum Archiepiscopum: ubi peractis omnibus quæ agenda erant, dum choro melodiam modulante Archipræsul infulatus procumbit ante Altare, & post hunc inter duos suffraganeos Ztrahquaz prosternitur in medio, atroci arripitur dæmonio, & quod illi vir sanctus clam prædixerat, palam fit coram Clero & omni populo.* Idem habent Æneas Sylvius in Hist. Bohemiæ cap. 16. qui Ztrahquaz *Stratiquatem*, & Dubravius lib. 6. qui eum *Stratiquatum* appellat, & quintum S. Adalberti fratrem occisum nomine suo appellat.

Annus Eræ Hispan. MXXXIV. An. Hegiræ CCLXXXVI, incipiens die 24. Januar. fer. 7.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6489.

☉ 25. E D. ☽ 9. P. 12. April. Indict. 9.

JESU CHRISTI 996.

GREGORII V PAPÆ 1.

OTTONIS III REG. 14. IMP. 1.

BASIL. & CONST. IMP. 21.

I. *Joannes XV PP moritur.* ANNUM. I ad XIII. Chronographus Hildesheimensis, seu potiùs alter Anonymus, qui à præcedenti anno ad MCXXXVII Opus ejus continuavit, hoc anno scribit: *Indict. IX Joannes Papa obiit. Unde Imperator in Italia positus, rumore incitatus, præmissis quibusdam Principibus, publico consensu & electione fecit in Apostolicam sedem ordinari suum nepotem Dominum Brunonem Ottonis filium, qui Marcham Veronensem servabat, imposito nomine Gregorii, à quo & ipse proximo solemni Pentecostes Imperator & Patricius consecratur. Habitoque cum Romanis Placito, quemdam Crescentium, quia priorem Papam injuriis sæpe laceravit, exilio statuit deportari. Sed ad preces novi Apostolici Imperator omnino remisit: sed non multò post Imperatore Urbe excedente, idem Crescentius dominum Apostolicum nudum omnium Romana urbe expulit. Imperator in Francia hyemavit*, in Francia nempe Orientali. Hæc distinctiùs explicanda. SÆC. X. An. Ch. 996.

II. *Dies ejus emortualis incompertus.* Marianus Scotus, Martinus Polonus & Auctores Catalogorum unanimi ferè consensu docent, *Joannem* XV Papam undecimum Sedis annum inchoasse, sed cùm dies ejus emortualis incompertus sit, quot menses ac dies supra annos decem Pontificatum gesserit, divinare potis non est. Baronius quidem refert ex Manlio Epitaphium, in quo dicitur *Joannem* septima Maii die demortuum. Sed fidelior atque antiquior *Manlio*, inquit Papebrocius in Conatu Chronico-Hist. *testis Romanus Canonicus* in illius Ora-
“ torii (nempe S. Mariæ, quod extat in Ecclesia S.
“ Petri) descriptione nos docet, in Oratorio isto
“ sepultum jacere non *Joannem Pontificem*, sed
“ *Joannem Cardinalem* Presbyterum Tit. S. Ana-
“ stasiæ: qui integro post hunc Pontificem seculo
“ floruit. Hoc, ut cetera tacerem, probaret stylus
“ Epitaphii rithmicus, hoc seculo necdum ad
“ talia usurpari cœptus, paulò ante pòst secutis
“ temporibus ferè ordinarius. Idem inibi ex-
“ pressa probaret *Burgundia* patria, quæ Joanni
“ Pontifici Romæ fuit. Sed Manlius pro *Bur-*
“ *gundia* legit *bene gaudia*, absque ullo sensu:
“ quod, ut Baronium decepit, ita nos docet,
“ Manlio isti, in iis ubi à Canonico Romano
“ differt, nihil aut parùm credere, utpote con-
“ jecturis suis nimiùm indulgenti cum Antiquitatis injuria. Ita scitè Papebrocius. Cùm tamen stylus rithmicus jam medio seculo nono in usu esset, ut liquet ex libro 2. de Miraculis Sancti Germani, ab Aimoino Monacho Pratensi anno DCCCLXIII, aut paulò pòst composito, & Sec. III Benedict. part. II ad annum DCCLIV recitato, ubi Versus rithmicos in laudem hujus Sancti Episcopi Parisiensis tunc editos, exhibet; valdè suspicor, id Epitaphii genus longè ante hæc tempora usurpatum fuisse. Sed Joannem XV die septima Maii demortuum, qui error vulgaris hactenus fuit, post hæc dici non potest.

III. *Joanni XV succedit Gregorius V.* Post *Joannis* XV mortem Sedem diebus VI cessasse tradit Marianus Scotus: at diuturnius Interpontificium fuisse indicat prior Auctor Anonymus Vitæ Sancti Adalberti Pragensis Episcopi, qui hoc tempore vivebat: *Hoc ipso tempore*, inquit num. 30. *iter agit Romam Rex Francorum* (ita Germaniæ Reges sæpe vocati) *Otto tertius*, &c. *Summus ipsis diebus Pontifex acerrima febre correptus, corpus terræ, animam cælo, utraque in sua dimisit exordia. Rex autem Otto Alpium nives multo milite transmeans, juxta sacram urbem Ravennam Regalia castra metatus est. Ibi in ejus occursum veniunt Epistolæ cum nunciis, quas mittunt Romani Proceres, & Senatorius ordo; primo illius adventum, velut toto tempore paterna mortis non visum, totis visceribus desiderare, ac debita fidelitate pollicentur.*

tantur expectare. Deinde in morte domini Apostolici, tam sibi quam illis non minimam invectam esse partem incommodorum, annunciant, & quem pro eo ponerent, Regalem exquirunt sententiam. Erat tum in capella Regis quidam Clericus Bruno, secularibus literis egregie eruditus, ut ipse Regio sanguine genus ferens, magna indolis; sed (quod minus bonum) multum fervida juventutis. Hunc quia Regi placuit, a majoribus electum, Maguntinus Archipræsul Willigisus & suus collega Adelbaldus Episcopus adduxerunt Romam. Proinde à Romanis honorificè acceptum, ad hoc ordinati Episcopi Apostolico honore promulgarunt. Superveniens etiam Rex Romano more egregiè accipitur. Deinde magno gaudio omnium Imperatorium attigit apicem. Lætantur cum Primoribus minores civitatis, cum afflicto paupere, exultant agmina viduarum, quia novus Imperator dat jura populis, dat jura novus Papa.

IV. *Post diem XXVIII mensis Aprilis.*

Ex quibus patet primò, *Brunonem*, qui in Pontificatu *Gregorius* V dictus est, Romæ Pontificem ordinatum, antequam illuc *Otto* Imp. pervenirer. Secundò, cùm Otto III die XXXI mensis Maii Imperator acclamatus fuerit, *Gregorium* V ineunte circiter mense Maio Pontificem renunciatum. Certè eum post diem XXVIII mensis Aprilis ordinatum, demonstrat Diploma, quo ipsemet Privilegium Abbatiæ Sancti Ambrosii anno Christi CMXCVIII confirmavit, quod Tom. IX Concil. pag. 755. refertur. Hæc ejus subscriptio: *Datum IV Kal. Maias per manus Joannis Episcopi S. Albanensis Ecclesiæ & Bibliothecarii S. Apostolicæ sedis, anno, Deo propitio, Pontificatûs domni Gregorii summi Pontificis & universalis quinti Papæ, in sacratissima sede Beati Petri Apostoli secundo: imperante domno Ottone tertio, à Deo coronato, magno, & pacifico Imperatore, anno II, in mense & Indict. supra scripta XI. Scriptum per manus Petri Notarii & Scrinarii S. R. E. in mense Aprili, & Indictione undecima.* Si enim eo Christi anno die XXVIII mensis Aprilis, adhuc annum II Pontificatûs sui numeravit, hoc anno post eumdem diem exorsus est primum. Gregorium autem V, non ab Ottone Magno, sed à *Liudgarda* ejus filia Conrado Lotharingiæ & Wormatiæ Duci nupta, rectà lineà originem ducere, anno MXXIV, cum de Conrado Salico Imp. Gregorii V ex fratre nepote sermo erit, demonstrabimus, & nodum istum difficilem, uti spero solvemus.

V. *Crescentius jam à multis annis Romæ tyrannus.*

Baronius interitum *Crescentii* & *Gerberti* promotionem ad Archiepiscopatum Ravennensem hîc recitat; sed cùm ille anno tantùm CMXCVIII morti traditus sit, & *Gerbertus* eodem anno sede Ravennenli decoratus, ad majorem claritatem hæc ad suos annos remittimus. Sigonius lib. VII Hist. de Reg. Ital. existimavit, *Crescentem Nomentanum* anno CMXCIII ingenti favore populi Consulatum adeptum, Urbem turbare cœpisse, & de Imperii titulo sibi asciscendo cogitasse. Verùm exeunte anno CMLXXXIX aut sequentis initio, quò Legati Hugonis Regis & Galliarum Episcoporum adversùs Arnulfum ad Joannem XV missi Romam pervenerunt, jam Crescentius tyrannidem exercebat, uti dixerunt Episcopi in Synodo Remensi anno CMXCI adversus Gerbertum congregata: *Regis ac nostri Legati Romam profecti, & Epistolas Pontifici porrexerunt, & ab eo indigne suscepti sunt. Sed (ut credimus) quia Crescentio nulla munuscula obtulerunt, per triduum à Palatio seclusi, nullo accepto responso redierunt, quod peccatis nostris exigentibus provenire, non est dubium, ut Romana Ecclesia, quæ mater & caput Ecclesiarum omnium est, per tyrannidem oppressa debilitetur.* De Crescentii cæde infrà.

VI. *Schisma inter Gregorium V & Joannem.*

A num. XIII ad XXVII. Narrat hîc Baronius schisma inter *Gregorium* V & *Joannem* ex Placentino Episcopo Antipapam electum, quod & hoc anno compressum credidit. Sed cùm illud tantum anno sequenti exortum sit, annoque CMXCVIII extinctum, hanc Historiam in suos annos distribuemus. Refert præterea quæ occasione monasterii Bellicocensis Joannis Papæ tempore, contigêre, quia sc. *Joannem* illum Joannem Pseudo-Pontificem interpretatur. Verùm cùm Glaber, quem laudat, de Joanne Papa hujus nominis XVIII verba faciat, quæ hîc à num. XX ad num. XXVII habentur, ad annum MIX remittenda duximus, eò magis, quò *Sergius* IV Joannis XVIII successor, quod hic cœpit, absolverit.

VII. *Otto III Imperator dictus.*

A num. XXVII ad XXXVI. *Ottonem* III solemni Pentecostes die à Gregorio V coronatum fuisse Imperatorem, jam num. I ex Chronographo Hildensheimensi post Baronii mortem publicato diximus. Papebrocius quidem in Paralypomenis ad Conatum Chronico-Historicum, dum de Gregorio V verba facit, ait, in Chronologo Saxone MS. legi Ottonem III *XII Kalend. Junii, in ipsa Ascensionis Christi festivitate* à Gregorio V Imperatorem consecratum. Sed major fides hac in re Chronographo Hildensheimensi adhibenda; præsertim cùm Chronographus Magdeburgensis referat, *Ottonem* Romæ fuisse, quando *Gregorius* V dictus est Pontifex, & Chronographus Hildensheimensis, qui eum absentem fuisse tradit, Auctorem Anonymum Vitæ Sancti Adalberti contestem habeat. Dubium hoc ex Diplomatis ab Ottone inter diem XXI mensis Maii & XXXI ejusdem mensis datis certò solvi potest; sed nulla hactenus eo temporis intervallo data mihi occurrerunt. Hîc obiter observandum, duo extare Chronica Magdeburgensia, alterum à Meibomio Tom. II suæ Collectionis editum, alterumque cujus Mabillonius Sec. V Benedict. & Papebrocius citatus aliqua fragmenta referunt. Istud nondum typis editum & à Germanis neglectum, quòd ejus Auctor Anonymus in non paucis erraverit. Unum ejus exemplar in Bibliotheca Regia reperitur. Porrò laudata verba Scriptoris Anonymi Vitæ Sancti Adalberti manifestè ostendunt, *Ottonem* III, sicuti & Decessores, supremum Dominium in Urbe exercuisse, quod usque ad nostra tempora obscurum fuit. Denique *Otto* III nondum hoc anno adversùs *Crescentium* bellum movit, ideoque obsidio *Tiburtinæ* civitatis ab eodem Imperatore facta, & à Baronio hîc recitata, ad secundam vel tertiam profectionem Romanam Ottonis III referenda.

VIII. *Synodus Romana.*

Ad num. XXXVI & seqq. Narrat Baronius ex secundo Scriptore Vitæ Sancti Adalberti Pragensis Episcopi, Synodum Romæ coactam, quâ huic Sancto injunctum, ut ad Episcopatum suum rediret, sed cum vix adduci posset; ut locum peteret, ubi *animarum fructum* non faciebat, obtinuit à Gregorio V, ut ad exteras & incultas gentes se se conferret. *Igitur cum puero Imperatore Alpium nubila tranans, causâ orationis Turonam pedester petit*, inquit idem Anonymus,

S Æ C. X. An. Ch. 996.

nymus, qui subdit, eum inde Parisios & Floriacum venisse, indeque ad Aulam Imperatoris rediisse, ubi visione in somnis facta, se martyrem futurum intellexit. Postea Polonis, Bohemis & Hungaris fidem annunciavit, & intra brevissimum tempus multa peregit. In Hungaria *Geisam* Hungarorum Regem quartum, à tempore sc. quo in Panoniam ingressi sunt, baptizavit, & postea ejus filium, cui *Stephani* nomen imposuit, quique post eum in Hungaria regnavit, & religionem Christianam mirificè propagavit, uti refert Baronius anno CMLXXXIX num. V & seqq. ex Cartuitio Episcopo, qui hujus Sancti Stephani Hungarorum Regis Vitam scripsit, & *Colomano* octavo Hungarorum Regi dicavit. Quare quæ ibi habet Baronius, ad præsentem annum pertinent.

IX. *Querela ad eum Herluini Episc. Camerac.*

Referenda & ad Concilium Romanum hoc anno habitum Epistola Gregorii V *Herluino* Cameracensi Antistiti & ejus successoribus data, in qua narrat Pontifex se Herluinum Episcopum consecrasse. *Quoniam verò*, inquit, *sicut omnibus pene notum est, interveniente hac re, quæ inter Arnulfum Remensis Ecclesiæ Archipræsulem, & Gerbertum invasorem ejus excrevit, idem prædictus Herluinus Præsul, illorum odiis, Remis canonico more consecrari nequivit: ejus consecratio ad Apostolicam sedem usque ad nos haud injustè pervenit.* Subjungit Gregorius V, se sancire, ut nullus *prænominatæ Ecclesiæ loca invadere seu deprædare præsumat*, neve *amplius obeunte Episcopo vel ceteris Sacerdotibus* eorum bona diripere ac devastare audeat. *Scriptum per manus Petri Regionis Notarii & Scriptoris sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Maio, & indict. nona. Anno I Pontificatûs domini Gregorii Summi Pontificis, & universalis Ecclesiæ Papæ, imperii vero domini Ottonis tertii Imperatoris anno undecimo.* Legitur Epistola illa Tom. IX Concil. pag. 1245. Verum subscriptio illa mendosè descripta. Cùm enim Otto III die XXXI mensis Maii ineuntis anni Imperator dictus fuerit, eodem die Synodus Romana congregari non potuit. Eam vero in Synodo datam, ac præsente Imperatore, docet Baldrici Episcopi Noviomensis Chronicon lib. 1. cap. 3. quod si Otto III die Ascensionis Augustus renunciatus sit, quod non existimo, in ea subscriptione non solum ejus Imperii annus malè assignatus; sed etiam annus Regni omissus fuit. Eæ tamen literæ, dum *Arnulfus* in urbe Aurelianensi adhuc detinebatur, ideoque ante annum CMXCVIII, scriptæ.

X. *In eo non instituti Electores VII.*

Baronius, Conciliorum Collectores, & multi Viri doctissimi *Electoralis Collegii*, seu Septem Virorum, penes quos solos esset Imperatoris eligendi potestas, institutionem ad Gregorium V & ad hanc Synodum Romanam retulére. Verùm veterum Scriptorum, qui de Rebus Germaniæ hoc & duobus sequentibus seculis scripsére, silentium demonstrat, audiendos non esse, qui seculo XIII & sequentibus illud nullo antiquo monumento fulti literis mandarunt. Citatur quidem hanc in rem Sanctus *Thomas* lib. 3. de Regimine Principum, sed ei perperàm Opus illud attribuitur. Augustinus Triumphus Ordinis Sancti Augustini, qui adhuc junior anno MCCLXXIV Lugdunensi Concilio interfuit, Ptolemæus Lucensis ei coævus, à Platina in Gregorio V & à Joanne Villani anno MCCCXLVIII lib. 4. Hist. cap. 3. laudatus, & Lupoldus Episcopus Bambergensis, qui initio seculi XIV floruit, hanc institutionem ad Gregorium V referunt; ideoque hæc fabula eodem quo Joanna Papissa tempore exorta, nec ea antiquior.

XI. *Electorum jus à Pontifice Rom. emanat.*

Certum tamen esse debet, jus eligendi Imperatores à Romanis Pontificibus Imperii institutoribus, ut de Carolo Magno loquentes vidimus, emanasse. Disertè illud scribit Innocentius III in Epistola ad Bertholdum Zeringiæ ducem post Othonis IV Imperatoris electionem initio seculi XIII peractam. Ibi enim cap. *Venerabilem, de Electione*, Innocentius ait: *Illis Principibus jus & potestatem eligendi Regem, in Imperatorem postmodum promovendum recognoscimus, ut debemus, ad quos de jure & antiqua consuetudine noscitur pertinere; præsertim cùm ad eos jus & potestas hujusmodi ab Apostolica sede pervenerit, quæ Romanum Imperium in persona Magnifici Caroli a Græcis transtulit in Germanos. Sed & Principes recognoscere debent, & utique recognoscunt, (sicut iidem in nostra recognovêre præsentia) quod jus & auctoritas examinandi personam electam in Regem, & promovendam ad imperium, ad nos spectat, qui eum inungimus & coronamus. Est enim regulariter & generaliter observatum, ut ad eum examinatio personæ pertineat, ad quem impositio manus spectat. Nunquid enim si Principes non solum in discordia; sed etiam in concordia, sacrilegum quemcumque, vel excommunicatum, tyrannum, fatuum, vel hæreticum eligerent, aut Paganum nos inungere, consecrare, ac coronare hominem hujusmodi deberemus? Absit omnino.* Germaniæ itaque Reges electi jus habent, ut *Imperatores* appellentur, atque primum inter Principes Christianos locum obtineant idque à Romanis Pontificibus, qui se ad eos Imperatores confirmandos & coronandos obstrinxêre, modo nullus occurreret in electione defectus, quod examinandum ad eosdem Pontifices spectat, ut ait Innocentius III.

XII. *Regnum Germaniæ successivum simul & hæreditarium.*

Porrò Germaniæ Regnum successivum fuit, sed non absolutè hæreditarium; populi enim Regem eligendi quem mallent ex Regia familia jus habebant, & de more defuncti Regis filium natu majorem ceteris anteponebant. In hac electione Principes, Primates seu Primores omnia poterant, & populorum consensum secum trahebant. Id disertè docent Scriptores Germanici, cùm de *Henrico Aucupe* & tribus Ottonibus loquuntur; ut suis locis insinuavimus. Quare in Germania Regnum quidem hæreditarium erat in eadem familia, sed Procerum populique consensus necessarius quod in singulis ferè Germaniæ Regibus indicavimus; præsertim in electione *Conradi Salici* egregiè à Wippone Auctore coævo descripta. Duravit hæc consuetudo usque ad Gregorium VII Papam, quo Ecclesiam Romanam regente in Regni Comitiis decretum, ut Regis Germaniæ electio intra Regiam familiam non restringeretur, sed quilibet in Regem eligi posset, ideoque tunc, anno sc. millesimo septuagesimo septimo, quo *Rodulphus* Germaniæ Rex creatus, successio in Regnum antiquata fuit, ut ibi videbimus.

XIII. *Septem Electores imperante Friderico II instituti.*

Sed, ut ad institutionem Septem Electorum veniamus, Fredericus II in publicis Comitiis anno MCCX electus fuit, ut ad eum Christi annum his verbis docet Abbas Urspergensis: *Tunc Principes Alemanniæ, Rex videlicet Bohemiæ, Dux Austriæ, Dux Bavariæ, & Landgravius Thuringiæ, & alii quàm plures convenientes Fridericum Regem Siciliæ elegerunt in Imperatorem*

rem coronandum. Principes tamen illi & Officiales valdè diversi erant ab Electoribus & Officialibus hodiernis, ut videre est apud Leibnitzium in Præfatione Codicis Diplomatici, ubi fuse de Electorum origine agit, asseritque ante Fredericum II nullum exhiberi posse antiquum ac sincerum monumentum, in quo de certo Electorum numero sermo sit, de quo etiam nec in Decretali Innocentii III *Venerabilem* aliquod verbum habetur. "Quæ omnia consideranti, subdit Vir "eruditissimus, apparet sub *Friderico II* for"mam aliquam accepisse Electorale munus; fortè "studio ipsius Imperatoris, filiorum electionem "semel atque iterùm procurantis; faciliùs uti"que per pauciores. Sed tamen jam ante linea"menta aliqua imperfecta fuisse ducta crediderim; alioquin novitati manifestæ utique Pon"tifices & Principes reclamassent. Hoc partim "Friderici artibus tribuerim, cùm *Henricum* VI "filium Cæsarem fecit, aut Henrici ipsius, cùm "filium infantem successorem designari obtinuit. Observat ibidem Leibnitzius primam verorum Electorum disertam mentionem legi in Brevi Alexandri IV Gerardo Moguntino directo, ut prohibeat electionem Conradi junioris. In eo quidem Septem Electorum numerus non notatur, sed expressis verbis legitur in literis Urbani IV *Richardo electo Regi Romanorum*, datis *apud urbem veterem II Kal. Septemb.* sine ulla alia Chronologica nota. Refertur hoc rescriptum in Prodromo novi Codicis Diplomatici Sect. IV, & in eo hæc verba habentur: *Proponere curaverunt quasdam consuetudines circa electionem novi Regis Romanorum in Imperatorem postea promovendi, apud Principes vocem in hujusmodi electione habentes, qui sunt septem numero, pro jure servari: & fuisse hactenus observata a tempore cujus memoria non existit.*

XIV. *Sed non sine contradictione.*

Quæ verba de numero Septem Electorum non intelligenda, sed de Electoribus generatim, cùm eo tempore numerus ille difficultatem adhuc pateretur, ut liquet ex Alberto Stadensi & Erkone de Repkavio in Speculo Saxonico, qui uterque Scriptor circa annum MCCLX floruit. Eo in rescripto nihil inter Alphonsum & Richardum de Regno contendentes dirimit, sed judicium in aliud tempus differens, refert processum verbalem eorum, quæ utrimque hactenus acta essent, & sect. VIII *Electores* disertè dicuntur Archiepiscopus *Treverensis*, Archiep. *Coloniensis*, *Bohemiæ Rex*, *Comes Palatinus*, *Saxoniæ Dux*, & *Marchio Brandeburgicus*, narraturque Archiepiscopum Coloniensem procuratorio nomine agere pro Archiepiscopo Moguntino, ad quem pertinet electionis diem præfigere, & ejus defectu ad Comitem Palatinum. Egregium hoc monumentum ostendit electioni Alphonsi & Richardi Septem Principes Electores interfuisse; sed Matthæi Paris Auctoris coævi testimonium demonstrat numerum Septem Electorum rem tunc novam fuisse, & sine contradictione non admissam. Hæc ejus verba ad annum MCCLVIII: *Hi sunt maximi Principes in Alamannia ad quorum nutum pendet electio ipsius regni quod est quasi arrha imperii Romanorum. Archiepiscopus Coloniensis, Archiepiscopus Moguntinus, Archiepiscopus Trevirensis, Rex Bohemiæ, Comes Palatinus de Rheno, Dux Austriæ, Dux Sueviæ, Dux Poloniæ, Marchisius Brendeberg* (hæc prima mentio Marchionis Brandeburgensis in electione Regis Germanici futuri Imperatoris) *Dux de Meran, Dux Brabantiæ, qui & Lovanii, Landgravius Thuringiæ, Marchio Misniæ.* Quare anno MCCLVIII Septem Electorum possessio nondum plenè stabilita erat; cùm alii Principes adhuc electionis jure potirentur.

XV. *Numerus ille septenarius circa medium seculum XIII prævaluit.*

Certè aliorum Principum ad hanc electionem jus invictè probatur auctoritate Arnoldi Lubecensis in Chronico ad annum MCCVIII, ubi de Ottonis electione loquens ait: *Indicta est Curia in Halberstad, ubi convenerat maxima pars Prælatorum & Principum Saxoniæ & Thuringiæ, nec defuit Herbipolensis Chonradus. Omnes igitur Principes, qui convenerant unanimi consensu Ottonem Romanum Principem & semper Augustum elegerunt. Archiepiscopo, qui primam vocem habere videbatur, inchoante, prosequente verò Bernhardo Duce cum Marchione Misnensi, & Landgravio Thuringiæ, ad quos electio Regis pertinere videbatur.* Arnoldus autem anno MCCIX Chronico suo finem imposuit. Ex quibus omnibus liquet primò, institutionem Septemvirorum, seu Septem Imperii Electorum Gregorio V Papæ malè adscriptam fuisse. Secundò, medio circiter seculo decimo tertio, & non antea, illum Electorum numerum, post varia quæ præcesserant bella & dissidia, in electione Regis Germaniæ prævaluisse, deceptumque Blondellum in Pleniori Assert. Genealogiæ Francicæ pag. 246. qui ait, vix à trecentis annis, qui nunc inter Germanos obtinet ordo, invaluisse. Tertiò parvum hunc Electorum numerum potentiorum usurpationi attribuendum videri; cùm antea omnes Proceres jus in electione Germanorum Regis habuerint, eoque usque ad medium circiter seculum XIII potiti fuerint, nec eos ei renunciasse Antiqui prodant. Denique certum esse, tam ante quàm post Septenarium illum Electorum numerum in usum vocatum, Pontifices Romanos, à quibus renovatum Imperium Occidentale, jus suum illæsum conservasse, & electiones, aut approbasse aut reprobasse.

XVI. *In Concilio Lugdunensi nulla VII Electorum mentio.*

Baronius num. LV ait constare jus eligendi Imperatorem, per *Gregorium* V ad Germaniæ Principes transfusum esse; haud tamen adeo liquere, per ipsum fuisse Electores ipsos numero septenario vel senario definitos, sed certam fidem de tempore, quo Septem Electores creati, haberi ex Actis Concilii Lugdunensis Innocentio IV sedente celebrati, quod num. LXIII & seqq. probat ex Matthæo Parisiensi, in cujus Historia ait legi Acta Concilii Lugdunensis Oecumenici, in quibus diserta mentio Septem Imperii Electorum. Verùm Matthæi Parisiensis digressionem pro Concilii Actis Cardinalis doctissimus laudat; certumque eum communem illam de antiquitate Septem Imperii Electorum sententiam improbaturum fuisse, si quæ post ejus mortem adversùs eamdem scripta vidisset.

XVII. *Moritur Richardus I Normanniæ Dux.*

Richardus hujus nominis primus Normannorum Dux *obiit apud Fiscannum nongentesimo nonagesimo sexto anno ab Incarnatione Domini*, inquit Gemmeticensis Monachus lib. 4. Hist. Normann. cap. ult. qui antea cap. 17. scripserat: *Paganorum plurimos ad fidem Christi sacris monitis convertit, alios in Paganismo permanere disponentes ad Hispanias transmisit, ubi plurima bella perpetrantes, decem & octo diruerunt urbes.* Tum cap. 19. Apud *Fiscannum* (locus ad mare, ubi est monasterium & oppidum) *miræ magnitudinis & pulchritudinis in honore Deificæ Trinitatis Templum construxit, mirificisque ornatibus multimode adornavit: Ab-*

batias

batias quoque quasdam restauravit. Ei successit *Richardus* filius hujus nominis II, de quo idem Historicus initio libri sequentis: *Intra sui Ducatûs limites plurimis bonorum operum incrementis Normannicam penè patriam unam Christi insignivit Ecclesiam. Hic in armis admodum strenuus, ubique armatas militum legiones nobiliter rexit; de inimicis victoriam semper capere assuetus. Et quamvis secularibus actibus fores deditus, totus tamen fuit fide catholicus, & erga Dei cultores benevolus ac devotus. Sub cujus moderamine plurima Monachorum adolevêre ovilia, qui velut apes ex multis sanctorum actuum canistris erumpentes, lucidissima in cœlestes thesauros intulerunt mella.* Hæc mutatio dexteræ Excelsi, ut Normanni, qui adeo in monachos sævierant, & tot monasteria everterant, nunc eorum patrocinium suscipiant, novaque cœnobia ædificent.

XVIII. *Obitus Sanctii II Abarca dicti Regis Navarræ.*

Hoc anno jam mortuus erat *Sanctius II Abarca* dictus, Navarræ Rex, illustribus victoriis de Saracenis reportatis, & arcibus adversùs eos ædificatis celebris, ut videre est apud Garibaium lib. 22. cap. 15. & seqq. ubi ostendit, eum anno CMXCII adhuc in vivis fuisse, & currenti *Garsiam Sanchonis*, hujus nominis III jam regnasse. Doctissimus hic Historicus Navarreorum Regum seriem antea valdè perturbatam accuratè digessit; sed in eo valdè peccavit, quòd *Sancio Garseani* hujus nominis primo *Abarcæ* nomen attribuerit; cùm illud nepoti ejus ex filio tantùm pertineat, ut Moretus ostendit in Investigationibus Regni Navarræ, præsertim ex donatione pagi Alastruci monasterio Sancti Joannis Pennatensis facta: *proinde ego Sancius Rex cognomento Abarca & Urraca Regina, erâ MXXV*; Christi scilicet CMLXXXVII. In alia donatione Erâ MXXX VII Kalend. April. facta: *Ego Sancius Rex Abarca gratiâ Dei Aragonensium Rex sive Pampilonensium cum conjuge mea Urraca Regina.* Garibaius laudatus cap. 18. recitat integram donationem à Garzia hujus nominis III factam Ferrucio Abbati sancti Aemiliani, scriptam *erâ millesimâ tricesimâ quartâ, regnante me Rege Garsea, sub imperio Dei in Pampilona, una cum conjuge mea Eximina Regina, & regnantibus matre mea Urraca Regina & fratre meo Gundisalvo in Aragone.* Quæ Charta præsenti anno data.

XIX. *Initium Regni Sanctii III Navarræ Regis.*

Garsias III jam mortuus erat anno millesimo primo, quo *Sancius* ejus filius hujus nominis III regnabat, ut demonstrat Charta è libro censuali monasterii Sancti Æmiliani descripta, in qua legitur: *Ego Sancius Rex simul cum matre mea Eximina Regina, & uxore mea Domna Regina,* &c. *Facta scriptura sub era M. XXXIX, sexta feriâ, quarto nonas Julias.* Charta hæc, aliaque eodem anno data, anno nempe Christi MI, à Moreto in suis Investigationibus recitata. Porrò Garsia III Abarcæ filius *Tremulus* appellatus fuit, & ejus filius ac successor *Sanctius* hujus nominis III *Maior* dictus, ob res ab eo præclare gestas, ut Garibaius, & alii habent.

XX. *Mors Calipha Ægypti.*

Anno trecentesimo octuagesimo sexto (nempe Hegiræ) *obiit Azizus Billa dominus Ægypti,* inquit Elmacinus lib. 3. Hist. Sarac. cap. 6. qui addit, eum imperasse annos XXI & aliquot menses; ac eo præmortuo imperium Ægypti cessisse filio ejus *Hakemo Biamvilla.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6490.

☉ 26. C. ☽ 10. P. 28. Mart. Indict. 10.

JESU CHRISTI 997.

GREGORII V PAPÆ 2.

OTTONIS III REG. 15. IMP. 2.

BASIL. & CONST. IMPP. 22.

Anno Eræ Hispan. MXXXV. Anno Hegiræ CCCLXXXVII. inchoato die 13. Januar. fer. 4.

I. *S. Adalbertus Episc. Pragensis Martyrio coronatur.*

AD num. I & seq. Prior Auctor Anonymus Vitæ Sancti Adalberti Episcopi Pragensis narrat hujus Sancti profectionem in Prussiam, ejusque martyrium, his verbis: *Tandem alternantis potior sententia successit animo, ut quia hec regio proxima, & nota fuerat Duci prædicto* (Boleslao nempe Bohemorum Duci) *Prusia deos & idola iret debellaturus. Dux verò cognita voluntate ejus dat ei navem, & ipsam pro pace itineris ter deno milite armat. Ipse verò primo adiit urbem Gidanic* (scilicet Gedanum, aliis Dantiscum, vulgò Dantzich) *quam Ducis latissima regna dirimentem maris confinia tangunt. Ibi divina misericordia adventum ejus prosperante, baptizabantur hominum multa caterva.* Narrat postea Anonymus, postera die, dum ipse cum Benedicto Presbytero & Gaudentio fratre suo versaretur, Paganos venisse, eumque dirè fustibus exceptum percussisse. *Passus est autem sanctus & gloriosissimus martyr Christi Adalbertus nono Kalendas Maii, imperante rerum domino Ottone tertio, pio & clarissimo Cæsare feriâ sextâ*, ideoque hoc Christi anno, quô feria VI incidit in diem XXIII mensis Aprilis. Baronius Sancti Adalberti martyrium ex altera ejus Vita recitat, in qua cap. 6. dicitur, eum à Boleslao Poloniæ Duce adjutum fuisse. Tum: *Est in parte regni civitas magna Gnezdem, ubi nunc sacro corpori requiescere placuit*, &c. Missam celebrat. Inde navigat in Prussiam, & morti traditur. Henschenius in Notis ad posteriorem Vitam Sancti Adalberti, ait, ejus Auctorem utrumque locum confudisse, & quæ prior dixit *Guesna* ipsum Gedani, peracta esse asserere. At posterior supplet quæ prior omisit, aitque eum *Guesnam* venisse, & multos baptizasse, postea navem conscendisse, & in Prussiam (qua in regione Gedanum situm,) ubi cùm martyrium complesset, corpus ejus *Boleslao* Polonorum Duci venditum fuit. Hæc posterior Auctor, qui duas circunstantias à priori omissas refert, rectèque notat, suo tempore sacrum *Adalberti* corpus Guesnæ requievisse. Colitur Sanctus *Adalbertus* tam à Polonis quàm à Bohemis, & utrique sacrum ejus corpus se se habere gloriantur. Henschenius ad diem XXIII Aprilis, quo sanctus Martyr colitur, exhibet dissertationem Bohuslai Balbini è Societate Jesu, de Relatione corporis Sancti Adalberti Pragam, quam factam fuisse pluribus probare conatur. Poloni è contra se sacras exuvias possidere contendunt, eique superstructum insigne mausoleum ostentant.

II. *S. Bonifacius Russis Evangelium annunciat.*

Ad num. III & seq. Refert Baronius ex Petro Damiani in Vita Sancti Romualdi Abbatis cap. 8. *Sanctum Bonifacium* Russorum Apostolum fuisse unum ex præcipuis Sancti Romualdi discipulis, qui cùm Romæ *ab Apostolica sede consecrationem Archiepiscopatûs* accepisset, post beati Adalberti Martyrium Russis Evangelium prædicavit. Quibus ex verbis deducit Baronius, pro-

vinciam illam *Bonifacii* prædicatione rursus vivere atque florescere cœpisse, quia vix aliqua Christianitatis memoria ibi residua erat. Existimavit enim *Russiam* Basilio Macedone imperante factam fuisse Christianam, & jamdiu ibidem fidem extinctam. Verùm jam ostendimus, Russorum gentem in multos populos divisam fuisse, & Russiam Albam, seu Moscoviam, ut nunc vocamus, anno tantùm CMLXXXVIII, regnante *Wolodomiro*, fidem Christianam suscepisse. *Bonifacius* itaque non ad Russos, qui Wolodomiro parebant, sed ad aliam gentem Scytharum sive Russorum prædicationis causâ profectus est, ut jam suspicatus est Bollandus in Notis ad cap. 8. Vitæ Sancti Romualdi Abbatis, à Petro Damiani scriptæ, quam ad diem VII Februarii recitat. Quam conjecturam sequentia certam reddunt.

III. *Moritur Geisa primus Rex Christianus Hungariæ.*

Ad num. VI & seq. Auctor Vitæ Sancti Stephani Hungarorum Regis, postquam narravit Sanctum Adalbertum Pragensem Episcopum, tam Geisam patrem, quàm Stephanum filium baptizasse, de Geisa scribit: *Deinde jam grandævus, anno à Christo nato nongentesimo nonagesimo septimo vita hujus ærumnas cum cœlestibus gaudiis commutavit.* Ademarus tamen Auctor coævus in suo Chronico aliter rem narrat, aitque: *Sanctus Bruno convertit ad fidem Ungriam provinciam, & aliam quæ vocatur Russia; Regem Ungriæ baptizavit, qui vocabatur Geitz, & mutato nomine in baptismo Stephanum vocavit: quem Otto Imperator in Natali protomartyris Stephani à baptismate excepit, & regnum ei liberrimè habere permisit, dans ei licentiam ferre lanceam sanctam ubique, sicut ipsi Imperatori mos est, & Reliquias ex clavis domini & de lancea sancti Mauricii ei concessit in propria lancea. Rex quoque supradictus filium suum baptizare jussit, & sanctus Bruno imposuit ipsi nomen, sicut sibi, Stephanum. Postea verò ipsi filio ejus Stephano Otto Imperator sororem Henrici postea Imperatoris in conjugio dedit.* Quare quod Auctor Vitæ sancti Stephani *Adalberto*, Ademarus *Brunoni* attribuit, & ex illis alteruter decipitur.

IV. *S. Bruno Russis Prussiæ vicinis Evangelium annunciat.*

Sed quod subdit idem Ademarus, confirmat quod mox diximus de Russis à Sancto Bonifacio ad fidem Christi conversis: *At verò sanctus Bruno cùm ad Pincenatos* (idest, Prussos) *properavisset, & Christum prædicare cœpisset illis, passus est ab eis, sicut passus fuerat sanctus Adalbertus,* &c. *Corpus ejus Russorum gens magno pretio redemit, & in Russia monasterium ejus nomini construxerunt.* Idem narrat Ditmarus lib. 6. Chronici: *duodecimo anno suæ inclytæ conversionis ad Pruciam pergens, steriles ejus agros semine divino fecundare studebat. Sed spinis pullulantibus horrida non poterant facilè molliri. Cum itaque in prædicta* REGIONIS CONFINIO & Rusciæ *primò ab incolis prohiberetur, & plus evangelizans capitur*, & decollatur. Quare *Russia* illa ad quam tam *Sanctus Bruno*, quàm *Sanctus Bonifacius*, de quo mox actum est, perrexerunt, non erat Russia Alba, sed provincia quædam Prussiæ & Poloniæ vicina, verumque est quod ibi diximus, Bonifacium in loco à Prussia non dissito Evangelium disseminasse. Sed tam de Brunone, quàm de Bonifacio rursùs infrà sermo erit.

V. *Joannes Placentinus Se-*

Anno superiori, quo Baronius num. XIV & seqq. narrat Sedis Romanæ invasionem à Joanne Placentino Episcopo factam, diximus ad præsentem pertinere, & nos hîc de illa acturos. Lambertus itaque Schafnaburgensis in Chronico de ea habet: *CMXCVII Joannes Placentinus Episcopus sedem Apostolicam invasit consilio Crescentii*, licet, ut ibidem num. I ex Chronographo Hildensheimensi ostendimus, tyrannus iste Gregorio V plurimùm deberet. Fusiùs rem narrat idem Chronographus Hildensheimensis: *CMXCVII Papa Ticini adunato plurium Episcoporum Concilio, præfatum Crescentium anathemate perculit. Interea Joannes Placentinus Episcopus Constantinopoli remeans, Romam intromissus, Apostolicam sedem factione Crescentii invaserat. Unde ab universis Episcopis Italiæ, Germaniæ, Franciæ & Galliæ excommunicatur. Imperator quoque ut Romanorum sententiam purgaret, Italiam perrexit, summa rerum dominæ Mathildæ amitæ suæ Quidilinburgensi Abbatissæ delegata: in qua ultra sexum mira prudentia enituit.*

dem Romanam invadis.

VI. *Vir fuit corruptis moribus imbutus.*

Chronographus verò Magdeburgensis ineditus de isto pseudo-Pontifice scribit: *Hoc etiam anno Crescentius quidam, diabolica fraude deceptus, Romam, absente Papa Gregorio, invasit; Joannemque quemdam Calabritanum (quem dominus Imperator Otto III, pro Græci Imperatoris filia, sibi matrimonio acquirenda, cum Bernwardo Episcopo, Constantinopolim miserat, & inde reversentem cum Græcorum Legatis, se indigno suscepit honore) eumque non tam Papam Apostolicum, quàm Apostatam constituens, Legatos Imperatoris sub ejus custodia Romæ retinuit. Hic ergo Joannes, natione Græcus, conditione servus, astu callidissimus, Imperatorem Augustum Ottonem II sub paupere adiens habitu, ob interventum suæ dilectæ contectalis Theophanu Augustæ, Regia primùm est alitus stipe: dein percurrente tempore, vulpina, quâ nimiùm callebat versutia, præfatum eotenus circumvenit Augustam, ut pro loco ac tempore, satis clementi ab eo gratiâ donatus, penè inter primos usque ad defunctionem suam, carus haberetur. Post dormitionem verò II Ottonis, regnante jam III Ottone filio suo, quem ab ipso matris utero divina sequebatur miseratio, præfatus Joannes ingenitâ sibi circa eos calluit securiùs astutiâ, quod Regis infantiâ & Primatum ejus permittebatur incuriâ. Adhæc defuncto Placentinæ urbis Episcopo, vir bonæ indolis ei subeligitur: quo indecenter ejecto, præfatus Joannes, non pastor, sed mercenarius, eamdem non regendam, sed devastandam suscepit Ecclesiam: quam cùm aliquot annis teneret, avaritia diabolica inebriatus veneno, tantum se extulit supra se, ut etiam Romæ ipsam B. Petri Apostoli Sedem, uti prædictum est, Antichristi membrum verè effectus, fornicando potius pollueret, quàm venerando insederet.*

VII. *Legatio Ottonis III Constantinopolim pro petenda uxore.*

Non leguntur ista in Chronico Magdeburgensi à Meibomio Tom. II Collectionis Hist. Germaniæ noper publicatæ. Quæ tamen ex optimo aliquo Scriptore desumta, cùm Chronographus Hildensheimensis nonnisi in anno ab eo differat. Ad annum enim CMXCV ait: *Joannes Placentinus & Bernuvardus Wirciburgensis Episcopi Constantinopolim ex latere Regis, ut sponsam illi inde peterent, directi sunt. Legati etiam Apostolicæ Sedis cum unanimitate Romanorum atque Longobardorum Regem* (nempe Ottonem III) *Romam invitant.* Paulò pòst: *Bernuvardus quoque Wirciburgensis Episcopus morbo gravi affectus inter maris pericula obiit.*

SÆC. X. An. Ch. 997.

Quare laudans Chronographus Magdeburgensis meditus multa quæ diversis annis contigêre uno tenore refert.

VIII. *Alteru legatio ob eamdem causam obitu.*

Arnulphus Historicus Mediolanensis lib. I. meminit alterius legationis ob idem matrimonium *Ottonis III* cum filia Imperatoris Orientalis, ab *Arnulpho* hujus nominis II Archiepiscopo Medinlanensi paulo ante mortem Ottonis III obitæ; ait enim: *Decenter absolutus reversionem accelerat. Interea Imperator primo juventutis flore defungitur Otto: in quo omnium est Ottonum consumpta propago.* Hæc ultima verba, ut obiter dicam, notatu digna, quia ex eis sequitur, *Conradum Salicum*, ideoque & *Gregorium V* Summum Pontificem, non fuisse *ex propagine Ottonum*, perperàmque viros doctissimos autumasse, utrumque rectâ lineâ procedere a *Ludolfe* Ottonis M. filio. Quæ observatio eò majoris momenti, quò Arnulphus Historicus eodem Conrado Salico & duobus Henricis imperantibus floruit. Sed stemma Gregorii V Papæ, & Conradi Salici invictis argumentis seculo sequenti à nobis probandum.

IX. *Quo tempore vixerit Arnulphus Historicus.*

Notandum etiam Arnulphi Mediolanensis Historiam nunquam in lucem emissam esse, ut testatur Puricellus in Monum. Basilicæ Ambrosianæ, qui pag. 303. de eo habet: *Historia Mediolanensis ab anno Christi nongentesimo vigesimo tertio Scriptor Arnulphus alter Archiepiscopi hujus* (nempe Mediolanensis) *Arnulphi primi consanguineus*, &c. *manuscripta etiamnum extat, nunquam typis adhuc impressa illius Historia, tribus comprehensa capitibus tam prolixis, ut librorum potius appellatio ipsis debeatur.* Sunt qui Arnulphum Historicum cum Arnulpho Archiepiscopo confudêre, sed ipsos ipsemet Historicus his verbis refellit: *Eodem tempore* (quo captivus in Suevia Berengarius ubierat) *obeunte Walperto* (ideoque anno Christi CMLXVI, non verò CMLXIX, ut Papebrocius in Exegesi de Episcopis Medinlanensibus perperam credidit) *cathedram suscepit Arnulphus, verè declinans à malo & faciens bonum. Cujus æquivocus existo gestorum scriptor ego præsentium, fratris verò illius pronepos verus.* Asserit Arnulphus se usque ad annum millesimum duodecimum referre quæ à testibus oculatis ac fide dignis accepit; & postea quæ propriis oculis ipsemet observavit. Sed redeo ad legationem, quâ Arnulphus II Archiep. Mediolanensis functus est, quam diversam esse à priori, ostendit initium Archiepiscopatûs ejusdem Arnulphi, quod juxta Papebrocium citatum, incidit in annum nongentesimum nonagesimum septimum; & tamen prior legatio ad annum nongentesimum nonagesimum quintum pertinet. Expetebat etiam uxorem filiam Constantini Imp. (Basilius enim Porphyrogenneta frater nullam habuit) *Hugo* Francorum Rex pro filio *Roberto* jam à se in consortium regni assumto, ut patet ex Epistola CXI Gerberti, Hugonis Regis nomine scripta. Sed cùm *Constantino* Imp. tres filiæ fuerint, *Eudocia*, *Zoe* & *Theodora*, ut in morte ejusdem Imperatoris videbimus, incertum de qua ex illis Chronographus Hildesheimensis, Chronographus MS. Magdeburgensis, Gerbertus & Arnulphus intelligendi sint. Ducangius in Familiis Augustis Byzantinis, qui nec *Arnulphum*, nec Chronographi Magdeburgensis exemplar. MS viderat, de *Roberti* matrimonio tantùm loquitur, eumque *Eudociam* uxorem postulasse arbitratus est, sed levi conjectura innixus, ut apud eum legere est. Sed revertamur ad schisma, cujus Joannes Placentinus Episcopus nefarius auctor extitit.

X. *Schisma circa mensem Maium cœptum.*

Cœptum schisma mense circiter Majo; cùm Antipapa menses decem sedem Romanam occuparit, & mense Martio sequentis Christi anni ex ea depulsus fuerit, ut ibidem monstrabimus. Baronius loco mox laudato, ubi eum *Philagathum* appellat cum Auctore Vitæ sancti Nili Hegumeni, ex eodem ostendit, eum tam Ottonem III quàm Gregorium V ex fonte baptismaris suscepisse, Nilumque nihil prætermisisse ne malè iste Antipapa haberetur, eùm jam tempore Quadragesimæ depositus esset, & *Gregorius V* in Sedem restitutus. Porrò in hac secunda profectione Romana Ottonis III, cujus meminit citatus Chronographus, contigit quod anno superiori num. XXVII & seqq. narrat Baronius ex Petro Damiani, quod nempe *Sanctus Romualdus* ab Imperatore obtinuerit, ne Tiburtini, qui à *Crescentii* tyranni partibus steterant, penitus delerentur. Quaré ea ad præsentem annum revocanda. Concilii Ticinensis alibi mentio non habetur, quàm in eodem Chronographo. Ex eo autem intelligimus, *Gregorium V* in Longobardiam secessisse, dum Roma in tyranni potestate erat. Prædictus Antipapa ad Episcopatum Ecclesiæ Placentinæ promotus fuerat, & à Joanne XV hæc Ecclesia in ejus favorem Metropolitana declarata. Verùm Tom. IX Concil. pag. 752. recitatur Epistola Gregorii V ad Joannem Ravennatensem Archiepiscopum, qua ei Placentinam Ecclesiam restituit, atque: *Placentinam Ecclesiam injustè tibi à meo antecessore ablatam, & contra canones sub nomine Archiepiscopatûs locatam, tibi, tuisque successoribus refutantes in perpetuum.* Ubi *refutandi* verbo Gregorius V significat se Ecclesiam ei ablatam dimittere & in ejus jus transferre, ut pluribus exemplis ostendit Ducangius in voce *refuto*. In fine Epistolæ legitur: *Scriptum manu Petri Scriniarii, Notarii & Regionarii S. R. E. in mense Julio, indictione supradicta X. dat. Nonis Jul.* &c. anno scilicet currenti; quo ideo Gerbertus mense Julio nondum Ravennensis Archiepiscopus erat.

XI. *Floret Mathildis Abbatissa Quedlinburgensis.*

Porrò de Mathilda amita Imperatoris in MS. Chronographo Magdeburgensi ad annum CMLXVI legitur: *Antequam Rex* [nempe Otto M.] *iret in Italiam Mathild unica filia ejus, decus Sanctimonialium, communi consensu cleri & populi religiosissima Congregationis Sancti Servatii in Abbatissam electa est; ac præsentibus patre Ottone Imperatore, & matre Imperatrice Athelheida, aviaque sua Mathilde Regina* (Henrici Aucupis vidua) *necnon Ottone fratre suo; cunctisque Optimatibus regionis illius benedicta est.* Ditmarus lib. 4. Mathildam Abbatissam filiam Adelhaidis fuisse etiam asserit. Quare deceptus fuit Baronius in Notis ad Martyrologium Rom. ad diem XIV Martii, ubi eam filiam fuisse Henrici Aucupis, & anno CMXXX floruisse cum Trithemio asserit. Ditmaro enim suffragatur Chronographus Magdeburgensis à Meibomio editus, qui eam sororem Ottonis II fuisse testatur. Vixit usque ad annum nongentesimum nonagesimum nonum & ad VIII Idus Februarii juxta Ditmarum, non verò usque ad

SÆC. X. An. Ch. 997. annum millesimum septimum, ut scribit Mabillonius Sec. V. Ad cum diem Bollandus eam inter Sanctos Prætermissos memorat.

XII. *Concilium San-Dionysianum.*

Concilium Sandionysianum, in quo de decimis Ecclesiæ restituendis actum, hoc vel superiori anno habitum. Certè non serius, cum Sanctus Abbo apud Hugonem & Robertum Galliarum Reges Apologetico se se purgare coactus fuerit, & Hugo mense Octobri præsentis anni, uti anno sequenti videbitur, è vivis excesserit. Refert illud Aimoinus in Vita Sancti Abbonis Floriacensis Abbatis cap. IX, ubi ait: *In illis sanè diebus, in monasterio S. Dionysii, haud procul a Parisiis Concilium aggregatum est quamplurium Episcoporum. Qui cum de fidei puritate, de corrigendis tam suis, quam subditorum pravis moribus sermocinari debuissent, juxta vulgare proverbium cunctum suum sermonem ad decimas verterunt Ecclesiarum. Quas laicis, ac Deo servientibus monachis auferre molitis, resistente eis in hac re hoc venerabili Dei cultore Abbone, promiscuam in se vulgi concitavêre manum. Ortaque subito seditione, tantus in Episcopos timor irruit, ut publica statione relicta, passim quisquam diffugeret inter quos Seguinus Saxonum Archiepiscopus, Primatum Galliæ in ea Synodo sibi usurpans, primatum quoque fuga arripuit. Et inter fugiendum securi inter scapulas ictus, luteque á popularibus oblitus, ægre evasit. Unicoque Episcoporum timor fugienti tam veloces addidit alas, ut affluentissimo prandii apparatu, quem sibi exstruxerat, relicto, vicina urbis Parisiorum mœnia fugitabundus expeteret. Totam ergo tantæ calumniam injuriæ, tam à præfato Arnulpho* (Aurelianensi Episcopo de quo idem Aimoinus cap. VIII jam locutus fuerat) *quam à reliquis Pontificibus sub semet devolvi perpendens, hic Deo devotus Abbo, in eodem Apologetico non solum ab hoc, verùm & à quibusdam aliis, hoc modo se purgat objectis.*

XIII. *Accusatus Abbo quod in eo tumultum excitaverit.*

„Nec me vestro, ait Regibus [*nempe Hugoni & Roberto*] aliorumque sapientum examini subduco, qui contra Canones sensisse suspicor. In Episcopos manum Monachorum movisse accusor, vestram benevolentiam proprio Episcopo tulisse blasphemor, quibusdam excommunicatis participasse criminor. „Sed esto, cui sententiæ Canonum contradixi, qui in illo Concilio vix apertum librum videre potui? Aut Concilium illud fuit, ubi conciliati venerunt, & disconciliati recesserunt? Cùm ibi discordes reconciliari debuerint, aut canonica districtione mulctari. Quid in me singulariter commiserunt Episcopi, ut eis saltem cogitatione obesse voluerim? præsertim cùm non inimicum, sed fide & opere amicissimum, graviora pericula pertulisse contigerit. Ecce coram Deo in Christo non mentior, quia audita insequentium conclamatione, ultra quam dici possit indolui, recordatus pristinæ amicitiæ & beneficiorum tanti viri, cujus nix venerandum caput ostendit, excepta Primatis prærogativa, & Sacerdotali infula. Qua suggestione vos decepi, ut vestram benevolentiam optimis auferretis, malè meritis conferretis? num ego Deus sum, qui mutat mentes, mutat corda, mutat regna & tempora? Verè fateor me magicam ignorare, nec aliquid malarum artium didicisse. Recitat hoc Concilium Baronius in Appendice ad Tomum XI, ad annum MIII num. III quod in locum suum restituendum duxi. SÆC. X. An. Ch. 998.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6491. Anno Eræ Hisp. MXXXVI.

☉ 27. B. ☽ 11. P. 17. April. Indict. 11. Anno Hegiræ CCCLXXXVIII

JESU CHRISTI 998. inchoato die 3. Ianuar. fer. 2.

GREGORII V PAPÆ 3. Anno Hegiræ CCCLXXXIX,

OTTONIS III REG. 16. IMP. 3. inchoato die 23. Decemb. fer. 6.

BASIL. & CONST. IMPP. 23.

I. *Moritur Hugo Galliæ Rex.*

ANnum. I ad IV. *Hugonem* Galliarum Regem è tertia stirpe primum, hoc anno obiisse Odorannus in Chronico, & quidam alii habent; anno verò nongentesimo nonagesimo sexto Sigebertus in Chronico, huicque opinioni adhæret Mabillonius lib. 2. de Re Diplom. cap. 26. num. 25. Verùm ejus mortem ad annum nongentesimum nonagesimum septimum pertinere, variæ Roberti Regis filii ac successoris Chartæ demonstrant. Baluzius lib. 4. Marcæ Hispan. ad annum CMXCVII, ubi difficultatem istam examinavit, observat, Acta electionis Borrelli Episcopi Rotensis scripta esse *VIII Kal. Decembr. anno Christi MXVII era MLV, indictione XV, anno XXI regnante Rege Roberto.* Quare cùm Hugonis Regis mors ad *IX Kal. Novembris*, seu ad diem XXIV mensis Octobris pertineat, annus ille XXI Roberti Regis cum anno MXVII conjunctus, ab alio anno proficisci non potest, quàm ab anno CMXCVII. Adhæc Charta institutionis vitæ canonicæ in Ecclesia Gerundensi data dicitur *anno Incarnationis Dominicæ XVIIII post millesimum, XII die Kalendarum Decembrium, anno XXIII regni Roberti Regis*; quod etiam rem evincit, ut numeranti patet. Mabillonius laudatus affert locum Aimoini de Miraculis S. Benedicti lib. I cap. 9. qui *annum Incarnationis domini millesimum tertium* conjungit cum *anno Rotberti Regis, quo cum patre regnare cœpit, sexto decimo, monarchiæ septimo*; ex quo infert, Rotberti Regni cum patre exordium ab anno CMLXXXVIII, Monarchiæ ab anno CMXCVI repetendum esse. At annus ille septimus Monarchiæ Roberti Regis deductus à die XXIV mensis Octobris anni Christi CMXCVII, inchoatur anno MIII, non verò in eo absolvitur, ut ex laudatis chartis liquet. Porrò Hugonem Regem die XXIV mensis Octob. vitam cum morte commutasse, disertè scribit Odo Monachus Fossatensis in Vita Burchardi Comitis anno incarnati Verbi MLVIII. Loquens enim de donatione ab Hugone Rege monasterio Fossatensi facta *anno incarnati Verbi CMLXXXVIII sub die XII Kalend. Juliarum*, inquit: *Ob hoc etiam dies obitus ipsius Regis IX Kal. Novembris usque hodie in ipso monasterio solemniter celebratur.* Ea Vita extat Tom. IV Duchesnii.

II. *Adelhaidis ejus uxoris pietas & genus.*

Adelhais Hugonis Capeti uxor & Roberti Regis mater, conjugi & filio in religionis officiis suffragabatur, & seorsum aliquando suo nomine monasteria extruebat, aut novis reditibus & ædificiis amplificabat, ut ex Chartis, quæ supersunt, innotescit. Cujus ea filia fuerit, hactenùs frustrà quæsitum; cùm Helgaldus in Vita Roberti Regis tantùm dicat, genus ejus inclytum ex Italia ortum esse, nec patrem ma-

tremve

tremve ejus nominet. Hæc ejus verba : *Ejus* [sc. Adelhaidis] *inclyta progenies, sicut ipse* [sc. Robertus] *suis sanctis & humillimis asserebat verbis, ab Ausonia partibus descenderat.* Hadrianus Valesius in Notis ad Carmen Adalberonis pag. 26t. ait, difficile esse scire unde ea originem duxerit, & San-Marthani, quibus in hac Historiæ Gallicæ parte explicanda, nullus accuratior fuit, Tom. I Historiæ Genealogiæ Franciciæ lib. 2. cap. 1. ultimæ editionis, eam quidem *origine Italam* fuisse concludunt, sed de cetero nihil definiunt. Blondellus tàm in Diatribe *de Formula Regnante Christo*, Sect. 2. § /. quàm in Pleniori Assert. Geneal. Franc. putavit, eam filiam fuisse Guillelmi II Aquitaniæ Ducis ac sororem Guillelmi III *Caput stupa* cognominati Aquitaniæ etiam Ducis, quòd Auctor Anonymus apud Duchesnium Tom. III pag. 344. scribat : *Cum sua venerabili conjuge Adelhaide nomine, filia Pictavorum Comitis*, &c. Verùm Anonymus iste annis centum junior, quàm Halgaldus, ideoque minoris auctoritatis ; nec patrem aut fratrem hujus Reginæ nominat. Guillelmus verò tertius Aquitaniæ Dux hostis Hugonis Capeti fuit, & solus ex Proceribus, qui ejus coronationi repugnarit, uti jam diximus; quod tamen vix credi potest de *Adelhaidis* fratre, Hugonis Capeti sororio, & Roberti avunculo, qui ideo, non contra Hugonem Capetum arma sumere, sed pro eo pugnare debebat. Quare non dubito, quin Helgaldo standum sit ; Anonymus ille rejiciendus ; & Blondelli sententia parum facienda, donec major hac in re lux affulgeat.

III. *Dotes Roberti filii & successoris.* Defuncto itaque anno superiori Hugone Rege *Robertus* filius, qui jam cum eo regnaverat, cœpit habenas Regni tractare solus, Princeps natus tunc annos XXVIII, eloquentia & dicendi ubertate copiosus, subditis dilectissimus, *ornamentum Clericorum, nutritor Monachorum, pater pauperum, assiduus verbi Dei cultor*, inquit Ademarus in suo Chronico. Hadrianus Valesius anno MDCLXIII Parisiis vulgavit *Adalberonis Episcopi Laudunensis ad Rotbertum Regem Franc. Carmen*, & notis illustravit, in quo Adalbero ait :

Mundus adhuc puero dominum metatur, & omnis
Congaudet, plaudit manibus, lætatur, & optat
In Regem sibi, mox concordi voce coronat.
Præstolatur in hoc, veniant ut tempora pacis.
Lubrica tunc adolescentis transivit & ætas :
Flore juventutis tua jam resplendet imago.
Forma super cunctos nobis speciosa videtur.

Quo in Carmine cùm Adalbero Laudunensis Episcopus, *Azelinus* etiam appellatus, Hugonis nullam usquam mentionem faciat, apparet illud post *Hugonis* Regis mortem compositum fuisse. Natus tunc erat *Robertus* annos XXVII aut XXVIII, ut mox diximus, & adolescentiam emensus ætat, sed Antiqui *pueri* nomine etiam qui ætatem illam supergressi erant, appellabant ; quod non semel insinuavi, quia Viros doctissimos iis, similibusve loquendi modis in errorem inductos fuisse subinde deprehendo. In eo Carmine totus est Adalbero in carpendis moribus sui temporis.

IV. *Gregorius V ejus cum Berta nuptias reprobat.* Odone Campaniæ Comite anno circiter CMXCVI demortuo Robertus Rex Bertam hujus viduam, Conradi Burgundiæ Regis ac Mathildis filiam uxorem duxit. *Illa autem commater ejusdem fuerat Regis, Idem namque Rex filium ipsius de sacro susceperat lavacro*, ut dicitur in veteri MS. Floriacensi à Duchesnio Tom. IV pag. 85. publicato. Gallicani Præsules hujusmodi affinitatis & cognationis rationem non habentes, illas nuptias probarant : imò Erchembaldus Turonensis Archiepiscopus, aliique plures Episcopi conjugium illud præsentia sua cohonestarant. Verùm Gregorius V nuptias illas incestas reputavit, currentique anno celebrato Romæ Concilio condemnavit. Extat illud Concilium Tom. IX Concil. octo Canonibus constans, in cujus tertio legitur illud celebratum esse *præsidente D. Ottone III Augusto Cæsare & D. Gregorio V Papa.* Canon primus : *Ut Rex Robertus consanguineam suam Bertam, quam contra leges in uxorem duxit, derelinquat, & septem annorum pœnitentiam agat, secundùm præfixos Ecclesiasticos gradus, judicatum est. Quod si non fecerit, anathema sit. Idemque de eadem Berta fieri præceptum est.* Canon II. *Erchembaldum Turonensem Archiepiscopum talis conjugii consecratorem, cum omnibus Episcopis, qui consentientes interfuerunt his incestis nuptiis Regis, & Bertæ consanguineæ suæ, à sacrosancta communione suspendimus, donec ad hanc sanctam sedem Apostolicam veniant satisfacturi.* Baronius, cujus tempore hoc Romanum Concilium nondum lucem viderat, refert fragmentum Epistolæ Leonis Papæ IX ad Henricum Regem Roberti filium, in quo Pontifex de Episcopis Gallicanis scribit, *pòst ad sedem Apostolicam venientes cum satisfactione, susceptâ pœnitentiâ, redierunt ad propria.*

V. *Robertus Rex Constantiam uxorem ducit.* Robertus postea *Constantiam* uxorem duxit, ut legitur in laudato fragmento Cœnobii Floriacensis : *Hic in suum ascivit conjugium filiam Willelmi Tolosani Comitis, nomine Constantiam, cognomento Candidam, strenuam sanè puellam, & suo nomine dignam.* In alio fragmento veteris Chronici, ibidem à Duchesnio pag. 96. relato, de Roberto rege dicitur : *Duxit uxorem Constantiam filiam Willelmi Comitis Arelatensis, natam de Blanca sorore Gaufridi Comitis Andegavensis.* Demum Glaber Auctor coævus lib. 3. cap. 2. inquit : *Accepit supradictus Rex illius cognatam nomine & animo Constantiam, inclytam Reginam, filiam videlicet Willelmi prioris Aquitaniæ Ducis.* Quare cùm Scriptores isti, non tantùm verbis, sed reapse inter se discrepent, lis inde inter Eruditos exorta, an *Constantia Regina* Willelmi Comitis Tolosani, vel Willelmi Comitis Provinciæ seu Arelatensis filia extiterit ; quæ cùm adhuc sub judice pendeat, nobis hîc dirimenda. Eam Willelmo hujus nominis primo Comite Provinciæ prognatam, ex solo Glabro, qui patrem ejus *Willelmum priorem* appellat, quod de Ducibus seu Comitibus Tolosanis per hæc tempora florentibus nullo pacto intelligi potest, certò constaret, si *Willelmum* illum I Aquitaniæ Ducem non appellasset, quod tamen negotium facessere non debere statim ostendo.

VI. *Constantia filia Guillelmi I Provinciæ Comitis.* *Willelmus* igitur I Provinciæ Comes, gestis adversùs Saracenos Fraxinetum occupantes celeberrimus, *Adelaidem* cognomento *Blancam* sibi copulavit, annoque CMXCII *cum conjuge sua Adalaix, & filio suo nomine Willelmo* bona quædam restituit Monasterio Sancti Cæsarii Arelatensis, ut demonstrat Charta à Bouchæo lib. IX. Hist. Provinciæ cap. V recitata. Eodem anno Willelmus I in gravem infirmitatem in-

cidit,

cidit, & sumto habitu Monachali è S. *Maioli* Abbatis Cluniacensis manibus, ut horum temporum mos erat, vitam cum morte commutavit. Eum enim illo Christi anno demortuum eruo ex Adebaldo, & Syro Auctoribus coætaneis in Vita Sancti hujus Abbatis, quæ extat apud Bollandum ad diem XI mensis Maii; ubi Auctores isti lib. 3. postquam de morbo, qui Willelmum Comitem sustulit, sermonem habuêre, asserunt. Maiolum biennio postea vixisse. Maiolus autem die XI mensis Maii anni CMXCIV ad Deum migravit, ideoque Willelmi primi mors in annum CMXCII incidit. Ei successit *Willelmus II* in citata Charta memoratus, & de eo ac Adelaide matre in alia Charta, cujus Bouchæus ibidem mentionem facit, legitur: *Ego Adalax Comitissa, & filius meus Willelmus* (Comes Provinciæ hujus nominis II) *& filia mea Constantia donamus*, &c. *Facta est ista donatio in mense Augusto, regnante Rodolpho Rege*, &c. Constantia itaque filia fuit Willelmi I & Adelaidis, ac soror Willelmi II, qui patrem in Principatu excepit. Et ne quis cavilletur in nomine *Adelaidis*, vel *Constantia* ejus filiæ, anno MXVIII referam verba Benedicti VIII Papæ *ad Episcopos Aquitaniæ, Burgundiæ & Provinciæ* scribentis & suæ benedictionis munus mittentis, *omni reverentia & veneratione dignissima domna Adeleidi Comitissa cognomento Blancha, nuruique ejus domna Gerberga Comitissa*, quam *Gerbergam* Willelmi II Comitis Provinciæ conjugem fuisse Acta publica docent. Constantia ergo, non *Willelmi* Comitis *Tolosani*, sed *Willelmi* Comitis *Arelatensis*, seu Provinciæ filia fuit. Hinc Ivo Carnotensis, qui sequenti seculo vixit, in Epist. CCXI meminit cujusdam genealogiæ occasione graduum consanguinitatis, sedente Urbano II factæ, in qua dicuntur: *Blanca Arelatensis Comitissa. Constantia Regina* (idest Blancæ filia). *Adera Flandrensis Comitissa*, Constantiæ nempe filia & Balduini V Flandriæ Comitis uxor, uti apud San-Marthanos in Geneal. Franc. videre est. Sed loco, *Adera*, legendum, *Adela*. Id confirmat Albericus in Chron. ad annum MXIII de Roberto Rege scribens: *Hujus uxor Regina Constantia* [*sicut habetur in Epistolis Ivonis*] *filia fuit Blancha Comitissa Arelatensis, quæ Blancha fuit soror Gaufridi Grisagonelli patris Fulconis Comitis Andegavorum.*

VII. *Non verò cujuspiam alterius Guillelmi.*

Neque quis dicat cum Catello lib. I Comit. Tolosæ cap. XVII, *Constantiam* Reginam filiam extitisse *Willelmi* III Tolosani Comitis, qui *Aquitaniæ* Dux appellatus reperitur; quam sententiam San-Marthani laudati lib. XII cap. II probabilem censent, in eamque Glabrum citatum trahunt. Beslius verò in Hist. Comit. Pictaviensium cap. XVI autumat, *Constantiam* patrem habuisse *Willelmum IV* Comitem Tolosanum, & simul Comitem Arelatensem hujus nominis II, huncque uxorem duxisse *Blancam Andegavensem*. At *Willelmus* III Tolosanus Comes, non *Blancæ* Constantiæ matri, sed *Emmæ* Provinciæ Occidentalis seu Comitatûs Forcalquerii Comitissæ nupsit, eâque sine liberis demortuâ Comitatus Provinciæ Occidentalis ad eum pertinuit, qui inde Comes vel Marchio Provinciæ aliquando dicitur, sed nunquam *Comes Arelatensis*, ut malè scripsit Bouchæus loco citato pag. 839. Magno etiam errore Beslius *Willelmum Comitem* Provinciæ hujus nominis II cum Willelmo IV Comite Tolosano confudit; cum eos diversis ditionibus dominatos certissimum sit. Graviori errore *Adelaidem Blancam* Willelmi II matrem, hujus uxorem facit; utramque enim opinationem variæ Chartæ in Historia Provinciæ recitatæ planè evertunt.

VIII. *Provincia aliquando Aquitania vocata.*

Sed non solùm chartæ; verùm etiam ipsemet Glaber, cui innituntur, contrarium habent; cùm enim *Constantiam* Reginam filiam fuisse *Willelmi prioris Aquitaniæ Ducis* affirmet, qua ratione Catellus Willelmum III, & Beslius Willelmum II Provinciæ Comitem & IV Tolosanum, in locum *Willelmi prioris* seu *primi* subrogare potuêre? Glaber itaque *Aquitaniæ* nomine eo loco *Provinciam* intelligit, ipsemet enim Beslius nos docet, eam ab urbe Aquensi ejus Metropoli, tam à Glabro, quàm à Leone Ostiensi lib. 1. cap. 64. & à quibusdam aliis Antiquis Aquitaniam nuncupatam esse. Ibi Hugonem Seculo X Italiæ Regem Leo asserit, fuisse antea *Aquitaniæ Ducem*, quem Provinciæ Comitem extitisse ex Luitprando jam diximus. Malmesburiensis verò lib. 2. de Reg. cap. 5. fidem facit Edgivam filiam Eduardi filii Alfredi Anglorum Regis matrimonio conjunctam fuisse *Ludovico Aquitanorum Principi*, sc. Ludovico Orbo Provinciæ Regi. Sic Beslius rectè notavit, Bosonem Provinciæ Comitem, & postea Regem Arelatensem, à quibusdam Veteribus Ducem Aquitaniæ dictum. Glaber laudatus cap. ult. Aquitaniam se in eo sensu sumere, satis his verbis insinuat: *Olim circa millesimum incarnati Verbi annum, cùm Rex Robertus accepisset sibi Reginam Constantiam à partibus Aquitaniæ in conjugium, cœperunt confluere gratiâ ejusdem Reginæ in Franciam atque Burgundiam, ab Arvernia & Aquitania homines omni levitate vanissimi, moribus & veste distorti*, &c. Paulò pòst addit, Sanctum Willelmum Abbatem Divionensem, *acerrimè* increpasse *Regem pariter ac Reginam, cur talia in suo regno permitterent fieri*. Ubi *Aquitaniæ* nomine Glaber Provinciam designat. *Hermengarde* enim Roberti II Arverniæ Comitis conjux filia erat Willelmi primi Comitis Provinciæ, sororque Constantiæ Reginæ, & utriusque sororis obtentu, tam *Provinciales*, quàm *Arverni* in Aulam Gallicam veniebant, easque in eam pravos mores inducere constans fama ferebat.

IX. *Id invicta ratione demonstratur.*

Denique cùm nemo melior Glabri interpres quàm ipsemet Glaber, isque lib. 3. cap. 2. Willelmum III Provinciæ Comitem & Willelmi primi ex Willelmo II patre nepotem, ac utriusque successorem, *Arelatensem Comitem* appellet, & Willelmus III aliis ditionibus non præfuerit, quàm quibus antea Willelmus I & Willelmus II, luce meridiana clarius est, Glabrum Ducis *Aquitaniæ* nomine, quo Willelmum primum indigetat, aliud non intelligere, quàm Comitem Provinciæ, seu Arelatensem. Glaber texens, genealogiam *Willelmi cognomento Ottonis* Burgundiæ Ducis & Comitis, affirmat, eum habuisse in matrimonio sororem Brunonis Episcopi Lingonensis, quam aliunde constat, Ermentrudem appellatam esse; ex qua, inquit Glaber, *suscepit filios & filias, de quibus prius natam Landricus* (Comes Nivernensis & stirps Principum, qui diu Comitatum illum rexêre), *reliquas uterque Willelmus, scilicet Pictavensis & Arelatensis, duxêre uxores.* Ex quibus certò intelligimus 1°. apud Glabrum, Comitem seu Ducem

SÆC. X. An. Ch. 998.

Ducem Aquitaniæ, idem esse ac Comitem Arelatensem seu Provinciæ. Secundò, hunc Historicum peculiaria quandoque nomina provinciis attribuere, uti lib. 4. cap. 8. ubi *Lotharii Regnum*, seu, ut nunc loquimur, Lotharingiam, *primam Rhætiam* appellat, nomine à Rheno fl. deducto, quo eam ab aliquo alio vetere Historico denotatam non memini me legisse. Demum intelligimus, Anonymum supra laudatum, qui dicit, Constantiam filiam fuisse *Willelmi Comitis Tolosani*, manifestè hallucinatum esse, indeque errandi ansam sumsisse, quod aliqui Comites Tolosani, Willelmi nomine insigniti, fuerint etiam Comites Provinciæ Occidentalis, seu Comitatûs Forcalquerii. Sed undecumque error ille processerit, *Constantiam* Reginam Willelmom primum Provinciæ Comitem patrem habuisse, & matrem *Adelaidem* cognomento *Blancam*, extra controversiam impostetum esse debet.

X. *Robertum post annum M. nupsit Constantia.*

Ceterùm *Robertum* Regem aote annum millesimum primum *Bertam* noo dimisisse, demonstrat Labbeus in *Miscellaneis Curiosis*, ubi ex antiquo Cartulario Monasterii Fossatensis prope Parisios siti Chartam refert, in qua dicitur: *Suggerentibus dulcissima genitrice nostra Adelaide, atque conjuge nostra Berta. Acta publicè Parisiaca urbe ann. Inc. Verbi millesimo.* Præterea Odo Monachus Fossatensis in Vita Burchardi Comitis ab eo anon MLVIII scripta, ut ex eâdem elicitur, & à Duchesnio Tom. IV pag. 115. recitata, de Roberto Rege scribit: *Ipse quoque suæ matris Adelaidis, uxorisque Bertæ suggestionibus*, &c. *Franco tunc Cancellarius, postea verò Episcopus Parisii factus imaginem Regis imposuit. Factum est autem hoc in prædicta urbe anno Incarnationis Christi millesimo, indictione decima tertia, anno verò inclyti Regis Roberti duodecimo feliciter.* Tertiò, extat alia Charta in gratiam Monasterii Burguliensis in Diœcesi Andegavensi positi, & ab Emma Theobaldi Comitis Carnotensis filia in fundo dotis suæ anno CMXC conditi ut habet Chronographus Malleacensis, quæ *Bertam* mense Septembri anni millesimi primi nondum à Roberto Rege repudiatam fuisse ostendit. In fine enim ejus legitur: *S. Bertæ Reginæ. S. Tetbaldi Comitis. S. Ottonis Comitis. S. Agnetis sororis eorum. Data mense Septembri Bleso castro anno Inc. Dom. millesimo primo, sive anno decimo (IV) regnante Roberto Rege.* Fatetur Labbeus numerum IV deletum esse. Sed ex anno Incarnationis evincitur Robertum Regem cum *Berta* divortium non fecisse ante finem mensis Septembris anni millesimi primi. Denique Glaber lib. 3. cap. ult. annum quidem non determinat, sed asserit illud contigisse, *circa millesimum Incarnati Verbi annum, cùm Rex Robertus accepisset sibi Reginam Constantiam à partibus Aquitaniæ in conjugium.* Et paulò post vitia tunc in Gallias hujus matrimonii occasione inducta Versibus exprimens canit:

Anno post dominum terris de Virgine natum
Milleno, gravibus hominis erroribus actis, &c.

Quare hoc Roberti cum Constantia conjugium anno MI peractum (Poëta enim perfectum numerum adhibet), omnesque filii ex eo prognati post eum Christi annum in lucem prodiêre. Suspicor tamen laudatam Chartam a no MI scriptam, cui *Berta* Regina subscripsit, matrimonium Constantiæ non præcedere sed subsequi, & *Bertam* post divortium se se semper *Reginam* appellasse, quo tamen eam titulo Regem in Actis publicis cohonestasse prorsùs incredibile, licet id Beslius in Hist. Comit. Pictaviensium pag. 297. persuasum habuerit, non advertens errorem cubare in Epitaphio Hugonis Regis Roberti filii, quem anno MXXVIII emendabimus.

XI. *Prima professio Romana S. Abbonis Abbatis Floriac.*

A num. IV ad VIII. Aimoinus Floriacensis Monachus in Vita Sancti Abbonis Floriacensis Abbatis & Martyris, cujus magna pars extat apud Duchesnium Tom. IV, duas *Abbonis* profectiones Romanas memorat, quarum prior anno CMXCV post Synodum Remensem celebratam ab eo suscepta: *Eximius Abbas Abbo*, inquit Aimoinus, *condigno apparatu Romam proficiscitur, Privilegia Ecclesiæ sibi commissa corroboraturus, imò renovaturus. Sanè non qualem voluit aut qualem debuit Sedis Apostolicæ Pontificem nomine Joannem* (XV sc.) *invenit; nempe turpis lucri cupidum, atque in omnibus suis actibus venalem reperit. Quem execratus perlustratis orationis gratiâ Sanctorum locis, ad sua rediit.* Meminit hujus profectionis ipsemet Abbo in Epistola à se ad Leonem Sancti Bonifacii Abbatem, quem Remis Sedis Apostolicæ Legatum viderat, scripta. In ea *Leonis* eloquentiam summè extollit, atque eum sibi suam operam obtulisse, ut Privilegiorum Floriacensi monasterio concessorum confirmationem à Joanne XV impetraret: *Caritas*, inquit Abbo, *quæ est vinculum perfectionis, dum nos ambos Remis positos conglutinaret labiis privatæ collocutionis, tot oratorios rivos, tantos Sanctæ Scripturæ favos bono zelo fulminea lingua vestra eructavit coram & secreto, ut exclamans compellar dicere:* "Diffusa est gratia in labiis tuis. Propterea benedixit te Deus in æternum. *Dum ergo ad talia rutilantium verborum fulgura stupui, coactus sum deincaps ubique confiteri vos tonitruum esse Spiritûs sancti, qui super Apostolos in igneis linguis descendit. Qui etiam vos ardentem romphaeam ad secandos improbos de templo suo septem donis gratiarum decenter elimavit. Inter hæc tandem erectis animi luminibus Solares vestræ eloquentiæ radios aquilinis oculis conspicere volui; & sicut ait Ecclesiastes, frater fratrem adjuvans, quasi civitas munita & fortis baculum robusti adjutorii & columnam inseparabilis amicitiæ, vos in æternum, si placet habere decrevi.*

XII. *Hujus profectionis, ipsemet meminit in Epistola ad Leonem Abb. S. Bonifacii.*

Paulò post subdit: adjecit insuper vestra incomparabilis bonitas, quod si nos urgeret super re domestica aliqua voluntas corrobare nostra Privilegia per Romanæ auctoritatis stylum Apostolicum, vos in omnibus & per omnia nostri fore fidelissimum collaboratorem. Hæc autem omnia perficere vota erant, quando magnifica Principis Apostolorum membra supplex adii; sed Romanam Ecclesiam digno viduatam pastore, heu proh dolor offendi. Vestrâ autem absentiâ profiteor ita affectum sum, sicut solet affici fœtus gallinæ conquerens raucis vocibus abstractum esse unicum matri suæ præsidium. Româ itaque aberat Leo Abbas Sancti Bonifacii, quando illuc Abbo pervenit. Edidit eam Epistolam Baluzius Tom. I Miscell. & in Præfatione refert se eam reperisse in veteri Codice MS. Bibliothecæ Regiæ, *ad L. Abbatem Fuldensem* inscriptam, cum qua inscriptione eandem ipsemet etiam publicavit. Verùm ex ejus lectione manifestè apparet, Epistolam ad Abbatem monasterii S. Bonifacii Romæ

SÆC. X. An. Ch. 998.

positi, non verò ad Abbatem monasterii Sancti Bonifacii in Germania siti, cui hoc tempore nullus Leo præerat, missam fuisse. Sed Librarii inscriptiones literarum non rarò augent, minuunt vel corrumpunt. Porrò Baluzius rectè laudata Abbonis verba explicat, aitque Abbonem non ita intelligendum esse ac si Sedem Apostolicam Pontifice vacantem reperisset, cùm certum sit, Joannem X V sedisse tum in cathedra beati Petri. Itaque scripsit Abbo se Romanam Ecclesiam digno viduatam Pontifice offendisse, quia non putabat Joannem dignum esse tanta Sede. Quam viri doctissimi interpretationem certam esse ostendit Aimoinus citatus. Baronius, qui hanc Epistolam non vidit, anno CMXCII num. XXIV citata Aimoini verba refert, aitque Abbonem ignorasse *Crescentium* tunc Urbis tyrannum ex omnibus Pontificiis actibus pecuniam corrasisse, idque fecisse nomen Joannis Pontificis, apud omnes ad Urbem accedentes peregrinos, istiusmodi infamiâ laborare.

XIII. *Secunda profectio Romana Abbonis Arnulfi causâ suscepta.*

Secunda profectio Romana Abbonis rectè hoc anno à Baronio consignata; ex verbis enim Aimoini, quæ refert, innotescit Hugonem Galliarum Regem tunc mortuum fuisse, & Robertum filium solum regnasse; Hugonis verò mors die XXIV Octob. superioris Christi anni contigit. Hujus posterioris profectionis caussam nos edocet ipsemet Aimoinus, quia, inquit, *Arnulfus Remorum Archiepiscopus absque justa sua audientia sede sua privatus, custodiæque fuerat mancipatus. Ob hoc Gregorius, qui Joanni in Apostolica successerat, sede, non solum claritate generis, verum etiam probitate claris mentis, toti Regno Francorum anathema se invecturum comminatus est.* Paulò post Aimoinus scribit: *Regressus itaque honorabilis Abbo ad Regem* (nempe Robertum) *à quo missus fuerat: cuncta pro quibus ierat, perfecta nunciat: Arnulfum Remensem custodiâ exemptum Pontificatui restituit: Pallium illi à domno Papa directum reddidit* (nempe Arnulfo). *Post hac, per internuncios ipsi venerabili Apostolico domno Gregorio amicabiles plenasque reverentia dirigit literas, in quibus innotescit, se cuncta, uti jusserat, perfecisse.* Recitat eas Abbonis ad Gregorium Papam literas Baronius ex Aimoino, cumque anno CMXCV num. XII Hugonem Regem Arnulfum de carcere eductum in Ecclesiam Remensem restituisse jam scripserit, vel credidit *Arnulfum* in carcerem à Roberto Rege post patris mortem rursùs conjectum fuisse, vel hoc anno non meminit eorum, quæ ibidem scripserat. Parte altera Cossartius Tom. IX. Concil. pag. 751. cùm solùm legisset quæ Baronius de Arnulfo è carcere ab Hugone Rege educto scribit, hunc errorem ex eo refellit, quòd Aimoinus & Abbo, quorum verba recitat, testentur *Arnulfum* nonnisi triennio post Concilium Remense è carcere solutum esse. Verùm hoc ultimum non solùm non negavit Baronius, sed etiam ex Aimoino & Abbone probavit, ideoque si Baronius memoriâ lapsus non sit, in eo tantùm peccavit, quòd *Arnulfum* his è carcere eductum fuisse existimarit.

XIV. *In Epistola ad Leonem Abbatem prioris tantùm profectionis mentionem facit.*

Papebrocius in Paralipomenis ad Conatum Chronico-Historicum, ubi de *Joanne* X V Papa sermonem habet, scitè advertit Epistolam Abbonis à Baluzio publicatam datam non esse ad Leonem Abbatem Fuldensem, sed ad Leonem Abbatem Sancti Bonifacii. Verùm perperàm tradit, *Abbonem* in ea Epistola indicare se vacante per Joannis X V mortem Sede Romam pervenisse, & hujus profectionis præcipuam caussam videri Arnulfi restitutionem, ideoque Baluzii explicationem non esse admittendam. Nam duas profectiones Romanas *Abbonis* in unam confundit, neque animadvertit ipsummet Aimoinum disertè asserere Abbonem à Joanne X V petiisse confirmationem Privilegiorum monasterii Floriacensis, & Abbonem in sua ad Leonem Abbatem Epistola indicare Gregorium V nuper Pontificem Romanum renunciatum se accepisse: *Nuper audivi*, inquit, *nuncium quod me lætificavit super aurum & topazium, erectum esse Apostolicum decus per quemdam Imperialis sanguinis virum* (ut erat Gregorius V) *totum virtutibus & sapientia compositum.* Quare hæc Abbonis Epistola ante secundam ejus profectionem data ad Leonem Abbatem, ideoque ea nihil commune habet cum restitutione Arnulfi & cum secunda profectione Abbonis.

XV. *Victoria Veremundi Regis Hisp. ejusque mors.*

Ad num. VIII & seq. Victoria à Veremundo Legionis Rege, Garsia Navarræ Rege hujus nominis III *Tremulo* appellato, & Garsia Fernandi Comite Castellæ, de Almanzore Prorege Iseni Hispaniarum Caliphæ, anno incerto reportata. Rodericus lib. 5. de Reb. Hisp. cap. 16. eam his verbis refert: *Rex Veremundus coactis hostibus legationem misit Garsiæ Fernandi Comiti Castellano, & Garsiæ Tremuloso Regi Navarrorum, ut obliti injuriarum ad agenda prælia fidei fœderati insimul convenirent. Quod audientes Rex Garsias misit exercitum, Comes Garsias Fernandi personaliter cum sua multitudine, & Rex Veremundus, licet Podagricus, gestatus humeris bajulorum, collecta potentia regni sui omnes insimul convenerunt, & in loco quodam, qui Arabicè Calacanazor, Latinè autem dicitur Vulturum altitudo, Almanzori venienti cum suis Arabibus, ut Castellam invaderet, occurrerunt, cumque se se mutuis cædibus invasissent, maxima pars cecidit de exercitu Agareno, tamen noctis tenebris intercepti, neuter neutri cessit campum, & tanta strage comperta suorum bellum in crastino timuit restaurare. Unde de nocte fugiens cùm venisset ad vallem Borgecorexi, dolore vexatus animam exhalavit, & ad Medinam, quæ Cælum dicitur, est delatus. Cumque dies crastina illuxisset, exercitus Christianus putavit Arabes ad prælium reversuros, sed cùm tentoria vacua hominibus conspexissent, ipsa tentoria, & suppellectilem, & spolia varia occuparunt. Comes autem Garsias Fernandi viriliter insecutus eos, qui cædem evaserant, ferè usque ad internecionem delevit. Almanzor autem, qui semper invictus fuerat, tanto dolore prosternitur, ut à die prælii neque cibum, neque potum sumserit, donec diem conclusit extremum.* Veremundus anno sequenti obiit *Era M X X X V I I*, ut refert Baronius ex ejus Epitaphio, relicto filio quinquenni, *Adelphonso* hujus nominis V appellato. Et tamen idem Rodericus in Hist. Arabum cap. 31. ait, Almanzorem mortuum esse *anno Arabum CCCXCIII*, anno Christi MII inchoato. Quare numeros in Historia Arabum corruptos esse oportet.

XVI. *Mors Adelhaidæ Imp.*

Ad num. XI. Baronius memoriæ lapsu recitat hîc *Sanctæ Adelhaidis* Imperatricis mortem, quam postea fusè narrat anno millesimo, de qua ideo ibi agemus, licet ea anno CMXCIX contigerit.

XVII. *Otto III nunquam*

Ad num. XII. Otto III Imp. anno superiori secunda vice Romam venit, nec ante

initium

SÆC. X. An Ch. 998. *uxorem duxit.*

initium anni millesimi inde digressus est. Krantzius lib. 4. Hist. Sax. cap. 26. & Gothefridus Viterbiensis narrant de *Maria* Imperatrice Aragoniæ Principis filia, quòd cùm per urbem Mutinensem Imperator transiret, eaque à Comite quodam formâ pulcherrimo repulsam passa esset, eumdem de pertentata pudicitia apud Imperatorem accusavit, hicque Comitem morti damnavit. Quem cùm capite truncatum audisset ejus uxor, *Ottonem* pro tribunali sedentem convenit, virique projecto in medium capite ipsum Imp. apud eundem ipsum juta reddentem accusavit, & probationem per ferri candentis contrectationem obtulit; quòd cùm prorsùs illæsa contrectasset, vindictam in ipsummet Imperatorem ab eodem exegit. Fassus ille culpam, tandem ea conditione transactum est, ut Augusta flammis combureretur. Quo facto vitam suam redemit Imperator, qui insuper viduam tribus Comitis cittis donavit. Quæ Historia si vera, alliganda esset cum anno CMXCVI, quo Otto primum in Italiam venit. At is anno CMXCV uxorem quærebat. Quare matrimonium ejus cum Maria Aragoniæ eò magis commentitium, quò omnibus Antiquis ignotum.

XVIII. *Finis schismatis.*

Chronographus Magdeburgensis MS. postquam anno superiore de invasione Sedis Apostolicæ per Joannem Placentinum facta sermonem habuit, subdit: *Anno Domini CMXCVIII Imperator, tantis præsumptionibus compertis, secundam profectionem paravit in Italiam. Cui venerabilis Papa Gregorius Papia obviam factus, dum ei pessima Ioannis & Crescentii narrasset gesta, ille din divino commotus zelo Romã quantociùs perrexit cum Apostolico. Quod audientes præfati ministri Sathanæ Joannes quidem fugam iniit, Crescentius verò præsidio, quod veterem Romam & Leoninam attingit castellum se cum suis inclusit. Tunc quidam, non tantum Imperatoris, quantum Christi amici, insequentes Joannem comprehenderunt eum: sed timentes, ne, si eum ad Augustum destinarent, impunitus abiret, linguam ei & nares amputarunt, oculosque pariter eruerunt. Hoc itaque mulctato divinitus, domnus Papa Gregorius sedem Apostolicam honorifice recepit, eamque usque ad obitum suum liberè insedit. Imperator igitur Romam adveniens sanctissimam illic Christi Resurrectionem celebravit, statimque post Albas scalis & machinis arcem, quam Crescentius insederat, hactenus omnibus inexpugnabilem, fortiter expugnat: illumque captum decollari, & è summo præcipitatum in patibulo pedibus jussit suspendi.* Verùm in hoc fallitur hic Auctor, quod Imperatorem hoc anno secundam in Italiam profectionem suscepisse tradat; cùm ab anno superiori, quo in Urbem se contulit, illinc nonnisi post triennium discesserit, & ter tantùm Romæ fuerit.

XIX. *Joannes Antipapa deponitur & Crescentius decollatur.*

Finem verò schismatis à Joanne pseudo-Papa excitati his verbis narrat Chronographus Hildensheimensis ad hunc Christi annum: *Prædictus invasor Joannes ab Imperatore cæcatus, & truncatus, deponitur, & Crescentius decollatus cum XII suis ante Urbem suspenditur.* Idem habet Lambertus Schafnaburgensis in Chron. ad hunc Christi annum. Quod cùm in Quadragesima die secunda Martii hoc anno inchoata acciderit, ut tradit Auctor Vitæ Sancti Nili Hegumeni, cujus verba recitat Baronius anno superiori, ubi à num. XIII ad XVI de hoc schismate verba facit, apparet ejus initium mense circiter Maio superioris Christi anni recté à nobis collocatum fuisse; cùm in Catalogis huic Joanni menses decem attribuantur. In Catalogis in quibus hic Ioannes eum numero exprimitur, Joannes XVII vocatur, Joanne scilicet Roberti filio in censum relato, & Joanne XVI appellato. Verùm cùm Joannes Gregorii V Decessor se ipsum Joannem XV in suis rescriptis nominarit, eumque ita vocandum esse suo loco diximus, Joannes iste, licet Antipapa, Joannes XVI appellandus, quod duo subsequentes Pontifices ejusdem nominis ejus aliqualem rationem habuerint, alterque Joannem XVII, & alter Joannem XVIII in suis rescriptis se nuncuparit. Papebrocius in Conatu Chronico-Historico id optima ratione ab utroque factum rectè existimat. Licet enim, inquit, non fuerit unquam verus Pontifex hic Joannes XVI, tamen extabant sub eo nominis numero sparsæ toto Orbe, pro occasionum diversitate, Epistolæ ac Bullæ: quæ, ne cum veri deinde Pontificis actis confunderentur, si hic quoque diceretur XVI, necesse habuit Silvestri II Successor permittere, ut vocaretur Joannes XVII. Quod nos etiam faciemus, ne si cum Baronio & recentioribus passim velimus, expuncto hoc pseudo-Papa, sequentium Pontificum numerum imminuere, publicis ac privatis eorumdem ac sequentium temporum actis adversemur.

SÆC. X. An. Ch. 998.

XX. *S. Herbertus anno sequenti creatus Archiep. Colonien.*

Ad num. XIV. Otto III tam in secunda sua profectione Romana, quàm in tertia sæpiùs *Beneventum* venit, ut ex Leone Ostiensi lib. 2. cap. 22. & seqq. aliisque colligitur. In ea urbe fuit sequenti Christi anno, quo *Sanctus Herbertus* ejus Cancellarius electus & consecratus est Archiepiscopus Coloniensis, ut anno MI demonstrabimus, & ut ait Rupertus Abbas Tuitiensis in hujus Sancti Antistitis Vita à Bollando ad diem XVI Martii recitata cap. 2. *Benevente Pontificalis ei honor datus est VII Idus Junii* (legendũ *VII Idus Julii*, ut rectè Bollandus monet). *Et exinde Romam profectus, Pallium ab Apostolicæ sedis Præsule* (Silvestro nempe II, non verò Gregorio V, ut Baronius interpretatur) *accepit.*

XXI. *Gerbertus fit Archiep. Ravennensis.*

Gerbertus, qui in aula Ottonis III versabatur, Archiepiscopus Ravennensis ejus favore hoc anno renunciatus est, uti ex his ejus Epitaphii verbis elicitur, ubi postquam de ejus ad Remensem & postea ad Ravennensem Archiepiscopatum mentio facta fuit, dicitur:

Post annum Romam mutato nomine sumsit
Ut toto Pastor fieret Orbe novus.

Anno autem sequenti idem Gerbertus Pontifex Romanus creatus. Erravit itaque Rubeus in Hist. Ravenn. lib. 5. qui hanc promotionem ad annum superiorem retrahit. Non bene etiam Baronius anno CMXCVI num. III eandẽ recitat. Tom. IX Concil. pag. 752. recitatur Epistola Gregorii Papæ V ad eum data, qua mittit Pallium, & Ravennensem Ecclesiam non modò moltis Privilegiis ornat, sed etiam variis donationibus auget. In ejus fine legitur: *Scrip. per manus Petri Notarii & Scriniarii S.R.E. in mense April. Indict. XI. Benevalete. Dat. IV Kal. Maii per manum Joannis Episcopi S. Albanens. Ecclesiæ & Bibliothecarii S. Apostolicæ sedis, anno Pontificatûs domni Gregorii summi Pontificis, & universalis Papæ, in sacratissima sede B. Petri Apostoli anno II: imperante domno Ottone III à Deo coronato, magno, & pacifico Imperatore, anno II, in mense & indict. supra scripta,* hoc scilicet Christi anno. Qua ex subscriptione etiam patet, Gregorium V anno CMXCVI post diem XXVIII mensis Aprilis primum Pontifi-

Pontificatûs annum exorsum esse. Non dubium autem, quin Pontifex paucis diebus à Gerberti ad Ecclesiam Ravennatensem promotione rescriptum illud emiserit.

XXII. *Celebrat Concilium Ravennæ.*

Eodem ferè tempore *Gerbertus* Concilium habuit Episcoporum omnium, qui Ravennati Ecclesiæ subjiciuntur, in quo tres canones conditi ad disciplinam Ecclesiasticam spectantes. Refertur illud Concilium Tom. IX Concil. pag. 769. sed ibidem, uti & apud Rubeum citatum, cum anno CMXCVII malè conjungitur, ut ex ipsius Concilii Præfatione liquet: *Perpetuo regnante Domino nostro Jesu Christo. Tempore pii Cæsaris Ottonis III in anno secundo Imperii ejus, undecima indictione*, &c. ideoque hoc Christi anno, quo Otto III usque ad XXXI mensis Maii secundum Imperii annum numerabat, & Indictio XI in cursu erat. Verum est infrà post canones legi: *promulgata sunt hæc anno CMXCVII Incarnat. Dominica, die Kalend. Maiarum Indict. XI.* At annus Christi manifestissimè ibidem corruptus, legendumque, *anno CMXCVIII*, ut ipsamet indictio XI cum Kalendis Maii conjuncta ostendit. Præterquamquod anno superiori eo die Joannes Gerberti decessor adhuc in vivis erat, ut ibidem vidimus. Denique anno superiori *Otto* III Kalendis Maii non secundum, sed primum Imperii annum numerabat.

XXIII. *Publicat constitutionem Ottonis III.*

Eodem Tomo IX Concil. pag. 774. refertur *Constitutio Decretalis sacra legis D. Ottonis III piissimi Imperatoris*, quam Holstenius in Collectione Romana ex Chronico Farfensi MS. eruit. In ea Otto utilitati Ecclesiarum & Imperii consulens decernit, ut Ecclesiastici, qui se scripto obligarunt ad aliquid solvendum, adstringere non possint eum, qui ei in regimine successerit. In fine legitur: *Actum XII Kalend. Octob. indictione XII, anno tertio domini Gregorii V Papæ Pontificatûs, promulgata per manus Gerberti sanctæ Ravennatis Ecclesiæ Archiepiscopi in ea Synodo, in qua Mediolanensi Episcopo, Arnulfo nomine, Papatum ablatum est, in Basilica sancti Petri, quæ vocatur ad cœlum aureum.* Imperitus Chronographus, ut varia in ejus Chronico Tom. III Duchesniano ex parte publicato contenta perspicuum faciunt, subscriptioni postrema verba de suo addidit, & *Arnulfum* Archiepiscopum Mediolanensem, loco Joannis Archiepiscopi Placentini posuit. Videatur Papebrocius in Paralipomenis ad Conatum Chronico-Historicum, ubi eam conjecturam magis applicat.

XXIV. *Scribit Libellum adversùs Simoniacos.*

Grassabatur per hæc tempora simoniæ labes, ut videre est apud Aimoinum in Vita Sancti Abbonis cap. 10. ubi refert Epistolam ejusdem Abbonis ad Bernardum Abbatem Bellilocensem, apud Glabrum lib. 2. cap. 6. aliosque horum temporum Auctores. Quare *Gerbertus*, ubi Archiepiscopatum Ravennensem iniit, libellum hac de re ad suos Suffraganeos misit, in quo testatur quanto dolore afficiatur, quod malum hoc invaluisset. Libellum illum è tenebris eduxit Mabillonius Tom. II Analect. pag. 216. & seqq. cui hic est titulus: *Sermo Gerberti Philosophi, Papæ urbis Romæ, qui cognominatus est Silvester, de informatione Episcoporum.* Neque dubium esse potest, quin proprius Gerberti fœtus sit; cùm is *Philosophus* appellaretur, ut eum etiam appellat Otto III ex dictis anno CMXCII num. III. De hoc libello ipsemet Gerbertus in ejus circiter medio ait: *Coarctet nos licet libelli prolixitas properare ad finem, sollicitudo tamen fraterni retardat amoris.* Ita nihil omisit *Gerbertus*, ut munere sibi imposito præclarè fungeretur.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6492.
☉ 18. A. ☽ 12. P. 9. April. Indict. 12.
JESU CHRISTI 999.
SILVESTRI II PAPÆ I.
OTTONIS III REGIS 17. IMP. 4.
BASIL. ET CONST. IMPP. 24.

Anno Eræ Hispan. MXXXVII. Anno Hegiræ CCCXC. inchoato die 12. Decemb. fer. 3.

I. *Silvester II succedit Gregorio V.*

ANNum. I ad IX. Cùm ex dictis constet, *Gregorium* V anno CMXCVI post diem XXVIII mensis Aprilis Pontificatum iniisse, & ex ejus Epitaphio eum *XII Kal. Martii* decessisse, tam in Catalogis, quàm in eodem Epitaphio menses, quibus supra annos duos sedit, malè computari necesse est. Hæc Epitaphii verba:

Ad binos annos & menses circiter octo,
Ter senos Februo. connumerante dies.

Ibi tamen adverbium, *circiter*, paulò ampliùs quàm menses octo supra annos II sedisse significat. Adverbium enim illud, & similia modo excessum, modo defectum denotant, ut innumeris exemplis ostendi potest. In Catalogis menses illi & dies mendosè descripti, ut ibidem videre est. *Gerbertus* Silvester II in Pontificatu appellatus die secunda mensis Aprilis, in quam Dominica Palmarum incidebat, inthronizatus fuit, ut ex dicendis in morte ejus liquebit. Quæ de ejus magia à variis Scriptoribus tradita, fictitia & ridicula esse demonstrat vel solùm ejus Epitaphium à Sergio IV Successore conditum, indeque tabula nata, quòd mathematicas disciplinas cum liberalibus artibus ita calluerit, ut eas penè mortuas in Gallia resuscitarit. *Gerbertus* Monachus primùm Aureliacensis in Aquitania, tum Bobiensis Abbas in Italia fuit. De eo in brevi Chronico Aureliacensis Abbatiæ à Mabillonio Tom. II Analect. publicato, in Raymundo Caturcensi ejusdem monasterii Abbate dicitur: *Qui curat erudiendum Gerlentium*, (ita ibi Gerbertus appellatur) *adolescentem obscuro loco natum, sed quia ingenio erat vafer, præclarus in literis evasit. Hic impetratâ licentiâ propter aviditatem sapientiæ multa circumibat regna, & ad notitiam Imperatoris pervenit: qui eum Remis statuit Episcopum, deinde Ravennæ, postea in summum Pontificem evexit.* Gerbertus in Epistola XVI Raimundum magistrum suum appellat, quem Mabillonius ibidem Raimundum Abbatem fuisse probat.

II. *Varia fortuna Gerberti in Pontificatu Silvestri II dicti.*

Ademarus verò Monachus, qui hoc tempore vivebat, de eo in Chronico habet: *Girbertus natione Aquitanus ex infimo genere procreatus, Monachus à pueritia sancti Geraldi Aureliacensi cœnobio, causâ Sophiæ primò Franciam, dein Cordubam lustrans, cognitus à Rege Ugone Remis Archiepiscopatu donatus est, & iterum cognitus ab Imperatore Ottone, Archiepiscopus Ravennæ factus est.* Idem legitur in Chronico Malleacensi. In aula Gallica Hugonis nondum Regis Robertum filium erudiit, deinde Remos ad Adalberonem Archiep. Remensem se contulit, quo cum arctam necessitudinem contraxit. Italiam

quoque

SÆC. X. An.Ch.999.

quoque lustravit; ubi ab Ottone II Abbatia sancti Columbani seu Bobiensi donatus est. Huic Imperatori adeo charus fuit, ut illi filium suum Ottonem III literis imbuendum tradiderit simul cum Roberto Hugonis Capeti filio; indeque Epist. CLX de utroque discipulo suo loquens, scribit ad Robertum, sibi sæpe Ottonem illius videndi desiderium inculcare: *dies noctesque*, inquit, *mecum sermones confert, ubi & quando vos familiariter videre possit coævum sibi & studiis consimilem seniorem meum Regem Robertum, alloqui & complexari.* Ingravescente Italorum contra Ottonem III odio Abbatiam Bobiensem deserere coactus fuit, & in ejus aulam venire. De ea persecutione loquitur in Epistola V, & in Epistola XI ad Cæsarem testatur, eum ab Italis vocari *Asinum*, se vero *Equum admissarium*, uxorem & filios habentem, quòd partem familiæ suæ de Francia recollegisset. Denique in Epistola XII ad Hugonem suum data, inimicorum rabiem magis depingit. Ordericus ad annum CMLXXXVII aliquos ex ejus discipulis *in divinis & secularibus libris* claros memorat, sed perperàm inter eos *Remigium* Præsulem Autisiodorensem reponit, loco *Joannis* ejusdem sedis Antistitis, qui, ut habet Auctor Anonymus Historiæ Episcoporum Autisiodorensium part. I à Labbeo Tom. I Biblioth. publicatæ, *Gerberti* discipulus fuit, & literis apprimè imbutus.

III. *Silvestrum II ab Ottone III Papam creatum, commenti sunt Schismatici.*

Goldastus Tom. I Constitut. Imperial. pag. 40. Ottonis III Constitutionem exhibet nullâ notâ chronicâ insignitam, & quam ipse cum anno CMXCVIII copulavit. In ea Ottonem his verbis alloquentem inducit: *Sicut pro amore S. Petri dominum Silvestrum magistrum nostrum Papam elegimus, & Deo volente ipsum serenissimum ordinavimus & creavimus, ita pro amore ipsius D. Silvestri Papa S. Petro de publico nostro dona conferimus.* Putidum hoc commentum tot fere mendacia quot verba complectitur. Antea enim in ea Constitutione legitur, Ottonem III nullum dominium Ecclesiæ Romanæ dedisse, ac Pontifices Romanos *ipsa quoque Altaria* spoliasse, & *quasi culpam suam in imperium nostrum retorquentes, ad aliena, idest nostra & nostri imperii maximè migravisse.* Quo nihil absurdius, præsertim tempore Ottonis III, dici potuit. Dein subjungit, Pontifices finxisse donationem Magni Constantini. Tum: *Hæc sunt etiam commenta, quibus dicunt, quemdam Carolum S. Petro nostra publica tribuisse. Sed ad hæc respondemus, ipsum Carolum nihil dare jure potuisse, utpote jam à Carolo meliore fugatum, jam imperio privatum, jam destitutum & annullatum.* Loquitur impostor de Carolo Calvo Imp. asseritque ejus donationem Constantinianâ non minus falsam. Et cùm ait, *sed ad hæc respondemus*, indicat, quòd licet hæc verè facta fuisset, ejus nullam rationem habendam, quòd Carolus Calvus tunc expulsus & imperio privatus fuisset à Carolo ipso meliori; cùm tamen non *Carolus Crassus* Calvi successor, sed *Carolomannus* Bavariæ Rex Carolum Calvum expulerit, & imperio privarit. Vidit errorem impostoris Goldastus, & in margine ait, *Carolus integrè appellabatur Carolomannus.* Sed ubi invenit Caroli nomen Carolomanni diminutivum esse? Ad hæc quis unquam prætensam illam Caroli Calvi donationem vidit, qui, ut suo loco ostendimus, jura imperii in Italia semper tutatus est, & ne minimum quidem læsit. Paulò pòst: *de publico nostro dona conferimus*, &c. *Octo igitur Comitatus, pro amore magistri domini Silvestri Papæ, Sancto Petro offerimus.* Ubi qui Diploma illud fabricavit, manifestè supponit, hactenus Imperatores, saltem quoad supremum dominium, nihil Pontificibus dedisse, & donationes tam Pippini quàm Caroli Magni & Ottonis I, quas falsarius aliquot tantùm Comitatuum fuisse dicit, mera commenta esse. Et tamen ipsemet Goldastus paulò antea pag. 36. prætensum Leonis VIII Papæ decretum exhibet, quô non solùm donationes à Carolo M. & à Pippino; sed etiam donationes à Justiniano Imp. & Ariperto Longobardorum Rege factas confirmat. Falsus ille Otto Ecclesiæ Romanæ Civitates octo à se Comitatus appellatas, largitur, & ab ea donatione excludit Ducatû Romanum, Ducatum Spoleti, ac urbem Ravennensem, totumque Exarchatum, quia scilicet Schismatici Imperatori Teutonico potiora membra statûs Ecclesiastici attribuere volebant, & aliqua tantùm oppida Romanis Pontificibus relinquere, asserentes antiquos Imperatores nullum unquam jus Pontificibus adscripsisse in magna illa dominia. Quæ & similia referre, refellere est, cùm nihil falsius in medium adduci possit. Tam verum itaque, *Ottonem* III in aliqua sua Constitutione se se *Silvestrum* II Papam fecisse affirmasse, quàm vera sunt, quæ in eadem Constitutione ab Ottone III prolata, & constituta fuisse dicuntur. Porrò figmentum illud post seculum XI excogitatum, eo sc. tempore, quo & quædam alia.

IV. *Synodus Romana anno superiori habita.*

Ad num. XII & seq. Concilium Romanum in causa Giseleri Magdeburgensis Archiepiscopi, cujus meminit Ditmarus his verbis: *Synodus Romæ tunc, in qua accusatus Gisilerus Archiep. Magdeburgensis, quòd duas parochias teneret*, anno superiori celebratum, cùm jam Gerbertus, qui eidem subscripsit, Ravennensis Archiepiscopus esset. Publicatum illud post Baronii mortem, legiturque Tom. IX Concil. Hæc verba quarti Canonis: *Si Gisilarius S. Magdeburgensis Ecclesia Episcopus potuerit canonicè comprobare, quòd per ambitionem de minori sede Marzeburgensi ad majorem Magdeburgensem non migraverit: ut non deponatur, judicatum est. Sed si populi & cleri invitatione migravit, in eadem permaneat Metropoli. Quod si absque eorum invitatione & electione migravit, non tamen per ambitionem & avaritiam factum esse constiterit, ad priorem redeat sedem. At si ambitionem, & avaritiam negare non potuerit: Definitum est, amittat utramque.* Docet autem Ditmarus hanc rem repositam fuisse *ad Concilium provinciale Germaniæ*, ut scilicet examinaret, an *Gisilarius* per ambitionem ad Magdeburgensem Ecclesiam migrasset. Istud Concilium Germanicum seculo sequenti habitum, ut ibi dicetur. Tom. IX Concil. præfatum Concilium Romanum in duo perperàm dividitur, primumque dicitur sub Gregorio V, alterumque sub Silvestro II coactum; quod in altera Conciliorum editione emendandum erit. De hoc Concilio Romano, Ottone III & Gregorio V præsentibus celebrato, anno superiori egimus, ideoque hæc ad annum illum retrahenda.

V. *Otto III corpus S. Adalberti*

Otto III nonnisi anno Christi millesimo devotionis causâ in Poloniam profectus est, corpus *Sancti Adalberti* Episcopi Pragensis & Martyris veneraturus.

SÆC. X. An.Ch 999. *in Polonia veneratur.*

veneraturus. Rem Baronius ex Ditmaro lib. 4. & ex eodem Chronographus Magdeburgensis ad annum Christi millesimum iisdem penè verbis tecitat. In Chronico verò Lamberti Schafnaburgensis ad annum M habetur: *Gaudentius frater Adelberti martyris Praga Archiepiscopus constituitur*, ab Ottone nempe III, quando orationis gratiâ ad Sanctum Adalbertum profectus est. Verùm loco *Praga*, legendum, *Guesna.* Quispiam enim sciolus sciens Pragenses non minus quàm Guesnenses se corpus Sancti Adalberti habere gloriari, locum illum depravavit, quemadmodum & quispiam alius ejusdem farinæ chronicon Hildensheimense ad annum Christi M, ubi illa Ottonis III profectio etiam narratur, corrupit. Ejusdem Chronographi verba anno sequenti in medium afferemus. Neque enim Lambertus, qui seculo sequenti è vivis excessit, aut Chronographus Hildensheimensis, qui ante annum MCC Opus suum absolvit, similes nugas scribere potuère; cùm certum sit, *Pragam* anno tantùm MCCCXLIV Archiepiscopali Sede cohonestatam fuisse. Præterquamquod Polonos inter & Bohemos convenit, Sancti *Adalberti* corpus usque ad annum M Guesnæ quievisse, & sola inter eos lis est, an eo anno sacrum illud corpus Pragam translatum sit, quod contendunt Bohemi, & Poloni negant.

VI. *Guesnam Metropolim declarat.*

Anno itaque sequenti Otto III profectionem illam suscepit: *Bolizlaus*, inquiunt Ditmarus & Chronographus Magdeburgensis, *dux Poloniæ ad Diedesi pagum venienti Imperatori parato in loco, qui Ilua dicitur, suo hospitio multum hilaris occurrit. Qualiter autem ab eo honoraretur, & per sua usque ad Gnesin* (idest Guesnam) *deduceretur, dictu incredibile est. Videns autem à longè civitatem desideratam, nudis pedibus suppliciter advenit, & ab Episcopo civitatis Ungero venerabiliter susceptus, Ecclesiam introducitur, & ad Christi gratiam sibi impetrandam Martyris intercessio profusis lachrymis invitatur. Nec mora, fecit ibi Archiepiscopatum, ut spero legitime, sine consensu tamen præfati Præsulis & sui Metropolitani* (nempe Moguntini), *cujus diœcesi omnis hæc regio subjecta est, committens eumdem prædicti martyris fratri Kadimo* (rectiùs dixisset Ditmarus, *Radzimo*, quo nomine Poloni & Bohemi, qui eadem lingua utuntur, Gaudentium significant) *eique subjiciens Reinbernum S. Cholbergiensis Ecclesiæ Episcopum, Popponem Cracuensem* (idest Cracoviensem), *Joannem Wrotislanensem* (Uladislaviensem intelligit), *Ungero Posnaniensi excepto.* Anno itaque CMLXV, ut ibidem diximus, Episcopatus in Polonia instituti, & Moguntino Archipræsuli subjecti, anno verò M iidem Episcopatus subditi fuère novæ sedi Metropolitanæ, nempe Guesnensi in gratiam Sancti Gaudentii Adalberti fratris, ab Ottone III erectæ. Chronographus Hildensheimensis, ad annum M de Ottone III scribit: *Episcopia VII disposuit, & Gaudentium fratrem B. Adalberti in principali urbe Sclavorum Praga* (legendum, Guesna) *ordinari fecit Archiepiscopum, licentiâ Romani Pontificis, causâ petitionis Bolizlavonis Boemiorum* (legendum, Polonorum) *Ducis, ob amorem potius & honorem sui venerandi fratris digni Pontificis & Martyris*, sed Chronographus verbo *disposuit*, intelligit tantùm, *in meliorem ordinem reduxit.* Septem enim Episcopatus illos jam ab anno CMLXV institutos, ex dictis ibidem liquet, & tam Ditmarus, quàm Chronographus Magdeburgensis claré innuunt, quando aliquorum nomina designant.

SÆC. X. An.Ch. 999.

VII. *Ante annum M. nulla Metropolis in Polonia erecta.*

Scriptores tamen Poloni volunt, *Guesnam* anno CMLXV Metropolim declaratam fuisse, & Adalbertum eidem Ecclesiæ ante hunc annum præsedisse. Scribit enim Joannes Longinus in Historia Polonica: *Anno Domini CMXCVI Robertum Archiepiscopum Guesnensem obiisse, eique Adalbertum Pragensem Episcopum successisse.* Longinum passim sequuntur Historici Poloni cum Stephano Damalevicio in Serie Archiepiscoporum Guesnensium ante annos quadraginta Varsoviæ in lucem edita. Verùm *Archiepiscopatûs Guesnensis* Sancti Adalberti antiquiora Acta silent, ut inquit Henschenius in Commentario prævio ad Vitam Sancti Adalberti ad diem XXIII Aprilis; quod proculdubio non omisissent, cùm uterque Auctor præfatorum Actorum profectionis Polonicæ Sancti Adalberti disertam mentionem faciat, & posterior tradat, *Adalbertum Guesnæ* Missam celebrasse, & baptizasse *populum grandem nimis.* Sed non solùm uterque Scriptor Vitæ S. Adalberti rem hanc loco, ubi memoranda erat, silentio prætermittit; verùm etiam Ditmarus Historicus pietate & doctrina clarus, qui paucos post hunc annos mortuus est, quique ideo narrat quæ ipsemet videre potuit, expressis verbis contrarium asserit, idemque postea alii scripsère, ut jam loco citato diximus. Verum est, eum in urbium nominibus designandis parùm accuratum esse; sed vitium illud omnibus ferè, qui de rebus externis scribunt, commune.

VIII. *S. Gaudentius primus Archiep. Guesnensis.*

Baronius rectè vidit, quæ narrat Ditmarus auctoritate Apostolica facta esse; id enim Chronographus Hildensbeimensis citatus, qui post Baronii mortem lucem vidit, disertè tradit. Subdit Baronius vehementer se dubitare, an ea à Romano Pontifice probata fuerint; cùm *Gregorius VII* anno MLXXV *ad Boleslaum Polonorum Ducem* scribens dicat, Episcopos terræ ejus non habere certum *Metropolitanæ sedis locum*, & huc atque illuc pro sua ordinatione vagari, ideoque apparere usque ad Gregorii VII tempora nondum institutam fuisse Sedem Archiepiscopalem in Polonia. Verùm ex Gregorii VII verbis illud tantum sequitur, quo tempore ipse literas illas dedit, Sedem Metropolitanam vacasse propter gravissima quæ præcesserant bella, aut alias rationes nobis ignotas, non verò ante illum Christi annum nullum in Poloniæ Regno Metropolitam institutum. Sedem enim *Guesnensem* in profectione Polonica Ottonis III Metropolim effectam, & Sanctum *Gaudentium* Archipræsulem renunciatum, non video cum fundamento negari posse.

IX. *Ossa Benedicti V. PP. Hamburgo Romam transferuntur.*

Ad num. XV & seq. Ditmarus lib. 3. refert, *Raconem* electum Bremensem Episcopum, Ottonis III jussu, *Benedicti Papæ V* ossa Hamburgo Romam reduxisse. In quam verò Ecclesiam sacra pignora delata fuerint, hactenus incompertum. Adamus Bremensis lib. 3. cap. 6. postquam dixit, Benedictum V *per tumultum* electum fuisse, manifestè insinuat ejus electionem fuisse legitimam; subdit enim: *Cum jam, Romanis poscentibus, à Cæsare restitui deberet, apud Hamburg in pace quievit.* Cumque Joannem XII ejus decessorem contra sacros Canones depositum, & Leonem VIII Antipapam in ejus locum subrogatum constet, electionis Bene-

dicti

dicti validitas in dubium non revocanda. Nec refert quod coram Legaris Cæsareis, ut Ottonis M. constitutio ferebat, consecratus non fuerit; Romani enim mortuo Joanne XII, antequam ad novi Pontificis electionem procederent, de electione à se facienda Ottonem M. monuere: *Romanorum nuncii*, inquit Chronographus Farfensis Tom. III apud Duchesnium, *ad eum in civitate Reatina venerunt, mortemque Joannis intimantes Benedictum ei diaconum petierunt; sed minimè obtinere valuerunt. Revertentes autem Legati, eumdem elegerunt Benedictum sine consensu Imperatoris. Unde Imperator magis in iram exarsit, & civitatem undique gyravit, & in tantam penuriam adduxit, ut modius furfuris venderetur triginta denariis. Coangustati verò Romani innocentem Benedictum Imperatori tradiderunt, & dominum Leonem Papam coacti receperunt, spondentes ei & domino Imperatori, super corpus B. Apostoli Petri. Dimisit autem eis quanta & qualia mala perpessus est ab illis.* Fundamentum constitutionis ab Ottone M. datæ fuit libertas electionis in creatione novi Pontificis. Quare cùm ipsemet Imperator libertatem illam tolleret, & Antipapam palàm foveret, *Benedictum* V eligere, eumque consecrare, eo etiam dissentiente, potuêre Romani, ut rectè Ditmarus, qui hoc tempore vivebat, sensit, & ipsemet Otto M. innuit, quando mortuo *Leone* VIII, ut *Benedictus* V restitueretur, consensit, quod tamen ejus mors impedivit; *Otto verò* III etiam insinuat, cùm ejus corpus Romam Hamburgo transferri jussit.

X. *Obitus Sisinnii Patriarchæ Constantinop.*

Ad num. XX. Cedrenus de Sisinnio Patriarcha Constantinop. loquens ait: *Cùm tres tantum annos Ecclesia præfuisset, vitam cum morte commutavit. Ei suffectus est Sergius Manuelici monasterii Præsul, genus à Photio Patriarcha ducens.* Tum pag. 717. *Sergius, cum per annos XX Ecclesiam Dei moderatus esset, indictione secunda, mense Julio, anno mundi* 6527. (eræ nempe Constantinopolitanæ) *ad Dominum emigravit*, ideoque anno Christi millesimo decimo nono, annoque Christi currenti Sisinnio successerat, seditque annos viginti completos, vel ferè completos. Quomodo itaque Cedrenus scribere potuit, *Nicolaum* Chrysobergium Sisinnii decessorem anno Christi CMXCV ante mensem Septembrem vivere desiisse? Quare eum ea in re hallucinatum fuisse non dubitandum; alioquin *Sisinnius* non annos tres, sed quatuor Ecclesiam Constantinopolitanam rexisset. Ad hunc Cedreni errorem nec Baronius, nec ullus alius, quem viderim, animum advertit.

XI. *Arnulfus à Gregorio V in Archiepiscopatum Remensem restitutus.*

Silvestri II nomine Tom. IX Concil. refertur Epistola ex Codice MS. Remigii Remensis eruta, in qua legitur: *Silvester Episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio Arnulfo S. Remensis Ecclesiæ Archiepiscopo. Apostolici culminis est non solum peccantibus consulere, verum etiam lapsos erigere, & propriis privatos gradibus reparata dignitatis insignibus informare: ut & Petro solvendi libera sit potestas, & Romana gloria ubique fulgeat dignitas. Quapropter tibi Arnulfo Remensi Archiepiscopo quibusdam excessibus Pontificali honore privato subvenire dignum duximus, ut quia tua abdicatio Romano assensu caruit, Romana pietatis munere credaris posse reparari.* Postea Arnulfum restituit in omnia Remensis Archiepiscopatûs jura. At cùm Arnulfus à Gregorio V in pristinum statum restitutus fuerit, uti jam ostendimus, non dubium quin librariorum oscitantiâ, quod non raró fit, Epistola illa à Gregorio V data Silvestro ejus successori adscripta fuerit. Cossartius in notula ad eam Epistolam, istam conjecturam, aliamque profert. Verùm cùm hæc certa sit, opus non est ad alias recurrere.

XII. *Varia fortuna Adalberonis Episc. Laudunensis.*

In eodem Tom. IX Concil. recitatur alia Epistola Silvestri II *ad Azolinum Laudunensem Episcopum*, in qua Pontifex ait, sibi oblatam esse Epistolam Roberti Regis & Episcoporum Galliæ, quâ eum accusat, quod ad Synodum Compendio habitam tandem venerit. Verùm subdit Pontifex; *legibus te non posse objectis respondere manifestasti, dominum Regem tuum offendisse te, non negasti, indulgentiam tantummodo postulans per universam Synodum, Regis gratiam innovatis perjuriis obtinuisti, datis obsidibus, Archidiacono scilicet tuo, & altero milite. Turres Lauduni te redditurum promisisti. Magistrum tuum Remensem Archiepiscopum, pro accipiendis turribus suo Judæ specie tecum ducere, capere voluisti*, &c. Quare eum Romam ad Synodum proxima Paschali hebdomada celebrandam venire præcipit. *Azelinus* seu *Ascelinus*, dictus etiam *Adalbero*, Ecclesiæ Laudunensis Episcopus, dum adhuc juvenis esset, renunciatus fuit; & ut erat homo pecuniosus Ecclesiæ suæ multa bona largitus est: sed liberalitatem ejus, doctrinam, cerasque dotes suas insigni perfidia fædavit. *Carolum* enim Lotharingum Ducem, cujus Consiliarius erat, & in cujus verba juraverat, *Hugoni* Francorum Regi portis Lauduni nocte patefactis tradidit, & ea ratione eum Regni compotem fecit. Tum anno CMXCI Synodo Remensi interfuit, in qua *Arnulfum* Remensem Archiepiscopum, quem antea ipse solus reconciliaverat, cum Consacerdotibus suis damnavit. Denique in laudata *Silvestri* Epistola publicis criminibus insimulatus Romam ad dicendam causam evocatur. Sed has omnes veluti tempestates feliciter elusit, ac gratiam *Roberti Regis* recuperavit, ut Carmen ejus ad Rotbertum Regem Franc. ab Hadriano Valesio aliquot ante mortem suam annis è veteri MS. erutum fidem facit. Ex eo enim apparet, eum *Roberto Regi* amicum atque etiam familiarem, ac doctum pro illorum temporum captu. Quoad *Arnulfum* Remensem Archiep. Albericus & Auctor Chronici Cameracensis lib. 3. cap. 22. eum anno MXXIII è vivis abiisse testantur. Jacet in Choro Sancti Remigii, ubi in suo Epitaphio laudatur à pietate, ab eleemosynis, & ab aliis magnis dotibus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6493.

☉ 1. GF. ☽ 13. P. 31. Mart. Indict. 13.

JESU CHRISTI 1000.

SILVESTRI II PAPÆ 2.

OTTONIS III REG. 18. IMP. 5.

BASIL. & CONST. IMPP. 25.

Anno Eræ Hispan. MXXXVIII. Anno Hegiræ CCCXCI. inchoato die 1. Decemb. fer. 2.

I. *Annus Ecclesiæ millesimus nullis solemnibus frequentatus.*

AD num. I. *Mirum silentium de millesimo Christi anno, nulla solemnitate (quod sit scriptum) peracto, ut ad exemplum saltem veterum Romanorum seculares ludi, qui in centesimo quoque Urbis anno exhibebantur, tum solemniter legantur peracti. Nam millesimus Urbis annus sub*

Philippis Imperatoribus multiplici pompa est celebratus. Millesimus autem christianæ salutis annus toto silentio delabitur, sub Pontificio Silvestri II & Imperio Ottonis III. Jubilaus autem annus necdum venerat in mentem Pontificibus, ut eo instituto (quo præsens quingentesimus post mille peragitur) celebraretur. Bonifacius VIII anno trecentesimo post millesimum primus illum instituit, inquit Krantzius lib. 4. Hist. Saxon. cap. 26. ubi & tempus, quo Historiam illam elucubravit, designat.

II. *Otto orationis gratiâ in Poloniam pergit.*

Ad num. V. Huc revocandum quod anno superiori Baronius num. XI & seq. de profectione Ottonis III in Poloniam habet, & nos ibidem explicavimus. Hoc enim anno Ottonem III in Poloniam pertexisse, docet Chronographus Hildensheimensis his verbis: *Imp. Otto causâ orationis ad S. Adalbertum Episcopum & Martyrem Quadragesimæ tempore Sclaviam* (idest Poloniam) *intravit. Ibique coadunata Synodo Episcopia VII disposuit, & Gaudentium fratrem B. Adalberti in principali urbe Sclavorum Praga* (legendum, Guesna, ut anno præfato demonstravimus) *ordinari fecit Archiepiscopum, licentiâ Romani Pontificis, causâ petitione Bolyzlavonis Bohemiorum Ducis* (legendum, Polonorum Ducis) *ob amorem potius & honorem sui venerandi fratris digni Pontificis & Martyris. Inde reveniens Palmarum solemnitatem Parthenopoli festivè peregit. Paschalia vero tempora vivivè Quidilingaburg celebravit. Pentecostes autem celebritatem dignâ devotione Aquisgrani feriavit. Quo tunc ammirationis causâ Magni Imperatoris Karoli ossa contra divina religionis Ecclesiastica effodere præcepit. Quo tunc in obdito sepultura mirificas rerum varietates invenit. Sed de hoc, ut postea, claruit, ultionem æterni vindicis incurrit. Nam prædictus ei Imperator post tanta commissionis facinus comparuit, & ei prædixit obitum suum celerius affuturum. M I. Indict. XIV Imperator Natalem Christi Romæ celebravit.* Romæ itaque die natali Christi, quo Chronographus annum exorditur, Otto fuit. Anno verò superiori per Decembrem Ravennæ erat, ubi Leoni Antistiti Ravennatis veteres Ecclesiæ possessiones confirmavit, ac novas addidit, ut habent Sigonius lib. VII de Regn. Ital. & Rubeus in Hist. Ravenn. lib. V. Quare nonnisi currentis anni initio Româ in Germaniam rediit, & post aliquot menses tertiam profectionem suam Romanam, quæ ultima fuit, suscepit. Porrò Othonem tunc VII Episcopia non disposuisse, superiori anno monstravimus.

III. *Corpus Caroli M. ab Ottone incorruptum reperitur.*

Gesta Aquisgrani ab Ottone III his verbis narrat Ademarus Monachus in Chronico: *Otto Imp. per somnium monitus est, ut levaret corpus Caroli M. Imp. qui Aquis humatus fuerat, sed vetustate obliterante ignorabatur locus certus, ubi quiescebat, & peracto triduano jejunio, inventus est eo loco, quem per visum cognoverat Imp. sedens in aurea cathedra, intra arcuatam speluncam infra Basilicam B. Mariæ, coronatus coronâ ex auro & gemmis, tenens sceptrum & ensem ex auro purissimo, & ipsius corpus incorruptum inventum est, quod levatum populis demonstratum est. Quidam verò Canonicorum ejusdem loci Adalbertus, cùm enormi & procero corpore esset, coronam Caroli quasi pro mensura capitis suo circumponens, inventus est strictiori vertice, corona amplitudine sua vincente circulum capitis: crus proprium verò ad cruris mensuram Regis dimetiens, inventus est brevior, & ipsum ejus crus protinus divina virtute confractum est, qui supervivens annis XL semper debilis permansit. Corpus verò Caroli conditum in dextro membro Basilicæ ipsius retrò altare Sancti Joannis Baptistæ & crypta aurea super illud mirifica est fabricata, multisque signis & miraculis clarescere cœpit. Non tamen solemnitas de ipso agitur, nisi communi more anniversarium defunctorum. Solium ejus aureum Imp. Otto direxit Botisclavo* (idest Boleslao, Poloniæ Duci.) *Pro Reliquiis S. Adalberti Martyris. Rex autem Botisclavus, accepto dono misit Imperatori brachium de corpore ejusdem Sancti, & Imperator gaudens illud excepit, & in honore Sancti Adalberti Martyris Basilicam Aquisgrani construxit mirificam, & Ancillarum Dei congregationem ibi disposuit; aliud quoque monasterium Romæ construxit in honore ipsius Martyris.* Carolum M. divum habitum fuisse, templa illi dicata, & Officii Ecclesiastici impensam celebritatem, ostendit Bollandus ad diem XXVIII Januarii in Vita Sancti Caroli Magni ab Eginhardo scripta, & addit, *antea fortassis*, & saltem post canonizationem à Guidone Cremensi Antipapa, Paschale III dicto, factam. Verùm hic Ademari locus à Bollando non citatus dubium solvit, indicatque nonnisi post illam canonizationem divinos honores Carolo M. delatos, conniventibus nempe Summis Pontificibus. Adhæc ex iisdem verbis sequi videtur Ademarum Chronicon suum scripsisse ante annum MXL. Verùm numeri corrupti, & loco, *annis XL*, reponendum, *annis XI*, uti ex dicendis de fine Chronici Ademari colligitur. Porrò hanc inventionem ossium Caroli M. cum hoc Christi anno Lambertus in Chron. rectè alligat, & Ditmarus lib. 4. ad eumdem annum memorat.

IV. *Moritur S. Adelhaida Imperatrix.*

Ad num. XI. Vitam *S. Adelhaidis* Ottonis I Imperatoris conjugis repertam in monasterio S. Magni ad pedem pontis Ratisponensis primùm edidit Canisius, quam Baronius rectè judicavit, eam aliam non esse, quàm quæ à Sancto Odilone Cluniacensi Abbate scripta dicitur. Postea rursus edita fuit in Bibliotheca Cluniacensi inter Odilonis Opuscula ex MSS. Codd. eruta. In ea Vita Odilo scribit: *Anno instante ab Incarnatione domini millesimo, desiderans videre diem unum nescientem occasum in atriis domini super millia dicebat, sæpe cum Apostolo*, Cupio dissolvi & esse cum Christo. *Præstolans etiam in præsentiarum cum spirituali lætitia, ejusdem Domini nostri Jesu Christi festum, cum sextum decimum diem solveret December felix, & ipsa feliciter deposito carnis onere, evolavit ad purum purissimi ætheris fulgorem.* Quare non dubium, quin sanctissima Imperatrix die XVI mensis Decembris, superioris Christi anni animam Deo reddiderit, uti Lambertus Schafnaburgensis, Chronographus Hildensheimensis, & aliqui alii Veteres etiam tradiderunt. Baronius anno CMXCVIII num. XI recitat mortem aviæ Ottonis III Imperatoris ex Ditmaro, cujus verba recitat; sed avia illa alia non est, quàm *Adelhais*, cujus mortem, non cum eo Christi anno, sed cum anno CMXCIX Historicus ille alligat; cùm asserat, Mathildem Quindlinburgensem Abbatissam *VIII Id. Februarii* è vivis excessisse, & Adelhaidem *in eodem anno XVI Kal. Januarii. Papa quoque Gregorius II Nonas Februarii.* Cæterum autem Gregorium V anno CMXCIX naturæ debitum solvisse, in cujus tamen emortuali die Ditmarus hallucinatur, ut ex dictis suo loco constat.

SÆC. X. An.C. 1000.

constat. Fuit *Adelhais* Rodulphi hujus nominis II Burgundiæ & Italiæ Regis, ac *Berta* Reginæ filia, &, uti docet Charta fundationis monasterii Paterniaci in pago Bernensi positi, ac ab eadem Regina conditi, à Guichenono in Bibliotheca Sebusiana pag. I recitata, fratres habuit *Conradum* Burgundiæ Regem, *Burchardum* Episcopum Lausanensem, deinde Lugdunensem Archiepiscopum, & *Rodulphum* Burgundiæ Transjuranæ Ducem, cujus alibi mentio non occurrit. Jam suis locis ostendimus, eam primùm *Lothario* Italiæ Regi, & postea *Ottoni* primo Germanorum tunc Regi, ac dein Imperatori nupsisse, ac matrem extitisse Ottonis II Imp. & Mathildæ Abbatissæ Quindilinburgensis, pietate & sapientia conspicuæ. Adelhais *Mater Regnorum* vulgò appellata fuit; quòd dissidentes Regum animos mira suavitate & peritia conciliaret; indeque Epistola Gerberti CXXVIII *Adelhaidi Matri Regnorum* inscripta est, & in ea legitur: *certè clarissimam dominam & matrem regnorum vos hactenus fuisse manifestum est.* Huc refer quæ Baronius anno CMXCVIII num. XI. De hujus Imperatricis morte habet.

V. *Regis nomen Boleslao Polonia Duci ab Ottone III non datum.*

A num. XIV ad XIX. Wippo in Vita Conradi Salici Imperatoris ad annum primum regni ejus ait: *Eodem anno Boristaus Sclavigena, Dux Bolanorum* (idest, Polonorum) *insignia Regalia & Regium nomen in injuriam Regis Chuonradi sibi aptavit, cujus temeritatem citò mors exinanivit. Filius autem ejus Misico similiter rebellis, fratrem suum Ottonem, quoniam Regis* (nempe Conradi nondum coronati Imperatoris) partibus favebat *in Rubbiam provinciam pepulit*, idest, in Russiam. Quare licet Baronius Wipponis Historiam non legerit, rectè tamen censuit, Boleslaum ab Ottone III Imperatore Regio nomine donatum non fuisse. Stanislaus Lubienskius in serie Episcoporum Plocensium, dum de de Martiali secundo Episcopo Plocensi verba facit, opinionem Baronii refellit ex vetusto Epitaphio Boleslai Chobrii cognominati, in quo legitur:

Tu possedisti velut athleta Christi
Regnum Slavorum, Gothorum seu Polonorum,
Cesar pracellens, à te ducalia pellens.
Plurima dona sibi qua placuère tibi
Huic detulisti, quia divitias habuisti.

Verùm Epitaphium illud longè post *Boleslai* mortem positum fuisse, laudatum Wipponis testimonium demonstrat. Hic enim Auctor coætaneus, ac rerum Conrado Salico imperante gestarum spectator. Ejus Historia extat in Collectione Pistoriana. Ceterùm pleraque Epitaphia, quæ putantur antiqua, pluribus seculis à morte eorum, in quorum gratiam condita, fuisse composita, & sepulchris insculpta, tanquam principium Chronologicum haberi in posterum debet. Cùm illud subinde variis exemplis confirmetur. Certè præfatum Boleslai Epitaphium Longini, Michovii & Crometi ætate ignotum fuit.

VI. *Moritur Seguinus Archiep. Senonensis.*

Anno superiori *Sevinus* seu *Seguinus* Archiepiscopus Senonensis è vivis excessit, ut Odorannus in Chronico prodit. Is Primatum Galliæ, qui jam à tempore Ansegisi Archiep. Senonensis, in cujus gratiam primùm institutus fuerat, aut Archiepiscoporum incuriâ, aut desuetudine abrogatus videbatur, restituit, huncque ejus Successor confirmari curavit: *Anno millesimo*, ut legitur in Chronico Sancti Petri Vivi Senonensis, *acclamante Clero & populo electus est in Episcopum dominus Leothericus ejus Ecclesia Archidiaconus, cui resistebant plurimi Clericorum cupientes Episcopium. Qua de re Romam adiit Gerbertum Papam, qui & Silvester dictus est, cujusque discipulus in Remensium urbe fuerat juvenis. Quem ille gratanter recepit, cum benedictione Apostolica remisit, & totius Galliæ Primatum dedit. Unde rediens Senones cum pace susceptus est à Clero & populo honorificè. Volentibus autem eum inthronizare prohibuit Frotmundus Comes natus ex mala progenie: habebat enim filium clericum nomine Brunonem, quem volebat Episcopum facere. Quare domnus Leothericus iterum Papam adiit, qui mittens literas suas ad Suffraganeos Ecclesia Senonensis jussit, ut congregati in unum Apostolica auctoritate eum ordinarent; qui jussa complentes ordinaverunt eum apud Sanctæ Fara monasterium.* Hugo tamen Floriacensis apud Duchesnium Tom. IV Seguini mortem cum *XIII Kal. Novemb.* hujus Christi anni illigat; & quæ narrat Chronographus Sancti Petri Vivi, ad annum sequentem rejicit. Ad Leothericum variæ extant Fulberti Carnotensis Episcopi Epistolæ. Primatum Galliæ postea Gregorius VII ad Archiepiscopum Lugdunensem transtulit, ut suo loco dicetur.

VII. *Dani Angliam vexant.*

Anno ab Incarnatione Domini, inquit Simeon Dunelmensis in Hist. de Gest. Reg. Angl. *millesimo Danorum Classis, hoc anno Normannorum, & sequenti anno ad Angliam reversa pejora prioribus egit. Rex Ethelredus* (hoc scilicet anno, ut etiam alii Historici tradunt) *terram Cumbrorum ferè totam depopulatus est. Hic sua classi mandavit, ut circumnavigata septentrionali Britannia, in loco constituto sibi occurreret. Sed vi ventorum prapedita, non potuit. Insulam tamen, qua Monege* (idest, Mona Hiberniam inter & Angliam sita) *dicitur, devastavit.* Fusiùs hæc narrat Huntindoniensis in fine lib. 5. subditque: *Dacs verò semper bellis exercitati belli fortuna potiti sunt.*

VIII. *Ut Britones ab Anglis, ita à Danis & Normannis subacti.*

Tum librum VI his verbis exorditur: *Anno millesimo ab Incarnatione domini, Richardi Consulis Normannorum* (idest, Ducis; vox enim hæc hoc tempore in eo sensu usurpata) *filiam Rex pradictus* (nempe Anglorum) *Edelred in conjugem assumere pracogitavit ad tuitionem regni sui. Ille enim fortissimus erat, & omni regno Francorum formidabilis. Ipse autem se suosque valde debilitatos videbat, futuramque cladem non mediocriter horrebat. Hoc autem Dei nutu factum esse constat, ut veniret contra improbos malum. Gentis enim Anglorum, quam sceleribus suis exigentibus disterminare proposuerat, sicut & ipsi Britones peccatis accusantibus humiliaverant, dominus Omnipotens duplicem contritionem proposuit, & quasi militares insidias adhibuit. Scilicet ut hinc Dacorum persecutione saviente, illinc Normannorum conjunctione accrescente, si ab Dacorum manifesta fulminatione evaderent, Normannorum improvisam cum fortitudine cautelam non evaderent. Quod in sequentibus apparuit, cùm ex hac conjunctione Regis Anglorum & filia Ducis Normannorum Angliam justè secundum jus gentium Normanni & calumniati sunt, & adepti sunt. Pradixit etiam eis quidam Vir Dei, quod ex scelerum suorum immanitate non solùm quia semper cadi & proditioni studebant; verumetiam quia*

quia semper ebrietati & negligentiæ domûs dominis dediti erant, eis insperatum a Francia adventurum dominium: quod & eorum excellentiam in æternum deprimeret, & honorem sine termino restitutionis eventilaret. Prædixit etiam, quod non ea gens solum, verum & Scotorum, quos vilissimos habebant, eis ad emeritam confusionem dominaretur. Prædixit nihilominus varium adeo seculum creandum, ut varietas, quæ in mentibus hominum latebat, & in actibus patebat, multimoda variatione vestium & indumentorum designaretur. Hæc Huntindoniensis, qui seculo duodecimo floruit. De occupatione Angliæ à Danis & Nortmannis sequentibus annis agemus. Notare hîc sufficiat, Emmæ à Danis & Nortmannis oriundæ cum *Ethelredo* Rege conjugium, quod cum utrisque commercium intulit, eum tandem corona, Imperioque exuisse.

Hîc incipit Critica in Tomum XI Annalium C. Baronii.

Anno Æræ Hisp. MXXXIX. Anno Hegiræ cccxcii. inchoato die 20. Novemb. fer. 5.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6494.

☉ 2. E. ☽ 14. P. 13. April. Indict. 14.

JESU CHRISTI 1001.

SILVESTRI II PAPÆ 3.

OTTONIS III REG. 19. & 6.

BASIL. & CONST. IMPP. 26.

I. *S. Heribertus an. CMXCIX Coloniensis Archiep. creatus.*

Anum. XVI ad XIX. Quia *Sanctus Heribertus* Ottonis III Cancellarius aliquo tempore Romæ hoc anno substitit cum eodem Imperatore, à quo anno nongentesimo nonagesimo nono Archiepiscopus Coloniensis dictus fuerat, hîc nobis de illo agendum. Bollandus ad diem XVI mensis Martii profert primævam ejus Vitam à Lamberto Monacho Tuitiensi post *Heriberti* mortem viginti circiter annis scriptam, quæ cùm Baronii tempore non extaret, sed tantùm altera Vita à Ruperto Tuitiensi Abbate initio seculi duodecimi elucubrata, non potuit Cardinalis doctissimus primum ordinationis ejus annum è tenebris eruere. Anno enim MXXI num. I ubi de ejus morte agit, eum cum anno Christi nongentesimo nonagesimo octavo copulat, quòd Rupertus cap. I. scribat: *Anno ab Incarnat. D. N. J. C. CMXCIX, Romanorum regente imperium Ottone tertio*, Coloniæ Agrippinæ Pontifex datus est S. Heribertus, *vixitque in eadem sede laudabiliter annos viginti tres, menses duos, dies fermè viginti duos.* Obiit enim die XVI mensis Martii. Baronius ex duratione Sedis à Ruperto memorata annum Christi corrigit, putatque legendum, *anno CMXCVIII.*

II. *Refellitur opinio contraria.*

At non in anno Incarnationis, sed in annis Sedis error cubat, & loco annorum viginti trium, substituendi anni *viginti & unus*, non verò XXII, ut habet Bollandus. Ipsemet Baronius anno CMXCIX num. XVII & seqq. Ottonis III Diploma recitat, quô is se erga Vercellensem Ecclesiam munificentissimum præbuit, donans ei ipsam Vercellensem civitatem cum Comitatu nec non Comitatum Sanctæ Agathæ: quæ donatio hanc subscriptionem habet: *Heribertus Cancellarius vice Petri Comani & Archicancellarius recognovi. Dat. Non. Maii anno Dominicæ Incarnat. CMXCIX, indict. XII, anno tertii Ottonis XVI, Imperii IIII* (legendum, III, ut rectè Baronius ibidem). *Actum Romæ feliciter. Amen.* Quare Sanctus Heribertus mense Majo anni CMXCIX nondum Archiepiscopus Coloniensis erat; cumque Lambertus in ejus Vita tradat, eum Episcopum à Coloniensibus designatum, Ravennâ, ubi ad discordes reconciliandos ab Imperatore missus fuerat, Romam advolasse, ut Episcopatum detrectaret, & cùm non posset, mansisse *paulò plus duobus mensibus apud Cæsarem*, subditque: *Accepto dein à Silvestro II Papa Pallio explevit brevi prolixum viæ spatium, & in Vigilia natalis Christi Coloniæ in cathedra sua sublimatur, & inungitur à Suffraganeis chrismate principalis olei*, manifestum est, ejus ordinationem spectare ad annum CMXCIX, & accuratè Rupertum scripsisse, eum vixisse in ea sede *annos XXI*, ut locum ejus correximus, *menses II, dies fermè* (idest circiter) *viginti duos*, ac vitâ functum anno MXXI, qua de re suo loco rursus agetur.

III. *Otto III Romam relinquere cogitur.*

Leo Ostiensis lib. 2. cap. 24. postquam de gestis anno superiori ab Imperatore locutus est, subjungit: *Sequenti tempore Beneventum rursùs advenit: eamque diebus multis undique obsidens, cùm nihil ea obsidione proficeret, Romam iterùm rediit.* Verùm Romani novam adversùs eum conjurationem fecerunt, atque armis arreptis aliquot ex militibus ejus occisis, ipsum in Prætorio obsiderunt: Lambertus in Vita Sancti Heriberti Archiep. Coloniensis cap. 2. hanc obsidionem his verbis indicat, loquens de tertia, ultimaque Romana profectione hujus Imperatoris: *Novissimè Augustus Italiam non rediturus ingreditur* (anno nempe CMXCIX) *& undique valida collecta manu iterùm insurgentes in se irrumpere & conterere nititur. Virum Dei ad eumdem comitatum secum invitat, quod, ut dictum est, de salute sua in eum cunctis uberiùs confidat: ut si quando armis deficeret, consilio hujus & prece proficeret. Inter viandum uterque de communi animæ commodo adinvicem pertractat, quid memorabile secundùm Deum post se posteris relinquat; placet ambobus, ut quilibet amborum sospes reverteretur, quocumque casu alter detineretur, de rebus hæreditariis ædificaretur decens Cœnobium, titulatum Dei Genitrici, Matri & Virgini Virginum. Protinus ad id operis eidem Archipræsuli contradit Cæsar optima majorum suorum prædia, legibus rem charta & atramento roborans sub assignatis testibus. Deinde Romæ proximans, & diviso exercitu adversantes sternens & populans, non multò pòst in Patyrna castro* (quod alii vocant Paternum) *per mulierem veneno periit*, anni scilicet sequentis initio.]

IV. *Victoria de Bulgaris à Basilio Imp. reportata.*

Curopalates & Cedrenus varias victorias à *Basilio* Imp. de *Bulgaris* reportatas narrat, ex quibus illustre *Bulgaroctoni* cognomen adeptus est, ut prodit Nicetas in Isaacio lib. I num. VI. Anno superiori *indict. XIII* notato ingentem exercitum in *Samuelem* Bulgariæ Regem misit, Ducibus *Theoderocano* Patricio & *Nicephoro Xiphia* Protospathario, qui capta majore & minore *Presthlaba* atque *Pliscoba* victores Cpolim rediêre. Hoc verò anno ipsemet per Thessalonicensem agrum copias in *Bulgariam* traduxit, captisque *Berrhæa*, *Serviis* & *Vodena*, Thessalonicam rediit. Anno deinde MII, *indict. XV Vidynum* oppidum per octo menses oppugnatione tracta, vi capit. cumque ad urbem *Scopias* accederet, *Samuelem* trans *Axium*, seu *Bardarium* fluvium incautiùs agentem circumventum

in

S Æ C. XI. An C. 1002. in fugam conjicit, *Scopias Romano* Petri Bulgarorum Regis filio ac *Borisæ* fratri urbem Imperatori tradente, à quo Patricii & Præpositi dignitate, & *Abydensis* oppidi Præfectura donatur. Nullus exinde annus effluxit, quin aliquid in Bulgaros *Basilius* tentaret, ut fusè Historici Byzantini narrant.

Anno Eræ Hispan. MXL. Anno Hegiræ cccxciii, inchoato die 10. Novemb. fer. 3.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6495.

☉ 3. D. ☽ 15. P. 5. April. Indict. 15.

JESU CHRISTI 1002.

SILVESTRI II PAPÆ 4.

HENRICI II REGIS I.

BASIL. & CONST. IMPP. 27.

I. *Moritur Otto III Imp.* AD num. I & seq. Chronographus Hildensheimensis, qui annum Christi & indictionem à die Natali Christi exorditur, mortem Ottonis III his verbis narrat: *M I I ind. XV Imperator Otto natalem Tudertinæ cum domno Apostolico celebravit. Inde Romam tendens, Salernum* (legendum, Paternum) *oppidum adiit; sed febre & Italico morbo graviter correptus cum generali omnium contristatione X Kal. Februarii, proh dolor! ex hac vita morte immatura discessit: cui Heinricus dux Noricorum, vir in omni Ecclesiastica perfectione præcipuus, Willigiso Moguntiacensi Archiepiscopo, & Bernvvardo Episcopo* (nempe Hildesheimensi) *ordinante successit.* Idem ferè habet Hermannus Contractus ex editione Canisiana. Sed Ditmarus loco, *X Kalend. Februarii*, habet, *IX Kalend. Februarii*, & aliqui, *V Kalend. Februarii*, sed hos ultimos errasse non dubito. Alii enim vel ad diem mortis, vel ad diem depositionis seu sepulturæ respiciunt, ideoque inter se minimè discrepant. Idem Ditmarus lib. 5. pag. 52. testatur, *Ottone III* sine liberis demortuo, Sanctum *Henricum* ei juxta veterem consuetudinem & jure hæreditario & jure electionis successisse, Regnique Primates in Comitiis dixisse: *Henricum Christi adjutorio & jure hæreditario regnaturum.* Quoad annum emortualem hujus Imperatoris, is apud Antiquos certus & indubitatus. Adhemarus in Chronico, qui hoc tempore vixit, ait *Ottonem III haustu veneni in partibus Beneventi* periisse; indeque liquet, *Patyrnam*, seu *Paternum* situm fuisse circa Fucinum lacum apud Marsos in ulteriore Aprutio, tunc in partibus Ducatûs Beneventi posito. Porrò ex laudatis Chronici Hildensheimensis verbis apparet, verum esse quod scribit Sigebertus, Imperatorem ab Urbe discessisse unà cum *Silvestro* Romano Pontifice, non quòd eum sibi sensisset infestum, ut Sigebertum Baronius interpretatur, sed quòd eidem plurimùm confideret.

II. *Ejus virtutes.* Fuit *Otto* III bellica virtute Ottoni Magno avo inferior, religione verò ac eruditione, & Ottone II patre & avo multò superior. Appellatus est vulgò *Mirabilia mundi*, quia rebus præclarè gestis omnes in admirationem rapiebat. Obiit improlis, &, ut ex dictis liquet, valdè juvenis. *Cernens exercitus*, inquit Glaber lib. I. cap. 4. *quem secum duxerat, se suo domino destitutum, coegerunt se pariter in unum agmen, ne ab iis, quos in Italia presserant, trucidarentur, imposito ante se in equo defuncti Imperatoris corpore; sicque in patriam tuti pervenientes, in monasterio Beatæ semper Virginis Mariæ, Aquisgrani decenter sepelierunt.*

S Æ C. XI. An. C. 1002.

III *Laudatur Hugo Hetruriæ Marchio.* Ad num. III & seq. *Hugo* Hetruriæ Marchio nominatissimus, qui semper Ottoni III fidelis fuit, donationem magnificam Abbatiæ à *Willa* matre Florentiæ conditæ fecit, in eaque sepeliri voluit. Grati erga conditorem suum Benedictini monachi cineres ejus marmoreo insigni Monumento cohonestarunt, appositis insignibus & encomio, inscriptoque titulo. In Martyrologio MS. Canonicorum Lucensium, & in Annal. Einsidlensibus à Mabillonio Tom. IV Analect. pag. 479. publicatis *Hugo* dicitur mortuus *anno MI*, quod videtur confirmare Diploma Ottonis III hujus anni initio datum, quo bona attributa eidem Abbatiæ pro salute animarum *Hugonis*, ac *Willæ* ejus matris confirmat. Nam in fine ejus legitur: *Datum VI Idus Janu. anno dominicæ Incarn. M I I ind. XV, anno III Ottonis, regni XVIII anno imperii VI. Actum in Paterno.* Non multò post ejus mortem erectum est illi sepulchrum porphyrogeticum, eique Epitaphium affixum, ut narrat Ughellus in Italia Sacra Tom. III.

IV. *Ejus genealogia elucidatur.* Baronius existimavit, *Hugonem* Tusciæ Ducem fratrem fuisse *Bonifacii*; hunc ei in Ducatum successisse, & utrumque, non *Ubertum*, uti communiter creditur, sed *Albertum* patrem habuisse; at certa Antiquitatis documenta hæc tria refelluntur, quod, ut evidenter pateat, & Ducum Hetruriæ series in bono lumine collocetur, observandum, *Ubertum*, sive *Hubertum*, vel *Obertum*, ut à Luitprando appellatur, filium *Hugonis* Italiæ Regis ex *Wandelmoda* concubina, uxorem duxisse *Villam*, filiam *Bonifacii Majoris* cognominati, Spoletinorum & Camerinorum Marchionis, ac ab eisdem genitos *Hugonem* Tusciæ Marchionem anno superiori demortuum, & *Villam* cum *Thedaldo* seu *Theobaldo* conjugio postea conjunctam. Cùm verò *Hugo* sine liberis obierit, successit ei, non *Bonifacius*, ut putavit Baronius, sed idem Thedaldus, Villæ sororis Hugonis maritus. Id præter alios, ipsemet Theobaldus docet in Constitutione LXXIII Tomo II Bullarii Casinensis recitata, quæ continet dotationem monasterii sancti Benedicti de Padolyrone à se nuper ædificati, & scripta est *anno IV regni Henrici, mense Junii, indictione quinta*, anno scilicet Christi MVII. In ea ait Thedaldus: *Ego in Dei nomine Teudaldus Marchio; filius quondam Adelberti, itemque Marchio*, meminitque in ea Vuiliæ seu Villæ *quondam* conjugis suæ. Hinc etiam habemus, *Thedaldum* avum Mathildæ Comitissæ in Historia Ecclesiastica passim laudatæ, & nunquam satis laudandæ, filium extitisse *Adelberti* Tusciæ Marchionis, qui in Constitutione LXI ibidem relata, dataque à Guillelmo Episcopo Mantuæ & ab ipso Adelberto Comite, *sexto die mensis Novembris indictione decima*, anno nempe CMLXXXI, semel & iterum testatur se *Adelbertum & Attonem Comitem* appellari, & suum *quondam* patrem fuisse *Sigifredum*. Sigonius lib. VIII de Reg. Ital. & cum eo Florentinius in Comment. de *Rebus ad Mathildem Comitissam spectantibus*, lib. I. & 3. tradunt, *Thedaldum* anno MVII demortuum; sed *Bonifacium* filium, Mathildis Comitissæ patrem, ei in Tusciæ Ducatum successisse, malè affirmat Sigonius; longè enim se-

S. Æ C. XI. An. C. 1002.

rius Bonifacium Hetrutiæ præfuisse, rectè ibidem vidit Florentinius, ubi scribit, nullum sibi occurisse Diploma ante annum M X X X I V scriptum, in quo *Bonifacius Marchio* appelletur. In eodem tamen Bullario Constitutio L X X X I I I continet donationem Richildæ Comitissæ & ipsius Bonifacii, factam anno M X X V, *I V Kalendas Maii indict. V I I I*, in eaque Richilda, quæ prima ejus uxor fuit, se *Comitissam*, & Bonifacius se *Marchionem* nuncupat.

V. *Proximi ejus successores in Ducatu Tusciæ.*

Mortuo *Theobaldo* Tusciam aliquo tempore rexit alius *Bonifacius*, qui se in Diplomate à Baronio memorato, annoque M I X exarato, se Marchionem & filium *Alberti Comitis* vocat. Quod non solùm ipsimet Baronio; sed etiam Beslio in Tractatu *de Vera Origine Hugonis Italiæ Regis*, causa errandi fuit; ex eo enim deduxit Baronius Hugonis Tusciæ Ducis patrem, non *Hubertum*, sed Albertum dictum; Beslius verò illud suppositititium esse; quòd certò, inquit constet, Bonifacium, non *Alberti*, sed Thedaldi filium fuisse. Verùm Albertus iste diversus ab *Huberto*, & Bonifacius Alberti filius alius à Bonifacio Mathildis Comitissæ patre, & Thedaldi ejus avi filio; neutrumque in dubium revocari potest; cum certissimis documentis innitatur. Porrò Thedaldum Marchionem *avum* fuisse Mathildis, ipsamet prodit in Constit. LXXVIII Tom. I I Bull. Casinensis, data anno MCIV.

VI. *Dies coronationis S. Henrici Germaniæ Regis.*

A num. V ad IX. Nescio à quo Baronius num. V I I I acceperit, *Sanctum Henricum* Bajoariæ Ducem hoc anno in locum Ottonis I I I electum Germaniæ Regem, *I I I Idus Junii* coronatum fuisse Ditmarus enim lib. 5. refert, eum die *V I I I Idus Junii* in Regem electum esse, & Adelboldus Episcopus Ultrajectensis, scriptor coævus in Vita Sancti hujus Imperatoris, à Gretzero in Sanctis Bambergensibus publicata, diem ejus inaugurationis his verbis disertè notavit: *S. Henricus V I I I Idus Junii* (is dies ad ejus electionem referendus, & coronatio facta V I I Idus Junii, in quem Dominica cadebat) *in Regem Moguntiæ eligitur, acclamatur, benedicitur & coronatur. Celebratis diebus ordinationis suæ, & quibuscumque venientibus in militia susceptis; Rex Rhenum iterùm transiit cum maxima multitudine per Orientalem Franciam in Alemanniam, ut Hermannus* (qui Alemanniæ Dux erat, & Henrico se se subdere nolebat) *ut ceteri, Regiæ majestati subderet*, &c. *ab Alemannia in Franciam terram unicè sibi dilectam recessit, & non multis diebus in Francia moratus, in Thuringiam ivit. Inde procedens in Saxoniam pervenit*, &c. *His strenuè peractis Regi à Saxonia in regnum Lothariense properanti, Bruone occurrit uxor sua, domina Cunicunda nomine, jam existans, sed re citò Regina futura. Inde enim Paderbronam veniens in festo Sancti Laurentii* (die scilicet X Augusti) *acclamatur, benedicitur & coronatur, & fit Kunigunda Keninga, quod Latinè interpretari potest Regia, Regina.* Auctor Anonymus Vitæ Sanctæ Cunigundis apud Bollandum ad diem III Martii de ea scribit: *Eadem beata & Deo dilecta Chunegundis terreno Imperatori corporaliter, non carnaliter conjuncta cœlesti Regi suam virginitatem consecravit, quam usque in finem, casti conjugis consensu, Deo teste, conservavit.*

VII. *Arduinus fit Rex Italiæ.*

Post Ottonis I I I mortem *Arduinus* Dodonis filius Eporediensis Marchio existimans Regiæ dignitatis atque Imperatoriæ titulum denuò ad Italos antiquo hæreditatis jure recidere, Italiæ Principibus auctor fuit, ut vetus decus recuperarent. Itaque Conventu super ea re Papiæ, antiquo Longobardorum more indicto, frequenti concilio Rex Italiæ creatur. Supersunt varia Diplomata ab eodem *Arduino* sequentibus annis data. Unum recitat Guichenonus in Biblioth. Sebus. cap. 10. quo continetur donatio ab Ardoino Italiæ Rege Ecclesiæ Sancti Syri Papiensis facta, pro anima patris sui Doddonis, in cujus fine legitur: *Datum anno dominica Incarnat. M X I, Kal. Aprilis, indict. I X. Actum Bobii in Episcopali Palatio feliciter.* Arduinum verò hoc anno ante diem X X. mensis Februarii dictum esse Italiæ Regem, ostendit ejus Constitutio in Bullario Casinensi recitata, quâ omnia jura monasterii sancti Salvatoris Papiensis confirmat, *data X Kalendas Martii, anno dominica incarnat. M I I, anno domini Arduini Regis regni I. Actum in Papiensi Palatio feliciter, Amen.* De bellis inter eum & Henricum Germaniæ Regem gestis, legendus Sigonius lib. V I I I de Reg. Ital.

VIII. *Religio Christiana in Hungaria floret.*

A num. IX ad X V I. Ecclesia Hungarica sub *Sancto Stephano* Rege & *Gisela*, quæ Sancti Henrici Germaniæ Regis soror erat, non verò filia, uti perperàm ex Cartuitio in Vita sancti Stephani Baronius habet, maximè florebat. Quod tamen idem Baronius num. X V de *Giula* Transilvaniæ Principe habet, ad annum sequentem pertinet. Chronographus enim Hildensheimensis ad eum Christi annum ait: *Stephanus Rex Hungariæ super avunculum suum Regem Julum cum exercitu venit: quem cùm comprehendisset cum uxore & filiis duobus, regnum ejus vi ad Christianitatem compulit.*

IX. *Annus adventûs Normannorum in Italiam.*

Ad num. X V I. Primum Normannorum in Italiam adventum, qui in annum millesimum decimum sextum convenit, ut ibidem videbimus, recentes Scriptores cum Baronio huic passim anno alligant, sicque Historiam à Veteribus non paucis fabulosis narrationibus obscuratam magis implicant. Quare satius erit quod de Normannis in Annalibus refertur, ad eum Christi annum differre, ut faciliùs è tenebris veritas educi possit.

X. *Translatio S. Oswaldi Archiep. Eboracensis.*

Hoc anno *Aldulphus* Eboracensis Archiepiscopus, Sancti Oswaldi sui Decessoris corpus è terra levavit: *Ipse*, inquit Thomas Stubius, *duodecimo Episcopatus sui anno, congregatis Coepiscopis, Abbatibus, multisque religiosis viris Sancti Oswaldi Archiepiscopi ossa anno Regis Adelredi X X V, indict. X V, V I I Kal. Maii* (legendum, X V I I Kal. Maii) *feria I V è tumulo levavit, & in scrinio quod paraverat, honorificè collocavit.* Idem habet Vigorniensis, & ante utrumque Simeon Dunelmensis in lib. de Gestis Reg. Angl. Sed cùm Oswaldus anno C M X C I I spiritum Deo reddiderit, nonnisi magno errore scribunt, id factum esse anno duodecimo *Aldulfi* ejus Successoris. Ex his intelligimus, per hæc tempora Sanctarum Reliquiarum Translationes diebus Dominicis semper peractas non fuisse.

XI. *Dani in Anglia uno die nefariè trucidati.*

Millesimo secundo anno, inquit Huntindoniensis lib. 6. *Emma Normannorum gemma venit in Angliam, & diadema, nomenque Reginæ suscepit. Quo proventu Rex Adelred in superbiam elatus, & perfidiam prolapsus, omnes Dacos, qui cum pace erant in Anglia, clandestina proditione*

ne fecit mactari una eademque die, scilicet in festivitate sancti Bricii (quæ in diem XIII mensis Novembris incidit), *de quo scelere in pueritia nostra quosdam vetustissimos loqui audivimus: quod in unamquamque urbem Rex præfatus occultas miserit Epistolas, secundùm quas Angli Dacos omnes eadem die & eadem hora, vel gladiis truncaverunt impræmeditatos, vel igne simul cremaverunt subitò comprehensos.* Baronius Westmonasteriensem secutus anno MXII num. XIII de hac carnificina agit; sed Westmonasteriensis in Chronologia parùm accuratus, & Huntindoniensis sequentis seculi initio floruit, eique alii suffragantur.

XII. *Ea Carnificina magis explicata.*

Impio illo facto, quô divina simul & humana jura temerata sunt, Ethelredus *Ignavi* cognomentum sortitus est. In ea carnificina nec obsidibus parcitum, nec alteri sexui, qui recèns in Insulam firmandæ pacis causâ venerat. Ita periit *Gunilda* Swani Regis soror, & morte sua *Danis* Angliæ Regnum asseruit: nam atroci homicidio excitus frater, justissimâ irâ in vindictam surrexit, filioque *Canuto* propterea Insulæ Principatum reliquit: *Erat Gunildis*, inquit Florilegus, *Palingo Comiti, nobili viro, lege conjugali copulata; quæ prioribus annis cum viro Angliam ingressa, fidem Christi & sacramentum baptismatis suscepit. Hæc virago prudentissima, pacis inter Anglos & Danos mediatrix existens, se se obsidem, cum viro, & unico filio, quem habebat, Regi Ethelredo ad pacis securitatem dedit. Hæc à Rege cum esset Eadrico duci nequissimo ad custodiendum commissa; post dies paucos, in ejus præsentia, virum suum cum filio suo, quatuor fecit lanceis proditor ille Eadricus jugulari: qui & illam novissimè decapitari præcepit. Mulier verò mortem forti animo perferens, nec moritura expalluit; nec mortua consumpto sanguine vultus sui serenitatem amisit. Verumtamen moriens fiducialiter pronunciavit: quod sui sanguinis effusio, magno toti Angliæ fieret detrimento.* Eadem ferè habet Malmesburiensis. Prædictioni respondit eventus; nam Dani & Danorum Rex *Swanus*, *Gunildis* frater, multorum morte, regnique excidio hoc facinus castigarunt. Et qui hactenus furtim, & privato solum impetu insulam infestarunt, prædonum tantùm modo & pyratarum more: nunc justissimo Danorum imperio conscriptus miles, missusque in vindictam, acriùs pugnavit; & pugnantibus adfuit, qui innocentes tueri solet, Deus. Fusiùs hanc carnificinam Alfordus hoc anno narrat.

XIII. *Barum frustrà à Saracenis obsessum.*

Lupus Protospata in Chronico scribit: *Anno MII obsidet Saphi Caytus*, (idest, Dux Atabum), *Barum* (seu Bartum munitum Apuliæ oppidum) *secundo Maii usque ad sanctum Lucam mense Octobris: tunc liberata est per Petrum Ducem Venetiarum.* Quod à Chronologo Bari apud Peregrinium confirmatur. Dux porrò ille alius non est, quàm *Petrus Urseolus* anno MVI post multa inclyta facinora patrata demortuus. Hujus tamen, nec Justinianus, nec alii Historici Veneti, quod meminerim, mentionem fecêre.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6496.

☉ 4. C. ☽ 16. P. 28. Mart. Indict. 1.

JESU CHRISTI 1003.

JOANNIS XVIII PAPÆ 1.

HENRICI II REG. 2.

BASIL. & CONST. IMPP 28.

SÆC. XI. An. C. 1003. Anno Æræ Hispan. MXLI. Anni Hegiræ cccxciv. inchoati die 30. Octob. fer. 7.

I. *Moritur Silvester II PP.*

AD Num. I ad IX. in Epitaphio Silvestri II Papæ à Baronio num. 1 recitato, dicitur Sedis ejus *lustrale spatium* fuisse, & in fine: *Obiit anno dominicæ Incarnationis MIII, indict. 1 M. Maij. D. XII*; ab anno enim CMXCIX ad currentem anni quinque utrimque incompleti intercurrunt. Quare cùm juxta Catalogos annos quatuor, mensem unum, & dies novem Silvester Ecclesiam Romanam rexerit, ordinatus fuerat die secunda mensis Aprilis supradicti Christi anni; die undecima mensis Maij mortuus est, postridieque sepultus. Calumniam huic Pontifici à *Bennone* Schismatico impactam, quòd scilicet magus & necromanticus fuerit, epitaphium illud, quod adhuc in Vaticana Basilica legitur, everteret, quando silentium antiquorum Historicorum deesset. Joannes Diaconus Junior in suo libello de Ecclesia Lateranensi ait retrò sub absida esse sepultutas aliquot Apostolicorum quos nominat, additque: *In eadem quoque porticu jacet Gerbertus Remorum Archiepiscopus, qui Papa effectus Silvester est appellatus: cujus sæpe sepulchrum, etiam in serenissimo aere, cum non sit in humido loco, aquarum guttas (quod satis est hominibus admirandum) visibiliter emanat.*

II. *Non est Auctor primæva Vita S. Adalberti.*

Baronius num. VI ait, à se visam *Sancti Adalberti* Pragensis Episcopi & Martyris Vitam *Silvestri Papæ* nomine scriptam, cujus est exordium: *Est locus*, &c. Eamdem Vitam ex Bibliotheca Casinensi erutam Romæ postea Bzovius publicavit, & *Silvestro secundo*, ut ait, suo Auctori vindicavit. Ad hæc Henricus Canisius Tom. VI Antiq. Lect. & Freherus ad calcem Chronici Bohemorum eamdem Vitam, quæ prior est inter Adalberti Vitas, ediderunt, hancque Freherus Cosmæ Pragensis Ecclesiæ Decano attribuit. Verùm has opinationes Henschenius ad diem XXIII mensis Aprilis, quô Sanctus *Adalbertus* colitur, & Mabillonius Sec. V Benedict. vanas esse ostendunt, eamque Monachi Anonymi fœtum esse docent. Hujusmodi suppositionum innumera exempla habemus.

III. *Silvestro II succedit Joannes XVII, & huic Joannes XVIII.*

Ad num. IX & seq. In Catalogo Pontificum Rom. ordine VIII dicitur, post Silvestri II mortem cessasse Sedem *dies triginta tres*, qui accuratè descripti videntur; cùm dies XIII mensis Junii in Dominicam incidat, quo ideo die *Joannes*, qui dicebatur *Sicco*, natione Romanus, ordinatus fuit. *Joanni XVII* passim Scriptores & Catalogi *menses quinque* adscribunt, & in sex Catalogis adduntur dies viginti quinque. Quare obiit die septima mensis Decembris, & *Joannes* hujus nominis XVIII, natione Romanus, qui dicebatur *Fasanus*, ordinatus est die vigesima sexta ejusdem mensis, in quam Dominica & Festum Sancti Stephani Protomartyris incidunt; cùm tam in laudato Catalogo VIII, quàm in magno Chronico Belgico pag. 95. legatur, post mortem Joannis

XVII cessasse sedem *dies novemdecim*. Gerardus du Bois in lib. X Hist. Ecclesiæ Parisiensis cap. 3. refert donationem à Raynaldo Parisiorum Episcopo Canonicis Ecclesiæ Parisiensis factam, quam Joannes XVIII rescripto suo confirmavit, quod in hæc verba desinit: *Datum IV Non. Decemb. per manus Petri Abbatis & Cancellarii sacri Lateranensis Palatii anno III Pontificatûs domini Joannis octavi-decimi, & universalis Papa in sacratissima fide beati Petri Apostoli, indictione V*, anno scilicet Christi MVI. Quare cùm die secunda mensis Decembris illius anni tertium Pontificatûs annum adhuc numerarit, perspicuum est, eum hoc anno post eumdem diem Pontificem Romanum consecratum fuisse. Qua etiam ex subscriptione constat, hunc Pontificem se ipsum *decimum octavum* appellasse, ideoque & decessorem suum Joannem XVII dictum fuisse. Pontifices autem Romanos eodem modo ab Historicis appellandos, quo ipsimet se se in suis rescriptis vocarunt, jam suprà insinuavimus; perperàmque Platina, & Baronius, ordinem illum immutarunt; cùm sine perturbatione Historiæ & Lectorum incommodo id fieri non potuerit. Certè si quis Martinum Papam, qui se *quintum* appellavit, *tertium* nominaret, audiendus non esset; & tamen non est major ratio de Martino, quam de duobus mox memoratis, nec inde minor perplexitas oritur. Papebrocius refert subscriptionem cujusdam Privilegii à Joanne XVIII concessi, ex qua etiam liquet, eum *Joannem XVIII*, non verò Joannem XIX, ut eum appellavit Baronius, semetipsum nuncupasse, quod ante eum Onuphrius docuerat, eumque Joannem XVIII rectè appellarat. Porrò Joannes Diaconus Junior in libello de Ecclesia Lateranensi testatur Joannem XVII in ea Ecclesia sepultum esse cum hoc Epitaphio:

Cernitur hic tumulus, qui Præsul dicitur esse,
Summi Joannis, sic quoque dictus erat.

Iste Joannes XVII Papa, inquit idem Joannes Diaconus.

IV. *Martyrium S. Abbonis Abb. Floriacensis.* Ad num. XIII & seqq. Baronius à Sigeberto in Chronico deceptus mortem Sancti *Abbonis* Floriacensis Abbatis cum præsenti anno copulavit; verùm Aimoinus Floriacensis Monachus hujus Sancti Vitam elucubravit, annoque MV libros Miraculorum Sancti Benedicti Abbatis. In lib. 3. cujus fragmentum recitat Duchesnius Tom. IV ait Aimoinus: *Oylboldo Abbate in Christo quiescente, Abbo Deo & hominibus vir amabilis, à fratribus, Hugone annuente Rege electus, in gradum successit monastici regiminis. Qui præcedente hunc, quo hæc scribimus anno* (nempe MV), *qui fuit ab Incarnatione domini MIV in Vasconia partibus, à perfidis illius nationis hominibus, nobis præsentibus, innocenter occisus, martyrii sanguine laureatus ad regna est æterna a Christo vocatus.* Adhæc in Fragmento Historiæ Franciciæ à Ludovico Pio Imp. usque ad Robertum Francorum Regem apud Duchesnium Tom. III pag. 345. de Sancto Abbone habetur: *Qui demum Incarnat. Dominicæ anno MIV à perfidis Wasconibus in quadam præfati monasterii* (nempe Floriacensis) *Cella martyrizatus occubuit. Et nunc usque ad ejus sacrum tumulum divinâ gratiâ magna fiunt miracula.* Baluzius lib. I Miscell. pag. 411. refert Epistolam Encyclicam Monachorum Floriacensium de cæde Abbonis Abbatis, in qua aiunt: *Wasconum gladiis felix promeruit feliciter beatorum Martyrum socius fieri.* Paulò post: *Obiit Idibus Novemb. die natalis Sancti Bricii*, qui fuit Archiep. Turonensis. Denique illo etiam anno Abbonis martyrium collocatur in Chron. Floriacensi apud Baluzium lib. 2. Miscell. Varia Abbo scripsit Opuscula, ex quibus pauca ad nos pervenêre, ut videre est apud Natalem Alexandrum Sec. IX & X part. I. Mabillonius Tom. II Analect. pag. 248. è tenebris eruit Canones ejus ad Hugonem & Robertum ejus filium Francorum Reges, qui sunt numero LII, & ad restituendas veterum Canonum lectiones & lacunas non parùm conducunt, & quo in statu Francica Respublica eo tempore esset, ostendunt. In ea Collectione nullas *Abbo* ex supposititiis Romanorum Pontificum Epistolis adducit, licet per id tempus ejusmodi subdititiæ literæ cæca religione admitterentur, indeque eum præclara eruditione exornatum fuisse nobis innotescit. Vide dicta anno CMLXXI num. IV.

V. *Anglia à Danis devastatur.* *Suenus* Danorum Rex cùm accepisset crudelitatem ab *Eldredo* Anglorum Rege in Danos exercitam, Danos, exterosque ad vindictam vocavit, & termino statuto adveniente *ad naves immensus illicò cucurrit exercitus.* Ipse Rex pacis gratiâ Rotomagum ad Richardum Normannorum Ducem hujus nominis II venit, & *pacem continuam inter se firmaverunt. Ea videlicet lege, ut per succedentia Danorum Regum, Normannorumque Ducum ac eorum hæredum tempora, firma perpetualiter inter eos maneret*, inquit Gemmeticensis lib. 5. cap. 7 qui subdit, Svenum continuò Anglorum Regnum ultricibus flammis tradidisse, & tam Eboracenses, quàm Cantuarios & Lundonienses, cùm viderent se à nullo juvari, ejus potestati se subdidisse. Huntindoniensis verò lib. 6. pag. 360. *millesimo tertio anno*, inquit, *irâ Daci exarserunt dignâ, sicut ignis: quem sanguine velit aliquis extinguere. Advolantes igitur, quasi multitudo locustarum, quidam Exaceastriam venerunt: & urbem totam funditus destruxerunt: & omnia spolia secum, cineribus tantum relictis, deportaverunt.* His addit Hovedenus: *Anno millesimo tertio Rex Danorum Swein, per incuriam & proditionem Normannici Comitis Hugonis, quem Regina Emma Domnoniæ præfecit, civitatem Exestram infregit, spoliavit, murum ab orientali usque ad occidentalem portam destruxit: & cum ingenti præda naves repetiit.* Narrat postea Svanum seu Sveonem Wiltoniensem provinciam ingressum, *Aelfrici* Ducis, qui Anglis tunc præerat, proditione, devastasse & incendisse, & simili modo *Serbiriam* præcipuum oppidum consumpsisse, ac postea suas naves repetiisse.

VI. *Germania bello civili turbata.* In Germania *Henricus* Rex validas copias *Hermanno* Sueviæ Duci, qui ad Germanicum Regnum aspirabat, objecit. Is tamen *Argentinam* Wicerino Episcopo infestus, proditione cepit. Urbs fœdè direpta, beatæ Virginis ædes expilata & incensa, inscio licet aut invito Hermanno. Eamdem prædandi licentiam *Henrici* exercitus sibi deposcebat, quod facinus Rex aversatus, copias in Franconiam abduxit, tandemque *Hermannus* viribus suis diffisus Regi se se submisit. Quæ fusiùs à Germanicis Scriptoribus narrantur. Hîc tantùm afferam Chronographi Hildensheimensis verba ad hunc Christi annum: *Herimannus Alemannorum dux Regis electioni aliquandiu resistens, Regiæ se potestati subdidit, &*

interventu

SÆC. XI. An. C. 1004.

interventu Reginæ & Principum in suo honore permansit. Heinricus Berlchaldi Comitis filius, & Bruno frater Regis, & ambo Bolizlavones (idest, Boleslai) *Polonicus videlicet ac Boemicus, à Rege infideliter majestatis rei deficiunt. Sed Heinricus ad Regem veniens, & refugiens in Givekansteim custodiæ mancipatur.* Bruno tamen anno sequenti *Gisla* matris operâ Regi reconciliatus est, ut habet idem Chronographus.

Anno Eræ Hisp. MXLII. Anno Hegiræ CCCXCV, inchoato die 18. Octob. fer. 4.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6497.

☉ 5. B A. ☽ 17. P. 17. April. Indict. 2.

JESU CHRISTI 1004.

JOANNIS XVIII PAPÆ 2.

HENRICI II REG. 3.

BASIL. & CONST. IMPP. 29.

I. *Leuthericus Senonensis Archiep. ob motam de Eucharistia quæstionem increpatur.*

AD Num. III ad VIII Refert Baronius ex Helgaldo in Vita Roberti Franciæ Regis, *Leuthericum* Senonensem Archiepiscopum, qui olim *Gerberti* postea Summi Pontificis discipulus fuerat, de veritate Corporis & Sanguinis Domini in Eucharistia dubitantem à *Roberto* Rege acriter increpitum fuisse, hincque increbrescere cœpisse rumorem illius blasphemiæ, quam postea *Berengarius* Turonensis apertè professus est. Ex verbis tamen Helgaldi clarè evinci non potest, *Leuthericum* de veritate Corporis Christi dubitasse, sed hoc tantùm, quòd dignos putarit, accipere corpus Christi, non verò indignos. Ut ut sit, hinc hæreseos de Eucharistiæ mysterio sumi potest exordium. Nam postquam *Leuthericus*, inquit Bulæus Sec. III Hist. Universitatis Parisiensis, qui ab omnibus Vir doctissimus babebatur, quæstionem illam movere cœpit, licet eo increpito & tacere jusso, non destitère tamen curiosi novitatis eamdem in Scholis agitare. Tumque *Fulbertus* Gerberti quoque discipulus, qui Scholas Carnotenses regebat, à discipulis rogatus, ut quid sentiret, quidve sentiendum foret, explanaret, eamdem in scriptis tradidit, & veram, orthodoxamque sententiam propugnavit. Admonuit autem *Leuthericum*, ut cautè circumspiceret quid rei moliretur: *Proreta navis Regiæ*, inquit, *cautus & circumspectus esto. Terreni spiritus insolenter assibilant. Fluctus hujus seculi intumescunt: promontoria mundanæ potestatis pericula minantur, & mortes more pyratarum insidiantur hypocritæ.*

II. *Flores Fulbertus postea Episc. Carnotensis.*

Fulbertus ex Magistro Scholarum Ecclesiæ Carnotensis Cancellarius creatus, & non multò post præsentem annum ejusdem urbis Antistes renunciatus, omnium sui temporis Doctorum doctissimus habebatur, & ab omnibus propter ingentia merita suspiciebatur. Familiarissimus & amicissimus fuit *Sancto Abboni* Floriacensi Abbati præsenti anno martyrii gloria coronato, ut superiori diximus, ibique dicta ad præsentem annum retrahenda. Extat enim Epistola Fulberti ordine XXI ad Abbonem, quæ his verbis inchoatur: *Pleno virtutis & gratiæ circumfuso charissimo patri Abboni Fulbertus suus. Quanam terra salutatione digner, ô sacer Abba! ô magne Philosophe, quod rependam muneris sanctæ amicitiæ, quam promiserunt signa gemmatæ facundiæ, vix æstimare sufficio.*

III. *Eucharistiæ mysterium defendit.*

Postquam quæstio de Corpore Christi in Eucharistia mota fuit, eam sibi *Fulbertus* in Schola, Scriptisque tractandam suscepit, eamque etiam tractatam, & validis munitam rationibus publicavit, ut patet ex Epistola I ad *Adeodatum*, quâ tria ad salutem necessaria esse docet, nempe mysterium Trinitatis, Baptismi rationem & causam, veritatem denique Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia: *In his tribus*, inquit, *multi nimis carnaliter intuentes, dum plus carnalem sensum, quàm fides arcana mysteria contemplantur, in abruptum perniciosi erroris præcipitium devoluti, nec rerum veritatem, nec sacramentorum virtutem percipiunt, & ideo ab unitate Ecclesiæ divisi, dum fieri nolunt discipuli veritatis, magistri fiunt erroris. Prætermissa itaque luce veritatis, tenebrosas propennunt calumnias, & sacras Scripturas verbis sacrilegis nituntur adulterare, aut furtivis erasionibus recidere.* Descendit postea ad quæstionem de mysterio Eucharistiæ propositam, eamque pluribus ac doctè solvit.

IV. *Moritur Joannes Canaparius Monachus.*

Ad num. VIII & seqq. Mortuus est hoc anno *Joannes Canaparius*, insignis Monachus monasterii SS. Alexii & Bonifacii Romæ positi, cujus cum laude mentio in priori Vita *Sancti Adalberti* Episcopi Pragensis & Martyris. Baronius num. XI ejus Epitaphium recitat, in quo dicitur: *obiit mense Oct. die XII indict. III*, quæ à Kalendis Septembris hoc anno Romæ obtinebat; Romæ autem ac in Italia Indictiones à Septembri inchoatas fuisse, innumeris exemplis liquet.

V. *Henricus Germaniæ Rex coronatur Rex Italiæ.*

Henricus Germaniæ Rex *Ardoino* Italiæ Regi, antequam eo in regno se se confirmare posset, occurrendum existimavit. Chronographus Hildesheimensis ad hunc Christi annum hæc refert de Henrico Palidi non longe à Meserburgo commorante; *Illo ad eum Episcopus Veronensis, ac alii quidam Primores Italiæ regni venerunt cum Regiis muneribus.* Hermannus verò Contractus ex editione Canisiana: *Heinricus Rex per Veronam Italiam cis Padum petens, omnes sibi partium illarum civitates subjecit. Papiam ipsa, qua coronatus est die, irrumpens, gladio & igne perdomuit. Inde acceptis obsidibus in Saxoniam reversus, post paucos dies in Sclavos arma convertit. Bohemanisque ad pristinam servitutem, tributumque redactis Bolizlaum etiam Ducem Sclavorum Bolanorum* (idest, Polonorum) *cum tota gente sua subjugavit; & in Saxoniam victor rediit.* Erravit itaque Sigonius lib. VIII de Reg. Ital. ubi non solùm hanc Henrici Regis expeditionem cum anno superiori connectit; sed etiam scribit, exercitum Henrici in fugam conjectum esse, huncque *Ardoinum* atque Italiam in præsens omittere coactum. Henrici tamen expeditionem Italicam in annum sequentem differt Ditmarus lib. VI, & pluribus narrat, eique standum existimo.

VI. *Initium trium Rerumpublicarum in Italia.*

Refert ibidem Sigonius per hoc tempus tres populos parùm adhuc in Italia aut rebus gestis, aut Principum beneficiis ad memoriam hominum celebratos, præclaris rebus gerendis universos Italiæ oculos in se convertisse, nempe *Genuenses*, *Pisanos* & *Florentinos*. *Genuenses* & *Pisani* ad inferum mare locati, exemplo Venetorum, qui superum incolebant, rem tractare navalem, non mercaturæ solùm, ut antea; sed etiam rei militaris causâ cœperunt. Occasionem dedêre *Saraceni*, qui pyraticam exercendo navigationem Italiæ prope omnem ademerant. *Florentini* verò cum se terrestribus quærendis opibus dedidissent, deinde cum vicinis bella serere

nunquam

oonquam destitêre. Harum tamen Rerumpublicarum initium tenebris plenum.

VII. *Dani Angliam vexare non desinunt.* Huntindoniensis lib. 6. ad hunc Christi annum scribit: *Suain Rex Dacorum fortissimus, cui Deus regnum Angliæ destinaverat, cum navibus multis venit ad Norwic, & eam prædatus est, & combussit. Quod Uisketel* (legendum Wlsketel) *Dux illius provinciæ videns, fecit pacem cum exercitu, improvisum ejus adventum sustinere non sufficiens. Infra pacem verò exercitus post tres hebdomadas furtim perrexit ad Tedferd* (seu, ut alii habent, Theodfordam) *& eam prædatam combussit. Quod comperiens Dux Ulfketel mane ex improviso cum parva manu revertenti ad puppes occurrit exercitui, quibus graviter & diu resistere, sed non suffecit persistere.* Idem habent Hovedenus & Vigorniensis; qui ultimus addit, emicuisse in hac pugna Anglorum Ducis virtutem, & penes Danos cum multo eorum sanguine victoriam stetisse. Malmesburiensis verò lib. 2. de Reg. cap. 10. ait: *Ita ut quamvis nomen victoriæ ad hostes concessisset, multo plus afflicti qui vicerant, quàm qui victi fuerant, æstimarentur. Nec sanè piguit Barbaros veritatem confiteri; cùm multoties illam victoriam deplorarent.*

Anno Eræ Hispan. MXLIII. Anno Hegiræ cccxcvi, inchoato die 8 Octob. fer. 1.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6498.

☉ 6. G. ☽ 18. P. 1. April. Indict. 3.

JESU CHRISTI 1005.

JOANNIS XVIII PAPÆ 3.

HENRICI II REG. 4.

BASIL. & CONST. IMPP. 30.

I. *Synodus Tremoniensis.* AD num. IV. Ditmarus lib. VI mentionem facit magnæ Synodi in Germania *Tremoniæ*, quæ Urbs est Westphaliæ, hoc anno *in die Non. Julii* celebratæ, cujus Acta desiderantur, indeque quilibet de Decretis in ea habitis suo modo discurrit. Verùm Tom. I Bibliothecæ Labbeanæ recitatur Vita B. *Adalberonis* Metensis Episcopi à Monacho Anonymo, eique coævo scripta, qui hæc de illa Synodo narrat, quæ quia Tom. IX Concil. non memorantur, hîc referenda duxi: *Domnus Henricus Rex*, inquit Anonymus, *qui tertio Ottoni divo Imperatori, ad regnandum quidem, necdum autem ad imperandum in tota Germania, quæ citra Rhenum est, & in Lotharii regno, quod cis Rhenum est, successerat, colloquium Synodumque conscivit. Ubi omnes penè regni sui summos Sacerdotes coadunans, & ex diversis diversa disputans, inter disputandum ipsos eiusdem Sacerdotes acerrimè congreditur, Cur videlicet in suis Diœcesibus & Diœcesanis, ea quæ Synodali ac per hoc spirituali falce secanda erant, non resecarent, ac gladio Spiritûs sancti putrida, & malè sana à membris fidelium abscindere supersederent. Mirantibus omnibus quid sibi verba Regis, tam districtissima vellent, quove tenderent, Rex admiratione eos absolvere curavit, quidve prætenderet, palam fecit.*

II. *Celebrata ob nuptias in gradu prohibito pactas.* *Inter multa*, inquit, *quæ in regno nostro, suisque Parochiis corrigenda sunt, parentes sic sibi proximè conjugio copulantur, ut Deum non timentes, & Deum non reverentes, etiam tertii loci consanguinitatem, quod nefas dictu est, ad copulam adsciscere non refugiant, & lineam, quæ ad septimam usque generationem sacris canonum institutionibus illibata conservari jubetur, Judæis, Paganisque infeliciores in ipsis sui exordiis abrumpere non formidant. Episcopis hinc inde sedentibus, diuque silentibus, pars de quo diceretur nesciens, pars personam, de qua dicebatur, multùm vel amans vel timens, quid dictis Regalibus responderet, prorsùs ignorabat. Mens enim male sibi conscia, dum ea quæ non vult, audire compulatur, fit stupida, vox refugit, verba dilabuntur sapienti coram positus honestius ei videtur silere, quàm loqui. Rex quem fallere nemo poterat, quia erat homo literis apprimè imbutus, eloquentiâ facundissimus, ad regendum Dei timore vivacissimè adstrictus, motum cordis patientia frænis restringens, sacræ Scripturæ exemplis eos aggredi honestius esse judicans. Ecce, inquit, ecce vos estis loca quidem sanctorum Sacerdotum tenentes, & in meliori cathedra, quàm sedisset, Moyses sedentes, utpote vices domini possidentes, qui & boni canes, & sancti arietes pro vita merito dici debueratis, contraria vice, inversoque ordine canes muti non valentes latrare, estis effecti, ipsique cæcitate mulctati, dum subditis ducatum præbere cogimini, & ductor & sequens ambo in foveam præcipitamini. Ecce, inquit, Conradus Dux Austrasiorum consanguinitate nobis, & quicumque in tota patria nobiliores sunt, cunctis affinitate conjunctus, uxorem duxit sic sibi propinquam, sic proximam, ut sicut timemus, non modo ipsi; verumetiam omni patriæ offensa Dei citissime, & ut dicitur, pro foribus adesse videatur. Parumque minus crimen malis tacentibus judicatur, quam ei, qui idem scelus audacter, & sine peccati æstimatione perpetrare cernitur.*

Domnus Adelbero Metensium venerabilis Præsul, sanguinitate & affinitate Regi adsidenti, & cunctis, qui ex magni Henrici (Aucupis dicti, Germaniæ Regis) *linea descenderant, apprimè conjunctus, huic sacræ Synodo intersedebat; & ut erat cunctis Consacerdotibus nobilior, ex celsiorque, sic nobiliori celsiorique sella inter suos prominebat. Hic Regis objurgationem ultrà ferre non valens, & tacere amplius inhonestum judicans: Interim, inquit, ætatis sanè titulis & scientiæ prærogativâ locum quidem loquendi cum fratribus nostris dantes, & honorem cani, senectutique divino præcepto exhibentes, quô dicitur, coram cano capite consurgas, quia maiestatis vestræ potentiam, domine mi Rex, ad dedecus nostri Ordinis objurgationi & invectioni plus plusque videmus verba angere, tacere ultrà verè fatemur; & quæ recta sunt non dicere, non solum stultitiæ; sed quod majus est magnæ verecundiæ deputamus. Domnus Otto Dux, pater istius venerabilis Conradi Ducis, nobis consedentis, natus ex filia magni Ottonis est, cujus soror Gerberga dedit filiam suam Conrado Burgundionum Regi. Ex Conradi autem filia nata est domina Mathildis, hujus Conradi assidentis uxor. Hoc ergo genealogiæ ordine, quia fratres, sororque in supputationem non admittuntur, consanguinitas horum non plus quam secundo loco elongari prævalet.* Conradus itaque Dux Austrasiorum, cujus occasione hæc Synodus congregata filius fuit Ottonis, hic verò Conradi Lotharingiæ Ducis, qui *Liudgardam* filiam Ottonis M. ex Editha priori conjuge sibi matrimonio junxerat. Witichindus enim in fine lib. 2. de Edithæ Reginæ morte loquens, ait: *Reliquit filium nomine Liudolfum, filiam quoque Liudgardam nomine, quæ nupserat Chuonrado Duci*, nempe Lotharingiæ, de quo suo loco egimus. *Gerberga* verò Ottonis M. soror

III. *In particulari propter nuptias Conradi Austrasiorum Ducis & Mathildæ.*

soror Ludovico Transmarino Francorum Regi nupsit; quo ex matrimonio prognata *Mathildis*, conjugio copulata cum *Conrado* Burgundiæ Transjuranæ Rege. Conradus ex Mathilde filias quatuor suscepit, scilicet Giselam, Gerbergam, Bertam, & Mathildem, & ex *Gerberga* seu *Gilberga* Hermanni Ducis Alemanniæ uxore, progenita *Mathildis* Conradi Austrasiorum seu Carentanorum Ducis uxor, de cujus matrimonio hîc agitur. Hermannus Contractus in auctiori Chronico, ubi Conradum Carentanorum Ducem, seu Austrasiorum semper appellat, ad annum M X I I mortem ejus recitat, atque fratrem fuisse Gregorii V Papæ, & patrem alterius Conradi, qui cum Conrado Salico ejus patruele pro Germaniæ Rege propositus est. Porrò ex laudatis Adalberonis verbis in hac Synodo prolatis detegitur error Blondelli *in Pleniori Assertione Genealogia Francica* pag. 45. & seq. ac aliorum qui *Ottonem* Francorum Ducem filium faciunt *Ludolfi* primogeniti Ottonis Magni; cùm tamen non ex Ludolfo, sed ex Liudgarda ejus sorore natus fuerit, ut magis infrà videbitur. Hæc enim difficultas nondum hactenus soluta fuit, & utraque opinio suos habet sectatores.

IV. *Plures Episcopi illicitis Conradi nuptiis favent.*

Pergit Anonymus: *Hac beato viro retexente, tanta ira, tanteque simultates in ipsa Synodo exurgere cœpère, ut nisi esset ea nobilitas, qua cælo, terrà, marique ultràque inclytus effulgebat Conradus Dux, de quo res agebatur, & quicumque sua partis erant, neque Deum, neque majestatem Regiam reverentes, neque Sacerdotibus, quorum maxima & honestissima multitudo præsens aderat, aliquid honoris exhibentes, arma furoremque corripuissent, & ad insaniam exsitiendum quidquid mali manus rebusque inferre posset, non omisisset. Aderat huic magis seditioni, quam Synodo dominus Theodericus, frater quidem hujus domni nostri Adelberonis Pontificis, dux eorum, qui eis citraque Mosam, Mosellamque resident, & hac quæ agebantur, quæque justè disponebantur, sua auctoritate firmabat, atque corroborabat, nuptiasque illicitas cum reliquis Ducibus, Comitibusque, & quod majus est, Sacerdotibus Deo, & rectitudini ac Regiæ justitia faventibus damnans, & humanas iras non formidans, æquitatis lance, quæ Dei erant, liberrimè decernebat. Aderant etiam in hac venerabili Synodo primi & præcipui Sacerdotes, Willigisus Moguntinus Præsul, Heribertus Coloniensis itidem Præsul, Warmacensis, &c. Argentensis, Walterus Spirensis, Notgerus Leodiensis, Hezel Wirzburgensis, Haimo Verdunensis, Bertaldus Leucensis, aliique quamplures, non solum ex Lotharii regno, verum ex omni Germania, quorum pars favere, pars timere nobilis persona hinc inde agitati, hinc inde defluentes pauci admodum, at ipsi inter suos præcipui Deo dilectissimi Adelberoni, & dictis ejus justissimis testimonium veritatis exhibentes egerunt, at inter verum falsumque dissidio & discordia non modica disceptatio fieret, quam etiam ipse Rex omninò sedare non potuit. Verum nisi esset domni & Pontificis nostri Adelberonis incomparabilis nobilitas, furor cæcus & insania misera arma etiam, telaque corripuisset, & ad homicidiumusque ira commotione pertingere contigisset.*

V. *Adalberonis Episc. Metensis magnanimitas in hac Synodo eluxit.*

Hac igitur simultatione, his odiis infestissimis discessum est, & unusquisque ad propria redire festinabat. Sed dominus Pontifex, dum ex patria propria recedens, ad Regale colloquium perrexerat, nihil horum metuens, nihil horum æstimans, quia erat omnium sui temporis mitissimus atque pacificus, non multa militari manu, sed Clericorum & honestissimorum Laicorum dulcissimo comitatu, usus est, & propter id in redeundo, verens, ne fortè in via hostis insidias pateretur, ab itinere parum quid declinare dignum duxit, & cedere magis ad horam, quàm vesania furentis Principis locum cadis, aut alicujus alterius malignitatis dare voluit. Dei autem Omnipotentis & Christi ejus ineffabilis pietas, & æterna clementia aliter quam dominus Pontifex crediderat, rei eventum miserando disposuit, & disponendo præordinavit, dum spiritum furoris & malignitatis, dum vim latrantis & turbulenti vertiginem in eum pavorem in eumque timorem commutavit, ut eo impetu eaque virtute, qua Dei servum ante persequi moliebatur, nunc fugere ac retrò ire, viribus, quibus poterat, aggrederetur, ac magis capi timeret, quam corpore elaboraret. Duabus igitur diebus fuga fidem committens, donec in tuto se esse credidit, semper se a domno Pontifice, & fratre ejus Duce Theoderico insequi existimebat memoratus Conradus; nostri vero nihil aliud quàm patriam repetere, & ad id summa festinatione conabantur: & quia & tempus poscebat, præter pacem, & ea quæ pacis sunt videlicet metere, charis domesticis utilia administrare. Ita Auctor ille Anonymus, quod nullus ante eum nos docuerat. Gestorum in hac *Tremoniensi* Synodo narratio in proximam Conciliorum editionem inserenda erit. Antequam in Vita beati *Adalberonis* Metensis Episcopi è tenebris erueretur, hujus Synodi causa ignota erat.

VI. *Moritur B. Adalbero Episc. Metensis.*

Adalbero, cujus eximiæ virtutes in ejus Vita fusè referuntur, sub hujus anni finem ad superos evolavit. Scribit enim laudatus Anonymus: *Suscepit Episcopale officium anno ab Incarnatione domini nostri Jesu Christi C M L X X X I V, X V I I Kalendas Novembris. Ordinatus est eodem anno V Kalend. Januar. Transiit ex hac luce ad beatam vitam & veram lucem anno dominica Incarnat. millesimo quinto, Indictione tertia* (à Natali nempe Christi deducta), *regnante Henrico Rege, anno regni sui V I.* Verùm loco V I, legendum I V, ut manifestum est. In principio ejusdem Vitæ dicitur, *Adalberonem* decessisse *X I X Kalendas Januarii.* Meurissius in Historia Episcoporum Metensium, cùm laudatam Vitam non vidisset, initium & finem Episcopatûs Adalberonis detegere non potuit, atque mortem ejus in Necrologio Ecclesiæ Cathedralis inscribi ad diem X I V mensis Decemb. in Codicibus verò MSS. ad diem X V ejusdem mensis. Sed ex his diebus alter ad mortem, alter ad sepulturam referendus, juxta regulam à nobis toties inculcatam. Quid post Adalberonis hujus nominis I I mortem contigerit, summariè refert Sigebertus ad annum M I X: *Henricus Imperator Metis urbem obsidet propter Deodericum fratrem uxoris suæ* (nempe Sanctæ Cunigundæ) *contra se rebellantem, qui Episcopatum ipsius urbis usurpaverat. Dux enim Mosellanorum Deodericus post fratrem suum Adelberonem, dato Metensium Episcopatu filio suo adhuc puero* (de consensu nempe ejusdem Henrici Regis, à Sigeberto Imperatoris nominati) *tutorem ei substituit ipsum Deodericum, qui puero urbe excluso, & Episcopatu usurpato, ipsum etiam Deodericum Ducem* (nempe Mosellanorum) *bello capit. Urbe ergo per obsidionem desolata, tandem pax convenit.* Puero illo demortuo *Deodericum*

dericum

dericus hujus nominis II pacificè Ecclesiam Metensem rexit, inter celebres hujus Ecclesiæ Præsules connumeratus.

Anno Eræ Hispan. MXLIV. Anno Hegiræ CCCXCVII, inchoato die 27 Septemb. fer. 6.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6499.

☉ 7. F. ☽ 19. P. 21. April. Indict. 4.

JESU CHRISTI 1006.

JOANNIS XVIII PAPÆ 4.

HENRICI II REG. 5.

BASIL. ET CONST. IMPP. 31.

I. *Bamberga fit civitas Episcopalis*

AD Num. I ad IV. Henricus Germaniæ Rex *Bambergam* Franconiæ oppidum à puero dilexerat, & uxori in dotem assignarat. Cùm itaque *in sobole acquirenda nulla spes* remaneret ei, ut ipsemet in Synodo Francofurdiensi dixit, Episcopatum in eadem civitate instituit, literasque obtinuit à Joanne Papa Tom. IX Concil. recitatas, in quarum fine legitur: *Scriptum per manus Petri Notarii & Scriniarii S. R. E. in mense Junio Indict. V*, idest, anno Christi MVII. Quod Privilegium magnus Episcoporum numerus in Synodo Franconofurt habita unanimiter laudarunt, & suis subscriptionibus corroborarunt, ut in fine laudati rescripti Apostolici legere est. Quare Concilium illud non hoc anno, ut Baronius putavit, sed sequenti congregatum, & quidem die prima Novembris, quò *Joannis Papæ* literæ ab omnibus subscriptæ. In tabulario enim Ecclesiæ Bambergensis, ut Tom. IX Concil. pag. 784. videre est, legitur: *Anno dominicæ Incarnat. MVII Indict. V Kal. Novembris, regnante piissimo ac serenissimo Henrico secundo, anno Regni sui VI, pro statu & augmento sanctæ matris Ecclesiæ, in loco Franconofurt dicto, magna Synodus habita est, & celebrata.* Quare tam Hermannus Contractus ex editione Canisiana, quàm Chronographus Wirtzburgensis à Baluzio Tom. I Miscell. editus hanc institutionem cum anno sequenti accuratè illigarunt. Præfata autem indictio V vel à Natali Christi, vel à Kalendis Januarii inchoata.

II. *Moritur S. Fulcrannus Episc. Lodovensis.*

Sanctus Fulcrannus Lodovensis in Gallia Narbonensi prima Episcopus *migravit ad Dominum anno generationis Christi MVI, Idus Febr. IV feria, VIII ferè diei horâ transactâ, lætantibus cœlis pro suo concive, terris plorantibus pro amisso Pastore. Mansit autem in Episcopatu annis LXII & diebus IX*, inquit Bernardus Guido Episcopus Lodovensis, qui paulò pòst initium seculi XIV eam Ecclesiam rexit, in ejus Vita à Bollando ad diem XIII Februarii recitata. Quare Sanctus *Fulcrannus* die quarta mensis Februarii anni CMXLIV, in quam Dominica incidebat, ordinatus fuerat Episcopus, & nonnisi librariorum errore cap. I ejusdem Vitæ legitur, eum Narbonæ ab *Imerico* Archipræsule consecratum fuisse *pridie Non. Febr. anno generationis Christi CMXLIX.* Legendum enim, CMXLIV. Librarii sæpe V in X mutant. *Quia verò bonarum mentium est, ibi culpam timere vel agnoscere, ubi culpa non est*, inquit Guido cap. 4. remordebat Fulcrannum multùm conscientia sua, quòd cùm simpliciter quidam fabularentur coram eo de quodam Præsule, *quòd apostata à cultu Christianitatis & fidei, ac nequiter Judaizando grande in populo scandalum suscitasset*, non insinuando, sed simpliciter loquendo, dixisset, *Comburi deberet homo ille*; ac non longè pòst audisset, apostatam illum à populo combustum. *Ob hoc igitur veniens Romam cùm appropinquaret portæ Civitatis, exutus proprio indumento, spinisque circumdatus in utroque latere verberari acriter, ac duci verberando se fecit, publicè spectante populo in Ecclesia B. Petri Apostoli*, facta ibi confessione lachrymabili, & post hæc semel & iterùm ob eamdem causam Romam profectus est, cœpitque Dei gratiâ se in eo per signa & miracula ulteriùs declarare.

III. *Anglia à Danis afflicta.*

Dani iterùm in Angliam ad eam deprædandam reversi sunt: *Anno sexto* (post millesimum, inquit Huntindoniensis pag. 360.) *cùm Suan* (Danorum Rex) *vir audacissimus cum magna classe redisset ad Sanwic; quem semper comitabantur tres sociæ, prædatio, combustio, occisio, fremuit omnis Anglia, & commota est, velut arundinetum Zephiro vibrante, collisum. Quocumque autem pergebant; quæ parata erant, hilariter comedentes, cùm discederent, in retributionem procurationis reddebant hospiti cædem, hospitio flammam.* Auxit miseriarum cumulum intestina discordia: cùm quasi non sufficeret *Danus* ad fundendum sanguinem, *Anglus* in Anglorum jugulum arma convertit: *Dux perfidus Edricus*, inquit Florilegus ad hunc Christi annum, *Ducem nobilem Aethelstanum, apud Salosbesberiam, ad magnum, quod præparaverat, convivium invitavit: ad quod cùm invitatus venisset, quarta convivii die ipsum in sylvam venatum duxit: ubi, cunctis circa venationem occupatis, quidam carnifex, nomine Codwinus, quem Eadricus antea donariis corruperat: ex insidiis subitò prosiliens, Ducem Aethelstanum nefariè nimis peremit. In cujus rei ultionem, duo filii ejus, jussu Regis Aethelredi excæcati sunt.*]

Anno Eræ Hispan. MXLV. Anno Hegiræ CCCXCVIII, inchoato die 16. Septemb. fer. 3.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6500.

☉ 8. E. ☽ 1. P. 6. April. Indict. 5.

JESU CHRISTI 1007.

JOANNIS XVIII PAPÆ 5.

HENRICI II REG. 6.

BASIL. ET CONST. IMPP. 32.

I. *Fulbertus fit Episc. Carnotensis.*

AD num. II Fulbertus, ut communiter recenter Historici tradunt, hoc anno consecratus fuit Episcopus Carnotensis, & quidem à Leotherico Senonensi Archiep. ut ipsemet Epist. XXIII indicat: *Multum amoris atque fidelitatis tibi, Pater, me debere censeo, per cujus manum à Deo benedictionem & sacram unctionem accepi: unde animus meus ita pendet ex tuo, ut quidquid te justa ratione aut contristat, aut hilarat, idem me, si rescicam, simili modo afficiat.* Factus Episcopus à docendo non destitit, scholamque habuit discipulorum, undequaque confluentium frequentiâ pernobilem: quamobrem Adelmannus in Epist. ad Berengarium eam vocat *Academiam.* Hujusce Viri complures, insignesque, tum Clerici, tum Monachi discipuli fuisse perhibentur: imprimis *Olbertus* in Lobiensi cœnobio educatus, deinde Trecis, Parisiis & postremò Carnuti literis imbutus, postea Burchardi Episcopi Wormatiensis magister. His adde *Angelrannum*

nnum

§ Æ C. XI. An. C. 1007. num Picardum, Centulensis Monasterii monachum, de quo in Chronico Centulensi lib. 4. cap. 1. dicitur: *quia in discendo multum gliscebat recepta a patre nomine Ingebardo non minima reverentia digno licentia longe seposita scrutatus est Scholarum Magisteria, more scilicet prudentissimæ apis, quæ circuit diversorum florum arbusta, ut mellis dulcore sua repleat receptacula. Denique multorum experientiâ probatum & liberalibus studiis ornatissimum Civitatis Carnotenæ venerabilem Episcopum ac multo honore vocitandum* Fulbertum *præceptorem adeptus est atque didascalum. Hic ei monitor, hic tam morum quàm literarum fuit institutor. Gaudebat venerabilis Præsul de tanti discipuli solatio, relevabatur tam idonei auditoris industria atque ingenio. Tandem igitur Grammatica, Musica atque Dialectica optimè instructum Centulum remittit tyronem amicissimum, jam tunc Sacerdotio ornatum, quem velut grandem thesaurum recipit pia congregatio Centulensium.* Eumdem Fulbertum sub extrema Episcopatûs sui tempora audivêre *Adelmannus* Clericus Leodiensis, & *Berengarius* Turonensis, multique alii percelebres: adeò ut quamdiu Fulbertus vixit, nulla in Francia Schola celebrior fuisse videatur, quàm Carnotensis, ut inquit Bulæus in Hist. Universit. Parisiensis Sec. II.

II. *Moritur Harigerus Abbas Laubiensis.* Hoc anno *Harigerus* Laubiensis Abbas, postquam Monasterium illud piè prudenterque per annos septemdecim rexisset, è vivis excessit: *Obiit Fulcuinus Abbas*, inquit Continuator Chronici Laubiensis, *anno dominicæ Incarnat. CMXC. Post hunc Herigerus substitutus est, cujus virtutum dotes describere superfluum puto; cùm apud exteros etiam, & vitâ & scientiâ clarus extiterit. Scripsit gesta Pontificum Leodiensium*, &c. *Congessit etiam contra Radbertum multa Catholicorum Patrum scripta de Corpore & Sanguine domini. Obiit in senectute bona anno Incarnat. Dominicæ MVII, pridie Kalendas Novembris.* Harigeri Leodiensium Episcoporum Historia in Sancto Remaclo finita, ab Anselmo Canonico Leodiensi, illo annis quinquaginta juniori, continuata fuit. Liber verò *de Corpore & Sanguine domini*, primùm à Ludovico Cellotio ad calcem Historiæ Gotteschalci sub Anonymi nomine publicatus, tandemque à Mabillonio in Præfatione ad partem II Sec. IV. Benedict. § 2. *Herigero* genuino ejus parenti certis argumentis restitutus, qui & doctè explicat, qua in re versaretur controversia *Paschasium* inter & *Harigerum* exorta, ac utrumque in reali Christi Corporis in Sacramento præsentia inter se convenisse, & contentionem illam in vocum pugna sitam fuisse docet. De libris ab Harigero seu Herigero editis legendus etiam Oudinus in Supplem. de Script. Ecclesiast.

III. *Angli Danorum tributarii fiunt.* *Anno millesimo septimo*, inquit Hovedenus part. 1. Annal. pag. 430. *Rex Anglorum Egelredus Primatum suorum consilio nuncios ad Danos legans, iis mandavit, quòd sumptus & tributum eo tenore illis dare vellet, ut à rapinis desisterent, & pacem cum eo firmam tenerent; cujus postulationi consenserunt, & ex eo tempore de tota Anglia sumptus illis dabatur, & tributum, quod erat 36000. Librarum, illis persolvebatur. Quo etiam anno Rex Egelredus Edricum quendam* (de quo anno superiori locuti sumus) *cognomento Streone Merciorum constituit Ducem, qui licet Regis filiam Edgitam in conjugium habuisset, tamen multimodâ versutiâ perfidus, & patriæ proditor, & publicus hostis, ut in sequentibus apparebit, frequenter expertus, dignum quandoque sub Rege Cnuto fraudium suarum finem sortitus est.* His addit Malmesburiensis lib. 2. de Gest. Reg. Angl. cap. 10. *Rex interea strenuus & pulchrè ad dormiendum factus, tanta negotia postponens oscitabatur, & Exagitabant illum umbra fraterna* (nempe Sancti Eduardi ab eo trucidati) *diras exigentes inferias. Quis possit enumerare, quoties exercitum congregaverit? quoties naves fabricari jusserit? quoties Duces undecumque vocaverit, & nihil horum unquam processerit?*

---

§ Æ C. XII An. C. 1008.

Anno Periodi Græco-Romanæ 6501. — Anno Eræ Hispan. MXLVI. Anno Hegiræ CCCXCIX, inchoato die 5. Septemb. fer. 1.

☉ 9. DC. ☽ 2. P. 28. Mart. Indict. 6.

Jesu Christi 1008.

Joannis XVIII Papæ 6.

Henrici II. Reg. 7.

Basil. & Const. Impp. 33.

I. *S. Bruno Russorum Apostolus.* AD num. IV & seq. Refert Baronius ex Ditmaro Episcopo Merseburgensi post decennium demortuo, Martyrium *Sancti Brunonis* Archiepiscopi, & XVIII Sociorum in Prussia. Ait Ditmarus, *Brunonem* conscholarem suum ab Ottone III, postquam liberaliter educatus fuit optimè exceptum esse, sed non multò pòst solitariam vitam quæsivisse. Regnante verò secundo Heinrico à *Tagmone* Archiepiscopo Magdeburgense consecratus fuit Episcopus. Dein ad lucrum animarum, laborem grandis & diversæ viæ subiit. *Duodecimo anno conversionis suæ* ad Prussiam perrexit. *Cum itaque in prædicta regionis* (nempe Prussiæ) *confinio & Russiæ, primo ab incolis prohiberetur, & plus evangelizans capitur, & XVI Kalend. Martii decollatur, cum decem & octo suis sociis. Quorum corpora insepulta jacuerunt, quoadusque Bolizlavus ipsa mercatus est.* Hæc summatiè ex Ditmaro excerpta. Hic autem Prussos & Russos vicinos esse dicit, quod confirmat Helmoldus in Chronico Sclavorum lib. 1. qui *Pruzorum* nomine etiam Livoniam ac Samogitiam complectitur, & cis mare Scyticum, primos ab Oriente *Ruzos* locat, dein Polonos, *qui à Septentrione Pruzos habeant, ab austro Boemos.* Prussi circa annum MCLXX, quo Helmoldus Chronicon suum absolvit, *necdum lumen fidei cognoverant*, inquit Helmoldus cap. 1. legendus Bollandus ad diem XIV mensis Februarii, ubi de Sancto Brunone & Sociis disserit.

II. *In Prussia Martyrio coronatur.* Bollando in mentem non venit legere quæ Ademarus, qui hoc tempore floruit, in Chronicu de Sancto Brunone scripsit, quæ ideo refectis non necessariis hîc referam. *Erant*, inquit, *Ottoni III duo reverentissimi Episcopi, sanctus videlicet Adelbertus, & sanctus Brunus Episcopus de civitate Osburg* (idest, Augustæ) *quæ est in provincia Bojoaria, consanguineus ejusdem Imperatoris. Adalbertus parvus staturâ, Sanctus Brunus procero corpore erant. Ille abiit in Pollianam provinciam, & prædicare cœpit Evangelium. Quod exemplum ejus secutus Brunus Episcopus petiit Imperatorem, ut pro eo juberet consecrari in sede sua Episcopum, quem elegerat,*

I nomine

nomine Odalricum. Quo facto & ipse humiliter abiit in Provinciam Ungriam [idest Hungariam], *quæ dicitur Alba-Ungria, ad differentiam alterius Ungriæ nigræ, pro eo quod populus est colore fusco velut Æthyopes. Sanctus Brunus convertit ad fidem Ungriam provinciam, & aliam, quæ vocatur Russia. Regem Ungriæ baptizavit* [ut suo loco diximus]. *At Sanctus Brunus cùm ad Pincenatos* [idest, Prussos] *preperavisset, & Christum prædicare cœpisset illis, passus est ab eis, sicut passus fuerat S. Adalbertus. Nam Pincenates diabolico furore sævientes, viscera omnia ventris per exiguum foramen lateris ei extraxerunt, & fortissimum Dei martyrem perfecerunt. Corpus ejus Russorum gens* [non verò *gener*, ut Tom. II Biblioth. Labbeanæ pag. 168. mendosè legitur] *magno pretio redemit, & in Russia Monasterium ejus nomini construxerunt, magnisque miraculis coruscare cœpit. Post paucos dies quidam Græcus Episcopus in Russiam venit, & medietatem ipsius provinciæ, quæ adhuc idolis dedita erat, convertit, & morem Græcum in barba crescenda, & ceteris exemplis eos suscipere fecit.* Ubi Ademarus de partibus Russiæ, quæ Prussis vicinæ erant intelligendus videtur, & in hoc differt à Ditmaro, quòd hic sacras Reliquias à Bolestao, ille verò à Russis emptas tradat.

III. *S. Bonifacius in Russia Martyrium facit.*

A num. VI ad IX. Petrus Damiani in Vita Sancti Romualdi cap. 8. juxta editionem Bollandi, ad diem VII Februarii, quo Sanctus Abbas colitur, recitat Martyrium *Sancti Bonifacii*, unius ex Sancti Romualdi discipulis, Russorum Apostoli, atque Bonifacium habuisse equum egregium, *quem sibi Busclavi Sclavonici Regis filius dederat, factus ab eo Monachus*; ubi *Busclavi* nomine *Bolestaum* cognomento *Chabri* secundum Poloniæ Regem seu potiùs Ducem Christianum sine dubio intelligit. Hæsit adhæc verba Bollandus, quòd Scriptores Poloni *Beleslao* alium filium tribuere non videantur, quàm *Miesconem* seu *Misiconem* hujus nominis II, qui post patrem regnavit. Verùm mirum videri non debet, quod Scriptores Poloni non meminerint alterius filii Boleslai Regis; cùm is longè à Polonia in monasterio Casinensi vitam traduceret. Præterquamquod omnes Rerum Polonicarum Historici recentes sunt, eosque antiqua plerumque latuerunt, ut mox iterùm parebit. Loquitur ibi Petrus Damiani de iis, quæ contigêre, cùm Sanctus Romualdus ad montem Casinum venit *unà cum Sancto Bonifacio Imperatoris consanguineo*, ut inquit Leo Ostiensis lib. 2. cap. 18. Subdit Petrus Damiani Sanctum Bonifacium ad Regem Russorum missum, eam gentem cum Rege convertisse; sed cùm frater Regis nollet credere, ab ipso Rege peremptus est. Alter verò Regis frater, qui cum eo non habitabat, Sanctum *Bonifacium* nefariè peremit. Hæc ille. Regnabat autem hoc tempore in Russia *Ulodomirus*, qui ab annis viginti fidem Christianam amplexus erat. Sed cùm *Russia* latissimè pateret, variisque Principibus subderetur, de quo eorum Petrus Damiani intelligendus sit, incompertum.

IV. *Reinbernus Episc. Colbergensis in Russiam missus.*

Ad num. X. *Boleslaus* hujus nominis secundus Dux aut Rex Christianus Poloniæ, multis virtutibus claruit, omnemque operam adhibuit, ut superstitiones ritusque idololatriæ, si qui adhuc usquam extarent, penitus extirparet; *Volodomirus* verò primus Rex Christianus Russiæ, cujus filius Boleslai filiam uxorem accepit à Russis uti Sanctus colitur, sicuti suo loco diximus. Verùm ob perpetua bella, quæ Germanos inter & Russos ac Polonos exorta, confectaque, horum populi mutuò sæpiùs abalienari fuêre. Quare non mirum, si Ditmarus Mersepurgensis in Germania Episcopus, *Volodemirum* & *Boleslaum* invidiam vocet; cum id nostris temporibus ab Historicis non rarò fieri constet; præterquam quod videtur Ditmarus de iis, quæ extra Germaniam gesta, non bene edoctus fuisse. Notabile tamen, quod narrat de *Reinberno* Colbergæ in Pomerania ulteriori Episcopo, qui Boleslai filiam in Russiam comitatus est. Pomerania enim ulterior ultrà Oderam Fl. posita, & Marchiæ Brandeburgicæ pars Polonis diu paruêre, ibique anno millesimo fundatus Episcopatus Colbergensis, ut suo loco ostendi, cujus *Reinbernus* primus Antistes fuit, quem successores habuisse incompertum; quia *Pomerani* superstitionum suarum tenacissimi adversùs Poloniæ Duces sæpè rebellarunt.

V. *Reliquias idololatriæ extirpare conatur.*

Reinbernus hujus Legationis occasione usus est ad idololatras, qui in Russia supererant, convertendos, ut refert Ditmarus in fine lib. 6. ubi de Volodomiro Russiæ Rege ait: *Hic tres habens filios, uni eorum Bolizlaivi Ducis, nostrique persecutoris, filiam in matrimoniũ duxit, cum qua missus est à Polonis Reinbernus, Præsul salsæ Cholbergiensis* (sed loco, *Salsa*, legendum, *Sacræ*, ut ipsemet Ditmarus pag. 43. habet, qui ideo ex ipsomet corrigendus). *Quantum autem in cura sibi commissa laboraverit idem, non mea sufficit scientia, nec etiam facundia. Fana idolorum destruens incendit.* Scribit postea Ulodomirum, tam filium quàm ejus conjugem, ac Reinbernum custodiæ tradidisse, huncque è carcere ad libertatem perennis gloriæ transiisse. Seculo sequenti *Sanctus Otto* Episcopus Bambergensis, & Pomeranorum Apostolus, *Adelbertum* in Pomerania constituit Episcopum, ut testatur Auctor Anonymus Synchronus in ejus Vita, hicque Sedem Episcopalem posuit *Julini* seu *Vollini* in insula Pomeraniæ Ulterioris Julino dicta. Ex ea urbe Episcopatus anno MCLXXV *Caminum* translatus fuit à Casimiro Pomeraniæ Duce, quod postea Clemens III confirmavit, ut scribit David Chytræus in Supplemento Krantzii. Situm autem *Caminum* in Pomerania Ulteriori è regione insulæ Vollinæ. Tandem tam Episcopatus Caminensis, quàm Collegium Canonicorum pace Monasteriensi anno MDCXLVIII suppressa sunt. Quæ hîc indicare præstat, quia Scriptores Poloni in Ecclesiarum suarum originibus ita cæcutiunt, ut Michovius lib. 2. cap. 1. de Mieskone, qui seculo præterito sacro baptismo initiatus est, & de Episcopatibus, tunc, ut ipse existimat, fundatis verba faciens, tradat: *Camienensis primus Julinus*; licet tam Julinum, quàm Caminum urbium nomina sint, non verò alicujus Præsulis, eæque nonnisi seculo Ecclesiæ duodecimo Sede Episcopali exornatæ fuerint, idque diverso tempore, una scilicet post alteram.

VI. *Floret Burchardus Episc. Vormatiensis.*

Burchardus dictus est hoc anno Episcopus *Vormatiensis*, ut habet Sigebertus de Viris Illustribus cap. 142. Vir cùm Episcopali onere non indignus, ut legitur in Libello de Gestis Abbatum Gemblacensium, tum pro juvenili ætatis fervore literarum studiis opportunè intentus. Mandavit *Baldrico* Juniori Leodiensium Episcopo, cujus contubernalis & amicus in Palatio

Ottonis

Ottonis III fuerat, ut sibi virum aliquem *literali scientia* prædirum dirigeret, cujus ope & doctrina ipse in Scripturarum Divinarum eruditione proficere valeret. Missus verò à Balderico *Olbertus* Monachus Laubiensis, Parisiensis, & postea Carnotensis Scholæ alumnus, quo adjutore Burchardus veteres Ecclesiæ Canones in unum volumen viginti libris distinctum digessit. *Quantum autem vir tanta auctoritatis* (nempe Burchardus, ut in eodem libello subjungitur) *ex Olberti doctrina profecerit, ex actibus ejus æstimandum erit, de quo satis constabit, quòd illa ætate in Scripturarum eruditione unicè claruerit; quod vel in hoc satis probare poterit, quod opus S. Ecclesiæ nimis utile elaboravit, & dum Olberto dictante & magistrante magnum illud Canonum volumen centonizavit, & quasi collectis floribus omniformis generis de Prato Scripturarum coronam pretiosiorem auro & topazio in edito Ecclesiæ collocavit.* Magnam suæ Collectionis partem eum ex Reginone accepisse ostendit Baluzius in Præfatione ad Reginonis librum de *Disciplina Ecclesiastica*, ipsumque Antonius Augustinus reprehendit, *quòd non ex fontibus ipsis hausit singula, sed ex rivulis & stagnis aliorum.* Hinc, alioru Disciplinæ Juris Canonici primordia deducunt, quam seculo XII Gratianus in Scholas invexit, redactis in Epitomen Canonibus, quos *Burchardus* & *Ivo* Carnotensis collegerant.

VII. *Moritur Notgerus Episc. Leodiensis.*

Mortuus est hoc anno Notgerus Episcopus Leodiensis, ut anno DCCCCLXXXII num. XVIII jam ostendimus, non verò præcedenti ut scribit Ægidius in Episc. Leodiensibus, qui diem tamen eius emortualem, scilicet quartum Idus Aprilis rectè notavit. Chapeavillus enim Tom. I. de Episcopis Leodiensibus cap. 58. refert id consonare libro Ecclesiæ Leodiensis, ex quo leguntur commemorationes fratrum & omnium fidelium defunctorum ad Primam. Palatium Episcopale instauravit, & Canonicorum Collegium in Ecclesia Sancti Joannis Evangelistæ instituit. Vide quæ de eo & ejus Scriptis loco citato dixi.

Anno Eræ Hispan. MXLVII. Anno Hegiræ CCCC, inchoato die 25. Aug. fer. 5.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6502.

☉ 10. B. ☽ 3. P. 17. April. Indict. 7.

JESU CHRISTI 1009.

SERGII IV PAPÆ 1.

HENRICI II REG. 8.

BASIL. ET CONST. IMPP. 34.

I. *Sergius IV PP. succedit Joanni XVIII.*

A Num. I ad IV. Hoc anno *Joannes* XVIII Papa die & mense incertis è vita migravit, cui successit *Sergius* hujus nominis IV, qui ad Sedem Apostolicam post diem decimum septimum mensis Junii evectus fuit, ut liquet ex ejus Diplomate ab Ughello Tom. VII Italiæ pag. 528. recitato, quod his verbis absolvitur: *Scriptum per manus Joannis Scrinarii S. R. E. in mense Junio Indictione X.... Datum XV Kalendas Julii per manum Gregorii Episcopi & Bibliothecarii sanctæ Sedis Apostolicæ, anno, domino propitio, Pontificatûs domini Sergii quarti Papæ in sacratissima B. Petri Apostoli tertio, indictione decima*, anno nempe Christi MXII quo Baronius num. III hanc subscriptionem etiam refert. Quod si eo Christi anno die XVII mensis Junii, annus tertius Pontificatûs Sergii adhuc in cursu erat, post eundem diem currenti Pontificatum susceperat, & *Joannes* XVIII adhuc in vivis erat. Is Pontifex creatus fuerat anno MIII, die XXVI mensis Decembris, ideoque sedit annos quinque integros, ut in variis Catalogis legitur, & menses saltem sex in Catalogis vel omissos vel malè expressos. *Sergius* IV ante Pontificatum vocabatur *Os porci*, ut videre est in laudatis Catalogis, vel *Bucca porci*, ut ait Ditmarus lib. VI. Quare posteriores Historici, qui hoc nomen Sergio III adscripsêre, hallucinati sunt. Hæc verba Ditmari: *Huic* (nempe Joanni) *succedebant Sergius, qui vocabatur Bucca porci, atque Benedictus, ambo præclari & consolidatores nostri.* Ditmarus autem hoc ipso tempore vivebat.

II. *Consecratio Monasterii Bellilocensis.*

Baronius anno CMXCVI à num. XX ad XXVII agit de Legatione *Petri Cardinalis* in Franciam à Joanne Papa missi, ut Ecclesiam Monasterii *Bellilocensis* in Diœcesi Turonensi siti consecraret, quia Joannem illum Papam de Joanne Placentino pseudo-Pontifice interpretatus est. Verùm Marca lib. 4. de Concordia cap. 8. num. 2. & San-Marthani in Abbatibus Bellilocensibus pag. 149. demonstrant, id contigisse *Joannis Papæ* hujus nominis XVIII temporibus, & tam ipsum, quàm *Sergium* IV ejus successorem hujus Monasterii exemptionem constituisse. Qua de re cùm eo anno nos hîc acturos polliciti fuerimus, nunc fides nostra liberanda. *Fulco Nerra* Comes Andegavensis Hierosolymis reversus ultra Augerem fluvium Belloloco prope castrum Lochiarum Sanctissimæ Trinitatis Monasterium construxit anno millesimo decimo, ut docet Chronicon Turonense MS. ac Diploma eodem anno datum. Cùm verò consecrationis ritum Turonensis Archiepiscopus, in cujus Diœcesi Monasterium illud positum, celebrare recusasset; quia Fulconis votum Deo gratum esse non posse contestabatur, nisi prædia & mancipia Ecclesiæ Turonicæ surrepta priùs restitueret, Joannes XVIII ipsum locum *sub tuitione & defensione SS. Apostolorum Petri & Pauli, Successorumque nostrorum*, inquit, *hujus Sanctæ Sedis Pontificum, humiliter deprecando & commendando posuit, ut nullius dominatio Regis & Principis, seu Archiepiscopi, Episcopi, aut cujuscumque dignitatis persona, præfatum Monasterium inquietare, vel disturbare, seu minuere audeat*, &c. *Quodsi aliquis rebellis contra hanc nostram auctoritatem, scilicet Archiepiscopus vel Episcopus quicumque ipsum locum excommunicare voluerit, ipse sit excommunicatus, & locus iste absolutus in æternum & in seculum seculi.*

III. *Non Joannis Placentini Pseudo-Pontificis, sed Joannis XVIII mandato facta.*

Privilegii illius insoliti rescriptum *Hugonem* Turonensem Archiepiscopum commovit, qui statim Romam accedens, summissis precibus à *Sergio* IV, qui nuper Joanni XVIII successerat, contendit, ut Monasterii consecrationem sibi juxta Canones & Justiniani legem permitteret. Verùm repulsus fuit *Hugo*, hac exceptione, quòd *Fulconi* liberum fuerit in fundo suo, propriaque hæreditate Monasterium construenti, ipsum ejusque consecrationem Romanæ Ecclesiæ conferre, quia *cujus est hæreditas, ipsius & consecratio.* Hugo itaque acceptâ è manibus Gregorii Silvæ Candidæ Episcopi virgulâ, jus omne quod sibi competebat, in Romanam Ecclesiam transtulit. *Sergius* verò IV in Gallias *Pe-*

trum Vipernensis Ecclesiæ Episcopum direxit, Monasterium illud vice sua consecratorum, uti narrat Marca ex ejusdem Sergii rescripto. Rem refert Baronius loco laudato ex Glabro lib. 2. cap. 4. sed hic malè asserit, Pontificem aliquid tentasse contra Canones, & Turonensi Archiepiscopo repugnante, factam esse *Bellilocensis* Ecclesiæ consecrationem.

IV. *Sepulchrum Hierosolymitanum a Saracenis eversum.*

Ad num. IV & seqq. sacrum Hierosolymorum Templum anno tantùm sequenti eversum juxta Ademarum in Chronico, qui hoc tempore vivebat, qui tamen, uti & Glaber, cujus verba Baronius refert, in eo peccat, quòd id jussu Caliphæ Babyloniensis factum fuisse affirmet; cùm tamen Syriæ & Ægypto non Calipha Babyloniensis, sed Calipha Ægypti, qui hoc tempore erat *Hakemus*, præsideret. Curopalates, cujus verba Baronius num. X recitat, rectè quidem hanc cladem Ægypti Principi adscribit, sed illum malè *Azizum* appellat. Hic enim *Hakemi* pater fuit, jamque ab anno Christi CMXCVI fato functus fuerat, ut suo loco ostendimus. Sed Historici de iis, quæ in longinquis regionibus gesta, verba facientes, non rarò veris falsa miscent. Hæc porrò Ademari verba: *Ipso anno Sepulchrum Domini Hierosolymis confractum est à Judæis & Saracenis, III Kalendas Octobris M X ab Incarnatione ejus. Nam Judæi Occidentales & Saraceni Hispaniæ miserunt Epistolas in Orientem, accusantes Christianos, & mandantes exercitus Francorum super Saracenos Orientales commotos esse. Tunc Nabuchodonosor Babylonia, quem vocant Admiratum, concitatus suasu Paganorum in iram, afflictionem non parvam in Christianos exercuit, deditque legem, ut quicumque de sua potestate nollent fieri Saraceni, aut confiscarentur, aut interficerentur. Unde factum est, ut innumerabiles Christianorum converterentur ad legem Saracenam: & nemo pro Christo morte dignus fuit præter Patriarcham Hierosolymorum, qui variis suppliciis occisus est, & duos adolescentes germanos in Ægypto, qui decollati sunt, & multis claruerunt miraculis.*

V. *Aliæ crudelitates à Saracenis in Christianos exercita.*

Nam Ecclesia Sancti Gregorii (Glaber rectiùs habet Georgii) *quæ hactenùs à nullo Saracenorum potuit violari, tunc destructa est cum aliis multis Ecclesiis Sanctorum, & peccatis nostris promerentibus, Basilica Sepulchri domini usque ad solum diruta. Lapidem verò monumenti cùm nullatenus possent comminuere, ignem copiosum super adiciunt, sed quasi adamas immobilis mansit, & solidus. Bethlemeticam Ecclesiam, ubi Christus natus est, cùm niterentur destruere, subitò apparuit eis lux fulgurans, & omnis multitudo Paganorum corruens expiravit confestim, & sic Ecclesia Dei Genitricis intacta remansit. Ad monasterium quoque Montis Sinæ, ubi quingenti & eo ampliùs Monachi sub imperio Abbatis manebant, habentes ibidem proprium Episcopum, venerunt Saracenorum X millia armatorum, ut monachos perimentes, habitacula eorum cum Ecclesiis diruerent. Propinquantes autem, a IV ferè millibus conspiciunt totum montem ardentem & fumantem, flammasque in cœlum ferri, & cuncta ibi posita cum hominibus manere illæsa. Quod cùm renunciassent Regi Babylonio, pœnitentiâ ductus tam ipse, quam populus Saracenus, valde doluerunt de his, quæ contrà Christianos egissent: & data præceptione jussit, reædificare Basilicam Sepulchri gloriosi; tamen redincepta Basilica, non fuit ampliùs similis priori pulchritudine vel magnitudine, quam Helena mater Constantini Regali sumptu perfecerat. Moxque è vestigio super omnem terram Saracenorum fames incanduit per tres annos, & innumerabilis eorum multitudo fame necata est, ita ut plateæ & deserta cadaveribus omninò replerentur, & fierent homines cibus & sepultura feris & avibus. Secuta est eos gladii vastitas: nam gentes Arabiæ super terram eorum diffusa sunt, & qui remanserant, fame & gladiis interierunt.*

VI. *Ab Historicis Saracenis etiam narrata.*

Captus est ab eis Rex Babyloniæ, qui se contra dominum erexerat in superbiam, & vivus, ventre dissecto, visceribusque extractis, impiam animam ad barathrum projecit. Venter ejus lapidibus oppletus, consutus est, & cadaver, ligato plumbo ad collum, in mare demersum est. Eo anno Radulfus Petragorica Episcopus, Hierosolymis rediens, retulit quæ viderat ibi, infanda, & obiit Petragorica. His fidem adstruit Elmacinus lib. 3. Hist. Sarac. cap. 6. qui postquam anno Christi MXX cædem Hakemi Biamrillæ Caliphæ Ægypti, sororis ejus jussu peractam narravit, de ejus insania & crudelitate loquitur, aitque: *Afflixit quoque Christianos & Judæos, & Templa eorum diruit, eosque vexavit. Unde multi ex iis Islamismum* (idest, religionem Saracenicam) *sunt amplexi. Sed mutatâ deinde sententiâ, dedit eis, qui ad Islamismum defecerant, eidem renunciare: & permisit eis restaurare Templa sua.* Quod verò ait Glaber apud Baronium num. IX matrem Amitati Babylonis fuisse mulierem christianissimam, nomine *Mariam*, eamque reædificasse Christi Templum, confirmatur ex Elmacino lib. 3. cap. 5. pag. 247. ubi inquit: *Azizus Billa* (qui pater erat Hakemi hoc tempore in Aegypto regnantis) *dominus Aegypti uxorem duxerat christianam Melchiticam, ex qua & filiam susceperat. Erant autem ei mulieri duo fratres, quorum alterum nomine Jeremiam constituit Patriarcham Hierosolymitanum; alterum autem Arsenium nomine, Patriarcham Melchitarum Alcahiræ, & Misræ,* idest, Alexandrinum. Is porrò Jeremias alius non est ab Oreste, ut disertè asserit Tyrius lib. 1. cap. 4. isque in Florario Sanctorum MS. ad diem XV Maii dicitur *Martyr*. Historici itaque Latini, qui de hac persecutione verba habuêre, in eo, ut videtur, peccarunt, quòd eam Caliphæ Babylonico attribuerint, quia seculo elapso Ægyptus ei subdita fuerat, neque adverterant Ægyptios proprium sibi Regem eodem seculo præfecisse. Tyrius tamen laudatus hunc errorem vitavit, sed hanc persecutionem in annum MXI perperam distulit. Ademarus enim hoc tempore vivebat.

VII. *Cosentia à Saracenis capta.*

Lupus Protospata in Chronico de Saracenis habet: *Anno MIX mense Augusti apprehenderunt Saraceni civitatem Cosentiam* (Calabriæ metropolim) *rupto fœdere nomine Cayti.* Ughellus Tom. IX Italiæ Sacræ asserit, Saracenos Cosentiam incendisse anno CMLXXV sed unde id hauserit non indicat, & Lupus laudatus disertè asserit, eo anno Saracenos *Butuntum* seu Birontum Apuliæ oppidum sub suam potestatem redegisse, quod & Summontus Tom. I pag. 439. affirmat. Porrò ex Ughelli lectione apparet, Calabriæ Ecclesias *Tarentam* usque sub præcedentis seculi finem & currentis initio, Pastoribus viduatas fuisse; nullius enim nomen in publicis Monumentis extat.

VIII. *Synodus Enshamensis.*

Hoc anno *Dani* turmatim & varia classe in Angliæ provincias irrupêre; cumque Cantuariensem

SÆC. XI. An. C. 1010. ensem urbem oppugnassent, cives pactis trium librarum millibus, exoraverunt hostem ut discederet. Inde ad *Vectam* insulam flexêre, & postea ad *Southsaxoniam*. Tunc *Ethelredus* Rex, veluti excitus è veterno, aut avertere à civium cervicibus communem hostem, aut eum laude mori decrevit, sed proditus ab *Edrico* Duce, qui ejus filiam in conjugio habebat, ejus industria frustra fuit, ut fusiùs narrat Alfordus ad hunc Christi annum ex Vigorniensi. In his rerum angustiis censuit *Elphegus* Cantuariensis Antistes generalem Ordinum Conventum indicendum, ubi prius Ecclesiasticorum mores ad sanctè vivendi normam, & sacram Canonum observantiam traherentur; ac prætetea de navibus fabricandis, tuendoque cive decerneretur. Id à Rege facilè obtinuit, vocatusque Senatus in villam Regiam *Einshamum* appellatam, & in Oxoniensi provincia positam. Lecti in ea Synodo canones ac decreta Elphego Cantuariensi & Wlstano Eboracensi Archiepiscopis auctoribus edita, quæ, ut narrat Malmesburiensis lib. 2. de Reg. pag. 75. *Canutus* Rex in suas leges postea transcripsit. Quare Ethelredi Regis statuta ab Elphego & Wlstano in hoc Concilio decreta, posteriorum legum prototypon fuerunt. Licet enim communiter sub *S. Edwardi* Regis & *Confessoris* nomine jurarentur, originem tamen ab hac Synodo trahebant, ut ibidem insinuat Malmesburiensis. Conventus itaque *Einshamensis* Politicus fuit & Ecclesiasticus, referturque Tom. IX Concil.

Anno Eræ Hispan. MXLVIII. Anno Hegiræ CCCCI. inchoato die 14. Aug. fer. 2.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6503.

Cycl. ☉ 11. A. ☽ 4. P. 9. April. Indict. 8.

JESU CHRISTI 1010.

SERGII IV PAPÆ 2.

HENRICI II REG. 9.

BASIL. & CONST. IMPP. 35.

I. *Pugna ad Cordubam Christianos inter & Saracenos.*

AD num. III. Hoc anno *Ermengaudus* Comes Urgellensis profectutus adversùs Mauros ad Cordubam testamentum condidit *V Kal. Augusti*, ad pias causas, quò magnam bonorum suorum partem Ecclesias inter & monasteria Marcæ Hispanicæ distribuit. Tum etiam varia dona fecit Ecclesiæ Aniciensi in Aquitania prima, cœnobio Conchensi in Diœcesi Ruthenensi, & cœnobio Sancti Aegidii in Septimania, ut videre est in Appendice Baluzii ad Marcam Hispanicam Act. 162. Ex quo lib. 4. Marcæ Hispanicæ rectè deducit, pugnam Cordubensem, ut vulgò vocatur, ante mensem Augustum pugnatam non fuisse. Quod confirmat epitaphium *Ottonis* Episcopi Gerundensis in ea pugna cæsi, cujus mors ibi refertur ad diem primam Septembris currentis anni. Hoc itaque anno *Ermengaudus* Urgellensis Comes, suetus pugnare cum Saracenis, quos diversis præliis fatigarat, *Cordubam*, ubi Regia eorum erat profectus cum *Raimundo* Comite Barcinonensi fratre suo, *Arnulfo* Episcopo Ausonensi, *Aethio* Barcinonensi, & *Ottone* Gerundensi, ac pluribus aliis Potentibus viris, profectus, inquam, Cordubam mense Augusto, ad eam ita infeliciter pugnavit *Kalendis Septembris*, ut & ipse & Episcopi mox nominati in ea pugna ceciderint. Episcopis istis dedecori vertit Mariana lib. 8. cap. 10. quòd pro Barbaris, quales erant Saraceni, bellum gererent adversùs Christianos. At bellum istud sacrum, uti vulgò putant, non erat tantùm ea de causa susceptum, inquit Baluzius citatus, ut *Almahadium* Saracenum juvarent adversùs *Zuleimam* imperium Hispaniæ affectantem, qui copiis auxiliaribus Sancii Castellæ Comitis attollebatur; sed etiam ut Ecclesiam eo quo poterant modo defenderent. Superest adhuc in monasterio Sancti Cucuphatis epitaphium Ottonis Episcopi Gerundensis in hoc prælio cæsi, in quo à justitia, sapientia, aliisque virtutibus plurimùm laudatur. Hæc ultima Epitaphii carmina:

Nam in bello Cordubensi cum pluribus aliis
Morte ruit datus ensi, cœli dignus gaudiis.
Cujus ossa sunt sepulta in hoc parvo tumulo,
Spiritusque laude multa summo vivit seculo.
Erant anni mille decem post Christi præsepia,
Quando dedit isti lucem prima lux Septembria.

Hoc circiter tempore *Richardus* natione Francus in Schola Remensi enutritus, & in cœnobio Vitonensi apud Virdunum, celebrem scholam instituit, ut docet Hugo Abbas Flaviniacensis in Chronico Virdunensi. Paulò post monasticum habitum apud Sanctum Vitonum tum Abbate Fingenio sumsit, & post *Fingenium* magnæ sanctitatis virum anno MIV, ut legitur in Chronico Hildensheimensi demortuum, ad Abbatiæ regimen assumtus est. Ab eo tempore tam longè latéque fama ejus propagata est, ut ex omni Neustria, Austrasia, Francia & Burgundia ad eum concursus fieret, atque ad ejus scholas omnis doctrinæ & virtutis frugibus refertas. Uno verbo hujusce viri fama tantopere inclaruit, ut à multis Magnatibus & Proceribus Ecclesiasticis advocatus sit ad regenda & reformanda cœnobia, quæ à pristina virtute & Regula deflexerant. *Baldricus* Episcopus Leodiensis cœnobium Lobiense, *Rogerius* Catalaunensis monasterium Sancti Petri; *Robertus* Francorum Rex Abbatiam Corbiensem; *Balduinus* Comes Flandrensis quàmplures Abbatias ei regendas & reformandas commisit, Sancti Petri Gandensis, Sancti Amandi, Sancti Bertini, Sancti Richarii, Sancti Jodoci; *Gerardus* denique Attrebatensis cœnobium Sancti Vedasti; *alii filios suos ei offerebant erudiendos, ut videretur jam monasterium ejus monasteriis Nitriæ vel Ægypti conferendum pro numerositate fidelium illò confluentium, qui velut apes ad alvearia undique advolabant, diversis virtutum speciebus onusti mentes, ut illa mellis & ceræ indiscretis cruribus & pedibus subvehunt qualitates*, inquit idem Hugo Flaviniacensis. De Richardo rursùs infrà. II. *Floret Richardus Abbas S. Vitoni.*

Hic annus Ecclesiæ Anglicanæ luctuosissimus fuit, cùm tot Regum opes, tot annis congestæ, *Danorum* libidini servierint; & sacratum Virginum ædes, ubi animæ saluti, corporisque puritati consulebant, perierint. Dani, ut narrat Alfordus ex Huntindoniensi, Vigorniensi, aliisque Historicis Anglicis, cùm terrorem Anglis & provinciis plurimis incussissent, distraxêre vires, & exercitum divisêre. Hi altius flumen Tamesim ingressi ad Stanam, oppidum in Trinobantibus, anchoras jaciunt; inde in vicinos agros profecti, per australes Saxones, ditissimam ad naves prædam advexerunt. Illi in *Eastangliam* navigantes, *Suffolciensem* provinciam, & *Ipswicum*, urbem nobilem graviter premunt. Convenêre eò, è vicinis regionibus provincialium aliqui *Ulfketello* Duce, parati Danos excipere. Quamobrem *tertio Nonas Maii*, cùm uterque exercitus egre- III. *Ecclesia Anglicana à Danis ad summas angustias redacta.*

SÆC. XI An. Ch. 1016.

giè concurrisset, fortissimè utrimque pugnatum est: donec *Turketillo* quodam, è Danis oriundo (cum Anglis tamen in Danos pugnabat) fugam arripiente, *Estangli* terga verterunt. Majorem paulò laudem *Icem* meruerunt; qui venerunt è Cantabrigiensi agro: nam diu viriliter præliantes, inimicum impetum fortissimè sustinuerunt. Sed & ipsi laudem, multis in prælio desideratis, cedere compulsi, victoriam hosti permiserunt: *In eo prælio*, inquit Vigorniensis ad hunc Christi annum, *gener Regis Aethelstanus, nobilis minister Oswins cum filio; Wulfricus, Leofwini filius, Eadwinus Alfrici germanus, & multi alii nobiles ministri, populusque innumerabilis corruerunt. Dani verò loco funeris dominati, Estangliam obtinuerunt. Et equites effecti, tribus mensibus per totam provinciam discurrere, prædas agere, villas cremare, homines & animalia non cessabant trucidare. In paludibus etiam idem, per omnia, fecerunt. Exin Theotfordam & Grantebriege devastantes, cremarunt.* In illis paludibus nobilissimæ Ecclesiæ structæ erant, & Regum pietate aucta monasteria, quæ quamvis ante plures annos à Danis eversa, & solo passim æquata fuissent, sequentes tamen Principes, Alfredus, Aethelstanus, Edoardus, & præcipuè Edgarus, rursùs nobilissimè erexerant, atque ditarant. Quæ verò fuerint in illa palude monasteria, quæ hoc anno injuriam passa, Danorum impetum tulère, Huntindoniensis lib. 5. pag. 356. enumerat.

Anno Æræ Hispan. MXLIX. Anno Hegiræ CCCCII, inchoato die 4. Aug. fer. 7.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6504.

☉ ta. G. ☽ 5. P. 25. Mart. Indict. 9.

JESU CHRISTI 1011.

SERGII IV PAPÆ 3.

HENRICI II. REG. 10.

BASIL. & CONST. IMPP. 36.

I. Ecclesia Bambergensis die natali Imperatoris dedicatur.

AD Num. I ad IV. Ditmarus lib. VI pag. 74. dedicationem Ecclesiæ Bambergensis ab Henrico Imp. ante aliquot annos Sede Episcopali decoratæ his verbis narrat: *Peracta in civitate Bavenbergensi Ecclesia Majore, cum natalicius Regis dies esset, & XXXV jam inciperet annus, II Non. Maii, omnis Primatus ad dedicationem istius aulæ ibidem congregatur, & sponsa hæc Christi per manus Joannis, Patriarchæ de Aquileia, & aliorum plusquam XXX Episcoporum dedicatur. His ego peccator interfui.* Ubi Ditmarum de rebus hoc anno gestis verba facere indicant Marianus Scotus in Chron. & Chronographus Wirziburgensis, qui hanc dedicationem cum præsenti anno alligant, quibus maior hac in re fides, quàm Lamberto Schafnaburgensi, Annalistæ Einsidlensi & Chronographo Hildensheimensi, qui eam in sequentem differunt. Dies quidem secundus Nonas Maii hoc anno in Dominicam incidit, quibus diebus dedicationes hoc tempore plerumque factæ; verùm ex hoc charactere nihil certi erui potest; cùm dies ille eligi potuerit, quòd cum die natali Imperatoris concurreret. Ait enim Ditmarus dedicationis illius diem natalitium Regis fuisse. Cumque subdat, eum tunc ingressum esse annum ætatis XXXV, si ea dedicatio hoc anno facta, natus erat *Henricus* Imperator anno nongentesimo septuagesimo septimo, deceptusque est Aventinus, qui lib. V pag. 309. scribit, eum anno CMLXXII in lucem prodiisse, quod ante eum Sifridus in sua Epitome jam literis mandarat, cùm dicat, eum mortuum esse anno ætatis LII.

SÆC. XI. An. C. 1011.

II. Hæc Dedicatio diversa ab altera anno MXIX facta.

His tamen obstare videtur quod scribit Wippo in Vita Conradi Salici Imp. qui pag. 423. relata Sancti Henrici Imp. morte subdit: *Cujus corpus de Saxonia ad sepeliendum ducitur ad locum, qui dicitur Padenberg, ubi ipse bono zelo ac studio fundavit Episcopatum omni Ecclesiastico apparatu insignem. Ad cujus dedicationem dominum Apostolicum nomine Benedictum* (hujus nominis VIII) *asciviit, cujus auctoritate ad tutandum locum Privilegia publicâ stipulatione confirmavit.* Benedictus enim anno MXII post mensem Maium Pontifex Romanus renunciatus fuit, ut eo anno videbimus. Verùm Wippo, non de dedicatione Majoris Ecclesiæ Bambergensis à Joanne Archiep. Aquileiensi facta, sed de consecratione Ecclesiæ Sancti Stephani, quam Henrici Imp. efflagitatu *Benedictus* VIII anno MXIX Bambergæ peregit, sermonem habet. Subobscuriùs tamen Wippo loquitur, cùm *Sanctus Henricus* non in Basilica Sancti Stephani à se extructa, & à Benedicto VIII consecrata, sed in Basilica Sancti Petri à se pariter ædificata, & à Joanne Archiep. Aquileiensi dedicata sepultus fuerit, ut ex Vita Sanctæ Cunegundæ, Hermanno Contracto, aliisque liquet.

III. Dani Cantuariam obsident & devastant.

Ad num. IV & seq. Danorum in Angliam irruptiones anno MIII inchoatas, & sequentibus continuatas, Baronius à præsenti tantùm exorditur, narratque ex Hovedeno ad hunc Christi annum, obsidionem urbis Cantuariensis, ejusque devastationem, quæ *inter Nativitatem Sanctæ Mariæ & Sancti Michaelis festivitatem* contigit: quo tempore *Sanctus Elphegus* Archiepiscopus Cantuariensis à Danis captus est, annoque sequenti ab iisdem interfectus. Viderat Baronius apud Surium ad diem XIX mensis Aprilis, quo sanctus Præsul colitur, ejus Vitæ & Passionis compendium sub Osberni Ecclesiæ Cantuariensis monachi nomine editum. Verùm post Baronii mortem Bollandus ad diem XIX Aprilis ex Codice MS. Vitam Sancti Elphegi, ex qua synopsis illa collecta, publicavit. Scripta ea ab Osberno Monacho jubente Lanfranco anno MLXX Archiepiscopo Cantuariensi creato. Præfatur autem Osbernus se tradere, *quæ de glorioso Christi Martyre Elphego ipse agnovit*, & *accepit ab his qui viderunt, aut à videntibus habuerunt.* Elphegus itaque splendidis natalibus exortus religionis monasticæ habitum induit, & cum habitu vitam composuit. *Culpabat non modicum*, inquit Osbernus, *qui secularem habitum mutarent, vitam non mutarent.* Post Sancti Ethelwoldi Vintoniensis Episcopi mortem, agente sancto Dunstano Cantuariensi Archiepiscopo in illius locum subrogatus est, annoque *incarnatæ divinitatis millesimo sexto, indictione quarta*, de Sede Vintoniensi ad Cantuariensem translatus, paucis diebus evolutis Romam profectus est, Joanne XVIII Ecclesiam Romanam regente: *Perveniens Romam*, inquit Osbernus, *Romano Pontifici præsentiam exhibuit, colloquia quæsivit. Qui dum omnem loquendi opportunitatem tribuisset, tanto inter loquendum sibi fœderati sunt amore, ut eum idem Apostolicus propriâ Apostolatûs sui stolâ circumdaret, & ad memoriam cœlestis clavigeri coram omni Romano Senatu honoraret.*

Reversus

SÆC. XI. An. C. 1011.

Reversus est in Angliam quo tempore Danus per eam spargitur, *& quidquid obstaret, tùm cæde, tum incendio comminuit.* In tanto rerum discrimine *Elphagus id quod factu difficillimum erat, hostes adire solebat, verbum eis vitæ prædicare, captivos dato pretio redimere, & eos quos fames opprimebat alere.* Tandem hoc anno Cantuaria ab eisdem obsessa, & *vicesimo obsidionis die* occupata.

IV. *S. Elphegus Cantuariæ Archiep. à Danis captus & malè habitus.*

Capta urbe super omnia in minorem ætatem crudelitas desævit, parvuli à matrum uberibus avelluntur, aut lanceis excipiuntur, aut super acto plaustro minutatim conteruntur. Innumeris manibus fortissimus athleta capitur, dum petit, ut innocenti ætati parcatur, & in se ira desæviat, qui eos multo milite spoliarit. *Igitur ex omni numero,* inquit Osbernus, *qui ad octo millia hominum prætendebatur, quatuor solummodo monasticæ professionis, octingentos autem inferioris ordinis viros remansisse accepimus, quos primùm beneficii gratiâ pro decimis computatos, deinde Dani verberibus acriter exaratos, aut pecuniaria redemptione dignos judicaverunt, aut servilibus mancipandos operibus secum obduxerunt. Quibus ea solum re Danos existimo pepercisse, ut nullis temporibus deessent, qui cruentam illorum victoriam prædicare possent.* Paucis interpositis: *ducitur hostia Christi* (nempe Elphegus) *de urbe ad classem, de classe ad carcerem, de carcere ad iniquitatis judicem. Carcerem pronuncio, quem horror tenebrarum cæcavit, quem angustia parietum arctavit, quem ranarum importunitas fœdavit. Ibi virum menses septem duodeno militum septum servavêre, rati illum Ecclesiæ patrimonia spoliaturum, ac pro sui liberatione eis daturum.*

V. *Miraculum ab eo anno sequenti patratum.*

Ad num. VI. *Interea cœpit ira Omnipotentis Dei in homicidam populum* (idest, Danos) *adeo desævire, ut parvo temporis intervallo, duobus eorum millibus per diros internecum cruciatus prostratis, cetera quoque multitudo, simili morbo percussa, simile experiretur exitum.* Commoniti Dani à fideli populo, ut reos se in Christum agnoscant, & Pontifici satisfaciant, tandem Concilium convocant. *Erat autem solemnis ille conciliationis dies, in quo sanctissimum Corporis & Sanguinis sui mysterium Salvator discipulis commendavit*, nempe dies decima Aprilis; cùm anno sequenti, quo hæc contigêre, & ad quem revocanda sunt, in diem XIII Aprilis Pascha inciderit. *Elphegus* explicata Christi mansuetudine erga Judam proditorem aliosque, qui eum comprehenderant, oblitus incendia civitatis, & quæ in se acta fuissent, jussit afferri panem, eoque benedicto ac inter omnes distributo, *omnes de exitiali liberavit clade. Qui liberati & ab homine confortati, nihilominus persisterunt, in quo cœpto constiterunt,* inquit Osbernus; sed hæc anno sequenti, ut mox dixi, peracta.

VI. *S. Macarius Archiep. Antiochenus Gandavi floret.*

Vitam *Sancti Macarii* Archiepiscopi Antiocheni, de cujus morte anno sequenti cum Baronio agemus, scripsit Monachus Anonymus Gandensis jussu *Erembaldi* Abbatis Gandensis, qui Otwino XVI Kalend. Julii anno CMXCVIII de mortuo successit. Eam eruit è vetusto MS. Henschenius ad diem X Aprilis, quo & alteram ejusdem Sancti Vitam jussu *Sigeri* Abbatis Gandensis post Elevationem corporis ejus à Monacho Gandensi elucubratam etiam exhibet. Eremboldo autem anno MXIX successit Othboldus ut docet Chronicon MS. ejusdem Cœnobii. Existimat Henschenius *Macarium è Hierosolymitana urbe,* ubi malè à Saracenis habitus fuerat, hoc anno *Gandavum* venisse. Verùm cùm sepulchrum Hierosolymitanum Domini Nostri J. C. anno M X, tertio Kalendas Octob. eversum fuerit, & sanctus hic peregrinus, uti in secunda ejus Vita dicitur, Hierosolymis in Bavariam venerit, ibique *anno integro* manserit, postea Moguntiam, Coloniam, Machliniam, Cameracum, Tornacum, tandemque Gandavum perrexerit, ubi post aliquam moram die decima mensis Aprilis anni sequentis è vivis excessit, manifestum est, *Macarium* annos aliquot ante Templi Hierosolymitani eversionem Gandavum advenisse. Præterea in posteriori Vita dicitur, famam sancti viri pervenisse *usque ad sanctum Patriarcham Joannem,* dum ille per Palæstinam peregrinaretur, & loca sacra inviseret, subditurque: *à sancto Patriarcha honorificè detentus, aliquandiu ibi est demoratus. Delectabat enim eum dormitorium Salvatoris & locus Calvariæ.* Addit idem Anonymus Macarium, cùm disputaret cum Saracenis, carceri inclusum fuisse, ac postea è Palæstina discessisse. Ex quo intelligimus primò, sanctum Antistitem Hierosolymis fuisse ante Sepulchri Hierosolymitani eversionem, & ante mortem Jeremiæ Patriarchæ Hierosolymitani tunc occisi, ut supra diximus. Secundò, *Joannem* istum omissum à Papebrocio in Hist. Chronol. Patriarcharum Hierosol. sedisse ante *Jeremiam*, non verò post eum, ut putavit Henschenius in Notis ad posteriorem Vitam Sancti Macarii. In priori Vita, ubi paucissima de eo habentur, legitur, *Macarium* fuisse Antiochiæ Archiepiscopum, *quæ urbs Armeniæ flos est*, inquit Anonymus. Quare cùm vicinæ provinciæ subinde sub Armenia comprehensæ fuerint, & ibi Antiochia Pisidiæ Metropolis extiterit, non videtur dubitandum, quin in ea Macarius sederit. Nam si Patriarcha Antiochenus extitisset, neque *Erem'oldum* Abbatem Gandensem, qui eum viderat, neque Monachum, qui priorem Vitam ejus scripsit, quemque Eremboldus de iis, quæ ad sanctum Præsulem spectabant, edocuerat, id latuisset, vel ab eodem tacitum esset.

SÆC. XI. An. C. 1012.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6505.

☉ 13. F E ☽ 6. P. 13. April. Indict. 10.

JESU CHRISTI 1012.

BENEDICTI VIII PAPÆ 1.

HENRICI II. REGIS 11.

BASIL. & CONST. IMPP. 37.

Anno Æræ Hispan. MLI. Anno Hegiræ CCCCIII inchoato die 23. Julii fer. 4.

I. *Benedictus VIII PP. succedit Sergio IV.*

A Num. I ad VII. Sergius IV die decima septima mensis Junii adhuc in vivis erat, ut subscriptio à Baronio num. III recitata demonstrat: *Datum XV Kalendas Julii per manum Gregorii Episcopi & Bibliothecarii S. Sedis Apostolicæ, anno, domino propitio, Pontificatûs domini Sergii quarti Papæ, in sacratissima sede B. Petri Apostoli tertio, indictione decima.* Die verò vigesima tertia mensis Novembris *Benedictus* VIII natione Tusculanus, antea dictus Joannes Episcopus Portuensis jam Ecclesiam Romanam administrabat, ut liquet ex altera Charta à Baronio anno MXIX num. VI recitata, & his verbis inchoata: *In nomine domini D. S. N. Jesu Christi,*

SÆC. XI. An. C. 1012.

anno, Deo propitio Pontificatûs domini Benedicti summi Pontificis & universalis octavi Papæ in sacratissima Sede B. Petri Apostoli octavo, imperante domino piissimo perpetuo Augusto Henrico à Deo coronato magno Imperatore anno sexto, indictione tertia, mensis Novemb. die XXIII. Hanc confirmat subscriptio hoc anno à Baronio num. V in hæc verba relata: *datum VI Kalend. Januarii per manus Benedicti Episcopi Portuensis & Bibliothecarii S. Apostolicæ sedis, anno, Deo propitio, Pontificatûs domini Benedicti sanctissimi octavi Papæ, anno octavo, imperante domino piissimo Imperatore Augusto Henrico anno sexto, indictione tertia, mense Decembris die XXVI*, legendum, *die XXVII*, qui idem est cum VI Kalend. Januar. Quare cùm anno MXIX die XXIII Novembris jam annum Pontificatûs VIII inchoaret, currenti annum primum eodem die jam exursus erat. Baronius ex prima & tertia subscriptione infert *Benedicti* VIII initium anno sequenti potius, quàm præsenti collocandum esse. Sed eum calculos malè posuisse ipsæ subscriptiones demonstrant. Decepit Cardinalem doctissimum Sergii IV Epitaphium ab eo recitatum, in quo dicitur: *qui sedit annos II, & menses VIII & dies XIII, ind. X anno Dominicæ Incarnationis millesimo decimo III.* Verùm hæc verba ostendunt Baronii tempore clausulam illam ex parte jam fuisse erasam, & residua tantùm variarum litterarum vestigia. Quam ob causam dies & mensis tunc non apparebant. Præterea, quia indictio X cum anno Christi MXIII copulari non potest, manifestum est, in duratione Sedis *Sergii* IV dimetienda, & *Benedicti* VIII Pontificatûs initio consignando illius Epitaphii nullam rationem habendam esse; cùm ex duabus subscriptionibus mox relatis constet, *Benedicti* VIII initium in annum sequentem differri non posse. In Catalogis *Sergio* IV tribuuntur anni tres, & in quibusdam anni II menses IX & dies XII. Sed cùm dies & mensis emortuales ejus ignorentur, potis non est menses & dies, quibus supra annos duos sedit, divinare, frustraque id hactenus tentatum. *Sergium* tamen ante mensem Augustum obiisse, & *Benedictum VIII* statim ei successisse, ex dicendis in hujus morte perspicuum fiet.

II. *Vandali à Saxoniæ Duce vexati se se in libertatem asserũt.*

A num. VII ad XI. Lambecius in Originibus Hamburgensibus pag. 41. de *Libentio* Archiepiscopo Hamburgensi, qui *Adaldago* successerat, verba faciens, cladem per hæc tempora Saxoniæ Ecclesiis illatam accuratè explicat. Anno vicesimo secundo Libentii, ut habet Adamus lib. 2. cap. 32. anno scilicet Christi MX, *Benno* Dux Saxoniæ vitam cum morte commutavit; *vir*, ut ait Helmoldus lib. 1. cap. 16. *omni probitate conspicuus & strenuus Ecclesiarum defensator.* In ejus locum *Bernhardus* Dux filius successit; avarus æque atque ferox & superbus. Simul enim ac rerum potitus est, Vandalos Saxonum tributarios, quos pater atque avus ejus, quia recenter Christiana religione imbuti erant, leniter tractarant, iniquis pecuniarum exactionibus, aliisque molestiis adeò gravavit, ut abjecta demum Christiana religione, armis se se in libertatem asseruerint: hac præsertim opportunitate freti, quòd Dux *Bernhardus* bello in *Sanctum Henricum* Germaniæ Regem suscepto intentus esset.

III. *Abjectâ*

Itaque ultimo *Libentii* Archiepiscopi Hamburgensis anno, ut habet idem Adamus lib. 2. cap. 32. sequenti scilicet Christi anno Ducibus *Mistiwoio* & *Mizzidrac* Transalbinam invasêre Saxoniam, atque totam per omne crudelitatis genus penitus devastarunt. Tota urbs Hamburgensis cum Ecclesia beatæ Mariæ, solo adæquata est: cives partim occisi, alii in servitutem abducti sunt omni morte graviorem. Narrat hæc pluribus Baronius num. VIII ex Helmoldo lib. 1. cap. 16. Nam quæ apud Adamum Historiæ Ecclesiæ Hamburgensis libri secundi capite tricesimo, tricesimo primo, secundo & tertio leguntur, adeo turbata & corrupta sunt, ut nihil inde sani atque veri colligi possit, nisi instar decimi sexti capitis libri primi Chronicorum Helmoldi reformentur. Cæterum Adamus à Baronio num. X citatus habet: *Hæc facta sunt ultimo tempore senioris Libentii Archiepiscopi, sub Duce Bernhardo, filio Hermanni*, & Baronius in margine ex Helmoldo loco Hermanni, Adamum Bennonem ponere debuisse docet.

SÆC. XI. An. C. 1012. *Christianitate Ecclesias devastant.*

IV. *S. Elphegus Archiep. Cantuariæ à Danis occisus.*

Ad num. XI & seq. Osbernus Monachus in Vita sancti Elphegi Archiep. Cantuariæ cap. VI refert, Danos *sacrosancta dominicæ requiei sabbato*, duodecima nempe mensis Aprilis, cùm Pascha, de qua die ibi sermo est, hoc anno in diem XIII Aprilis inciderit, Principes legionum quatuor ad Elphegum misisse, qui *primò quidem pro impenso beneficio* (de quo anno superiori) *gratias exhibeant: deinde hujus conditionis alloquium proponant: ut si vita ac libertate vellet potiri, sexaginta argenti talenta persolvat, singulis talentis quinquaginta librarum pondere appensis. Præter hæc spondeat se suasurum Regi, ut quoniam impossibile sit absque grandi pecunia Anglis Danos conciliari, ducenta superioris ponderis talenta solvantur, sicque fœdus inter utrosque populos firmum constituatur. Quo ille accepto nuncio tale fertur responsum dedisse. Legatio, inquit legitima non est, cum id petitur, quod petenti jure denegari potest. Jure autem denegari potest, quod ratione haberi non potest. Ratione verò haberi non potest, quod aut ignis devoravit, aut prædo asportavit. Quod si ad explendam animi vestri dominatricem cupiditatem, ea vos ratione ducimini, ut existimetis me aut Ecclesiasticas possessiones expoliaturum, aut contra patriæ decus Regi suasurum, fallimini: propterea quod Christiani hominis non sit, christianorum carnes paganis dentibus conterendas dare.* Tandem Elphegus à Principibus Danis morti adjudicatur, & satellites diaboli *alii atque alii eum lapidibus obruunt*, anno Patriarchatûs ejus septimo, *nativitatis quinquagesimo nono, Jesu Christi MXII, indict. X, advesperascente sabbato Paschalis hebdomade, & inchoante dominica die octavarum Paschæ, XIII Kalendas Maii*, inquit Osbernus. Celebris aliàs fuit memoria hujus Sancti Præsulis, miraculis clarissimi, cujus corpus adhoc anno MCV repertum est incorruptum. Legendus Bollandus ad diem XIX mensis Aprilis.

V. *Indigna Anglorum cum Danis pax.*

Ad num. XIII. Refert Baronius ex Westmonasteriensi *Danos* in Anglia una die furtivo impetu omnes occisos fuisse. Verùm jam anno MII monuimus, Westmonasteriensem summopere in anno illius carnificinæ consignando errasse, & quæ postea singulis ferè annis de rebus in Anglia gestis in medium adduximus, errorem illum refellunt. Hoc itaque anno non Dani occisi, sed dum Elphegus in vinculis detinetur, *Ethelredus* Angliæ Rex & Proceres ejus pecunias

nias colligunt, & blandè Danos muneribus onerant: *Anno MXII*, inquit Hovedenus ad hunc Christi annum, *perfidus Dux Edricus Streona, & omnes Angliæ Primates ante Pascha Lundoniæ congregati sunt, & ibi tandiu morati sunt, quousque tributum Danis promissum, quod erat quadraginta octo millia librarum, persolveretur.* Non potuit tributi pensio sanctum Elphegum à morte liberare, quia tardè, ut cetera omnia, & importunè collecta. Itum tunc iterùm in fœdera: *Tunc*, inquit Huntindonius, *Rex nimis serò pacem fecit cum Dacorum exercitu, dans ei* 8000 (legendum, 48000) *librarum. Nunquam enim tempore opportuno pax fiebat, donec nimia contritione terra langueret. Subdiderunt autem se Regi quadraginta quinque puppes Dacorum, promittentes quod Angliam tuerentur; Rex vero inveniret eis victum & vestitum.* Ita Ethelredus Rex sanctissimi Præsulis mortem vindicavit. Sed *Swanus*, qui in Angliam rediit, ad imperium Insulæ anno sequenti revertetur.

VI. *Moritur Libentius Bremensis seu Hamburgensis Archiep.*

Ad num. XIV. Beatus Libentius Archiepiscopus Bremensis *anno Domini MXIII indictione XI* obiit, *& sepultus est in medio chori, ante gradus sanctuarii pridie Nonas Januarii*, inquit Adamus Bremensis lib. 2. cap. 29. quare quæ de eo Baronius ex *Dimaro* lib. 6. refert, pertinent ad annum sequentem. Sedit annos XXV, fuitque vir liberalissimus. Dum adhuc pax esset in Sclavonia Transalbianos populos frequenter visitabat. Quando *Svein* à Regno Sueviæ depulsus cum Danis & Suecis interiorem Saxoniam vastavit, omnes Saxoniæ civitates grandi metu perculsæ sunt: *Tunc & Brema muro muniri cœpit firmissimo. Sed & Libentius Archiepiscopus thesaurum Ecclesiæ, omnemque Ecclesiasticam fecit ad Buccensem deportari Præposituram. Tantus itaque timor in finibus hujus parochiæ omnibus erat. Nam & ipse Pontifex pyratas, qui Episcopatum vastabant, anathemate damnavit.* Hæc omnia Adamus. Bollandus ad diem IV Januarii refert nomen *Libentii* in aliquibus Calendariis legi, eique nomen *Beati* attribuit.

VII. *Moritur S. Macarius Archiep. Antiochiæ.*

Ad num. XV. In priori Vita Sancti Macarii Antiocheni Archiepiscopi jussu Eremboldi Abbatis Gandensis scripta, mors ejus his verbis consignatur: *Anno Dominicæ Incarnat. millesimo duodecimo, concurrentibus duobus* (hic enim est bissextilis duplici littera dominicali notatus) *quarto Idus Aprilis obiit hic sanctus.* Et postea narrantur ejus miracula intra biennium post obitum patrata. *Sigerus*, cujus jussu posterior Vita elucubrata, factus Abbas Gandensis anno MLXVI, regiminis sui anno secundo, elapsis ab obitu Sancti Macarii annis quinque & quinquaginta, *cùm præclaris miraculorum insignibus B. Macarii clareret sepulchralis locus*, ut in ea secunda Vita dicitur, corpus ejus elevari jussit, *VII Idus Maii, anno MLXVII*, & postea eam secundam Vitam scribi. Quare non mirum, si post tot annos is Auctor Anonymus contra fidem prioris Anonymi scripserit, *Macarium* in civitate Antiochiæ Syrorum Metropoli natum & baptizatum fuisse, & *Macarii* post Deum creatorem Armeniam extitisse procreatricem. Armenia enim longè à Syria posita, & tamen hic Auctor Antiochiam Pisidiæ cum Antiochia Syriæ perperam confundit. Vide dicta anno superiori. *Macarius* Gandavi in magna veneratione habetur, & seculo elapso, cùm, Caroli V Imperatoris jussu, ad urbis custodiam monasterium sancti Bavonis eversum fuisset, ejus Reliquiæ in Parochialem Sancti Joannis Baptistæ Basilicam Gandensem, nunc Cathedralem, translatæ sunt.

VIII. *Concilium Legionense.*

Ad num. XVI & seqq. *Concilium Legionense*, erâ ML, præsentibus *Alphonso V* Rege Legionis & *Geloira* ejus uxore, celebratum edidit Em. Card. d'Aguirre in Concil. Hispaniæ cum variis Decretis in eo conditis, quæ ex Codicibus MSS. eruit. Quare in ejus Conciliorum Collectione legenda.

IX. *S. Colomanni Martyrium.*

Lambecius Tom. II Bibl. Cæsareæ pag. 611. & seqq. refert Historiam Martyrii & Miraculorum *S. Colomanni* natione Scoti, qui in oppidulo Austriæ *Stockerau*, olim *Asturis* vocato, & in vicinia Norici Ripensis & Pannoniæ posito passus est compositam ab *Erchinfrido* tertio Monasterii Melicensis Abbate, qui eodem tempore vixit in Austria inferiori. Imperante itaque S. Henrico *Colomannus* cupiit cum aliis quibus eadem mens erat, Jerusalem petere. Venit ob id in Orientalem Noricæ regionem, ubi contra eum orta est falsa suspicio tanquam veniret missus *causâ explorationis ac prodendæ patriæ*. Licet itineris sui caulam veraciter Judici exponeret, horrendis tamen cæsus est verberibus, & tandem cum duobus latronibus suspensus. In morte & post mortem miraculis claruit: eum autem hoc anno martyrium passum esse ostendit ibidem Lambecius ex duobus Chronicis MSS. Nomen ejus inscriptum est Martyrologio Romano ad diem XIII Octobris.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6506.

☉ 14. D. ☽ 7. P. 5. April. Indict. 11.

JESU CHRISTI 1013.

BENEDICTI VIII PAPÆ 2.

HENRICI II REG. 12.

BASIL. & CONST. IMPP. 38.

Anno Æræ Hispan. MLI Anno Hegiræ CCCCIV, inchoato die 13 Jul. fer. 2.

I. *Libentio Archiep. Bremensi succedit Unwanus.*

AD num. VII & seq. Baronius non animadvertens, Sedem Bremensem & Hamburgensem unitas fuisse, & Archiepiscopos modò Bremenses, modò Hamburgenses ab Historicis appellari, anno superiori de morte *Libentii* Archiepiscopi Bremensis, currenti verò de morte *Libentii* Archiepiscopi Hamburgensis verba facit. *Libentius* itaque Bremensis & Hamburgensis Archiep. hoc anno ad Deum migravit, ut superiori monstravimus, eique, ut docet Adamus lib. 2. cap. 33. suffectus est *Unwanus* Canonicus Paderbornensis, qui toto pectore ad hanc curam incubuit, ut *Bernhardus* Saxoniæ Dux Henrico Germaniæ Regi reconciliaretur. Quod cùm factum fuisset, simul & Vandali ad pristinam obedientiam retracti sunt, & Transalbinæ Saxoniæ pax restituta. Hinc Chronographus Hildensheimensis ad annum MXIX, scribit: *Imperator* (Henricus nempe, qui anno sequenti Imperator coronatus est) *cum exercitu contra Bernhardum Ducem ad castellum Scalcsburg perrexit, ibique Deo gratias omnia in pace constituit.* Qua etiam de re Krantzius lib. 4. Saxoniæ cap. 30. ait: *Hujus impetum viri* (sc. Bernhardi) *Unwanus taliter sua animi magnitudine fregit, ut præ pudore sapientiæ & libertatis Episcopi, dux, cui ante adversatus est, deinceps cogeretur benevolus esse ad omnia. Ergo audito Unwani Pontificis consilio,*

filio, rebellis tandem est flexus Princeps. Scaldiaborg supplex Henrico Cæsari dedit manus. Unwano interveniente: Vandalis tributo subactis, pacem reddidit Transalbinis & Ecclesiæ Hamburgensi.

II. *Unwanus Hamburgum reparat.*

Deinde ad restaurationem Hamburgi Dux atque Archiepiscopus animum appulêre, & supra ruinas antiquæ orbis nova è ligno extruxerunt ædificia, & Ecclesiam & Claustrum. Dispersos etiam recollegerunt cives, & novos insuper in urbem receperunt incolas. Quare brevi, in eum statum urbs restituta est, ut ipse Dux cum Archiepiscopo frequenter ibi commorari, & Daniæ Regem Vandalorumque Principes eo ad colloquium invitare dedignatus non fuerit. Tum primùm quoque Archiepiscopus Collegium duodecim Canonicorum ibi instituit, ut Adamus lib. 2. cap. 52. & Helmoldus lib. 1. cap. 17. fidem faciunt. Nunc *Bremensis* Ecclesia à Lutheranis occupata, licet Urbi Calvinistæ dominentur.

III. *Swanus Danorum Rex Angliam invadit.*

Anno superiori *Danorum* exercitus in varia distractus; pars *Ethelredo* Regi servivit, pars major in patriam, præda, spoliisque onusta, recessit. Nunc verò *Swanus*, visâ Regis inertiâ, decrevit omnino non quiescere, donec ejecto, aut prostrato Rege coronam ipse induisset. Cùm itaque hoc anno è Dania solvisset, & Angliam ingressus esset, provincias ferè omnes, sui nominis terrore implevit primo: deinde sibi fecit obsequentes: ac demum quà minis, quà suppliciis hominum, quà multis victoriis auctus, Rex appellatus est. Sensit primum impetum Septentrio: ubi populus, servitutis impatiens, ideo ad nova imperia promptus, quia omne imperium fugiebat. Swanus obtenta Northumbria, Merciorum etiam provinciam aggressus, Lincolniensem agrum in suam potestatem redegit: *His impletis*, loquit Hovedenus ad hunc Christi annum, *& classe cum obsidibus Cnuto filio suo commendata: sibi lectos auxiliarios, de deditis sumens; adversùs Australes Mercios expeditionem movit: & pertransita Watlingstreete, suis Edictum posuit; videlicet, ut agros devastarent, villas cremarent, Ecclesias spoliarent; quidquid masculini sexûs in manus veniret, sine respectu misericordia jugularent: fœminas ad suam libidinem explendam reservarent: & omnia, quæ possent, mala peragerent. Quibus ita facientibus, & rabie ferina debacchantibus, venit Oxen-fordam, & illam citiùs, quàm priùs putavit, obtinuit: obsidibusque acceptis, festinatò Wintoniam properavit. Quò cum venisset, crudelitatis ejus magnitudine, cives Wintonienses perterriti, pacem cum eo, sine mora, fecerunt: & obsides, quos vel quot expetiit, dederunt. Quibus acceptis versùs Lundoniam movit exercitum; de quo multi, in Tamesi fluvio submersi, interierunt: Quia nunquam pontem, neque vadum quærere voluerunt.*

IV. *Rex Angliæ appellatur.*

Cumque Lundoniam venisset, multis modis illam, vel dolo capere, vel vi expugnare conatus est. Sed Rex Anglorum Egelredus, cum civibus & juvamine Danici Comitis Turkilli sæpe memorati; qui secum tunc temporis intus erat, muros urbis viriliter defendit, & illum abegit. Qui repulsus primò Walingfordam, deinde Batham; omnia quaque more solito rapiendo & demoliendo adiit: ibique exercitum suum recreando consistit. Tunc venit ad eum Athelmarus Domnania Comes, & cum eo occidentales ministri: & pace cum illo facta, obsides illi dederunt. Quibus omnibus ad velle peractis, ad suam classem reversus, ab omni populo Anglorum Rex appellabatur, & habebatur; licet tyrannicè faceret. Cives etiam Lundonienses obsides illi miserunt, & pacem cum eo fecerunt: metuebant enim furorem illius, intantum super se iram descresseret; ut omnibus suis rebus ablatis, vel oculos illorum erui, vel manus, vel pedes detruncari juberet.

V. *Ethelredus Rex in Galliam fugit.*

His addit Westmonasteriensis: *Inter hæc omnia Rex Anglorum Ethelredus jacebat in urbe Londoniarum inertia torpens, timidus & suspiciosus; nulli se committere ausus. De morte fratris sui Eadwaldi* (idest, sancti Eduardi Martyris) *conscientiam habens cauteriatam; ne citius divinam sentiat ultionem. Exercitum congregare, vel contra hostes ducere non audebat: metuens ne nobiles regni, quos injustè exhæredaverat; in campo eum relinquentes, hostibus traderent ad damnandum. Hæc misera conditio misero Regi fuit. Tandem Rex tot perturbationibus confossus recessit clanculùm à civitate Londoniarum & priùs ad Suthamptoniam, ac postea ad vectam insulam enavigavit. Et inde Reginam suam Emmam in Normanniam ad Ducem Richardum fratrem suum, cum filiis suis Aelfredo & Edoardo, & eorum magistris Aelfhuno Dunelmensi & Abbate Midelshamensi Aelfsio dirigens, cum honore & reverentia ab ipso duce sunt recepti. Eadricus quoque Regis Ethelredi consanguineus, cum militibus sexies viginti, cum Regina, ut custos ejus transfretavit: ubi cum ipsa duobus annis residens, ei magnificè ministravit. Sicque illis mense Augusti mare transeuntibus; Ethelredus cum classe sua in insula Vecta remansit usque ad Natalem domini; si bona de eis nuncia audiverit, Reginam & filios secuturus. unde mox ut à partibus transmarinis audivit, Richardum Ducem, sororem & filios ejus cum magna hilaritate suscepisse; Rex Ethelredus mense Januario in Normanniam transiens, miserias suas sedulitate, & consolatione ducis magnifici sublevavit.* Tunc didicit Ethelredus nunquam benè firmari coronam fraterno sanguine ac nullo jure acquisitam, & quia Abel justum occiderat, voluisse Deum justâ sententiâ, ut profugus esset super terram, ut fusiùs narrat Alfordus hoc anno.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6507. Anno Æræ Hispan. MLII. Anno Hegiræ CCCCV. inchoato die 2. Jul. fer. 6.

⊙ 15. C. ☽ 8. P. 25. April. Indict. 12.

JESU CHRISTI 1014.

BENEDICTI VIII PAPÆ 3.

HENRICI II REG. 13. IMP. 1.

BASIL. & CONST. IMPP. 39.

I. *S. Henricus Imperator coronatur.*

ANNUM. I ad VI. Chronographus Hildensheimensis, qui annum à Natali Christi exorditur, de Coronatione Sancti Henrici hoc anno habet: *Natalem domini Rex Papiæ celebravit* (quò se se anno superiori contulerat). *Inde comitata Regali Romam pergens, Imperialis coronæ diadema à sancti Petri Vicario Benedicto sexto Kal. Martias* (legendum, *decimo sexto Kal. Martias* qui hoc anno in Dominicam incidit; cum Ditmarus, cujus verba recitat Baronius, asserat eum *die dominica* coronatum) *cum generali electione suscepit. Ejusque contectalis domna Cunigunda idem Deo annuente promeruit. Sic Imperator Dei gratiâ factus Papiam rediit. Ibi*

sanctissi-

SÆC. XI. An. C. 1014.

sanctum Pascha feriavit. Inde namque regrediens Pentecosten Babenberg (idest Bambergæ) *festivè peregit.* Hæc itaque Imperii Henrici Epocha à decima quarta mensis Februarii proficiscitur, & in fronte singulorum annorum imposterum notabitur. *Ardoinus*, qui jam ab anno MII in Italia regnaverat, post Henrici Imp. ex Italia discessum ejectus, anno sequenti, novum bellum molitus est, tandemque Mediolanum ipsum hostilibus incursionibus pressit. Verùm cùm *Arnulphus* Mediolanensis Archiepiscopus exercitum promovisset, *Ardoinus* regno se abdicavit, atque ultrò in monasterium *Fructeria*, situm in agro Taurinatium sese abdidit, uti refert Sigonius lib. VIII Hist de Reg. Ital.

II. *Privilegium in favorem Ecclesiæ Rom. dat.*

A num. VI ad X. *Henricus* Imp. decessorum suorum exemplo Diplomate suo, à Baronio recitato, patrimonia Romanæ Ecclesiæ confirmavit. Baronius ait, se diploma cum quatuor exemplaribus contulisse, quòd varia menda in illud irrepserint, sed reliquit nomen *Ludovici* Pii, quia scilicet non existimabat, donationem Ecclesiæ Romanæ factam, quæ ejus nomine circumfertur, supposititiam esse ac spuriam. Hæc Henrici Imp. verba: *Exarchatum Ravennatem cum integritate, cum urbibus civitatibus, oppidis & castellis, quæ piæ recordationis dominus Pippinus, & dominus Carolus, & dominus Ludovicus, & Otto & iidem Otto filius ejus, prædecessores videlicet nostri B. Petro Apostolo & prædecessoribus vestris jamdudum per donationis paginam contulerunt.* Verùm ex iis, quæ in medium attuli, constat donationem Ludovicianam figmentum esse. Quamobrem in Diplomate ab Ottone M. anno CMLXII dato, & ibidem à Baronio recitato nulla ejus prorsùs mentio, quæ tamen facienda fuisset, si *Ludovicus*, uti *Pippinus* & *Carolus*, aliquam donationem Ecclesiæ Romanæ fecisset. Adhæc sequentia ejusdem Diplomatis verba *Ludovici* nomen additititum esse demonstrant: *Per hoc nostræ delegationis pactum confirmamus donationes, quas piæ recordationis Pippinus Rex, & postea Dominus Carolus excellentissimus Imperator, ac deinceps Ottones piissimi, beato Petro Christi Apostolo spontanea voluntate contulerunt*; ubi *Ludovici* nomen tacetur, quia in præcedentibus mox memoratis tacitum etiam fuerat. Denique *Henricus* expressis verbis confirmat Constitutiones *Eugenii* II & *Leonis* IV Pontificum Rom. quibus præcipitur, ut Pôtifex qui electus fuerit, non consecretur, nisi in præsentia Missorum suorum, cujus tamen contrarium in donatione Ludovici Pii disertè dicitur. Quare eodem Diplomate *Henricus* eamdem donationem confirmaret & rescinderet, si donationem illam ratam haberet.

III. *Decernit ut Romani Pontificis ordinatio coram Legatis Cæsareis fiat.*

Leonis autem nomine Imperatorem intelligere *Leonem* Papam hujus nominis IV, jam ostendimus anno CMLXII Privilegium Ottonis M. explicantes. Neuter confirmat Decretum anno DCCCXCVIII in Concilio Romano coram *Lamberto* Imperatore factum, quo jubetur, ut Pontifex Romanus coram Legatis Cæsareis consecretur, juxta id quod antea à Romanis Pontificibus statutum fuerat, quia tam *Otto*, quàm *Henricus* non habuêre *Lambertum* pro Imperatore, sed *Arnulphum* Germaniæ Regem, quem ipse Imperio dejecerat. Ex hoc etiam Diplomate apparet, verum esse quod seculi noni initio asseruimus, nempe *Carolum Magnum*, ejusque successores obtinuisse à Leone Papa hujus nominis III supremum dominium in Urbem, Ducatum Romanum, & Exarchatum Ravennensem. Nullus enim sibi persuaserit, Ottonem M. & Henricum majorem auctoritatem in Ditiones Ecclesiasticas exercuisse, quàm Carolum M. aliosque ex ejus familia Imperatores. Ait autem Henricus se confirmare censum ex Ducatu tam Tusciæ, quàm Spoletani provenientem, *eo scilicet modo, ut annis singulis prædictus census ad partem Ecclesiæ sancti Petri persolvatur, salva super eosdem ducatus nostra in omnibus dominatione, & illorum ad nostram partem subjectione.* Et paulò pòst de aliis provinciis, urbibus & patrimoniis *ad partem Ecclesiæ beati Petri Apostoli, atque Pontificum in sacratissima sede illius residentium*, verba faciens, ait, *nos inquantum possumus defensores esse testamur, adhoc ut eam illi ditionem ad utendum atque disponendum firmiter valeant obtinere, salva in omnibus potestate nostra, posterorumque nostrorum.* Porrò Decretum Henrici Imp. de Consecratione Pontificis Romani coram Legatis Cæsareis facienda, locum habuisse indicat Petrus Damiani, qui Alexandro II Papa sedente ait in lib. 1. Epist. XX electionem Pontificiam *per Episcoporum Cardinalium fieri debere principale judicium, ita ut secundo loco jure præbeat Clerus assensum; tertiò popularis favor attollat applausum: sicque suspendendam esse, causam, usque dum Regiæ celsitudinis consulatur auctoritas, nisi periculum fortassis immineat, quod rem quantocius accelerare compellat.* Sed hic mos tandem hoc seculo per Romanorum Pontificum cum Imperatoribus dissidia penitùs exolevit, ut suo loco insinuabimus.

IV. *Henricus Imp. Viros Sanctos coluit.*

A num. XIV ad XVII. Ait Baronius Sanctum Henricum *Popponem* Abbatem Stabulensem, & Odilonem Abbatem Cluniacensem summopere coluisse. *Erat enim verè Catholicus*, inquit Hugo Abbas Flaviniacensis in Chronico Virdonensi, *& religionis amator præcipuus. Adhærebat moralibus suorum consiliis, quorum puritate & vitare florebat Lotharingia, illuminabatur Saxonia, dirigebatur Suevia & Alemannia. Quamobrem sub ejus imperio salus fuit mundo & gloria. Inter quos habebat gratissimos Odilonem Cluniacensis Ecclesiæ Patrem piissimum, Willelmum Divionensis Ecclesiæ Rectorem strenuum, religione præstantissimum, qui etsi non erant de regno ejus, tamen in amicitiis ei jungebantur, & eorum orationibus regni negotia in pace tractabantur. Nec deerat familiaritati ejus Pandulphus Agaunensis* (sc. Abbas), *vir vitâ, moribus, religione, sanctitate celeberrimus; cùm enim faceret commendabilem Regi & Optimatibus fama virtutis ejus. At verò de regno ejus ferè quotquot erant Pontifices, & primi Ecclesiarum, tot ei erant incitamenta virtutum; cùm ipse eisdem muniretur, & ipsi vice versa ejus auctoritate ab illicitis reprimerentur, & ad perfectiora provocarentur. Inter quos hunc Patrem nostrum* (nempe Ricardum Virdunensem Abbatem) *habebat carissimum, inter præcipuos egregium, pietate prædicabilem, religione commendabilem; quem tanta Deus donaverat omnium gratiâ, ut à plerisque pro multa sibi benignitate, vitaque & sermonis acceptione, & non affectata elegantia sed impensâ gratiâ, hoc vocaretur agnomine, videlicet* Richardus Gratia Dei, *sicut & sanctus Odilo ab ingenita pietate* Pius, *& Willelmus à rigore ferventioris propositi* Supra regula *dictus est.* De Sancto Popone Stabulensi Abbate infrà sermo erit. San-Marthani in Catalogo Abbatum Agaunensium *Pandulfi*

SÆC. XI. An. C. 1014. *dulfi* nomen solummodo exhibent, nec quidquam aliud de eo habent.

V. *Moritur Sveno Angliæ invasor.* Ad num. XVII Huntindonius pag. 461. *Swani* anno superiori Angliæ Regis appellati casum paucis perstringit: *Anno*, inquit, *decimo quarto* (post millesimum) *Swain jam Rex Anglorum, in exordio regni sui subita morte periit. Exercitus autem ejus elegit Cnut filium suum in Regem.* Quomodo se se brevissimo, quo in Anglia regnavit tempore, gesserit Swanus, his verbis narrat Malmesburiensis lib. 2. de Reg. pag. 70. *Invasam Angliam cædibus & rapinis urgebat: provincialium substantia prius abrasa, mox proscriptiones factæ. Hæsitabatur totis urbibus, quid fieret: si pararetur rebellio; assertorem non haberent: si elegeretur subjectio, placido Rectore carerent. Ita privata & publica opes, ad naves cum obsidibus deportabantur: quod non esset dominus ille legitimus, sed tyrannus atrocissimus. Sed non diu propitia divinitas in tanta miseria sivit fluctuare Angliam. Siquidem pervasor continuò ad Purificationem Sanctæ Mariæ, ambiguum qua morte, vitam effudit. Dicitur quod terram sancti Edmundi Regis & Martyris depopulanti, idem Martyr per visum apparuerit, leviterque de miseria suorum convenerit, insolentiùsque respondentem, in capite perculerit. Quo dolore tactum, in proximo, ut prædictum est, obiisse.* Idem narrat Joannes Salisberiensis, Carnotensis Episcopus, qui sequenti seculo floruit, in Polycratico lib. 8. ubi caput vigesimum primum ita inscribit: *Omnium Tyrannorum finem esse miseriam, & quod in eos Deus vindictam exercet, si manus cesset humana.* Ceterùm *Swanum* Christianum fuisse, docet Encomiastes Emmæ Anglorum Reginæ lib. 1. *Præsciens dissolutionem sui corporis imminere, filium suum Cnutonem, quem secum habuit, advocat; sese viam universæ carnis ingrediendum indicat. Cui dum multa, de Regni gubernaculo, multaque hortaretur de Christianitatis studio, Deo gratias, illi virorum dignissimo sceptrum commisit Regale. Hujus rei facto maximè Dani, quibus legitimè præesse debuit, favent; eumque patre adhuc vivente Regem super se constitui gaudent.* Hic autem Encomiastes patri & filio æqualis fuit.

VI. *Ethelredus in regnum Angliæ restitutus.* *Swano mortuo*, ait Vigorniensis, *filium ejus Canutum sibi Regem constituit classica manus Danorum. At majores natu totius Angliæ, ad Regem Anglorum Ethelredum pari consensu nuncios festinanter miserunt, dicentes: se nullum plus amare, vel amaturos esse, quàm suum naturalem dominum, si ipse vel rectiùs gubernare, vel mitiùs eos tractare vellet, quàm priùs tractarat. Quibus auditis Eadwardum filium suum, cum Legatis suis ad eos dirigens, majores, minoresque gentis suæ amicabiliter salutavit: promittens se illis mitem, devotumque dominum futurum, in omnibus eorum voluntati consensurum; consiliis acquieturum; & quidquid sibi vel suis ab illis probrosè & dedecorosè dictum, vel contrariè factum fuerat, placido animo condonaturum; si omnes unanimiter & sine perfidia illum recipere vellent in regnum. Ad hæc cuncti benignè responderunt. Deinde amicitia plenaria, ex utraque parte, & verbis & pactis confirmatur. Ad hæc Principes se non amplius Danicum Regem admissuros in Angliam, unanimiter spoponderunt. His gestis, ab Anglis in Normanniam mittitur: Rex festinatò Quadragesimali tempore reducitur, & ab omnibus honorabiliter excipitur.* His addit Malmesburiensis citatus, *Ethelredum* contra Canutum exercitum collegisse, hunccque dolum meditantem dolo præventum terga vertisse & postquam obsides, quos habebat, magnæ nobilitatis & elegantiæ pueros, naribus & auribus truncasset, patriam petiisse. SÆC. XI. An. C. 1014.

VII. *Moritur Samuelus Bulgariæ Rex.* *Basilius Imperator* (nempe Orientis) *quot annis in Bulgariam expeditionem faciebat, & obvia quæque populabatur ac vastabat*, inquit Cedrenus pag. 707. qui narrat postea expeditionem ab eo hoc anno, *indictione duodecima* susceptam, cujus percepto nuncio *Samuelus* Bulgariæ Rex aditus Bulgariæ omnis munivit, atque intercepit, quos cùm expugnare desperaret Basilius, *Nicephorus Xiphias* Philippopolis tunc Præfectus, eo consentiente, cum exercitûs parte per quemdam montem, *sub XXIX Julii*, de superiori loco subitò Bulgaros à tergo adoritur, ex quibus multi occisi, multò plures capti. Ipse *Samuel* filii operâ ægrè evasit. *Captivis Bulgaris, qui fuisse ad XV millia feruntur, oculos Imperator eruit, singulisque centuriis unoculum præfecit, atque his ductoribus eos ad Samuelum misit. Quos Samuelus isto numero atque ordine venire videns, animi ad calamitatem eam fortiter ferendam non habuit satis, sed biduo post obiit*, inquit Cedrenus. Ei successit filius *Gabrielus*, qui & *Romanus* dicebatur, de quo anno sequenti.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6508. Anno Eræ Hispan.

☉ 16. B. ☽ 9. P. 10. April. Indict. 13. MLIII. Anno

JESU CHRISTI 1015. Hegiræ

BENEDICTI VIII PAPÆ 4. CCCCVI, inchoato die

HENRICI II REG. 14. IMP. 2. 21. Junii

BASIL. & CONST. Impp. 40. fer. 3.

I. *Canutus Daniæ Rex in Angliam irrumpit.* QUia in Annalibus Ecclesiasticis facta tantùm quædam peculiaria hoc anno narrantur, iis, quæ ad Historiam generalem faciunt prætermissis, ii nobis hic supplendi. Contendebant in Anglia de Regno *Ethelredus* & *Canutus*, prior que ab Edrico, apud quem summa rerum erat, proditus, belli mole non potuit non obrui. *Sequenti anno*, inquit Malmesburiensis lib. 2. de Reg. pag. 71. narrans quæ præsenti gesta sunt, *apud Oxenford magnum Concilium est congregatum Danorum & Anglorum; ubi Rex* (sc. Ethelredus) *nobilissimos Danorum Sigeferdum & Morcardum interfici jussit, delatione proditoris Edrici perfidia apud se insimulatos. Is illos favorabilibus assentationibus deceptos, in triclinium pellexit, largiterque potatos satellitibus ad hoc praparatis animâ exuit. Causa cædis ferebatur, quod in bona eorum inhiaverat.* Paucis interpositis: *Eadem æstate Cnuto compositis rebus in Danemarchia, fœderatâ cum finitimis Regibus amicitiâ venit Angliam, eo animo ut aut moriendum sibi proponeret. Itaque à Sandwicho Cantiam, inde in West-Saxoniam progrediens, omnia incendiis, cædibusque fœdabat, Rege* (scilicet Ethelredo) *apud Cosham morbo decumbente. Tentavit quidem Edmundus* (Ethelredi filius) *occurrere, sed ab Edrico præpeditus, copias interim tuto loco continuit. At Edricus non ultra dissimulandum ratus, quin artes suas aperta fronte nudaret, ad Cnutonem cum XL navibus defecit: omnis quoque West-Saxonia datis obsidibus & armis*
idem

idem fecit. Mercii verò numero & spe congregati, se ad resistendum offerebant; veniret modò Rex, & quò progrediendum esset, præciperet; duceret secum Proceres Londoniæ, paratos esse sanguinem suum patriæ impendere. Ille solitus salutem suam muris committere, non in hostem excurrere, Londoniæ, degebat propter proditores, ut aiebat, nusquam procedens.

II. *Edmundus filius Angliæ Regis se ei frustrà opponit.*

Rex interea (nempe Canutus Daniæ Rex) *partibus suis urbes & vicos applicare, nullo tempore feriari, noctibus consultare, diebus pugnare. Edmundus diu deliberato consilio in tanta rerum angustia optimum factu arbitratus, si urbes, quæ defecerant, pugnando reciperet, in eumdem sensum Uthredum quemdam Transhumbranum Comitem adduxit. Ceteras enim quæ adhuc dubio favore pendebant, confirmandas putabant, ù de rebellantibus graves pœnas sumerent. Sed Cnuto non minori prædiuus astutia, simili eos ingenio circumvenit. Nam commendatis West-Saxonibus & Merciorum parte, quam subjecerat ducibus suis, ipse in Northanymbros profectus, depopulatione locorum Uthredum ad sua defensanda redire coegit. Itaque licet se dedisset, barbarica levitate jussus est jugulari. Comitatus ejus datus est Iricio, quem postea æquales partes sibi vendicantem, Cnuto ab Anglia expulit. Ita subjectis omnibus Edmundum per semetra fugitantem non prius persequi destitit, quàm Londoniam ad patrem pervenisse cognosceret. Tunc usque post Pascha quievit, ut cum omnibus copiis urbem adoriretur. Sed prævenit conatum ejus mors Ethelredi*, de qua anno sequenti.

III. *Impietas Rainardi Comitis Senonensis.*

Ex Anglia in Franciam transeamus. In Chronico Sancti Petri Vivi Senonensis legitur: *Anno M X I I obiit Frotmundus Comes* (nempe Senonensis) *bonæ memoriæ. Anno M X V facta est traditio Senonicæ urbis.* Paulò pòst: *Mortuo Frotmundo Senonum Comite, & sepulto in capitulo sancti Eraclii, successit ei Rainardus filius ejus nequissimus, qui persecutionem intulit Ecclesiis Christi, & Leoterico Archiepiscopo* (sc. Senonensi), *intantum ut etiam* (*quod dicere & audire horribile est*) *quando ille divinum Officium celebrans, vultumque dans populo salutabat, ille vultum avertens in posterioribus suis ei pacem offerebat: nonnunquam in faciem ejus spuebat, homines ejus interficiebat, eumque modis omnibus injuriabat. Ob propter consilio Romani Pontificis, & Abbatis Ecclesiæ Cluniacensis* (nempe Sancti Odilonis) *nec non Suffraganeorum Episcoporum, & optimorum Procerum, præcipuèque Rainaldi Parisiensis Episcopi, anno ab Incarnatione Christi M X V I* (legendum, M X V, ut ex mox dictis intelligitur), *X Kalendas Maii civitatem Regi Roberto reddidit. Ipse verò Comes fugiens nudus evasit. Frater autem ejus Frotmundus & quidam milites urbis turrim defenderunt multis diebus. Quos tandem Rex cepit, & victus pietate vivos abire sinit. Frotmundum autem Aurelianis in carcere trusit, ubi obiit.* Idem legitur in alio veteri Chronico Sancti Petri Vivi adhuc inedito, cujus hæc verba refert Mathoudus in Catalogo Archiep. Senonensium: *Anno domini M X V Leothericus Archiep. tradidit Senonum Urbem Roberto Regi, consilio domini Papæ Benedicti VIII, qui adhuc vivebat, &c. Nam Rainardus quotidie lædebat Archiepiscopum, &c. sed ad Regem adiit* [nempe Leothericus] *& sibi temporale suum supposuit, ut ipso Rege pace gauderet Ecclesia Senonensis.* Legendum etiam fragmentum

Chronici Hugonis Monachi Floriacensis apud Duchesnium Tom. IV pag. 143. ubi de Rainardo Comite ait: *Talem persecutionem Christianis intulerat, qualis non fuerat audita à tempore Paganorum.* Denique Glaber lib. 3. cap. 4. hujus Rainardi impietates fusè narrat.

IV. *Fulbertus Episc. Carnotensis suasu punita.*

Res hæc plurimis, flagitia *Rainardi* Comitis ignorantibus, visa est admodum tyrannica & crudelis, multosque Franciæ Proceres adversùs *Robertum* Galliæ Regem commovit, & præsertim adversùs Episcopos, qui consilium hujusmodi Regi & Leoterico Archiepiscopo suggesserant, in quibus etiam fuit *Fulbertus* Episcopus Carnotensis, ut patet ex ejus Epistola ordine X ad Gualerannum & Gualterium Comites data: *Sciatis Fratres*, inquit Fulbertus, *quia Rex Robertus benefacit, cum Christianos adjuvat, & hæreticos damnat. Et ad hoc debent eum adjuvare, & confortare mecum omnes sui fideles: quia hoc ministerium ejus est, per quod salvus esse debet. Sciatis iterum quod Archiepiscopus Senonensis* [scilicet Leotericus] *requisivit à me consilium, quid deberet facere de Raginardo hæretico, qui persequebatur Ecclesiam Dei. Et ego ei dedi tale consilium, quale ad suum ordinem pertinebat. Et ecce ego mitto vobis utrumque scriptum & complanctum suum, & consilium meum, quod dedi ei secundùm ordinem suum. Si quis autem falsarius dicat, quod ego alterum ei consilium deinceps vel scripserim, vel dixerim, vel mandaverim, rogo ut me sicut patrem vestrum spiritualem defendatis, quia fiducialiter hoc facere potestis.*

V. *Moritur S. Adelheidis Abbatissa Vilicensis.*

Hoc circiter anno mortua est *Sancta Adheleidis* Vilicensis monasterii in Germania inferiore Abbatissa. Vitam ejus à *Berta* Sanctimoniali scriptam stylo passim immutato ediderat Surius ad diem V Februarii, sed primævam ad eumdem diem Bollandus publicavit. Est Vilica, vulgò *Villich*, locus in Diœcesi Coloniensi è regione Bonnæ urbis situs, ubi sunt hodie duo Collegia, unum Canonicorum, alterum nobilium Virginum Canonicarum, à parentibus *sanctæ Adelheidis* ampliter dotata, ut ibidem habet Bollandus. Hæc clarissima Virgo illustribus parentibus nata jugum religionis subiit secundùm regularem institutionem Sancti Hieronymi, fratreque in militia occiso, parentes bona ejus Deo consecrarunt, *Vilicense* Cœnobium construxêre, & deinceps continenter vixêre. Mortua matre suscepit *Adelheidis* Sancti Benedicti Regulam, cùm antea per annum in victu & vestitu vires suas explorasset, tandemque mortuo patre *Sanctus Heribertus* Coloniensis Archipræsul voluit, ut præesset Capitolino Monasterio in Urbe Coloniensi posito, (quod *Beata Maria Virginis in Capitolio* appellatur, & ubi etiamnum sunt Canonicæ): *Venerandus Antistes*, inquit Berta in ejus Vita, de Sancto Heriberto verba faciens, *tanto amore est illi colligatus, ut ejus consiliis pareret, in quacumque divinarum rerum ordinatione; eamque summa excoleret veneratione. Erat enim inter eos tam mira charitas, Deoque grata familiaritas, ut in omnibus operibus bonis unius viderentur esse moris.* In Vita & post mortem miraculis claruit. Sunt Vilicenses Canonicæ plerumque XII præter Abbatissam, omnes genere illustres. Cùm verò *Sanctus Heribertus* anno M XX I decesserit, funusque Sanctæ Virginis curarit, ac *Vilicam* revehi corpus ejus fas esse decreverit, ejus mor-

SÆC. XI. An. C. 1015.

tem circa hunc annum accidisse oportet.

VI. *Sedes Episcopalis Sabionâ Brixinam transfertur.*

Hoc etiam circiter anno mortuus est *Sanctus Albuinus*, sive *Albinus*, Sabionensis Ecclesiæ vicesimus octavus Episcopus, postquam sedem Episcopalem *Sabionâ Brixinam* in Titolum transtulisset, omnesque optimi Pastoris partes explevisset, ut ex Fastis Brixinensibus ostendit Bollandus ad diem V mensis Februarii.

VII. *Moritur Gabriel Bulgariæ Rex.*

Samueli Bulgariæ Regi anno superiori vitâ functo *successit filius Gabrielus, qui & Romanus dicebatur, patre robustior ille, sed prudentiâ longe inferior, natus captivâ quâdam Larissæâ, mense decima quinta Septembris, indictione decima tertia*, inquit Cedrenus. Statim ac rerum summam capessivit *Gabriel*, Thessalonicam aggressus, à Theophylacto Botoniata ejusdem urbis Præfecto fusus est. Cum verò postea Theophylactus à Gabriele prorsus deletus, cæsusque fuisset, hac clade nunciata *Basilius* Imp. Constantinopolim reversus est. Sub initium veris in Bulgariam rursus *Basilius* copias eduxit, & Ducum suorum operâ *Thessalonicam* suæ potestati subdidit. Nec multo pòst ei nunciatur, *Gabrielem à Joanne*, qui & *Uladislaus* dicebatur, *Aaronis* filio, quem ipse necei aliquando subtraxerat, cùm venatum exiisset, interfectum fuisse die XXIV Octobris currentis anni, postquam regnasset annum unum, mensem unum, & dies novem, ut refert Cedrenus laudatus. Is *Joannes* ultimus fuit Regum Bulgariæ; neque enim *Basilius* Imp. destitit à bello, quin totam Bulgariam Græcorum imperio subdiderit.

VIII. *Moritur S. Wolodomirus Russiæ Rex.*

Herbesteinus in Rerum Moscovitarum Commentarii pag. 5. postquam retulit *Wolodimerum* primum Regem Christianum Russiæ baptizatum fuisse, & *Annam* sororem Basilii & Constantini Imperatorum Orientalium sibi copulasse anno mundi 6496. Eræ nempe Cpolitanæ, Kalendis Septemb. anni Christi CMLXXXVII inchoato, subdit: *Anna moritur XXIII anno post nuptias: Wolodomirus verò anno post obitum uxoris quarto decessit.* Cedrenus pag. 719. ubi nullum annum memorat, ait mortuam Annam fuisse *in Russia, defuncto jam ante Bladimero marito.* Verùm Ditmarus lib. 7. disertè affirmat, *Wolodimirum* Kioviæ obiisse, & *juxta conjugem suam sepultum* esse. Is civitatem, quam *Wolodimeriam* à suo nomine vocavit, condidit, eamque Russiæ Metropolim constituit. *Inter Sanctos tanquam Apostolus solemni die, videlicet XV Junii quotannis veneratur.* Reliquit plures filios, qui post mortem ejus inter se de Regno decertarunt. *Swatopolchus* unus ex eis fratres suos *Boris & Cleph* per sicarios interfecit, hique in Russorum Kalendariis inter Sanctos connumerantur ad diem XXIV mensis Julii, uti monstravimus anno CMLXXXVII.

Anno Eræ Hispan. MLIV. Anno Hegiræ CCCCVII. inchoat. die 10. Junii fer. 1.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6509.

☉ 17. A G. ☽ 10. P. 1. April. Indict. 14.

JESU CHRISTI 1016.

BENEDICTI VIII PAPÆ 5.

HENRICI II REG. 15. IMP. 3.

BASIL. ET CONST. IMPP. 41.

I. *Mortuo E-*

AD num. II & seq: *Rex Anglorum Egelredus*, inquit Hovedenus part. I Annal. pag. 434. *decima quarta indictione, nono Kal. Maii, feriâ secundâ* (ideoque hoc anno, quo feria secunda in diem XXIII Aprilis incidit) *Lundoniæ defunctus est post magnos labores, & multas Vitæ suæ tribulationes, quas pro sui fratris Eaduardi nece super eum esse venturas Beatus Dunstanus ei prædixerat. Corpus verò illius in Ecclesia sancti Pauli Apostoli honorificè sepultum est. Post mortem cujus, Episcopi, Abbates, Duces & quique nobiliores Angliæ in unum congregati, pari consensu in Dominum & Regem sibi Canutum elegêre, & ad eum in Suthamtoniam venientes, omnemque progeniem Regis Egelredi coram illo abnegando repudiantes, pacem cum eo composuêre, & fidelitatem ei juravêre. Quibus & ille juravit, quod & secundùm Deum, & secundùm seculum fidelis esse vellet eis Dominus.*

SÆC. XI. An. Ch. 1016. *thelredo Anglorum pars Canutum eligit.*

II. *Pars altera Eadmundum Regem.*

At cives Lundonienses, & pars nobilium, qui eo tempore consistebant Lundoniæ, Clitonem Eadmundum unanimi consensu in Regem levavêre, qui solii Regalis sublimatus culmine, intrepidus Westsaxoniam adiit, & ab omni populo, magna susceptus gratulatione, suæ ditioni subegit eam citissimè; quibus auditis multi Anglorum populi magna cum festinatione illi se dederunt voluntariè. Canutus autem interim cum sua tota classe circa Rogationes Lundoniam devehitur, quò cùm venisset, in australi parte Tamesis magnam scrobem foderunt, & naves suas in Occidentalem plagam pontis traxerunt, deinde urbem altâ, lataque fossâ, & obsidione cingentes, ingressum, & egressum cunctis interclusserunt; ac eam frequenter expugnare moliti sunt: sed à civibus illis viriliter resistentibus procul à mœnibus repelluntur: quapropter obsidione ad tempus dimissa, exercitûsque parte ad naves custodiendas relicta, in Westsaxoniam abierunt properè, & Regi Eadmundo ferreo lateri spatium congregandi exercitum non dedêre: quibus tamen ille cum exercitu, quem in tantillo spatio congregarat, Dei fretus auxilio audacter in Dorsetania occurrit, & in loco, qui Peonnum vocatur, juxta Sillingham cum eis congressus, vicit, & eos in fugam vertit.

III. *Reges duo Regnum inter se partiuntur.*

Narrat postea Hovedenus varia prælia hoc anno Canutum inter & Eadmundum habita, tandemque subdit: *Cùm Rex Eadmundus ferreum latus* (ita vocabatur) *adhuc cum Canuto congredi vellet, dum nequissimus & dolo plenus Edricus, & quidam alii id nullo modo sinebant fieri, sed illi consilium dabant, ut pace facta cum Canuto regnum divideretur, quorum suggestionibus, licet invitus, ad postremum cum consentiret, recurrentibus ad invicem nunciis, & obsidibus utrimque datis, ambo Reges ad locum, qui Deorhirst nominatur, in unum convenerunt: Eadmundus cum suis in occidentali plaga Sabrinæ, Canutus vero in Orientali cum suis consedit. Dein uterque Rex in insulam, quæ Olanege appellatur, & est in ipsius fluminis medio sita, trabariis advehitur; ubi pace, amicitia, fraternitate, & pacto, & sacramentis confirmata, regnum dividitur. Dein armis & vestibus mutatis, tributoque, quod classicæ manui penderetur, statuto, ab invicem discesserunt; Dani tamen cum præda, quam diripuerant, ad suas naves redierunt, cum quibus pacem, dato pretio, cives Lundonienses fecerunt, & eos secum hyemare permiserunt.*

IV. *Eadmundo mortuo Ca-*

Post hæc Rex Eadmundus, Ferreum Latus, circa festivitatem sancti Andreæ Apostoli, XV Indictione

unus solus regnat.

Indictione (à Septembri deducta) *decessit Londoniæ.* Malmeshutiensis lib. 2. de Reg. pag. 72. ait: *Fama Edricum infamat, quod favore alterius, mortem ei per ministros porrexerit.* Tum pag. 75. de Edmundi filiis scribit: *Filii ejus Edwius, & Edwardus missi ad Regem Suevorum, ut perimerentur: sed miseratione ejus conservati, Hunnorum Regem petierunt. Ubi dum benignè aliquo tempore habiti sunt: major diem obiit: minor Reginæ sororem Agatham in matrimonium accepit.* Fuit Agatha Henrici Secundi Imperatoris filia, quæ Edoardo peperit Edgarum filium cognomento *Etheling*, quem postea Edoardus, cognomento *Confessor*, hæredem Regni scripsit.

V. *Salernum à Saracenis frustrà obsessum.*

Lupus Protospata ad hunc Christi annum habet: *Civitas Salernum obsessa est à Saracenis per mare, & per terram, & nihil profecerunt.* Quod confirmat Anonymus Barensis apud Peregrinium: Anno *MXVI Ind. XIV obsederunt Saraceni Salerno per mare & terra.* Leo Ostiensis lib. 2. cap. 38. dicit, Salernum à Saracenis obsessum, quando primùm Normanni in Italiam venêre. Quare est hic primus annus adventûs Normannorum in Italiam; sed quia Leonis locus corruptus, vel ipsemet memoriâ forsàn lapsus est, horum adventus, qui ad præsentem annum pertinet, à Baronio, quem alii secuti sunt ad annum M I I retractus fuit.

VI. *Adventus Normannorum in Apuliam.*

Tot tantaque, quæ magnam cum Historia Ecclesiastica connexionem habent in Italia à *Normannis* hoc & sequenti seculo gesta, ut ea suis locis explicare necesse sit. Annus eorum in eam adventûs malè hactenus, ut mox dicam, cum anno MII copulatus fuit, prochronismo nempè annorum quatuordecim. Neque enim dubito, quin hoc tantùm anno ad illas oras accesserint. Id colligo ex Poëmate Guillelmi Apuliensis de Rebus in Italia à Normannis gestis, cum aliis Historicis, qui hoc seculo vixêre collato. Is lib. I. asserit, se Urbani II Papæ jussu Opus suum in lucem emisisse, & ipso libri primi initio causam, cur Normanni expeditionem illam susceperint, his Versibus aperit:

Horum nonnulli Gargani culmina montis
Conscendêre: tibi Michael Archangele voti
Debita solventes. Ibi quemdam conspicientes
More virum Græce vestitum nomine Melum:
Exulis ignotam vestem capitique ligatæ
Insolitos Mithræ mirantur adesse rotatus:
Hunc dum conspiciunt, quis, & unde sit ipse, requirunt
*Se Longobardum natu, * cinemque fuisse* — legendum, * civemque
Ingenuum Bari, patriis respondit, at esse
Finibus extorrem græca feritate coactum.
Exilio cujus, dum Galli compaterentur,
Quàm facilem reditum, si vos velletis, haberem,
Nos aliquot vestra de gente juvantibus, inquit!
Testabatur enim citò Græcos esse fugandos
Auxiliis horum, facili constante labore.
Illi donandum patriæ munimine gentis
Hunc celeri spondent, ubi fortè redire licebit.
Ad fines igitur postquam rediêre paternos,
Cœperunt animos mox sollicitare suorum
Italiam secum peterent: narratur & illis
Appula fertilitas, ignaviaque insita genti.

VII. *Copulandus cum anno MXVI.*

Normanni in patriam reduces suos statim ad eam expeditionem animarunt, & turmatim *Romam* sine armis properantes (Benedictus enim hujus nominis VIII *Meli* Viri civitatis Barensis primarii, magnæque apud suos auctoritatis consilia promovebat), postquam à *Melo* arma accepêre in Apuliam hoc anno profecti sunt, annoque millesimo decimo septimo, ut suo loco ostendemus, idque *mense Maio*, ut Guillelmus Apuliensis citatus, aliique asserunt, primùm cum Græcis præliati sunt. Quare cùm Normanni se promptè subsidio venturos *Melo* promiserint, suos *Mox* ad illam expeditionem sollicitarint; & periculum esset in mora, manifestum est, eorum ad Garganum montem adventum anno currenti contigisse, eò magis, quò *Benedictus* Papa VIII, cujus initium in annum M XII convenit tunc Romanæ Ecclesiæ præfuerit, Glabro lib. 3. cap. 1. Orderico lib. 3. pag. 472. Gemmeticensi lib. 7. cap. 30. Fragmento Historiæ Aquitanicæ Tom. IV Duchesnii, & Leone Ostiensi lib. 2. cap. 38. testibus, ac *Henricus primus* Imperium administrarit, ut asserit idem Glaber. *Henricus* enim anno tantùm MXIV Imperator coronatus fuit, ideoque Normannorum in Apuliam adventus à recentibus Chronologis ante annum MXIV hactenus malè collocatus. Verum quidem est plerosque ex citatis Auctoribus Normannorum in Italiam adventum referre ad Pontificatum Benedicti IX & ad Imperium Henrici II, sed illi nominum similitudine decepti sunt, refellendique ex Willelmo Apuliensi, & ex iis quæ jam narravimus, observandumque Leonem Ostiensem sibimet contradicere, ut statim videbimus. Hanc adventûs Normannorum in Apuliam Epocham postquam in præsentem annum contuli, sero legi eidem affixam fuisse in Chronico Casauriensis, sive Piscariensis Monasterii à Joanne Berardo ejusdem Monasterii Monacho summatim ordine Chronologico collecto ex Chartis ejusdem Monasterii. Magnam ejus partem adhibet Dacherius Tom. V Spicilegii, ubi ad annum MXVI ait: *Anno ab Incarnatione Domini millesimo sexto decimo, Normanni Melo Duce cœperunt expugnare Apuliam.* Hæc itaque difficultas negotium ampliùs facessere non debet.

VIII. *Vulgaris sententia fundamentum evertitur.*

Vulgaris erroris fons Leo Ostiensis laudatus, qui scribit: *Hujus anno VII* (nempe Atenulphi Casinensis Abbatis) *cœperunt Normanni, Melo Duce, incursare Apuliam.* Paulò pòst: *Ante annos fermè sexdecim, Normanni XL numero, peregrino habitu, quippe à Hierosolymis orationis causâ perrexerant redeuntes, Salernum applicuerunt, &c. quam cùm à Saracenis obsessam reperissent, &c. mirabili victoria, Deo largiente potiti sunt.* Addit Leo *Vaimarium* Salerni Principem tunc Legatos in Normanniam direxisse, & à Roberto Normanniæ Duce seu Comite auxilium postulasse. *Athenulphus* autem juxta eumdem Leonem anno MXI Monasterio Casinensi præfectus est; & annus ejus septimus cum anno Christi MXVIII concurrit. Quod si annos X V I ante annum MXVIII *Normanni* in Apuliam venêre, id anno MII accidit. Ita Baronius, aliique cum eo. Verùm locus ille corruptus, & loco, *ante annos fermè sexdecim*, legendum, *ante menses fermè sexdecim.* Quæ emendatio ex ipsomet Leone evidens est; disertè enim ipse affirmat, *Benedictum* VIII, de quo solo loqui potest, tunc Ecclesiæ Romanæ præfuisse, quod & alii habent; postea enim cap. 40. asserit Sanctum Henricum tunc Imperatorem fuisse. Communis itaque hæc opinio ampliùs sustineri non potest, & illi sexdecim anni in totidem menses necessariò mutandi, ut Guillelmus Apuliensis,

SÆC. XI. An.C. 1016.

qui ex professo de hac Normannorum expeditione scripsit, manifestè indicat; cùm enim anno MXVII, quò *Atenulphus* Abbas septimum regiminis sui annum inchoavit, Normanni *mense Maio* cum Græcis pugnarint, intra menses sexdecim ex Apulia in Normanniam, & ex Normannia in Apuliam facilè redire potuêre, nec longiori ad utramque profectionem tempore indiguêre.

IX. *Guillelmo Apuliensi in hujus rei narratione standum.*

Ceterùm tam Leo Ostiensis, quàm Glaber, Gemmeticensis, & Ordericus de hac Historia satis edocti non fuêre. *Normanni* enim in Apulia primùm visi, non ex urbe Hierosolymitana, sed ex Monte Gargano venêre, nec adversùs Saracenos arma sumsêre; cùm Poëta laudatus rem tam insignem non prætermisisset. Verum quidem est, hoc anno *Salernum* irrito conatu à Saracenis obsessum fuisse, sed fabulosum, Normannos tam parvo numero in Saracenos obsidentes irruisse, indeque congressus iste Saracenorum & Normannorum ab Orderico longè aliter refertur. Hæc fabula in se orta, quòd *Normanni* hoc anno, quò Saraceni *Salernum* obsidione cinxêre, in Apuliam venerint; nam inde rumor sparsus, Normannorum operâ *Salernum* obsidione Saracenorum liberatum. Errat etiam Leo Ostiensis in eo quod tradit, *Robertum* tunc Ducem Normanniæ fuisse. Is enim tantùm anno MXXVII Normannorum Dux creatus, ut suo loco videbimus. Glaber citatus hanc *Normannorum* Historiam alio modo, quàm alii refert, sed cùm is in Galliis vixerit, standum est Guillelmo Apuliensi, qui rem ab ocularis testibus discere potuit, & tam Lupum Protuspatá, quàm Anonymum Barensem in Chron. consentientes habet, ut videbitur anno MXVIII, ubi referemus, quæ anno MXVII Normanni in Apulia egerint.

X. *Saraceni ex Hetruria & Sardinia fugati.*

Saraceni in Hetruria, & in Sardinia devicti. Ditmarus enim lib. 7. scribit: *In Longobardia Saraceni navigio venientes Lunam civitatem, fugato Pastore, invadunt, & cum potentia, ac securitate fines illius regionis inhabitant, & uxoribus incolarum abutuntur. Quod cùm Domno Apostolico nomine Benedicto fama deferret, omnes S. Matris Ecclesiæ tam Rectores, quàm Defensores congregans, rogat, ac præcipit, ut inimicos Christi talia præsumentes, viriliter secum irrumperent, & adjuvante Domino occiderent. Insuper ineffabilem navium multitudinem tacitè præmisit, quæ eis redeundi possibilitatem intercipere*t. *Hoc Rex Sarracenus animadvertens primò indignatus, & tandem paucis comitatus naviculâ imminens periculum evasit. Sui verò omnes conveniunt, & adversantes prius irruunt hostes, eosque mox fugientes, miserabile dictu, tres dies & noctes prosternunt. Respexit tandem Deus gemitu piorum placatus, & odientes se fugavit, & in tantum devicit, ut nec uno de his relicto interfectorum, & eorumdem spoliorum multitudinem victores numerare nequirent. tum Regina eorum capta ob audaciam jure plectitur. Aureum capitale ejus ornamentum, invicem gemmatum, Papa præ ceteris vendicavit, postque Imperatori suam transmisit partem, quæ mille libris computabatur.* Quæ Ditmarus narrat, dum de rebus hoc anno gestis sermonem habet. *Luna* autem hodie *Luca* appellata, civitas libera, à qua aliquot loca pendent. Huc referendum quod dicitur in Chronico Pisano: *An. Domini MXVI Sardiniam Pisani & Gennenses devicerunt. An. Dom. MXVII Rex* (nempè Sarracenorum) *Mugietus & Saracent devicerunt Sardiniam, & eodem anno Pisani, & Gennenses eam recuperaverunt, & quum Pisanis & Gennensibus adjudicata esset, Gennenses voluerunt Pisanos expellere; sed ipsi anno eodem à Pisanis superantur*, & de tota Sardinia expelluntur. Pauló aliter rem narrat Sigonius in lib. 8. de Regn. Italiæ lib. 8. sed Chronographo Pisano major fides habenda.

SÆC. XI. An.C. 1016.

XI. *Bella civilia inter Saracenos Siciliæ.*

Anno Hegiræ CCCCV, exeunte mense *Ragiab*, anni nempe Christi currentis mense Januario, cùm *Hali* adversùs *Giafarem* fratrem, Siciliæ Ameram rebellasset, bella civilia inter *Musulmannos* in ea provincia renovata, ut tradit Noweirius Arabs in Hist. Siciliæ, quæ finem non accepêre, nisi cum ultimo Musulmannorum excidio. Pluribus ea Noweirius describit. Normannorum adventus in eam Italiæ partem, quam hodie Regnum Neapolitanum vocamus, cumulum miseriarum Musulmannis attulit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6510.

☉ 18. F. ☽ 11. P. 21. April. Indict. 15.

JESU CHRISTI 1017.

BENEDICTI VIII PAPÆ 6.

HENRICI II REG. 16. IMP. 4.

BASIL. ET CONST. IMPP. 42.

Anno Æræ Hispan. MLV. Anno Hegiræ CCCCVIII. inchoato die 10 Maii fer. 3.

I *Nova hæresis Manichæorum ad annum MXXII referenda.*

AD Num. I ad VI. Glaber lib. 3. cap. 8. De hæresi Manichæorum loquens, ait: *Tertio de vicesimo infra jam dictum millesimum anno reperta est apud præfatam Aurelianensem urbem cruda nimiùm atque insolens hæresis, quæ scilicet diutiùs occultè germinata, in perditionis segetem malè pullulans, plures in sua cæcitatis præcipitavit laqueum.* Baronius in margine loco, *infra*, legit, *supra*, sed hæc emendatio difficultatem non tollit. Legendum itaque, *tertio & vicesimo*; hæresis enim illa anno MXXII detecta, & Glaber annum unum ampliùs dicit, sicuti capite præcedenti de eversione sepulchri Hierosolymitani verba faciens, anno uno peccat, dicens ad factum, *anno nono post præfatum millesimum*, cùm dicere debuisset, *anno decimo post præfatum millesimum*, uti suo loco monstravimus. Porrò certum & indubitatum, hæc ad annum MXXII pertinere. In brevi enim Chronico Antisiodorensi à Labbeo Tom. I Biblioth. edito, ad annum MXXII habetur: *Aurelianis igne cremantur clerici diabolica suggestione à fide catholica exorbitantes effecti, ac si denuò Manichæi hæretici.* Secundò, in fragmento Historiæ Aquitanicæ ad eumdem annum legitur: *Apud Tolosam inventi Manichæi, & ipsi destructi.* Tertiò, adhuc superest Privilegium à *Roberto* Francorum Rege *Alberto* Miciacensi Abbati concessum, in quo dicitur, sententiam in hæreticos illos prolatam fuisse anno MXXII, tunc Præsule Aurelianensi Odolrico: *Aurelianis publicè ann. MXXII, regni Roberti Regis XXVIII, Indict. V. Quando Stephanus Hæresiarches & complices ejus damnati & arsi sunt Aurelianis.* Sed loco, *regni Roberti Regis XXVIII*, legendum, *regni Roberti Regis XXV*, à morte scilicet Hugonis patris, quæ anno CMXCVII accidit, deducti.

II. *Variæ Gallarum urbes infectæ.*

Ademarus in Chronico, qui hoc tempore floruit, apud Labbeum Tom. II Biblioth. pag. 176.

176. de hac hæresi scribit: *Pauco post tempore per Aquitaniam exorti sunt Manichæi, seducentes plebem, negantes Baptismum Sanctum & Crucis virtutem, & quidquid sana doctrina est, abstinentes à cibis quasi monachi, & castitatem simulantes, sed inter se ipsos luxuriam omnem exercentes, quippe ut nuncii Antichristi multos à fide exorbitare fecerunt.* Tum pag. 180. postquam de Concilio Lemovicensi primo locutus est, ait: *Eo tempore X ex Canonicis Sanctæ Crucis Aurelians, qui videbantur alios religiosiores, probati sunt esse manichæi. Quos Rex Rotbertus, cùm nollent aliquatenus ad fidem reverti, primò à gradu Sacerdotii deponi, deinde ab Ecclesia eliminari, & demum igne cremari jussit. Nam ipsi decepti à quodam rustico, qui se dicebat facere virtutes, & pulverem ex mortuis pueris secum deferebat, de quo si quem posset communicare, mox Manichæum faciebat, adorabant diabolum, qui primò eis in Æthyopis, deinde Angeli lucis figuratione apparebat, & eis multum quotidie argentum deferebat, cujus verbis obedientes, penitus Christum latenter respuerunt, & abominationes & crimina, quæ dici etiam flagitium est, in occulto exercebant, & in aperto Christianos veros se fallebant. Nihilominus apud Tolosam inventi sunt Manichæi, & ipsi destructi, & per diversas Occidentis partes nuncii Antichristi exorti per latibula se se occultare curabant, & quoscumque poterant viros, & mulieres subvertebant. Quidam etiam Sanctæ Crucis Aurelianensis Canonicus Cantor, nomine Theodatus, mortuus erat ante triennium in illa hæresi, ut perhibebant viri religiosi & hæretici ipsi, cujus corpus, postquam probatum est, ejectum est de cœmeterio jubente Episcopo* (nempè Aurelianensi) *Odolrico, & projectum in invium. Qui autem flammis judicati sunt supradicti X cum Lisoio, quem Rex* (scilicet Robertus) *valdo dilexerat propter sanctitatem, quam eum habere credebat, quasi securi, nihil ignem timebant, & flammis se inlæsos exire promittebant, etiam ridentes in medio ignis ligati sunt, & sine mora penitus in cinerem redacti sunt, ut nec de ossibus residuum inveniretur eorum.* Loquitur & Ademarus de Concilio Carrofensi adversùs eosdem Manichæos celebrato, de quo suo loco agemus.

III. *Synodus Aurelianensis anno MXXII celebrata.*

Hujus hæreseos occasione celebratum *Aurelianense* Concilium Tom. IX Concil. cum præsenti Christi anno perperam illigatum; cùm ex dictis ad annum MXXII revocandum sit. Recitatur ibidem ex Tom. II Spicilegii Dacheriani plenior hujus hæreseos & Concilii narratio, in qua hæreticus, qui à Glabro, cujus verba recitat Baronius, *Heribertus* vocatur, dicitur *Stephanus*, uti in laudata Charta Miciacensi. Præterea de Arefalto, qui in urbe Aurelianensi hæresim illam detexit, habetur, eum à Roberto Francorum Rege Aurelianum missum fuisse: *Cumque jubente Rege*, inquit Anonymus, *iter ageret, Carnotis devenit, Fulbertum venerabilem Antistitem super hac re consulturus, qui fortè tunc aberat: nam Romam gratiâ orationis abierat. Tunc causam sui itineris cuidam sapienti clerico Ebrardo nomine, Carnotensis Ecclesiæ Sacriscrinio, innotuit*, &c. quibus ex verbis intelligimus, *Fulbertum* Carnotensem Episcopum anno MXXII orationis causâ Romam profectum esse. Huic Concilio Aurelianensi præfuit *Leothericus* Senonensis Archiepiscopus, ut habetur in Chronico Sancti Petri Vivi: *Sub ipso tempore exorta est magna hæresis, nova & inaudita in urbe Aurelianensi. Quapropter accersiens Rex* (nempè Robertus) *Archiepiscopum jussit congregari in ea urbe Synodum. Erant autem ipsi hæretici ex melioribus ipsius civitatis Clerici. Communi verò consensu & voluntate omnium convicti omnes perpessi sunt ignis incendium.* Denique Helgaldus Auctor synchronus de hac hæresi habet: *Eodem tempore decem ex Canonicis S. Crucis Aurelianensis probati sunt esse Manichæi. Quos Rex Robertus, cùm nollent ad Catholicam converti fidem igne cremari jussit. Simili modo apud Tolosam inventi sunt Manichæi, & ipsi cremati sunt. Et per diversas Occidentis partes Manichæi exorti per latibula se se occultare cœperunt, decipientes quoscumque poterant.* Aurelianensis Episcopus tunc erat *Odolricus*, ut mox ex Ademaro vidimus. San-Marthani in Episcopis Aurelianensibus modò scripsêre hæc gesta esse sub *Theodorico*, modò sub *Odolrico* ejus successore quia Theodoricus statim post celebratum Concilium Episcopatum abdicavit, ut anno sequenti videbimus, & in Episc. Bellovac. aiunt Rogerum Episc. Bellovacensem, cui Guarinus successit, obiisse anno MXXIV. Verùm *Guarinus* seu Vuarinus interfuit Coocilio Aurelianensi, in quo memorati hæretici damnati, ut ex laudato Spicilegii Dacheriani Codice certò innotescit.

IV. *Canutus in universa Anglia Rex agnitus.*

Edmundo Angliæ Rege anno superiori incerto casu extincto *in festo sancti Andreæ*, inquit Malmesburiensis lib. 2. de Reg. pag. 72. Canutus Senatum in Londinensem urbem vocavit, *omnes Episcopos, & Duces, nec non & Principes, cunctosque Optimates Angliæ*, ait Wigorniensis ad annum MXVI. In eo Conventu Proceres pacis, quàm juris amantiores *Canuto* famulati sunt, isque pleno Comitiorum suffragio totius Insulæ Rex declaratus est. *Anno Incarnationis dominicæ*, inquit Malmesburiensis citatus, *millesimo decimo septimo Cnuto regnare cœpit: & viginti annis regnavit. Injustè quidem regnum ingressus, sed magna civilitate & fortitudine, vitam componens. Primis diebus regnum in quatuor partitus, sibi West-Saxones, Edrico Mercios, Turkillo Orientales Anglos, Irico Northanymbros. Ac primò interfectores Edmundi, qui ulero spe ingentis præmii rem detulerant, apud se interim celatos, magna frequentia populi produxit in medium; palamque genus insidiarum professos, supplicio affecit.* Verùm non diu mansit Tetrarchiæ forma, illa saltem quam Edricus, Turkillus atque Iricus sibi formaverant: qui absoluti regiminis, non à Canuto pendentis potentiam præsumentes, citò in ordinem redacti sunt.

V. *Emmam Reginam uxorem ducit.*

Mense Julio Rex Canutus derelictam Regis Egelredi Reginã Emmam in conjugium accepit, inquit Hovedenus ad hunc Christi annum. Audiendus de hoc conjugio Anonymus Encomiastes Emmæ Anglorum Reginæ, Auctor coævus, qui extat in Scriptoribus antiquis Historiæ Normannorum: *Per regna, & per urbes discurritur*, inquit, *& Regalis sponsa perquiritur, sed longè latèque quæsita, vix tandem digna reperitur. Inventa est verò hæc Imperialis sponsa in confinitate Galliæ, & præcipuè in Normandensi regione, stirpe & opibus ditissima*, &c. *Mittuntur proci ad dominam, mittuntur dona Regalia, mittuntur etiam verba precatoria. Sed abnegat illa se unquam Cnutonis sponsam fieri, nisi ille jusjurando affirmaret, quod nunquam alterius conjugis filium post se regnare faceret, nisi ejus si fortè illi Deus ex eo filium dedisset. Dicebatur enim ab alia quadam Rex filios habuisse*, quod jusjurando facto Rex promisit. *Non multò post, Salvatoris annuen-*

SÆC. XI. An. C. 1017. *te gratia, filium peperit nobilissima Regina. Cujus cùm uterque parens intima, atque ita dicam, singulari gauderet dilectione, alios verò liberales filios educandos direxerunt Normanniæ, istum hîc retinentes, sibi utpote futurum hæredem regni. Itaque dilectissimum pignus, uti mos est Catholicis, sacro abluunt fonte baptismatis.*

VI. *Ejus virtutes.* Antea dixerat Encomiastes: *Ergo miseratione divina monarchiam regni Cnuto vir strenuus suscepit, & nobiliter Duces & Comites suos disposuit, & fine tenus deinceps regnum Anglorum pacificè tenuit. Erat autem adhuc primævâ ætate florens, sed tamen indicibili prudentia pollens. Unde contigit, ut eos, quos antea Aedmundo sine dolo fideliter militare audierat, diligeret; & eos, quos subdolos sciverat, atque tempore belli in utraque parte fraudulenta tergiversatione pendentes odio haberet: adeo ut multos Principum quadam die occidere pro hujusmodi dolo juberet. Inter quos Edricus, qui à bello fugerat, cum præmia pro hoc ipso à Rege postularet, ac si hoc pro ejus victoria fecisset: Rex subtristis, qui dominum, inquit, tuum decepisti fraude, mihi ne poteris fidelis esse? rependam tibi condigna præmia, sed ea ne deinceps tibi placeat fallacia. Et Erico Duce suo vocato, Huic, ait, quod debemus, persolvito; videlicet, ne nos decipiat, occidito. Ille verò nil moratus, bipennem extulit, eique ictu valido caput amputavit; ut hoc exemplo discant milites Regibus suis esse fideles, non infideles.*

VII. *Ecclesiis & Monasteriis favit.* Paulò pòst de ejus virtutibus habet: *Amicus & familiaris factus est viris Ecclesiasticis, adeo ut Episcopis videretur Coepiscopus pro exhibitione totius religionis, monachis quoque non secularis, sed cœnobialis pro continentia humillimæ devotionis. Defensabat sedulò pupillos & viduas, sustentabat orphanos & advenas: leges oppressit iniquas, earumque sequaces: justitiam & æquitatem extulit, & coluit, Ecclesias extruxit & honoravit: Sacerdotes & Clerum dignitatibus ampliavit: pacem & unanimitatem omnibus suis indixit, ut de eo illud Maronicum dici posset, nisi extra Catholicam fidem hoc fuisset.*

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane.
Divisum imperium cum Jove Cæsar habet.

Deo omnibus modis placita studuit, ideòque quidquid boni agendum esse didicerat, non negligentiæ, sed operationi committebat. Quæ enim Ecclesia adhuc ejus non lætatur bonis? Sed ut sileam, quæ in suo regno positus egerit, hujus animam quotidie benedicit Italia, bonis perfrui depostis Gallia, & magis omnibus hanc in Cœlo cum Christo gaudere orat Flandria. Has enim provincias transiens Romam transiit, & ut multis liquet, tanta hoc in itinere misericordiarum opera exhibuit; ut si quis hæc describere omnia voluerit, licet innumerabilia ex his fecerit volumina, tandem deficiens fatebitur, se vix etiam cucurrisse per minima.

Anno Eræ Hispan. MLVI. Anno Hegi. CCCCCIX, inchoato die 19. Maii fer. 2.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6511.

☉ 19. E. ☽ 12. P. 6. April. Indict. 1.

JESU CHRISTI 1018.

BENEDICTI VIII PAPÆ 7.

HENRICI II REG. 17. IMP. 5.

BASIL. & CONST. IMPP. 43.

I. *Prima expe-* AD num. III & seq. Normannorum adventum in Apuliam Baronius cum hoc Christi anno illigavit, quod Leo Ostiensis lib. 2. cap. 38. dicat id contigisse *anno septimo Atenulphi*, anno MXI Casinensis Abbatis renunciati. Verùm cùm anno superiori annus ille VII Atenulphi inchoatus fuerit, hæc Normannorum expeditio ad illum Christi annum retrahenda. Lupus enim Protospata ad annum MXVII scribit: *Descendit Turnichi* (seu Troniki) *Catapanus* (idest, Capitaneus; eo enim nomine, qui in Apuliam Præfecti ab Imperatoribus Græcis mittebantur, vocati) *mense Maii, & fecit prælium cum Melo & Normannis Leo Patianus excubitus* (idest, excubitor). *Iterùm mense Julii XXII die prælium fecit prædictus Turnichius Catapanus, & vicit Melum & Normannos, & mortuus est Patianus ibi.* Tum: *Anno MXVIII, indictione prima, descendit Basilius Catapanus, qui & Bugianus. Anno MXIX fecit prælium supradictus Bugianus mense Octobris cum Francis, & vicit, & Melus fugit cum aliquibus Francis ad Enricum Imp.* In MS. Ducis Andriæ additur, *factum est ad civitatem Cannensem.* Quæ confirmat Anonymus Barensis: *MXVII indict. XV descendit Andronikus* (quem Lupus Turnichi vocat) *Cat. & fecit prælium cum Mel. & vicit Mel. MXVIII indict. I descendit Basilius Carp.* (idest, Catapanus). *MXIX indict. II fecit prælium Bugiano Carp. cum Francis in Canno, & vicit. Mel fugit, & ibit ad Enrico Imp.* Prima itaque Normannorum militaris expeditio in Italiam cum anno millesimo decimo septimo copulanda. SÆC. XI. An. C. 1018. *ditio Normannorum in Apuliam.*

Glaber Auctor coævus lib. 3. cap. 1. paulò aliter rem narrat, & annos non exprimit, sed Leo Ostiensis lib. 2. cap. 38. & multò magis Guillelmus Apuliensis in Poëmate de Rebus in Italia à Normannis gestis, scripto Urbano II Ecclesiam Romanam administrante, lib. 1. Lupo Protospatæ & Anonymo Barensi suffragatur, quibus fides denegari non potest; cùm in Apulia hoc seculo vixerint. Postquam igitur Poëta narravit, quæ anno MXVI in medium adduximus, reditumque Normannorum ex Apulia in Normanniam, ait: II. *Varia eorum cum Græcis prælia.*

Ad fines igitur postquam rediere paternos
Cœperunt animos mox sollicitare suorum
Italiam secum peterent: narratur & illis
Appula fertilitas, ignaviaque insita genti.
Solà quibus peragi possit vià ferre monentur,
Ductor ibi prudens promittitur inveniendus.

Paulò pòst:

Postquam gens Romam Normannica transit inermis,
Fessa labore: via Campaniæ substitit oris.
Fama volat Latio Normannos applicuisse.
Melus ut Italiam Gallos cognovit adesse,
Ocyùs accessit, dedit arma carentibus armis:
Armatos secum comites properare coegit.

Paucis interpositis:

Turnicii tandem rumor pervenit ad aures
Qui Catapan fuerat Græcorum missus ab Urbe
Cui Constantinus nomen dedit editor Urbis,
Et Constantinus, pariterque Basilius illi
Tunc dominabantur. Gallos venisse feroces
Conductu Meli, qui factus utrique rebellis
Appula Normannos loca depopulanda monebat.
His ita Turnicio fama referente relatis,
Agmina Græcorum properè direxit in hostes.

Tum ait, mense *Maio* Turnicium per Legatum suum pari fortuna cum Normannis pugnasse, sed postea cum victum recessisse, Legatumque III. *Magis declaratur.*

ejus

ejus occisum. Dein *Bagianum* anno sequenti cum Catapani dignitate missum, & *circiter Octobris Kalendas* pugnatum esse *Cannis*, ac *Melum*, cùm non posset obsistere, venisse ad Henricum Imperatorem, & auxilium ab eo adversùs Græcos petiisse. Guillelmus porrò, sicuti & Historici Angli in Actis publicis, Normannos Gallos semper vocant. Nunc de aliorum Normannorum in Hispaniam expeditione ab Ademaro in Chronico memorata loquendum, & hujus Auctoris hoc tempore viventis verba referenda. Huc enim eam revocandam esse, inventio Capitis Sancti Joannis Baptistæ, quam postea narrat, demonstrat.

IV. *Alia Normannorum expeditio adversus Saracenos.*

Item Normanni, duce Rotgerio ad occidendos Paganos Hispaniam profecti, innumeros Saracenorum deleverunt, & civitates & castella ab eis abstulerunt multa. Et primo suo adventu Rotgerius, Saracenis captis, unumquemque eorum per dies singulos, videntibus ceteris, quasi porcum per frusta dividens, in caldariis coctum eis apponebat pro epulis, & in alia domo simulabat se comedere cum suis reliqua membra. Perculsis omnibus hoc modo, novissimum de custodia quasi negligens permittebat fugere, qui hæc monstra Saracenis nunciaret, ita fabulam Thyestis veram adimplens. Qua de causa timore exanimati vicini Saraceni, pacem cum Rege suo Museto à Comitissa Barcilonensi Ermensede petunt, & annuum tributum persolvere spondent. Erat enim hæc vidua, & Rotgerio supradicto filiam suam in conjugio sociaverat. Tumque pace inita, cum ulteriori Hispania Rotgerius decertare cœpit, & die quadam una cum Petro Episcopo Tolesa & XL solummodo Christianis Saracenorum quingentos electos in insidiis latentes offendit, cum quibus confligens fratrem suum Manzerem amisit, terniòque acies adversarias irrumpens, plus centum hostium extinxit, & cum suis propria revisit, nec ausi sunt Ismaelitæ persequi fugientem. Hujus Normannorum expeditionis hoc anno susceptæ non meminit Baronius, quia ejus tempore Ademari Chronicon lucem non viderat. Baluzius lib. 4. Marcæ Hispanicæ suspicatur, nomen *Rotgerii* pro nomine *Ricardi* per errorem ibi positum fuisse, quia nullus hac tempestate Rogerius Normannos regebat. Verùm non dicit Ademarus Rogerium Normannos rexisse; cùm antea disertè scripserit, *Ricardum* Comitem tunc Normannos gubernasse. Fuit itaque *Rotgerius* vir quidam nobilis hujus expeditionis caput & Dux.

V. *Inventio capitis S. Joannis Baptistæ in urbe Angeriaca.*

Post hæc narrat statim Ademarus in Basilica Angeriacensi inventum esse caput, *quod sanctum caput dicunt esse proprium sancti Joannis Baptistæ*, subditque; *dum inventum ostenderetur caput sancti Joannis, omnis Gallia, Italia & Hispania ad famam commota, ibi accurrere certatim festinabat. Rex quoque Francorum Rotbertus, Regina, Rex Navarræ Sancius* (cognomento *Major*, hujus nominis III) *omnesque Dignitates eorum confluxerunt. Ubi omnes offerebant munera pretiosa diversorum generum. Nam supradictus Rex Francorum oblata gabata seu concha ex auro purissimo pensante libras XXX, pretiosis vestibus holosericis & auro textis ad ornatum Ecclesiæ, à Willelmo Duce* (nempe Aquitaniæ) *susceptus condignè, per Pictavis reversus est Franciam. Quid dicam, quod ultra omnem felicitatem & gloriam videbatur, concursus psallentium cum Reliquiis Sanctorum ex Monachis & Canonicis, qui undecumque ad memoriam sancti Præcursoris festinabant? Inter hæc festiva, Reliquiæ corporis principis summi, qui pater est Aquitanorum, & primus Galliarum spermologus, videlicet B. Apostoli Martialis, simul cum Reliquiis sancti Stephani Lemovicæ sedis, illuc deferebantur. Protractis, itaque sancti Martialis in vectorio ex auro & gemmis pignoribus foris Basilicam propriam, mox omnis Aquitania, quæ jamdiu nimis pluviarum inundationibus laboraverat, adventu patris sui lætatur, serenitate reddita. Cum eisdem equidem pignoribus Abbas Josfredus atque Episcopus* (Lemovicensis scilicet) *Giraldus cum Principibus numerosis, & omni populo innumerabili diverterunt, eundo in Basilicam Salvatoris S. Carrofi, exieruntque eis obviam Monachi cum omni plebe foris milliario uno, & cum apparatu honorifico diem festum agentes, antiphonas denique excelsa voce intonantes, deduxerunt eos usque ad Altare Salvatoris, & missis celebratis, simili modo prosecuti sunt eos; cumque in Basilicam S. Præcursoris intrarent, celebravit ante caput sancti Joannis Missam Episcopus Giraldus de Nativitate ejusdem sancti Baptistæ, cùm esset mensis October. At Canonici Sancti Stephani cum Monachis alternatim erosas ac laudes cecinerunt festivo more, & post Missam Pontifex cum capite sancti Joannis benedixit populum. Sicque de miraculis S. Martialis, quæ per viam contigerant, valde lætantes, V die ante festivitatem omnium Sanctorum reversi sunt.* Baronius anno MXXV num. IV hanc inventionem refert, sed hæc à præsenti anno removeri non potest, ut liquet ex iis quæ ante & post eam Ademarus, qui tunc in Aquitania vixit, habet. Cæterùm Romani & Constantinopolitani hoc tempore asserebant se D. Joannis Baptistæ caput possidere, quem nodum, qui poterit, solvet.

VI. *Moritur Joannes ultimus Bulgariæ Rex.*

Basilius Imp. *iterùm impressione in Bulgariam facta, longè latèque prædas egit, & Acbrida Urbe Regia Bulgarorum expugnata, aliisque castellis per Duces suos captis, Constantinopolim regreditur. Sed rursùs bello illato Barbaris illis, & castellis occupatis, Bulgaros complures partim interfecit, partim cepit. Quorum Princeps Joannes Bladisthlabus* (idest, Uladislavus) *dum Dyrrachium obsidet, cadit, cùm gente biennium & quinque menses præfuisset*, inquit Zonaras. Cedrenus pag. 712. annos etiam duos, & menses quinque Joanni Bulgariæ Regi tribuit; qui cùm antea asseruerit, eum successisse *Gabrieli* die XXIV mensis Octobris anni Christi MXV occiso, apparet *Joannis* mortem hoc anno contigisse mense circiter Martio. Ducangius in Constantinopoli Christiana, dum loquitur de *familiis Dalmaticis, Sclavonicis & Turcicis*, cap. VI num. XXV, *Joannis* mortem cum anno superiori perperàm illigat, quòd non advertisset, Curopalatem & Cedrenum gesta anno superiori in Bulgaria à Basilio non memorasse, & narrato ejus Constantinopolim adventu, quem ajunt contigisse *die nona mensis Januarii indictione XV*, anno scilicet superiori, statim referre *Joannis* mortem, qui tamen integro postea anno superstes fuit.

VII. *Universa Bulgaria Basilio Imp. deditur.*

Pergit Zonaras: *Quo Imperator intellecto* (nempe obitu Joannis Regis) *statim egreditur, cui ad Adrianopolim quidam illustres Bulgari se dedunt, tradito Pernicu, & aliis triginta quinque castellis. Sed & alii multi ex his Barbaris ad eum confluxerunt. Maria quoque Joannis Bladisthlabi uxor, Davide Bulgariæ Archiepiscopo cum literis ad illum misso, se illi Bulgariam cessuram pollicita,*

si ea quæ vellet impetrasset, paulò pòst ipsa cum tribus filiis & sex filiabus advenit. Sunt & tres ejus alii filii, Prusianus cum duobus fratribus, qui in montes profugerant præsidiis occupatos, coacti ad Imperatoris fidem se conferre: è quibus Prusianum magistrum, ceteros Patricios fecit. De Basilii triumpho anno sequenti agemus.

VIII. *Robertus Rex Franc. Romam petit.*

Hoc anno, vel aliquo ex tribus consequentibus *Robertus* Francorum Rex orationis causâ Romam profectus est, ut discimus ex Epistola Benedicti Papæ VIII, Episcopis *per Burgundiam, Aquitaniam, & Provinciam constitutis, Burchardo scilicet Archiepiscopo Lugdunensi*, aliisque decem & octo, quâ Archiepiscopis, quâ Episcopis, quorum Sedes & nomina in eadem designantur. Ait Pontifex sese *in præsentia Deo devoti Domini Roberti Regis Francorum, Principumque ejus, & Optimatum, qui cum eo venerunt ad limina Apostolorum, & reclamatoria Legatione* Odilonis Cluniscensis Abbatis perecepisse, terras & possessiones ejusdem Monasterii ita à quibusdam diripi, ut Monachi solitam curam supervenientium hospitum & pauperum non possint exercere. Quare eos invasores anathemate percellit, & nominatim quosdam ex illis, mandatque præfatis Episcopis, ut illos similiter excommunicent, & Presbyteris sibi commissis excommunicare præcipiant. Præterea omnibus Principibus præfatarum Provinciarum munus benedictionis & absolutionis mittit, eo fine ut prædicti loci adjutores & defensores semper existant. Hoc munus in particulari mittit *seniori quàm reverendo Domno Willelmo Comiti, Domnoque Rainaldo Comiti filio ejus, & omni reverentia & veneratione dignissima Domnæ Adeleidi Comitissæ cognomento Blancha, nurusque ejus Gerbergæ Comitissæ.* Aliorum Magnatum nomina legi possunt in eadem Epistola *data Kal. Septemb.* & Tom. IV Duchesnii recitata.

IX. *Literas obtinet à Benedicto VIII in favorem Monasterii Cluniaci.*

Erat *Willelmus* cognominatus *Otto*, Comes Comitatûs Burgundiæ ultra Ararim Fl. positæ, & ut prodit Glaber lib. 3. cap. 2. privignus Henrici Burgundiæ Ducis Hugonis Capeti fratris, qui cùm liberos non haberet *eum loco filii adoptavit*, ejusque mater, quam idem Henricus uxorem duxit, Gerberga appellata, ut videre est in Chronico S. Benigni pag. 448. & seq. ubi etiam dicitur, *Rainaldum* filium ei successisse. Ex illo originem duxêre Comites, qui diu Comitatui Burgundiæ dominati sunt. *Adelais* verò *Blancha* cognominata vidua erat Guillelmi Provinciæ Comitis hujus nominis primi, & Gerberga vidua Guillelmi II Guillelmi Primi filii, utraque tutrix ac dominatrix Guillelmi Tertii in tenera ætate constituti.

X. *Ea ante præsentem annum non data.*

Hanc autem Epistolam, cujus operâ varii Catalogi Episcoporum Galliæ accuratiùs digeri possunt, hoc vel aliquo ex tribus sequentibus annis scriptam esse, eruo ex Chartulario monasterii Montismajoris apud Arelatem siti, ex quo Boucheus in Hist. Provinciæ lib. 9. pag. 53. aliique hæc verba scripsêre: *Anno ab Incarnat. Domini MXVII* (legendum, MXVI) *fuit inchoata Basilica Montismajoris in honore Sanctæ Mariæ matris Domini, seu omnium Sanctorum indict. XIV, III Kal. Jun. fer. IV* (qui sunt certissimi characteres ann: MXVI) *regnante Roberto Rege in tertio anno fundationis hujus Ecclesiæ, obiit Willelmus* (hujus nominis II, Gerbergæ maritus) *inclytus Comes, Adelaidis filius, & honorificè sepultus est in fundamento hujus Ecclesiæ.* Quare Willelmus II hoc anno vivere desiit, & Adelais ac Gerberga Comitatum Provinciæ administrare cœpêre. Idem enim Boucheus pag. 54. refert quamdam donationem monasterio Sancti Victoris factam, in qua Adelais dicitur *mater Willelmi quondam Provinciæ Comitis*, nempe Guillelmi II, & Gerberga *ejusdem Principis olim uxor.* Facta Donatio hæc *anno Incarnat. Dom. MXVIII indict. I*, cui præter Adelaidem & Gerbergam *Willelmus filius Willelmi Comitis* subscribit, Willelmus nempe III minorennis. Boucheus, qui animum non adverterat ad errorem numeri à nobis emendati, Willelmi II mortem usque ad annum MXX differt, sed contra tenorem Chartæ ex eodem more à nobis relatæ. Cùm itaque citata *Benedicti* VIII Epistola eo tempore, quo *Adelais & Gerberga* Provinciam regebant, data sit, ea ante præsentem annum in Gallias non missa, nec citiùs *Robertus* Rex profectionem Romanam suscepit.

XI. *Neque post annum MXXI.*

Tardiùs verò quàm anno MXXI eum Romam profectum non esse, demonstrat Odorannus, Auctor hujus temporis in Chron. Tom. II Duchesnii, qui refert, quòd dum *quodam tempore Rotbertus Rex Romam peteret, Bertam* Reginam dudum repudiatam eum prosecutam esse, ut faventibus quibusdam Aulicis, *Decreto Apostolico*, toro Regio restitueretur. Unde *Constantia* Regina magno mœrore afficiebatur. Nocte quadam apparuit ei per visum Vir quidam in Sacerdotali habitu, qui eam certam fecit de liberatione ab imminenti tristitia, dicitque se esse *Savinianum Episcopum*, sed cùm *Constantia* ignoraret, Sanctum Savinianum Martyrem primum Episcopum Senonensem fuisse, sollicitè perquisivit, *Si illis in regionibus haberetur Episcopus, qui Savinianus diceretur. Quibus ignorantiam suam profitentibus unus ex eis, qui in Monasterio S. Petri* (apud Senonas) *fuerat nutritus, redeunte Rege, Aurelianorum futurus Episcopus nomine Theodericus respondit pro omnibus*, nempe eum, qui ei..em apparuit, esse *Sanctum Savinianum* Martyrem. Constat autem ex Catalogo Episcoporum Aurelianensium *Odolricum* Sancti Theodorici in Episcopatum Aurelianensem successorem anno MXXII Episcopatum gessisse. Ad hæc anno superiori ostendimus, *Robertum* Regem anno MXXII Aurelianis fuisse, ibique celebratum esse Concilium adversùs Manichæos recèns in ea urbe detectos, de quo Chronographus Sancti Petri Vivi, postquam verba fecit, subdit: *Post hac Theodericus Episcopus Aurelianensis relinquens Episcopatum venit Senonas in Ecclesia B. Petri*, &c. Ex quibus omnibus manifestum fit, Robertum Regem anno MXXI Româ jam reducem fuisse, ideoque & Epistolam Benedicti VIII seriùs non datam, cum Saussaius in Annal. Eccles. Aurelianensis asserat, *Theodoricum* anno MXXI indict. IV quasdam Ecclesias Aurelianensi Ecclesiæ dedisse; qui tamen nondum Episcopus erat, quando *Robertus* Rex Româ rediit. Colitur *Sanctus Theodoricus* Aurelianensis Episcopus die XXVII mensis Januarii, quo in ejus Vita, à Bollando eo die recitata, obiisse dicitur. Beslius in Hist. Comit. Pict. pag. 55. in medium adducit verba cujusdam Chronographi Anonymi, qui scripsit, *Robertum* Regem anno MXXVI *pridie vigilia Apostoli Pauli* Romæ fuisse, ipseque existimat, eumdem Regem hujus seculi initio alteram profectionem Romanam instituisse,

eumque

SÆC. XI. An. C. 1018.

cumque tunc *Bertam* juxta Odorannum citatum secutam esse. Verùm geminata illa profectio Romana fictitia, annoque MXXVI Benedictus VIII jam à biennio è vivis abierat.

XII. *De hac Roberti profectione Odorannus, & Poeta Anonymus loquuntur.*

·Mabillonius Tom. III Analect. pag. 554. refert *Rythmum Satyricum*, ex MS. Codice Belvacensi eruitum, cujus titulus: *De Temporibus Roberti Regis*, in quo Poëta præcipuè invehitur in *Landricum* Bodonis Comitis Nivernensis filium, *Roberto* Regi gratissimum, quem prodit, *Bertam* à Roberto Rege antea separatam, in Regnum totum, quod antea ignurabamus, seduxisse, hancque ei ob malas artes *Pruvinum* Senonum castrum promisisse, sed eum illud nunquam obtinuisse. Mabillonius in Notis ad illam Satyram ait, diversum videri fuisse istud factum, ab eo quod ex Odoranno mox retulimus; *cùm tempus*, inquit, *& alia circumstantia non conveniant.* Verùm omnia, quæ Poëta habet, ad hanc Romanam Roberti Regis profectionem optimè quadrant, ut eam magis examinanti patebit; loquitur enim Poëta de *Hugone* jam Rege à Roberto patre renunciato, quod anno MXVII contigit; cumque asserat, *Robertum* illicitas nuptias renovasse, oportet Regem in isto itinere Romano *Bertam* cognovisse, sed cùm Romæ à Benedicto VIII ejus petitio rejecta fuisset, post reditum *Constantiam* in gratiam recepisse. Mathoudus in Catalogo Ar-
" chiep. Senonens. de Leothetico scribit: Tran-
" stulit anno MXXIX corpus S. Saviniani in
" Basilica *Vivi*, Rege præsente, & Constantiâ
" Reginâ cum Primoribus Regni, in capsam
" auro gemmisque protectam (ut hactenùs vi-
" situr), quæ votivum erat ejusdem Reginæ Do-
" narium in Regis gratiam Saviniani beneficio
" restitutæ; ut præter Odorannum, qui cudendi
" nobilissimi illius reclinatorii curam egit, re-
" ferunt omnes Chronographi MSS. & editi,
" qui de rebus Senonicis disseruêre. Ita ille. Denique anno CMXCIX insinuavimus, à *Landrico* Comites Nivernenses originem ducere, hicque non prætermittendum quod Anonymus Scriptor apud Labbeum Tom. I Biblioth. in *Origine & Historia brevi Nivernensium Comitum*, ait: *Iste Landricus primus hujus generis Comes Nivernis factus, cœpit usquequaque dilatare terminos suos; habuitque filium nomine Renaldum, qui conjunctus matrimonio sorori Regis Roberti, filii Hugonis Capetonis, Comitatum Antissiodori conjunxit Comitatui Nivernis.*

Anno Eræ Hispan. MLVII. Anno Hegiræ ccccx. inchoato die 9. Maii fer. 7.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6512.

☉ 20. D. ☽ 13. P. 29. Mart. Indict. 2.

JESU CHRISTI 1019.

BENEDICTI VIII PAPÆ 8.

HENRICI II REG. 18. IMP. 6.

BASIL. ET CONST. IMPP. 44.

I. *Benedictus VIII in Germaniam venit.*

AD Num. I ad IV. Chronographus Hildensheimensis ad hunc Christi annum, de Henrico Imp. scribit: *Eo anno in Pascha Papam de Roma Bavenberg* (idest, Bambergæ) *hospitio suscepit.* Pascha autem hoc anno die XXIX mensis Martii celebratum. *Benedictum* VIII hoc anno in Germaniam profectum esse, testantur etiam Lambertus Schafnaburgensis & Marianus Scotus in Chronicis. Quare aliqui Viri docti hanc Benedicti Papæ profectionem Germanicam Hermanni Contracti in auctiori Chronico aucturitate innixi, in annum sequentem malè differunt. Is enim qui asserit se fuisse eo anno puerum octennem, per hæc tempora non rarò in Chronologiam peccat. Perperam itaque Hermannus, quod in priori Chronici sui editione rectè scripserat, in posteriori retractavit. Ait etiam ibidem Hermannus, *Benedictum* Papam Bambergæ Ecclesiam Sancti Stephani dedicasse. Fallitur autem Glaber à Baronio citatus, qui huic Dedicationi addit erectionem Bambergæ in Sedem Episcopalem. Jam enim anno MVII Joannes Papa hujus nominis XVIII Bambergam in Sedem Episcopalem sublimarat, ut suprà demonstravimus. Denique Vippo Presbyter, Scriptor coævus in Vita Conradi Salici Imp. de morte S. Henrici ejus Decessoris, & de Episcopatu Bambergensi ab eo fundato loquens, ait: *Ad cujus dedicationem dominum Apostolicum nomine Benedictum ascivit*, *cujus* authoritate ad tutandum locum Privilegia publica stipulatione confirmavit.

SÆC. XI. An. C. 1019.

II. *Causa hujus profectionis.*

Ad num. IV. Causam adventûs Benedicti VIII in Germaniam aperit Leo Ostiensis lib. 2. cap. 28. ubi postquam de infelici pugna adversùs Græcos anno superiori à Normannis habita, cui Melus interfuit, verba fecit, ait: *Melus, ut se militum auxilio destitutum vidit, Normannos reliquos cum Guaimario* (qui Salerni Princeps erat) *partim Pandulfo* (Capuæ Principi) *commendans, ipse ad Imperatorem proficiscitur; ut ad expellendos hinc Græcos, vel ipsum venire, si posset, induceret; vel saltem auxilia militum mitteret.* Quare rectè censet Baronius, *Benedictum* VIII camdem ob causam Henricum Imp. adiisse, & significasse eum totam Italiam amissurum, nisi *Melo*, qui omnem operam adhibebat, ut patriam à Græcorum tyrannide eriperet, petita auxilia præberet. Quod in causa fuit, ut *Melo bis jam ad eum hac de causa profecto, ac peregrè mortuo*, inquit idem Leo cap. 40. ipsemet Imperator postea in Italiam adversùs Græcos sese contulerit, ut suo loco dicetur.

III. *Basilius Imp. de Bulgaris triumphat.*

Ad num. IX. *Universâ Bulgariâ subactâ*, inquit Zonaras, *& castellis aliis eversis, aliis munitis, iisdemque præsidiis impositis, Athenas ad exolvenda Deiparæ vota est profectus* (nempe Basilius Imp.), *ac dedicatis in æde ejus multis pretiosis donariis in principem Urbem reversus triumphum duxit, rectâ tiarâ ornatus, quam vulgus Tuphum vocat, à typho nimirum & superbia, quam in animis gestantium excitat: & sic usque ad Dei verbi Sapientiam pervenit, ibi quoque vota exoluturus. Quò cùm venisset Patriarcha* (sc. Sergius) *multùm eum obtestatus, ut Allelengyum aboleret, nihil impetravit; quamvis pollicitus fuisset, sed id Bulgaris subactis facturum.* Idem habet Cedrenus pag. 717. qui addit, eum triumphasse, *præeuntibus Mariâ* (Bulgariæ Reginâ) *Samuelis filiabus, & reliquis Bulgaris. Actum hoc indictione secunda, anno ab origine mundi* 6527. juxta Eram Constantinopolitanam, ideoque hoc Christi anno. Elmacinus lib. 2. Hist. Saracen. cap. 6. *Pastus regno eorum, arcium Præfectos constituit Romanos, idque anno XLIV imperii Basilii Imp. qui annus erat MCCCXXX Alexandri* (Kalendis Octob. superioris Christi anni inchoatus): *rediitque Imperator Constantinopolim, & commixti sunt Romani cum Bulgaris, ac matrimoniis juncti, & cessarunt, quæ inter eos fuerant, inimicitiæ.* Exinde,

SÆC. XI. An. C. 1019.

de, ut docet Nicephorus Gregoras lib. 1. *Bulgari* in Mæſiam inferiorem ultra Danubium tranſlati fuêre, eorumque, quas citra fluvium habitabant provinciæ, *Patzinaticæ* conceſſæ à Conſtantino Monomacho Imp. poſtquam illas in ſuam poteſtatem redegiſſet. *Bulgaria* verò, illa ſcilicet quæ citra Danubium jacet, à Ducibus cœpit adminiſtrari uſque ad Iſaacium Angelum Imperatorem, ſub quo Bulgari rebellarunt, & Regem ex propria gente ſibi præfecêre.

IV. *Tributum Allelengium dictum abolere recuſat.* Quoad *Tuphum*, ſeu *Tufam*, Byzantini Scriptores τῦφαν appellarunt apicem, qui galeæ imminét; ut non tantùm Zonaras in Baſilio Porphyrogenneto prodit, ſed etiam Leo Grammaticus in Theophilo Imp. cùm de Juſtiniani ſtatua in Auguſtæo verba facit. Legendus Ducangius Diſſert. XXIV ad Joinvillam pag. 292. *Allelengyum* verò tributum erat indictum ditioribus prædiorum poſſeſſoribus, pro his qui facultatibus erant defecti, quod ipſemet Baſilius Imp. anno MII Græcis præſcripſerat, ut aſſerit Cedrenus pag. 706. *Eadem indictione* (nempe decima quinta) *legem tulit, ut penſionem quam pauperes perditi debebant, divites perſolverent: id vocabatur Allelengyum. Et Patriarcha Sergio multiſque aliis Pontificibus & Monachis deprecantibus, ut abſurdum hoc onus ſubditis demeret, non obtemperavit*, ſcilicet Baſilius Imp. Illud abolere ſtatuerat Conſtantinus ejus frater, ſed morte præventus exequi non potuit, duravitque uſque ad *Romanum Argyrum*, qui inito imperio illud ſuſtulit, ut Curopalates, & Zonaras memoriæ mandarunt.

V. *Moritur Sergius Patriarcha Conſtantinop.* *Sergius*, inquit Cedrenus, *cùm per annos XX Eccleſiam Dei moderatus eſſet, indictione ſecunda, menſe Julio, anno mundi 6527.* (eræ nempe Conſtantinopolitanæ) *ad dominum emigravit. Suffectus eſt ei Euſthatius, Palatinæ ædis Presbyterorum princeps.* Baronius putavit Cedrenum & Curopalatem, qui unum & idem ſcribunt, longiorem Sedem *Sergio* Patriarchæ attribuiſſe; quòd Petrus Antiochenus Patriarcha in Epiſtola ad Michaëlem Cerularium Patriarcham Conſtantinop. anno MLIV data, & eo anno à Baronio num. XXVIII & ſeqq. recitata ſcribat, *quod tempore beatæ memoriæ Patriarchæ* (nempe Conſtantinop.) *domini Joannis, Romanus Papa, Joannes etiam ipſe nuncupatus* (hujus nominis XVIII.) *in ſacris diptychis habebatur. Et cùm Cpolim XLV ab hinc annis veniſſem, inveni tempore B. memoriæ Patriarchæ domini Sergii* (hoc anno demortui) *prædictum Papam in ſacra miſſa unà cum aliis ſanctiſſimis Patriarchis relatum.* Si enim ab anno MLIV per annus XLV retrocedas, pervenies ad annum Chriſti MIX, quo Joannes XVIII adhuc ſedebat, quove Joannes Patriarcha Conſtantinop. Conſtantinopoli Joannem Papam in Diptychis memorabat. Quibus ex verbis deducit Baronius, anno MIX non *Sergium*, ſed *Joannem* Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præfuiſſe, ideoque illum annos viginti ſedere non potuiſſe. Verùm ex illis Petri Antiocheni verbis tantùm ſequitur, *Sergium* Patriarcham Conſtantinop. binominem fuiſſe, & *Joannem* etiam appellatum. *Sergium* enim annos viginti Eccleſiam Conſtantinopolitanam adminiſtraſſe, non tantùm Curopalates & Cedrenus; ſed etiam Zonaras, & Auctor Catalogi Epiſcoporum Byzantinorum lib. 4. Juris Græco-Romani relati, fidem faciunt.

VI. *Conatus ejus* Porrò *Sergius*, qui ejuſdem cum Photio generis fuit, ut eum defenderet, coacta Byzantii Synodo, Photii calumnias in Eccleſiam Romanam renovavit. *renovare ſchiſma.* Niceta Nicænus diſſidium commemorat, ſed cauſam illius ſe neſcire, ingenuè fatetur: *Et ſub Sergio, qui ſub Bulgaroctone* (ita Baſilius Porphyrogenitus, ut ſuo loco docuimus, appellabatur) *Patriarchatum tenuit, dicitur rurſus ſchiſma exortum fuiſſe: ſed quam ob cauſam, ipſe ignoro: videtur tamen propter Sedes fuiſſe.* Hinc eum pleríque exiſtimant, Pontificum Romanorum nomen è Diptychis primum omnium deleviſſe, quòd illi de Spiritûs Sancti proceſſione non benè ſentirent, ut videre eſt apud Allatium lib. 2. de Conſenſione utriuſque Eccleſiæ cap. 8. qui addit, cum Sergio ejus conatus extinctos, cùm reliqui non obſecundarentur. Euſthatius quippe Sergii ſucceſſor, Baſilius Imp. & alii Græci Legatos & munera Romam miſiſſe leguntur. Porrò hic *Euſthatius* diverſus eſt ab Euſthatio Homeri interprete, qui centum ferè & quinquaginta poſt annos vixit, ſub Manuele, Alexio, & Iſaacio Comnenis, ut ibidem Allatius demonſtrat.

SÆC. XI. An. C. 1020.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6513. Anno Eræ Hiſpan. MLVIII.

☉ 21. CB. ☽ 14. P. 17. April. Indict. 3. Anno Hegiræ cccexi, inchoato die 27. April. fer. 4.

JESU CHRISTI 1020.

BENEDICTI VIII PAPÆ 9.

HENRICI II REG. 19. IMP. 7.

BASIL. ET CONST. IMPP. 45.

I. *S. Heribertus Coloniæ Archiep. Henrico Imp. reconciliatur.* ANum. I ad VII. Quo anno ſimultas inter Sanctos *Henricum* Imp. & *Heribertum* Colonienſem Archiepiſcopum exorta, ſublata fuerit; rectè notaſſe videtur Sigebertus in Chronico, in quo annum à Nativitate Domini inchoans ad annum MXXI ait: *Henricus Imperator Coloniæ Natale domini celebrans* (anno nempe MXX juxta vulgarem noſtrum computum) *Heribertum Archiepiſcopum olim à ſe injurioſè tractatum humili ſatiſfactione placat, cui reconciliatus Archiepiſcopus prædixit ſe propediem moriturum, & non multò pòſt mortuus* (anno nempe MXXI) *magnis cæpit clarere virtutibus.* Porrò tam Lambertus Monachus, quàm Rupertus Abbas, uterque in hujus Sancti Præſulis Vita inſinuant, eum paulò pòſt è vita migraſſe. Cauſa ſimultatis erat, quòd Heribertus *primo electionis ſuæ tempore imperii inſignia ei cum dilatione conceſſerit, & quòd in alterum diadema transferre tentaverit. Manſit inter ſervos Dei ſimulata pacis longa diſcordia*, ait Lambertus cap. 4. qui addit, pacem Coloniæ ſancitam fuiſſe. Paulò pòſt: *Mirum quod ſancti ab alterutro aliquoties diſſentiunt, ſicut in Actis Apoſtolorum Paulus & Barnabas, & Sanctorum in Scripturis quam plures faciunt. De perverſis & juſtis nihil mirabile, ſi uni non inſerantur concordia: quoniam nulla conventio Chriſti ad Belial, nec ſocietas luci ad tenebras, nec pars fideli cum infideli. Verùm hæc ſunt incomprehenſibilia Dei judicia & inveſtigabiles viæ ejus, & occulta conſilia.* Rupertus verò cap. 7. ſcribit: *Imperator exercitu commoto, Comitem quemdam Ottonem, ſeculi dignitate præpollentem, in caſtro quod dicitur Hermanſtein, ſito ſupra Rheni littus, obſederat. Is namque Otto Epiſcopatum Moguntinum multa infeſtatione ſæpiùs pervagans, ferro & igne populabatur.*

SÆC. XI. An. C. 1020. *labatur, odio magno contra ejusdem civitatis Præsulem vehementer inflammatus: fuerat namque ab illo propter illicitum connubium judicio generalis Concilii anathematizatus. Cum ergo querimonia ejusdem Præsulis* (nempe Erckenboldi) *excitatus Imperator, prædicto in castro illum obsedisset, venerabili huic viro* (nempe Sancto Heriberto) *demandavit, quatenus & ipse cum suis ad hoc negotium adveniret.* Tum narrat, quomodo pax Imperatorem inter & Heribertum Coloniæ composita fuerit, ut legere est apud Baronium.

II. *Sacræ Reliquiæ ad Synodos deferri solitæ.* Hoc circiter anno celebratum Concilium *Airiacense* in pago Autissiodorensi, de quo Tom. IX Concil. pag. 842. hæc ex Chronico Sancti Petri Vivi referuntur, ex quibus intelligimus morem, qui hoc seculo invaluit, deferendi Sanctorum Reliquias ad Concilia: *In tempore illo factus est magnus Conventus in Autissiodorensi pago, in Airiaca villa, à Leotherico Archiepiscopo* (sc. Senonensi): *ubi de singulis locis delata sunt sanctorum Martyrum, Confessorum, Virginum pretiosa pignora in suis feretris. Inter quæ de cœnobio B. Petri Vivi dum deferretur, vel referretur beatus martyr Sanctianus, imminentibus noctium tenebris, super duo capita feretri emicuerunt duo præclarissima sydera, omnes totius noctis tenebras suo splendore superantia, oculis quidem deducentium visibilia, sed tactu impalpabilia. Ibi verò præsentes fuerunt Robertus Rex, & Gauslinus Bituricensis Archiepiscopus, cum aliis Episcopis, & Abbatibus, & populo innumerabili.* Morem hunc tunc primum cœpisse docet Monachus Anonymus Dervensis in lib. 2. *de diversis casibus Dervensis cœnobii, & Miraculis Sancti Berchari* jussu Brunonis Abbatis Dervensis, qui tempore Leonis IX Papæ floruit, scripto & Sec. II Benedict. recitato. In eo num. XXVII legitur: *Gloriosus Rex Robertus apud villam Aireyas nomine noscitur Concilium habuisse, ubi cum innumera plebis multitudines, diversi utriusque sexus & ætatis concurrerent, ad cumulandam quoque populi proficiscentis devotionem, plurima Sanctorum corpora à fidelibus viris advehi cœperunt.* In Historia Episcoporum Autissiodorensium Tom. I Biblioth. Labbei pag. 449. de hoc Concilio dicitur, *in quo Rex Robertus cum Episcopis ac Abbatibus adfuit, simul & innumerabilia sanctorum pignora totius penè provinciæ.* Denique Glaber lib. 4. cap. 5. de hoc more habet: *Tunc ergo primitus cœpère in Aquitaniæ partibus, ab Episcopis & Abbatibus, cæterisque viris sacræ religioni devotis; ex universa plebe coadunari Conciliorum conventus. Ad quos etiam multa delata sunt corpora Sanctorum, atque innumerabiles sanctarum apophoretæ Reliquiarum.* Hæc de Conciliis circa annum MXXXI celebratis Glaber.

III. *Pia opera Canuti Angliæ Regis.* Canutus Angliæ Regnum magna laude hoc tempore rexit. *Monasteria*, inquit Malmesburiensis lib. 2. de Reg. cap. 11. *per Angliam suis & patris* (sc. Svani seu Sveonis) *excursionibus partim fœdata, partim eruta reparavit: loca omnia, in quibus pugnaverat, & præcipuè Aschendune Ecclesiis insignivit, ministros instituit, qui per succidua secularum volumina Deo supplicarent pro animabus ibi occisorum. Ad consecrationem illius Basilicæ & ipse adfuit, & Optimates Anglorum & Danorum donaria porrexerunt. Nunc, ut fertur, modica est Ecclesia Presbytero parochiano delegata* (seculo scilicet XII, quo Malmesburiensis floruit). *supra corpus beatissimi Edmundi, quem antiquiores, Dani interfecerant, Basilicam animositate Regia construxit, Abbatem & Monachos constituit, prædia multa & magna contulit. Perstat hodieque donorum ejus amplitudo integra, quod locus ille infrà se aspiciat omnia penè Anglorum cœnobia. Corpus beati Alphegi* (legendum, Elphehi Archiep. Cantuariensis) *apud Sanctum Paulum Londoniæ tumulatum, ipse suis manibus inde levavit, & ad propria remissum, dignis assentationibus veneratus est. Ita omnia, quæ ipse & antecessores sui deliquerant, corrigere satagens, prioris injustitiæ nævum apud Deum fortassis, apud homines certè abstersit. Wintoniæ maxima munificentia suæ magnificentiam ostendit: ubi tanta intulit, ut moles metallorum terreat advenarum, splendor gemmarum reverberet intuentium oculos, Emma suggestu, quæ in talibus thesauros dilapidabat, sanctitate prodiga, dum ille in exteris terris dura meditaretur prælia.* SÆC. XI. An. C. 1020.

IV. *Bellum movet adversus Norwegos.* *Nam nescia virtus ejus stare loco, nec contenta Danamarchia, quam avito, & Anglico, quam bellico jure obtinebat, martem in Suevos transtulit. Sunt illi Danis contermini; pertinacioribus studiis iram Cnutonis emeriti, sed primò exceptus insidiis, multos ex suis amisit, postremò reparatis viribus resistentes in fugam vertit. Reges gentis Ulf & Eiglaf* (seu Eilgalf) *ad deditiones pacis adduxit, promptissimis ea pugna Anglis, hortante Godwino Comite, ut pristinæ gloriæ memores, robur suum oculis novi domini assererent; illud fuisse fortunæ quod ab eo quondam victi fuissent, istud virtutis quod illos premerent, qui eum vicissent. Incubuère igitur viribus Angli, & victoriam consummantes Comitatum Duci, sibi laudem paraverunt. Rediens inde domum totum regnum Noricorum* (idest Norvegiæ) *subegit effugato Rege Olabo, qui posteriori anno, ut animos provincialium suorum tentaret, cum parva manu in regnum regressus, infidos sibi sensit cum suis cæsus*, anno nempe MXXVIII, ut infrà videbimus. Reliqua verò hoc anno vel superioribus contigisse, insinuant Westmonasteriensis & Hovedenus. *Godwini* hoc anno Comitatu donati filiam *Sanctus Edoardus* cognomento Confessor uxorem accepit, & cum ea in castitate vixit. Ab hoc tempore Angliæ, Daniæ, & Norwegiæ titulum Canutus sumsit.

V. *Obitus Caliphæ Ægypti.* *Hakemus Biamrilla* Ægypti Calipha anno Hegiræ CCCCXI, agente sorore, cui minatus fuerat, occisus est, cui successit *Alis Abulhasenus* ejus filius, ut refert Elmacinus lib. 2. Hist. Sarac. cap. 6.

VI. *Mors Meli qui Normannos in Apuliam vocaverat.* *Melus*, qui Græcorum Apuliam, Calabriamque à paucis annis incolentium insolentiam ferre non valens Normannos adversùs eos vocaverat, iis prælio victis Henrici Imperatoris auxilium imploravit, quod & obtinuerat, sed dum è Germania in Apuliam revertitur, in itinere hoc anno moritur, Lupo Protospata & Anonymo Barensi testibus. Audiendus Guillelmus Apuliensis lib. 1.

Et puduit victum patria tellure morari,
Samnites adiit superatus, ibique moratur.
Post Alemanorum petiit suffragia Regis
Henrici, solito placidus qui more precantem
Suscipit, auxilii promittens dona propinqui.
At Melus regredi præventus morte nequivit,
Henricus sepelit Rex hunc, ut Regius est mos:
Funeris exequias comitatus ad usque sepulchrum.

ANNO

Anno Eræ Hispan. MLIX. Anno Hegiræ ccccxii, inchoato die 17. April. fer. 2.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6514.

☉ 22. A. ☽ 15. P. 2. April. Indict. 4.

JESU CHRISTI 1021.

BENEDICTI VIII PAPÆ 10.

HENRICI II REG. 20. IMP. 8.

BASIL. & CONST. IMPP. 46.

I. *Moritur S. Heribertus Archiep. Coloniensis.*

AD num. I & seq. Lambertus Monachus in Vita Sancti Heriberti Archiep. Coloniensis mortem ejus cap. 5. his verbis narrat: *Migravit ad dominum XVII Kal. Aprilis: ordinationis suæ anno vicesimo tertio; ab Incarnatione verò domini anno millesimo vicesimo primo.* Eumdem annum signant Hermannus Contractus in utraque sui Chronici editione, Marianus Scotus & Sigebertus. Ordinatus fuerat die Natali Christi anni nongentesimi nonagesimi noni, non verò nonagesimi octavi, ut habet Baronius, ideoque Lambertus Monachus annos Julianos, ut sæpe alii, non verò annos Sedis integros enumerat; sedit enim annos XXI, menses II, & dies fermè viginti duos, ut inquit Rupertus, qui priorem Vitam interpolavit, licet Librariorum errore, in ea dicatur, eum sedisse annos XXIII, ultra menses & dies. Errarunt itaque Lambertus Schafnaburgensis in Chronico, & Chronographus Hildensheimensis, qui eam mortem cum superiori Christi anno conjungunt. Baronius hanc opinionem ex hoc refellit, quòd Rupertus citatus scribat, *Heribertum* febre Novesii correptum Eliam Abbatem Tuitiensis Monasterii à se constructi accersisse, eique dixisse; *Regem immortalem modis quibus jam dixi, stude tibi efficere propitium: de isto autem homine communis necessitas finem factura est, ut & ipse viam universæ carnis ingrediatur. Noveris enim quia post obitum meum, trium non peraget annorum curriculum.* Vixit tamen Sanctus Henricus post Heriberti obitum annis tribus & mensibus ferè quatuor, ideoque Heriberti mors in annum MXX non incidit. Verùm verba illa, quæ præfatam opinionem evertunt, communi non favent, ut numeranti patet. Lambertus Monachus nihil simile habet, existimoque Rupertum hac in re deceptum esse. Porrò *Heribertum* ex pacto cum Ottone III monasterium *Tuitiense* Episcopatûs sui initio ædificasse, docent Lambertus Monachus & Rupertus Abbas. Est *Tuitium* pagus ad Rhenum ex adverso Coloniæ Agrippinæ. Vide quæ anno MI num. I & seq. de Episcopatûs Heriberti initio dixi.

II. *Concilium Gallicanum incerto loco habitum.*

In Chronico Ademari legitur Girardo Episcopo Lemoviceosi vitâ functo Willelmum Aquitaniæ Ducem elegisse Jordanum *magnæ nobilitatis & simplicitatis virum.* Tum subjungitur: *Quadragesima superveniente Dux Romam adiens, filio suo, prudentissimo adolescenti, Willelmo imperavit, ut revertens ordinatum reperiret Episcopum, quod ille adimplere curavit, & sabbato media Quadragesima Angeriaco ante caput Sancti Joannis* (quod anno MXVIII inventum fuisse diximus) *diaconus & Presbyter ordinatus est, & crastinâ Dominicâ consecratus est ab Islone Episcopo Santonensi & Coadjutore Archiepiscopi Burdigalensis, & Roone atque Arnaldo, nec non & Isimberto Episcopis. Post verò à clarissimæ indolis Willelmo Comite & Arnaldo Petragoricensi Episcopo Lemovicam deductus inthronizatus est in sede S. Martialis. Archiepiscopus verò Bituricensis Gauzlenus, ad cujus diœcesim Lemovica pertinet, & quia sine sua auctoritate consecratus est Episcopus, facta Synodo in Francia, coram Rege Rotberto, ubi VII Archiepiscopi adfuerunt, die Pentecostes cum suffraganeis Episcopis, totum Lemovicinum excommunicavit, præter locum Sancti Martialis, & quæ propriè ad eum pertinebant, ipsumque prohibuit ab officio suo Episcopali: tamen satisfaciens, nudis pedibus, cum centum Clericis & Monachis, omnibus similiter discalciatis pedibus, Bituricam sedem adiit, ubi Archiepiscopus cum Clero eis processit obviam, & honorificè eos deducens, quod ligaverat absolvit.* Cùm verò Ademarus subjungat, *eo tempore* decem ex Canonicis civitatis Aurelianensis ob hæresim Manichæorum flammis addictos esse, quod anno sequenti accidisse jam docuimus, apparet istud Concilium hoc vel sequenti anno, incerto loco celebratum esse. Deest illud in ultima editione Conciliorum, quod ideo in sequentibus addendum erit. Porrò *Gauzlenum* spurium Hugonis Capeti filium fuisse, antea scripserat idem Ademarus.

III. *Croatia in Græcorum potestatem redacta.*

Subactâ Bulgariâ, Imperatori se dedidit etiam contermina Chrobaterum (seu Croatorum) *gens, & ejus Principes, fratres duo, quibus Imperator honores ac opes amplas tribuit. Solus adhuc imperium detrectabat Sermo, Sirmii dominus, Nestongi frater*, inquit Cedrenus in Basilio Porphyrogenito, qui addit, *Sermonem* Sirmii dominum dolo à Constantino Diogene interfectum, & hunc recèns captæ Ditioni præfectum fuisse. Hoc modo *Croatia* inter Banos divisa Orientale Imperium agnovit, quemadmodum & pars maritima, ut Anonymus Barensis & Lupus Protospata ad annum MXXIV tradunt. Porrò quos nos Gubernatores & Præfectos, Croatæ & Dalmatæ *Banos* vocarunt.

IV. *Terræ motus.*

Ingens terræ motus in Boariæ (seu Baioariæ) *partibus IV Id. Maii, hora X diei fer. VI post Ascensionem domini contigit*, inquit Cosmographus Hildensheimensis.

Anno Eræ Hispan. MLX. Anno Hegiræ ccccxiii, inchoato die 6. April. fer. 6.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6515

☉ 23. G. ☽ 16. P. 25. Mart. Indict. 5.

JESU CHRISTI 1022.

BENEDICTI VIII PAPÆ 11.

HENRICI II REG. 21. IMP. 9.

BASIL. ET CONST. IMPP. 47.

I. *Expeditio Italica Henrici Imp.*

AD Num. I ad IX. Narrat Baronius ex Leone Ostiensi lib. 2. cap. 40. & seqq. Henricum Imp. anno MXXII in Apuliam venisse ad tutandos Imperii fines adversùs Græcos, & cepisse *Troiam Græcorum civitatem, quam eodem anno illi construere cœperant.* Quia verò propria bona *Meli* jam demortui recuperare non potuit, ejus nepotibus Comitatûs honorem concessit, & aliquot Normannos ad defensionem regionis reliquit. His adde ex Hepidanno in Brevibus Annal: *Heinricus Imp. in gravi manu Apuliam ingressus, à Beneventanis gratulantibus honorificè ac magnificè suscipitur. Troiam, Capuam, Salernam, Neapolim, urbes imperii sui ad Græcos deficientes ad deditionem coegit: quarum Troia viribus fortissimis,*

nis, omnique bellico apparatu munitissima, longior mora nodusque victoriæ extitit. Tamen licet afflicta affluxerit, & in sui defensionem multos sauciaverit, plurimos interfecerit, tertio mense postquam obsessa est, & Imperatori manus dedit, suique incolumitatem & gratiam victoris dato fidei sacramento promeruit, rebusque compositis revertitur, Capuanum Principem in custodia secum abducens. Sed circa egressum Italiæ pestilentia exercitum ejus affecit, & ex maxima parte absumpsit, ut Romani imperii corpus tot membrorum suorum destitutionem sine miseria & dolore memorare non possit. Eodem anno æstas horrenda, tonitruis & coruscationibus plus solito mortales exterrentibus: & impetus turbinis ab occidente intonans ædificia concussit, & arbores radicitus excussit. Hepidannus quidem hæc cum anno MXXIII copulat, sed in ejus Opere aliquando numeri corrupti & aliquando ipse parùm in notatione annorum accuratus. Denique Lupus Protospata ad annum MXXII habet: *Venit Henricus Imp. Beneventum mense Martii, & obsedit Troiam in Capitanata.*

II. *Normanni spe destituti Rannulphum Ducem eligunt.* Hujus Henrici Imp. expeditionis Guillelmus Apuliensis mentionem nullam facit; sed narrata Meli primi Normannorum Ducis morte, quæ anno superiori contigit, ait Normannos, cum nullum auxilium sperarent, Rannulfum sibi præfecisse:

Egregium quemdam mox elegêre suorum
Nomine Rannulfum, qui Princeps agminis esset,
Cujus mandatis fas contradicere non sit.

Subdit Guillelmus eos se se Capuano Principi conjunxisse, & nunc hoc vel illo Principe contempto, plus tribuenti semper adhæsisse; ac post annos aliquot eos urbem *Aversam* condidisse, quæ Neapolim inter & Capuam posita est. Ait denique decurso multo tempore *Hardoinum* Longobardum Ducem Aversam venisse, & pluribus secum adductis Apuliæ omni timorem incussisse. Qui *Hardoini* adventus in annum MXLI competit, ut eo anno videbimus.

III. *Priores Normannorum expeditiones fabulis intermixta.* Ex dictis hactenus de Normannis, annis scilicet MXVI, MXVIII, & currenti liquet, Leonem Ostiensem lib. 2. cap. 38. Gemmeticensem lib. 7. cap. 30. Ordericum lib. 3. pag. 472. & Ademarum in Chron. ad annum MXVIII pag. 178. de tempore, quo Normanni primùm in Italiam venêre; & de rebus ab illis tunc gestis malè edoctos fuisse. Aiunt v. g. plerique ex illis *Normannos* quosdam è civitate Hierosolymitana revertentes adversùs Saracenos pugnasse, eamque ob rem *Salernitanos* rogasse Normannos, ut cùm ad patriam pervenissent, aliquos ex suis ad se mitterent. Verùm Normanni illi non ex urbe Hierosolymitana, sed è monte Gargano, ubi orationis causâ perrexerant, venêre, nihilque adversùs Saracenos tunc *Salernum* obsidentes egêre. Secundò, Gemmeticensis & Ordericus laudati aiunt, *Normannos* primùm in Apuliam venisse, quando *Robertus* Normanniæ Dux erat; cùm tamen Robertus anno tantùm MXXVII Richardo III in Comitatum Normanniæ successerit. Tertiò, Ademarus loco citato scribit, Normannos in Italiam venientes *Rodulpho Duce* Romam profectos, & inde *connivente Papa Benedicto* Apuliam aggressos esse, nulla *Meli* mentione facta; cùm tamen Melus Normannis, postquam Roma transiêre, arma subministrarit, & ut ait Guillelmus Apuliensis lib. 1. pag. 2.

Emptis Normannos Campanis partibus armis,
Invadenda furens loca duxit ad Appula Melus.
Hunc habuere Ducem sibi gens Normãnica primum
Partibus Italiæ, Gallos tremuit Appulus omnis.

Nonnisi itaque post Meli obitum *Rannulfus*, Normannorum Dux fuit. Denique Glaber lib. 3. cap. 1. relatis prœliis à Normannis cum Græcis habitis, & expeditione Henrici Imp. adversùs Græcos hoc anno suscepta, Troadis expugnatione, & Beneventanæ regionis deditione, tradit Normannos in suam patriam reversos esse, quo tamen nihil falsius. Mitto alias Historicorum, qui incertis rumoribus decepti fuêre, commentitias narrationes.

IV. *Visitat monasterium Casinense Henricus Imp.* A num. IX ad XV. Corpus Sancti *Benedicti* existere in monasterio Floriacensi, hujus seculi initio inter omnes convenisse insinuat sanctus Abbo Floriacensis in Epistola ad Leonem Abbatem SS. Alexii & Bonifacii data, & à Baluzio Tom. I Miscell. è Codice MS. eruta. Ait enim Sanctus Abbo: *pretiosarum Reliquiarum Sancti Patris Benedicti insignia postulastis vobis dirigi* (Romam scilicet, ubi situm erat Monasterium SS. Alexii & Bonifacii) *eo quòd indubitatum penitus esset, sanctissimam ipsius corporis præsentiam a nobis retinere, ideoque velle enixiùs in honore illius oratorium construi, itemque nobis de Sancto Bonefatio aut de sacris artubus ceterorum Sanctorum nobis eadem recompensari.* Corpus autem hujus sanctissimi Patriarchæ aliàs è Monasterio Casinensi ad Floriacense in Galliam translatum fuisse, Benedictini Galliæ solidè probarunt, & conficta esse quæ Baronius ex Leone Ostiensi narrat, de sanitate reddita Sancto Henrico in monte Casino, postquam Sanctus Benedictus ei apparuit, suumque corpus in Monte Casino requiescere docuit. Leoni itaque Ostiensi Episcopo & Monacho Casinensi hac in re fides non adhibenda.

V. *Synodus Salegunstadiensis.* Ad num. XVIII. Aribo Moguntinus Archiepiscopus cum quinque Coëpiscopis Synodum Salegunstadii ad Mœnum celebravit *anno dominicæ Incarnat. MXXII indict. V, II Idus Augusti, anno autem domini Henrici secundi regnantis XXI, imperii verò VI*, ut legitur in Præfatione ejusdem Synodi Tom. IX Concil. pag. 844. sed loco, *imperii verò VI*, legendum, *imperii verò IX.* Hæ notæ temporariæ in exemplari, quo usus est Baronius, etiam corruptæ. Inter varia Decreta in ea condita quintum est, *ut unusquisque Presbyter in die non amplius quàm tres missas celebrare præsumat.* Quare in Diœcesi Moguntina Presbyteris, qui plures Parochias regebant, plurium Missarum celebratio aliàs permissa fuit. In Capitulo XVII legitur: *Et illud sub anathemate præceptum est, ut nullus Presbyterorum cuiquam pœnitenti carrinam dividere præsumat, si infirmitas non intervenerit.* Erat Carrina vel Carena dierum quadraginta continuorum jejunium in pane & aqua, ut exponit Burchardus, qui huic Concilio interfuit lib. 19. cap. 5. De hac voce plura Ducangius in suo Glossario.

VI. *Moritur S. Bernwardus Episc. Hildeshemensis.* Ad num. XIX. Wolfherius discipulus Sancti Godehardi Episcopi Hildenshemensis in ejus Vita in Actis SS. Bollandianis ad diem IV Maij recitata cap. 3. scribit: *Anno post incarnati Verbi mysterium MXXII, regni verò domini Henrici XXI, imperii autem IX, felicis memoriæ Bernwardus, venerabilis nostræ Ecclesiæ* (nem-

L pe

SÆC. XI. An.C. 1022.

pe Hildensheimensis) *Antistes, ex hac vita ad perpetuam migravit: cujus certè obitus totam regionem maximè contristavit. Erat enim, ut festinando omnem vitæ ejus historiam transcurram, in cunćto divinæ servitutis studio justè fervidus, & in tota mundanæ utilitatis sagacitate sapienter providus; contra rebelles & induratos jure severus, erga obedientes & modestos ritè mansuetus; in eleemosynis & miseratione compatiens & largus; vigiliis, jejuniis, & orationibus convenienter intentus*, &c. Scripsit ejus Vitam Taogmarus Saxo, Decanus Hildensheimensis, ejus discipulus, à Browero editam, & ad exemplaria MSS. emendatam. In ea asserit, eum die XX mensis Novembris, seu XII Kalend. Decemb. cœlesti pace quievisse, & sedisse annos XXX. Cùm veoisset ad Aulam Ottonis III, qui septennis adhuc puer erat, ut ei inserviret, à *Theophania* Augusta, quæ rebus præerat, benignè susceptus est, atque in brevi summæ familiaritatis locum apud illam obtinuit, adeo ut puerum Imperatorem fidei illius, literis imbuendum, moribusque instituendum, consensu cunctorum Procerum, commendarit. Imperatrice de mortua, *Otto* totum se regendum in stationem fidissimi Magistri contulit, mortuoque Episcopo Hildensheimensi *anno nongentesimo nonagesimo tertio, indictione sexta*, à Willegiso Archiepiscopo Moguntino Episcopus Hildensheimensis ordinatus fuit.

VII. *S. Godehardus Abbas Altahensis ei succedit.*

Henricus Imp. audita morte Sancti Bernwardi, Sanctum Godehardum Abbatem monasterii Altahensis in Bajoaria positi, non longè à Danubio, *secreto soliloquio convenit, eique suæ voluntatis arcanum de Episcopatu ejusdem sedis aperuit. Cui statim ille in faciem restitit*, inquit Wolfherrus mox laudatus in ejus Vita. Tandem cùm se se divinæ prædestinationi & Imperatoris coosilio devovisset, in proxima Dominica Adventûs domini ab *Aribone* Metropolita Moguntiacensi Episcopus consecratus fuit. Ante Episcopatum non solùm cœnobio Altahensi præfuit; sed etiam commendata sunt ei tria alia Monasteria, Ersfeldense, Tegerense, & Chremsense, in quibus monachicam vitam, quæ noo parùm collapsa fuerat, restituit. Sed non cum minori pietatis & prudentiæ laude Episcopi munere perfunctus est. Portò duplex monasterium *Altahense* in Bajoaria erat, superiùs sc. & inferius; Godehardus verò inferiori præfuit.

VIII. *Floret Guido Aretinus Auctor Micrologi de methodo cantandi.*

Ad num. XX. & seqq. *Micrologi* voce Scriptores mediæ & infimæ ætatis intellexêre librum in epitomes speciem editum, indeque in Vita Sancti Theofredi Abbatis cap. 10. dicitur: *denique quodam tempore familiari semotus obsequio, Micrologum cudens de lapsu mundi, senario determinat eum sermone rythmico.* Benedicto VIII Ecclesiam Romanam regeote *Guido Aretinus* Monachus Benedictinus in Italia excogitavit novam cantandi methodum, quam *solmisicationem* vocaot, seu *Gammam* cum notis, Ut, Re, Mi, Fa, Sol, La: cujus arte pueri & puellæ in manu sua cantandi peritiam facilius discere cœpêre, quam voce magistri, aut ullius instrumenti, inquit Trithemius. Guido autem opus suum musicum *Micrologum* inscripsit. Hinc Domnyso Presbyter in Carmine de Gestis Comitissæ Mathildis, agens de Thebaldo Aretino Episcopo, canit:

Micrologum librum sibi dictat Guido peritus
Musicus & Monachus, nec non Eremita beandus.

SÆC. XI. An.C. 1022.

Guido enim libellum suum de Musica, quem *Micrologum* ooominavit, Theodaldo Episcopo suo dicavit, cujus ad eum Epistolam dedicatoriam recitat Baronius, referetque verba, quæ in fine Micrologi habentur: *Explicit Micrologus Guidonis, suæ ætatis anno XXXIV, Joanne XX Romanam gubernante Ecclesiam.* Quæ verba Barooium io ea, in qua versabatur sententia, Joanoem nempe qui Benedicto VIII successit, appellatum fuisse hujus nominis XX, confirmarunt. Verum cùm ex ipsismet ejusdem Joannis rescriptis constet, eum se se Joannem XIX appellasse, apparet, clausulam illam uno aut altero seculo post *Micrologi* editionem eidem Epistolæ fuisse subjunctam. Neque enim tempore ejusdem Joannis aut proximè sequentibus annis ignorari potuit, eum *Joannem* XX dictum non fuisse.

IX. *Auctor Micrologi de Divinis Officiis sub hujus seculi finem vixit.*

Extat alius Micrologus, sive Liber *de Ecclesiasticis Observationibus*, seu *de Divinis Officiis* inscriptus, capitibus LXII constans, cujus cùm Auctor ignoretur, libri sui nomine *Micrologus* appellatur. Auctorem verò illum Anonymum Gregorii VII tempore floruisse ex cap. XIV certum & indubitatum redditur. Quare Baronius, Bona Cardinalis lib. 2. Rerum Liturg. cap. 20. art. 4. aliique accuratè scripsêre, Anonymum illum sub seculi undecimi finem vixisse. Erravit vero Possevinus in Biblioth. qui Guidonem Aretinum hujus secundi Micrologi Auctorem facit. Magis hallucinatus est Oudinus io Supplem. Script. Ecclesiast. in voce *Micrologus*, ubi ait, Auctorem secundi Micrologi, noo sub hujus seculi finem, sed anno circiter MCLXXX vixisse; quòd Auctor Anonymus Vitæ Caroli Magni, quæ extat MS. in variis Bibliothecis, in suo Prologo dicat: *Egregia ipsius B. Caroli gesta, & triumphalem bellorum ejus Historiam aliis relinquimus, qui in Catalogo virorum fortium, & in Chronicis ejusdem multifariam reperitur, & nos officiosa sedulitate aliàs Micrologum conscripsimus*, ut videre est apud Bollandum ad diem XXVIII Januarii, quo S. Carolus Magnus colitur, ubi Prologum illum & Titulum capitulorum ejusdem Operis adhuc inediti exhibet, & ex eodem Prologo ostendit, eam Vitam ab Auctore Anooymo *tempore Frederici Ænobardi* Imperatoris post annum MCLXV compositam fuisse. Ex quibus infert Oudinus Auctorem Micrologi, qui *de Officiis Divinis* scripsit, post illum Christi anoum floruisse. Verùm, uti ita jam diximus, vox hæc *Micrologus* quemcumque librum in Epitomes speciem editum denotat, ideoque Micrologus post annum MCLXV de Rebus gestis Caroli M. scriptus, nihil commune habet cum Micrologo *de Divinis Officiis*, & cum Micrologo à Guidone Aretino publicato. Porrò Micrologus *de Divinis Officiis* extat in Biblioth. Patrum edit. Lugdunensis.

Anno Periooi Græco-Romanæ 6516.

☉ 24. F. ☽ 17. P. 14. April. Iodict. 6.

Jesu Christi 1023.

Beneoicti VIII Papæ 12.

Henrici II Reg. 22. Imp. 10.

Basil. & Const. Impp. 48.

Anno Eræ Hisp. MLXI. Anno Hegiræ CCCCXIV, inchoato die 26. Mart. fer. 3.

I. *Synodus Moguntina.*

Ad num. V & seq. Aribo Archiep Moguntinus Moguntiæ *Concilium generale coadunavit*,

SÆC. XI. An.C. 1023. *navit*, inquit Wolfherrus in Vita Sancti Godehardi Episc. Hildensheimensis cap. 4. de rebus hoc anno gestis verba faciens; *in quo Episcoporum consilio, plura quæ deviaverant, correxit. præcipue tamen Ottonem Comitem de Hamerstein & Irmgardam* non verò, ut Baronius habet, & Tom. IX Concil. etiam perperàm legitur, Comitem ab Hanistein & Limingardam) *illicitè commanentes, separare disposuit; quod tamen penitus perficere non potuit; quia ille partim se Regali timore* (qui ab eo anno MXX expugnatus fuerat, ut eo anno ostendimus,) *partim Episcopali commonitione utcumque correxit.* Porrò cùm ex dictis loco citato constet, hunc Ottonem *judicio generalis Concilii* ob illicitas nuptias anathematizatum fuisse ab Archiepiscopo Moguntino, apparet illius Concilii Acta ad nos non pervenisse.

II. Synodus Pictaviensis. Hoc circiter anno magna *Lemovicis* Clericos inter civitatis, & Monachos Sancti Martialis rixa exorta, cujus hæc causa fuit. In Litaniis & publicis supplicationibus *Martialis* nomen ex antiquo ritu inter Confessores habebatur, cumque *Hugo* inter Apostolos eum annumerare & *Apostoli* nomen illi dare cœpisset, quòd primus Evangelii Præco in illis partibus fuerit, *Jordanus* Episcopus Lemovicensis, & Clerici Lemovicenses antiquum morem defendere instituerunt. Willelmus Aquitanorum Dux hujus nominis IV Vir literatus & literatorum studiosus, ad dirimendam litem Synodum *Pictavis* congregavit, ut liquet ex his Odolrici Sancti Martialis Abbatis verbis, in Concilio Lemovicensi, de quo suo loco, prolatis. *Illud quoque mihi commemorandum est, quod ante hos septem annos Rex Anglorum* (Canutus scilicet) *Duci Aquitaniæ* (præfato scilicet Willelmo) *Regalia munera misit, simulque Codicem literis aureis scriptum, in quo nomina Sanctorum distincta cum imaginibus continebantur: quod volumen jam in* Concilio Pictaviensi *dum hac eadem de re Quæstio esset, illud Dux Guillelmus literis edoctus in testimonium antiquitatis Pontificibus ostendit: erat enim ibi Martialis in aliorum Apostolorum Catalogo positus, qui peritissimus Princeps dicebat Archiepiscopo Burdegalensi, & aliis, qui ibidem aderant Episcopis, conjicere, inquiens, possumus quàm egregiæ auctoritatis sit B. Aquitanorum Patronus, de quo Gregorius in illa sui laboris gente hanc legem tradidit observandam: nimirum imperitorum est dubitare de quo S. Papa Gregorius non dubitavit. Videtis ecce o Episcopi in hoc Codice, qui apud Anglos scriptus est, prætermissum esse Timotheum, & Cleopham, & Silam & alios, quorum nomina in Evangeliis & Actibus Apostolicis, sive in Epistolis Pauli leguntur, quos Apostolos dicitis præter duodecim esse: non tamen prætermissum esse illum nostrum Patronum, qui primus Galliarum fuit Episcopus, cujus nomen in Evangeliis reticetur.* Verùm in illa Synodo nihil certi definiri potuit, aliaque anno sequenti Parisiis cogenda fuit, ut ibi narrabimus.

SÆC. XI. An.C. 1024. Anno Æræ Hisp. MLXII. Anno Hegiræ CCCCXV, inchoato die 15. Martii fer. 2.

Anno Periodi Græco-Romanæ 6517.

☉ 15. E D. ☽ 18. P. 5. April. Indict. 7.

Jesu Christi 1024.

Joannis XIX Papæ I.

Conradi II Reg. I.

Basil. & Const. Impp. 49.

Joannes XIX succedit Benedicto VIII PP. Annum. I ad V. *Benedictus* Papa hujus nominis VIII hoc anno naturæ debitum solvit, Hermanno Contracto in fusiori Chron. Mariano Scoto & Sigeberto testibus. Auctores Catalogorum plerique, & Auctores Fasciculi temporum ac Chronici Magni Belgici annos undecim, menses undecim, & dies XXI ei assignant, qui ideo anno MXII mense circiter Junio Pontificatum inierat. *Joannes* enim hujus nominis XIX frater, qui ei successit, post diem sextum mensis Junii, & ante mensem Octobrem Pontificatum gessit. Primum liquet ex Rubeo in Hist. Ravenn. lib. 5. ubi mentio fit Chartæ à Joanne Papa datæ *octavo Id. Jun. quæ Pontificatûs Joannis VI, imperii Conradi IV, indict. XIII scribitur.* Quare cùm anno MXXX die sexto mensis Junii sextum Pontificatûs annum adhuc numeraverit, currenti post illum diem Pontifex dictus est. Quoad secundum, Ughellus Tom. V Italiæ Sacræ pag. 48. refert Privilegium Patriarchæ Aquileiensi concessum, *scriptum per manus Joannis Cardinalis & Cancellarii vice petri diaconi, mense Septembri, indictione decima. Datum per manus Bossonis Episcopi & Bibliothecarii S. R. E. in mense & indictione suprascripta, in sacratissima sede B. Petri Apostoli anno quarto, Deo propitio, Pontificatûs domini Joannis summi Pontificis & universalis noni decimi Papæ.* Ubi loco indictionis decimæ reponenda indictio undecima. Ughellus enim Tom. I pag. 108. recitat aliud Privilegium Silvæ Candidæ Episcopo datum, *scriptum per manum Georgii Notarii Regionarii atque Scriptoris S. R. E. in mense Decembri indictione X.* post subscriptionem verò Præsulum viginti in eo nominatorum: *Datum XVI Kal. Januarii per manus Benedicti Episcopi Portuensis, & vice Peregrini Coloniensis Archiepiscopi Bibliothecarii sanctæ Apostolicæ sedis anno Pontificatûs domini nostri Joannis, Summi Pontificis & universalis XIX Papæ in sacratissima sede B. Petri Apostoli tertio, mense Decembri, indict. X*, anno scilicet Christi MXXVI. Cùm itaque eo Christi anno die XVII mensis Decemb. tertium Sedis annum attigisset, in præcedenti subscriptione loco *indictionis X* reponenda indictio XI; alioquin anno MXXVI, mense Septembri annum IV Pontificatûs, & mense Decembri ejusdem anni annum III numeraret. Doctissimus Cardinalis Norisius in Dissert. de *Synodo Quinta* cap. 10. indictione illa X mendosè descripta deceptus existimat, Baronium & Onuphrium Pontificatum Joannis XIX malè in hunc annum distulisse, huncque anno superiori *pridie Kalend. Martias*, (qui dies ab Onuphrio notatus,) Pontificem creatum esse. Verùm ex dictis certò consequens est, *Joannem* XIX hoc anno post diem sextum Junii *Benedicto* successisse, huncque anno MXII post eumdem diem, imò & post diem XVII ejusdem mensis, quo *Sergius* IV adhuc in vivis erat, Pon-

L 2 tificatum

SÆC. XI. An.C. 1024.

tificatum iniisse, ideoque sedisse *annos XI, menses XI & dies XXI.* Rubeus pag. 278. Chartam profert, in qua annus IV Joannis Papæ conjungitur cum anno III Conradi Imp. die XI Aprilis & indict. XII, sed loco *anni IV*, substituendus quintus.

II. *Laici virtutibus necessariis præditi eligi poterant.*

Hermannus Contractus in auctiori Chronico, Platina, aliique ajunt, *Joannem* ex laico factum esse Pontificem, additque Platina, ejus vitam mirificè laudari. Sed quia nullum exemplum præcesserat electi alicujus Pontificis Romani nullis sacris initiati, non dubitandum, quin id multis tunc mirum visum fuerit, sicuti anno superiori, quando in Galliis, *Arnalpho* Remensi Archiepiscopo demortuo, *Ebalus* seu *Ebulo* adhuc laicus in eam Sedem evectus est. Verum quod *Fulbertus* Episcopus Carnotensis tunc ad *Guidonem* Episcopum Silvanectensem scripsit, Joanni Papæ XIX etiam applicandum: *Amor justitiæ*, inquit Fulbertus Epist. XXXVIII vel juxta Duchesnium XVII, *qui tuam, Pater, animam imbuit ab nativitate, fecit eam offensam, & ab excessibus cautam. Cujus rei fidem tam ex aliorum dictis, tum ex literis tuis evidenter accepi. Sed ab ordinatione Ebali Remensis Archiepiscopi non valde tibi metuendum puto esse, si est, ut dicitur, ab infantia Christianus, sano sensu, sacris literis eruditus, sobrius, castus, amator pacis, & dilectionis, nullo crimine, nulla infamia nota turbatus; tandemque a clero & populo suæ civitatis electus. Magni etenim viri, ut optime nosti, Ambrosius Mediolanensis, & Germanus Autissiodorensis aliique nonnulli, qui a tales in laico habitu extiterunt, subitò nobis Sancti Præsules exierunt. Domnus vero Papa, cujus animadversionem te vereri significasti, non est quod tibi merito debeat succensere, si te graviter collapsæ sanctæ Remensi Ecclesiæ aliquam spem resurrectionis audierit providisse.* Quod si tamen verum est quod scribit Baronius ex Glabro lib. 4. cap. 1., & confirmat Chronographus Virdunensis, *Joannem* nempe largitione pecuniæ ex laicali ordine neophytum ordinatum, hæc ei favere non possunt. Porro Joannem istum XIX dictum fuisse, laudatæ subscriptiones extra omnem dubitationem ponunt.

III. *Patriarcha CP à Joanne PP. petiit, ut Universalis dici posset.*

A num. V ad VIII. Hugo Flaviniacensis Abbas in Chronico Virdunensi de Joanne Papa XIX hæc habet: *A quo cùm requisisset Constantinopolitanus Antistes, ut sua Ecclesia, sicut & Romana universalis diceretur, & donis eum, Romanosque, qui Curiæ præerant innumeris flecteret, ita ut clanculo tentarent concedere quod rogabatur, omnis ob hoc vehementissimè commota est Italia. Sed Galliarum Episcopi & Abbates, his obviare conati sunt, quidam in persona sua, quidam verò litteris missis Sedem Apostolicam visitantes, & tantum opprobrium & dedecus auctoritatibus ad medium prolatis, quibus contradicere fas non esset, à Romana Ecclesia propulsantes. Nec defuit in his Patris Richardi* [Abbatis Virdunensis] *authentica præsentia, imò omnino sategit, ut Constantinopolitanea præsumptio confutata quiesceret, filium si Romana Ecclesia, dum matris honori providebat, ostendens. Inter alios quoque Willelmus Abbas eximius* [monasterii nempe Divionensis sancti Benigni] *Epistolam Papæ misit corpore brevem, sed materia ingentem, & sermone locupletem, quam hic inserere non piget.* Eam refert Baronius num. VI ex Glabro dolerque quòd ea mendosa, & verbis truncata sit. Quare locum mendosè descriptum hîc referam emendatum: *Quoniam licet potestas Romani imperii, quæ olim in Orbe terrarum Monarchas viguit, nunc per diversa terrarum loca innumeris regatur sceptris, ligandi solvendique in cælo & in terra potestas incumbit magisterio Petri. Atque idcirco ista diximus, ut animadvertatis non aliter Græcos, quam xenodoxia hoc quod audivimus apud vos requirere, impetravisse. De cetero quoque optamus* &c. Quibus ex verbis liquet, ex falso rumore, qui percrebuerat, Joannem Græcis jam concessisse, quod ab eo petierant, scribendi argumentum Guillelmum Abbatem Sancti Benigni sumsisse.

IV. *Moritur S. Henricus Imp.*

A num. VIII ad XII. Sanctum *Henricum Imp.* hoc anno animam Deo reddidisse, idque *III Idus Julii*, asserunt Wippo in Vita Conradi Salici, Hermannus Contractus in Auctiori Chronico, Chronographus Hildensheimensis, aliique. Addit hic Chronographus: *XXII annis, hebdomadis V, & unum diem regnavit.* Quare anno MII, *VII Idus Junii*, non verò III Idus Junii, ut habet Baronius, die scilicet VII mensis Junii in quem Dominica cadebat, coronatus fuit, & anni illi XXII die sexta Junii currentis anni finiuntur, post quem supersunt hebdomadæ quinque & dies unus, nempe dies XII Junii, sicque Chronographus diem emortualem ejus excludit. Ejus Vitam scripsit *Adelboldus* Auctor coævus, Monachus Laubiensis & Episcopus Ultrajectinus, anno MXXVII demortuus, de quo Vossius in Hist. Latinis lib. 2. cap. 42. & Gretserus in Sanctis Banbergensibus. Eo mortuo *Sancta Chunegundis* ejus uxor, fundatrix Monasterii Confugiensis, ad Sanctimoniales *Confugiæ* Epistolam scripsit à Baronio recitatam, qua eis animam Sancti Henrici conjugis cum quo in castitate vixit, commendavit. Dithmarus lib. 7. *Confugiam* appellat *Kapungun* vulgò *Kauffungen*, haud procul Cassellis Hassicis positum.

V. *Ejus successor à Proceribus Germaniæ, non verò a VII Electoribus creatus.*

Ad num. XII & seqq. *Cùm Imperator sine filiis obiisset*, inquit Wippo Presbyter, *quilibet potentissimus secularium Principum vi magis, quàm ingenio nitebatur: aut fieri primus, aut qualicumque pactione à primo secundus; ex qua re discordia pene totum regnum invasit: adeo ut in plerisque locis, cædes, incendia, rapinæ fierent, si non is impetus illustrium virorum sufflamine impediretur.* Refert postea summorum nomina quædam, sive Pontificum sive secularium Principum, *qui tunc in regnis vigebant, quorum consiliis consuevit Francia* (nempe Teutunica) *Reges eligere.* Paulò pòst: *Italiam transeo, cujus Principes in brevi convenire ad Regiam electionem nequiverant, qui postmodum in Urbe Constantiensi cum Archiep. Mediolonensi, & reliquis Principibus occurrentes Regi, sui effecti sunt, & ei fidelitatem libenti animo juraverunt.* Tacet hîc Wippo Italos voluisse Robertum Francorum Regem, aut Wuillelmum IV Aquitaniæ Ducem sibi præficere, & à Germanis deficere, quod anno sequenti narrabimus. Paulò post subjungit Wippo: *Suprà memorati Episcopi & Duces, ceterique Potentes haud aliter periculum mutantes melius aut citiùs evadere rati, summa ope & industria, memorabili utebantur, ne respublica diutius sine regente nutaret, &c. Tandem condicta est dies, aptatusque locus, fit publicus Conventus, qualem me vidisse antea non memini, &c. Inter Moguntiæ confinia & Wormatiæ locus est,*

amplitudine

SÆC. XI. An. C. 1024.

amplitudine planitiei causa, multitudinis maximè receptabilis, &c. *Ibi dum convenissent cuncti Primates, &, ut ita dicam, vires & viscera regni, cis & circa Rhenum castra locabant. Qui dum Galliam à Germania dirimat, ex parte Germaniæ Saxones cum sibi adjacentibus Sclavis: Franci Orientales, Norici, Alemanni convenêre. De Gallia verò Franci qui supra Rhenum habitant, Ribuarii, Lutharingi coadunati sunt.*

VI. *Conradus Salicus Rex Germaniæ eligitur.*

Paulò pòst: *Cùm diu certaretur, qui regnare deberet*, &c. *inter multos electi pauci sunt, & de paucis admodum duo sequestrati sunt, &c. Erant duo Chunones* (seu Conradi) *quorum unus quod majoris ætatis esset, major Chuno vocabatur: alter autem junior Chuno dicebatur, ambo in Francia Teutonica nobilissimi ex duobus fratribus nati: quorum alter Hezel* (idest, Henricus) *& alter Chuno dictus est. Ipsos vero ab Ottone Duce Francorum* (seu Franconiæ) *natos accepimus, cum duobus aliis Brunone & Willelmo; ex quibus Bruno Apostolicæ Sedis Romanæ Ecclesiæ Papa effectus, mutato nomine Gregorius appellatus est: Willelmus factus Argentinensis Ecclesiæ Episcopus miro modo eam sublimavit*, &c. *in his duobus, idest, in majori Chunone & juniore diu pendebat reliqua nobilitas*, &c. *Archiepiscopus Moguntinensis, cujus sententia ante alios accipienda fuit*, &c. *elegit majorem Chunonem suum in dominum & Regem*, &c. *Hanc sententiam ceteri Archiepiscopi & reliqui sacrorum ordinum viri indubitanter sequebantur*, &c. *Tunc singuli de singulis regnis eadem verba electionis sæpissime repetebant*, &c. *Et ut nulla mora consecrationis illius fieret, postulabant*, &c. *Peracta electione Regem sequi Moguntiam, ubi sacratissimam unctionem acciperet, cum claritate maxima omnes properabant.* Addit Wippo consecrationem Regis factam *in die Nativitatis Sanctæ Mariæ*, cui suffragatur Chronographus Hildensheimensis, qui dicit eam peractam *VI Id. Septembris*. Hæc fusius ex Scriptore qui electioni præsens fuit narranda duxi, ut institutio Septem Electorum Imperii à Gregorio V facta ab omnibus tandem explodatur; cùm vel sola Conradi Salici electio, annis circiter viginti sex post Gregorii V mortem facta eam commentitiam esse demonstret.

VII. *Conradus Salicus non à filio sed à filia Ottonis M. originem duxit.*

Conradum Salicum originem ducere à *Ludolfo* Ottonis magni filio, à quo prognatus sit Otto Dux, (quo nomine appellatus Conradi Salici avus), docuit Guillilmannus in peculiari Tractatu *de Origine & Stemmate Conradi Salici*, Friburgi in Brisgovia anno MDCIX typis edito, huncque postea Blondellus in Pleniori Assertione Genealogiæ Francicæ Tom. II pag. 35. passimque Historici Germanici secuti sunt. Verùm *Conradum Salicum*, non à *Ludolfo*, sed à *Luitgarda* ejus sorore Conrado Lotharingiæ, Franconiæ, ac Wormatiæ Duci nupta descendere, anno MV jam certo argumento demonstravimus, & eam litem etiam dirimit Auctor Anonymus Conrado Salico contemporaneus, cujus breve Chronicon Regum Francorum Lambecius Tom. II Biblioth. Cæsareæ pag. 393. & seq. publicavit. Sed nec hunc Scriptorem, nec Auctorem Vitæ Adalberonis Episcopi Metensis, cujus verba loco laudato retulimus, Guillilmannus habere potuit, quia nondum tunc lucem viderant. Et licet Aventinus in Hist. Bojorum lib. 5. pag. 313. genus hujus Imperatoris scitè notasset, quia tamen more Scriptorum sui seculi unde illud acceperit, non memoravit, solaque avorum ejus ac proavorum nomina expressit, hactenus, hæc controversia Viros doctos in diversas opiniones divisit. Hæc Anonymi Lambeciani verba: *Conradus Dux* [scilicet Lotharingiæ] *qui fuit ex progenie Conradi prædicti* [Conradi nempe Germaniæ Regis, hujus nominis primi] *accepit filiam primi Ottonis imp.* [videlicet Luidgardam], *ex quo fuit Otto Dux* [scilicet Francorum aut Franconiæ]. *Otto Dux filios habuit duos: unus nomine Cono*, [seu Conradus Dux Austrasiorum, de cujus matrimonio cum Mathilde filia Gerbergæ Conradi Burgundiæ Regis filiæ, anno MV egimus], *& alter Hezil* [idest, Henricus]. *Ex isto Hezil unus fuit Cono*, QUI MODÒ REX EST. Quare hic Auctor quæ vidit, scripsit, floruitque tempore Conradi Salici, cujus genealogiam texuit. Conradum Salicum ex filia Ottonis M. progenitum etiam affirmat Auctor Anonymus Genealogiæ S. Arnulphi.

SÆC. XI. An. C. 1024.

VIII. *Sicuti etiam Gregorius V Papa.*

Conradus itaque Salicus nepos fuit *Ottonis* Ducis Francorum, ut disertè prodit Wippo citatus, sed hic Otto, non *Ludolfi*, ut credidit Guillilmannus, sed *Conradi* Lotharingiæ Ducis & *Luitgarda* Ottonis M. natæ filius erat. Cumque *Otto* Franconiæ Dux Conradi Salici avus, ex *Juditha* uxore filios quatuor susceperit, nempe *Conradum* Austrasiorum seu Carinthiæ Ducem, de quo anno MV, *Henricum* Conradi Salici patrem, *Brunonem*, qui sub nomine Gregorii V Pontificatum Romanum gessit, & *Willelmum* anno MXXIX Argentinensem Episcopum creatum, ut mox ex Wippone vidimus, manifestum est, deceptos viros Eruditos, qui *Gregorium V* Papam lineâ masculinâ Ottone M. prognatum fuisse in literas misêre. Nam *genus Ottonis Magni* cum Ottone tertio *consumptum* est, ut ex Auctore coævo anno CMXCVII ostendimus. His adde Ottonem *Ludolphi* filium fuisse tantùm *Bojoariæ* & *Alemanniæ*, ut anno CMLVII monstravimus, Ducem, sed nunquam *Francorum*.

IX. *Evertitur primum fundamentum contrariæ sententiæ.*

Hæc præcipua Guillilmanni, qui hanc difficultatem examinavit, fundamenta. Observat Vir eruditissimus *Bernonem* Augiensem Abbatem Conradi Salici coætaneum, in Præfatione ad Henricum hujus nominis Imperatorem II, & Conradi Salici filium, scribere: *De patris vestri Chunradi prosapia non adeo est dicendum; cùm pateat cunctis quatenus ex generoso Ottonis Augusti germine genus ducitis.* Verùm non de paterna, sed de materna linea loquitur *Berno*; cùm in eadem Præfatione asserat, Henricum II Imperatorem Salici filium directo sancti Arnulphi Metensis & Caroli magni stipitis sanguine ortum esse: *De quorum numero*, inquit, *indubitanter existitis, qui ex avitis progenitoribus tam nobilem, quàm religiosam genealogiæ lineam ducitis. Nam Ansgisus filius sancti Arnolfi*, &c. *Ex quo* [scilicet Carolo Magno] *stemma pervenit ad quemdam Ludovicum Regem nobilem Francorum, qui pater extitit Lotharii Regis & Karoli Ducis* [nempe Lotharingiæ]. *Cujus Hludovici filiam Chunradus Rex Burgundionum duxit uxorem, de qua genuit vestram aviam, matrem videlicet Gisila divæ memoriæ matris vestræ.* Vides Bernonem à Carolo Magno Giselæ Henrici Germaniæ Regis hujus nominis III matris,

pariqueque methodo *Conradi Salici* ejusdem Henrici patris originem ab Ottone Magno deducere, utrobique scilicet ex linea materna.

X. *Evertitur secundum fundamentum.*

Refert etiam Guillilmannus Chartam Ottonis Ducis, quâ monasterium *Grevenhusa* in diœcesi Spirensi *anno Inc. Dom. DCCCCLXXVII indict. VI Imp. Ottone II* instituit, *suadente*, inquit, *Judetha conthorali mea, cum adsensu trium filiorum meorum Henrici, Brunonis, Chunonis.* Quibus ex verbis Guillilmannus infert, *Ottonem* nepotem ex filio Ottonis Magni patrem extitisse Henrici, qui genuit *Conradum Salicum*, Brunonis seu *Gregorii V* Papæ, & Chunonis seu *Conradi* Carinthiæ & Austrasiorum Ducis. Ita ille pag. 12. sui Operis. At Vir eruditissimus hanc Chartam Ottoni *Ludolphi* filio & Alemanniæ Duci malè adscribit; data enim ea ab *Ottone* Francorum seu Franconiæ Duce. Liebnitzius quippe in erudita sua Præfatione ad Codicem Diplomaticum Rerum Germanicarum rectè vidit, superiorem & inferiorem Palatinatum, ubi *Spira* posita, membra fuisse Ducatûs Franconiæ, & Palatinos Duces usque ad *Fridericum* Imp. hujus nominis primum, nec Officiales nec feudatarios immediatos Imperatorum & Imperii Romani extitisse, sed Ducum & Ducatûs Franconiæ. Quare Otto filius Conradi & *Ludgardæ*, ad quem Palatinatus, utbesque Wormatiæ & Spiræ pertinebant, Dux erat Franconiæ, non verò Alemanniæ, à qua tantum utraque Alsatia pendebat, cujusque *Argentina, quæ Strasburg dicitur, caput* fuit, ut prodit Ditmarus lib. 5. Hinc *Conradus Junior* Ottonis Francorum Ducis ex filio nepos à Wippone in Vita Conradi Salici modò *Dux Franconiæ*, modò *Dux Wormatiensis* dicitur, & Conradus pater Ottonis Francorum Ducis ab Ottone Frisingensi, aliisque *Dux Wormatiensis* appellatur. *Conradum* verò *Salicum*, *Henricum* Germaniæ Regem hujus nominis III ejus filium, *Henricum IV* nepotem, & *Henricum V* Imperatores *Wormatiæ* sepultos fuisse, eorumque sepulchra se ibi vidisse, disertè testatur Abbas Urspergensis in Chron. ad annum MCXXV.

XI. *Coronatio Giselæ Salici uxoris.*

Hermannus Contractus in Chron. narrata Conradi Salici unctione subdit: *Nec multò post uxor ejus Gisela à Piligrino Archiepiscopo Coloniæ Regina nihilominus benedicta II Kalend. Octob.* sed legendum, *V. Kalend. Octob.* qui dies hoc anno in Dominicam incidit, quibus diebus, hujusmodi solemnia fieri solita. Baronius num. XIV causam cur *Giselæ* unctio retardata fuerit, refert ex Glabro, initio lib. 4. Vippo verò de Gisela scribit: *Hac quorundam hominum invidiâ, quæ sæpe ab inferioribus fumigat ad superiores, per aliquot dies à consecratione sua impediebatur. Ceterùm si illud odium justè, an injustè pertulerit, adhuc in quæstione moratur: tamen virilis probitas in fœmina vicit, & ex consensu & petitione Principum consecrata, necessaria comes Regem sequebatur.*

XII. *Synodus Parisiensis.*

Cùm anno superiori in Concilio Pictaviensi quæstio agitata fuisset, an *Sanctus Martialis* Apostoli vel Confessoris nomine vocandus esset, nihilque decidi potuisset, hoc anno *Parisiis* aliud celebratum, ubi frequentior Doctorum numerus adfuit. *Robertus* Francorum Rex, *Gauzlenus* Bituricensis Archiepiscopus, & multi Præsules, *Hugo* Abbas sancti Martialis, *Odolricus* ejus successor, aliique cum magistris Parisiensibus eidem præsentes fuêre. Lemovicenses contendêre *Martialem* vocandum esse *Primum Confessorem*, non *Apostolum*; Parisienses verò eum etiam *Apostoli* nomine præter ceteros XII posse appellari: tandemque à Roberto Rege pro Parisiensibus conclusum, & sententia Synodi Romam ad Joannem XIX Papam transmissa, ut eam ipse sua auctoritate confirmaret. Constant hæc ex Concilio Lemovicensi II anno MXXXI habito, & Tom. IX. Concil. pag. 870. & seqq. recitato. In eo enim Odolricus, ut legere est pag. 872. ait: *Audiant me Pontifices & Seniores, qui coram adstant, quod Martialis semper ab antiquitate in pluribus doctissimorum Patrum locis pronunciatus sit Apostolus, mihi necesse non est testificari, ne fortè adulatorius judicer testis pro ejus Ecclesiæ regimine,* &c. *Extitit post eum* (nempe post Abbonem, de quo locutus fuerat) *ipsius monasterii pater* (nempe Hugo) *tum grandævitate, tum genere, cùm eloquentia & disciplinis liberalibus clarus, ac demum levatus Bituricæ Sedi Archiepiscopus Gauzlenus. Quod testimonium Sancto Dei perhibuerit ille, multi ex nostris noverunt. Adhuc enim vivente Rege Roberto, cùm antecessor meus Hugo in Palatio ei* Apud Parisios *adsisteret, cum multitudine nobilium & doctorum Altercatio inter Francos & Lemovicenses de re hujusmodi coram Rege fieri cœpit, & ego ibi tunc præsens interfui.*

XIII. *In ea agitatum an S. Martialis dici deberet Apostolus.*

Dicebant isti (nempe Lemovicenses) *non rectè facitis, quod Martialem cum Apostolis pronunciatis. Nos rectè agimus, quia eum inter Confessores recitamus. Vos ultimum Apostolorum dicitis: nos Primum Confessorum in Litaniis dicimus. Quorum litigium Archiepiscopus supradictus Gauslenus compescuit.* &c. Et pluribus interpositis: *Nos Franci morem, quem Patres nostri, qui primi monasterium sancti Benedicti suo Magisterio innormarunt, plena nobis ratione submixum tradiderunt, de hac re ratum conservamus. Quisquis nos hac in re imitari voluerit, ratam veritatis lineam tenebit. Quo perorato Archiepiscopus* (nempe Gauzlenus) *tacuit, & Rex cum omni dignitate clericorum & Principum qui sibi adsistebant, dicta Archiepiscopi collaudavit.*

XIV. *Definitum eum Apostolum appellandum esse.*

Hujus Synodi Parisiensis meminit Ademarus in Catalogo seu Commemoratione *Abbatum Lemovicensium Basilica sancti Martialis Apostoli*, & sub Hugone Abbate XIII habitam esse his verbis commemorat. XIII Abbas Hugo præfuit annis sex. *Hic in Francia collationem fecit cum Rege Roberto & Archiepiscopo Bituricensi Gauzlevo & cum multis Episcopis &* Sapientibus Viris Franciæ *de Apostolatu Sancti Martialis; cur alii in Apostolorum, alii in Confessorum numero eum tenere videbantur. Qui in numero Confessorum eum tenebant, ideo hoc agebant, quia non putabant aliquos esse Apostolos præter duodecim. Alii verò hoc agebant, quia nomen ejus in IV Evangelistis non reperiebant. Qui verò saniori consilio intellecta sapiebant, affirmabant eum esse Apostolum unum præcipuum post XII, quia cum XII conversatus est, & eamdem gratiam Apostolatûs, quam & illi à domino accipere meruit. In quo Concilio ab omnibus definitum est, non eum numerari nisi in catalogo Apostolorum, sicut Joannes Evangelista, qui in pace migravit, debere. Nam plurima testimonia reperta sunt antiquitus eum in litaniis & in aliis scriptis Apostolum fatori per Galliam & Britanniam, Italiam, & Hispaniam,*

& illos

SÆC. XI. An.C. 1025.

& illos esse Hebionitas hæreticos, qui non credunt præter XII Apostolos. Nam gesta ejus canonica semper ab Ecclesia recepta satis declarant privilegium Apostolatus ejus; & quia sine dubitatione unus de LXXII Apostolis, quos dominus misit velut Agnos inter lupos: quos LXXII non solum Græci, verum etiam Lucas Evangelista & Paulus Apostolus in Epist. ad Corinthios I vocat Apostolos. Nam & apud Græcos sapientiores Martialis Apostolus notissimus est. De hac controversia rursus anno sequenti sermo fiet.

Anno Eræ Hispan. MLXIII. Anno Hegiræ CCCCXVI inchoato die 4. Martii fer. 5.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6518.
☉ 26. C. ☽ 19. P. 18. April. Indict. 8.
JESU CHRISTI 1025.
JOANNIS XIX PAPÆ 2.
CONRADI II REG. 2.
CONSTANTINI IMP. 50.

I. *Italici Conrado Regi sese submittunt.*

AD num. II & seq. Wippo in Vita Conradi Salici ait: *Anno primo Regni sui Chuonradus Rex diem sanctum Pentecostes in Constantia civitate celebravit: ibi Archiepiscopus Mediolanensis Heribertus cum ceteris Optimatibus Regni Italici occurrebat, & effectus est suus, fidemque sibi fecit, per sacramentorum & obsidum pignus, ut quando veniret cum exercitu ad subjiciendam Italiam* (res enim Italicæ nutabant, multique Regem creare volebant) *ipse eum reciperet, & cum omnibus suis ad Dominum & Regem publicè laudaret, statimque coronaret. Similiter reliqui Longobardi fecerant, præter Ticinenses, qui & alio nomine Papienses vocantur, quorum Legati aderant cum muneribus & amicis, molientes, ut Regem pro offensione civium placarent, quamquam id adipisci à Rege juxta votum suum nullo modo valerent.* Narrat postea quia in re Regem Ticinenses offenderint, quòd nempe cognito Henrici Imp. obitu, statim totum Palatium ab Ottone III valdè adornatum usque ad imum fundamenti lapidem eruerint, ne quisquam Regum ulteriùs infra civitatem illam Palatium habere decerneret.

II. *Simonia in Germania grassatur.*

Scribit etiam Wippo Conradum Regem, cùm ad Basileam civitatem pervenisset, & Episcopum demortuum esse reperisset, alium constituisse: *Ibi Simoniaca hæresis*, inquit, *subitò apparuit, & citò evanuit. Nam dum Rex & Regina quodam Clerico, nobili viro, nomine Udalrico, qui ibi tunc Episcopus effectus est, immensam pecuniam pro Episcopatu reciperent, postea Rex in pœnitentia motus, voto se obligavit, pro aliquo Episcopatu vel Abbatia nullam pecuniam amplius accipere, in quo voto penè benè permansit, sed filius ejus tertius Henricus, qui postea Rex & Augustus effectus est, optimè & sine omni scrupulo patrium votum expiavit, quia in omni vita sua pro omnibus dignitatibus Ecclesiasticis unius oboli pretium non dicitur accepisse.* Hanc in rem scribit Glaber lib. 5. cap. 3. quod cùm Henricus ad simoniam extirpandam magnam Synodum in Germania congregasset, *cernentes Episcopi gravi se fore invectione irretitos, misericordiæ operam implorabant. At ipse Princeps misericordiâ motus, tale consolationis protulit verbum: Ite, inquiens, & quod illicitè accepistis, bene disponere satagite; ac pro anima patris mei, qui hac noxa reus vobiscum tenetur, attentiùs intercedere mementote: quatenus ei indulgentiam hujus facinoris à Deo possitis acquirere.*

SÆC. XI. An.C. 1025.

III. *Itali Robertum aut Hugonem ejus filium Regem petunt.*

Porrò *Willelmus* IV Aquitaniæ Dux potentissimus, non hoc, sed superiori anno à Langobardis, ut Rex eorum esset, in Italiam vocatus. Rem accuratè tractavit Beslius tam in Hist. Comitum Pictaviensium & Aquitaniæ Ducum cap. 20. quàm in Tractatu *de Vera Origine Hugonis Italiæ Regis*, eidem Operi subjuncto. Wippo enim, qui Conradi Salici gloriam tantum præ oculis habebat, hæc dissimulavit, & Italiæ Historici, vel ea ignorarunt, vel nimis nationi suæ studuerunt. Mortuo itaque Sancto *Henrico Imp.* in Germania Comitiis creando Regi, & in Italia in eumdem finem institutis, Germani *Conradum Salicum* Regem salutavêre; Itali verò *Robertum* Francorum Regem, &, si nollet, *Hugonem* ejus filium, in consortium Regni à patre allectum, *Magnumque* jam cognominatum, missis ad eos Legatis, Regem renunciarunt. Verùm Robertus Rex prudentissimus Italorum petitioni acquiescere noluit: *Hujusmodi enim fama*, inquit Glaber loquens de Hugone Rege lib. 3. cap. 9. *ubique provinciarum percitus peroptabatur à multis, præcipuè ab Italicis, ut sibi imperaret, in Imperium sublimari. Nam & ex cognomine proavi, Magnus Hugo dicebatur à cunctis.* In Chron. Floriacensi ad annum MLX perducto & à Baluzio lib. 2. Miscel. recitato ad hunc annum legitur: *Hugo Rex moritur*; & Duchesnius Tom. IV pag. 79. refert Epitaphium Hugonis Magni Roberti Regis filii, *Quod fecit Girardus Aurelianensis*, in quo dicitur.

Celtiberi lachrymant, te Regem Roma petebat.

Tum in eodem Opere, ubi refert Epistolas Historicas Fulberti Episc. Carnotensis, peculiari sibi ordine digestas, exhibet Epistolam LV, à Fulcone Andegavorum Comite ad Robertum Regem datam, in qua Fulco ait: *Guillelmus Pictavorum Comes herus meus locutus est mihi nuper, dicens, quod postquam Itali decesserunt à vobis, diffisi, quòd vos Regem haberent, petierunt filium suum ad Regem. Quibus ille invitus, coactusque respondit, tandem acquiescere se voluntati eorum*, &c.

De Hugonis Regis morte fusè agemus anno MXXVIII.

IV. *Frustra etiam tentant Guilelmum IV Aquitaniæ Ducem.*

Guilielmus IV modò Dux Aquitaniæ, modò Pictavorum Comes appellatus, à Carolo M. originem ducebat, & sicuti *Robertus*, cujus mater Adelais ex Italia oriunda fuit, onus tandem detrectavit, ut discimus ex Epistolis Fulberti XV, LVII, LVIII, LIX & LX. Baronius num. II refert tantùm Epistolam XV, quæ juxta eum ordine est XC, sed in codicem mendosû inciderat. Ita enim juxta correcta exemplaria legenda: *Dux noster Guillelmus vobis* (non verò, *nobis*, ut habet Baronius) *amicissimus profecturus est in Italiam die Jovis proximè venturo, sciscitari* (non verò *sciscitatum*) *de causa filii sui, si cum honore & incolumitate sua fieri queat. Itali enim elegerunt eum sibi ad Regem* (non verò, *ut Itali eum eligant sibi in Regem*) *facientes ei* (non verò, *faciant ei*) *sacramentum, & Italiæ regnum concedendi,* (non *concedant*, ut habet Baronius), *& Romanum Imperium acquirendi* (non autem *acquirant*) *per rectam fidem quantum possunt* (non *quantum possint*). *Hac de causa processurus est prudens pater filium* (non, *processurus est prudens pater cum filio*) *quem supra dixi, cum ipsis deliberaturus.* Denique Epistola LVIII à Guilelmo Aquitaniæ Duce scripta ad *Maginfredum* clarissimum Italiæ Marchionem, habet: *Quod cœptum est de filio meo, non videtur mihi ratum fore, nec utile, nec honestum. Gens enim vestra*

insida est, insidia graves contra nos orientur. Postea Maginfredum rogat, ut operam det, qualiter absque utrinsque dedecore *ab incœpto desistatur.* Idem ferè habet Ademarus in Chronico de Guillelmo IV Aquitaniæ Duce verba faciens. *Conradus* itaque Salicus, Regni Italici pacificam possessionem init.

V. *Novi hæretici in Langobardia detecti.*

Detecti hoc tempore in Langobardia hæretici, de quibus Glaber lib. 4. cap. 2. & seq. qui *colebant idola more Paganorum, ac cum Iudæis inepta sacrificia litare nitebantur.* Addit de illis Glaber, innumerabilem exercitum *in nigerrimis vestibus, faciebusque teterrimis* venisse ad domum cujusdam ægroti, quorum princeps promisit ei sanitatem & longam vitam, subditque: *Et ut certissimè credas quod spondeo, noveris meo auxilio, meaque industria, Chuonradum hoc tempore Imperatorem esse creatum. Tu quippe bene nosti, quod nullus Imperatorum ita velociter omnem Germaniam atque Italiam, sicuti iste, sua subjugavit ditioni.* Ostendit postea Glaber peccatis hominum exigentibus, Domino permittente, à nequam spiritibus aliquando fieri miracula, ex quibus aliqua narrat. Verba autem citata, quæ immundus spiritus protulit, famæ Conradi magni nominis Imperatoris, nihil nocent, ut omnibus notum, indicantque hanc hæresim anno MXXVII, quo ille Romæ Imperator coronatus fuit, primùm innotuisse.

VI. *Inventio Capitis S. Ioannis Baptistæ.*

Ad num. IV. Baronius ex Auctore Anonymo refert inventionem *capitis Sancti Ioannis Baptistæ,* Angeriaci in Aquitania factam; verùm eam contigisse an. MXVIII ex Ademaro, qui in Aquitania vivebat, ostendimus. Nec refert quod Anonymus laudatus dicat, id accidisse anno, quo *Willelmus* Aquitaniæ Dux hujus nominis IV Romam profectus est, & hoc anno Willelmus Romam pertexerit; cùm Anonymus de alia Willelmi profectione Romana omninò interpretandus sit.

VII. *Moritur Basilius Imp.*

Ad num. V. *In Siciliam*, inquit Cedrenus, *molitus expeditionem Basilius, Orestam quendam de fidissimis suis eunuchis præmittit cum magnis copiis: ipse fato interceptus, subsequi non valuit. Nam mense Decembri, indictione nona, anno 6534.* (Eræ nempe Constantinopolitanæ, Kalendis Septemb. hujus Christi anni inchoato) *subitò correptus morbo decessit. Paucis ante mortem ejus diebus obiit Eustathius Patriarcha; in cujus locum Imperator substituit Alexium Monachum, Studitani Collegii Magistrum, qui ad ipsum invisendi causâ venerat, afferens secum caput Ioannis Baptistæ* (quod tamen in Aquitania per hæc tempora dicitur inventum). *Eum ergo cùm per Ioannem Protonotarium, cujus operâ in administrandis publicis negotiis utebatur, in folio Patriarchæ collocasset, vespere expiravit.* Michaël Psellus Tom. I cap. XX de ejus Regni duratione scribit: *Videtur hic Imperator supra reliquos omnes Imperatores longissimi ævi fuisse. Ab ortu enim nativitatis ad annum vigesimum imperium cum patre, & Nicephoro Phoca, & qui ei successit, Ioanne Tzimisce, cùm subditus esset: tum verò duos supra quinquaginta annos imperium solus tenuit. Secundum itaque supra septuagesimum agens imperii annum ex humanis migravit.* Sed cùm certum sit, Basilium anno CMLXXVI Imperium iniisse, cum Constantino fratre imperavit tantùm annos quinquaginta, & Psellus, qui Tom. III ait, Basilium Imperatorem mortuum esse *se adhuc infante*, in eo calculo erravit. Baronius anno DCCCLXXXVI num. VII narrat ex fragmento Historiæ Aquitanicæ Basilium Imp. victis Bulgaris habitum Monasticum ex voto induisse. Verùm Auctor ille Anonymus hoc de Basilio Porphyrogenneto, non verò de Basilio Macedone asserit, & ei hac in re non videtur fides adhibenda; cùm Historici Byzantini nihil simile referant. Præterea Baronius ibidem num. XIV ait, Menologium Basilii nomine inscriptum Basilio Macedone imperante elucubratum esse; sed eodē loco ostendimus, illud ad Basilii Porphyrogenneti tempora revocandum.

VIII. *Constantini Imp. pravi mores.*

Mortuo Basilio Constantinus ejus frater solus Imperium administravit: *Hic septuagesimum agens ætatis annum*, inquit Psellus, *rerum summam adipiscitur: vir mollissimæ indolis, animique in omnes diffluentis delicias ac libidines: Regios tandem thesauros immensa pecuniarum vi plenos nactus, iis ut abuteretur, & animi levitate & voluptatibus ipse se se addicit.* Addit Psellus eum animo pavidum fuisse, subditos omnis generis tormentis mancipasse, iræ impatientem, & excæcationis pœnam temere quibusvis irrogasse. *Quia malum quoque ad quosdam extendit, qui Clero accensi erant; nec summo Sacerdotio pepercit. Semel enim irâ praceps, eaque abreptus, haud facile revocari poterat, ægreque audiebat quidquid admoneretur.* Subjungit Psellus, eum tamen non fuisse sicut fratrem Basilium, tenacei ira, sed citò mutari consuetum, gravissque eorum, quæ fecisset, illum pœnituisse: erga eos, qui circa ipsum erant, iis verò, qui procul erant, largitatis hujus minorem vim exhibuisse; litteras haud multas didicisse, sed parùm aliquid ac quantùm attinet ad adolescentes, Græcanicis disciplinis institutum esse. Denique Regias quasdam Epistolas ac Diplomata dictasse, nullamque tantam manu velocitatem, quæ illi dictanti par esset, fuisse.

IX. *Mizico II Poloniæ Rex Boleslao patri succedit.*

Ad num. VI. Chromerus lib. 3. aliique Historici Poloni Boleslai hujus nominis primi, cognomento *Chobry* mortem hoc anno consignant, cui successit *Miezislaus*, seu Mizico filius, de quibus Wippo hoc anno habet: *Boleslaus Sclavigena, Dux Bolanorum insignia Regalia & Regium nomen in injuriam Regis Chuonradi sibi aptavit, cujus temeritatem cita mors exinanivit. Filius autem ejus Mizico similiter rebellis fratrem suum Ottonem, quoniam Regis* (Conradi sc. Salici) *partibus favebat, in Ruthiam* (idest Russiam) *provinciam pepulit. Qualiter verò ejusdem Miziconis protervitatem, & cujusdem Udalrici Ducis Bohemiæ perfidiam Rex Chuonradus postea compesceret, in loco suo dicam*, anno nempe MXXXII. Mizico Beatam *Richezam* Erenfridi seu Ezonis Comitis Palatini filiam uxorem duxit, inquit Monachus Anonymus in ejus Elogio Historico in Actis SS. Bollandianis, ad diem XXI mensis Maii recitato. Ait præterea idem Anonymus: *Richeza Regina facto inter se & Regem suum conjugem divortio, per odium & instigationem cujusdam suæ pellicis, cum ei jam peperisset Chazimerum* (sc. Casimirum, vulgò dictum Monachum) *cujus generosa posteritas divitiis & potestate nobiliter insignis permanet usque hodie, veste mutata, paucis se fugam clanculo agentem adjuvantibus, utpote fastûs ejus intolerabiles simul & barbaros Slavorum pertæsa ritus, venit ad Imperatorem Conradum in Saxoniam: à quo venerabiliter & ipsa suscepta est; & ipse nihilominus gloriosis ipsius xeniis magnificè honorificatus est. Accepit namque ab ipsa duarum, ipsius Regisque sui conjugis Coronarum insignia.*

SÆC. XI. An. C. 1025.

gnia. Qua de causa Richezæ nomen, vel à Polonis Scriptoribus prætermittitur, vel fœdè proscinditur; uti à Chromero laudato, qui etiam negat, Boleslao fratrem fuisse *Ottonem*, aut bellum aliquod Conradum Salicum adversùs Miziconem gessisse. Verùm hæc in tanta Historiæ luce nunc dici non possunt. Porrò *Misico* est hujus nominis II, & tertius Poloniæ Rex seu Dux Christianus.

X. *S. Martialem Apostolum dici Episcopus Lemovicensis non patitur.*

Ademarus præter Chronicon scripsit Commemorationem *Abbatum Lemovicensium Basilicæ S. Martialis Apostoli*, Tom. II Biblioth. Labbei recitatam. In eo Libello loquens de Hugone Abbate XIII, & de Synodo Parisiensi, de qua anno superiori; ait: *Hic à Francia rediens mox sicut comperit veritatem in Concilio* (nempe Parisiensi) *Martialem scripsit in Litaniis inter Apostolos, non confidens disputationi propria, sed antiquis testimoniis, & exinde ex toto, non ex parte Martialis acclamatus est Apostolus ab omnibus Catholicis, & confusi sunt Hebionita. Hujus sexto anno obiit Rogerius frater Adalberti Decani, vir clarissimus, & meus Magister, & patruus, sexto Kalendas Maii; post eum XXXII die mortuus est idem Abbas Ugo sexto Kalendas Junii: quorum animas tibi commendo, domine Jesu.* Quibus verbis Opellam suam absolvit Ademarus. Reversus itaque *Hugo* Sancti Martialis Abbas Lemovicum, primus omnium inter Apostolos *Martialem* scribit; sed *Jordanus* Lemovicensis Episcopus eum increpat, & novitatis arguit, dicens servandum esse morem antiquum, juxta quem Confessoribus, non verò Apostolis annumerabatur. Et ne civitas turbaretur, scripsit ad Joannem XIX eam in rem, dicens contra id quod anno superiori ex Oldorico Abbate Sancti Martialis & Ademaro in medium attulimus, Robertum Regem & omnes Archiepiscopos & Episcopos improbare, quod Martialis loco in Letaniis consueto servari, moveatur. Quid Papa responderit, & quomodo *Martialem* Apostolum appellandum esse decreverit, infrà videbimus. Hæc autem, quæ in Concilio II Lemuvicensi referuntur, tardius contingere non potuêre; cùm *Hugo* Abbas Sancti Martialis hoc anno vivere desierit.

XI. *Synodus Cameracensis.*

Anno MXXV Indictione VIII Gerardus Cameracensis atque Atrebatensis Episc. Synodum coëgit Fidem Catholicam de Eucharistia sancivit adversùs hæreticos nonnullos, *qui ab Italia finibus eò loci advenerant, & quamdam novam hæreseos sectam introducentes Apostolica Sanctionis disciplinam pervertere tentabant; & quamdam justitiam praferentes, hac sola purificari homines asserebant: nullumque in Sancta Ecclesia aliud esse Sacramentum, per quod ad salutem pervenire potuissent.* Hi itaque Dominici Corporis & Sanguinis Sacramentum reiiciebant, & coram Episcopo adducti, *referunt se esse auditores Gandulfi cujusdam ab Italia partibus viri, & ab eo Evangelicis mandatis & Apostolicis informatos: nullamque prater hanc Scripturam se recipere, sed hanc verbo & opere tenere.* Tum accuratiùs interrogati, Sacra Baptismatis mysterium negant, simulque Eucharistiæ, Pœnitentiæ & Matrimonii Sacramenta. Pro erroribus singulis singula Capitula condit Gerardus, primum quidem de Baptismo, secundum de Corpore & Sanguine Domini, & ipsius Sacramenti naturam clarè explicat, idque ante plures annos, quàm *Berengarius* hæresim suam de Eucharistiæ Sacramento publicaret. Synodus hæc Cameracensis nuper lucem vidit Tom. XIII Spicilegii Dacheriani.

SÆC. XI. An. C 1026.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6519.

☉ 27. B. ☽ 1. P. 10. April. Indict. 9.

JESU CHRISTI 1026.

JOANNIS XIX PAPÆ 3.

CONRADI II REG. 3.

CONSTANTINI IMP. 51.

Anno Æræ Hispan. MLXIV. Anno Hegiræ ccccxvii, inchoato die 21. Febr. fer. 2.

I. *Conradus Rex Italiam petit.*

AD num. I & seqq. Hermannus Contractus in Auctiori Chronico hoc anno habet: *Rex Conradus sedatis ex parte rebellibus, circa tempus Quadragesima cum exercitu Italiam adiit, & Pascha Vercellis acto totam, prater Luccam urbem Tuscia, Italiam ea cis Romanis partibus sibi subjugavit.* Hepidannus refert etiam solam Luccam Cunrado Regi restitisse. Burchardus Wormaciensis Episcopus, qui Conradi Regis institutor fuerat, eum discedentem secutus est Tiburtam usque, & paulò pòst è vivis excessit, ut colligit Baronius ex ejus Vita. De ea Collectione Canonum, collaborante *Olberto* magistro ejus, suprà locuti sumus.

II. *Omnem Italiam cis Romam subigit.*

Fusius hæc narrat Wippo, aitque: *Anno incarnat. Christi MXXVI Chunradus Rex consilio & petitione Principum Regni filium suum Heinricum puerum Regem post se designavit, illumque Brunoni Augustensis Ecclesia Episcopo in tutelam commendavit: & supradictis hostibus suis insidiat per filium, & ceteros fideles suos diligenter opponens, ipse cum exercitu copioso Italiam petere cœpit, &c. Rex ingressus Italiam per Veronam inter Mediolanum & Papiam Vercellas venit, ibique Sanctum Pascha celebravit, &c. Rex verò jam totam pene Italiam planam sua ditioni subjugavit: Papiensem urbem, quoniam valde populosa fuit, subito capere non potuit: ipsos Papienses in gratiam recipere noluit, quia Palatium quod destruxerant, in loco, ubi prius fuerat, readificare adhuc renuebant, &c. Ea tempestate grande malum factum est in Italia, propter contentiones Papiensium: multa eorum Ecclesia in circuitu cum ipsis castellis incensa sunt: & populus qui illuc confugerat, igne & gladio periit: agri vastati sunt: viae truncabantur: exitum & introitum Rex prohibebat: navigium abstulit: mercimonia vetuit, & ita per biennium omnes Ticinenses afflixit, donec omnia, qua pracepit, omni dilatione postposita compleverant.*

III. *In Alemanniam redit.*

Narrat postea seditionem *Ravenna* factam, quod Ravennates exercitum Regis *de civitate expellere conati sunt*; quæ tanta fuit, ut Rex Conradus, dum esset in cubiculo, hanc seditionem intelligens, arma corripuerit; sed, ut vidit *Ravennates bello victos ad Ecclesias confugere, & undique latibula quarere, misertus eorum, quoniam ex utraque parte sui erant, exercitum de persecutione civium revocavit, & ita in Palatium se recepit.* Subjungit Wippo Conradum ob maximos calores æstatis secessisse in montana loca, hincque discessisse tempore autumnali, additque: *Italiam planam iterum peragrans, habitis consiliis & Regalibus colloquiis in opportunis locis, atque rebelles in vincula mittens, Regnum pacificavit: & sic pertransiens usque ad confinium Italia & Burgundia pervenit.*

IV. *Moritur Ri-*

Willelmus Gemmeticensis lib. V Hist. Normano.

SÆC. XI. An. C. 1026. Richardus II Normanniæ Dux.

mann. cap. XVII Richardi II Normannorum Ducis mortem his verbis narrat: *Richardus Dux, quamvis præcellentissimorum actuum prærogativis longè latèque claruerat perspicuus, tamen Christi cultor extitit assiduus, adeo ut Monachorum atque Clericorum jure vocetur pater pussimus, & pauperum sustentator indefessus. His & hujusmodi probitatum vigens titulis, cœpit vehementer aggravari ægritudine corporis,* &c. *novissimè autem adscitum Richardum filium suum consultu sapientum præfecit suo ducatui, & Robertum fratrem ejus Comitatui Oximensi, ut inde illi persolveret debitum obsequii. Denique omnibus, quæ ad Dei cultum pertinere videbantur, strenuè dispositis, millesimo vicesimo sexto anno ab Incarnatione Domini hominem exuit.* Postea librum sextum incipiens ait, se imposterum narraturum, quæ partim intuitu, partimque veracium relatione comperit. *Robertus,* contempto Richardi Ducis hujus nominis III dominio, adversùs eum rebellavit, tandemque à perfidia resipuit, & in pristinam concordiam rediit; sed Richardus, *ut plurimi retulerunt, veneno mortem obiit. Hoc millesimo vicesimo octavo ab Incarnatione Domini anno contigit*, inquit Willelmus. Verùm in anno emortuali *Richardi* III deceptus est; nam non tantùm in Chronicis Virdunensi, in priori Sancti Michaëlis in periculo maris, & in Rotomagensi ad annum MXXVI Richardus III *eodem anno* (idest, ut existimo Ducatûs) *mortuus* dicitur, sed etiam in Chronico Fontanellensi Tomo III Spicilegii relato, & ab Auctore hoc tempore vivente elucubrato, qui ait: *Nam neque annum in Principatu immatura præventus morte peregit.* Vivebat enim adhuc anno sequenti initio mensis Junii, quo juxta eumdem Chronographum Gerardus Abbas Sancti Wandregisili corpus Sancti Wlframni Archiep. Senonensis in Basilicam Sancti Wandregisili magnâ pompâ detulit: *Facta est autem,* inquit idem Chronographus, *hac Translatio, anno dominica Incarnat. millesimo vigesimo septimo, Cal. Junii, Henrico Rege Francorum regnum præter matris suæ voluntatem invasum tenente; Principatum vero Normanniæ tertio Richardo legali modestia disponente.* Qui locus, ut obiter notabo, egregius est ad confirmandum quod anno MXXVIII dicemus, Henricum nempe die decima quarta mensis Maii anni MXXVII, reluctante Constantia matre, à Roberto patre in Regni consortium assumtum esse. Porrò tam Chronographus Fontanellensis, quàm alii testantur Richardum III & Robertum Normanniæ Duces magnis & insignibus virtutibus præditos fuisse, atque Chronographus Virdunensis de Richardo *Gratia Dei* cognominato verba faciens: *Hunc ter beatum Richardum inter primos habuit* (sc. Robertus Dux) *consilioque ejus regni Normanniæ tractabantur negotia.* Denique observo hanc Translationem factam fuisse feriâ quintâ, quæ anno sequenti cum die prima Junii concurrit, indeque apparere Sanctorum Translationes, Ecclesiarum Dedicationes, & Episcoporum Ordinationes hoc tempore sæpe aliis diebus, quàm Dominicis peractas fuisse, quod numero sequenti confirmabitur.

V. Bruno postea Leo IX fit Episcopus Tullensis.

Bruno qui Pontifex Romanus creatus, dictus Leo hujus nominis IX, anno MXXV *vice sui Pontificis Herimanni* (qui erat Episcopus Tullensis) *in expeditione Conradi Imperatoris super Longobardiam, & maximè super Mediolanum tunc rebellem est profectus, Levitico officio insignitus. Namque illo suo Antistite annis, morbisque prægravato, ipse auxiliares militum copias Imperatori venientes à Tullo, ducendas suscepit, tam ejusdem Episcopi quàm Augusti placito: salvo tamen per omnia proprii gradus sacramento. In illius itaque secularis militia dispositione, sic repente sagax apparuit ac providus, quasi hujusmodi negotiis tantum fuisset hactenus exercitatus*, inquit Wibertus lib. 1. Vitæ Sancti Leonis Papæ IX, qui paulò post subdit, *instante anno millesimo sexto*, Herimanno demortuo, Brunonem concordi Cleri voto Episcopum Tullensem electum, tandem *die dominica Ascensionis tertio decimo* [legendum, quarto decimo] *Kalendas Junii* à suo consobrino Theodorico Metensi Præsule *Pontificaliter inthronizatum* esse, & postea *quinto Idus Septembris* ejus ordinationem peractam. Dixi autem loco *XIII Kalend. Jan.* legendum esse, *XIV Kalend. Jan.* quia hoc anno Ascensio Domini in eum diem incidit. Nec existimandum diem V Idus Septemb. seu diem IX mensis Septembris mendosè ibi descriptum esse, quod in feriam sextam incidat; hoc enim & superiori seculo Episcoporum Ordinationes aliis quandoque diebus, quàm Dominicis factæ, uti mox insinuavi.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6520.

☉ 28. A. ☽ 2. P. 26. Mart. Indict. 10.

JESU CHRISTI 1027.

JOANNIS XIX PAPÆ 4.

CONRADI II REG. 4. IMP. 1.

CONSTANTINI IMP. 52.

Anno Æræ Hispan. MLXV. Anno Hegiræ ccccxviii inchoato die 11 Febr. fer. 7.

I. Conradus Rex Romam venit.

AD num. I. Wippo in Vita Conradi Salici, in qua annum à Nativitate Christi exordiuut, gesta ab eo hoc anno accuratè narrat: *Inchoante anno Nativitatis Christi MXXVII Rex Chuonradus in Iporegia civitate* (idest Eporedia, vulgò Jurea) *Natalem Domini celebravit: illuc Rudolfi Regis Burgundiæ Legati venerant, promittentes illum Romam venturum ad electionem & consecrationem Imperatoriam Regis Chuonradi: quod Rex gratanter accepit, & remissis Legatis cùm muneribus, ipse Padum transiens, ad Romam tendere cœpit. Veniens autem ad Lucam civitatem, invenit eam sibi adversam cum Reginhero Marchione: ibi Rex paululum moratus post paucos dies civitatem & Marchionem in deditionem acceperat, omnemque Tusciam sibi breviter subjugavit; sicque triumphando Romanam visitat arcem.*

II. Coronatur Imperator.

Igitur Rex Chuonradus Romam ingressus eodem anno, ut suprà, idest, à Nativitate Salvatoris MXXVII, indictione decima, à Papa Joanne & universis Romanis Regio honore mirificè receptus est: & in die Sancto Pascha, qui eo anno VII Kal. Aprilis terminabatur, à Romanis ad Imperatorem electus (vides Imperatores à Romanis electos fuisse), *Imperialem benedictionem à Papa suscepit.* Cæsar & Augustus Romano nomine dictus. *Quin etiam Regina Gisela Imperatricis consecrationem & nomen ibidem accepit.*

SÆC. XI. An. C. 1027. *pit. His ita peractis in duorum Regum præsentia Rudolphi Regis Burgundiæ & Cnutonis Regis Anglorum, divino officio finito, Imperator duorum Regum medius ad cubiculum suum honorificè ductus est.* Baronius Henrico Conradi Imp. primogenito tunc nuptui traditam filiam Canuti asserit; sed anno MXXXV eum hac io re deceptum esse ostendemus. Paucis interpositis: *Imperator in Apuliam processit, & Beneventanum & Capuam ac reliquas Civitates illius regionis seu vi, sive voluntaria deditione sibi subjugavit, & Normannis, qui de patria sua, nescio qua necessitate compulsi, in Apuliam confluxerant, ibi habitare licentiam dedit, & ad defendendos terminos regni adversùs Græcorum versutias, eos Principibus suis coadunavit. Cunctis rebus ritè & prosperè sibi cedentibus, Imperator reversus, præteriens Romam, iterum Italiam pertransiit.*

III. *Gesta ab eo in Alemannia.* Vides Wipponem Presbyterum, in Aula Conradi viventem, hunc semper *Regem* vocasse, donec à Pontifice Romano coronatus fuit, & postea eum semper *Imperatorem* appellandum ostendere, qui contendunt Germaniæ Reges statim ab electione dictos fuisse Imperatores, nomen suum Viris doctis deridendum dare; cùm rem certissimam non solùm in dubium vocare; sed etiam negare audeant. *Pace per totam Italiam confirmata, Imperator Chuonradus prospero reditu in Alemanniam venit: & in Augusta Vindelica colloquium familiare cum suis fidelibus tenens, de proditoribus patriæ tractare cœpit.* Eo enim in Italia morante multæ factiones eruperant. *Imperator pertransiens Alemanniam, cunctos, qui sibi rebelles fuerant, in deditionem recepit, & munitiones eorum destruxit: & perveniens usque ad Basileam, Rodolphum Regem Burgundiæ alloquitur: qui illic sibi occurrebat, extra urbem juxta vicum, qui Muttenha dicitur: & habito familiari colloquio, Imperator Regem secum duxit in urbem. Confirmata inter eos pace, Gisela Imperatrice hæc omnia mediante, regnoque Burgundiæ Imperatori tradito, eodem pacto quemadmodum prius antecessori suo Henrico Imperatori datum fuerat; Rex iterum donis ampliatus cum suis reversus est in Burgundiam: Imperator verò descendens per Rhenum in Franciam venit, ibique Dux Chuono* (idest Conradus, Conradi & Mathildis filius) *patruelis ejus, prius rebellis, se reddidit: quem Imperator in liberis custodiis aliquantulum castigavit, destructisque munitionibus suis, quas optimas habuit, in gratiam illum recepit, totumque in honorem suum sibi restituit. Paulò pòst Adelbero Dux Histrianorum sive* (idest, &, ut passim alibi hæc particula significat) *Carintanorum, reus majestatis, victus ab Imperatore, cum filiis suis exulatus est; & ducatum ejus iste Chuono ab Imperatore suscepit: quem ducatum pater ejusdem Chuononis dudum habuisse perhibetur. Ita Dux Chuono fidus & bene militans Imperatori & filio suo Henrico Regi, quousque vixerat permansit.*

IV. *Vernheri Episc. Argentinensis Legatio ad Græcorum Imperatorem.* *Eodem tempore Werinherius Argentinæ civitatis Episcopus, ab Imperatore Legatus Constantinopolim mittitur. Qui dum causâ orationis Hierosolymam pergere se fingeret, ut putavimus, judicio Domini, quem fallere nemo valebit, mirabiliter prohibitus est. Nam dum magnum comitatum hominum, majorem quoque mutorum animalium, equorum, boum, ovium, porcorum, multaque delicias seculares ultra modum secum educeret, perveniens in Ungariam, à Rege Stephano contradicta est sibi via, quod eo tempore nulli Oratorum accidit. Inde reversus per Bajoariam cum omni comitatu suo pergens Italiam intravit: & multum circa fines Veronæ moratus, tandem cum maximo labore per Venetiam mare Adriaticum ingressus, navigio calamitoso Constantinopolim pervenit. Cumque ab Imperatore Græcorum* (Constantino sc.) *honorificè susceptus esset, secumque satis familiariter conversaretur, desiderare cœpit, ut Imperatoris auxilio Hierosolymam adiret: quo desiderio, semper aliqua re intercedente, nunquam potiri valuit. Sequenti verò tempore obiit, & sepultus est in eadem urbe, & Episcopatum ejus Willhelmus Argentinensis Canonicus suscepit. Legationis tamen causam postea Imperator Græcorum, aureis literis Imperatori Chuonorado rescripsit.* SÆC. XI. An. C. 1027. Wernherum autem Argentinensem Episcopum anno MXXIX mortuum esse, eique *Willhelmum* subrogatum, testatur etiam Wolfherus Scriptor hujus temporis in Vita Sancti Godehardi Episcopi Hildensheimensis cap. 4. Idem habet Chronographus Hildensheimensis ad annum MXXIX. Porrò is *Willelmus* frater erat Gregorii Papæ V, ut ex dictis constat.

V. *Canutus Angliæ Rex orationis causâ Romam profectus.* A num. II ad VIII. Ex recitatis Wipponis verbis apparet, Malmesburiensem, Wigorniensem, Huntindoniensem, aliosque Rerum Britannicarum Scriptores profectionem Romanam *Canuti* Angliæ & Daniæ Regis perperàm aliis annis, quàm præsenti collocasse. *Canutum* præcedentium Angliæ Regum exempla, & fides certa, penes Apostulorum Principes summam esse potestatem ligandi atque solvendi, movêre, ut hanc peregrinationem institueret, sic ut ipsemet io suis ad Episcopos Angliæ literis à Baronio relatis indicat. Encomiastes Emmæ Anglorum Reginæ & Canuti conjugis, quid in una Sancti Audomari urbe à Canuto factum, & à se propriis oculis visum, his verbis narrat: *Ingressus monasteria, & susceptus cum magna honorificentia, humiliter incedebat, & mira cum reverentia in terram defixus lumina, & ubertim fundens lachrimarum, ut ita dicam, flumina, tota intentione Sanctorum expetiit suffragia. At ubi ad hoc perventum est, ut oblationibus Regiis sacra vellet cumulare altaria: ohe! quoties primum pavimento lachrymosa infixit oscula? Quotiens illud pectus venerabile propria puniebant verbera? Qualia dabat suspiria? Quotiens precabatur, ut sibi non indignaretur superna clementia? Tandem à suis ei imminentis sua porrigebatur oblatio non mediocris, nec quæ alio clauderetur in marsupio, sed ingens allata est palleali extento in gremio, quam ipse Rex suis manibus altari imposuit, largitor hilaris monitu Apostolico. Altaria autem cur dico? cùm vidisse me meminerim eum omnes angulos monasteriorum circuisse, nullumque altare, licet exiguum præterisse, cui non munera daret, & dulcia oscula infigeret? Deinde adsunt pauperes, numerantur etiam ipsi protinus singulatim omnes. Hæc & alia hic munificentiera à domino Cnutone gesta vidi ego vester vernula, sancte Audomare, sancte Bertine, cum fierent vestris in cœnobiis. Pro quibus bonis tantum Regem impetrate vivere in cœlestibus habitaculis; ut vestri famuli Canonici & Monachi sint orantes orationibus quotidianis.*

VI. *Obitus S. Romualdi Abbatis.* Ad num. XIII. Petrus Damiani in Vita Sancti Romualdi Abbatis & Ordinis Camalduleosis fundatoris, cap. 20. narrata ejus morte ait: *Vixit vir beatissimus centum viginti annis, ex quibus*

SÆC. XI. An. C 1027.

bus viginti expendit in seculo, tres duxit in Monasterio, nonaginta septem in eremitico transegit proposito. Non probatur Baronio illud de CXX annorum ætate, putatque Vitam illam interpolatam esse, aut perperàm descriptam. Bollandus ad diem VII Februarii in Commentario prævio ad Vitam illam, existimat etiam numeros in ea vitiatos, eosque corrigere conatur. Petrus Damiani nec annum mortis, nec diem expressit. In Martyrologio Romano natalis *Romualdi* inscribitur ad diem XIX mensis Junii. Tandem Clemens VIII, ut ab omnibus die VII Februarii, qui dies est secundæ ejus Translationis, Natalis illius celebraretur, decrevit.

VII. *Obitus Alphonsi V Regis Legionensis.*

Ad num. XIV. *Alphonsus* V Rex Legionensis in Hispania hoc anno adversùs Saracenos pugnans occisus est, ut ostendit Baronius ex ejus Epitaphio, in quo legitur: *Obiit Erà MLXV. Nonis Maii*, currenti scilicet anno. Eum excepit *Veremundus* filius, hujus nominis III. In Alphonsi morte Ademarus Monachus Sancti Eparchii Chronicon suum absolvit, licet referat Epitaphium Willelmi Comitis Egolismæ, in quo legitur: *Obiit in pace VIII Idus April. vigilia Osanna MXXVIII anno ab Incarnatione*, quod & in Hist. Pontif. & Comit. Engolismensium etiam habetur. Hæc porrò ultima verba Chronici Ademari: *Tunc Rex Navarræ Santius* (cognomento Major) *adhibitis secum Wasconibus, super Saracenos exercitum duxit, & devastatâ Hispaniâ cum multis spoliis & magno triumpho remeavit. Ipso denique anno Rex Gallicianus Adefonsus Saracenos populatus est magna infestatione, & quadam Hispaniæ civitate per obsidionem pene se se tradente ei, dum ipse armis depositis, furentes extrinsecus Christianos à certamine sedaret Paganorum, ab adversariis, quibus parcere deliberaverat, ictu sagittæ foris muros vulneratus interiit, & sic exercitus ejus, non sine magno dolore gressum suum vertit, lugens Principem suum fortissimum.* Immediate antea narrarat ordinationem *Gottefridi* II Burdigalensis Archiepiscopi, quem San-Marthani in Archiep. Burdigal. currenti anno Archiepiscopatum Burdigalensem rexisse demonstrant. Quare egregium illud Opus, ad res Aquitanicas illustrandas præsertim utile, anno sequenti publicatum, licet hoc anno paucissima referat, quæ sequenti gesta sunt. Hallucinati sunt itaque Viri doctissimi, qui autumatuot Chronicon illud perductum esse usque ad annum MXXX. Extat illud Tom. II Biblioth. Labbei, sicuti & laudata Historia Episc. & Comit. Engolismensium.

VIII. *Peregrinatio Hierosolymitana Richardi Abbatis Virdunensis.*

Richardus Virdunensis Abbas *Gratia-Dei* vulgò appellatus, hoc anno peregrinationem Hierosolymitanam suscepit, quam fusè narrat Chronographus Virdunensis, nosque ex eo summatiè referemus. *Expensas viæ Richardus Comes Normannorum* (hujus nominis III) *omnes ei attribuit. Erat enim in eleemosynis largus, charitate diffusus, honestate præclarus. Supersunt adhuc in Britannica insula & Normannia nobiles & probati viri, qui viderunt hunc Patrem nostrum Gratia-Dei, & noverant quantum ab eodem Comite diligebatur affectu. A quibus nos etiam ista audivimus, qui & referre soliti sunt, quia sic sibi individua dilectione adhærebant, ut putares unam animam duobus inesse corporibus. Optabili ergo peregrinatione suscepta, vir domnus Richardus septingentos peregrinos secum duxit, quibus ex propriis subsidia victus sufficienter administravit*, &c.

SÆC. XI. An. C. 1027.

IX. *Antiochia cum S. Symeone Syracusano amicitiam contrahit.*

Venit ergo Antiochiam, ubi cùm eum itineris necessitas aliquot diebus remorari coegisset, vir Dei Symeon, qui nunc Trevirensem Ecclesiam corpore & virtutibus adornat, in amicitiis ei junctus est, & fratribus qui erant cum eo adoptans sibi illum in patrem (ex quibus pater, Brouverum lib. XI Annal. Trevirensium perperàm scripsisse Sanctum Symeonem Monachum Siracusanum sub annum MXVIII Treviros, ubi ultimos vitæ annos egit, venisse). *In quo beati Symeonis facto hoc intueri libet, quia idem vir Dei non ejus se crederet magisterio, non committeret patrocinio, nisi divina pietas, quæ eum à seculi actibus alienum reddiderat, cordi ejus revelasset, dignum illum esse, qui subditis præesse & prodesse posset. Nitebatur autem iisdem beatus Symeon à fratribus monasterii Montis Syon pro eleemosyna, quo de terra Richardi Comitis Normanniæ monasterio eidem debebatur, & quamquam nosset, Spiritu sibi revelante, multa se adversa passurum, tamen pater Richardus discretionis oculis hinc inde munitus consilium dedit, ut cœptis insisteret, obedientiam impleret, usquequo rem probaret eventus. Flentem itaque & tristem eum à se dimisit, utrimque pedibus, manibus, & genibus exosculatis, quia erat in eis gratia Spiritus Sancti*, &c. *Probatus igitur Domini servus viam carpens, terram Saracenorum ingressus est*, &c. *Iam verò ubi ad urbem* (sc. Antiochiam) *venisset, ante murum urbis psallebat salvatori suo, & Missarum solemnia ibidem celebrabat, Paganis desuper saxa jacientibus, ut capiti ejus illiderent*, &c. *Monachorum verò & Clericorum comitantium illum nullus ei coesse vel cohabitare poterat: sed quantum jactus est lapidis ad longè stantes canebant, & canenti respondebant, ipse solus intendebat his quæ cœperat, donec Missâ perexpletâ egrederetur, vel potius extraheretur*, &c.

X. *Hierosolymis à Patriarcha honorificè suscipitur.*

Constantinopolim veniens, cum quanto honore exceptus ab Imperatore sit, dignisque muneribus & obsequiis honoratus, dicere supersedemus, quia ad alia properamus. Optata itaque via dimissas cum gratia, per multimoda pericula apprehendit Hierosolyma loca desiderata, &c. *Occurrit autem ei veniens Patriarcha Hierosolymitanus* (vel Arsenius, qui anno MXVI, vel Jordanus, qui an. MXXXIII Hierosolymis sedebat, ut videre est apud Papebrocium in Hist. Chronolog. Patriarch. Hierosolym.): *audierat enim famam ejus omnium ore celebratam, & consalutati mutuo, dato pacis osculo lætati sunt in domino*, &c. *Introductus igitur in Sanctam Syon Missarum solemnia celebravit, adstante Pontifice & Clero, & sic locum Sepulchri Domini cordis affectu revisens, omnemque locum sanctū pia devotione perlustrans, cùm se desiderio satisfecisse crederet; iterum æstuantem devota sollicitudine satiabat animum*, &c. *Quid multa? Venit dies Sancti Sabbati, quò expectabatur ignis à Domino, & Gentiles armati Christianis intrò inclusis, & beneplacitam voluntatem Domini de igne suscipiendo præstolantibus, totam observaverant Ecclesiam ut si ignis non adveniret, omnes gladio perimerentur, cùm ecce, horâ circiter nona omnibus orantibus, in una lampade ignis accensus est à Domino, nullius mortalium suffragante adminiculo, & Gentiles omnes stupor apprehendit & pavor, Christianos vero gaudium & exultatio: ut ab omnibus tota certatim caneretur Ecclesia.* Magnus Dominus noster, &

magna

SÆC. XI. An. C.1027.

magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus. *Ilicò vir beatus sacris indutus vestibus, missâ inchoatâ*, Kyrie Eleison, *solemne elata in excelsum voce, pronunciavit*, &c.

XI. *Cum S. Symeone Syracusano in Galliam redit.*

Sed jam quid moramur redeuntem? Reddamus patrem filiis, ut gratulentur in invicem, & pro absentia tadio, quod perpessi sunt, ipsi sibi sint consolatio. Non autem prætermittamus Antiochiam Sancti Symeonis præsentia claram. Ibi enim invenit pater amantissimum filium, ibi recepit filius patrem charissimum, ibi socius socium, frater fratrem, comites agnoverunt comitem. Neque enim potuit, multis obstantibus perficere quod decreverat, præcipue cùm nosset divina revelatione in itinere illo plura se passurum adversa. Delectatus igitur uterque comparis præsentia, delegerunt simul Virdunum redire, ut quod supererat temporis, simul explerent in exercitio spiritualis Philosophiæ. Venientes autem ad civitatem Bellegradam, quæ est in confinio Bulgarorum & Hungarorum à civitatis infelicissimo Principe prohibitus est cum eis transire, & ita lugens & dolens divisus est à patre, & fratribus lugentibus & dolentibus. Domnus Symeon per multa pericula vix Rotomagum pro implenda obedientia, pater Richardus Gratia-Dei longo & vario itineris labore redditus est finibus Galliæ Belgicæ, &c. *Reliquias ergo Hierosolymitanas, seu undecumque quæsitas, quibus onustus advenerat, in Sanctuario Pater Richardus deposuit.* In Chronico Ademari mentio est hujus peregrinationis Hierosolymitanæ, diciturque Willelmum Egolisinensem Comitem cum Richardo Abbate Virduoensi & magna caterva nobilium cœpisse iter agere *mensis Octobris primo die*, reversumque *tertiâ hebdomadâ mensis Junii ad propria.* Sed cùm Labbeus in margine notet, hæc non legi in MS. Codice Hadriani Valesii, non dubito, quin à posteriori manu id in Chronicon illud malè & contra veritatem insertum fuerit. De Sancto Symeone Syracusano infrà sermo erit.

XII. *Concilium Carrofense.*

Cùm in Galliis *Manichæorum* hæresis reviviscere videretur, & bella inter privatos gesta magnorum malorum causa essent, *Willelmus* Aquitaniæ Dux, hujus nominis IV Concilium apud *Carrofum*, monasterium in marchia pagi Pictonici situm, hoc anno congregavit. In Chronici enim Ademari fine, antequam narretur electio Gotefridi II in Archiepiscopum Burdigalensem, quam ad hunc annum pertinere constat, legitur: *His diebus Concilium aggregavit Episcoporum & Abbatum Dux Willelmus apud Sanctum Carrofum, propter extinguendas hæreses, quæ vulgò à Manichæis disseminabantur. Ibi adfuerunt omnes Aquitaniæ Principes, quibus præcepit pacem firmare, & Ecclesiam Dei Catholicam venerari.* Cossartius Tom. IX Concil. pag. 860. Concilium Carrofense cum anno MXXVIII copulat, additque, *libentiùs ad annum MXXXI rejicerem; quo tempore multis Galliarum locis haberi cœpta de firmanda pace Concilia.* Verùm præterquamquod Ademarus anno MXXVIII Chronicon suum absolvit, & magna eorum pars, quæ in fine habentur, ad hunc annum pertinent, ut mox insinuavimus, Chronographus Malleacensis ad annum MXXVIII à Paschate inchoatum, ait: *Sequenti anno post multa laudabilia facta ipse Dux Guillelmus Monachus factus apud Malliacum plenus dierum in senectute bona obiit in pace pridie Kalendas Februarii.* Quare Concilium *Carrofense* à Guillelmo IV indictum, hoc anno, vel seriùs sub sequentis exordium convocatum fuit. *Guillelmus* IV inter Aquitaniæ Duces celeberrimus fuit, ejus filiam *Agnetem* Henricus Imperator hujus nominis II uxorem accepit, de cujus virtutibus suo loco sermo erit; ipseque è vita migravit die ultima mensis Januarii anni MXXX juxta Chronographum Malleacensem. De eo legendus Beslius in Hist. Comit. Pictav. & Ducum Aquitaniæ cap. 22.

SÆC. XI. An. C.1028.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6521.

☉ 1. G. F. ☽ 3. P. 14. April. Indict. 11.

JESU CHRISTI 1028.

JOANNIS XIX PAPÆ 5.

CONRADI II REG. 5. IMP. 2.

ROMANI ARGYRI, IMP. 1.

Anno Eræ Hispan. MLXVI. Anno Hegiræ CCCCXIX, inchoato die 30. Januar. fer. 4.

I. *Hugo Roberti Regis filius Rex unctus anno MXVII.*

AD num. I & seq. Glaber lib. 3. cap. 9. de Roberti Francorum Regis filiis sermonem instituit, eosque tres fuisse docet, nempe Hugonem natu majorem, Henricum, & Robertum. De Hugone ait: *Erat idem puer fermè decennis. Qui minimè illorum* (nempe Primatum regni) *acquiescens dictis, matre* (scilicet Constantia) *præcipuè instigante, Regio in Compendio adscitis regni Primoribus, coronam, ut decreverat, ex more à Pontificibus fecit puero imponi.* Quod Helgaldus in Vita Roberti Regis pag. 69. die Pentecostes factum fuisse asserit. Annus tam in brevi Chronico Autissiodorensi, quàm in Chronicis Vezeliacensi & Floriacensi notatur, nempe millesimus decimus septimus; imò & disertè exprimitur in Charta Roberti Patris pro restitutione monasterii Latiniacensis ad Matronam, cujus hæc est subscriptio: *Actum Senonis civitate, anno dominicæ Incarnationis millesimo decimo octavo, regnante serenissimo Rege Roberto XXXII, Kal. Martii. Signum Roberti Regis. Signum Hugonis Regis. Signum Henrici. Signum Roberti. Signum Leterii Archiepiscopi*, scilicet Senonensis, communiùs Leotherici appellati. Quare dubium esse non debet, quin *Hugo* die Pentecostes anni MXVII Rex unctus fuerit. Mabillonius lib. VI. de Re Diplom. pag. 581. Diploma illud recitat, aitque legendum, *anno millesimo vigesimo octavo*, & Hugonem anno MXXVII Regem benedictum. Verùm non in iis verbis, sed in istis, *regnante serenissimo Rege Roberto* XXXII, mendum cubat, legendumque, *regnante serenissimo Rege Roberto XXXI.* Annum enim Christi MXVIII habuit etiam exemplar, quô usi sunt San-Marthani in Episcopis Senonensibus, eumque retinendum esse jam ante me aliqui Viri docti monuêre.

II. *Ante triennium demortuus.*

Porrò *Hugo* non hoc anno, ut arbitratur Baronius, sed anno millesimo vigesimo quinto vitam cum morte commutavit, idque, ut notat Glaber loco laudato, *die decima septima mensis Septembris.* Annum Hugonis emortualem jam anno MXXV num. III probavimus, quare videnda quæ ibi de Hugone Rege diximus. Subjungit Glaber: *quàm humilis ac dulcis alloquio patri ac matri servis obedienter, pauperum largus dator, Monachorum & Clericorum consolator, nec non apud patrem cunctorum rogantium fidelissimus interventor, quam affluenter in cunctis optimis melior, quis valet exequi relator? Hujusmodi enim fama ubique provinciarum perci-*

SÆC. XI. An.C. 1028.

tus peroptabatur à multis, præcipuè ab Italicis, ut sibi imperaret, in imperium sublimari, post mortem nempe Sancti Henrici Imperatoris. Quo etiam tempore, ut refert Ademarus in Chronico, è Longobardia *venerunt multi nobiliores Pictavam urbem ad Willelmum Ducem Aquitanorum, & eum super se Regem constituere cupiebant*; sed vir prudens *laudem & honorem eorum pro nihilo duxit*. Loquitur de Willelmo hujus nominis IV magni nominis Principe.

III. *Anno ætatis XVIII.*

Non hinc discedam, quin *Glabri* citati textum corruptum emendem. *Robertum* post annum millesimum *Constantiam* uxorem duxisse, suo loco monstravimus, & tamen Glaber recitat versus Jambicos quot ait, se in funere Hugonis Regis cecinisse, in quibus legitur:

Annis florebat mundo juvenilibus,
Ter denis minus excreverat duobus,
Regnorum lumen Hugo, Regum maximus.

Cùm enim certò constet, *Hugonem* post annum M in lucem produisse, anno millesimo vicesimo quinto, qui ei fatalis fuit, non potuit natus esse annos XXVIII. Quare loco, *ter denis minus excreverat duobus*, nempe annis, legendum, *bis denis minus excreverat duobus*. Hæc emendatio ex ipsomet Glabro eruitur, qui antea de Hugone scripserat: *erat idem puer fermè decennis*, anno nempe MXVII, quando Rex coronatus fuit. Jam dixerat Glaber, Primates Regni, quos Robertus Rex consuluerat, tale ei dedisse responsum: *Sine puerum, Rex, si placet, crescendo procedere in viriles annos, ne veluti de te gestum est, regni pondus infirma committas ætati.* Quæ omnia de Hugone dici non potuissent, si anno ætatis XVIII vel XIX, quod ex textu corrupto Glabri sequitur, Rex inauguratus esset. Cùm contrà de puero fermè decenni, qui crescit in viriles annos, hæc rectè asseri possunt. Infrà videbimus, Epitaphium *Berengarii* hæresiarchæ versibus compositum eodem ferè modo depravatum fuisse. Licet enim certum sit, eum die Epiphaniæ morte sublatum, idque asserat Malmesburiensis, in ejus tamen Epitaphio ab eodem relato habetur: *Jam quinta dies abstulit illa nefas*, nempe mors, & in quibusdam editionibus habetur, *Jam prima dies*, &c. utrobique loco, *Jam sexta dies*. Observavimus in hac Critica alia exempla, quibus manifestum sit, sciolos verba numeros in Versibus exprimentia immutasse. Denique ipsemet Glaber loco citato, tam prosa, quàm versibus ait, *Robertum* Constantiam uxorem accepisse *circa annum millesimum*, uti anno CMXCVIII num. X ostendimus, ideoque scribere non potuit, *Hugonem* Regem per annos XXVIII in vivis fuisse, rectèque in brevi Chron. in Henrico Rege Galliæ desinente apud Duchesnium Tom. III pag. 357. de Hugone habetur: *pube tenus erat, quando mortuus est.*

IV. *Discordia inter Regem & Reginam de novi Regis electione.*

Post Hugonis Regis mortem Robertus *Henricum* filium secundo genitum *ad regimen totius regni sibi associavit, provehens Remis civitate. Quam rem ægrè tulit Regina, volens Rotbertum constituere Regem*, inquit Auctor fragmenti à Roberto ad mortem Philippi I Regis, apud Duchesnium Tom. IV. Non pauci Episcopi, ut odium *Constantiæ* Reginæ, quæ *Robertum* alterum filium præferendum volebat, declinarent, novi Regis electioni, quandiu pater viveret, non assentiebantur, existimantes Reginam temporis progressu ab ea sententia discessuram, & justo Regis consilio consensuram. Ex Præsulibus illis unus fuit *Fulbertus* Episcopus Carnotensis, ut liquet ex Epistola *Odolrici* Episcopi Aurelianensis Sancti Theodorici successoris, ut anno MXVIII vidimus. Hic ad Fulbertum scribit, se Reginæ odium incurrisse, & à plurimis Episcopis clanculùm rodi, quòd faveret Regi in consilio ab eo suscepto *de constituendo Rege majori filio*. Scripsit etiam Fulbertus ad *Guidonem* Silvanecti Episcopum, atque se ob corporis valetudinem *benedictioni Henrici* interesse non posse. Recitat utramque Epistolam Baronius; sed cùm *Henricus* anno superiori coronatus fuerit, evidens est, doctissimum Cardinalem unius anni metachronismo peccare. Verùm audiendus hac de re Glaber loco citato.

SÆC. XI. An.C. 1028.

V. *Henricus Hugonis frater anno superiori Rex dictus.*

Post cujus (nempe Hugonis) *obitum, cœpit iterum idem Rex* (sc. Robertus) *tractare, quis potissimum ex residuis filiis pro se regnare deberet*, &c. *coadunatis denique Rex metropoli Remis regni Primatibus, stabilivit regni corona Henricum, quem delegerat*, quod anno superiori, non verò præsenti, uti scribit Baronius, peractum esse scitè demonstrat Mabillonius lib. II de Re Di-“plom. cap. XXVI num. XXVII, cujus verba refero, Henricum ab anno MXXVII à patre in consortium Regni adoptatum fuisse colligimus cùm ex aliis, tum ex Charta Drogonis Comitis, à me edita in fine seculi III, data *anno ab Incarnatione domini MXXX, indict. (XIII) regnante Rege Franc. Rotberto, anno regni sui XLII, & filio ejus concorditer cum eo regnantis anno jam quarto Henrici*. Id autem validè confirmatur, tum ex variis Fulberti Carnotensis Epistolis (Epist. IV, XV, LIX, CV, CXXVIII) in quibus Henricum jam Regem laudat Fulbertus mortuus IV Idus Aprilis die Cœnæ Domini, anno MXXVIII secundùm veterem calculum, anno MXXIX secundùm novum: tum maximè ex literis Assessionis seu Coronationis Philippi Primi ejusdem Henrici filii à Chesnio (Tom. IV pag. 161.) Chiffletio (Tournus pag. 317.) & Marloto (Metrop. Rem. Tom. II pag. 117.) relatis, datis *anno Incarnationis MLVIIII, indict. XII, regnante Henrico Rege XXXII eadem die completo, X Kal. Junii, Episcopatûs autem domini Gervasii anno IV, in die sancto Pentecosten.* Nam si ab anno MLIX per annos XXXII calculum retexas; annum MXXVII initi ab Henrico regni primum habebis. At verba illa, *eadem die completo*, referenda sunt, non ad *X Kal. Junii*, sed ad *Festum* Pentecostes. Nam hac die coronatus dicitur *Henricus*: non eodem die mensis, quo coronatus est filius ejus Philippus: quandoquidem festum Pentecostes an. MXXVII novem diebus citiùs, idest, pridie Idus Maii, incidebat. In Diplomatibus porrò tam Henrici, quàm Philippi examinandis accuratè expendenda est hæc duplex utriusque epocha, nempe ab inito Regno, seu cum patre, seu post mortem patris; nam pro hac duplici epocha variat” calculus in Diplomatibus. Ita vir doctissimus, qui horum postea in lib. VI non meminit, cùm scripsit quæ mox num. I ex illo retulimus, nempe in Diplomate Roberti Regis, cui scripsêre filii ejus, Hugo Rex, & Henricus nondum Rex, loco *anno millesimo decimo octavo*, legendum esse *millesimo*

SÆC. XI. An. C. 1028.

millesimo vicesimo octavo, ita ut Hugo eo Christi anno adhuc in vivis fuerit, & Henricus nondum regnarit. Subscriptio itaque Chartæ pro monasterio Latiniacensi editæ pura est, certumque Regni Hugonis initium. Præterea Fulbertus non anno insequenti, ut idem Mabillonius censet, sed præsenti demortuus, ut statim ostendo.

VI
Moritur Fulbertus Episc. Carnotensis.

A num. III ad VII. In Chronico Dolensi ad annum MXXVIII legitur: *Defectum Luna passa est nocte, qua lucescit in Parasceve Pascha, quod fuit secundo Idus Aprilis. Die verò præcedente Cœna dominica depositio domini Fulberti Carnotensis Episcopi.* Ubi depositionis nomine dies sepulturæ intelligendus, ita ut sanctus Antistes III Idus April. seu die XI ejusdem mensis terræ mandatus fuerit, & IV Idus Aprilis, seu die decima ejusdem mensis animam Deo reddiderit, quod postremum eruo ex Chronico Vindocinensi, in quo ad annum MXXVIII habetur: *Dominus Fulbertus Episcopus Carnotensis Ecclesiæ, mirabilis modernorum temporum Doctor, obiit in Domino, quarto Idus Aprilis*, idest, die decima ejusdem mensis. Chronographus verò Malleacensis hanc mortem perperàm cum anno DCCCCXXIII conjungit, sed rectè notat, eum obiisse *tertio Idus Aprilis*, sumto scilicet obitûs die pro die sepulturæ, ut passim ab Historicis fit. Denique in ejus Epitaphio mox recitando *Fulbertus* mortuus traditur anno MXXVIII quarto Idus Aprilis. Quare cùm juxta regulam à nobis innumeris exemplis comprobatam, quando Auctores illustrium Virorum mortes narrantes uno tantùm die inter se differunt, alii de die mortis, alii de die sepulturæ intelligendi sint, non video in dubium ampliùs revocari posse, quin *Fulbertus* hoc anno die decima mensis Aprilis obierit; sequentique, in quem Cœna Domini incidebat, ejus exequiæ peractæ fuerint. In Chronico quidem Virdunensi *Fulberti* mors consignatur anno MXXVII, indictione VII, sed tam in anno, quàm in indictione, inter se incompossibilibus, vel Chronographus hallucinatur, vel librarius tam annum, quàm indictionem mendosè descripsit: nisi fortè ille annum accepit ab Auctore, qui annum à Paschate exordiebatur. Denique fallitur Chronographus Andegavensis, qui hanc mortem cum anno MXXIX illigat. Eo enim anno Pascha incidit in diem sextum mensis Aprilis, ideoque & dies Cœnæ Dominicæ in diem tertium ejusdem mensis.

VII.
Epitaphium ejusdem Fulberti.

Hoc *Fulberti* Epitaphium, ejus quidem sepulchro non insculptum, sed antiquum, & relatum à San-Matthanis in Episc. Carnotensibus, ex veteri Codice MS: *Anno ab Incarnatione domini MXXVIII, IV Idus Aprilis obiit dilectus Deo & hominibus Pater noster veneranda memoriæ Fulbertus, sua tempestatis Pontificum decus, lux præclara mundo a Deo data, pauperum sustentator, desolatorum consolator, prædonum & latronum refrænator, vir eloquentissimus & sapientissimus tam divinis quàm in liberalium artium libris, qui ad restaurationem sancti Templi sua diœcesis, quod ipse post incendium à fundamento reædificare cœperat, bonam partem auri sui, & argenti reliquit, & disciplina ac sapientia radiis illum locum illuminavit, & Clericis suis multa bona fecit.* Porrò Fulbertum, *Romanum*, aut certè *Italum* fuisse, Mabillonius Tom. II Analect. pag. 555. colligit ex ejus Epistola II ad Einardum, in qua Fulbertus consultus, quid de quodam ritu sentiret, respondit, id ita statui in quodam codice, quem à *Natali patria* inter ceteros devexerat, idest, quem à *Romano scrinio*, ut in fine Epistolæ scribit, *prolatum* acceperat.

VIII.
Mors S. Olai Danorum Regis.

Ad num. VII. Vigorniensis & Westmonasteriensis de Olavo Norvegiæ Rege habent: *Anno gratiæ millesimo vigesimo septimo, cùm Regi Cnutoni fuisset nunciatum, quod Norwegenses Regem suum Olavum propter sui simplicitatem, nimis vilipenderent, magnam auri & argenti pecuniam, magnatibus illius regionis transmisit; rogans omnes propensiùs, ut abjecto Olavo, ipsum susciperent in Regem. Qui cùm dona, quæ eis transmiserat, avidis manibus suscepissent, nunciaverunt ei, ut omni ambiguitate remota, veniret ad eos, quia ad illum suscipiendum omnes inveniret paratos.* Quòd Norvegia aliàs Angliæ annexa fuisset, frequentia bella Anglos inter & Norvegos orta: *Inter Cnuth*, inquit Adamus lib. 2. cap. 40. *& Olaph, Regem Northmannorum* (idest Norvegiorum) *continuum fuit bellum, nec cessavit omnibus diebus vitæ eorum; Danis pro imperio certantibus; Northmannis verò repugnantibus, pro libertate*, & cetera à Baronio recitata. Tandem Canutus hoc anno Norvegiam occupavit. *Cnut Rex*, ait Huntidoniensis pag. 364. *anno duodecimo ivit ab Anglia, cum quinquaginta puppibus, in Norwegiam; & bello fugavit Olaf Regem Norwegensium, regnumque illud recepit in suam subditionem. Cùm verò inde rediisset in Angliam, Rex Olaf rediens in Norwegiam, à patria illius gente occisus est. Remansitque Cnut regnum illud, dum vixit.*

IX.
Post biennium contigit.

Olavi tamen mors, quam uno tenore recitat Huntindoniensis, nonnisi post biennium contigit: *Anno MXXIX*, inquit Dunelmensis in Hist. de Gest. Reg. Angl. *Canutus Rex Anglorum, Danorum & Norreganorum ad Angliam rediit.* Tum: *Anno MXXX Sanctus Olavus, quem Canutus Rex expulerat, Rex & Martyr, Haroldi Regis Norreganorum filius in Norrega injustè perimitur à Norreganis.* Genus mortis ejus variè narratur, ut habet Adamus apud Baronium num. IX. Colitur die XXIX mensis Julii: *Habuit etiam Olaph Rex*, inquit Adamus lib. 2. cap. 40. *Episcopos & Presbyteros multos ab Anglia, quorum monitu & doctrinâ cor suum Deo præparavit, subjectumque populum ad regendum commisit. Ex quibus clari doctrinâ & virtutibus erant Sigafrid, Grimkild, Rodulf, & Bernard. Hi jussu Regis ad Suediam & Gotthiam, & ad ceteras insulas, quæ trans Northmanniam* (idest Norvegiam) *sunt, accedentes, Barbaris verbum Dei & regnum Jesu Christi evangelizabant. Misit ergo Rex nuncios ad Archiepiscopum nostrum* (nempe Unwanum Bremensem Archiep.) *cum muneribus, petens suppliciter, ut Episcopos ejus benignè susciperet, suosque ad eum transmitteret, qui rudem Nordmannorum populum in Christianitate confortarent.* Quare cùm Unwanus anno MXIII Archiepiscopus Bremensis dictus fuerit, annoque MXXIX, VI Kalend. Februarii, ut habet Adamus, mortuus sit, Præcones illi Evangelici intra illud temporis intervallum à Sancto Olavo in Norvegiam missi. *Unwano* successit *Libentius* hujus nominis II.

X.
S. Sigfridus Danis & Suecis fidem Christianam prædicavit.

Ad num. VIII & seqq. Eodem tempore, quo *Olaus* in Norvegia, *Olaus* alter in Suecia regnabat, ut videre est ex iis, quæ Baronius refert ex Adamo lib. 2. cap. 41. *Sanctus Sigfridus*, de quo mox locuti sumus, eo regnante in Sue-

ciam venit, cujus profectionis illustre testimonium habetur lib. 8. Revelationum Sanctæ Birgittæ cap. 46. ubi Deipara Virgo *loquitur sponsæ* [sc. Sanctæ Birgittæ] *dicens: S. Sigfridus Archiepiscopus exivit de Anglia, & fecit voluntatem Dei in regno Sueciæ. Sic ille Sacerdos, pro quo tu oras, constituat Ecclesiam*, &c. Joannes Magnus lib. 17. Historiæ Gotthorum & Suecorum cap. 18. Sigfridum Archiepiscopum Eboracensem & ad Suecos primum, non Norvegos evocatum scribit. At cùm accuratam Archiepiscoporum Eboracensium seriem Historici Anglici exhibeant, nulla *Sigfridi* mentione facta, Henschenius ad diem XV Februarii, quo *Sanctus Sigfridus* Episcopus colitur, existimat *Archiepiscopi* titulum in Revelationibus Sanctæ Birgittæ *Sigfrido* ob eminentiam Legationis ad Reges Norvegiæ & Suediæ videri attributum. Sed non dubito, quin *Sigfridus* ad gentes illas Legatus Evangelicus destinatus consecratus fuerit Archiepiscopus nulli sedi affixus; cùm ejusdem rei tot exempla extent. Tempus, quo apud Norvegos & Suecos vixit Sanctus *Sigfridus*, sic ex Adamo Bremensi an. MLXVII Bremæ Canonico creato verosimiliter statuit Henschenius. In Norvegiam venit, cùm ibi regnaret *Sanctus Olaus*, ideoque post annum millesimum decimum quintum. Missus est in Sueciam à Sancto Olao, ideoque ante præsentem annum, quo is è Regno pulsus est. Demum superfuit ad tempora circiter *Adalberti* anno MXLIII Archiepiscopi Bremensis renunciati. De laborum ejus sociis, Sanctis *Æschylo* & *Davide*, aliisque legendus idem Henschenius.

XI. *Moritur Constantinus Imp.* *Nona Novembris die, indictione XII, subito morbo correptus Constantinus* de instituendo imperii successore cogitavit, adductoque in Palatium *Romano Argyro* datur optio, ut vel oculos sibi erui patiatur: vel dimissa sua legitima uxore, filiam Imperatoris ducat, ac Cæsar designetur. Hæsitante eo uxor ultrò comam posuit, ac seculo renunciavit. Data ei *Zoe*, una ex tribus Constantini filiabus, triduoque post hic finem vivendi fecit. Hæc summariè ex Cedreno.

XII. *Romanus Argyrus ei succedit.* *Erat*, inquit Michael Psellus adhuc ineditus de Romano Argyro loquens, *vir etiam Græcanicis educatus literis, eaque præditus eruditione, quanta ex Italorum libris pendet atque doctrinis. Eratque Imperator tum linguâ vehemens, tum eloquio venustior: staturâ heros, vultuque ac specie verè imperio digna. Longe plura se scire existimabat, quam sciret: cumque imperium suum priscis illis Antonino, Marcoque Philosopho atque Augusto simile vellet reddere, duobus his dabat operam, literarum scilicet studiis, armorumque curæ. At verò neutrius partis prorsùs rudis erat: literas tantum callebat, quantum procul à profundo & superficie temperat*, &c. *paucos ea ætas eruditos tulit, eosque hactenus disciplinis institutos, ut Aristotelis vestibula salutassent, ac Platonica solum symbola memoriter recitarent. eorum verò quæ editiora essent, scirent nihil, nec quantum virtutis in dialectica, aut ea arte quæ vim demonstrandi habet, operam navassent. Quamobrem cùm exactum judicium deesset, horum calculi crebrò falsi erant. Frequenter nostris ex oraculis divinisque Scripturis quæstiones proponebantur; pleraque tamen dubia insoluta manebant*, &c. Asserit Psellus se vidisse *Romanum*, & cum illo semel sermonem habuisse.

Anno Dom. MXXVIII indictione XI, inquit Wippo in Vita Conradi Salici, *Imperator Chuonradus filium suum Henricum magni ingenii & bonæ indolis puerum, ætate XI annorum, Principibus regni cum tota multitudine populi id probantibus, à Peligrino Archiepiscopo Coloniensi in Regalem apicem apud Aquisgrani Palatium sublimari fecerat. Tunc in principali dominica Paschæ consecratus & coronatus Paschalem lætitiam triplicavit. Nam dum in superioribus annis duas coronas, idest, patris, & matris suæ mundus coronaretur, nunc tertia addita.* Spes pacis crevit, quam Rex cum Cæsare fecit: *præsertim cùm is coronatus esset, cujus ætas vita diuturna satis digna fuerat. Deinde diversa regna peragrantes, Cæsar per se, Rex sub tutore & altore Augustensi Episcopo Brunone cunctos rebelles domabant, & fœdera pacis ubique feliciter firmabant.* XIII. *Henricus fit Rex Germaniæ.*

Moguntinus Archiepiscopus Aribo, inquit Chronographus Hildensheimensis ad hunc Christi annum, *in Geizlete Synodum generalem cum suis Suffraganeis Episcopis habuit. In qua inter cetera Ecclesiastica quidam homo ingenuus de homicidio Sigefridi Comitis incusatus, candenti se ferro expurgavit. Qui ex decreto Synodali post duas noctes probatus illæsus apparuit.* Meminit hujus Concilii Wolfherrus in Vita Sancti Godehardi Episcopi Hildensheimensis cap. 4. XIV. *Synodus Geizletensis.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6522.
☉ 2. E. ☽ 4. P. 6. April. Indict. 12.
JESU CHRISTI 1029.
JOANNIS XIX PAPÆ 6.
CONRADI II REG. 6. IMP. 3.
ROMANI ARGYRI IMP. 2.

Anno Eræ Hispan. MLXVII. Anno Hegiræ CCCCXX. inchoato die 19. Januar. fer. 2.

I. *Translatio S. Saviniani Archiep. Senonensis.* ANnum I ad VI. Recitat Baronius Dedicationem Ecclesiæ Aurelianensis in memoriam *Sancti Aniani* ejusdem civitatis quondam Episcopi à Roberto Francorum Rege ædificatæ, quam fusè narrat Helgaldus in hujus Regis Vita. Ejus loco hîc referam Translationem corporis *Sancti Saviniani* Senonensis Archiepiscopi primi, factam in Basilica *Vivi*, Rege *Roberto* & *Constantia* Regina præsentibus cum Primoribus Regni, in capsam auro gemmisque protectam (ut hactenus visitur). Promiserat Regina, ut refert Odorannus Monachus in suo Chronico, si in gratiam Regis redire posset, se se exornaturam corpus Sancti Saviniani gemmis & auro, quod diu inclusum plumbo ab antiquis absconditum fuerat sub arvo. *Et Regi suggerens sua vota, Deo auxiliante ad ea implenda paratum illum invenit per omnia. Qui accersiens Odorannum ejusdem loci Monachum, qui ad hoc opus perficiendum videbatur idoneus, commisit unà cum Regina ejus fidei tantæ pietatis opus*, inquit idem Odorannus. Translatis à Leotherico Archiepiscopo Senonensi sacris ossibus, ipse Rex in publica supplicatione sacra lipsana bajulavit cum Regia domo: quod singulare pietatis obsequium quotannis recolentes mystæ Metropolitani, ea pariter suis humeris subvehunt æmulo devotionis affectu per gyrum urbis in festo Sancti Marci Clero præsente, Magistratibus & populo, ut testatur Mathoudus in Catalogo Archiepiscoporum Senonensium, dum de *Leotherico* sermonem habet, qui hanc Translationem in Chroni-

cis

SÆC. XI. An. C.1029.

cis MSS. Ecclesiæ Senonensis hoc anno consignari affirmat.

II. *Concilium I Lemovicense.*

Ad num. VI & seqq. *Lemovicis* duo Concilia habita, in quibus *Sancti Martialis* illius civitatis Episcopi primi Apostolatus confirmatus est. Primum rectè hoc anno à Baronio consignatum; sed secundum perperàm ab eo in annum MXXXIV dilatum; cùm, ut infrà visuri sumus, certò constet, illud ad annum MXXXI pertinere. Prioris Synodi Acta non extant, sed ex parte recitantur in secunda sessione posterioris. Ejus etiam mentio in priori sessione ejusdem secundi Concilii pag. 887. & seqq. ubi dicitur, Patres transtulisse tunc corpus Sancti Martialis, ejusque Ecclesiam consecrasse. *Facta sunt hæc*, inquiunt Episcopi, *Dominica Resurrectionis die, in ipsa solemnitate inventionis corporis B. Stephani, atque hujus sancti Templi consecrationis, quod idem patronus primum in omni Gallia Deo dedicavit, dirutis, quæ in hoc loco pridem gentilitas coluerat, simulachris.* Inventio Sancti Stephani, quæ die tertia mensis Augusti celebratur, hoc anno incidit in Dominicam, quæ sæpe ab Antiquis *dominica Resurrectionis dies* appellatur. In hac Synodo *Jordanus* Episcopus Lemovicensis, ut ibidem videre est, dixit, *ante hos annos* de eadem re factam esse inquisitionem; & cùm altercatio hæc ad aures *Joannis* Summi Pontificis pervenisset, eum Epistolâ suâ redarguisse omnes, qui contradicunt *Martialem* esse Apostolum, ubi loquitur *Jordanus* de Conciliis Pictaviensi & Parisiensi, de quibus suo loco egimus, significatque, iis habitis *Joannem* Papam XIX eam Epistolam scripsisse, de qua infrà sermo erit.

III. *Floret S. Symeon Syracusanus.*

Baronius num. XIV refert testimonium *Sancti Symeonis* Syracusani, & alterius viri Græci nomine *Cosma*, qui dicuntur asseruisse *Martialem* apud Græcos haberi unum ex LXXII Discipulis. Sed testimonium istud non in priori, sed in posteriori Synodo Lemovicensi prolatum, ut in Tom. IX Concil. pag. 878. legere est: *Ante hos plures annos quidam ex fratribus de monte Sinai in hanc partem venerunt occiduam, Dei disponente nutu, moribus graves, doctrina catholica fidei profluentes, vitâ per omnia honesti, utriusque lingua periti*, &c. inquit in Synodo quidam clericus Egolismensis. Postulat hic locus, ut quid egerit Sanctus *Symeon* Syracusanus, postquam anno MXXVIII Antiochiâ in Belgium venit, ut suprà narravimus, exponamus. *Evervinus* seu *Ebervinus* Monachus, natione Germanus, & postea Abbas Monasterii Theologiensis seu Doleiensis in Archiepiscopatu Trevirensi siti, qui in comitatu fuit Sancti Symeonis, quando Antiochiâ in Belgium venit, ejus Vitam scripsit, à Surio ad diem primum mensis Junii recitatam. Ait itaque Evervinus *Symeonem* venisse Rotomagum, ibique Richardum Comitem Normanniæ, hujus scilicet nominis III, mortuum comperisse, ideoque ei in mentem venisse, *ut suum patrem charissimum, Richardum scilicet Abbatem, suosque suos comites inviseret: quod & fecit. Per longum autem tempus moratus est nobiscum*, inquit Evervinus, qui per longum tempus nonnisi aliquot menses intelligere potuit, sicuti & Clericus Egolismensis in Concilio Lemovicensi II per hæc verba, *ante hos plures annos*, nonnisi tres aut quatuor annos designavit; cùm hæc anno MXXXI in Concilio dixerit, & Sanctus Symeon anno tantùm MXXVIII in Franciam venerit.

IV. *Profectio ejus Hierosolymitana cum Poppone Archiep. Trevirensi.*

Poppo Archiepiscopus Trevirensis, subdit Evervinus, gratiâ orationis Hierosolymam venit, *huncque famulum Dei eundo & redeundo secum conviatorem habuit.* Post suum reditum Poppo Symeoni facultatem concessit in sua Diœcesi commorandi, & in quadam turri apud Treviros, *in festivitate Sancti Andreæ illum inclusit*, ubi reclusus usque ad mortem vixit, ad annum nempe MXXXIV, quo obiit, ut infrà videbimus. Ex quibus perspicuum fit, quæ scribit Hugo Flaviniacensis Abbas in secunda parte Chronici Virdunensis num. XXVI, post hæc verba; *quid apud Richardum Normaniæ Principem egerit* (sc. Symeon) *sicut in armario Rotomagensi continetur, licet libellus Vitæ ejus hoc sileat, paucis explicemus*, hæc, inquam, literis mandata fuisse à quopiam Monacho monasterii Sanctæ Trinitatis de Monte prope Rotomagum, parùm de rebus ad hunc Sanctum pertinentibus edocto. Ibi enim dicitur, *Richardum* III Normanniæ Principem Symeonem commendasse Viro nobilissimo *Gozelino* nomine, eique plurimas largitum esse divitias, quas Symeon ad servos Dei montem Sina habitantes miserit, ac postquam ibidem per biennium mansisset, Virdunum ad Richardum Abbatem venisse. Quæ tamen pugnant cum iis, quæ de *Symeone* Evervinus itineris ejus socius narrat; cùm is affirmet, Symeonem, cùm *Rotomagum* venit, comperisse *Richardum* Ducem jam vivis excessisse, & doluisse, quòd locus Sinaï frustratus esset eleemosynis ab eo Principe illuc mitti solitis. Præterea verum quidem est, *Gozelinum* Sancti Viri hortatu ædificasse Monasterium Sanctæ Trinitatis in vicino monte Rotomagensis urbis; sed Monasterium illud à *Gozelino* Vicecomite & *Emmelina* ejus uxore fundatum, *Roberto* Richardi III successore Normanniam regente, ut patet ex Diplomate hujus Principis fundationem illam confirmantis, à Pomeraio in Historia Abbatiæ Sanctæ Trinitatis pag. 72. recitato. Celeberrimum fuit monasterium illud, appellatum monasterium *Sanctæ Catharinæ in monte*, donec exeunte seculo XV prorsus solo æquatum fuit. Mirum est, Hugonem Flaviniacensem, qui fatetur se Symeonis Vitam legisse, non animadvertisse, quæ præfato numero narrat, sibi in plerisque adversari.

V. *Moritur Bruno Episc. Augustensis.*

Wippo in Vita Conradi Salici, postquam gesta ab eo anno superiori retulit, ait: *Anno sequenti Imperator in Bajoaria Ratispona Pascha celebravit. Ibi Bruno Episcopus Augustensis defunctus est, cujus corpus Imperatrix prosecuta, cum filio Henrico Rege ad Augustam sedem suam honorificè sepeliri fecerunt. nobilis enim valde fuit ipse Episcopus Bruno. Nam dum esset frater Henrici Imperatoris, filius erat matertera Gisela Imperatricis, soror verò ejusdem Episcopi nupta Stephano Regi Ungarorum, causa fuit Christianitatis, primùm in gente Pannonica. Episcopatum verò Augustensem Eberhardus suscepit.* Idem ad hunc annum Hermannus Contractus in Auctiori Chronico, & Chronographus Hildensheimensis habent. Distinguendus hic *Brunus* seu *Bruno* ab altero ejusdem nominis Episcopo etiam Augustensi, qui cùm in Prussia Christum annunciare cœpisset, ab Infidelibus occisus est, ut suo loco diximus.

SÆC. XI. Ao. C. 1030. Anno Eræ Hispan. MLXVIII. Anno Hegiræ CCCCXXI, inchoato die 9. Januar. fer. 6. Anno Hegiræ CCCCXXII, inchoato die 29. Decemb. fer. 3.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6523.

☉ 3. D. ☽ 5. P. 29. Mart. Indict. 13.

JESU CHRISTI 1030.

JOANNIS XIX PAPÆ 7.

CONRADI II REG. 7. IMP. 4.

ROMANI ARGYRI IMP. 3.

I. *Bellum Conradi Imp. adversus S. Stephanum Hungariæ Regem.*

AD Num. I ad V. Conradum Imp. hoc anno cum exercitu in Hungariam iotrasse, produnt Lambertus Schafoaburgensis, Hermannus Contractus in utraque editione sui Chronici, ac Chronographus Hildensheimensis. Hæc verba Hermanni in fusiori Chronico: *Conradus Imp. jamdudum inimicitiis cum Stephano Ungariorum Rege conflatis Pannoniam petiit, & quantum fluminibus & paludibus non obstantibus poterat, Rabam devastavit.* Paulò pòst: *Pax cum Stephano Rege Ungariorum redintegratur.* Fusiùs ad hunc Christi annum rem narrat Wippo in Vita Conradi Salici: *Multæ dissensiones inter gentem Pannonicam & Bajoarios, culpâ tamen Bajoariorum factæ sunt: ita ut Stephanus Rex Ungarorum multas incursiones & prædas in Regno Noricorum, idest, Bajoariorum faceret: unde commotus Imperator Chuonradus cum grandi exercitu super Ungaros venit.*

II. *Henrici Germaniæ Regis operâ sopitum.*

Rex autem Stephanus minimè sufficiens adversùs Imperatorem, orationibus & jejuniis universo regno suo indictis, præsidium domini tantummodo flagitabat. Imperator tam munitum regnum fluviis & silvis intrare non valens, multis tamen prædationibus, incendiis circa terminos regni injuriam suam ulciscens, reversus est: volens tempore opportuniori cœpta sua peragere. Sed filius suus Rex Henricus adhuc puerulus, Eigenberto Frisingensi Episcopo creditus, legatione Stephani Regis pacem rogantis accepta, unico consilio Principum regni, patre nesciente, gratiam conciliationis annuit: justè & sapienter agens, qui Regem injustè injuriatum, ultro petentem gratiam recepit in amicitiam.

III. *Expeditio Romani Imp. adversus Saracenos.*

Ad num. V. Romanus Argyrus Imp. in expeditione hoc anno adversùs Saracenos suscepta infelix fuit: *Nam cùm Nicephorus*, inquit Zonaras, *& Joannes* (scilicet Tzemisces) *Imperatores, multas urbes Phœniciæ & Syriæ Romanorum imperio subjecissent; Basilius, qui secutus est, Bulgaricis expeditionibus occupatus, eas firmandi otium non habuit: neque tamen quoad is vixit, illæ ausæ fuerunt jugum servitutis apertè excutere. Ceterùm Constantino rerum potito, & dissolutè imperium administrante; Agareni tempus id exequendi ea, quæ animis agitarant, commodum esse rati: cæsis præsidiis, urbes occupant. Chalepi verò Princeps continentibus excursionibus & populationibus ipsam Antiochiam, aliasque finitimas Syriæ gentes Romanæ ditionis vexabat: à quo Dux Antiochenus, Constantino adhuc superstite, turpiter victus, plerisque suorum amissis, vix effugerat: cui Romanus successore dato, ipse quoque ad bellum ivit. Cùm autem in itinere Chalepiis Legati cum muneribus multis ei occurrissent, veniam petentes, ac servitutis renovationem & pensionem non solutorum tributorum, quæ imposterum etiam citra tergiversationem, daturus esset, pollicentes: quamvis multis illustribus Ducibus ab ulteriore progressu tanquam inutili deterrentibus, pacemque suadentibus; tamen cœptis non destitit, Agarenos facilè se victurum opinatus, & re benè gesta magnum & memorabile nomen consecuturum.*

IV. *Gratis infausta fuit.*

Progressus igitur in Syriam vallum communit. Sed Arabes, homines audaces atque expediti in celeribus equis, & nudi, utraque valli parte collocatis insidiis: si qui pabulatum aut aquatum exibant, eos impetu facto cædebant aut capiebant, qua re fiebat, ut & milites & equi præ siti deficerent. Deinde incursionibus illis magis assuefacti, & Romanos ignaviæ damnantes, subitò ex montibus decurrêre, & clamore Barbarico sublato, speciem multitudinis ingerentes, quòd non densata acie, sed laxata excurrerent, citraque ordinem vallum invaderent: omnem exercitum territum in fugam verterunt, atque ipse Imperator captus esset, à turbata custodia incustoditus, relictus, nisi quidam eum in equum sublatum ad fugam cohortatus esset, metu penè exanimatum. Romani igitur nullo ordine temereque fugiebant: Barbari verò inexpectatâ fugâ stupefacti, fugientes non sunt persecuti, sed vallum ingressi, paucis illustribus captis, direptoque Imperatorio tabernaculo, variarum opum & Regiæ magnificentiæ pleno, ceterisque impedimentis in equos suos impositis, recesserunt. Imperator verò studio militum suorum Antiochiam perductus, atque inde properè Byzantium regressus est. Quæ hoc anno contigisse, & Romanos *decimo die Augusti, indictione decima tertia* iter Antiochiam versùs ingressos, testantur Curopalates & Cedrenus.

V. *Pallium Episcopo Gerundensi à Joanne PP. concessum.*

Hoc anno cùm *Petrus* Episcopus Gerundensis accessisset ad Sedem Apostolicam, & *Joanni* XIX Papæ dixisset, liberaturum se triginta captivos, si vel duodecim in anno vicibus sibi concederet usum Pallii, *Joannes* vir redimendorum Christianorum à Saracenis in Hispania captorum cupidine flagrans, ejus petitioni condescendit, eique potestatem gestandi Pallii diebus duodecim illi assignatis concessit. Docuit hoc nos Baluzius lib. 4. Marcæ Hispanicæ, qui postea in Appendice ejusdem Pontificis Epistolam ad Petrum Episcopum Gerundensem datam de Privilegio Pallii, recitat, in cujus fine legitur: *Scriptum per manum Sergii Scriniarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mense Aprili, indictione tertia decima*, ideoque hoc Christi anno. Quod quidem Privilegium personale fuit; ait enim Pontifex: *Zelo Dei, qui eos proprio sanguine redemit, accensi, petitioni tuæ condescendimus, Palliumque gestandum duodecim in anno vicibus tibi solummodo concessimus.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6524. Anno Eræ Hispan. MLXIX. Anno Hegiræ CCCCXXIII, inchoato die 19. Decemb. fer. 1.

☉ 4. C. ☽ 6. P. 11. April. Indict. 14.

JESU CHRISTI 1031.

JOANNIS XIX PAPÆ 8.

CONRADI II REG. 8. IMP. 5.

ROMANI ARGYRI IMP. 4.

I. *Henricus & Robertus adversùs Robertum patrem Francorum Regem bellum movent.*

AD num. I. Anno millesimo vigesimo septimo *Robertus* Francorum Rex *Henricum* filium in consortium Regni adscivit, quòd *Hugo* filius natu major anno antecedenti obiisset. *Constantia* quidem Regina Roberto minori filio favebat, & magnam Procerum & Episcoporum partem ad sua studia adduxerat. Verùm vicit tunc affectus patris & ratio Regni; quippe præterito

terito aut expulso *Henrico* majore filio periculum erat, ne magna inde exorirentur incommoda. Quia verò Fulbertus Carnotensis Episcopus Regis animum in recta sententia retinebat, infensissimam sensit Constantiam Reginam, ut ex multis Sancti hujus Præsulis literis intelligimus. Hic tantùm Epistolam XXIX, quia brevissimam refero: *Venerabili patri & Coepiscopo suo G. Fulbertus. Ad benedictionem Henrici Regiæ prolis voto quidem rapior, sed adversa me corporis valetudo retardat. Tentarem tamen utcumque moderatis equitationibus eò pervenire, si non absterreret sævitia matris ejus; cui satis creditur, cùm mala promittit: fidem facientibus multis & memorabilibus gestis ejus. Qua difficultate prohibitus rogo vestram caritatem, dilectissime, ut vice mea suadeatis domno Archiepiscopo Remensi, cæterisque Primoribus, ne qua occasione differant benedictionem juvenis supradicti. Spero enim illum Deo & bonis omnibus placiturum. Valete.* Quæ Epistola anno MXXVII, quo Henricus coronatus data. Verùm post eam coronationem grave bellum domesticum firmato inter se fœdere adversùs patrem Henricum Robertum fratres excitarunt, ut narrat Baronius ex Glabro lib. 3. cap. 9. qui ait, illud hoc anno consopitum; nam Glaber subdit, fratres paulisper quievisse, quia *anno sequenti, mense Julio*, Robertus Rex *diem clausit extremum*. Verùm cum ea mors mense Julio currentis anni acciderit, ut infrà demonstrabo, finis hujus belli civilis ad annum præcedentem retrahendum.

II. *Moritur S. Dominicus Abbas juxta Soram.*

Ad num. II. Vitam *Sancti Dominici* Abbatis juxta Soram, antiquum Italiæ oppidum ad Liris fluvii ripam positum, scripsit *Albericus Diaconus*, ut testis est Leo Ostiensis lib. 3. cap. 33. Is Albericus cooptatus fuit in Collegium Cardinalium ab Alexandro II & eam Vitam ex MS. Bibliothecæ Casinensis publicavit Bollandus ad diem XXII Januarii, quo *Sanctus Dominicus* Abbas colitur. *Honorius* III Papa monasterium Soræ vicinum, cum alio à Soranis post Dominici mortem constructo, in loco *Casamari* dicto septem millibus passuum Sora distante, de quo fusè Baronius anno superiori num. XI & seqq. Cisterciensibus Monachis tradidit, qui utrumque etiamnum tenent. Quæ causa est, inquit Bollandus, cur habitu Cisterciensium pingatur *Dominicus*, quem constat diu ante Cisterciensium reformationem vixisse Casinensibus Benedictinorum institutis. Varia alia Cœnobia in Italia à sancto Dominico constructa, ut tam ex Alberico Cardinali, quàm ex Ludovico Jacobillio, utroque in hujus Sancti Vita memorat idem Bollandus. *Obiit autem vir sanctus XI Kalendas Februarii, anno ab Incarnat. Domini MXXXI, humatumque est cadaver ejus in monasterio, quod nunc ejusdem cognominatur vocabulo, sito in Campania in vicinia Soranæ civitatis*, inquit Albericus. De Sancto Dominico fusè Baronius anno superiori.

III. *Fœdus Calepicum & Theodora Monachatus.*

Ad num. III. Amer Chalepi Præfecti filius, ut refert Cedrenus pag. 729. *indictione decima quinta, mense Septembri* ad Imperatorem Romanum multis cum donis venit *fœdus pristinum renovari petens, & antiquum tributum se persoluturum promittens.* Ad eam rem missus Theophylactus, qui cum Calepensibus societatem composuit. Cæterùm *Zoe Augusta post Exaltationem Crucis*, sororem suam Theodoram rasam in Monacharum ordinem redegit, *causata aliter finem insidiis & offensis non posse imponi.* Hæc Cedrenus, qui antea scripserat, Constantino Imp. filias tres fuisse, *Eudociam* natu maximam Monachatum esse amplexam, minimam Theodoram à conjugio Romani Imp. abhorruisse, *sive ob propinquitatem, ut ferebatur, generis, sive quod uxorem ejus sciret ad huc vivere*, & mediam *Zoem* appellatam Romanum Argyrum ante patris mortem maritum accepisse. Acto postea in ordinem Michaele Calaphata, ut infrà videbimus, eadem *Theodora*, cognomento Porphyrogenita, à plebe revocata est, & Augusta unà cum sorore *Zoe* appellata; qua dignitate per tres menses est usa, donec rerum potestas ad Constantinum Monomachum Zoes conjugem devenit; quo tamen imperante Augustæ titulum servavit. Extincto denique Monomacho, tota rursum ad eam Imperii recidit auctoritas, ideoque variantis in se fortunæ sortem experta est *Theodora*.

IV. *Templum Hierosolymorum instaurari cœptum.*

Quod narrat hîc Baronius ex Cedreno & Curopalate, *Romanum* nempe *Argyrum* cœpisse instaurationem Templi Hierosolymitani, quod *Azius* Ægyptius everterat, ostendit Templum Hierosolymitanum, non à Calipha Babyloniensi, ut anno MIX ostendimus, sed à Calipha Ægypti solo æquatum esse; Cedrenum tamen persistare in errore, qui Calipham illum Azium appellat; licet ut ibidem vidimus, non ipse, sed ejus filius *Hakemus Biamrilla* in Christianos sævierit. Michael Romani Argyri successor Opus illud absolvit.

V. *Obitus Cadiri Billa Calipha.*

Anno quadringentesimo vicesimo secundo (nempe Hegiræ, seu Arabico) obiit *Cadirus Billa Chalipha Bagdadensis, mense Dulhiggia. Imperavit autem annos XLI, & aliquot menses: quantum temporis nulli Chalipha ante eum contigit*, inquit Elmacinus lib. 3. Hist. Sarac. cap. 6. qui ait postea *Caimum Biamrillam* filium in locum ejus subrogatum esse.

VI. *Obitus S. Willelmi Abbatis Divionensis.*

Anno nativitatis dominicæ MXXXI, indictione XIV, à nativitate quoque ipsius patris ac Dei cultoris LXX, & ab adventu illius ad Gallias de Italia XLI, regnante Conrado Imperatore, in Francia nihilominus Roberto Rege, die dominicæ Circumcisionis venerabili, atque ejusdem Nativitatis octavo, VI feriâ, mane dum aurora supervenientis diei pelleret tenebras, e mundo transivit Sanctus Willelmus Abbas Sancti Benigni in urbe Divionensi, inquit Rodulphus Glaber in hujus Sancti Vita, cujus in sua Historia lib. 4. cap. 4. meminit, à Bollando ad diem primum Januarii recitata. Italia oriundus erat Wilhelmus, nobili prosapia editus, quem D. Maiolus Româ veniens secum adduxit Cluniacum, ætate juvendi florentem, qui non solum jam Monachus erat, sed patrem etiam ad vitam monasticam induxerat. Eum præfecit primùm *Maiolus* cœnobio Sancti Saturnini, & postea monasterio Sancti Benigni Martyris, *quod juxta Divionense castrum antiquitus veneratur*, ubi divinum cultum, qui in eodem loco omninò defecerat, restituit, & petente Richardo Normanniæ Duce hujus nominis II, cœnobium *Fiscannense* constructum à Richardo Primo reformavit. Rogatu fratrum suorum *Fructuariense* cœnobium in rure paterno à Pado fluvio paucis milliaribus distans construxit, illudque præsente Arduino Italiæ Rege sacrari jussit in honorem B. Mariæ, S. Benigni, & omnium Sanctorum. *Erant tam monasteria, quam cœnobia atque cellulæ monachorum circiter quadraginta, quæ illius patrocinio tutè*

M 4 cunctorum

cunctorum bonorum affluebant copiis; Fratres verò in ipsis degentes procul dubio plus mille ducenti.

VII. *Congregationem Cluniacensem plurimum propagavit.*

Omni studio satagebat è diversis partibus terrarum colligere viros servituti Christi idoneos. *Contigit illum aliquando cum viro per omnia desiderabili, domno scilicet Odilone, adhuc illo in Canonicali habitu degente, de vera animarum salute habuisse colloquium*, cœpitque illi attentiùs suadere, ut negotiis seculi abjectis se totum Christo daret, sicque illum ad religionem adduxit. Ipsemet Odilo in libello de Actis Sancti Maioli de sancto Willelmo ait: *& ut pace spiritualium artificum in eadem fabrica* (nempe cœlesti) *laborantium dicam, unus præcipuè refulsit, qui nuper rebus humanis excessit, & qui plus nobis omnibus laboravit, domnus videlicet Abba Willelmus, de cujus clarissimis actibus & vita laudabili & mirabili conversatione parvitas nostra non sufficit quod sensit ad plenum referre.* Baronius anno MXXXIII num. XV hujus sancti Abbatis mortem narrat, quia ejus tempore Vita laudata nondum è tenebris emerserat.

Hoc anno obiit *Robertus* Francorum Rex, ut anno MXXXIII demonstrabimus. Præterea Concilia *Bituricense* & *Lemovicense II* celebrata, ut anno MXXXIV videbimus.

Anno Eræ Hisp. MLXX. Anno Hegiræ CCCCXXIV, inchoato die 7. Decemb. fer. 5.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6525.

☉ 5. B A. ☽ 7. P. 2. April. Indict. 15.

JESU CHRISTI 1032.

JOANNIS XIX PAPÆ 9.

CONRADI II. REG. 9. IMP. 6.

ROMANI ARGYRI IMP. 5.

I. *Jubet Joannis Papa, ut S. Martialis Apostolus dicatur.*

AD Num. I ad IV. Post Concilium *Parisiense* anno MXXIV congregatum, Joannes Papa XIX scripsit ad *Jordanum* Lemovicensem Episcopum, cæterosque Galliarum Episcopos Epistolam, quam Baronius num. I deperditam esse existimabat. Nunc ea extat Tom. IX Concil. in qua de Sancti Martialis Apostolatu Pontifex scribit: *Huic* (nempe Martiali) *modo quidam vestrorum, ut audivimus, detrahere præsumunt, quasi nihil sit ei commune cum Apostolis, sed cum Confessoribus; hi verò non loqui, sed insanire videntur: quia gravati fascibus peccatorum, in cœlis judicare contendunt. Petrum denique nostrum, cui claves regni cœlorum commissæ sunt, Confessorem dicimus, quia Christum confessus est, dicens:* Tu es Christus filius Dei vivi; *& Apostolum dicimus, quia ab ipso domino ad prædicationem est missus: martyrem nominamus, quia prædicando Christum, martyrio vitam finivit; Principem Apostolorum credimus, quia Apostolos constituit, sicut & Marcus baptismate filius, & Mathias sorte electus, Lucas discipulus Apostoli Pauli, & Barnabas, & quàmplures. An fortè volunt hos recipi inter Apostolos, eò quòd ab Apostolis sint electi & missi: qui Martialem, eò quòd non sit de duodeno numero, Apostolica dignitate volunt clarum videri? Non putant alios Apostolos, nisi illos duodecim: & ubi est quod dicit Apostolus Paulus Philippensibus* (cap. 2.)? „ Necessarium autem existimavi, Epaphroditum fratrem, „ cooperatorem, & commilitonem meum, vestrum autem Apostolum, & ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos. *Silam quoque Judam ab Apostolis Apostolos nominatos invenimus. Anglorum enim Ecclesia usque hactenus beatissimum Gregorium, quem nos Confessorem dicimus, proprium suum Apostolum nominat. Romani Pontifices, quia vice Apostoli funguntur, Apostolici nominantur. Cùm igitur Apostoli nomen non sit numeri, sed suffragii; quicumque revelante Deo ad prædicandum mittitur, & sua pia exhortatione & exemplo commissum sibi divinitus populum à potestate diaboli liberat, non incongrue Apostolus dici potest, quia Apostolus missus dicitur.* Subjungit Pontifex, ut *celebritas tanti Apostoli in toto terrarum Orbe excelsius recolatur*, ædificasse se & dedicasse in ejus honorem pulcherrimum altare in Basilica Sancti Petri, *ubi quotidie ipsius Sancti memoria devotissimè veneratur.*

II. *S. Martialis seculo primo in Gallias venit.*

Supponebant Patres utriusque Concilii Lemovicensis *Martialem* unum esse è LXXII discipulis, & *Joannes* XIX disertè asserit, eum primo Ecclesiæ seculo vixisse; quæ antiqua Gallorum traditio fuit. Launoius tamen contendit, eam traditionem ante annum nongentesimum non produisse, & usque ad illud tempus veterem invaluisse, quâ *Martialis* imperante Decio in Gallias venisse asserebatur ex Gregorio Turonensi, anno scilicet Christi CCL. Verùm ea opinio, à qua ipsemet Gregorius aliquando discedit, hoc & præcedentibus seculis paucos sectatores habuit, & pauciores habuisset, nisi exeunte seculo octavo quidam *Dionysium Areopagitam* cum Dionysio Parisiensi perperàm confudissent.

III. *Sedes Episc. Pampilonæ reddita.*

Ad num. IV. Garibayus lib. 4. cap. 24. refert ex antiquis Scripturis in Ecclesia Pampilonensi asservatis, Sedem ejus Episcopalem, quæ jamdiu in Leirense monasterium translata fuerat, *erâ MLXVI*, seu anno Christi MXXVIII (non verò currenti, ut habet Baronius ex Mariana) redditam fuisse Ecclesiæ Pampilonensi. Ante Maurorum invasionem Tarraconensis civitas, à cujus Metropolita Sedes Pampilonensis pendebat, civibus nudata fuerat, & post eamdem Auscensis Archiepiscopus Metropolitani munere in universo Navarræ Regno functus est. Verùm cùm *Joannes* XXII Seculo XIV Sedem Cæsaraugustanam in Metropolim evexit, eidem Pampilonensem Ecclesiam subdidit, cui etiamnum patet. *Sanctius Major* Navarræ Rex die XXIX mensis Septemb. anni Christi MXXIII solemne Pampilonæ Concilium celebravit, in quo magna diligentia adhibita, ut antiqui hujus Episcopatûs limites detegerentur, isque Pampilonem transferretur. Cumque postea *Petri* Aragonensium & Navarræ Regis liberalitate & Petri à Roda Episcopi, piis laboribus ac beneficentia Ecclesia illa valdè dilatata fuisset, *Urbanus* II, dum anno MXCVI in Galliis versaretur, Bullâ in monasterio Sancti Pontii Tomeriensis appellati, *die XXIV mensis Junii, indictione IV, Pontificatûs ejus anno IX* datâ, *Petrum* à Roda Episcopum Pampilonensem, ejusque Ecclesiam in suam protectionem suscepit, & quæ *Sanctii Majoris* tempore gesta fuerant, auctoritate Apostolica confirmavit, uti ex Archivis Ecclesiæ Pampilonensis Garibayus lib. 23. cap. 3. ostendit.

IV. *Archiepiscopi Auscenses Metropolitæ Navarræ.*

Is tamen lib. 4. laudato perperàm scripsit, huic Concilio Pampilonensi *Poncium* prætensum Metropolitanum Ovetensem præfuisse; ut enim prodit Joannes Brizius Martinezius in Historia monasterii Sancti Joannis Pennatensis lib. 2. cap. 22. *Aymericus* & *Austindus* per hæc tempora Episcoporum Aragoniæ & Navarræ Metropolitæ

litæ agniti sunt, & in Actis Conciliorum seu Conventuum in Leirensi monasterio & Pampilonæ congregatorum *Marecius* Episcopus Aragoniæ primo loco, & *Poncius* Ovetensis ultimo nominatur. Quod scitè observavit Brizius; neque enim aut Navarrei, aut Aragonenses, aut Catalani Episcopi Ovetensem Archiep. pro Metropolita unquam habuêre. Diagus lib. 2. Hist. Comitum Barcin. cap. 33. & seq. refert electionem *Guadalli Domnucii* in Episcopum Barcinonensem, ad eam Sedem anno MXXIX evecti, narraturque in hujus electionis Decreto à se recitato legi eam factam esse, *assentiente domno Ottone venerabili primæ sedis Auscitæ Archiepiscopo*, cùm anno MXXXVIII Guifredus Archiep. Narbonensis Ecclesiam Gerundensem dedicarit, cujus Consecrationis Acta refert Baluzius in Appendice ad Marcam Hispanicam pag. 1066. in qua Guifredus ait, eam Ecclesiam esse suæ Diœcesis. Sed inde tantùm inferri potest Catalauniæ Episcopos modò Metropolitæ Narbonensi, modò Metropolitæ Ausciensi paruisse. Cossartius Tom. IX Concil. pag. 1111 refert Concilium Jaccetanum in Regno Aragoniæ habitum anno MLXIII, non verò anno MLX, ut perperam ibidem habetur, cui præfuit *Austindus* Archiep. Auxitanus. Episcopos verò Aragoniæ Metropolitam Narbonensem aliquando coluisse nullum occurrit exemplum. Apud San-Marthanus in Archiep. Ausciensibus Bernardus Archiep. Ausciensis circa annum CML Episcopos in Hispania instituisse dicitur, & apud Sandovalium legitur, *Sanctio* Aragoniæ Rege hujus nominis I, qui Navarræ etiam præerat, regnante, *Petrum à Roda* ad Episcopatum Pampilonensem promotum Regulam Sancti Augustini in suam Ecclesiam Cathedralem introduxisse, *assentiente Archiepiscopo Ausciensi*, idque contigisse post annum MLXXXIII. Quare consuetudo, ut Saracenis in Hispania dominantibus Episcopi Navarræ & Aragoniæ Ausciensi Metropolitæ subderentur, non solùm nunquam interrupta fuit; sed etiam cum utroque Regno incœpisse videtur. Sandovalius in Episcoporum Pampilonensium Catalogo refert Acta Conciliorum seu Conventuum ad hanc translationem faciendam Pampiloniæ & in Monasterio Leirensi coactorum, quæ apud ipsum legi possunt.

V.
Sanctius Maior Soprarbæ & Ripacurciæ Rex primus fuit.

Sanctius Maior hujus nominis III celeberrimus fuit inter Navarræ Reges, multasque victorias de Saracenis reportavit. In variis Diplomatis dicitur eum regnare *in Castella, in Astoria, in Alava, in Pampilona, in Aragone, in Suprarbe, in cuncta Gascunia* (idest, Gasconia), *in Leione* (idest Legione), *in Asturias*. Hi varii tituli Oihenartum in Notitia utriusque Vasconiæ, & Moretum in Historia Navarræ irretitos tenuêre, quia non animadverterant, *Sanctium Maiorem* ditionum à se non possessarum titulos sumsisse, quod probatu facile esset, si institutum nostrum id pateretur. Uterque tamen latè doctèque demonstravit, *Sanctium Maiorem* primum fuisse, qui *Soprarbæ & Ripacurciæ* Regis nomen sumserit, & Aragonensium qui Suprarbarum Reges à seculo octavo deducunt, finguntque Reges, qui nunquam fuêre, fabulas refutavit. Dominicus à Ripa Benedictinus eruditissimus, natione Aragonensis, in volumine Cæsaraugustæ ab aliquot annis in fol. edito complura congessit ad defensionem antiquitatis Regum suorum, fusèque Moretum refellit. Verùm hic in Dissertatione priori suorum Annalium Navarræ Tomo annexa Reges omnes, qui in *Ripacursia & Suprarbe* ante Sanctium Maiorem regnasse perhibentur, commentitios esse, ita solidè monstravit, ut lis hæc dirempta censeri debeat.

VI.
Ejus obitus.

Baronius *Sanctii Maioris* mortem cum anno MXXXV rectè copulavit, licet Epitaphium ejusdem Principis, cui innititur, recens sit. Vivebat adhuc *era MLXXII octavo Kal. Octobris*, anno scilicet Christi MXXXIV; ut patet ex Charta à Moreto lib. 3. cap. 3. recitata, sed illum mense Martio eræ MLXXIII jam vita functum esse, docet Charta ex Chartulatio Sancti Æmiliani pag. 74. descripta, in qua habetur, *Garsiam* Sanctii Maioris filium anno MXXXV *die II Kal. Aprilis* jam regnasse. Denique in libro, quem *Tumbum nigrum Sancti Jacobi* vocant, & in Annalibus Complutensibus à Moreto laudatis, Sanctii Maioris mors cum era MLXXIII, cum anno scilicet Christi MXXXV conjuncta legitur. Uxorem duxerat *Maiorem Muniam Donam* Sanctii Castellæ Comitis filiam, Reginam pietate inclytam, quæ erâ MCIV, anno scilicet Christi MLXVI testamentum condidit, annoque insequenti è seculo migravit. Aliqui Scriptores Hispani aliam ei uxorem attribuunt, ex qua *Ramirum* susceperit. At hunc ex concubina ortum esse, invictè probat Oihenartus loco laudato pag. 309. & seqq.

VII.
Tria Regna instituit.

Sanctius Maior morti proximus Ditiones inter filios suos divisit. *Garsias Sanctius* maior natu patri in Regnum Navarræ successit, cognominatus *Nagerensis*, & quartus hujus nominis inter Navarræ Reges. In trium aliorum filiorum gratiam totidem Regna erexit. Majorem partem Castellæ *Fernando* seu *Ferdinando, Magno* appellato, dedit, qui ideo primus Castellæ Rex dictus est. Antiquum Comitatum Aragoniæ Regni jure ac prærogativa auxit, illudque *Ramiro* filio suo notho concessit; in gratiam verò *Gonsalvi* seu *Gundisalvi* Soprarbem & Ripacurciam Regio titulo decoravit, ipseque jam Soprarbæ & Ripacurciæ se Regem dixerat. Porrò *Gundisalvus*, ut passim Historici Hispani tradunt, à quodam servo suo per proditionem occisus fuit, idque anno Christi millesimo tricesimo nono; ex literis enim ejus apud Sanctum Joannem Pinnatensem asservatis, constat, eum anno antecedenti adhuc in vivis fuisse, annoque millesimo quadragesimo *Ranimirum* in Regnom Soprarbæ & Ripacurciæ jam ei successisse. Quare tunc illud cum Regno Aragoniæ unitum fuit. De morte trium aliorum *Sanctii Maioris* filiorum suis locis agemus.

VIII.
Moritur Rudolphus III ultimus Burgundiæ Rex.

Rudolphus hujus nominis III Burgundiæ Transjuranæ Rex hoc anno vitam cum morte commutavit, indeque Regnum illud per plures annos bellis dilaceratum: *Rudolphus Ignavus*, inquit Hermannus Contractus in fusiori Chronico, *Burgundiæ Regulus obiit, & diadema ejus regnique insignia Conrado Imp. per Seligerum allata sunt, Imperatoreque ipsis diebus contra Misiconem Sclavorum, qui Boloni* (idest Poloni) *vocantur, Regem, exercitum ducante, Odo sororis ejusdem Rudolphi filius, Princeps Gallicæ Campaniæ, regnum Burgundiæ invasit, captis Nuenbug & Murtena castris, sua in eis præsidia posuit. Rudolphus* III nullos liberos reliquit, sed inter alias filias *Conradus* ejus pater genuit *Bertam* Odonis primi Campaniæ Comitis conjugem, quo ex matrimonio natus *Odo* II, qui Rudolpho

SÆC. XI. An. C. 1032.

pho III demortuo Regnum ad se pertinere contendebat. Alias sorores tres habuit Rudolphus III, *Giselam* scilicet Sancti Henrici Imperatoris matrem; *Gorbergam* nuptam Hermanno Sueviæ Duci, & matrem *Giselæ* Conradi Salici uxoris; & Mathildem.

IX. *Otto Campania Dux Burgundiam invadit.* Wippo utrumque bellum ab Hermanno Contracto memoratum, hoc anno fusiùs narrat; quod cùm ad majorem eorum, quæ sequentibus annis in medium afferemus intelligentiam, necessarium sit, illud ex eodem Wippone referam: *Anno dom. MXXXII Rudolphus Rex Burgundiæ, avunculus Giselæ Imperatricis obiit in pace, cujus regnum Comes Odo Francigena, filius sororis suæ invasit, & quadam castra munitissima, sive civitates, seu dolo seu bello ceperat* (loco, cepit, secundùm horum temporum loquendi modum): *nec se Regem ausus est facere, nec tamen regnum voluit dimittere. Referebat quidam illum dixisse sæpe, quòd nunquam Rex fieri, sed tamen semper magister esse Regis vellet. Eo modo magnam partem Burgundiæ distraxit, licet regnum Burgundiæ Cunrado Imperatori & filio ejus Henrico Regi, à Rudolpho Rege, postquam ipse superstes non esset, per jusjurandum jam dudum confirmatum esset.*

X. *Conradus Imp. Misiconem Poloniæ Regem domat.* *Sed dum Odo Comes hæc in Burgundia faceret, Cunradus Imp. in Sclavonia cum armis fuerat. Quid ibi ageret, vel qualiter postea Odonem repulisset de Burgundia, consequenter dicam* (nempe anno sequenti). *Supradictus Bolislaus Dux Bolanorum mortuus* (anno nempe MXXV), *reliquit duos filios, Misiconem & Ottonem. Misico dum fratrem suum Ottonem persequeretur, expulerat eum in Russiam. Dum ibi aliquantum tempus miserabiliter viveret, cœpit rogare gratiam Imp. Cunradi, ut ipso imperante & juvante restitueretur patriæ suæ. Quod dum Imperator facere vellet, decrevit, ut ipse cum copiis ex una parte, ex altera frater Otto Misiconem aggrederentur. Hunc impetum Misico ferre non valens, fugit in Bohemiam ad Udalricum Ducem, cui tunc temporis Imperator iratus fuerat. Sed ille, ut sic placaret Imperatorem, voluit sibi reddere Misiconem: quod pactum sceleratum renuit Cæsar, dicens, se nolle inimicum emere ab inimico. Otto restitutus patriæ, & Dux factus à Cæsare, dum post aliquod tempus minus cautè ageret, à quodam familiari suo clam interfectus est. Tunc Misico omnibus modis quærebat gratiam Imperatricis Giselæ & reliquorum Principum, ut mereretur redire ad gratiam Imperatoris. Cæsar misericordiâ motus dedit sibi veniam, & divisa provincia Bolanorum in tres partes, Misiconem fecit Tetrarcham: reliquas duas duobus aliis commendavit: sic imminuta potestate minor facta est temeritas. Defuncto Misicone Casimirus filius ejus* (vulgò Monachus cognominatus) *fideliter serviebat huc usque Imperatoribus nostris.* Quæ uno tenore Wippo recitat, quia Misico Polonorum Rex nonnisi post biennium è vivis excessit, ut suo loco dicetur.

XI. *Gesta in Oriente.* *Julii mensis XXVIII die*, inquit Cedrenus, *quæ fuit septimana sexta* (ideoque hoc Christi anno) *horâ noctis secundâ, stella trajecit à meridie versus Septentrionem, quæ terram totam fulgore illustraret. Pauloque post tristes nuncii de rebus Romanis allati sunt, Arabes in Mesopotamiam usque ad Melitenam grassari, Patzinacas Istro transmisso Mysiam infestare, Sarracenos grassationibus & incendiis ora Illyrici vexanda usque ad Corcyram perrexisse. Ac reliqui sanè hostes illæsi domum redierunt. Sarraceni à Ragusinis & Nicephoro Patricio Nauplii Præfecto, Caranteni filio malè sunt mulctati, prælio victi: & majorem navium partem cùm amisissent, domum redeuntes naufragio in Siculo mari perierunt. Hoc ipso anno fames simul ac pestis Cappadociam, Armeniam, & Honoriadam ita afflixerunt, ut incolæ patriis relictis, alias sibi quærerent sedes. Quibus Imperator à Mesanactis in Urbem rediens cùm occurreret, neque ignoraret migrationis causam, coegit eos domum redire, pecuniâ, & aliis ad vitam necessariis rebus eos consolatus. Sed & Michaelus Ancyræ tunc Episcopus officium fecit, nihil eorum omittens, quæ ad remedium faciendum famis, pestilentiæque malis pertinerent. Die Augusti XIII, qui fuit dominicus* (ideoque hoc Christi anno) *horâ primâ noctis, anno mundi 6540.* (juxta computum Constantinopolitanum) *magnus fuit terræ motus. & Imperator Urbem ingressus, nomine suæ prioris uxoris Helenæ recèns mortuæ magnam elargitus est pecuniam.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6526. — Anno Eræ Hispan. MLXXI. Anno Hegiræ CCCCXXV. inchoato die 26. Novemb. fer. 2.

☉ 6. G. ☽ 8. P. 22. April. Indict. 1.

JESU CHRISTI 1033.

BENEDICTI IX PAPÆ 1.

CONRADI II REG. 10. IMP. 7.

ROMANI ARGYRI IMP. 6.

I. *Christiani Saxoniæ à Paganis afflicti.* AD num. I. Glaber lib. 4. cap. 8. narrat, Paganos *Leuticos* appellatos, vicinas Saxonum Provincias crudeliter devastasse, & *Conradum Imp.* in eos irruentem eosdem compescuisse ac contrivisse. Sed cùm Glaber indicet hoc bellum anno sequenti inchoatum esse, & Wippo & Hermannus Contractus in fusiori Chronico, uterque hujus temporis Scriptor hanc cladem in annum MXXXIV conferant, eisque alii suffragentur, de ea ibidem agemus.

II. *Conradus Imp. Burgundiæ Rex coronatur.* Dicit secundò ibidem Glaber, *Conradum Imp.* de illa victoria confidentiam accipientem, Romam progressum esse, & universas rebelliones protrivisse. Sed quia Conradus Imp. ante annum MXXXVI ad compescendos rebelles se se in Italiam non contulit, ut eo anno monstrabimus, illis ad suos annos remissis, quæ Conradus hoc anno gessit, hîc referemus: *Anno domini MXXXIII*, inquit Wippo, *Imperator Conradus cum filio suo Rege Henrico Natalem domini in Argentina civitate celebravit. Inde collecto exercitu per Solodorum Burgundiam intravit, & veniens ad Paterniacum monasterium in Purificatione Sanctæ Mariæ, à majoribus & minoribus regni, ad regendam Burgundiam electus est: & in ipsa die pro Rege coronatus est. deinde quædam castella, quæ Odo* (Campaniæ Dux) *invaserat, obsedit, sed propter nimiam asperitatem hyemis, quæ tunc fuerat, valde impediebatur.* Paulò pòst: *Imperator reversus ad Turicum castrum pervenit: ibi plures Burgundionum, Regina Burgundiæ, jam vidua* (nempe Ermengarde) *& Comes Hupertus, & alii, qui propter insidias Odonis in Burgundia ad Imperatorem venire nequiverunt, per Italiam pergentes, occurrebant sibi: & effecti sui, fide promissa per sacramentum sibi & filio suo Henrico Regi, mirificè donati redierunt. Ejusdem anni æstate Imperator, cum exercitu suo super Odonem Comitem* (voces Comitis & Ducis promiscuè ab

hujus

hujus temporis Historicis usurpantur,) *in Gallias Francorum venit, dicens, si Odo in Burgundia res alienas injuste quæreret, de suo proprio, juvante deo, aliquid perdere deberet. Tunc in regno Henrici Regis Francorum, in prædiis tamen & beneficiis Odonis tantas devastationes & incendia fecit Imperator, ut ipse Odo necessitate compulsus, humiliter veniens, quæreret veniam, promittens Burgundiam dimittere, & secundum jussionem illius sibi satisfacere. Sic Imperator cum suo honore, & Odonis damno reversus est.* Idem paucioribus verbis Marianus Scotus & Chronographus Hildensheimensis habent, & fusiùs Hepidannus. Quare Imperator hoc anno, neque in Saxonia bellum gessit, neque in Italiam profectus est.

III. *Eclypsis Solaris variorum malorum prænuncia.*

Ad num. II. Refert Baronius ex Glabro lib. 4. cap. 9. signum terribile, quod in Sole apparuit: *Anno eodem, die dominica, Passionis millesimo, die III Kalendarum Juliarum, VI feriâ, Luna XXVIII facta est eclypsis seu deliquium Solis ab hora ejusdem diei sexta usque in octavam, nimium terribilis, &c. Quoniam illud intuentes intelligebant portendere quiddam fore superventura cladis humano generi triste. Nam eadem die, Natale videlicet Apostolorum, in Ecclesia B. Petri quidam de Principibus Romanorum conspirantes in Papam Romanum, cupientes illum interimere. Sed minime valentes, à Sede tamen propria expulerunt. Sed, ut præmisimus, tam pro hac re, quàm pro aliis insolenter patratis, Imperator illuc proficiscens propria sedi restituit.* Hujus Eclypsis meminêre Marianus Scotus, Chronographus Hildensheimensis, aliique, & Calvisius in Opere Chronologico eam currenti anno visam, ex regulis Astronomicis demonstrat. Verùm *Conradum* hoc anno in Italiam profectum esse, & Romanum Pontificem, Joannem nempe XIX, in Sedem restituisse, non dicit Glaber, licet ei hoc Baronius, Papebrocius in Conátu Chronico-Hist. aliique passim affingant, ut anno MXXXVIII ostendemus.

IV. *Moritur Joannes XIX PP.*

A num. III ad IX. *Joannem* XIX hoc anno extremum diem clausisse, Hermannus Contractus in utraque editione sui Chronici & Sigebertus tradidêre, idque indicat Sedis ejus duratio; in plerisque enim Catalogis anni novem & dies novem ei tribuuntur, nisi quod in quibusdam librariorum errore loco, *dierum IX*, habentur, *menses IX*. Quare cùm anno MXXIV Pontificatum susceperit ante mensem Octobrem, currenti anno, vivere desiit. *Roma*, inquit Hermannus Contractus in auctiori Chronico, *defuncto Joanne Benedictus IIX* (hunc ordine VIII ponit, quia Benedictum V ab Ottone M. depositum non numerat), *qui & Theophylactus Papa CXLIX ordinatus, licet indignus tanto ordini moribus & factis, sedit annis plus XII.* Glaber verò lib. 4. cap. 5. *Universalis Papa Romanus, nepos sc. duorum, Benedicti atque Joannis, qui ei præcesserant, puer fermè decennis, intercedente thesaurorum pecuniâ electus extitit à Romanis.*

V. *Benedictus IX ante diem XVII Novemb. Papa ordinatus.*

Benedictum IX die nona Decembris ordinatum fuisse, arbitratur Papebrocius in Conatu Chronico-Hist. sed ex monumentis Ecclesiæ Trevirensis Brouverus lib. XI Annal. Trevir. refert consecrationem Ecclesiæ ejusdem civitatis præsente Legato à Benedicto IX, postquam *Simeonem Syracusanum* in Sanctorum numerum retulit, misso factam, & hanc Inscriptionem tunc positam, quæ opinionem illam evertit. ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS MXLII. INDICTIONE IX. BENEDICTI PAPÆ DECIMO, REGISQUE TERTII HENRICI CONRADI REGIS FILII IV. XV. KAL. DECEMBRIS, FERIA QUARTA. Quare cùm die decima septima mensis Novembris anni Christi MXLII *Benedictus* IX Pontificatûs annum X numeraret, currenti ante diem illum Pontifex Romanus consecratus fuerat. An verò coram Legatis Cæsareis Benedictus hoc anno consecratus fuerit, nullus Antiquorum memoriæ prodidit.

VI. *Simonia in Italia grassatur.*

Quàm deplorandus status Ecclesiæ in Italia hoc tempore fuerit, docet Victor III Papa, qui hoc tempore vivebat, in lib. 3. Dialogorum: *Dum negligentiâ Sacerdotum*, inquit, *Italia à recto Religionis tramite paulatim devians labefactaretur, in tantum mala consuetudo adolevit, ut sacra legis auctoritate postposita, divina humanaque omnia miscerentur: adeo ut populus electionem, & Sacerdotes consecrationem, donumque sancti Spiritûs, quod gratis accipere, & dare divina auctoritate statutum fuerat, data acceptaque per manus pecunia ducti avaritia venderent: ita vix aliquanti invenirentur, qui non hujus Simoniaca pestis contagione fœdati, mundi coram Deo præcepta Dominica observantes existerent. Itaque cùm vulgus Clericorum per viam effrenata licentia nemine prohibente graderetur, cœperunt ipsi Presbyteri, ac Diacones (qui tradita sibi Sacramenta Dominica mundo corde, castoque corpore tractare debebant) laicorum more uxores ducere, susceptosque filios hæredes testamento relinquere. Nonnulli etiam Episcoporum verecundiâ omni contemptâ, cum uxoribus domo simul in una habitare. Et hæc pessima & execranda consuetudo intra Urbem maxime pullulabat, unde olim Religionis norma ab ipso Apostolo Petro, ejusque successoribus ubique diffusa processerat.*

VII. *Benedictus IX Simoniacus & pravis moribus imbutus.*

Igitur dum per aliquot annos nonnulli solo nomine Pontificum Cathedram obtinerent, Benedictus quidam nomine, non tamen opere, cujusdam Alberici Consulis filius (Magi potius Simonis, quàm Simonis Petri vestigia sectatus) non parvâ à patre in populum profligata pecuniâ, summum sibi Sacerdotium vendicavit: cujus quidem post adeptum Sacerdotium vita quàm turpis, quàm fœda, quamque execranda extiterit, horresco referre, eo potius qualiter omnipotens Deus in faciem Ecclesiæ sic dignatus respicere, exordia enarrare. Quæ postea narrat Victor III, annis, quibus Româ Benedictus expulsus fuit, verbatim referemus. Baronius num. IV refellit Heterodoxos, qui inde sumunt occasionem in Ecclesiam Romanam insurgendi & sagittas venenatas in eam immittendi. Tum num. VII ostendit, *Benedictum* IX in toto Christiano orbe habitum fuisse Pontificem Romanum, ipsumque munera Pontificalia exercuisse; quod confirmari potest ex canonizatione sancti *Simeonis Syracusani*, cujus mox meminimus, & ex Concilio Romano, quod Tom. IX Concil. pag. 1250. recitatur. Actum in eo de monasterio sancti Petri foris murum civitatis Perusinæ sito, aliisque duobus, quæ *Andreas Episcopus Perusinus* in Benedictum IX, qui primum monasterium consecraverat, transtulit. Postea enim *idem Episcopus, se jactando, atque injuriam faciendo in quodam Archipresbytero Sancti Constantii, supradicti monasterii Sancti Petri, ostendit se causare monasterium, atque ad suum jus intromittere*, idest illud repetere. Quare Bonizo Abbas hac de re questus est apud Benedictum IX, qui Synodale Concilium congregavit, in quo præfatus

SÆC. XI. An. C 1033. præfatus Episcopus dicit se nulla ratione monasterium illud repetere, *atque iterum refutavit coram domno Benedicto Papa*, idest dimisit, & in Pontificis jurisdictionem transmisit, ut variis exemplis Ducangius in Glossario ostendit. Adfuêre huic Concilio complures Episcopi, Abbates, Diaconi, & alii diversorum ordinum. *Hoc factum est in præsentia supradicti Benedicti Papæ, temporibus domini Chounradi Imperatoris, IV Nonas Novembris per indictionem quintam*, à Kalendis Septemb. ut mos in Italia ferebat, inchoatam, ideoque anno MXXXVI, non verò insequenti, ut perperàm in citato Tomo Concil. annotatur.

VIII. *Obitus Roberti Francorum Regis.* A num. IX ad XV. Non solùm Baronius *Roberti* Francorum Regis mortem cum hoc anno copulat; sed etiam Calvisius, Bucherius, Peravius, aliique Viri doctissimi. At in Chronicis Sancti Petri Vivi, Sancti Medardi, Sancti Dionysii, Odoranni, aliisque quibusdam, hæc mors cum anno millesimo tricesimo primo conjungitur, & id tribus testimoniis ex Chartis Henrici filii ac successoris erutis certum esse ostendit Baluzius lib. 4. Marcæ Hisp. ad annum MXXXI. Primum extat in Actis consecrationis Ecclesiæ Rivipullensis in Catalaunia positæ, in cujus fronte legitur: *Anno ab Incarnat. domini nostri J. C. MXXXII, erâ millesimâ LXX, indictione XV, XVIII Kalendarum Februariarum anno primo, quo post decessum venerabilis memoriæ Rodberti Regis Francorum suscepit regni gubernacula filius ejus Henricus.* Robertum autem *XIII Kal. Augusti*, seu die XX mensis Julii demortuum, testatur Helgaldus in ejus Vita. Secundum sumitur ex veteri Charta monasterii sancti Cucuphatis in pago Vallensi, in cujus calce scriptum est: *Lata sunt hæ conditiones quarto Kal. Julii anno primo Henrici Regis & dominica Incarnat. trigesimo secundo post millesimum.* Tertium deducitur ex testamento Guifredi Comitis Seritaniæ, scripto *erâ LXXIII post millesimam, anno erabeationis domini nostri Jesu Christi XXXV post millesimum, indictione IV, VI Idus Novembris, anno quinto regnante Henrico Rege Francigeno.* Mitto varia hujusmodi testimonia à viris Eruditis in medium allata, quia hæc certò evincunt Henrici Regis initia in diem XX mensis Julii anni MXXXI incidere. Verum quidem est, extare Chartas aliquas istis contrarias; sed quemadmodum plures Ottonis M. in numeris corruptas esse suprà ostendimus, ita ut ex iis Regni ejus Germanici initium malè cum anno CMXXXVI videatur affixum; sic non desunt Henrici Regis Diplomata à Librariis in numeris depravata. Legenda Dissertatio Ægidii Laccari de morte Roberti Francorum Regis.

IX. *Ad annum MXXXI retrahendus.* Primum fundamentum Baronii fuit Helgaldi Auctoris coævi in piissimi hujus Regis Vita testimonium: *Quo ad Deum*, inquit, *transiit anno, qui est Incarnatione millesimus tricesimus secundus.* Post aliquot paginas: *Ante suum sanctissimum obitum, qui tertio decimo Kalendis Augusti extitit, die passionis Apostolorum SS. Petri & Pauli, Sol ad similitudinem quartæ Lunæ subtractis radiis fuscatus, apparuit in toto mundo,* &c. *quid autem portenderit, in proximo patuit; cùm nil nobis miseris aliud, quam de sua morte dolorem intolerabilem reliquerit.* Sed Helgaldus Auctor indiligens ex ipsomet corrigendus. Nam paulò pòst subdit: *Obdormivit autem in domino XIII Kal. Augusti, lucescente aurora diei tertiæ sabbati*, idest die Martis, quæ dies anno MXXXI, non verò anno MXXXII, aut MXXXIII in XIII Kal. Augusti, seu diem XX Julii incidit. Adhæc Eclypsim illam non anno MXXXII, sed anno MXXXIII contigisse, certum & indubitatum. Denique illa non mortem Roberti Regis, sed quæ post eam fuêre calamitates, prænunciavit. Secundum Baronii fundamentum ex Glabro lib. 4. cap. 4. petitum: *Imminente anno incarnati Christi millesimo tricesimo tertio, qui est à Passione ejusdem Salvatoris millesimus, obière viri in orbe Romano famosissimi, sacræque religionis signiferi, Benedictus scilicet Papa universalis* (qui anno MXXIV vitâ functus est) *ac Rex Francorum Robertus* (anno MXXXI). *Fulbertus quoque Carnoti Præsulum incomparabilis, vir sapientissimus* (qui è vivis excessit an. MXXVIII), *nec non prænominatus pater Monachorum, fundatorque cœnobiorum eximius Willelmus*, Divionensis Abbas, cujus mortem ipsemet Glaber in ejus Vita anno MXXXI affigit. Glaber itaque, ut rectè eum exponit Chiffletius in Probationibus ad Historiam Trenorciensem pag. 299. horrendam illam famis ac luis triennio, ac præsertim hoc anno grassatam cladem descripturus, ejus veluti prognostica, magnorum aliquot virorum mortes totis ante decem annis obitas commemorat. Subjungit enim: *Sequenti itaque tempore* (scilicet post mortes memoratas, quarum ultima fuit Roberti Regis, anno MXXXI die XX Julii defuncti) *cœpit in universo Orbe terrarum fames convalescere, ac interitus penè universi generis imminere.* Postea toto illo capite calamitates tam à fame quàm à pestilentia coortas fusissimè describit, quia ejusdem capitis initio utramque intendebat, tanquam à mortibus illis prænunciatas. Quoad Eclypsim, Glaber eam ad mortem Roberti non refert, sed ad alia mala, ut legenti ejus verba patebit.

X. *Robertus Roberti Regis filius fit Dux Burgundiæ.* Glaber lib. 3. cap. 9. Roberti Regis morte memorata, ait: *sequenti anno* (sc. MXXXII) *eodem mense* (nempe Julio) *atque in eodem castro, quo Rex obierat, & ipsa* (nempe Constantia Roberti Regis uxor) *obiit. Henricus nempe Rex* (Francorum) *paternis rebus potitus, germanum suum Robertum constituit Burgundiæ Ducem.* Est is primæ Stirpis Ducum Burgundiæ caput, vixitque usque ad annum MLXXV, ut habet Chron. S. Benigni, in quo ad eum annum legitur: *Obiit Robertus Dux Burgundiæ. Successit Hugo Henrici filii ejus filius.*

XI. *Obitus S. Willelmi Abbatis Divion.* Ad num. XV. *Sanctus Willelmus* Divionensis Abbas anno MXXXI ad Cœlos evolavit, ut eodem anno num. VI & seq. legere est.

XII. *Christianorum victoria de Saracenis.* Cedrenus pag. 730. narrat quæ anno mundi secundùm Constantinopolitanos 6540. mense Augusto superioris Christi anni finito accidêre, & postea ait, per idem tempus Afros Saracenos cum mille navibus, & innumeris classiariis insulas, orasque maritimas multas infestasse; sed cum eorum parte congressum prælio, Imperatoris Ducem eos fudisse, ac quingentos in compedibus ad eumdem misisse. Præterea Edessa à Græcis capta. Narrat etiam Glaber lib. 4. cap. 7. per hæc tempora magnum inter Christianos & Saracenos in Africæ partibus prælium habitum fuisse: *Inito pugnæ certamine*, inquit, *diu multumque congressum est. Christiani tamen omninò inlæsi victores apparebant. Ad ultimum quoque tantus horroris tremor invasit Sarracenorum exercitum, ut veluti pugnæ obliti, fugam arripere tentante.*

SÆC. XI. An. C. 1034. *tantes, quamvis nequicquam, propriis irretiti jaculis, imo virtute Dei stupentes hæserunt. Christianorum verò quantus erat cuneus divino fortificatus auxilio, tanta eosdem cæde prostravit, ut ex innumerabili multitudine illorum vix pauci evaderent. Motget nempe Princeps illorum, qui quasi Moyses ita confusè nominatur, illo prælio dicitur defuisse. Collectisque spoliis, confecerunt ex eisdem plurima argenti talentorum pondera, memores voti quod Deo spoponderant. Est namque mos Sarracenorum ad prælia euntium, ut se se phaleris argenti vel auri plurimum perornent. Quod tunc etiam devotioni nostrorum præstitit augmentum, qui protinus miserunt quidquid exinde provenit, ut voverant, ad Cluniense Monasterium*, cui Sanctus Odilo præerat.

Anno Eræ Hispan. MLXXII. Anno Hegiræ CCCCXXVI, inchoato die 16 Novemb, fer. 7.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6527.

☉ 7. F. ☽ 9. P. 14. April. Indict. 2.

JESU CHRISTI 1034.

BENEDICTI IX PAPÆ 2.

CONRADI II REG. 11. IMP. 8.

MICHAELIS PAPHLAGONIS IMP. 1.

I. *Varia Concilia in Galliis coacta.* ANNum. I. ad VIII. Glaber lib. 4. cap. 5. scribit *anno à Passione Domini millesimo memoratæ cladis penuriæ subsequente*, cœpisse Concilia celebrari in Aquitaniæ partibus, dein per Arelatensem provinciam atque Lugdunensem indictum esse, *qualiter certis in locis à Præsulibus Magnatisque totius patriæ de reformanda pace & sacræ fidei institutione celebrarentur Concilia.* Quæ Baronius rectè ad hunc annum refert, qui juxta Glabrum millesimus primus est à Passione; annum enim à Passione domini juxta Glabrum, Epocha Incarnationis annis triginta tribus antecedit. Cossartius Tom. IX Concil. pag. 913. in Nota ad ista Concilia diversis locis habita, ea refert ad annum MXXXI, atque deceptum Glabrum, qui scripsit ea anno MXXXIII congregata; eoque anno quo *Robertus* Rex Francorum mortuus est; cùm tamen hic anno MXXXI demortuus sit. Verùm non dicit Glaber ea anno quo Robertus è vivis excessit, coacta, neque Robertum anno MXXXIII vitam cum morte commutasse, sed tantùm Roberti & aliorum quorundam illustrium virorum obitus famem & penuriam præcessisse, uti anno superiori num. IX exposuimus. Ea itaque Concilia in diversis Galliarum partibus hoc anno celebrata, ut Episcopi populum excitarent ad divinam agnoscendam beneficentiam, utque eum recentis calamitatis memoriâ deterrerent à criminibus, præsertimque à privatis inter se bellis, cædibus, & sacrarum rerum direptionibus. Hæc tot Conciliorum occasio fuit, ut idem Cossartius fusiùs ostendit. Plenam quidem perfectamque pacem his in Conciliis Episcopi optassent; sed cùm hoc non procederet, conati sunt anno MXLI, saltem inducias obtinere, certis præscriptis in hebdomade diebus, quibus ab inferenda cuiquam injuria prorsùs abstineretur. Id est quod tunc *Trenga Domini* vocabatur, ut eo anno videbimus.

II. *Ob bella privata, & frequentes cædes,* Baronius, qui diversa hæc Galliarum Concilia sua anno reddidit, num. VI perperàm scribit quod in illis de pace servanda statutum fuit, rursus post decennium decretum fuisse. Non enim post decennium, sed post septennium, anno nempe MXLI tentarunt iterum Episcopi pacem & justitiam inter privatos statuere, ut eo anno, ad quem pertinet locus Glabri lib. 5. cap. 1. hoc anno à Baronio num. VI recitatus demonstrabimus. Denique neutro anno actum de cessatione *a strepitu fori, vel privatis dissensionibus*, ut ibidem Glabrum Baronius interpretatur, sed in Conciliis hoc anno habitis conati sunt Galliarum Præsules bella privata, cædes & deprædationes extinguere, & cùm non potuissent, anno MXLI aliquot dierum inducias statis temporibus recurrentes instituerunt, quas quamor postea Concilia Generalia confirmarunt; quod cum non animadvertisset Baronius num. V & VI Gallicanos Præsules reprehendit, qui tamen inde magna laude digni sunt. Sed Baronius hac in re excusatione dignus, quia ejus ætate pax & induciæ inter privatos, de quibus utroque anno actum, densis tenebris sepultæ erant. Marca lib. 4. de Concordia cap. 14. primus fuisse videtur, qui copiosam earumdem explicationem susceperit; qua de re post eum alii, ex qua cùm Historia Ecclesiastica variis in locis lucem accipiat, tam hîc, quàm anno MXLI de pace & induciis, de quibus tunc actum, est sermo necessariò nobis habendus.

III. *Horum malorum origo.* Duces itaque & Comites provincias & civitates, quas aliàs sub Regum potestate & ad eorum nutum administraverant, ita hoc & superiori seculo occupabant tanquam privatas facultates, & tanquam patrimonium ad hæredes transmittebant. *Normannis* enim Gallias infestantibus, & *Caroli Magni* familia ad interitum vergente, utrisque facile fuit, commissas sibi provincias invadere, sibique vendicare. Quare vix pax esse potuit, ubi provinciæ, quæ unius erant, plurimorum imperio subdebantur, aut eadem retineri in civitatibus, ubi leges abolitæ essent. Horum exemplo, qui minora beneficia precariò à Regibus habebant, ea tanquam patrimonium defendere non verebantur; indeque odia, inimicitiæ & pugnæ ortæ, quibus fovendis multùm contulit consuetudo, quæ penes in legem abierat, ut quo semel quis alium occidisset, liceret propinquis cædem ulcisci, & in vindictam quemvis ex interfectoris propinquis impunè occidere. Hanc vindictam *Faidam* vocitabant. Tunc ergo quisque suam suorumque injuriam, non in jure coram Judice, sed ferro manuque persequebatur, & ingravescente in dies morbo, cædibus, deprædationibus & incendiis Gallia fœdissimè vastabatur. Quibus incommodis Gallicani Præsules prospicere volentes, hoc anno *primitus cœpère in Aquitaniæ partibus*, inquit Glaber lib. 4. cap. 5. Concilia celebrari, ac *de hinc per Arelatensem provinciam, atque Lugdunensem, sicque per universam Burgundiam usque ad ultimas Franciæ partes* indictum est, *qualiter certis in locis à Præsulibus, Magnatibusque totius patriæ de reformanda pace, & sacræ fidei institutione celebrarentur Concilia*; quod tam à majoribus, quàm ab infimis, quos terrebant præteriti temporis clades, avidè exceptum est, ut fusè narrat Baronius num. I & seqq. ex Glabro. Hoc etiam anno in Conciliis Bituricensi, Bellovacensi, & anno MXXXI in Lemovicensi, pax universa indicta, *ita ut nemo seditionem ageret, nullus per viam* (vel vim) *raperet, nullus, ut solebat, quasi propter justas querelas pugnam inire constitueret*, &c. de hac igi-

tur pace ab omnibus servanda, non verò de cessatione *à strepitu fori, vel privatis dissensionibus*, ut arbitratus est Baronius, actum est. Legendi Marca loco laudato, Dufresnius in Dissert. ad Joinvillam de *Privatis bellis*, M. Antonius Dominicius in Dissert. de *Trenga & pace*, aliique.

IV. *Hoc anno actum non est de Trenga Domini.*

Marca loco citato ait, Episcopos & Proceres Provinciarum, in *Aquitania* primùm, deinde per reliquas Gallias, currenti anno privatis bellis decreto suo inducias indixisse sub nomine *Treuga Domini*, à Mercurii suprema die usque ad diluculum diei Lunæ subsequentis, ea lege, ut nemo ab inimico ultionem exigeret, nemo prædaretur, nec etiam à fidejussore pignus tolleret, pœnâ capitis, aut exilio, & excommunicatione in rebelles irrogatis; hancque in rem citat Glabrum lib. 5. cap. 1., cujus locum integrum recitat Baronius num. VI. Verùm fallitur Præsul doctissimus, *Trenga* enim *Domini*, ut vocabatur, & quæ eo loco Glaber narrat, non hoc anno, sed anno millesimo quadragesimo primo statuta, ut ibi videbitur. Glaber enim duobus locis citatis de hac pace verba facit, quia duobus diversis annis de ea in Galliis actum, & nonnisi anno MXLI induciæ illæ constitutæ, postquam scilicet Episcopi & Magnates animadvertissent, potis non esse pacem inducere, quod vidit Baronius, qui ait hoc anno actum esse de pace, de qua Glaber lib. 4. cap. 5. & post aliquot annos de cessatione à strepitu fori vel privatis dissensionibus, de qua idem Glaber lib. 5. cap. 1. qui tamen meritò redarguitur à Marca, quòd hujus Historici verba malè interpretatus sit, & Gallicanos Episcopos traduxerit, quasi teni statuerint Canonibus repugnantem. Sed hæc omnia magis patebunt anno MXLI, ubi de præfatis induciis, seu *de Trenga Domini*, prolixè tractabimus.

V. *Concilium Bituricense*

Ad num. VIII. Baronius loquitur de *Concilio Bituricensi*. Sed illud ad annum millesimum tricesimum primum retrahendum. In Edicto enim Aymonis Archiep. Bituricensis post Synodum dato, legitur: *Ego Aymo Archiep. anno Incarnationis dominicæ MXXXI indictione XIV, in Concilio Bituricensi, quod actum est Kalendis Novembris*, &c. ubi indictio XIV à Kalendis Januariis, ut sæpius hoc & superiori seculo in Gallia factum invenimus, initium sumit. Adfuêre huic Concilio quinque Episcopi cum suo Metropolita, nomen enim *Jordani* Episcopi Lemovicensis, quod in laudati Edicti fine legitur, Librariorum errore irrepsit, cùm ipsemet Actione I Concilii Lemovicensis II se ab hoc Concilio Bituricensi abfuisse disertè asserat, ut in eodem Concilio pag. 870. legere est, & pag. 897. ipsemet Jordanus jubeat recitari nomina Episcoporum, qui præsentes fuêre Concilio Bituricensi, & nomen ejus lectum non sit cum aliorum nominibus. In isto Concilio Bituricensi conditi Canones viginti quinque, quorum primus est de Sancti Martialis Apostolatu, statuiturque, ut non inter Confessores, sed inter Apostolos proponatur ac celebretur.

VI. *Concilium Bellovacense fictitium.*

Meminit ibidem Baronius Concilii *Bellovacensis*, quod celebratum ait diebus quindecim post *Lemovicense* ab Episcopis Lemovicas convenientibus, idque testari Acta Concilii Lemovicensis II. Verùm, ut inquit ibidem Cossartius, fieri non potuit, ut Episcopi Aquitaniæ primæ, *Bellovaci* in Belgica Concilium celebrarint, & intra dies XV tum in Bellovacis, tum in Lemovicibus fuerint. *Bellilocense* dicere voluit Baronius, & amanuensis scripsit Bellovacense. Est autem *Bellilocum* monasterium non longe à Lemovicum civitate distans, cujus monasterii mentio in Actis Concilii Lemovicensis II pag. 898. Sed ibidem non dicitur eo in loco Concilium aliquod habitum fuisse; ideoque Concilium illud, sive Bellovacense, sive Bellilocense vocaveris merè fictitium.

VII. *Concilium Lemovicense II.*

A num. IX ad XXVII. Concilium Lemovicense II anno millesimo tricesimo primo congregatum, non verò currenti. Initio enim Sessionis primæ dicitur habitum *XIV Kalendas Decembris*, idque in festivitate dedicationis Templi Domini Salvatoris. Tum pag. 876. dicitur eum diem, quo celebratum Concilium, fuisse *quintam sabbati* idest feriam quintam, quæ certus anni millesimi tricesimi primi character est. Concilium illud dies XV post Bituricense coactum in Ecclesia Protomartyris Stephani. In eo variis documentis Sancti Martialis Apostolatus probatus, ejusque memoriam Apostolorum ritu celebrandam, secundum Joannis Papæ XIX literas, & Bituricensis Synodi Decreta, statutum. Mox ad Ecclesiam Præsules processêre, ubi Aymo Archiep. Bituricensis Sacrum solemniter celebravit, & in Oratione Martialem Apostolum appellavit. Post hæc Patres ritu solemni milites Lemovicensis Diœceseos excommunicarunt, qui pacem cum Episcopo suo firmare contumaciter renuebant.

VIII. *Decreta in eo edita.*

In Sessione secunda Sancti Martialis Apostolatus contra quosdam adversùs priora Decreta murmurantes iterùm confirmatus, quemadmodum & Bituricensis Concilii Statuta. Nonnullis aliis propositis quæstionibus, conquesti sunt Patres de excommunicatis Aquitanis, qui ignorantibus Episcopis suis à Romano Pontifice pœnitentiam & absolutionem accipiebant. Illis auditis Episcopi dixêre: *Hoc ab ipsis Apostolicis Romanis, & ceteris Patribus cautum tenemus, ut Parochiano suo Episcopus, si pœnitentiam imponit, eumque Papa dirigit, ut judicet utrum sit an non pœnitentia digna pro tali reatu, potest eam confirmare auctoritas Papæ aut levigare, aut superadjicere. Judicium enim totius Ecclesiæ maximè in Apostolica Romana sede constat. Item si Episcopus Parochianum suum cum testibus vel literis Apostolico ad Pœnitentiam accipiendam direxerit, ut multoties pro gravissimis reatibus fieri solet, in quibus Episcopi ad dignam hæsitant pœnitentiam imponendam: hic talis licenter à Papa remedium sumere potest; nam inconsulto Episcopo suo, ab Apostolico pœnitentiam & absolutionem nemini accipere licet*. Portò cum in hoc Concilio pag. 872. Odolricus Abbas monasterii Sancti Martialis de Roberto Francorum Rege tanquam jam mortuo loquatur, dicatque: *Adhuc vivente Rege Roberto, cùm antecessor meus Hugo in palatio ei assisteret*, &c. Certum inde eruitur argumentum Robertum Regem die XX mensis Julii anni MXXXI vitâ functum esse, & die XVIII mensis Novembris ejusdem anni Concilium Lemovicense II celebratum.

IX. *Libentius Archiep. Hamburgensis moritur.*

Ad num. XXVII. *Libentius* II Archiepiscopus Hamburgensis mortuus est, eique *Hermannus* Præpositus Ecclesiæ Halberstadensis successit, anno millesimo tricesimo secundo, ut docet Adamus lib. 2. cap. 49. & seq. cui Chronographus Hildenshemensis suffragatur.

X. *S. Odilo Lug-*

Burchardo Archiepiscopo Lugdunensi anno circiter

SÆC. XI. An.C. 1034. *dunensem Archiepiscopatum recusat.*

circiter millesimo vicesimo nono demortuo, inter multos de successore acriter certatum, ut narrat Baronius ex Glabro lib. 5. cap. 4. qui addit, cùm suggestum fuisset *Romano Pontifici*, ut Odilonem Cluniacensis monasterii Abbatem juxta Cleri ac plebis votum ibidem Pontificem consecraret, sanctum Abbatem ad Archiepiscopatum illum suscipiendum adduci non potuisse. Post Baronii mortem Dacherius Tom. II Spicilegii literas Joannis Papæ XIX ad Odilonem datas publicavit, quibus eum urget Pontifex, ut onus non refugiat, inter alia scribens: *percepimus injuriam s. Lugdunensis Ecclesia petentis te in conjugium, quia competebat; cui etiam salvam in facie jecisti. Obmittimus injuriam sancta plebis, cui regimen parcendo soli vita tua refugisti & refugis. Tacemus quod auctoritatem tantorum Præsulum monentium & rogantium ad Episcopalem dignitatem accedere posthabuisti*, &c. Paulò pòst: *Nam hoc sacrum regimen sicut à nullo est temerè usurpandum, ita petente Ecclesia à nullo suo fine-ti est vitandum. Quoniam tantorum perditionis reus eris, quantorum saluti exemplo & doctrina prodesse potuisses*, &c. Extat nunc illa Epistola Tom. IX Concil. Sed cùm sanctus *Odilo* ad honorem illum assumendum nullatenus adduci potuisset, *Odolricus* Archidiaconus Lingonensis, vir literis apprimè eruditus, suadente *Halinardo* tunc Sancti Benigni Divionensis Abbate, ab Henrico Imperatore Lugdunensis Præsul dictus est, ut fusè narrat Chronographus Sancti Benigni, qui Henricum Conradi Imp. filium, & ab eo in Regni Germanici consortium ascitum *Imperatorem* appellat, quia post patrem imperavit. Porrò cùm *Rodulphus* ultimus Burgundiæ Transjuranæ Rex, ad quem civitas Lugdunensis pertinebat, anno MXXXII vivere desiit, eique in Regnum Burgundiæ *Conradus* Imp. successerit, apparet Sedem Lugdunensem longo Interpontificio laborasse.

XI. *Conradus Imp. rebelles in Burgundia domat.*

Conradus Imp. anno superiori Burgundiæ Regnum armis sibi subjecit, uti ibi ostendimus. Gesta autem hoc anno ab eodem Imperatore his verbis refert Wippo: *Hujus anni æstate dum Odo præfatus promissa non attenderet, sed adhuc quandam partem Burgundiæ, quam injustè invaserat, obtineret: Imperator Churadus, expeditis Teutonicis & Italis Burgundiam acute adiit: Teutones ex una parte, ex altera Archiepiscopus Mediolanensis Heribertus & ceteri Italici ductu Huperti Comitis de Burgundia, usque Rhodanum fluvium convenerunt. Augustus veniens ad Genevensem civitatem, Geroldum Principem regionis illius & Archiepiscopum Lugdunensem atque alios complures subegit: & reversus Castrum Murat cum fortissimis militibus Ottonis munitum obsidens, vi cepit, & quos intus invenerat, captivos duxit. Ceteri fautores Odonis hoc audientes, solo timore Cæsaris fugerent: quos persecutus Cæsar omninò exterminavit de regno & acceptis de Principibus Burgundiæ multis obsidibus, rediit per Alsatiam ad Imperatricem.* Quæ narrat itaque Baronius hoc quidem anno contigère, sed jam superiori Burgundiam Conradus occuparat, adversùs quem postea aliqui rebellarunt. Hepidannus in Annal. idem ferè narrat ad annum MXXXIV, sed perperàm addit, Imperatorem *in festivitate S. Petri ad Vincula* coronatum fuisse & in Regnum Burgundionum electum; id enim anno superiori contigit, ut ibidem dictum est.

SÆC. XI. An.C. 1034. XII. *Moritur Romanus Argyrus Imp.*

A num. XXVIII ad XXXII. Romanus Argyrus, inquit Cedrenus, *morbo lento correptus est, capitis & barbæ pilis defluentibus: veneno, ut aiunt, ei ab Joanne propinato, qui deinde pupillorum alumnus factus fuit.* Subdit, Zoen Imperatricem Michaelis Joannis fratris insano amore correptam, ut hunc Imperatorem crearet, maritum venenis lentissimis confecisse, indictione secunda, XV die Aprilis, *quo die sancta magna sancta feria erat solemnitas*, sed loco, *XV die Aprilis*, legendum cum Curopalate, *XI die Aprilis*, in quam hoc anno Cœna Domini incidit. Michael Psellus ait, rumorem fuisse Romanum *Argyrum* veneno sublatum, sed fatetur se id ignorare. Agebantur, inquit, Resurrectionis pervigilia: abiit Imperator ante lucem in balneo loturus, ubi obiit, *cum imperium tenuisset annos quinque cum dimidio.* Ei successit *Zoe* ejus uxor, quæ jussit *Michaelem* salutari Imperatorem.

XIII. *Michael Paphlago ejus successor morbo sontico laboravit.*

Narrat Baronius ex Curopalate hunc Michaelem Paphlagonem *Zoes* amasium dæmoniacum evasisse, eumque ea in re Baronius sequitur. Verùm Psellus, qui de Michaele accuratè agit, ait eum morbo sontico laborasse, quod Curopalatem in errorem induxit: *Aliud præterea*, inquit Psellus, *adjumento fuit, ut omnem à se procul Imperator de illo suspicionem amoveret. Gravis enim quispiam morbus statim à pube illi inciderat. Hæc vero ægritudo, cerebri quædam emotio ac vertigo erat quibusdam periodis, nullaque mali indicatione, subitò conturbabatur, versabatque oculos & humi collidebatur, & caput ad terram affligebat, atque ad longum tempus quatiebatur, ac brevi consueta ei vultûs species redibat. Videns itaque Imperator eo morbo correptum, casum miserabatur, ac insaniæ quidem reum habebat, amorum vero & gratiarum, ut in animum induceret, adduci non poterat. Morbus vulgo prætextus videbatur, insidiarumque composita latebra. Ac plane vera videri poterat ea suspicio, nisi & postea in ictus imperium pars vertiginis symptomate laborasset.*

XIV. *Zoe Imperatrix obscœnis amoribus dedita.*

Haud itaque arduum erat Imperatori amare eos, qui se mutuo deperibant; facile enim etiam crediderat. Ut autem ego audivi ex uno eorum, qui tum in Aula versabantur, viro scilicet qui omnes amoris Augustæ causas noverat, mihique scribendæ Historiæ argumenta suggessit. Volebat quidem Imperator prope credere non deperire Augustam, Michaelem, itaque ejus amoribus esse. At sciebat omninò amare & ex libidinis æstro perditam esse. ne itaque ad multos difflueret, tolerabile, mitiusque habebat, quod cum uno uxor consuesceret; sed eo quod simulatè despiceret, Augusta effusam implebat libidinem.

XV. *Moritur Misico II Rex Poloniæ.*

Ad num. XXXIII Chronographus Hildensheimensis Misiconis hujus nominis II Poloniæ Regis mortem hoc anno narrat: *Misacho Polanorum dux immatura morte interiit, & Christianitas ibidem à suis prioribus bene inchoata* (à Misicone nempe avo & Boleslao patre) *& à se melius roborata, flebiliter, proh dolor! dispériit.* Ad hunc etiam annum Chromerus lib. 4. hanc mortem refert, & pluribus narrat turbas post eam in Polonia ortas, quas imputat *Rixæ* seu *Richezæ* Reginæ, penes quam erant Regia potestas, & *Casimirus* Misiconis filius ac successor, addens Reginam veritam, ne irritatis in se hominum animis, magnum aliquod malum in se redundaret, consilium fugæ iniisse. Verùm, uti

anno MXXV ex ejusdem beatæ Reginæ Vita à Monacho Anonymo scripta jam diximus, ea antea maritum adulterum deseruerat, & ad Conradum Imp. se se clanculò contulerat.

XVI. *Casimirus ejus filius fit Monachus.*

Difficultatem tamen facit quod in eadem Vita, seu potius Elogio Historico, dicitur, nempe *Pilgrino* Archiepiscopo Coloniensi moriente Hermannum *Richezæ* fratrem in ejus locum subrogatum fuisse; statimque subjungitur: *Eodem tempore Richeza Regina facto inter se & Regem conjugem suum divortio*, & cetera loco citato recitata. Hermannus enim infusiori Chronico, & Chronographus Hildensheimensis Piligrini mortem & Hermanni ordinationem in annum MXXXVI conferunt; cùm tamen *Misico* currenti anno è vita migrarit. Hæc itaque verba, *eodem tempore*, latè interpretanda; existimandumque *Richezam* Misiconem conjugem paulò ante mortem deseruisse, & ad Conradum Imp. venisse. Quidquid hac de re sit, certum est, post *Misiconis* obitum Poloniæ statum turbarissimum fuisse, & *Casimirum* Regem clanculum Cluniacum profectum, Monachum induisse. Per sex aut septem annos in Polonia miscentur omnia cædibus mutuis, collatisque signis inter cives atque Proceres concurritur. Neque ministris sacrorum, ac ne ipsis quidem Templis parcitur, & in pristinam barbariem ac impietatem, Polonia, abjecto vero Dei cultu, relapsura esse videbatur. Ad domestica mala accesserè hostiles incursiones, hincque *Jaroslaus* Russiæ Dux, & illinc *Prædislans* Bohemiæ Dux Poloniam infestarunt, ut fusè narrat idem Chromerus. Udalrici enim Prædislai decessoris interitum hoc anno contigisse affirmat Chronographus Hildensheimensis, qui ait: *Udalricus Bohemiæ Dux fratre secato, filio fugato, item sacramenta refringens* (cum Conrado Imp. firmata), *infidelitati instituit, & tandem in cœna residens, cibo potuque suffocatus exstabuit.* De Richeza in Casimiri morte, & de Casimiri in Regnum restitutione infrà agemus.

XVII. *Gesta ab Henrico Germaniæ Rege.*

Hermannus Contractus in fusiori Chronico, ad annum MXXXIV habet: *Pagani Sclavi, Leutizi dicti, Saxoniæ terminos infestant.* Chronographus verò Hildensheimensis: *Plura & insolita bella inter Liutizos & nostrates ad oppidum Wirbins exorta sunt, in quibus de nostris quidam interfecti sunt, & plerique sauciati.* Wippo narrata Conradi Imp. in Burgundiam expeditione, de qua mox egimus, subdit: *Interea dum hæc, quæ superiùs dicta sunt, Imperator in Burgundia faceret, filius suus Henricus Rex, licet in puerilibus annis, non segniùs Reip. consuluit in Bohemia & in ceteris regionibus Sclavorum: ubi Udalricum ducem Bohemiæ, & reliquos quàm plures Cæsari adversantes strenuè subjugavit, & rediens patri occurrens, de duplici victoria duplex gaudium populis effecerat.*

XVIII. *Leutici Pagani à Conrado Imp. compressi.*

Deinde collectis copiis de Saxonia super eos, qui Liutizi vocantur, quique olim Semichristiani, nunc per apostaticam nequitiam omninò sunt Pagani, Imperator venit: ibique conflictum implacabilem mirabiliter diremit. Inter Saxones enim & Paganos fiebant ea tempestate multæ dissensiones & incursiones: cumque Cæsar veniret, cœpit quærere, ex qua parte pax, quæ diu inviolata inter eos fuerat, prius corrumperetur. Dicebant Pagani à Saxonibus pacem primitus confundi, id per duellum, si Cæsar præciperet, probari. E contra Saxones ad refellendos Paganos similiter singulare certamen, quamvis injustè contenderent, Imperatori spondebant. Imperator consulentibus Principibus suis, licet non cautè satis ageret, hanc rem duello dijudicari inter eos permisit. Statim duo pugiles congressi sunt, uterque à suis electus: Christianus in sola fide, quæ sine operibus justitiæ mortua est, confidens, & non diligenter attendens, quod Deus, qui veritas est, omnia in vero judicio disponit, qui Solem suum oriri super bonos & malos facit: qui pluit super justos & injustos: audacter pugnare cœpit. Paganus autem solam conscientiam veritatis, pro qua dimicabat, præ oculis habens, acriter resistebat. Postremò Christianus à Pagano vulneratus cecidit. Ex qua re Pagani in tantam elationem & audaciam venerunt, ut nisi Imperator adesset, continuò irruerent super Christianos, sed Imperator ad compescendas incursiones eorum construxit castrum Wirbinam, in quo præsidia militum locabat, & Principes Saxoniæ, ut unanimiter resisterent Paganis, sacramento & Imperiali jussione constringebat; deinde reversus est in Franciam, nempe Orientalem.

XIX. *Crudelitas Leuticorum in Christianos.*

Loqoitur etiam Glaber lib. 4. cap. 8. de hac *Leuticorum* crudelitate & victoria de illis à Conrado Imp. reportata. Ille Leuticorum, quorum hoc & præcedenti seculo frequens mentio occurrit, situm hactenus valdè obscurum his verbis explicat: *Germania, quæ à Rheno flumine sursum versus ad Aquilonarem Orbis plagam tendens sumit exordium, gentibus incolitur quàmplurimis, ferocissimis atque promiscuis. Inter quas una ceteris crudelior, commanens in ultima parte secundæ Retiæ. Nam prima Retia, licet à Reno utraque dicantur, in parte ejusdem Reni conjacet occidentali. Quæ scilicet corruptè regnum Lotharii vulgò nuncupatur. In altera, ut diximus, gens Leuticorum barbara omni crudelitate ferocior, cujus vocabulum à luto derivatur. Est enim omnis illorum habitatio circa mare Aquilonare, in paludibus sordentibus, & idcirco Leutici, quasi Lutei vocantur. Hi quoque anno à Passione Domini millesimo* (anno nempe Christi MXXXIII secundùm ejus sententiam) *de suis egressi latibulis vicinas sibi provincias Saxonum ac Barbarorum nimiùm crudeliter devastantes, res Christianorum ad solum usque deleverunt*, &c.

XX. *Situs Leuticorum in Germania.*

Krantzius lib. 5. de Sax. Blondellus in Pleniori Assert. Genealogiæ Franc. pag. 23. Mabillonius Sec. V. Benedict. in Notis ad Vitam S. Adalberti Episc. Pragensis pag. 862. aliique passim Recentiores *Lutitios*, seu *Leuticos*, eos populos interpretantur, qui hodie *Lusats* dicuntur, & in *Silesia* habitant. Verùm nominis similitudo Viros doctissimos decepit; Glaber enim Auctor synchronus eos circa mare Aquilonâre habitasse disertè docet, & Ditmarus lib. 7. pag. 106. de Leuticis loquens ait: *Qui Abotrini & Wari vocantur*, qui ideo in Ducatu Mecleburgensi hodierno ac in Occidente Pomeraniæ sedes suas habebant. Ditmarus autem anno MXVIII obiit, & Obotritos seu Abotritos ac Waros ibi habitasse non videtur in dubium revocari posse. Cluverius in Germania Antiq. lib. 3. pag. 106. rectè probat, *Varinos* seu *Varnos*, qui iidem sunt ac *Wari*, Ducatum Mecleburgensem incoluisse. Quare eorum situm Glaber scitè designavit, licet multa absurda in medium afferat, ut quando ait, Rhætiam *in parte Occidentali Rheni* positam esse, *quæ scilicet*, subdit, *regnum Lotharii vulgò nuncupatur*,

quo

quo nihil falsius. Addit Rhætiam, ubi Leutici, à Rheno ita appellatam, quod in Geographia munstruosum. Sed si exemplo quorumdam aliorum Scriptorum, qui media ætate vixêre, nova nomina fingit, situm tamen Leuticorum optimè notat, cum ait: *Est enim omnis illorum habitatio circa mare Aquilonare* (nempe circa mare Balticum) *in paludibus fordentibus*. Quæ vera positio Ducatûs Mecleburgici seu Megalopolitani, non verò Lusatiæ. Verùm hanc difficultatem exhauriemus seculo sequenti, quo de Sancto *Ottone Bambergensi* Episcopo, & Pomeranorum Apostolo verba faciemus.

Anno Eræ Hispan. MLXXIII. Anno Hegiræ CCCCXXVII, inchoato die 5. Novemb. fer. 4.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6528.

☉ 8. E. ☽ 10. P. 30. Marr. Indict. 3.

JESU CHRISTI 1035.

BENEDICTI IX PAPÆ 3.

CONRADI II REG. 12. Imp. 9.

MICHAELIS PAPHLAGONIS Imp. 2.

I. *Synodus Triburiensis.*

AD num. I & seqq. Accuratè Baronius Synodum *Triburianam* cum Hermannu Contracto in Auctiori Chronico hoc anno, perperàm vero Cossartius Tom. IX Concil. cum Sigeberto anno millesimo trigesimo primo consignat; Hermannus enim est horum temporum Scriptor. Rectè tamen Cossartius hujus Acta Concilii ex Baldrico in Chronico Cameracensi, lib. 3. cap. 51. narrat: *Triburiæ*, inquit Baldricus. *fecit Magontiam Imperator Conradus de diversis partibus Episcopos convocavit, ut quæ utilitatis & religionis sunt, adinvicem conferrent. Qui post aliqua Doctorum suorum, hoc habuerunt capitulum: ut si quando jejunium primi mensis, in ea hebdomada qua constat caput jejunii, sicut solet, eveniret, amborum jejuniorum celebritas una officii expletione compleretur. In hoc rursus moderatissimus Pastor* (Gerardus sc. Cameracensis Episc.) *antiquam Patrum consuetudinem servari monebat; & in altera hebdomada officium primi jejunii celebrandum, pro consuetudine antiqua censebat. Cujus oblata sententia, visa est congrua, & ab eis decreta est tenenda.* Chronographus Hildensheimensis Concilium istud in annum sequentem differt, indeque idem Cossartius pag. 937. Concilium *Triburiense* in duo dividit, quorum prius anno MXXXI, posterius hoc vel sequenti anno celebratum fuerit. Sed non dubito, quin Auctores isti de uno eodemque Concilio verba faciant, quod unus Hermannus Contractus suo anno reddidit.

II. *Berengarius post hæc tempora hæresim suam sparsit.*

Baronius refert, *Berengarium*, cujus hæresis à Roberto Rege Francorum compressa fuerat, annitente *Brunone* Andegavensi Episcopo, eam liberius promulgare ausum esse, sed *Henricum* Roberti patris successorem totius Regni Episcopos ad Concilium vocasse, eique silentium imposuisse. Addit Baronius Concilium illud non videri celebratum fuisse, *Theoduino* Leodiensi Episcopo Regem dissuadente. Verùm Concilium illud *Parisiense* anno ML celebratum, & *Bruno* anno tantùm millesimo quadragesimo septimo Huberto in Episcopatum Andegavensem successit, ut San-Marthani in Episcupis Andegavensibus certis argumentis demonstrant. Quare *Berengarius* nonnisi longè post hunc annum errorem suum disseminavit.

III. *Non Durandus, sed Deoduinus adversùs eum scripsit.*

Refert postea Baronius num. II & seqq. Epistolam *Durandi* Leodiensis Episcopi *contra Brunonem Andegavensem Episcopum & Berengarium Turonensem*, in qua cùm Concilii adversus eumdem Berengarium memorati nulla mentio sit, inde Cardinalis doctissimus deduxit, præfatum Concilium congregatum non fuisse. Sed ea Epistola non à *Durando*, sed à *Deoduino* seu *Theotuino* Henrici III Imperatoris consanguineo & Leodiensi Episcopo scripta. *Durandus* enim, ut habet Albericus in Chronico anno MXXI, Sancti Henrici Imperatoris operà Episcopus Leodiensis dictus, annoque MXXV demortuus. Baronio, aliisque hæc Epistola errandi causa fuit, errorique occasionem dedit littera D *Durandi*, & *Deoduini* nomen designans. Rectè itaque Sigebertus, quem Baronius hallucinatum esse credebat, Durandi Episcopatûs initium & finem collocavit, sed Hermannus Contractus à Baronio citatus Durandi mortem non memorat. Porrò Epistola illa, cui titulus, *Epistola D. Leodicensis Episcopi*, quæ Barouii tempore mutila erat, nunc integra legitur Tom. IV Analect. pag. 396. & seqq. à Mabillonio ex Codice MS. eruta.

IV. *Epistola Adelmanni ad Berengarium.*

Quoad *Adelmanni* Brixiensis Episcopi Epistolam à Baronio num. VII memoratam, qua ille ut errores suos revocet, Berengarium monet, longè post hunc annum data fuit. Ughellus enim Tom. V Italiæ Sacræ ait, eum Brixiensem Ecclesiam rexisse ab anno MXLVIII ad annum circiter MLXI. Extat ea in Biblioth. Patrum, de qua anno MXLV agemus.

V. *Peregrinatio Hierosolymitana frequentior haberi cœpit.*

Glaber lib. 4. cap. 6. postquam superiori capite de pace & abundantia, quæ famem & pestilentiam, quibus Orbis terrarum valdè afflictus fuit, subsecuta sunt, verba fecit, ait: *Per idem tempus ex universo Orbe tam innumerabilis multitudo cœpit confluere ad sepulchrum Salvatoris Hierosolymis, quantam nullus hominum prius sperare poterat. Primitus enim ordo inferioris plebis: deinde verò mediocres; post hæc permaximi quique Reges, & Comites, ac Præsules. Ad ultimum verò, quod nunquam contigerat, mulieres multa nobiles cum pauperioribus illuc perrexêre. Pluribus enim erat mentis desiderium mori, priusquam ad propria reverterentur, &c. Eodem quippe tempore Odolricus Aurelianorum Præsul illuc pergens, quid viderit, nobisque narraverit, non prætermittendum videtur miraculum. Die igitur magni illius sabbati, quo ignis mirabilis Dei potentia veniens ab universo populo præstolatur, ibi cum ceteris idem Præsul astabat, &c. Statim verò, ut assolet, Dei virtute erumpens ignis ex una lampadarum, quæ septem ibidem pendere cernuntur, cursim eructuando ceteras inflammavit*, &c.

VI. *Moritur Robertus Normanniæ Dux.*

Tunc etiam inter ceteros Robertus Normannorum Dux cum ingenti multitudine sua gentis Hierosolymam proficiscens, detulit secum plurima auri & argenti donaria, eroganda gratuà. Qui dum rediret, apud Niceam obiit urbem (in Bithynia positam) *ibidemque sepultus quievit. De quo maximum apud suos idcirco extitit justitium, quoniam non fuerat ei proles matrimonio aliqua ad regimen suscipiendum provinciæ, quamlibet sororem Anglorum Regis Cnut manifestum est duxisse uxorem, quam odiendo divortium fecerat.*

SÆC. XI. An. C. 1035.

rat. Ex concubina tamen filium genuerat, Willelmi nomen atavi ei imponens, cui antequam proficisceretur, universos sui Ducaminis Principes militantibus adstrinxit sacramentis, qualiter illum in Principem pro se, si non rediret, eligerent. Quod etiam statim ex consensu Regis Francorum Henrici unanimiter postmodum firmaverunt. Robertum autem hoc anno *VI Nonas Julii* Niceæ demortuum, prodit Gemmeticensis lib. 6. cap. 18. & Ordericus lib. 3. de eo habet: *Inde rediens apud Nicenam urbem Bithyniæ anno ab Incarnat. domini MXXXV obiit. Porrò Willelmus filius ejus, qui tunc octo annorum erat, Ducatum Normannorum suscepit; & multorum æmulorum insidiis impetitus LIII annis strenuè gessit.* Antea de Roberto patre dixerat: *Principatum Normanniæ septem annis & dimidio insigniter tenuit*: ubi dimidium illud latè explicandum; annos enim ferè octo Ducatu potitus est, ut colligitur ex iis quæ regiminis ejus initio diximus. Willelmus iste est hujus nominis II, isque celebratissimus, & Angliam armis subegit.

VII. *Obitus Canuti Angliæ Regis.*

Anglici Scriptores, qui *Roberti* Normanniæ Ducis obitum cum anno MXXXI perperàm illigant, *Canuti* Angliæ, Daniæ & Norvegiæ Regis mortem rectè in præsentem conferunt. Ex *Alfgiva*, priusquam Anglorum Rex crearetur, filios duos genuerat, *Swanum* & *Haraldum*, quamquam non desint, qui *Alfgivam*, non uxorem, sed concubinam vocent. Quidquid hac de re sit, cum Angliæ Regno *Emmam* Ethelredi Angliæ Regis relictam, *Elfgivam* etiam appellatam uxorem duxit, & ex ea *Hardicanutum* filium suscepit, & *Gunildam* filiam. Ante suum obitum *Swanum* super Norvegios Regem constituit. Super Danos *Hardicanutum*, sive Hardecoutum; *Haroldum* verò Anglorum Regem renunciavit, & postea *hoc anno, secundo Idus Novembris, feriâ quartâ, vita decessit*, inquit Hovedenus, qui addit, Emmam Reginam in Anglia resedisse. Ita ille. Verùm Encomiastes Emmæ Anglorum Reginæ, qui quæ tunc gesta sunt ignorare non potuit, lib. 2. ait, Canutum *Hardecanutum* filium Regem Danorum renunciasse, & quosdam Anglorum *Regis sui jam defuncti* oblitos, *Haraldum* sibi in Regem elegisse. Quod cùm anno sequenti contigerit, ibi hac de re verba faciemus. Huntindoniensis ait, Canutum *filiam suam Imperatori Romano cum ineffabilibus divitiis maritasse*; cùm autem Wippo, qui hoc tempore vixit, in Vita Conradi Salici scribat: *Anno domini MXXXVI Henricus Rex filius Imperatoris Cuittonis Regis Anglorum filiam nomine Chunelindem pro Regina consecratam, Regalibus nuptiis in conjugium duxit*; quod & Hermannus Contractus etiam habet, apparet, non Canutum, sed Hardecanutum ejus filium, ut scribit Westmonasteriensis ad annum MXLI, loco scilicet non suo, *Gunildam* sororem suam Henrico Germaniæ Regi uxorem tradidisse, & Huntindoniensem patri tribuisse quod ad filium referendum erat. Vocat autem Huntindoniensis Henricum *Romanum Imperatorem*, quia post Conradi patris mortem imperavit. Baronius anno MXXVII num. I de Canuto Romæ agente scribit: Henrico *tunc nuptui traditam filiam Cunti Regis Daniæ & Angliæ, quem & Canutum appellant, nomine Chunigundem, Urspergensis affirmat.* Verùm memoria labitur Cardinalis doctissimus; Urspergensis enim has nuptias cum anno MXXXVI disertis verbis copulat. Quare non erat, cur Alfordus hoc anno num. V Baronium, laudato perperàm Urspergense Abbate, ea in re sequeretur; cùm ipsemet anno MXLI num. III fateatur Malmesburiensem de Reg. lib. 2. & passim Auctores Anglos inter pia Hardecanuti facinora *Gunildæ* sororis nuptias numerare.

VIII. *Expeditio Conradi Imp. adversùs Paganos Leuticos.*

Wippo citatus gesta hoc anno à Conrado Imp. adversùs Leuticos, qui Pagani erant, his verbis narrat: *Sequenti anno idem castrum* (nempe Wirbina, castrum *quod est juxta Albiam*, inquit Helmoldus in Chron. Slavorum lib. 1. cap. 18.) *à Paganis dolo raptum est, & plures nostrorum, qui in eo erant, ab iis occisi sunt. Hinc commotus Imperator iterum cum copiis usque Albim fluvium venit. Sed cùm Pagani transitum prohiberent, Imperator per aliud vadum fluvii, partem exercitûs latenter transmisit: & ita fugatis hostibus, ipso per ripam, liberam regionem ingrediens, immensis devastationibus & incendiis, & ubique nisi in locis inexpugnalibus sic humiliavit eos, ut censum ab antiquis Impp. propositum, & jam auctum Cunrado Imperatori postea persolverent. Multum enim laboravit Cunradus Imp. prius, & tum in gente Sclavorum: unde quidam de nostris quoddam breviarium versificè fecit, quod postea Imperatori præsentavit. Ibi legitur, qualiter Imperator interdum in paludibus usque femora stabat, pugnans ipse & exhortans milites, ut pugnarent; & victis Paganis nimis acriter trucidabat eos pro quadam superstitione illorum nefandissima. Nam fertur, ut quodam tempore effigiem ligneam crucifixi domini nostri Jesu Christi scelerato ludibrio habuissent Pagani, & in eam spuerent, atque colaphis cæderent, ad extremum oculos eruebant, manus & pedes truncabant. Hæc ulciscens Imperator de captis Paganis maximam multitudinem pro una effigie Christi, simili modo truncavit, & varia morte delevit. Idcirco in eisdem versibus, Cæsar ultor fidei vocatur.* Idem hoc anno referunt Hermannus Contractus, Chronographus Hildensheimensis & Glaber lib. 4. cap. 8. nisi quod is una serie quæ adversùs Leuticos gesta recitat.

IX. *Italia domesticis dissidiis dilacerata.*

Pergit Wippo: *Item eodem tempore magna & modernis temporibus inaudita confusio facta est Italiæ, propter conjurationes quas fecerat populus contra Principes. Conjuraverant enim omnes Valvasores Italiæ, & gregarii milites adversùs Dominos suos, & omnes minores contra majores, ut non paterentur aliquid inultum sibi accidere à Dominis suis supra voluntatem ipsorum, dicentes, si Imperator eorum nollet venire, ipsi per legem sibimet facerent. Hoc cùm nunciatum esset Imperatori, fertur dixisse: Si Italia modo esurit legem, Concedente Deo bene legibus hanc satiabo, & præparans se anno sequenti, Italiam cum copiis intravit*, ut ibidem videbimus. Idem habet Hepidannus in Annal. ad hunc Christi annum. Subdit Wippo: *Interea Principes Italici malè conceptam conjurationem periculum generale posse scientes: convenerunt simul cum minoribus, & prius exhortationibus & consiliis hoc recens malum destruere conabantur: cùm hoc non procederet, tentabant bello superare, sed inito prælio minorum incredibilis multitudo sola impressione catervatim vicit. Ibi Episcopus Astensis indigna statione periit, cæteri fugerunt, & nimium confusi adventum Imperatoris ægrè spectabant.*

SÆC. XI. An.Ch.1036.

X. *Obitus Sanctii Majoris Navarræ Regis.* *Sanctius Major* Navarræ Rex, cujus uxor fuit *Majera Mumia Dona*, usque ad præsentem annum vitam propagavit, ut anno MXXXII ostendimus.

Anno Eræ Hispan. MLXXIV. Anno Hegiræ ccccxxvIII. inchoato die 24. Octob. fer. 1.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6529.

☉ 9. DC. ☽ 11. P. 18. April. Indict. 4.

JESU CHRISTI 1036.

BENEDICTI IX PAPÆ 4.

CONRADI II REG. 13. IMP. 10.

MICHAELIS PAPHLAGONIS Imp. 3.

I. *Conradus Imp. Italiam intrat.* AD num. II. Hoc anno, ut inquit Wippo, *Imp. Conradus cum filio Henrico Rege Italiam intravit cum exercitu, & celebravit natalem domini Veronæ.* Idem habet Hepidannus, qui ait Imperatorem *incipiente hyeme* profectum esse. Quid ibi egerit, anno sequenti referemus.

II. *Moritur S. Godehardus Episc. Hildensheimensis.* *Sanctus Godehardus* Episcopus Hildensheimensis anno millesimo tricesimo octavo ad Deum migravit. Chronographus enim Hildensheimensis ad eum Christi annum scribit: *Eo tempore venerandæ memoriæ sanctus noster Pontifex Godehardus III Non. Maii, videlicet feriâ VI post Ascensionem domini ex hac vita subtractus ad æternam cum Christo perenniter victurus migravit: nobisque miseris immensam mæstitiam discessu suo contulit. Quem verè ad Deum præcessisse non discredimus: hoc tamen quod sancta ejus ammonitione, fructiferaque virtutum præ ostentatione præsentialiter privamur, meritò semper ingemiscimus.* Quare cùm anno MXXXVIII Festum Ascensionis in diem quartum mensis Maii incidat, ejus mors in diem sequentem convenit, qui erat feria sexta. Henschenius ad diem quartam mensis Maii refert, in quibusdam Breviariis & Martyrologiis Sancti Godehardi depositionem ad diem V mensis Maii, in aliis verò ad diem quartum ejusdem mensis recitari. Quare cùm Godehardus postridie Ascensionis Domini, ut in ejus Vita legitur, & mox ex Chronographo Hildensheimensi vidimus, animam Deo reddiderit, &, uti habet Anonymus in Historia ejus Canonizationis ab Innocentio II factæ, & ab Henschenio ibidem relatæ, ejus *Translatio* anno MCXXXII die quarta mensis Maii peracta fuerit, ex Martyrologis & Breviariorum conditoribus alii ad diem mortis ejus, alii ad Translationis diem respexêre.

III. *Canonizatus ab Innocentio II.* Cùm Godehardus sicut in Vita, ita & post mortem miraculis clareret, *anno Dominicæ Incarnationis MCXXVIII; obitûs verò beati Godehardi nonagesimo,* Bertholdus Hildensheimensis Episcopus in consessu suorum Clericorum de condignis in Ecclesia Dei huic Sancto honoribus exhibendis egit; sed cùm aliquanto post tempore obiisset, & *Bernardus* in ejus locum suffectus fuisset, pertexit is ad Innocentium II, qui anno MCXXXI die XXIX mensis Martii Leodii erat, ubi *Lotharium* Germaniæ Regem Imperatorem coronavit, & de communi Ecclesiæ statu cum multis Catholicis viris pertractavit. Bernardus opportunitatem ultrò sibi oblatam videns petiit à Pontifice, ut Vir Dei canonizaretur. Sed de ejus Canonizatione suo loco.

SÆC. XI. An. Ch. 1036.

IV. *Polonia à Bohemiæ Duce devastata.* Ad num. III. Cosmas Pragensis Decanus refert, *Pradislaum* Bobemorum Ducem cum ingenti exercitu Guesnam venisse, urbem naturâ loci & antemurali firmam, *ubi tunc temporis in Basilica S. Dei genitricis Mariæ perpetuæ Virginis, pretiosissimus quiescebat thesaurus, scilicet beatissimi Adalberti corpus. Qua mox Bohemi sine marte potiuntur urbe, & cum magna lætitia intrant Sancta Dei genitricis abdyta, atque omni pradâ postpositâ, solam sibi poscunt dari pro Christo passam sacri corporis pretiosam massam.* Subdit Cosmas apertum fuisse Sancti Adalberti Episcopi Pragensis & Martyris Sarcophagum, & corpus ejus inventum esse vividum, translatumque Pragam cum corpore Sancti Gaudentii, & quinque aliorum. Subjungit: *Facta est hac Translatio beatissimi Christi Martyris Adalberti anno Domini MXXXIX Kalendis Septembris.* Hic Auctor Historiam Bohemiæ anno MLXXXVI scripsit, & senio confectus anno MXCVI decessit. Eamdem Translationem postea alii Bohemiæ Scriptores retulêre. Chromerus tamen qui lib. 4. de hac Prædislai invasione agit, ait Bohemiæ quidem Principem *Guesnam* cepisse, sed ministros Templi, ubi jacebat, pio mendacio *Sancti Gaudentii* corpus pro Sancto Adalberto, rogantibus obtulisse, corpus verò Sancti *Adalberti* in adyto templi clàm refodisse; illud à Bohemis pro Sancto Adalberto raptum, & in Bohemiam asportatum. Quam narrationem Chromerus desumsit ex Joanne Longino Cracoviensi Canonico anno millesimo quadringentesimo octuagesimo demortuo. De hac corporis Sancti Adalberti Pragam relatione magna animorum contentione Poloni & Bohemi inter se certant, & quilibet sibi sacrum corpus vindicant. Utriusque partis rationes exhibet Henschenius ad diem XXIII Aprilis, quo Sanctus Adalbertus colitur.

V. *Gesta in Oriente.* Ad num. IV. *Anno ab origine mundi 6544.* inquit Cedrenus erâ mundi Constantinopolitana usus, *indictione quarta, verno tempore, Patzinaca ter impressionem fecerunt in Romanam ditionem, obviis omnibus excisis: & quoscumque cepissent, & nullius habita ætatis ratione, interfectis, ineffabilibus cruciatibus in captivos debacchati, &c. Mortui sunt etiam Rossorum Principes Nosisthlabus & Jerosthlabus. Et Serbia* (seu Servia), *quæ morte Romani Imperatoris jugum excusserat, rursùs imperio conjuncta est. Amere Ægypti Amermunna mortuo* (idest, Calipha) *uxor ejus Christianæ religioni dedita, cum filiò Legatos de pace ad Imperatorem mittit. Cujus is petitioni assentiens, XXX annorum pacem composuit.* Quæ hoc anno in Oriente gesta. Calipha ille Ægypti *Alis* appellabatur, & *Tabirus*, seu *Taberus* cognominabatur, cujus mortem Elmacinus lib.3.cap.6.cum anno Hegiræ ccccxxvII copulat, proditque *Mustanzirum Billam* filium ei successisse. Quoad Jerosthlabum seu Jarolaum Russiæ Ducem, fuit is Sancti Wolodomiri qui fidem Christianam in Russiam induxit filius, cujus filiam Annam Henricus Francorum Rex uxorem duxit, qui *post Mahildis Reginæ humationem*, inquit Auctor Anonymus Fragmenti Aquitanicæ Historiæ apud Duchesnium Tom. IV de Henrico Rege loquens, *accepit aliam conjugem, videlicet filiam Jurisclobt* (nomen à Librario corruptum) *Regis Russorum, nomine Annam, quæ ei genuit tres filios, Philippum, Hugonem,*

gonem, Rotbertum: quorum Rotbertus puer obiit. Idem in eo Tomo legitur in Excerpto veteris Chronici, nisi quod Librarii errore Anna dicitur filia *Georgii* loco Jeroslai. Wippo tamen in Vita Conradi Salici ad annum MXXXIV Mathildem non uxorem sed sponsam Henrici Regis fuisse his verbis testatur: *Eo tempore filia Imperatoris Conradi & Gisela Imperatricis Mathilda nimium formositatis puella Henrico Regi Francorum desponsata obiit Wormatia, ibique sepulta est.*

VI. *Haraldus Angliæ Rex eligitur.* Mortuo anno superiori *Canuto* Angli in varias factiones divisi sunt, & nihil in Insula tutum esse credebatur. *Cùm Rex Canutus*, inquit Ingulphus Croylandensis Abbas, qui hoc seculo vixit, *in regno ferè viginti annos perfecisset, obiit: & Wintoniæ sepelitur. Cujus duo filii, Haroldus, & Hardecnutus, tum de regno disceptantes, videbantur bellum maximum parturire. Nam Dani, & Londonienses, Haroldum filium Elfgivæ Northamptoniæ, sed diffamatum, fictum filium Regis Cnuti*, (ut enim Encomiastes Emmæ Anglorum Reginæ lib. 2. scribit, plurimorum assertio perhibet Haraldum fuisse impositum cameræ languentis concubinæ): *Angli verò, cum tota cetera terra, potius Edwardum, filium Regis Ethelredi, seu saltem Cnuti Regis filium Hardecnutum, ex Emma Regina genitum eligebant. Hinc perterrita hominum ac mulierum multitudo maxima cum suis parvulis ac catallis omnibus mobilibus* (idest, cum omnibus bonis suis mobilibus catalli nomine expressis, ut videre est in Glossario Ducangii) *ad Croylandiam concurrebat; sola suspicione belli supervenientis attracta, ad Mariscorum uligines & alneta, lutumque lacuum, tanquam castrum refugii fortissimum, arbitrati. Hi adventitii universum monasterium multis querelis & interpellationibus jugiter inquietabant; & tota die in claustrum irruentes, de suis indigentiis dominos loci cum blanditiis allicere in suum favorem, tam per servos monasterii, quam per se, assiduè in Monachorum auribus incumbebant. Hinc Monachi claustrum relinquentes, vix ad divinum officium, in chorum de dormitorio ausi sunt descendere: vix ad communis mensæ participationem, in refectorium poterant convenire.* Ventum tandem ad Regis electionem *Convenerunt apud Oxeniam*, inquit Westmonasteriensis ad annum MXXXV, *ad colloquium Proceres regni; ut de novo Rege creando tractarent ibidem*, &c. *Sed quoniam Hardecanutus erat tunc in Dacia; Aelfredus & Edwardus filii Regis Ethelredi* (& Emmæ Reginæ) *absentes in Normannia; prævaluit pars Haraldi, & regni Angliæ diademate insignitus, Wintoniam festinavit.*

VII. *Archiep. Cantuariensis eum coronare recusat.* Verùm Haraldum Aelnotum Archiepiscopum Cantuariensem coronare noluisse, docet Encomiastes laudatus: *Electus, metuensque futuri advocat mox Archiepiscopum Ælnotum, virum omni virtute & sapientia præditum: imperatque & orat se benedici in Regem, sibique tradi cum corona Regale sua custodia commissum sceptrum, & se duci ab eodem, quia ab alio non fas fuerat, in sublime regni solium. Abnegat Archiepiscopus sub jurejurando asserens se neminem alium in Regem* (*filiis Emmæ Reginæ viventibus*) *laudare vel benedicere*: Hos meæ fidei Cnuto
" commisit, his fidem debeo, & his fidelitatem
" servabo. Sceptrum & Coronam sacro altari
" impono, & hoc tibi nec denego, nec trado:
" sed Episcopis omnibus, ne quis eorum ea tol-
" lat, tibive tradat, teve benedicat, Apostoli-
" ca auctoritate interdico. Tu verò si præsumis
" quod Deo, mensæque ejus commisi, invadito.
Quid miser ageret, quo se verteret, ignorabat. Intentabat minas, & nihil profecit. Expendebat munera, & nil lucratus; doluit, quoniam vir Apostolicus nec valebat minis dejici, nec muneribus flecti. Tandem desperatus abscessit, & Episcopalem benedictionem adeo sprevit, ut non solum ipsam odiret benedictionem; verum etiam universam fugeret Christianitatis Religionem. Namque dum alii Ecclesiam Christiano more Missam audire subintrarent, ipse aut saltus canibus advenandum cinxit, aut quibuslibet aliis vilissimis rebus se se occupavit, ut tantum declinare posset quod odivit. Quod Angli videntes dolebant, sed quia hunc sibi Regem elegerant, hunc erubuerunt dejicere, ideoque disposuerunt hunc sibi Regem finetenus esse.

VIII. *Haraldi crudelitas adversus filios Ethelredi Regis.* *Haraldus* cum suis iniquo excogitato consilio fecit Epistolam in persona Reginæ ad Edwardum & Alfridum ejus filios in Normannia commorantes, invitatque ad reditum, promptos civium animos ad eos recipiendos pollicita. Eam Epistolam recitat laudatus Encomiastes. Mittitur ea per certos cursores, & Edwardus ac Alfridus *nimis falsitatis creduli, inconsultè remandant genitrici, unum eorum ad eam esse venturum.* Statuto igitur die Alfridus minor natu, *laudante fratre, elegit sibi commilitones: & arripiens iter Flandriæ, venit in fines.* Sed postquam littus Anglicum contigit, atrocissimis traditi sunt carnificibus, & alii perempti, alii servituti mancipati. Alfridus verò *effossis etiam luminibus impiissimè est occisus.* Quod hoc anno contigisse Wigorniensis scribit. Quid actum sit de Edwardo, suo loco dicemus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6530. *Anno Æræ Hispan. MLXXV. Anno Hegiræ CCCCXXIX, inchoato die 14. Octob. fer. 6.*

☉ 10. B. ☽ 12. P. 10. April. Indict. 5.

JESU CHRISTI 1037.

BENEDICTI IX PAPÆ 5.

CONRADI II REG. 14. IMP. 11.

MICHAELIS PAPHLAGONIS IMP. 4.

I. *Conradus Imp. Italicos compescit.* AD num. I & seq. Postquam Wippo in libro de Vita Conradi Salici narravit eum hoc anno Natale Domini Veronæ celebrasse, ait: *Inde ad Mediolanum veniens ab Heriberto Archiepiscopo magnificè receptus est in Ecclesia sancti Ambrosii. In ipsa die* (*nescimus cujus consilio*) *penè gravis tumultus factus est populi Mediolanensis, quærentis ab Imperatore, si vellet favere conjurationi eorum. Unde commotus Imperator, præcepit, ut omnes in urbem Papiensem ad generale colloquium venirent. Quod dum factum esset, cunctis reclamantibus, legem fecit Imperator. In ipso Placito quidam Hugo Comes, & alii quamplures Italici appellabant Archiepiscopum Mediolanensem pro multis causis, quibus eos offenderat. Imperator verò vocato Archiepiscopo præcepit, ut satisfaceret omnibus. Quod dum Archiepiscopus renueret, sensit Imperator omnem illam conjurationem Italiæ ipsius consilio factam esse. Et mox comprehenso illo retinuit in sua potestate. Deinde commendavit eum in custodiam*

Poppon*i*

SÆC. XI. An. C. 1037. *Popponi Patriarchæ Aquilegiensi, & Chunono Duci Carantanorum, qui ab eis ductus est cum Imperatorio usque Placentinam civitatem.* Paucis interpositis: *Imperator quæque castella sibi adversa destraxit, & iniquas conjurationes Italiæ, justa lege reducta, exinanivit, & veniens Ravennam, Sanctum Pascha ibi celebravit.*

II. *Episcopi tres in exilium mittit.* *Eodem anno in Italia tres Episcopi Vercellensis, Cremonensis, Placentinus apud Imperatorem accusati sunt: quos Imperator comprehensos exulari fecit. Quæ res displicuit multis, Sacerdotes Christi, sine judicio damnari. Referebant nobis quidam piissimum nostrum Henricum Regem, filium Imperatoris, salvâ reverentiâ patris, clam detestari præsumptionem Cæsaris in Archiepiscopum Mediolanensem, atque in istos tres: & meritò, quia sicut post judicialem sententiam depositionis nullus honor exhibendus est, sic ante judicium magna reverentia Sacerdotibus debetur.* Paulò post: *Eo tempore Imperator Mediolanenses nimium afflixit: & quoniam urbem antiquo opere & maxima multitudine munitam capere non poterat, quod in circuitu fuerat, igne & gladio consumpsit.* Paucis interjectis: *Eodem tempore Papa Cremonæ occurrebat Imperatori, & honorificè receptus & dimissus, Romam reversus est. Imperator disperso exercitu per regiones, ipse ad montosa loca secessit, propter refrigerium, quoniam ea æstate magnus calor imminebat.*

III. *Moritur S. Symeon Syracusanus.* Ad num. III. Sanctus Symeon Syracusanus Treviris ab aliquot annis inclusus, præsente Ebervino qui ejus Vitam scripsit, *animam sanctam horâ tertia, Kalendis Junii* reddidit Creatori, inquit idem Ebervinus. Annum ejus mortis Brouverus lib. XI Annal. Trevirentium ex veteri Diario Bibliothecæ Sancti Petri Trevirensis eruit. KALENDIS JUNII ANNO MXXXIV. INDICT. II. CONRADO SECUNDO REGNANTE ANNO X. IMPERANTE AUTEM VIII. POPPONE VIDELICET TREVIRORUM ARCHIEPISCOPO HONOREM SUI PONTIFICATUS REGENTE XVIII. OBIIT B. SYMEON. Baronius, ut hanc mortem in hunc annum differret, inductus est à Trithemio à se laudato. Natus erat in civitate Syracusana nobilissimis parentibus; cumque Constantinopolim sacris literis imbuendus missus fuisset, Hierosolymam devotionis causâ venit, indeque post aliquot annos ad radices montis Sinai secessit, tandemque Antiochiam, unde in Franciam, Trevirosque profectus est, ut suis locis diximus.

IV. *Occiso Veremundo III, Regna Legionis & Castellæ uniuntur.* Ad num. IV. *Veremundus* Legionensis Rex hujus nominis III, *Podagricus* cognominatus, cum à *Sanctio Majore* Navarræ Rege magnis cladibus affectus fuisset, pacem cum eo pepigit Christianæ religioni in Hispania commodam. Data tunc *Sanctia* Veremundi Regis soror *Ferdinando* Magno Sancti Majoris filio cum jure successionis in utrumque Regnum. Verum post Sanctii Majoris mortem, quæ ante biennium contigit, ut ibidem vidimus, *Ferdinandus* tunc Castellæ Rex *Veremundum* sororium de finibus lacessivit; commissoque cum eo prælio, interfectus est Veremundus *Erâ MLXXV*, ut liquet ex hujus Epitaphio, à Baronio recitato, ideoque hoc Christi anno. *Ferdinandus* victricibus armis continuò Legionense Regnum, quod alioqui jure debebatur, occupavit, & ad Legionem Regni caput victor exercitus advolavit. *Ferdinandus*, inquit Rodericus Toletanus lib. 6. cap. 9. *ingrediens Legionem in Regem ab omnibus est receptus, & Regali diademate decimo Kalendas Julii a venerabili Servando Legionensi Episcopo insignitus est*, anno nempe sequenti, quia Rerum Hispanicarum Scriptores notant, Ferdinandum inauguratum die XXII mensis Junii, *feria quintâ*. Postquam autem Ferdinandus Legionensi Regno auctus fuit, bellum in Mauros multis victoriis illustre confecit, ut infrà videbimus. SÆC. XI. An. C. 1037.

V. *Emma Anglorum Regina in Flandriam secedit.* Anno superiori diximus, *Haraldi* Angliæ Regis jussu *Alfridum* Ethelredi & Emmæ Reginæ filium occisum esse; quod postquam Encomiastes ejusdem Reginæ narravit, ait: *At Regina tanti sceleris novitate perculsa, quid facto opus sit mente considerat tacita. Animus ejus diversus huc illucque rapitur, & se amplius tanta perfidia credere cunctatur: quippe quæ perempti filii inconsolabiliter confundebatur mœrore, verum multò amplius ex ejusdem consolabatur certa requie. Hinc duplici, ut diximus, augebatur causa, necis videlicet filii miserabilis mæstitia, tum verò reliquæ suæ vitæ, dignitatisque diffidentia.* Paucis interpositis: *Exteras nationes petere sibi utile credit, quod sagaci ratione fine tenus perducit. Tamen quas petit non externas sibi experta est fore, quis* (idest, quibus) *immorans haud secus ac suis colitur decentissimè. Igitur pro re atque tempore quàmplurimos potest sibi fidos Optimates congregat. His præsentibus secreta cordis suis enucleat. A quibus etiam inito Domina probato consilio, commeatus classium eorum apparatur exibo. Itaque prosperis res flatibus transfretant, & cuidam stationi haud longè à castello Bruggensi distanti so se applicant. Hoc castellum Flandrensibus colonis incolitur; quod tum frequentiâ negotiatorum, tum affluentiâ omnium, quæ prima mortales ducunt, famosissimum habetur. Hic equidem à Marchione ejusdem provinciæ Balduino magni & invictissimi Principis filio, ejusque conjuge Athala, quæ interpretatur nobilissima, Francorum Regis Roberti, & Reginæ Constantiæ filia, honorificè, uti se dignum erat, recipitur. De quibus etiam in prædicto oppido domus Regali sumptu apta eidem Reginæ tribuitur: ceterum obsonium benignè offertur. Quæ partim illa cum gratiarum actione suscepit, partimque se se non indigere quodammodo ostendit.* quod hoc anno contigisse refert Huntindoniensis pag. 364. Is Balduinus V est hujus nominis, qui anno MXXXVI Balduino IV patri successerat, & præcedentium Flandriæ Comitum gloriam facilè offuscavit, inquit Meyerus, qui addit, eum *Pium* fuisse cognominatum.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6531.

☉ 11. A. ☽ 13. P. 26. Mart. Indict. 6.

JESU CHRISTI 1038.

BENEDICTI IX. PAPÆ 6.

CONRADI II REG. 15. IMP. 12.

MICHAELIS PAPHLAGONIS IMP 5.

Anno Eræ Hispan. MLXXVI. Anno Hegiræ CCCCXXX, inchoato die 7. Octob, fer. 3.

I. *Gesta à Conrado Imp. in Italia.* A Num. I ad XI. Wippo in Vita Conradi Salici, quæ is in Italia sub anni superioris finem, ac currenti gessit, hoc modo refert: *Eodem anno hyberno tempore collecto exercitu, Imperator transcendens Padum ad Parmam civitatem venit, ibi Natalem domini celebravit, inchoante*

SÆC. XI An. C. 1038. *choante anno dominica Incarnat. MXXXVIII In ipsa die Nativitatis domini inter Teutonicos & cives Parmenses magna seditio orta est, & quidam bene valent vir Conradus infertor ciborum Imperatoris cum aliis interfectus est. Unde commotus exercitus gladiis & igne cives aggreditur, & Imperator post incendium magnam partem murorum destrui precepit, ut eorum præsumptionem non fuisse inultam hæc ruina aliis civitatibus indicaret. Deinde Imperator transcendens Apenninum montem, in Apuliam tendebat. Imperatrix verò Romam orandi gratiâ venit, inde ad Imperatorem revertitur. Imperator autem ad terminos Imperii sui perveniens, Troiam, Beneventanum, & Capuam, aliasque civitates Apuliæ, lege & justitia stabilivit: dissentiones, quæ erant inter Normannos extraneos & indigenas, sola jussione sedavit: & cunctis offensionibus de regno sublatis, feliciter reversus, Viennam venit. Ibi dispositis obsidionibus, & insidiis adversùs Mediolanenses, qui adhuc sibi rebelles fuerant, ceterisque rebus ad voluntatem suam per regnum compositis, patriam revisere decrevit. Eo tempore propter nimium calorem nimia contagio pestilentia exercitum invasit: neque ætatibus, neque personis pepercit. Ibi Regina Chunelindis, conjux Henrici Regis XV Kalend. Augusti quasi in limine vitæ, ingressu mortis occubuit, relinquens tantummodo solam filiolam de Rege, quam postea pater Christo desponsans in Abbatissam consecrari fecit. Filius Imperatricis Hermannus, Dux Alemannorum, juvenis bonæ indolis, & in rebus bellicis strenuus, eadem peste gravatus, inter manus peritissimorum medicorum V Kal. Augusti, non sine magno imperii detrimento, obiit. Eodem mense atque sequenti, maxima multitudo exercitûs, morbo contacta, periit.*

II. *Romam venit.* Idem narrant Hermannus Contractus in suo Chronico, Chronographus Hildensheimensis, & Hepidannus, sed nullus eorum *Conradum Imp.* Romæ fuisse innuit; imò cùm Wippo disertè asserat, Imperatricem in eam urbem profectam, nulla Imperatoris mentione facta, qui argumento negativo nimis tribuunt, inde deducere possent, *Conradum* hanc profectionem non instituisse. Verùm Victor III Papa, qui hoc tempore vivebat, lib. 2. Dialog. Petrus Diaconus Casinensis in Vita SS. Guinizonis & Januarii, Monachorum Casinensium, in Actis SS. Bollandianis ad diem XXVI Maii recitata, Leo Ostiensis lib. 2. cap. 66. cujus verba Baronius num. V refert, & Glaber lib. 4. cap. 8. & seq. expressis verbis id referunt, isque quid ibi egerit, hoc modo recitat: *De qua victoria* (nempe quam Conradus anno MXXXV de Leuticis reportavit) *idem Imperator acceptâ confidentiâ, rursum collecto exercitu Italiam pergens, ad ipsam urbem Romam progrediens, universos rebelliones* (idest, rebelles, ut pluribus ostendit Ducangius in Glossario) *qui contra eum insurgere tentaverant, anno integro ibidem degens, proterendo compescuit.* Describit postea Glaber Eclypsim Solarem anno MXXXIII die vicesima nona mensis Junii visam, cujus verba Baronius anno MXXXIII num. II, ipsique eo anno, refert, subditque Glaber: *Tunc corda humani generis stupor ac pavor tenuit immensus. Quoniam illud eventu intelligebant portendere quaddam fore superventuri a cladis humano generi triste. Nam eadem die, natale videlicet Apostolorum, in Ecclesia beati Petri quidam de Principibus Romanorum conspirantes in Papam Romanum, cupientes illum interimere. Sed minimè valentes, à Sede tamen propria expulerunt. Sed, ut præmisimus, tam pro hac re, quàm aliis insolenter patratis, Imperator illuc proficiscens propriæ sedi restituit. Nec non & alia passim in Orbe cùm in Ecclesiasticis, tum etiam in rebus secularibus multa contra jus fasque patrata.* Verùm ex verbis illis Baronius loco laudato, Papebrocius in Conatu Chronico-Hist. ac in Joanne XIX & plerique omnes, qui de Romanis Pontificibus tractationem instituêre, malè intulerunt, *Joannem* Benedicti IX decessorem eo anno & die, quibus Eclypsis Solis apparuit, Sede expulsum, & postea à Conrado Imp. in eam restitutum. Glaber enim tantùm significat deliquium illud Solare portendisse mala, quæ nunc universo Orbi accidêre, & nominatim dejectionem Romani Pontificis à dignitate sua, quæ quinquennio post contigit, nempe currenti anno, eodemque die quo Eclypsis præfata genus humanum terruerat. Sed laudati Scriptores Glabrum perperàm interpretantes existimarunt, eum non solùm affirmare *Joannem Papam* eo die, quo Eclypsis illa conspecta; sed etiam eodem anno, Christi sc. MXXXIII à Proceribus Romanorum malè habitum, licet certum sit, Glabrum *Benedictum nonum* intendere, non verò Joannem XIX ejus decessorem, quem Conradus Imp. non restituit. SÆC. XI. An. C. 1038.

III. *Gesta à Conrado Imp. in Apulia.* Victor III Papa citatus, Petrus Diaconus, & Leo Ostiensis laudati disertè affirmant Imperatorem Româ in Apuliam ad rebelles domandum profectum, quod Wippo & Leo Ostiensis præsenti anno factum expressè asserunt. Diem notat ejus Capuam ingressûs Leo Ostiensis, cujus verba num. VIII Baronius recitat, *Vigilias sanctæ Pentecostes* diem scilicet XIII Maii. Idem Victor statum Apuliæ his verbis describit: *Pandulphus Capuanus Princeps vir potentissimus ac ditissimus fuit, qui latrocinando, humanum sanguinem fundendo, civitates, oppida, ac aliorum prædia circumcirca manentium crudeliter auferens, suo subdidit dominatui, &c. Insuper etiam omnem thesaurum hujus monasterii* (sc. Casinensis) *auferens asportavit*, &c. *Cùm verò jam Omnipotens Deus tantis sceleribus finem vellet imponere, & lacrymæ, & voces pupillorum, viduarum ac pauperum, nec non orationes, precesque servorum Dei, in conspectu divinitatis ejus essent admissa, sicut scriptum est* „Cor Regis in manu Dei est„ *Conradi Imp. mentis inspiravit, ut ad vindicandas ejus Ecclesias, ac de tyrannorum manibus eruendas, Italiam revisens.* illuc enim anno MXXVII fuit), *Romam veniret. Cùm igitur magno exercitu congregato, Italiam ingrediens Romam venisset, optimos ex latere suos viros Capuam mittere placuit Pandulpho Principi, cui, ut bona Sancti Benedicti, injustè à se ablata, omni postposita mora, restitueret*, &c. *Cumque ii, qui missi ab Imperatore fuerant, Capuam venissent, multis cum eodem Pandulpho verbis frustrà habitis, ad Imperatorem sine effectu reversi sunt. At verò postquam Imperator se contemptum à Principe vidit, ira commotus, Româ exercitu moto egrediens, Casinum venit, ac ad B. Patris Benedicti limina conscendit, &c. præfatus igitur Augustus Capuam ingressus, eidem Pandulpho Principatûs honorem auferens, alterum in locum ejus constituit.* Quæ fusiùs Baronius ex Leone Ostiensi refert. Erat adhuc in Italia Imperator die decima octava mensis Julii, quo *Cunehildis*, ut ex mox dictis liquet, supremum diem obiit, qui ex Italia circa initium mensis Octobris digressus est, post-

quam

quàm *Benedictum* IX in Sedis Romanæ possessionem redintegrasset, quod mirum est taceri à Leone Ostiensi, Petro Casinensi, Victore III Papa, & à Wippone, qui omnes de iis, quæ in Italia egit, sermonem habuêre.

IV. *Heribertus Archiep. Mediolani excommunicatur.*

Hermannus Contractus, qui hujus restitutionis mentionem etiam non fecit, addit rem à laudatis Auctoribus prætermissam: *Papa Archiepiscopum Mediolanensem* (nempe Heribertum) *Imperatori adhuc rebellantem excommunicat.* Quod Chronographus Hildensheimensis his verbis confirmat, *prædictus Mediolanensium Metropolitanus ab Apostolico Pontifice post justas crebras ammonitiones communi Episcoporum decreto, in Paschis anathematizatus, & à cœtu fidelium est segregatus. Qui nihilominus in sua obstinatione perduravit, & Imperatori pro posse in omnibus per præsentem & etiam subsequentem annum incommodavit.*

V. *Henricus à Conrado Imp. Patre Burgundiæ Rex dicitur.*

Postquam Wippo res gestas ab Imperatore in Italia narravit, subdit: *Reversus Imperator in Baoriam, ægrotantem exercitum medicinis & consilio reficiebat: & dum omne regnum serenitate pacis invenisset illustratum, ejusdem anni autumno Burgundiam adiit, & convocatis cunctis Principibus regni generale Colloquium habuit cum eis: & diu desuetam, atque penè deletam legem tunc primùm Burgundiam prælibare fecerat. Transactis tribus diebus generalis Colloquii quarta die Primatibus Regni cum universo populo laudantibus atque rogantibus, Imperator filio suo Henrico Regi regnum Burgundiæ tradidit, eique fidelitatem denuo jurare fecit. Quem Episcopi cum ceteris Principibus in Ecclesiam Sancti Stephani, quæ pro capella Regis Soloduri habetur, deducentes hymnis & canticis Deum laudabant, populo clamante & dicente, quod pax pacem generaret, si Rex cum Cæsare regnaret, reversus Imperator per Basileum descendens, Franciam Orientalem & Saxoniam, atque Frisiam.* « Pacem firmando, legem faciendo revisit. Ita Wippo.

VI. *Moritur S. Stephanus. Rex Hungariæ.*

A num. XVI ad XIX. *Sanctum Stephanum* Hongariæ Regem hoc anno spiritum Deo reddidisse, non solùm Hermannus Contractus & Marianus Scotus à Baronio laudati; sed etiam Wippo ad annum MXXXVIII testantur: *Eodem anno*, inquit Wippo, *Stephanus Rex Hungarorum obiit, relinquens regnum Petro filio sororis suæ.* Hunc Hermannus *de Venetia natum* dicit. Carthuitius in Vita ejus diem emortualem notavit, festum nempe Assumptionis beatissimæ Virginis; sed annus in ea Vita corruptus; ibi enim Stephanus mortuus dicitur *anno dominica Incarnat. millesimo tricesimo quarto*: quod librariis attribuendum, qui in diebus, mensibus & annis memorandis, sive eos cifris exprimant, sive integris literis, sæpe peccant. Ab initio conversionis suæ Stephanus usque ad mortem Ecclesiæ favit. Glaber lib. 3. cap. 1. ubi de ejus conversione egit, addit: *Tunc temporis cœperunt penè universi, qui de Italia & Galliis ad Sepulchrum domini Hierosolymis ire cupiebant, consuetum iter, quod erat per fretum maris, omittere, atque per hujus regionis patriam transitum habere. Ille verò* (nempe Sanctus Stephanus) *tutissimam omnibus constituit viam: excipiebat ut fratres, quoscumque videbat, dabatque illis immensa munera. Cujus rei gratià provocata innumerabilis multitudo tam nobilium, quam vulgi populi, Hierosolymam abierunt.* Innocentius Undecimus ejus festum die secunda mensis Septembris celebrandum instituit ob victoriam à Christianis ea die in Budæ expugnatione, è Turcis reportatam. Regnum Hungariæ fundavit *S. Stephanus*, quod à posterioribus Regibus auctum ad Adriaticum & Euxinum usque extensum, per tot secula contra Tartaros & Turcas validissimum Christianorum propugnaculum fuit.

VII. *Primus Normannorum in Siciliam adventus.*

Lupus Protospata in Chron. testatur Normannos primùm hoc anno in Siciliam venisse: *Descendit Michael Patricius, & Dux, qui & Sfondili vocabatur, & transfretavit cum Maniacha Patricio in Siciliam*; quod & Chronographus Barensis habet. Hujus expeditionis causam narrat Leo Ostiensis lib. 2. cap. 68. *Per idem tempus*, inquit, *Maniacus Dux ab Imperatore Cpolitano cum exercitu ad debellandos Saracenos in Siciliam missus: cùm Apulia atque Calabria milites in auxilium conscivisset, Legatos ad Guaimarium* (qui Princeps Salerni erat, ejusque amicus) *misit: orans, ut Normannorum illi auxilium mitteret.* Addit Leo, *Guaimarium* ejus precibus annuisse, & aliquot Normannos ad eum misisse. Cumque jam maxima Siciliæ pars recuperata esset, & Syracusana civitas capta, paulò post in sua redeuntibus Græcis atque Normannis, *Saraceni* mox cuncta, quæ amiserant, receperunt. Sed de his legendus Malaterra, Summontius in Hist. Regni Neapolitani, aliique, qui referunt Græcos *Normannorum* gloriæ invidentes malè eos habuisse.

VIII. *Ferdinandus M. Saracenos in Lusitania bello vexat.*

In Lusitania verò *Ferdinandus Magnus*, qui nuper Legionense Regnum Castellæ Regno adjunxerat, victricia arma in Saracenos etiam vertebat, eosque ad extremos Durii fines, in veteris Lusitaniæ parte bello exagitabat. Hi anno superiori, Hispaniæ Regibus inter se dissidentibus, Castellam, Legionem & Gallæciam devastarant; verùm currenti Ferdinandus, post varia minoris momenti oppida eis erepta, *Visenum* urbem in intima Lusitania positam circumsedit, ac tandem vi expugnavit, uti narrat Sandovallius in ejus Vita ex veteri Diario, quod Andreæ Resendii Viri doctissimi fuit: *Era MLXXVI, IV Kal. Julii capitur Viseo à Rege Fredenando die XVIII, postquam obsideri cœpta est. Sequenti die horâ tertiâ traditur munitio* (arx scilicet à Duce Saraceno validè defensa). *Capitur ibi occisor Regis Adefonsi* (Alphonsi nempe V Legionis Regis, ictu sagittæ, dum eamdem urbem obsideret, anno MXXVII occisi, ut ibidem insinuavimus), *quem Rex* (nempe Ferdinandus) *jussit necare à sagittariis, excavatis prius oculis, ambabus manibus, & pede de armotoste* (erat armotoste instrumentum, quo sagittarius, dum ballistam contenderet, utebatur) *eadem Erâ XI Kal. Augusti capitur Lameco ab eodem Rege, dedente Zadan Ibn-Huim filius Havim Abo Asem post multa pugna. Iste fuit major Regulus Regulis de Lameco, & multa populavit loca, à Durio usque Tanara & Vauca flumina.* Postea *Era MLXXVII* (anno nempe Christi MXXXIX) *capiuntur in extrema Durii cis & citra multa villa*, &c. *& usque ad Ripa Tagi.* Dein post capta varia veteris Castellæ oppida in Regnum Toletanum ingressus *Almenonem* Regem Saracenum vectigalem fecit, uti habet idem Sandovallius, tàm in Hispaniæ Monasteriis, quàm in Vita Ferdinandi Regis, qui addit, *Ferdinandum*, summi pietate in monasterium Sancti Petri Cluniacensis affectum, illud annua multorum aureorum pensione

SÆC. XI. An. C. 1039. pensione impertiisse. Unde noo mirum, si cognomento *Magni* exornatos fuerit; cùm tot illud victoriæ de Mauris reportatæ pepererior.

Anno Eræ Hispan. MLXXVII. Anno Hegiræ CCCCXXXI, inchoato die 22. Septemb. fer. 7.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6532.

☉ 12. G. ☽ 14. P. 15. April. Indict. 7.

JESU CHRISTI 1039.

BENEDICTI IX PAPÆ 7.

HENRICI III. REG. I.

MICHAELIS PAPHLAGONIS IMP. 6.

I. *Obitus Conradi Imp.* AD num. I. *Anno Dominica Incarnat. MXXXIX*, inquit Wippo in Vita Contadi Salici, *dum Imperator Cunradus jam in filio suo Rege Henrico, regni rem, imperii antem spem benè locatam consideret: cumque penè omnia per regnum ad libitum suum inclinata videret, ipso anno diem Sanctum Pentecostes apud Trajectum civitatem Frisia celebravit, ubi cùm sacratissimam solemnitatem venerando, magnificè cum filio & Imperatrice coronatus procederet ad mensam, mediocri dolore correptus est, tamen, ne tanta dies latitiam perturbaret, dolorem dissimulavit. Sequenti die, cùm morbus lethalis vehementer insisteret, Imperatricem cum filio Rege ad prandium exire jubet de cubiculo. Inter ea Imperator finem sibi imminere sentiens, sicut in vita sanus, in actu semper constans & strenuus fuit, ita in extremis nihil segnioris fidei permansit: & vocatis Episcopis corpus & Sanguinem Domini, & Crucem sanctam cum Reliquiis Sanctorum apportari fecerat: & erigens se cum lachrymis valde affectuosis, in confessione pura, & oratione intenta, Sanctorum communionem ad peccatorum remissionem devotissimè accipiens, Imperatrici & filio Regi Henrico per fida monita valedicens, ex hac vita migravit XI Nonas Iunii* (legendum cum Chronographo Hildensheimensi, II Nonas Junii) *feria II indictione VII.* Idem habent alii Historici, qui de Contadi Salici morte mentionem fecêre. *Trajecti* autem Frisiæ civitatis nomine, non *Trajectum* ad Mosam, *Superius* appellatum, sed Trajectum *inferius*, quod tum Frisiæ urbs habebatur, Wippo intelligit. Ea Vita Baronii tempore lucem oon viderat, ideoque ex ea Historia Ecclesiastica illustranda fuit. *Filius ejus domnus Heinrichus in omni quidem virtutum exhibitione perstrenuus, ante scilicet in specialem regni monarchiam generali Cleri, populique praelectione, nunc autem sine quavis contradictionis molestia, summâ Christianissimi concordiâ, solio patris Deo gratias est inthronizatus*, inquit Chronographus Hildensheimensis.

II. *Michael Imp. agrotat.* Ad num. II. Narrat Baronius ex Curopalate, cùm *Michael* Imp. in dies magis magisque à dæmone torqueretur, misisse in omnes regiones pecuniam Presbyteris & Monachis; morbum tamen, accedente etiam hydropisi auctum esse. Verùm initio ejus Imperii ex Michaële Psello ostendimus, *Michaelem* à Dæmone obsessum oon fuisse, sed sootico morbo laborasse.

III. *Templa adificat.* *Ceterum*, inquit Psellus, *Imperator manifestè jam gravi corpere intumuerat, intercuteque aqua laborare cunctis palam erat. Quam ob rem tum alia prastabat, ut morbum averruncaret, expiationibus usus & lustrationibus; tum & in suburbano pro manibus ad ortum Solis illustre templum extruxit, haud omnem ejus crepidinem basimque evertens, sed fundamenta prioribus majora circumducens. Erat enim ibi fanum quoddam nihil ipsum splendidum habens, nec structurà insigne. Hoc ille pulchriore forma componens, portasque & xystos exterius fabricatus, ac muris obsepiens, extructisque adibus condecorans, divinam religiosa exercitationis palastram fecit: omnem prope superiorum Impp. in extruendis sacris adibus ac templis operam ac facultatem observans. Certam enim proportionem sina summis concinnè aptavit, immensumque decus adificiie ritè consertis ac harmonia affinxit, lapidesque nobilissimos pra ceteris stratoque solo adhibuit, auroque & tessellato opere adem omnem illustravit, nec non pictura arte, vivisque ac spirantibus (ut quis dicat) imaginibus, ubi par erat, templum perornavit. Praterea lavacrorum gratias aquarumque copiam, quacumque denique alia oculos oblectare solent, omnemque sensum ad proprium sensibile movere, huic usque templo adjunxit, & [ut ita loquar] contemperavit. Hac verò prastabat, tum, ut Deo honorem haberet, tum etiam, ut ejus famulos sibi propitios redderet, si quomodo tumefacta illius viscera sanarent. Verùm nihil amplius erat, completo illi vita modulo, ac dissoluta compage. Quam ob rem ea ille deposita spe, futurum judicium sibi ipse modis omnibus praeconciliabat, indeque prorsùs iis maculis, quas animo contraxisset, liberari satagebat.*

IV. *Magia falsò incusatus.* *Ajunt sanè quidam eorum, qui non benevolè admodum erga illius affecti familiam sunt, animique libidine judicia ferunt, priusquam is Imperii sceptra capesceret, nefandas quasdam ceremonias eam in rem fuisse adhibitas, visaque obscura eorum spirituum, qui aerem obsident, rerum illi summam pollicitam esse, & ex illo, ut Deum negaret, mercedem poposcisse. Hoc igitur esse ajunt quò torqueretur, mentisque procella quateretur, atque ad ejusmodi expiationes moveretur. Siquidem igitur verus hic sermo, noverint qui illi devotionis foci exciterant. Sin autem falsus, meus rursus scopus victor exeat. Ad me sanè quod attinet, qui sciam ex hominum genio esse, ut fingant crimina, haud facilè vulgi rumoribus ac calumniis animum accommodo; sed ea qua feruntur argumentis probans, inde mihi ipse rerum fidem statuo. Novi certè hominem, & post adeptum imperium, omnis virtutis edidisse speciem, nec divinis solum templis animum adhibuisse; sed & viris Philosophicis operam dedisse, ac eximiè coluisse. Philosophos autem dico, non qui rerum substantias scrutentur, nec qui mundi primordia quarant, sua verò salutis principia nullâ curà prosequantur; sed qui spreto mundo cum supra mundanis ac cœlestibus vitam instituant.*

V. *Philosophos & gravibus morbis affectos colit.* *Quis enim eum latuit ejus generis hominum? quam non terra, marisque scrutatus est oram, rupiumque anfractus, & antea abditas terra cavernas, ut quem in eis latitantium deprehenderet? deprehensos autem in Regiam adductoe, quo non honore prosequebatur? pulvere conspersos detergens illorum pedes, tum illos circumfusus, suaviterque deosculans; necnon ipsorum pannos laceros in occulto gestans; atque illos quidem in Regio thoro collocans, ipse vero in humile quoddam stratum grandi quodam lapide caput sustinente, se ipse projiciens, aliaque admirationis plena prastabat.*

Dico

Dico autem non cui propositum sit, ut laudationem contexam, sed ut ea quæ gesta sunt, in Annales referam. Quod enim vulgò cavere solent, ne cum iis quorum oblesa sunt corpora, leprosisque consuetudinem habeant; ille magnificentius quid agebat, qui se ad illos conferret, vultumque exesis illorum corporibus ac ulceribus admoveret: atque etiam sinu confoveret, & amplexaretur atque balneis recrearet, velutique dominis servus emptitius illis astaret. Obstruantur ergo nequissimorum hominum ora, nec eorum linguis maledicis ac calumnia tinctis veneno Imperator subjaceat. Pluribus postea Psellus de piis ejus fundationibus & exercitiis agit.

VI. *Emma Regina cum Hardecanuto filio in Angliam redire cogitat.*

Hoc anno *Emma* Angliæ Regina, quæ Haraldi Angliæ Regis persecutionem fugiens in Flandriam secesserat, *Hardecanutum* Daniæ Regem & *Eduardum* filios ad se vocavit. Rem verbis Encomiastes ejusdem Reginæ narrabo: *In tanta posita securitate, Legatos suo filio mittit Eduardo* (est is Eduardus cognomento Confessor, quem Regem videbimus) *postulatum, ne versùs se pigritaretur venire. Quibus ille obaudiens equum conscendit, & ad matrem usque pervenit. Sed ubi eis copia data est mutuo loquendi, filius se matris fortunas edocet miserari; sed nullo modo posse auxiliari, cùm Anglici Optimates nullum ei fecerint jusjurandum. Quæ res indicabat à fratre auxilium expetendum*, &c. *Post cujus reditum, nuncios Hardenuctoni filio suo legat*, &c. *Ardebat enim animo, fratris* (nempe Alfridi nefariè occisi) *injurias ultum ire, imo etiam matris legationi parere. Hinc utrique res prævidens, quam maximas potest navium militumque parat*, &c. *Denique maris irâ pacatâ, omnique tempestate sedata, prosperis flatibus sinus pandit velorum: sicque secundo usus cursu, ad Brugensem se se applicuit portum*, &c. *Nec longè post filio cum matre morante, & memorata visionis promissa spectante* (jam enim dixerat in somno ei significatum fuisse Haraldum periturum) *nuncii læta ferentes munera adventant; qui videlicet Haraldum mortuum nunciant. qui etiam referunt Anglicos ei Principes nolle adversari, sed multimodis jubilationis sibi conlætari. Unde regnum hereditario jure sibi debitum non dedignetur repetere, & suæ dignitati, eorumque saluti juxta in medium consulere.*

VII. *Mortuo Haraldo Hardecanutus fit Rex Angliæ.*

His Hardenucto, materque animati repetere statuunt oras aviti regni. Cujus rei fama, ut populares impulit aures, mox cuncta dolore & luctu complere cerneres, &c. Sic toto plangebatur littore, sic ab omni plorabatur populo astante, &c. Tandem vicit amor patriæ, & omnibus viritim osculatis, & flebili eis dicto vale, cum filio, suisque altum petit mare, non absque magna lachrymarum utrimque fusa ubertate. Igitur Principes Anglici parum prævenisse fidentes legatione, antequam ab illis transfretaretur, obvii sunt facti, optimum facturi, ut & Regi, Reginæque satisfacerent, & se devotos eorum dominationi subderent. His ita peractis, & omnibus suis in pacis tranquillitate compositis, fraterno correptus amore nuncios mittit ad Eduardum rogans, ut veniens secum obtineret regnum. Qui fratris jussioni obediens, Anglicas partes advehitur, & mater, amboque filii regni paratis commodis nulla lite intercedente utuntur. Hic fides habetur regni sociis, hic inviolabile viget fœdus materni fraternique amoris. Qua narratione Encomiastes Emmæ Reginæ opusculum suum absolvit, cui eò major fides habenda, quod narret quæ videre potuit. Hæc autem partim hoc anno, partim sequenti, gesta. Malmesburiensis enim lib. 2. de Gest. Reg. Angl. cap. 12. Huntindoniensis, & Simeon Dunelmensis produnt, *Hardecanutum* Regem Flandriam devectum ad Emmam matrem hoc anno venisse, & insequenti *Haraldum* Regem obiisse.

VIII. *Canonici Regulares ante hoc seculum non initiati.*

Canonicos Regulares, qui communi domo, communi mensa, ac communibus bonis utuntur, & Sancti Augustini Regulam profitentur, hoc seculo initium habuisse, certum tandem esse debet. Nulla enim ante hæc tempora hujus institutionis in Scriptoribus Ecclesiasticis apparent vestigia, & Abaëlardus prioribus seculi insequentis annis eam tunc novam fuisse, his verbis indicat: *Cur & vos ipsi Canonici Regulares à vobis ipsis noviter appellati, sicut & noviter exorti, magno ambitu murorum claustra extra sepientes more Monachorum ab illecebris & tentationibus seculi manetis divisi?* Ita ille in Epist. III pag. 236. contra quemdam Canonic. Regul. Nicolaus quidem II in Concilio Romano anno MLIX habito, de Canonicis Regularibus loquens ait: *Rogantes monemus, ut ad Apostolicam, communem scilicet, vitam summoperè pervenire studeant.* Quo similibusve locis Gabriel Pennotus in lib. de Canonicis Regul. aliique plures innixi, Canonicos à tempore Apostolorum in Ecclesia fuisse credidêre. Verùm ex hoc & aliis hujusmodi locis non magis sequitur, hoc vivendi genus ab Apostolis originem sumere, & prioribus Ecclesiæ seculis viguisse, quàm Monachos Eliæ & Elisæi tempore jam floruisse, ex eo quòd S. Hieronymus, Sozomenus, aliique, horum originem ad utrumque referre videantur; utrobiq; enim de similitudine vitæ tantùm sermo est, quia Canonici Regulares in communitate viventes Apostolorum imitatores sunt; ideoque eorum institutio *Apostolica* dici potest. Denique vanum est effugium quorundam Scriptorum qui respondent Abaëlardum in præfata Epistola de Canonicis Ordinis Præmonstratensis, qui revera novi erant, intelligendum; luce enim meridiana clarius patet Abaëlardum loqui de omnibus omninò Canonicis Regularibus in tota illa Epistola, qua ideo omnes contrariæ sententiæ falsæ demonstrantur.

IX. *Nullum certum habent institutorem.*

Frustrà quis quæreret, horum Canonicorum certum auctorem ac institutorem; cùm Canonicorum Regularium societates in variis regionibus erectæ, ab una aliqua domo profectæ non sint; sed singulæ pro personarum conditione & temporum ac locorum opportunitate natæ exortæque fuerint. Cùm enim Canonici præcepta Canonum negligerent, & à prisca Canonicorum observatione longè deflecterent, non defuêre, qui hæc damna reparare, & salubria malis grassantibus remedia adhibere conati fuerint. Quidam sanctam hanc institutionem *Ivoni Carnotensi Episcopo*, qui apud Bellovacos Canonicos Regulares in Ecclesia Sancti Quintini primus congregavit, magnusque ejus promotor fuit, attribuunt. Verùm hæc verba, quæ apud Sigebertum in Chron. ad annum MLXXVIII leguntur, addititia sunt, ut patet ex accurata Auberti Miræi editione, in qua hæc non habentur: *Ab hoc tempore cœpit reflorere in Ecclesia Beati Quintini Belvacensi Canonicus Ordo, primùm ab Apostolis, postea à Beato Augustino Episcopo regulariter institutus, sub Magistro Ivone venerabili ejusdem Ecclesiæ Præposito, postea Car-*

SÆC. XI. An.C. 1039.

notensium Episcopo. Et si Sigebertus id scripsisser, aliud non indicatet, quàm hunc Ordinem eo anno in Ecclesia Sancti Quintini tunc primùm visum, quod & Sigeberti Interpolator tantùm intellexit.

X. *Primum eorum monasterium Avenione fundatum.*

Ex variis Canonicorum Regularium congregationibus aut domibus nulla antiquior *Sanrufensi*, quæ Avenione hoc anno exorta est in Ecclesia sancti *Rufi* extra muros Avenionenses, in æde sancto Rufo sacra, quæ Congregationi nomen fecit. In libro enim 3. Historiæ Avenionensis linguâ Italicâ à Fantonio Castruccio Carmelitano scriptæ cap. 9. refertur Diploma Benedicti Episcopi Avenionensis, in cujus fine legitur: *Actum publicè in Avenione civitate sub die Kalendarum Januarii anno Incarnat. dominica MXXXIX.* Ait Benedictus quosdam Ecclesiæ suæ Clericos divino amore tactos, scilicet *Arnaudum, Odilonem, Pontium & Durandum*, à se postulasse, ut religiosè vivere possent in Ecclesia sancti *Rufi*, jamdiu deserta & inhabitabili, seque eis prædictam Ecclesiam, cum decimis & oblationibus, aliaque in præfato Diplomate expressa concessisse. Refert postea ibidem hic Historicus Rescriptum Urbani II, *datum Tricastri indictione III, XIII Kal. Octob. anno dom. Incarnat. MXCVI*, concessum *Arberto Abbati, ejusque fratribus in Ecclesia S. Rufi extra muros Avenionenses canonicam vitam professis*, in quo *omnia*, inquit Urbanus, *quæ Episcopi Avenionenses Benedictus, Rostagnus, & Gibelinus vestra Ecclesiæ contulerunt*, confirmo.

XI. *Priores ejus Abbates ignoti.*

Castruccius & San-Marthani in Gallia Christ. Tom. IV, nullum monasterii Sancti Rufi Abbatem *Arberto* antiquiorem exhibent, sed quem uterque *Arbertum* Jacobus Petitus in Notis ad Pœnitentiale Theodori Archiep. Cantuariensis pag. 614. *Arbertum* appellat ex chartulario Ecclesiæ Sancti Rufi, ex quo refert Privilegium ei ab Urbano II concessum, *indict. III, decimo tertio Kalend. Octob. anno dom. Incarnat. MXCVI.* Quod si Arberius idem sit ac Arbertus, jam ab anno MLXXXIV Abbatiam Sancti Rufi regebat; Bernardus enim Comes Bisuldunensis in Catalaunia ei donationem quandam fecit, recitatam in eadem Appendice Canonum Theodori Archiep. Cantuariensis, in qua dicitur: *Dono Deo & Ecclesiæ Sancti Rufi, quæ sita est super fluvium Rhodani* (prope urbem Avenionensem), *& domino Arberto ejusdem loci Abbati, atque Clero ibidem domino servienti Ecclesiam B. Mariæ Virginis.* Quæ donatio dicitur facta anno MLXXXIV. Baluzius lib. 4. Marcæ Hisp. pag. 465. laudata verba interpretatur de Ecclesia Sancti Rufi Valentinæ Diœcesis in Delphinatu. Verùm nonnisi anno MCLVIII Canonici Regulares Sancti Rufi Avenionenses Valentiam traducti sunt, ut infrà videbimus. Post *Arberium*, quem mox diximus eumdem esse ac *Arbertum* San-Marthani & Castruccius *Adelbertum* Sancti Rufi Abbatem faciunt, aiuntque Urbanum II ei direxisse rescriptum in scriniis Abbatiæ San-Rufensis asservatum. Suspicor tamen tria hæc esse ejusdem Abbatis nomina, quorum duo corruptè scripta fuerint. Sed quidquid hac de re sit, initio seculi sequentis *Letbertum*, Scriptis clarum, Abbatem fuisse ostendemus. Series enim horum Abbatum accuratè nobis digerenda, ut tandem certò constet *Anastasium* Papam hujus nominis IV nunquam Abbatiæ San-Rufensi præfuisse, licet Onuphrius id tot Historicis persuaserit. Porrò Ordo Canonicorum Regularium ex initio obscuro in maximam paulatim evasit claritatem, & palmites à mari usque ad mare extendens, plurima non solùm per Galliam; sed etiam per Hispaniam & Italiam Monasteria instituit; multos Viros pietate & doctrina præstantes Ecclesiæ dedit, ejusque, præter San-Rufensem, aliquæ aliæ supersunt Congregationes, & familiæ seorsim viventes.

SÆC. XI. An. C. 1039.

XII. *Abbatia Phalempini post San-Rufensem antiquissima.*

Fundatâ Abbatiâ San-Rufensi *Sasuvalo* postulavit ab Hugone Episcopo Tornacensi, quatenus sibi liceret *in villa Falempini, aut Phalempini*, ædificare Abbatiam, utque *ibi stabiliret pauperum Christi Clerimoniam, eamque sub obtentu charitatis dotaret appenditiis terrarum atque familiarum, unde haberent ipsius Abbatiæ Clerici alimoniam*, quod Sasuvalo ab eo hac conditione obtinuit, quod *curam animarum Episcopus electo ab ipsis fratribus Priori delegabit ipsius catervulæ.* Actum Tornaco anno Incarnat. MXXXIX *indict. VII imperante gloriosiss. Rege Henrico anno XII, Hugone Præsulatum agente anno IX*, ideoque hoc Christi anno ante diem decimum quartum mensis Maii, quo Henricus Galliæ Rex annum Regni XIII inchoavit. San-Marthani Tom. IV Gall. Christ. Chartam fundationis, & nomina variorum Abbatum Abbatiæ *Phalempini* exhibent, indeque intelligimus, hanc Abbatiam Ordinis Sancti Augustini nunquam San-Rufensi subditam fuisse, ac citò alias in unica domo consistentes in Gallia erectas. Meminit Canonicorum Falempini Stephanus Tornacensis in Epist. 271.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6533.

☉ 13. F E. ☽ 15. P. 6. April. Indict. 8.

JESU CHRISTI 1040.

BENEDICTI IX PAPÆ 8.

HENRICI III. REG. 2.

MICHAELIS PAPHLAGONIS. IMP. 7.

Anno Eræ Hispan. MLXXVIII. Anno Hegiræ CCCCXXXII inchoatu die 11. Septemb. fer. 5.

I. *Obitus S. Cunegundes Imperatricis.*

AD num. I. Baronius, Bollandus ad diem III Martii, aliique Sanctæ *Cunigundes* Imperatricis, Virginis, conjugis, viduæ, & demum Sanctimonialis Benedictinæ mortem cum currenti anno illigant, quia in ejus Vita ab Auctore Anonymo scripta, cap. 3. de ejus Monachatu dicitur: *Quindecim in sancto proposito supervixit annos, tam humilitatis gratiâ, quàm religionis reverentiâ omnibus admiranda.* Sed cùm, ut idem Bollandus fatetur, Anonymus ille post annum MCLXXXIX floruerit, major hac in re fides habenda Chronico Hildensheimensi, in quo ad annum MXXXIII scriptum est: *Pia memoria Cunigund Imperatrix, V Non. Martii obiit.* Nam illud Chronicon à diversis Scriptoribus continuatum, & qui hæc scripsit, ab anno CMXCV ad annum circiter MXL continuationem suam perduxit. Certè quæ is Auctor per hæc tempora in literas mittit, ea se vivente peracta non obscurè subinde insinuat, fusiorque est in rebus singulis annis narrandis, quàm qui postea idem Opus usque ad annum MCXXXVII perduxit. Hinc Anonymus ille Cunigundam *pia memoria* appellat, quia paucis annis antequàm Continuationi suæ manum admovisset, in

Cœlum

Cœlum migrarat. Lambertus Schafnaburgensis, qui ipsomet teste anno MLVIII in Diœcesi Moguntina vestem Monasticam accepit, & Presbyter ordinatus in jejunio autumnali Hierosolymitanum iter suscepit, *Cunegundes* mortem eodem, quo Chronographus Hildenshei-meosis anno, recitat.

II. *Ab Innocentio III canonizata fuit.*

Cunegundes & *Henrici* coojugis sacrarum exuviarum apud Bambergam Franconiæ urbem depositio, & frequentia ad illas patrata miracula eam valde illustrarunt; licet enim Cunigundis in monasterio *Confugia*, ubi Sanctimonialis facta, per annos circiter oovem vixerit, & diem extremum obierit, sepulturam tamen *Bamberga*, ubi Sanctus Henricus conjux ejus quiescebat, elegit. Colitur variis diebus, & in variis Germaniæ orbibus, &, ut notat Bollandus, qoemadmodum in Ecclesia Romana pia viget consuetudo, ut Festis Sancti Petri Apostoli fiat commemoratio Sancti Pauli Apostoli, ac vicissim in hujus festis illius recolatur memoria; ita in Ecclesia Bambergensi hi sanctissimi conjuges non separantur, nec de uno eorum aliquod festum celebratur absque alterius implorato suffragio. Cœptum maximè agi de *Cunigundis* Canonizatione apud *Cœlestinum* III Papam. Sed cùm is anno MCXCVIII vita functus esset, successor ejus *Innocentius* III eam Sanctarum Catalogo adscripsit III Kalendas Aprilis, Pontificatûs sui anno III, Christi MCC. Bullam Canonizationis Bollandus citatus refert.

III. *Conimbria à Ferdinando Legionis Rege anno MLXIV capta.*

Ad num. II. *Ferdinandus* Legionensis Rex, omnium Hispaniæ Principum hac tempestate potentissimus ob victricia arma in Barbaros versa *Magnus* cognominatus, *Conimbriam* urbem hac ætate in Lusitania celeberrimam, hoc anno in suam potestatem redegit juxta calculum Mariani lib. IX. de Reb. Hisp. cap. 2. Hanc victoriam Toletanus lib. VI de Reb. Hisp. cap. XI sine ulla Chronica temporis nota refert; verùm cùm de ea agat, postquam capite superiori *Garsia Sanctionis* Navarræ Regis cædem, quæ anno MLIV contigit, ut ibidem videbimus, narravit, non dubium, quin Mariana in anno captæ *Conimbria* deceptus fuerit; eò magis, quò post relatam illam *Ferdinandi M.* victoriam staòim sermonem habeat de *Translatione* Reliquiarum *Sancti Isidori* ab eodem Rege anno MLXIII peracta, ut anno MLIII demonstrabimus. Sed conjecturis opus non est, obi certa documenta habemus. Scribit enim Sandovallius, *Ferdinandum Magnum* in Regno Legionensi annum millesimum sexagesimum tertium transegisse, in eoque adhuc fuisse, cùm Legati sui cum Reliquiis Sancti Isidori Episcopi Hispalensis ex ea urbe rediêre. Ipso autem hujus Translationis tempore Monachi Benedictini monasterii *Lorvam* Ferdinandum monuêre, *Conimbriam* à Mauris occupatam non satis munitam esse, eisque facilè eripi posse. Quare Rex de ea expugnanda cogitavit, quâ in suam potestatem redactâ præfatis Monachis Privilegium concessit, quod Sandovallius è Latino barbaro in lingoam Castellanam vertit, refertque pag. 12.

IV. *Conimbria per menses quinque obsessa.*

In eo dicitur, Monachos *Ferdinandum Carrionis* in Regno Legionensi existentem convenisse *mense Januario Erâ MCII*, anno scilicet Christi MLXIV; hunc exercitum statim congregasse; eodemque mense Januario *Conimbriam* obsidione cinxisse, sed quia civitas fortissima erat, Mauri obsidionem per qoinque mensium spatium toleraruor, mense scilicet Februario, & quatuor sequentibus; cumque exercitos victualibus indigeret, à Monachis Lorvanensibus per aliquot dies ea suppeditata suot, sed tandem Mauri oppidum dedidêre. Monachi à Ferdinando Magno, ut in suo Diplomate ipsemet ait, nihil aliud postularunt, quàm Ecclesiam & domum in urbe Conimbricensi & confirmationem Privilegiorum ab ejus Decessoribus sibi largitorum. Datum tunc à Ferdinaodo Privilegium illud scriptum *mense Julio, Erâ MCII*, anno scilicet Christi millesimo sexagesimo quarto, subscriptumque à tribus Regis filiis *Alphonso, Sanctio* & *Garsia*, & à pluribus Castellæ Proceribus. Saodovallius refellit fabulas posteriorum Scriptorum, qui obsidionem Conimbricensem septennalem fuisse tradidêre, atque aliquos Historicos Hispanos scribere Sanctum *Jacobum* Apostolum armorum insignibus decoratum obsidentibus apparuisse, ac diem quo urbs capienda esset, eis aperuisse; quod inter alios habet Rodericus Toletanus loco citato; sed cùm neque Ferdinandus Magnus in laudato Diplomate, oeque Pelagius Ovetensis, neque alii Antiqui rei adeò memorabilis mentionem fecerant, hujusmodi apparatio parùm verosimilis.

V. *Hardecanutus fit Rex Angliæ.*

Haraldo Angliæ Rege hòc anno demortuo, ut superiori diximus, idque *mense Aprili*; ut habet Malmesburiensis, cùm *Hardicanutus* Canuti magni filius io vicino Belgio Brugis ageret, commuoi civium suffragio, & Procerum ferè omnium, electus est, & *ante mediam æstatem*, ut Vigorniensis, vel *media æstate*, ut Vestmonasteriensis ait, io Angliam venit, *sed sui imperii tempore nihil egit dignum potestate Regia*, subdit Vigorniensis. Nam mox injuriarum, quas vel sibi, vel Emmæ Reginæ matri suæ Haraldus fecerat, memor, ipsius Haraldi *corpus effodere, & in Gronnam* (idest paludem) *projicere jussit. Quod cùm projectum fuisset, id extrahere, & in flumen Tamesis mandavit projicere.* Adhæc ipso Regni initio gravissimum onus civibus imposuit, *ut classiariis suis, per singulas naves viginti marcas, ex pollicito pensitaret*, iodeque *contumeliam famæ & amori suo detrimentum injecit*, inquit Malmesburiensis lib. 2. de Reg. cap. 12. denique Episcopatus ad subsellium suum traxit, de Episcoporum Sedibus disposuit, hos pressit, illos extulit, idque specie pietatis, quæ Regnum ejus non parùm obscuraruot.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6534.

☉ 14. D. ☽ 16. P. 22. Mart. Indict. 9.

JESU CHRISTI 1041.

BENEDICTI IX PAPÆ 9.

HENRICI III REG. 3.

MICHAELIS CALAPHATÆ IMP. 1.

Anno Eræ Hispan. MLXXIX. Anno Hegiræ ccccxxxiii, inchoato die 21. Aug. fer. 2.

I. *Michaël Paphlago Imp fit Monachus.*

AD num. I. Michaël Psellus Michaëlis Paphlagonis Imperatoris mortem hoc modo narrat: *Imperator ante suam ex corpore translationem, spiritaliorem aliam quærit translationem, contemnitque imperium, quo & brevi post erat exuendus, omnique affectu superior ac libidine, ad Deum transfertur. Ne ulla autem molestia ei fieret, quod sic transferebatur, ac Deo confessiones*

dabat, Regiâ profectus ad monasterium venit, quod ipse condiderat, imo potius à bajulis transfertur. Ubi verò in monasterium venerat, templique pavimento genu posuerat, supplices Deo offert preces, ut ejus obtutibus accepta victima videatur; mundaque post consummationem suscipiatur. Sic itaque sibi propitiato ac placabili reddito numine, ipse se ipsum voluntariam hostiam sacrificulis ac immolatoribus tradit, qui utrimque virum circumstantes precibusque victima praliminaribus in Dei laudes cantico persolutis, Imperiale paludamentum purpurâque intextum exuunt, sacrumque Christi pellicium ac cilicium superinducunt, oblatoque capitis integumento ac stemmate galeam salutarem imponunt: tumque etiam pectore dorsoque cruce armatur, inque viri morem virilisque obtentu animi pracincto illo adversùs spiritus nequitia sic ipsum dimiserant.

II. *Moritur.*

Ad ejus sanè animi claritatem ac propositum quod attinet, gaudebat ille quidem ac exultabat, ut qui Deo auspice sic vitam mutasset, ac quasi agilis, expeditusque ad spiritûs viam effectus esset: illius verè familiolam (ac pracipuè seniorum fratrem) mœstitia nubes totam occapabat, ut pra miserantis affectu gemitus tenere non posset. Ac nec Augusta doloris compos fuit; sed ubi quodam referente rem audierat, virilem omnem aspectum audenti animo erumpit, vimque sexus facit ac pedes ad eum vadit. Is verò, sive eum pudebat quod tot tantorumque malorum ille auctor extitisset, vel quod ejus quoque oblivio eum ceperat, quà Dei memor erat, ipsam ab ingressu inhibuit, ac illa quidem ad Regiam redit: ipse verò, quod statim vocabat orationis tempus, & ad consueta cantica erat conveniendum, paulatim lentiùsque è lectulo exurgit: pedesque calceaturus, cùm non prasto essent consueti monachorum coriacei calcei, sed priore scena necdum illi mutata agrè rem tulit, nudisque pedibus ad templum venit, hinc inde ministris suffulcientibus, anhelans jam atque extremos efflans spiritus. Sic itaque rursùs ad lectulum reversus illique cubans, tumque etiam quid partim deficiente spiritu, animam Deo dimisit: plurimis per imperii tempus illi gestis ac consiliis habitis. Qua & ipsa inter se contendens, & ex adverso contraria judicans, plura rectè facta delictis illis commissis invenio. Nec sanè arbiterer virum hunc potiore frustratum requie, sed meliorem vitam consecutum esse. Obiit igitur ac vitam cum morte commutavit, magno scilicet designato opere, atque virtute, cùm annos septem imperium tenuisset. Cedrenus dicit, mortem ejus contigisse *Decembris X die, indictione decima*, postquam imperasset *annos VII, menses VIII*, quos Psellus neglexit. Lupus Protospata in Chron. ait etiam Michaëlem *mense Decembris* hujus anni demortuum, sed diem non exprimit. Zonaras Monasterium suburbanum à Michaële extructum, in quod secessit, appellatum fuisse dicit monasterium *mirificorum Anargyrorum*, idest, Sanctorum Cosmæ & Damiani, qui *Anargyri* vocati, quòd gratis medicinæ artem exercerent. Ducangius in Constantinopoli Christiana, quia non viderat Michaëlis Pselli Historiam hactenus ineditam, hujus Monasterii mentionem non facit.

III. *Ante mortem Michaëlem Calaphatam Cæsarem dicit.*

Michaële ægrotante *Joannes* ejus frater de se, omnique familia sollicitus consultissimum judicavit, si Imperatorem adduceret, ut *Michaëlem Calaphatam* nepotem, Cæsarem crearet, quod consilium funestissimum fuit, ut rei declaravit eventus. Solemni itaque indicto Conventu cum simulato filio educta Augusta, quod studebant efficiunt, ipsaque eum in filium assumit, & Imperator ad Cæsaris dignitatem provehit. *Perrò Joannes tanquam illi universo confecto negotio, summaque rerum in familiam reducta, haud sciebat qua ratione affluente gaudio uteretur, ejusque impos erat. Enim verò hac ejus molitio ingentium imposterum malorum initium fuit, quique fundamentum visus fuerat omnis familia, eversio factus est*, inquit Psellus, quem video Zonaram passim exscripsisse. Mortuo itaque Michaële Paphlagone Michaël Calaphata ejus nepos Imperium capessivit.

IV. *Normanni Apulia potiuntur.*

Ad num. II. Leo Ostiensis lib. 2. cap. 68. testatur, *Normannos* Arduino quodam Lombardo Duce potitos esse Apulia, eamque inter se divisisse duodecim Comites constituentes. Quod hoc anno contigisse his verbis docet: *Anno dominica nativitatis MXLI (quo videlicet anno, ipso die festivitatis B. Benedicti Paschalis sabbati dies occurrit) Arduino duce Melphiam primitus (qua caput & janua totius videtur Apulia) sine ulla controversia capiunt.* Hoc autem anno Sancti Benedicti festivitas in sabbatum ante Pascha incidit. Gesta à præfatis Comitibus Gulhelmus Apuliensis lib. 1. fusè narrat. Ante hunc annum Normanni unico oppido à *Rannulfo* ædificato, nempe *Aversa*, potiebantur, ut prodit uterque Scriptor.

V. *Casimirus Monachus in Regnum Polonia restituitur.*

Ad num. III & seqq. *Poloni* sævis tempestatibus per sex aut septem annos jactari sibi tandem mutuò condonant privatas offensas, & Comitia Guesnam indicunt, ubi ea sententia vicit, quæ *Casimirum*, ubi ubi sit, quærendum & reducendum esse censuit. Oratores ad id delecti Primores viri, qui *Cluniacum* venientes, inveniunt eum, non modò professum religionem, sed jam Diaconum. Deprecantur culpam exilii ipsius, orantque, ut afflictam & penè eversam patriam respiciat. Respondet *Casimirus* datam semel Deo, atque iis quorum se potestati ultrò subjecisset, fidem fallere non posse. Oratores omnia sibi tentanda esse rati Abbatem monasterii adeunt, isque eos ad Pontificem Romanum, qui tunc erat *Benedictus* IX, remittit, à quo impetrant, ut *Casimirus* ad Regnum Majorum suorum redeat, & uxorem ducat, ut fusè Baronius ex Joanne Longino narrat. Restituitur itaque paterno Regno *Casimirus*, qui rebus Regni maxima ex parte bene constitutis cum *Jaroslao* Sancti Ulodomiri filio Russorum Principe fœdus & affinitatem init; sorore ejus *Maria*, cujus mater Anna, quæ Basilii Porphyrogenneti Imperatoris Constantinop. soror fuerat, uxore ducta. Ex hoc conjugio post biennium natus *Boleslaus*, qui post patrem regnavit. Pacato autem per circuitum Regno, Casimirus pristinæ conditionis memor *Cluniacum* legationem cum amplis muneribus mittit, petitque sibi destinari aliquot Monachos, quos cùm obtinuisset, domicilia eis in Polonia extruxit, atque templa ad cultum Divinum apta ornavit. Quæ fusiùs Chromerus lib. 4. narrat.

VI. *Institutio induciarum & Treuga Dei.*

Cùm viderent Gallicani Episcopi Ecclesiæ comminationes contra bella privata ac cædes non satis proficere, delatæ sunt passim Sanctorum Reliquiæ: & cùm malum non cessaret, anno MXXXIV varia Concilia celebrata, ut unicuique injurias sibi illatas armis ulciscendi, prædasque agendi facultas tolleretur. Tandem cùm eadem mala perdurarent adinventa est pax,

Treuga

SÆC. XI. An. C. 1041.

Trenga Dei, seu *Trenga Domini* appellata, quâ confœderatio cum Episcopis & Magnatibus iniita, ut certis hebdomadæ diebus ab armis & cædibus, aliisque hostilibus factis abstineretur. Hujus *Trengæ* primus meminit Glaber lib. 5. cap. 1. quod nomen ab Hispanico *Tregua* deductum videtur, quòd, teste eodem Glabro, *primitus in partibus Aquitanicis*, quæ quidem Hispaniæ vicinæ sunt, instituta fuerit. Hæc verba Glabri: *Contigit in ipso tempore, inspirante divina gratia, primitus in partibus Aquitanicis, deinde paulatim per universum Galliarum territorium firmari pactum propter timorem Dei, pariter & amorem, taliter ut nemo mortalium à feria quarta vespere, usque ad secundam feriam incipiente luce ausu temerario præsumeret quidpiam alicui hominum per vim auferre, neque ultionis vindictam à quocumque inimico exigere, nec etiam à fidejussore vadimonium sumere. Quod si ab aliquo fieri contigisset contra hoc decretum publicum: aut de vita componeret, aut à Christianorum consortio expulsus patriâ pelleretur. Hoc insuper placuit universis (veluti vulgò dicitur) ut Trenga domini vocaretur, quæ videlicet non solum humanis esset fulta præsidiis, verum etiam multoties divinis suffragata terroribus*, & cetera à Baronio anno MXXXIV num. VI & seq. ex eodem Glabro recitata.

VII. *Trenga Dei à Normannis ægrè recepta.*

Existimat ibidem Baronius, hæc post decennium à pace eo anno tentata gesta esse. Verùm Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi post Baronii mortem à Labbeo Tom. I Biblioth. promulgato, loquens de iis, quæ ad præsentem annum pertinent, hanc Treugæ Dei institutionem ad eum revocat: *Anno ipso*, inquit, *Trena Dei primùm statuta est & firmata; & pax ipsa Trena Dei appellata. Quæ non solum humanis præsidiis, sed & divinis confirmata est terroribus. Quam cùm noluisset recipere gens Neustriæ, viro Dei Richardo* (Abbate Virdunensi) *prædicante, ut eam susciperent, quia voluntas domini erat, & à Deo non ab homine decretum hoc processerat, ammonente, divino judicio cœpit in eos desævire ignis, qui eos torquebat, & eo anno ferè totus Orbis penuriam passus est, pro raritate vini & tritici. Secuta est è vestigio mortalitas hominum præmaxima anno ab Incarnat. domini MXLII. Multi autem eorum qui torquebantur ab igne venientes ad virum Dei, meritis ejus & precibus curabantur medica virtute Dei. Superest adhuc domnus Aeduensis Episcopus* (Helmoinus nempe, ut videre est apud San-marthanos), *vir vitæ longevitate grandævus, qui & referre solitus est, quia cum à sancto Odilone & ceteris ipsa pax divinis revelationibus instituta, Trena Dei appellata, & ab Austrasiis suscepta fuisset, & voluntas omnium in hoc esset una, ut ubique servaretur: negotium hoc strenuitati hujus Patris nostri Gratia-Dei* (ita Richardus Virdunensis vocabatur) *ab omnibus impositum est, ut ejus studio & industriâ pax eadem in Neustria servaretur, eò quòd certi essent de eo, quod tanta esset ejus erga omnes, & omnium erga eum gratia, ut quidquid servandum doceret, servaretur à cunctis, quidquid vitandum monstraret, id cuncti vitarent. Quamobrem sategit Pater venerabilis, ut tantum bonum gratanter ab omnibus susciperetur, sed perversa quorundam voluntas, & mens indomita, quasi inauditum hoc respuit, quasi qui nollent instituta paterna violare, & nova atque inaudita suscipere. Unde & subsecuta est divina ultio, ignis scilicet in rebelles & contumaces desæviens à domino, quo torquebantur, qui viro Dei resistere, & mandata ejus contemnere non verebantur*, &c.

SÆC. XI. An. C. 1041.

VIII. *Ab Episcopis & Proceribus decreta.*

Marca lib. 4. de Concordia cap. 14. hanc *Trenga* Dei institutionem in annum quidem MXXXIV perperàm confert, ut ibidem vidimus, sed egregiè de ea disserit, atque eam à quatuor Conciliis Generalibus confirmatam, & relatam in librum Decretalium sub titulo *de Trenga & pace*. "Bella isthæc privata, inquit, "nec legibus probata erant, imò potius si pro- "vocatio vel potius, ut illius seculi verbo utar, "si *diffidatio* præcessisset, pro jure constituto ha- "bebantur; ita ut in adversarium cæde, prædis, "& incendiis grassari liceret, ut docent Ivo, "(Epist. CLV), Friderici I (apud Abbatem "Ursperg.), & Conradi (cap. 10. Bullæ aureæ) "leges A. quibus bellorum injuriis abstinendum "erat diebus Jovis, Veneris, Sabbati, & Domi- "nica, quos sub finem vitæ præcipuis salutis "nostræ mysteriis Dominus consecravit. Decre- "tæ autem fuerunt induciæ istiusmodi, non so- "lùm ab Episcopis; sed etiam à Proceribus cu- "jusque Diœceseos, ut disertè docent Glaber & "Ivo; ut patet ex *Trenga* istius constitutione, "quæ lata est in Anglia & Normannia ex con- "sensu Episcoporum & Baronum à *Gullelmo* "primo Rege, anno MLXXX apud Orderi- "cum Vitalem, & à *Raimundo Beringario* Co- "mite in Barcinonensi Comitatu anno mille- "simo sexagesimo.

IX. *A variis Conciliis confirmata.*

"Recepta sunt & amplificata isthæc Decreta à "Concilio Claramontano sub Urbano II anno "millesimo nonagesimo quinto, à Romano sub "Paschali II anno millesimo centesimo secundo, "à Lateranensi sub Innocentio II anno mille- "simo centesimo trigesimo nono, & ab altero "Lateranensi sub Alexandro III anno millesi- "mo centesimo octuagesimo. Hoc solum discri- "men interest inter primam induciarum institu- "tionem & confirmationem, quod à Conciliis "festi dies quàmplurimi quatuor illis singula- "rum hebdomadarum diebus adjecti fuerint, & "à Concilio Lateranensi sub Innocentio II in- "cendiorum devastatio prohibita. Observan- "dum verò *pacem & Trengam* dici hanc à bellis "privatis feriationem, quòd ratione Clerico- "rum omnium, peregrinorum, mercatorum & "agricolarum cum bobus aratoriis, dominarum "cum sociis suis inermibus, mulierum omnium, "rerum ad Clericos, Monachosque pertinen- "tium, & molendinorum, *pax* ista omni tem- "pore indulta esset; ratione ceterorum *Trenga* "tantùm, idest induciæ aliquot dierum.

X. *Qua Pœna ejus violatores puniti.*

"Sanè fatendum est, excommunicatione mul- "ctatos fuisse pacis & Treugæ violatores, & ad "resarciendum damnum læso coactos. Sed "Episcopi & Comitis hæc erat cognitio, cete- "rorumque Baronum: qui tamen si cessarent à "persequendo armis raptore, excommunicatio- "nibus & interdictis ad officium, quo se ob- "strinxerant, adigebantur; ut vice versa eis, qui "contra pacis perturbatores decertarent, duo- "rum annorum pœnitentia indulgebatur, aut "plurium, ad arbitrium Episcopi, pro modo "laboris. Si raptores istos, pacisque violatores, "ab utraque potestate proscriptos, occidi con- "tingeret à quoquam privato, *Zelo justitiæ*, non "homicidii pœna canonica & ordinaria, sed "leviori & remissiori satisfactione culpam illam "diluendam docet Urbanus secundus, qui de

“hoc solo genere excommunicatorum intelligendus est, non autem de omnibus excommunicatis, ut quidam sibi malè feriari persuaserunt. Cujus interpretationis eò libentiùs hîc memini, quod eâ levari posse mihi videatur invidia, quæ ob textum hunc malè intellectum creari solet adversùs Summos Pontifices.

XI. *Discrimen bella inter publica & privata.*

“Sed hæc omnia trahi non possunt ad bella publica, quæ à Regibus, ut res suas repetant, aut Reipublicæ injuriam illatam ulciscantur, indici solent. Etenim belli gerendi potestas, quæ à Deo Regibus collata est in veteri instrumento, & in Principes Romanos disertis verbis lege regiâ translata, Reges liberos præstat ab excommunicatione, quæ in deprædatores & alienorum bonorum invasores, à Canonibus irrogatur. Quia excommunicationi locus non est, etiam in privatis personis, nisi cum de crimine manifesto & aperto agitur, non autem cùm dubitatur de crimine, ut docuit olim *Hincmarus* ex Augustino. Porrò sola belli à Principe indicti ratio id saltem obtinere debet, ut justitia niti præsumatur, præcipuè cùm Regia dignitas in munere Regio exercendo nullius judicio sit obnoxia, sed soli divino numini se submittat. Quare in ipsa pacis & treugæ promulgatione jura Principum conceptis verbis excipiuntur; ut patet ex indictione pacis & treugæ à Willielmo Archiepiscopo Auscitano Legato Sedis Apostolicæ post Concilium Romanum anno MCII publicata: *Principibus autem & Dominis terrarum jura sua & consuetudines non contradicimus in terris suis.* Deinde Pacis illius infractæ cognitio Episcopis commissa erat de Comitum & diœcesanorum consensu, quæ ex pactis conventis legem accipere debet, ut scripsit Ivo *Cononi* Legato; imò & Comitibus, Baronibusque, Diœceseos pars illius cognitionis competebat. Quæ omnia cum bellis publicis comparata discrimen apertè inter utraque constituunt.” Hæc Marca. Ex quibus lucem accipiunt, quæ anno MXXXIV de pace ab Episcopis Galliarum procurata diximus, & solvuntur dubia eo anno num. V & seq. à Baronio circa eamdem proposita. Putavit enim Glabrum de bellis inter Principes gestis verba facere, indeque Decreta ab Episcopis Gallicanis in variis Conciliis defendi non posse perperàm credidit.

Anno Æræ Hispan. MLXXX. Anno Hegiræ ccccxxxv, inchoat. die 21. Aug. fer. 7.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6535.

☉ 15. ☾ 17. P. 11. April. Indict. 10.

JESU CHRISTI 1042.

BENEDICTI IX PAPÆ 10.

HENRICI III REG. 4.

CONSTANTINI MONOMACHI IMP. 1.

I. *Petrus Hungariæ Rex Regno expellitur.*

AD num. I & seq. Hermannus Contractus in fusiori Chronico ad annum superiorem scribit: *Ipso anno Ungarii perfidi Ovonem quemdam Regem sibi constituentes, Petrum Regem suum occidere moliuntur.* Tum anno MXLII: *Heinricus Rex* (nempe Germaniæ) *hyeme Burgundiam invasit, multosque Principum se illi subjicientes suscepit, nonnullaque legitimè dijudicavit. Ovo Ungariorum tyrannus ob susceptum à nostro Rege Petrum, divisit bifariam exercitum suum; fines Bajoariæ ex utraque parte Danubii, deprædans & incendens depopulatur; sed una pars exercitûs ejus à septentrionali parte Danubii ab Adalberto marchione & filio ejus Luitpaldo ad internecionem cæsa est. Heinricus quoque autumno Pannonias petens Heimenburg, & Brecesburg evertit: septentrionalem Danubii partem, (quia flumina australem & paludes muniebant), usque ad Grana flumen vastavit, seu in deditionem accepit: & pars exercitûs bis numero Ungarium incursantibus congrediens, strages magnas effecit, & subactis partium illarum Ungariis, cùm Petrum recipere nollent, quemdam alium ex illis, item apud Bohemanos exulantem, Ducem eis constituit; quem tamen Ovo statim post discessum Regis resistere non valentem, in Bohemiam repulit.* Cum anno etiam superiori Lambertus Schafnaburgensis & Hepidannus in Annal. expulsionem Petri à Regno Hungariæ conjungunt, cum præsenti verò Chronographus Hildensheimensis & Marianus Scotus in Chron. Hanc opinionem Baronius secutus est, quòd *Sanctus Gerardus* Episcopus *Canadiensis* in Pannonia, (urbs est ad Tibiscum fluvium, ab Archiepiscopo Colocensi pendens) *Ovoni* tyranno prædixerit, *anno tertio regni* & Principatum & vitam amissurum, ut in hujus Sancti Præsulis Vita apud Surium ad diem XXIV Septemb. legitur; sed cùm anno MXLIV tyrannus perierit, & seditio in qua S. Gerardus occisus, anno MXLVI non verò anno MXLVII, ut habet Baronius, contigerit, non dubium, quin anno superiori Petrus è Regno expulsus sit, ut infrà magis liquebit. Illud etiam certum, bellum illud intestinum Christianitati à paucis annis in Regnum illud inductæ plurimùm nocuisse.

II. *S. Gerardus Episc. Canadis floret.*

Porrò *Gerardus* Venetis parentibus natus, adhuc puer monachismum amplexus, cùm Hierosolymam proficisceretur, eo tempore in Hungariam pervenit, quò *Sanctus Stephanus* in ea regnabat, & eo consentiente in eremum secessit. Verùm cùm tunc Sanctus Princeps impietati gentis profligandæ incumberet, *Gerardum* ab eremo revocavit, eumque ad prædicandum populo suo Evangelium destinavit. Deinde *Stephanus* Rex Ecclesiam ad littus Morisii fluminis juxta quod *Canadium* sedet, extruxit, atque inde *Morissenam sedem* appellavit, & nobiliter ditavit. Quare *Sanctus Gerardus* cum Sancto Stephano ad totam Pannoniam ad fidem Christi adducendam collaboravit, ut habet Auctor Anonymus in ejus Vita laudata.

III. *Pessimum regimen Michaelis Calaphatæ Imp.*

Ad num. III. *Michael Calaphata*, inquit Michaël Psellus, simul ac Imperator renunciatus fuit, *Constantinum* fratrem ad *Nobilissimi* dignitatem provexit. Erat porrò Calaphata *vir vafri & ancipitis ingenii*, qui aliud mente volvebat, alias voces dabat; cognationis fratrumque nomina seu magis familiam ludus quidam illi æstimabatur, eisque invidebat, necdum Imperii infulas, sed & ignem & aërem, & omnem fortunam, ita ut odium in genus omne mente conderet, & confoveret. *Constantinus* aversus animo erat erga *Joannem* fratrem, quem Imperator in locum relegat, *qui latronibus duntaxat addictus esset*: ubi tandem & carnificis manum ejus oculis admovit, ac summè violentam mortem è vicino attulit. Nihil de Republica moderatiùs *Calaphata* cogitabat; sed statim induxit in animum, ut mutaret omnia & Imperatricem contempsit, confictisque in eam criminibus ut veneficam è cubiculo educit, reamque peragit, ac in eam

animadvertit

animadvertit quasi scelestissima patrasset. In navim itaque imponit, inque una insularum, quæ è regione Urbis sunt, *cui principis nomen*, eam collocat, *ubi cum una duntaxat ancilla agit*. Postea mittit qui detondeant, & monachico habitu induant. Verùm postquam omnia susdeque miscuisset, populus coitione adversus tyrannum facta, quòd priorem Augustam capere non licebat, illo eam tenente, ad *Theodoram* alteram sororem vertit studium, & è penetrali avellit, atque in apertum educit, & ad magnum Dei sapientiæ Templum ducit. Tum non sola populi pars, sed & Honorati quique ac Proceres *Theodoram* Augustam acclamarunt.

IV. *Michaël Calaphata Imperio deponitur.*

Id ubi cognovit Tyrannus, assumpto patruo ad sacrum Dii monasterium pergit, mutatoque habitu, supplicis profugique habitum assumit. Imperator & Constantinus educti azylo oculis orbati sunt. Ubi autem utrique exciderant oculi, sedata est vulgi ferocia, inque illos impetus & grassatio. Ac tum rursus ipsi quoque ad *Theodoram* simul conversi sunt. Duarum porò Augustarum altera Regiam & Palatium, altera magnum Dei Sapientiæ atrium habebat. Princeps autem Senatûs animis hærebat, in quam propensior esset; nam & eam plurimùm observabant, quæ erat in Regia ut seniorem, eamque quæ in Templo erat, quod per eam tyrannis dissoluta fuerat, ac cui se spes salutis debere non nesciebant. *Erat igitur illis anceps imperium. Verùm senior sublatum eis dubium solvit: ac tum primum sororem osculatur, placideque amplectitur, ac communi utrique sorte velut hæreditatem imperium partitur. Sicque adeo communia professa ambarum jura, cum splendidissima pompa sororem arcessit, ac imperii consortem, sibique collegam facit. Verùm Theodora haud prorsùs pudorem erga sororem ponit, aut dignitatis prærogativam illi adimit, sed quæ sunt cultûs angustioris defert*, inquit Psellus citatus. Idem referunt Zonaras & Cedrenus, qui Michaeli menses quatuor Imperii, diesque quinque assignant, additque Cedrenus Michaelem & Constantinum relegatos esse in monasterium, *XXI die Aprilis, indictione decima*, hoc scilicet Christi anno. Depositus itaque Michael die XV aut XVI; die enim X Decembris superioris anni Decessor ejus obierat.

V. *Constantinus Monomachus fit Imperator.*

Verùm, subdit Psellus, moribus & indole sorores valdè distinctæ erant, indeque senior rursùs omnem in se transferre potestatem cogitat. Futurum itaque erat, ut *Constantinus* sceptrorum compos fieret, vir ex antiqua Monomachorum familia. Hic itaque generis nobilitate primas in Imperio ferebat, & ubi Romani Imperii sceptra suscepit, dilexit eum *Zoa* Augusta. Revocatur ab exilio Constantinus, ubi per annos septem, quantum scilicet tempus prior Michaël Imperium tenuit, versatus erat. *Augusta itaque cùm tertium mensem pari collegio imperium gessissent, illo abdicantur*, & Constantinus Monomachus Imperium adipiscitur. Is pecuniarum thesauros è vestigio aggressus est effundere, & Imperii dignitates ac munera prostituere. Ingeniosissimus cùm esset, si quis alius, ut subditorum in se animos transferret, propriè, exque indole singulos capiebat, & ad se attrahebat. *Sermonibus atque doctrinis haud admodum excultus erat, nec eruditionis habitum ullum paraverat. Hanc enim verò etiam partem amulabatur, virosque eruditissimos & disertissimos undique in aulam invexit.* Postquàm priorem uxorem morte amiserat, ad secundas nuptias transiit, duxitque sororis illius Pulcheriæ filiam, quæ quondam Basilio Sclero nupta unicæ prolis, filiæque parens extiterat. Quare *quod communibus ex conjugii ratione abutentium legibus erat, earum formidine absterretur Patriarcha Alexius. Atque is quidem tempori indulget (dicam & Deo) quacumque velit: ipsi tamen etiam corollis susceptis haud manus imponit: nuptiis verò copulatos ac corollis donatos salutat ac recipit.* Notat autem Cedrenus matrimonium *die Junii undecima*, currentis scilicet anni, peractum, & postridie *Constantinum* à Patriarcha coronatum esse. Psellus, simul ac Constantinus Imperium iniit, illi ministravit in omnibus, *idque in potiore gradu collocatus*, ut ipsemet de se scribit.

Hardecanuti Angliæ Regis mors, & S. Eduardi ejus successoris electio, ut anno sequenti videre est.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6536.
Anno Eræ Hispan. MLXXXI. Annus Hegiræ CCCCXXXV, inchoato die 10. Aug. fer. 4.

☉ 16. B. ☽ 18. P. 3. April. Indict. 11.

JESU CHRISTI 1043.

BENEDICTI IX PAPÆ 11.

HENRICI III REG. 5.

CONSTANTINI MONOMACHI IMP. 2.

I. *Albertus fit Archiep. Hamburgensis.*

AD num. I. Mortuo hoc anno *Bezelino Alebrando* Archiepiscopo Hamburgensi in ejus locum ab Henrico III Germaniæ Rege suffectus est *Albertus* sive *Adalbertus* genere summo prognatus, cujus Vitam Adamus Bremensis lib. 3. cap. 1. & seqq. fusè latèque perscripsit, *qui*, ut ipse cap. 4. de se fatetur, *quotidianam ipsius inspexit conversationem*. Quibus ex verbis intelligimus, *Adamum* hoc tempore floruisse. Addit hic sub nullo alio Præsule graviùs vel sæpius Hamburgensem Ecclesiam à Paganis afflictam fuisse. Ab initio statim Archiepiscopatûs magna ipsum inter & Daniæ Regem *Svenonem II* dissensio orta est. Is enim consanguineam suam Regis Sueciæ filiam in uxorem ducendo, incesto se contaminaverat: quod cùm Archiepiscopus factum improbasset, & ut eam à se dimitteret sub pœna interdictionis sacrorum illi denonciasset, adeò hac re commotus fuit *Sveno*, ut cum Religione se potius quàm cum uxore divortium facturum renunciaret: comminatus insuper, omnem se Hamburgensem Ecclesiam ferro & igne vastaturum. Tandem tamen *Albertus* Regi reconciliatus est, & Hamburgum unde recesserat, rediit.

II. *Quo tempore Archiepiscopatus Hamburgensis Bremam translatus fuit.*

Saxo Grammaticus lib. 11. hæc de re habet: *Cùm Rex ab Antistite per sacram ac salutarem admonitionem incesti reus ageretur, disciplinæ minas opposuit, seque ferro correptionis insolentiam repressurum edixit. Qua res ab Hamburgensibus maritimi periculi metu ad Bremenses Pontificium transtulit.* Quibus in verbis per translationem Pontificii, non tituli Archiepiscopalis & Metropolitanæ dignitatis ab Hamburgensi ad Bremensem urbem transitio significatur, ut locum illum explicat Lambecius in Orig. Hamburgensi cap. 59. sed temporaria tantùm Archiepiscopi transmigratio. Translatio enim Sedis fa-

cta anno millesimo ducentesimo vicesimo tertio, postquam per aliquot annos Ecclesias inter Hamburgensem & Bremensem de titulo & dignitate Archiepiscopali contentio agitata fuisset. Archiepiscopis enim in partem Canonicorum Bremensium inclinantibus extincta penitus est Metropolis Hamburgensis, & Canonici antiquo honore & jure suo in perpetuum Bremensibus cessere. Idem Lambecius pag. 113. recitat hujus pactionis tabulas anno MCCXXIII scriptas, quibus *Ecclesia Hamburgensis recognoscit titulum & Archiepiscopalem dignitatem apud Ecclesiam Bremensem remanere.* Tandem pacificatione Monasteriensi anno M D C X L V I I I inita Archiepiscopatus iste suppressus.

III. *S. Eduardus anno superiori Angliæ Rex creatus.*

Ad num. II. Malmesburiensis lib. 2. de Gest. Reg. Angl. cap. 13. Sanctus Ailredus sive Ealredus Abbas Rievallensis in Anglia, in Vita Sancti Eduardi Confessoris Angliæ Regis à Bollando ad diem V Januarii recitata, Hovedenus part. I. Annal. pag. 439. Vigorniensis, Simeon Dunelmensis, aliique Hardecanuti Anglorum Regis mortem in annum superiorem conjiciunt, sicuti & sancti Eduardi cognomento Confessoris, qui ei successit, electionem. Hovedenus laudatus ait, Hardecanutum *sexto Idus Julii, feriâ tertiâ* expirasse, sed legendum, *sexto Idus Junii*, ut habent novus Chronographus Saxo, & Simeon Dunelmensis, ac ex dicendis in morte sancti Eduardi patebit. Subdit Hovedenus: *Cujus frater Eadwardus, annitentibus maxime Comite Godwino & Wigorniensi Præsule Livingo, Lundoniæ levatur in Regem, cujus pater Egelredus*, quem à Canuto Hardecanuti patre Regno spoliatum fuisse suo loco diximus. Post hæc Hovedenus scribit: *Anno ab Incarnatione Domini M X L I I I Eadwardus ab Archipræsulibus Edsio Dorobernensi, & Alfrico Eboracensi, aliisque fermè totius Angliæ Præsulibus prima die Paschæ I I I Non. Aprilis, ungitur in Regem Wintoniæ*, quod Huntiodoniensis & Simeon Dunelmensis etiam habent. Hoc autem anno Pascha in illum Aprilis diem incidit. Baronius diem coronationis pro die electionis sumens Eduardi Regis initium in præsentem annum perperàm distulit; citat enim in margine Ingulphum & Rogerium Hovedenum, qui tamen non solùm Eduardum hoc anno coronatum scribunt; sed etiam ejus electionem in annum superiorem disertis verbis conjiciunt. Malmesburiensis lib. 2. de Reg. cap. 13. annos Eduardi ab ejus electione; lib. verò I Hist. Novellæ ab anno MXLIII deducit, scilicet ab ejus coronatione.

IV. *Emmam matrem supellectili spoliat.*

Refert Baronius verba Malmesburiensis citati, qui ait longè ante revelatum fuisse Sancto Britwoldo Wiltunensis Ecclesiæ Episcopo Sanctum Eduardum regnaturum. Hæc Malmesburiensis verba: *Viderat quondàm somnii revelatione seculi illius felicitatem Britwoldus Wintoniensis Episcopus, viderat & annunciaverat*, quod & in eodem Malmesburiensi lib. 2. de Gest. Pontif. legitur, dum de Episcopis Wiltunensibus pag. 247. verba facit. Verùm ibidem Britwoldus Episcopus Wiltunensis rectè appellatur, ideoque ex hoc ultimo loco alius corrigendus, neque dubitandum, quin Librariorum errore lib. 2. de Gest. Reg. pro Wiltunensi *Wintoniensis* dictus fuerit, ut Altordus hoc anno jam monuit. Hovedenus Eduardi coronatione narrata, subjungit: *Eodem anno, post festum Sancti Martini, Rex cum Comitibus Leofrico, Godwino & Siwarde, de civitate Glavorna Wintoniam venit improvisè: & ut illi consilium ei dederant sua genitrici* (nempe Emmæ Reginæ) *quidquid in auro, argento, gemmis, lapidibus, aliisque rebus pretiosum habuerat, abstulit, vel quia priusquam Rex esset effectus, vel post, minus quàm volebat ei dederat, & ei valde dura extiterat.* Idem habent Westmonasteriensis, aliique.

V. *Eo regnante aliqua inordinatè facta.*

Malmesburiensis laudatus, quæ Regni Eduardi primordia obscurarunt, his verbis refert: *Fuerunt tamen nonnulla, quæ gloriam temporum deturbarent. Monasteria tunc Monachis viduata; prava judicia à perversis hominibus commissa: suppellex matris ejus, præcipiente illo, penitus abrasa; sed harum rerum invidiam amatores ipsius ita extenuare conantur. Monasteriorum destructio, perversitas judiciorum, non ejus scientiâ, sed per Godwini, filiorumque ejus sunt commissa violentiam, qui Regis indulgentiam ridebant: postea tamen ad eum delata, acriter eorum exilio vindicata. Mater angustos filii jam dudum riserat annos: nihil unquam de suo largita, hæreditario scilicet odio parentis in prolem: nam magis Cnutonem, & amaverat vivum, & laudabat defunctum. Præterea congestis undecumque talentis, crumenas infecerat, pauperum oblita: quibus non patiebatur dari nummum, ne diminueret numerum. Itaque quod injustè coacervaverat; non injustè ablatum: ut egenorum proficeret compendio & fisco sufficeret Regio. Hæc referentibus, etsi plurimum fides adhiberi debeat: sanctam tamen mulierem fuisse comperio: & thesauros suos, in ornamenta Ecclesiæ Wintoniæ, & aliarum fortassis expendisse.* Hæc à Godwino Cantiæ Comite, summa apud postremos Angliæ Reges auctoritate, contra Emmam Eduardi matrem machinata creduntur, quòd vereretur, ne plus apud *Edvardum* ejus matris consilia, quàm suæ valerent versutiæ: indeque ne Regi suspecta matris accusatio esset, adjutores sibi sceleris legit, quibus plurimùm tribui à Rege noverat. Eduardus, quod Godvino promiserat, filiam ejus nomine *Aeditham*, anno sequenti uxorem duxit, cum qua in perpetua virginitate vixit.

VI. *Synodus Constantiensis, & conjugium Henrici Regis cum Agnete.*

Ad num. III. Baronius refert ex Hermanno Contracto in fusiori Chronico Heinricum Germaniæ Regem *Synodum Constantiensem* celebrasse, in qua iis, qui contra se deliquerant, debitum omne dimisit. Cum eodem anno Hepidannus, qui hoc tempore florebat, Concilium istud connectit, ideoque non audiendi Marianus Scotus & Chronographus Hildesheimensis, qui illud in sequentem annum rejiciunt, quos tamen Cossartius Tom. IX Concil. secutus est. Mirum verò Marianum Scotum, qui hoc tempore etiam vixit, idem Concilium cum anno sequenti copulasse, quemadmodum & conjugium Henrici Germaniæ Regis cum Agnete Willelmi Pictavorum Ducis filia, quod Baronius ex Hermanno laudato hoc anno rectè recitat, & Hepidannus laudatus in Annal. ac Lambertus in Chron. asserunt etiam hoc anno factum. Graviùs peccavit Glaber lib. 5. cap. 1. qui illud differt in annum M X L V, quem Hugo Flaviniacensis Abbas in Chronico Virdunensi imitatus est, adeò per hæc tempora Scriptores in Chronologia parùm diligentes.

VII. *Obitus Gi-*

Accuratè tamen hoc anno Marianus Scotus in

SÆC. XI. An. C. 1043. *Gisla Augusta.*

in Chronico habet: *Gisla Imperatrix mater Henrici Regis obiit XVI Kalendas Martii, & apud Spiram sepelitur.* Eumdem annum exhibent Hermannus Contractus, Lambertus & Hepidannus. Quare fallitur Chronographus Hildensheimensis, seu potius ejus Continuator, qui id anno sequenti contigisse affirmat.

VIII. *Michael Cerularius Alexio succedit in Patriarchatum C P.*

Ad num. IV. *XX die Februarii, indict. XI Alexius Patriarcha rebus humanis excedit. Ei sufficitur die Annunciationis festo Michaelus Cerularius*, inquit Cedrenus, cui consentit Zonaras, cùm ait, eum Cpoli sedisse *annos XVIII.* Emmanuel Calecas lib. 4. adversus Græcos, asserit post Photium unitatem in Ecclesia Orientali durasse per decem & septem Patriarchas usque ad Cerularium; quem ille refert ex Curopalate, aliis emergentibus casibus, quales homini sæpe superveniunt, simulque invidente pacis adversario, Romanum Pontificem propter Azyma diptychis ejecisse. Sed de hoc Schismate infra sermo erit.

Anno Eræ Hispan. MLXXXII. Anno Hegiræ CCCCXXXVI, inchoato die 4. Julii fer. 2.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6537.

☉ 17. A G. ☽ 19. P. 22. April. Indict. 12.

JESU CHRISTI 1044.

GREGORII VI PAPÆ 1.

HENRICI III REG. 6.

CONSTANTINI MONOMACHI IMP. 3.

I. *Benedictus IX, Silvester III & Gregorius VI eodem tempore Papæ.*

AD Num. I ad XVI. Victor III Papa lib. 3. Dialog. postquam ea quæ de Benedicto IX Pontificatûs ejus initio ex illo retulimus, protulit, ait: *Denique cùm rapinas, cædes, aliaque nefanda in Romanum populum aliquamdiu per tempora sine ulla dilatione ageret, congregati in unum populi, quia ejus nequitiam amplius ferre nequibant, eum à Pontificatûs cathedra exturbantes, Urbe pellunt; alterumque in loco ejus, Joannem videlicet Sabinensem Episcopum, canonica parvipendentes decreta, substituunt; qui tribus non amplius mensibus Romana usus est cathedra successione, Benedicto undique suis cum propinquis infestante Urbem, quia ex Consulibus terræ ortus erat, & in eis maxima virtus, Urbe cum dedecore pulsus, suum ad Episcopatum reversus est. Benedictus igitur quod amiserat Sacerdotium recepit, pristinos tamen mores minimè mutavit*, *secundùm quod scriptum est*, Adolescens „ juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non „ recedet ab ea; *& quia durum est in corde veteri nova meditari, in eisdem pravis & perversis operibus, ut ante perseverabat. Cumque se à Clero simul & populo propter nequitias suas contemni respiceret, & famâ suorum facinorum omnium aures impleri cerneret, tandem reperto consilio (quia voluptati deditus, ut Epicurus magis, quam ut Pontifex vivere malebat) cuidam Joanni Archipresbytero, qui tunc in Urbe religiosior ceteris Clericis videbatur, non parvâ ab eo acceptâ pecuniâ, summum Sacerdotium relinquens tradidit. Ipse verò in propriis se castellis recipiens, Urbe cessit. Interea Joannes, cui Gregorius nomen inditum est* (Gregorius nempe hujus nominis VI) *cum duobus annis & octo mensibus Sacerdotium administrasset, Henricus Rex Romanam adiit urbem*, & cetera anno MXLVI recitanda.

SÆC. XI. An. C. 1044. II. *Benedictus IX sæpe Pontificatum resumpsit.*

Non dissimilia narrant Hermannus Contractus in Chron. ad annum MXLIV & Leo Ostiensis, ut videre est apud Baronium num. I & seq. *Benedictum Papam*, inquit Hermannus, *multis criminatum sede sua pellunt, & Silstrum* (legendum Silvestrum) *quemdam in locum ejus statuunt, quem tamen postea Benedictus quibusdam sibi faventibus excommunicatum depulit, sedique sua redditus; se ipsum postea privavit, & alium pro se ob avaritiam contra ordinat*, nempe Joannem Gratianum, Gregorium VI in Pontificatu appellatum. Leo verò Ostiensis: *Romanam autem Benedictus cùm annis duodecim* (nempe incompletis, non verò undecim, ut Baronius legendum credidit) *Apostolicæ sedi præfuisset, à Romanis ejectus est, & Joannes Sabinensis Episcopus, cui nomen Silvester impositum est, non tamen gratis in Romanum Pontificem subrogatus. Qui cum præfuisset mensibus tribus, Benedictus ille prius abrogatus*, & cetera apud Baronium legenda. Tres itaque Pontifices nempe Silvester III, Gregorius VI, & Benedictus IX uno eodemque tempore Sedem Romanam occuparunt. Cùm verò Gregorius VI circa initium mensis Maii currentis anni Pontificatum inierit, ut mox videbimus, & Silvester III menses tres sederit, ut habent Victor III, & Leo Ostiensis, sequitur Benedictum IX circa currentis anni initium Sede expulsum fuisse. Anno quidem MXXXVIII è Sede pulsus fuerat, ut eo anno ex Glabro Auctore coævo diximus, sed tunc nullus in ejus locum subrogatus, indeque factum, ut Hermannus & Leo Ostiensis, qui rem summatim tractant, primæ illius Benedicti IX expulsionis nullam mentionem fecerint. Verùm, ut habet idem Glaber lib. 4. cap. 5. *Interc edente thesaurorum pecuniâ electus extitit a Romanis, à quibus exinde frequenter ejectus, ac inhonestè receptus, nulla potestate viguit.*

III. *Gregorius VI licet simoniacus inter legitimos Pontifices numeratus.*

Benedictus nonus, Silvester tertius, antea Joannes Sabinensis Episcopus appellatus, & *Gregorius VI*, ante Pontificatum Joannes Gratianus vocatus, simoniaci fuêre; Benedictus tamen IX & Gregorius VI inter Pontifices Romanos numerantur, & ut tales habiti sunt, uti de Benedicto IX inter omnes convenit, & de Gregorio VI non videtur dubitandi locus. Hinc Gregorius VII in Concilio Romano anno MLXXX coacto ait: *Invitus ultra montes cum domino Papa Gregorio abii, sed magis invitus cum domino meo Papa Leone.* Præterea quando Petrus Damianus electionem ejus accepit, eam canonicam fuisse existimans, ipsi Pontificatum gratulatus est, ut liquet ex ejus ad eum Epistola à Baronio num. VIII recitata. Imò Henricus II Imperator, qui eum à Concilio Sutriensi anno MXLVI deponendum curavit, ut infrà videbimus, anno insequenti III Nonas Januarii Privilegia monasterii Sancti Petri Perusini confirmans, & Imperatores ac Pontifices Romanos, qui jam eadem confirmaverant, enumerans ait: *Ita ut ea, quæ ab antecessorum nostrorum tempore Imperatorum*, &c. *& Pontificum Romanorum, Joannis siquidem, Gregorii*, &c. *Joannis* (scilicet XIX) *Benedicti* (scilicet IX) *Gregorii* (nempe VI) *& præsentis domni Clementis* (nempe hujus nominis II,) *tenuit, vel modo tenet*, &c. Ubi Gregorium VI & Benedictum IX inter legitimos Pontifices recenset. Extat illud Diploma Tom. II Bullarii Casinensis.

Certè

SÆC. XI An. C. 1044.

IV. *Idem de quibusdam aliis Pontificibus Rom. dicendum.*

Certè Angelus Corarius, *Gregorius XII* in Pontificatu appellatus, à Conciliis tam Pisano, quàm Constantiensi, tanquam Antipapa seu tanquam malè electus depositus fuit, & tamen quia causa ejus melior, quàm aliorum apparebat, inter veros Pontifices numeratur; licet ipsemet depositioni suæ postea consenserit. *Alexander VI* numeratâ pecuniâ Pontificatum emit, ut non diffitetur Onuphrius in Appendice ad Platinam; quod & testatur Philippus Comminius, Historicus sincerus & coævus lib. 7. cap. 12. qui tamen locum inter legitimos Pontifices semper habuit. Imò potest Pontifex Romanus, si infidelis, hæreticus, aut schismaticus fuerit, dignitate moveri, quod merè personale, & Sedi Apostolicæ nullum præjudicium infert, sicuti *Childerici* Regis Francorum, vel *Alphonsi VI* Regis Lusitaniæ depositiones jus supremum, monarchicum & independens, Regum utriusque Regni minimè lædit.

V. *Magnus error Ottonis Frisingensis.*

Sed, ut ad Gregorium VI redeam, Otto Frisingensis, qui centum circiter annis post ejus depositionem Chronicon suum elucubravit, cùm de illo malè edoctus fuisset, non solum Baronium, sed passim omnes alios in errorem induxit, Gregorium VI à tribus Pontificibus simoniacis, qui per hæc tempora Romanam Ecclesiam afflixêre distinguens, & eum tanquam liberatorem Ecclesiæ exhibens. Hæc ejus verba lib. 6. cap. 23. *Circa idem tempus pudenda confusio Ecclesiæ Dei in Urbe Roma fuit: tribus ibi invasoribus, quorum unus Benedictus* (hujus nominis IX) *dicebatur, sedem illam simul occupantibus, atque ad majorem miseriæ cumulum divisis simul cum reditibus Patriarchiis uno ad S. Petrum, altero ad S. Mariam Majorem, tertio, idest Benedicto, in Palatio Lateranensi sedente, flagitiosam & turpem vitam* (*ut egomet in Urbe Romanis tradentibus audivi*) *duxêre. Hunc miserrimum statum Ecclesiæ religiosus quidam Presbyter, Gratianus nomine, videns, zeloque pietatis matris suæ compatiendo animadvertens, præfatos viros adiit, eisque à sede sancta cedere pecuniâ persuasit, Benedicto reditibus Angliæ, quia majoris videbatur auctoritatis, relictis. Ob ea cives præfatum Presbyterum, tanquam Ecclesiæ Dei liberatorem in summum Pontificem elegerunt, eumque mutato nomine Gregorium septimum* (legendum, sextum) *vocaverunt.* Vides Ottonem supponere eodem tempore quatuor Pontifices Romæ visos fuisse, cùm tamen Benno hujus ætatis Scriptor, omnesque alii trium tantùm mentionem faciant, ex quibus Joannes Gratianus unus extiterit, & Gregorius VI nominatus fuerit; quem cùm valde laudet Otto Frisingensis, Baronius, & plerique alii eum à simoniæ labe immunem fuisse censuêre, & Henricum II Imperatorem, qui justè eum deponendum judicavit, hujus rei valde insimularunt.

VI. *Hermannus & Victor III PP. Gregorium VI pro simoniaco habent.*

Papebrocius verò in Conatu Chronico-Historico fatetur, Ottonem Frisingensem malè quatuor Pontifices nobis obtrusisse, sed arbitratur, Gregorium VI ex illis tribus unum legitimè electum fuisse, & nonnisi ad liberandam Ecclesiam pecuniam dedisse; & ita narrationis Ottonis partem veram esse putat, partem verò falsam. Verùm Scriptores coævi hanc communem sententiam planè convellunt. Hermannus enim Contractus scribit in Synodo Sutriensi, de qua suo loco, *causâ erroneorum Pontificum diligentiùs ventilatâ* Gregorium VI *convictum Pastorali baculo* privatum esse, dein *omnium tam Romanorum quàm aliorum assensu* Clementem II Pontificem Romanum electum. Secundò, Victor III Papa lib. 3. Dialog. refert Benedictum IX, non parvâ à Gregorio VI acceptâ pecuniâ, summum Sacerdotium ei reliquisse, & Henricum Regem *tres illos*, QUI INJUSTE APOSTOLICAM SEDEM INVASERANT, *cum consilio & auctoritate totius Concilii* justè depulisse, & ipsummet Gregorium VI post rem ab ea Synodo discussam, agnovisse *se non posse justè honorem tanti Sacerdotii administrare, ac semetipsum Pontificalibus indumentis* exuisse.

SÆC. XI. An. C. 1044.

VII. *Bonizo Episc. Placentiæ eum pro simoniaco habet.*

Tertiò, Lambecius Tom. II Biblioth. Cæs. lib. 2. cap. 8. ait, in ea Bibliotheca extare volumen MS. in quo continetur *Bonizonis* (Episcopi primùm quidem Sutrini, postea verò Placentini, qui anno MLXXXIX ob defensionem Sanctæ Sedis Apostolicæ & libertatis Ecclesiasticæ à Placentinis schismaticis, effossis oculis, & omnibus fere membris detruncatis, crudelissimè occisus est, ut eo anno refert Bertoldus, cujus verba Baronius in eum Christi annum inseruit), *Decretale*, sive *Syntagma Decretorum Ecclesiasticorum ex sacra Scriptura, probatisque Conciliis*, ut & ex *Pontificum Rom.* & *sanctorum Patrum*, aliorumque *orthodoxorum Auctorum* Monumentis collectum, & secundùm *locos communes* in septem libros divisum: cui *Proœmii* loco præfixa est *Epitome Historiæ Pontificum Romanorum à Sancto Petro ad Urbanum II*, anno MLXXXVIII electum. Titulus hujus Epitomes est: *Chronica Romanorum Pontificum edita à Bonithone Sutrino Episcopo, viro per omnia doctissimo*, in cujus fine refert ipse Bonizo, se etiam alios *duos libros* de Pontificibus Romanis scripsisse; quorum *primus*, qui continuit res gestas sub Theophylacto sive Benedicto IX, & sequentibus Pontificibus atque Antipapis usque ad obitum Gregorii VII, inscriptus fuit AD AMICUM; alter autem, qui comprehendit *Acta primi*, & ex parte etiam *secundi anni Pontificatûs Urbani secundi*, inscriptus fuit, IN HUGONEM SCHISMATICUM, hoc est contra Hugonem cognomento *Candidum*, Cardinalem Presbyterum Tituli S. Clementis, qui anno MLXI post obitum Nicolai II Papæ caput & antesignanus fuit eorum, qui novum Pontificem Romanum nonnisi consulto & consentiente *Imp. Henrico IV* creandum esse contenderunt.

VIII. *Egregius locus Bonizonis Episc.*

Hæc autem Bonizonis verba de Gregorio VI in fine memoratæ Epitomes scripta: *Ceterùm*, inquit, *si quis de Theophylacto Tusculano* (seu de Benedicto IX ante Pontificatum ita appellato) *qualiter Joanni* (sc. Joanni Archipresbytero, Gregorio VI in Pontificatu vocato) *Sacerdoti vendidit Papatum, & quomodo uno eodemque tempore* THEOPHYLACTUS ET GREGORIUS (hujus nominis VI) ET SILVESTER (hujus nominis III) *Romanum non regebant, sed vastabant Pontificatum, & qualiter Henricus Rex, Conradi filius, Romanam Ecclesiam* A TALIBUS PESTIBUS LIBERAVIT, *gnarus esse voluerit, legat* LIBRUM, *quem dictavi, qui inscribitur* AD AMICUM, *& ibi inveniet, hæc ordinabiliter esse digesta.* Porrò Bonizo non ex occasione, sed ex professo de Romanis Pontificibus scripsit, idque non multis à Gregorii VI morte annis; Sutrii, ubi is à Pontificatu depositus, Episcopus fuit; vitæ suæ partem propè Urbem Romanam traduxit; *Sutrium*

enim

SÆC. XI. An. C. 1044.

enim nonnisi viginti quinque millibus pallium ab ea dissitum; & denique ob defensam Ecclesiæ Romanæ libertatem martyrium pertulit. Quare cùm *Gregorium* VI Papatum à Benedicto IX emisse in literas miserit, ejus hac in re testimonium gravissimum censeri debet.

IX. *De rebus hoc tempore Romæ gestis præclarè edoctus fuit.*

Quæ post illa verba subjungit, hujus argumenti vim magis ostendunt, ideoque hîc non prætermittenda: *Invenies autem & ibi Papa Clemens* (hujus nominis II) *electus qualiter sit, qualiterve Henricus Rex, Imperator ab eodem ordinatus sit; & de Damaso* (hujus nominis II) *ejus successore, quot in Papatu duxerit dies; & de præclaro Leone* (hujus nominis IX) *quid in Papatu egerit, qualiterve vitam finivit; & de Victore* (ejus nominis II) *ejus successore quid egerit, aut quid ejus temporibus novum evenerit; & de Stephano* (hujus nominis IX, vulgò X) *Godefridi Ducis germano, & qualiter ejus temporibus patarea* (vox hæc suo loco exponetur) *apud Mediolanum exorta est; & de Nicolao* (hujus nominis II) *Papa, & de lite, quam habuit cum Benedicto* (ejus nominis X) *invasore, & quid egerit in Papatu; & de Alexandro* (ejus nominis II) *Papa, & de lite quam habuit cum Cadolo* (aliàs Honorio II) *Parmense, & de ejus victoria, & quid egerit in Papatu, & de ejus fine; & de septimo Gregorio, & de ejus electione & de Vita ejus, & moribus, & qualiter ad Altare Domini in Nativitate a Centio viro crudeli captus sit, & eo die Dei gratiâ liberatus, & de Werra* (idest, bello), *quam sustinuit ab Henrico Imperatore, & de controversia, quam habuit cum Wiberto* (aliàs Clemente III) *& de ærumnis, quas sustinuit, & de obsidione civitatis & sua, & qualiter à Roberto Romanorum Duce sit liberatus, & qualiter beato fine quieverit, apertissimè declarata. Urbani verò Pontificis Acta, & de ejus victoriis, si quis scire voluerit, legat librum, quem scripsi in* HUGONEM SCHISMATICUM, *& ibi invenies ad plenum dilucidata, quæ volueris. Hucusque incipiens à beato Petro Apostolorum Principe usque ad nostra tempora* (sc. usque ad annum Christi MLXXXIX, qui secundus fuit Urbani II) *Romanorum Pontificum Acta commendatè digessimus, superest nunc, ut de Privilegiis ad Romanum Pontificem pertinentibus, & de prærogativa ipsius Sedis non profusè, sed succinctè, Dei juvante gratia differamus.* Huc usque Bonizonis *Epitome Historiæ Pontificum Romanorum*, quæ *decretorum Ecclesiasticorum libris septem* ab ipso collectis, Proemii loco præfixa est. Profectò periisse Opus, quod Annalibus Ecclesiasticis maximam lucem effudisset, summoperè dolendum. Hæc tamen sufficiunt ad declarandum quantum is de rebus hoc tempore Romæ gestis edoctus fuerit. Bonizonis Opus extabat adhuc tempore Martini Poloni, qui in Proœmio Chronici sui ait, se illud compilasse; *ex Chronicis Damasi Papæ de Gestis Pontificum; item de gestis Bovisii* (legendum, Bonisii) *Episcopi Sutrini, de gestis Pontificum; item ex Chronicis Pauli Romani Diaconi Card. de gestis utrorumque; item de Chronicis Gilberti de gestis utrorumque; item ex Chronicis Richardi Monachi Cluniacensis*, &c. Quæ Opuscula vel amissa vel tenebris sepulta.

X. *Bonizoni Clemens II testis oculatus suffragatur.*

Sed redeo ad Gregorium VI, aliamque adversùs ejus electionem profero rationem, quæ mihi ineluctabilis videtur. Gretzerus, in libro, quem scripsit de divis Bambergensibus, annoque MDCXI Ingolstadii edidit, Clementis II Gregorii VI successoris immediati Breve Bambergam statim à sua coronatione missum producit, quo Clemens II Ecclesiæ Bambergensi, cujus Episcopus erat, Cleroque ac populo electionem suam significat, testaturque ab ea divelli sibi gravissimum accidere. Clemens itaque II in ea Epistola pauca præfatus, subdit: *Tanti numinis nutu te suam Charissimam filiam Babembergi, nobis in sponsam legitimam desponsavi, & arte regere* (quantum in nobis fuit) *sua propitiatione donavi. Certè nulli marito erga suam uxorem fides purior & amor ardentior, quàm circa te, nobis: nec unquam vel in mentem venit te destituere, & alii adhærere. Sed nescio quod divino consilio actum est, ut matri tua, omniumque Ecclesiarum consociaret, & aliquatenus, tamen omninò, à te separaret. Ecce enim cum illud Caput mundi, illa Romana Sedes heretico morbo laboraret, & charissimi filii nostri domini Henrici Imperatoris Augusti præsentia ad hoc invigilaret, ad hoc insisteret, ut hujusmodi ægritudinem propulsaret;* EXPLOSIS TRIBUS ILLIS QUIBUS IDEM NOMEN PAPATÛS RAPINA DEDERAT, *inter tot agmina Sanctorum, qui aderant Patrum, dignatio cœlestis gratia nostram indignissimam mediocritatem, cunctis nisibus refragantem, voluit eligi, & altissimi Apostolorum Principis vice fungi.*

XI. *Ejus verba evertunt quæ pro Gregorio VI afferri possunt.*

Avulsam me tunc a tuo gratissimo latere, sponsa dulcissima, quis dolor apprehenderit, quis mœror confecerit, quo pacto exprimam, nescio, cùm nobis omnem modum videatur transgredi. Plus honoris est, plus decoris, plus, inquam, virium Matri, quàm Filia, utpote cui omne genus terrestrium flectitur, pro cujus arbitrio janua cœli aperitur & clauditur; adversus quam nec porta prævalent inferorum. Non tamen tanta dominationis cupido ustio nostra mentis irrepsit, cordisque cervicem libentar inflexit. Satis nobis erat, secum activam benè, contemplativam, quoquo modo ducebamus vitam præsertim cùm perfectus amor nec speciem alterius unquam, nec veneretur opulentiam. Testem invocamus actem divinam, non commentarios apologiam: illa enim secreta cordis rimatur, cui nulla nox obtenebratur. Commemorat postea Clemens II, quomodo Ecclesiam Bambergensem fundator ejus Sanctus Henricus Imperator Apostolicis Privilegiis muniri curaverit per prædecessores suos *Joannem* & *Benedictum* (Joannem scilicet XVIII, & Benedictum VIII). Sed nec annus, nec dies Brevis Apostolici emissi in fine notatur. Digna certè hæc Epistola quæ in futuram Conciliorum editionem inseratur. Magnam ejus partem refert Papebrocius in Paralipomenis ad Conatum Chronico-Historicum, nec tamen animadvertit, hæc verba, *explosis tribus illis, quibus idem nomen Papatus rapina dederat* omnes suas & aliorum interpretationes in favorem electionis Gregorii VI hactenus in medium allatas prorsùs elidere.

XII. *Gregorium VI simoniacum fuisse docet Chronographus Sancti Benigni.*

Denique Chronographus Sancti Benigni, qui hoc tempore etiam vixit, Tom. I Spicilegii Dacheriani loquens de ordinatione Halinardi Lugdunensis Archipræsulis anno MXLVI facta, de Henrico Imperatore ait: *Eodem anno perrexit memoratus Princeps Romam, ibique tunc suscepit coronam imperii, die natalis Domini, per manus Clementis Papæ. Quem ipse Imperator ordinari jussit, & fecit deponi Joannem* (in Pontificatu Gregorium VI appellatum), *qui tum cathedra præsidebat, & Benedictum, atque Silvestrum, qui in Concilio tunc habito examinata eorum culpa, inventi sunt non solum Simoniaci, sed etiam pervasores Ecclesiæ Christi. Huic Concilio interfuit ipse domnus Lugdunensium Archipræsul,*

præsul, atque memoratus Hugo Archiepiscopus (nempe Bizuntinensis) *aliique plures ex diversis partibus coadunati Episcopi.* Mitto Leonem Ostiensem lib. 2. cap. 80. qui eadem de Gregorio VI iisdemque ferè verbis ac Victor III refert, quia Angelus de Nuce in Notis ad ejus Chronicon observat, Leonem Ostiensem Casinensem Monachum, quæ de Benedicto IX scribit, accepisse à Victore III, qui ante Pontificatum Casinensis Abbas fuerat.

XIII. *Duratio Sedis Gregorii VI.*

Hinc certum & indubitatum videtur quod idem Leo de duratione Pontificatûs Gregorii VI scribit: *Jam annis duobus & VIII mensibus Archipresbyter ipse, cui Gregorii nomen in Papatu est inditum, Apostolicæ Sedi præfuerat.* Idem enim Victor III habet, & in plerisque Pontificum Rom. Catalogis legitur. Quare perperàm Papebrocius Gregorio VI annum tantùm unum, & menses VIII præter dies IX attribuit, innixus Privilegio ab eodem *Rolando Florentinæ Canonicæ Præposito* indulto, & ab Ughello Tom. III Col. 84. recitato, cujus hæ sunt clausulæ: *Scriptum per manum Joannis Scrinarii & Notarii nostri Lateranensis Palatii. Benè valete. Datum XII Kalendas Martii, per manus Petri diaconi Bibliothecarii & Cancellarii Sanctæ Apostolicæ Sedis, anno Pontificatûs domni Gregorii Papæ sexti primo, indict. XIV*, idest, anno Christi MXLVI. Nam indictio illa XIV mendosè descripta, legendumque, *indict. XIII*, quæ cum XII Kalend. Martii, annoque primo Pontificatûs Gregorii VI, Christi verò MXLV concurrit. Librarios indictiones sæpe depravare, omnibus notum. Porrò ex Leone Ostiensi, qui prodit, *Silvestrum* III Benedicto IX subrogatum fuisse anno ultimo Pontificatûs ejus, intelligimus Victorem III, qui annum quo id factum non exprimit, aliud non designare; cùm Leo id ab eo acceperit. Ex quibus tandem omnibus sequitur, *Gregorium* VI, qui circa Natale Christi anni MXLVI depositus fuit, inthroniзatum circa initium mensis Maij currentis anni, & *Silvestrum* III circa initium mensis Januarii ejusdem anni Pontificatum invasisse, quo circa finem Martii expulso, *Benedictus* IX Papatum resumsit, quem post mensem, vel circiter, *Gregorio* VI vendidit.

Anno Eræ Hispan. MLXXXIII. Anno Hegiræ ccccxxxvii, inchoato die 19. Julii fer. 6.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6538.

☉ 18. F. ☽ 1. P. 7. April. Indict. 13.

JESU CHRISTI 1045.

GREGORII VI PAPÆ 2.

HENRICI III REG. 7.

CONSTANTINI MONOMACHI IMP. 4.

I. *Polonia Sanctæ Sedi vectigalis facta.*

AD num. I & seq. Narrat Joannes Longinus in Historia Poloniæ *Casimirum* Regem hoc anno totius Regni Comitia convocasse, tumque Romam Legatos misisse, qui suo nomine gratias agerent *Benedicto* Pontifici, & Polonici Regni tributum penderent. Historia à Joanne Longino Canonico Cracoviensi & postea Episcopo Leopoliensi seculo XV scripta, quam manuscriptam Baronius habuit, anno MDCXII typis mandata fuit cum Historia Polonica, *jussu Casimiri Poloniæ ducis*, à Vincentio Cadlubco Cracoviensi Episcopo anno MCCXXIV demortuo composita, sed ad nos non pervenit *Benedicti* IX rescriptum, cujus idem Joannes Longinus meminit.

II. *Hungaria Regno Germanico reddita.*

Petrus Rex (sc. Hungariæ, inquit Hermannus Contractus in fuliori Chronico) *Heinricum Regem* (nempe Germaniæ) *in festivitate Pentecostes ad se invitatum cum magno apparatu suscepit, & maximis muneribus donavit, eique regnum Pannoniarum, Principibus Ungariorum fidelitatem illi & successoribus ejus juramento firmantibus, reddidit* (Ovone nempe tyranno anno superiori occiso, ut ibidem Hermannus narrat): *quod tamen ab eo ipse dum viveret possidendum recepit. In quo videlicet Rex quoddam vetus solarium ascendens, cum multis aliis ædificiis cadente corruit: ipsoque Deo protegente, illæso, Bruno Wirzeburg* (idest Herbipoleos) *Episcopus lethaliter cum aliis collapsus, post unam hebdomadam septimo Kalendarum Junii obiit.* Henschenius ad diem XVII mensis Maij varia collegit de hoc Sancto Brunone Episcopo Herbipolensi in Germania, & cùm in ejus Epitaphio legatur, eum *sextâ Kalendarum Junii* obiisse, ait ei potius credendum quàm Hermanno, retinendumque *VI Kalendas Junias.* Verùm juxta regulam à nobis statutam, & innumeris exemplis comprobatam, Hermannus diem mortis, conditor verò Epitaphii diem sepulturæ notavit, qui uterque dies obitûs vel depositionis nomine sæpissimè exprimitur.

III. *Moritur S. Bruno Episc. Herbipolensis.*

Filius fuit *Bruno* Conradi II Carentanorum seu Carinthiæ Ducis, qui in Regno Germanico Conrado Salico competitor extitit, & Mechtildis, filiæ Gebhardi Dynastæ Quenfortensis & Sophiæ Comitissæ Mansfeldensis: cui Gebhardo frater fuit alius Sanctus *Bruno* Episcopus & Apostolus Prussiæ, de cujus martyrio anno MVIII verba fecimus. Hanc prosapiam explicat Reusnerus in Auctario Operis Genealogici Βασιλικῶν, & ex eo, aliisque Henschenius citatus. De Brunone Trithemius in lib. de Script. Ecclesiast. *Bruno Episc. Herbipolensis, Conradi Imperatoris secundi* (imò primi) *patruelis, natione Teutonicus, vir in divinis Scripturis studiosus, vitâ & conversatione sanctissimus, qui ob meritorum suorum excellentiam catalogo sanctorum adscriptus, Franciæ Orientalis singularis patronus habetur, comportavit ex antiquorum Patrum scriptis pulchram Expositionem in totum Psalterium.* Composuit & alia Opera in Cantica & Symbola, quæ in Tomo XVIII Biblioth. Patrum Editionis Lugdunensis exhibentur. Refert Henschenius ex Bruschio in Episcopis Herbipolensibus, *Brunonem* anno MXXXIII Episcopum renunciatum esse; verùm ex Hermanno citato & Chronographo Hildensheimensi constat, eum ad eam dignitatem anno MXXXIV promotum.

IV. *Adelmannus Berengarium monet, ut ab errore resipiscat.*

Adelmannus Scholasticus Ecclesiæ Leodiensis, cùm accepisset, *Berengarium* Andegavensem Archidiaconum doctrinam de Corpore & Sanguine Domini in Eucharistia Orthodoxæ contrariam spargere, scripsit ad eum Epistulam, quæ Tom. XVIII Biblioth. Patrum edit. Lugdunensis legitur, & cujus mentionem facit Baronius anno MXXXV num. VII, quia eo anno Concilium Parisiense adversùs Berengarium indictum putabat, quod tamen anno ML habitum fuisse, eo anno videbitur. Epistolæ inscriptio est: *Dilecto in Christo fratri Conscholastico Berengario Adelmannus salutem in domino*, quare cum juxta Ughellum Tom. V Italiæ Sa-

cræ

cræ *Adelmannus* ab anno MXLVIII ad annum circiter MLXI, Brixiensis in Italia Episcopus fuerit, ea ad Berengarium, qui sicut & ipsemet Fulberti Carnotensis Episcopi vitæ sanctitate & doctrina illustris discipulus fuerat, hoc vel alterutro ex duobus sequentibus annis data. Eum pluribus hortatur *Adelmannus*, ut famam suam tam fæda labe non maculet: *Obsecrans*, inquit, *per misericordiam Dei, per suavissimam memoriam Fulberti, ut pacem Catholicam diligas, neque conturbes Remp. Christiana civitatis bene compositam à majoribus nostris, per quam tot millia Martyrum contra idololatriam & regnum diaboli fortiter certantes triumpharunt, subindeque SS. Doctores bella civilia ab hæreticis commota salutaris eloquentia fluminibus restinxerunt, atque eam circumquaque munierunt, ut jam novus hostis nullus oboriri queat, qui adversus eam aliquid nitens non continuè mille jaculis desuper ruentibus obruatur: ideo confusi sunt omnes & defecerunt. Ubi enim sunt Manichæi? ubi Ariani? quonam tota illa factio perditissimorum civium evasit? computruit etiam memoria eorum. At verò Ambrosius, Augustinus, Hieronymus & alii plures bestiarum talium oppressores cum laudibus vivunt, quotidieque splendidiùs efflorescunt. Bonum est, frater, nobis parvulis sub istorum ducum titulis delitescere, quorum tam valida tamque probabilis est apud Ecclesiasticas aures auctoritas, sanctarum virtutum fulgere cœlestis sapientiæ luce præpollent, ut extrema jam sit dementia, vel de ratione fidei, vel de ordine rectè vivendi eis in aliquo refragari.* Postea doctè ostendit Eucharistiam esse verè substantialiterque Corpus & Sanguinē Domini, solis Christi verbis, innixus, ductoq; ab omnipotentia Divina sacramento.

V. *Ad eamdem rem usus est operâ Paulini Metensis Primicerii.*

Ecclesiam Metensem administrabat hoc tempore *Theodoricus* hujus nominis II, cujus magna sunt in eamdem merita, ut ostendit Meurissius lib. 3. de Episc. Metensibus. In ejus Ecclesia Cathedrali Primicerius erat vir magnæ eruditionis *Paulinus* nomine, quo Adelmannus usus, ut Berengarium Paulini amicum in viam reduceret. Ait enim Adelmannus in laudata Epistola: *Hac ante hoc biennium cùm audissem, fraternitatem tuam per Epistolam convenire, idque ex te ipso certiùs sciscitandum esse decrevi. Sciens porrò familiarem tuum dominum Paulinum Metensem Primicerium tibi propiorem, tibique aliquando viciniorem esse, & mea petitione, & sua pollicitatione delegavi sibi hujus negotii executionem. At ille (non enim hac in re laudare eum possum) negligens, sive alterutrarum, sive utrarumque nostrum, usque adhuc reliquit me suspensum, sed divina gratia nos nunquam negligens, inopinatò mihi obtulit meliùs quàm optabam.* Quibus ex verbis liquet, primò Berengarium aliquot ante annos quàm hæresis ejus in Concilio Romano damnaretur, à pluribus habitum fuisse hæreticum, & Auctorem Fragmenti Historiæ Francicæ, à Roberto ad Philippum Regem perductæ, hæreseos Berengarianæ exordium à superiori Christi anno appositè repetere. Secundò, non defuisse in Gallia, qui omnem operam posuerint, ut eum à prava mente revocarent. Tertiò, non videri Paulinum Primicerium muneri sibi injuncto satisfecisse.

VI. *Frollandus Episc. Silvanect. Berengario Regem conciliat.*

Ex Epistola *Frollandi* Episcopi Silvanectensis à Dacherio Tom. II Spicilegii publicata, quâ excusat non obitum vadimonium, quia morbo detentus fuerat, seque illi Henricum Regem planè conciliasse, intelligimus Berengario non defuisse potentes amicos ac plerosque pravæ ejus intentionis inscios, quâ paulatim detectâ fuisse, qui piissimi Regis animum ab eo averterant: *Detentus*, inquit, *utraque infirmitate non possum, prout disposueram, & tibi mandaveram, huc ad te venire. Sed quæso, ora pro me, & attentius, ut ea liberer, quæ animam meam necat, ægritudine, & nescio si in hoc præsenti seculo amplius te, Charissime domine, videre potero; sed satage, ut in alio cum tranquillitate merear te videre,* &c. *quidquid tibi placuerit, mihi remanda. Illud volo fraternitas tua noverit, quod multum firmiter acquisivi tibi gratiam domini mei Regis.*

VII. *Moritur Aribertus Archiep. Mediolanensis.*

Mortuus est hoc anno *Heribertus* seu *Aribertus de Intimiano*, ut à Veteribus, non verò *de Arciaco* vel *Arzago*, uti à Recentioribus appellatur, Archiepiscopus Mediolanensis, postquam sedisset annos XXVII, uti ostendit Puricellus in Monum. Basilicæ Ambrosianæ num. CCXIII & CCXLVI. Illum uxoratum fuisse primus omnium tradidit Galvancus Flamma, Dominicanus, in suo Chronico Mediolanensi, post annum MCCCXXX composito, post annos nempe CCC ab Ariberti morte, eumque secutus est Bernardinus Corio, in Historia sua Mediolanensi circa annum MD. Verùm duo testes isti facilè refelli possunt. Ut enim ait Puricellus lib. 4. de Vita Sancti Herlembaldi cap. 92. num. 51. *ejusdem Archiepiscopi gesta luculenter ambo* (scilicet Arnulphus & Landulphus Senior) *& copiosè suis Historiis consignarunt, neque tamen uxoris illius, quam Præsul ille tunc haberet, mentionem fecerunt ullam, quam tamen ceteroqui facere debuissent; ut appareret, quanti etiam Præsulis exemplum sequerentur uxorati per ea tempora Sacerdotes, quibus illi* (Arnulphus nempe & Landulphus Senior) *unicè favebant*. Quod quidem sapienter scriptum; & tamen Galuancus Flamma cap. 226. (apud Puricellum lib. de Vita Arialdi & Herlembaldi cap. 92. num. 5.) *de Heriberto de Arzago Archiep. Mediol.* tradit, quod duxit uxorē nobilem mulierem *Useriam*, quæ donavit Monasterio Sancti Dionysii *Useriam*. Corio verò lib. ait, *Useriam* fuisse vineam *Monasterio contiguam*. Sed hæc à veritate aliena; Aribertus quidem monasterium Sancti Dionysii in urbe Mediolanensi fundavit, in eoque sepultus est, ut inquit Arnulphus lib. 2. cap. 11. verùm neque in hoc Historico, nec in Ariberti testamento à Puricello recitato, nec in quàmplurimis documentis ab eodem relatis aliqua hujus *vineæ* mentio, neque alicujus prædii eo nomine appellati, quod prætensa hæc *Useria* ante Archiepiscopi testamentum dare debuerat. fundationis demùm literæ vivente Imperatore Henrico datæ, Diploma Conradi Salici, quo eæ confirmantur, anno Incarnat. Domini MXXVI datum, aliaque plura hoc seculo & sequenti à successoribus sancti Henrici & Conradi Impp. emissa, de *vinea* illa ne verbum quidem habent.

VIII. *Fabula de ejus cum Useria conjugio refellitur.*

„ In his igitur omnibus, inquit Puricellus cap.
„ 92. pag. 964. & singulis Privilegiis eidem Mo-
„ nasterio concessis, omnia singillatim enume-
„ rantur ejus prædia & bona immobilia: quin
„ etiam in quarto, quinto, sexto & octavo no-
„ minatim exprimitur, Decima terrarum, quæ
„ sunt juxta ipsum Monasterium; neque tamen
„ unquam nominata, vel aliquatenus aliter in-
„ dicata conspicitur Vinea illa, *Useria* nomine
„ insignis. Quocirca ne ad illud quidem usque

„ tempus ea videtur in ejus poteſtate monaſteris fuiſſe, atque adeo ne donata quidem ab *Uſeria*, quæ *Ariberti* eſſet Archiepiſcopi uxor. Illud etiam his accedit, quod neque *Sanctus Arialdus*, neque alius quiſpiam ex ejus fautoribus uſquam legitur inter innumeras de Sacerdotum conjugiis querimonias aliquid unquam innuiſſe de matrimonio, quô aliquis ex Archiepiſcopis noſtris aliquando alligatus fuiſſet. Certè Guido Archiep. Mediolanenſis ſimoniæ, ſed nunquam incontinentiæ accuſatus fuit, ut manifeſtè liquet ex Actis legationis Petri Damiani, quorum partem Baronius anno MLIX num. XLV & ſeqq. recitat, & quæ integra habentur in Operibus Petri Damiani Tom. 3. ubi refert abjurationem hæreſis Simoniacorum à Guidone Archiepiſcopo factam. *Conſuetudo damnata*, inquit, *in hac ſancta Eccleſia antiquitus inolevit*, &c. *Simoniaca videlicet hæreſis damnata ſemperque damnanda venalitas*. Et infrà: *Quapropter*, &c. *damno, deteſtor, ac reprobam prauo hanc perverſam, quæ hactenus viguit in hac Eccleſia negotiandi conſuetudinem, omnemque Simoniacam hæreſim. Inſuper obligo me, ſed & omnes Clericos meos* &c. Neque indicat Guido ſe Incontinentium Sectæ adhæſiſſe, ſed tantùm ait: *Nicolaitarum quoque hæreſim nihilominus condemnamus, & non modo Presbyteros; ſed & diaconos vel ſubdiaconos ab uxorum vel concubinarum fœdo conſortio noſtris viribus, inquantum poſſibilitas nobis fuerit, arcendos promittimus*. Guido itaque & Petrus Damiani Clericos incontinentes conſtanter appellant *Nicolaitas*; quo etiam nomine à Pontificibus & Conciliis ac Scriptoribus cœlibatum defendentibus vocari ſolent.

IX. *Falſum eſt fuiſſe aliquos Archiepiſcopos Mediolanenſes uxoratos.*

Aribertus quidem & *Guido* Sacerdotes incontinentes Mediolani & in vicinis regionibus tolerarunt, ſed nunquam uxores duxerunt. Neque Arnulphus obſtinatus Clericorum matrimonii defenſor & Landulphus Senior, qui Aribertum laudibus ad cœlum extollunt, & tanquam Sanctum venerantur, ſicuti nec Guidonis & Gothofredi Archiepiſcoporum Mediolanentium defenſores, Pontificum Romanorum infenſi hoſtes eorum exemplum proponunt, aut aliquid de eorum conjugio in medium afferunt; Quare in Longobardia Epiſcopos uxoratos non fuiſſe, ſed ſimplices tantum Sacerdotes certum eſſe videtur. Pſeudo-Datius Chronographus Mediolanenſis, de quo mox, Guido Chronographus Mediolanenſis M S. & Auctor Chronici, cui titulus *Flos florum*, qui duo poſtremi Sancti Ludovici Francorum Regis ætate vixerunt, aſſerunt undecimo ſeculo Sacerdotum conjugia plurimos habuiſſe defenſores: *In Synodo Damaſi primi* (inquit Pſeudo-Datius apud Galvaneum Flammam cap. 397. ut refert Puricellus in Monum. Baſilicæ Nazarianæ cap. 39.) *centum quinquaginta Epiſcoporum celebrata Conſtantinopoli, ubi Beatus interfuit Ambroſius, graviſſima diſſenſio exorta eſt inter Sacerdotes uxoratos ex una parte, & inter Sacerdotes ſine uxorem viventes ex altera parte. Qui Sacerdotes ſine uxore dicebant, Sacerdotes uxoratos ſalvari non poſſe. Summus Pontifex commiſit hanc quæſtionem B. Ambroſio, qui ſic ait: Perfectio vitæ non in caſtitate, ſed in charitate conſiſtit ſecundùm illud Apoſtoli, Si linguis hominum loquar & Angelorum*, &c. *Ideo lex concedit Sacerdotes ſemel uxorem virginem ducere, ſed conjugium non iterare. Si autem mortua prima uxore Sacerdos aliam duxerit, Sacerdotium amittit*. Idem teſtimonium refert Puricellus in Vita Sancti Herlembaldi cap. 92. & Landulphus Senior ibidem à Puricello laudatus de Sancto Ambroſio habet lib. I. cap. 51. *Sedente Beato Ambroſio graviſſima diſſenſio orta eſt coram Apoſtolico in Synodo inter Sacerdotes monogamos, & alios ſub virginitate cum caſtitate degentes. Quod factum Apoſtolico imperante & aliis Epiſcopis conſentientibus datum eſt in judicio B. Ambroſii, ut quidquid ipſe diceret ſanctum & firmũ teneretur. At B. Ambroſius cognoſcens ſenſus humanos pronos ad peccandum, maximè propter incontinentiam, ſciens aliquem nec virginitatem nec caſtitatem, niſi à Deo habere poſſe, quod in libro de Officiis jam declaraverat, ait, de monogamia Sacerdotum quid loquar? quando non tantum permittitur copula, & non repetita: & hæc lex eſt non iterare conjugium. Sicque dicens omnem diſſenſionem compeſcuit.*

X. *Sacerdotes Mediolanenſes uxorati erant.*

Ex quibus apparet, Sacerdotes incontinentes librum B. Ambroſii *de Officiis*, ad conjugia ſua tuenda corrupiſſe. Nam Sanctus Doctor in eo loco tantum habet, *de caſtimonia quid loquar, quando*, &c. ſolumque loquitur de quæſtione, quæ tunc agitabatur, an ſcilicet bigami, ſeu qui aliam acceperant uxorem, ante baptiſmum, à ſuſceptione ſacrorum Ordinum, ſicuti poſt baptiſmum, excluderentur; quia inter Eccleſiæ Doctores de ſacrorum quidem Miniſtrorum cœlibatu, ſed non de hoc capite conveniebat. Hujuſmodi exemplaria Sancti *Ambroſii* depravata ad nos non pervenêre; ſed certum, fraudem illam diu latuiſſe, neque ante ſeculum XV in Diœceſi Mediolanenſi confutatam eſſe. Auctores enim Mediolanenſes, qui à ſeculo XIII uſque ad decimi quinti finem ſcripsêre, uti Galvaneus Flamma, Auctor Chronici, cui titulus, *Flos florum*, Petrus Azatius Auctor ſeculi decimi quinti, Triſtanus Chalchus, & Bernardinus Corio Pſeudo-Datium & Landulphum ſecuti ſunt, eoſque exſcripsêre, nec eis rei falſitas ſuboluit. Habetur locus ille Ambroſii lib. 1. de Offic. cap. 50. de quo videndus novus Operum ejus Editor, qui tamen non meminit ejus depravationis Mediolani à Sacerdotibus conjugatis factæ.

XI. *Pars Hiſtoriæ Landulphi Senioris duobus Datiis perperàm attributa.*

Porrò Puricellus laudatus, paſſimque alii ante eum Mediolanenſes Hiſtorici, non advertentes Chronicon M S. quod in Bibliotheca Ambroſiana ſub nomine *Chronici Datii Mediolanenſis Archiepiſcopi* aſſervatur, nihil continere præter partem Hiſtoriarum *Landulphi Senioris*, *Arnulphi*, & *Landulphi Junioris* ſeu à Sancto Paulo, Hiſtoricorum Mediolanenſium, (ex quibus prior Hiſtoriam ſuam à primis Eccleſiæ ſeculis exorditur, alter à ſeculo decimo, tertiuſque à fine ſeculi undecimi), putarunt *Datios* duos Chronologos Mediolani floruiſſe, quorum prior anno DLII demortuus Mediolanenſis Archiepiſcopus fuit; alter ſecundùm eoſdem Gregorii Septimi tempore vixit, & homo privatus fuit. Verùm *Datius* Archiep. Mediolanenſis nullum Chronicon literis mandavit, & alter Datius Auctor perſonatus, cui attributum fuit, vel per fraudem, vel per errorem, Chronicon ſeu pars Chronici Landulphi Senioris, ut jam anno quingenteſimo quinquageſimo ſecundo de Datii Archiep. Mediolanenſis ſuppoſititio chronico verba facientes, monſtravimus. Puricellus itaque qui nobis fragmenta varia Landulphi Senioris, Arnulphi, & Landulphi

SÆC. XI. An. C. 1046. Landulphi junioris suppeditavit, quæ ex eorum Historiis manuscriptis eruit, gentilium suorum falsa traditione deceptus duos nobis Datios Historicos obtrusit, cùm tamen posterior nunquam in rerum natura fuerit, & prior Archiepiscopatum quidem Mediolanensem gesserit, sed nullum Chronicon, nullamque Historiam scripserit, uti loco citato ostendi. Hinc quod Puricellus de explicatione laudati loci Divi Ambrosii in medium attulit, & partim *Datio Chronographo*, partimque *Landulpho seniori* attribuit, totum est Landulphi Senioris, ut ni me mea fallit opinio, videri poterit in Historia ejusdem Landulphi, si, quod valdè optandum, aliquando è tenebris emergat.

Anno Æræ Hisp. MLXXXIV. Anno Hegiræ CCCCXXXVIII. inchoato die 8. Jul. fer. 3.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6539.

O 19. E. ☽ 2. P. 30. Mart. Indict. 14.

JESU CHRISTI 1046.

CLEMENTIS II. PAPÆ I.

HENRICI III REG. 8. IMP. 1.

CONSTANTINI MONOMACHI IMP. 5.

I. *Tres Antipapæ in Synodo Sutriensi depositi.* A Num. I. ad VI. Victor Papa III lib. 3. Dialog. ait: *Interea Joannes, cui Gregorius nomen inditum est, cum duobus annis & octo mensibus Sacerdotium administrasset, Henricus Rex, qui tunc Germania, Pannonia & Italia imperabat, ad suscipiendam de manu Romani Pontificis Imperialem coronam, quatenus deinceps Augustus appellari posset, Italiam ingressus Romanam adiit urbem. Sed antequam urbem ingrederetur, plurimorum Episcoporum, nec non Abbatum, Clericorum quoque ac religiosorum Monachorum in Sutrina urbe Concilio congregato, Joannem, qui Gregorius dictus est, missis ad eum Episcopis, ut de Ecclesiasticis negotiis, maximèque de Romana tunc Ecclesia, quæ tres simul habere Pontifices videbatur, ipso præsidente, tractaretur, venire rogavit. Sed hæc de industria agebantur, jam enim dudum Regio animo insederat, ut* TRES ILLOS, *qui* INIUSTE *Apostolicam sedem* INVASERANT, *cum consilio & auctoritate totius Concilii* IUSTE *depelleret, & unus qui secundùm statuta SS. Patrum Dominico gregi sollicitè præesset, Clero & populo eligente, ordinaretur. Prædictus itaque Pontifex exoratus à Rege, cæterisque Pontificibus, Sutrium, ubi Synodus congregata erat, allectus spe quod* ALIIS DUOBUS DEPOSITIS, *sibi soli Pontificatus confirmaretur, gratanter perrexit. Sed postquam eò ventum est, & res agitata ac discussa à Synodo cœpta est, agnoscens se non posse* IUSTE *honorem tanti Sacerdotii administrare, ex Pontificali sella exiliens, ac semetipsum Pontificalia indumenta exuens, postulatâ veniâ, summi Sacerdotii dignitatem deposuit. Post hæc Rex Urbem ingressus, congregato in Ecclesia B. Petri Apostoli Romano Clero & populo, unà cum Episcopis, qui in prædictam convenerant Synodum, communi consilio Clementem Bambergensem Episcopum elegerunt: quia in Romana Ecclesia non erat tunc talis reperta persona, quæ dignè posset ad tanti honorem sufficere Sacerdotii: eumque in Apostolica Sede ad regendum Dominicum gregem inthronizantes constituunt.*

II. *Clemens II Papa creatus, Henricum Imp. coronat.* Idem narrat Hermannus Contractus, cujus verba Baronius num. I recitat. Addit Hermannus, *Henricum* Regem Suidigerum Episcopum Bambergensem nimiùm reluctantem elegisse Pontificem, eosque *circa Vigilias Natalis Domini* ingressos Urbem: *in ipsa Natalis die Domini* Suidigerum, seu Suidgerum ex more consecratum, *Clementem* II vocatum esse, huncque peractis Missarum solemniis, Imperatorem cum Imperatrice coronasse. Ex Victore itaque Papa, & Hermanno Contracto patet primò, Joannem Gratianum *Gregorium VI* in Pontificatu dictum, verè Antipapam extitisse, & unum ex tribus, qui per hæc tempora Sedem Romanam invasêre. Secundò, *Ottonem Frisingensem* nonnisi ex incertis, levibusque rumoribus scripsisse *Henricum* Gregorio VI persuasisse, ut Pontificatu cederet, & ei depositionem minatum esse, ideoque Gregorium cessione illa laudem non meruisse. Tertiò, *Henricum* in toto hoc negotio se se inculpatè gessisse. Quartò, verum esse quod scribit Leo Ostiensis, cujus verba Baronius num. V refert, scilicet Romæ nullum tunc inventum tanta Sede dignum. Quintò, *Henricum* Regem Romam venisse, & ad deponendos tres Pontifices simoniacos, & ad coronam à legitimo Pontifice accipiendam; ac denique hoc ipso tempore tres illos Pontifices Schismaticos, quemadmodum & antea, Ecclesiam Romanam afflixisse. Quæ omnia ex dictis anno MXLIV magis confirmantur. Baronio, aliisque his contraria scribentibus, Otto Frisingensis, qui de his excepta auditione, nihil comperti habuit, & post medium seculum duodecimum diem obiit, errorem creavit.

III. *Moritur S. Guido Pomposiæ Abbas.* Ad num. VI. Hermannus Contractus ad annum MXLVII, de Henrici Imp. ex Italia in Germaniam reditu loquens ait: *Imperator cœpto redeundi itinere, Mantuæ Paschale festum in gravissima decumbens ægritudine commoratur. Postea convalescens corpus B. Widonis Pomposæ monasterii Abbatis in magna sanctitate ante non integrum annum defuncti, plurimis glorificatum miraculis, de Parmensi, ubi sepultum fuit, civitate, ad urbem Spiram transferendum magno secum cum honore de Italia rediens devexit.* Quare ejus mors à Baronio cum præsenti anno accuratè copulata. *Sanctus Guido* in Monasterio Pomposiano in Ducatu Ferrariensi sito, seculo superiori vitam monasticam auspicatus est, & deinde Abbas creatus per annos XLVIII Monasterio præfuit. Ad illud B. Petrus Damiani evocatus, centum Monachos, qui ibi aderant, docuit, ut Sanctus Joannes Laudensis in ejus Vita asserit. Bollandus ad diem XXXI Martii Vitam S. Guidonis à Monacho Pomposiano coævo, aliamque Auctore Anonymo scriptam refert.

IV. *Floret B. Petrus Damiani.* Florebat hoc tempore *Beatus Petrus Damiani* Ordinis Monachorum *Congregationis Sanctæ Crucis Avellanæ*, à Beato Ludulpho fundatæ. Docuit in ea fratres suæ eremi, ac dein Monachos Pomposianos, ut mox diximus. Præfuit magna cum laude eremo Fontis Avellani, aliisque *per diversa loca aggregatis discipulis*, ac quinque ab eo extructa Monasteria, sive *Eremitarum habitacula*, ut testatur Sanctus Joannes Laudensis ejus discipulus in ea, quam de eo scripsit Vita, quam Bollandus ad diem XXIII Februarii recitat. Celebritatem præcipuam huic Ordini attulit, Fontis Avellani monasterium ingressus anno MXXX. Multi etiam alii insigni sanctimonia Viri in eo floruêre, quos ad septuaginta quatuor enumerat Jacobillus Tom. III *de Sanctis ac Beatis Umbriæ*, post Vitam B. Ludolphi Fundatoris. Tandem Fontis Avellani eremus ante centum

SÆC. XI. An. C. 1046.

circiter annos Ordini Camaldulensi adjuncta, cujus conjunctionis meminère Augustinos Florentinus lib. 3. Historiarum Camaldulensium, aliique.

V. *Henrico Regi sacramentum præstare renuit Halinardus Archiep. Lugdun.*

Abbas Halinardus, inquit Albericus io Chronico, *S. Benigni Divionensis, factus est Archiepiscopus Lugdunensis: & quia civitas tunc erat sub Imperatore. D. Halinardus Curiam Imperatoris adiit pro Regalibus suis accipiendis. Imperator jam erat in procinctu Romani itineris, & voluit ut Archiepiscopus secundùm morem juraret illi fidelitatem. ille dixit se esse monachum, nec debere facere juramentum: dictum est, ut ad minus se offerret ad juramentum; respondit non se debere simulationem facere; tandem mediantibus Episcopis Theoderico, antequam moreretur, Metensi* (mortuus est autem ultimo mensis Aprilis die, ut ex Necrologio Ecclesiæ Metensis ostendit Meurissius), *Brunone Tullensi, Richardo Virdunensi Imperator pro sua religione juramentum ei quittavit: deinde Romam abiit.* Idem de Halinardo fusiùs narrat Chronographus Sancti Benigni pag. 446. & seq. Tom. I Spicilegii, qui de Henrico Rege addit: *In sua præsentia fecit illum ordinari, dans ei quæcumque fuerunt Sacerdotali benedictioni necessaria. Et non solum ipsi, vel ceteris Episcopis, sed etiam Levitis ac Ministris Altaris ita præparabat omnia, sc. vestimenta, libros, linteamina, ac quæque necessaria, ac si non esset Princeps, sed famulus. Erat enim idem religiosus Rex, valde Ecclesiasticus, & circa divinum cultum devotissimus.*

VI. *Moritur Richardus Abbas Virdunensis.*

Hugo Flaviniacensis Abbas in Chronico Virdunensi Richardi Abbatis celeberrimi Sancti Vitoni Virdunensis mortem hoc anoo consignat: *Illucescente*, inquit, *die mensis Junii XIV hora jam imminente tertia, præsentibus filiis suis, quos loci angustia capere poterat, ceteris in majori Ecclesia consistentibus & canentibus, sancta illa anima corporeis nexibus absoluta ad illud pervenit æternum quod est unum & inseparabile trinum.* Addit, eum obiisse *regiminis sui anno XLII*; ejus mortem luxisse Henricum, Reges, Pontifices, pauperes, virgines & viduas. Is relicto Canonicatu Remensi totum se Deo manciparat, ejusque vita Sanctitatis speculum fuerat, cognominatus Richardus *Gratia-Dei*, ut suprà ostendimus.

VII. *Andreas fit Rex Hungariæ.*

Subsecuto autumno Ungarii pristinæ perfidiæ sua memores Andream quemdam Regem sibi statuunt. Petrum Regem multis advenarum, qui pro eo pugnaverant occisis, variis cum conjuge sua injuriis affectum postremo oculis privant, & in quemdã locum cum eadem conjuge sua alendum deputant, multis etiam per idem tempus peregrinis inibi expoliatis, exulatis, atque necatis; quo comperto Rex Heinricus, qui jam valido exercitu congregato in Italiam iter cœperat, nimis indoluit, sed incœptam expeditionem non deseruit, inquit Hermannus Contractus in Chronico. A præsenti itaque anno Andreæ Hungariæ Regis initium repetendum. Hac de re Lambertus Schafnaburgensis hoc anno scribit: *Petrus Rex Hungarorum ab Andrea propinquo suo dolo circumventus cæcatur.* Tum Hermannus ad annum MXLVIII: *Andreas qui regnum Petri obtinuit, jam crebrò Legatos supplices miserat, regnum se ab Ungariis coactum suscepisse confirmans, de Petri se se injuriis excusans, quique adversùs eum conjuraverunt, partim à se trucidatos, partim ipsi Imperatori trudendo denuncians, suamque Imperatori subjectionem, annuum censum, & devotam servitutem, si regnum sibi haberi permitteret, mandans.* Porrò Sanctus Gerardus Canadiensis Episcopus in seditione hoc anno excitata occisus, ut sequenti ostendemus.

SÆC. XI. An. C. 1046.

VIII. *Adelbero patruelis Leonis IX fit Episc. Metensis.*

Theoderico Metensium Episcopo defuncto succedit Adelbero fratruelis ejus, vir magnæ prudentiæ & sanctitatis, inquit Sigebertus in Chron. Idem habet Hermannus Contractus in Auctiori Chronico. Condiscipulus hic fuit Brunonis ejus consanguinei postea Leonis IX in Summo Pontificatu dicti, hujusque ut ita dicam, pedagogus: *Ejus quidem collega*, inquit Wibertus in Vita Leonis IX, *quamvis eo majusculi, extiterunt duo Adelberones contribules sui, ex quibus prior immaturo est hinc raptus exitu, Ducis videlicet Theodorici filius, alter autem Hezelonis* (idest Henrici) *Ducis Germanus, ac Friderici eximii Principis natus, sub scholarum magistro magister nepotuli sui Brunonis constitutus, quia tunc tempore habebatur scolius: qui postea ad Antistitium, Mediomatricæ urbis, voto Cleri, & plebis, magis quàm suo assumptus, vir huic nostro tempori refulsit apprimè prædicandus.* Postea Wibertus pluribus Adalberonem laudat, tandemque concludit. *Nempe ut primum competit rudibus decurso artium trivio* [nempe Grammatica, Rethorica, & Dialectica, ut videre est apud Ducangium in Glossario] *non solum claruerunt* [nempe Bruno & Adelbero] *prosa & metro; verùm & forenses controversias, acuto & vivaci oculo mentis deprehensas, expediebant seu removebant sedulò: denique quadrivium* (sc. quatuor Mathematicæ partes, Astrologia, Geometria, Arithmetica, & Musica, ut Ducangius in eodem Gloss.) *naturali ingenio vestigantes degustarunt, atque non minimum in ipso quoque valuerunt.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6540. Anno Eræ Hispan. MLXXXV. Anno Hegiræ CCCCXXXIX. inchoato die 27. Jun. fer. 7.

☉ 20. D. ☽ 3. P. 19. April. Indict. 15.

JESU CHRISTI 1047.

CLEMENTIS II PAPÆ 1.

HENRICI III REG. 9. IMP. 2.

CONSTANTINI MONOMACHI IMP. 6.

I. *Concilium Romanum adversùs Simoniacos.*

ANum. I ad VI. *Clemens* II, annitente potissimùm Imperatore, Concilium *Romæ* adversùs Simoniacos celebravit, qua in Synodo orta contentio est inter Ravennatem & Mediolanensem Archiepiscopos, quisnam eorum proximus apud Romanum Pontificem sedere deberet, statutumque ut Ravennati Episcopo secundus à Pontifice Romano locus in Concilio absente Imperatore tribueretur. Literæ Clementis II hac de re datæ legi possunt Tom. IX Concil. pag. 1252. in quibus ait Pontifex: *Sedem Ravenn. Archiepiscopi jubemus semper esse à dextris nostris, nostrorumque successorum, secundum antiquæ constitutionis auctoritatem, nisi fortè Imperator affuerit: & tunc etiam ipsum sinistrum locum tenere per hanc nostræ auctoritatis firmitatem huic nostræ narrationi subjectam.* In iisdem literis dicit Clemens se Concilium istud celebrare *circa Nonas Januarias.*

II. *Clemens II. cum Imperatore in Germaniam venit.*

Imperator inquit Hermannus Contractus, *Romà egressus nonnulla castella sibi rebellantia cepit. Provincias, prout videbatur, disposuit: Duces Normannis, qui in illis partibus commorantur,*

rantur, & aliis eò locorum urbibus constituit. Sed socro Imperatoris de monte Gargano Beneventum reversa, orto tumultu, Beneventani cives quibusdam eam injuriis afficiunt. Unde sævam ab Imperatore vindictam metuentes, eique se subdere non præsumentes, rebellionem ineunt. Sed Imperator qui magnos exercitus jam remiserat, & ad alia occupato animo, jam in patriam tendebat, tantam tunc temporis civitatem aggredi distulit, interimque eo infecto negotio, sed aliàs universa Italia parente, pacataque redire disposuit. Interea Imperatrix Agnes, quæ Romà ab Imperatore digressa fuerat, in Ravennati territorio filiam peperit. Addit Leo Ostiensis lib. 2. cap. 81. Imperatorem secum in Germaniam *Clementem* adduxisse. Cùm verò Lambertus Schafnaburgensis annum à Nativitate Domini inchoans scribat: *MXLVIII Imperator Natalem Domini Poletha* (in Saxonia) *celebravit. Ibi Legati aderant Romanorum, Suidgeri Papæ obitum nunciantes, eique successorem postulantes*, apparet, Clementem II hoc anno Romam rediisse. Hinc Hermannus Contractus citatus hoc anno scribit: *Clemens, qui Suidegerus Papa, in Romanis partibus nono mense promotionis suæ diem obiens, ad Episcopatum suum Babinberg reportatus tumulatur.*

III. *Concilium Germanicum adversùs Simoniacos.* A num. VI ad IX. Recitat Baronius quæ Glaber lib. 5. cap. 5. retulit de numeroso Concilio in certo loco adversùs *Simoniacos* in Germania ab *Henrico* Imperatore celebrato, & jure merito suspicatur, Concilium illud præsente *Clemente* Pontifice habitum esse, licet Glaber ejus mentionem non faciat. Illud à Cossartio Tom. IX Concil. nescio quo casu, omissum. Ultrà hunc annum Glaber Rodulphus, Ordinis Benedictini in Cœnobio Sancti Germani Autissiodorensis Monachus, Historiam suam, Sancto *Odiloni* Abbati Cluniacensi nuncupatam, non produxit. Eam Duchesnius Tom. IV exhibet.

IV. *S. Wiborada canonizatur.* Ad num. XVI. *Clemens* II antequam è Germania in Italiam rediret, *Sanctam Wiboradam* Virginem & Martyrem, quæ reclusa apud Sanctum Gallum anno CMXXV ab Hungaris cæsa est, in Sanctorum numerum retulit. Id testatur Burchardus San-Gallensis Monachus, qui seculo sequenti vixit, in lib. de Casibus Monasterii sui cap. VI ubi de Norperto Abbate scribit: *Obtinuit annuculante Henrico Imperatore & conjuge ejus Agnete, hoc apud Dominum Apostolicum Clementem secundum, recitata Vita beatæ Wiboradæ ejusque miraculis, de tandem neglecta re ab ipso Papa redargutus: quatenus ipsam præsente Theodorico Constantiensi Episcopo canonizaret, & pro sancta haberi præciperet, & anniversarium ipsius diei solemnizandum institueret.*

V. *Moritur Clemens II PP.* Profectus postea in Italiam Clemens II animam Deo reddidit *in Romanis partibus nono mense promotionis suæ*, inquit Hermannus Contractus. Victor Papa lib. 3. Dialog. ait, eum *non amplius novem mensibus Sacerdotio* functum; Leo verò Ostiensis lib. 2. cap. 82. eum obiisse *post menses novem*. Quare cùm anno superiori die Natali Domini consecratus fuerit, & die nona mensis Octobris divo Dionysio sacra vitâ functus sit, sedit menses novem, & dies XV, die emortuali incluso, ideoque ejus Sedis duratio in omnibus Catalogis mendosè descripta; cùm in plerisque tribuantur ei menses IX & dies VII, in duobus menses IX & dies XVII. Clementem verò II die nonâ Octobris obiisse, ostendunt verba Brevis Leonis IX à Gretsero in Sanctis Bambergensibus recitati, in quo Pallium conceditur Hartwico Bambergensi Episcopo Clementis II successori, quo uteretur ter in anno: *In solemnitate*, inquit, *Sancti Dionysii, eò quod tunc anniversarius dies celebratur domini Papæ Clementis suprà memorati: hancque diem Apostolica auctoritate statuimus celebrem esse per totum Episcopatum.* In Vita verò S. Henrici Imp. legitur, eum permisisse Presbyteris & Diaconis *mitras gestare* in quibusdam diebus ibi expressis, inter quos *& sancti Dionysii pro reverentia prælibati prædecessoris domini Clementis Papæ, cujus anniversarius dies tunc ab eisdem fratribus agitur.*

VI. *In Italia & Bambergæ sepultus.* Porrò errat Leo Ostiensis a Baronio citatus, quando ait, Clementem II *ultra montes* defunctum esse. Leo enim in Italia scripsit, ubi Clemens demortuus, uti jam ex Hermanno Contracto, & ex Lamberto Schafnaburgensi ostendimus: quibus adde Auctorem Vitæ Sancti Henrici, qui de Leone Papa IX ait: *Ductus amore & reverentia Clementis piæ memoriæ prædecessoris sui, quem Deus miro dispensationis ordine, à Prælatione hujus loci* [Bambergensis scilicer civitatis] *ad Sanctæ Romanæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ apicem dignatus est avertere, & mirabiliùs è Romanis finibus defunctum ejus corpus reducere; volens hanc Ecclesiam quasi novam tanto decoratam esse Patrono, & Romanam contentam & sufficienter præteritis & futuris Patribus, manere ornatam.* Papebrocius in Conatu Chronico-Historico refert Clementis II Epitaphium his verbis conceptum: "R.mus in Christo Pater & "Dominus D. Suiderus à Mayendurf, Saxo, 2: "Episcopus Bamb. postea summus Pont. Clemens "2dus dict9, obiit Romæ 10. Octob. A°. 1047. Exhibet postea Papebrocius accuratam Tumuli Clementis, lapidisque impositi delineationem, aitque se accepisse ex uno ex Patribus Collegii Bambergensis Societatis suæ, Tumulum quidem antiquum esse, sed lapidem in quo sculptum Epitaphium novum, prout ex literarum Romanarum forma, eo ævo non solùm apud Germanos; sed & apud Romanos exolera, nec multò pòst quàm ab annis centum restitui paulatim cœpta; aliisque indiciis ex ipsa Inscriptione deductis cognosci potest. Novus itaque lapis pro veteri sublato repositus. Hæ Viri doctissimi conjecturæ mihi omnino probantur, quibus addo diem X, quo in ea Inscriptione Clemens II obiisse dicitur ejus novitatem etiam manifestè indicare. Nam quod in ea Clemens II Romæ mortuus dicitur contra Hermanni Contracti & Auctoris Vitæ Sancti Henrici testimonia, qui asserunt eum in partibus Romanis demortuum ambiguam explicationem habet; cùm verbis illis Roma intelligi possit.

VII *Factus Papa Episcopatum Bambergensem non dimisit.* Idem Papebrocius in Paralipomenis ad Conatum Chronico-Historicum, referens ex Gretzero in libro de Divis Bambergensibus Epistolam à Clemente II Ecclesiæ Bambergensi datam, quâ ei promotionem suam, significat, sibique grave esse ab ea divelli testatur, ait videri sibi Clementem II factum Pontificem non dimisisse Titulum *Episcopi Babenbergensis*, uti neque paulò pòst secuti *Victor II* & *Nicolaus II* dimiserunt Titulos *Aistettensis*, ac *Florentini*.

Hæc conjectura certa; Lambertus enim Schafnaburgensis ad annum MXLVIII id manifestè indicat: *Imperator Natalem Domini Poleshæ celebravit* (hoc scilicet anno juxta vulgarem nostram epocham). *Ibi Legati aderant Romanorum, Suidgeri Papa obitum nunciantes, eique successorem postulantes: quibus Imperator Bopponem Prisutensem* (legendum Bopponem Brixinensem) *Episcopum assignavit, Babenbergensem verò Episcopatum Hezekin Cancellario tradidit;* Episcopatus itaque Bambergensis Clementis II morte vacabat.

VIII. *Benedictus IX iterum Pontificatum invadit.*

Glaber lib. 4. cap. 5. de Benedicto IX inquit: *Intercedente thesaurorum pecunia electus extitit à Romanis. A quibus exinde frequenter ejectus, ac inhonestè receptus, nulla potestate viguit.* Hoc autem anno post Clementis II mortem Pontificatum iterum invasit. Leo enim Ostiensis lib. 2. cap. 82. scribit: *Benedictus in Pontificatum iterum rediens, octo illum menses tenuit.* Signantiùs antiquum MS. cujus hæc verba Papebrocius recitat: *Benedictus tertiò reversus in Pontificatum, tenuit eum menses VIII dies X, idest, à festivitate Sanctorum quatuor Coronatorum* (die scilicet VIII Novemb. quæ hoc anno in Dominicam incidit) *usque ad festum Sancti Alexii,* ad diem XVII mensis Julii sequentis Christi anni Divo Alexio sacrum. Illud verò Manuscriptum antiquissimum esse refert Papebrocius.

IX. *S. Gerardus Episc. Canadiensis primus Hungariæ Martyr.*

Ad num. XVIII. Baronius, qui anno MXLII num. I & seq. priorem adversùs *Petrum* Hungariæ Regem seditionem anno uno serius collocavit, coactus fuit posteriorem, quæ præcedenti anno, ut ibi vidimus, contigit, in præsentem differre, ideoque & mortem *Sancti Gerardi* Episcopi Canadiensis primi Hungariæ Martyris. Auctor enim Anonymus Vitæ hujus Sancti apud Surium ad diem XXIV Septemb. ait: *Prædixerat in illa gente immanem seditionem excitatum iri, atque in ea se mortem oppetiturum.* Paucis interpositis: *Uno inde lustro evoluto, & altero inchoato, prædicta seditio extitit: in qua cum ad Albam Regalem vir Dei proficisceretur, apud Ecclesiam S. Sabinæ Virginis & Martyris hospitio usus est, illicque cœnantibus fratribus ait: Fratres & amici, cras ad cœnam agni Dei vocamur.* Subdit postea instar Protomartyris Stephani primum Pannoniæ Martyrem à Deo petiisse, ne Gentilibus statueret hoc peccatum, & cum hoc dixisset, in pectore lancea percussum obdormivisse in Domino: eodem die maximam Christianorum stragem factam esse, & multis inde lapsis diebus Sancti Viri procuratorem ab *Andrea* Hungariæ Rege obtinuisse, ut corpus illius sibi restitueretur: denique à Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Synodo *Ladislai* Regis tempore injunctum fuisse, ut corpora eorum, *qui Pannoniam fidei prædicatione irrigassent, summo honore afficerentur;* ac veniente Sedis Apostolicæ Legato, *sacrum hujus beati Martyris corpus elevatum esse.* Anno itaque MXLI, non verò insequenti *Sanctus Gerardus* seditionem prædixerat, quæ sexto post anno contigit, anno nempe Christi superiori, in qua Petrus Hungariæ Rex solio exturbatus, Andreas in ejus locum subrogatus & plures Christiani ab iis, qui ad idololatriam redierant, interfecti. Res tamen postea Andreas composuit & Ecclesiæ favit.

X. *Emma Regina incontinentia dicitur accusata.*

Alfwinus vel *Elwinus* Wintoniensis Episcopus hoc anno è vivis excessit juxta antiquos Historiæ Anglicæ Scriptores, qui aiunt eum *Emmæ* Reginæ fuisse gratissimum. Fabulantur autem recentes quidam ejusdem nationis Auctores, eum familiariùs quàm oportuit, cum Emma egisse, ac illo modestiæ & castitatis leges transgresso; rumorem ad Eduardi Regis aures, Roberti Londinensis Episcopi relatione pervenisse; qui rei indignitate commotus Episcopum & *Emmam* matrem, custodiæ mandarit; donec utriusque innocentia miraculo probata fuisset. Crimen, inquiunt, violatæ pudicitiæ *Godwinus* Comes, qui summa apud Regem valebat gratiâ, intentavit, & in partes traxit *Robertum* Episcopum Londinensem, qui hoc tempore totius Archiepiscopatûs Cantuariensis, Archiepiscopo morbo fontico afflictato, curam gerebat. Susurris hujusmodi *Eduardo* Rege commoto effectum ut ea bonis prædiisque spoliaretur, & postea in cœnobium retrusa, parcissimè aleretur. Inde Reginæ innocentiam suam probari placuit; super candens ferrum (novem videlicet ignitos vomeres) nudis pedibus gradiendo. Præscribitur ergo à Rege certus purgationis dies, & *Emma* vomeres omnes calcans & pertransiens illæsa inde evasit, eoque miraculo innocentiam manifestavit.

XI. *Calumnia illa refellitur.*

Hoc verè contigisse, Alfordus in Annal. hoc anno & Bollandus ad diem V Januarii, ubi Sancti Eduardi Confessoris Vitam à Sancto Aëlredo scriptam recitat, etiam existimant. Sed cum neque Aelredus, neque Malmesburiensis, neque ullus alius antiquus Angliæ Historicus facti adeò singularis meminerit, illud inter fabulas accensendum, eò magis quod ex Historicis Anglicanis constet *Alfwinum* Wintoniensem Episcopum hoc anno è vivis abiisse, & *Robertum* Episcopum Cantuariensem anno tantùm millesimo quinquagesimo primo relegatum esse, & nonnisi post *Emmæ* Reginæ mortem in Regis gratiam rediisse. Quare quomodo verum esse potest quod fabulatores isti asserunt, *Robertum*, mox divulgato miraculo mare trajecisse, Gemeticum monasterium concessisse, ibique demortuum. Denique Warthonus Tom. I Angliæ Sacræ refert Annales Wintonienses à Thoma Rudborno ab annis circiter ducentis compositos, in quibus hæc fabula legitur, de qua cùm ne verbum quidem habeat Warthonus, se eam aspernari ostendit, & Tom. II Angliæ Sacræ producit Historiam Archiepiscoporum Cantuariensium à Rodulfo de Diceto ab annis quinquaginta supra quadringentos editam, in qua tantùm habetur: *Hunc* (nempe Robertum) *Anglici moderni vituperant, dicentes eum fuisse delatorem Godwini & filiorum ejus, & discordiæ seminatorem inter Reges & Principes & Archiepiscopatus emptorem. Unde & ipse Robertus cum ceteris Normannis expulsus est ex Anglia, Romam verò profectus & de causa sua sedem appellans Apostolicam, cùm per Gemeticum reverteretur defunctus est, ibique sepultus in Ecclesia B. Virginis, quam ipse sumptuoso opere construxerat. Sedit autem tantum annis duobus.*

SÆC. XI. An. C. 1048. Anno Eræ Hispan. MLXXXVI. Anno Hegiræ ccccxl. inchoato die 16 Jun. fer. 5.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6541.

☉ 21. C B. ☽ 4. P. 5. April. Indict. 1.

JESU CHRISTI 1048.

DAMASI II PAPÆ 1.

HENRICI III REGIS 10. IMP. 3.

CONSTANTINI MONOMACHI IMP. 7.

I. *Damasus II PP. creatur & moritur.*

AD num. I. Lambertus Schafnaburgensis ad annum MXLVIII, quem à die Natalis Christi superioris anni exorditur, ait: *Imperator Natalem Domini Polethe* (in Saxonia) *celebravit. Ibi Legati aderant Romanorum, Suidgeri Papæ* (scilicet Clementis II) *obitum nunciantes, eique successorem postulantes: quibus Imperator Bopponem Prisinensem* (legendum, Popponem Brixinensem) *Episcopum assignavit.* Quibus ex verbis liquet, Benedictum IX, qui tunc Romanam Cathedram occupabat, tam contra Cleri Romani, quàm contra Imperatoris voluntatem in Sedem Romanam à Simoniacis inductum fuisse, perperamque Papebrocium in Conatu Chronico-Historico scribere, posse alicui videri *Benedictum* hac quoque vice æquè ac priori, verum Papam fuisse, & pro tali ab Italis habitum; seque putare etiam illum magnam morum emendationem promisisse, sub eaque spe receptum à Romanis. Lambertus enim laudatis verbis manifestè indicat, Clerum Romanum à quo Legati ad Imperatorem missi, Pontificem ab eodem petiisse. Imperator tunc *Damasum* Episcopum Brixinensem seu Sabionensem Pontificem designavit, qui juxta Onuphrium in Chronico Ecclesiast. Romæ consecratus fuit XVI Kal. Augusti, seu die XVII mensis Julii. Licet autem nec Onuphrius, nec alii, qui idem scribunt, id unde acceperint, indicent, idem tamen disertè legitur in Chronico MS. à Papebrocio laudato, ut anno superiori vidimus. Huic Chronico suffragatur Hermannus Contractus qui ad hunc Christi annum scribit: *Sequente Julio Poppo Brixiensis Episcopus ab Imperatore electus Romam mittitur, & honorifice susceptus Apostolicæ Sedis Papa CLII ordinatus, mutato nomine Damasus II vocatur. Sed paucis diebus exactis defunctus, & ad Sanctum Laurentium extra Urbem sepultus est.* Leo verò Ostiensis lib. 2. cap. 81. *Benedictus iterum in Pontificatum reversus, per octo circiter menses illum retinuit, donec ab Imperatore transmissus ex Germania Damasus, Brixenorum Episcopus, illi in Papatu successit, qui etiam post viginti tres dies apud Præneste vita decessit*, nempe VI Idus Augusti, seu die octava ejusdem mensis, ut habet idem Onuphrius. Porrò Poppo Brixinensis Episcopus erat, non verò *Brixiensis*, ut Librariorum errore legitur in Hermanno Contracto, quem Baronius exscripsit, qui & ait, à quibusdam eum Aquileiensem Episcopum appellatum; sed hi toto cœlo errant, ut ex hujus temporis Historicis colligitur. Baronius nullo teste dicit, mortuo Damaso *Benedictum* IX iterùm Sedem Romanam invasisse. Denique Damasus veneno, ut creditur, extinctus, ut Anselmus in Itinerario Leonis IX, ubi ait, Damasum in Apostolica Sede *triginta solummodo* vixisse diebus, rotundo numero loquitur.

II. *Leo IX Papa Cardinalis non fuit.*

Ordericus lib. 1. pag. 372. de Brunone Episcopo Tullensi Damasi in Pontificatu Romano sub nomine Leonis IX successore, ait: *Bruno Tullensis Episcopus legatione Lotharingorum fungens, Romam abiit, & in via, dum quadam nocte oraret, Angelos cantantes audivit:* dicit Dominus ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis, &c. *Bruno autem ad Papam Damasum perveniens honorificè ab eo sepultus* (lege, susceptus) *est, & in Senatu Romano Cardinalis Episcopus ordinatus est.* Verùm legatio illa, cujus nulla mentio in Vita Leonis IX à Wiberto ejus Archidiacono scripta, valdè dubia, & Cardinalatus ille prorsùs commentitius. Hoc enim seculo Episcopi nunquam Cardinales creabantur, hique Episcopatu satis se cohonestatos existimabant.

III. *Obitus S. Odilonis Abbatis Cluniacensis.*

A num. II ad VII. Petrus Damiani in Vita Sancti Odilonis Cluniacensis Abbatis, mortem ejus his characteribus consignat: *Anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadragesimo octavo, ætatis autem suæ octuogesimo septimo, ordinationis etiam quinquagesimo sexto, ea nocte, quæ dominicæ Circumcisionis solemnia præcedebat, salutaris Eucharistiæ Sacramento percepto, sicque beatum Deo spiritum reddidit.* Petrum Damiani annum à Paschate exorditi, ut quidam alii hoc tempore Scriptores, manifestè ostendunt Lotsaldus Monachus in ejusdem Sancti Vita à Bollando unà cum altera Vita edita à Petro Damiani, ad diem primum Januarii recitata, & Hermannus Contractus in Chronico, quorum neuter annum mortis Sancti Odilonis ignorare potuit: *Decessit vir sanctus*, inquit Lotsaldus, *nocte Circumcisionis domini nostri Jesu Christi, in prima vigilia noctis, quæ etiam Dominica habebatur, ætatis suæ anno octogesimo septimo, ordinationis verò quinquagesimo sexto. Anno etiam dominicæ Incarnationis millesimo quadragesimo nono.* Hermannus verò in Auctori Chronico ad annum MXLIX etiam scribit: *Exacto tempore Odilo venerabilis Colomacensis* (legendum, Cluniacensis) *cœnobii, & multorum Pater monasteriorum IV Non. Januarii migravit ad Dominum.* Ubi Hermannus diem sepulturæ pro die mortis sumit, ut passim alii Scriptores Ecclesiastici. Hinc in quibusdam Martyrologiis Odilo ad diem II mensis Januarii inscribitur, eodemque die à Cluniacensibus colitur. Martyrologi enim diem sepulturæ & depositionis Sanctorum non rarò diem eorumdem natalem appellant. Quod utrumque hoc in Opere subinde inculco, quòd videam contra utrumque principium Viros Eruditos non rarò peccare.

IV. *Vivente S. Maiolo Abbas dictus fuerat.*

Cùm verò Petrus Damiani & Lotsaldus laudati *Odilonem anno ordinationis quinquagesimo sexto* è vivis excessisse affirment, constetque *Sanctum Maiolum* jam ætate provectum *Odilonem* sibi substituisse, manifestum est, Oddonis electionem, cujus instrumentum extat in Tom. VI Spicilegii, anno nongentesimo nonagesimo secundo, aut potiùs nonagesimo tertio peractam esse, ac Mabillonium Sec. V Benedict. in Elogio Historico S. Maioli §. VIII, & Papebrocium in Addendis ad diem XI mensis Maii, quo Sanctus Maiolus colitur, malè eamdem cum anno nongentesimo nonagesimo primo connexuisse. Hanc in rem Mabillonius Chartam memorat Humberti Episcopi Gratianopolitani, qui Cluniacensi Cœnobio, *ubi*, inquit Humbertus, *domnus Odilo Abbas præest*,

medietatem castri de Ursilia cum toto burgo atque Ecclesia Sanctæ Mariæ, aliaque largitur, *anno Incarnationis DCCCCXCI, tertio Rodulfi Regis*. Verùm error in annum Incarnationis irrepsit; cùm Rodulphus Burgondiæ Rex anno tantùm oongentesimo nonagesimo tertio regnare cœperit. Quare loco, *anno DCCCCXCI*, legendum, *anno DCCCCXCV*. Quod verò in Chronico Virdunensi, & in Chronico Cluniacensi dicatur Odilo Cluniacensis ovilis regimen suscepisse anno DCCCCXCIV, intelligendum de anno, quo Odilo Maiolo mortuo solus Abbatiam regere cœpit; qui loquendi modus apud Auctores frequentissimus. Longum sanctæ dignitatis tempus ejus Congregationi admodum salutare fuit, sic enim plures religiosæ vitæ præceptis imbuendi, eamque magis promovendi tempus habuit. Scripsit Vitam *Sancti Maioli*, variosque Sermones in Bibliotheca Cluniacensi legendos.

V. *Ei S. Hugo succedit.* *Sanctus Hugo* natione Aedoensis, quem *Odilo* aliquot ante mortem suam annis fratrum Priorem constituerat, ut docet Hildebertus Episcopus Cenomanensis cap. I. ejus Vitæ in Actis SS. Bollandianis ad diem XXIX Aprilis relatæ non minori cum fructu post eam Abbatiam Cluniacensem annos amplius sexaginta gubernavit. E Schola ejus prodiêre Episcopi; Cardinales, Pontifices, Virique ob vitæ sanctimoniam sacro cultu insignes. Sub eo ante Pontificatum militarunt Urbanus II & Gregorius VII Monachi Cluniacenses. Multæ Gregorii VII ad Sanctum Hugonem supersunt Epistolæ; nam illa tempestate, quam perpetuo dissidio adversùs eumdem & Ecclesiam Henricus III Imperator concitavit, Gregorio VII Consiliarius fuit, & in negotiis tractandis præfectus; in quibus quantopere Pontifex ejus operam necessariam haberet, ipsemet Epist. LXII lib. I ad Hugonem data his verbis exprimit: *Noscat Religio vestra quoniam qui denegatam nobis præsentiam vestram hactenus cum admiratione sustinuimus, deinceps sine multa anxietate & mentis perturbatione ferre non possumus*, &c. Arcta ei cum B. Petro Damiani necessitudo intercessit, cujus aliquot literæ ad eum missæ extant in Bibliotheca Cluniacensi. Usus est etiam familiariter *Hugo* Desiderio Abbate Casinensi, Summo postea Pontifice & Victore III appellato; communionem enim meritorum inter suos & Casinenses Monachos cum eo instituit, ut legere est apud Leonem Ostiensem lib. 3. cap. 50. Eamdem pariter societatem iniit cum *Isembardo* Aurelianensi Episcopo, ejusque Canonicis, ut liquet ex Epistola Tomo VI Spicilegii Dacheriani recitata. Sed de Sancto Hugone infrà sæpius sermo erit.

VI. *Moritur S. Poppo Abbas Stabulensis.* Ad num. VII. *Sanctus Poppo* Abbas monasterii Stabulensis in Diœcesi Leodiensi siti obiit *octavo Kalendas Februarii, anno incarnati Verbi millesimo quadragesimo octavo, indictione prima, ætatis suæ anno septuagesimo, imperii verò Henrici secundi anno decimo*, inquit Everhelmus Monachus primùm Altimontis juxta Malbodium in Hannonia, deinde ibidem Abbas currenti anno creatus, in ejus Vita, quæ extat in Actis SS. Bollandianis ad diem XXV Januarii. Imperii nomine Everhelmus Regnum Burgundicum intelligit, sicque mense Januario currentis anni annus X Imperii seu Regni adhuc in cursu erat. *Poppo* relictâ in juventute militiâ, cui se se addixerat, Monachum induit, & *beatam Adelwivam* matrem post patris mortem ad vitam cœnobiticam induxit, frustrà renitentibus aliis, quæ succedente tempore Virduni reclusa vixit, coliturque die nona Novembris. Cùm *Richardus* Gratia Dei cognominatus Monasterii Sancti Vedasti Abbas creatus fuisset, secundum sibi eo loci præfecit Popponem, qui & postea aliis præfuit monasteriis, tandemque Stabulensis Abbas renunciatus est. Mortuo Sancto *Henrico* Imperatore Principes Imperii inter se se reconciliavit, & Argentinensis civitatis Episcopatum sibi à Conrado Salico Imperatore oblatum ingeniosè & humiliter subterfugit. Varia reformavit monasteria, variisque locis egregios Abbates constituit, & pluribus miraculis post mortem claruit.

VII. *Magnitudo Turcarum ab hoc tempore repetenda.* Ad num. VIII. Turcarum Rex in Perside *Abrahamum* Ducem cum centum millibus hominum in Armeniam misit, qui post insignem de Romanis reportatam victoriam, *mense Septembri, indictione secunda*, ut habet Cedrenus pag. 773. iterùm cum Romanis pugnavit, ubi Turcæ quidem vicêre, sed non incruentâ victoriâ. *Illud certò quidem*, inquit Zonaras, *si quis verè consideret, ei* (nempe Constantino Monomacho Imp.) *acceptum ferri potest, quod Oriens Marte Barbarico est subactus*, ob magnas nempè ejus profusiones. *Sunt autem Turci gens Hunnica, populosissima & libera, Caucasiorum montium septentrionale latus accolens* ait Zonaras, qui addit seditione inter Saracenos orta, alios oppugnasse, & Turcas hac occasione bene usos Saracenis Imperium abstulisse & sibi parere coëgisse. Occiso Saracenorum Duce, exercitus cum Turcis conspiravit, *qui suam fecerunt Persidem, ac Tangrolipaci nomen Sultani imposuerunt, qua voce summus Imperator ac Rex Regum notatur*, ut scribit Cedrenus, qui subjungit secundùm hæc Sultanum Regno præclarè constituto, bello petere finitimos Regulos instituisse. Ab hoc itaque tempore Turcarum potentia repetenda.

VIII. *Turcarum Principes Sultani appellati.* Elmacinus lib. 3. Hist. Sarac. cap. 7. Tangrolipecem *Togulbrecum* appellat, & initium Imperii Sultanorum cum anno Hegiræ CCCCXLVII, Christi sc. MLV alligat, ideoque existimandum, Cedrenum & Curopalatem pluribus annis gesta uno tenore recitare. Porrò, ut ostendit Ducangius in Dissert. XVI ad Joinvillam, *Sultanum* vocem esse Persicam, probat vetus Numisma Chosrois Cabadæ filii Regis Persarum, ibidem descriptum, in quo ASSOLTAN inscribitur, idest, *Rex Regum*; quem titulum sibi arrogat in Epist. ad Justinianum Imp apud Menandrum Protectorem Ecl. 1. ut & alter Chosroës apud Theophylactum Simocattam lib. 4. cap. 8. lib. 5. cap. 13. Plura ibidem Ducangius de Turcarum Sultanis.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6542. *Anno Eræ Hispan. MLXXXVII. Anno Hegiræ CCCCXLI. inchoato die 5. Junii fer. 2.*

☉ 22. A. ☽ 5. P. 26. Mart. Indict. 2.

JESU CHRISTI 1049.

LEONIS IX PAPÆ 1.

HENRICI III REG. 11. IMP. 4.

CONSTANTINI MONOMACHI IMP. 8.

I. *Romani petunt ab* AD Num. I ad IV. Chronographus Sancti Benigni narrata Halynardi Archiepisco-

Pi

SÆC. XI. An. C. 1049. *Imperatore, ut Halynardus Archiep. Lugdunensis Papa fiat.*

pi Lugdunensis ordinatione, ait: *Fuerat ei consuetudo Romam orationis gratiâ frequenter pergere, ut Sanctorum Apostolorum ac martyrum, qui urbem illam protegunt, patrocinia imploraret. Erat namque ejus voluntas, ut si fieri posset, ibidem animam Deo redderet. Quapropter non est fraudatus à desiderio suo, sed, ut voluit, ita Dominus ei concessit. Defuncto memorato Papa Clemente* (hujus nominis II) *Romani petierunt eum ab Imperatore. Hoc namque à Romanis Imperator dati pecuniâ non parva exegerat, ut sine ejus permissu Papa non eligeretur. Ille cognita voluntate Principis ac populi, dissimulavit ire ad Curiam, donec tardante eo, alter eligeretur: diligebant enim eum valde Romani propter facundiam oris sui, & affabilitatem sermonis. Ita enim proferebat vernaculum suum loquela uniuscujusque gentis, quousque latina penetrat lingua, ac si eâdem patriâ esset progenitus. Domino igitur Leucorum Episcopo Brunone, qui appellatus est, Leo Papa ordinato, evocatus est ab ipso Romam ad Concilium domnus Archiepiscopus Halynardus, simulque omnes Episcopi Galliæ, ad pertractandum inibi de statu & correctione sanctæ Ecclesiæ.* Ita Auctor iste Anonymus, qui hoc ipso tempore vivebat.

II. *Bruno Episc. Tullensis in Conventu Wormatiæ. Papa designatur.*

Wibertus, Sancti Leonis apud Tullenses Archidiaconus, oculatus testis, ejus Vitam primùm à Sirmondo, & postea ab Henschenio ad diem XIX mensis Aprilis publicatam scripsit, alteramque etiam ejus Vitam *Sanctus Bruno* Astensis, Episcopus Signiensis, qui sub hujus seculi finem floruit, in lucem emisit, quæ cùm Baronii tempore non extarent, earum operâ Pontificatum Leonis IX non parùm illustrabimus. Wibertus itaque lib. 2. cap. 1. hæc de sancti Leonis electione habet: *Apud Wangionum Urbem* (Wormatiam vulgò dictam) *ante præsentiam gloriosi Henrici secundi Romanorum Augusti, fit Pontificum, reliquorumque Procerum non modicus Conventus. Inter quos hic Christo dignus Præsul convocatur: quippe sine ejus consilio intra Imperialem curiam nihil magni disponebatur. Et repentè, illo nihil tale suspicante, ad onus Apostolici honoris suscipiendum eligitur à cunctis. Quod officium humilitate commonente diutissimè refugiens, dum magis ac magis cogitur, triduanum consulendi depoposcit spatium: in quo jejuniis vacans & orationibus, omnino sine cibo potuque permansit. Cumque denuò repungeretur ad obedientiæ impletionem, spontaneè coram omnibus suam dixit confessionem; conatus quasi quadam suorum enormitate scelerum, communem permutare electionem,* &c. *Videns ergo nullo modo se posse effugere Imperiale preceptum, & commune omnium desiderium, coactus suscepit injunctum officium, præsentibus Legatis Romanorum, ea conditione, si audiret totius Cleri ac Romani populi communem esse sine dissidio consensum. Sicque ad propriam Leucorum scilicet sedem repedans, cum summa devotione ibidem Domini celebravit Natalem.* Sanctus Bruno Signiensis Episcopus consensum Cleri & populi Romani à Sancto Leone petitum, his verbis exprimit: *Se sub hac conditione facturum esse promisit: Romam vado, ibique si Clerus & populus sua sponte me sibi in Pontificem elegerit, faciam quod rogatis. Aliter autem electionem nullam suscipio. At illi gavisi confirmant sententiam, & laudant conditionem.*

III. *Bruno Romæ*

Paulò pòst Wibertus subdit: *Inde humilitate magistra, contra omnium Apostolicorum morem summo peregrino habitu Romanum arripuit iter* (die scilicet XXVII mensis Decembris anni Christi superioris, ut mox videbimus), *indefessè sacris orationibus ac divina vacans contemplatione, non tam pro rerum commissarum sibi, quàm pro cura animarum nimiæ intentus sollicitudini.* Tum cap. 2. *Omnipotentis igitur roboratus flamine Romam appropinquat* (currenti scilicet anno), *cui tota urbs cum hymnidice concentu obviam ire parat sed ipse pedes longinquo itinere nudis plantis incedit, & magis ad meatus devotionem & fletuum inundationem, quàm ad laudum delectationem animum inflectit,* &c. *Postquam igitur diutissimè se taliter Christo mactavit in cordis altari, hostiam vivam, sanctam, Deo placentem; etiam astante Clero & populo divinam, quâ plurimùm affluebat, aggreditur proferre exhortationem. Imperialem de se electionem in tam laborioso officio brevi sermunculo promulgat; eorum voluntatem* (qualiscumque erga se sit) *pandere expostulat: dicit electionem Cleri & populi Canonicali auctoritate aliorum dispositionem præire: affirmat se gratanti animo in patriam rediturum, nisi fiat electio ejus communi omnium laude: ostendit se coactum ad tam grande onus suscipiendum venisse. Cumque videret unanimem omnium acclamationem; ad correctionem vitæ cœptam repetit exertationem, supplex cunctorum expetit orationem atque absolutionem. Itaque divinu favente gratia, cunctis applaudentibus consecratur, ac dominica quadragesimalis initii, pridie Idus Februarii* (ideoque hoc Christi anno, quo Pascha die XXVI Martii celebratum), *Apostolica Cathedra inthronizatur.* Sanctus Bruno Signiensis Episcopus his verbis utitur: *Secundùm consuetudinem Romanam cum magnis laudibus à Clero & populo in Pontificem electus est: dein verò in B. Petri Apostoli cathedram elevatus.*

SÆC. XI. An. C. 1049. *Papa creatur, & Leo IX dicitur.*

IV. *Electio Leonis IX magis explicatur.*

Anselmus verò in Itinerario: *Defuncto Papa Damaso*, inquit, *Romani Legatione de ejus obitu ad Imperatorem Henricum directa, petierunt, ut Ecclesiæ Pastore viduatæ ab eo subrogaretur alius, qui super hoc negotio Episcoporum & optimatum imperii sui quærens consilium, invenit inter ceteros dominum Brunonem Tullensem ad idem officium subeundum esse idoneum: utpote qui ætatis maturitate, morumque & scientia claritudine videbatur conspicuus, sibique sanguinis affinitate proximus. Unde Apostolicæ dignitatis ei adjudicata sunt insignia: jussumque ab Augusto, ut ad hæc secundum Ecclesiasticas sanctiones suscipienda Romana inviseret mœnia. Sed quia solemnia imminebant Nativitatis Dominicæ, hæc cum Clero, cujus fuerat Pastor, disposuit celebrare, eisque* celebratis, quò erat præceptum, abire. Aliquibus interpositis subjungit: *Celebratis ergo in sede civitatis Leucorum duobus dominicæ Nativitatis diebus, in tertio*, (nempe die XXVII mensis Decembris), *Clero suo valefaciens, iter carpere Romam ducens aggreditur. Quò perveniens, cum favore totius populi honorabiliter excipitur: Apostolicæque dignitatis infulis insignitus in Hypapante domini*, (idest in die Purificationis B. Virginis, die sc. II mensis Februarii consecratus) *in cathedra Beati Petri inthronizatur* (die scilicet XII ejusdem mensis, in quam Dominica prima Quadragesimæ incidebat, ut ex Wiberto etiam diximus), *& Leo Papa Romano more nuncupatur.*

V. *S. Leo cum Hildebrando*

Ex verbis Wiberti laudatis intelligimus, Ottonem Frisingensem, quem Baronius sequitur,

Monacho Romam habitu peregrino perrexit.

tur, quemque de tribus Romanæ sedis uno eodemque tempore invasoribus malè instructum fuisse suprà ostendimus, non minus in sancti Leonis profectione Romana narranda peccasse, quia scilicet seculo integro postquam ea peracta fuit, eam in literas misit. Ait Otto: S. Leo *ad sedem B. Petri destinatus fuerat. Cùmque assumtâ purpurâ Pontificali per Gallias iter ageret, contigit eum Cluniacum venire, ubi fortè tunc præfatus Hildebrandus Prioratus (ut dicitur) obedientiam administrabat.* Addit, Hildebrandum constanter eum de incœpto redarguisse, & Leonem admonitum purpuram deposuisse, ac secum Hildebrandum Romam duxisse, cujus consilio *Bruno in summum Pontificem eligitur.* Verùm, ut ex Wiberto teste oculato Henschenius in Commentario prævio ad Vitam Sancti Leonis observat, Wibertus asserit, Leonem *Tulli, sumto peregrino habitu, Romanum iter arripuisse*, & apud Urbem Augustam Angelica modulatione recreatum: neque tempus fuit intermedium, quod itineri Cluniacensi attribueretur. Secundo, Sanctus Bruno in Sancti Leonis Vita scribit, *Hildebrandum* Wormatiæ adfuisse in ipsa designatione Leonis ad Summum Pontificatum, huncque ex Aula Imperatoris adduxisse Hildebrandum; neque dicit Hildebrandi admonitione Leonem depositâ Cluniaci purpurâ assumsisse peregrini habitum, quem, ut habet Wibertus, ab initio itineris acceperat. Fuit Hildebrandus primùm tergiversatus invitanti, objecitque, inquit Bruno, *quia non secundùm canonicam institutionem, sed per secularem & Regiam potestatem Romanam Ecclesiam arriperet. Leo verò, ut erat naturâ simplex atque mitissimus, patienter ei satisfecit, reddita de omnibus, sicut ille voluerat, ratione.* Tertio, S. Bruno ibidem insinuat, verum non esse quod tradit Otto Frisingensis citatus, Hildebrandum nempe Priorem fuisse Monasterii Cluniacensis anno superiori, quando Conventus Wormatiensis habitus est. Ait enim Bruno: *Erat ibi Monachus quidam Romanus* (sc. Wormatiæ) *Hildebrandus nomine, nobilis indolis adolescens, clari ingenii, sanctaque religionis. Hunc igitur beatus Episcopus vocavit ad se, & rogavit eum, ut simul Romam rediret,* &c. Quare si verum sit quod ait Otto, Hildebrandum ipso fine anni MXLVI cum Gregorio VI transiisse Alpes, paucos post menses adolescens & peregrinus, à Cluniacensibus Prior constitutus non fuit; eò magis, quò Paulus Bernriedensis in Vita ipsius Hildebrandi dicat: *Inde* (sc. è Gallia) *post aliquot annos Romam rediturus, moram fecit aliquantum temporis in aula Henrici III.* Papebrocius quidem ad diem XXV Maii, quo Gregorius VII colitur, duplicem profectionem Gallicam Hildebrandi distinguit, sed gratis & sine teste. Otto itaque Frisingensis adversùs Auctores antiquiores in his non audiendus.

VI. *Papalis consecratio explicatur.*

Leo Papa post Concilium Remense, de quo mox, Epistolam Catholicis per universum Regnum Francorum constitutis dedit, quæ Tom. II Spicilegii pag. 456. extat, in qua ait: *Post consecrationem nostram, illam videlicet quâ benignitas Dei humilitatem nostram Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præesse voluit, Germaniam, Galliamque visitavimus.* Ubi *consecrationis* nomen pro ea sumit ceremonia, quam hodie *coronationem* appellamus. Ea vel æquivalens ceremonia in Basilica Sancti Petri semper peracta fuit, eaque diversa ab inthronizatione, quæ in Basilica Sancti Joannis Lateranensis ab omni tempore facta. Wibertus laudatus de utraque loquitur, *cunctis applaudentibus consecratur* (nempe in Ecclesia Sancti Petri) *ac Dominica Quadragesimalis jejunii, pridie Idus Februarii, Apostolica Cathedra inthronizatur*, nempe in Basilica Sancti Joannis Lateranensis. In quo sita esset hæc consecratio, indicat idem Wibertus lib. 1. cap. 4. ubi ait, Brunonem (ita Leo ante Pontificatum appellabatur) à suo consobrino Theodorico Mediomatricum Præsule esse *Pontificaliter intronizatum*; in Ecclesia nempe Tullensi, quando anno MXXVI Episcopus electus fuit. Nondum autem tunc Episcopus ordinatus fuerat; quòd *Conradus Salicus* Imp. cuperet, ejus ordinationem simul cum sua Romæ à Joanne XIX fieri, sed Imperatorem ab eo consilio Bruno revocavit, ne Trevirensi Archiepiscopo Metropolitæ suo displiceret. Rem Wibertus his verbis exprimit: *quoniam causis instantibus usque insequentis Pascha distulerat* (nempe Conradus Salicus) *sibi à domno Apostolico Romæ dandam Imperialem benedictionem; itidem etiam isti* (scilicet Brunoni) *vinculis perfectæ dilectionis adstrictus differri jusserat ejus Episcopalem ordinationem, uti simul unàque in Basilica* (nempe Sancti Petri) *sumerent utrique ab eodem cæli clavigero Vicario prædestinati officii consecrationem.*

VII. *Benedictio tam de Imperatore quàm de Episcopo dicitur.*

Ibi Wibertus *consecrationis* nomen tanquam genus usurpat, cujus species sunt Regis inauguratio, ordinatio Episcopalis, & ceremonia, qua quis Papa, aut Archiepiscopus inauguratur. Qui Wiberti locus, cùm veram hujus vocis, scilicet *consecratio*, significationem egregiè explicet, hîc prætermittendus non fuit. Sic *benedictionis* vox, tam pro consecratione *Episcopali*, quàm pro *Imperiali* usurpatur, indeque Wibertus ibidem postquam de Imperiali benedictione Conradi Salici locutus est, de Brunone ait, *Pontificalem humiliter poposcit benedictionem à Domno Episcopo Trevirorum Poppone.* In Sacramentario divi Gregorii M. pag. 239. legitur, *Episcopus ordinatur, uno super eum fundente benedictionem*, extantque innumeræ auctoritates Scriptorum, qui post annum DL vixêre, quæ ostendunt, *benedictionem*, & *benedicere*, fuisse voces, quibus consecratio & ordinatio Episcopalis exprimi solitæ erant.

VIII. *S. Leo anno sequenti ad Garganum montem profectus.*

A num. IV ad VIII. Profectio Sancti Leonis Papæ ad Garganum montem, ad visitandam Sancti Michaelis Archangeli Ecclesiam in eo sitam, quam Baronius ex Leone Ostiensi lib. 2. cap. 82. hoc anno recitat, anno tantùm sequenti ab eodem Sancto Pontifice suscepta. Leo enim Ostiensis, qui ait, *eodem quo ordinatus est anno orationis gratiâ montem Garganum petiit*, anno uno peccat, nec, ut arbitratur Henschenius citatus, annum à Paschate inchoat, ut Chronicon ejus examinanti patebit. Rectè itaque Chronographus Sancti Benigni relatis, quæ præsenti anno Sanctus Leo gessit, subdit: *Rursùs sequenti anno Romam pergens* (sc. Halynardus Archiep. Lugdunensis) *cum ipso domno Apostolico properavit Beneventum & Capuam, montem Cassinum, atque montem Garganum ad Sanctum Michaelem Archangelum. Ideo namque prædictus Papa perrexit illas in partes, ut habitatores terræ illius, si posset, aliquo modo relevaret ab oppressione, qua nimium erant gravati à*

ti à Normannis. At quia domnus Præsul Halynardus præpotens erat in verbis & ad suadendum quodlibet lingua sufficiebat, propter hoc ut mediator & Legatus pacis inter prædictos Normannos, & ipsum esset, domnus Apostolicus secum duxit eum. Inde regressus, quoniam ad colloquium Imperatoris, qui tunc forte erat in finibus Ungariæ, properabat: jussit eum prædictus Papa Romæ residere, donec ipse rediret.

IX. *S. Leo Romæ Pascha celebrat.*

Hermannus Contractus ad annum MXLIX de Leone Papa scribit: *qui in proximo Pascha Udalricum Augiensis cœnobii Provisorem, Romam veniemem Abbatis benedictione consecravit, & monasterii ejusdem Privilegia antiquitus à sede Apostolica tradita, sua auctoritate confirmavit & munivit, indictione secunda VII Kal. April.* idest, die XXVI Martii, in quem Pascha hoc anno incidit. Henschenius citatus memoriæ lapsu pridie Dominicæ Palmarum interpretatur, indeque infert Sanctum Leonem hanc festivitatem in monte Casino hoc anno non celebrasse, quod tamen ex Leone Ostiensi assumitur, sed tantum anno sequenti. At id quidem verum; sed cùm hoc anno VII Kalend. April. cum die Paschatis, non verò cum pridie Dominicæ Palmarum concurrat, ex illo Hermanni Contracti loco, habemus tantùm, Sanctum Leonem hoc anno Romæ Pascha celebrasse, quod & Baronius habet.

X. *Primum Concilium Romanum sub S. Leone.*

A num. VIII ad XVI. Hermannus Contractus ad annum MXLIX ait: *Idem Papa in hebdomada post Albas, Synodum cum Episcopis Italiæ Romæ celebravit*, cui Concilio Episcopos Galliarum interfuisse prodit Chronographus Sancti Benigni, cujus verba num. I recitavimus. De hoc Concilio hæc Wibertus lib. 2. Vitæ Sancti Leonis cap. 3. Ibi Sanctus Leo *statuta quatuor Synodorum principalium viva voce corroboravit, decretaque omnium decessorum suorum Pontificum tenenda confirmavit: simoniacam etiam hæresim damnavit, quæ jam nonnullas mundi partes invaserat, & in eodem Concilio quosdam deposuit Episcopos, quos prædicta hæresis nævo sua nequitia maculaverat.* Paulò post: *Decimas quoque à cunctis dandas Christianis, quarum nec mentio erat apud Apuliam, & per quosdam Orbis fines, Ecclesiis restituit. Venditiones Altarium sub anathemate prohibuit; sed constituit, ut partes decimarum, ad Episcopum pertinentes, aut quisque Præsul sibi teneret, aut cuicumque vellet tribueret: partem autem ad altare pertinentem proprio Pastori Ecclesiæ gratis concederet. Incestas consanguineorum nuptias, in multis Orbis partibus indiscretè habitas discidit; plures quo nobilium hoc turpi devinctos nexu, separavit. Alia quoque perplura canonum capitula studuit renovare, quæ, ne fastidium gignant, hic supersedimus recitare.* Quid ibi *Altaris* nomine significetur, & de *Altarium* venditione ac redemptionibus, legendus Marca in Nota ad Canonem VII Concilii Claromontani. Porrò hebdomada post Albas hoc anno die secunda mensis Aprilis inchoatur, duratque usque ad diem nonum ejusdem mensis, quo Dominica secunda post Pascha die XXVI Martii celebratum exorditur, indeque Leo IX in literis, quibus Trevirensis Ecclesiæ Privilegia confirmat, à Brouvero lib. XI Annal. Trevir. recitatis, de hac Synodo Romana ait: *In Synodo nostra, quam circa XVII, post ipsum Paschalem diem, Deo præsidente celebravimus*, & Hermannum Contractum hujus Synodi epocham rectè constituisse nos edocet.

XI. *S. Leo in Franciam venit & varias Synodos celebrat.*

A num. XVI ad XXIX. *Idem in hebdomada Pentecostes aliam Synodum Papia congregavit*, inquit Hermannus Contractus de Sancto Leone. Addit Anselmus Remensis Monachus in Itinerario: *Gallicum revisere solum cum B. Remigio facta promissio, quàm orthodoxa fides in illis partibus adeo tepefacta persuadet intentio. Unde a Romanis expetitâ licentiâ, per quasdam Latii urbes iter agens, &c. tandem adit Imperatorem Henricum, in regione commorantem Saxonica.* Subdit Anselmus, ambos Coloniam advenisse *in Apostolorum Petri & Pauli natalitio* &c. *Papa Colonia digressus, Tullum in Exaltatione sanctæ Crucis venit: indeque circumjacentium regionum Episcopis & Abbatibus literis suæ auctoritatis mandari præcepit, ut in præfixa die* (nempe in Kalendis Octob. uti jam dixerat,) *sibi occurrerent ad Synodum celebrandam in Basilica præfati Francorum Apostoli*, nempe Sancti Remigii. De eo Concilio & de Rebus in Gallia à Sancto Leone gestis legeodum Itinerarium Anselmi sub nomine Actorum Concilii Remensis à Baronio in fine Tomi XII in Appeodice ad annum MXLIX publicatum, cui nullum Auctoris nomen præfixum est, quia deerat in MS. Codice, quo usus est Baronius, qui hoc anno num. XXIV ait, se se frustra illud Itinerarium, quod ab illis Actis diversum putabat, perquisiisse. Marlotus Tom. II Metropolis Remensis lib. 1. cap. 28. illud ex Codice MS. correctius publicavit, & Joannes Papiensis in Speculo meminit Concilii Remensis à Leone Papa celebrati, atque ei interfuisse *Hugonem Cluniacensem*, qui Synodalem exhortationem habuit jussu ejusdem Pontificis, & veritatis adversarios confutavit. Meminit & Concilii Remensis Chronographus Saxo nuper Oxonii editus, sed loco non suo, anno nempe MXLVI: *Hoc anno*, inquit, *fuit magna Synodus apud S. Remei; cui aderant Leo Papa & Archiepiscopus de Burgundia* (nempe Lugdunensis, ut disertè in eodem Itinerario legitur) *& Archiepiscopus de Bysincun* (nempe Vesontionensis, ut ibidem habetur) *& Archiepiscopus de Remis, multique adhuc alii viri prudentes, Clerici ac laici. Eò Eadwardus Rex* (Angliæ nempe, Confessor appellatus) *mittebat Dudocum Episcopum* (Bathoniensem, de quo plura Wartonus in Anglia Sacra part. I pag. 558.) *& Wulfricum Abbatem Sancti Augustini, & Ælfwinum Abbatem, ut Regem certiorem faceret, quid ibi de Religione Christiana decerneretur.* Idem ac Chronographus Saxo ferè habet Radulphus de Diceto pag. 475.

XII. *Concilium Moguntinum.*

Præter Concilium Remense celebravit etiam *Moguntinum*, cujus mentionem facit Hermannus Contractus in Chron. & perperàm differt in annum sequentem, cùm in Synodo Remensi Gozfridus Andegavensis vocetur ad Synodum futuram. Moguntiæ. Wibertus in Vita Sancti Leonis lib. 2. cap. 3. de Moguntino Concilio habet: *Hinc* (post consecratum nempe Remis Altare Sancti Arnulphi) *generale apud Maguntiam Concilium habuit, in quo Spirensis Præsul Sibicho criminali reatu accusatus, voluit se expurgare terrifico sacramento Dominici Corporis: sed, ut fertur, maxilla ejus mansit contorta paralysi, quandiu præsentis vitæ spatium duxit.* Præterea actum in Concilio Moguntino de Sancto

Servatio

Servatio Episcopo Tungrensi seu Leodiensi, & quid definitum fuerit, narravimus anno CCCC.

XIII. *Colonienses Archiepiscopi à S. Leone Archicancellarii S. R. Eccles. dicti.*

Porrò Wibertus lib. 2. cap. 3. ait, Sanctum Leonem apud Coloniam ab Herimanno Archiepiscopo susceptum esse, additque: *Dedit ei officium Cancellarii sanctæ Romanæ sedis, ejusque successoribus, tribuens illi Ecclesiam Sancti Joannis ante portam Latinam.* Rasponus Cardinalis in Basilica Lateranensi, ad annum MLI notat, Leone IX & Victore II sedentibus primum omnium, qui sanctæ Apostolicæ Sedis *Archicancellarium* se subscripserit, fuisse *Hermannum* Coloniensem Archiepiscopum; quod antea animadvertisse Bernardum à Mallinckrot in Tract. de Archicancellariis Sacr. Imperii cap. 5. observat Ciampinus in Catalogo *S. Romanæ Ecclesiæ Bibliothecariorum* pag. 40. & seq. ubi exhibet subscriptiones variorum Diplomatum Leonis IX anno MLI & duobus sequentibus datorum, in quibus *Hermannus* semper dicitur *S. A. S. Archicancellarius & Coloniensis Archiep.* quod quidem certum; sed hoc Leonis IX Privilegium Archiepiscopis Coloniensibus primùm hoc anno concessum, ut ex mox dictis liquet. Rediit hoc anno S. Leo in Italiam. Nam, ut Hermannus Contractus habet: *Natalem Domini Veronæ coluit*, quæ verba de Natali Domini præsentis anni intelligenda; cùm hic Chronographus anno ML indicet se narrare quæ magna ex parte ad hunc annum pertinent, uti Baronius num. XVI & seq. optimè explicat.

XIV. *Humbertum postea Cardinalem S. Leo nondum Papa Tullo Romam duxit.*

Quoad *Humbertum* Virum hac ætate celeberrimum à Sancto Leone postea Cardinalem creatum, quem idem Leo ex Galliis in Italiam secum duxit, & *ad prædicandum Siculis verbum Dei Archiepiscopum ordinavit*, ut inquit Lanfrancus in Comment. adversùs Berengarium, Humbertus, inquam, hoc anno à S. Leone Romam ductus. Mabillonius enim Sec. V Benedict. pag. 894. & seq. refert literas Canonizationis *Sancti Gerardi* Episcopi Tullensis anno sequenti Romæ peractæ, mense Maio illius anni datas, in quibus inter Episcopos & Abbates, qui illi Canonizationi interfuêre, subscriptus reperitur *Humbertus Siciliensis Archiepiscopus.* Quare hoc anno Sanctus Leo eumdem Humbertum è Galliis Romam secum duxerat, falliturque Henschenius ad diem XIX April. in Commentario ad Vitam Sancti Leonis IX num. XVI ubi scribit, *sanctum Leonem*, qui post mensem Septembrem anni ML Tullum rediit, in secundo illo Romam reditu secum *Humbertum* in Italiam duxisse; cùm mense Maio ejusdem anni hunc jam Romæ fuisse laudatæ literæ demonstrent. Præterea perperam ait, Sanctum Leonem secum illum duxisse ex Monasterio Sancti Mansueti extra Urbis Tullensis mœnia sito; *Humbertus* enim Abbas tunc erat Monasterii Mediani in Diœcesi Tullensi, ac intra montium Vosegi claustra positi, & à Sancto Hildulpho Archiep. Trevirensi ædificati, ut docet Auctor Chronici Senoniensis lib. 2. cap. 18. qui ait, *Humbertum* Abbatem Mediani monasterii anno MXLIV *varias Laudes, quæ Responsoria dicuntur*, rithmicè à se compositas Brunoni Episcopo Tullensi in ejus Ecclesia decantandas tradidisse, indeque *quinque annis elapsis*, Brunonem communi consilio Papam electum, ac Romam proficiscentem *per partes illas* transeundo, *Oratorium Sancti Joannis Baptistæ ad portam Mediani-Monasterii* consecrasse X Non. April. subditque: *Humbertum quoque Mediani-Monasterii Abbatem secum ducens, Archiepiscopum Siciliæ ordinavit, deinde Romæ Cardinalem ad vices suas supplendas secum morari præcepit*, ubi quidem Chronographus iste in die & mense consecrationis Oratorii Sancti Joannis Baptistæ manifestè hallucinatur; cùm Leo IX antea Bruno appellatus, mense Decembri currentis anni Romam profectus sit, illucque circa initium mensis Februarii pervenerit, ut anno sequenti dicetur; sed quoad *Humbertum*, non dubium, quin Abbas Mediani-Monasterii fuerit. Baronius itaque, qui rectè hoc anno num. XXVIII asserit, Sanctum Leonem secum Romam duxisse *Humbertum*, in eo labitur, quòd asserat, id accidisse, postquam *Sanctus Leo* Pontifex Romæ creatus in Gallias venisset, & Romam sub hujus anni finem reverteretur: nam nondum Pontifex Romanus erat, quando tantum Virum Romam secum ire voluit. Labbeus in Dissert. de Script. Eclesiast. aliique passim *Humbertum* Monasterii Sancti Mansueti Monachum etiam faciunt, sed nullo teste.

XV. *Leo IX Metis Ecclesiam S. Arnulphi consecrat.*

Prætermiseram notare Sanctum *Leonem* Remis Metas esse profectum, consecrasse Basilicam Sancti Arnulphi, & Responsoria composuisse *de Sancto Gorgonio Martyre*, antequam Moguntiæ Concilium celebraret. Id enim docet Wibertus laudatus, qui inquit: *Inde per Urbem Mediomatricorum remeans, petitu venerandi Abbatis Warini consecravit ibidem Sancti Pontificis Arnulfi Basilicam; exoratusque à Domno Sigifrido Gorziensi Abbate* (à San-Marthanis omisso) *composuit in veneratione gloriosi Martyris Gorgonii* (cujus corpus sanctus Chrodegangus Episc. Metensis & monasterii Gorziensis fundator Româ Metas attulit) *nocturnalium Responsoriorum dulcissimam melodiam.* Meurissius lib. 3. de Episc. Metensibus pag. 354. Sancti Leonis literas tunc ab eo datas recitat, in quibus Leo ait, se *quinto Idus Octobris* Sancti Arnulphi Ecclesiam consecrasse, qui dies hoc anno in feriam quartam incidit; sed hoc seculo Ecclesiarum Dedicationes indiscriminatim omnibus diebus sæpe factæ comperiuntur. Hujus Epistolæ subscriptio est: *Data quinto Idus Octobris per manus Udonis sanctæ Apostolicæ Sedis Cancellarii & Bibliothecarii & Tullensis Primicerii. Anno domini Leonis Noni Papæ primo, indictione secunda: anno verò dominicæ Incarnat. millesimo quadragesimo nono.* Mabillonius lib. II de Re Diplom. cap. XXV num. VII ait, se illius Chartæ autographum inspexisse, & cùm indictio III mense Septemb. præsentis anni exordiatur, & idem Sanctus Leo in alia Charta anno sequenti data eamdem à Septembri auspicetur, inde deducit, Romanos Pontifices in hac indictionis methodo non fuisse constantes. Verùm à *Pelagio II*, quem primum in suis literis indictiones usurpasse suo loco observavi, nullum mihi Pontificium Diploma occurrit, in quo Indictio à Septembri non deducatur; saltem usque ad Seculum XIII.

XVI. *Indictionem à Septembri sicut cæteri Pontifices exorsus est.*

Charta autem, cui Vir doctissimus innititur, falsitatis certa indicia præfert. Primò enim Humbertus hoc modo in ea subscriptus, *Humbertus Cardinalis & Episcopus Sylvæ Candidæ*; cùm tamen in literis Canonizationis Sancti Gerardi Tullensis Episcopi mense Maio anni sequentis

SÆC. XI. An.C.1049. quentis scriptis, inter Episcopos subscriptos legantur *Humbertus Siciliensis Archiepiscopus*, & paulò pòst, *Crescentius Sylva Candida Episcopus*, ac aliunde certum, Humbertum anno sequenti nondum Episcopatum illum gessisse, aut ad Cardinalatum promotum esse. Ut enim Baronius anno M LVII num. XIX. ex MS. Codice Vaticano ostendit, Ecclesia Lateranensis hoc tempore septem Cardinales Episcopos habebat, ex quibus unus erat *Episcopus Sanctæ Rufinæ, sive Sylva Candida.* Nec est quod quis dicat, *Humbertum* tunc Metis absentem, post aliquot annos eisdem literis subscripsisse, ut mos ferebat, quia nullibi legitur: eum Româ in Gallias rediisse. Secundò, Epistolæ Epigraphe his verbis concepta ejus suppositionem prodit: *Ego Leo servus servorum Dei, omnibus inspicientibus hanc cartam* (quis unquam Pontifex in rescriptis suis ita locutus). *Vobis notum facere volumus, quod ego pro honore meo & parentum meorum* (quæ absurda sunt), *scilicet viri venerabilis* (insulsum Epitheton) *Pippini Ducis Aquitanensis* (est hic Pippinus Major Domûs Palatii & Caroli Martelli pater, qui nunquam Aquitaniæ Dux fuit) *& Drogonis filii ejus, nec non & trium filiorum suorum*, &c. *& ceterorum, qui processerunt ex ejus stegmate* (legendum, stemmate), *dedi Ecclesiæ sancti Arnulfi quidquid ipsi dederunt, omnia dubitabilia confirmavi* (hæc causa cur Charta supposita fuerit. Hoc Rescripti initium: *Leo Episc. servus servorum Dei, Ecclesiæ in honorem B. Joannis Evangelistæ sanctique Arnulfi Confessoris Christi, à nobis specialiter dedicata, & per eam venerabili Warino Abbati*, &c. *salutem & Apostolicam benedictionem.* In formulis Rescriptorum Pontificiorum nihil simile legitur.

XVII. *Charta ex qua contrarium deducitur suppositio.* In ea Charta insignis suppositio animadvertenda, quia ea multas alias complectitur. Falsarius enim, ut jurisdictionem Abbatiæ Sancti Clementis sibi attribuat, scribit: *Præterea verò, Ecclesiam Abbatiolam sancti Felicis ipsi loco adjacentem, ubi primus ejusdem Metensis Ecclesiæ Pastor Clemens corpore quiescit, quam præfatus venerabilis Episcopus Adelbero* (junior scilicet) *à prædecessore suo quodam æque Adelberone vocato, pro prædicta curia Rumeliacum nuncupata, S. Arnulfo in concambium datam esse narravit, & cartis testando monstravit.* Verùm tantum abest, ut Adalbero hujus nominis I Episcopus Metensis hanc Abbatiam Sancti Arnolphi Monachis pro Rumeliaco in concambium dederit, ut contrà certis documentis adhuc Metis conservatis constet, Sancti Clementis Abbatiam aliàs ad Canonicos pertinuisse, indeque anno CMXXXVIII ab Adalberone hujus nominis primo expulsos, qui *Sanctum Cadroam* ex Scotia, seu veriùs Hibernia, cum Monachis è monasterio Luxoviensi in Burgondia sito evocavit, quorum successores continua serie Abbatiam illam usque ad nostra tempora absque ulla ab Abbatibus Sancti Arnulphi dependentia rexêre. Præterea Sancti Arnulphi Monachi Abbatiam illam loco Rumeliaci à se dati accipere non potuère; cùm semper *Rumiliaco* potiti sint, nunquam verò Episcopi. Imò ipsemet falsarius id fatetur; cùm inter alia bona quæ præsenti anno ab Ecclesia Sancti Arnulphi possessa supponit, Rumiliacum numeret. Hæc ejus verba: *Triginta etiam mansi cum Ecclesia & decimatione in villa, sive curia quæ vocatur Rumeliacum.* Meurissius qui hujus Rescripti suppositionem non animadvertit, pag. 269. testatur Ecclesiam *Sancti Arnulphi* etiamnum *Rumiliacum* possidere virtute donationis Caroli Calvi, cujus Chartam ibidem recitat. Ex documento itaque adeò vitioso deduci non potest Pontifices Romanos hoc seculo indictionem à Kalendis Januariis aliquando exorsos esse; certumque esse debet nullam hac in re Leone IX sedente immutationem factam. SÆC. XI. An.C.1050.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6543. Anno Æræ Hispan. MLXXXVIII. Anno Hegiræ CCCCXLII, inchoato die 26. Maii fer. 7.

☉ 23. G. ☽ 6. P. 15. April. Indict. 3.

JESU CHRISTI 1050.

LEONIS IX PAPÆ 2.

HENRICI III REG. 12. IMP. 5.

CONSTANTINI MONOMACHI IMP. 9.

I. *S. Leo in Apuliam proficiscitur.* ANNum. I ad XIII. Wibertus in Vita Sancti Leonis lib. 2. cap. 4. loquens de rebus ab eo post suum è Gallia Romam reditum gestis, ait: *Semper memor officii sibi à Deo commissi*, &c. *Iter sumsit peragraturus fines Apuliæ, ut Christianam repararet religionem, quæ ibidem videbatur penè deperiisse: maximèque inter accolas regionis & Normannos concordiam componere satagens, quos dudum adjutores contra exteras gentes susceperant Principes regni, sed tunc sævissimos tyrannos patriæ vastatores, non sponte sustinebant. In hoc ergo sancto opere sollicitè intentus venit Beneventum, ubi aliquandiu commoratus cuidam clinicæ, divina præeunte gratia, vitale præbuit auxilium*, &c. *Itaque zelo sanctæ religionis fervens Præsul venerandus, apud Sipontum* (oppidum aliàs ad montis Gargani radices positum, nunc eversum) *habito Concilio, duos deposuit ab officio Archiepiscopatus, qui cum mercede sanctum assumserant ministerium, vitio elationis unus ambiens præcellere alterum.* Huc referendum quod Baronius anno superiori num. IV & seq. ex Leone Ostiensi lib. 2. cap. 82. narrat, Leonem scilicet IX Sipontum ad visitandam Ecclesiam Sancti Michaëlis Archangeli profectum, & *in ipsa festivitate Palmarum* ad Monasterium Casinense accessisse, die nempe octavo mensis Aprilis.

II. *Synodus Romana II sub S. Leone.* *Inde repetito gressu*, inquit Wibertus, *Romam rediit, ubi superna admonitus revelatione B. Gerardum suæ sedis, Leucorum videlicet olim Præsulem, in numero sanctorum computandum statuit.* De Synodo ibi coacta hæc Hermannus Contractus ad annum ML: *Domnus Papa Leo post Pascha Synodum item Romæ collegit.* In ea Sanctum Gerardum Tullensem Episcopum, de quo suo loco egimus, in Sanctorum numerum retulit, ut ex literis hujus Canonizationis à Mabillonio Sec. V Benedict. pag. 894. è tenebris erutis intelligimus, ex quibus etiam hujus Concilii Epocha nobis innotescit: *Residentibus nobis Romæ*, inquit in iis literis Sanctus Leo, *in Synodo in Ecclesia Salvatoris, cum multis Coepiscopis nostris circa sexto nonas Maias, relatum est auribus nostris ab Udone Tullensi Præposito eadem nocte ipsum domnum Gerardum in visione apparuisse cuidam venerabili Monacho*, &c. *Decrevimus igitur, sic sancta annuente ac laudante Synodo, ut ex hoc sanctus habeatur, & colatur nono*

SÆC. XI. An. C. 1050.

Kalendas Majas, &c. *Cujus Sancti venerabile corpus per nos ipsos cœpimus transferre*, quod & reapse sub hujus anni finem sanctissimus Pontifex præstitit. Mabillonius laudatus hanc Romanam Synodum ad annum superiorem, quo in hebdomada post Albas Romæ Synodus habita, revocat, quia ea in qua Sanctus Gerardus canonizatus, ejus corporis elevationem præcedit. Verùm vir doctissimus non animadverterat, non solum præcedenti anno; sed etiam currenti Sanctum Leonem Romæ Synodum celebrasse, & Wibertum in ejus Vita disertè testari Gerardum in posteriori Synodo honoribus Sanctorum donatum.

III. *Secunda profectio Leonis in Apuliam.*

Baronius num. I refert ex Leone Ostiensi lib. 2. cap. 85. Sanctum Leonem ad monasterium Casinense venisse, indeque Beneventum, urbemque *ab excommunicatione prædecessoris sui* absolvisse. Verùm hæc profectio ad annum Christi insequentem pertinet. Ait enim Leo Ostiensis: *Sequenti anno prædictus Pontifex rursùs ad monasterium venit, & in crastinum ac die altero Apostolorum Petri & Pauli Missas solemniter celebravit. Et cùm die illo sabbatum esset*, &c. Anno autem sequenti Festum SS. Petri & Pauli, dies nempe XXIX mensis Junii in diem Sabbati incidit, indeque Henschenius ad diem XIX April. in Commentario prævio ad Vitam Sancti Leonis IX num. XIX rectè deducit hanc divi Leonis profectionem, non hoc anno, cum quo eam copulavit Baronius, sed anno MLI susceptam esse. Subdit Leo Ostiensis: *Inde perrexit Beneventum, urbemque ab excommunicatione prædecessoris sui benignus absolvit.* Sed hac in re Leo Ostiensis fallitur. Hermannus enim Contractus paulò post hunc annum demortuus ad annum ML scribit de Leone: *Nonnullos locorum Principes & civitates tam sibi, quàm Imperatori jurejurando subjecit, Beneventanosque adhuc rebellantes excommunicavit.* Quæ post Pascha gesta, Hermannus affirmat. Numero autem I ostendimus, Sanctum *Leonem* hoc anno in monasterio Casinensi & Beneventi ante Pascha fuisse, & in ea urbe aliquandiu moratum esse. Quare tunc Beneventani à Leonis Prædecessore excommunicati non fuerant, ut perperàm ait Leo Ostiensis. Hoc enim Auctor Vitæ Sancti Leonis à nobis ibi citatus non tacuisset, imò sanctus Leo ad illos tunc non accessisset. Eo itaque in capite errat Leo Ostiensis, & Sanctus Leo, qui hoc anno post Pascha Beneventanos rebelles excommunicavit, eos insequenti, quo iterùm in Apuliam venit, ab excommunicatione absolvit. Neque dubitandum, quin *Sanctus Leo* tunc Beneventanos Ecclesiæ restituerit; cùm, teste Hermanno, anno currenti eos anathematizarit.

IV. *Lis inter Gradensem & Forojuliensem Episcopos in Concilio Rom. IV decisa.*

Baronius num. III secutus Andream Dandulum in Chronico ait, in hoc Concilio Romano Sanctum Leonem *Dominico Patriarchæ Veneto* Pallium concessisse, & Episcopis Venetiæ provinciæ & Istriæ scripsisse, ut huic tanquam Primati suo obedirent. Verùm facta hæc in alia Synodo Romana anno MLIII congregata, ut manifestè liquet ex Epistola ad Episcopos Venetiæ & Istriæ, inter Leoninas ordine II, ab hoc Sancto Pontifice data: *Noverit*, inquit, *vestra charissima nobis in Christo fraternitas hac in præsenti indictione sexta* (quæ eo Christi anno usque ad Septembrem in cursu fuit) *charissimum confratrem nostrum Dominicum Gradensem, imò nova Aquileia Patriarcham ad Synodum nostram Romæ habitam venisse.* Addit, judicio Synodi definitum fuisse: *Ut nova Aquileia totius Venetia & Istria caput & Metropolis perpetuò haberetur*, &c. *Forojuliensis verò Antistes, tantummodo finibus Longobardorum esset contentus*, &c. *Unde monendo mandamus, & præcipimus vobis ex parte Dei, & Sancti Petri, & nostra, ut præfato Gradensi Patriarchæ, successoribusque ejus in omnibus, secundùm jura Canonica obedientes sitis, sicut Primati vestro & Patriarchæ esse debetis, & sicut antecessoribus ejus nostri perpetuò confirmarunt.*

SÆC. XI. An. C. 1050.

V. *Patriarchatus Gradensis seculo XV Venetias translatus.*

Sic plenè, inquit Baronius citatus, *translatus fuit Patriarchatus Gradensis in Venetum, qui hactenus titulo Gradensis Sedis potitus erat.* Verùm nonnisi *Nicolaus* V, defuncto Dominico Michaele Gradensi Patriarcha, translatâ Gradensis Ecclesiæ dignitate in Venetiarum urbem, *Sanctum Laurentium Justinianum* Episcopum Castellanum seu Olivolensem Patriarchali titulo auxit: suppressoque utroque titulo & Gradensi & Castellano, primum Venetiarum Patriarcham creavit *anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, VIII Id. Octob.* Pelagio II Ecclesiam Romanam administrante Metropolitana Sedes ex urbe Aquileiensi Gradum translata fuit, & hæc urbs totius Venetiæ Istriæque Metropolis ab eodem Pelagio II dicta, ut suo loco ostendimus. Deinde Sancti Gregorii Magni tempore, defuncto *Severo* Patriarcha Aquileiensi Schismatico, Aquileiensis Diœcesis in duos Patriarchas distracta fuit, in Aquileiensem nempe & Gradensem; & Metropolita Aquileiensis antiqua jurisdictione mulctatus. Dicta dein *Gradus, nova Aquileia*, ut Leander in Episcopis Forojuliensibus variis testimoniis ostendit. Cùm autem inter utrumque Patriarcham, Leone IX sedente, quædam exorta fuissent dissidia, divisionem illam S. Pontifex confirmavit, & *Gradum, Novam Aquileiam*, & *Gradensem Antistitem Novæ Aquileiæ Patriarcham* appellavit. Ceterùm hoc tempore Venetis proprius nondum erat Episcopus sed circa annum DCCLXXVII, ut docet Justinianus lib. 12. Historiæ Venetæ, constituta fuerat *Episcopalis sedes in insula Castellana, quæ Olivolus appellabatur, unde & Episcopo Castellani semper nomen mansit*: tandemque Sanctus Laurentius, ut mox diximus, seculo XV ex Episcopo Castellano seu Olivolensi primus Patriarcha Venetus renunciatus fuit. Quæ omnia ex Historicis Venetis, aliisque eruta.

VI. *Berengarius in Synodo Romana II damnatus.*

Sed redeo ad Concilium Romanum, in quo ex verbis Lanfranci in Commentario contra Berengarium, à Baronio recitatis constat, hunc damnatum, illum verò absolutionis sententiam retulisse. Indicta est postea frequentior Synodus ad proximum Septembrem *Vercellis*, ad quam vocatus est *Berengarius*, qui Romæ non erat, cùm *Lanfrancus* à pravi rumoris macula expurgatus est. Aliquot ante annos *Lanfrancus* è Lombardia in Galliam venerat, & *Berengarium* inter Magistros docentem invenerat, ac cum eo, ejusque discipulis multas disputationes tanto successu habuerat, ut illum Turonas redire coëgerit. Hinc nata inter utrumque contentio, quæ, postquam Lanfrancus in Normannia apud Beccense monasterium scholas publicas aperuit, plurimùm aucta: *Is cùm juveniles adhuc*, inquit de Berengario Guitmundus lib. 1. de Veritate Eucharistiæ, *in scholis ageret annos, ut aiunt, qui eum tunc noverant, elatus ingenii levitate,*

ipsius

ipsius Magistri sensum non adeo curabat, libros insuper Artium contemnebat, sed cùm per se attingere Philosophiæ altioris secreta non posset: neque enim homo ita acutus erat, sed ut tunc temporis LIBERALES ARTES *intra Gallias penè obsoleverant, novis saltem verborum interpretationibus, quibus etiam nunc nimium gaudet, singularis scientia sibi laudem arrogare, & cujusdam excellentia gloriam venari, qualitercumque poterat, affectabat. Factumque est, ut pompatico incessu, sublimi præ ceteris suggestu dignitatem Magistri potius simulans, quam rebus ostendens, profunda quoque inclusione intra cucullum ac simulatione longa meditationis, & vix tandem satis desiderata diu vocis lentissimo quodam quasi plangore incautos decipiens,* DOCTOREM SE ARTIUM *penè inscius proficeretur. Sed postquam à D. Lanfranco in Dialectica de re satis parva turpiter est confusus, cumque per ipsum D. Lanfrancum virum aque doctissimum* LIBERALES ARTES *Deus recalescere atque optimè reviviscere fecisses, Desertum se à discipulis iste dolens, ad eructanda impudenter divinarum Scripturarum sacramenta, ubi ille adhuc adolescens, & aliis eatenus detentus studiis nondum adeo intenderat, se se convertit. Sed & ibi insipiens; quippe in malevolam animam non introibit sapientia, at ea quarum novitate omnium corda permoveres, atque ad se omnium oculos traheret, studiosè perquirens maluit esse sub aliqua admiratione hominum hæreticus, quam sub oculis Dei privatè vivere Catholicus..... Aucupatis ergo nonnullis ratiunculis (neque enim ulla unquam heresis sine aliqua verisimilitudine rationis invalescere potuit) adhibitis quoque paucis malè à se Capitulis Scripturæ sacræ, quæ multis errantibus laqueus est mortis, per egenos Scholasticos jam per alimoniam, qua sustentabat eos, & per suos dulces sermones corruptos, quaquaversum potuit, clanculo hujus tanti mali nefandissimum virus effudit.*

VII. *In eo Concilio Lanfrancus absolutus.* Ita loquitur Guimundus, quia *Berengarius* novitatis amator, novas subtilitates & voces in rebus dialecticis & Theologicis excogitavit, quarum ope omnes difficultates eludebat; & hoc est quod ait Guitmundus eum *novis verborum interpretationibus singularis scientia sibi laudem arrogasse*, ut hæc verba interpretatur Bulæus in Hist. Universit. Parisiensis pag. 406. Berengarium enim virum fuisse facundum ac eloquentem, multiplicisque doctrinæ hujus temporis Scriptores fatentur. Postquam per aliquot annos intra Philosophicarum quæstionum cancellos stetêre disputationes, exorta tandem inter utrumque de quæstionibus Theologicis, præsertimque de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento controversia. *Lanfrancus* enim intelligens, *Berengarium* in Schola sua opinionem *Joannis Scoti Erigenæ*, qui Caroli Calvi tempore vixit, suscepisse propugnandam, *Paschasiumque Rathbertum* inscitiæ & erroris arguere, contrà ipse *Paschasium* veritatis Eucharistiæ acerrimum defensorem tueri aggressus, palam publicèque asseruit, *Joannem Scotum* fuisse hæreticum, ejusque opinionem de Sacramento Altaris doctrinæ orthodoxæ repugnate. Hinc, ut fit, inter utriusque fautores varii rumores sparsi, & Lanfrancus à *Berengario*, quasi ille malè sentiret, accusatus, & in Concilio Romano hoc anno habito absolutus, ac *Berengarius* damnatus.

VIII. *Epocha Concilii Romani II.* Hujus Concilii Romani Epocha ex Hermanno Contracto hujus temporis Scriptore nobis innotescit, cùm enim disertè prodat, *Vercellense* hoc anno habitum, certumque sit, paulò ante Romanum celebratum fuisse, ea in dubium revocari non posset, nisi Durandus Abbas Troarnensis, cujus libellus *de Corpore & Sanguine Christi*, post Baronii mortem editus, & in Biblioth. Patrum edit. Lugdunensis Tom. XVIII recitatus, illud anno M L III coactum insinuaret. Durandus autem hoc tempore floruit, & de eo Ordericus lib. 7. Hist. Ecclesiast. ad annum M L X X X V I I ait: *Durandus Troarnensis Abbas grandævus, ab infantia Monachus, religione & sapientia præcipuus, Ecclesiastici cantus & divini dogmatis Doctor peritissimus, sibi durus carnifex, aliisque mitis opifex* fuit. Is Conventum *Brionensem* ante Vercellensem coactum refert ad annum M L III, quod viris Eruditis crucem fixit. Cossartius Tom. IX Concil. in Notis ad Conventum Brionensem, suspicatur, Durandum scripsisse *anno ML in Normanniæ finibus*, & amanuensem pro *in* legisse III, detritâ primæ litteræ mediâ lineolâ. At Mabillonius Tom. II Analect. in Observationibus *de multiplici Berengarii damnatione* hanc conjecturam rejicit, quod in Codice Bigotiano MS. ex quo libellus Durandi erutus, quique vetustissimus est, vox *tertio* non cifris expressa sit, sed integris fermè litteris. Cumque *Durandi* calculo adversetur Vita Leonis IX, qui anno MLIII Beventi à Junio ad exeuntem annum, imò & ad subsequentem Martium commoratus est, rectè concludit Mabillonius *Leonem* mense Septembri anni MLIII interesse nequivisse Vercellensi Concilio, proindeque illud ad præsentem annum, uti & Romanum, referendum esse, ut aliqui Viri docti ante eum præstiterant. Ad hæc cùm *Durandus* juxta Ordericum citatum anno M L X X X V I I I è vivis abierit, in Opere suo memoria labi facile potuit. Multis exemplis liquet, Auctores etiam coævos in narrandis, quæ suis contigêre temporibus, non rarò hallucinati, præsertimque in temporibus exprimendis. Quare neque hoc Concilium Romanum, neque tria, de quibus mox, ab hoc anno removenda. Denique novus Chronographus Saxo, qui Concilium Remense anno M X L V I collocavit, anno M X L V I I Vercellensis mentionem fecit, quia eum non latebat Remense anno tantùm uno præcessisse Vercellense.

IX. *Epistola Berengarii ad Lanfrancum in Concilio Romano lecta.* Franciscus Roïus Antecessor Andegavensis, qui primus hanc difficultatem vidit, dissolvitque, in Dissertatione *de Berengario*, Epistolam ad Lanfrancum à Berengario datam, & à Dacherio primùm publicatam, eam esse existimat, quæ in hoc Concilio Romano prolata fuit. Hanc integram exhibeo, quia valde brevem: *Fratri Lanfranco Beringarius. Pervenit ad me, frater Lanfrance, quiddam auditum ab Ingelramno Carnotensi, in quo dissimulare non debui ammonere dilectionem tuam. Id autem est, displicere tibi, imò hæreticas habuisse sententias Joannis Scoti de Sacramento Altaris, in quibus dissentit à suscepto tuo Paschasio. Hac ergo in re, si ita est frater, indignum fecisti ingenio, quod tibi Deus non aspernabile contulit, præpoperam ferendo sententiam. Nondum enim adeo satagisti in Scriptura divina cum tuis diligentioribus. Et nunc ergo, frater, quantumlibet rudis in illa Scriptura vellem tantum audire de eo, si opportunum mihi fieret, adhibitis quibus velles, vel judicibus congruis, vel auditoribus. Quod quandiu non fit, non aspernanter aspi-*

SÆC. XI. An. C. 1050.

cias quod dico. Si hæreticum habes Joannem, cujus sententias de Eucharistia probamus: habendus tibi est hæreticus Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, ut de ceteris taceam. Hanc autem Epistolam eam esse, quæ in hoc Coocilio lecta fuit, ex eo probat Roïus, quod intellexit Concilium Romanum ex his literis, *quod Berengarius Joannem Scotum extolleret, Paschasium damnaret, communi de Eucharistia fidei adversa sentiret.* Quæ tria Berengarius in hac Epistola præstat. Aliud argumentum profert Cossartius Tom. IX Concil. pag. 1054. apud illum legendum.

X. *Berengarius hæresim suam in Normannia spargit.*

Quo in Normannia successu *Berengarius*, postquam Romæ damoatus fuit, hæresim suam sparserit, docet his verbis Durandus Troarnensis Abbas part. IX Libelli sui de Corpore & Sanguine Christi: *Is autem* (nempe Berengarius) *Dominica Incarnat. anno millesimo quinquagesimo tertio* (de quo ultimo numero mox egi) *Normannorum fines irrepsit; & ad cœnobium, quod Pratellis nuncupatur, appulit, Catholicoque viro, qui idem strenuè regebat cœnobium, a quo & honestè satis exceptus fuerat, multa blasphemus impiè delatravit: quod ipse quoque, eodem Abbate Ansfrede nomine referente, dum apud me super tanta impietate valde quereretur, non multo post agnovi. In multis itaque subtiliter ab eodem Abbate pertentatus, in multis perinde reprehensibilis, & perfidus est repertus. Qui inde digressus, Normannorum Principem* (nempe Guillelmum) *festinus adiit, quem suâ quoque erroris perfidiâ subtiliter attentavit. Verùm ille licet ætate adolescentiæ nondum excederet annos, tamen illum, quia Catholicæ fidei merito præditus erat, & gratiâ, callidè suspendit, secumque quoad regni sui mediterraneam deveniret sedem Brionam* (vel Brionam, recentioris Neustriæ mediterraoeum oppidum) *vocabulo detinuit, ubi undique coactis Catholicis, ac sapientibus viris, super eadem re disponebat conflictam haberi.*

XI. *Conventus Brionensis adversùs Berengarium coactus.*

Eo ergo ventum est, & res sequenti die ventilanda proposita. Cumque multi ex tota Normannia Sapientes, qui plurimi & clari habebantur, convenissent, præfatum hæresiarcham Berengarium, cum alio quodam, quem secum adduxerat, clerico, in cujus eloquentia victoriæ sibi spem posuerat, ita coram omnibus confutaverunt, atque evidenti ratione superaverunt: Quatinus eis silentium imponerent, verborumque, quibus fidem Catholicam tuebantur, assensum ab eis extorquerent. Berengarius autem tandem non sine pudore evadens Carnotum petiit, ubi positus de eadem quæstione se consulentibus (audita quippe jam longè latèque acta res fuerat) Clericis ejusdem urbis nulla respondit, cùm verò sibi opportunitas daretur, se responsurum promisit. Unde non multò post literas, quas & ipse legi, dictavit, in quibus multa absurda, fideique Catholicæ aliena anhelus declamavit: inter quæ Romanam Ecclesiam, Caput videlicet totius Christianitatis, multa temeritate hæretico vocabulo denotavit, cum qua Rectorem ejus, dominum scilicet Papam Leonem, cujus fides catholica, spectabilis sapientia, laudabilis habebatur industria, quem non excepit, pariter infamavit, seque ad utrumque convincendum, dum respondere differret, interrogantibus intendisse retulit: tunc quippe instabat constituta dies Concilii postmodum Vercellis habiti. His itaque literas puritatis, ut sibi videbatur, plenas, sed revera multa vanitate refertas, Carnotensibus, qui sibi quæstionem intentaverant, destinavit.

Ipso autumno Domnus Papa Synodum Vercellis collegit, inquit Hermanous Contractus. Ipse Sanctus Leo in Epistola ordine XII ad Principes Britanniæ data, quâ Armoricæ Episcopos excommunicat, tum quòd Turonensi Archiep. subiici recusarent, tum quòd Simoniacas ordinationes facerent, in ejusdem fine ait: *Quod si vester Archiepiscopus cum suis Suffraganeis de hoc quod Turonicus Pontifex clamat, deque Simoniaca hæresi excusare se rationabiliter valuerint, Vercellensi Concilio* KALENDIS SEPTEMBRIS *futuro præsentes sint, nosque ibi, si Deus permiserit, erimus, causas eorum audituri.* Ad eam Syoodum, ut Lanfrancus in Commentario contra Berengarium refert, & ex eo Baronius num. IV, Berengarius vocatus non venit: *Joannis Scoti liber de Eucharistia lectus est ac damnatus:* Berengarii sententia etiam damnata: *duo Clerici*, qui se Legatos Berengarii dixerunt, volentes eum defendere, *in primo statim auditu defecerunt, & capti sunt.* Post Vercellense Concilium *Berengarius* literas ad *Ascelinum*, à Dacherio primùm publicatas dedit, & ex responsione *Ascelini* ad Berengarium liquet, eas post Vercellense Concilium, & ante Parisiense scriptas esse. Convictus enim *Berengarius* in Brionensi Conventu ac in Vercellensi, ægrè ferebat, asseri ab illis, qui colloquiis istis interfuerant, damnatum à se *Joannem Scotum*. Quare in sua ad *Ascelinum* epistola conatus est, maculam illam eluere. In illis itaque literis agitur de Colloquio seu publica Disputatione, Berengarium inter & *Ascelinum* atque *Willelmum* inita, ac de Berengarii damnatiooe in Synodo Vercellensi. Ex utraque Epistola præcipua seligo.

SÆC. XI. An. C. 1050.

XII. *Synodus Vercellensis adversùs Berengarium habita.*

XIII. *Epistola Berengarii ad Ascelinum.*

Audivi nunc jactitare Willelmum, inquit Berengarius in Epist. ad Ascelianum, *quod negare nequiverim hæreticum esse Joannem Scotum; quod falsum esse, testis mihi es, si satis meministi verborum meorum: quamvis hæreticum habeas tu quoque Joannem Scotum: quàm inconsideratè, quàm impiè, quàm indignè Sacerdotio tuo non diu eius te nescire permittat, ille, de quo Apostolus fidelibus promittit*, sed & si quid aliter sapitis, & hoc Deus vobis revelabit. *Sapis enim contra omnis naturæ rationes, contra Evangelicam & Apostolicam sententiam: si cum Paschasio sapis, in eo quod solus sibi confingit, sacramento Dominici Corporis decedere penis omninò substantiam. Verba autem mea de Joanne hæc fuerunt: non pervidisse omnia illius, sicut etiam nunc verum est. quæ autem vidissem ad eam rem pertinentia, recitare me posse ex scriptis illorum, quos præfixeram habendos esse hæreticos in Epistola ad Lanfrancum, si Joannes ille hæreticus haberetur: ceterùm si quid in illo viderem non satis delimatum, facilè me improbaturum esse. Hæc & verè dicebam, & in nullam excussionem in transitu venire contendebam, propter causam superiùs dictam. Duo tantum protulit ille, sicut nosti, vir optimus, quæ à me audita ad eum pervenerant. Convincere ipsa verba in consecrationem panis instituta, non decedere sacramento panis materiam: & non esse virgam Episcopalem, animarum curam. Horum prius ego, sicut meminisse potes, confirmavi: & ita planum est, ut sufficiat hæc sentire & convincere etiam pueruli in schola consistentis, qui vim juncturæ verborum non instrenuè callet. De secundo, immo dixi, & confirmavi, & confirmo, virgam illam esse animarum curam: ut facile advertere posset, qui vellet, quid sentirem. Et nunc quod apud Episcopos agere susceperam.*

ceperam.

ceperam, vellem, si mihi tutum fieret, saltem apud vos agere in audientia quorumcumque, &c. Quamquam totus in eo sim, ne quis transgrediatur terminos Patrum, Evangelistæ, Apostoli, Ambrosii, Augustini, Hieronymi.

XIV. *Responsio Ascelini ad Berengarium.* Respondet Ascelinus ad Berengarium: *Literas tuas nuper latus suscepi, sperans* festinum nobis tuæ correctionis *significari gaudium: quibus perlectis lætitia mea versa est in mœrorem, cùm pristinum adhuc affirmare non destiteris errorem. O Deus! ubi est illa vivacitas, illa subtilitas, illa prudentia, quibus affatim pollere solebas, &c. Tunc enim dictum fuit, quod & nunc testificamur, omnem Christianum debere in Pascha de mensa Dominica communicare, nisi pro aliquo crimine à se perpetrato, à tam salubri sequestretur convivio: hoc autem nullo modo fiat, nisi solo præcepto confessoris sui; alioquin claves Ecclesiæ annullantur. Sed, ut ad me redeam, omni re considerata, non indigne me ad prædictum colloquium convenisse credo. Attuli enim mecum, quod quamdiu vixero, adjuvante divina virtute, per Sacerdotis ministerium, verum Corpus, verumque Sanguinem Christi effici. Quod Scriptura attestante, satis evidenter probatur, si non sinistra interpretatione temeretur. Joannem verò Scotum, nec inconsideratè, nec impiè, nec indigne Sacerdotio meo habeo: quem toto nisu, totaque intentione ad hoc solum tendere video, ut mihi persuadeat, hoc videlicet quod in Altari consecratur, neque verè Corpus, neque verè Christi Sanguinem esse. Hic autem astruere nititur ex Sanctorum Patrum opusculis, quæ pravè exponit.* Post errorem illum pluribus confutatum concludit Ascelinus: *Pudet te patrocinari librum, quem Vercellis in plenaria Synodo damnatum, te quoque propter eum hæresis macula notatum audivimus. Redi ergo, precor, ad Catholicam & Apostolicam traditionem, ut & in te compleatur illud Apostolicum quod mihi direxisti.* Sed & si quid aliter sapitis, & hoc Deus vobis revelabit (Philipp. 3.) Vides Vercellensem Synodum ab Ascelino *plenariam* vocari.

XV. *Concilium Parisiense adversus Berengarium.* Post Vercellense Concilium, *Parisiense* habitum, in quo coram Henrico I Francorum Rege, XVII Kal. Novembris damnatus est Berengarius. Hujus Concilii unus meminit Durandus Troarnensis Abbas, qui part. IX, post ea quæ ex eo de Conventu Brionensi diximus, de Concilio Parisiensi statim subjungit: *Cùm autem tanti mali fama crebresceret, & omnium corda fidelium vehementiùs percelleret, perque multos hujusmodi virus latenter, & apertè jam serperet, contigit, ut ad aures etiam Regis Francorum perveniret, qui consultu sui regni Pontificum, procerumque Concilium* Parisiis *cogi decimo septimo Kalendas Novembris præcepit: ac præfatum Berengarium, aut ut sua dicta Patrum auctoritate firmaret multis sibi obnitentibus, aut si ea deffendere nequiret, in Catholicum, cui obviare non posset, fidem prudenter transiret, interesse tantorum cœtus Patrum imperavit. Interea condicta venerat dies, frequensque Conventus Præsulum ac reliquorum sancti ordinis Clericorum, nec non nobilium laicorum Parisiis factus est, sed jam dictus Berengarius mala conscientia perculsus terrere, ut jussus erat, eò venire distulit, seque cum Brunone, suo videlicet Episcopo Andegavensi, sub quo Archidiaconi fungebatur honore, pro eo maximè continuit, quia eodem errore, nepoto tanti viri credulus & ipse noscebatur involvi.*

XVI. *Lecta in eo* *Interea Præsul Aurelianensis* (qui, ut videre est apud San-Marthanos, Isambardus erat) *quosdam „apicos in scheda haud parva digestos in conspectu „omnium & Regis (intererat enim) protulit: Et „præcipiat, inquit,* Vestra Sanctitas has literas „à Berengario editas, si libet recitari; quas ego „quidem ab ipso nequaquam accepi, sed cùm „eas cuidam suo familiari nomine Paulo per veredarium dirigeret, violenter rapui, *quibus „susceptis, & ad recitandum traditis, omnium aures eriguntur, ora in silentium componuntur, corda ad intelligendum, quæ continebantur in eis præparantur, sed inter legendum multum repente fit murmur, & per singula absurdi sensus verba gravis instrepit fremitus. Itaque omnibus talis lectio, quoniam nequissima sordebat hæresi, vehementer displicuit, damnato proinde communi sententia talium auctore, damnatis ejus complicibus cum codice Joannis Scoti, ex quo quæ damnabantur, sumta videbantur; Concilio soluto discessum est, ea conditione, ut nisi resipisceret ejusmodi perversitatis auctor, cum sequacibus suis ab omni exercitu Francorum præeuntibus clericis cum Ecclesiastico apparatu instanter quæsiti, ubicumque convenissent, eousque obsiderentur, donec aut consentirent catholicæ fidei, aut mortis pœnas luituri caperentur. Quam ob rem territi, non multò pòst in Concilio super fidei suo statu conventi* (nempe in Concilio Turonensi, de quo suo loco), *ita se sicut Ecclesia tenet Catholica credere fideliter, & sapere publicè professi sunt, delatisque Sanctorum pignoribus, ut omnibus satisfacerent, atque de veritate fidei, quam professi fuerant, eos, qui aderant, certos facerent, sacramentum dederunt. Sed omissa de talibus relatione, quos post hoc ad apostasiam & priorem vomitum audivimus rediisse, libelli hujus tenorem, in quo fides nostra sinceritatem juxta antiquorum Patrum auctoritatem multis eorum exemplis adhibitis, ut potuimus fideliter ostendimus.* Et hic finis egregii Durandi libelli *de Corpore & Sanguine domini.* Porrò Paulus ille Berengarii familiaris est *Paulinus* Metensis Primicerius, ut disertè legitur in Epistola Adelmani ad Berengarium. Sigebertus cap. 153. de Script. Ecclesiast. docet Adelmannum Epistolam scripsisse *ad Paulum Metensem Primicerium*, quâ monebat, uti & ipse Berengarium communem amicum suum ab errore revocaret; sed ea ad nos non pervenit.

XVII. *Synodus Parisiensis post Vercellensem celebrata.* Baronius anno MXXXV, ut ibidem vidimus, hoc *Parisiense Concilium* convocatum ex *Theoduini Leodiensis* Episcopi ad Henricum Francorum Regem Epistola intellexerat; sed habitum non esse eadem ipsi Epistola persuaserat, quia ejus tempore laudatus Durandi libellus non extabat. Franciscus Roïus in Dissert. *de Berengario* Synodum Parisiensem ante Vercellensem collocat, quòd Durandus dicat, *cùm instaret constituta dies Concilii postmodum Vercellis habiti.* At, ut Cossartius Tom. IX Concil. pag. 1060. jam animadvertit, *Durandus* id non ad Parisiense Concilium refert, sed ad Berengarium respondere interrogationibus tunc temporis cunctantem. Imò *Parisiense* Concilium non commemorat, nisi post factam de Vercellensi mentionem: exiguam illam quidem, sed quæ ad consilium suum satis esset, nempe ut causam indicaret Berengariani silentii. Hoc enim loco *Durandus* ea duntaxat enarrat, quæ adversùs *Berengarium* in Gallia gesta sunt, in Brionensi Conventu, in Parisiensi Concilio, ac denique Turonensi: Romanas Synodos quatuor ne ap-

SÆC. XI. An. C.1050.

pellat quidem, Vercellensis mentionem facit, nomine uno tenus, ob causam jam dictam. Coacta autem *Parisiensis* Synodus, licet in Vercellensi confecta res esset, quia fortè causabatur *Berengarius* Vercellis neque se auditum esse, cùm abesset; neque Legatos suos, cùm primo statim aditu, teste Lanfranco, defecerint. Contumax itaque *Berengarius* hæresiarcha erat, qui Vercellensi judicio cùm non pareret, ad id per Gallicanam Synodum cogendus videbatur. Quod autem opponitur, causari *Theoduinum* Leodiensem Antistitem in sua ad Henricum Regem Epistola, *Berengarium* à Romano Pontifice nondum esse damnatum, respondet idem Cossartius, id neque scripsisse Theoduinum, ut legenti ejus Epistolam constabit, neque scribere potuisse, cùm Romanæ Synodi judicium ignorare non posset. Denique non est disceptata in Synodo Parisiensi *Brunonis* causa, quantum ex Durando intelligi potest, & Theoduinu consilia *Henricus Rex* eatenus secutus est. Hoc unum autem præcipuum (nam appendicis loco cetera) *Theoduinus* suadebat, ut supersederet judicio, donec *acciperetur Romana sedis audientia*, hoc est audiendi & cognoscendi potestas, cùm Episcopum non oporteat damnationis subire sententiam, *prater Apostolicam auctoritatem*, ut inquit Theoduinus.

XVIII. *Berengarii Epistola ad Richardum.*

Dacherius Tom. II Spicilegii refert Berengarii Epistolam *ad Richardum* datam quâ eum obtestatur, quatenus apud *Henricum Gallia Regem* pro se intercedat, ut damnum post Synodum Parisiensem sibi illatum à se removeret, exponeretque, *injustissimè* damnatum Joannem Scotum, *injustissimè* item assertum fuisse Paschasium in Concilio Vercellensi, ac Clericos Carnotenses indignissima in Regias aures effutiisse: se præsto esse, ut illius Majestati, & quibus vellet ex Scripturis illud probaret: ac Clericos Carnotenses perversè Regi exposuisse sententiam Fulberti *gloriosa memoria* Episcopi de Eucharistia, quæ revera sancti Augustini sit. Denique Regem nosse oportere, *qua scripsit Joannes Scotus monitu illum scripsisse, precarioque Caroli Magni antecessoris sui* (ita Carolus Calvus vocatus, ut suo loco demonstravimus): *qui quantum circa res gerendas perstrenuus, tantum circa religionem devotus, ne in eruditorum, carnaliumque illius temporis prævaleret ineptia. Erudito verò Joanni illi imposuit colligere de Scripturis, quæ ineptiam illam converterent. Unde ferat oportet defuncto patrocinium contra calumniat nunc viventium: ni se malit exhibere indignum successione, & sede illius magnifici antecessoris sui, qui etiam circa negotium intelligendarum Scripturarum sollicitus, ab erudito vivo viro, non ad tenebrandum veritatis lumen tale exegit obsequium*, & cetera Tom. IX Concil. legenda.

XIX. *Epistola Theoduini Episc. Leodiensis ad Henricum Regem adversus Berengarium.*

Theoduinus Leodiensis Episcopus, cùm Parisiensem Synodum indictam esse, famâ accepisset, ad Henricum Galliarum Regem Epistolam illam scripsit. quam Baronius anno MXXXV recitat, & Durando Leodiensi Episcopo perperam tribuit. In ea ait Theoduinus: *Fama supremos Gallia fines prætergressa, totam Germaniam pervasit, jamque omnium nostram replevit aures, qualiter Bruno Andegavensis Episcopus, antiquas hæreses modernis temporibus introducendo, astruane Corpus domini, non tam Corpus esse, quam umbram & figuram Corporis domini*, &c. *Quos ad revincendum, & publicè confutandum, eo zelo, eoque fervore, quò erga sanctam Ecclesiam divina inspiratione plurimùm semper ardetis, ajunt vos Concilium advocasse, ubi tandem illud totius nobilissimi regni vestri, heu nimis turpe opprobrium, de medio auferatis*, &c. *Sed desperamus id fieri posse, cùm Bruno existat Episcopus: Episcopum autem non oportet damnationis subire sententiam, prater Apostolicam auctoritatem*, &c. *Ergo Majestatem tuam omnes exoratam vellemus, ut interim illorum impiam, sacrilegam, & nefariam assertionem audire contemneretis; donec acceptâ Romana sedis audientiâ, damnandi potestatem haberetis. Quamquam hujusmodi homines nequaquam oporteat audiri: neque tam est pro illis Concilium advocandum quàm de illorum supplicio exquirendum.* Epistolam suam his verbis claudit Theoduinus: *quamob rem Brunonem & Berengarium jam anathematizatos arbitramur. Quod si ita est, verè illis audientia Concilii deneganda est; & cum vestris cumque nostris Episcopis, & (si vobis ita videtur) cum amico vestro Imperatore, cum ipso Papa, qua vindicta in illos statuatur, deliberandum. Est enim justum, ut quorum manus sunt contra omnes, omnium manus contra ipsos excitentur.* Mutila est hæc Epistola tam apud Baronium anno MXXXV, quàm Tom. IX Concil. quam cùm integram Mabillonius Tom. IV Analect. ex veteri MS. exhibeat, ea in alia Conciliorum editione prætermittenda non erit.

SÆC. XI. An. C.1050.

XX. *S. Leo PP. venit in Franciam.*

Hermannus Contractus ad annum ML, narrata Vercellensi Synodo Kalendis Septemb. congregata, subdit: *Inde Gallias & Episcopatum suum Leucorum* (legendum, Leucorum) *civitatem revisit. Quoque tempore Agnes Imperatrix tandem Imperatori filium peperit.* De hac profectione Gallica mentionem facit Wibertus lib. 2. Vitæ Sancti Leonis Papæ cap. 4. ubi de gestis ab eo hoc anno scribit: *Repetito gressu Romam redit, ubi superna admonitus revelatione B. Gerardum sua sedis, Leucorum videlicet, olim Præsulem, in numero Sanctorum computandum statuit* (initio nempe mensis Maii præsentis anni, ut suprà diximus). *Eodemque anno in patriam regressus ipsius sanctos artus cum summa gloria transtulit. Quæ omnia dilucidè sunt exarata in ejusdem Vita & miraculis.* Quare cùm in Vita sancti Gerardi Episcopi Tullensis, à Vindrico Abbate sancti Apri ab Henschenio ad diem XXIII Aprilis primùm publicata, nulla sit mentio, nec Canonizationis, neque Translationis Sancti hujus Antistitis à Sancto Leone peractarum, perspicuum est, Vitam, de qua Wibertus loquitur, adhuc desiderari, aut scriptam à Vindrico ibidem mutilam esse; præsertim cùm miracula à sancto Gerardo post mortem patrata in ea non legantur.

XXI. *Transfert corpus S. Gerardi Episc. Tullensis.*

Mabillonius Sec. V Benedict. pag. 895. ait, Leonem, quando corpus Sancti Gerardi hoc anno elevavit, Privilegium concessisse *Dodoni* sancti Mansueti Abbati *anno Inc. Domini ML, indict. IIII datum Tulli in majori Ecclesia, II Kalend. Novemb. per manus Udonis Tullensis Ecclesia Primicerii Cancellarii & Bibliothecarii sancta Apostolica sedis, anno Apostolatûs domini Leonis noni Papa II, Episcopatus Tullensis XXVI.* Eamdem subscriptionem Mabillonius refert lib. II. de Re Diplom. cap. XXV num. VII, aitque maximè observandam esse Epocham duplicem, nempe ejus *Apostolatûs* seu Pontificatûs; & *Episcopatûs Tullensis*, idque propter honorem loci, in quo

hoc

hoc instrumentum concessit, memorare Pontifici his in literis visum esse. Verùm Vir doctissimus animum non advertit ad errorem, qui cubat in anno Episcopatûs; cùm enim ex Wiberto in Vita S. Leonis lib. 1. cap. 3. constet, eum anno millesimo vicesimo sexto Episcopum Tullensem electum esse, hoc anno XXV Pontificatûs annum exorsus est, ideoque vel amanuensis vel typographus loco anni XXV, posuit, XXVI. Ceterùm Sanctus *Leo* creatus Pontifex Romanus Tullensem Episcopatum non deposuit, ut notat Baronius anno MXLIX num. VI, ideoque in laudato diplomate Præsulatûs sui annum notavit, quod in aliis ejus Diplomatis non memini me legisse.

XXII. *Magnus Norvegiæ Rex ab Angliæ invadenda impeditur.*

Ad num. XIII. Decretum, quô *Dani* à corona Angliæ arcebantur, inquit Alfordus ad annum MXLV num. I externis Principibus, qui à *Canuto* Angliæ Rege & Majoribus ejus descenderant, præjudicium censebatur. *Magnus* Norwegiæ Rex id tulit ceteris impatientius. Is sancti *Olavi* filius, qui in *Canutum* sæpe pugnaverat; *Canuti* jura, sui juris esse, ac proinde Angliam, prætendebat: sed cernens se omni spe dejectum, eâ alia via quàm armis potiundi; expeditionem eò paravit; ratus tam facilem sibi, quàm *Swano*, Canutoque aliàs fuerat, victoriam. Sensit hoc *Sanctus Edoardus* Angliæ Rex, & contrà paravit occurrere; certus se tempore, loco, natalibus, & omni juris apice potiorem. Dum hæc utrimque expediuntur, & miles in procinctu est, *Swanus* Danorum Rex, Norwegiam incurrere, eam depopulari, sibique subjicere; avito inter utrosque odio; contendit. Quod *Magni* Norwegiæ Regis consilium evertit, avertitque ab Anglia hostilem impetum. Wigorniensis paucis hæc complexus ait: *Quo anno* (scilicet MXLV) *Rex Anglorum Eadwardus ad Sandicum portum congregavit classem validam contra Magnum Norreganorum Regem Angliam adire disponentem, sed bellum à Swano Rege Danorum illi illatum, iter impedivit.* Idem habent Florilegus, Rogerius Hovedenus, Simeon Dunelmensis de Gest. Reg. Angl. & alii ad annum MXLV.

XXIII. *S. Eduardus Angliam Daniæ Regi vectigalem non reddidit.*

Quare corrigendus est Adamus Bremensis, quem Baronius sequitur. Ille enim aliter rem gestam narrat, scilicet non *Magnum* Norwegiæ Regem, sed *Swanum* Danorum Regem, movisse: *Edoardum* Regem, non vim vi, sed preces & supplicia, subjectionem denique opposuisse: quæ omnia cum fide Historiarum Anglicarum è diametro pugnant. Hæc Adami lib. 3. cap. 12. verba: *Sven duo regna possedit, classemque parasse dicitur*, (ideoque id auditione tantùm acceperat Adamus) *ut Angliam suo jure subjiceret. Verùm sanctissimus Eduardus, cùm justitiâ regnum gubernaret, tunc quoque pacem eligens, victori obtulit tributum: statuens eum, ut supradictum est, post se regni heredem.* Quæ verba postquam Baronius currenti anno recitavit, mox de suo addit: *quod factum ante biennium, anno domini MXLVIII Rogerius habet.* Verùm Rogerius Hovedenus ad eum annum non contradicit iis, quæ ad annum MXLV scripserat, quæque modò recensuimus. Non dicit, *Swanum* bellum in Angliam, sed pacem meditatum esse: non dicit, *Edoardum* regnum illi promisisse: sed tantùm pacem à Swano oblatam admisisse. Hæc ejus verba: *Anno MXLVIII Swanus Danemerciam recepit, & Haroldus Herfager, Swardi Regis Norreganorum filius, & ex parte matris frater Sancti Olavi, patruus scilicet Magni Regis, Norregam repetiit: brevique post tempore suos nuncios ad Regem Anglorum Eadwardum misit: & pacem, amicitiamque ei obtulit, cum, Swano mortuo, in Norwegiæ regnum successisset.* Quibus Wigorniensis ad annum MXLVIII addit, *ad quem etiam* (Eduardum sc. Regem) *Rex Danorum Swanus Legatos mittens, rogavit, ut ei navale mitteret adjutorium.* Non ergo *Swanus*, aut *Haroldus* Edoardum coegit ad indigna; nec *Edoardus* adhuc externo Principi obligavit Angliam; nec obligationis umbra in Annalibus Anglicis apparet, ut rectè Alfordus explicat, ideoque Adamus hac in re levibus rumoribus deceptus est.

XXIV. *Pia peregrinatio Machetadi Scotiæ Regis, ejusque leges.*

Ad num. XV. *Rex Scotorum Machetad, Romæ, argentum spargendo distribuit*, ait Wigorniensis ad hunc Christi annum. Ad hunc Regem referendæ leges Ecclesiasticæ, quas Spelmannus pag. 571 inscribit ad annum ML: *Leges Ecclesiasticæ Maccabæi* (qui & Mabbetha, à Malmesburiensi lib. 2. de Reg. cap. 13. appellatus, à Florilego Macbothus, ab aliis communiter Macbetka vocatur) *Regis Scotorum è secularibus suis depromptæ, Christo initiatum ad profanum judicem non vocato: vocatum, comparentemve non judicato: sed ad sacros Antistites remittito. Decimam partem terræ nascentium, Pastoribus Ecclesiarum liberè conferto. Deumque semper votis, & oblationibus consuetis adorato. qui Pontificis auctoritatem annum totum execratus contempserit, neq; se interim reconciliaverit, hostis Reip. habetor: qui verò duos annos in ea contumacia perseveravit, fortunis omnibus mulctator.*

XXV. *Floret S. Robertus Abbas Casæ-Dei.*

Henschenius ad diem XXIV Aprilis, quô *Sanctus Robertus* Abbas Casæ-Dei celeberrimi apud Arvernos in Diœcesi Claromontana monasterii Benedictini colitur, ejus Vitam ante annum MXCVI à Marbodo Archidiacono Andegavensi postea Episcopo Redonensi in Britannia Armorica editam, & librum Tripartitum *de Miraculis Sancti Roberti*, à Bertrando Monacho Casæ-Dei compositum exhibet, ex quibus discimus, eum Arvernis natum à patre, qui originem ducebat à Giraldo seu Geraldo Comite Aureliacensi in superiori Arvernia, cujus Vitam scripsit Sanctus Odo Abbas Cluniacensis. Cùm Canonicus esset, virtutum incrementis proficiens ad montem, qui nunc *Casa-Dei* dicitur, se transtulit, ubi monasterium construxit, idque, ut legitur in Chronico Malleacensi, anno MXLIII. Robertus non solùm socios instruebat, sed & incolarum mitigabat pristinam feritatem, paulatimque eos brutis moribus exuens, tanquam de feris homines faciebat. Leo Nonus, cùm ejus sanctitatis famam audivit, non solùm ejus consilium Decretis Apostolicis roboravit, sed etiam illum invitum ac renitentem Casæ-Dei Abbatem constituit. *Præter secularium non modicam multitudinem, quorum animas verbo prædicationis suæ, vitaque exemplo, orationum etiam suffragiis est lucratus, ex quibus ad trecentos ferme Monachos acquisivit (præter Ecclesias circiter quinquaginta post diuturnam desolationem ad Dei servitium reparatas) illud constat esse præcipuum, quod unicâ simplicitatis ac charitatis suæ formam transfudit in discipulos*, inquit Marbodus citatus, qui annum ejus mortis non memorat, sed quem nos edocet Bertrandus laudatus, à quo Distinctione 1. cap. 18. Ro-

SÆC. XI. An. C. 1050. bertus mortuus dicitur *in Resurrectione post Octavas tertio die sublimia ascendens, die XV Kalendas Maii, ac sepulturæ traditus die VIII*, scilicet Kalendarum Maii, qui characteres annum MLXVII designant, quò Roberti mortem collocat Chronographus Virdunensis pag. 197. qui addit eum monasterio *annis novem* præfuisse antequam fieret Abbas. Quare perperam reprehendit Henschenius Auctorem Chronici Malleacensis, qui ait Robertum monasterium Casæ-Dei, *quindecim annis* rexisse. Nam hic Chronographus annos illos ab eo tempore repetit, quò *Robertus* à Sancto Leone jussus est Monasterio tanquam Abbas præesse, ideoque ab anno MLII, & Chronographus Virdunensis utrumque tempus notavit, sed anni quibus Abbas fuit, injuriâ temporis in exemplari deleti sunt, tantumque in eo legitur, *& factus Abbas .... præfuit annis ....*

XXVI. *Moritur S. Alferius primus Abbas Cavensis.* Ughellus Tom. VII Italiæ Sacræ de Episcopis & Archiepiscopis Ecclesiæ Salernitanæ verba faciens, ex autographis Monumentis monasterii *Cavensis* ab urbe Salernitana non longè dissiti, Catalogum Abbatum profert, atque Sanctum *Alferium* seu *Adelferium* celeberrimi illius monasterii fundatorem illud anno nongentesimo octogesimo construxisse, *& usque ad millesimum quinquagesimum salutis annum, quo pridie Idus Aprilis, quo Dominica Cœna recolebatur, spiritum emisit*, rexisse. Ejus Vitam ab Anonymo Venusini Cœnobii Abbate seculo sequenti compositam recitat Henschenius ad diem XII mensis Aprilis. Monachum induit in Monasterio Cluniacensi, sed *Gisulpho* hujus nominis primo Salerni Principe petente, Salernum remissus est, ubi *ejusdem civitatis ferè omnia monasteria eidem committenda remittuntur.* At vir sanctus internæ quietis splendoribus assuetus *Cavam* secessit, soli Deo placere desiderans. Ejus sanctitatis fama longè lateque sese diffundente: *Cœperunt nonnulli seculum relinquere, & ejusdem se magisterio subjugare. Inter quos & vir venerabilis Leo Lucensis, & Desiderius Beneventi nobilis, ad æmulandum pia virtutis ejusdem studium se ejus magisterio subdiderunt. Quorum nimirum alter post eum Cavensi monasterio præfuit, alter Sancti Benedicti Montis Casini Abbas constitutus, dehinc in totius Orbis culmine, videlicet Romanæ Ecclesiæ Pontificatum sublimatus est*, dictus in Pontificatu Victor III, qui lib. 3. Dialog. testatur, se religiosam ac Deo amabilem *Alferii* vitam admiratum esse. Idem Venusinus Abbas scripsit Acta quatuor primorum Sanctorum Abbatum Monasterii *Cavensis*, nempe Alferii, B. Leonis Lucensis, Petri Salernitani, & Simeonis.

Anno Eræ Hispan. MLXXXIX. Anno Hegiræ CCCCXLIII. inchoato die 25. Maii fer. 4.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6544.

☉ 24. F. ☽ 7. P. 31. Matt. Indict. 4.

JESU CHRISTI 1051.

LEONTA IX PAPÆ 3.

HENRICI III REG. 13. IMP. 6.

CONSTANTINI MONOMACHI IMP. 10.

I. *Floret S. Joannes* AD num. I. *Sanctus Joannes Gualbertus* fundator Congregationis Vallis Umbrosanæ, in qua Regula Sancti Benedicti servatur, patriâ Florentinus fuit, & Monachum induit in Monasterio Sancti Miniatis in Monte prope Florentiam, & temporis progressu ad *Vallem-Umbrosam* veniens, illic sedem fixit. Fama sanctitatis ejus per vicina loca se se diffundente, multi Clerici & laici conversionis studio ad eum venêre, inter quos fuêre *Petrus, Igneus* postea cognominatus, tandemque Albanensis Episcopus Cardinalis. Novem monasteria vel ædificavit, vel Congregationi suæ uniit, quibus postea alii Abbates, qui ei successêre, alia adjunxerunt. Præter Vitam Sancti Joannis Gualberti, quæ extat apud Surium ad diem XII mensis Julii, *beatus Andreas* Abbas ejusdem Congregationis, sub hujus seculi finem demortuus, aliam scripserat, sicuti & postea beatus *Atto* Episcopus Pistoriensis ex eadem Congregatione assumtus, sed utraque periit, ut inquit Bollandus ad diem X Martii, quo beatus *Andreas* colitur. Didacus de Franchis Ripolensis Abbas nostra ætate publicavit Historiam hujus Sancti Fundatoris, libris duodecim Italicè vulgatam. SÆC. XI. An. C. 1051. *Gualbertus fundator Congregationis Vallis Umbrosæ.*

Ad num. II. Leo Papa, qui in Germania fuit usque ad mensem Februarium præsentis anni, & Imperator cum multis Episcopis & Principibus apud Augustam Vindelicam convenientes, Purificationem Domini Genitricis celebraverunt, & postea *Papa Romam revertitur*, inquit Hermannus Contractus in Auctiori Chtonico, qui paulò pòst subdit: *post Pascha item domnus Leo Papa Synodum Romæ collegit, ubi inter alia Gregorium Vercellensem Episcopum propter adulterium cum vidua quadam avunculi sui sponsa admissum, & perjuria perpetrata, absentem & nescientem excommunicavit*, ut ex eodem Hermanno Baronius narrat. Ad hunc annum spectant, quæ Baronius ex Leone Ostiensi lib. 2. cap. 85. refert anno ML num. I, ut ibidem diximus. Ipsemet Baronius hoc anno num. VI ostendit, S. Leonem ad monasterium Sancti Benedicti Sublacense appellatum venisse; quæ profectò diversa non est ab ea, quam Leo Ostiensis citatus enarrat, & quam Baronius anno præcedenti malè consignat. Porro S. Leonem hoc anno Romæ Pascha celebrasse, docet Wibertus in ejus Vita lib. 2. cap. 4. II. *Gesta hoc anno à Leone PP.*

Ad num. XI. Lambertus Schafnaburgensis nativitatem filii Henrici Imp. cum hoc anno illigat, sed major fides hac in re habenda Hermanno Contracto, qui in Chronico Auctiore eamdem in præcedentem confert, ut ibidem vidimus. Retinendus tamen dies natalis, nempe *IV Idus Novemb.* à Lamberto notatus, & ab Hermanno prætermissus. Hildebertus Episcopus Cenomanensis in Vita Sancti Hugonis cap. 2. de baptismate filii Imperatoris hoc anno peracto hæc habet: *Paucis ibi diebus peractis, ex petitione Regis filium ejus sacro de fonte levavit* (nempe Sanctus Hugo) *puero nomen patris imponens. Celebravit autem Pascha cum Imperatore in Agrippina Colonia, Teutonibus mirantibus in juvenili adhuc ætate canitiem morum, conversationis mansuetudinem, vultûs gratiam, verborum lenitatem.* III. *Henrici Imp. filius baptizatur.*

Ubi *Berengarii* hæresis ad aures omnium pervenit, primus contra eum scribere aggressus *Hugo* Lingonensis Episcopus, qui sub Fulberto Episcopo Carnotensi aliàs cum eodem Berengario & Adelmanno Theologicis rebus operam IV. *Hugo Epis. Lingonensis scribit contra Berengarium.*

ram dederat, & postea à Roberto Francorum Rege ad Sedem Lingonensem evectus fuerat. Brevem quidem tractatum *de Corpore & Sanguine Christi*, qui Tom. XVIII Biblioth. Patrum edit. Lugdun. extat, scripsit, sed luculentum; in quo Berengarium hortatur, ut contra divinam omnipotentiam argumentari desinat: *Desiste ergo*, inquit, *fore erroris miles, desiste impugnare cæleste mysterium, perpende quod Dei voluntas & verbum omni natura supereminet: & qui in factüris potens est, potentem transformare credas, sicut scriptum est:* Mutabis ea, & mutabuntur. *Dei enim velle pro facto est*, &c. Annus tamen quo Tractatus iste elucubratus, in obscuro est.

V. *S. Leo Eduardum Angliæ Regem vote eundi Romã dispensat.*

Sanctus Eduardus Angliæ Rex in donatione à se Ecclesiæ Sancti Petri Westmonasteriensi facta, & Tom. IX Concil. pag. 1186. relata ait se se deliberasse ad limina Apostolorum Petri & Pauli proficisci ad gratias Deo reddendas pro tot sibi collatis beneficiis; sed Optimates suos timentes, ne Regnum noviter sedatum aliqua turbaretur hostilitate, communi habito consilio rogasse se ut ab ea intentione desisteret, tandemque omnibus placuisse, ut Romam Legati mitterentur, qui Apostolico suam voluntatem & votum, & illorum petitionem indicarent. *factum est ergo*, subdit Eduardus, *quod voluimus. Et venientes Romam Legati nostri ex voluntate Dei invenerunt collectam Synodum in eadem urbe, cumque exposuissent meam voluntatem, & suam petitionem coram ducentis & quinquaginta Episcopis, & alia multitudine Sanctorum Patrum. Tunc Apostolicus ex consilio sanctæ Synodi hanc Epistolam scripsit.* Data ea ad Eduardum Regem, & in laudatam donationem inserta, in qua ait Pontifex: *Præcipimus tibi sub nomine sanctæ obedientiæ & pœnitentiæ, ut expensas, quas ad istud iter paraveras, pauperibus eroges, & Cœnobium monachicum in honorem Sancti Petri Apostolorum Principis aut novum construas, aut vetustum emendes, & augeas.* Hac accepta Epistola Eduardus monasterium Westmonasteriense propter vetustatem & bella ferè destructum in integrum restituit, & decimam partem omnium, quæ habebat, eam in rem contulit. Dedicata Basilica *V Kalend. Januarii*, ut ipsemet asserit.

Anno Æræ Hispan. MXC. Anno Hegiræ CCCCXLIV, inchoato die 3. Maii fer. 1.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6545.

☉ 25. E D. ☽ 8. P. 19. April. Indict. 5.

JESU CHRISTI 1052.

LEONIS IX PAPÆ 4.

HENRICI III REG. 14. IMP. 7.

CONSTANTINI MONOMACHI IMP. 11.

I. *Pax Imperatorem inter & Andream Hungariæ Regem sancita.*

AD num. I. Imperator, inquit Hermannus Contractus, *cum Turegi Pentecosten peregisset, in Pannonicam itidem expeditionem proficiscitur, Andreaque Rege Hungarorum minus munusque pro pacto pacis postulando allegante & promittente, Berzisburg castrum obsedit, & variis belli machinis diu oppugnatum, Deo obsessis se anxiè invocantibus opitulante, frustratus semper nixibus nullo modo capere potuit. Interim dominus Leo Papa ab Andrea accitus, cùm pro pace componenda intervenisset, Imperatorem ab obsidione evocavit, eumque sibi per omnia consentaneum invenit, sed & contra Andream consiliis suis minus parentem experiens; offensus, eique excommunicationem, utpote delusa Sede Apostolica minitans, cum Imperatore discessit, & aliquantum cum eo temporis mansit.* Ad hanc pacem sanciendam usus est Sanctus Leo Sancto Hugone Abbate Cluniacensi, de quo Hildebertus Episc. Cenomanensis in ejus Vita cap. 2. narrato pueri Henrici Imp. baptismate, scribit: *Idem postmodum Romani jussu Pontificis in Hungariam profectus, de reformatione pacis curam gerit, suscepta prudenter insistit & explet negotia, ad laudem Dei & gloriam, quæ sibi commissa fuerant, executus.*

II. *S. Leo tertiò in Germaniam venit.*

Hæc ex Wiberto in Vita Sancti Leonis lib. 2. cap. 4. magis explicanda, & gesta ab hoc Sancto Pontifice in tertia sua profectione Germanica signantiùs declaranda. *Non modicus*, inquit Wibertus de Sancto Leone, *ei inerat fervor in augenda Republica. Idcirco Hungariæ Principes a Romano imperimperio diffidentes, multiplicibus Legatis aderat, ne detrectarent solita subjectione Imperatori prisca persolvere tributa: quod & consenserant, si præteritorum commissorum eis concederetur indulgentia. Quapropter sancta commonente pietate coactus est* TERTIO *antiquam patriam repetere, & pro reorum miseratione, qui contra imperium moverant bellum, persuasoriis precibus Imperiales aures expetere. Sed quia factione quorundam Curialium, qui felicibus Sancti viri invidebant actibus, sunt Augusti aures obturatæ precibus domni Apostolici; ideo Romana Respublica subjectionem regni Hungarici perdidit, & adhuc dolet finitima patria prædis & incendiis devastari.*

III. *Canonizatio SS. Wolfangi & Erhardi.*

Leo IX dum in Germania erat, Ratisponam profectus *Sanctum Wolfangum ejusdem urbis Episcopum de tumulo levavit*, ut in Annalibus Saxonicis MSS. legit Mabillonius Sec. V Benedict. in Observat. præviis ad Vitam Sancti Wolfangi, quod Canonizationis loco tunc temporis erat. Hinc Hundios lib. 1. Metrop. Salisburg. in Gebhardo III, Episcopo Ratisponensi: *Sub eo*, inquit, *Leo IX Pontifex Max. ab Andrea Rege Ungariæ pro pace cum Imp. Henrico III construenda accitus, Ratisponam venit, & S. Wolfgangum in numerum divorum retulit, similiter & Sanctum Erhardum.* Conradus de Monte-puellarum in Vita Sancti Erhardi, à Bollando ad diem VIII mensis Januarii recitata, cap. 2. confirmat *Leonem IX transtulisse corpus B. Erhardi, temporibus Imperatoris Henrici III sub annum domini MLII.*

IV. *Beneventum per concambium à Sede Apostolica acquisitum.*

Tunc inter ipsum Apostolicum & Imperatorem facta est commutatio de Benevento & Bambergense Episcopio, sicut jam suprà retulimus, inquit Leo Ostiensis lib. 2. cap. 85. de Rebus hoc anno gestis verba faciens. Idem narrat Hermannus Contractus, qui de Natali Christi currentis anni, à quo sequentem inchoat, scribit: *Imperator cum Domino Papa, multisque Episcopis & Principibus, Natalem Domini Wormaciæ egit, ubi cum Papa, sicut dudum cœperat, Fuldensem Abbatiam, aliaque nonnulla loca & cœnobia, quæ Sancto Petro antiquitus donata feruntur, ab Imperatore reposcens exegisset, demum Imperator pleraque in Ultraromanis partibus ad suum jus pertinentia, pro Cisalpinis illis quasi per concambium tradidit.* Tunc itaque Leo IX pro *Bamberga*, *Fulda*, & aliis in Germania locis, *Beneventum* in Apulia accepit, quod etiamnum Romani Pontifices in

Regno

SÆC. XI. An. C. 1052.

Regno Neapolitano obtinent. Ex quo liquet, quàm imperitè *Eutropius* Presbyter, alibi à nobis confutatus, scripserit, Carolum Calvum *Beneventum* à Romano Imperio distraxisse, & Romanis Pontificibus concessisse. Liquet secundò, hunc nugivendulum, quem aliqui antiquum faciunt, ante sequens seculum non scripsisse, alioquin similem fabulam in medium noo attulisset.

V. *Episcopi duo S. Leonis inimici divinitùs puniti.*

A num. III ad X. Wibertus in Vita Leonis IX lib. 2. cap. 4. oarrans gesta ab eo in Germania anno superiori ante Pascha, quod Romæ celebravit, ait: *Erat huic viro Dei non modica concertatio contra pervasores rerum sanctæ Romanæ Sedis, maximèque contra Ravennatem Episcopum spiritu repletum contumaciæ & rebellionis* (erat is Hunfridus, ut tradit Rubeus lib. 5. Hist. Ravenn. qui ait, eum subitò interiisse nono Kal. Septemb. anni millesimi quinquagesimi primi): *cui nonnulli favebant Palatini gloriæ invidentes domini Apostolici. Quorum caput in fomento discordiæ erat Nizo Episcopus Frisingiæ, super quem divina virtus hujusmodi horrendam ultionem dignata est ostendere. Nam pro responsis Imperialibus in Italiam directus Ravennam devenit, & in favorem Ravennatis detrectatoria verba contra hunc Beatum proferre cœpit. Inter quæ ducto sub guttura digito ad hæc blasphema prorupit: Hoc guttur gladio abscindatur, nisi eum deponi fecero ab honore Apostolatûs. Quo dicto, eodem momento intolerabilis dolor gutturis invasit, & impœnitens die tertio vitam obiit. Archiepiscopus autem Ravennatium ob incorrigibilem præsumptionem est à Sancto Papa anathematizatus. Ideoque Imperialis jussu Ausburgiam vocatus, cum justitia redditis quæ perversè invaserat, absolutionem est petere coactus. Qui cùm licet corde contumaci ante pedes Sancti stratus jaceret, cunctisque cœtus præsentium Pontificum ei absolutionem peterent, ait vir beatus: Secundùm ejus devotionem tribuat ille Omnipotens cunctorum scelerum absolutionem. Ille verò surgens cùm subsannatoriè subridens adhuc superbiâ tumidus; venerandus Pastor in lachrymas resolutus, inquit secretò circumstantibus. Heu! mortuus est miser iste. Nec mora: ille langore corripitur, & vix in patriam revectus, vita & honore quo tumebat, celeriter privatur*, anno sc. superiori, ut mox dixi, ad quem ideo hæc retrahenda.

VI. *Litera Petri Damiani ad Henricum Archiep. Ravenna.*

Hæc Hermannus Contractus ad annum MLII his verbis confirmat: *Tempore Quadragesimali Imperator Ravennatem Archiepiscopum Hearichum promovit* (io locum scilicet Hunfridi demortui). *Et Nizo Frisingensis Episcopus priùs ex superbissimo vitæ habitu ad humilitatis & religionis speciem conversus, ac denuo ad pristinæ conversationis insolentiam reversus, cùm eum jussu Imperatoris Ravennam perduxisset, subita ibi morte periit.* Ad hunc Henricum Archiep. Ravenoatensem Petrus Damiani scripsit Epistolam, ordine XXXII, cujus partem recitat Baronius, in qua Petrus ait: *Usque ad hujus Henrici clementissimi Regis imperium, Præsulatumque reverenda memoria Clementis Papæ, istiusque beati Leonis, quo nunc videlicet Præsule sancta se gubernari gratulatur Ecclesia, per Occidentalia Regna virus Simoniacæ hæreseos ebullivit, ita ut quod fiebat, passim licenter admissum, ultimæ animadversioni nequaquam duceretur obnoxium, & quod erat ferè omnibus consentaneum, pro regula teneretur, tanquam legali sanctione decretum.*

SÆC. XI. An. C. 1052.

VII. *Manus S. Dionysii Henrico Aucupi concessa.*

A num. X ad XVI. Hoc anno Germanos inter & Gallos exorta controversia de corpore Sancti Dionysii Martyris primi Parisieosis Episcopi, errore vulgari cum Dionysio Areopagita confusi. Regnante in Galliis Carolo Simplice de fœdere inter eum & Henricum Aucupem Germaniæ Regem actum. *Quando verò Rex* (nempe Henricus) *Rhenum transierat, ad dilatandum super Lotharios imperium suum, occurrit ei Legatus Caroli, & salutato eo verbis humillimis: Dominus meus, inquit, Carolus, Regia quondam potestate præditus, modo privatus, misit me ad te, demandans, quia nihil ei ab inimicis circumvento jucundius, nihil dulcius esse potest; quàm de tui magnifici profectus gloria aliquid audire, famâ virtutum tuarum consolari. Et hoc tibi signum fidei & veritatis transmisit, protulitque de sinu manum pretiosi Martyris Dionysii, auro gemmisque inclusam, Hoc, inquit, habeto signum fœderis perpetui, & amoris vicarii, &c. Rex autem munus divinum cum omni gratiarum actione suscipiens, prosternitus Reliquiis sanctis, & deosculans eas, summa veneratione veneratus est*, inquit Witichiodus lib. 1. circa finem. Idem habent Ditmarus, Abbas Urspergensis & Sigebertus ad annum CMXXII. Ditmarus autem anno hujus seculi XVIII mortuus est; Witichindus sub finem præcedentis.

VIII. *Monachi Ratisponenses se totum corpus ejus invenisse fingunt.*

Sumta inde occasio à Monachis Ratisponensibus, fingendi corpus *Sancti Dionysii* integrum apud se repertum fuisse, dum hoc anno Sanctus Leo in Germania ageret. Rem narrat Scriptor Anonymus in Relatione *de Detectione corporum Sanctorum Dionysii, Rustici & Eleutherii* à Duchesnio Tom. IV pag. 157. & seqq. recitata. Ex ea Relatiooe ea tantum excerpam, quæ ad rem nostram faciunt: *præfato loco* (nempe Monasterio Sancti Emmerammi) *succedentibus prosperis, rebusque ejus Deo fideliter adhærentium devotâ munificentiâ ampliatis; probabile visum est Abbati, ut dirutâ structurâ operis vetusti, quoniam vilis erat pretii, in melius studeret honestando construere monasterium prædicti Sancti Ermentramni* (legendum, Emmerammi). *cui operi dum studiosiùs insudaret, priscorumque fundamentorum loca diligentiùs inquireret, juxta vanam assertionem eorum, unius mortui hominis corpus inventum est integrum, quem sub testimonio fallacium & adinventitiarum literarum non veriti sunt appellare Areopagitam Dionysium. Extimplo* (idest, extemplo) *incolas diversarum nationum velox fama cœpit peragrare, adeoque increbescere, ut multos juvaret hujusmodi nanis fidem accommodare. Quin etiam memorata urbis Episcopus* (sc. Gebhardus hujus nominis III, ut habet Hundius lib. 1. Metropol.) *vicinis accitis Pontificibus, ab eis studuit efflagitare, quid inde eis consilii placeret dare: indicans sibi esse animum ponendi inter Sanctos hoc corpus elevatum. Quorum Conventu favente id taliter actu dignum esse: designata elevationis die, rogatisque iisdem tunc illic iterum adesse, in sua quique eorum rediêre. Interea Episcopo plures diversorum ordinum circumquaque directis literis invitare sollicito, gratum visum est supplicare Henrico Imp. quatenus tanti copiam gaudii cumulare, atque venustare dignaretur serena præsentia sui. Qui licet non satis auditis verbis credulus, tamen multimoda prece devictus, se in hoc assensum præbiturum esse non distulit ejus voluntati spondere. Quo ita juxta voti effectum peracto, constituto præsignata dies imminente termino,*

convenit

convenit non modica utriusque ordinis atque sexus multitudo. Quin etiam juxta promissum, Imperatorem non piguit venire, cum Primatum, nobiliumque Curia, domni etiam Papæ Leonis IX non absente præsentia, quorum testimonio certius roboraretur inchoata res summa.

IX. *Francorum Legati ssta hanc inventionem ex occasione adsunt.*

Sub ejusdem igitur temporis articulo; tanto ad id supplendum conglobato populo, duo repente Dei nutu supervenêre nuncii Francorum Regis eximii nomine Henrici, ab eo ad Imperatorem secundum Regum morem pro aliquibus responsis fortè directi, quoniam ipsi duo tunc erant amicissimi. Qui conspecta tanta numerositate populi, nec mora cœperunt cujus rei gratia convenissent sollicite perscrutari. Cognita ergo totius rei serie, alacritateque vultuum simulata, spe præsentis Imperialis obtutibus præsentia, pro quo venerant rationabiliter studuerunt indicare, &c. Cumque eos putaret velle discedere, libera eis abeundi concessa facultate, illi nihilominus dudum tecti rancoris memores, hujusmodi inpræsentiarum dicuntur protulisse rationes, &c. At præsens à te nobis injunctis verbis germanam amicitiam erga nostrum Regem in omnibus te servaturum esse polliceris: sed operum affectus abrenunciando, obsistere aliquantulum, ut putamus, videris. Nam hunc populum, qui congregatur hic sub Edicto per diversa loca invitatus, hujus rei gratia convenisse accepimus, ut pro beato Dionysio Areopagita, nescimus cujus defuncti hominis defossa eleventur ossa, cum aliorum pignoribus Sanctorum sub veneratione amodo colenda. Quod quam absurdum sit credere, aut agere, facile valet perpendi: cui probabilis ingenii, perspicacisque sensus alto acumine, si competenter rei seriem voluerit indagando conjectare, &c.

X. *Petunt ab Imperatore ne hoc negotium præcipitet.*

Quapropter omnino videtur nobis indignum, tibique Regno Francorum inhonestam molestiam inferendi prorsus esse animum, si ad effectum hoc perducere tentaveris; nisi prius amico tuo, videlicet Principi nostro, suaseris, quatenus non omittat perscrutari diligentissimè, utrum præfatus sanctus habeatur proculdubio erga se. Tumque demum si illic esse non audieris, probabilius erit effectum adhibere tuis initiis: quoniam magnum hoc pacto dissidium futurum esse speramus, si aliter egeris. His igitur decentissime prolatis, respondit Imperator, se inde habiturum consilium cum domino Papa, & caterva ducum & optimatum suorum. Quorum responso sententiâ Legatorum probatâ justâ alacriter ab Imperatore remissi sunt ad sua.

XI. *S. Dionysii Reliquiæ in monasterio San-Dionysiano reperta.*

Ingressi denique Galliarum finibus, Regis præsentiæ obtutibus, omnem rem seriatim notificaverunt: redditis prius quas detulerant, legationibus: quo in ejus præsentia taliter intimato, clericalis laicalisque ordinis personas non piguit invitando convocare sub termino diei assignatæ. Eis ergo ex Regalis jussionis decreto pariter congregatis Rex juxta quod eis enarratum fuerat à suis Legatis, non modici mœroris anxietate obfusus replicavit, & quid eis actu dignum inde videbatur, enquisivit. Inter quos etiam Abbas, qui tunc ipsius sancti loco præerat, Hugo nomine, adfuit. Quorum solertis industria consilio est repertum, nullatenus posse tanti erroris avelli morbum, nisi ostensione corporis fieri manifesti fides daretur indicii, &c. Ergo ubi peracta sunt a fratribus jejunia, ceteraque exercitiorum genera, &c. undique convenit multitudo non modica: in qua contigit fuisse Episcopos, Abbates, Monachos, Clericos, nobiles atque ignobiles, & utriusque sexus quamplures. Quorum consortio non defuit victoriosissimi Regis Henrici frater nomine Odo, ab eo directus cum Curialium pluribus, ad diligenter perspiciendum, &c. Reverenter in medio delatum est argenteum scrinium, prisca adhuc subtilitate artificiosissimè munitum. Quo cum magna difficultate reserato in adstantium præsentia, repente pretiosissimi Martyris Dionysii reperiuntur ossa, pallio tantæ vetustatis nimietate consumpto obvoluta, ut inter manus tenentium evanesceret in similitudinem tela aranearum. Referuntur postea nomina personarum, quæ præsentes fuêre, septem nempe Episcoporum, Abbatum septem, Odonis Regis fratris, & quatuor Comitum, diciturque tam Episcopos & Abbates, quàm Proceres multos secum adduxisse.

XII. *Litera Leonis IX à Monachis Ratisponensibus conficta.*

Is quidem Anonymus in fronte sui Operis de hac detectione scribit: *Quæ jussu Henrici I Regis facta est anno ML*; verum is eam Relationem ad confutandam Germanorum vanam de Sancti Dionysii corpore assertionem non scripsit, nisi postquam Ratisponenses literas Leonis IX à Baronio recitatas, quibus corpus Sancti Dionysii eis attribuit, confinxerant. Hinc eæ literæ datæ dicuntur Ratisponæ *anno Domini MLII anno Pontificatûs domini Leonis Papæ IV indict. V, Non. Octob.* quia quo tempore eæ confictæ Pontifices Romani Indictiones à Kalendis Januariis exordiebantur. Eas verò commentitias esse, plura sunt quæ demonstrant, ut eas examinantibus liquebit. Quis enim sibi persuaserit, *Leonem* IX causam tanti momenti Gallis inauditis judicasse, & ex solis Ratisponensium Monachorum responsionibus judicium tulisse. Secundò ait Leo, se se ad preces Legatorum *Henrici* Francorum Regis controversiam dirimere; cùm tamen id postularint, ne Ratisponæ conficeretur, quod in Dionysiano monasterio peractum esse oporteret. Dicit tertiò, causam illam diutissimè ventilatam, licet mirum sit apud omnes illorum temporum Scriptores de illa fabula silentium. Scribit quartò, per *Arnulphum* Imperatorem ossa Sancti *Dionysii* in Sancti Emmerammi monasterium esse translata; cùm antiqui Germaniæ Scriptores dicant tantùm manum Sancti Dionysii Henrico Aucupi datam, ideoque post Arnulphi tempora. Quinto ait Leo, se tam Imperialibus, quàm Papalibus literis instructum, licet illæ nunquam visæ fuerint. Sextò asserit, dextram desideratam esse, quod manifestè affectatum; nec ait totum brachium deesse, quod tamen à *Clodoveo* juniore olim ablatum est, tacetque de Reliquiis Sancti Dionysii, quæ *Pippini* Regis tempore *Stephano* summo Pontifici concessæ fuêre. Plura suppositionis indicia exhibent Carolus Du Bois lib. X Hist. Eccles. Parisiensis cap. V, Natalis Alexander Sec. XI in Vita Leonis IX, præsertimque Dubletius in Historia Monasterii San-Dionysiani.

XIII. *Manichæi quidam anno superiore in Germania detecti.*

Ad num. XIX. Imperator hoc anno non *Goslariæ*, ut Baronius habet, sed *Wormaciæ* Natalem Domini celebravit, ut suprà ostendimus. Hermannus quidem à Baronio laudatus annum MLII his verbis auspicatur: *Imperator Natalem domini Goslariæ egit*; sed cùm annum à Christi Natali exordiatur, ut sæpiùs monuimus, illud Natale secundùm nostrum calculum ad superiorem annum pertinet, ideoque & eodem quidam *Manichæi*, de quibus Hermannus verba facit, à Sancto Leone puniti.

XIV. *Incontinent.*

Hoc anno *XV Kal. Junii anno XXI regnante Henrico*

SÆC. XI. An. C. 1053.

Conjugia Presbyterorum hoc tempore maxima.

Henrico Rege Guillelmus Episcopus Ausonensis cum consensu omnis ordinis Clericalis Ecclesiæ suæ dedit *Ermengando* Ermemiri Canonico ejusdem Ecclesiæ, uxorique ejus ac filiis eorum castrum, quod dicitur *Medalia*, ea conditione, ut ipse & uxor ac filii sub patrocinio ejusdem Episcopi & successorum, idest in feudum, illud tenerent; ac præterea, ut idem castrum reverteretur ad Ecclesiam Ausonensem post mortem Ermengaudi, uxorisque & filiorum ejus. Baluzius, qui lib. 4. Marcæ Hisp. ad hunc Christi annum hanc Donationem memorat, ait tum Canonicos Ausonenses vitæ canonicæ addictos fuisse, nec id ea tempestate in regionibus illis hoc insuetum extitisse ut Canonici uxores ducerent. Narrat enim Franciscus Didacus lib. 2. Hist. Comit. Barcinon. cap 36. *Guislabertum* Canonicum Barcinonensem, qui postea Episcopus fuit, uxorem habuisse & liberos, eamque vixisse eo tempore, quo maritus tenebat Sedem Barcinonensem; additque Didacus, tum vulgò licuisse Canonicis habere uxores. Imò Victor III in initio lib. 3. Dialogorum suorum testatur, eum morbum generalem fuisse: *Cœperunt*, inquit, *ipsi Presbyteri ac Diacones laicorum more uxores ducere, susceptosque filios heredes testamento relinquere.* Adhæc multa extant Epistolæ Ivonis Carnotensis, qui sub finem hujus seculi floruit, in quibus idem legitur. In Epist. CXLIX congratulatur Willelmo Rotumagenti Archiepiscopo, quod matrimonia hujusmodi prohiberet: *Quorum consilio & auxilio*, inquit, *eliminata est de prædicta Ecclesia* (sc. Luxoviensi) *spurcitia puerorum, nova & inaudita Neophytorum heresi cathedram Episcopalem in eadem Ecclesia usurpantium. Quod quamvis ad tempus aliqua rationabili consideratione vel aliqua pusillanimitate sit à vobis toleratum; nunc tamen est inquantum nobis videtur, in melius commutatum. Cum & ipsos flammigeros pueros de prædicta Ecclesia ejici feceritis, & virum strenuum & honestum D. videlicet Willelmum Ebroicensem Archidiaconum, in Pastorem prædictæ Ecclesiæ elegeritis.* Idem Auctor queritur apud Daimbertum Archiep. Senonensem in Epist. CC, quòd Cantor illius Metropoleos sedem sibi indebitam temeraria ambitione occupasset, maximè vero quod quidam de Prælatis Ecclesiæ *publicè sibi duo scorta copulasset, & tertiam pellicem, cui matrimoniales tabulas faciat, jam sibi præparasset.*

XV. *Eorum conjugia in diversis regionibus diu tolerata.*

Centum & amplius ante præsentem annis, cœlibatus neque in pluribus Franciæ & Italiæ partibus, neque in Anglia ac Germania à Sacerdotibus & Episcopis passim observabatur, & in Normannia conjugia Sacerdotum ruri viventium tolerabantur. Imò Robertus Richardi hujus nominis II Normanniæ Comitis frater, Archiepiscopus Rotomagensis, *à carnalibus illecebris non* (*ut Pontificem decuisset*) *abstinuit. Nam conjugem nomine Herlevam ut Comes habuit, ex qua tres filios Ricardum, Radulfum, & Guillelmum genuit: quibus Ebroicensem Comitatum & alios honores amplissimos secundum jus seculi distribuit. In senectute tandem errorum memor suorum pœnituit, & pro reatibus multis magnisque multum timuit*, inquit Ordericus lib. 5. pag. 566. qua de re videndus etiam Gemmeticensis lib. 8. cap. 17. Neque legitur, Pontificem Romanum, nec ullum alium eum ob conjugium illud, quod diu duravit, in jus vocasse, vel *Fulbertum Carnotensem* Præsulem integerrimum Roberto magna necessitudine conjunctum in literis ad eum datis hac de re questum esse. Imò postquam Gregorius VII adversùs Sacerdotes & Episcopos conjugatos varia Decreta emisit, aliqui Prælati sanctitate inclyti Sacerdotum conjugia tolerarunt, ut constat de Lanfranco Cantuariæ Archiepiscopo, qui Canonicos omnes Ecclesiarum Cathedralium Angliæ ab uxoribus separavit, sed qui eas Presbyteris in vicis habitantibus reliquit: *Nullus Canonicus uxorem habeat. Sacerdotum verò in castellis, & in vicis habitantium habentes uxores, non cogantur ut dimittant, nec habentes interdicantur ut habeant*, inquit Lanfrancus in suo Decreto. Denique in Germania Sacerdotes usque ad Lotharium II cum uxoribus cohabitasse, suo loco videbimus.

SÆC. XI. An. C. 1053.

XVI. *Eorum origo à Normannis.*

Porrò anno DCCCCXII, quo Neustria à Francis concessa Normannis hanc Sacerdotum & Præsulum depravationem cœpisse indicat Ordericus lib. 5. ubi ejus originem in Neustria, quæ peculiari Principi parebat, his verbis describit: *In Neustria post adventum Normannorum intantum dissoluta erat castitas clericorum, ut non solum Presbyteri, sed etiam Præsules liberè uterentur toris concubinarum, & palàm superbirent multiplici propagine filiorum ac filiarum. Hujusmodi mos inolevit tempore Neophytorum, qui cum Rollone batizati sunt* (anno nempè CMXII) *& desolatam regionem non literis, sed armis instructi violenter invaserunt. Deinde Presbyteri de stirpe Dacorum* [idest Danorum] *literis tenuiter edocti parochias tenebant, & arma ferentes laicalem feudum militari facultate defendebant.* Contra Sacerdotes & Presbyteros conjugatos ante Gregorium VII Leo IX, Victor II, Stephanus IX, Nicolaus II & Alexander II plurimùm laborarunt, usi præsertim operâ Petri Damiani Viri hac ætate celeberrimi, sed plus omnibus laboravit *Gregorius* VII, ut ex dicendis liquebit.

XVII. *Mors Emmæ Reginæ.*

Anno MLII Alfgiva, idest, Emma Regina quondam & conjux Regum Egelredi & Canuti, secundo nonas Martii Wintoniæ obiit, inquit Hovedenus, quod & in Wigorniensi & in Iogulpho hujus temporis Scriptore legitur.

XVIII. *Nativitas Conradi filii Imp.*

Imperatrix iterum filium, quem Conradum postea vocaverunt, Imperatori peperit, ait Hermannus ad hunc Christi annum.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6546.

☉ 26. C. ☽ 9. P. 11. April. Indict. 6.

JESU CHRISTI 1053.

LEONIS IX PAPÆ 5.

HENRICI III REG. 15. IMP. 8.

CONSTANTINI MONOMACHI IMP. 12.

Anno Eræ Hispan. MXCI. Anno Hegiræ CCCCXLV, inchoato die 13. April. fer. 6.

I. *Gesta anno superiore à S. Leone.*

AD num. I. Hermannus quidem Contractus asserit, *Henricum* Imp. cum Sancto Leone Natalem Domini Wormaciæ egisse, ac per concambium Imperatorem Bambergam & alia nonnulla loca, Pontificem verò Beneventum accepisse, sed cùm Hermannus annum à Natali Domini exordiatur, gesta hæc anno superiori, ut ibidem num. IV exposuimus.

II. *Reditus S. Leonis in Italiam.*

A num. II ad IV. Hoc anno Sanctus Leo Germaniam reliquit, postquàm obtinuit ab Imperatore

Imperatore auxilia adversùs Normannos jura omnia confundentes, nec sibi, nec ipsi Imperatori nisi tantùm verbotenus cedentes, ut narrat Baronius ex Hermanno Contracto ad hunc Christi annum. Subjungit Hermannus: *Transiens per Alemanniam Purificationem beatæ Mariæ Augustæ egit, Mantuæque Quinquagesima acta & nonnullis suorum orto inibi tumultu occisis, infra dies Quadragesima Romam pervenit.* Tumultum illum magis explicat Wibertus in Vita Sancti Leonis lib.2. cap. 4. *Repedans in Italiam,* inquit, *Concilium apud Mantuam habendum constituit. Quod factio quorumdam Pontificum severitatem ejus justi judicii timentium, perturbavit. Nam familia eorum fautrices scelorum, subitaneum contra domni Apostolici familiam moverunt tumultum, securè adstantem ante Basilicam, in qua publicum habebatur Concilium; ita ut vir sanctus cogeretur à medio consessu surgere & ante portam ad sedandum strepitum procedere. Cujus præsentiam non reveriti Deo odibiles, eò magis magisque in nequitia pertinaces, nitebantur ad eum exarmatos confugientes ante oculos ipsius confodere, & a valvis Ecclesiæ, ut ibi tutarentur, repellere: ita ut impetus sagittarum & saxorum circa ejusdem sancti aures & ora volitaret; atque quosdam ejus veste defendi cupientes vulneraret. Qui tumultus admodum difficulter sedatus, cœptum rigorem Concilii imperfectum coegit relinqui. Sed in crastinum cuncti hujus seditionis incentores severa examinatione damnandi, à pissimo Patre sunt misericordi indulgentia absoluti, ne videretur causa ultionis aspernatem in eos exercere judicii.* Cossartius Tom. IX Concil. hanc Mantuanam Synodum ex Wiberto citato cum superiori Christi anno perperàm copulat. Certum enim Wibertum ibi de accessu Leonis IX ad urbem Mantuanam ab Hermanno memorato verba facere. Quare in alia Conciliorum editione Concilium illud suo anno reddendum erit.

III. *Dum Mantuæ esset, tumultuatum.*

Henschenius in Comment. prævio ad Vitam Sancti Leonis num. XXIII, ubi hoc Concilium cum præsenti anno rectè connectit, notat ex Hyppolito Donesmundi, qui hujus seculi initio Historiam Mantuanam scripsit, lib. 3. pag. 203. Sanctum Leonem anno MLIII sacrum Christi cruorem, qui ibidem asservari dicitur, coram adoraturum advenisse, frustraque conatum impertare Romam auferendum, populi pro eo retinendo in seditionem versi collaudasse zelum, & novam sancti Andreæ Ecclesiam, in qua dicit Hippolytus Donesmundi anno MXLIX factum illum sanguinem inventum esse, licet non plenè absolutam dedicasse, ac modica pretiosi thesauri particula reverenter excepta (quæ nunc in Sancti Joannis Lateranensis Ecclesia servatur) reliquum cum *Sancti Longini* corpore in præparatum ad id locum reposuisse: quod deinde ne aliqua Barbarorum incursione auferri contingeret, Episcopus *Conon* anno MLV rursùm sub terra abdi jusserit, intra fornices, marmoreumque altare hunc in finem præparatum. Ait autem Hippolitus Donesmuodi se hæc hausisse ex Historia MS. oculati restis, & rebus omnibus cùm gererentur præsentis. Duplex itaque Mantuæ, dum ibi Sanctus Leo esset, seditio excitata.

IV. *Synodus Romana IV sub Leone IX.*

Ad num. IV. Hermannus Contractus narrato Sancti Leonis Romam accessu, ait: *Dominus Papa habita post Pascha Synodo, contra Normannos, ut proposuerat, exercitum movit.* Baronius cum Sigeberto in Chronico ad hanc Synodum Canonizationem Sancti Gerardi Episc. Tullensis refert. Verùm Sigebertum hac in re falli, eamque Canonizationem anno ML in alia Synodo Romana peractam, eo anno ostendimus. Secundò, Baronius ait, in hac Synodo Romana difinitam esse controversiam inter Forojuliensem & Aquileiensem Antistites, sed ea de re ipsemet jam egerat anno ML, ut ibidem vidimus. Quare quæ ibi de ea diximus, ad hunc annum revocanda. Ad hanc etiam Synodum referenda quæ mox dicemus de hæresi *Fermentaceorum* hoc tempore exorta, propter quam Concilium illud collectum Henschenius citatus verosimiliter arbitratur.

V. *Bellum Normannicum S. Leonis infaustum.*

A num. V ad X. Marianus Scotus ad annum MLIII scribit: *Leo Papa exercitum ducens per Apuliam contra Normannos, infinita utrobique cæde peracta, sine victoria redit,* anno scilicet sequenti. Id autem hoc anno contigisse testatur etiam Hermannus Contractus, Lambertus Schafnaburgensis & Chronographus Hildensheimensis. Quare errat Leo Ostiensis à Baronio num. VIII citatus & emendatus, qui lib.2.cap.88. prælium hoc anno *XIV Kalend. Julii*, seu die XVIII mensis Junii Pontificios inter & Normannos habitum in annum sequentem differt, qui error Librariis non attribuendus, ut constabit ex dicendis anno sequenti num. I. Wibertus laudatus cap.6. hæc tantùm de illa expeditione habet: *Pissimus Pastor solicitus pro ovibus sibi à Deo creditis, ac clementi condolens affectu inaudita afflictioni Apuliæ gentis; collecto aliquanto comitatu, rursùm movit iter versùs Beneventum, nisus omnimodis Normannorum sævissimum mitigare impetum. Non est nostrum lacrymosis expendere verbis quid sibi in hoc itinere contigerit: dum ipse brevi scripto Imperatori Constantinopolitano cuncta intimaverit. Ait enim inter alia.*

VI. *Crimina Normannorum Apuliæ.*

Illa sollicitudine, qua omnibus Ecclesiis debeo invigilare, videns indisciplinatam & alienam gentem Normannorum, crudeli & inaudita rabie, & plusquam pagana impietate adversus Ecclesias Dei insurgere, passim Christianos trucidare, & nonnullos novis atque horribilibus tormentis usque ad defectionem animæ affligere: nec infantis nec fœmineæ fragilitati aliquo humanitatis respectu parcere, nec inter sanctum & profanum aliquam distantiam habere; Sanctorum Basilicas spoliare, incendere, & ad solum usque diruere; sæpissimè perversitatem ejus redargui, commonui, obsecravi, prædicavi, opportunè importunèque institi, terrerem divina & humana vindicta denunciavi. Sed quia sicut quidam Sapiens ait; Nemo potest corrigere, quem Deus despexerit, &, Stultus verbis non corrigitur; adeo obstinata & obdurata ejus malitia permansit, ut de die in diem adderet pejora pessimis. Unde non tantum exteriora bona pro liberatione ovium Christi cupiens impendere, sed super impendi ipseque optans, visum est mihi ad testimonium nequitia ipsorum nihil sic expedire ad repletionem contumacia, quàm humanam defensionem undecumque attrahendam fore: audiens ab Apostolo, Principes non sine causa gladium portare, sed ministros Dei esse, vindices in ira omni operanti malum; & quia Principes non sunt timeri bonis operis sed mali, & Reges atque Principes missos à Deo ad vindictam malefactorum.

SÆC. XI. An. C. 1053.

VII. *Ab illis comitatus S. Leonis malè habitus.*

Suffultus ergo comitatu, qualem semper s breviitas, & imminens nec ssitas permisit, gloriosi Ducis & Magistri Argyrei, fidelissimi tui, colloquium & consilium expetendum cen ui; non ut cujusque Normannorum seu aliquorum hominum interitum optarem aut mortem tractarem, sed ut saltem humano terrore resipiscerent, qui divina judicia minimè formi lant. Interea nobis eorum pertinaciam salutari admonitione frangere tentantibus, & illis ex adverso omnem subjectionem ficte pollicentibus, repentino impetu comitatum nostrum aggrediuntur, sed & adhuc de victoria sua potius tristantur quàm lætantur. Sicut enim tua Pietas scribere curavit ad nostram consolationem, pro ista sua præsumptione majorem in proximo expectant sibi superventuram indignationem, & post illam, quam experti sunt, sua catervæ diminutionem. Nos quoque divinum nobis adjutorium affore, & humanum non defore confidentes, ab hac nostra intentione liberandæ Christianitatis non deficiemus, nec dabimus requiem temporibus nostris, nisi cum requie Sanctæ Ecclesiæ periclitantis. Et hæc quidem Dominus Apostolicus. Integram Epistolam Baronius anno sequenti num. II & seqq. refert. Pergit Wibertus,

VIII. *S. Leo Beneventum à Normannis deductus.*

Itaque pessima gens Normannorum, peracta cæde familiæ mitissimi Papæ, non sine magno detrimento suorum aggreditur oppidum Civitatulam cognominatum, ubi idem Beatus, ignarus eorum quæ acta erant, tardantem suum expectabat comitatum. Qui cùm imminentes hostes cerneret, & quid suis contigisset, intelligeret, cum ea quæ sibi remanserat Clericorum frequentia, cœptum iter versùs Beneventum arripuit, & cunctis hostibus attonitis, quasi Leo confidens absque terrore, per medium illorum transiit. Ergo tam admirandam perpendentes confidentiam, mutatis animis in ejus sunt conversi obsequelam: cujus osculantes vestigia, sibi immeritam deposcebant indulgentiam. Quibus vir sanctus pauca locutus pro tempore, ipsis deservientibus studuit funera cæsorum honorificè procurare, tumulans ea in vicina Ecclesia, ab antiquo dirata tempore. Et quoniam pro amore Christi afflictæque gentis liberatione devotam mortem voluerunt subire, multiplicibus revelationibus monstravit eos divina gratia in cœlesti regno perenniter gaudere: Nam & ipsi diversis modis se se ostenderunt Christi fidelibus, dicentes so non esse lugendos exequiis funebribus, imò in superna gloria sanctis conjunctos Martyribus. Ab eisdem quoque illorum interfectoribus super ipsos restructa venusto opere Basilicâ, ac concione Deo servientium ibidem congregata, omnipotentissima Dei virtus multa per eos exercet miraculorum insignia. Ferocissima verò gens Normannorum his exterrita gestis, crudelitate deposita, populos quibus cohabitabat extunc ut compatriotas amicabiliùs tractavit, ac venerabili Papæ quoad vixit in omni subjectione fideliter deservivit. Eximius autem Pastor Beneventum veniens, ipsis Normannis etiam injussis per totum iter obsequaliter illum comitantibus, non modico illic anni spatio est commoratus, ad diem scilicet XII mensis Martii sequentis Christi anni.

IX. *Græcorum fraus ut Normannos ex Apulia pellant.*

Guillelmus tamen Apuliensis lib. 2. asserit *Constantinum Monomachum* Imp. mandasse *Argiroo* Apuliæ Præfecto, ut Normannos ad suas partes pertrahere conaretur, & *Argiroum*, cùm res è sententia non succederet, Pontificem adversùs illos sollicitasse. Sed audiendus Apuliensis:

SÆC. XI. An. C. 1053.

Imperii Rector scrutatur præmemoratus
Argiroum, Gallos depellere qualiter oris
Italiæ valeat, neque ut jam posse fugari
Comperit, ergo alios molitus adire paratus
Consilii; quia quos fortes ad arma, nec armis
Vincendos novit, promissis fallere sperat.
Audit enim, quia gens semper Normanica prona
Est ad avaritiam, plus, qui plus præbet, amatur.
Tradit Argiroo portanda pecunia multa,
Argenti multum, pretiosaque vestis, & aurum;
Ut sic Normanni fallantur, & egredientes
Finibus Hesperiæ, properè mare transgrediantur,
Magna sub imperii famulamine promerituri.
Imperat hic etiam, quod si transire negarent,
Hac aliis, illis quæ danda fuère, darentur,
Opprimeret quorum gravis infestatio Gallos.
Paruit Argiroüs loca transit ad Appula, jussus,
Francorum Comites vocat, & se magna datarum
Munera promittit, si transgrediantur ad Argos,
Dimisso Latio, grave qui certamen habebant
Cum Persis, & eos jurans promittit ab illo,
Qui regit imperium, gratanter suscipiendos,
Et magnis opibus ditandos afferre spondit.
Callida Græcorum promissio, calliditatem
Non latuit gentis Latium superare volentis.
Et dum Graios loca se non Appulia dicunt,
Dum conquirantur, nisi fortè potentior illis
Turba superveniens depellat, & opprimat illos.
Vir Leo mirificus hac tempestate regebat
Romanam sedem, tanti gens Appula Papæ
Audit ut adventum varias deferre querellas
Cœpit, & accusat diverso crimine Gallos.
Veris commiscens fallacia nuncia mittit
Argiroüs Papæ, precibusque frequentibus illum
Obsecrat, Italiam quod libertate carentem
Liberet, ac populum discedere cogat iniquum:
Cujus pressa jugo pessumdatur Appula tellus.

X. *Quo anno Itali à Normannis devicti?*

Narrat postea Apuliensis prælium inter Italos à quibus Teutonici stabant, & Normannos commissum, additque, de Italis & Teutonicis nec unum superfuisse, omnes deinde Apuliæ urbes *Hunfredo* Comiti, aut se dedidisse, aut vectigalia solvisse, huncque *Robertum Guiscardum* fratrem in Calabriam misisse, qui eam paulatim sequentibus annis totam suæ ditioni subdidit. De hoc prælio Lupus Protospata in Chron. habet: *An. MLIII in feria sexta, mense Junii* (die nempè XVIII ejusdem mensis, in quem feria VI incidit) *Normanni fecerunt bellum cum Alemannis, quos Papa Leo adduxerat, & vicerunt; & fuit hoc anno magna fames in Italia.* Denique Anonymus Barensis sermone barbaro de eodem scribit: *& Argiro ibit* (loco, ivit) *in Siponto per mare. Deinde Umfreda* (Comes Normannorum) *& Petrone cum exercitu Normannorum super eum, & fecerunt bellum & ceciderunt de Longobardi ibidem. Ipse Argiro semivivus exiliut plagatus, & ibit in civitate Vesti. Et venit ipse Leo Papa cum Alemanni, & fecit prælium in Civitate* (nomen proprium est). *Comprehenserunt illum, & portaverunt Benebento* (idest, Beneventum), *tamen cum honoribus.* Verùm hæc malè in eo Chronico cum anno MLII *& ind. V* junguntur, & copulari debent cum illis, quæ idem Chronographus ad annum MLIII indict. VI refert: *Argiro direxit ipso Episcopus Tranense Constantinopolim Messatico.* Argirus enim statim à clade accepta Constantinopolim nuncium mittere debuit, ut promptum

obtineret

SÆC. XI. An. C. 1053.

obtineret auxilium. Peregrinius in Notis, Anonymum Barensem & Malaterram in eodem errore versantem frustra ad bonum sensum reducere conatur; certum enim utrumque in Chronologiam peccasse.

XI. *Ecclesia Græca à Latina nondum divisa.*

Ad num. XVIII ad XXII. *Petrus* Patriarcha *Antiochenus* ipso suæ creationis initio misit Epistolam ad Sanctum Leonem unà cum fidei suæ Professione, quam cùm probasset Pontifex, reddidit ad eumdem literas à Baronio hìc relatas, quibus ejus electionem ea conditione admisit, si eam Sedem aut Neophytus, aut Curialis, aut digamus, vel pretio, vel aliquo alio modo sacris Canonibus contrario non obtinuisset. Porrò non solùm Ecclesiam Antiochenam, sed & Alexandrinam atque Hierosolymitanam, retinuisse hoc tempore Romanæ Ecclesiæ communionem, nomenque Romani Pontificis in Dyptychis, in Ecclesia, recitasse, satis constat ex Epistola *Michaelis Cerularii* Patriarchæ CP. ad eumdem Petrum data; dum ea de causa de eisdem Patriarchis conquestus est. Imò *Constantinus Monomachus* Imp. reliquique Byzantini Proceres & multitudo, summum tum temporis Romano Pontifici honorem deferebant, unum si Cerularium, & alios non adeò multos excipias, ut habetur in ejusdem Cerularii excommunicatione ab Humberto & aliis Apocrisariis publicata; quam in suo Edicto inseruit idem Cerularius, dicens: *Nam quod pertinet ad columnas imperii, virosque ab iisdem cohonestatos, & cives sapientes, maximè omnium Christiana & orthodoxa Urbs est.* Tempore itaque Constantini Monomachi, non tantùm in reliquis Patriarchatibus Orientis, sed & in Constantinopolitana ipsa civitate, pietas Catholica in tuto erat, quam novis machinis & dolis *Cerularius* homo impiissimus movere ausus est.

XII. *Gesta inter Latinos & Græcos.*

A num. XXII ad XLI. Wibertus in Vita Sancti Leonis lib. 2. cap. 5. gesta hoc & sequenti anno Latinos inter & Græcos his verbis recitat, quibus quæ Baronius hoc & sequenti anno de eadem controversia narrat, lucem & robur accipiunt: *Ea tempestate orta est hæresis Fermentaceorum, quæ calumniatur sanctam Romanam sedem, imò omnem Latinam & Occidentalem Ecclesiam de azymis vivificum Deo offerre sacrificium. Quam calumniam etiam scripto ediderunt Episcopi Michael Constantinopolitanus, & Leo Achridanus* (erat Achris seu Achrida Metropolis tunc Serviæ & Bulgariæ); *pervicaciter exhalantes pestiferas mephites adversùs sanctam & Apostolicam fidem. Hæc quidem calumnia græco sermone edita, & Joanni Tranensi Episcopo* (in Apulia sc. Peucetia, qui cum Græcis colludens, à Nicolao II anno MLIX depositus est) *in sugillationem omnium Latinorum directa, cùm fuisset Trani exhibita fratri Humberto sanctæ Ecclesiæ Sylvæ Candidæ Episcopo in Latinum est translata ejus studio, atque delata domno Papæ Leoni IX. Itaque gloriosus Apostolicus libellum composuit luculentissimum adversùs jam dictas præsumtiones & nimias vanitates eorum, conatus eos ad viam veritatis adducere: sed postmodum in correctos Ecclesiastico damnavit anathemate. Prædictus etiam frater Humbertus edidit contra eorum putida scripta responsionem instar dialogi, ab ipso Latinè scriptam Apocrisariatùs sui tempore Constantinopoli: & jussu Imperatoris religiosi & orthodoxi Constantini Monomachi græcè editam, sub nominibus Constantinopolitani & Romani, anno Domini MLIV* (hic dialogus refertur à Baronio in Appendice ad Tomum XI.).

XIII. *Anno sequenti concinnata.*

Domnus quoque Fridericus tunc Cancellarius, post à Deo electus Romanæ sedis Apostolicus (dictus in Pontificatu Stephanus IX) *invectivè respondit quibusdam objectionibus, quas ediderat Nicetas Monachus Constantinopolitanus, qui & Pectoratus, contra Latinam Ecclesiam: quem libellum titulaverat, de Azymo, de Sabbato, & de nuptiis Sacerdotum. Quæ invectio de Latina translata & publicè coram ipso Imperatore est recitata, idemque Niceta coactus est damnare & comburere sua scripta: habita disputatione apud monasterium Studii in urbe Constantinopolitana. Siquidem gloriosus Apostolicus direxerat Constantinopolim Sanctæ Romanæ Sedis Apocrisarios, præfatum scilicet Humbertum & Petrum Amalfitanorum Archiepiscopum* (sc. in Picentinis, nunc Principatu citeriore), *Fridericum quoque tunc Diaconum & Cancellarium. A quibus Niceta, accipiens perfectam propositionum suarum solutionem, ultrò sponte anathematizavit omnia dicta & facta vel tentata adversùs primam & Apostolicam Sedem, sicque ab eis in communionem receptus, effectus est eorum familiaris amicus. Michaele autem Constantinopolitano Episcopo præsentiam illorum & colloquium devitante, atque in stultitia sua perseverante, præfati nuncii domni Apostolici adierunt Ecclesiam Sanctæ Sophiæ; & super ejus obstinatione conquesti, Clero ex more ad Missas præparato, jam hora tertia die sabbato chartam excommunicationis sub principale altare deposuerunt sub oculis præsentis Cleri & populi. Inde mox egressi etiam pulverem pedum suorum excussère in testimonium illis, juxta dictum [E]vangelii, proclamantes, videat Deus & judicet. Hinc ordinatis Ecclesiis Latinorum intra ipsam Constantinopolim, & anathematizatis cunctis, qui deinceps communicarent ex manu Græci, Romanum sacrificium vituperantis, accepta orthodoxi Imperatoris licentia, in osculo pacis cum donis Imperialibus sancto Petro sibique collatis, alacres sunt reversi. Itaque Imperator adversùs Michaelem commotus, quod ad Concilium in sui præsentia & Nunciorum domni Apostolici venire detrectaverit, imò seditionem vulgi contra eum incitaverit; amicos & affines ipsius honoribus privatos à Palatio eliminavit, contraque ipsum usque in finem graves iras retinuit.*

XIV. *Ecclesia Africana ad finem vergit.*

A num. XLI ad XLV. Ecclesia Africana paulatim ad finem vergebat, Nam Sanctus Leo in Epist. IV ad Petrum & Joannem illarum partium Episcopos data, scribit: *Decus Ecclesiarum Africanarum ita conculcatum à gentibus nimium dolemus, ut modo vix quinque inveniantur Episcopi, ubi olim ducenti quinque solebant per Concilia plenaria computari: & ibi pauculas oves, quotidiana occisione deputatas, remansisse, ubi quondam innumerabilis grex domini sub numerosis arietibus exultabat alta pace.* Licet autem ad exiguum illum numerum Ecclesia Africana redacta esset, *Gummitanus* tamen Episcopus sine consensu Metropolitani Carthaginensis Episcopos ordinare, & Concilia Provincialia indicere præsumebat. Huic obsistebant *Petrus & Joannes* Episcopi mox memorati, qui cùm hac de re ad Sanctum Leonem scripsissent, ab eo laudati sunt: *quia*, inquit, *sine dubio post Romanum Pontificem primus Archiepiscopus &*

totius Africæ maximus Metropolitanus est Carthaginensis Episcopus nec pro aliquo Episcopo in tota Africa potest perdere Privilegium semel susceptum à sancta Romana & Apostolica sede : sed obtinebit illud usque in finem seculi, & donec in ea invocabitur nomen Domini nostri Jesu Christi, sive deserta jaceat Carthago, sive resurgat gloriosa aliquando. Quibus verbis Sanctus Pontifex indicat, nobilem illam civitatem tunc sub ruderibus jacuisse. Quare non mirum, si in Notitia Patriarchatuum per *Nilum Doxopatrium* edita non compareant Episcopatus provinciarum Byzacenæ & Mauritaniæ ; cùm illi ferè omnes jam extirpati essent, ut patet ex memorata Sancti Leonis Epistola. De Ecclesia Africana rursùs annis MLXXIII & MLXXVI agemus. Hanc Epistolam hoc anno datam, patet ex Epistola III ad Thomam Episcopum Africanum scripta, in qua Sanctus Leo mentionem facit literarum ad se à Petro & Joanne Episcopis pariter Africanis datarum, in cujus fine legitur : *Datum XVI Kalendas Januarii, anno domini Leonis Papæ IX quinto, indictione VII*, Kalendis Septembris hujus Christi anni inchoata.

XV. *Translatio S. Isidori Episc. Hispalensis.*

Ad num. XLVII. In Actis Sanctorum Bollandianis ad diem IV Aprilis recitatur Historia Translationis *Sancti Isidori Episcopi* Hispalensis ex ea urbe ad Legionensem, ex Auctore Anonymo, sed, ut videtur, antiquo, in qua cap. 3. legitur : *facta est Translatio Erâ millesimâ centesimâ primâ, anno ab Incarnat. D. N. Jesu Christi millesimo sexagesimo tertio, indictione prima, concurrente tertio.* Ferdinandus Legionensis Rex cognomento Magnus congregato exercitu, in Bœticam & Lusitaniam provincias hostiliter profectus est. Depopulatis autem Barbarorum agris, ac plerisque villis incensis, eidem Benaber Rex Hispalensis Mahumetanus occurrit *cum magnis muneribus, eum per amicitiam & Regni decus obsecrans ne ipsum regnumque suum persequi velit, sed ipsum, sicut ceteros Hispaniæ Reges, subjectum tributarium habere dignetur.* Suggestum est Ferdinando à viris prudentibus, ut Barbarum reciperet cum muneribus & corpus B. Justæ Martyris, quæ olim Hispali cum corona virginitatis & martyrii ad Christum perrexit, expeteret, ad Legionensem urbem transferendum. Rex Paganus consilio cum suis habito Legatis à Ferdinando missis respondit, se huic hac in re satisfacere non posse, sed ipsimet quærerent corpus illud, & inventum tollerent. *Albitus* Episcopus Hispalensis unus ex Legatis jussus est à Sancto Isidoro sibi apparenti, ut corpus Sanctæ Virginis *Justa* relinqueret ad solatium civitatis, suumque deferret. Non multò pòst *Albito* demortuo alii Legati accepêre Corpus *Sancti Isidori*, illudque *Legionem* detulêre, ubi à *Ferdinando*, & tota domo Regia, Episcopis & Clero magna veneratione exceptum fuit, plurimaque tunc ab eodem Sancto patrata miracula.

XVI. *Hujus Translationis epocha magis confirmata.*

Sandovalius è Latino in linguam Hispanam vertit Relationem hujus Translationis ab Auctore Anonymo penè coævo, sed barbaro scriptam. Pelagius verò Overensis hanc in rem habet : *Iste transtulit corpus Sancti Isidori Episcopi ab Hispali Metropoli in Legionem per manus Pontificum Aloyti Legionensis, & Ordonii Astoniensis.* Sandovallius addit, Translationem juxta antiquam illam Historiam peractam esse anno Christi millesimo sexagesimo tertio, *indictione I, concurrente III.* Refert etiam Diploma *Ferdinandi Magni* de eadem Translatione datum, & à se in linguam Hispanam conversum, subjungitque eam die Dominica ac Festo Sancti Thomæ die XXI mensis Decembris celebrari solito factam ; qui characteres annum MLXIII certò designant. Asserit prætetea postridie, nempe die XXII Decemb. solempne festum hanc in rem celebratum, quod imposterum eadem die singulis annis renovaretur, quòd dies XXI ejusdem mensis Divo Thomæ sacer sit. Cæremoniæ interfuêre & subscripsêre instrumento publico *Ferdinandus* M. Rex, *Sanctia* ejus uxor, *Urraca* filia, *Sanctius* filius, *Elvira* filia, *Alphonsus* filius, aliique Viri illustres memorati in illo instrumento.

XVII. *Henricus Henrici Imp. filius fit Rex.*

Imperator Henricus magno apud Tribuariam Conventu habito, filium æquivocum Regem à cunctis eligi, eique post obitum suum si rector justus futurus esset, subjectionem promitti fecit, inquit Hermannus Contractus, qui paulò pòst subdit, eumdem Imperatorem in Baioariam venientem, Ducatum ejusdem provinciæ Henrico filio tradidisse. Guichenonus in Bibliotheca Sebus. Cent. 2. cap. 76. refert Donationem Henrici Regis, in cujus fine habetur : *Data Kalend. April. anno Dom. Incarnat. MLXV indict. III, anno autem ordinationis Henrici IV Regis XII, Regni verò VIIII. Actum Wormatia.* Quare post Kalendas Aprilis *Henricus* Rex nuncupatus duplici epocha ante Imperium adeptum annos suos notavit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6547.

☉ 27. B. ☽ 10. P. 3. April. Indict. 7.

JESU CHRISTI 1054.

LEONIS IX PAPÆ 6.

HENRICI III REG. 16. IMP. 9.

THEODORÆ PORPH. 1.

Anno Eræ Hispan. MXCII. Anno Hegiræ CCCCXLVI, inchoato die 11. April. fer. 3.

I. *Controversia inter Ecclesiam Latinam & Græcam.*

AD Num. I ad XLVI. Leo Papa Legatos Constantinopolim misit pro Ecclesiastica pace Latinos inter & Græcos concilianda. Leo Ostiensis lib. 2. cap. 89. narrato bello adversùs *Normannos* gesto, quod perperàm conjungit cum anno currenti, subdit, *eodem anno* Pontificem Legatos illos ad Constantinum Monomachum misisse. Sed cùm bellum illud anno superiori confectum sit, & Legatio illa pertineat ad præsentis initium ; (literæ enim ad eumdem Constantinum Monomachum missæ dicuntur *Dat. mense Januario, indictione septima*) apparet, non Librariorum, sed ipsiusmet Leonis Ostiensis errore *bellum* Normannicum anno MLIV gestum dici ; cùm eo Christi Legationem Constantinopolitanam rectè conjungat, quàm malè collocat eo quo bellum Normannicum contigit anno. Hæc Legatio, ceteraque hac in causa gesta anno superiori verbis Wiberti in Vita Sancti Leonis à nobis exposita. Literæ apud Baronium legendæ. Legati ab Imperatore honorificentissimè suscepti ; *Michael* verò *Cerularius* Patriarcha & sequaces excommunicati. Post Legatorum discessum *Cerularius* Papæ nomen è Diptychis delevit, & datis mendaciorum & calumniarum plenis literis

ris ad alios Patriarchas, eos à communione Romanæ Ecclesiæ divellere conatus est. Petrus Antiochenus rescripsit, & multas illius objectiones, tanquam leves, futilesque redarguit, ita tamen ut in aliquibus etiam Latinos carpat. Quid alii duo egerint, incompertum. Præcipua discordiæ causa, fuit Azymorum ritus in Divinis mysteriis, quasi illis contra Divinam institutionem Ecclesia Romana uteretur, & in eo judaizaret.

II. *Michaël Psellus inter Schismaticos numerandus.*

Allatius lib. 2. de *Consensione Ecclesiæ Occident. & Orient.* cap. 9. ait, hoc tempore floruisse *Michaelem Psellum*, huncque in Romanam Ecclesiam invectum, Spiritum Sanctum à solo Patre affirmasse, tradere Josephum Methonensem Episcopum in Epistola Marci Ephesii. Tum subdit Allatius, verum esse id *Psellum* affirmasse, quasi aliud agentem, in capitibus Theologicis ad Michaëlem Imp. at peculiari Tractatu id egisse, incompertum sibi esse, licet plura ejusdem evolverit, & anxiùs id idem perquisiverit. Verùm Combefisius varia Opuscula à Psello composita ante mortem prælo parata habuit quæ ipsemet legi, ex quibus certò constat eum schismati promovendo omnem operam posuisse. Psellus in una ad Synodum oratione in causa depositionis Michaëlis Cerularii, hunc hæreseos insimulat; in alia verò eum plurimum laudat. Prioris meminit Zonaras in Isaaco Comneno, qui Cerularium relegavit. *Deinde de abrogando illi Patriarchatu cogitans*, inquit Zonaras, *opera quorundam primariorum Sacerdotum utitur, & Pselli variarum & absurdarum criminationum coacervatoris, quas in Oratione contra illum scripta congessit.* Legenda apud Baronium num. XIX & seqq. *Brevis & succincta commemoratio eorum, quæ gesserunt Apocrisarii S. Rom. & Apost. S. in Regia urbe, & qualiter anathematizaverunt Michaelem cum sequacibus suis.*

III. *Moritur Leo IX PP.*

A num. XLVI ad LVII. Wibertus lib. 2. Vitæ Sancti Leonis cap. 7. hujus Sancti Pontificis mortem his verbis refert: *Interea evoluto anni orbe instabat ejus ordinationis dies anniversarius* (sc. dies XII Februarii) *in quo solito devotiùs quotannis Christo piis insistebat precibus. Quamvis itaque langoris invalescent molestiis, fatigati divinis operibus corporis jam debilitaret præcordia: Spiritu Sancto tamen roboratus, à quo totus ejus vitæ dirigebatur cursus, cum Apostolica dignitatis honore eo die Missarum solemnia persolvens, Beneventanos, cum quibus tunc morabatur, gratifica affabilitatis exilaravit lætitia,* &c. *Certificatus autem de sua vocationis termino, Romam se ferri fecit lectica vehiculo* die nempe Martii XII, ut habet Leo Ostiensis lib. 2. cap. 88.). *In quo itinere sic eum conciliavit divinitas, non solum suis, verum etiam his qui nuper fuerant inimici, ut copiosa manus Normannorum, quos suprà retulimus diu cum hoc viro habuisse dissidium, totius animi sincerissima devotione se invicem prævenirent ad ejus obsequium.* Tum narrata ejus morte in Lateranensi Palatio, subdit: *Exemptus est autem hic Vir magnificus ab hujus vitæ langoribus, ætate quinquagenarius, anno Incarnat. Dominica millesimo quinquagesimo quarto, Leucorum Episcopatus vicesimo octavo, Apostolatûs autem sexto: siquidem Romæ sedit annis quinque, adjectis duobus mensibus, & novem diebus.* Verum loco, *novem diebus* legendum, *septem diebus*, *ut mox ostendam.*

IV. *Pro conversione Theophylacti Deo preces fundit.*

Auctor Anonymus Historiæ *mortis & miraculorum* ejus, testis oculatus, ab Henschenio ad diem XIX April. cum Vita Sancti Leonis publicatus annum & diem ejus mortis his verbis narrat: *Anno millesimo quinquagesimo quarto D.N. Jesu Christi, indictione VII, decima tertia Kalendas Maias, depositione exultemus B. Patris nostri Leonis Papæ IX*, aitque pridie quàm spiritum Deo redderet, in Ecclesia eo jubente portatum, varias preces fudisse, maximè pro statu Ecclesiæ, pro pace regionum, in quibus fuit, & pro conversione Simoniacorum: *Oravit secretè quasi unius horæ spatio: & post elevans vocem, leniter dixit: Magne Deus, humani generis Redemptor, qui per Apostolos tuos Petrum & Paulum Simonis perfidiam de alto* (*cadere*) *præcepisti invocato tuo nomine: sicut eos exaudire dignatus est, ita exaudire dignare me servum tuum, & ad te converte Theophylactum & Gregorium & Petrum* (quorum duorum operâ Theophylactum usum fuisse oportet) *qui in toto pene mundo Simoniacam hæresim solidaverunt: & ita fac eos agnoscere viam veritatis, ut derelinquant errorem suum, & ad te, mitissime Domine, revertantur. Tu enim promisisti dicens, Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat: revoca illos ab errore, qui convertisti Paulum persecutorem; converte illos, ut te verum Deum cognoscant Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, & omnes circumadstantes responderunt, Amen.*

V. *Annos Sedis ab inthronizatione sua numeravit.*

Leo consecratus est Pontifex Romanus die secunda mensis Februarii anni MXLIX, dieque duodecima ejusdem mensis inthronizatus, ut suo loco ostendimus. Quare anni V, menses II, & dies VII, quibus sedisse dicitur, non à die consecrationis, ut hactenus factum fuerat, sed à die inthronizationis ejus deducti, & Wibertus diem ejus emortualem excludit. Hunc autem scripsisse *dies septem*, non verò *dies novem*, ut in vulgatis ejus editionibus legitur, quatuor ex nostris Catalogis demonstrant, & hac de re inthronizationis Sancti Leonis dies nos dubitare non patitur. Ante Leonem IX nullum exemplum occurrit, ex quo inferri possit Pontifices Romanos Sedis suæ annos à die inthronizationis deduxisse. Ex proximioribus ejus successoribus aliqui hunc morem imitati sunt, alii verò ab ipsa Electionis suæ die tempora sua dinumerarunt; quæ numerandi ratio sequentis seculi initio prævaluit, ut infrà videbimus.

VI. *Era Incarnationis usus est.*

Mabillonius lib. II de Re Diplom. cap. XXV observat, *Leonem* IX annos Incarnationis statim ab ipso Pontificatûs sui exordio, non tamen semper usurpasse; quem ritum, qui post Leonem sedêre, Victor II, Stephanus IX, Nicolaus II, Gregorius VII, Alexander I, & Victor III etiam servarunt, licet non semper, ut ex eorum Rescriptis liquet. Ex quibus rectè infert Mabillonius annos Incarnationis literis Romanorum Pontificum appositos fuisse longè ante *Eugenium* IV, qui seculo XV floruit. Eugenius tamen primus fuit, qui usum illum antea intermissum, non solùm in integrum restituit; sed etiam ad successores transmisit, qui non aliquando, ut antea alii Pontifices Romani, verùm ferè semper in suis Rescriptis eam notam temporariam adhibuêre. Quare ex omni parte verum non est quod scribit Paulus Episcopus Forosemproniensis initio seculi XVI lib. 13. suæ Paulinæ cap. 6. ubi ait: *à paucis anteactis annis, præsidente Eugenio IV, adhortante Blondo Forojuliensi, Pontificis col-*

legis à Secretis Notario, in bullis atque rescriptis Pontificalibus, annorum à Christi Incarnatione supputatio scribi primùm cœpit; & si longioris temporis tractu in cereis Paschalibus annotata. Vacavit Sedes usque ad annum sequentem, quo Victor II electus est.

VII. *Virtutes Constantini Monomachi Imp.*

Ad num. LVII. Psellus Constantini Monomachi mortem narraturus, ait: *Zoe Imperatrix alta senectute humanis rebus exempta, quo illam amore prosequebatur, in medio ejus hæsit pectore, non bacchum solum ut lugeret, neque ut ejus tumulo lachrymas libaret, aut ut ipsi Deum placaret, sed divino honore honestare volebat.* Describit postea magnificum Templum, quod in honorem Sancti Georgii Martyris construxit, subditque: *In hoc alacris erat, ac satagebat, ut imperium suum quam celeberrimum præstaret. Ac sanè non omnino à scopo aberravit. Etenim ad Orientem imperii fines ulterius protulit, non exigua Armeniorum ditionis parte vindicata, nonnullisque expulsis Ducibus, subditorum circulo adjuncta. Rursus verò ad alios missa legatione, cùm supra quam sublimiore sensu animoque loqui ad ipsos deceret: tùm contra humilioribus quam pro majestate datis ad eos literis, inde sibi illorum amicitiam conciliabat. Denique Ægyptiorum dominatori quasi de industria primas honoris partes cedebat. Is autem quod se illi sic demittebat irridens, viri simplicitate tripudiabat, ac velut luctâ pugil extra orbem cadens, non majori superbia adversarium prehensionibus premebat, ac allidebat.*

VIII. *Ejus mors.*

Cum autem filios non haberet, ei, de Imperio disponendum restabat; qua de re Psellus scribit: *Sæpius interdiu aqua calida innatans, extensusque imprudens ex aere plagam in latere accipit: ac primum quidem haud valde grave ei vulnus fuit: postea vero intestinis affusum virus subolentem depascitur: vitâque desperatâ (quippe qui velut jugulata jam victima jaceret, ægreque animam ageret) non in Theodoram Augustam ponendi imperii consilium vertit; sed illud celans, in arcanis quærebat, qui esset imperaturus. Quia verò molitio hæc latere non poterat, nunciatur Theodoræ consilium. Hæc autem cum nobiliore sua coherte ac familia, conscensa Imperatoria nave, velut fluctibus ad Palatium, aulamque enatat. Quò cùm venisset, omne ad se satellitium trahit, ac obsequium. Tum enim purpura, quâ pannis infantia involuta fuerat, tum animi lenitas, vitæque superioris ærumna omnia apud omnes valebant. Imperator ubi audisset, dirè rem habet, majorique dolore afficitur. Quod tamen à morbo convalescere non poterat, nec prudentissimum inire consilium licebat, æstuenti animo absorbetur, clausisque oculis, mente pariter, linguâque delirat. Tumque paululum sanioris mentis factus, ac quo in malo versaretur intelligens, gravius mœrens animam efflavit; cùm ab arrepto imperio annos duodecim in humanis egisset, in eum modum vivendi finem facit, cùm gerenda Republica, civilibusque actionibus plurimùm claruisset, nec minora in moribus, his qui vitam præclare instituere velint, exempla reliquisset. Si quis enim ira celerem motum illi ademerit, in reliquis cunctis mortalibus majore clementia fulsit.* Theodora itaque Porphyrogenita Constantini Porphyrogeniti filia, post Constantini Monomachi mortem Imperium administravit.

IX. *Concilium Narbonensi.*

Hoc anno celebratum Concilium Narbonense, cui Episcopi decem interfuêre, & duo Episcoporum absentium Vicarii. Ejus Præfatio his verbis inchoata: *Anno Dominicæ Incarnat. MLIV indict. VII epactâ nonâ, concurrente V, octavo Kal. Septembris.* Constituta in eo Capitula XXIX omnia ferè ad Treugam Dei spectantia, quam cap. secundo confirmant his verbis, & sequentibus magis explicant: *Iterum mandamus atque confirmamus ipsam Treugam Dei, quæ à nobis dudum* (sc. circa annum MXLI, quo ea primùm decreta): *constituta fuerat, & nunc à pravis hominibus disrupta esse videtur: at firmiter deinceps ab omnibus teneatur. Igitur obsecramus per Deum & monemus, ut nemo Christianorum, quemlibet christianum requirat ad malefaciendum ab occasu Solis quarta feria, usque secundæ feriæ illucescente sole.* Tum. cap. ult. *si autem quislibet hominum, vel fœminarum, ab hac die & deinceps ausu temerario hujus nostræ institutionis violator extiterit: anathematis vinculo feriatur, & à Sancta Dei Ecclesia procul pellatur, & ab omnium cœtu Christianorum tandiu separetur, donec ad satisfactionem indubitanter veniat.* In quo sita esset Treuga Dei, anno MXLI fusè explicavimus.

X. *Moritur Hermannus Contractus.*

Hermannum Wolferadi Comitis filius ab infantia omnibus membris contractus (unde & Contractus cognominatus); *sed omnes tunc temporis viros sapientia & virtutibus precellens in Alesbusan prædio suo defunctus ac sepultus est*, inquit Continuator ejus Chronici ad hunc Christi annum, quo etiam Urspergensis Abbas mortem ejus collocat. Lambecius in lib. II Biblioth. Cæs. cap. VI refert, in ea Bibliotheca extare Historiam MS. Austriacam, ab Henrico Gundelfingeo de Constantia, Ecclesiæ Friburgensis Capellano compositam, & Sigismundo Archiduci Austriæ ejus nominis primo dicatam, qui in Epistola dedicatoria ait, se se legisse *Hermanni Contracti Comitis de Veringen & Sulgow & Augustensis Canonici Chronographiam.* Ea Historia anno MCCCCLXXVI elucubrata, ut in Notis ostendit Lambecius, & ex laudata Epistola discimus, *Hermannum* patrem habuisse Wolferadum, qui non solùm Comes Veringensis in Suevia fuit; verùm etiam Comes *de Sulgow*, pro quo apud Volaterranum lib. 23. Anthropologiæ legitur *de Sulgon. Sulgow* enim, vel *Sulgon* oppidulum est Sueviæ, quod, uti ex hoc Gundelfingi loco apparet, ad Comites Veringenses pertinuit. Cùm autem ipsemet Hermannus in Chronico suo ad ann. MXLIX & MLIII, testetur se fuisse *Augiæ Majoris Monachum*, suspicatur Lambecius loco, *Augustensis Canonici*, legendum esse, *Augiensis Monachi.* Sed vana illa conjectura; cùm certum sit, Exscriptores & possessores MSS. librorum titulos sæpe corrupisse. Sic Trithemius Hermannum Monachum Sancti Galli facit, quòd sine dubio ita legisset in exemplari, quo usus est; sed turpiùs erravit, qui occasionem præbuit *Gundelfingio* existimandi Hermannum Canonicum Augustæ Vindelicorum fuisse. Hermanni Chronicon ab Urstisio Tom. I Rer. Germanicarum editum est gemino contextu, & tertiam editionem aliis locupletiorem dedit Canisius Tom. I. Antiq. Lect. indeque aliqui Viri docti existimarunt, alium Scriptorem nonnulla adjecisse, alium verò resecuisse, uti Miræus in Notis ad cap. XII lib. Honorii Augustodunensis de Script. Ecclesiast. Verùm cùm in illis Editionibus Hermanous se ipsum in prima persona nominans modò diem & annum suæ nativitatis, modò diem & annum quo ad studia missus fuit, modò parentum suorum nomina, & quæ eis contigêre,

tipere, memoret, non video dubitandi locum, quin ipsemet primum suum partum, uti imperfectiutem, postea auxerit, vel correxerit; cùm illud olim, hodieque aliis Scriptoribus in more positum fuerit. Editionem Canisianam omnium optimam Baronius anno tantùm MXXXV num. II citare incipit.

XI. *Macbetha Rex Scotiæ occiditur.*
Macbetha seu *Macbethus*, quem Principem Christianum fuisse suprà diximus, hoc tempore in Scotia, quam invaserat, regnabat, adversùs quem Sanctus Eduardus Angliæ Rex Siwardum Northumbrensium Comitem misit, qui cum eo congressus, *vitâ regnoque spoliavit, ibidemque Malcolmum filium Regis Cumbrorum, Regem constituit*, inquit Malmesburiensis lib. 2. de Reg. cap. 13. quod hoc anno contigisse, testatur Annalista Mailrocensis, qui subdit: *Rex Edwardus misit Aldredum Wigorniensem Episcopum ad Imperatorem* (nempe Henricum III), *ut per eum reciperet fratruelem suum Edwardum, qui in Ungaria exulaverat.* Edmundus Angliæ Rex anno MXVI insidiis occisus duos filios reliquit, quos Canutus, qui post eum regnavit, trucidandos jusserat: *Filii ejus* (sc. Edmundi) *Edwius, & Edwardus, missi ad Regem Suevorum, ut perimerentur: sed miseratione ejus conservati, Hunnorum Regem* (nempe Sanctum Stephanum in Hungaria regnantem) *petierunt. Ubi dum benignè aliquo tempore habiti sunt, major diem obiit; minor Reginæ sororem, Agatham in matrimonium accepit*, inquit Malmesburiensis citatus pag. 73. Porrò Eduardum istum seu Edwardum Agatham duxisse, & ex ea suscepisse *Edgarum* filium, & filias duas, *Margaritam* atque *Christinam*, inter omnes convenit; sed Simeon Dunelmensis in Hist. de Gest. Reg. Angl. Edmundo filios tribuit Eadwardum & Eadmundum, quem postremum Malmesburiensis *Edwium* nominat, & primogenitum facit. *Margarita* sanctitate inclyta fuit, nupsitque *Malcolmo* hujus nominis III, qui anno MLVI in Scotia regnare cœpit, inquit Annalista Mailrosensis. Cogitabat Sanctus Eduardus Eduardum fratris filium, sibi successorem designare, ut anno MLVII videbimus, ubi hæc omnia majorem lucem accipient.

XII. *Occiditur etiam Garsias Sanctionis Navarræ Rex.*
Sandovallius in Vita Alphonsi VI Castellæ Regis mortem *Garsiæ Sanctionis* Navarræ Regis hujus nominis IV his verbis refert ex libro, quem *Tumbum nigrum Sancti Jacobi* dicunt: *Erâ MXCIII occisus est Rex Garsias depugnans cum fratre suo Rege* (nempe Castellæ) *Ferdinando in Ataparta* (seu loco Ataporca dicto) *à quodam milite suo Sancio Fortuniones, quia fœdaverat uxorem ejus.* Ita passim alii ex eodem Auctore. Verùm Moretus lib. 4. Hist. Reg. Navarræ cap. 5. rectè animadvertit, Exscriptorem præfati libri unitatem imprudenter addidisse, quod & non ratò attentioribus accidit, docetque legendum, *erâ MXCII*, quæ præsenti anno in cursu fuit. Id duæ Chartæ ab illo productæ invictè probant. Ex priori à *Stephania* Garsiæ Regis vidua datâ liquet, eum *Nonis Septembris* jam demortuum fuisse; in altera verò die VI Idus Octobris in era MXCII à Ramiro Aragoniæ Rege & Garsiæ fratre data disertè legitur: *In hoc anno occisus fuit Rex Garsea in Ataperça die Kal. Septembris. Ibidem ordinatus fuit Sancius filius ejus Rex in Pampilona.* Concordiam in qua diu *Ferdinandus* & *Garsias* Reges vixerant, diremit *Garsias* qui, ut fratrem ad varia sibi cedenda Oppida, quæ sibi commoda fore putabat, cogeret, de eo detinendo cogitaverat. Florebant tunc in Hispania *Enneco* Ognæ aut Oniæ Abbas, & *Dominicus* Abbas Calçiati, vulgò *de la Calçada*, sanctitate illustres, qui ut eos mutuò reconciliarent, ad locum certaminis venêre. *Sed cùm animositas Regis Garsiæ, sicut fertur, nullatenus superari potuit, nec ad pacis fœdera inclinari, bello infestissimo inchoato, Garsias peccatorum suorum mole prægravatus victus interficitur, ad quem venerabilis Enneco Abbas accedens caput ejus, dum adhuc spiraret, sicut traditur, in manibus suis accepit, & precibus animam ejus commendans, usque ad locum sepulturæ Regalibus ejus exequiis indefessus adhæsit*, ut ex antiquo documento Monasterii Oniensis Sandovallius citatus refert. Pelagius Ovetensis ait: *Accepit regnum ejus*, Ferdinandus scilicet, qui fratri in Castellæ partem successit, non verò in Regnum Navarræ, cui post patris mortem præfuit *Sanctio* Garsianis, hujus nominis quartus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6548. *Anno Eræ Hispan. MXCIII. Anno Hegiræ CCCCXLVII, inchoato die 1. April. fer. 2.*

☉ 18. A. ☽ 11. P. 16. April. Indict. 8.

JESU CHRISTI 1055.

VICTORIS II PAPÆ I.

HENRICI III REG. 17. IMP. 10.

THEODORÆ PORPH. 2.

Ad Num. I ad XIV. Leo Ostiensis lib. 2. cap. 90. refert, Sancto Leone Papa demortuo, Hildebrandum tunc Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum à Romanis ad Imperatorem transmissum esse, ut *de partibus illis, quem tamen ipse vice cleri, populique Romani in Pontificem elegisset, duceret. Quod cùm Imperator fuisset assensus, & Gebehardum Aistetensem Episcopum Hildebrandus ex industria & consilio Romanorum, expetivisset, tristis super hoc Imperator effectus est*, &c. *Hunc ergo Hildebrandus, invito licet Imperatore, invito etiam eodem ipso Episcopo* (*propter quod usque postea dictus est Monachos non amasse*) *Romam secum adduxit: eique Victoris nomen imponens, Romanum Papam cunctorum assensu constituit, cùm jam ferme à transitu Papæ Leonis annus elaberetur.* His addit Continuator Hermanni Contracti Gebehardum *Quadragesimâ in Cœna Domini* Papam *ordinatum* esse, ideoque die decima tertia mensis Aprilis. I. *Victor II fit Papa.*

Ad num. XXII Meminit Baronius Concilii Æduensis seu Augustodunensis, cui teste Hugone Monacho Cluniacensi coævo in Vita Sancti Hugonis Abbatis Cluniacensis, interfuêre *Gaufredus Lugdunensis, Hugo Bisuntinensis, Accardus* (non Aihhardus, ut legitur apud Baronium) *Cabilonensis, & Drogo Matiscensis* (seu Matisconensis) Episcopi. qui Sanctum Hugonem Cluniacensem Abbatem ad illud *venire rogaverunt.* In eo Concilio Sanctus Hugo Haganonem Æduensem Episcopum cum Roberto Burgundiæ Duce, à quo graviter infestatus fuerat, reconciliavit, hunceque mira libertate compescuit, atque ad meliorem frugem revocavit, uti narrat Baronius ex eodem Hugone Monacho. Stephanus Tornacensis in Epist. LXXI ad Robertum Pontiniacensem Monachum data Canonem in eo Concilio conditum his verbis refert: *sic in Concilio Æduensi legitur: nullus Abbas vel Monachus Canonicos Regulares a proposito professionis canonicæ revocare, atque ad monasticum habitum suscipere.* II. *Concilium Æduense.*

SÆC. XI. An. C. 1055.

suscipere audeat, ut Monachi fiant, quandiu Ordinis sui Ecclesiam invenire queant, in qua canonicè vivendo Deo servire, & animam suam salvare possint. Quod si temerario ausu id agere tentaverint, anathematis vinculo obligentur, quod non dissimili Decreto ab eodem Stephano ibidem relato confirmavit Urbanus II. Ceteri Canones desiderantur.

III. *Post annum MLX celebratum.*

Verùm Concilium istud, cujus mentio Tom. IX Concil. pag. 1183. non hoc anno celebratum, ut Baronius, Quercetanus, seu ut postea se ipsum nominavit, Duchesnius in Notis ad Vitam Sancti Hugonis Abbatis Cluniacensis pag. 97. & seq. Carolus du Molinet in Notis ad laudatam Stephani Tornacensis Epistolam, aliique multi putarunt, neque etiam anno MLXXII, ut Severtius in Chronologia & Jacobus Joannes Chifflerius in parte 2. Vesontionis, dum de Hugone II Archiepiscopo Bisontinensi sermonem habet, sed inter annum millesimum sexagesimum, & millesimum septuagesimum secundum. *Drogo* enim Cabilonensis Episcopus è Patribus hujus Concilii unus, ante annum MLX Walterio non successit, cùm San-Marthani in Episcopis Cabilonensibus affirment, Walterii in Actis publicis usque ad illum Christi annum mentionem haberi. Cùm verò *Hugo primus* Vesontionis Archipræsul anno MLXVI aut insequenti, teste Chifflerio laudato, obierit, eique *Hugo II.* successerit, & parte alia *Humbertus* Archiepiscopus Lugdunensis decessor *Gaufredi*, unius ex hujus Concilii Patribus, anno MLXXII jam sederit, ut iidem San-Marthani demonstrant in Archiepiscopis Lugdunensibus, manifestum est, *Concilium Æduense* inter annum MLX & MLXXII congregatum fuisse.

IV. *Gaufredus fuit Archiepiscopus Lugdunensis.*

Neque audiendi San-Marthani, cùm negant *Gaufredum* inter Archiepiscopos Lugdunenses numerandum; quòd Humberto anno MLXXVII successerit *Gebuinus*; *Gaufredus* enim ante Humbertum sedit, cùm *Philippus*, qui anno MLV Ecclesiam Lugdunensem regebat, secundùm eosdem San-Marthanos anno incerto è vivis abierit, & Gaufredus posteum, ac post Gaufredum Humbertus ante annum MLXXII sedem replere potuerint. Denique Duchesnius loco laudato jam notavit, *Gaufredum* Lugdunensem memorari à Nicolao Aragonio in antiquis Pontificum Romanorum Gestis, & ab Hildeberto Episcopo Cenomanensi in Vita Sancti Hugonis Abbatis Cluniacensis, de cujus morte cùm loquitur scribit: *Qui ut & moriens ostenderet quam vigil & sollicitus fuerit circa commissarum sibi vigilias ovium, quibus potuit sermonibus Anniversarium Archiepiscopi Gaufredi & Guidonis Abbatis ad se nunciavit, significans oportere defunctis fratribus debita solvi beneficia*; Quibus ex verbis etiam eruo, Gaufredum Ordinis fuisse Cluniacensis; cùm eum Sanctus Hugo inter defunctos sui Ordinis fratres numeret. De *Roberto* Burgundiæ Duce primo egimus anno MXXXII.

V. *Concilium Turonense.*

A num. XXIII ad XXV. quia tam in Chronico Vindocinensi, quàm in Malleacensi à Labbeo in Biblioth. publicatis Concilium Turonense cum præsenti anno conjungitur, à communi sententia, quæ ab eo calculo non recedit, Bertoldus Presbyter, qui Hermanni Chronicon continuavit, quique illud in annum sequentem differt, nos abducere non debet, quia in rebus in Gallia gestis ejusdem nationis Scriptoribus magis credendum, quàm aliis. De eo Malmesburiensis lib. 3. de Willelmo primo pag. 113. *Sodalitati Catholica timens sanctissima memoria Leo Papa Vercellis contra eum instituto Concilio tenebras nebulosi erroris Evangelicorum testimoniorum fulgore depulit: sed cùm post obitum ejus virus hæreseos in sinibus quorundam nebulonum diu confotum iterum erumperet, Hildebrandus cùm Archidiaconus esset* (nondum Archidiaconus, sed tantùm Subdiaconus erat Hildebrandus, ut certis argumentis liquet) *Turonis, mox Papa* (nempe Hildebrandus, dictus postea Gregorius VII) *Roma adunatis Conciliis convictum ad dogmatis sui anathema compulit. Berengarius planè quamvis ipse sententiam correxerit, omnes quos ex totis terris depravaverat, convertere nequivit. Quod Episcopum Carnotensem* (sc. Fulbertum) *prædixisse ajunt.* de eadem Synodo Turonensi hæc habet Anonymus Chiffletianus in Opusculo de Multiplici Berengarii Damnatione, anno MLXXXVIII composito: *Victor quoque Papa, & in sede, & in auctoritate successor Sancti Leonis Papa, misso Legato in Gallias venerabili, inquam Hildebrando, tunc Archidiacono* (imò nondum Archidiacono) *sed nostri temporis Apostolico, generalem Synodum Turonis congregavit, in qua ipse Beringerus accepta optione defendendi se, cùm se penitus defendere non posset, sub jurejurando propriam hæresim anathematizavit, & communem sancta Ecclesia fidem de veritate Corporis & Sanguinis Domini se deinceps servaturum sub eodem juramento promisit; licet postea ad eamdem hæresim redierit.*

SÆC. XI. An. C. 1055.

VI. *Duo Alia Concilia adversùs Berengarium celebrata.*

Hujus etiam Concilii meminit *Eusebius* cognomento appellatus *Bruno*, Andegavensis Episcopus in Epistola ad Berengarium, illudque inter alia duo collocat, quorum unum apud Turonas, alterum in Andegavensi civitate, jussu Fulconis Andegavorum Comitis habitum, in quibus pariter hæresis Berengariana confixa fuit. Neutrius apud alios Auctores mentio: *Nos*, inquit, *totius Ecclesiæ scandalum, jure meritoque exhorrescimus, cùm salubriter & cum quiete pacis Christiana vivere possimus verborum Christi simplici compendio, & sufficienti sanctæ fidei firmitate, quantum nos sentimus, & multos nobis satis superiores viros sentire cognoscimus. Hoc consilio querimonia, qua in præsentia domini Geraldi tunc Legati apud Turonum emersit, sedata est* (hujus, uti dixi, Concilii Turonensis alii non meminêre). *Hoc consilio eodem tumultus qui in audientia Domini Eldebranni in eadem civitate efferbuit, sopitus est* (nempe sub Victore II Papa). *Ac veridica confessione exactioni Principis hujus nostri* (idest, Comitis Andegavorum Fulconis, ut Viri docti interpretantur), *in capellula, cujus in vestra Epistola mentionem fecistis, satisfactum est; & rediviva pestis, qua, nescio quorum improbitate exagitata, caput extulerat, domini Bisontinensis Archiepiscopi, & Eruditorum, qui adfuerunt, auctoritate calcata est.* Hæc itaque Synodus *Andegavensis* post Turonensem, de qua hoc anno agimus, anno & mense incertis congregata. De Turonensi sub Victore agit Durandus Troarnensis Abbas, cujus verba anno ML num. XVI retulimus, quæ huc revocanda.

VII. *Lanfrancus interfuit Concilio Turonensi.*

Lanfrancus Monachus Benedictinus in Concilio Turonensi sub Victore coacto contra Berengarium disputavit, eumque ad saniorem mentem adduxit, ut Ordericus Vitalis lib. 4. his verbis narrat: *Coactu obedientia de claustrali quiete* (nempe de cœnobiolo Beccensi in Normannia, quod ob paupertatem loci Lanfrancus elegerat) *protractus*

SÆC. XI. An. C. 1055. *protractus Magister processit, quo docente Philosophicarum ac divinarum literarum Bibliotheca effulsit. In utraque nodos quæstionum solvere potentissimus erat. Hoc Magistro primitus Nortmanni literatoriam artem perscrutati sunt, & de Schola Beccensi eloquentes in divinis & secularibus Sophistæ processerunt. Nam antea sub tempore sex Ducum Neustriæ vix ullus Normannorum liberalibus studiis adhæsit: nec Doctor inveniebatur, donec provisor omnium Deus Normannicis oris Lanfrancum appulit. Fama peritiæ illius in tota ubertim innotuit Europa: unde ad Magisterium ejus multi convenerunt de Francia, de Wasconia, de Britannia, nec non Flandria.* Paulò post. *Studiosus fuit idem cœnobita gladio verbi perimere sectas, si quæ fidem lacesserent Catholicam. Profectò Berengarium Turonensem (quem nonnulli hæresiarcham putabant, & ejus dogma damnabant, quo de salutis hostia mortem animabus propinabat) spiritualis eloquii mucrone confodit in Synodo Romana, & Vercellensi* (anno ML habitis). *Ibi sanctissime exposuit, veracissimè comprobavit, panem & vinum, quæ Dominicæ mensæ superponuntur post consecrationem esse veram Carnem & verum Sanguinem Domini Salvatoris. Profundissimis disputationibus Berengerium Romæ, Turonisque palam evicit, omnemque hæresim anathematizare, scriptoque veram fidem profiteri coegit*, ubi tamen Concilium Romanum sub Nicolao II habitum Turonensi sub Victore celebrato perperàm præponit.

VIII. *S. Anno fit Archiep. Coloniensis.* Ad num. XXIX *Sanctus Anno* creatus est hoc anno Archiep. Coloniensis, ut refert Baronius ex Monacho Anonymo coætaneo, qui ejus Vitam, apud Surium ad diem IV Decemb. recitatam, scripsit. *Anno* nobilissimis & piissimis parentibus natus suasu avunculi Bambergensis Ecclesiæ Canonici Clericus effectus est, licet pater eum rei militari destinaret: *Anno puer*, inquit Anonymus, *non pueriliter aufugiens, ut præmonitus fuerat* (nempe ab avunculo) *inter frutecta salicum delituit, donec à prætereunte furtim sublatus avunculo, in schola Babimbergensium, quæ tunc temporis disciplinæ, religionis ac studii fervore cunctis in Germania præpollebant, succiduis temporibus magnum Ecclesiæ documentum futurus, ad literas positus est.* Ubi robur virilis ætatis ingressus est, Magister scholarum inibi effectus Henrico Imp. facilè innotuit, *à quo in Palatium assumtus, brevi apud eum præ omnibus Clericis, qui in foribus Palatii excubabant, primum gratiæ & familiaritatis locum obtinuit.* Denique exactis in Palatio haud multis annis ab eodem Henrico Imp. Coloniensis Episcopus dictus est.

IX. *Henricus Imp. annum in Italia transegit.* *Henricus Imperator Natalem Domini Goslariæ celebravit*, inquit Lambertus Schafnaburgensis de Natali superioris Christi anni, à quo præsentem exorditur, verba faciens, *statimque exactis feriis solemnibus in Italiam perrexit, vocatus eò legatione Romanorum, qui nunciaverant nimiùm in Italia contra Rempublicam crescere opes & Potentiam Godefridi Ducis; & nisi turbatis rebus maturè consuleretur, ipsum quoque regnum propediem ab eo dissimulato pudore occupandum fore.* Narrata Imperatoris profectione Italica subjungit Lambertus: *Deinde anno integro intra Italiam commoratus, cuncta quæ rei utilitas exposcere videbatur, magnificè pro loco & tempore ordinavit.*

SÆC. XI. An. C. 1056.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6549. Anno Eræ Hispan. MXCIV.

☉ 1. GF, ☽ 12. P. 7. April. Indict. 9. Anno Hegiræ CCCCXLVIII

JESU CHRISTI 1056. inchoato die 21. Martii

VICTORIS II. PAPÆ 2. fer. 5.

HENRICI IV REG. 1.

MICHAELIS VI STRAT. IMP. 1.

I. *Moritur Henricus Imp.* ANum. I ad XI. Henricus Imp. *de Italia per Bajoariam* rediens, Natalem Domini apud *Turregum* celebravit, *& domino Apostolico ad se tempore autumnali invitato, cum in Saxonia in Bothfeldino commoraretur, morbo ingravescente infirmatus obiit anno ætatis suæ XXXIX, regni vero XVIII, imperii XV* (legendum, X) *indictione X* &c. *& filius ejus Henricus quartus VII ætatis annum habens, pro eo regni jura suscipiens a Primoribus matri Imperatrici educandus est commendatus*, inquit Continuator Hermanni Contracti. Baronius num. X ait, eum in eo falli, quod Henricum IV hujus nominis Germaniæ Regem septennem fuisse asserat. Sed cùm anno ML in lucem prodierit, ut suo loco vidimus, accuratè id ab isto Continuatore scriptum, fallitur que Lambertus Schafnaburgensis, qui eum V annorum infantulum appellat. Notat idem Chronographus Henricum Imp. *die natalitio Apostolorum Simonis & Judæ, quo scilicet die etiam natus fuerat, sepulturæ traditum.* Marianus verò Scotus habet: *III Nonas Octob. hanc vitam præsentem finivit, sepultusque Spiræ, Papa præsente*, nempe mense ferè ab ejus morte transacto. *Conradus*, inquit Lambertus, *filius Imperatoris Dux Bojoariæ obiit. Ducatum ejus Imperator Imperatrici dedit, privato jure, quoad vellet possidendum.* Wippo Presbyter Henrici Capellanus Carmen in laudem ejus scripsit, editum à Canisio Tom. II Antiq. Lect. sed nihil in eo Carmine, quo hujus Imperatoris Vita illustrari possit. Denique Paulus Bernriedensis in Vita Gregorii VII Papæ cap. VI ait: *Tertio Henrico mortuo, quartus ille Henricus Rex, permittente Romano Pontifice Victore, qui tunc morienti præsens erat, hæreditario jure, nimirum puer, successit*; ubi Paulus intelligit de jure Successionis ad Imperium Romanum, in qua summa erat Pontificis Romani auctoritas. Hæc verba, *hæreditario jure*, eo modo interpretanda ac verba Ditmari lib. 5. pag. 52. quando loquitur de electione Sancti Henrici post Ottonis III mortem, ubi inquit, Primates in Comitiis dixisse, *Henricum Christi adjutorio, & jure hæreditario regnaturum.* Regnum enim Germanicum & hæreditarium & simul electivum erat, eo quo alibi explicavimus modo.

II. *Post ejus mortem Augusta Rebus præfuit.* Monachus Anonymus in Vita Sancti Annonis Archiep. Coloniensis de Henrici Imp. morte habet: *Eo viam universæ carnis ingresso, fidei & devotionis affectu, non minus defuncto, quàm viventi sacer Præsul assistens, jejuniis, vigiliis, orationibus & eleemosynis, spiritualibus videlicet remediis animam divinæ bonitati reconciliare non cessavit. Instituit præterea annualem ejus memoriam agi Coloniæ, ipse quandiu vixit, nunquam illius specialiter immemor.* Paulo antea dixerat, in morte ejus *omnis injustitiæ frænum laxatum* esse, quia scilicet omnia postea in pejus ruêre. Agnes

Imperatrix,

SÆC. XI. An. C. 1056. Imperatrix, penes quam summa rerum remansit scripsit ad Sanctum Hugonem Abbatem Cluniacensem Epistolam Tomo II Spicilegii pag. 397. recitatam, in qua ait: *Quia velox fama malorum, ut credo, meum vobis dolorem nunciavit, precor, ut dominum meum, quem diutius in carne servare noluistis, saltem orando cum vestro Conventu defunctum Deo commendetis; filiumque vestrum diu sibi heredem fore at Deo dignum obtineatis: & turbas, si quæ contra eum in vestris vicinis partibus regni sui oriuntur, etiam consilio sedare studeatis.* Sed nullæ turbæ ante annum MLXII in Regno Germanico exortæ. Auctor Vitæ Sancti Annonis non Reginhardus Sigebergensis Abbas, ut habet Baronius num. VII, sed Anonymus, qui in Prologo testatur se eam ejusdem Abbatis jussu composuisse, ut etiam notavit Vossius de Hist. Latin. cap. 46.

III. *Varia Concilia provincialia.* A num. XII ad XVII. Hoc anno *Idibus Septemb.* Victoris II Papæ mandato XVIII Episcopi Concilium Tolosæ celebrarunt, cui *Rambaldus* Arelatensis, & *Pontius* Aquensis, Archiepiscopi, Sedis Apostolicæ Legati præfuêre. Tredecim capitulis à Baronio recitatis sancita in eo Ecclesiastica disciplina. Meminit Baronius num. XVI *Concilii Compostellani*, in quo præclara pro eadem disciplina constitura, cujus Acta hactenus inedita Em. Card. d'Aguirre Tomo III Conciliorum Hispaniæ publicavit. Sed uterque doctissimus Cardinalis *Crescontum* Concilii Præsidem non benè appellat *Archiepiscopum Compostellanum*; Cresconius enim alium Episcopatum non gessit, quàm *Iriæ*, indeque in Concilio Coyacensi anno ML congregato *Episcopus Iriensis* nuncupatur, ut videre est Tom. IX Concil. pag. 1064. *Compostella* verò non nisi Callisto II sedente in Metropolim erecta, translata scilicet Sede Metropolitana ex urbe Emeritensi, (cujus nihil hodie superest præter ruinas), in Compostellanam. Denique Tom. IX Concil. extant Excerpta Concilii apud sanctum Aegidium in Provincia Narbonensi hoc circiter anno habiti pro confirmanda Treuga Dei & pace, quæ jam Baluzius ad lib. IV de Concordia publicarat.

IV. *Moritur Theodora Aug.* Ad num. XVIII. Cedrenus de morte Theodoræ Augustæ pag. 792. hæc scribit: *Cum totam indictionem nonam, idest, annum mundi* (secundùm Cpolitanos) *6564. vixisset Theodora, sub exitum Augusti mensis, ejusdem anni, tenuis intestini morbo necata est.* Paulò pòst: *Declaratus est Michaelus Stratioticus Imperator ultima Augusti die, indictione nona.* De Imperii Theodoræ duratione non loquitur, sed Zonaras ait, eam imperasse annum unum, & menses novem; quæ ideo Constantino Monomacho, cujus dies emortualis incertus, circa initium Decembris anni MLIV successerat.

V. *Ei succedit Michael Stratioticus.* *Videbatur sanè*, inquit Michaël Psellus in Theodora, *omnibus haud decorum Imperium ex virili sensu ac præstantia in muliebrem sexum degenerasse. At si quis unum hoc exemisset, quod reliquum est, rectum evaserat, magnificumque imperium: ac nemo universorum aut struxit insidias, aut sprevit quæ inde decreta manabant, ac jussa. Anni quoque tempestates felices cunctis extiti provenerunt. Frugum item fructuumque liberalis copia. Nulla prorsus gentium aut occultis Romanam ditionem grassationibus seu latrociniis infestavit, aut bellum induxit. Nulla civium pars alia ab alia divisa, cùm justa æqualitas cunctis servaretur.* Culpat tamen Theodoram Psellus, quòd virum parùm idoneum rebus ac judiciis præfecerit; & quod ante mortem, in quem Imperium transferret, non delegerit, ita ut qui circa illam erant, agerent quasi semper victura esset. Addit eam novem ante mortem dies *Michaelem Stratioticum*, virum ad Imperium ineptum elegisse. Sed de eo anno sequenti.

VI. *Christiani Hierosolymam adire prohibiti.* Auctor Anonymus Translationis Sancti Wlfranni Archiepiscopi Senonensis, apud Bollandum ad diem XX Martii, quo Sanctus Antistes colitur, hæc refert: *Anno Incarnat. millesimo quinquagesimo sexto, Babylonis Rex Hierosolymam misit, sanctumque Sepulchrum ut occluderetur, præcepit, ut ne quisquam Christianorum in illud ulterius introiret, prohibuit. Quo comperto Christiani, qui ex omni terrarum Orbe illuc confluxerant, tristati sunt, & quia devotionis suæ desiderium circa visitationem sanctorum locorum ex more non poterant explere, graviter ingemuerunt. Habito deinde cum Patriarcha, qui sancto loco illi præerat, consilio, de civitate ne caperentur, maturius exierunt: cupientes antequam res innotesceret, urbes, per quas redeundi transitus erat, ne impedirentur, excedere. Sed cùm hujusmodi præceptum jam longè latèque percrebuisse perpenderent, ut per hoc terrâ illâ se nullatenus absque discrimine exituros timerent, ad portum, quem vicinius adire poterant, gratia effugii, quod in solo illis negabatur, velocius diverterant. Ubi, ut desiderabant, reperto consilio navigio mare intraverunt, dato quod ab eis petebatur sine mora naulo: erant autem numero plusquàm trecenti.* Addit Monachus iste Anonymus, qui hoc tempore vivebat, cùm exorta esset tempestas, ad Sancti Wlfranni invocationem, eam sedatam esse. Porrò hoc tempore, non Calipha Babyloniensis seu magni Cairi, sed Calipha Ægypti, seu novi Cairi, cui Syria & Palæstina parebant, *Hierosolymæ* præerat, præfuitque usque ad annum Christi MLX, quò, ut dicitur in magno Chronico Arabico MS. urbis Hierosolymitanæ ad annum Hegiræ CCCCLXIII, inde ejectus fuit à quodam Corazmieno (seu Scytha, uno ex Ducibus Caliphæ magni Cairi) qui auctoritatem Caliphæ Ægypti Hierosolymis abrogavit. Tandem Calipha novi Cairi *Hierosolyma* anno Hegiræ CCCCLXXXVIII, Christi MXCV, recuperavit. Hæc ad majorem intelligentiam Historiæ belli Hierosolymitani. *Almostali* enim *Beamrilla*, seu *Mustuli Billa* Caliphatum Ægypti seu Novi Cairi gerente, Civitas Hierosolymitana Saracenis erepta, & *Gothofredus* Lotharingiæ Dux, Rex Hierosolymitanus dictus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6550. — Anno Æræ Hispan. MXCV. Anno Hegiræ CCCCXLIX, inchoato die 10. Martii fer. 2.

☉ 2. E. ☽ 13 P. 30. Mart. Indict. 10.

JESU CHRISTI 1057.

STEPHANI IX PAPÆ 1.

HENRICI IV REG. 2.

ISAACI COMNENI IMP. 1.

I. *Moritur Victor II PP.* A Num. I ad X. *Rex* (sc. Henricus IV) *Natalem Domini Ratisponæ celebravit* (sc. anno Christi superiori) *præsente adhuc Victore Pa-*

pa,

pa, qui exinde compositis mediocriter, prout tunc copia erat, regni negotiis, in Italiam regressus quinto Kalendas Augusti migravit ad dominum, inquit Lambertus Schafoaburgensis in Chronico. Victorem autem II in Tuscia supremum diem obiisse, indicat Leo Ostiensis lib. 2. cap. 98. ubi loquens de Friderico in Nativitate Sancti Joannis Casinensi Abbate Romæ consecrato, ait, quod cùm Româ egredi pararet: *Repentè Bonifacius Albanensis Episcopus ex Tuscia veniens, Romani Pontificis obitum nunciavit.* Baronius num. IX asserit, eum defunctum *Florentiæ*, ibique sepultum testari Leonem Ostiensem lib. 3. cap. 8. in fine. Verùm eo in loco, non de Victore II, sed de Stephano IX ejus successore id tradit Leo Ostiensis. Ex laudatis porrò Leonis Ostiensis verbis liquet, Continuatorem Hermanni Contracti malè scripsisse, Victorem *Romæ* decessisse. Consecratus fuerat *Victor II* die XIII mensis Aprilis anni MLV, quare cùm omnium consensu hoc anno mortuus sit, idque die vicesima octava mensis Julii si ejus Sedis duratio à die consecrationis repetatur, sedit annos duos, menses tres, & dies sedecim, die ejus emortuali incluso. Cùm itaque nullibi Victori II supra annos & menses, tribuantur dies XV, vel dies XVI, sed in tribus ex nostris Catalogis habeantur dies tredecim, conjicere licet, eum Decessoris sui exemplo à die suæ inthronizationis, quæ facta fuerit die XVI mensis Aprilis, in quam anno MLV Pascha incidit, annos sedis suæ dinumerasse. Hic non prætereundum quod observat Onuphrius in Nota ad Platinam, ubi de Clemente II verba facit. „Quatuor sequentes Pontifices „(nempe Clemens II, Damasus II, Leo IX, „& Victor II) viros quidem Sanctissimos, „optimos, & de Dei Ecclesia bene meritos, ex „Imperatoris Henrici III auctoritate creatos, „ex horum temporum Scriptoribus, Hermanno „Contracto in Chronico, Lamberto Schafnaburgense in Hist. Germanica, Ottone Frising. „lib. VI cap. XXXIII, & aliis probatis „Auctoribus constat. Unde miror, Platinam „optimi Pontificis Damasi II famam ita fædasse. Sed venia dignus est: nam alios Auctores minus quàm par esset diligentes, hac „in re fortè est secutus, *Martinum* dico, & *Galfridum.* Hæc Onuphrius, Vir de Historia Pontificia optimè meritus.

II. *Stephanus IX succedit.* A num. X ad XIV. Leo Ostiensis lib. 2. cap. 97. narrat, *Fridericum*, paulò antequam Abbas Casinensis consecraretur, à Victore II creatum fuisse Cardinalem Presbyterum Tituli Sancti Chrysogoni, nempe *sabbato jejunii, mensis Junii.* Tum cap. sequenti de ejusdem Friderici in Summum Pontificem electione agit, ut legere est apud Baronium num. X: *ubi electione celebrata* (nempe in Basilica Sancti Petri) *Stephanum eum, quoniam S. Stephani Papæ celebritas ipso die agebatur* (nempe secunda die mensis Augusti) *appellarunt*, &c. *Die verò altera illucescente* (sc. die III ejusdem mensis) *Cardinalibus omnibus cum Clero, populoque Romano ad eum concurrentibus, apud Beati Petri Basilicam ingenti lætitia omnium, Summus, universalisque Pontifex consecratur*, inquit Leo Ostiensis. *Stephanus* iste non decimus hujus nominis, sed *nonus* appellandus; cùm ipsemet in suis rescriptis ita se te appellant, & revera tantùm ordine nonus inter Stephanos fuerit. Primus omnium Onuphrius, uti jam insinuavimus, hanc perturbationem in Historiam Pontificiam induxit, innumerosque hac in re sectatores habuit, licet fundamentum, quo innititur, omnes ab ea opinione avertere debuisset. Is enim in Notis ad Platinam in Stephano V ait, hunc VI dicendum fore, quia *Stephanus* alius, qui triduo tantùm vixit, dici deberet hujus nominis II: *non enim plus*, inquit Onuphrius, *vel minus vivendi ratio aliquem verum facit esse Pontificem, sed vera & legitima comitia, quibus Stephanum illum secundum renunciatum fuisse constat.* Verùm mores sui temporis Virum doctissimum in errorem impulêre. Cùm enim videret, sua ætate, ubi & aliquot antea seculis, Pontifices Romanos Sedis suæ tempora à die, quo Pontifices electi fuerant, dinumerasse, illud semper in usu positum fuisse inde deduxit; cùm tamen eo principio in Pontificia Chronologia nihil falsius sit. Is itaque vulgaris error impositerum cavendus.

III. *Petrus Damiani fit Episc. Ostiensis ac Cardinalis.* *Stephanus* IX, antea *Joannes Fridericus* appellatus, natione Lotharingus fuit, ac Gozelonis Lotharingiæ Ducis filius. Cùm ad aures ejus, sanctitatis ac prudentiæ Petri Damiani fama delata fuisset, Petrus *ad suscipiendam Episcopalem cathedram, tam ab Episcopis ceteris, Ecclesiasticis viris, quàm ab ipso quoque Summo Pontifice compellitur. Qui porrò cernentes nil suis prorsùs cohortationibus, nil precibus proficere, jam ei cœperunt excommunicationis sententiam, si obstinatè resistere ultra decerneret, intentare*, &c. inquit Sanctus Joannes Laudensis ejus discipulus, cap. VI Vitæ B. Petri, qui addit, eum ex obedientia factum esse Episcopum Ostiensem, qui primus erat Cardinalium Episcoporum. Verùm id anno sequenti accidit, ut observat Henschenius ad diem XXIII Februarii, in Commentario prævio ad ejus Vitam num. XXIV. Augustinus enim Fortunius Monachus Camaldulensis in Vita Petri Damiani seculo XVI scripta, ait, *Stephanum Pont. Max. Ostiensem illi copulavisse Ecclesiam, sacrique Collegii decanum fecisse anno MLVIII, initio Quadragesimæ, mense Martio, sublato quatuor temporum*, & Ciaconius asserit, eo die primam Cardinalium creationem contigisse sub Stephano, & cum B. Petro Damiano sex alios factos Cardinales.

IV. *Marsorum Episcopatus à Stephano IX in priorem statum restitutus.* *Marsorum* Episcopatum in duas partes divisum Stephanus IX hoc anno in pristinum statum restituit, ut liquet ex ejus literis Tom. IX Concil. recitatis, & ad Pandulphum Marsicanum Episcopum datis: *Unam Marsicanam Ecclesiam*, inquit, *intestino & diuturno malo, & plus quam civili discordia secularium hominum miserabiliter distissam, & in duos Episcopatus contra Sanctorum Patrum canones à Theophylacto dicto P. pa divisam, & postea permissu magis quàm consensu, necessitate quam utilitate, à Sanctissimo prædecessore nostro Leone, sicut inventa fuit, & omissam, eamdemque sub beata memoria decessore nostro Victore, judicio Generalis Concilii, per divinam gratiam in gremio Basilicæ Constantinianæ aggregatam, quarto decimo Kalendas Maii, inditione decima, & divisionem illam unius diœceseos in duas partes evacuatam, & abdicatam, atque in antiquam sui status unionem reformatam, & in perpetuum ipsam, sicut justum fuit, diœcesim unam uni Episcopo decretam.* Inde Stephanus IX *interventu totius sanctæ Synodi* Pandulpho Marsicanum Episcopatum cum omni sua integritate largitur. In fine Epistolæ legitur: *Scriptum per manum .... Notarii & Scrinarii sanctæ Romanæ Apostolicæ sedis in mense Decemb. indict. XI datum*

SÆC. XI. An. C. 1057.

tum in castro Casino V Idus Decemb. per manus Humberti sanctæ Ecclesiæ Sylva Candida Episcopi & Bibliothecarii sanctæ Romanæ & Apostolica Sedis, anno primo domini Papa Stephani IX indict. XI. Memorati Concilii Romani sub Victore II nulla alibi mentio. Mariorum verò urbs, quæ erat sub Samnitibus, ubi nunc pars Aprutii ulterioris, juxta lacum Fucinum, jamdiu eversa fuit.

V. *Cedrenus Historiam suam absolvit.*

Adnum. XXXIV & seqq. *Michael Stratioticus* hoc anno imperio depositus, & *Isaacus Comnenus* in locum ejus subrogatus. Hæc de conjuratis Cedrenus: *Omnium consensu Isaacium Comnenum Imperatorem salutant, die octavo Junii mensis, indictione X, anno mundi 6565.*, eræ nempe mundanæ Constantinopolitanæ. Pluribus interjectis Cedrenus his verbis Compendium Historiarum suarum claudit: *Sub vesperam venit etiam Comnenus, & Palatium ingreditur. Postridie, quod fuit Kalendis Septembris indictionis undecimæ, anni ab origine mundi 6566. publica processione in Magnum Templum ivit, atque ibi supra suggestum Patriarcha* (sc. Cerularii) *manu redimitus Imperatorio diademate, Romanorum Imperator pronanciatur.* Quousque Cedreni Compendium nunc pertingit, eò usque perducta fuit prima editio Compendii Historici *Joannis Scylitzæ*, quam *Cedrenus* plagiatius insignis in suum Historiarum Compendium verbotenus transcripsit. Postquam verò idem Scylitzes ex Protovestiario & magno Drungario factus est *Curopalata*, secundam Compendii sui Historici editionem publicavit, quam Historiâ suorum temporum auxit, ab imperio *Isaaci Comneni*, hoc est ab anno MLVII usque ad annum MLXXXI, quo *Alexius Comnenus* abdicato Nicephoro, Botoniatæ in Imperio successit. *Scylitzes* verò ab ea, quam gessit Curopalatæ dignitate, vulgò *Curopalates* aut *Curopalata* cognominatus.

VI. *Michael Stratioticus Imperio deeitur.*

Sed redeo ad Michaelem Stratioticum, *Michaelus*, inquit Michael Psellus in Historia adhuc inedita, vir ambitiosus inæquali munerum militarium distributione statim milites à se alienavit: his enim auditis, illi ejusque ordinis quotquod Tribuni Ducesque erant ac præcipui, Byzantium veniunt, ut & illi paria aut etiam majora consequantur. Cùm autem par esset singulos seorsim accipere, Imperatoriisque ac munificos auspicari sermones: contrà ille cunctis primùm imbellem animum exprobat *Horum omnium legationem obibat Isaacius Comnenus. (Erat vero is Comnenus Colonia natus) omnis injuriarum atrocitate complutt, utpote qui vix non Antiochiam perdidisset, & copias dissolvisset; ac quidem nihil strenuum ac Imperatoris facinoris edidisset, multorum vero pecunias conflasset, & magistratum quem gerebat, non inclyta gloria, sed insatiabilis avaritia argumentum fecisset. In his obriguit ille repentino stupore, ac cum meliora expectans contrariis per summam injuriam acceptus esset: cùmque milites satisfactionem pro illo offerrent, Imperator his quoque linguam inhibuit, aliosque sprevit: cùm par esset, ut Isacium omni praconio, honoreque exciperet: ille contrà lenioris etiam animi natum omnem negavit. Hac prima plaga militibus fuit, & insidiarum in illum occasio.*

VII. *Isaacius Comnenus fit Imperator.*

Tandem Comnenus caput rebellionis eligitur, qui acie diligenter instructa jam prope Urbem venit. Imperator Psellum Legatum ad eum misit, *ut qua praditus esset facundia, arteque Sophistica, illius emolliret animum, ut se ad eum transferret.* Comnenus Legatos quidem humanissimè excepit; sed quæcumque ii egerunt ad fucum Comneno faciendum nihil præstiterunt. Interim venêre, qui Psello nuncium attulerint, *ejectum solio Regali Imperatorem nonnullorum Senatoris ordinis insidiis & factione, qui & habitum mutare, & ad divinæ sapientiæ sacram ædem confugere eum coegissent.* Paulò pòst subjungit Psellus de se ipso, ut antea, loquens: *In his omninò concussi sumus, atque in unum convenientes, alii alios sciscitabamur, num hac vera essent? Ac verò, cujus erat primum tentorium, verum esse rumorem aiebat. Jam enim præsto illi esse ex civitate servorum unum, virum solertissimum, honestissimumque, qui cuncta clare nunciaverit, nempe seditiosos quosdam ac turbulentos (cujusmodi nos ipsi scimus Senatorio Ordini insertos). Hos itaque aiebat, turbata civitate, cunctis rebus confusis, atque his, qui sedatioris animi essent, comminatos esse incendia, aliaque pericula intra divinum divina sapientia septum, atque adyta temere invadentes, exindeque Patriarcham nullo negotio deducentes chori caput ac Ducem suum fecisse; altoque sublato atque producto ululatu, Imperatori quidem dira comprecatos esse, omnemque in eum maledicam vocem misisse: Isaacium autem faustis omnibus atque vocibus prosecutos esse, ut qui solus imperio ex majestate posset præesse.* Venit itaque in Urbem Isaacius, ubi effuso omni populo magnificè acceptus est, *Anochoretis ipsis, & Stylitis* Imperatorium ingressum pompamque miraculo complentibus. Porrò Isaacius Psellum *Præsidem*, idest, Principem Senatûs renunciavit. *Imperator quidem Michaelius senior per anni circulum in imperio versatus, inde depositus est; breveque aliquod tempus privati habitu superstes vitam cum morte commutavit.* Hæc Psellus ipse.

VIII. *S. Eduardus Anglia Rex de successore cogitat.*

Edoardus Edmundi Regis filius, cognomento *Exulex*, qui hactenus extorris in Hungaria vixerat, hoc tandem anno in Angliam venit, à Sancto Edoardo Rege, ut suprà diximus, vocatus: annum notarunt Ingulphus hujus temporis Scriptor, & Hovedenus, qui ultimus scribit: *Anno MLVII, Clito Edwardus* (ita Regum filii in Anglia vocati, ut videre est in Glossario Ducangii, voce *Clito*) *Regis Edmundi Ferrei lateris filius, ut ei mandarat suus patruus Rex Eadwardus de Hungaria, quò multo ante, ut prædiximus, in exilium missus fuerat, Angliam venit. Decreverat enim Rex illum post se Regni hæredem constituere: sed ex quo venit, parvo post tempore vità decessit Lundoniæ.* Quod & Simeon Dunelmensis habet. De ejus liberis, Eadgaro, Margareta & Christina, seu Christiana, infrà sermo erit. Hîc sufficiat monere è Margarita & Malcolmo III Scotiæ Rege, cui nupsit, recto nascentium ordine Scotiæ Reges, qui nostra ætate Scotiæ & Angliæ Reges extitêre, prognatos, & *Margaritam* in Sanctorum numerum relatam fuisse.

IX. *Deplorandus Ecclesia Mediolanensis status, quando S. Arialdus Clericus factus.*

Hoc anno magnum in Urbe Mediolanensi Schisma exortum inter Archiepiscopum Mediolanensem & ejus successores, ac Clerum Mediolanensem ex una parte, & inter *Sanctos Arialdum* Clericum Mediolanensem, *Herlembaldum*, unum ex viris Primariis ejusdem Civitatis, ac eorum fautores ex alia, prioribus Sacerdotes incontinentes & simoniacos defendentibus, ultimis verò eis adversantibus. Arnulphus enim

Mediolanensis

SÆC. XI. An. C. 1057. Mediolanensis Historicus, qui tunc Mediolani vivebat lib. 4. cap. 7. postquam narravit *Herlembaldum* pro Sacerdotum castitate pugnantem anno MLXXVI occisum fuisse, ejusque sectatores exterminatos, ait: *Hic jam apparet schismatis hujusce terminus, decem novemque annos semper ab ipsa radice* (secessu nempe Arialdi à Sacerdotibus incontinentibus hoc anno facto) *pullulando protensi.* Beatus Andreas Abbas Congregationis Vallumbrosæ, Sancti Arialdi discipulus, cujus Vitam scripsit, quam integram refert Puricellus lib. 2. de SS. Arialdo & Herlembaldo, alteramque ejusdem Sancti Vitam Landulphus à Sancto Paulo, seu *Landulphus junior* circa annum MCXXXVI publicavit, & Puricellus etiam repræsentat, licet prior majorem fidem mereatur. Narrat B. Andreas cap. 3. omnem ordinem Ecclesiasticum, quando *Arialdus* Clericatu insignitus, corruptum fuisse: *Nam alii cum canibus & accipitribus huc illucque pervagantes suum venationi lubrica famulatum tradebant. Alii verò tabernarii, & nequam villici, alii impii usurarii existebant. Cuncti ferè aut cum publicis uxoribus seu scortis, suam ignominiosè ducebant vitam.... Universi sub simoniaca hæresi tenebantur implicati, quatenus à minimo usque ad maximum nullus ordo vel gradus haberi posset, nisi sic emeretur, quomodo emitur pecus:* Paulò pòst: *Nemo tunc qui tanta perversitati resisteret apparebat, sed cùm lupi essent rapaces, veri putabantur esse Pastores.*

X. *Ejus reformationi S. Arialdus cum sociis collaborat.* Tum cap. 4. B. Andreas refert, quomodo *Arialdus* Mediolanenses hortatus fuerit, omnemque operam adhibuerit, ut Mediolani tam conjugia Sacerdotum, quàm simonia abolerentur. Unus ex præcipuis Cleri Mediolanensis *Landulphus Cotta* cognominatus, & laicus nomine *Nazarius* se se ei adjunxère, & statim ad conjugium Clericorum detestandum plures adduxère: *Exhortantibus denique Arialdo, Landulphoque populum fideli & assidua doctrina supra Clericorum nefanda, & execranda eorum connubia, sic ab eodem populo intra aliquanta tempora sunt persecuta & deleta, ut nullus existeret, quin aut cogeretur tantum nefas dimittere, vel ad altare non accedere*, ait B. Andreas cap. 7. qui sequentibus capitibus subjungit, Clerum adversùs *Arialdum* irritatum sæpe adversùs eum conspirasse, & *Clericos suburbanos*, ut de eo vindictam sumerent, Ecclesiam ab eo ædificatam evertisse. Quæ dum fierent, Clerus Mediolanensis de eo questus est, non tantùm apud Episcopos provinciæ; sed etiam apud Stephanum Papam, qui *Guidoni* Archiepiscopo Mediolanensi, simoniaco quidem, sed qui parùm de Sacerdotum conjugiis curabat, mandavit, ut Concilium Provinciale cogeret. Id illud *Novaræ* congregavit, sed Arialdus & Landulphus Cotta ei interesse noluère: *Factus est Synodalis Præsulum Conventus per Guidonem Archiepiscopum Novariæ: ubi cùm triduo prædictis vacarent negotiis, placuit pluribus Landulphum & Arialdum absentes, excommunicandos; factumque est*, inquit Landulphus Junior cap. 8. apud Puricellum lib. 3. de SS. Arialdo & Herlembaldo. Verùm hæc excommunicatio à Stephano Papa, Romæ quò accusati profecti fuerant, nulla declarata.

XI. *Legati à Papa Mediolanum missi.* Romæ tamen Longobardi non pauci, & cum illis *Dionysius* Cardinalis in *Arialdum* acerbiùs invehebantur, quod eidem primo aditu nocuit, sed non diu post Pontificis animum sibi reconcillavit, & Mediolanum duo Legati missi, *Anselmus* nempe *Badagius* Lucensis Episcopus, & *Hildebrandus* Romanus postea Pontifex, Gregorius VII appellatus, ut scribit Landulphus Senior. SÆC. XI. An. C. 1058. Tunc Arialdus, sociique ipsum Guidonem Archiepiscopum aggressi sunt, eum simoniacum vocantes, &, ut inquit Beatus Andreas cap. XI, *per idem tempus Christi famuli* (Arialdus nempe, & Landulphus Cotta) *cernentes omnem populum ad sequendum quidquid dicerent esse promptissimum, de simonia, quam eatenus reticuerant, palam loqui incipiunt.* Refert ibidem exhortationem ab Arialdo populo factam, quæ his verbis clauditur: *Nonne de hac re dicit Propheta? Maledictus, qui prohibet gladium suum à sanguine, hoc est ab interfectione hujus nequissimæ belluæ*, quæ verba Archiepiscopo ac Clero Mediolanensi magnum timorem fecère: *Guido*, inquit B. Andreas, *qui dicebatur Archiepiscopus* (sed qui simoniacus erat), *& pars maxima Clericorum & militum, nec non & multi de populo minore nequam viri se cernentes dixerunt ad invicem; Hæc namque doctrina, si ad profectum venerit, nobis nostrisque filiis profectò nullo modo vivere expedit. Quæ enim est nostra vita nisi Ecclesiarum beneficia, quæ assiduè venduntur, & emuntur?* Tuncque populus fidelis, Arialdo impulsore, se se à Cleri simoniaci communione segregavit cœpitque schisma inter utrosque, quod per annos decem & novem, ut suprà ex Arnulpho diximus, duravit. Hic Auctor in Opere suo usque ad caput VII libri IV schismaticos defendit, sed in posterioribus palinodiam cantavit, nulla tamen immutatione facta in his, quæ cum calumnia usque ad illud caput VII inclusivè literis mandarat. Puricellus in Monum. Basilicæ Ambrosianæ, & in Dissert. Nazariana, ac in Vita SS. Arialdi & Herlembaldi multa ex hoc Auctore in medium adducit, quorum ope Annales Ecclesiasticos supplebimus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6551. Anno Eræ Hispan. MXCVI.
☉ 3. D. ☽ 14. P. 19. April. Indict. 11. Anno Hegiræ CCCCL, inchoati die 27. Febr. fer. 6.
JESU CHRISTI 1058.
STEPHANI IX PAPÆ 1.
HENRICI IV REG. 3.
ISAACI COMNENI IMP. 2.

ANNUM. I ad X. Lambertus Schafnaburgensis, qui à Natali Christi annum exorditur, I. *Moritur Stephanus IX PP.* de Henrico Germaniæ Rege & de Stephani Papæ morte hæc scribit: *Rex Natalem domini Merseburg celebravit, aderatque ibi inter alios regni Principes, etiam Hildebrandus Abbas de Sancto Paulo* (Hildebrandum postea Gregorium VII in Pontificatu appellatum, *Subdiaconum* à Leone IX ordinatum esse, ac monasterio Sancti Pauli prælatum, testis est Paulus Bernriedensis, Canonicus Regularis, in ejus Vita, in Actis Bollandianis ad diem XXV mensis Maii recitata) *mandata deferens ab Sede Apostolica, vir & eloquentia & sacrarum literarum eruditione valde admirandus.* Paulò pòst: *Piæ memoriæ Stephanus Papa, qui & Fridericus, cùm in civitate Florentia moraretur, IIII Kalendas Aprilis naturæ mortali debitum solvit, & verè (ut speramus) de hac convalle lachrymarum ad gaudium transiit Angelorum. Indicio sunt signa & prodigia, quibus sepulchrum*

ejus in eadem civitate usque hodie divinitus illustratur. Chronicon suum anno MLXXVII Lambertus absolvit, testaturque se hoc anno *Idibus Martii* Monachum induisse, & *in jejunio autumnali* Presbyterum ordinatum, statim peregrinationem Hierosolymitanam suscepisse, qui ideo suspectus esse non potest in iis, quæ de Hildebrando & de Stephano IX memoriæ prodit. Idem scribit Leo Ostiensis lib. 2. cap. 101. *Post hæc congregatis intra Ecclesiam Episcopis & Clero populoque Romano, sub districta nimis inhibitione constituit, ut si antequam Hildebrandus Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus* (qui ideo hoc & præcedentibus annis, à pluribus *Archidiaconus* perperàm appellatur), *ab Imperatrice, ad quam pro quibusdam Reip. negotiis communi consilio mittebatur, rediret, se mors contingeret, nullus omninò Papam eligere auderet: sed usque ad illius reditum, sedes Apostolica intacta vacaret, ejus demum ordinanda consilio. Inde ipse in Tusciam properans, non multò pòst morbo depressus, Florentiæ obiit IIII Kalend. Aprilis, ibique digno honore sepultus est*, &c. Idem ac Leo Ostiensis Petrus Damiani apud Baronium num. XII literis mandavit.

II. *Annos Sedis à die Electionis suæ deduxit.*

Ex his à duobus Auctoribus hoc tempore viventibus scriptis, hæc certò eruuntur. Primum, Hildebrandum Subdiaconum hoc tempore magna sapientiæ & sanctitatis laude fulsisse. Secundum, Stephani IX mortem à die vicesima nona mensis Martii præsentis anni removeri non posse. Tertium, eumdem *Stephanum* Sedis suæ annos, non à sua inthronizatione, sed à sua in Romanum Pontificem electione deduxisse; in omnibus enim Catalogis nostris, uno excepto, in quo numeri corrupti, Stephano IX adscribuntur menses VII & dies XXIX, numerato etiam die sepulturæ, ut non tarò fit. *Placidus* quidem *Puccinelli* in Chronica Abbatiæ Florentinæ existimat, ejus exequias singulariter à Monachis ejusdem Monasterii die XXIX mensis Martii actas fuisse, quod in Monumento, nunc ad Palatium Magni Hetruriæ Ducis translato, legatur. *D. O. M. Stephano Papæ IX. Olim Juniano Friderico, Gozelonis Lotharingiæ Ducis filio, Apostolicæ Sedis Cancellario, Monacho & Abbati Casinensi, Cardinali tit. S. Chrysogoni, Pontifici Opt. Max. pio, felici, sanctitate & miraculorum gloria illustri, Gothifredus Hetruscorum dux, ut defuncto fratri domi suæ & inter proprios amplexus, quas potest caritatis suæ vices rependat, non sine lachrymis parentat. Monachi Abbatiæ Florentinæ in ædibus ad Divi Joannis Baptistæ afferunt, & justa solvunt. IV Kalendas Aprilis, MLVIII.* Verum in eo Epitaphio non dies sepulturæ, sed dies mortis disertè memoratur, nec aliud in eo mysterium, aut aliqua sepulturæ mentio.

III. *Origo Patarinorum.*

Sedente Stephano IX *Patarinorum* nomen Mediolani audiri cœptum; ut enim anno MXLIV num. IX ostendimus, *Bonizo* Episcopus Sutriensis librum de Romanis Pontificibus, qui à Benedicto IX ad annum secundum Urbani II vixère, composuit, in quo ait, se egisse *de Stephano* (hujus nominis IX) *Godefridi Ducis germano, & qualiter ejus temporibus patarea apud Mediolanum exorta est.* Sigonius lib. IX. Hist. de Reg. Ital. ait, *Sanctum Arialdum* adeo fecundis populi Mediolanensis auribus conjugatos Sacerdotes impugnasse, ut qui ex illis uxores haberent, præ pudore separatim à ceteris rem Divinam facere cogerentur in loco, qui *Pataria* dicitur, unde subdit, *vulgò à pueris Patarini ad contumeliam dicebantur.* Verum, non Sacerdotes concubinarii, sed qui cœlibatum defendebant, ab illis Patarini appellati, teste Arnulpho lib. 4. cap. 7. ubi postquam schisma inter utrosque per annos XIX Mediolani perdurasse scripsit, subjungit: *Unde Patarinum primò processit vocabulum, non quidem industriâ, sed casu prolatum.* Confirmantur hæc ex dicendis anno MLXXXIV num. VIII, & ex Landulpho Seniori apud Puricellum lib. 4. cap. 7. ubi fusè narrat Orationem à Dionysio Cardinali adversùs Arialdum Romæ coram Stephano Papa hujus nominis IX, vulgò X habitam, ubi coram eodem Pontifice Pataliæ seu Patareæ nomen Arialdo attribuit: *Cùm hujus inaudita* PATALIÆ *placitum cogitasti commovere, qualiscumque intentionis esses, ab Apostolico, aut ab aliquo religioso viro, priùs multis cum jejuniis debuisti consiliari, quàm hujusmodi negotium tam magnum, & tam periculosum cum viris illiteratis inchoasse: & quod cum humilitate & patientia, bonisque admonitionibus debebas docere, hoc cum lanceis, fustibus, ut asseritis, laicis super Sacerdotes currentibus, administrasti.* Infrà Dionysius ait: *Velint, nolint, fustibus ac plagis diversis castificas eos; imò incestos animo & corpore patenter reddis.... omninò Sacerdotum vitam & Ecclesiarum cunctarum mores, longasque eorum consuetudines* (vides jam à pluribus annis Mediolani Sacerdotum concubinatum fuisse abrogatum) *crudelissimis Christianis quasi canibus lymphaticè ad rodendum sub obtentu castæ religionis dedisti.*

IV. *Nomen illud Arialdistis primùm & dein hæreticis tribu-tum.*

Quos *Patarinos* alii vocabant, Lombardi literam R. in L. de more mutantes *Patalinos* appellabant, ideoque *Patalia*, *Patarea*, vel *Pataria* unum & idem designant, ac liquet, *Bonizonem* laudatum, quando ait, Stephani Papæ temporibus *Pataream apud Mediolanum* exortam esse, intelligere bellum civile inter Clerum Mediolanensem, ejusque fautores adversùs Arialdum, & plebem Mediolanensem excitatum. Licet autem Arnulphus & Landulphus Senior disertè asserant, *Patarinorum* nomen sectam Arialdistarum designasse, certum tamen circa sequentis seculi initium hæreticos, qui tunc Ecclesiam vexabant, eo nomine appellatos fuisse, uti *Manichæos* in Longobardia viventes, ubi numerosi erant, præsertim in Diœcesi Comensi, quos cùm Catholici persequi cœpissent, populus, qui *Patarinorum* nomen retinuerat, licet ejus originis & ethymologiæ memoriam non conservasset, absurda nomina excogitavit, ut quantum eos [illegible] abhorreret, manifestiùs ostenderet. Sic in Gallia infideles & hæretici omnes *Hugonoti* à populo appellati, & ante exortam hæresim Calvinianam *Valdenses* dicti; quo nomine etiamnum in quibusdam Galliæ partibus hæretici omnes vocari. Sed de Patarinis hæreticis infrà sermo erit. *Patarinorum* autem nomen Stephano IX Romæ sedente, occasione Arialdistarum, *non quidem industriâ sed casu prolatum* esse ad eos denotandos indicant, non tantùm Landulphus Senior & Arnulphus; sed etiam Bonizo, cujus mox verba recitavimus; ac præterea Hugo Flaviniacensis in Chronico pag. 228. ad annum MLXXXIV, ubi ait: *Si quis esset, qui Gregorio communicaret, hic publicè conviciis appetebatur, hic hæreticus, destructor regni, assertor mali, qui nec vita dignus esset, qui publicæ indignationis offensam contraheret perjurus, &* QUODAM ADINVENTITIO

NOMINA

NOMINE PATERINOS *dicebatur.* Quare noviter tunc nomen illud adinventum erat.

V. *Arialdistæ inter pejores hæreticos à Schismaticis numerati.*

Nec alios Patarinos, quàm Arialdistas denotat Encomiastes Anonymus Heurici IV ipsi contemporaneus, qui extat Tom. I Collectionis Freheri, quandu ait: *Et Arrianı, & qui nostris temporibus emerserunt Paterini, de quibus postea dicturi sumus.* Cetera quæ rem magis explicare poterant, in eo encomio desiderantur. Nec dubium, quin Encomiastes *Arialdistas* intelligat, quia Germani Henrici Regis sectarores Gregorium VII enormium hæreseoo, magiæque accusabant, & qui ei adhærebat, omnium criminum reus habebatur: *Hic hæreticus, destructor regni, assertor mali*, ut mox ex Hugone Flaviniacensi diximus. Falsi igitur sunt, qui laudatum Encomiastes Henrici Regis locum de *Patarinis* hæreticis interpretati sunt, ut ex dicendis anno MCIV magis constabit.

VI. *Benedictus X Sedem Romanam invadit.*

A num. X ad XVII. Lambertus citatus, ubi Stephani IX mortem narravit, statim subdit: *Sedem Apostolicam protinus, inconsulto Rege* (sc. Henrico) *& Principibus invasit Benedictus quidam Lateranensis adjutus factione popularium, quos pecuniâ corruperat.* Continuator verò Hermanni Contracti: *Romæ Stephanus Papa obiit. Rom. autem acceptâ pecuniâ quemdam Joannem contra canones elegerunt, qui sine consecratione per aliquot dies sedens à Gothefrido Duce* (sc. Hetrutiæ) *expellitur.* Ubi Anonymus iste aliquot dierum nomine menses aliquot intelligit, quo loquendi modo etiam alii Auctores utuntur; sed in eo errat, quòd Stephanum IX Romæ demortuum tradat. Hunc *Benedictum* Pseudo-Papam, appellatum *Benedictum* X, sedisse menses novem & dies XX, pleríque ex nostris Catalogis habent; ideoque à die XXX Martii ad diem XVIII mensis Januarii sequentis Christi anni, ut mox videbitur. Is licet omnium sententiâ Antipapa fuerit, verus tamen ejusdem nominis Pontifex initio seculi XIV creatus, Benedicti XI nomen sumsit, ex quo intelligimus, summopere hallucinatos viros Eruditos, qui *Leonem* VIII verum Pontificem credidêre, quòd Sanctus Leo, non se se Leonem VIII, sed Leonem IX appellarit.

VII. *Nicolaus II eligitur Pontifex Rom.*

Venio nunc ad electionem Successoris Stephani IX, quam *Senis* habitam fuisse, docent vetera Nicolai II Acta, à Baronio num. XV laudata. Henricus Germaniæ *Rex Gerardum Florentinum Episcopum, in quem & Romanorum & Teutonicorum studia consenserant, Pontificem designat, Romamque per Godefridum Marchionem* (seu Ducem Hetrutiæ) *transmittit*, inquit Lambertus citatus. Leo verò Ostiensis lib. 3. cap. 12. de Hildebrando è Germania reduce ait: *Florentiæ substitit, suisque literis Romanorum Primates conveniens, ubi eorum percepit assensum, annitente Gothefrido Duce, Gerardum Florentinum Episcopum mox in Romanum Pontificem eligit: atque unà cum ipso & Duce Romam, mense Januario, venit. Ubi præfatus electus à Romano Clero, & populo in Sede Apostolica locatus, Nicolaus sortitus est nomen*, Nicolai nempe hujus nominis II, qui ideo mense Januario sequentis Christi anni, inthronizatus est, & currenti anno, mense Decembri, Senis electus. Rectè itaque Baronius anno MLX num. IV notat, Nicolaum *mense Januario*, post diem tamen octavum ejusdem mensis, annos Sedis suæ numerasse, ideoque non à die Electionis, sed à die inthronizationis. Refert enim ibidem clausulam Privilegii monasterio Sanctæ Felicitatis ab eodem Pontifice concessi, quod dicitur *datum Florentiæ VI Idus Januarii anno ab Incarnat. D. N. Jesu Christi MLIX per manus Humberti sanctæ Ecclesiæ Sylvæ Candidæ Episcopi, & Apostolicæ sedis Bibliothecarii, anno primo Pontificatûs domini Papæ Nicolai II, indict. XIII*, ideoque anno MLX, qui Florentiæ, ubi annus à die XXV Martii exordiebatur, numerabatur adhuc annus MLIX. Si enim anno MLX die VIII Januarii nondum secundum sedis suæ annum inchoarat, anno MLIX post eumdem diem inthronizatus fuerat.

VIII. *Dies electionis & inthronizationis ejus.*

Nicolaum II hoc anno *Senis* electum fuisse, inter omnes convenit; hanc verò electionem, non die IX Decembris, ut habet Papebrocius in Paralipomenis ad Conatum Chronico-Hist. sed die vicesima octava ejusdem mensis peractam, ex dicendis in morte ejus constabit. Idem Papebrocius ejus inthronizationem differt usque ad diem tricesimum primum Januarii insequentis anni. Verùm jam die decima octava ejusdem mensis *Nicolaum* Pontificatum gessisse ostendit Privilegium Priori Sancti Andreæ Musciani ab eo concessum, quod Ughellus in Append. Tom. V. pag. 1628. recitat; in ejus enim fine legitur: *Datum XV Kal. Februarii per manus Humberti Episcopi S. E. Sylvæ Candidæ Cardinalis Apostolicæ Sedis Bibliothecarii, anno Domini MLIX, Pontificatus autem domini Nicolai II primo, indict. XII*, quæ eo Christi anno mense Januario in cursu erat. Quare die XVIII mensis Januarii *Benedictus* X Antipapa, dum apud *Sutrium* Synodus celebraretur, Sedem quam invaserat, reliquit, & in domum propriam remeavit, eademque die Nicolaus II Romam venit, & *juxta consuetum ordinem à Cardinalibus in Sede Apostolica positus est*, ut verbis utar Nicolai Cardinalis Aragoniæ. Eo pariter die laudatum Privilegium ab eodem Pontifice emissum; ideoque *Benedictus* X, cui tribuuntur menses IX, & dies XX, Sedem Romanam seriùs non invasit, quàm die XXX Martii anni currentis.

IX. *Anno tantum sequenti inthronizatus.*

Vidit hanc difficultatem Papebrocius citatus, responditque in laudata subscriptione à sciolo quopiam numeros esse depravatos, quia, inquit, Pontifex stylo Florentinorum, qui annum à die XXV Martii exordiuntur, usus est, indeque Charta ad annum MLX referenda. Sed hæc gratis asserta. *Nicolaus* enim quando Florentiæ fuit, ut suum Florentinis amorem testaretur, eorum eram adhibuit quemadmodum *Leo* IX, qui Tullensis Episcopus fuerat, in Charta à se, dum jam Pontifex Romanus esset, Tulli data, Episcopatûs sui annum XXV ob eamdem rationem memoravit, sed postea tam ipse, quàm *Nicolaus* II non reperiuntur, in temporibus suis dimetiendis ab usu à ceteris Pontificibus usurpato discessisse. Quod de Nicolao II necessariò dicendum, cùm in laudato exemplo indictionem XII cum mense Januario anni MLIX conjungat. Poterunt tamen hæc de die invasionis Benedicti IX & Nicolai II inthronizatione magis examinari; hîc enim unum tantùm contendimus, *Nicolaum* die XVIII mensis Januarii sequentis Christi anni jam inthronizatum fuisse.

X. *Obitus Casimiri Poloniæ Regis & B. Rechezæ ejus matris.*

Casimirum Poloniæ Regem hujus nominis primum hoc anno die XXVIII Novemb. extremum vitæ clausisse diem, & *Boleslaum* secundum, ejus filium adhuc adolescentulum eidem successisse, tradunt Longinus & Chromerus in

Historia Polonica. Fuit *Casimirus* literis mediocriter eruditus, at primus inter Reges Poloniæ literis excultus, & in Ecclesiasticos homines imprimis propenso animo. Beata *Richeza* Poloniæ Regina, Casimiri mater, quæ in Germania vitam traducebat, ut suo loco diximus, post mortem *Ottonis* Comitis Palatini fratris, quem plurimùm diligebat, accepto à *Brunone* Tullensi Episcopo, & postea Summo Pontifice, sacro velamine, in monasterio Brunweilerensi, ab *Erenfrido* patre suo & *Mathilde* matre prope Coloniam fundato, vixit adhuc usque ad annum millesimum sexagesimum tertium, diemque vigesimum primum mensis Martii. De ea in Martyrologio Usuardi, ex Additione Molani ad diem XX Martii legitur: *Coloniæ ad Gradus obitus Rixæ Reginæ, neptis Sancti Annonis Episcopi* (nempe Coloniensis), *cujus non canonizata corpus patet in magnis festis.* Papebrocius ad diem XXI mensis Maii refert Acta Erenfridi & Mathildis, eorumque filiæ Richezæ, à Monacho Anonymo scripta, apud quem plura.

XI. *Cerularius Patriarcha Constantinop. relegatur.*

Ad num. XVII & seq. Michaël Cerularius Patriarcha Constantinop. *die Festo Archangelorum* ab Isaacio Comneno relegatus est, ut narrat Baronius ex Curopalate; verùm non hoc anno, sed sequenti, ut mox ostendam, postquam de ejus Successore verba fecero. De Cerulario Psellus in Isaacio Comneno: *Michaelum Patriarcham liberiùs semel illi locutum, audacioreque voce sibi abusum, tunc quidem dimisit* (sc. Comnenus) *iram cohibens; sibi enim arcanum animo secum versans consilium inexpectato erumpit, ac velut nihil novarum rerum ageret, tum Urbe ejicit, tum certis locis exilio punit, ubi & vitam finivit. Id enim verò qua demum ratione peractum sit quod prolixiori sermone indigeat, dicere nunc supersedeo. Si quis enim utrique arbiter sedere velit, alteri quidem initium versat criminis; alteri autem finem.* Zonaras in Isaacio Comneno ait, hunc, ut Cerulario Patriarchatum abrogaret, usum esse *operâ quorundam primariorum Sacerdotum, & Pselli variarum & absurdarum criminationum coacervatoris, quas in Oratione contra illum scripta congessit.* Extat adhuc illa Michaëlis Pselli Oratio inter Opera posthuma Combefisii aliquando lucem visura. Fatetur Psellus in his quæ Episcopi essent, rerumque Divinarum scientiâ rudissimum Cerularium fuisse. Is tamen Schismatis auctor, quod post tot secula perdurat. Neque enim *Photius*, Vir in rebus Theologicis versatus, Græcæ & Latinæ Ecclesiarum scissuræ auctor dici potest; cùm Joannis VIII indulgentiâ Ecclesiæ Romanæ reconciliatus fuerit, & in Romanis tabulis variorum Græcorum nomina legantur, qui post *Photii* mortem floruêre. Quo fundamento innixi suprà diximus, *Wolodomirum* Russiæ Regem à Russis ante hæc tempora cultum, tutò à Latinis Sanctum haberi posse, quod & de *Simeone Metaphraste*, aliisque non paucis pariter dicendum.

XII. *Constantinus Lichudes fit Patriarcha Constantinop.*

In locum Michaëlis Cerularii Imperator substituit *Constantinum Lichudem*, seu Lichudem Præsidem & Protovestiarium, Virum longo tempore in administratione rerum communium cum laude versatum, & magnum Pselli amicum, qui de eo scribit: *Erat vir ille strenuus, culta literatura ac facundia summam arcem tenens, atque ad omnem sermonum vim linguam expeditam ac paratam habens. Actiones politicas egregiè callebat. artis enim Rhetoricæ, quam is plurimùm auxerat, majori probabilitate eis conciliata, leges Politicas admiscens, egregiis vinculis modisque articulum stringebat. Eratque illi scriptura, quod quidem ad sermones attinet, ad Rhetoricos, elegans, & ad Atticam vocem elimata: quod vero ad Politicas actiones simplex, & consueta ac clara. Huic nimirum præclarissimo viro concredita Imperator* (sc. Monomachus) *rerum administratione, tum ipse sensim pene respirabat, factusque vir ille spectabilis* (nempe Lichudes) *ad primam imperii speculam subvectus erat. At quid inde? Æmulatur eum Imperator, ac velut in eum translato imperio, vulnus ferre non poterat. Semel itaque concepto in eum odio, Imperialibus eum causis ac negotiis amovet; Deus autem nobiliori eum sorti præficit, divinæque sua sapientiæ mystagogum, mystamque constituit,* idest, Episcopum.

XIII. *Cerularii depositio anno sequenti facta.*

Baronius, aliique passim *Cerularii* depositionem & *Lichudis* creationem ideo hoc anno collocant, quia in Serie Patriarcharum Constantinop. in lib. IV Juris Græco-Rom. Cerulario anni quindecim attribuuntur; die enim XXV mensis Martii anni MXLIII ad culmen Pontificale evectus fuerat. Verùm cùm *Constantinus Lichudes* post sedem annorum quatuor & sex mensium, circa initium mensis Januarii anni millesimi sexagesimi quarti vivendi finem fecerit, anno millesimo quinquagesimo nono post diem octavum mensis Junii Patriarcha creatus est. Curopalates enim, cujus verba Baronius recitat, asserit *Cerularium* die festo Archangelorum dignitate depositum esse, cui Zonaras suffragatur. Græci autem, ut in eorum Menologio videre est, Festum Archangelorum ac S. Michaelis bis in anno celebrant, die nempe octava Junii, & die sexta Septembris. *Cerularius* itaque non annos XV, sed annos XVI, & menses circiter tres Ecclesiam Constantinopolitanam administravit, & anno solùm sequenti mortuus est.

XIV. *Obitus S. Paterni Reclusi.*

Sancti Paterni Reclusi Paderbornæ in Saxonia inferiori mortem his verbis recitat Papebrocius ad diem X April. ex autographo Mariani Scoti Chronico, quia vulgatum hoc in loco corruptum: *Anno MLVIII Poderbrunna civitas cum duobus monasteriis, idest Episcopatûs & Monachorum, feriâ VI ante Palmas, igne consumitur. In monasterio autem Monachorum erat Paternus nomine, Monachus Scotus, multisque annis inclusus qui etiam combustionem prænunciabat. Hic ambiens martyrium, pro nullo foris exivit, sed in sua clausula combustus, per ignem pertransivit in refrigerium; de cujus etiam sepulchro quædam bona narrantur. Ipsis verò statim diebus feriâ II post octavas Pascha, exiens de Colonia, causâ claudendi cum Abbate Fuldensi ad Fuldam, super mattam in clausola ipsius ubi supra eamdem mattam combustus & passus est, ego oravi.* Mattæ nomine Marianus intelligit stoream seu tegetem monachicam ita appellatam, quòd Monachi ipsimet eas texerent, in iis cubarent, orationes funderent, collationes haberent, extremum denique spiritum exhalarent, ut variis exemplis ostendit Ducangius in voce *matta*. Petrus Damiani anno sequenti scribens Epistolam seu Opusculum apologeticum pro demissione Episcopatûs, cùm variis exemplis ostendisset, etiam optimis Dei servis mortem quandoque funestam obvenire, totam hanc Historiam, ut sibi narrata fuerat, expendit, & ad diem XVI Aprilis

SÆC. XI An. C. 1058 Aprilis in Actis SS. Bollandianis Sanctus *Drogo*, sic eos, qui propter grassans incendium, ut è cella exiret, hortabantur, alloquitur: *Votum vovi domino & persolvam: si verò divina pietati placuerit quod flammis cremer, fiat voluntas ejus.* Sed Drogoni sequenti seculo Recluso in Hannoniâ combustâ cellâ non nocuerunt flammæ, nocuêre Paterno, *quod profectò Dei judicium non tam discutiendum est, quàm timendum*, inquit Petrus Damiani laudatus. Acta Sancti Drogonis à Papebrocio etiam illustrata.

XV. *Barcinonensis fides Christiana valdè addictis.* Factum hoc anno fœdus adversùs *Alchagibum* Ismaelitam Cæsaraugustæ Ducem inter *Raimundum* Comitem Barcinonensem ac *Adalmodim* uxorem ejus, & *Ermengaudum* Urgellensem Comitem, cui subscripsêre aliquot Episcopi & aliquot Magnates, ut videre est in Appendice Marcæ Hispanicæ, ubi Baluzius ex Archivis Barcinonensibus fœdus illud exhibet, quod dicitur *actum Nonis Septembris anno XXVIII Regis Henrici*, qui ideo anno MXXXI Roberto patri die XX mensis Julii demortuo in Francorum Regnum successerat. Quæ Epocha variis aliis Actis indubitata redditur. Refert ibidem Baluzius Acta Dedicationis Ecclesiæ Barcinonensis ab Episcopis octo peractæ; quo in Conventu lectum est decretum *Hali* Ismaelitæ *Ducis Deniæ* & Insularum Balearium, quû ad exemplum patris sui *Mugehid*, easdem Insulas & Episcopatum Deniæ posuit sub jure & Diœcesi Episcopi Barcinonensis. *Dianum* celebre olim Bœticæ oppidum erat, quod hodie *Denia* dicitur, Marchionatûs titulo illustratum, de quo Oppido legendus Marca lib. 2. Marcæ Hisp. cap. 5. ubi egregiè de eo disserit. Postquam verò *Majorica* insula anno MCCXXX à Jacobo Aragoniæ Rege Saracenis erepta fuit, erecta ibidem Sedes Episcopalis, ut videre est apud Baluzium lib. 4. Marcæ Hisp. ad annum MCCXXVIII, ubi de hac institutione accuratè agit.

XVI. *Initium sectæ Almorabitarum.* Nova secta in Africa hoc anno exorta juxta Noweirium, qui ait, Saracenum quendam in magno Deserto Africæ habitantem, cùm *Meccam* proficisceretur, *Cairoano* transeuntem cum doctore quodam legis Mahometicæ colloquium habuisse, ex eaque peregrinatione reducem, in *Zaaram* Africæ regionem venisse, & Musulmanæ religionis reformationem exorsum esse. Hujus sectæ Imperator *Ababeker* renunciatus fuit, eoque anno Christi MLXIX demortuo, *Josephus* Tachesini filius, ex præcipuis Abubekri Ducibus unus, Imperator, seu *Amir Almoslemenus* electus. Huic se se adjunxêre Mauritaniæ populi, proprio Principe exterminato. De isto *Josepho* Marochionum Regni conditore anno MLXXVII sermo erit, & de *Almorabitis*, quo nomine sectatores ejus vocati sunt, sæpe infrà mentio erit.

Anno Eræ Hispan. MXCVII. Anno Hegiræ CCCCLI, inchoato die 27. Febr. fer. 4.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6552.

☉ 4. C. ☽ 15. P. 4. April. Indict. 12.

JESU CHRISTI 1059.

NICOLAI II PAPÆ 1.

HENRICI IV. REG. 4.

CONSTANTINI DUCÆ IMP. 1.

I. *Benedictus X* A Num. I ad XI. *Sutriense Concilium* hoc anno, antequam *Nicolaus* II in Urbem venit, ideoque *mense Januario*, quo, ut testatur Leo Ostiensis lib. 2. cap. 12. Romam adventavit, celebratum, ut ostendit Baronius ex Gestis Rom. Pontificum à Nicolao Aragonensi Cardinali collectis. Nicolaus autem Religiosus Ord. Prædicatorum, anno MCCCLII Cardinalis creatus est, legeratque Acta quæ Centius Camerarius retulit in Codicem Censuum Romanæ Ecclesiæ, in Archivo Vaticano servatum. In Concilio Sutriensi *Benedictus* X, in ordinem redactus, & pax Ecclesiæ reddita. Petrus Damiani Cardinalis Episcopus Ostiensis libellum porrexit *Nicolao* Papæ de eo munere à se abdicando; qua de re scripsit etiam ad Hildebrandum tunc *Archidiaconum*, ut eum in Inscriptione appellat, sed tantùm abest, ut Nicolaus II ejus demissionem admiserit, ut *pridie Nonas Martii* Desiderium Abbatem Casinensem Cardinalem crearit, ut videre est apud Baronium; adeò hic Pontifex de Magnis Viris in Collegium Cardinalium cooptandis sollicitus erat.

SÆC. XI. An. C. 1059. in Concilio Sutriensi depositus.

II. *Berengarius in Concilio Rom. hæresim abjurat.* A num. XI ad XXXV. Concilium Romanum, in quo CXIII Episcopi interfuêre, hoc anno mense Aprili, ut in Chron. Virdunensi habetur, coactum fuisse, indubitatum reddit Decretum de Electione Romani Pontificis in eodem emissum, cujus initio legitur: *Anno ab Incarnat. millesimo quinquagesimo nono, mense Aprili, indictione XII, propositis sacrosanctis Evangeliis, præsidente quoque Reverendissimo ac beatissimo Nicolao Apostolico Papa in Basilica Lateranensis Patriarchii*, &c. Hoc in Concilio Berengarius hæresim suam denuò abjuravit, & de eo Anonymus Chiffletianus hæc habet: *Nicolaus Papa eidem Beringerio Romæ in generali Synodo audientiam concessit, causamque ejus cum centum tredecim Episcopis Synodali judicio ventilavit. Sed ille iterum cùm sectam suam defendere non valeret, tandem quasi correptus libros propriæ hæreseos in conspectu domini Apostolici, & totius Synodi manu propria concremavit: & errore abnegato, Catholicam professionem, quam in Turonensi Concilio* (anno MLV habito) *fecerat, sub jurejurando iterùm renovavit: ita pronuncians. Ego Berengarius, indignus*, &c. ut legere est apud Baronium num. XIII. *Formam hujus juramenti & anathematis ita Sancta Ephesina Synodus quibuslibet abdicandis hæresibus cap. 15. præscripsit; & de hæresi infamatos, nonnisi per hujusmodi abdicationem hæresis, expurgari debere decrevit: unde & à Beringerio talem receperunt satisfactionem. Hanc juratoriam Professionem Beringerii domnus Papa Nicolaus statim per diversa transmisit regna: ut omnes gratias agerent pro ejus conversione, quoniam pridem multum scandalizati sunt de ejus aversione. Sed Beringerius more suo ad proprium vomitum redire non timuit*, quod suo loco narrabimus.

III. *Joannis Scoti librum comburit.* Ea fidei Professio ab *Humberto* Episcopo Sylvæ Candidæ composita, ut testatur Lanfrancus apud Baronium num. XIV & seqq. ubi licet *Lanfrancus* Humbertum semper *Episcopum*, nunquam Cardinalem appellet, eum tamen Cardinalem tunc fuisse mox constabit. Librum *Joannis Scoti* cognomento Erigenæ Berengarius combussit, ut refert Baronius num. XI, quo ex libro hæresim suam hauserat. *Joannis Scoti* librum de Eucharistia diversum non esse ab eo, qui modò sub *Bertrami*, modò sub *Ratramni* nomine apparuit, primus omnium detexit Marca, ut suo loco ostendimus. Verùm, ut observat Cossar-

SÆC. XI. An. C. 1059.

tius Tom. IX Concil. pag. 1053. verosimile non videtur quod ait Marca, Opus istud jam inde ab ortu suo sub ementito *Bertrami* nomine delituisse; id agente scilicet Joanne ipso Scoto, ut hac tanquam larvâ tectus, hæreseos invidiam declinaret. Primis enim temporibus, nulla *Bertrami* mentio, perpetua Joannis Scoti. Hincmarus, Berengarius, Lanfrancus, Guitmundus, Durandus, Ascelinus, Synodi Romanæ, Vercellensis, Parisiensis, omnes Joannem Scoti Operis illius agnoverunt auctorem: ac ne semel quidem exprobrata est, aut commemorata nominis illa fictio, quam ignorare non poterant, si librum, quem sciebant, dicebantque esse Joannis Scoti, alterius inscriptum nomini videbant. Primus Sigebertus Opus hoc *Bertramo* adscripsit, & postea *Ratramno* Anonymus Cellotianus, quem *Herigerum* esse probavit Mabillonius, attribuit. His adde Librarios aut possessores librorum MSS. unius Scriptoris opera alteri sæpe assignasse, ut innumeris exemplis liquet. Baronius num. XVIII ait, *Berengarium* absque ulla prævia habita in Synodo de hæresi altercatione, statim sponte damnasse errorem & deceptum Leonem Ostiensem lib. 3. cap. 33. qui scribit, *Albericum* Diaconum Casinensem adversùs eum disputasse. Verùm Leoni Ostiensi fidem adstruit Anonymus Chiffletianus, mox laudatus, qui si Baronii tempore lucem vidisset, eum ab ea sententia avertisset.

IV. *Electio Summi Pontificis Cardinalibus attribuitur.*

In hac Synodo Romana, ad frequentia schismata præcavenda, Nicolaus II de Romani Pontificis electione decretum edidit, quo statuit, ut vacante Sede *Cardinales Episcopi diligentissimè simul consideratione tractantes, mox sibi Clericos Cardinales adhibeant, sicque reliquus Clerus & populus ad consensum novæ electionis accedant.* Paulò pòst: *Eligant autem de ipsius Ecclesiæ gremio, si repertus fuerit idoneus, & si de ipsa non invenitur, ex alia assumatur, salvo debito honore & reverentia dilecti filii nostri Henrici, qui impræsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator Deo concedente speratur, sicut jam sibi concessimus, & successorum illius, qui ab hac Apostolica sede personaliter hoc jus impetraverint.* Hæc Nicolai II Constitutio à Chronographo Virdunensi integra recitatur, & ex hoc tempore Cardinalium S. R. E. dignitas longè majori in pretio esse cœpit, ut ab Historicis notatum. Electionem autem hoc tempore ad Cardinales, nudam verò Electi approbationem ad populum pertinuisse, eruitur ex Decreto electionis Gregorii VII, his verbis expressum: *Nos S. Romanæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Cardinales, Clerici, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, præsentibus venerabilibus Episcopis, Abbatibus, Clericis & Monachis consentientibus eligimus nobis in Pastorem & Summum Pontificem,* &c. Denique Petrus Damiani, Alexandro II Pontifice in lib. 1. Epist. XX ait, electionem Pontificiam *per Episcoporum Cardinalium fieri debere principale judicium,* ita ut *secundo loco jure præbeat Clerus assensum; tertio popularis favor attollat applausum: sicque suspendendam esse causam, usque dum Regiæ Celsitudinis consulatur auctoritas, nisi periculum fortassis immineat, quod rem quantociùs accelerare compellat.* Ab hoc tamen jure Clerum Cardinalibus inferiorem, populumque deinde exclusum fuisse seculo sequenti videbimus.

V. *Decretum in favorem Henrici IV datum.*

Quid contineret Decretum à Nicolao II in favorem Henrici Regis emissum docet Sanctus Anselmus Lucensis Episc. lib. 2. contra Wichbertum, & sequaces ejus. Nam pag. 221. inquit: *Sunt item qui objiciunt, Nicolaum juniorem decreto Synodi constituisse, ut obeunte Apostolico Pontifice successor eligeretur, & electio ejus Regi notificaretur. Facta verò electione, & ut prædictum est, Regi notificata, ita demum Pontifex consecraretur. Quod si admittendum est, ut ratione factum dicatur, objicimus ad hoc confutandum, præfatum Regem, & Optimates ejus se ea constitutione indignos fecisse. Primùm, quia postea præfatum Nicolaum, Coloniensem Archiepiscopum pro suis excessibus corripuisse, graviter tulerunt, eumque hujus gratiâ, quantum in se erat, à Papatu deposuerunt, & nomen ejusdem in Canone consecrationis nominari vetuerunt, ideoque decretum ejus de jure irritum esse debebit.* Et post multa adversùs decretum illud in medium adducta, subdit: *Patet præfatum decretum nullius momenti esse, nec unquam aliquid virium habuisse. Et hæc dicens non præjudico beatæ memoriæ Papæ Nicolao, nec quidquam ejus honori derogo, Patrum sententias Dei spiritu conditas sequendo; homo quippe fuit, eique, ut contra fas ageret, surripi potuit.* Baronius num. XXXI & seq. idem de verbo ad verbum refert ex Deusdedit Cardinali, cujus Collectio Canonum, seu libri IV de Rebus Ecclesiasticis extant MSS. in Biblioth. Vaticana. Quare idem Opus duobus Auctoribus attribuitur, *Deusdedit* nempe & *Anselmo Lucensi.* Cujus autem verus fœtus sit, alibi inquiram. Hoc tempore Archiepiscopus Coloniensis Sanctus *Anno*, quem Henricus III moriens Henrici filii educationi præposuit, *ea quæ in regno præter æquum & bonum perperàm gerebantur*, vehementer detestabatur, & ab Henrico IV *gravissimis* sæpe numero dissidebat *inimicitiis*, inquit Auctor Anonymus Vitæ Sancti Annonis apud Surium ad diem IV Decemb. Quare quando Nicolaus II hunc Sanctum corripuit, eum de re, de qua agebatur, male edoctum fuisse oportet. Post Nicolai II mortem, qui Schisma conflarunt, hac ejus Constitutione præsertim innitebantur. Sed eos graviter deliquisse Sanctus Anselmus Lucensis ostendit in Opere laudato, & Tom. VI Antiq. Lect. Canisii recitato. Porrò Decretum, cujus meminit Nicolaus II, Henrico IV in hoc Concilio Romano concessum est, antequam quidquam de electione Summi Pontificis decerneret. Neque enim aliud Concilium Romanum ante illud, in quo Constitutio de electione Romani Pontificis condita, haberi potuit. Ad hoc pariter Concilium revocanda Epistola VIII Nicolai II ad Episcopos Galliæ & Aquitaniæ, in qua referuntur Decreta aliqua in ea Synodo promulgata, ut videre est Tom. IX Concil. pag. 1105.

VI. *Duæ Synodi sedente Nicolao II Romæ habitæ.*

A num. XXXV ad XXXIX Baronius, Cossartius Tom. X Concil. aliique passim duas Synodos Romanas Nicolao II sedente habitas in unam confundunt, in eam scilicet, quæ currenti anno congregata; cùm tamen posterior anno millesimo sexagesimo primo habita fuerit. Is error processit ex initio Præsulatûs *Aldredi*, qui secundæ Romanæ Synodo interfuit, malè collocato. Supponit enim Baronius, aliique cum eo, *Aldredum* tempore prioris Synodi Romanæ jam Eboracensem Episcopum fuisse; cùm tamen indubitatum esse debeat, eum tantùm exeunte Decembri anni millesimi sexagesimi ad eam dignitatem evectum, & Concilium Romanum, cui adfuit, pertinere ad annum MLXI.

Aldredus

SÆC. XI. An. C. 1059.

VII. *Aldredus Archiep. Eboracensis priori non potuit interesse.*

Aldredus enim Episcopus Wigorniensis *Kinsio* demortuo in Archiepiscopatum Eboracensem successit; Kinsium autem *undecimo Kal. Januarii* anni MLX è vivis excessisse, fidem faciunt Florentius Wigorniensis, Simeon Dunelmensis, Hovedenus, & Radulphus de Diceto pag. 478. qui addunt, *Aldredum* in Nativitate Domini Archiepiscopum Eboracensem electum esse. Adhæc Annalista Mailrosensis, Godwinus in Præsulibus Angliæ, & Wartonus in parte II Angliæ Sacræ pag. 250. *Kinsii* mortem, & *Aldredi* electionem cum eodem Christi anno connectunt, nec ullus ex antiquis Angliæ Scriptoribus aliter loquitur. Tradunt verò omnes, *Aldredum* ab Eduardo Angliæ Rege Romam ad Nicolaum II missum esse, sed ex iis aliqui fabulas secuti ajunt, eum Romæ simoniæ accusatum fuisse. Id inter alios scripsit Malmesburiensis lib. 3. de Gest. Pontif. Angl. pag. 271. quod tamen postea ipsemet damnavit in Vita sancti Wulstani Episcopi Wigorniensis, Aldredi successoris lib. 1. cap. 10. ut videre est apud Wartonum laudatum: *Ille*, inquit Malmesburiensis in ejus Vita, *Romam pro more profectus, Nicolaum tunc temporis Papam votis suis primò abhorrentem invenit. Nam nec ille Wigorniensi Præsulatui renunciare, nec Papa, nisi recederet, Eboracensi eum Pallio insignire volebat. Adeo illum amor Wigorniæ devinxerat, ut majoris honoris nomen ejus pretio supponeret. Diu igitur multumque conflictu habito, Aldredus reflexo pede Sutrium venit, Tostino Comite, qui cum eo venerat, magnas efflante minas. Quod nummi, quos Anglia quotannis Romano Papæ pensitat, hac occasione ulteriùs non inferrentur. Verumtamen prædonibus irruentibus usque ad dolorem & miserationem videntium nudati, Romam redire contendunt quæ res rigorem Apostolicæ Sedis hactenus inflexit, ut Aldredus Pallium Eboracense mereretur, Wigorniensis Ecclesiæ discessionem pactus.* Certè aliqui ex Auctoribus laudatis egregias *Aldredi* virtutes deprædicant, asseruntque eum primum fuisse ex Præsulibus Angliæ, qui orationis causâ (paulò sc. ante suam ad Archiepiscopatum Eboracensem provectionem) ad civitatem Hierosolymorum profectus fuerit. Non mirum autem Baronium num. XXXV Malmesburiensem in lib. de Gest. Pontif. secutum esse; quia ejus tempore nec Vita sancti *Wulstani* ab eodem Malmesburiensi elucubrata, nec varii alii Auctores Anglici, qui modò extant, lucem viderant.

VIII. *In secunda simoniæ accusatus non fuit.*

Sed venio ad Concilium Romanum anno MLXI coactum, cui *Aldredus* interfuit. Aëlredus Abbas Rievallensis in Vita Sancti Eduardi Regis, qui hoc tempore in Anglia regnabat, apud Seldenum in Decem Scriptoribus Hist. Anglic. pag. 386. ait: *Rex sanctus de omnibus curam gerens, omnia secundùm Catholicæ veritatis regulam fieri volens, omnibus etiam prodesse desiderans, ut ipse de suis securior efficeretur, & aliis ad salutem doctrina Apostolica præberetur cum Aeldredo Eboracensi Archiepisc. duo mittuntur* (Romam nempe) *in Pontificatum electi, Giso scilicet ad Ecclesiam Wellensem, Walterus verò ad Herefordensem. Qui præsente eo cum quo venerant Archiepiscopo, a domino Papa munere consecrationis suscepto* IN CONCILIO QUOD IN LATERANENSI PALATIO, *Dei, ut credimus, tunc nutu, fortè convenerat, cum ceteris Patribus honorificè consederunt. Dein tempore opportuno cùm literas Regis in medium protulissent, cetera, quæ eis fuerant imperata, adjiciunt. Favet votis Regia sanctitatis summus Pontificis, totiusque sacri Conventus unanimis rationabilisque sententia. Acceptaque sancti Patris Epistola, nihil omnino adversi toto illo itinere passi cum summo tripudio Regi, patriæque redduntur.* Non dicit Aëlredus Aldredum simoniæ apud Pontificem accusatum fuisse, quia hoc merè commentitium, & Concilium Romanum, cujus meminit, non potest idem esse cum Concilio Romano hoc anno habito, ut hactenus passim creditum fuit. Refert postea Aëlredus literas Sancti Eduardi Regis ad Nicolaum Papam directas, quas *Aldredus* Romam anno MLXI detulit, & Privilegium Nicolai Papæ Sancto Eduardo concessum, quo Privilegia Regibus Anglorum, ut petierat Eduardus, confirmat. Illud *Aldredus* Româ in Angliam tulit, perperamque Baronius tam literas illas, quàm Privilegium anno sequenti num. IX & seqq. refert, si *Aldredus* Concilio Romano hoc anno indicto interfuit; cùm illud mense Aprili currentis anni habitum fuerit. Quare tam Epistola illa, quàm Privilegium cum anno MLXI & Concilio Romano secundo copulari debent.

IX. *Quæ Aldredo in Synodo Rom. II fuerint objecta.*

Quod Baronius ex Malmesburiensi de Gest. Pontif. refert de *Aldredo* & *Torstino* Comite, à Sancto Eduardo Rege Romam missis, quod scilicet Româ redeuntes à latronibus spoliati fuerint, & cùm Romam reversi essent, Nicolaum Papam Pallium, quod antea Aldredo dare recusarat, concessisse, verum est, nec negari potest; cùm etiam legatur in *Defensione Romanæ Ecclesiæ adversùs Regium Advocatum*, cujus verba recitat Baronius num. XXXVII. Sed quomodo id se habuerit, narrat Thomas Stubbs in Actis Pontificum Eboracensium: *Sequenti anno* (nempe anno MLXI) *cùm Torsti Comite Romam perrexit, & cùm à Nicolao Papa Pallium peteret, objectis sibi duabus causis, videlicet quòd de minori ad majorem sedem absque consensu Papæ transferebatur, & quòd adhuc Episcopatum non dimisisset, à quo transferebatur, Pallium impetrare non potuit. Priorem tamen Episcopatum Apostolicus ei ex gratia concessit, & sic infecto negotio rediit. Et cùm jam unius diei iter fecisset, incidit in latrones, à quibus nimis crudeliter tractatus, rasisque suis & vulneratis, ipse usque ad extremum spoliatus est. Cumque consuluissent eum, qui cum eo erant, quid facto opus esset, ipse constanti corde resistens, respondit, Non nunc, inquit, nunc securiores ex infortunio, quod nobis accidit, redeamus ad Petrum, qui non derelinquet Vicarium suum. Et conversus in Urbem rediit, & totum infortunium suum coram Apostolico retulit. Itaque Papa Nicolaus super eum pietate commotus, & totius Curiæ intercessione pro eo exoratus, & Archiepiscopatum ei dato Pallio confirmavit, & ordinandi pro se alterum ad Episcopatum Wigorniensem potestatem dedit.*

X. *Duplex Aldredi ab urbe Romana discessus distinguendus.*

Nec est quod quis dicat, Aëlredum num. VIII laudatum rem hanc aliter narrare, ac scribere, *acceptaque sancti Patris Epistola, nihil omninò adversi toto illo itinere passi cum summo tripudio Regi, patriæque redduntur*; Aëlredus enim tacet priorem discessum Aldredi ab Urbe Romana, infortuniumque, quod illi in itinere contigit, & loquitur tantùm de secundo, postquam Pallium obtinuit, & literas Nicolai Papæ ad Regem Angliæ accepit. Nam tunc & ipse, & Wellensis & Herefordensis Episcopi ejus comites *nihil omninò adversi toto illo itinere passi*

sunt; cùm contra *Aldredus* & *Torstinus* Comes in priori discessu, cujus non meminit Aëlredus, à *Gerardo* Comite Gareano, aliisque prædonibus deprædati Romam refugere coacti fuerint, unde postea abierunt domum incolumes, postquam scilicet *Aldredus* Pallium à Nicolao II obtinuit; Synodo Romanæ ab eo indictæ præsens fuit; & *Gerardus* Comes in ea condemnatus: *Propter hoc itaque*, inquit Auctor Defensionis Romanæ Ecclesiæ adversùs Regium Advocatum, apud Baronium num. XXXVII, In Plenaria Synodo, *Papa Nicolao præsidente, excommunicatus est.* Hanc quidem excommunicationem Baronius, aliique passim ad Synodum Romanam currentis anni referunt, sed uti jam demonstravi, *Aldredus* nonnisi sub exitum sequentis Christi anni Archiepiscopus Eboracensis electus, & postea Romam à *Sancto Eduardo* missus. Certum itaque & indubitatum, Nicolao II Ecclesiam Romanam administrante, duo Romana Concilia congregata esse ac utrique magnum numerum Episcoporum interfuisse; cùm prius hoc anno coactum centum & tredecim Episcoporum fuerit; posterius verò à laudato Defensore *Plenarium* appelletur, quod citius quàm anno MLXI indici non potuit.

XI. *Ecclesia Mediolanensis cum Romana conciliatur.*

A num. XLIV ad LXI. Nicolaus II *Petrum Damiani* Cardinalem Ostiensem & *Anselmum* Lucensem Episcopum, suum postea in Pontificatu successorem Mediolanum misit, ut eam Ecclesiam simoniaca labe, & Nicolaitarum spurcitiâ infectam cum Romana conciliaret. Vix autem unus repertus est, qui non aut Ordines emisset, aut fœda fœminarum consuetudine usus esset. Primus omnium *Guido Archiepiscopus* solemnibus verbis confessus est, se ab hujusmodi flagitiis temperaturum, indeque Clerici omnes. Verùm post Petri discessum *Guido* Clericorum assiduis stimulatus querimoniis ac penè conviciis, in pristinum rediit, ut fusè Baronius narrat, refertque Petri Epistolam *Hildebrando venerabili Archidiacono* datam, qua plena hujus Legationis relatio continetur. Rectè porrò Baronius num. XLIV ex hujus Epistolæ inscriptione deducit, *Hildebrandum*, ex Subdiacono à Nicolao II nuper in Archidiaconum S.R.E. exaltatum fuisse. Leo enim Ostiensis lib. 2. cap. 101. dum loquitur de Hildebrando ad Agnetem Imperatricem à Stephano IX anno superiori misso, disertè asserit, tunc *Ecclesiæ Subdiaconum* fuisse, quod & refert Petrus Damiani de eadem re verba faciens, uti apud Baronium anno MLVIII num. IV & XII legere est. Quare non dubium, quin Paulus Bernriedensis in Vita Gregorii VII, ut in Pontificatu vocatus est Hildebrandus, cap. 2. hallucinatus fuerit, cum ait, Leonem IX *Hildebrandum* Romanæ Ecclesiæ *Archidiaconum* instituisse, quando eum in Galliam Legatum misit. Petrus enim Damiani & Leo Ostiensis Paulo Bernriedensi antiquiores, & non semel insinuavimus, Auctores coætaneos & ferè coætaneos in rebus suo tempore gestis narrandis hallucinari. Hildebrandus itaque à Leone IX *Subdiaconus* quidem creatus, ut asserit idem Paulus, sed nonnisi à Nicolao II ad *Archidiaconatus* dignitatem evectus. Quantum pro Simoniacis & concubinariis Clericis ad saniorem mentem reducendis Sanctus *Arialdus* & Sanctus *Erlembaldus* collaborarint, in eorum Vitis legendum, satisque ostendit Petrus Damiani in Epistola ad eos anno sequenti data, in qua ait: *Nicolaitarum hæresis, quia vobis nobiscum laborantibus videbatur avulsa, repullulat.*

XII. *Fœdus Nicolai II cum Normannis.*

A num. LXVIII ad LXXV. Leo Ostiensis lib. 3. cap. 12. de Desiderio Presbytero Cardinali verba faciens ait: *Quoniam ab eodem Pontifice* (sc. Nicolao II) *Paschalis festivitatis gratiâ invitatus fuerat, Romam reversus, post festum Urbem unà egrediens, Melfiam unà Apuliæ adiit Urbem: ubi tunc idem Apostolicus Concilium celebrare decreverat.* Narrat autem Baronius ex Nicolao Aragonio Cardinali Nicolaum II ad Normannorum preces sese in Apuliam contulisse, eos à vinculo excommunicationis absolvisse, eisque præter Beneventum, totam Calabriam & Apuliam concessisse. Addit Leo Ostiensis lib. 3. cap. 15. *accepta prius ab eis cum sacramento Romanæ Ecclesiæ fidelitate; censuque quotannis per juga boum singula denariis duodecim.* Antea dixerat: *Richardo Capuanum Principatum & Roberto* (sc. Guiscardo) *Apuliæ atque Calabriæ atque Siciliæ Ducatum confirmavit*, quia scilicet Guiscardus de Sicilia sibi subjicienda consilium inierat, quam postea occupasse suo loco videbimus.

XIII. *Nicolaus II duo Concilia in Apulia celebrat.*

Nicolaus II, dum in Apulia versaretur, Concilium celebravit non tantùm *Melphi*, uti decreverat, sed etiam *Beneventi*, quæ Urbs ad Sedem Apostolicam ab aliquot annis pertinebat. Cossartius Tom. IX Concil. duo illa Concilia exhibet. Concilium Beneventanum his verbis inchoatur: *Anno dominicæ Incarnat. MLIX, mense Augusto initiante, indictione XII currente*, &c. Legitur ibi postea Joannem Abbatem Monasterii, scilicet Sancti Vincentii super Vulturni fluminis fontes siti, conquestum esse de Alberto Monacho, quòd cellam Sanctæ Mariæ monasterio suo subripuisset, & Pontificem Joannem Abbatem Sancti Vincentii ex eadem Sanctæ Mariæ cella in perpetuum investivisse. Præsentes fuerunt *imprimis dominus Humbertus, Bonifacius, Joannes, Cardinales Episcopi, Desiderius Abbas & Presbyter, Ildebrandus Subdiaconus, Cardinales; Vualdaricus Beneventanus, Petrus Amalphitanus*, &c. *Archiepiscopi.* Hildebrandum enim usque ad præsentem annum *Subdiaconum* tantùm extitisse, & à Nicolao II *Archidiaconum* creatum fuisse, mox diximus. Ex hac verò Synodo intelligimus, eum hanc dignitatem post mensem Augustum consecutum esse, ideoque & literas Petri Damiani, quibus *Archidiaconus* dicitur, post initium mensis Augusti scriptas. Notabile etiam est, quod Humbertus, qui in Actis hujus Concilii inter Cardinales Episcopos memoratur, ipsemet eadem his verbis subscribat: *Ego Humbertus dictus Episcopus sanctæ Ecclesiæ Sylvæ Candidæ interfui, & subscripsi.* Post subscriptiones Salernitani, Neapolitani & Surrentini Archiepiscoporum legitur: *Ego Bonifacius dictus Episcopus sanctæ Ecclesiæ Albanensis interfui.* Quare hallucinati sunt Viri doctissimi, qui arbitrati sunt Humbertum anno tantùm sequenti Cardinalem renunciatum fuisse, quòd ante tempus illud *Episcopus Sylvæ Candidæ* passim appellatus reperiatur, cùm id unum & idem sit. Porrò *Tranensis* Episcopus, de quo Petrus Damiani apud Baronium num. LXXII in Concilio Melphitano depositus est.

XIV. *Concilium Melphitanum.*

Quoad Concilium *Melphitanum*, gesta in eo minus nos edocet Guillelmus Apuliensis in Poëmate de Rebus in Italia à Normannis gestis, qui cùm Urbano II Ecclesiam Romanam regente floruerit,

SÆC. XI. An. C. 1059.

floruerit, testis oculatus fuit. Postquam lib. 2. narravit, Robertum *Cariatum* Calabriæ citerioris urbem, in ora littorali maris Jonii positam obsidione cinxisse, ut aliis urbibus terrorem iniiceret, de Concilio Melphæ celebrato canit,

Interea Papa Nicolas fertò secundi
Comperit adventum, dimittitur obsidione
Plurima pars equitum, comitatur pars minor illum
Melphia suscipit hunc, & ibi susceptus honore
Magno Papa fuit: hic Ecclesiastica propter
Ad partes illas tractanda negotia venit.
Namque Sacerdotes, Levita, Clericus omnis
Hac regione palam se conjugio sociabant:
Concilium celebrans ibi Papa faventibus illi
Præsulibus centum jus ad Synodale vocatos
Ferre sacerdotes monet, altarisque ministros
Arma pudicitia; vocat hos & præcipit esse
Ecclesiæ sponsos, quia non est jure Sacerdos
Luxuria cultor. Sic extirpavit ab illis
Partibus uxores omninò Presbyterorum,
Spretores monitanȝ anathemate percutiendos.
Finita Synodo, multorum Papa rogatu
Robertum donat Nicolaus honore Ducali.
Hic Comitum solus concesso jure Ducatus
Est Papæ factus jurando jure fidelis.
Unde sibi Calaber concessit & Appulus omnis
Est locus, & Latio patria dominatio gentis.
Romam Papa redit, cum magno Dux equitatu
Obsessum repetit Cariatum, &c.

Episcopi in Apulia, quæ Græcorum jugum excusserat, uxores non accipiebant, quia apud hos hujusmodi incontinentia nunquam tolerata. Non loquitur de *Ricardo* Guillelmus, quia totus est in Rebus Apulis narrandis; is verò Capuæ in Campania Principatum sortitus est. Non itaque in Synodo, ut passim Viri docti scripsêre, sed post eamdem *Robertus* à Pontifice Ducatûs Calabriæ honore donatus est. *Cariatum* certis conditionibus Roberto Duci se dedidit, primaque Calabriæ urbs fuit, quæ se ejus dominationi subjecit, ut habet ibidem Apuliensis. *Rogerius* Roberti frater, capto *Squilacio*, (ultima hæc urbs in Calabria, quæ Græcorum partes defenderit), in Siciliam descendit, & quidem anno sequenti, uti elicio è Malaterra lib. 1. cap. 37. & lib. 2. cap. 1.

XV. *Melphia Urbs diversa ab Amalphia.*

Sed redeo ad *Concilium Melphitanum*, ut tessellam errorem, qui in Tom. IX Concil. pag. 1105. irrepsit. Ibi enim dicitur, Concilium istud *Amalphia* celebratum, idque testari Leonem Ostiensem lib. 3. cap. 12. licet hic disertè asserat, Nicolaum II Concilium *Melfia*, non verò *Amalphia* congregare decrevisse. Nam hæ duæ urbes valdè inter se diversæ, *Amalphia* urbs maritima & Archiepiscopalis in Principatu citeriori Regni Neapolitani posita; *Melphis* verò, seu *Melphia* Lucaniæ urbs, in qua Nicolaus II Episcopatum erexit, & Romano Pontifici immediatè subjecit, ut docet Ughellus Tom. I pag. 992. & seq. qui addit, *Balduinum* primum ejus Episcopum hoc anno die XVIII Augusti unà cum aliis Præsulibus interfuisse consecrationi Ecclesiæ sancti *Angeli* à Nicolao II peracta. Hæc prima Normannorum in Apulia, in cujus extremo limite, Calabriam versùs jacet, Sedes, ut se adversùs Græcos tuerentur, ædificata, seu potius instaurata, ut auctor est Malaterra lib. 1. cap. 9. De *Melphia* legendus Apuliensis lib. 1. pag. 5. & lib. 3. pag. 18.

XVI. *Henricus*

A num. LXXV ad LXXVIII. Recitatur Tom. IX Concil. Conventus Remensis, quando Philippus Rex Galliæ præsente Henrico patre, Remis coronatus est: *Anno Incarnat. dominica MLIX indictione XII, Henrici Regis anno XXXII Pontificatûs domini Gervasii* (Archiepiscopi Remensis) *quarto, & quarto Kalendas, die Pentecostes, XXIII Maii*, Philippus Rex *consecratus est*. Sed loco, *quarto Kalendas*, legendum, *X Kalendas Junii*, in quem diem hoc anno Pentecostes Festum incidit, in diem nempe XXIII mensis Maii. Is Henrici Regis annus XXXII ab anno MXXVII proficiscitur, indeque intelligimus, *Henricum* Francorum Regem eo Christi anno post diem XXIII mensis Maii in consortium Regni à Roberto patre adscitum fuisse; cùm hoc anno eadem die annum Regni XXXIII nondum inchoasset, quando Philippum filium, *dum adhuc septennis esset*, ut in eo Conventu legitur, coronavit. Adfuêre honoris & amoris gratiâ Sedis Apostolicæ Legati, Episcopi viginti duo, ac Proceres quamplurimi in Actis coronationis memorati.

SÆC. XI. An. C. 1059. *Philippum in consortium Francorum regni adscissit.*

XVII. *Moritur.*

Anno sequenti *Henricus* Galliæ Rex fundavit monasterium *sancti Martini de Campis* in urbe Parisiensi, & in illud multas possessiones contulit, facta Canonicis potestate Abbate obeunte alium eligendi. Charta dicitur scripta, *anno supradicti Regis XXVII* (sed legendum, XXIX, à posteriori ejus epocha, ab anno nempe MXXXI deducta). *Actum anno ab Incarnatione Domini MLX, indict. XV* (legendum, indict. XIII) *Parisius publicè. Signum Henrici Regis. S. Philippi Regis. S. Annæ Reginæ.* Obiit postea Henricus Rex eodem anno MLX, Vitriaci die IV mensis Augusti. Cùm verò Philippus filius ob ætatem Regno Francorum administrando haud par esset, *Henricus* testamento cavit, ut *Balduinus* V Flandriæ Comes filii, Regnique tutelam susciperet. Is per annos septem Francorum Regnum sapienter & strenuè rexit, moriensque Philippo Regi jam adolescenti quietum Regnum reliquit. Ordericus Vitalis lib. 3. ait: *Hujusmodi tutela tanto Duci benè competebat, quippe qui Adhalam* (idest Adhelam) *Roberti Regis Francorum filiam in conjugium habebat. ex qua Rotbertum Fresionem, Reginam Anglorum, & Udonem Treverensium Metropolitam, aliosque magna nobilitatis viros genuerat.* Sed ibidem librariorum errore mors Henrici consignatur, *anno ab Incarnatione Domini MLIX, indictione XIII.* Legendum enim, *anno MLX*, ut indictio XIII demonstrat.

XVIII. *Constantinus Ducas fit Imperator.*

Ad num. LXXXIII & seq. Isaacius Comnenus Constantino Duca Imperatore designato in Studiense Monasterium se se recepit, postquam regnasset *biennium & tres menses, homo strenuus, ingenio arroganti, in rebus gerendis celerrimus, rei bellica peritissimus. In literis non quidem versatus, sed literarum studiosus, & doctorum amans*, inquit Zonaras in Isaaco Comneno. Psellus verò in Isaaco Comneno ait, Isaacium morbo affectum Monachum induere statuisse, mutationis vitæ propositum Patriarcham laudasse, sed Æcaterinam Augustam ejus uxorem, ut eum ab eo consilio averteret, nihil omisisse. Isaacius tamen in sententia perstitit, accersiitque Constantinum Ducam, Virum sanè illustrem, & qui generis nobilitate primas facilè ferret. *Cum itaque accersitus fuisset, Comneno, ut videbatur, jam spiritum agente; stetit ille rubore suffusus, innatoque pudore oculos oppletus, manu*

ex

SÆC. XI. An. C. 1060. *ex more tegens.* Tum Comnenus ei commendavit Æacaterinam uxorem, filiamque Mariam, fratremque & sobrinum. *Necdum tamen imperii insignia in illum contulerat, sed in promissis tota rei molitio erat. Convalescit tantisper Imperator, ac cùm videretur halitum recepisse, ancepi animi erat ejus rei causâ, quam egerat, quemque in imperium provexerat, ipsi quoque malè cedebat, animique anxius erat. Timebat enim non ne imperii compos efficeretur, sed ne inde malè secum postea ageretur, ac suspectus foret.* Reliquis itaque valere jussis *Pselli* consiliis nititur, qui ipsum roborat, solaturque, eique Antistitem advocat, cunctaque præstat, quæ vel tempus vel amicitiæ ratio exigebat. Tandem Imperator comam ponit, atque Monachi habitum induit, *vidensque Imperatorem, ac ex animo rerum summâ illi confirmatâ, statim è Regia discedit, conscensaque nave ad Studii monasterium secedit.* Post abdicatum à patre Imperium Maria Comnena cum matre in Monasterium concessit.

Anno Eræ Hispan. MXCVIII. Anno Hegiræ CCCCLII, inchoato die 5. Febr. fer. 2.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6553.

☉ 5. B A. ☽ 16. P. 26. Mart. Indict. 13.

JESU CHRISTI 1060.

NICOLAI II PAPÆ 2.

HENRICI IV. REG. 5.

CONSTANTINI DUCÆ IMP. 2.

I. *Aldredus Archiep. Eboracensis ad Nicolaum II delegatus.* ANum. IX ad XIII. *Aldredus* Episcopus Wigorniensis die Nativitatis Christi currentis anni electus est Archiepiscopus Eboracensis, & Romam delegatus à *Sancto Eduardo* Anglorum Rege ad Nicolaum II Papam, ut ab eo peteret confirmationem Privilegiorum Regni Angliæ, quam anno sequenti obtinuit, Palliumque ab eodem Nicolao II suscepit. Eodem anno MLXI in Angliam rediit detulitque literas Nicolai II ad *Sanctum Eduardum* datas, & confirmationem Privilegiorum ab eo postulatam. Baronius tam literas Nicolai II, quàm præfatam confirmationem hîc recitat. Verùm ex dictis anno superiori num. VII & seqq. constat ipso fine præsentis anni Romam *Aldredum* Legatum missum, & nonnisi cum præfatis literis & Diplomate in Angliam anno sequenti reversum esse.

II. *Concilium Jaccetanum.* Ad num. XIII. Concilium Jaccetanum, quod hoc anno Baronius cum Surita in Indice refert, anno MLXIII celebratum. Moretus enim lib. 2. Investigat. cap. 11. pag. 494. laudat Chartam Dedicationis Ecclesiæ Jaccensis, datam à novem Episcopis, qui Concilio interfuêre, in qua legitur: *facta charta dedicationis anno MLXIII, erâ MCI*, quo scilicet tempore *Ramirus* in Aragonia regnabat. Huic Concilio præfuit *Austendus* Archiepiscopus Auxitanus in Aquitania, quia Osca, quæ sedes erat Episcopalis, tunc à Mauris occupabatur, & Archiepiscopus Auxitanus hoc munere in Navarra & in Aragonia fungebatur, ut alibi monstravi. Est autem *Jacca* Aragoniæ urbs ad Aragonium Fl. posita. Surita lib. 1. cap. 18. scribit, in hoc Concilio abrogatum esse Gothicum Officium, & Romanum admissum, agente Ramiro Aragoniæ Rege. *Alphonsus* VI Castellæ Rex idem postea tentavit, sed Castellanos vix adducere potuit, ut sacros ritus mutarent, uti infrà videbimus. In Regno Aragoniæ invenio huic mutationi diu refragatos esse Monachos nominatissimi monasterii Sancti Joannis Pennatensis. Martinezius enim in illius Historia asserit, se in ejus Archiviis instrumenta reperisse hoc modo consignata: *Cùm intravit lex Romana* (idest, Officium Romanum) *in Sanctum Joannem XI Kal. Aprilis, secundâ septimanâ quadragesima, feriâ tertiâ: vel erâ MCXX*, sed legendum, erâ MCIX, & prior numerus X in I mutandus, qui error à librariis non rarò admissus. Laudati enim characteres annum Christi MLXXI certò designant, non verò annum Christi MLXVIII, ut memoriæ lapsu corrigit Cossartius Tom. IX Concil. pag. 1197. Sed non minus Aragonenses pertinaces fuêre in Antiquis Ritibus defendendis, ut habet idem Cossartius, saltem id constat de præfatis Monachis, uti anno MLXIII num. X magis videbitur. Porrò sedes Episcopalis in eo Concilio ex urbe Osca, vulgò *Huesca*, Jaccam translata.

III. *Berengarius ad vomitum redit.* Anno superiori *Liuppoldo*, seu *Liudboldo* Archiepiscopo Moguntino demortuo, ut habet Chronographus Hildesheimensis, idque mense Decembri, ut tam Lambertus, quàm Marianus Scotus in Chronicis tradunt, *Gozechinus* Scholasticus egregiam, prolixamque Epistolam ad *Valcherum* itidem Scholasticum, suum olim discipulum, circa præsentis anni initium dedit, quam Mabillonius Tom. IV Analect. publici juris fecit. In ea Gozechinus ait, se apud Leodium literas docuisse, & Moguntiam tandem secessisse, tædio victum rerum humanarum, variarumque turbarum, quas rerum novitas, ac præsertim perversa Berengarii doctrina, non satis citò coercita facessebat. Pluribus Auctor sui temporis mala deplorat, & Henricum Imperatorem hujus nominis II, Henrici Regis hoc tempore regnantis patrem, & Liudboldum mox memoratum summopere laudat. Hæc ejus de Berengario verba: *Vide si placet quàm sana doctrina, quàm salubris disciplina, Theologi de Turonensi emergant academia, cui præsidet ille Apostolus Satanæ Berengarius. Vide, inquam, quam pestilentes, imo letiferi scorpiones & reguli de cavernis erumpant totius nostri temporis Babyloniæ, qui Hæresiarchæ sui musto ebrii, & veneno delibuti, de sacris sacrilegas introducunt novitates quæstionum, ad nihil utiles, nisi ad subversionem audientium: quorum sermo ut cancer serpit: quia scientia, quæ inflat, non ædificat, sed subvertit.*

IV. *Laudantur Liudbolaus Archiep. Moguntin. & Henricus II Imp.* De Henrico verò Imperatore & Liudboldo Archiep. ait: *Postquam clarissima duo Ecclesiæ luminaria, quæ nimis serò Deus accendit, & nimis maturè in abscondito faciei suæ, à conturbatione hominum abscondit, Henricum dico secundum Imperatorem, & Liudboldum Moguntinæ Sedis Protopræsulem, in quos aurei seculi fines cum maxima sui decoris specie devenerant: hæc, inquam, clarissima duo luminaria, postquam ab his tenebris ad veram lucem, à qua etiam hæc illuxerant Orbi terræ, ut oramus & optamus, assumta sunt; quidquid divinæ religionis, quidquid æquitatis & justitiæ, quidquid liberalium studiorum, quidquid moralis disciplinæ ubique vigebat, sicut tunc temporis Ecclesia & vario virtutum decore & multiplici liberalium literarum propagine florebat, cum eis pariter sepulta, imò in cœlum recepta sunt: ita ut nihil eorum pene remanserit in terra præter admodum pauca, & hæc ut umbra inania vestigia.*

Nicolaus

SÆC. XI. An.C.1060.

V. *Nicolaus PP. Romæ Episcopum ordinat pro Ecclesia Sistaricensi.*

Nicolaus Papa literis Clero, plebique in civitate Sistaricensi consistentibus datis, & à Boucheo lib. IX Hist. Provinciæ sect. I relatis significat se Gerardum ab Hugone Cluniacensi suas vices in partibus illis fungente, ab Arelatensi Archiepiscopo, & quibusdam aliis Episcopis electum eis ordinasse Episcopum, *cui*, inquit, *dedimus in mandatis, ne unquam ordinationes præsumat in eum, qui virginem non est sortitus uxorem, neque adulteratum, vel qualibet corporis parte vitiatum, aut ex pœnitente vel curæ cuilibet conditioni obnoxium, notatumque ad sacros Ordines permittat accedere. Sed si quis hujusmodi fortè compererit, non audeat promovere. Afros passim ad Ecclesiasticos ordines prætendentes, nulla ratione suscipiat; quia aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptizati sæpiùs sunt probati.* Gerardus cognominatus *Caprerius*, ut scribit Bertrandus Episcopus Sistaricensis in Instrumento anno MCLXX scripto, & in Archivis Ecclesiæ Forcalqueriensis asservato, *electus in ipso* (nempe Episcopatu Sistaricensi, idest ad Episcopatum) *apud urbem Avenionem in Concilio Magno, quod ibi celebravit cum omnibus Episcopis totius Provinciæ Hugo Cluniacensis Abbas fungens legatione Domini P.P. Nicolai, ad quem à prædicto Legato missus jam dictus Gerardus, in Episcopum fuit consecratus. Hunc Româ redeuntem, ut ipse narrat, Sistaricenses non permiserunt transire per civitatem suam, veniens Forcalquerium honorificè, & cum magno gaudio receptus fuit ab eis ibi.* Addit Bertrandus, Gerardum Canonicos Sistaricenses & Furcalquerienses separasse, & dignitates inter eos divisisse, *cùm utraque sit* CATHEDRALIS, *& pro sede* EPISCOPALI *habita ab antecessoribus nostris: nam & hoc insimul commune habebant, quando una erant Ecclesia.* Ideo autem Sistaricenses noluerunt eum recipere, quia destruxerant tam laici, quàm Episcopi præcedentes totum Episcopatum, *de quibus ipse* (nempe Gerardus) *dicit, Erant una vice uxorati publicè.* Ita Bertrandus.

VI. *Episcopus ille in Concilio Avenionensi antea electus.*

Hoc autem Concilium *Avenionense*, cujus, sicuti nec Epistolæ Nicolai Papæ citatæ, ulla mentio Tom. IX Concil. celebratum fuit currenti anno; nam ipsemet Boucheus asserit, se illud legisse in exemplari sibi ostenso à Polycarpo Riviera Cartusiano, viro Erudito. Illud tamen, sicut & autographum, aliàs in Archivis Capituli Forcalqueriensis asservatum, nunc deperdita sunt, sed literæ Nicolai Papæ & Instrumentum Bertrandi Sistaricensis Episcopi Concilium illud Avenione congregatum fuisse, nos dubitare non patiuntur. Fallitur tamen Boucheus, qui illud cum altero Concilio Avenione anno MLXXX coacto confundit, & istud ad præsentem annum retrahit. Sunt enim duo Concilia in eadem urbe diversis annis habita, ut ex iis, quæ de utroque supersunt, manifestum redditur. Porrò præter Sistaricensem Episcopatum sunt alii, in quibus duæ Ecclesiæ Concathedrales reperiuntur. Mathæus Paris ad annum MCXXXII, de Roberto Episcopo Cestrensi verba faciens, ait: *habet Episcopatus ille usque hodie tres Sedes, Cestrensem, Lichfeldensem, & Conventrensem.* Ughellus in Italia Sacra affirmat, anno MLXXVI Episcopatum Capuanum in duas Sedes divisum fuisse, ex quibus antiquior Capuæ remansit, & recens *apud Pontem Casulinum* constituta. Denique San-Marthani in Episcopis Adurensibus pag. 15. testantur, eos duas Sedes Cathedrales habere. Mirum autem videri non debet hoc anno duos Sedis Apostolicæ Legatos in Galliis visos esse, quorum alter apud Turones, alter Avenione Concilium celebravit; ut enim observat Sirmondus in Notis ad Epistolas Gothofridi Vindocinensis literas convocationis Synodi totius legationis referens, Legatio Aquitanica Metropoles Bituricensem, Burdigalensem, Auxitanam & Turonensem complectebatur; Gallica omnes alias.

VII. *Concilium Turonense.*

Hoc anno Stephanus Presbyter Cardinalis & Apostolicæ Sedis Vicarius celebravit *Concilium Turonense*, cui decem Episcopi interfuère, in coque decem Capitula ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentia constituta, ut legitur in Actis ejusdem Concilii Tom. IX Concil. pag. 1109. recitatis, in cujus Præfatione dicitur celebratum *anno MLX, indictione XIII Kalend. Martii, Lunâ XIII, IV feriâ.* Refertur ibidem Epistola ejusdem Legati ad Archiepiscopum Dolensem missa, qua ei præcipit, ut intersit Synodo, *quæ antiquo more Romæ post Pascha celebrabitur.* Romæ enim singulis ferè annis Synodus habebatur, cujus nulla apud Auctores mentio, nisi forte in iis de rebus, de quibus agunt, actum fuerit.

VIII. *Rogerius Calabriæ Comes Saracenos in Sicilia persequitur.*

Hoc tempore Saracenorum in Sicilia res ad summas angustias redactæ erant, ut narrat Noweitius Arabs in Historia Siciliæ. Proceres enim Panormitani, Amira seu Præfecto Saracenico expulso, Urbis dominium invaserant, quidam Alcaidus à Saracenis deficiens *Trapanum* sibi subjecerat, aliusque Alcaidus arcem à Siculis *Ennam* appellatam, & à Noweirio *Casan Tani*, à Latinis Castellum Joannis occuparat, quemadmodum & Agrigentum. Denique alius Dux Saracenus Syracusas & vicina loca Catanam usque suæ ditioni subjecit. Sed audiendus Malaterra lib. 2. cap. 1. *Rogerius Comes Duce relicto in Apulia* (nempe Roberto Guischardo) *Rhegium in prima septimana ante quadragesimam remeavit; ad quem Becumen* (legendum cum Scriptoribus Arabicis, Benhumena) *Admiraldus Siciliæ à Belcamendo* (legendum, *Bennameto*, Malaterra enim Arabum nomina non rarò deformat) *quodam Principe prælio fugatus, eo quòd maritum sororis suæ, honestum suæ gentis juvenem, vocabulum Bennecleruim, occiderat, apud Rhegium profugus venit Comitem versus, impugnationem Siciliæ multis exhortationibus incitans.* Tum cap. 4. *De cujus adventu Comes non minimùm gavisus, eum honorificè suscepit, ejusque consilio, necdum hyeme transacta, hebdomada videlicet proxima ante Quadragesimam, cum centum sexaginta militibus ipsum Becumen* (idest Benhumenam) *secum ducens, pharumque transiens Siciliam invadit.* Omnia deprædatus Melazaum usque, oppidum maritimum, ad Messanam accedit, & Messanenses in se irruentes internecione delet. *Messanensibus*, subdit Malaterra cap. 6. *suorum vulnera flentibus, Comes penes civitatem transiens, in insula sancti Hyacinthi, haud longè ab urbe hospitatum vadit, summoque diluculo Messanam quasi viribus exhaustam oppugnare vadit. Sed Messanensibus quamvis paucis qui adhuc supererant, cum ipsis mulieribus armatis, turres & propugnacula sese certatim, ut pro vita defendentibus, Comes ne Sicilia tali facto excitata super eum irruat, ad tentoria sua rediens, de transitu versus Rhegium tractare cœpit. Mare vero turbatum cum periculosum transitum ostentaret, Comes sapiens usus consilio, totam prædam, quam ceperat sancto Andronio ad*

Ecclesiam

SÆC. XI. An. C 1060.

Ecclesiam suam readificandam juxta Rhegium dandam proposuerat. Destructa quippe erat noviter, sicque meritis ejusdem sancti, ut credimus, aura prospera flante, mare sedatum se se transmeabile prabens, impunè transire permisit.

IX. *Messanam capit.*

Dein cap. 8. *Comes igitur Rogerius toto mense Martio & Aprili per Calabriam*, &c. *disponens*, &c. *expeditionem iterùm versus Siciliam certatim parat. Maio itaque intrante Dux* (Robertus sc.) *ab Apulia cum maximo equitatu Rhegium veniens, etiam navalem exercitum per mare venire fecit.* Sarracenorum Admiralius classem, ut transitum ejus impediret, misit; sed, ut subdit Malaterra cap. 10. *Comes mare incautis hostibus, impunè transiens, ad locum qui communiter monasterium dicitur, applicuit, navesque remittens, ne fortè aliquis suorum ad eas refugeret, Messanam oppugnatum vadit: quam inermem inveniens; nam jamdudum defensores ejus peremerat, urbe capta turres & propugnacula ejus diruit, quos invenerunt interfectis, quibusdam verò ad Panormitanas naves transfugientibus anno ab Incarnatione domini millesimo & sexagesimo.* Maurolycus ait, Rogerium Comitem *ad Palatium Prasulis* deductum esse, indeque Rochus Pyrrhus in Sicilia Sacra infert superfuisse adhuc domum Palatium Episcopale nominatam. Verùm fallitur Vir de Historia Sicula bene meritus; *Prasulis* enim nomine ibi Mahumetanorum caput, à Latinis *Prasulem* aut *Pralatum* dictum, ab Arabibus verò *Emam*, intelligit, rectèque Vatierus in Versione Gallica Elmacini, & in Vita Tamerlani *Emam* Mahumetanorum *Pralati*, vel *domini Pralati* nomine designat. Denique fallitur Chronographus Barensis, qui hanc expeditionem in annum sequentem differt, ut Peregrinius in Notis observavit.

Anno Eræ Hispan. MXCIX. Anno Hegiræ CCCCLIII, inchoato die 26. Januar. fer. 6.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6554.

☉ 6. G. ☽ 17. P. 15. April. Indict. 14.

JESU CHRISTI 1061.

ALEXANDRI II PAPÆ 1.

HENRICI IV REG. 6.

CONSTANTINI DUCÆ IMP. 3.

I. *Nicolao II succedit Alexander II.*

AD num. 1. Nicolaus II *Florentia* finem vivendi fecit, inquit Leo Ostiensis lib. 3. cap. 20. qui addit, *duobus ac semis annis in Pontificatu peractis*, cui omnes ferè Catalogi consentiunt annos duos, menses sex & dies viginti quinque à Leone Ostiensi neglectos, ei tribuentes, sicuti & Benno pseudo-Cardinalis. Quare cùm *Anselmus* natione Mediolanensis, & Lucensis Episcopus die prima mensis Octobris Pontifex Romanus renunciatus fuerit, postquàm Sedes vacasset menses duos & dies VIII, uti habet quartus Catalogus, vel veriùs, ut habet sextus, menses duos & dies novem, perspicuum fit, *Nicolaum* hoc anno die vigesima secunda mensis Julii naturæ debitum solvisse, annoque MLVIII, die vigesima octava mensis Decembris electum fuisse. Licet enim ipsemet *Nicolaus* annos suos à die inthronizationis in rescriptis suis deduxerit, Auctores tamen Catalogorum eosdem, sicuti & Decessoris ab ejus electione repetiêre; alioquin annos duos, menses sex & dies viginti quinque non sedisset; cùm anno MLIX die octava mensis Januarii nondum inthronizatus esset. Sedem autem post Nicolai mortem cessasse *menses fermè tres*, docet Leo Ostiensis citatus; quod confirmat Auctor Disceptationis inter Regis Advocatum & Romanæ Ecclesiæ Defensorem apud Baronium anno MLXII num. XLIX, qui ait: *Constat tres plus minus menses interim decurrisse, ex quo sanctæ memoriæ Papa Nicolaus occubuit, usque ad Kalendas Octobris, cùm iste* (nempe Alexander II) *successit.* Papebrocius quidem in Conatu Chronico-Hist. Nicolai II mortem cum die XXIV mensis Junii, & Alexandri II initium cum die tricesima mensis Septembris copulat, & Nicolao II annos tantum duos, menses IV & dies XXV assignat; sed hæc documentis mox in medium allatis manifestè adversantur. Interpontificium ad menses duos & dies novem contrahimus, quia tam Leo Ostiensis, quàm Auctor Disceptationis citatæ non asserunt illud fuisse trium mensium, sed trium fermè mensium, idest, circiter trium mensium; cùm particula *fermè* tam defectum, quàm excessum significet, ut innumeris exemplis patet.

SÆC. XI. An. C. 1061.

II. *Incertum, an Alexander II annos Sedis suæ à die electionis numeraverit.*

Dies inthronizationis *Alexandri* II incertus, & incompertum an Sedis suæ annos à die electionis, vel à die inthronizationis deduxerit. In Bullario quidem Cassinensi Constitutio CVIII indicare videtur, eum ab inthronizatione annos suos dinumerasse; his enim verbis clauditur: *datum in castro Casino die Kalendarum Octobrium, per manus Petri sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi, atque vice domini Annonis Coloniensis Archiepiscopi Bibliothecarii anno decimo Pontificatûs domini Alexandri Papæ secundi, ab Incarnatione verò domini millesimo septuagesimo primo, indictione nona.* Si enim annos Sedis suæ à die prima Octobris deduceret, is Christi annus non decimus, sed undecimus eo die inchoatus numerandus fuisset. Verùm cùm indictio IX post Kalendas Septemb. cum anno MLXXI conjungi non possit, incertum, an in anno Incarnationis, an in indictione mendum cubet, ideoque an Alexander II à die prima Octobris, quo Summus Pontifex electus fuit, annos suos repetierit. Papebrocius laudatus ait, Alexandrum II die XXX mensis Septemb. coronatum; sed illud ex dictis corruit. Denique Ptolomeus Lucensis in Chronico, quod ab Alexandro II inchoat, notat hunc Pontificem Lucensem Episcopatum usque ad mortem retinuisse, & Civitatem illam multis Privilegiis decorasse. Fiorentinius in Comment. Rerum ad Mathildam Comitissam spectantium pag. 135. & seqq. Rescripta hujus Pontificis refert his verbis subscripta: *Ego Alexander sanctæ Rom. & Apostolicæ Ecclesiæ Præsul, & Lucensis Episcopus.*

III. *Cadalus Sedem Romanam invadit.*

Ad num. II ad XXVIII. *Defuncto Apostolico Florentiæ*, inquit Leo Ostiensis lib. 3. cap. 20. *cùm ingens inter Romanos seditio de ordinando Pontifice cœpisset exoriri, Hildebrandus Archidiaconus habito consilio cum Cardinalibus, nobilibusque Romanis, ne dissensio incresceret, Anselmum Lucensem Episcopum post menses fermè tres in Romanum Pontificem eligunt, Alexandrumque vocari decernunt; nostro Desiderio* (Abbate Casinensi & Presbytero Cardinali) *Romam cum Principe* (nempe Normannorum) *proficiscente. Quod cùm Imperatrix audisset, unà cum filio tulêre graviter hæc sine sua auctoritate gesta fuisse: Cadalumque Parmensem Episcopum à Placentino duntaxat, &*

Vercellensi

SÆC. XI. An. C. 1061.

Vercellensi Episcopis ipsa die festivitatis Apostolorum Simonis & Judæ (die sc. XXVIII Octob. currentis anni) *in Papam eligi faciunt*. Cadalus Pseudo-Pontifex in Pseudo-Synodo Basileensi electus *Honorii* II nomen sumsit. Onuphrius in Annotatione ad Platinam pag. 171. ait se legisse antiquum *Cadoli* Diploma, in qua ita se se appellat, sed illud nonquam prælo datum fuit, quamvis alio monumento non constet, *Cadalum* Honorium II nuncupatum fuisse. *Agnes* Imperatrix, ejusque germani existimarunt, fœdus Normannicum à Nicolao II in præjudicium juris Imperatorii concinnatum fuisse, quòd Richardus Normannorum Princeps Romæ *Patriciatum omnibus modis ambiret*, inquit idem Ostiensis cap. 23. cùm tamen fœdus illud ad defensionem Ecclesiæ Romanæ à variis Italiæ Proceribus vexatæ compositum fuisset. Quam iniquè Concilium illud congregatum fuerit, & Pseudo-Pontifex intrusus, apud Baronium legendum.

IV. *Petrus Damiani in eremum secedit.*

IV. A num. XXVIII ad LVIII. *Petrus Damiani*, qui à Nicolao II impetrare non potuerat, ut Episcopatum Ostiensem deponeret, & ad eremum Fontis Avellani secederet, illud tandem ab Alexandro II obtinuit, licet ab Episcopali onere prorsùs liberatus non fuerit, ut legere est in Annal. ubi & dicitur, *Alexandrum*, ubi creatus est Pontifex, *Hildebrandum* Archidiaconum Cancellarium renunciasse, penes quod officium universæ Romanæ Ecclesiæ administratio vertebatur. Ciampinius Vir Clariss. in Catalogo *Bibliothecariorum S. Rom. Ecclesiæ*, ipso initio rectè ostendit, *Cancellarii* officium à Bibliothecarii munere prorsus distinctum fuisse, licet aliqui Viri doctissimi utrumque in unum confuderint. Illud certè vel solus *Hildebrandus* ostendit, quem constat Sanctæ Rom. Ecclesiæ *Bibliothecarium* nunquam extitisse.

V. *SS. Arialdi & Herlembaldi labores adversùs hæreticos.*

V. A num. LX ad LXIII. *Sanctus Arialdus*, qui cum *Nazario* Clerico Mediolani Herlembaldo Duce collega, adversus Sacerdotes concubinarios, & simoniacos strenuè laborabat, audita *Alexandri* II creatione, Romam venit, ubi Pontifex *sanctum Herlembaldum* defensorem Ecclesiæ renunciavit, dato ei Vexillo, quod in manu tenens hæreticorum vesaniam reprimeret, ut ex Vita utriusque Sancti, quam MS. Baronius habuit, quæque nostra ætate Mediolani lucem vidit, idem Baronius ostendit. Mos enim ferebat, ut Pontifices iis vexillum darent vel mitterent, qui in Paganos vel hæreticos pugnare debebant. Sic *Victor* III Vexillum Sancti Petri *Roberto Guiscardo* in Græcos schismaticos bellum moventi deferendum tradidit, ut docet Guillelmus Apuliensis lib. 4. de Gest. Normann. Alexander II idem Vexillum misit *Willelmo Normanniæ Duci* contra Haraldum pugnaturo, ut infrà videbimus. Varia hujus rei exempla congerit Ducangius in Glossario voce *vexillum Sancti Petri*.

VI. *Vita S. Arialdi non à Syro, quàm à B. Andrea scripta.*

VI. Baronius num. LX, & anno MLXVI num. XVII, existimat *beatum Andream* Abbatem Vallumbrosæ nullam de Sancto Arialdo Vitam scripsisse, sed quam habemus esse Opus *Syri* Presbyteri, ab eodem Andrea in lucem emissum. Contrà verò Bollandus ad diem X mensis Martii, in Comment. prævio ad Vitam B. Andreæ § 2. putavit, *Syrum* nullam de Arialdo Vitam literis mandasse, sed tantùm in Epistola ad eumdem Andream data ejus Martyrium retulisse. Verùm certum est, Vitam beati Arialdi, quæ extat, à B. Andrea editam esse, & *Syrum* aliam Arialdi Vitam elucubrasse, quæ ad nos non pervenit. Vitam autem Arialdi à Puricello in Monum. Basil. Ambrosianæ publicatam, beati Andreæ fœtum esse, certum & indubitatum; sed Vitam ejusdem Sancti compositam pariter fuisse à Syro-Presbytero, malè Bollandus negavit; quod enim ad id probandum in medium adducit, contrarium ostendit. Refert ipse partem Epistolæ à Syro Presbytero *cum Herimberto socio de venerabili Arialdo* ad Andream datæ, & Andreæ responsum. Ait Andreas: *Legente me olim* (post mortem nempe Sancti Arialdi) *ea quæ cum socio Herimberto de venerabili Arialdo scripsisti, reperi vos multa præteriisse quæ dici oporteret. Unde factum est, ut jubente beatæ memoriæ Rodulpho patre* (Abbate Vallumbrosæ decessore beati Andreæ), *cujus anima jam cum Christo gaudet* (anno nempe MLXVI Rodulphi emortuali) *multa tam de his quæ omisistis, quàm de his quæ dixistis, exprimere conatus sum. Quod ad te mittens*, &c. ad hanc B. Andreæ Epistolam Syrus respondet: *Miror, charissime, quòd de his rebus requiras unum testem, quas testari possunt non solum multa millia fidelium; sed etiam infidelium.* Postea Syrus varia Arialdi gesta à B. Andrea omissa adjicit, atque secundis literis respondet, se multa *scienter* prætermisisse.

VII. *Nulla S. Herlembaldi Vita à B. Andrea scripta.*

VII. Quibus ex verbis manifestè elicitur, tam *Syrum*, quàm B. *Andream*, Arialdi Vitam seorsim composuisse; utriusque scriptionem æque prolixam fuisse; sed alterum alterius opus polivisse & amplificasse. Quare unus alterius Vitam supplevit complevitque, ideoque duplex Vita Sancti Arialdi olim conscripta; licet nunc, quæ à B. Andrea promulgata, tantùm extet, alteraque perierit. Verum quidem est B. Andream testari se nullam Vitam Sancti Herlembaldi condidisse, & cap. XVI num. VI apud Puricellum scribere: *Multa bona de hoc viro* (nempe Herlembaldo à paucis diebus occiso) *familiariter cognovi: sed quia nuper in defensione justitiæ martyrio est coronatus, ea alteri tam voluminis, quàm Scriptori relinquo, quia B. Arialdi Vitam perficere velociter cupio.* Sed eum nullam de Sancto Arialdo Vitam in literas misisse dici non potest. Baronius depravatum exemplar Vitæ Arialdi ab Andrea Abbate scriptæ nactus erat; nam num. LXII laudatum ejus locum his verbis refert: *Sed quia nuper in defensione justitiæ martyrio est coronatus, in altero volumine scripta relinquo.* Quo ex loco sic depravato anno MLXXVI num. LXXVII Baronius colligit, *B. Andream* Vitam Sancti Herlembaldi, quam à se non visam fatetur, scripsisse. Verùm B. Andreas nullam de *Herlembaldo* Vitam edidit, & opinio illa nonnisi in loco illo B. Andreæ corrupto fundata.

VIII. *Roberti Guiscardi Normannorum Ducis victoria.*

VIII. *Robertus*, Apuliæ & Calabriæ atque Siciliæ Ducatu sibi à Nicolao II confirmato, *reversus in Apuliam, Troiam etiam cepit: sicque sensim per intervalla temporum, regionem totam, Normannosque omnes illarum partium præter Richardum* (cui Nicolaus II Capuæ Principatum confirmarat) *suo imperio subdidit*, inquit Leo Ostiensis lib. 3. cap. 15. qui paulò pòst subdit: *Post hæc ad Saracenos expugnandos, Siciliamque capiendam ingens Roberti animus vertitur. Ad quam fortis cum exercitu transiens, Messanam primò, quæ in portu sita est, occupat.* Tarentum deinde obsidens in deditionem accepit. *Rursùs ad Siciliæ Panormique expugnationem cum navali profectus*

SÆC. XI. An. C. 1061.

exercitu, intra quinque mensium spatium Catinam primò (idest, Catanum) *inde Panormum, deinde Nazarim cepit. Sicque Rogerium fratrem omni praficiens insula, Panermi, ac Demena, & Messana sibi medietate servata, acceptis Saracenorum obsidibus thesauro ingenti ditatus, Calabriam redit.* Hæc Leo Ostiensis de Roberti Guiscardi victoriis variis annis reportatis uno tenore narrat.

IX. *Saracenos Sicilia ipse & Rogerius frater persequuntur.*

Sed ut de iis tantùm, quæ hoc anno in Sicilia gesta verba faciam, refert Malaterra lib. 2. Robertum & Rogerium fratres in Siciliam, & ante castrum Sancti Joannis eum exercitu venisse. Tunc Bechamel, seu Bennamer Saracenorum Præfectus *numerosa Africanorum multitudine* (ab Africa missa; Siculi enim aliquo modo ab Africæ Calipha pendebant) *& Siciliensium coadunata, bellum quod diu disposuerat* (ab anno nempe superiori) *hostibus offert anno ab Incarnatione domini millesimo sexagesimo primo. Porrò Dux* (nempe Robertus) *exercitum semipartiens* (*erant enim tantummodo septingenti*), *& ex ipsis duas acies ordinans, unam fratri ut priori, sicuti sibi moris erat, ut hostem feriat, delegat, ipse cum altera suos alacriter verbis exhortando subsequi non tardat. Similiter Bechamel, cum quindecim millia armatorum haberet, tres acies instituit: cum quibus primo quidem audacissimè hostibus occurrens certamen init. Porrò nostri in primo, ex more, congressu fortiter agende plurimos sternentes, reliquos in fugam vertunt, quos cadendo, versus castrum Joannis persequentes, usque ad decem millia occiderunt, sicque victoriam adepti, spoliis quidam sunt ditati.* Subdit Malaterra Rogerium Comitem totam provinciam incendio devastasse, spoliis & præda exercitum recreasse, diversas incursiones fecisse, sed castrum Joannis capere non potuisse. At cùm hyems immineret tam ipse, quàm Robertus frater *Messanam militibus, qui eam custodiant, & his quæ militibus necessaria forent, munientes, pharo transmeato, Dux quidem in Apuliam hyemandi gratia secessit: Comes verò in Calabria remanet: media verò hyeme intra natale domini cum ducentis quinquaginta militibus iterùm mare transiens, usque ad Grigentinam urbem totam patriam sollicitans prædatum vadit. Christiani verò provinciarum sibi cum maxima lætitia occurrentes, in multis obsecuti sunt. Inde Traynam adveniens, à Christianis civibus, qui eam incolebant, cum gaudio susceptus urbem intrat: pro velleque suo ordinans, ibidem Natale Domini celebrant*, inquit Malaterra cap. 18. de Rebus hoc anno gestis sermonem habens.

X. *Bela Hungaria regnum invadit.*

Andreas Rex Ungariorum, loquit Lambertus in Chronico ad hunc Christi annum, *videns Belem* (Belam communiùs dictum) *quemdam propinquum suum regnum affectare, & Ungarios à se paulatim ad eum deficere, uxorem suam & filium Salomonem, cui Imperator filiam suam parvulam desponderat, cum multis opibus ad Regem Henricum transmisit.* Refert postea Lambertus Belam in bello adversùs Germanos in auxilium Andreæ missos gesto victorem fuisse, & Hungariam sibi subdidisse. Alii Scriptores tradunt, *Belam* fratrem fuisse Andreæ Regis, & hoc anno fato functum esse, quod & testatur Lambertus.

SÆC. XI. An.C. 1062. Annus Eræ Hispan. MC. Anno Hegiræ CCCCLIV, inchoato die 15. Januar. fer. 3.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6555.

☉ 7. F. ☽ 18. P. 31. Mart. Indict. 15.

JESU CHRISTI 1062.

ALEXANDRI II PAPÆ 2.

HENRICI IV REG. 7.

CONSTANTINI DUCÆ IMP. 4.

I. *Cadalus Antipapa frustrà Romam obsidet.*

A Num. I. ad XV. *Cadulus mensis Aprilis die XIV Roma cum suo apparatu appropinquans, magnam cædem de prædictis Romanis, tam de amicis, quàm de inimicis fecit. Hoc verò factum fuit anno Dominica Incarnat. MLXII, indict. XV, qua dicti Imperatoris & Romanorum malitiâ non diu persistente, Alexander in suo permansit Episcopatu cum gloria, laude & honore. Infelix verò Cadulus cum magno dedecore repedavit ad propria*, ut legitur in veteri Codice Vaticano M S. à Baronio & Papebrocio in Conatu Chronico-Hist. citato. Fusiùs hæc refert Leo Ostiensis lib. 3. cap. 20. ubi de Agnete Imperatrice ejusque germanis ait: *Eum* (nempe Cadalum) *Romam ad impugnandam Ecclesiam cum exercitu, multisque pecuniis è vestigio mittunt. Sed, favente Deo, licet Romanorum plurimi illi gratiâ Regis adhæserint, castrumque illi sancti Angeli ad urbis expugnationem eradiderint: cum semel ac secundò magnis instructus copiis advenisset, pecuniamque immensam profligasset: magna strage suorum non minus quam ceterorum facta, postremo clam egressus è castro ipso turpiter cum paucis aufugit, neque ultra huc rediit. Quippe qui eodem anno, ipso die vigiliarum Apostolorum Simonis & Judæ ab omnibus Teutonicis & Italicis Episcopis, qui tunc cum Rege aderant, justo Dei judicio damnatus est atque depositus.* Recitat Baronius Epistolam tunc à Petro Damiani ad Cadalum scriptam.

II. *Damnatur in Concilio Osboriensi.*

A num. XV ad LXXII. *Sanctus Anno* Coloniensis Archiepiscopus, ut Schisma in suo ortu extingueret, *Henricum* Germaniæ Regem duodecim annorum puerum à matre *Agnete* Imperatrice subduxit, Conciliumque in Germaniæ loco, qui *Osborium* dicitur collectum. Ei Henricus Rex interfuit, *Cadalaus* damnatus, & Alexandri II electio confirmata, ut narrat Baronius ex Petro Damiani in Epistola ad Cunipertum Taurinensem Episcopum, qui & refert prolixam disputationem Synodalem *inter Regis Advocatum, & Romanæ Ecclesiæ Defensorem.* Quare, confirmata electione Alexandri II ab Henrico Rege, omnia in integrum videbantur restituta. Illud hîc non prætermittendum, in nullo ex nostris Catalogis Cadali seu Honorii II nomen legi; cùm tamen alii Antipapæ in iisdem sæpe memorentur. Denique idem *Cadalus* in Osboriensi. Concilio die XXVII mensis Octob. in quam Vigilia S S. Simeonis & Judæ incidit, damnatus, ut patet ex verbis Leonis Ostiensis, numero præcedenti recitatis.

III. *Legatio Gallica Petri Damiani.*

A num. LXXIV ad LXXXV. *Petrus Damiani*, postquam in eremum Fontis Avellani secessit, varias Legationes obire coactus fuit. Prior videtur ea quâ ad Cluniacense monasterium directus est, de qua Baronius hoc anno agit, quamvis ad sequentem, ut statim videbimus, pertineat. De ea mentionem facit Au-

ctor

SÆC. XI. An. C. 1062.

ctor coætaneus Annnymus in Relatione miraculorum Sancti Hugonis Abbatis Cluniacensis, qui extat in Bibliotheca Cluniacensi ubi pag. 460. ait: *Tempore quodam necesse fuit sancto viro pro tuendis filiis ad Ecclesiam matrem recurrere, & Romanæ sedis patrocinium advocare. Quapropter urbis illius refugium petens, magno labore & difficultate à latere avulsum dominum Petrum, Ostiensem videlicet Episcopum, cognomento Damianum, obtinuit, ut sibi daretur pro magno Petro prædiaturus, & adversarios prostraturus mirabili sua prudentia atque facundia. Erat namque vir ille abstinentia singularis, usu & ferreorum vinculorum nexu undique sic attritus, ut vix posset inveniri modus, quo ejus corporis imbecillitas foveretur, ad equitandi onus grave utcumque tolerandum.* Laborem tum à se impensum ipsemet Petrus Epist. I lib. VI ad Sanctum Hugonem Abbatem memorat: *cùm jam me senectus incurva deprimeret, & effœto viribus corpore nutabundæ gradientis vestigia sub incertis gressibus vacillarent; ego ad tua jussionis Imperium animam meam, ut ita loquar, in manibus meis posui, æstivis adoperta nivibus Alpium prærupta conscendi, & pro utilitate venerabilis monasterii tui propinqua satis Oceano Galliarum intima penetravi.* Diu se ibidem moratum conqueritur in Epist. V ejusdem libri ad Monachos Cluniacenses: *Promissum mihi fuerat, quod in Kalendas Augusti forem regressus ad propria: sed profligato postmodum trimestri curriculo, & quanta potui celeritate curavi, & tamen vix ante quintum Kalend. Novem. diem, Fontis Avellani, unde processeram, cacumen ascendi.*

IV. *Synodum Cabilone celebrat causâ monasterii Cluniac.*

Baronius causam hujus Legationis *Gaufredum* Comitem Andegavensem fuisse putat, quòd in Vita Sancti Hugonis ab Hildeberto Episcopo Cenomanensi scripta num. XXXIII legatur, *Sanctum Hugonem* Turonas venisse, cùm monasterium sancti Martini ab eodem Comite tyrannica præsumptione affligeretur, ut ex eadem Vita Baronius num. LXXIX narrat. Verùm inter Comitem illum Andegavensem, & Sanctum Hugonem nulla controversia fuit. Hujus itaque legationis causa, annusque legitur in Synodali definitione inter Hugonem Abbatem Cluniacensem, & Drogonem Episcopum Matisconensem, recitata in eadem Biblioth. Cluniac. pag. 509. & Tom. IX Concil. pag. 1177. Anno MLXIII Drogo Episcopus Matisconensis, in cujus Diœcesi Cluniacum positum, jus sibi in illud tentavit arripere, contra Sedis Apostolicæ Privilegia. Ad beati Majoli Basilicam pervenit, *sed resistentium sibimet infractus obstaculo intrare non potuit.* Tunc Hugo *Romanam Synodum impiger adiit, querelam suam coram sancto Concilio fidelis relator exposuit, novo periculo sancti loci ruinam procul dubio minitantis, ut obviaret, oravit. Petrus Damianus Ostiensis Episcopus se protinus obtulit, se seque ad subveniendum monasterio, per tam longi, tam asperi, tam duri itineris pericula destinavit. Enim verò apud Cabilonensem civitatem, ex auctoritate Apostolicæ Sedis Synodum congregavit, causamque Cluniacensis monasterii, pro qua præsertim componenda devenerat, divina auxiliante Clementia, optimo judicialis calculi fine conclusit. Inquisiti sunt omnes Episcopi, si Privilegia, quæ audierant, rata decernerent, omnes uno ore concorditer laudaverunt; atque ut perpetuò servanda atque illibata permaneant, communi judicio decreverunt. Tandem sancto decernente Concilio, ad hunc decisionis finem causa perducta est, ut præfatus Episcopus propria manu super sanctis Evangeliis superposita juraret, sicque sedis Apostolicæ Legato, sanctoque Concilio satisfaceret. Sic itaque per Synodale Concilium perpetua monasterii libertate firmata, sanctumque locum soli subjacere Romanæ Ecclesiæ communi sanctorum Episcoporum decernente sententia, mox inter Episcopum & Abbatem omnis controversia querela sopitur.*

V. *In eo Concilio alia negotia tractata.*

Hæc de verbo ad verbum, summariè tamen, ex Synodali definitione citata *Cabilone* habita, excerpsi, ex qua & liquet, hæc anno sequenti contigisse, quo *Concilium Romanum* centum & amplius Episcoporum celebratum fuit. Porrò in hac Synodo Cabilonensi alia quoque ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentia tractata sunt, uti causa *Haderici* Aurelianensis Episcopi, quod patet ex Epist. XXIII Alexandri II ad *Gervasium Remensem Archiep.* data, qua ei gratias agit, quòd illum, qui Carnotensem Ecclesiam Simoniacè invaserat, inde ejiciendum curarit, & *Hadericum* Aurelianensem eadem de causa amoveri petit, quem ait, fraudulentiâ suâ *in Cabilonensi Synodo* Petrum Ostiensem Episcopum, *à quo eadem Synodus celebrata est*, decepisse. Ad hanc etiam Petri Damiani legationem & Concilium Cabilonense Cossartius revocat Epistolam XXI Alexandri II *ad Archiepiscopos Galliæ* datam, in qua mandat, ut Petro Damiano Ostiensi Episcopo, Legato Sedis Apostolicæ, in omnibus fidem habeant, & debitè obediant: *Quisquis enim*, inquit, *fastu superbiæ, quod absit, inflatus illius judicio contradictor vel adversator extiterit: usque ad dignam satisfactionem, nostram vel Romanæ Ecclesiæ gratiam non habebit.*

VI. *Dalmatia duobus Metropolibus decorata.*

A num. CXIII ad CXVIII. Duæ erant in Regno *Dalmatiæ* & *Croatiæ* hoc tempore Metropoles, ut ostendit Lucius in lib. 2. de Regno Dalmatiæ & Croatiæ cap. 2. & seqq. ante annum millesimum institutæ, nempe *Salonitana*, quæ *Spalatum* jamdiu translata fuerat, cujus suffraganei erant in Dalmatia Episcopi Absalensis, Beglensis, Arbensis, Jadrensis, Traburiensis & Ragusinus: in Croatia verò Nonensis, Belgradensis, & Tiniensis. Altera Metropolis *Diocletana* primùm appellata, sed Diocleâ destructâ Sedes *Antibarim* translata, ubi cùm Metropolita resideret, Antibarensis sæpius vocabatur. Porphyrogenneta lib. de Administrando Imperio cap. 36. testatur, sua ætate, seculo scilicet decimo, Diocletanam civitatem desertam jacuisse, *nunc*, inquit, *habitatoribus vacua, in hodiernum usque diem Dioclea appellatur.* Recitat Baronius Epistolam Alexandri II *Ven. Archiepiscopo Diocliensis atque Antibarensis Ecclesiæ* hoc anno datam, in qua ejus suffraganei disertè memorantur, nempe Diocliensis, Ecatarensis, Palechiensis, Suatinensis, Scodriensis, *Dinnastriensis*, Palatinensis, Sorbiensis, Bosoniensis, & Tribuniensis; ex quibus nominibus aliqua corrupta sunt. Erant ergo hoc tempore decem tantùm Suffraganei Archiepiscopo Antibarensi subditi, quibus duo alii postea adjuncti fuere, *Drivastensis* nempe & *Zaculmensis*, quorum meminit Diocles Presbyter in Regno Slavorum.

VII. *Proprio Regi parent.*

In *Croatia* verò & *Dalmatia*, quæ in unum regnum coaluerant, regnabat *Cresimirus Petrus*,

SÆC. XI. An. C. 1062. qui, ut notat idem Lucius pag. 83. primus repetitur Privilegia concessisse titulo Regis Croatorum, & Dalmatinorum, vel Dalmatiæ & Croatiæ, anno millesimo quinquagesimo secundo quamvis ignoretur quando regnare cœperit, & à quo Regis titulum, Dalmatiæque accessionem consecutus sit; sed Imperio Orientali ad deteriora prolabente non potuêre Imperatores Græci non dissimulare quod in regionibus à se remotioribus fiebat. Quia verò Normannorum potentia in Italia in dies crescebat, *Dalmatæ Græcis*, Rege ipso consentiente, se se conjungere coacti sunt, ut indicat Curopalate, qui scribit, Constantino Duca imperante Illyricas tunc civitates, scilicet Dalmatarum, se se Græcis adjunxisse, & solita navium auxilia pro communi defensione præbuisse receptis voluntariis Normannorum metu præsidiariis, & si *quæ recusarunt, stipendiariæ factæ sunt*. Dalmatia tamen ad Imperium reversa, Magistratus quoque Imperiales sortita est, consentiente scilicet Rege Cresimiro. Lucius enim ex archivo monasterii Sancti Chrysogoni pag. 84. documentum profert, in quo legitur: *M L X V I I regnante D. Constantino Duce magno Imperatore, Prioratum vero Jadræ retinente D. Leone Imperiali Protospatario, & totius Dalmatiæ Catipano.*

VIII. *Gebehardus Archiep. Salsburgensis Sedi Apostolicæ addictus.* Ad num. CXVIII Alexander II Pallium dedit *Gebehardo* Archiepiscopo Salsburgensi, quem postea suum in Germania Legatum declaravit. *Gebehardus* enim Saxonibus Henrico IV, postquam Imperator dictus est, rebellantibus adhæsit, & Sedis Apostolicæ partes secutus est; quam ob rem cùm sibi ab Imperatore & Metropolitanæ suæ urbi Salsburgensi hostilem vim metueret, *castrum Juvavense*, quod ab Hunnis ab aliquot seculis unà cum urbe funditus eversum fuerat, ex ruinis suis restituit. Quod enim *Gebehardus* tunc factioni Saxonum adeo fuerit deditus, ut etiam ipse in castris eorum versatus sit, testatur coætaneus Auctor Anonymus in Apologia pro Imp. Henrico IV, qui extat Tom. I Scriptorum Rer. Germ. à Marquardo Frehero Francofurti editorum, qui ait: *Vidimus etiam in castris, quæ posuerunt Saxones atque Thuringi ad locum Herosfeldiæ, Gebehardum, dictum quondam Salsburgensis Ecclesiæ Archiepiscopum, qui post multa Ecclesiæ stipendia, cœpit jam quasi puer centum annorum militare in castris Saxonum, ac paulo pòst recepturus dignam factorum suorum remunerationem obiit, postquam à viris sanguinum, suis scilicet participibus, effusus est sanguis multorum in circuitu Virzburgensis Ecclesiæ, velut in circuitu Hierusalem.* Hæc, inquit Lambecius lib. 2. Biblioth. Cæs. cap. 8. causa fuit reædificandi desolati castri Juvaviensis, quod postea sequentes Archiepiscopi valde ampliarunt, muniique & turribus, & propugnaculis, & omni apparatu bellico adeo munierunt, ut nunc non solùm ab omni hostili incursione tutissimum sit, sed & inexpugnabile videatur.

IX. *Concilium Aragonense.* Ad num. CXX. Hieronymus Blanca in Aragonensibus Commentariis refert periocham Concilii Aragonensis apud Sanctum Joannem Rupensem seu Pennatensem celebrati regnante in Aragonia Ramiro. In eo decretum, *ut Episcopi Aragonenses ex Monachis præfati cœnobii habeantur, & eligantur. Ramirus Rex stans in medio Concilii, dixit: Ego laudo, & corroboro decreta genitoris mei Sanctii*, qui cognominatus est *Major*. Baronius Hieronymum Blancam secutus, hoc Concilium præsenti anno collocat, quia in ejus fine legitur: *Data est sententia VII Kal. Julii, erâ M L X I I*, quam uterque Eram Incarnationis interpretatur. Verùm nunquam in Actis publicis, literis, aut similibus scripturis in Hispania repertis Era simpliciter prolata sumpta fuit pro Era Incarnationis. Quare Era Hispanica hoc in loco corrupta, ut evidens est, quia era illa in annum Christi M X X I V convenit, quo *Sanctius Major* Ranimiri pater regnabat. Is autem patri anno M X X X V demortuo successit in Regnum Aragonense. Cossartius Tom. IX Concil. pag. 1173. diligenter hoc Concilium exponit, existimatque loco, *erâ MLXII*, legendum, erâ MLXXII, quæ in annum Christi MXXXIV competit. At eo anno Sanctius Major *VII Kal. Julii* adhuc vivebat annoque tantùm M X X X V è vivis excessit, ut eo anno ostendimus. Quare Concilium istud, non multò pòst Sanctii Majoris obitum congregatum, cùm Ranimirus filius ejus Decreta confirmet, sed non citiùs quàm anno eræ M L X X I I I, quæ ideo in locum eræ M L X I I substituenda. De *Ranimiri*, seu *Ramiri* Regis morte anno sequenti agemus. SÆC. XI. An. C. 1062.

X. *Victoria Richardi Normannorum Ducis de Græcis.* Richardus Normannorum Princeps, Rannulfi filius, postquam Nicolaus II Principatum Capuanum ei confirmavit, *ad excidendam Capuanam urbem animum cœpit intendere, Principatùsque dignitatem toto ambire conatu*, inquit Leo Ostiensis lib. 3. cap. 15. qui paucis interjectis subdit: *Campaniam postmodum petiit: totamque intra tres menses obtinuit virtute mirabili.* Inde Capuam rediens sibi portas, turresque tradi postulat. *Capuani jam omni spe destituti, neque jam resistere ultrà valentes, turres tandem, ac portas, & se ipsos, suaque omnia Principi tradunt, anno Dominicæ Incarnat. millesimo sexagesimo secundo, cùm jam decem ferme per annos viriliter Normannis restitissent.* Paulù pòst: *Ita Deo sibi per omnia pro incolarum sceleribus favente, omnes Capuani Principatûs fines cum castris & oppidis intra breve sibi intervallum temporis subdidit.*

XI. *Prima expeditio Francorum in Mauros Hispaniæ.* Chronographus Malleacensis de Gosfredo Pictavorum Duce verba faciens, ait: *Abiens in Hispaniam cum multis Normannis, Barbastam civitatem* (sitam in Aragonio Regno juxta Catalauniæ fines) *nomini Christiano, cunctis quæ in ea erant prius perditis adquisivit. Eodem anno Luna obscurata est Kalendis Augusti.* Auctor Fragmenti Historiæ Francicæ à Roberto ad mortem Philippi I Regis apud Duchesnium Tom. IV pag. 88. mentionem facit trium expeditionum à Francis in Mauros Hispaniæ susceptarum, & de priori scribit: *His temporibus Dux Aquitaniæ Guillelmus, & quidam alii Optimates Galliarum, quisque de suo exciti loco, copiosum in Hispaniam conduxerunt exercitum. Cujus ditissimam urbem Barbastam, & quàmplura capientes castella, maximamque ejusdem provinciæ partem ferro & igni depopulantes, demum ad sua reversi sunt, multamque & variam suppellectilem secum afferunt, multaque mancipia adducunt.* Sed cùm hoc anno Kalendis Augusti nulla eclypsis Lunaris visa fuerit; imò nec ulla esse potuerit, cùm plenilunium die vigesima sexta mensis Julii contigerit, uti in omnibus Tabulis Astronomicis notatur, Chronographus Malleacensis de vera Lunæ eclypsi intelligi non potest, vel in anno rei gestæ fallitur. Hinc Sigebertus in

Chron.

SÆC. XI. An. C. 1063.

Chron. hanc Gallorum expeditionem in annum sequentem differt, & Scriptores Hispanici eam anno circiter MLXXVII accidisse volunt. De secunda Francorum in *Mauros* expeditione anno MLXXXV sermo erit.

XII. *Saraceni in Sicilia ad magnas angustias redacti.*

Interim in Sicilia *Saracenorum* Res pessimo loco erant. Noweirius Arabs de rebus ibi anno superiori gestis verba faciens in Historia Siciliæ, ait quod cùm *Rogerius* & Franci, quo nomine *Normanni* appellabantur, maximam provinciæ partem occupassent, præcipuos Doctores ac Proceres Musulmanos eam deseruisse, & aliquos in Africam trajecisse, ubi *Almoezz* filium Badis Ziridis Africæ Calipham de statu Siciliæ edocuêre, ac significarunt, in ea Musulmannos divisos, & Francos ferè rerum Dominos. Quare Calipha magnam classem statim adornavit, sed cùm ea passis velis in *Cosiram* insulam, hodie *Pantalariam* dictam, ferretur, tanta tempestate jactata fuit, ut maxima militum pars perierit, & nonnisi aliqui, qui superfuêre, in Siciliam appulerint, ut narrat Malaterra. *Almoezz* Calipha hoc infortunio fractus, & aliunde in iis, quæ magis premebant occupatus, *Siciliæ* curam penitus abjecit, Francique seu Normanni in ea de Musulmannis triumpharunt, & magnos progressus fecerunt.

Anno Eræ Hispan. MCI. Anno Hegiræ CCCCLV, inchoato die 4. Januar. fer. 7. Anno Hegiræ CCCCLVI, inchoato die 25. Decemb. fer. 5.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6556.

☉ 8. F. ☽ 19. P. 20. April. Indict. 1.

JESU CHRISTI 1063.

ALEXANDRI II PAPÆ 3.

HENRICI IV REG. 8.

CONSTANTINI DUCÆ IMP. 3.

I. *Legatio Florentina Petri Damiani.*

ANnum. V ad LXII. Hoc circiter anno magnum in Ecclesia Florentina conflatum schisma, dissidentibus ab Episcopo Monachis, inter quos primum locum tenuisse Sanctum Joannem Gualbertum Ordinis Vallis Umbrosæ in Hetturia fundatorem, in Vita ejus his verbis asseritur: *Vir beatus Episcopum Florentinum, nomine Petrum, patria Ticinensem, non solum simoniacum, sed etiam hæresis, propter illud vitium cum suis fratribus reum asserebat, nec ab eo sacramenta percipienda dictabat. Inde verò vehemens orta est contentio in Clero & populo Florentino, aliis Episcopum defendentibus, aliis Monachos laudantibus, quod tanta libertate illud vitium detestarentur.* Et Episcopi parens, utpote *homo simplicissimus* fassus dicitur, se *Regi ter mille libras dedisse.* Alexander II misso B. Petro Damiani, conatus est partes dissidentes conciliare, sed re infecta coactus est redire, ut fusè narrat Baronius. Monachi Episcopum suum necdum ab Ecclesia Catholica condemnatum, clamabant esse vitandum, benedictiones illius & sacramenta esse maledictiones & sacrilegia: ac propterea prohibebant populum accipere Sacramenta ab Episcopo aut ordinatis ab eo. Hinc plurimi absque sacramento Eucharistiæ moriebantur; neque baptizati Chrismate ungebantur. Hæc Petrus Damiani Opusculo 30. de Sacramentis per improbos administratis latè deducit, quod Florentinis misit. Correpti Monachi justa Petri Damiani reprehensione, quòd zelo non rectè ordinato prosecuti causam Episcopi essent; Romam profecti, coram Pontifice Episcopum accusarunt, & *Petrus Monachus* Vallis Umbrosæ post sacrificium Missæ, indutus adhuc vestibus sacris, solum casulâ depositâ, per ignem illæsus transiit; ut pluribus describit Desiderius Abbas Casinensis, qui eumdem Petrum Episcopum Albanensem, dum scriberet, adhuc superfuisse affirmat. Petrus enim Episcopatûs & Cardinalatûs dignitate postea auctus, & *Igneus* vulgò cognominatus, ut narrat Baronius num. LX. Deceptus verò Cardinalis doctissimus à quodam moderno Scriptore, qui Petri Ignei Vitam, Clementis VIII temporibus in lucem emisit, quando ait, *Petrum Igneum* è gente Aldobrandina originem traxisse. Quæ tamen fabula, inquit Ughellus in Episcopis Prænestinis de hoc Sancto loquens, ita placuit, ut Petrus ipse Cardinalis Aldobrandinus, alioqui Princeps sapientissimus, illum in nova Clementina Aula cum Aldobrandinæ gentis insignibus, elegantique epigrammate depingendum curarit.

SÆC. XI. An. C. 1063.

II. *Concilium Romanum.*

Baronius num. LVIII affirmat, *Petrum Florentinum Episcopum*, quem Acta Sancti Joannis Gualberti tradunt, ab *Alexandro Pontifice de omni Episcopali officio depositum fuisse*, postmodum *reconciliatum fuisse, & in communionem ab iisdem Monachis receptum.* Verùm Ughellus in Archiepiscopis Florentinis Tom. III Ital. Sacræ id negat, contenditque alium mox substitutum Episcopum, etiam *Petrum* nomine. Porrò hujus Episcopi Florentini occasione celebratum est *Romæ* Concilium centum & amplius Episcoporum adversùs Simoniacos, quod Baronius à num. xxxi. ad xxxvii integrum recitat, atq; Canonem iv, quo decernitur, ut Clerici *simul manducent & dormiant, & quidquid eis ab Ecclesia competit, communiter habeant*, conditum esse suggestione Petri Damiani, *scriptis suis Alexandrum Pontificem ad hæc sancienda rogantis*, quibus verbis Baronius intelligit Opusculum ejusdem Petri XXIV contra Clericos proprietarios, qui scilicet pecuniam aliaque bona seorsum possidebant, idque sibi licitum asserebant ex libro suæ Regulæ. Capite primo hujuscemodi Canonicos oppugnat verbis Augustini, cap. 2. verbis Hieronymi & Prosperi, seu potiùs Juliani Pomerii, cujus sunt libri de Vita contemplativa, & cap. 3. Regulam ipsam Canonicorum, quam interpolationibus auctam existimat, acriùs carpit.

III. *Petrus Damiani scribit adversùs Canonicos.*

Initio capitis queritur Petrus Damiani, quòd Canonici, cum illis objiciuntur Augustinus, Hieronymus & Prosper seu Julianus Pomerius, quos superioribus capitibus 1. & 2. descripsit, statim librum offerunt suæ Regulæ, quam partim approbandam, partim rejiciendam censet. *Cùm hæc*, inquit, *illis objicimus ipsi Regulæ suæ librum nobis protinus offerunt, ad Regulæ suæ auctoritatem redeunt, eaque sibi proprietatis peculium concedente, pati se præjudicium conqueruntur. Quam nimirum Regulam nos nec funditus improbamus, nec auctoritatem illi omninò tribuimus. Probamus enim inquantum sanctis Ecclesiæ doctoribus consonat, abjicimus autem atque conspuimus inquantum authenticis eorum institutionibus non concordat.* Ut opinionem suam confirmet, complures ex ipsa Regula textus allegat, hac ad illius transitione præmissa: *sed jam ipsa illorum Regula deducatur ad medium, & utrum indifferenter tota, an cautè atque suspectè ex parte duntaxat*

taxat suspici debeat in una saltem paginula discernamus.

IV. *Regula Canonicorum defenditur.*

Nicolaus Desnosius Canonicus Regularis Opus edidit *de Canonicis* in libros quinque divisum, & lib. 2. cap. 14. ait ignorasse Petrum Damiani Regulam, qua se Canooici tuebantur, ipsummet Aquisgranensis Concilii Ludovico Pio imperante habiti textum esse, atque ex eodem Concilio de verbo ad verbum decerptas fuisse periochas, quæ Canonicis proprietatem permittunt, ut ex cap. CXX intelligitur. Illud certè si novisset, subdit Desnosius, Canonicos, quibus tot Patres indulgentiam proprietatis concesserant, haud adeo severè carpsisset, abstinuissetque à conviciis in ipsam Regulam, ratus in ea nec *absurdum* quidquam, aut *ineptum* ac *frivolum* inveniri, nec esse *reptantium portenta verborum, & ignominiosa atque confusa locutionis opprobrium*; ipsas quoque senteotias, quæ passim in prædicto sparsæ Concilio repeciuntur, *ineptias* nusquam appellasset. Interpolatam putavit illam Regulam, quæ Canonicis plus indulgebat, quàm textus Prosperi seu Juliani Pomerii ferret. At hæc indulgentia instar interpolationis haberi non debet in Regula Canonicorum, quam Synodus Aquisgranensis promulgavit; prius enim concessa legitur in Regula Canonicis Metensibus à *Sancto Chrodegango* eorum Episcopo, qui seculo VIII floruit, præscripta, imò in Regula Romana, quam idem Chrodegangus Romæ consuluit.

V. *Berengarius ab Alexandro II admonetur.*

Anonymus Chiffletianus, postquam narravit Berengarium sedente Nicolao II hæresim suam abjurasse, hæc scribit: *Sed Beringerius more suo ad proprium vomitum redire non timuit, ultra omnes hereticos, Romanos Pontifices, & sanctam Romanam Ecclesiam verbis & scriptis blasphemare præsumpsit. Nempe sanctum Leonem Papam, non Pontificem, sed Pompificem & pulpificem appellavit; sanctam Romanam Ecclesiam vanitatis concilium & Ecclesiam malignantium; Romanam Sedem non Apostolicam, sed sedem Satana dictis & scriptis non timuit appellare. Sed hæresim suam, post tot Synodicas damnationes & adjurationes clanculò per discipulos suos usquequaque non cessavit disseminare, & quoslibet incautos veneno sua herescos inficere. Unde venerabilis Papa Alexander successor Nicolai Papa literis eum satis amicè pramonuit, ut à secta sua cessaret, nec amplius Sanctam Ecclesiam scandalizaret. Ille autem ab incœpto desistere noluit, hocque ipsum eidem Apostolico literis suis remandare non timuit.*

VI. *Concilium Rotomagense adversùs eum.*

Hoc anno *Maurilius* Rotomagensis Archiepiscopus grassanti hæresi Berengarianæ frænum injecturus, Synodum habuit comprovincialium Episcoporum, in qua Catholica Fides asserta est: & contra sentientes diris addixit, in hæc verba: *Corde credimus, & ore profitemur, panem in mensa Dominica propositum, panem tantummodo esse ante consecrationem: sed in ipsa consecratione ineffabili potentia divinitatis converti naturam & substantiam panis in naturam & substantiam carnis; carnis, verò non ullius alterius, sed illius, qua concepta est de Spiritu sancto, nata ex Maria Virgine, qua etiam propter nos & propter nostram salutem flagellis cæsa jacuit in sepulchro, tertia die resurrexit à mortuis, & sedet ad dexteram Dei patris. Similiter vinum, quod aqua mixtum in calice sanctificandum proponitur, vere & essentialiter converti in eum sanguinem, qui per lanceam militis de vulnere Dominici lateris in resurrectionem mundi feliciter emanavit. Anathematizamus contra hanc sanctam & Apostolicam fidem superbè atque hæreticè sentientes, & impia temeritate garrientes.* Tum statuto edito decretum est, ut imposterum ordinandi Episcopi hanc fidei formolam palam profiterentur. Hujus Synodi Rotomagensis nulla fit mentio in postrema Conciliorum editione, sed eam ex Codice MS. eruit Mabillonius Tom. II. Analect. Prevotius in suis ad librum de Officiis Ecclesiast. Notis, observat extare in antiquis Codicibus eburneis Ecclesiæ Metropolitanæ Rotomagensis formulam Professionis fidei de veritate Corporis & Sanguinis Christi in Euchatistia contra Berengarium latam in Concilio Provinciali, *præsidente huic sancta Sedi venerabilis memoria Maurilio*, quam eam esse existimo, quæ à Mabilionio publicata fuit.

VII. *Salomon in regnum Hungariæ restituitur.*

Bela, qui Regnum Hungariæ invaserat, hoc anno obiit, ut testatur Lambertus Schafnaburgensis in Chron. qui addit, *Hungaros* legationem ad *Henricum* Germaniæ Regem misisse, qua testati sunt, se *Salomoni* Andreæ Regis filio subditos, fidelesque futuros. *Ita Rex Henricus Ungariam cum exercitu ingressus, Salomonem in solium patris restituit, juncta ei in conjugium sorore sua*, inquit Lambertus. Ea autem *Juditha* appellata, ad quam extat Epistola Gregorii VII.

VIII. *Pisani jam hoc tempore celebres.*

Pisanos jam hoc tempore bellis maritimis adversùs Pyratas Hetruscum mare infestantes, & adversùs Saracenos Siciliam incolentes celebres fuisse, demonstrat Inscriptio, quæ io vestibulo Cathedralis Ecclesiæ Pisanæ legitur, quam hîc refero:

Annus, quo Christus de Virgine natus ab illo
Transierat mille decies sex, tresque subinde
Pisani cives celebri virtute potentes
Istius Ecclesia primordia dantur in ipso
Anno, quô Siculus est stolus factus ad oras,
Quod simul armati multa cum classe profecti
Omnes majores, medii, pariterque minores
Intendêre viam, primùm sub sorte Panormam
Intrantes ruptâ portum pugnando cathenâ
Sex capiunt magnas naves, opibusque repletas,
Unam vendentes, reliquas prius igne cremantes,
Quo pretio muros constant hos esse levatos.
Post hinc digressi portum, terrâque potiti
Quà fluvii cursum mare sentit Solis ad ortum;
Mox equitum turba peditum comitante catervâ
Armis accingunt se se, classemque relinquunt.
Invadunt hostes contra sine more fluentes:
Sed prior incursus mutans discrimine casus
Istos victores, illos dedit esse fugaces,
Quos cives isti ferientes vulnere tristi
Plurima pra portis straverunt millia mortis,
Conversique citò tentoria littore figunt
Ignibus & ferro vastantes omnia circum.
Victores victis sic facta cade relictis
Incolumes multo Pisas rediere triumpho.

Fusiùs hæc narrat Fiorentinius in Commentariis de Rebus ad Mathildem Comitissam pertinentibus, lib. 1. pag. 80. & seqq.

IX. *Saraceni à Rogerio Comite in Sicilia victi.*

Interea, cùm *Almoezz* Africæ Calipha hoc anno è vivis excessisset, postquam in ea per annos LIX regnasset, ut eruitur ex Historia Africana Nowerii cum ejus Historia Sicula collata, *Tamim* filius in Caliphatum paternum successit, & validam classem, qui duo ejus filii, *Job* & *Ali*,

SÆC. XI. An. C.1063.

Ali, prætrant, in Siciliam misit. Jobus: ad *Urbem* idest, Panoemum appulit, & *Ali* Agrigentum; sed neutri tes ex voto successit, ut habet idem Noweirius, consentiens Malatertæ lib. 2. cap. 33. qui scribit: *Africani ergo & Arabici cum Sicilienfibus plurimo exercitu congregati, ut bellum Comiti inferant, advenire nunciantur anno Verbi incarnati MLXIII*; quod cùm accepisset Rogerius *Ciramim*, seu *Ceramium* venit quod munitum oppidum tunc Saraceni oppugnabant, & exercitu in duas acies diviso Saracenos adoritur, suâque præsentiâ universum exercitum roborat, ac illustrem victoriam reportat: *Comes*, inquit Malaterra, *de collato sibi beneficio non ingratus existens, in testimonium victoriæ suæ, per quemdam suorum nomine Meledium, camelos quatuor, quos inter reliqua spolia hoste triumphato, acceperat, Alexandro Papæ, qui tunc temporis vices beati Petri prudenter & catholicè exequebatur, apud Romam repræsentat. Apostolicus verò plus de victoria à Deo de Paganis concessa, quam de sibi transmissis donariis gavisus, benedictione Apostolica, & potestate, quâ utebatur, absolutionem de offensis, si resipiscentes in futurum caveant, Comiti & omnibus, qui in lucranda de Paganis Sicilia, & lucratam in perpetuum ad fidem Christi retinendo auxiliarentur, mandat: Vexillumque à Romana Sede, Apostolica auctoritate consignatum, quo præmio de beati Petri freti præsidio tutiùs in Saracenos debellaturi insurgerent.* Notabilis antiqua hæc indulgentia illis ab Alexandro II concessa, qui contra infideles pugnarent, aut adversùs eosdem opem suam conferrent. Tum Malaterra cap. 34. refert, Pisanos Panormum aggressos, in ejus portum irrupisse, & postea recessisse. Et denique cap. 35. ait, Saracenos cùm Ceramium rediissent, cladem nuper acceptam ulturi, à Roberto & Rogerio fratre cæsos fusosque fuisse: *Nostri victores effecti*, inquit Malaterra, *triumphalibus spoliis ditantur, Trabinam cum gaudio remeantes.*

X. *Obitus Ranimiri Aragoniæ Regis primi.*

Mortuus est hoc anno *Ranimirus* seu *Ramirus* Sancti Majoris filius, qui *fuit in Aragonia Regum primus*, inquit Toletanus lib. 6. cap. I. Is quidem annum mortis non memoravit, sed tumulus ejus, ut testatur Moretus, etiamnum extat in Ecclesia Sancti Joannis Pennatensis cum antiquissima inscriptione, ex parte quidem deleta, sed in qua adhuc legitur: *Hic requiescit Ranimirus Rex qui obiit VIII Idus Maii die V feria.* Reliqua corrasa, sed cùm feria quinta cum octavo Idus Maii per hæc tempora concurrere non possit nisi præsenti anno, manifestum est, errasse eos, qui mortem ejus usque ad annum MLXVII, aut circiter cum Mariana lib. IX cap. VII distulêre. Epitaphium enim confirmat Epistola autographa *Sancti* Episcopi Aragoniæ (sic enim quandoque Episcopus Jaccæ appellabatur) in monasterio Sancti Joannis Pennatensis asservata, & à Moreto, ut ipsemet lib. 2. cap. 11. testatur, visa, in qua legitur: *Hoc factum est Kal. Augusti era M. C. IX. anno nono regni ejusdem gloriosi Principis Sancti Ranimires, primo verò ingressionis Rom. Officii in Sancto Joanne*, anno scilicet Christi MLXXI. Quare *Sanctius* Ranimiri filius præsenti anno Regnum exorsus est, patrique successit. Porrò cùm Officium Romanum in Concilio Jaccetano currenti anno celebrato, à Ranimiro Rege admissum fuerit, ut anno MLX num. II diximus, isque die octavo Maii vivere desierit, patet illud Concilium ante diem illum *Jaccæ* congregatum fuisse, & Officium Romanum in celeberrimo Sancti Joannis Pennatensis monasterio anno tantùm MLXXI locum habere cœpisse. Surita lib. I. cap. 18. qui pluribus de eo Concilio agit, valde *Ranimirum* Regem laudat, quòd primus ex Hispaniarum Regibus Officium Romanum suis jussionibus asseruerit. Huc revocandum quod Baronii ordinem sequentes anno MLX de Concilio Jaccetano diximus.

SÆC. XI. An. C.1064.

Anno Eræ Hisp. MCCII.

Anno Hegiræ CCCCLVIII. inchoato die 13. Decemb. fer. 2.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6557.

☉ 9. D C. ☽ 1. P. 11. April. Indict. 2.

JESU CHRISTI 1064.

ALEXANDRI II PAPÆ 4.

HENRICI IV REG. 9.

CONSTANTINI DUCÆ IMP. 6.

I. *Concilium Mantuanum.*

A Num. II ad XXXVI. narrat Baronius *Cadalonem* pseudo-Papam iterum in Concilio Mantuano hoc anno habito condemnatum fuisse, & *Alexandrum* II in universa Ecclesia Pontificem deinceps agnitum. Verùm *Synodum Mantuanam*, ideoque & *Cadoli* Antipapæ damnationem pertinere ad annum millesimum sexagesimum septimum, nos certò docet Landulphus Junior, seu à Sancto Paulo, qui res Mediolani gestas literis mandavit. Is apud Puricellum in Vita Sancti Arialdi Martyris cap. 38. narrata morte ejus, quæ anno MLXVI contigit, ait: *De cujus morte doluit Alexander Papa unde anno sequenti, scilicet MLXVII, cùm idem Papa iret ad Synodum, quam* MANTUÆ *celebravit, Mediolanum venit, multaque fecit statuta de statu Mediolanensis populi & Cleri.* Quare Sigebertus in Chron. qui hoc tempore vivebat, & post eum Naucleras & Matthæus Paris in Chron. rectè Concilium hoc anno suo reddidêre. Hæc Sigeberti verba ad annum MLXVII: *Roma duobus de Papatu contendentibus, Mantuæ Synodus colligitur, & mediante Annone Coloniensi Archiepiscopo, Alexander se jurejurando de simonia expurgans in Sede Apostolica subrogatur, Cadolus ut simoniacus repudiatur.* Baronium, aliosque decipit Continuator Hermanni Contracti, nec in notatione temporum accuratus; ad quod cùm animum Puricellus laudatus non advertisset, videretque Ptolomeum Lucensem in Chron. Concilium Mantuanum memorare ad annum MLXIX, existimavit hæc totidem Concilia esse in ea urbe celebrata; cùm tamen vel ex ipsa Ptolomei lectione pateat, eum de eo Concilio Mantuano verba facere, in quo *Cadolus* damnatus, & *Henricus* Rex Germaniæ Ecclesiæ reconciliatus.

II. *Suo anno restitutum.*

Vidit hunc errorem vulgarem Franciscus Maria Fiorentinius in Comment. Rerum ad Mathildem Comitissam spectantium lib. 1. eumque non vulgaribus argumentis confutavit. Ipsemet enim Alexander Papa in Epistola ad Gervasium Remensem Archiep. ordine XII: *Antiqui hostis invidia*, inquit, *Antichristum per iniquitatis conceptionem suorum viscerum egerens de sentina, tantis eo ingruentem Romanam Ecclesiam per quinquennium, nunc callida tergiversatione, nunc hostili invasione oppressit periculis, ut intestina nostra specialis Ecclesiæ negotia, vix possemus ventilare, nedum longinqua ad plenum extricare. Verùm post longam tempestatem,*

taxat suspici debeat in una saltem pagunula discernamus.

IV. *Regula Canonicorum defenditur.*

Nicolaus Desnosius Canonicus Regularis Opus edidit *de Canonicis* in libros quinque divisum, & lib. 2. cap. 14. ait ignorasse Petrum Damiani Regulam, qua se Canooici tuebantur, ipsummet Aquisgranensis Concilii Ludovico Pio imperante habiti textum esse, atque ex eodem Concilio de verbo ad verbum decerptas fuisse periochas, quæ Canonicis proprietarem permittunt, ut ex cap. CXX intelligitur. Illud certè si novisset, subdit Desnosius, Canonicos, quibus tot Patres indulgentiam proprietatis concesserant, haud adeo severè carpsisset, abstinuissetque à conviciis in ipsam Regulam, ratus in ea nec *absurdum* quidquam, aut *ineptum* ac *frivolum* inveniri, nec esse *reptantium portenta verborum*, *& ignominiosæ atque confusæ locutionis opprobrium*; ipsas quoque sententias, quæ passim in prædicto sparsæ Concilio repeiuntur, *ineptias* nusquam appellasset. Interpolatam putavit illam Regulam, quæ Canonicis plus indulgebat, quàm textus Prosperi seu Juliani Pomerii ferret. At hæc indulgentia iostar interpolationis haberi non debet io Regula Canonicorum, quam Syoodus Aquisgranensis promulgavit; prius enim concessa legitur io Regula Canonicis Metensibus à *Sancto Chrodegango* eorum Episcopo, qui seculo VIII floruit, præscripta, imò in Regula Romana, quam idem Chrodegangus Romæ consuluit.

V. *Berengarius ab Alexandro II admonetur.*

Anonymus Chifflerianus, postquam narravit Berengarium sedente Nicolao II hæresim suam abjurasse, hæc scribit: *Sed Beringerius more suo ad proprium vomitum redire non timuit, ultra omnes hæreticos, Romanos Pontifices, & sanctam Romanam Ecclesiam verbis & scriptis blasphemare præsumpsit. Nempe sanctum Leonem Papam, non Pontificem, sed Pompificem & pulpificem appellavit; sanctam Romanam Ecclesiam vanitatis concilium & Ecclesiam malignantium; Romanam Sedem non Apostolicam, sed sedem Satanæ dictis & scriptis non timuit appellare. Sed hæresim suam, post tot Synodicas damnationes & adjurationes clanculò per discipulos suos usquequaque non cessavit disseminare, & quoslibet incautos veneno suæ hæreseos inficere. Unde venerabilis Papa Alexander successor Nicolai Papæ literis eum satis amicè præmonuit, ut à secta sua cessaret, nec amplius Sanctam Ecclesiam scandalizaret. Ille autem ab incœpto desistere noluit, hocque ipsum eidem Apostolico literis suis remandare non timuit.*

VI. *Concilium Rotomagense adversùs eum.*

Hoc anno *Maurilius* Rotomagensis Archiepiscopus grassanti hæresi Berengarianæ frænum injecturus, Synodum habuit comprovincialium Episcoporum, in qua Catholica Fides asserta est: & contra seotientes diris addixit, in hæc verba: *Corde credimus, & ore profitemur, panem in mensa Dominica propositum, panem tantummodo esse ante consecrationem: sed in ipsa consecratione ineffabili potentia divinitatis converti naturam & substantiam panis in naturam & substantiam carnis; carnis, verò non ullius alterius, sed illius, quæ concepta est de Spiritu sancto, nata ex Maria Virgine, quæ etiam propter nos & propter nostram salutem flagellis cæsa jacuit in sepulchro, tertia die resurrexit à mortuis, & sedet ad dexteram Dei patris. Similiter vinum, quod aqua mixtum in calice sanctificandum proponitur, verè & essentialiter converti in eum sanguinem, qui per lanceam militis de vulnere Dominici lateris in resurrectionem mundi feliciter emanavit. Anathematizamus contra hanc sanctam & Apostolicam fidem superbè atque hæreticè sentientes, & impia temeritate garrientes.* Tum statuto edito decretum est, ut impostcrum ordinandi Episcopi hanc fidei formulam palam profiterentur. Hujus Synodi Rotomagensis nulla fit mentio in postrema Conciliorum editione, sed eam ex Codice MS. eruit Mabillonius Tom. II. Analect. Prevotius in suis ad librum de Officiis Ecclesiast. Notis, observat extare in antiquis Codicibus eburneis Ecclesiæ Metropolitanæ Rotomagensis formulam Professionis fidei de veritate Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia contra Berengarium latam in Concilio Provinciali, *præsidente huic sanctæ Sedi venerabilis memoriæ Maurilio*, quam eam esse existimo, quæ à Mabillonio publicata fuit.

VII. *Salomon in regnum Hungariæ restituitur.*

Bela, qui Regnum Hungariæ invaserat, hoc anno obiit, ut testatur Lambertus Schafnaburgensis in Chron. qui addit, *Hungaros* legationem ad *Henricum* Germaniæ Regem misisse, qua testati sunt, se *Salomoni* Andreæ Regis filio subditos, fidelesque futuros. *Ita Rex Henricus Ungariam cum exercitu ingressus, Salomonem in solium patriæ restituit, junctâ ei in conjugium sorore sua*, inquit Lambertus. Ea autem *Judistha* appellata, ad quam extat Epistola Gregorii VII.

VIII. *Pisani jam hoc tempore celebres.*

Pisanos jam hoc tempore bellis maritimis adversùs Pyratas Hetruscum mare infestantes, & adversùs Saracenos Siciliam incolentes celebres fuisse, demonstrat Inscriptio, quæ in vestibulo Cathedralis Ecclesiæ Pisanæ legitur, quam hîc refero:

Annus, quo Christus de Virgine natus ab illo
Transierat mille decies sex, tresque subinde
Pisani cives celebri virtute potentes
Istius Ecclesiæ primordia dantur in ipso
Anno, quò Siculus est stolus factus ad oras,
Quod simul armati multa cum classe profecti
Omnes majores, medii, pariterque minores
Intendêre viam, primùm sub sorte Panormam
Intrantes ruptâ portum pugnando cathenâ
Sex capiunt magnas naves, opibusque repletas,
Unam vendentes, reliquas prius igne cremantes,
Quo pretio muros constant hos esse levatos.
Post hinc digressi portum, terrâque potiti
Quà fluvii cursum mare sentit Solis ad ortum;
Mox equitum turba peditum comitante catervâ
Armis accingunt se se, classemque relinquunt.
Invadunt hostes contra sine more fluentes:
Sed prior incursus mutans discrimine casus
Istos victores, illos dedit esse fugaces,
Quos cives isti ferientes vulnere tristi
Plurima præ portis straverunt millia mortis,
Conversique citò tentoria littore figunt
Ignibus & ferro vastantes omnia circum.
Victores victis sic facta cæde relictis
Incolumes multo Pisas rediere triumpho.

Fusiùs hæc narrat Fiorentinius in Commentariis de Rebus ad Mathildem Comitissam pertinentibus, lib. 1. pag. 80. & seqq.

IX. *Saraceni à Rogerio Comite in Sicilia victi.*

Interea, cùm *Almoezz* Africæ Calipha hoc anno è vivis excessisset, postquam in ea per annos LIX regnasset, ut eruitur ex Historia Africana Nowairi cum ejus Historia Sicula collata, *Tamim* filius in Caliphatum paternum successit, & validam classem, qui duo ejus filii, *Job & Ali*,

SÆC. XI. An. C.1063. *Ali*, præerant, in Siciliam misit. Jobus: ad *Urbem* idest, Panormum appulit, & *Ali* Agrigentum; sed neutri res ex voto successit, ut habet idem Noweirius, consentiens Malateræ lib. 2. cap. 33. qui scribit: *Africani ergo & Arabici cum Siciliensibus plurimo exercitu congregati, ut bellum Comiti inferant, advenire nunciantur anno Verbi incarnati MLXIII*; quod cùm accepisset Rogerius *Ciramim*, seu *Ceramium* venit quod munitum oppidum tunc Saraceni oppugnabant, & exercitu in duas acies diviso Saracenos adoritur, suâque præsentiâ universum exercitum roborat, ac illustrem victoriam reportat: *Comes*, inquit Malaterra, *de collato sibi beneficio non ingratus existens, in testimonium victoriæ suæ, per quemdam suorum nomine Meledium, camelos quatuor, quos inter reliqua spolia hoste triumphato, acceperat, Alexandro Papæ, qui tunc tempore vices beati Petri prudenter & catholicè exequebatur, apud Romam repræsentat. Apostolicus verò plus de victoria à Deo de Paganis concessa, quam de sibi transmissis donariis gavisus, benedictione Apostolica, & potestate, qua utebatur, absolutionem de offensis, si resipiscentes in futurum caveant, Comiti & omnibus, qui in lucranda de Paganis Sicilia, & lucratam in perpetuum ad fidem Christi retinendo auxiliarentur, mandat: Vexillumque à Romana Sede, Apostolica auctoritate consignatum; quo præmio de beati Petri freti præsidio tutiùs in Saracenos debellaturi insurgerent.* Notabilis antiqua hæc indulgentia illis ab Alexandro II concessa, qui contra infideles pugnarent, aut adversùs eosdem opem suam conferrent. Tum Malaterra cap. 34. refert, Pisanos Panormum aggressos, in ejus portum irrupisse, & postea recessisse. Et denique cap. 35. ait, Saracenos cùm Ceramium redissent, cladem nuper acceptam ulturi, à Roberto & Rogerio fratre cæsos fusosque fuisse: *Nostri victores effecti*, inquit Malaterra, *triumphalibus spoliis ditantur, Trahinam cum gaudio remeantes.*

X. Obitus Ranimiri Aragoniæ Regis primi.

Mortuus est hoc anno *Ranimirus* seu *Ramirus* Sancti Majoris filius, qui *fuit in Aragonia Regum primus*, inquit Toletanus lib. 6. cap. I. Is quidem annum mortis non memoravit, sed tumulus ejus, ut testatur Moretus, etiamnum extat in Ecclesia Sancti Joannis Pennatensis cum antiquissima inscriptione, ex parte quidem deleta, sed in qua adhuc legitur: *Hic requiescit Ranimirus Rex qui obiit VIII Idus Maii die V feria.* Reliqua corrasa, sed cùm feria quinta cum octavo Idus Maii per hæc tempora concurrere non possit nisi præsenti anno, manifestum est, errasse eos, qui mortem ejus usque ad annum MLXVII, aut circiter cum Mariana lib. IX cap. VII distulêre. Epitaphium enim confirmat Epistola autographa *Sanctii* Episcopi Aragoniæ (sic enim quandoque Episcopus Jaccæ appellabatur) in monasterio Sancti Joannis Pennatensis asservata, & à Moreto, ut ipsemet lib. 2. cap. 11. testatur, visa, in qua legitur: *Hoc factum est Kal. Augusti era M. C. IX. anno nono regni ejusdem gloriosi Principis Sanctii Ranimires, primo verò ingressionis Rom. Officii in Sancto Joanne*, anno scilicet Christi MLXXI. Quare *Sanctius* Ranimiri filius præsenti anno Regnum exorsus est, patrique successit. Porrò cùm Officium Romanum in Concilio Jaccetano currenti anno celebrato, à Ranimiro Rege admissum fuerit, ut anno MLX num. II diximus, isque die octavo Maii vivere desierit, patet illud Concilium ante diem illum *Jaccæ* congregatum fuisse, & Officium Romanum in celeberrimo Sancti Joannis Pennatensis monasterio anno tantùm MLXXI locum habere cœpisse. Surita lib. I. cap. 18. qui pluribus de eo Concilio agit, valde *Ranimirum* Regem laudat, quod primus ex Hispaniarum Regibus Officium Romanum suis jussionibus asseruerit. Huc revocandum quod Baronii ordinem sequentes anno MLX de Concilio Jaccetano diximus.

SÆC. XI. An. C.1064.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6557.

☉ 9. D C. ☽ 1. P. 11. April. Indict. 2.

JESU CHRISTI 1064.

ALEXANDRI II PAPÆ 4.

HENRICI IV REG. 9.

CONSTANTINI DUCÆ IMP. 6.

Anno Eræ Hisp. MCCII. Anno Hegiræ CCCCLVIII inchoato die 23. Decemb. fer. 2.

I. Concilium Mantuanum.

AD Num. II ad XXXVI. narrat Baronius *Cadaloum* pseudo-Papam iterum in Concilio Mantuano hoc anno habito condemnatum fuisse, & *Alexandrum* II in universa Ecclesia Pontificem deinceps agnitum. Verùm *Synodum Mantuanam*, ideoque & *Cadoli* Antipapæ damnationem pertinere ad annum millesimum sexagesimum septimum, nos certò docet Landulphus Junior, seu à Sancto Paulo, qui res Mediolani gestas literis mandavit. Is apud Puricellum in Vita Sancti Arialdi Martyris cap. 38. narrata morte ejus, quæ anno MLXVI contigit, ait: *De cujus morte doluit Alexander Papa unde anno sequenti, scilicet MLXVII, cùm idem Papa iret ad Synodum, quam* MANTUÆ *celebravit, Mediolanum venit, multaque fecit statuta de statu Mediolanensis populi & Cleri.* Quare Sigebertus in Chron. qui hoc tempore vivebat, & post eum Naucleras & Matthæus Paris in Chron. rectè Concilium hoc anno suo reddidêre. Hæc Sigeberti verba ad annum MLXVII: *Romæ duobus de Papatu contendentibus, Mantuæ Synodus colligitur, & mediante Annone Coloniensi Archiepiscopo, Alexander se jurejurando de simonia expurgans in Sede Apostolica subrogatur, Cadolus ut simoniacus repudiatur.* Baronium, aliosque decipit Continuator Hermanni Contracti, nec in notatione temporum accuratus; ad quod cùm animum Puricellus laudatus non advertisset, videretque Ptolomeum Lucensem in Chron. Concilium Mantuanum memorare ad annum MLXIX, existimavit hæc eadem Concilia esse in ea urbe celebrata; cùm tamen vel ex ipsa Ptolomei lectione pateat, eum de eo Concilio Mantuano verba facere, in quo *Cadolus* damnatus, & *Henricus* Rex Germaniæ Ecclesiæ reconciliatus.

II. Suo anno restitutum.

Vidit hunc errorem vulgarem Franciscus Maria Florentinius in Comment. Rerum ad Mathildem Comitissam spectantium lib. 1. eumque non vulgaribus argumentis confutavit. Ipsemet enim Alexander Papa in Epistola ad Gervasium Remensem Archiep. ordine XII: *Antiqui hostis invidia*, inquit, *Antichristum per iniquitatis conceptionem suorum viscerum egerens de sentina, tantis eo saguentem Romanam Ecclesiam per quinquennium, nunc callida tergiversatione, nunc hostili invasione oppressit periculis, ut intestina nostra specialis Ecclesiæ negotia, vix possemus ventilare, nedum longinqua ad plenum extricare. Verùm post longam tempe-*

statem, & crebras procellas, sereno, nube expulsa, Deo jubente, reddito, forensibus jam occurrere valemus. Quare cùm Cadolus anno MLXII Ecclesiæ Romanæ vexandæ initium fecerit, quinqueonium illud oonnisi anno MLXVII absolutum, & tunc Concilium Mantuanum à Pontifice indictum. Prætetea, Baronios num. XXXIV ex Actis à Nicolao Aragoneosi collectis refert, *vix elapso spatio unius anni* Cadolum ad Urbem remeasse, & à Cencio Præfecti filio in castellum Sancti Angeli receptum fuisse: *In quo loco per duos annos à fidelibus Papæ Alexandri obsessus, & calamitatibus multis afflictus, exinde egredi non potuit, donec ab eodem Cencio trecentis libris argenti se redemit*, subdit idem Nicolaus, qui addit, eum postea inde occultè discessisse; Leo verò Ostiensis apud Baronium num. XXXV, *turpiter* inquit, *cum paucis aufugit, neque ultra huc redut.* Cadolus ergo nonnisi sub finem anni MLXIII Romam rursus aggressus est; quod si ibidem per biennium à Catholicis obsessus fuit, hoc anno ad Concilium *Mantuanum*, quò eum Henricus Rex vocavit, venire non potuit, frustraque laudatus Nicolaus eum contumacem appellat; si obsessus in castello Sancti Angeli inde exire non potuit. Insuper si paucos post Concilium *Mantuanum* dies Cadolus interiit, id accidit, quando hoc anno in eodem castello obsidione cingebatur, ideoque io illis Actis perperàm diceretur, *Cadolum* post duos annos inde aufugisse.

III. *Ejus epocha magis confirmata.*

Baronius oum. II, ut probet Concilium *Mantuanum* ad præsentem annum pertinere, laudat Hermannum Contractum, quo nomine ejus Continuatorem intelligit; sed is de rebus hoc & sequentibus annis Romæ gestis parum edoctus fuit, ut cum legenti patebit. Imò idem Continuator varia alia in literas misit, quæ falsa esse certis documentis constar. Citat etiam Baronius Lambertum ad hunc Christi annum, qui tradit, *Sanctum Annonem* Coloniensem Archiepiscopum in Italiam directum, quem liquet inde ad *Mantuanum* Concilium perrexisse. At *Anno* bis in Italiam missus, anno nempe currenti, annoqoe postea MLXVII, quô io Lombardiam cum Alexandro Papa & Gothefrido Tusciæ Duce profectus est, & Concilio *Mantuano* interfuit. Lambertus ad hunc Christi annum de primo Annonis in Italiam adventu verba facit, ut videre est apud Baronium num. XXIV. Addit Lambertus: *verum ubi ipse* (sc. Anno) *peracta legatione regressus est in Galliam, Parmensis Episcopus* (nempe Cadolus) *armata multitudine non modica Lucensem Episcopum* (sc. Alexandrum II Papam) *Sede Apostolica per vim deturbare aggressus est. E contra fautoribus illius ad arma impigrè concurrentibus, congressio facta est, multique hinc & inde vulneribus acceptis corruerunt.* Paucis interpositis: *Anselmus tamen, qui & Alexander, & virtute militum & favore Principum Sedem obtinuit. Alter verò etsi per contumeliam repulsus, tamen quoad vixit, ab jure suo non cedebat*, &c. Ubi Lambertus uno tenore narrat, quæ hoc & sequentibus annis contigêre; quod decepit Baronium, qui ex Lamberti verbis laudatis deducit, Concilium Mantuanum in quo Alexander II verus Pontifex agnitus, & Cadolus damnatus, hoc anno congregatum fuisse; cùm tamen, ut mox diximus, quæ refert Nicolaus Cardinalis Aragonius, cui maguam fidem habendam ipsemet Baronius censet, huic opinioni adversentur. Missus itaque hoc anno Romam ab Henrico Rege *Sanctus Anno*, ut testatur etiam Otto Frisingensis apud Baroonium num. XXXIII, & peracta legatione in Germaniam reversus est. Porrò Mantuam ad Mathildem Comitissam pertinuisse, alio loco ostendimus.

IV. *Cadolus hoc & sequenti anno in Castello circumclusus.*

Interim *Cadolus* in castello Sancti Angeli tanquam in carcere circumclusus erat, nec locum evadendi inveniebat. Duravit carcer ille *per duos annos*, ut ex Nicolao Cardinali diximus, ideoque inde ante annum sequentem in finem vergentem aufugere non potuit. Tum anno MLXVII in Concilio Mantuano licet vocatus, non comparuit, iocertum quo postea anno è vivis abierit. Lambertus laudatus ait, eum etiam post Alexandrum in Sede Apostolica confirmatum non destitisse Ordinationes facere, & sua per Ecclesias Decreta destinare; sed cùm Nicolaus Cardinalis, Leo Ostiensis & Auctor MS. libri Censuum à Baronio num. XL citatus contrarium scribant, & idem Nicolaus testetur, paucos post dies pessimam mortem incurrisse, postquam veniam ab Alexandro Papa *condigna satisfactione præstita* impetrasset, ea io re non videtur Lambertus audiendus.

V. *Hujus quasi carceris meminit Alexander II.*

Eo tempore, quo *Cadolus* à Catholicis circumclusus tenebatur, Alexander II scripsit ad Gervasium Archiepiscopum Remensem Epistolam inter Alexandrinas ordine VI, in qua inquit: *Annunciamus tibi, divina suffragante clementia, Cadalos præsumptionem extollentem se adversus Apostolicam sedem, tantò amplius ad majorem sui ignominiam devenisset, quantò ipse speraverat altioris superbiæ culmen ascendisse. Siquidem proprii nominis ethymologiam evidenter intelligens, ad reparandam pecuniam in periculum capitis sui à fautoribus suis distributam, cujusdam turris præsidio gemebundus servatur. Unde per misericordiam Dei speramus nullo modo posse evadere, donec quidquid contra sanctum Petrum nequitia sua præsumpsit, satisfecerit digna emendatione.* Recitat Epistolam illam Baronius num. XXXVI & seqq. sed corruptum exemplar nactus Gervasium appellat *Willelmum*, cùm tamen certum sit, Gervasium hoc tempore Ecclesiæ Remensi præfuisse.

VI. *Legatio Hispanica Hugonis Card.*

Ad num. XLII. *Hugonem* Candidum Presbyterum Cardinalem in Hispaniam legavit Alexander II, tum ad tollendum Schisma, tum ut Divinorum Officiorum ritus Romana ex formula constitueret; quod discimus, tum ex Diago lib. 2. Hist. Comit. Barcin. cap. 57. tum ex Surita lib. 1. cap. 21. Agnitus fuit ab omnibus ut verus Pontifex Alexander II & Officium Rom. uti jam decretum fuerat in Concilio Jaccetano anno MLXIII coacto receptum in Concilio ab Hugone Legato. Sed cootigêre hæc omnia anno MLXVIII, testibus citatis Auctoribus, omnibusque qui tradunt hæc peracta post Concilium Mantuanum anno MLXVII congregatum. Adhæc *Sanctius Ranimirus* Aragonum Rex, in Privilegio Abbatiæ Leirensis, quod extat apud Sandovallium in Notitia Episcoporum Pampilonensium ait, *Hugonem* Cardinalem interfuisse Concilio *Leirensi, anno regni sui sexto*, qui est annus Christi MLXVIII, cui Surita & qui Historias suas veterum Monumentorum fide composuêre, Divinorum Officiorum mutationem assignant. Ad eum itaque annum Concilia

lia varia durante ea Legatione in Hispania habita, revocanda, nec una Hugonis Legatio in duas dividenda, ut perperàm Cossartius Tom. IX Concil. pag. 1181. qui cùm non advertisset, *Concilium Mantuanum* ad annum MLXVII pertinere, & legisset, *Hugonem* post illud Concilium in Hispaniam ab Alexandro II Legatum missum, unicam Hugonis Legationem in duas distinguit, alteram, quæ hoc anno cum quo illud Concilium alligat, alteramque, quæ anno MLXVIII acciderit. Rectè tamen vidit Cossartius *Concilium Barcinonense*, cujus hîc meminit Baronius, spectare ad annum MLXVIII, sicuti & *Tolosanum* ac quædam alia, de quibus eo Christi anno agemus. *Barcinonense* eo Christi anno habitum demonstrat Diagus laudatus, atque Ecclesiasticorum Officiorum reformatione à Sanctio Ramiro ejusque Proceribus admissa, *Hugonem* Legatum cum Aquilino Sancti Joannis Pennatensis Abbate à Sanctio Ramiro Rege Legato ad Pontificem misso Romam perrexisse, & dum per urbem Barcinonensem transiret, ibi per aliquot dies substitisse.

VII. *Concilium Barcinonense.* Præerat tunc Comitatui Barcinonensi Raymundus Berengarii hujus nominis primus; *qui Vetulus dicebatur. Hic Raymundus Berengarii nimia clarus probitate, & inter alios Hispaniæ Principes super Agarenos tantum habuit principatum, ut XII Reges Hispaniæ* (idest Præfecti Saracenorum) *suo tempore annuatim ei tributum tanquam domino persolverent. Hic denique Comes famosissimus suum optans dominium decorare, coram Ugone Cardinali & Legato Romano, ac suis plurimis Magnatibus intra Barchinonæ Palatium, supradictorum consilio & assensu, propria quædam instituit jura, quæ Barchinonæ Usaticos nuncupantur, mandavitque, ut iis constitutionibus omnes comitatus sub Barcinonensis Comitatus imperio regerentur*, inquit Auctor Anonymus *de gestis Comitum Barcin.* Videns Legatus hunc Principem ad ea, quæ Alexander II optabat, valde propensum, de Officio Gothico in eo Principatu abrogando cogitavit. Ejus conatum promovit *Adalmodis* Raymundi uxor in Francia nata, ubi Officium Romanum, *Gallicanum* dictum, in usu erat, fœmina ingentis animi, & cujus res præclaré gestæ in monumentis Hispanicis sæpe occurrunt. Legatus itaque Concilium *Barcinone* indixit, cui interfuêre Episcopi & Abbates Principatûs Barcinonensis, & in quo, ut refert Diagus laudatus, communi consensu Officium Gothicum repudiarunt, & juxta sacros Canones decrevêre, ut imposterum Clerici in perpetua continentia viverent, neque, ut antè factum fuerat, uxores ducerent. Sed Concilium illud, uti jam insinuavimus, anno MLXVIII celebratum.

VIII. *A Conventu in quo leges Gothicæ abrogatæ distinguendum.* Antequam ei finis imponeretur, subdit Diagus cap. 58. *Raymundus* Comes Conventum Procerum, quem Hispani *Cortes* vocant, convocavit, ut in eo de legibus Gothicis, quod jam factum fuerat de legibus Ecclesiasticis in Concilio, fieret. Huic adfuêre *Hugo Legatus* & Magnates numero XXI, quorum consilio & assensu Codex Legum, vulgò vocatus, *Usatici Barcinonenses*, quo etiamnum utuntur Catalani, à Principe conditus est, ut liquet etiam ex ejus Præfatione, in qua legitur: *Hæc sunt Usatica de curialibus usibus, quæ constituerunt tenere in eorum patria omni tempore dominus Raymundus Barchinonensis vetus Comes, & Adalmodis ejus conjux, assensione & exclamatione illorum terræ Magnatum, videlicet Pontii Vicecomitis Gerundæ*, aliorumque ibidem nominatorum; inter quos cùm nullus Episcopus compareat, Baluzius lib. 4. Marcæ Hisp. ad annum MLXVIII, rectè concludit, Gothicarum Legum abrogationem, seu potiùs Additionem ad veterem legis Codicem, factam non esse in Concilio Ecclesiastico, deceptumque Baronium, aliosque qui eam attribuunt *Hugoni* Legato, cùm id factum fuerit Principis auctoritate. Fallitur tamen Vir doctissimus in eo, quod ait, *Concilium Barcinonense* ex Conciliorum Collectione delendum esse; cùm, teste Diago laudato, omnes Scriptores Catalani ejus mentionem fecerint.

IX. *Fœdus adversus Saracenos in Catalania ictum.* Idem Baluzius loco laudato, & in Appendice Marcæ Hispanicæ pag. 1126. recitat fœdus ictum inter Ermengaudum Comitem Urgellensem, & Raimundum Comitem Barcinonensem, actum *VIII Kal. Augusti anno tertio regni Philippi Regis*, hoc scilicet Christi anno. Eo se Comites ad mutuum auxilium obligaverunt adversùs inimicos & hostes suos, sive Saraceni illi essent, sive Christiani. Nominatim verò cautum, ut *Raimundus* auxilio esset adversùs *Alchagibum* Ismaëlitam Ducem Cæsaraugustanum, ea conditione, ut earum rerum, quæ adversus hunc caperentur ab *Ermengaudo* tertia pars rediret ad Raimundum. Post quæ Ermengaudus profectus adversùs Saracenos anno sequenti, *in obsidione Barbastrensis castri* quod est ad Cincam fluvium in Aragonia, *quod à Saracenis adhuc detinebatur, plurimum laboravit, & eo anno, quo captum est castrum, scilicet Incarnationis Christi MLXV mortuus est*, ut legitur in Gestis Comitum Barcinonensium cap. 12. de ea expeditione hæc habet Chronicon Malleacense: *Per hæc tempora Ermengaudus Comes Hildergensis*, (legendum, Urgellensis) *post triumphos copiosos de Mauris & Sarracenis prælio inito ultimò innumerabilem stragem Sarracenorum perficiens, dum victor regreditur, alium exercitum Maurorum offendit viventem* (legendum, venientem): *quem cum paucis suorum lassus persequens, multos eorum cecidit, & ipse cecidit. Caput verò ejus Sarraceni pro magno thesauro secum apportaverunt; quod aromatizatum Rex eorum auro cooperuit, & semper secum in præliis ferebat causa victoriæ.*

X. *Expeditio Roberti Ducis Apuliæ in Siciliam.* Robertus Apuliæ, & Rogerius Calabriæ Duces nihil sibi in tota Siciliæ insula tutum esse posse judicantes, si Panormo non potirentur, *anno dominicæ Incarnat. MLXIV cum quingentis tantum militibus Pharum mare transmeantes, tota Sicilia .... impunè peragratâ, Panormum usque pervenium .... Per tres menses commorati, Panormitanis fortiter repugnantibus, versus urbem quidem minimè profecerunt, sed viciniora circumquaque loca plurima depopulatione vexaverunt. At cùm viderent se versus urbem minimè tunc temporis prævalere posse*, &c. *haud procul ab Agrigentina urbe tentoria figunt. Porrò cives ejusdem urbis viribus suis plus necessariò confidentes, per portas prorumpendo forti strepitu super illos proruunt*, &c. *usque in portas suæ civitatis persequuntur.* Subdit Malaterra Robertum Ducem expeditionis caput venisse in Calabriam, & expeditionem solvisse. Hæc Auctor barbarus, sed coævus. Ceterùm *portorum* & *portuum* vocibus horum temporum Scriptores fau-

ces

ces & clusuras montium ac claustra exprimunt, ut videre est apud Ducangium in Glossario.

Lichudis Patriarchæ Constantinop. obitus, de quo anno MLXVI num. X ad hunc annum retrahendus.

Anno Eræ Hispan. MCIII. Anno Hegiræ CCCCLVIII inchoato die 2. Decemb. fer. 6.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6558.

☉ 10. B. ☽ 2. P. 27. Mart. Indict. 3.

JESU CHRISTI 1065.

ALEXANDRI II. PAPÆ 5.

HENRICI IV REG. 10.

CONSTANTINI DUCÆ IMP. 7.

I. *Persecutio adversùs Christianos in Saxonia excitata.*

ANum. L ad LIII. Persecutio adversùs Christianos in Saxonia excitata, quam Baronius hoc anno narrat, pertinet ad annum millesimum sexagesimum quartum, ut liquet ex Adamo Bremensi lib. 4. Helmoldus in Chron. Sclavorum lib. 1. cap. 24. & Krantzius in Wandalia lib. 3. cap. 5. qui Adamum exscribere solet, eam perperàm cum anno sequenti copulant, cùm Adamus affirmat eam contigisse anno XXII Adelberti Archiep. Bremensis, sed eam accuratè narrant. *Bernardus* Saxoniæ Dux, qui res Slavorum & Saxonum XL & amplius annis strenuè administravit, mortuus est anno circiter millesimo sexagesimo, relictis successoribus *Ordulpho* & *Hermanno* filiis, quorum hic *Nordalbingia* Comes, ille verò reliquæ omnis *Saxonia* Dux fuit, qui continuas & apertas cum *Adalberto* Archiepiscopo Bremensi & Hamburgensi simultates & inimicitias exercuêre. Hic verò cùm Metropolim Hamburg & circumjacentem regionem adversùs hostium incursiones non satis munitam videret, in monte ad Albim sito, qui duo circiter ab urbe milliaria germanica distat, castellum extruxit, quod simul & Præpositura locus esset & Metropolitanæ Sedis, totiusque Transalbinorum Ecclesiæ propugnaculum. *Ordulfus* post mortem patris cùm vix quinque transierant anni, à Slavis rebellantibus impetitus est. Principium malorum à capite ordiuntur, à religioso nempe Principe sui generis *Godescalco*, dum conversioni & saluti gentis vigilantissimè instaret. Passus est autem *VII Idus Junii*, cum Presbytero Eppone qui super altare immolatus est, & aliis multis tam laicis, quàm Clericis, qui diversa pro Christo pertulerunt supplicia. *Ansuerus* Monachus, & cum eo alii apud Rascesburg lapidati sunt, Idibus Julii passio eorum occurrit.

II. *Viri magni nominis in eo occisi.*

Joannes Episcopus senex cum ceteris Christianis in Magnopoli, idest Meckeleuburg captus, servabatur ad triumphum. Ille pro confessione Christi fustibus cæsus. Deinde per singulas civitates Slavorum ductus ad ludibrium, cùm à Christi nomine flecti non posset, truncatis manibus ac pedibus corpus ejus in platea projectum est. Caput verò defectum, quod Barbari conto præfigentes in titulum victoriæ Deo suo Radigasto immolaverunt. Hæc in Metropoli Slavorum Rethre gesta sunt IV Idus Novemb. inquit Helmoldus, qui addit, Slavos victoria potitos totam Hamburgensem provinciam ferro & igne demolitos esse, Stulmarios & Holsatos ferè omnes aut occisos, aut in captivitatem ductos, castrum Amenburg funditus eversum, & in derisionem Salvatoris nostri Cruces ab eis truncatas. Adhæc ipso tempore *Slewich*, civitas Transalbianorum, quæ sita est in confinio Regni Danici, ex improviso Barbarorum incursu funditus excisa est. Itaque omnes Slavi facta conspiratione generali, ad Paganismum denuò relapsi sunt, eis occisis, qui persiterunt in fide. *Accidit autem perturbatio hæc in Slavorum provincia, anno post Incarnationem Domini millesimo sexagesimo sexto anno regni Henrici quarti VIII*, inquit Helmoldus laudatus, quod & Krantzius habet, sed uterque errat, anno enim sequenti Henricus IV undecimum Regni annum inchoavit. Quare persecutio hæc accidit anno MLXIV quo desiit annus octavus Henrici, & incœpit annus XXII Alberti Archiep. etiam in Helmoldi & Krantzii sententia, qui Alberti initium cum anno Christi MXLIII rectè conjungunt.

III. *Moritur Ferdinandus M. I Castellæ Rex.*

A num. LIX ad LXIII. *Ferdinandus* hujus nominis I Castellæ Rex, *Magnus* cognominatus, *feriâ tertiâ, in qua Sancti Joannis Evangelistæ festum celebratur, inter manus Pontificum, cælo (ut credimus) tradidit spiritum*, inquit Lucas Tudensis, ideoque hoc Christi anno, quô festum Sancti Joannis Evangelistæ in feriam tertiam incidit, quod ipsemet Lucas Tudensis confirmat, cùm addit, hanc mortem accidisse *erâ millesimâ centesimâ tertiâ:* In Actis SS. Bollandianis ad diem IV mensis Aprilis, refertur Translatio S. *Isidori Hispalensis* Episcopi ex veteri Auctore Anonymo, in qua cap. 4. plura de virtutibus & pio obitu *Ferdinandi Magni*, annusque ac dies ejus emortualis certis characteribus designantur. Ferdinandus in mediam usque Lusitaniam victricia signa promovit, & Conimbricam atque Visetum Mauris eripiens, *Mondegonem* fluvium Regni sui terminos statuit, adjuncta sibi tota ferè *Extremadura*. Toletanum & Hispalensem Reges Saracenorum potentissimos, ac Regulos barbaræ gentis plures, tributarios fecit. Numerosam prolem reliquit, *Sanctium, Alfonsum*, & *Garsiam* filios, *Urracam* & *Elviram* filias. Regnum trifariam divisum filiis legavit, *Sanctio* natu maximo, Castellæ Regnum; Legionis, *Alfonso*, cum nonnullis Gallæciæ civitatibus: reliquam Gallæciæ partem & Lusitaniæ ditiones Mauris ereptas *Garsia*. *Urraca* verò filiæ Zamoram, Elviræ Taorum assignavit. Hæ Urbes *Infantaticum* appellatæ sunt, voce usurpata ad eam hæreditatis portionem significandam, quæ minoribus Regum filiis, vitæ sustentandæ causâ obveniebat. Ab *Infantatico* existimo provenire, quod filii, filiæque Regum Hispanorum *Infantes* postea apellari fuerint; nullum enim hujus rei exemplum mihi occurrisse memini ante Ferdinandi I mortem. Ferdinandus *Imperatorem* se in suis Diplomatis appellavit, & *Sancia* ejus uxor *Imperatrix* in iisdem dicta.

IV. *Concilium Helenense.*

Celebratum est hoc anno *Helenense* in prato Tulugiensi *Concilium*, à Baluzio ad librum IV de Concordia primùm editum, qui notat, oppidulum *Tulasas* appellatum, situm esse in Helenensi Episcopatu, haud procul Perpiniano. In eo *Treuga* Domini, & pax confirmata. Hoc ejus initium: *Hæc est Treuga & pax confirmata ab Archiepiscopo Narbonensi domno Gusfredo, & à Berengario Gerundensi Episcopo, & à domno Raymundo Helenensi Episcopo, & à Comitibus Russilonensium*, aliisque ibidem memoratis. Hoc autem Concilium ad hunc annum pertinere, ostendit

Cossartius

Cossartius Tom. IX Concil. de quo etiam legendus Em. Cardinalis Daguirre Tom. III Concil. Hisp.

Willelmus Normanniæ Dux Regno Angliæ destinatus.

V. Ingulphus in Historia monasterii Croylandensis, ad hunc Christi annum scribit: *Rex Edwardus senio jam gravatus, cernens Clitonis* (quod nomen filiis Regum, in Anglia tribuebatur) *Edwardi nuper defuncti filium Edgarum, Regio solio minus idoneum tam corde quam corpore, Godwinique Comitis multam, malamque sobolem quotidie super terram crescere, ad cognatum suum Willelmum Comitem Normanniæ animum apposuit, & eum sibi succedere in regnum Angliæ voce stabili sancivit. Willelmus enim Comes tunc in omni prælio superior, triumphator contra Regem Franciæ, ac omnes Comites Normanniæ contiguos publicè personabat, invictus in armorum exercitio, judex justissimus in causarum judicio, religiosissimus ac devotissimus in diverso servitio. Hinc Rex Edwardus Robertum Archiepiscopum Cantuariæ Legatum ad eum è latere suo direxit, illumque designatum regni sui successorem, tam debito cognationis, quam merito virtutis, sui Archipræsulis relatu insinuavit. Ad hoc Haraldus Major Domûs Regiæ veniens in Normanniam, se Willelmo Comiti post Regis obitum regnum Angliæ conservaturum non tantum juravit; sed etiam se ducturum filiam Willelmi Comitis in uxorem data fide, spopondit; & super hæc magnificè muneratus ad propria revenit.* Willelmus Dux erat Normanniæ, sed Comes ab Ingulpho, à quibusdam aliis *Marchio* appellatur, quia hæ tres voces jamdiu indiscriminatim sumebantur. *Willelmum* autem seu Guillelmum post Sancti Eduardi mortem in Anglia regnasse, suo loco videbimus.

Conventus Londinensis.

VI. *Sanctus Eduardus*, qui more Decessorum annum à natali Christi inchoavit, & cum multa Procerum frequentia Londini illud celebravit, iisdem vale dixit, literis, quas à Nicolao Papa aliàs acceperat, recitare jussis. Referuntur ex Tom. IX Concil. pag. 1191. & seqq. Pontifex laudat Anglorum Regum pietatem in Sanctum Petrum Apostolorum Principem, *Eduardum* Regem in societatem Apostolicam suscipit, renovatis ac confirmatis Privilegiis eidem aliàs concessis. Præterea monasterium *Westmonasteriense* à Rege meliorari & reædificari cœptum absolvit ab omni dominatione Episcopali, quam immunitatem Rex confirmavit, constituitque, ut quisquis fugitivorum ipsum sanctum locum intraverit, *immunis omninò ac plenam libertatem consequatur.* Post Regis, *Edgidæ* Reginæ, *Stigandi* Cantuariensis & *Eldredi* Eboracensis Archiepiscoporum subscriptiones, leguntur in eo Diplomate aliæ variorum Episcoporum ac Procerum cum his verbis: *Omnes consentientes subscripsimus stabilita apud Westmonasterium* (prope mœnia Urbis Londinensis situm) *quinto Kal. Januarii, die Sanctorum Innocentium anno Dominicæ Incarnat. millesimo sexagesimo sexto, indictione tertia, anno regni Edwardi nobilissimi & clementissimi Regis vigesimo quinto.* Ita habent alia harum literarum exemplaria apud Spelmannum, aliosque Scriptores Anglicos. Verum loco, *anno regni Edwardi vigesimo quinto* legendum, *anno regni Edwardi vigesimo quarto*, ut ex dictis initio Regni ejus certò constat. Porrò die XXVIII Januarii festo Sanctorum Innocentium sacro annus MLXVI à die Nativitatis Christi in cursu erat, sed indictio quarta in Italia à Septembri cœpta, nonnisi à Kalendis Januariis in Anglia inchoanda erat. Quod mirum videri non debet; cùm in Italia annus passim à Januario, indictio verò à Septembri initium sumeret. Illud verò abnorme quod anno CMLIX vidimus, in Anglia scilicet, indictionem à Septemb. & annum Christi à Januario in quibusdam Diplomatis inchoari.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6559.

☉ 11. A. ☽ 3. P. 16. April. Indict. 4.

JESU CHRISTI 1066.

ALEXANDRI II PAPÆ 6.

HENRICI IV REG. 11.

CONSTANTINI DUCÆ IMP. 8.

Anno Eræ Hispan. MCIV.
Anno Hegiræ cccclx, inchoato die 21. Novemb. fer. 4.

Gotfredus Dux ab Alexandro II in Normannos immissus.

I. A Num. I ad V. *Richardus* Capuæ Princeps, ut narrat Baronius ex Leone lib. 3. cap. 23. qui *Urbis Patriciatum* ambibat, vicina Romæ loca armis appetiit; sed dum accepit, Henricum Germaniæ Regem cum copiis venire, eam non facilè capiendam intellexit. Gotfredus Hetruriæ & Lotharingiæ Dux Pontifice, Cardinalibusque comitatus, *mediante jam Maio* Aquinum venit, ibique decem & octo diebus cum Normannis conflixit. Tandem Gotifredus acceptâ à Normannis pecuniâ *ad propria redit. Per eos dies stella, quam cometem vocant, ingentem post se faciem gerens, plusquam viginti diebus visa est: quæ Ducis obitus (nam paulò post mortuus est) prænuncia fuit.* Quibus ex verbis eruitur, bellum hoc ad præsentem, non verò ad præcedentem annum, ut perperàm Sigonius lib. IX Hist. de Reg. Ital. pertinere. Hujus enim Cometæ varii Scriptores meminêre, eumque hoc anno apparuisse scripsêre: *Mense Maio*, inquit Zonaras, *quarta indictione, stella crinita apparuit, Solem occiduum sequens: quæ principio magnitudine Lunæ plenæ par. Deinde vero coma enata minuebatur, ac tantum decrescebat, quantum illa augebatur. Conspectus est per dies XL, radiis versùs Orientem conversis.* Idem habet Curopalata, sed loco, *IV indictione*, Librariorum errore, *XIV indictione*, in eo legitur. De hoc Cometa rursùs infrà. *Gotfredus* verò, non hoc anno, ut habet idem Sigonius, sed anno MLXX è vivis excessit, ut ibidem videbimus. Verba enim hæc, *paulo post*. quibus Leo Ostiensis utitur, similiaque temporis adverbia magnam latitudinem habent, & in errorem facilè inducere possunt.

Moritur S. Eduardus Angliæ Rex.

II. A num. V ad XI. *Anno millesimo sexagesimo sexto, Anglorum decus, pacificus Rex Edwardus, Egelredi filius; postquam viginti tribus annis, mensibus sex, & viginti septem diebus, potestate Regia, Anglis Saxonibus præfuit, indictione quarta, vigiliâ Epiphaniæ domini feriâ quintâ, mortem obiit Lundoniæ: & in crastino sepultus Regio more, ab omnibus, qui tunc affuêre, non sine lachrymis plangebatur amarissime*, inquit Hovedenus, cui ceteri Scriptores Angli consentiunt, sicut & Ethelredus Abbas Rievallensis in Vita hujus Sancti Regis. Quare certò inde colligitur, Sanctum Eduardum mense Junio anni millesimi quadragesimi secundi Regem Anglorum electum esse. Alexander III anno MCLXI, ut eo anno apud Baronium videre est, eum in Sanctorum numerum

rum retulit. *Guillelmus* ubi Angliæ Regno potitus est, nihil sibi regnoque conducibilius censuit, quàm *Eduardi* leges, & patrias sub eo consuetudines, à Sapientibus collectas, firmare. Unde in capite legum collectarum Guillelmus præcipit, teste Hovedeno pag. 601. *Hoc quoque præcipio*, inquit, *omnes conservare legem Edwardi Regis, in omnibus rebus, his adjectis, quæ constitui ad utilitatem Anglorum.*

III. *Ab eo Anglorum Reges habent, quod scrophulas curent.*

Anglorum Reges curandi strumas vel scrophulas Privilegium à Sancto Eduardo repetunt, eique acceptum ferunt. Hujus rei meminit Petrus Blesensis in Epistola CL, ubi ait : *Fateor, quod sanctum est domino Regi assistere : sanctus enim & Christus domini est : nec in vacuum accepit unctionis Regiæ sacramentum. Cujus efficacia si nescitur, aut in dubium venit ; fidem ejus plenissimam faciet defectus inguinariæ pestis, & curatio scrophularum.* Malmesburiensis verò lib. 2. de Reg. cap. 13. de Eduardo scribit : *Multoties eum in Normannia hanc pestem sedasse ferunt, qui interiùs ejus vitam noverunt. Unde nostro tempore quidam falsam insinuant* (legendum fortè, insinuant) *operam istius morbi curationem, non ex sanctitate; sed ex Regalis prosapiæ hæreditate fluxisse.* Denique Polydorus lib. 8. ritum illum strumas curandi, Regum Angliæ jus quasi hæreditarium vocat : *Quod quidem*, inquit, *immortale munus jure quasi hæreditario ad posteriores Reges manavit. Nam Reges Angliæ etiam nunc tactu, ac quibusdam hymnis, non sine ceremoniis prius recitatis, strumosos sanant.* Sed illæ ceremoniæ nonnisi ad majorem decentiam adhibitæ; solo enim tactu tam à Regibus Anglorum, quàm à Regibus Francorum, ut infrà videbimus, ac à septimis masculis nullo interjecto partu fœmineo natis curantur, quod de his ultimis centies & amplius propriis oculis vidi. Quare non est quod quidam Medici hæc commentitia, & quidem Theologi superstitiosa esse dicant. Sunt hæ gratiæ gratis datæ, quæ à Deo tam bonis, quàm malis conferuntur, non ad propriam eorum, sed ad communem aliorum utilitatem.

IV. *Candidati tres coronæ Anglicæ.*

Sanctus Eduardus virginitatem in matrimonio servavit, ideoque eo sine liberis demortuo tres fuêre coronæ Anglicæ candidati, *Edgarus* cognomento *Ethelin*, Eduardi illius filius, qui post longum exilium Regni hæres & Successor ab Eduardo Confessore designatus fuerat, adhuc vivebat; *Haroldus* Godwini Comitis filius, qui tamen Willelmo Normannorum Duci promiserat, se Regis insignia non affectaturum. Tertius rivalis fuit ipse *Willelmus* Normanniæ Dux, conscius meritorum, quæ ipse & parentes in Sanctum *Eduardum* olim exulem profuderant, & quæ etiam Eduardus primùm, indeque Haroldus sanctè firmaverant de Regni successione. *Haroldus* postridie mortis Sancti Regis in ipso Epiphaniorum die paucorum Procerum fide impetrata, coronam induit, & Regni insignia. Interim venit à Normannia nuncius à *Willelmo* Duce missus, qui ab *Haroldo*, Principis sui nomine, petiit Regnum Angliæ, regnique insignia olim à Sancto Eduardo promissa, & ab ipsomet *Haroldo* nuper cum jurejurando sancita, confirmataque. Respondit *Haroldus* privatum se aliquando & in Normannia captivum, nescio quid de Regni successione, Willelmo promisisse : ad quod nunc sui juris, & privato majorem, non teneri. Hæc ideo fidenti animo *Haroldus* respondit, quòd sciret Ducem in Gallia occupatum, belloque distractum vix tuendis Provinciis suis parem esse, multòque minus ad imperium Insulæ aspirare. Hæc Ingulphus, aliique Angliæ Scriptores traduot, ex quibus tamen alii Willelmi, alii Haroldi causam justiorem fuisse contendunt.

V. *Legatio Guillelmi Normanni Ducis ad Alexandrum II.*

Personæ laici ordinis, quæ præeminebant in Normannia, Præsulesque claritudine religionis, multimodæque probitatis, *ad commune decretum*, inquit Ordericus lib. 3. Hist. Ecclesiast. *jussu Ducis acciti sunt, & audita re tam grandi, utpote diversi diversa senserunt. Animosiores cupido Duci favere volentes, ad certamen ire socios incitabant : tantumque negotium sine mora incipere laudabant. Alii verò laboriosum opus inire dissuadebant, nimiumque ausis & in necem præcipitibus multa importuna & discrimine plena prætendebant : pericula maris & difficultatem classis opponebant, Normannorumque paucitatem non posse vincere Anglorum multitudinem asserebant. Tandem Gislebertum Lexoviensem Archidiaconum Romam misit, & de his, quæ acciderant, ab Alexandro Papa consilium requisivit. Papa verò auditis rebus quæ contigerant, legitimo Duci faventer audacter arma sumere contra perjurum præcepit : & Vexillum Sancti Petri Apostoli, cujus meritis ab omni periculo defenderetur, transmisit.*

VI. *Idem Guillelmus Angliæ Rex coronatur.*

Narrat postea Ordericus exercitum Normannicum *III Kal. Octobris mare transfretasse, nocte, qua memoriam S. Michaelis Archangeli Catholica Ecclesia festivè peragit, Hastingas occupasse & secundo Idus Octob.* prælium horâ tertiâ commissum, totaque die ad multorum millium perniciem ex utraque parte acerrimè pugnatum esse, ac in primo militum congressu Haraldum Regem peremptum. *Omnia disponente Deo in spatio trium mensium per Angliam pacata sunt*, cunctique Præsules, regnique Proceres cum Guillelmo concordiam fecerunt. Denique *anno ab Incarnat. Domini MLXVII, indictione V, in die natalis domini, Angli Lundoniæ ad ordinandum Regem convenerunt, & Normannorum turmæ circa monasterium in armis & equis (ne quid doli & seditionis oriretur) præsidio dispositæ fuerunt. Adelredus itaque Archiepiscopus in Basilica Sancti Petri Apostolorum Principis, quæ Westmonasterium nuncupatur, ubi Eduardus Rex venerabiliter humatus quiescit, in præsentia Præsulum & Abbatum Procerumque totius regni Albionis, Guillelmum Ducem Normannorum in Regem Anglorum consecravit, & diadema Regium capiti ejus imposuit*, inquit idem Ordericus, qui Christi annos à die natali & forsan indictionem exorditur; Anglus enim erat, licet in Normannia vixerit. Est hic Guillelmus Dux Normanniæ hujus nominis II, *Bastardus* vulgò & *Conquestor* cognominatus. Scripsit autem Ordericus in Normannia, & Adelredus Archiepiscopus Eboracensis erat.

VII. *Res Hungarica alieno loco narrata.*

Ad num. XV. Quæ hîc Baronius de *Andrea* Hungariæ Rege, de *Bela* Duce, & *Salomone* Andreæ filio ex Longino in Historia Polonorum narrat, ex iis, quæ suis locis in medium adduximus, constat longè ante hunc annum accidisse; & Longinum, qui seculo XV vixit, testem non esse idoneum eorum, quæ extra Poloniam quatuor seculis, antequam ipse scriberet, contigerunt.

VIII. *S. Arialdus Martyrio coronatur.*

A num. XVI ad XXIII. *Beatus Andreas* Abbas Congregationis Vallumbrosanæ in Hetruria,

truria, non tantùm discipulus, sed etiam socius fuit laboriosæ prædicationis ac gloriosi certaminis *Sancti Arialdi*, qui ab anno millesimo quinquagesimo septimo, non verò quinquagesimo sexto, ut perperàm habet Baronius num. XVIII, adversùs Simoniacos & Presbyteros conjugatos civitatis Mediolanensis, & locorum circumvicinorum decertavit, per decennium nempe, quod ab anno MLVII inchoatum fuit, ut suprà ostendimus. Andreas autem Sancti Arialdi Vitæ scriptor cap.33. mortem ejus his verbis narrat: *Decem igitur annos beatus Levita & Martyr Arialdus duxit pro Christi lege viriliter certando, decem membra eidem post hæc per manus obtulit iniquorum. Octo cùm occideretur,* (nempe aures duas, nasum, duos oculos, dextram manum, genitale membrum, & linguam ex cap. 29.), *duo ne agnosceretur,* (hostes veritatis dixerunt, cutem cum capillis de ejus radamus capite; pellem verò corporis albescentem ferreis dilaceremus ungulis, pedes abscindamus utrosque, ex cap.31.) *Decem verò menses in profundo laci incolumis jacuit. Decem autem milliaria, illum nobis proximiorem lacus projecit quàm acceperit. Per dies enim æstivos ipsum in Ecclesia Sancti Ambrosii videntibus cunctis, Christus conservavit. Eique post hæc decimo anno* (nempe MLXXVI) *Herlembaldum fidelem socium associavit, ut veraciter credo, in regno cælorum* (peremptum scilicet per eorumdem manus). *In quo decimo anno hæc scripta sunt, ad laudem Christi, ejusque famuli Arialdi. Passus est ergo beatus Levita & Martyr Christi Arialdus, quinto,* (legendum, *quarto*, licet idem mendum apud Baronium num. XVII, & Landulphum à Sancto Paulo legatur) *Kalendas Julii anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo sexto, præsidente Sedi Apostolicæ secundo Papa Alexandro.* Dixi legendum esse, *quarto Kalendas Julii*, quia beatus Andreas disertè testatur, Arialdum in vigilia Sancti Petri occisum, & in fine cap. 28. scribit, eum proditoriè captum secretò ad lacum majorem deductum esse. Et cap. 29. *Hoc ante horam diei tertiam, in quo vigilia Sancti Petri celebratur, per totum Mediolanum est divulgatum. Quod ego audiens protinus reliqui urbem, eumque prosecutus sum. Die igitur eodem noctéque sequenti festinè properans, die altero ad præfatum jam Sole oriente perveni locum. Obviam habui Marinum presbyterum* (& ideo Arialdi hostem).... *& ait: Hesterna namque die* (vigilia nempe Sancti Petri) *vox lætifera nostro insonuit loco dicens, Clericorum adversarius vinctus habetur in nave & in ripa laci; ad quem illicò cum multis decurri, & arrepto palo optimè acutò, manuque erecta, in pectore ejus illum infigere volui; sed non sum permissus. Missi sunt quidem quinque protinus viri à domina nepte Archiepiscopi,* (Mediolanensis nempe, Guidonis appellati) *de quorum ferocitate ipsa non dubitabat,* &c.

IX. *Arnulphus adversus Arialdum & fautores scripsit.* Arnulphus Scriptor Mediolanensis per multos annos à Cleri Mediolanensis partibus stetit, & adversùs Arialdum & cœlibatus Sacerdotum defensores scripsit; sed tandem Gregorii septimi tempore errorem suum agnovit, licet illum nunquam scriptis retractarit. Ille hanc in rem habet lib.3. cap.15. apud Puricellum lib. 4. cap.22. *His diebus declinante jam vere* (currenti nempe anno) *mensis unius spatio dirum sparsêre jubar ardentes in cœlo cometa; frequentes quoque terræ motus mundo fuêre; adeò ut die ipso Resurrectionis dominica bis fieret, manè scilicet & vespere. Præerat tunc temporis Romæ Alexander Apostolicus ex Mediolanensi Clero Ecclesiæ Lucensis primò factus Episcopus. Cumque satis foret idoneus, Apostolicam deinde promeruit dignitatem Alexander de Anselmo vocatus. Huic statim surrexit adversarius Candolus Parmensis Episcopus, institutione Regis ac matris Augustæ Papa nuncupatus, qui hostiliter Romam adiit* (nempe anno MLXII) *post multam interfectorum stragem, ad muros Urbis Alexandri profecutus exercitum. Tempore post alio* (scilicet anno MLXIV) *quorumdum ex Urbe & ope & consilio Romam, quam Novam perhibent, ingressus, conscendit arcem Crescentii. Factis igitur in Urbe partibus, quotidie bellis bella succedunt. Ad ultimum, post diuturnos, variosque conflictus recessit mœrens, confusus, & victus, concessa Alexandro victoria. Ad quem de præsenti negotio consulendum Romam profectus est Herlembaldus, Arialdo interim furente in Præsulem* (Guidonem nempe Mediolanensem) *comitando turbam civilem & agrestem. Definito tandem Concilio rediens* (scilicet hoc anno) *excommunicationis literas detulit Archiepiscopo,* (hæ literæ malè à Sigonio lib. IX de Reg. Ital. cum aliis ab Alexandro II anno MLXIV datis confusæ fuêre, & malè à Gratiano insertæ in Distinct.81. cap. *si quis Sacerdotum*, &c: Eos etiam) *quod & pluribus grande visum est civitatis opprobrium. Unde factum est, ut in die sancto Pentecostes procedens Antistes* (nempe Mediolanensis), *ad publicum procederet Ecclesiæ pulpitum, questurus, quod acciderat, incommodum. Cumque staret ex adverso Herlembaldus cum Arialdo, responsurus auditæ, fit vehemens in plebe tumultus, diversis diversa clamantibus. Ad ultimum facto in medio Ecclesiæ partibus clamoso impetu vicissim in se se insurgunt. Cumque per diversa confugerent, remansit penè solus Antistes: quem pars aggrediens inimica fustibus crudeliter cæsum, & quasi semivivum reliquit. Deinde ipsam invadens Episcopi aulam pretiosa quæque decerpit.* Arialdi verò mors ab Arnulpho cap.16. ejusdem libri narratur, ubi legenda. De Sancti Arialdi Canonizatione anno sequenti sermo fiet. De Vitæ illius Scriptoribus anno MLXI egimus.

Ad num. XXIII. *Cùm Patriarcha Lichudes,* inquit Zonaras in Constantino Duca, *Ecclesiâ per annos quatuor & sex menses gubernatâ, in aliam migrasset vitam, Joannes Xiphilinus in Pontificiam Constantinopoleos sedem evehitur, Trapezunte quidem oriundus, sed omni doctrinæ genere eruditus, & in Principum Senatorum numerum relatus.* Annos etiam IV & menses VI Lichudi tribuuntur in Serie Episc. Constantinop. in Codice Juris Græco-Rom. edita. Quare cùm *Xiphilinus* circa diem secundum mensis Januarii anni millesimi sexagesimi quarti Pontificatum susceperit, ut in morte ejus demonstrabo, *Lichudis* mors ad eum annum retrahenda. *Michael Psellus* composuit Orationem laudatoriam in eumdem Lichudem, quæ nondum lucem vidit, in qua refert, Constantino Monomacho imperante, in eum totius Imperii curam recubuisse, ab eo tamen postea à rebus amotum, iterumque sub Isaacio Comneno summæ rerum præfectum fuisse. Constat ea Oratio capitibus XXIII cum aliis Versionibus Combefisii lucem visura. X. *Constantino Lichudi Patriarcha Constantinop. succedit Ioannes Xiphilinus.*

Baronius ait, *Xiphilinum* Patriarcham Constantinop. Dionem in Epitomen redegisse, &c, ut multos XI. *Xiphilinus Patriarcha*

SÆC. XI. An C.1067.

diversus à Xiphilino Dionis Epitomatore.

multos sectatores habere solet, Andreas Scottus in Præfatione ad Biblioth. Photii, Joannes Gerardus Vossius de Script. Latinis, aliique multi idem postea tradidêre. Verum ipsemet Joannes Xiphilinus Dionis Epitomator à Guilelmo Blanco anno MDL in linguam Latinam primum versus, & Georgio Armeniaco Cardinali dicatus, ubi de monarchia Cæsaris Augusti loquitur, ait: *Quod ego non dico Dionis nomine, qui fuit Imperatorum Severi & Alexandri temporibus, sed ut Joannes Xiphilinus, Joannis Patriarchæ fratris filius, qui tempore Michaelis Imperatoris filii Ducæ, ex multis libris Dionis hanc Epitomen composui.* Abbreviator itaque Dionis, non Xiphilinus Patriarcha, sed Xiphilinus fratris ejus filius.

XII. *Normannorum in Sicilia progressus.*

Comes Rogerius, inquit Malaterra lib.2.cap.39. *anno Dominicæ Incarnat. MLXVI turribus & propugnaculis extra portam accuratissimè firmavit* (nempe apud Petrelegium seu Petraliam) *per quod maximam partem Siciliæ ad sua dominationis jugum ferendum perdomuit.* Sed nihil magis Mutulmannis nocuit, quàm discordia inter eosdem exorta, quæ eò usque processit, ut decretorio prælio inter se decertarent, uti narrat Nowairius in Hist. Siciliæ. Quare *Jobus & Ali* Tamimi Africæ Caliphæ filii, quorum suprà mentionem fecimus, harum dissensionum pertæsi cum classe & præcipuis Mutulmannis in Africam rediêre anno CCCCLXI Hegiræ, mense Octobri anni Christi MLXVIII inchoato. Quare cùm nihil in tota insula Christianis amplius obsistere posset, munitiora oppida sequentibus annis paulatim sibi subdidêre, totamque tandem insulam magnis animis recuperarunt, ut sequentibus annis videbimus.

Anno Æræ Hispan. MCV

Anno Hegiræ CCCCLX, inchoato die 11. Novemb. fer. 1.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6560.

☉ 12. G. ☽ 4. P. 8. April. Indict. 5.

JESU CHRISTI 1067.

ALEXANDRI II PAPÆ 7.

HENRICI IV REG. 12.

CONSTANTINI DUCÆ. IMP. 9.

I. *Concilium Mantuanum & Canonizatio S. Arialdi.*

ANum. I ad XII. Concilium *Mantuanum*, in quo *Cadolus* Antipapa damnatus, hoc anno celebratum, ideoque quæ Baronius anno MLXIV de illo habet, & quæ eodem anno de eo in medium attulimus, hûc revocanda. Hanc epocham extra omne dubium ponit Landolfus Junior Mediolanensis Historicus, qui ait: *Passus est beatus Arialdus quinto Kal. Julii anno domini MLXVI, de cujus morte doluit Alexander Papa: verum anno sequenti, scilicet MLXVII, cùm idem Papa iret ad Synodum, quam* MANTUÆ *celebravit, Mediolanum venit, multaque fecit statuta de statu Mediolanensis populi & cleri, beatumque* ARIALDUM *sanctorum Martyrum catalogo annotavit.* Quibus ex verbis intelligimus primò, *Sanctum Arialdum* hoc anno ab Alexandro II inter Sanctos relatum fuisse. II, eumdem Pontificem *Mantuæ* Concilium, quod errore vulgari cum anno MLXIV alligatur, præsenti congregasse. III, eum Mediolanum venisse, sive antequam illuc *Mainardum* Sylvæ Candidæ Episcopum & *Joannem Presbyterum Cardinalem* Legatos mitteret, sive post eam Legationem. Decreta enim ab utroque Legato adversùs Simoniacos & Clericos incontinentes condita, & à Baronio relata alios temporis characteres non præferunt, quàm istos: *Anno ab Incarnat. D. N. Jesu Christi MLXVII, Pontificatûs verò domini Alexandri II Papæ sexto, indictione V, die primo mensis Augusti.* Cùm verò Hombertus Cardinalis doctrina & pietate celebris Sylvæ Candidæ Episcopus fuerit, & Mainardus eam Ecclesiam hoc anno rexerit, apparet, illum jam vitâ functum fuisse. Ptolemeus Lucensis in Chronico, ubi Alexandri Papæ initium biennio seriùs collocat, in errore perstans Concilium Mantuanum cum anno MLXIX connectit, & de Alexandro Papa scribit: *Episcopos schismaticos cum Cadulo ad gremium Ecclesiæ refert, ipsosque sibi reconciliat, totumque populum sibi faventem. Contraxitque moram in toto spatio illius anni in dicta regione, pro majori firmitate pacis & unitatis.* Denique ex iisdem verbis *Landulfi* patet, Acta à Nicolao Cardinali collecta integerrimæ fidei esse, & à Concilio Mantuano suo anno reddito firmitatem & lucem accipere.

II. *Arialdi sepulcbrum gloriosum.*

Sed redeo ad *Sanctum Arialdum*, qui anno superiori quarto Kalend. Julii occisus fuit, non verò, ut perperam habetur apud Landulphum Juniorem num. præcedenti laudatum, *V Kalend. Julii.* Landulphus Senior Arialdo coævus & inimicus lib. 3. cap. ult. apud Puricellum de Sancto Arialdo lib. 1. cap. 2. post relatam ejus mortem scribit: *Transactis verò aliquantis diebus ejus cadaveris fœtor castellum omne, ita ut omnes nauseârent fugientes occupavit.* At hanc calumniam refellit Arialdi canonizatio hoc anno facta, ut mox vidimus. Secundò B. Andreas Abbas Vallis umbrosæ in ejus Vita cap. 31. & seq. Qui de rebus à se omnique populo diu post Arialdi martyrium visis loquitur: *In Sancto*, inquit, *die Ascensionis domini posuimus illum in Ecclesia medio Sancti Ambrosii: testor veritatem, quæ Deus est*, &c. *fragrantiam ex ipsis digitis* (*quibus corpus tetigeram*) *emanare sensi qualem quantamve nunquam me alibi sensisse reminiscer*, &c. *Congregata igitur est iterum in die Sancto Pentecostes* (hoc anno) *multitudo*, &c. *Et sic cum magna gloria laudeque ineffabili ad monasterium deductus est sancti Celsi. Ibi namque in locum mirabiliter aptum traditus est sepultura*, &c. *Exhinc quippe ibi à multis fidelibus adoratur & colitur.* Sancti Arialdi corpus anno MXCIX ab Anselmo IV Archiepiscopo Mediolanensi in monasterium Sancti Dionysii paucos ante annos Mediolani constructum translatum fuit, teste Puricello in ejus Vita lib. 4. cap. 83.

III. *Agitur Mediolani de electione Episcopi post Guidonem.*

Ad num. XII *Guido* Archiep. Mediolanensis, neque hoc anno, ut Baronius num. XII, & Sigonius lib. IX, neque sequenti, ut Ughellus in Archiep. Mediolan. & Papebrocius in Exegesi de Episcopis Mediol. part. 3. arbitrantur, sed anno millesimo sexagesimo nono, ut scitè notavit Puricellus in Vita Sancti Herlembaldi cap. 28. Archiepiscopatum Mediolanensem abdicavit. Nam currenti tantùm anno, exeunte æstate, pax inter Mediolanenses Alexandri II operâ constituta, eaque juxta Arnulphum à Puricello laudatum, per aliquod tempus duravit. Sed audiendus Arnulphus, cujus verba Puricellus recitat: *Nec tamen his contentus Herlembaldus pergens Romam iterum novum iniit cum Romanis consilium. Vetus quippe fuit Italici regni conditio, perseverans usque in hodiernum, ut defunctis Ecclesiæ Præsulibus, Imperator Rex provideat successores*

fores Italicis, à Clero & populo decibiliter invitatus. Hoc Romani canonicum esse negant; sed instantiùs Archidiaconus ille Ildeprandus (postea Papa sub Gregorii VII nomine), *qui cùm abolito veteri novum tentaret inducere constitutum, palam fatebatur haud secus sedari posse Mediolanense dissidium, quam Canonicum habendo Pastorem, ad quem eligendum necessarium fore dicebat Romanum consensum. His instructus assertionibus Herlembaldus Mediolanum veniens, quæ audierat* (nempe Romæ) *festinanter exequitur. Primo ergò secreto paucos convenit ex amicis, à quibus cùm exigeret sponsionem celandi credita, eanté subintulit juramento causam futuri eligendi Pastoris post decessum præsentis. Deinde die noctuque laborans, Laicos & Clericos eidem juramento reddit obnoxios.* Ita Arnulphus lib. 3. cap. 18.

IV. *Guido Gothofredo remittit Archiepiscopatum.* Postea idem Arnulphus cap. 20. apud Puricellum lib. 4. cap. 29. *Iaterim tamen* (Herlembaldus) *à persequendo Præsulem non destitit Guidonem, omnesque sua consanguinitatis affines. Archiepiscopus autem cùm jet nequires imminentes tolerare pressuras, ævo jam maturus, & diuturno languore membris omnibus dissolutus, arbitratus est fore conveniens, at quod ille faciendum præviderat, ipse quoque destruendo præveniret, ut dignitatem propriam alteri se vivente concederet. Per id tempus fuerat quidam ex Ordinariis Ecclesiæ Subdiaconus, nomine Gothofredus illius* (Guidonis scilicet) *à secretis præ omnibus unicus: qui, ex quo Domini sui penetraverat mentem, in se transferendum omnimodis satagebat honorem. Secreta igitur facta conveatione cum eo Præsul, datis communis pacti ex alterutro sacramentis, dignitatem deponit absens, Virga cum annulo Cæsari per Legatos directa. Gothofredus autem eum jampridem labore multo sibi Regis conciliasset affectum, recenti tamen pacto ab eodem Augusto gaudens est adeptus Præsulatum. Verumtamen ..... reprobatus à civibus nullis in locis Episcopatus vel ad hospitandum recipitur, ipsis etiam factus invisus agricolis. Hunc Romani Domini cum Apostolico jure statim condemnant canonico, judicii sui literas Mediolanensibus super illo mittentes. Quare elatus Herlembaldus fiduciâ acriùs insurgit, non solum in illum, verum etiam in fautores omnes, universa flammis & ferro demoliens: contra quem etiam per vicos & castella multorum exegerat sacramenta.* Ex prædictis liquet, Herlembaldum, postquam pax aliquo tempore durasset, Romam, non hoc anno, sed sequenti profectum esse, eodemque prædicta adversùs *Guidonem* peregisse, huncque ante annum MLXIX non abdicasse.

V. *Eundem frustrà resumere tentat.* Moto inter utramque factionem bello, *Guidonem* pœnituit Archiepiscopatum abdicasse, rursus ejusdem Episcopatûs possessionem inire, & cum Herlembaldo pacem facere voluit, idque anno millesimo septuagesimo. Arnulphus citatus rem his verbis narrat: *Interea Guido fatebatur se Gothefridi delusum insidiis, communis pacti transgressorem illum appellans, qui cùm amissum resumere vellet honorem, cum Herlembaldo pacis fœdera sociavit. O mens cæca mortalium! Venient cum illo duce* (nempe Herlembaldo) *Mediolanum; non ad urbem, ut voluit, sed ad sancti Celsi monasterium ducitur; de privato factus privatior. Ibi commendatus custodibus multis diebus resedit inglorius, hac vice delusus.* Tristanus Chalcus antiquus Mediolanensis Historicus, cujus Opus typis editum, sed à Vossio in Historicis Latinis prætermissum, hoc modo rem se habuisse dicit: *Data acceptaque fide, Guido Mediolanum venit. Appropinquanti Cotta* (ita Herlembaldus cognominabatur) *sub specie honoris eum multitudine amicorum obviam proficiscitur: occurrentem salutat, & satellitibus circumdat: & declinata urbis via in Celsianum cœnobium perducit, atque custodiæ commendat.* "Puricellus cap. 30. sic factum "excusat: Monasterium per ea tempora locus "erat pœnitentiæ. Hinc igitur ego quidem fa"ctum crediderim, ut Herlembaldus, donec "Apostolicam consuleret Sedem; nisi potiùs ip"sam jam ante consuluerat, ejusque præscriptum "jam sequebatur, *Guidonem* Archiepiscopum in "Celsianum illud monasterium detruserit, ad "eum finem, ut illic interim justas pariter ac "salutares erratorum suorum, tota passim urbe "vulgatorum pœnas lueret. Ita Puricellus. Quæ inde consecuta fuerint, anno MLXXI narrabimus.

VI. *Moritur Constantinus Ducas Imp.* Ad num. XX. Curopalates ait, Constantinum Ducem Imp. *mense Maio* gravi morbo profligatum fuisse, & vixisse *in imperio annos septem, menses sex.* Psellus in Constantino Duca numero rotundo loquens, annos septem ei adscribit, atque: *Vixit annos sexaginta, pauloque amplius, nec scio, utrum alius Imperator cum majori claritate vitam exturxerit, aut feliciùs mortuus sit. Semel enim insidias petitus, ac procella ereptus, reliquum imperii tempus immunis liber æquoque animo egit, relictis seculo liberis Imperatoribus ex paterna sedulo regula institutis.* Paulò pòst; *cùm literis eximiè addictus esses, Utinam, aiebat, hinc magis quam ex imperii infulis clarescerem.* Antea Psellus dixerat: *Joannem fratrem ad Cæsaris dignitatem evectum, postea etiam supra modum eximeque diligebat, eumque in regenda Republica consiliorum socium adhibebat. Quippe qui etiam vir prudentiâ ornatus, magnique sensûs, ac rebus gerendis dexter, solersque erat. Quamobrem etiam diu ante obitum gravi morbo detentus suos et liberos in patris subdiderat, adjuncto ei, & quem ad patriarchalem sedem extulerat, viro nimirum tum perfectissimæ virtutis, tum sacerdotio comprimis idoneo* (nempe Joanne Xiphilino). Verùm convaluit ille quidem ab ægritudine, nec multò pòst corpore absumi incipiens, ad mortem propè accessit. *Quo statu in uxoris omnia arbitrio posuit, quæ omnium suæ ætatis fœminarum castissima viro haberetur, ac educandæ prolis solertissima.*

VII. *Eudocia Augusta cum filiis imperat.* Imperatrix *Eudocia* cum Michaele & Constantino filiis arrepto Principatu publicæ rei curis omnibus animum intendebat, subjungit Psellus, qui Constantini Ducæ Administer fuit. De hujus filiis legendus Zonaras, in his enim nobis immorari non licet. Nicephorus Bryennius lib. 1. Comment. num. VI postquam narravit, *Constantinum Ducam* justissimè Imperium administrasse, & *Isaacium Comnenum* Monachum, à quo Imperium acceperat, summo semper honore observasse, dominum illum & Imperatorem appellasse, & quoties ad ipsum accederet, quod frequentissimè contingebat, non sedere nisi post ipsum sustinuisse, subdit: *Ducas annis septem totis ex juris ac legum præscripto Romana re administrata, è vita & ipse migravit, succedente ipsi ejus conjuge Eudocia, cum Michaele, Andronico, & Constantino filiis.* Sed quoad successionem Imperii, magis Psello credendum. Porrò Historiam Nicephori Cæsaris Bryennii à Romani Diogenis Principatu ad Botoniatis imperantis tempora perductam, post mortem Baronii Petrus Possi-

nus è Soc. Jesu è veteri MS. eruit, & Parisiis ante annos triginta publicavit.

VIII. *Edgarus S. Eduardi nepos ex Anglia fugit.*

In Anglia *Willelmus* Rex multa prudenter, clementerque disposuit, & hoc anno in Normanniam illius provinciæ bono consulturus petiit, indeque rediit. *Interea*, inquit Ordericus lib. 4. *Normannico fastu Angli opprimuntur, & Præsidibus superbis, qui Regis monitus spernebant, admodum immutabantur. Præfecti minores, qui munitiones custodiebant, nobiles & mediocres indigenas, injustis exactionibus multisque contumeliis aggravabant*, ut fusius idem Historicus prosequitur, Anglosque pro amissa libertate pristina recuperanda rebellionem machinatos esse ostendit. Eamdem in rem Aëlredus Abbas Rievallensis in Epistola ad Henricum Normannorum Ducem & postmodum Anglorum Regem, quam recitat Seldenus inter Historiæ Anglicanæ Scriptores X, hæc habet: *Cernens Edgarus Edeling res Anglorum undique perturbari, ascensa navi cum matre* (Agatha nempe) *& sororibus reverti in patriam* (sc. in Hungariam), *quâ natus fuerat, conabatur, sed orta in mari tempestate in Scotia applicare compellitur. Hac occasione actum est, ut Margareta Regis Macolmi* (hujus nominis III) *nuptiis traderetur, cujus laudabilem vitam & mortem pretiosam liber inde editus satis insinuat: soror ejus Christina in Christi sponsam benedicitur.*

IX. *S. Margareta Regi Scotiæ nubit.*

Simeon Dunelmensis in Hist. de Gest. Reg. Angl. hanc *Eadgari* fugam in Scotiam ad annum sequentem differt; sed ex Annalista Mailrosensi constat, eam in præsentem annum conferendam. Is enim ad annum MLVI de Malcolmo hujus nominis III Scotorum Rege ac Dunecani patris successore prodit: *Malcolmus filius Dunecan suscepit regnum Scotiæ jure hæreditario, regnavitque XXXVII annis. Anno autem MLXVII desponsata est ei Margareta gloriosa Regina, ex qua genuit VI filios*, de quibus suo loco. In fine Annalium Mailrosensium pag. 595. refertur series Regum Scotorum iisdem Annalibus insertorum, diciturque etiam *Malcolmum* anno MLVI regnum Scotiæ suscepisse, illudque annis XXXVI & mensibus octo rexisse, usque ad annum nempe MXCIII, quo certum est, eum mortem oppetiisse. De *Sancta Margareta* Malcolmi Regis uxore, infrà sermo erit.

X. *Normanni Anglorum consuetudines immutant.*

Huc referendum quod Ingulphus hujus temporis Scriptor pag. 70. secundùm edit. Oxoniensem observavit: *Et non tantum hunc morem* (sc. Militis consecrandi), *sed alias etiam consuetudines immutabant* (sc. Normanni). *Nam chirographorum confectionem Anglicanam, quæ antea usque ad* Edwardi *Regis tempora fidelium præsentium subscriptionibus cum crucibus aureis, aliisque sacris signaculis firma fuerunt*, Normanni *condemnantes, Chirographa* Chartas *vocabant; & chartarum firmitatem cum cerea impressione per uniuscujusque speciale sigillum sub instillatione* (legendum, intitulatione) *trium vel quatuor testium astantium conficere constituebant. Constituebant etiam primò multa prædia nudo verbo, absque scripto, vel charta, tantum cum domini gladio, vel galea, vel cornu, vel cratera, & plurima tenementa cum calcari, cum strigili, cum arcu, & nonnulla cum sagitta. Sed hæc initio regni sui; posterioribus annis immutatus est iste modus. Tantum tunc Anglicos abominati sunt, ut quantocumque merito pollerent, de dignitatibus repellerentur; & multo minus habiles alienigenæ de quacumque alia natione, quæ sub cœlo est, extitissent, gratanter assumerentur, ipsum etiam idioma tantum abhorrebant, quod leges terræ, statutaque Anglicorum Regum linguâ Gallicâ tractarentur; & pueris etiam in scholis principia literarum grammatica* Gallicè ac non Anglicè traderentur, modus etiam scribendi Anglicus omitteretur, & modus Gallicus in Chartis & in libris omnibus admitteretur.

XI. *Fundatio Abbatiæ S. Quintini Belvacensis.*

In Chron. Sigeberti ad annum MLXVII, fundatio Abbatiæ Sancti Quintini, cujus Ivo, postea Carnotensis Episcopus, primus Abbas extitit, hoc modo narratur: *His temporibus Belvacensi civitate suo destituta Antistite, Guido Decanus, Custosque Ecclesiæ sancti Quintini Virduniensis* (legendum, Vermandensis), *& Archidiaconus Laudunensis constituitur Belvacensis Episcopus, & à Gervasio Remensi Metropolitano consecratur, qui graviter ferens carere se præsentia Quintini Martyris, in ejus honore & memoria ædificavit Ecclesiam haud longè à manibus Bellovacæ urbis.* Hæc quidem verba desunt in correcta editione Sigeberti à Miræo curata, ideoque & adtitia; sed descripta sunt ex fundatione & dedicatione Ecclesiæ Sancti Quintini ad Bellovaci muros, recitata à Dacherio Tom. II Spicilegii in Vita S. Romanæ Virginis & Martyris, ibi enim cap. 4. & seq. legitur, inceptum Ecclesiæ *S. Quintini* Belvacensis ædificium currenti anno, & duobus annis consummatum esse: Basilicam dedicatam, & corpus *Sanctæ Romanæ* translatum coram pluribus Episcopis ibidem expressis. Refert Anonymus, qui Vitam illam S. Romanæ ante annos D scripsit, post dedicatam Sancti Remigii Ecclesiam à *Sancto Leone Papa* IX auditam non fuisse tam gloriosam dedicationem: allatum corpus *Sancti Quintini* ex pago Vermanduensi; dedicationem factam Dominicâ, die sc. quarta Octobris, ut habet Interpolator Sigeberti, & varia Sanctorum corpora allata fuisse. Denique Reliquias *Sanctæ Romanæ* per diversas Galliæ provincias circumlatas *in redimendis Ecclesiæ ornamentis. Philippus* Franciæ Rex literis anno MLXXIX datis, & à San-Marthanis in Catalogo Abbatum Sancti Quintini Bellovacensis recitatis, hanc fundationem confirmavit. Ivo, qui in Canonicis Regularibus Sancti Augustini propagandis magnam operam posuit, primus hujus monasterii Abbas fuit. Porrò hæc Abbatia celebris evasit. Philippus Trecensis Episc. paulò ante annum MXC Canonicos Regulares in Diœcesim suam introducere volens, eos ex Monasterio Sancti Quintini Belvacensis evocavit: *Quoniam*, inquit in instrumento Tom. XI Spicilegii pag. 301. recitato, *apud nos Ecclesia B. Georgii apta erat Divino servitio, placuit Fratribus Sancti Petri* (idest Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Trecensis) *ponere in ea Regulares Canonicos*, &c. *Illis ergo attendentibus diversas Congregationes istius Ordinis* (in Gallia institutas) *refulsit Ecclesia beati Quintini Belvacensis, ex cujus veneranda religione locus S. Georgii posset illustrari*, &c.

ANNO

SÆC. XI. An. C. 1068.

Anno Eræ Hispan. MCVI. Anno Hegiræ CCCCLXI, inchoato die 30. Octob. fer. 5.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6561.

☉ 13. FE. ☽ 5. P. 23. Mart. Indict. 6.

JESU CHRISTI 1068.

ALEXANDRI II PAPÆ 8.

HENRICI IV REG. 13.

ROMANI DIOGENIS Imp. 1.

I. Matildis Angliæ regina coronatur.

AD num. I. *Anno ab Incarnat. Domini MLXVIII Guillelmus Rex* (sc. Angliæ), *Legatos honorabiles in Neustriam direxit, & Mathildem conjugem suam ad se venire præcepit. Protinus illa mariti jussis libenter obedivit; & cum ingenti frequentia virorum ac nobilium fœminarum transfretavit. In Clero, qui ad divina ei ministrabat, celebris Guido Ambianorum Præsul eminebat, qui jam certamen Heraldi & Guillelmi versificè descripserat. Adelredus Eboracorum Metropolitanus, qui maritum inunxerat, Matildem ad consortium Regis honoris die Pentecostes anno II regni præfati Regis inunxit. Decorata Regio diademate matrona, priusquam annus perficeretur, filium nomine Henricum peperit, quem totius terræ suæ in Anglia heredem constituit. Hic dum dociles annos attigisset, literarum scientiam didicit, & post utriusque parentis obitum militiæ agones fortiter exercuit. Tandem multimoda probitatis claras titulis, principatum paternum tenuit pluribus annis*, inquit Ordericus lib. 4. qui antea lib. 3. de eodem Willelmo Normanniæ tunc Duce scripserat: *Hic generosam Matildem Balduini Ducis Flandrensium filiam, neptem scilicet ex sorore Henrici Regis Francorum* (Adhela appellata, Balduini hujus nominis V cognomento Pii uxore), *conjugem accepit, ex qua Deo dante filios & filias habuit.*

II. Pax Anglos inter & Scotos sancita.

Normannis Anglos nimis oppressionibus prementibus, pro vindicanda libertate pristina hi contra eos conjurationem fecêre, ut prodit Ordericus lib. 4. qui inter alia scribit: *Tunc Archillus potentissimus Nordanhymbrorum cum Rege concordiam fecit, eique filium suum obsidem tradidit. Præsul quoque Dunelmi Regis in gratiam accessit: & pro Malcolmo Rege Scotorum pacis mediator intervenit; & acceptas conditiones in Scotiam detulit. Malcolmus autem licet ab Anglis requisitus fuerit, & validam expeditionem in eorum auxilium facere paraverit, audita tamen legatione pacis quievit, & cum Præsule Dunelmi nuncios suos ovantes remisit: per quos Willelmo Regi fidele obsequium juravit. Sic utiliter sibi consuluit, populoque suo multùm placuit, quòd pacem bello præposuit. Nam Scotica gens, licet in prælio aspera sit, otium tamen & quietem diligit: nollet à vicinis inquietari regnis, Christianæ religionis plus quam armorum intenta studiis.* Iste Malcolmus est hujus nominis III.

III. Dalmatia & Croatia peculiari Regi subdito.

Ad num. II. *Dalmatia* & *Croatia* peculiari Regi hoc tempore parebant, scilicet *Cresimiro*. Reges autem Croatiæ & Dalmatiæ titulis, vel Croatorum & Dalmatinorum usos, ex eorumdem Privilegiis constat, inquit Lucius in Hist. de Regno Dalmatiæ & Croatiæ lib. 2. cap. 11. Sed sicut Croati & Servii *Slavi* erant; ita ab exteris, & ab ipsis quoque conterminis Dalmatis, ut plurimùm *Slavorum* nomine vocabantur. Ita B. Petrus Damiani lib. 1. Epist. IX ad Nicolaum II Papam tradit, *Absarenses* Dalmatas Regi Slavo subditus fuisse. De *Gaudentio* enim Absarensi Episcopo ait: *De Sclavonico Regno Italiam navigans*, &c. & tamen Alexander II, sub quo floruit Petrus Damiani, Cresimiro Regi scribens, non Sclavoniæ vel Croatiæ & Dalmatiæ titulis tunc usu receptis, sed more Curiæ Romanæ solito & antiquo Regem Dalmatiarum appellavit; *cap. si quis à modo 116. dist. 81. Item Alexander venerabilibus Episcopis & Regi Dalmatiarum.* Nomine enim Dalmatiarum *Croatia* quoque comprehendebatur, & præter hanc etiam *Servia*. Ideo sicut Legati Gregorii VII anno MLXXVI Zuonimiro investitutam partis Occidentalis Dalmatiarum dantes, Dalmatiæ & Croatiæ titulos jam usu receptos usurparunt; ita idem Pontifex cùm anno MLXXVIII *Michaelem* Principem *Serviæ* ab Imperio Orientali avulsum Regio titulo insignire vellet, quamvis Orientalem partem Dalmatiarum possideret, tamen *Sclavorum* Regis titulo decoravit, ut ex inscriptione Epistolæ XII libri V his verbis apparet: *Michaeli Sclavorum Regi salutem & Apostolicam benedictionem.* Postea tamen loco *Sclavorum*, Reges illi dicti sunt Reges *Serviæ*, ut infrà videbimus. Quæ nominum diversitas ad majorem intelligentiam Scriptorum hujus temporis observanda.

IV. Mitra Vratislao Bohemiæ Duci à Papa concessa.

Ad num. IV. Alexander Papa *Uratislao* Bohemiæ Duci de Sede Apostolica bene merito usum *mitræ*, laicis hactenus inconcessum largitus est, ut liquet ex Epistola Gregorii VII ordine XXXVIII libri primi, cujus verba Baronius recitat. Hoc exemplum secutus est Lucius II Papa, de quo Otto Frising. lib. 1. de Gest. Frider. cap. 27. & seq. *Concordiam inter Siculum & Papam hujusmodi esse accepimus. Papa concessit Siculo virgam & annulum, Dalmaticam & mitram atque sandalia.* Mitram etiam Regi Aragoniæ concessit Innocentius III, ut in Gestis ejusdem Papæ pag. 135. videre est: *Regalia insignia universa, mantum videlicet & colobium, sceptrum & pannum, coronam & mitram ad opus tuum non minus pretiosa, quam speciosa fecimus preparari, & ea liberaliter tibi donavimus, in signum gratiæ specialis.* Loquitur Raynaldus anno MCCIV num. LXXI.

V. Romanus Diogenes fit Imperator.

Ad num. V & seq. Zonaras ait, *Eudociam* Augustam *Romano* Diogeni nupsisse; cùm ea ejusque filii *menses septem, & dies aliquot regnassent.* Curopalates verò tradit, eas nuptias peractas, Diogenemque Imperatorem declaratum *Januarii mensis prima die, indictione sexta, anno 6576.* (Eræ nempe mundanæ Constantinopolitanæ), *& Augustam cum filiis suis imperasse menses septem & paulò amplius.* Nupsit Eudocia, *non quod victa libidine fuerit, sed quod multis ex terrores liberorum causâ animum concusserant, ne imperium illis auferretur, nullo eis defensore, ac qui res illorum curaret*, inquit Psellus, qui subdit, genus *Romano Diogeni* antiquum fuisse, & *Eudociæ* Rerum potiente cùm in crimen majestatis incurrisset, Augustæ clementiâ justo reatu exemptum fuisse. Sed judicio decepta est: *putavit enim*, subjungit Psellus, *si Imperatorem crearet, quem servasset, eum perdere deberet, quidquid Imperii juris erat, ipsi acceptum laturum; nec aliud quidquam suorum rationum ducturum, quam quod ipsi placeret. At ejus quidem justa æstimatio erat, etsi à scopo aberrabat.*

SÆC. XI. An. C. 1068. VI. *In Turcas bellum gerit.* Duobus exactis mensibus, Orientis cura ipsum cœpit, quia res Antiochiæ & Ciliciæ excursionibus Turcorum defatigatæ, & in extrema adductæ discrimina erant, inquit Curopalates, qui fusè de bello à Diogene adversùs Turcas hoc anno gesto disserit. *Militibus in hyberna reductis, ubi nullà commeatûs inopiâ premeretur, ipse in Urbem Regiam revertitur, factus arrogantior, quasi plura confecisset, non erga alios duntaxat, sed erga ipsam etiam Imperatricem. Illa verò spem suam in contrarium vertisse cernens, mœsta cor edebat; nec objurgationes ferre poterat*, inquit Zonaras.

VII. *Legatio Hispanica Hugonis Candidi Card.* Anno MLXIV diximus, *Hugonem Candidum* Presbyterum Cardinalem in Hispaniam ab Alexandro II delegatum fuisse, tum ob alia, tum ut Divinorum Officiorum ritus ex Romana formula constitueret. Id hoc anno factum fuisse, perperamque ad annum MLXIV retrahi, ostendit Concilium Auscense in Novempopulania celebratum præside eodem Hugone Candido Cardinali Legato, cujus hoc initium est: *Anno MLXVIII Incarnat. Domini nostri Iesu Christi, factum est Concilium apud Auscíam civitatem Metropolitanam.* In eo Concilio decretum, ut omnes Ecclesiæ Vasconiæ quartam decimarum partem cathedralibus Ecclesiis persolverent, exceptis Ecclesiis Sancti *Orientis*. Alia quoque in ea Synodo constituta, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam pertinent.

VIII. *Varia Concilia celebrata.* Hoc etiam anno Constitutiones *pacis & treugæ* editæ in vico Ausonensi, à Baluzio in Appendice Marcæ Hispanicæ pag. 1139. recitatæ, in quorum fine habetur: *Item Hugo Candidus Cardinalis Romanus in Concilio Gerundensi cum Episcopis & Abbatibus sive Principibus ac totius terræ magnatibus, & auctoritate Romani Papæ, cujus legatione fungebatur, confirmavit, & laudavit pacem & treugam, sicut erat apprehensa in Episcopatu Gerundensi. Et addidit in eadem treuga consensu omnium atque jussu auctoritate domini Papæ, ut pari modo teneretur à dominica octavarum Paschæ usque ad octo dies post Pentecosten, sicut Quadragesimali tempore. Et transgressores pacis & treugæ domini excommunicationis anathemati subjecit, quoadusque resipiscant, & ad satisfactiones in canonica veniant.* Denique Hugo Cardinalis Concilium *Tolosanum* celebravit, in quo Episcopatum *Lectorensem* in integrum restituit. Hujus Concilii initium est: *Anno Incarnat. domini MLXVIII, indictione sexta, octavo anno domini Papæ Alexandri, videlicet secundi*, &c. Quare non dubium, quin Legatio Hispanica Hugonis Cardinalis ad præsentem annum pertineat, eodemque *Tolosanum* & *Auscense* Concilia congregata fuerint, ac præterea *Leirense* & *Barcinonense*, de quibus anno MLXIV à nobis actum.

IX. *Barium Græcis à Normannis ereptum.* Hoc anno Anonymus Barensis scribit: *Barium obsedit per mare & per terrâ*, Robertus nempe Apuliæ Dux. Idem Lupus Protuspata in Chron. habet. Græci per annos tres munitissimum illud oppidum propugnarunt, teste Willelmo Apuliensi lib. 3.

Tertius obsessa jam venerat annus ab urbe;
Multiplici tandem superatur fessa labore.

Captam autem anno millesimo septuagesimo primo, docet his verbis idem Anonymus: *Dux fecit fieri pontem in mari quantum concluderet portum urbis Bari. Hoc etiam anno dolo cujusdam Argerichi filii Joannazzi occisus est Byzantius cognomento Guinderlichus in Baro, & XV die Aprilis cepit Robertus Dux civitatem Bari.* Errat itaque Malaterra, qui hanc Roberti Ducis victoriam cum anno MLXX, & Barii obsidionem cum anno MLXVII conjungit, sed hic Historicus non raro in Chronologiam peccat. Præterea Lupus Protospata ad annum MLXXI ait: *Decima quinta die Aprilis cœpit Robertus Dux civitatem Bari, & mense Julii Dux prædictus transmeavit Adriatis maris pelagum, perrexitque Siciliam cum LVIII navibus.* Quid in Sicilia egerit, eo Christi anno videbimus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6562. | Anno Eræ Hispan. MCVII. Anno Hegiræ CCCCLXII, inchoato die 20. Octob. fer. 3.

☉ 14. D. ☽ 6. P. 12. April. Indict. 7.

JESU CHRISTI 1069.

ALEXANDRI II PAPÆ 9.

HENRICI IV REG. 14.

ROMANI DIOGENIS IMP. 2.

I. *Henricus Germaniæ Rex frustra conatus uxorem repudiare.* ANNUM. I ad V. Lambertus Schafnaburgensis anno MLXVI refert, *Henricum* Germaniæ Regem nuptias in villa *Triburia* appellata Regio apparatu celebrasse, *in conjunctione Berthæ Reginæ filiæ Ottonis Marchionis Italorum.* Tum hoc anno idem Rex, quem uxoris tædium cœperat, ad divortium jam meditatum explendum, inescare cœpit *Sigefridum* Moguntinum Archiep. pollicitatione opis, ad exprimendas Thuringorum decimas: *Episcopus*, ait idem Lambertus, *cum pretiosa pollicitatione redemptus, quantum poterat salvâ verecundiâ, haud ægrè causam Regis tuebatur.* Die qui scindendo Regis conjugio dictus erat, dum Rex Moguntiam properaret, *comperit Legatum Sedis Apostolicæ, suum Moguntiæ adventum præstolari, qui dissidium fieri prohibeat, & Episcopo Moguntino Apostolicæ animadversionis sententiam minitetur, quòd tam nefariæ separationis se auctorem promiserit.* Omnes qui aderant Principes, *aiebant æqua censere Romanum Pontificem, & per Deum rogabant, ne crimen inferret gloriæ suæ.* Tandem Henricus *annuit quidem, ut in Regni consortium Regina revocaretur*; ipse tamen ejus congressum, consortiumque vitavit, uti narrat Baronius ex eodem Lamberto. *Sigefridus* tamen Archiep. Moguntinus in Epistola ad Alexandrum II data, & Tom. IX Concil. pag. 1200. recitata rem prorsus aliter ac Lambertus narrat, atque, se Henrico Regi in faciem restitisse, & minitatum esse excommunicationem: indictum tamen à Coëpiscopis suis; ad rem disceptandam ac definiendam Moguntinum Concilium. Ad extremum Alexandrum II rogat, ut aliquos de latere suo mittat, qui huic Concilio præsint: *& quia hoc valde rarum*, inquit Sigefridus, *quæstionibus occurrit Ecclesiasticis, & de Regiis penè inauditum est personis: vestræ Sanctitatis erit, quid super tanta re facto opus sit, decernere, & ad consulta nostra de Sanctuario sacri pectoris vestri responsaria remittere: ut & instans negotium, ad salutem moderni ætatis, Ecclesiastica pace finiatur, & de tam insolita & dubia re, vestra auctoritate posteritas instruatur.* Quare vel Lambertus erravit, vel Sigefridus, posquam comperit Alexandrum Petrum Damiani Moguntiam mittere,

SÆC. XI. An. C. 1069. re, literas illas scripsit, ut fucum Pontifici faceret.

II. *Expeditio Regis Daniæ in Angliam.* Ordericus lib. 4. miserum Angliæ statum, ex quo Willelmus Rex eam sibi subdidit, his verbis narrat: *Multimodis desolationibus Anglia nimis attrita est, & tam ab indigenis, quam alienigenis valde aggravata est. Incendia, rapina, & quotidiana cædes, miseram gentem invaserunt, percusserunt, dejecerunt, & conquassaverunt. Adversa fortuna miseros tam victos, quàm victores muscipulà suà irretivit: nunc ense, nunc fame, nunc peste irreverenter præcipitavit, prout Omnipotens arbiter unicuique dispensavit.* Paulò pòst: *In illa tempestate Suenus Rex Danorum magnam classem Danis & Anglis accuratissimè instruxit, duosque filios suos & Osbernum fratrem suum, Pontificesque duos, Comitesque tres dilectissimos præfecit, & in Angliam misit. Multoties enim pecuniis Anglorum & obnixis precibus fuerat sollicitatus, & ruinas suorum, qui nuper in Heraldi conflictu occisi fuerant, motus: quin etiam proximà cognominatione ad regni cupiditatem incitatus, utpote nepos Eduardi Regis, Hardecanuti filius* (qui Hardecanutus frater erat Eduardi uterinus ex Emma Regina). *Hic ingenti potentiâ pollebat, universas regni sui vires contrahebat: quibus à vicinis regionibus & amicis auxilia magna coacervabat. Adjuvabant eum Polenia* (idest, Polonia), *Frisia, nec non Saxonia. Leutecia quoque pro Anglicis opibus auxiliares turmas mittebat. In ea populosissima natio consistebat, quæ gentilitatis adhuc errore detenta verum Deum nesciebat: sed ignorantiæ muscipulis illaqueata, Guodeven, & Thurum, Freamque, aliosque falsos Deos, imò Dæmones colebat. Hæc gens terrâ marique præliari perita erat, quam Suenus cum Rege suo sæpe viceras, suæque ditioni subegerat. Multis itaque triumphis sublimatus, ut sibi adhuc augeret potentiam & decus, contra Guillelmum Regem, ut prædiximus, magnam classem in Angliam misit Suenus.*

III. *Infelix fuit.* Multis interpositis hanc expeditionem infelicem fuisse asserit: *Plerosque*, inquit, *gladio vindice ferit, aliorum latebras evertit, terras devastat, & domos cum rebus omnibus concremat. Nusquam tanta crudelitate usus est Guillelmus, hic turpiter vitio succubuit, dum iram suam regere contempsit; & reos, innocuosque pari animadversione peremit,* (cùm nempe Eboraco appropinquatum est) *jussit enim ira stimulante segetibus & pecoribus cum vasis & omni genere alimentorum repleri, & igne injecto penitus omnia simul comburi; & sic omnem alimoniam per totam regionem Trans-Humbranam pariter devastari. Unde sequenti tempore tam gravis in Anglia latè sævit penuria, & inermem ac simplicem populum tanta famis involvit miseria, ut Christianæ gentis utriusque sexus & omnis ætatis homines perirent plusquam centum millia. In quo transfixit, laudare non audeo. Nam dum innocuos infantes, juvenesque vernantes & floridos canitie senes fame periclitari video: misericordiâ motus miserabilis populi mæroribus & anxietatibus magis condoleo, quàm frivolis adulationibus inutiliter studeo. Præterea indubitanter assero, quod impunè non remittetur tam feralis occisio.* Paulò pòst: *Tandem magnæ classis exiguæ reliquiæ Daciam* (idest, Daniam) *repetierunt: & Sueno Regi suo magna discrimina quæ pertulerunt, nimiamque ferocitatem hostium, suorumque ruinam sodalium flebiliter retulerunt.*

SÆC. XI. An. C. 1069. IV. *Moritur Aldredus Archiep. Eboraci.* Hæc accidisse hoc anno testatur etiam Simeon Dunelmensis in Hist. de Gest. Reg. Angl. additque *Aldredum* Eboracensem Archiepiscopum, quem ostendimus Willelmum Regem coronasse, de Danorum adventu valdè tristem effectum, *decimo anno sui Archiepiscopatûs, III Idus Septemb. feriâ VI, ut Deum rogaverat*, vitam finivisse. Notat etiam Dunelmensis, cùm Willelmus Rex vicinas Eboraci terras devastaret, Episcopum Dunelmensem, & Optimates omnium consilio tollentes *Sancti Cuthberto* incorruptum corpus fugam iniisse *III Idus Decemb. feriâ VI*, sed *tribus mensibus, & aliquot diebus* elapsis sacras Reliquias rursùs in loco suo fuisse repositas. Quod si *Aldredus* Episcopatûs anno decimo vitâ functus est, illud ante annum MLX non susceperat. Simeon enim ibi annos Julianos, non verò annos Sedis numerat, ut manifestum facit Thomas Stubbs in Actis Pontif. Eboracensium, ubi eosdem temporis characteres exhibet, postquam jam scripsit *Aldredum in Nativitate Domini* dictum Archiepiscopum, & *Guillelmum* Angliæ Regem coronatum consecrasse *anno Dominicæ Incarnat. MLXVI* juxta nostrum computum. Idem Scriptor plura de *Aldredi* virtutibus in medium affert, præsertimque de ejus erga Ecclesiam liberalitate, quibus commentitium esse apparet, quod de ejus simonia Malmesburiensis, & ex eo quidam Historici Anglici in literas misêre.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6563. *Anno Eræ Hispan. MCVIII.*

☉ 15. C. ☽ 7. P. 4. April. Indict. 8. *Anno Hegiræ CCCCLXIII, inchoato die 9. Octob. fer. 7.*

JESU CHRISTI 1070.

ALEXANDRI II PAPÆ 10.

HENRICI IV REG. 15.

ROMANI DIOGENIS IMP. 3.

I. *Synodus Vindleshoranensis.* ANNum. XV ad XXVII. Ordericus lib. 4. gesta hoc anno in Anglia hoc modo refert: *Guillelmus Rex Dominicam Resurrectionem in urbe Guenta celebravit, ubi Cardinales Romanæ Ecclesiæ coronam ei solemniter imposuerunt. Nam ex petitione ipsius Alexander Papa tres idoneos ei ut clarissimo filio legaverat Vicarios, Ermenfredum Pontificem Sedunorum, & duos Canonicos Cardinales. Quos apud se annuo fermè spatio retinuit: audiens & honorans eos tanquam Angelos Dei. In diversis locis, in plurimis negotiis sic egere sicut indigas Canonica examinationis & ordinationis regiones illas dinovêre. Maxima verò ac utilima Synodus Windresoriæ* (vulgò Windsor) *celebrata est anno MLXX ab Incarnatione Domini. Rex & Cardinales eidem Consilio præsederunt; & illic Stigandum* (Archiepiscopum Cantuariensem) *pridem reprobatum anathemate deposuerunt. Perjuriis enim & homicidiis inquinatus erat, nec per ostium in Archipræsulatum introierat. Nam à duobus Episcopis Norfulcano & Guentano nefanda gradatione ambitionis & supplantationis ascenderat. Suffraganei quoque aliquot detecti sunt, indigni Pontificatu propter criminosam vitam, & curæ Pastoralis inscitiam. Constituti sunt autem nominandi præsules Normanni duo Regis Capellani, Guillelmus Guentanorum, & Thomas Eboracorum:*

nius in loco depositi, alter defuncti: uterque prudens, plenus mansuetudine, & humanitate, venerabilis hominibus, verens & amans Deum medullitus. Idem alii subrogati sunt, eraducti ex Gallia: literati, decorati moribus, ac studiorum divinorum amatores.

II. *Guillelmus Angliæ Rex bono Ecclesiæ Anglicanæ consulit.*

Multimoda honestatis studio in multis Rex Guillelmus laudabilis claruit. maximèque in ministris Dei veram religionem (cui pax interdum & prosperitas mundi famulatur) semper amavit. Hoc fama multiplex attestatur, hoc operum exhibitione certissimè comprobatur. Nam dum Pastor quilibet completo vitæ suæ termino de mundo migraret, & Ecclesia Dei proprio Rectore viduata lugeret, sollicitus Princeps prudentes legatos ad orbatam domum mittebat, omnesque res Ecclesiæ ne à prophanis dissiparentur, describi faciebat. Deinde Præsules & Abbates aliosque sapientes consiliarios convocabat: & eorum consilio quis melior & utilior tam in divinis rebus, quàm in secularibus ad regendam Dei domum videretur, summopere indagabat. Denique illum, quem pro vitæ merito, & sapientiæ doctrina provisio Sapientum eligebat, benevolus Rex dispensatorem & Rectorem Episcopatûs vel Abbatiæ constituebat. Hanc nimirum observationem quinquaginta sex annis custodivit, quibus regimen in Ducatu Normanniæ seu regno Angliæ tenuit: & inde religiosum morem, & exemplum posteris dereliquit. Simoniacam hæresim omnimodis abhorrebat: & ideo in eligendis Episcopis vel Abbatibus non tam opes seu potentiam, quàm sanctitatem & sapientiam personarum considerabat. Probatas virtute personas cœnobiis Angliæ præfecit: quorum studio & rigore monachatus, (qui jam aliquantulum tepuerat), revixit, & qui defecisse videbatur, ad pristinum robur surrexit.

III. *Lanfrancus eligitur Archiepiscopus Cantuariensis.*

Paulò pòst de Ordine Monastico scribit: *Hic itaque Ordo Guillelmi Regis instinctu ad instituta regularia corrigebatur, ac ad consuetudines beatificas perductus valde honerabatur. Aliquanti Abbates à Rege noviter ordinati sunt, & complures Cœnobitæ in monasteriis Gallicis competenter edocti sunt. Qui Regio jussu Anglis prælati disciplinam restituebant, & religiositatis exempla proponebant*, &c. *Cantuariensis cathedra, in qua sedens Augustinus decreto Gregorii Papæ præfuit omnibus Episcopis Britanniæ, deposito Stigando decreta est Lanfranco Ladomensium Abbati, Regis & omnium Optimatum ejus benivola electione. Hic ex nobili parentela ortus, Papiæ urbis Italiæ civibus ab annis infantiæ in scholis liberalium artium studuit, & secularium legum peritiam ad patriæ suæ morem intentione laica servidus edidicit. Adolescentulus erater veteranos adversarios in actionibus causarum frequenter præcipitavit, torrente facundia appositè dicendo senes superavit. In ipsa ætate sententias promere statuit, quas gratantes Jurisperiti, aut Judices, aut Prætores civitatis acceptabant. At cùm in exilio velut Plato quondam Academicus philosopharetur, ignis æternus mentem ejus incendit, & amor veræ sapientiæ cordi ejus illuxit. Animadvertebat cum Ecclesiaste (quod nondum Ecclesiastica lectionis usu didicit), quia mundi bona vanitas. Repentino itaque animi contemptu jactans mundum ic se, arripiensque religionis professionem, jugo regulari subdidit se. Cœnobiolum Beccense in Normannia loci situ & paupertate elegit, quod prudentia ipsius vigilantissimaque cura locupletavit, & in statum pulcherrimi ordinis provexit: dum severa mitique disciplina regeret fraternum Collegium, humilique & utili consilio sanctum Abbatem, nomine Herluinum Neophitum exulem, dum se se vitiis & mundo mortificaret, & pro intimis ac supernis maximè laboraret, publicavit Deus inspector cogitationum ut lucerna poneretur super candelabrum, domumque convenienter illuminaret amplissimam domum. Coactus obedientia de claustrali quiete protractus Magister processit, quo docente Philosophicarum ac Divinarum literarum Bibliotheca effulsit.*

IV. *Nonnisi coactus dignitatem admittit.*

Aliquibus interpositis pergit Ordericus: *Multæ Ecclesiæ Abbatem vel Pontificem incredibili desiderio sibi Lanfrancum petierunt, quem etiam Roma Christiani Orbis caput, sollicitavit Epistolis, & precatu retinere conata est, & vi. Sic omnibus emicuit honorabilis, quem virtus & sapientia decoraverat specialis. Sedunensis igitur Episcopus, postquam Stigandum, ut jam dictum est, deposuit, Lanfrancum ad regimen Pontificale invitavit: & in consilio Episcoporum ac Abbatum Normanniæ petitionem Ecclesiæ Dei denunciavit. Ille autem perturbatus tam grave sibi onus extimuit, & inducias ad deliberandum petiit: indubitatum tenens quod simul ire non posset Monachi otium & Archipræsulis negotium. Abbas Herluinus imperat, cui obsecundare velut Christo solebat. Regina cum filio Principe precatur. Majores quoque ideo collecti studiosè hortantur. Non annuit ille præcipiti sententia, quia omne factum & dictum ejus discretionis dirigebat norma. Obedientiam offendere cavet, simul tantos qui rogant, favent, hortantur. Mœstus ergo trans mare vadit excusaturum se, sperans jocunditatem in reversione. Rex cum gaudio adjutorem culturæ Christianæ reverenter suscepit, & excusatione reluctantem humilitime & majestate pulchrè pugnans devicit. Anno itaque Dominicæ Incarn. MLXX. Lanfrancus Cadomensium primus Abbas divinitus Anglis instructor datus est: & honestissima electione ac fideli consecratione Cantuariensis Ecclesiæ Archipræsul IV Kal. Septembris* [qui hoc anno in Dominicam cadebat] *inthronizatus est. Cujus ordinationi multi Præsules & Abbates interfuêre cum maxima Cleri populique multitudine. Præsentes & absentes totius Albionis incolæ tripudiarent, atque multùm læti Deo gratias agerent: si quantum boni cœlitus sibi tunc impartiretur, agnoscerent.* Eumdem ordinationis ejus diem notavit novus Chronographus Saxo.

V. *Sub Guillelmo Rege Ecclesia in Anglia afflicta.*

Guillelmus Rex vel amotis, vel debellatis, vel conciliatis sibi adversariis felicitate sua abusus est, paulatimque cœpit Potentiorum bonis inhiare, & servitutis jugum, quod Anglorum cervicibus injecerat, fortiùs premere. *Nonnulli etiam Ecclesiastici viri*, inquit Ordericus loco citato, *qui sapientes & religiosi videbantur, Regali Curiæ pro dignitatibus cupitis obnixè famulabantur: & diversis assentationum modis non sine dedecore religiosæ opinionis adulabantur. Sicut tyronibus sua a Principibus erogabantur stipendia militiæ: sic quibusdam coronatis pro famulatu suo dabantur à laicis Episcopatus & Abbatiæ; Ecclesiarum Præpositura, Archidiaconatus & Decania, aliæque potestates & dignitates Ecclesiæ, quas meritum sanctitatis & sapientiæ doctrina solummodo debent obtinere: Clerici & Monachi nunc terreno Principi pro talibus stipendiis inhærebant, & pro temporali commodo multiplex servitium, quod divino cultui non*

competit,

competit, indecenter impendebant. Prisci Abbates secularis comminatione potestatis terrebantur, & sine Synodali discussione de sedibus suis injustè fugabantur: pro quibus stipendiarii non monachi, sed tyranni contra sanctorum scita canonum intrudebantur. Conventio & profectus fiebat inter commissos greges & Archimandritas hujusmodi: qualis inter lupos & bidentes sine defensore solet fieri. Quod facilè probari potest ab his, qui interfuerunt in Turstino Cadomensi, & Conventu Glestoniensi, &c. Quare Ordericus in rebus Guillelmi Regis narrandis varius est.

VI. *Moritur Godefridus Lotharingiæ Dux.* A num. XXXV ad XXXIX. Bertoldus in Chronico Godefridi Lotharingiæ Ducis & Beatricis conjugis mortem cum anno superiori bis verbis connectit: *Godefridus Dux inter seculares excellentissimus, & in recordatione peccatorum suorum ad compunctionem lachrymarum facillimus, in erogatione elemosynarum largissimus, in Vigilia Nativitatis Domini satis laudabili fine quievit.* Lambertus in Chronico, qui annum à Nativitate Christi sicuti Bertoldus inchoat, ostendit Godefridi Ducis obitum in Vigilia Natalis Domini hujus anni accidisse. Ad annum enim MLXX ait: *Dux Lotharingorum Gotefridus omnibus penè terris magnitudine suarum rerum gestarum compertus & cognitus obiit, & Verduni sepultus est: cui filius ejus Godefridus successit, præstantis quidem animi adolescens, sed Gibbosus.* Lamberto suffragatur Sigebertus in Chron. ubi etiam annum à Natali Christi incipit, licet neuter diei emortualis Godefridi mentionem faciat, quem tamen Bertoldus ex probo aliquo monumento accepisse videtur. Adhæc Fiorentinius in Commentario Rerum ad Mathildam Comitissam spectantium lib. 1. testatur, penes se antiquum esse MS. cujus, ut ipse asserit, autographum repetire non potuit, in quo legitur: *MLXX indictione IX Beatrix Dux & Comitissa cum dilecta unica filia Matilda*, &c. *Obsecratione & interventu carissimi domini nostri Ducis Gotifredi pro anima sua, & domni Bonifatii Marchionis, & filii prædicti Gotifredi, & nostra concedimus Episcopatus Lucensi*, &c. *Hoc tempore fuit sanctus Martinus sacratus.* Godefridus iste cognomento *Barbatus* seu senior, duas uxores habuit, primam *Dodam* appellatam, ex qua suscepit Godefridum Gibbosum, & *B. Idam*, viduam, Comitissam Boloniæ, Picardiæ urbis, cujus Vita extat in Actis SS. Bollandianis ad diem XIII Aprilis: secundam *Beatricem*, viduam Bonifacii Tusciæ Marchionis, quæ eidem Bonifacio antè genuerat *Mathildem* Comitissam, de qua nobis sæpiùs loquendum erit.

VII. *Cum Beatrice conjuge castus vixit.* Iterùm itaque *Beatrix* vidua remansit, quæ cum Godefrido secundo conjuge in castitate vixerat: *De mysterio autem mutua continentiæ*, inquit Petrus Damiani in Epistola ad eam data, quæ XIV est libri VII, *quam inter vos, Deo teste, servatis, diu me, fateor, duplex opinio tenuit, ut virum quidem tuum arbitrarer hilariter hoc pudicitia munus offerre, te verò gignendæ prolis desiderio non hoc libenter admittere. Sed cùm gloriosus idem vir nuper mihi ante sacrosanctum corpus beati Apostolorum principis intimasses sanctum desiderium tuum, & pudicitiæ perpetuò conservanda propositum, fateor, lætatus sum*, &c. Fiorentinius citatus pag. ini. ait, *Godefridum Gibbosum*, filium fuisse Godefridi Barbati ex Agnete filia Hugonis Comitis Haspurgensis prima ejus uxore, quam in rem laudat Franciscum Rosierum in lib. Stemm. Luthar. Tom. IV. Eumdem Rosierum citat et[illegible] Baronius num. XXXIX & seqq. dum de Mathildis Ecclesiæ Propugnatricis genealogia sermonem habet. Verum non semel jam monuimus, pleraque Diplomata ab Auctore illo prolata, vel ficticia vel interpolata esse, ideoque nullam fidem eis habendam. Manifestè autem fallitur Rosierus in eo quod habet de primi conjuge Godefridi Barbati; Monachus enim Wastensis in Vita Sanctæ Idæ cap. 1. asserit, *Godefridum* ex Doda suscepisse Godefridum, & *Idam* quæ nupsit Eustachio hujus nominis II Comiti Boloniensi, patri Godefridi Bullonii, *qui*, inquit, *Deo propitiante, Turcis triumphatis, sub nova gratia Rex primus fuit in Jerusalem prædestinatus*, anno scilicet MXCIX. De Doda legendus Duchesnius in Præfatione ad Historiam Genealogicam familiæ Drocensis.

VIII. *Mathilda Comitissa nubit Godefredo Gibboso.* Fatetur Baronius *Godefridum Gibbosum* successisse in Principatum Lotharingicum, sed vult *Beatricem* & *Mathildem* bona Tusciæ obtinuisse, quòd in quibusdam Actis publicis post Godefridi Barbati mortem scriptis Beatricis & Mathildæ nomina tantùm leguntur. Sed, ut inquit idem Fiorentinius, nec ipsemet Godefridus Barbatus dominus fuit bonorum Beatricis uxoris, sed ea tantùm ut maritus ejus & tutor Mathildæ possedit; patre autem hoc anno demortuo *Godefridus* filius Mathildem uxorem duxit, eaque ratione jus in Principatum Hetruriæ habuit. Lambertus enim ad annum MLXXVII scribit, Mathildam maritum in Lotharingiam sequi noluisse, huncque *vix post tertium aut quartum annum semel marcham Italicam invisisse.* Quare cùm *Godefridus Gibbosus* anno tantùm MLXXIII in Tusciam venerit, ut infra videbimus, apparet eum hoc vel superiori anno Mathildam uxorem accepisse, hancque cum Beatrice matre in ejusdem Godefridi absentia bona omnia Tusciæ administrasse.

IX. *Beatrix ejus mater filia Frederici II. Superioris Lotharingiæ Ducis.* Porrò hìc nobis materna *Mathildæ* genealogia explicanda. Domnizo Presbyter, qui hoc ipso tempore vivebat, Vitam Mathildæ Comitissæ, quam ad eam mitteret, ut ipsemet lib. 1. cap. 10. testatur, literis mandavit, in eaque disertè asserit, *Beatricem* Mathildis matrem filiam fuisse *Ducis Frederici*. Mellinius, qui partem Domnizonis Operis primus publicavit, & post eum Baronius, Domnizonem hac in re hallucinatum contendunt; ac incredibile videtur Scriptorem, qui viventis adhuc Principis vitam in literas mittit, avi ejus nomen & originem ignorare. Certum itaque & indubitatum esse debet, *Beatricem* Mathildæ Comitissæ matrem Bonifacio Tusciæ Duci primùm nuptam filiam fuisse *Frederici* Mosellanorum seu Lotharingorum Ducis, hujus nominis secundi: Fiorentinius citatus lib. 3. id ex instrumento publico in Archivis Episcopalibus civitatis Lucensis asservato demonstrat. In eo dicitur: *In nomine D. N. Jesu Christi Dei æterni anno ab Incarnat. ejus millesimo quinquagesimo quinto pridie Kal. Junii indictione octava, constat, me Beatrice lege vivente Saliga, filia bonæ memoriæ Federighi, qui fuit Dux, qui fuit similiter lege vita Saliga, qua secundùm legem meam Saligam*, &c. ubi Beatrix non tantùm se Federici Ducis filiam; sed etiam hunc Francum fuisse affirmat; Lex enim Salica propria Francorum erat. Luculentius argumentum in medium adduco.

Tom.

X. *Ejusdem Beatricis pater, proavi, & mariti;*

Tom. II Bullarii Casinensis recitatur Constitutio, quâ Beatrix Comitissa, quàmplurima bona donat Monasterio Sanctæ Mariæ & omnium Sanctorum in loco dicto Frassinorum, *anno MLXXI quarto Kalend. Septemb. indictione IX* scripta, in qua dicitur: *Manifeste sum ego Beatrix Comitissa ac Ducatrix, filia bonæ memoriæ* FREDERICI DUCIS, *quæ professa sum ex natione mea lege vivere Saliga, quia per hanc chartulam meæ dispositionis sive offensionis pro remedio animæ meæ, & pro remedio animæ* BONEFACII *Marchionis atque Ducis quondam viri mei, & incolumitate & animæ* MATHILDÆ *dilectæ filiæ meæ, & pro mercede animæ* GOTEFRIDI Ducis *quondam viri mei, & pro mercede animæ Beatricis quondam neptis meæ, offero tibi Deo, & sanctæ Mariæ Virgini; & omnibus sanctis*, &c. Nihil hanc in rem expressiùs dici potuit. Ut tamen pateat, Domnizonem lib. 1. cap. 10. jure meritò scripsisse *Beatricem* à majoribus mundi Principibus originem ducere; referam hîc quod dicitur de eis in Genealogia Sancti Arnulfi Metensis Episcopi à Duchesnio Tom. II recitata, quâ Baronius anno CMLXXXVII num. II. ad probandam Hugonis Capeti nobilitatem, usus est; Hadwidis, inquit Auctor Anonymus illius Genealogiæ, soror fuit Ottonis Magni, genuitque *Hugonem Regem Francorum, & Beatricem uxorem Friderici Ducis*, nempe Lotharingiæ superioris. Beatrix *genuit Theodoricum Ducem. Fridericus Dux genuit Beatricem & Sophiam. Beatrix genuit Mathildam ex Bonifacio*, qui fuit primus maritus Beatricis *Mathildæ nostræ matris.*

XI. *Hæc Genealogia confirmatur.*

Ex his varii Scriptores antiqui lucem accipiunt, Flodoardus verbi gratiâ in Chronico ad annum CMLI ait, *Fredericum* Adelberonis Episcopi fratrem filiam Hugonis Principis sibi despondisse, & ad annum CMLIV, eamdem uxorem duxisse. Est is *Hugo Magnus* Hugonis Capeti Francorum Regis pater. *Adalbero* primus hujus nominis Metensis Episcopus, non verò Adalbero secundus, ut perperam scripsit Meurissius in Episcopis Metensibus; *Fridericus* primus hujus nominis superioris Lotharingiæ Dux atavus fuit *Beatricis*. In Vita Adalberonis II Metensis Episcopi à Monacho Anonymo coætaneo scripta, habetur, matrem ejus extitisse *Beatricem* Magni Hugonis filiam, patrem Fridericum *Galliæ Medianæ* (sic vocabatur Lotharingia superior) Ducem; fratrem verò *Theodericum* Ducem eorum, *qui cis citraque Mosam, Mosellamque resident.* Est hic pater Friderici II Mathildæ Senioris conjugis. Domnizo enim lib. 1. cap. 10. de Bonifacio loquens, inquit:

Cùm natam rutili Ducis expetit Federici
Conjuge cum propria Mathildis denique dicta
Iste Beatricem Federicus donat habere.

Demum *Theodoricum* patrem fuisse Friderici II, certum redditur ex Chartis à Balusio lib. IV Miscell. pag. 451. memoratis, ex quibus apparet *Theodoricum* Ducem avum fuisse *Sophiæ* Comitissæ in illis appellatæ; ideoque & *Beatricis* quæ Sophiæ soror erat. Quare quæ in divi Arnulphi genealogia de Mathildis nostræ proavis dicuntur, certis documentis confirmantur.

XII. *Quædam de eo dubia soluta.*

Baronius num. XXXVI hos Domnizonis Versus refert, atque *Federicum* illum filium esse Godefredi Barbati primi. At jam ostendimus, *Godefridum Barbatum* hoc anno demortuum unicum filium habuisse, *Godefridum Gibbosum* appellatum. Loquitur itaque Domnizo de *Federico* Duce, hujus nominis II vitâ functo anno MXXVII, de quo Sigebertus in Chronico, anno MXXXIII: *Frederico Mosellanorum Duce sublato, quia mares filios non habebat, quibus Ducatus competeret*, (reliquit enim tantùm Beatricem & Sophiam) *Gothelo Dux impetrato ab Imperatore etiam Mosellanorum Ducatu, in Lotharingia potentius principatur*, sed, ut dixi, obiit an. MXXVII. Subdit Baronius Federicum à Domnizone memoratum eum esse, cujus epitaphium Gerbertus scripsit, in quo dicitur Regio Sanguine ortus

Francorum placito nomen tulit hic Friderici,
Quem proavi fudère Duces à Sanguine Regum:

indeque Cardinalis doctissimus concludit, quod cùm Beatrix Henrici IV Regis *amita*, ejusque filia *consobrina* ejusdem Henrici nominata reperiatur, à Domnizone recedendum esse. Sed Gerbertus seu Silvester II Papa; cùm anno MIII vita decesserit, hoc epitaphium condere non potuit, licet Editorum errore inter ejus Opera extet; nam positum fuerat *Friderico* Lotharingiæ Duci hujus nominis II anno MXXVII, ut mox diximus, demortuo, anno scilicet fere trigesimo à morte Gerberti; juxta Vipponem enim mors Friderici II consignanda anno MXXVII.

XIII. *Non Fridericus I sed Fridericus II Lotharingiæ Dux Regio sanguine ortus.*

Hoc autem Epitaphium de *Federico* Secundo necessariò interpretandum. Constat enim *Fredericum* Primum Lotharingiæ Ducem, neque à Regibus, neque à Ducibus aut Principibus originem duxisse; cùm Flodoardus Auctor coævus in Chron. anno DCCCCLV, narrata morte Conradi I Lotharingiæ Ducis, anno postea DCCCCLIX referat, *Brunonem* Ottonis Magni fratrem Lotharingiæ Archiducem, postquam Lotharingi ab eo defecère, *Fredericum quemdam Comitem eis vice sua* præfecisse; Ludovicus verò Chanterellus Faber in lib. de *Considerationibus Historicis Genealogiæ Lotharingicæ* demonstret, *Fredericum* hunc nullam cognationem habuisse cum præcedentibus Ducibus aut superioris aut inferioris Lotharingiæ. Quare laudatum epitaphium nonnisi *Frederico* hujus nominis II Theodorici Ducis filio convenire potest. Ad hæc *Fredericus* Theodorici filius, Frederici Primi nepos, revera natus est è sanguine Regum; cùm *Fredericus Primus* avius ejus uxorem duxerit *Beatricem* Hugonis Capeti sororem, ac filiam Hugonis Magni Ducis Franciæ & Burgundiæ, ac Ducissæ Hadwidæ Saxonicæ, Henrici Aucupis Germaniæ Regis filiæ; indeque epitaphii Fridericiani conditor rectè dicere potuerit, *quem proavi fudère Duces à sanguine Regum.*

XIV. *Consanguinitas Beatricis & Mathildis cum utroque Henrico Imp.*

Difficilius est detegere, quomodo *Beatrix*, quæ filia fuit Federici II Lotharingiæ Ducis, & mater *Mathildis* Comitissæ nostræ, ab Ottone Frisingensi dicatur *consanguinea* Henrici Imp. hujus nominis II; & Henrici III ejus filii, & ab ipsomet Henrico III *amita* appelletur. Antiquorum de Beatrice & Mathilde ejus filia loca repræsentat Fiorentinius in Comment. de Rebus ad Mathildem Comitissam pertinentibus pag. 61. & seqq. & post varias conjecturas concludit, constare tantùm eam *Conradi Salici* filiam non fuisse, sed *Federici* Mosellanorum Ducis, autumatque Beatricem filiam extitisse *Mathildis* sororis aut filiæ Conradi Salici Imp. Verùm

SÆC. XI. An. C. 1070.

rùm anno M V ostendimus, *Hermannum* Sueviæ Ducem ex Gerberga filia Conradi Burgundiæ Regis tres filias suscepisse, quarum una fuit *Mathildis* Conradi Carinthiæ & Austrasiorum Ducis oxor, alteraque *Gisela*, quæ nupsit Conrado Salico, Henrici II patri, & Henrici III Imperatorum avo. *Conrado* autem Austrasiorum Duce anno M X I I demortuo, uti anno M V jam diximus, *Mathildis* ejus relicta alteras nuptias iniit cum *Federico II* Lotharingiæ Duce, ex quibus prognata fuit *Beatrix* Mathildis nostræ mater. Porrò Beatricis matrem *Mathildem* etiam appellatam, liquet ex Domnizone in versibus num. X I à nobis relatis; hanc verò primis nuptiis duxisse *Conradum Carinthiæ Ducem*, discimus ex Wippone in Vita Conradi Salici ad annum M X X V I I, ubi de *Friderico* Mathildis Comitissæ avo materno verba faciens, ait: *Fridericus Dux Lotharingorum vitricus prædicti Chunonis* (idest, Conradi, filii alterius Conradi Carinthiæ Ducis & Mathildis) *Imperatori inimicando morte propria præventus est.* Quod si *Fridericus II* Lotharingiæ Dux Conradi Carinthiæ Ducis vitricus fuerit, manifestum est, eum *Mathildem* ejus matrem, post prioris mariti obitum conjugio sibi copulasse. Cùmque Mathildis hæc ex dictis anno M V, filia fuerit Hermanni Suevorum Ducis, & Gerbergæ filiæ Conradi Burgundiæ Regis, soror extitit *Gisela* ejusdem Hermanni filiæ & Conradi Salici uxoris. Ex quo sequitur, *Henricum II* Imp. fuisse *consobrinum* Beatricis, quæ ideo Henrici III *amita* erat. Hinc rectè Blondellus in pleniori Assert. Geneal. Franc. Tom. II & Tractatu de Barro Campano-Francico pag. 109. in fine ejusdem Tomi subjuncto tradit, *Federicum II* fuisse posteriorem maritum Mathildis Suevicæ, quod nonnisi ex probo aliquo Auctore, licet nullum citet, accepisse videtur. Denique Richardus Wasseburgensis, de quo mox, lib. 3. & 4. sæpe laudat *Historiam Sancti Michaelis* ad Sequanam, adhuc ineditam, cujus Abbatiæ Fridericus & Theodoricus Lotharingiæ Duces advocati fuêre, asseritque *Sophiam* Comitissam Barri ad Mosellam Fl. & Montionis ad Sequanam Fl. (quod ultimum oppidum hodie *Mussipontum* ad Sequanam Fl. appellatur) & Beatricem Marchionissam Sophiæ sororem *neptes proprias* fuisse Giselæ Conradi Salici Imperatoris uxoris; in ejus aula tanquam Regis filias educatas, patremque habuisse *Fridericum* juniorem Lotharingiæ Ducem. Auctor ille Anonymus floruit ante annos D C, ejúsque Historiam se vidisse insinuat Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum in voce *Barrum ad Sequanam.* Hic itaque nodus, qui Baronii & Florentinii citati animum valdè torsit, negotium imposterum facessere non potest.

XV. *Godefridus Comes Virdunensis non fuit Dux Lotharingiæ.* Ad num. X X X I X & seq. Refert Baronius Epistolam *Mathildæ Comitissæ*, quæ inter Epistolas Gerberti Editionis Duchesnii Tom. II Script. Franc. ordine est quinquagesima. Sigebertus in Chron. ad annum C M L X X X I V narrat *Lotharium* Regem Francorum Lotharingiam invasisse, urbemque Virdunum & Godefridum ipsius urbis Comitem cepisse, sed anno insequenti tam urbem, quàm Comitem reddidisse. Ea itaque Epistola alterutro anno, dum *Godefridus* Comes detineretur, ad Mathildem ejus conjugem data, ut ex ipsa lectione apparet. Richardus Wasseburgensis Archidiaconus Virdunensis, qui seculo superiori librum egregium *de Antiquitatibus Galliæ Belgicæ* inscriptum composuit, & qui post annum nongentesimum vicesimum res magni momenti in lucem profert, (in eo tantùm peccans, quòd sui seculi more Chartas non exhibeat, aut ubi illæ tunc asservarentur, indicet,) docet, *Mathildem Saxonicam* secundis nuptiis Godefridum Comitem Virdunensem maritum accepisse, post defunctum *Balduinum* juvenem filium Arnulphi Magni Comitis Flandriæ. Verùm hic *Godefridus Barbatus* cognominatus, prorsus diversus à *Godefrido Barbato* Lotharingiæ Duce, & malè in libro, cui titulus, *Stemma Lotharingicum*, inter Lotharingiæ Duces connumeratur. Ex hoc matrimonio nati quinque filii à Baronio, & antiquis Scriptoribus memorati. Sed ab Auctore *Stemmatis Lotharingici* Cardinalis doctissimus in errorem inductus. Existimavit enim cum eo *Godefridum* hujus Mathildæ maritum Ducem Lotharingiæ fuisse, quod à veritate omnino alienum. Chanterellus laudatus ait, *Godefridum* istum Comitem Virdunensem, vulgò *captivum* appellari; quod à Lothario Francorum Rege in carcere detentus fuerit; sed nec ipse, nec alius Auctor fide dignus eum Lotharingiæ Ducem fecit.

XVI. *De libro cui titulus Stemma Lotharingicum.* Ad num. X L I & seq. Jam hujus anni initio monui Auctorem præfati libri *de Stemmate Lotharingico* multa falsa in medium adducere, & falsitatis convictum fuisse. Quare quæ hîc Baronius ex eo refert, non explicanda, sed ex Annalibus expungenda. Si enim hominem novisset, ejus commenta aspernatus esset.

XVII. *Concilium Romanum IV.* Celebratum hoc anno Concilium I V Romanum ab Alexandro II Papa, cujus nolla mentio, nec in Annal. Ecclesiast. nec in Collectione Conciliorum. Cosmas enim Decanus Pragensis, qui hoc tempore vivebat, in Chron. Bohemorum ait: *Anno Dominicæ Incarnat. M L X X Dux* (nempe Bohemiæ) *Wratislaus in moribus Deo carus & hominibus, nec non in rebus bellicis miles præclarus, inspiratione divina committus monasterium in Metropoli Bohemiæ urbe Wissegrad vocata, quæ omnium terræ illius civitatum quasi mater & Domina est, Deo juvante construendum pia mente proposuit. Ad cujus propositi efficientiam non mediocri animo consilia pertractans, dignum duxit quatenus monasterium, quod gratia Dei cooperante conficiendum devotè proposuerat, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifici regendum, omnique ab adversitate diligenter protegendum, simul cum Canonicis ejusdem Ecclesiæ commendaret. Igitur Petrus Ecclesiæ sancti Georgii Præpositus Romam missus devota nuncia sui Ducis Domino Apostolico fideliter insinuavit. Quo audito venerabilis Papa Alexander II Deo gratias pro tàm felici præfati Principis desiderio retulit; mexque Synodum convocavit, in qua LXXII Episcopi fuerunt. Quibus postquam omnia prædicti Ducis verba recitavit, cunctis unanimi corde & voce glorificantes Deum, qui sanctam suam Ecclesiam in toto Orbe dilatare non cessat responderunt, Amen.* Refertur postea Rescriptum Alexandri II, datum *VII Idus Maii.* Verùm illud vel addititium, vel saltem interpolatum; cùm stylus ab omnium aliorum stylo prorsùs diversus sit, illudque non paucas difficultates patiatur. Illius autem Ecclesiæ collegiatæ prope Pragam ad arcem Vissegradensem fundatæ, in plerisque Historiis & Chronicis Bohemiæ mentio,

SÆC. XI. An.C. 1071.

tio, quamvis in quibusdam, uti in Historia Æneæ Sylvii & Dubravii, Alexandro III sedente fundata perperam dicatur. Ad illud enim tempus *Cosmas* laudatus non pervenit, & *Joannes* Episcopus Tusculanus, qui ejus fundamenta jecit, sub Alexandro II vixit, & sub Alexandro III *Imarus*, *Hugo*, ac *Petrus* Tusculani Episcopi fuêre. *Uratislaus* Dux illius Ecclesiæ Privilegia auxit, & Præpositum ejus *Principem & Cancellarium regni Bohemiæ* in perpetuum esse jussit, quòd traditio sit, ædem sacram ibi antea stetisse à *Wersivoio* primo extructam, & à Sancto *Cyrillo* Sancti Methodii fratre consecratam.

Anno Æræ Hispan. MCIX. Anno Hegiræ CCCCLXIV inchoato die 29 Septemb. fer. 5.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6564.
☉ 16. B. ☽ 8. P. 24. April. Indict. 9.
JESU CHRISTI 1071.
ALEXANDRI II PAPÆ 11.
HENRICI IV REG. 16.
MICHAELIS DUCÆ IMP. 1.

I. *Carolus Episc. Constantiæ Simoniæ accusatur.*

ANum. I ad IV. *quidam Clericus Carolus nomine, more Simonis Magi, qui donum spirituale pro pretio rogavit ab Apostolis, à Rege Henrico comparavit Episcopatum civitatis Constantiæ. Qui in conventiculo Episcoporum & Abbatum in monasterio sancti Martini Mogantiæ, in Assumptione sancti Martini facto, à Sigefrido Archiep. coram Rege culpatus, quòd non intraret per ostium in ovile ovium, depositus est. Deinde post annum non vixit*, inquit Marianus Scotus in Chron. qui hoc tempore inclusus vivebat Moguntiæ. Sed loco, *in Assumptione sancti Martini*, legendum, *in Assumptione Sanctæ Mariæ*, ut disertè legitur in Actis Concilii Moguntini post Baronii mortem publicatis, quæque nunc extant Tom. IX Concil. Sigefridus Archiep. Moguntinus ad Alexandrum II Epistolam scripsit, quæ ibidem habetur, in qua ait: *Mihi Romæ posito, viva voce, & postea Apostolica legatione interdixistis, ne eum, qui designatus est in Constantiensem Episcopum, ullo modo consecrarem: quia audistis elogio simoniacæ hæreseos eum notabilem. In quo, quia vobis obedivi, multa, ut præmissum est, à domino meo* (sc. Henrico Rege) *sustinui; timeoque me adhuc graviora passurum, & Ecclesia mea magnum fore detrimentum, nisi benignus ille Petrus clave sua me defendat, & vestra auctoritatis potestas adversùs Regiam potestatem zelo justitiæ me protegendo se accingat.* Responsum Alexandri II ad Sigefridum ad nos non pervenit; sed cùm hoc anno Moguntiæ habita sit Synodus, quæ de *Carolo* Episcopo Constantiensi designato judicium ferret, manifestum est, eam jubente Papa congregatam. In illa *Sigefridus* se ejus Legatum appellat.

II. *Concilium Moguntinum adversùs eum coactum.*

Initio enim Actorum dicitur coacta, *venerabili Sigefrido, Moguntinæ Ecclesiæ Primate, & Apostolicæ Sedis Legato, aurigante currum Dei anno jam XII, qui tunc volvebatur annus incarnati Verbi MLXXI, octava indictione Romani census*, sed loco, *octava*, seu VIII, *indictione*, legendum, *VIIII indictione*. Huic Concilio interfuêre *Gebehardus* Juvavensis, *Udo* Trevirensis Archiepiscopi, novem Episcopi ibidem nominati, Legati Suffraganeorum Sigefredi, Abbates plures, nec non inferiorum ordinum magnæ auctoritatis & sapientiæ Viri. In eadem Præfatione legitur, Synodum indictam propter Carolum quemdam, Constantiensis Ecclesiæ designatum Episcopum, sed non satis canonicè electum & provectum, qui, *ut solemne est, acceptâ à Rege Pontificalis annuli & Pastoralis ferulæ investiturâ, & in sede Episcopi receptus, Regia potestatis jubente censura: postulabat à Primate Moguntiensi, ejusdem Constantiensis Ecclesiæ se Episcopum consecrari.* Sed Sigefridus dicebat, se hoc non debere; quòd Carolus non per ostium in ovile ovium vellet intrare, sed per furtivam Simoniacæ impietatis scalam niteretur ascendere. *Mittuntur interea*, ut ibidem subditur, *ad venerabilem Metropolitanum crebræ de Palatio legationes mistis precibus minas & imperiosa de hac consecratione mandata ferentes. Mittuntur & literæ à Præsule Apostolicæ Sedis, mandantes ne ullo modo consecretur sine scrutinio canonicæ purgationis: & quod Rex potestate jubebat, Romanus Pontifex auctoritate prohibebat.*

III. *Henricus Rex Carolo favet.*

Paucis interpositis: *At Metropolitanus Antistes inter harum Legationum varietates, velut inter duros tempestatum turbines, laudabili constantia in se ipso fixus, hæret immobilis: & nusquam favore vel gratiâ, tenore* (legendum, timore) *vel munere inflectitur à statu canonicæ rectitudinis. Multis itaque nunciis hinc inde missis & remissis; multis quoque diebus huic audientia delegatis, & cogniteres* (legendum, cognitionibus) *causa Principis occupante præcepto, non impletis: cùm Ecclesia Constantiensis suo viduata Pastore, jam ferè biennio Sacerdotali careret benedictione: tandem miseratione divina potestati præponderavit auctoritas, & Christi Sacerdotibus divina aspiravit voluntas .... Primo igitur Concilii die, quem sancta Maria dormitione celeberrimum exhibebat*, (ideoque die XV mensis Augusti), Patres damnant *Simonem & omnes hæresiarchas cum dogmatibus suis* ac pauca pro tempore tractant *de qualitate instantis negotii.* Postero die de causa Constantiensi studiosè ventilatur. *Sed interveniente Principis mandato, in sequentem diem procrastinatur, agentibus internunciis, ut Sacerdotes domini à constantia sua rigore ad Regiam se inflecterent voluntatem: aliis instantibus, ut designatus ille, malè usurpatum sponte dimitteret honorem. Tertia verò die, Christi Sacerdotes*, hujus negotii longa expectatione suspensi, *Sacerdotali constantia Principem suum adeunt, eumque de salute animæ suæ, de pace Ecclesiarum, deque statu regi* (legendum, regni) *spirituali disciplina conveniunt, proponentes ei de Scripturis & gestis veteris ac novi Testamenti congrua doctrinæ salutaris exempla .... Summus autem ille dominorum dominus, qui omni potentatui dominatur, ita temperavit animum Principis, ita mitigavit eum ad verba sancta exhortationis, ut nulla juvenili moveretur acerbitate*, &c. *multum tamen se excusans, in hoc suo potestatis dono nullam se exercuisse venalitatem, nullam super hac re cum eodem Carolo se pepigisse conventionem. Si quid autem cum domesticis & familiaribus suis, propter opem intercessionis, ipso ignorante pepigerit: suum non esse accusare vel excusare.*

IV. *Carolus abdicat Episcopatum.*

Paulò pòst: *Hac autem salubri sermocinatione cum Sacerdotibus habita, cum eis venit* (nempe Rex) *in Concilium: & ille Constantiensis designatus*

gnatus intromittitur ad audiendum. Adsunt etiam pro foribus Constantienses Clerici, postulantes per Legatos, ut & ipsi mererentur admitti. Longa altercatione tota die hinc inde disceptatum est. *In crastinum*, loquuntur Patres, *quando sperabamus, qui juxta promissum suam objectu purgaret, & consecratione dignum, innocentiam suam monstrando, se probaret: ille jam mente confusus*, &c. *ultroneus ipse in se sententiam talis, & annulum & ferulam Pastoralem, ei à quo injustè acceperat, resignans, Sacerdotum spem, & metum quem pro eo habebant, labore longioris quæstionis absolvit: culpam suam uno segens pallio excusationis, quod juxta decretalia Cœlestini Papæ, Episcopus dari nollet invitis.* Ex quibus liquet primò, Lambertum, cujus verba recitat Baronius, res hujus temporis accuratè narrare II, Alexandrum secundum jure merito electioni Caroli intercessisse, & ad simoniam eradicandam omnem operam contulisse.

V. *Controversia de Primatu inter Cantuariensem & Eboracensem Ecclesiam.*

A num. V ad XII. Joannes Papa XII in Epistola ad Sanctum Dunstanum Cantuariensem Archiepiscopum data, cujus partem recitat Malmesburiensis lib. 1. de Gestis Reg. Angl. pag. 212. ait, Cantuarienses Archiepiscopos jam olim Primatum super omnes Angliæ Antistites habuisse: *Primatum tuum*, inquit, *in quo tibi ex more antecessorum tuorum, vices Apostolica sedis exercere convenit, ita tibi ad plenum confirmamus, sicut beatum Augustinum, ejusque successores præfata Ecclesiæ Pontifices habuisse dignoscitur.* Controversia tamen de Primatu inter Cantuariensem & Eboracensem Ecclesiam sub *Lanfranco* moveri cœpta, & in favorem Lanfranci ab Alexandro II hoc anno dirempta, ut narrat Baronius ex Malmesburiensi.

VI. *Alexander II prohibet ne Monachi in ecclesiis Cathedralibus Angliæ turbentur.*

Baronius num. VIII narrat ex Malmesburiensi Lanfrancum Cantuariensem Archiep. egisse apud Alexandrum II, ut scriptis inhiberet ne Monachi ab Episcopalibus sedibus Angliæ expellerentur, *Augustinus & Laurentius*, inquit Ordericus lib. 4. pag. 516. *aliique primi Prædicatores Anglorum Monachi fuerunt, & in Episcopiis suis vice Canonicorum (quod vix in aliis terris invenitur) Monachos piè constituerunt. Cœnobia multa & præclara construxerunt, & conversis instituta Regularia verbis & exemplis tradiderunt. Magnificè igitur monachilis Ordo plusquam ducentis annis in Anglia floruit: & Christiana religio Reges Anglorum Edelbertum, Edwinum, Oswaldum, & Offam, aliosque plures feliciter coercuit, & salubriter in montem virtutum sustulit; donec Edmundus Estanglorum Rex cum aliis duobus Angliæ Regibus Paganorum gladio martyr occubuit.* Hoc verò tempore *omnes circiter*, inquit Edmerus lib. 1. *Novo qui ex clericali ordine, per Regem Willielmum, in Anglia constituti Pontifices erant, Monachos, qui in nonnullis Episcopatibus Angliæ, ab antiquo vitam agebant, inde eliminare moliti sunt: & Regem ipsum in hoc sibi consentaneum effecerunt.* Verùm Alexander II, postquam hæc narrante Lanfranco accepit, Epistolam nunc ordine XLIX ad eum scripsit, quâ prædecessorum suorum decreta confirmat, ut Monachis Ecclesias Cathedrales obtinere liceat. Ait Pontifex *Gregorium Magnum* præcepisse Augustino gentis Anglicæ Apostolo, ut ejusdem Ordinis Viros, cujus ipse erat, poneret in Sede Metropolitana Cantuariæ; & *Bonifacium*, qui quartus ab eodem Gregorio Ecclesiæ Romanæ præfuit, hæc Athelberto Regi Anglorum & Laurentio Archiep. Cantuariæ scripsisse: *Gloriose*, inquit, *fili, quod ab Apostolica Sede per Coepiscopum nostrum Mellitum postulastis, libenti animo concedimus; idest, ut vestra benignitas in Monasterio Doroberneusi civitate constituto, quod sanctus doctor noster Augustinus, B. memoriæ Gregorii discipulus sancti Salvatoris nomini consecravit, cui ad præsens præesse dignoscitur dilectissimus frater noster Laurentius, licenter per omnia monachorum regulariter viventium habitationem statuat: Apostolica auctoritate decernentes, ut ipsi vestræ salutis prædicatores Monachi, Monachorum greges sibi associent, & eorum vitam sanctitatum moribus exornent.* Quare Alexander II sub anathemate eos constringit, qui huic Decreto obviare contenderint.

VII. *Diogenes à Turcis captus & in libertatem restitutus.*

A num. XII ad XV. *Romanus Diogenes* primo Imperii sui anno expeditionem adversùs Persas suscepit, sed nullo facinore præstito *triumphantis specie redit*, inquit Michael Psellus. Hæc illi prima arrogantiæ fastûsque animi elatio. *Inde jam augustam parùm curabat, tum Senatorii ordinis viros contemnebat.* Secunda ejus expeditio nihil admodum priore felicior, sed æquali trutina, ac prorsùs iisdem momentis librata. *Quod si nobis per myriadas cadentibus duo tresve hostium caperentur, Nonne vicimus, multusque nobis adversùs Barbaros plausus?* ait idem Psellus. Tertia jam ac postrema vice ad Barbaros ingruentes compescendos proficiscitur. Etenim *veris statim ortu* Romanam vastatam ditionem redierant, quam & latè copiis omnibus incursabant: profectus itaque cum exercitu *Cæsaream* iter contendit, & cùm par esset, ut cum hostibus pacisceretur, & à grassatione arceret, pugnare voluit, acceptoque vulnere equo delapsus est; quo factum, ut caperetur, & acies dissolveretur. Res itaque in deliberationem vocantur in civitate, ac Augusta quid operæ pretium factoque opus videretur, rogabat. *Visum igitur omnibus est, ut is interim sineretur, sive captus, sive mortuus erat; sibi autem illa ac liberis imperium firmaret.* Hostilis exercitûs Dux consolatur Diogenem, qui captus erat, communi mensa accipit, & postremum ipsum quoque à captivitate liberat; quod sanè malorum origo causa fuit: nam Imperator nullo negotio Romanum se Imperium accepturum existimavit. *Statim ergo turbatio, cursusque & excursus circa Regiam, cùm alii mirarentur quod contigerat, alii fidem rei detraherent. Augusta quoque anceps animi tenebatur, & dubitabat quidnam etiam faceret. Inter hæc dubia ipse quoque veniens, ac cùm omnes loqui juberent, quid operæ pretium putarem*, inquit Psellus, *ac vel maximè optimus Imperator ut remurgeret, atque cogeret, ita sententiam dixi: Non esse illum ampliùs in imperio admittendum, sed è medio tollendum; quoquoversus denique mittenda mandata, quibus rerum summa illi abrogaretur. Meumque adeo consilium aliis quidem utile visum est, (his nimirum qui saniore essent mentis judicio), aliis verò secus existimarant.* Hæc omnia Psellus de semetipso loquens.

VIII. *Eudocia Aug. in Monasterium detrusa.*

In eo rerum discrimine Imperator *Michaelas* sibi ipse timens, ac *Diogenis* suspectam habens crudelitatem, consilium iniit sibi tutissimum. Nempe à matre resilit, ac suas ipse partes agit, consobrinisque adjutoribus (idest *Joannis Cæsaris* ac patrui liberis) aulæ custodes ac Prætorianas cohortes sibi addicit. Repente igitur ad Imperatorem quasi in periculo agentem pari nutu

conveniunt. *Qui autem erant cum Augusta, quorum & ipse unus eram, quorum molitio ignota esset, vix non obriguimus, qui in nostra capita malum versum iri putaremus. Ac quidem Augusta, nec sui compos erat, sed amoto capitis velamine in penetralium specum quamdam cursum contendit. Firmatur adversus eam Concilium, Urbe ejiciendam esse, & ut in delubro, quod Deipara è littore maris ipsa struxerat, hospitium deligat. Moxque ita factum est, cùm Imperator ac filius, (quod ipse novi, ac Deo teste vulgò adstruam) matris ejectionem ægrè ferret, sed temporis ratio cogeret, ejusque voluntati obsisteret. Quod verò, ut in talibus & contingere & dici solet, alius aliud quid de Augusta animo sentiebat, ingesque in eam rumores jactabantur; alio lato decreto ad monasterium transire vitam jubetur, quod & ipsum confestim expletum est.*

IX. *Diogenes excæcatur, & Michael imperium suscipit.*

Narrat etiam Psellus eos, qui animi benevolentis impensiori affectu Imperatori studebant, *Diogenis* ingenium veritos, per literas mandasse cuipiam magistratuum, ut ei erueret oculos: *Nesciebatque Imperator*, subdit Psellus, *cùm factum est. Nec rem quasi adulando scribo, novit Deus, sed verissimam prorsùs refero. Unde etiam majori copia lachrymas effudit, ubi postea rescivit.* Ceterùm Diogenes, etsi effossis oculis, ad monasterium, quod ipse condiderat, in Insula, quam *Proten* vocant, relegitur. *Quo loco breve tempus superstes, cùm necdum annos quatuor imperium tenuisset. Michaelus verò pleno jure illo potitur.* Bryennius in fine lib. 1. & Zonaras in Romano Diogene Psellum exscripsêre. Signantiùs tamen Zonaras imperii Diogeniani durationem exprimit, atque eum *triennium, & menses octo* imperasse, quod & Curopalates habet. Quare cùm Diogenes die prima Januarii anni MLXVIII Imperium susceperit, Michaelus Constantini Ducæ filius circa initium mensis Septembris imperare cœpit. Elmacinus enim lib. 3. Hist. Sarac. docet, *Diogenem* die XXVI mensis Augusti à Turcorum Principe captum fuisse: *Cui Princeps occurrit in loco dicto Zahra, idque die XXVI Dulkiada, & oppugnavit Romanos die Veneris, eosque in fugam vertit; & occiderunt Muslimi eo die atque nocte Romanos innumeros: quin & ipse Romanorum Imperator captus fuit; sed dimisit eum Princeps, ea lege, ut afferret MD aureorum millia, & in singulos annos tributum solveret CCCLX millium aureorum: ac dimitteret omnes Muslimos, qui capti in imperio Romano essent.* Utraque itaque acies in conspectu fuit anno Hegiræ CCCCLXIII, die XXVI Dulkiadæ, seu duodecimi mensis, currenti sc. Christi anno, die XXV mensis Augusti, & postridie, feriâ nempe sextâ, ejusdem mensis XXVI, *Diogenes* Imp. à Saracenis captus, & Romani cæsi. *Michael* paucos post dies in Diogenis locum Constantinopoli subrogatus. Hinc intelligis errasse Chronographum Barensem, qui ad annum MLXXII ait: *In mense Julii captus est Diogenes Imp. & mortuus est.* Dicitur cognomento *Parapinaces*, inquit Glycas, quòd cum prohibuisset, ne mercatores annonam venderent, ipseque solus monopolium constitueret, *eo tempore modius pinace demto & detracto, aureo nummo venderetur*, hoc est quadrante medimni.

X. *Michael imperii parùm aptus.*

Michaelem pluribus laudat Psellus à literarum ac Philosophiæ studio, disciplinarum universitate, ac egregiis moribus, & finem Operi imponit. Alii tamen Historici Byzantini eum Imperio minimè idoneum fuisse testantur. Nicephorum spadonem virum solerti ingenio & eruditum, sed animo dejecto & calliditatis pleno rebus præfecit, qui omnia Imperatoris munia obiens, nihil erat quod ab eodem Nicephoro ab eo Logotheta designato non gereretur. *Itaque cùm multi bona sua, alii per alias caussas amitterent, hominesque attererentur, & ærumnis premerentur: nemo erat, cui illa cura esset. Nam Imperator puerilibus rebus occupatus, à Principe Philosophorum & honoratissimo Michaele Psello ad literarum studia deduci videbatur, ac modo in arte grammatica, versibus, & linguarum differentiis erudiebatur; modo declamationibus Rhetoricis, modo Historiis assuefiebat, modo ad audienda Philosophica præcepta parabatur, quamvis ad hæc omnia ineptus*, inquit Zonaras. Quamobrem non mirum si Psellus de discipulo suo cum laude loquatur, in eo ipse laude dignus, quòd ejus Vitam in literas non miserit.

XI. *Flores Michael Psellus.*

Quo anno postea Michael *Psellus* vitam cum morte commutarit, prorsus incompertum. Illud certum, eum non tantùm Theologum, sed & Philosophum, Mathematicum & Physicum extitisse, nec hoc seculo in Imperio Orientali virum doctiorem floruisse, ut fidem faciunt varia ejus Opuscula Tom. XVIII Biblioth. Patrum edit. Lugdun. publicata, aliaque variis in locis ac variis annis edita, præter ea quæ adhuc in Bibliothecis Vaticana, Regia & Cæsarea extant. Historiam ejus à Basilio & Constantino Porphyrogennitis inchoatam, & ad Michaelem Constantini Ducæ filium perductam Combefisius qui Auctoribus Græcis in linguam Latinam vertendis, præsertimque iis, qui de Historia Byzantina scripsêre, immortuus est, prælo paratam habebat, sicuti & quædam alia Opera ejus Historica, quæ amicorum interpositu, mihi per plures menses videre licuit.

XII. *Restitutor literarum in Oriente.*

Natus erat *Michael Psellus* anno circiter millesimo vicesimo, cùm ipsemet in sua Historia prodat, moriente Romano Argyro Imp. anno scilicet Christi MXXXIV, se secundum ætatis annum sextum decimum explesse. Scribit etiam Psellus se Constantino Monomacho simul ac Imperium iniit ministrasse in omnibus, *ut nihil*, inquit, *ignoraverim eorum, quæ vel palam fecit, vel in occultò ac secretiùs designavit.* Præterea asserit se annum vicesimum quintum ætatis egisse, cùm idem Constantinus imperare cœpit, & gravioribus disciplinis animum intendisse, postquam Rhetoricam & Philosophiam didicit; ac dein se Physicam aggressum esse. *Erunt mihi testes, qui librum hodie lecturi sunt, nempe mortuam jam sapientiam cùm offendissem, quod attinet ad eos, qui profitebantur, me ipsum exsuscitasse, cùm nec Magistros spectabiles nactus essem.* Paulò pòst: *Nunc nec Athenæ, nec Nicomedia, nec Alexandria Ægypti, neque Phœnice, neque utraque Roma, tum prima & minor, tum & illa posterior ac major, sive ulla urbium aliqua nunc eruditionis laude gloriatur. Sed & auri vena, & quæ sequuntur argentea, ac si qua alia ignobiliores his materia, omnes omnibus visa sunt obstructa.* Ait denique se Theologiæ, Astronomiæ, Musicæ, Geometriæ, arti militari, aliisque operam dedisse. Baronius anno DCCCLIX num. LIII existimat, *Psellum* Simeonis Metaphrastes encomiastem fuisse magistrum Leonis Philosophi, & ex eo colligit, quo tempore Metaphraste vixerit. Verùm nunc certò constat, non *Michaelem Psellum*

SÆC. XI. An. C. 1071.

lum seniorem, sed Michaelem Psellum juniorem Metaphrastæ encomium, quod extat, composuisse, huncque seculo decimo vixisse.

XIII. *Floret Theophilactus Bulgariæ Metropolita.* A num. XV ad XXIII *Theophilactus* patriâ Constantinopolitanus, Actidæ Archiepiscopus, totiusque Bulgariæ Metropolitanus, vir doctissimus, & in lectiooe Græcorum Patrum, ac præsertim Sancti Joannis Chrysostomi versatissimus, vixit sub Imperatoribus Michaele Duca, Nicephoro Botooiate, & Alexio Comneno, ut certis argumentis ex ejus Epistolis deductis demonstrat Baronius. Floruit præsertim sub Alexio Imp. cùm ex ejus Epistolis quædam ad Adrianum ejus fratrem, Nicephorum Melissenum Cæsarem, Gregorium Taronitam, Nicephorum Bryennium Alexii consocerum, Bryennium Alexii generum, & alios ex Alexiana & Comnena familia Principes datæ siot, unaque ad Nicolaum Patriarcham Coostantinop. qui anno MLXXXIV Pontificatum init. Ex quibus tamen Epistolis Ducangius in Notis ad lib. VIII Alexiadis perperàm deducit, *Theophilactum*, non sub Michaele Duca, sed sub Alexio Comneno floruisse; cùm ex libro *de Institutione Regia* mox laudando, quem Baronius non viderat constet, *Theophilactum* etiam sub Michaele Duca vixisse. Ejus Epistolæ, & alia quædam Opuscula nunc Tomo XVIII Biblioth. PP. edit. Lugdun. leguntur, sicuti & *Institutio Regia ad Constantinum Porphyrogenitum Michaelis Duca & Mariæ Augustæ filium*, à Petro Possino S. I. post Baronii mortem edita. Extat ejusdem in Bibliotheca Bavarica Tractatus MS. *de Latinorum erroribus*, in quo discordiam Græcos inter & Latinos in uno de Processione Spiritûs Sancti articulo constituit, ut habet Joannes Veccus Patriarcha Constantinop. in Orat. 2. *de injusta sui depositione* Tom. II Græciæ Orthodoxæ: *Invenio porrò*, inquit, *Theophilactum Bulgariæ Archiepiscopum, dicendi arte percelebrem, additionem in Symbolo tantum reprehendentem.* Denique variæ ejus Epistolæ à Sirmondo collectæ hoc anno lucem videbunt.

XIV. *Legatio Alexandri II ad Michaelem Imp.* Ad num. XXIII. Sub hujus anni finem, vel potius insequeotis initio *Alexander* II schismatis, quod Ecclesiam Orientalem & Occidentalem dividebat extingueodi cupidus, ad *Michaelem* novum Orientis Imperatorem Apocrisiarium de more misit, uti narrat Baronius ex Sancto Brunone Signiæ Episcopo in Vita S. Petri Episcopi Anagnini, cui ea legatio commissa fuit. Verùm cùm *Michael* totus esset in potestate Michaelis Pselli schismati addictissimi, ut nunc certò liquet ex hujus Oratione Laudatoria in Michaelem Cerularium, Lichude Ecclesiam Constantinopolitanam administraote habita, in qua in Latinos pluribus invehitur, (ea enim capitibus LXX constat) schisma in eo, io quo erat statu, remansit.

XV. *Gothofredus Archiep. Mediolanensis apud Castilionum obsidetur.* *Gothofredus*, qui anno MLXIX Archiepiscopus Mediolanensis dictus fuerat, & propter rationes anno MLXVII deductas *Sanctum Herlembaldum* adversarium habebat, hoc anno in oppido aliquot milliaribus Mediolano dissito obsessus fuit. Vocatur illud *Castilionum*, diciturque genti Castilioneæ nomen dedisse. Hoc enim hyeme currentis anni contigisse rectè notavit Tristanus Chalcus Historicus Mediolanensis, & post eum Sigonius lib. IX de Reg. Ital. qui de more Chalcum exscribit. Arnulphus lib. 3. cap. 21. hoc modo rem refert apud Puricellum lib. 4. de Vita Sancti Herlembaldi cap. 31. *Gothofredus pluribus coarctatus obstaculis, cum parte suorum aliqua suo se colligit in oppido, quod vulgò Castilio dicebatur, inexpugnabile revera præsidium, manibus ac loci naturâ munitum. Ex eo sæpius erumpentes, cùm supra modum prædis inhiaret ac cædibus, indignati Mediolanenses proponunt arcem illam protinus expugnare. Nec mora instructo exercitu, & iis quæ ad usum militiæ fuerant necessaria paratis, procedunt omnes castra metati ad radicem montis. Aberat enim ab urbe vigesimo paulo plus milliario, mox undique circulantes incessanter impugnant. Ad hoc cunctos regionis illius instant aggregare rusticolas, diuturnam jurantes obsidionem. Constituunt ergo petrarias & omnis generis bellici machinas, fundas quoque balistas, milleque mortis parant insidias. Obsessis verò ad posse repugnantibus, multa quotidie fiebat cruoris effusio, adeo ut in ipsa Quadragesima venerabilis observantia nulla fuerit humanæ cædis abstinentia.*

XVI. *Primum Urbis Mediolanensis incendium.* *Hac itaque tempestate cùm rarus in urbe populus sua frueretur securitate, repentina calamitas improvisàm invasit urbem.* Puricellus reliquum hujus capitis Arnulphi recitat in Ambrosianæ Basilicæ Monumentis num. 276. *Horresco referens. Primo namque Quadragesimæ sabbato* (Hinc inquit Puricellus corrigamus tempus à Chalco ac Sigonio notatum; Chalcus ait, *ad extremos Magni jejunii dies*; Sigooius verò, *extremâ Quadragesimâ*) *magno civitas conflagravit incendio. Cumque vehemens flaret tunc turbo ventorum, arreptis ignium globis, longè latèque multas combussit ædes: eò usque, ut ligna & lapides vorax flamma consumeret: aurum quoque, argentum ac metalla cetera nimio calore liquefacta sunt universa. O quæ & qualia domorum ædificia, quamque decora combusta sunt mœnia? De quibus omnibus vix superfuit præter parietinas quaslibet vel titio minimum. Sed quod est omni damno deterius, plures Sanctorum concremata sunt Basilicæ in urbe & extra. Sanctus quoque Laurentius viva carnis olim cruciatus incendio iterùm se flammis permisit exuri. Cujus speciosissima omnium adeo fuit Ecclesia, ut relatu difficile videatur, quæ fuerint lignorum lapidumque sculptura, eorumque intrinsecus impaginata junctura suis columnis cum basibus, tribunalia quoque per gyrum ac desuper tegens musivum universa. ô templum, cui nullum in mundo simile! ô civitas, cujus comparatione villa fuerunt reliqua!* Incendium inde *Castelionense* apud posteros celebre mansit, inquit Sigonius laudatus, hujusque occasione Mediolanensium civium pars à Castelionis obsidiooe discessit, uti narrat Arnulphus eodem capite apud Puricellum lib. 4. de Vita Sancti Herlembaldi cap. 31. *Ubi autem rumor tam dirus castris insonuit; quamplures illicò relicta obsidione eunt tenues ab igne reliquias & miseram visitare familiam. Herlembaldus verò cum aliis, retenta parte castrorum, perseverat obnoxius quotidie perseverare non desinens; Gothofredus autem tribus jam obsessus mensibus ut vidit tenuem castrorum exercitum clam vocare suos, & eantè suis procurat amicos. Convenientes in unum instructa acie protinus in castra consurgunt, impetu & clamore non modico; nec minus obsessi, ruptis claustris, ex omni parte prosiliunt. Herlembaldus autem tanto positus in discrimine, arreptis armis audet cum suis paucis juxta vires obsistere, Signifer ipse factus: & nisi sua, suorumque pugnasset audacia, dies illa sibi fuisset extrema. Vi-*

SÆC. XI. An. C. 1071.

dentes autem multi paucorum constantiam, ultro recedunt, educentes secum ab oppido Gothofredum. Hos longè persecuti sunt Mediolanenses, conglobatis repente similiter, & qui in castris fuerant, & qui in urbe remanserant; nec persequendo diebus aliquot cessarunt ac noctibus, donec in summum constitutos necessitate, coegerunt illos iterum in castillionem intrare.

XVII. *Moritur Guido Archiep. Mediolanensis.* Est hoc *primum* urbis Mediolanensis *incendium*; iterum enim ea anno MLXXV conflagravit. Quod cùm certum sit currenti anno contigisse, appatet, Sigonium malè *Guidonis* Archiepiscopi Mediolanensis mortem in annum sequentem distulisse, & pejus alios in annum MLXXIII. Arnulphus quippe testis oculatus testatur, *Guidonem* jam mortuum fuisse, quando Mediolanenses rediêre ex expeditione adversùs Gothofredum suscepta, idest, paulò post Pascha currentis anni. Ipsemet Arnulphus cap. 21. apud Puricellum in Vita Sancti Herlembaldi cap. 32. ait: *post hæc redeuntes ad urbem* (scilicet Mediolanenses) *jurejurando definiunt, Gothofredum nunquam recipiendum, imò alterum de Catalogo Majoris Ecclesiæ communiter eligendum. Jam enim migraverat à seculo Archiepiscopus ille Guido, sepultus in loco, qui vocatur Berguli vulgò, ubi post urbis incendium in amaritudine anima diem clausit extremum.* Tristanus verò Chalcus ad hunc Christi annum scribit: *Inter hæc Guido Velates* (ita cognominabatur) *cœnobio Celsiano dimissus, evaserat ad Transpadanos populos.* (ita Mediolani ratione dictos) *& non procul Derthona defunctus Bergoglis ad Tanarum amnem sito oppido sepelitur, anno sexto & vicesimo ex quo Mediolanensi præfuit Ecclesiæ.* In antiquo Catalogo Episcoporum Mediolanensium sæpe à nobis laudato dicitur, Guidonem sedisse *annos XXVI*, & obiisse *X. Kalendas Septembris*, ideoque quando Arnulphus ait, Mediolanenses paulò post Pascha ad urbem rediisse, & jam *Guidonem* mortuum fuisse, benignè interpretandus, advertendumque voces tempus significantes magnam latitudinem habere.

XVIII. *Bella civilia inter Hispaniæ Reges.* Post Ferdinandi Magni Castellæ Regis mortem, quam anno MLXV accidisse vidimus, magna inter tres filios ejus, nempe *Sanctium* Castellæ, *Alphonsum* Legionis, & *Garsiam* Gallæciæ & Lusitaniæ Reges bella exorta; neque enim quietæ res esse poterant, ubi dominatio in tot imperia distracta erat. *Sanctius* injuriam sibi factam Regni divisione querebatur, quod ob ætatis prærogativam integrum sibi deberi putabat. Narrant hæc pluribus Mariana lib. IX, Sandovalius in Alphonso VI, aliique Rerum Hispanicarum Scriptores, sed veris tot falsa miscent, ut prolixiores essemus, si hanc historiæ partem illustrandam susciperemus. Quare hîc certa tantum proponam. Sanctius & Alphonsus Garsiam Gallæciæ & Lusitaniæ Regem ditionibus suis spoliarunt, easque inter se partiti sunt; sed *Sanctius* prædâ illâ non contentus bellum adversùs Alphonsum fratrem movit erâ MCIX, anno scilicet Christi currenti, ut demonstrat Sandovalius citatus. Bis inter fratres pugnatum, bisque *Alphonsus* à Sanctio victus. Pelagius Ovetensis nimis quidem jejunè de his bellis civilibus egit, disertè tamen duorum præliorum Alphonsum inter & Sanctium habitorum meminit his verbis: *Post hæc Sanctius Rex cœpit dimicare adversus fratrem suum Adefonsum Regem* (sc. Legionis) *ut caperet regnum ejus, & constituerunt diem & locum designatum in Plantata, ut dimicaretur adinvicem; & ibi victus fuit Adefonsus, & reversus est Legionem. Iterum stabilierunt litem in Golpiliera* (vel, ut Toletanus habet lib. 6. cap. 16. in loco, qui Vulpecularia dicitur, juxta ripam fluminis Carrionis) *& ibi captus est pugnâ Adefonsus, missus in vinculis, & ductus Burgis. Deinde in exilium Toleto cum Rege Almenone* legendum, Almenone, vel Almeimone): *& ibi fuit cum eo exilians usque ad mortem fratris sui Sanctii Regis* (adde ex Codice Bibliothecæ Mazarinæ: Tunc Rex Sanctius cepit Regnum fratris sui) *& imposuit sibi in Legione coronam. Et fuit homo formosus nimis, & miles strenuus. Perlustravit verò Asturias Gallaciam, seu & Portugalem*, quæ Ditiones ad Garsiæ Regnum spectabant juxta eumdem Pelagium, qui de Fernando ait: *Dedit domno Garseano totam Gallaciam una cum toto Portugale.* Asturiæ verò Alphonsi erant.

XIX. *Alphonsus Legionis Rex à fratre captus.* *Sanctius* cùm Alphonsum in vinculis detineret, de morte ei inferenda cogitavit, sed is per *Sanctum Hugonem* Cluniacensem Abbatem divinitus liberatus fuit, ut legitur in Relatione Miraculorum hujus Sancti in Biblioth. Cluniacensi pag. 452. Ea tamen conditione *Sanctius* eum è carcere eduxit, ut in monasterio Sancti Facundi monachali habitu vestiretur. Verùm fugit noctu è monasterio, & Toletum veniens ab *Almenone* Rege inibi dominante solemniter est receptus, ibique cum Christianis usque ad Sanctii mortem juxta Regale viridarium commoratus est, inquit Toletanus laudatus. Porrò cùm *Sanctius* se se ad bellum Garsiæ Gallæciæ Regi inferendum pararet, *Rodericum Diaz*, vulgò *Ciddum* cognominatum, Alferum suum renunciavit, qua voce utuntur Hispani, ut Vexilliferum designent, ut videre est apud Ducangium in voce *Alferus*. Ciddus heros tot victoriis de Saracenis reportatis inclytus, Regem suum penè jam devictum ita animavit, ut victor ex prælio in quo *Alphonsus* captus, exierit, uti narrat Toletanus loco laudato. Quando *Ciddum* Vexilliferum suum *Sanctius* declaravit, uxorem ei dedit *Ximenam* Didaci Asturiarum Comitis filiam, ut ostendit Sandovallius laudatus pag. 21. ex Historia MS. Petri Episcopi Legionensis, Auctoris coævi, adhuc inedita, quod etiam habetur in antiquo Documento linguâ Castellanâ scripto, & in Tumbo nigro Sancti Jacobi à Sandovallio in Alphonso VI recitato, ubi *Ximena* neptis dicitur Alphonsi Regis, Alphonsi nempe Legionensis Regis hujus nominis V. Quare commentitium est quod à plerisque Scriptoribus Hispanis traditur, *Ciddum*, regnante Ferdinando Magno, Ximenam uxorem accepisse, frustraque nititur Sandovallius, qui *Ciddi* historiam multis fabulis purgavit, ostendere celeberrimum hunc Ducem bis cum duabus ejusdem nominis uxoribus copulatum fuisse, primùm sub Ferdinando, iterumque sub Sanctio Castellæ Rege. Præterquam enim quod antiqui Hispaniæ Scriptores unam tantùm *Ximenam* agnoscunt, unumque Ciddi cum ea Ximena conjugium, quæ ad id probandum Vir doctissimus in medium affert, vana & frivola sunt. De Sanctii Regis morte anno sequenti sermo erit.

XX. *Panormum obsessum annoque sequenti captum.* Postquam *Robertus* Apuliæ Dux *Barium* primarium Apuliæ oppidum, enamnum probè munitum, Saracenis die XV mensis Aprilis currentis anni, uti anno MLXVIII num. IX diximus,

ximus, eripuit, *mense Julii Dux prædictus transmeavit Adriatici maris pelagum, perrexitque Siciliam cum quinquaginta octo navibus*, inquit Lupus Protospata in Chron. ad annum MLXXI, quod & habet Chronographus Barensis ad eumdem annum, *& in mense Magi*, inquit, *exivit, & perrexit Palermo cum nabali exercitus, & obsedit eam per mare & per terram.* Malaterra verò lib. 2. cap. 43. *Dux urbe pro velle suo ordinata, fratrem* (nempe Rogerium Calabriæ Comitem) *in Siciliam præmittens .... toto Junio & Julio mense apud Hydruntum moratus*, antequam scilicet Panormum præcipuum Siciliæ oppidum obsidione cingeret. Illud Robertus sibi subdidit mense Januario sequentis Christi anni. Subdit enim laudatus Chronographus Barensis: MLXXII *ind. X capta est Palermo ab ipso Duca X die intrante mens. Jan.* Lupus citatus habet: *Anno MLXXII mense Jun.* (corrigendum, *Jan.*) *intravit Robertus Panhormum in Sicilia.* Quæ emendatio certa; cùm Malaterra scribat: *Sicque quinque mensium circulo hostes urbis defensioni attentissimè pervigilet*, à mense nempe Augusto usque ad Januarium anni MLXXII; quod dedicatio Ecclesiæ Casinensis magna hoc anno solemnitate peracta, cujus meminit Baronius num. IV, ubi tamen Leonem Ostiensem à Leone Marsicano memoriæ lapsu distinguit, extra omnem controversiam ponit. Testatur quippe Leo Marsicanus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Ostiensis Episcopus sub Paschali Papa II creatus, lib. 3. cap. 28. Sancti Benedicti Basilicam dedicatam, *ipsa die Kalend. Octobrium, anno Incarnationis divinæ MLXXI, indictione nona, die sabbati*, ideoque hoc Christi anno, quo dies primus Octob. cum die sabbati concurrit. Jam ante scripserat Leo: *Robertus eo tempore Panormum oppugnabat; ideoque tantæ solemnitati interesse non potuit.* Quare *Panormum* mense Augusto hujus Christi anni obsideri cœptum, & mense Januario insequenti Roberto deditum.

XXI. *Cultus divinus in ea restitutum.*

Errarunt itaque Malaterra citatus, & Fasellus lib. 7. Decadis posterioris pag. 399. qui hanc *Roberti* victoriam cum hoc Christi anno alligant, præsertimque Fasellus, qui asserit, Robertum *mense Julio* Panormum ingressum esse. Peregrinus in Notis ad Lupum Protospatam malè hæc in dubium revocavit; cùm Ignotus Casinensis à Caracciolo ex optimis MSS. emendatus tradat etiam Basilicam Sancti Benedicti hoc anno *die sabbati, Kalendis Octobris* consecratam esse. Malaterra autem per hæc tempora sæpe res anno uno citiùs collocat. Recepta urbe, ait Fasellus laudatus, *Robertus* & *Rogerius*, non modo diripiendas militibus civium divitias non permisêre; sed & libera ac inviolata Saracenorum corpora, sub imperio suo tantummodo, intra urbem esse jusserunt. Templum maximum Deiparæ Virgini solemni purgatione præmissa restituerunt, & Archiepiscopum Panormitanum Græcum genere, cui *Nicodemo* erat nomen, (*qui solo titulo egenus in ædiculam Sanctæ Cyriacæ secesserat*) in sua sede reposuerunt. Rochus Pyrrhus in Chron., *Panormum* anno sequenti captum tanquam rem certam supponit, solidèque refellit Piccolum negantem *Nicodemum* tunc institutum Episcopum, & contendentem loca Malaterræ interpolata esse. Denique Guillelmus Apuliensis lib. 3. Panormi obsidionem egregiè descripsit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6565.

☉ 17. A G. ☽ 9. P. 8. April. Indict. 10.

JESU CHRISTI 1072.

ALEXANDRI II. PAPÆ 12.

HENRICI IV REG. 17.

MICHAELIS DUCÆ IMP. 2.

Anno Eræ Hispan. MCX. Anno Hegiræ CCCCLXV. inchoato die 17. Septemb. fer. 2.

I. *Miser status Germaniæ.*

ANum. I. In Chronico Hildensheimensi superiori anno legitur: *Ottho Dux Bajoariæ Regi Heinrico rebellat.* Tum anno MLXXII: *conjurant Principes regni contra Heinricum Regem.* Ad hæc Lambertus in Chron. hoc anno ait: *Rex Pascha Trajecto celebravit, ubi dum ei populus vehementer obstreperet pro injuriis & calamitatibus, quibus passim per totum regnum innocentes opprimebantur, pupilli & viduæ diripiebantur, monasteria & Ecclesiæ vastabantur, & ruptis iniquitas habenis in omne quod voluisset facinus impunè bacchabatur: permotus tandem vel ipsa rei acerbitate, vel proclamantium importunitate, annitentibus in hoc ipsum cunctis regni Principibus, exoravit Coloniensem Archiepiscopum, ut post se rerum publicarum administrationem susciperet. Diu ille restitit petens, partim memoria veterum injuriarum, partim quia homo totus in Deum suspensus, divinis quam sæcularibus negotiis implicari maluisset. Superatus tamen unanimitate postulantium, privatum commodum publico postposuit.* Subdit Lambertus Sanctum Annonem Archiep. Coloniensem post mortem Adelberti Archiep. Hamburgi cœpisse Rempublicam in pristinam dignitatem reformare, fræna injecta esse vaganti usque ad id tempus licentiæ, & Orthonem Bajoariæ Ducem gratiam Regis recepisse, *Data vel Regi, vel his qui Regi pro eo suggesserant, non modica portione prædiorum suorum.* His addit Urspergensis Abbas, Saxones *accusationes blasphemas & inauditas ad sedem Apostolicam* in Henricum retulisse. Quid inde secutum sit, anno sequenti dicemus.

II. *Primatus Angliæ Archiep. Cantuariæ adjudicatus.*

A num. VIII ad XXIII. Concilium Anglicanum hoc anno habitum, ut narrat Baronius ex Malmesburiensi lib. 1. de Gest. Pont. Primatum Cantuariensi Archiepiscopo super Eboracensem adjudicavit, cui constitutioni consensêre Willelmus Rex & uterque Archiepiscopus. *Ventilata est hæc causa*, inquit Malmesburiensis, *primò apud Wentanam civitatem in Paschali solemnitate, in capella Regia, quæ sita est in castello: postea in villa Regia, quæ vocatur Windlesor, ubi & finem accepit in festivitate Pentecostes.*

III. *S. Wulstanus in Concilio anni MLXX Episcopatu dejectus.*

Quod verò de Sancto *Wulstano* refert Baronius, num. XV ex eodem Malmesburiensi lib. 4. de Gest. Pontif. pag. 281. non ad Concilium Anglicanum hoc anno habitum, sed ad illud quod anno MLXX coram Sedis Apostolicæ Legatis coactum fuit referendum, ut indicant Simeon Dunelmensis ac Hovedenus part. I. pag. 453. & disertè narrat Ailredus Abbas lib. 2. de Vita Sancti Eduardi Confessoris pag. 405. juxta editionem Seldeni. Cùm Willelmus Rex, inquit, Synodum fecit congregari præsentibus Apostolicæ Sedis Legatis, Lanfrancus in Stigandi Archiep. Cantuariensis locum substitutus est. *Apud hunc vir Domini Wulstanus simplicitatis & imperitiæ accusatur, & quasi ho-*

mo idiota & sine literis deponendus, Rege consentiente, vel etiam hoc ipsum perscribente, decernitur. Igitur in Synodo, quam apud Wesmonasterium (ideoque anno MLXX) *Rege præsente celebravit Lanfrancus, inter cetera, quæ tractavit negotia, jubet venerabilem virum baculum resignare cum annulo.* At Wulstanus ait, se verè scivisse, quia huic honori & oneri nec idoneus, nec sufficiens esset, sed se morem gessisse Episcopis, & Eduardo Regi cogentibus. Tum Lanfranco dixit: *Et tuæ sanctæque Synodi sententiæ cedens, resignabo baculum, sed non tibi, sed ei potius, cujus eum auctoritate suscepi. Hæc cùm dixisset, cum suis accessit ad lapidem, quò gloriosissimi Regis exuviæ claudebantur, & stans ante sepulchrum, Tu scis, inquit, domine mi Edwarde, quàm invitus hoc onus susceperim, quoties subterfugerim, quoties me cùm quæreret absentaverim. Fateor insipiens factus sum, sed tu me coegisti, &c. & ecce novus Rex, nova Lex, novus Pontifex, nova jura condunt, novas promulgant sententias. Te erroris arguunt, qui jussisti, me præsumptionis, qui consensi.*

IV. *In dignitatem restituitur.* Subjunxit se non illis, qui exigunt quod non dederunt, baculum resignare, sed ei, qui dedisset, *qui jam inductus in ipsam veritatem erroris vel ignorantiæ tenebras* evasisset. Tandem miraculosè restituitur, cùm baculum Pastoralem sepulchro B. Eduardi infixisset; nullus enim præter eum à lapide evellere poterat. Wesmonasteriensis hanc Sancti *Vulstani* restitutionem in annum MLXXIV differt, & Baronius ibidem num. LXVI de eadem verba facit. Bollandus ad diem XIX Januarii Sancto Wulstano sacram, refert Vitam hujus Sancti ab Auctore Anonymo scriptam, & in Notis duo Concilia distinguit. Verùm nulla ratio est, quæ Ailredum in hac narratione hallucinatum ostendat, ideoque ab eo non recedendum. Wulstanus, inquit Malmesburiensis, *qui non ita hebes in literis, ut putabatur, cetera sciebat, præter fabulas Poëtarum & tortiles syllogismos dialecticorum, quæ nec nosset, nec nosse dignaretur. Ceterùm probè doctus posse sermonem quamlibet elegantem extemporaliter facere, auditorum lachrymas, gaudia cœli, & pœnas inferni proponendo, artifex movere; persuadere dicendo quod vellet, dum quadraret vita doctrinæ, nec aliter viveret, quàm vivendo doceret.*

V. *Hamburgum devastatur.* Ad num. XXIII. *Adalbertus* Bremensis Archiepiscopus, qui ante aliquot annos de Henrici Regis Palatio ejectus fuerat, *solus nunc Rege fruebatur, receptus non modo in gratiam & familiaritatem; sed penè in regni consortium,* inquit Lambertus hoc anno in Chronico, qui addit, eum *XVI Kalend. Aprilis* naturæ debitum solvisse. Adamus quidem lib. 4. cap. 31. qui usque ad mortem Adelberti Historiam suam perduxit, ait, eum vitâ migrasse *XVII Kal. April.* sed is ad diem ejus mortis, Lambertus ad diem ejus sepulturæ respexit, quod in Auctoribus legendis millies occurret. *Omnia*, inquit Adamus, *mortem portendebant Episcopi. Nam & Hammaburg eodem anno, quo Metropolitanus decessit, incensa & bis vastata est. Pagani victores totam Nordalbingiam deinceps habuerunt in sua ditione, bellatoribusque occisis, aut in captivitatem ductis, provincia in solitudinem redacta est, ut diceres in fine boni Pastoris etiam pacem terris ablatam.* Hæc Hamburgi vastatio honoris & tituli Archiepiscopalis transferendi causam præbuit. Etenim à *Sancti Anscharii* temporibus usque ad *Liemarum* post Adalberti mortem ab Henrico Rege Archiepiscopum creatum, ut habet idem Adamus cap. penultimo libri de Situ & natura Regionum Septentrionalium, annos circiter ducentos & quadraginta urbs Hamburgensis sola omnium Septentrionalium Regionum Metropolis habita fuit. *Albertum* quippe Pontifices Romani semper *Hamburgensem*, nunquam verò *Bremensem* Archiepiscopum vocant. Verùm post duplicem illam, & omnium gravissimam vastationem, quæ hoc anno contigit, urbs planè ad nihilum redacta, exindeque primùm, quasi jam illi toties & tam vehementer desolatæ colligendi se ex tanta miseria spes nulla superesset, *Brema* Archiepiscopalis tituli usum arripuit, ut videre est apud Krantzium in Metropoli cap. 18. & fusiùs apud Lambecium in Orig. Hamburg. pag. 68. & seqq.

VI. *Moritur B. Petrus Damiani.* Ad num. XXV & seqq. *Petrus Damiani* ultimis vitæ suæ annis multa præclara egit, ex quibus aliqua cap. 8. & seq. Vitæ à Sancto Joanne Laudensi illius discipulo scripta narrantur. Magnum circa annum MLXIII conflatum est in Ecclesia Florentina schisma, dissidentibus ab Episcopo Monachis, inter quos primum locum tenuit *Sanctus Joannes Gualbertus* Ordinis Vallis Umbrosæ in Hetruria fundator, ut suo loco diximus. Tunc Florentiam Beatus Petrus ab Alexandro II missus; hoc verò anno idem servus Dei, licet *jam ætate confectus*, jussu ejusdem Pontificis *Ravennam proficisci præcipitur* ad ejusdem Ecclesiæ Ravennatensis componenda dissidia. *Istis verò, aliisque nonnullis negotiis patratis, cùm prima mansione Faventiam tenuisset, febre correptus decubuit*, ac *die anniversaria cathedræ Sancti Petri spiritum Deo reddidit*, & quidem hoc anno, ut ex Bertoldo Constantiensi in Chronico narrat Baronius, qui num. XXXIV asserit *B. Petrum mortuum esse anno ætatis LXVI, utpote quod ipse se natum testetur in Epistola ad Senatum, post annos quinque ab Ottonis III Imp. obitu, nempe anno Domini MVI, nam eundem Imperatorem exordio anni secundi post millesimum obiisse superiùs est demonstratum.* Verùm, inquit Henschenius in Comment. prævio ad Vitam B. Petri Damiani Sec. VI, hæc Epistola ad Senatum nusquam in accurata Operum & Epistolarum editione Petri Damiani reperitur, ideoque licet certum sit, eum ad senectutem pervenisse, cùm in Epistola ad Alexandrum II electum data, ideoque sub finem anni MLXI, describat suam senectutem, dicatque *caput, quod canis hactenus spargebatur, cygneo jam albore nivescere*, quo ætatis anno obierit incertum. Ughellus ad Ciaconium ait, Faventinos anno MDXII voto solemni B. Petrum in Patronum assumsisse. Unde B. Petro cognomen *Damiani* accesserit, variant Auctores, aliis eum Damiani filium appellantibus, aliis eum à nomine fratris Damiani illud sibi vocabulum assumsisse scribentibus. Petrus tamen Damianus appellatur à Leone Ostiensi, & Auctore antiquo miraculorum Sancti Hugonis Abbatis Cluniacensis, aliisque ab Henschenio §. 3. laudatis.

VII. *Synodus Rothomagensis.* *Anno ab Incarnat. Domini MLXXII congregatum est Concilium in Metropolitana Rotomagensis urbis sede, in Basilica beatæ & gloriosæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ, cui Joannes*

ejusdem

SÆC. XI. An. C. 1072. *ejusdem urbis Archiepiscopus praerat.* Synodo Suffraganei ejus interfuêre, inquit Ordericus lib. 4. pag. 527. qui postea recitat Canones viginti quatuor in eo Concilio conditos, Tom. IX Concil. legendos.

VIII. *Atho Herlembaldi Ducis operâ eligitur Archiep. Mediolan.* Arnulphus lib. 3. cap. 21. apud Puricellum in Vita Sancti Herlembaldi cap. 32. relato Guidonis Archiepiscopi Mediolanensis obitu, quæ hoc anno Mediolani contigêre, hoc modo narrat: *Ab illo die* (mortis scilicet Guidonis) *Herlembaldus omni instat conamine, modò cum Clero, modo cum populo, de eligendo agens Episcopo, novâ à Romanis acceptâ licentiâ, spretâ verò Regum veteri providentiâ. Veruntamen major civitatis portio ex Clero ac sapienti populo, priscæ consuetudini & Regio intendebat honori. Ipse autem neglectis omnibus & juramento communi solum Romani illius Ildeprandi auscultabat consultum. Itaque dies illa appropinquabat, quam ad hoc agendum ipse providerat, sanctæ scilicet Theophaniæ solemnitas, studet ergo sollicitè præsentes vocare absentes, clericos ac laicos, Abbates & Monachos, unicam sibi omittens agrestium turbam. Cumque diee instaret festus, factus multorum in Ecclesia hyemali conventus* (hoc nempe anno) *illis tamen absentibus cum quibus istam se facturum electionem juraverat. Celebratis itaque missarum solemniis, primò concionatus ad libitum, ac multa de isto Pastore commemorans, astante quodam Bernardo Legato Romano, elegit Athonem adhuc tantummodò Clericum ac tenera ætate juvenculum invito Clero & multis ex populo adeo ut stomachati redirent ab Ecclesia prædolere. Altare sacrosanctum visum est concuti tunc ac summoveri de loco, dum nimia plebis undique comprimeretur instantia.* Bernardus ille Legatus Gallus erat natione, Monachus & Abbas Sancti Victoris in urbe Massiliensi, ab Alexandro II Cardinalis creatus, cujus tam Onuphrius quàm Ciaconius mentionem faciunt, ut advertit Puricellus.

IX. *Atho dicitur juvenis licet ætate maturus.* Quod verò Arnulphus narrat de *Athonis juventute*, intelligendum respectu *Gothefredi* adversarii ejus, eo longè ætate provectioris, ut rectè vidit Puricellus, qui reprehendit Tristanum Chalcum loquendi modum ab Antiquis usurpatum non callentem, sicut hodie reperiuntur, qui capere non possunt Sanctum Hieronymum, hominem triginta aut triginta tribus annis natum, puerum & infantem vocare. Chalcus, inquam, cùm hæc Arnulphi verba, *adhuc tantummodo Clericum teneræ ætate juvenculum*, legisset, interpretatus est *adolescentulum, tunc primò attonsum, & qui nondum per ætatem muneris capax erat.* Eum sequitur Ripamontius in Hist. Ecclesiæ Mediolanensis, qui pag. 652. *Athonem* vocat ex Ambrosiano Clero *nondum pubertatis annos egressum*, indeque uterque concludit, ea tantùm de causa Mediolanenses suos Athonem non admisisse, quòd adhuc infans esset, neque attigisset ætatem ad Sacerdotium & Episcopatum requisitam; sed eorum interpretationi Arnulphus non favet, qui clarè asserit, Mediolanenses hanc electionem rejecisse, quòd Imperatoris juribus adversaretur: *Verum tamen major civitatis portio ex clero ac sapienti populo priscæ consuetudini & Regio intendebat honori.* Quare Sigonius lib. IX de Reg. Ital. qui vix à Chalco discedere solet, eum hac in parte deserit, licet Arnulphi exemplar non vidisset: *Civitate*, inquit, *haud satis probante* (nempe electionem), *quæ insignem Regi injuriam fieri arbitrabatur, qui Episcopum dare consuevisset.* Hinc Sedis Apostolicæ Legati, Concilia Romana præsente Athone in iis examinato, Alexander II & Gregorius VII Athonem virum Episcopatui idoneum agnovêre, & Hildebrandus, in Pontificatu Gregorius VII appellatus, præcipuus hujus electionis promotor, quoad vixit, eorum electioni adversatus est, qui ætatem necessariam non attigissent, ut liquet ex Epistola IV lib. IV, *data V Kal. Octob. ind. incipiente XV*, & populo Dolensi in Britannia scripta: *Misistis ad nos*, inquit Gregorius VII, *quemdam juvenem, petentes vobis à nobis illum ordinari Pontificem. Cui quidem petitioni, quoniam sacri canones contradicunt, assensum præbere nequaquam potuimus*, quod disertè in Epistola sequenti *omnibus Episcopis Britanniæ* magis explicat: *Dolensis clerus & populus ad nos direxit juvenem quemdam, satis præclarum genere, postulantes, ut eum illis in Episcopum ordinaremus. Cujus causam (sicut oportuit) examinantes, honestos quidem mores, pro modulo ætatis suæ, sed nondum satis maturos aut instructos ad portandum Episcopale pondus, in eo probavimus.* Denique ipsemet Gregorius in Epist. VIII lib. III ad Tedaldum Episcopum Mediolanensem electum asserit, Athonem nullo impedimento Canonico ab Episcopatu arceri: *De eo nobis est sermo*, inquit, *qui nobiscum est, quem Electum in eadem Ecclesia certè cognovimus; sed cur reprobari debeat, nulla adhuc deprehendere potuimus ratione.* Quod pluribus confirmare visum, quia subinde Viri etiam doctissimi ad voces ætatem explicantes offenderont.

X. *Athonis Electio Romæ confirmatur.* Sed redeo ad Arnulphum hoc modo narrationem suam prosequentem. *Cumque cum suis Atho, ad convivandum Pontificatum conscenderet aulam; fuerant enim jam in mensis parata convivia, inflammati cives invadunt repente domum, interiora exteriora scrutantes. Ipse autem Electus noviter, cum cameræ unius lateret in angulo, inventus capitur, discerpitur ac miserè dilaniatur, demum per suras & brachia à summis ad ima pertrahitur. Qui cùm staret in Ecclesia, metu mortis altari prostratus, clamante populo, in pulpitum ascendit, ibique facto in auribus omnium sacramento abrenuntiavit sedi Ambrosianæ in præsens, & in perpetuum. Interea quinque fautores sui diversas fugêre per latebras. Ipse etiam Romanus Legatus vix, discerptis vestibus laceratus, evasit. Ceterum Gothofredus & Atho remanserunt privati pariter ambo, propriis tantum contenti laribus atque substantiis.* Arnulphus postea lib. 4. cap. I. ait: *Igitur auditis his, quæ Athoni contigerant Archidiaconus Ilteprandus, sua, cùm Cardinalis esset, auctoritate* (Archidiaconus enim Cardinalis erat, quod aliqui perperàm negavêre) *illicò juramentum illud violentia omnimodis judicavit habendum invalidum. Hunc Romanus adeo verebatur Antistes, ut eo inconsulto nihil omninò præsumeret; cùm patenter sanctum prædicet Evangelium, super Magistrum non esse discipulum; unde factum est, ut collecto Romæ cœtu Pontificum, instante ipso* (sc. Hildebrando) *Athonem justè prædicaret electum, prostrato anathemate Gothofredo. Quæ omnia Ilteprandus suis literis sæpe jam dicto retulit Herlembaldo. Cui etiam ex suo, quod opulentissimum habebat ærario, copiosam auri atque argenti fertur misisse pecuniam; ut distributo quibuscumque*

buscumque indifferenter pretio fautores aggregaret quamplurimos.

XI. *Adversùs Athonem Gothofredus ordinatur Archiep. Mediol.*

Quibus non obstantibus, ut ibidem Arnolphus apud Puricellum cap. 35. hæc secuta sunt: *Interea*, inquit, *Suffraganei Sedis Ambrosianæ Pontifices accepto à Rege mandato, apud urbem convenientes Novariam, Gothofredo manum consecrationis imponunt, prout quiverunt, roborantes, licet præcepto Regia multis dicatur impetrata muneribus. Constat tamen Regem postea pœnituisse, atque interventorem penitus odisse Legatum. Exinde Gothofredus aliqua Ecclesiæ studet occupare castella, uni eorum præsidens, quod nominatur Brebia. Qui cùm paulò ante Leucum* (vel Leccum ad Adduam fluvium) *invaderet; irruentibus ab urbe militibus violenter ejicitur, amisso Marchione illo strenuissimo milite; quem loci incolæ, rupe præcipitantes ab alta crudeliter trucidarunt.* Quæ omnia partim hoc anno, partim sequentis initio ante mortem Alexandri II accidêre.

XII. *Obitus Sanctii Castellæ & Garsiæ Gallaciæ Regum.*

Sanctii Castellæ Regis, qui fratres Alphonsum Legionis & Garsiam Gallæciæ Reges adeo malè habuerat, cædes hoc anno patrata. Pelagius Ovetensis hac de re scribit: *Regnavit annos VI* (à morte scilicet Ferdinandi M. patris, quæ anno MLXV contigit) *& interfectus est extra muros Zamoræ, quam obsederat, ab uno milite nomine Vellites Aiulphi, proditione.* In Tumbo Nigro Sancti Jacobi à Sandovallio citato de eodem Rege habetur: *Erâ MCX interfectus est Rex Sanctius in Zamera.* Sed audiendus Pelagius Ovetensis, qui pergit: *Quo audito Adefonsus Rex venit velociter, & accepit regnum fratris sui Sanctii Regis* (idest Castellæ) *ac regnum suum* (Legionis) *quod perdiderat.* Garsia è carcere, in quo à Sanctio detentus fuerat, exiit, & in Regnum Gallæciæ restitutus est: *Post non multos verò dies* (subjungit Pelagius) *voluit capere regnum fratris sui Garseani* (nempe Alphonsus) *& per ingenium* (idest per dolum) *sine pugna captus est Garseanus Rex, & missus in vinculis per XX annos & amplius, & ibi in illa captione voluit minuere se sanguine, & postquam sanguinem minuit, decidit in lecto, & mortuus, & sepultus est Legione*, nempe apud Sanctum Isidorum, ubi etiamnum ejus sepulchrum, & vetus figura visuntur cum antiquo Epitaphio à Sandovallio in Historia Sanctii Regis relato: *H. R* (idest, hic requiescit) *dominus Garsias Rex Portugalliæ & Gallaciæ filius Regis Magni Ferdinandi. Hic ingenio captus à fratre suo*) Alphonso nempe juxta Pelagium) *in vinculis obiit era MCXXVIII XI Kal. Aprilis*, ideoque anno Christi millesimo nonagesimo. A morte quidem Sanctii ac Alphonsi coronatione usque ad Garsiæ mortem anni duntaxat XVII, & aliquot menses intercurrunt, sed Pelagius Ovetensis numerum illum XX annorum deducit à tempore, quo Garsia à Sanctio fratre in carcere inclusus est, quod ideo accidit era MCVIII, anno scilicet Christi MLXX, indeque liquet anno Christi MLXIX jam bellum inter Reges fratres inchoatum, & *Ciddum* cum Ximena matrimonio conjunctum.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6566.

Anno Eræ Hisp. MCXI.

☉ 18. F. ☽ 10. P. 31. Mart. Indict. 11.

Anno Hegiræ CCCCLXVI, inchoato die 6 Septemb. fer. 6.

JESU CHRISTI 1073.

GREGORII VII PAPÆ 1.

HENRICI IV REG. 18.

MICHAELIS DUCÆ IMP. 3.

I. *Status Germaniæ tempore mortis Alexandri II.*

ANNum. I ad XIII. Quo in statu Ecclesia Romana & Germania versarentur, quando *Alexander* II die XXI mensis Martii hujus anni è vivis excessit, narrat Marianus Scotus Auctor coætaneus, Vir totus Deo addictus, in Chronico ad annum MLXXV, ubi quæ annis proximè præcedentibus contigêre, summatim refert: *His temporibus*, inquit, *non autem eodem anno, orta est gravis atque feralis discordia in regno Teutonico inter Regem Henricum & Principes Saxoniæ, cujus causa* (*ut fertur*) *hæc erat: Rex Henricus omnes Saxones servituti subjicere cogitabat: sed quia hoc tam facilè ut speraverat, perficere non poterat: accepto consilio, prius Principes proposuit honoribus ac dignitatibus suis despoliare, & sic reliquos provinciæ populos suo dominio subjugare. Vt ergo voluntatis suæ propositum faciliùs adimplere valeret in ipsa Saxonum provincia in monte, qui vocatur Hartisberg, castrum munitum construxit, cui ex ipsius montis vocabulo nomen dedit, ut vocaretur Hartisburg. Consummato verò castro, & secundùm voluntatem suam omnibus ibidem negotiis regni dispositis, ad effectum desiderii jam dudum conceptum toto conamine suam extendit intentionem. Ottoni itaque Ducatum Boariæ abstulit, metuens eum, quia genere Saxo erat; quem protinus Velfoni ad injuriam Saxonum contulit.*

II. *Status Ecclesiæ tempore ejusdem mortis.*

Post hæc quadam die in eminenti loco ejusdem castri consistens, & elegantiam patriæ undique bene possessam respiciens, fertur dixisse: Saxonia regio pulcherrima, sed servis nequissimis, habitatores scilicet illo prænotans opprobrio. Quod audiens prædictus Otto Dux graviùs, quàm credi potest, dictum Regis suscepit; collocutusque Principibus Saxoniæ, rebellare omnem simul fecit provinciam, & meritò. Vnicam enim & dilectam domini sponsam, quam redemit de inimico pretiosi sanguinis sui pretio, quantum in ipso fuit, per concubinarios, idest, hæreticos polluere & offuscare veritus non est, dum spiritualia Ecclesiæ officia, gratifica videlicet Sancti Spiritûs munera, per iniqua, contraríaque fidei Catholicæ commercia, more Simonis, efficeret venalia. Hæc & his similia nefanda & inaudita Henrici Regis flagitia videntes & audientes fieri Catholici viri, per id temporis in Ecclesia constituti, cum Propheta Elia domini Zelo Zelantes pro domo Israel, directis Romam nunciis ad Alexandrum Apostolicæ Sedis Antistitem, hæc ei & alia quàmplurima, quæ in regno Teutonico, insanientibus Simoniacis hæreticis, Rege Henrico auctore & patrono, dicta & gesta sunt, tam literis, quàm viva voce gemendo ac dolendo conquesti sunt: deinde eodem zelo Dei fervore succensi, convenientes in unum, castrum Hartisburg obsessum capiunt, omnia ibidem inventa diripiunt. Fertur etiam quod plusquam XXX feminæ una die ejectæ sint de munitione, quæ omnes fuerunt violatæ, vestibus usque ad nares præcisis

ad

ad injuriam Saxonum. Unde ipsi nimium efferatis animis, castrum & omnia, quæ in eo constructa erant, cum monasterio, clericis undique per fugam dispersis, funditus exciderunt, ossaque filii ejus de sepulchro ejecta per compita disperserunt. Interea Domino Alexandro Apostolico de medio sublato, suscepit sedem Apostolicam Gregorius VII, qui & Hildebrandus, professione Monachus. Quæ & alii gravissimi Auctores etiam narrant.

III. *Moritur Alexander II.* Diem emortualem *Alexandri* II idem Marianus notavit ad annum MLXXIII, ubi, inquit: *Alexander Papa obiit dominico die, undecimo Kalend. Maii*, seu die XXI mensis Aprilis. Idem ac Marianus, Domnizo in Vita Mathildis habet, & in fine Chronici Anonymi monasterii Casinensis ex Necrologio MS. ejusdem monasterii obitus Alexandri II legitur, *XI Kal. Maii.* Quare Auctores, qui mortem ejus cum X Kalend. Maii conjungunt, diem sepulturæ cum die obitûs, ut passim fit, confundunt, perperamque Papebrocius in Conatu Chronico-Historico ait, diem quo Hildebrandus, Gregorius VII appellatus, electus est, fuisse diem tertium à morte Alexandri; postridie enim ab hujus morte, is electus, ut statim videbimus. Pontificatum inierat *Alexander* II die prima Octobris anni MLXI, ideoque sedit annos undecim, menses sex, & dies XXI. De annis & mensibus inter omnes convenit, sed dies in Catalogis mendosè descripti, nisi in unico ordine inter nostros ultimo, in quo dies illi XXI exhibentur. Mors sancti hujus Pontificis gravissima omnibus bonis accidit: Victor III lib. 3. Dialog. testatur, eum eloquentissimum & eruditissimum fuisse, & Petrus Damiani ejus Pontificatûs initio ad Archiepiscopum Ravennensem Epist. XLVI libri quarti de eo scribit: *De Electo hoc mihi videtur, quia benè literatus est, & vivacis ingenii, sine suspicione castus, & in erogandis eleemosynis pius. His ultra non addo, ne non videar universitatis amator, sed singularitatis assertor.* Et Bertoldus Constant. in Chron. ad annum MLXI: *Qui satis strenuè Simoniacam hæresim destruxit, & ministris Altaris cum conjugibus coire juxta Canonum statuta cum excommunicatione interdixit, ipsosque laicos Clericorum incontinentium officia audire per bannum prohibuit, sicque Clericorum incontinentiam satis prudenter refrænavit.* Denique Alexander *renovavit communem Canonicorum Regularium vitam in ipsa*, nempe Basilica Lateranensi, inquit Joannes Diaconus Junior in libello de ea Ecclesia.

IV. *Ei succedit Gregorius VII.* A num. XIII ad XXX. dies, quo Hildebrandus, Gregorius VII. in Pontificatu appellatus, electus fuit, notatur in Decreto electionis ejus à Baronio num. XXIV recitato; *decimo Kal. Maii, feriâ secundâ, die sepultura domini Alexandri bonæ memoriæ secundi Papæ*, die nempe XXII mensis Aprilis. *Infra octavam Pentecostes in Presbyterum Hildebrandus ordinatus est, & in natali Apostolorum in Romanum Pontificem consecratus*, inquit Nicolaus Cardinalis Aragonensis à Baronio num. XXVII laudatus. Idem Baronius num. XXIV colligit, Gregorium Sextum non fuisse spurium Pontificem, ex eo quod *Hildebrandus* Gregorium VII se se appellarit. Verùm jam ostendimus, Pontifices Romanos semper rationem non habuisse legitimæ vel pravæ ordinationis Pontificum ejusdem nominis, qui eos præcessêre, Gregoriumque VI simoniacè electum fuisse; sed ab Ecclesia agnitum universa. Mabillonius lib. II de Re Diplom. cap. XXV ait, Gregorium VII præcipuum ac ferè primum fuisse, qui Pontificatûs sui & Indictionis annos notare contentus, prætermiserit annos Imperatorum, quorum nomen ob investituras odiosum esse cœperat. Verùm toto hoc seculo Pontifices Romani utrumque temporis characterem sæpe omisêre, ut eorum Diplomata evolventibus manifestum fiet. Præterquamquod *Henricus* IV Rex tantùm Italiæ erat, nondumque Imperator, & Pontifices Romani Regum Italiæ annos notare soliti non erant.

V. *Inthronizatio Gregorii VII.* Notabilia hæc Centii Camerarii in lib. Censuali verba de Gregorio VII Pontifice Electo: *Indutus rubea chlamyde (sicut moris est) & Papali mitra insignitus; invitus & mærens in B. Petri cathedra fuit intronizatus.* Hic enim Centius Camerarius, seu, ut creditur, Honorius III Pontifex Romanus loquitur de *mitra turbinata* cum corona, de qua in Leonis IX coronatione verba fecimus, ostendimusque hunc Pontifices Romanos coronandi morem antiquum esse, quod & indicat Donatio Constantini ante Pippini Francorum Regis tempora conficta. Impostor enim ad suam ætatem respiciens, ait: *Decrevimus, ut ipse* (scilicet Silvester) *& successores ejus diademate, videlicet corona, quam ex capite nostro illi concessimus ex auro purissimo & gemmis pretiosis uti debeant & in capite ad laudem Dei pro honore Beati Petri gestare.* Quare hallucinati sunt, qui hunc morem novum credidêre.

VI. *Ejus ordinatio coram Legato Regio.* Paulò pòst Centius Camerarius ait, Gregorium VII Nuncios ad Regem *Henricum* celeriter destinasse, per quos electionem de se factam ei aperuit: *Rex verò, ubi electionis veritatem cognovit, electioni ejus assensum præbuit: & statim Gregorium Vercellensem Episcopum, Italici regni Cancellarium, ad urbem transmisit, quatenus auctoritate Regia electionem ipsam confirmaret, & consecrationi ejus interesse studeret: quod sine dilatione factum est.* Mabillonius Tom. I Musei Italici part. II in Observat. ad Vitam Hadriani Papæ I, loquens de Decreto ad Imperatores mitti solito, ut Pontifex Romanus post suam electionem coram eorum Legatis consecrari posset, ait: *At quo tempore abrogari cœperit ille transmittendi Decreti ritus, nono, an decimo seculo, aliis examinandum relinquimus.* Illud nos accuratè examinavimus, invenimusque Gregorium VII ultimum fuisse, cujus electio ante consecrationem Imperatori significata fuerit, & ejus ordinationem coram Legatis ejus peractam esse. Licet enim *Henricus* IV hoc tempore Rex Germaniæ, Italiæque tantùm esset, nondumque à Pontificibus Romanis coronatus Imperator, iisdem tamen prærogativis Romæ ac Imperatores potiebatur; cùm post Ottonem Magnum ceteri Germaniæ Reges ritè electi Imperatores designati haberentur. Hinc Nicolaus II in Constitutione de Electione Romani Pontificis apud Baronium MLIX num. XXVII ait: *Eligatur de ipsius Ecclesiæ gremio, si reperitur idoneus, vel si de ipsa non invenitur, ex alia assumatur, salvo debito honore & reverentia dilecti filii nostri Henrici, qui in præsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator, Deo concedente, speratur, sicut jam sibi concessimus, & successoribus*

ribus illius, qui ab Apostolica sede personaliter hoc jus impetraverint. Plus itaque Teutonici, quàm Carlovingici sibi tribuerunt in consecratione Pontificum Romanorum, hoc fundamento innixi, *quia regnum est quasi arrha Imperii.* Inde enim Reges ante coronationem eodem ac Imperatores jure gaudere ambierunt. Huic legi, quam Eugenius II sub Imperatoribus Carlovingicis emisit, quamque Otto Magnus & Sanctus Henricus Imperatores sub Teutonicis servari jussêre primus se subjecit *Gregorius* IV, postremus verò *Gregorius* VII, post quem ea nullum locum habuit, usque contratio penitus abrogata fuit. Verùm quidem est, mortuo *Paschali* Secundo *Henricum* Imp. hujus nominis IV *Burdinum* Bracarensem Archiepiscopum in Sede Apostolica collocasse, quòd ordinationi Gelasii II nun consensisset, & non paucos Romanos in Burdini Gregorii VIII appellati electione & ordinatione fautores habuisse, sed Ecclesia, quæ jam hoc onus excusserat, & pristinam libertatem recuperarat, *Burdinum* rejecit, eumque Calixtus Gelasii II successor in monasterium detrusit, ut suo loco dicemus.

VII. *Patria, parentes, & probitas Gregorii VII.* Hildebrandus *Soana* in ditione Senensi positæ natus est, non verò *Senis*, ut aliqui perperàm scribunt. Baronius num. XVI ait, eum patre fabro ortum, sed, ut scribit Papebrocius ad diem XXV mensis Maii, quo idem Gregorius VII colitur, in Comment. prævio num. XXXVIII, nullum nominatim Auctorem hanc in rem laudat: eadem verò in Lectionibus Officii proprii sic narrantur, ut generis ejus ignobilitati non suffragentur; dicuntur enim evenisse, *cùm parvulus ad pedes fabri ligna edolantis, jam literarum inscius luderet*, non verò ad pedes patris fabri. Recitat ibidem Papebrocius Vitam Gregorii VII, à Paulo Beoriedensi Canonico & Præposito Canonicorum Regularium Divi Augustini, circa annum MCXXX editam, & à Jacobo Gretzero primùm publicatam, sed in ea, nec ejus patria, nec parentes nominantur, sed tantùm dicitur Abbatem monasterii Sanctæ Dei Genitricis Mariæ in Aventino monte ejus avunculum extitisse. Edidit & Gretzerus Gregorii VII defensionem scriptam à *Gerhobo* Abbate Reichersperegensi, Sancti *Gebhardi* Salisburgensis Archiep. Epistolam ad Herimannum Metensem Episcopum, alteramque Epistolam *contra Schismaticos* à *Stephano* Episcopo Halsberstatensi exaratam, quæ Opuscula licet Baronius non vidisset, feliciter tamen Sancti Pontificis innocentiam probavit, adeo ut quoad hoc caput nihil ferè nobis dicendum restet. De eo legendus etiam Gretserus.

VIII. *Gregorius VII curat ordinem Romanum in Aragonia recipi.* A num. XXX ad XXXVIII. *Gregorius* VII ipso sui Pontificatùs initio de antiquo Officio sancti Isidori seu Gothico abrogando & Romano in Hispaniam inducendo cogitavit. Hanc in rem *Hugonem Candidum* S.R.E. Cardinalem *Legatum* misit, hicque monachos Cluniacenses à Sancto Hugone Abbate Cluniacensi datos se se comitari voluit. Legatus statim in Aragoniam, ubi *Sanctius Ramirus* regnabat, se contulit, & Episcopos apud Sanctum Joannem Pennatensem congregavit. Hi eo urgente Officium Romanum recepêre operâ Monachorum Cluniacensium, qui jam ritum Romanum in quædam loca introduxerant à tempore Sanctii Majoris. *Sanctium* enim Aragoniæ Regem hoc anno Officium Romanum admisisse, liquet ex Epistola LXIII libri primi Registri Gregoriani, à Baronio anno sequenti num. LVI recitata, in qua illum de Officii Romani admissione congratulatur: *In hoc autem*, inquit, *quod sub ditione tua Romani ordinis officium fieri studio & jussionibus tuis asseris*, &c. *dat. XIII Kal. April. indict. XII*, anno scilicet MLXXIV, ubi rursùs, hac de re sermo erit. Hæc verò à Sandovallio in Regibus Castellæ & Leonis narrata, quibus addendum ideo, ut videtur, Legatum Episcopos apud Sanctum Joannem Pennatensem congregasse, quia eo in monasterio Officium Romanum jam ab anno MLXXI in usu erat, ut non semel suprà ostendimus.

IX. *Giraldus Ostiensis Card. Cabilone Concilium celebrat.* Ad num. XXXVIII & seq. *Giraldus* Cardinalis Episcopus Ostiensis ab Alexandro II Sedis Apostolicæ Legatus directus, Concilium hoc anno *Cabilone* celebravit, in quo *Lancelinum* Episcopum Simoniacum urbis Diensis deposuit, & in ejus locum *Hugonem* Lugdunensem Cameratium communi omnium consensu die XIX mensis Octobris substituit, ut narrat Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi, qui subdit: *Obierat ipso anno Papa Alexander, & substitutus erat unanimi electione cleri & populi Gregorius VII, qui in ipsa Romana Ecclesia sub præfato Pontifice officio fungebatur Archidiaconatûs. Et licet ordinationis & consecrationis ejus Privilegium solis Cardinalibus Episcopis Albanensi, Ostiensi & Portuensi sit commissum, Giraldus iste quia aberat, expectatus non est, sed qui vices ejus exequeretur, subrogatus est. Qui Decanus* (nempe idem Giraldus Ostiensis Episcopus, ideoque primus inter Cardinales Episcopos) *inter cetera electionem Diensis Ecclesiæ innotuit, & Electum ipsum quàmmaxime Paternitati ipsius commendavit.*

X. *Godefridus Dux cum suis Gregorio VII addictus.* Ad num. XLI & seq. *Gothefredus Gibbosus*, Lotharingiæ Inferioris, quæ eadem erat cum hodierna, Dux hoc circiter tempore in Italiam venit, ubi erat *Mathilda* ejus uxor, & *Beatrix* socrus, ad quas Hetruriæ Ducatus pertinebat. Lambertus enim in Chron. ad annum MLXXVII scribit: *Hæc* (nempe Mathilda) *vivente adhuc viro suo* (sc. Gothefredo), *quamdam viduitatis speciem longissimis ab eo spatiis exclusa prætendebat; cùm nec ipsa maritum in Lotharingiam extra natale solum sequi vellet: & ille Ducatûs, quem in Lotharingia administrabat, negotiis implicitus, vix post tertium vel quartum annum semel marcham Italicam inviseret.* Quibus ex verbis Florentinius lib. I. de Rebus ad Mathildam Comitissam spectantibus, rectè collegit, eam anno MLXIX aut insequenti matrimonio cum præfato Gothefredo conjunctam fuisse, & hoc circiter anno *Gothefredum* in Italiam venisse, unde Henricus Rex Saxonum rebellionis occasione eum in Germaniam vocavit, ut hoc anno idem Lambertus narrat. Gregorius, ubi in Pontificem Romanum electus fuit, hoc Beatrici Hetruriæ Ducissæ significavit, literis *Romæ IV Kalend. Maii, indictione undecima* datis, & lib. I ejus Decreti num. IV recitatis. Tum ibidem num. IX referuntur literæ ejusdem Pontificis ad *Gothefredum* Lotharingiæ Ducem scriptæ *Romæ II Nonas Maii, indict. XI.* Denique num. XI recitantur literæ Gregorii VII ad Beatricem & Mathildem ejus filiam. Utriusque Epistolæ partem Baronius exhibet; in iis autem *Gregorius* VII significat, se religiosos Viros ad *Henricum* Regem

SÆC. XI. An. C. 1073.

Regem missurum, quorum admonitionibus eum ad amorem sanctæ Romanæ Ecclesiæ revocare valeat. Hæ ultimæ literæ datæ *Romæ VIII Kalend. Junii indict. XI.*

XI. *Gothofredus Ecclesiæ Mediolan. invasor ab Alexandro II excommunicatur.*

Ad num. XLIII. *Alexander* II Synodum Romanam ordine quintam ante mortem celebravit, in qua *Gothofredum* Ecclesiæ Mediolanensis invasorem damnavit. Hanc Synodum ertio primò ex Arnulpho apud Puricellum lib. 4. de Vita Sancti Herlembaldi cap. 34. ubi de seditione adversùs *Athonem* annò superiori Archiepiscopum Mediolanensem electum excitata, ut ibidem narravimus, verba faciens, inquit: *Unde factum est, ut collecto Romæ Cœtu Pontificum, instante ipso* (Hildebrando nempe, tunc totius Ecclesiæ Romanæ Archidiacono) *Athonem juste prædicaret electum, prostrato anathemate Gothofredo*, & cetera anno superiori recitata. Secundò, Gregorius VII in Epistola XV lib. I. *Kalendis Julii, indict. XI* hoc scilicet anno, ad omnes Christi fideles, in Lombardia data, Gothofredi invasione narrata, ait: *quod audiens S. Romana Ecclesia Mater vestra, & totius Christianitatis, sicut scitis, magistra, congregato è diversis partibus Concilio multorum Sacerdotum, & diversorum ordinum consensu, fulta B. Petri Apostolorum Principis auctoritate, Gothofredum fidei Catholicæ & legis Christianæ inimicum excommunicavit.* Ubi Gregorius VII loquitur de Synodo Romana V ab Alexandro II habita, neque dicit, ut in hujus Epistolæ inscriptione Registri Gregoriani Collector perperàm interpretatur, se *Gothofredum* excommunicasse, sed id ab Ecclesia, ab Alexandro nempe II, factum esse. Quomodo enim Gregorius, qui hoc anno die XXIX mensis Junii Pontifex Romanus ordinatus est, ante diem primum mensis Julii, quo ea Epistola data, *è diversis partibus* Concilium *multorum Sacerdotum* congregare potuisset? Denique primum Concilium Romanum à Gregorio VII anno tantùm sequenti coactum, ut inter omnes convenit. *Quintum* hoc Concilium *Romanum* sub Alexandro II hactenus incognitum fuerat.

XII. *Iterum anno sequenti à Gregorio excommunicatur.*

Quoad *Athonem* anno superiori Archiepiscopum Mediolanensem electum, versabatur is Mediolani, quando *Gregorius* VII Pontificatum iniit, qui cùm ejus causæ patrocinium suscepisset, eam felicem exitum habituram *Atho* speravit: *In quo* (Gregorio nempe, inquit Arnulphus apud Puricellum lib. 4. de Vita S. Herlembaldi cap. 37.) *revixit Athonis illicò spiritus; adeo ut Romam pergens illius se se subderet contubernio. Ipse autem* (Gregorius) *cùm in priori radicitus inhæreret proposito, indicta Romæ generaliter Synodo cum suis sectatoribus Gothofredum excommunicavit*, in prima nempe Synodo Romana anno sequenti habita. *Gregorius* ante suam consecrationem jam literas dederat ad *Beatricem* & *Mathildem* ejus filiam adversùs *Gothofredum*, ejusque fautores, ut videre est lib. I Reg. Epist. XI, & ad Guillelmum Episcopum Pataviensem, ibidem Epist. XII, neque cessavit, quos in Longobardia amicos habebat, adversùs *Gothofredum* sollicitare, ut liquet ex Epistola XV lib. I, & ex Epistola Henrici Regis ad Gregorium data, & à Baronio hoc anno num. XLIV recitata. Licet enim ea nullo temporis charactere insignita sit, citatur tamen in Epistola XXV lib. I. ad Herlembaldum militem *V Kal. Octob.* data, ideoque & anno suo à Baronio reddita, Legantur etiam Epistulæ ad Herlembaldum, ordine XXVI, ad Albertum Aquensem Episcopum, ordine XXVII, & ad Guillelmum Papiensem Episc. ordine XXVIII. Arnulphus postquam asseruit, *Gothofredum* in eo Concilio Romano à Gregorio anathematizatum esse, subdit: *Cumque ad liberum consuevisset*, (scilicet Gregorius) *multa disponere, coram omni cœtu præsentem laudavit Athonem, absque nutu Regio, absente quoque Ambrosiano Clero ac populo; unde inter ipsum & Cæsarem videtur ortum hac lite manente dissidium, non illius quidem damnatione, sed nova hujus & absque dato Regis consensu electione.* Quæ uno tenore dicta sunto; cùm Concilium Romanum I sub Gregorio ad annum sequentem pertineat. *De Tedaldo* adversùs Athonem Henrici Regis operâ anno MLXXV electo, cujus meminit Baronius num. XLVI, commodiùs suo loco agetur.

XIII. *Ecclesia Africana dissidiis lacerata.*

A num. LXIV ad LXVII. Licet *Carthago* seculo septimo à Saracenis mœnibus nudata fuisset, suos tamen semper incolas habuerat, ex quibus non pauci Christiani erant, quibus hoc tempore præerat Archiepiscopus *Cyriacus* appellatus, qui cùm à suis apud Saracenos accusatus fuisset, *verberibus nudus* cæsus est, & tanquam latro habitus. Quod cùm accepisset *Gregorius* VII scripsit ad eos Epistolam XXII libri primi, hortatusque est ad pœnitentiam eisque excommunicationem minatus est. Data ea Epistola Capuæ *XVII Kalendas Octob. indict. XII.* Eodem die Epistolam XXIII ejusdem libri ad *Cyriacum* Carthaginensem Episc. dedit, ejusque constantiam laudavit, quòd Saracenorum & malorum Christianorum injurias patienter tulisset. Parebat tunc *Carthago* Regi Africæ Minoris è secta Saracenorum, qui à *Tabarca* Tripolim usque dominationem suam extendebat, & qui hoc tempore regnabat, *Temimus* nuncupabatur, & Principatum inierat anno Hegiræ CCCCLIII, Christi scilicet MLXI, ut discimus ex Novairio Arabe. Ejus Successores ad medium seculum duodecimum ditiones suas conservarunt.

XIV. *Imperium Orientale ad summas angustias redactum.*

Ad num. LXXXII & seqq. Imperium Orientale per hæc tempora intestina mala opprimebant, illudque *Turci* iis malis vexabant, quæ quotidie aucta nulla ex parte remittebantur. Normanni Duce *Roberto* varia Italiæ loca in suam potestatem redigebant, &, ut inquit Curopalates, *cùm sub Michaele imperium negligenter ac pueriliter administraretur, ut stabiles domini à mari usque ad mare & Longobardiam & Calabriam sibi subegêre, eaque distributa & opibus divisis, se Comites, Robertum verò Ducem appellarunt* (sed hæc ante Michaelis imperium gesta.) *Michael autem non solum non retinuit regionem quæ ad se pertinebat, sed ut ipsos Turcos ex oriente expelleret, existimavit sibi faciendum esse, ut cum ipsis fœdus percuteret, & ipsorum ope ac societate, Turcorum temerarium in regionem Romanorum incursum coerceret. Quare etiam affinitatem cum Roberto contraxit, ejusque filiam Helenam despondet filio suo Constantino: volebat hac ratione Imperator finem aliquem rebus imponi, sed à Deo prohibitus est, qui jam pridem decreverat Orientis perniciem & eversionem.* Quam affinitatem Normannos inter & Imperatorem anno MLXXVI contractam refert Lupus Protospatarius.

XV. *Ab hostibus devastatum.*

Præterea, ut habet Bryennius initio lib. 3. *postquam*

quam Cæsar (nempe Joannes Michaelis Imp. patruus) *inclytum vitam in monasticam professionem mutavit, Imperator Michael curis innumerabilibus conflictabatur, Scythis quidem Thraciam & Macedoniam incursantibus, Slavorum verò gente jug m Romana dominationis excutiente, & Bulgariam rapinis atque incendiis agente, ferenteque. Scupi quoque & Naisus vastabantur: quin ipsum etiam Sirmium, & quæ circa Sagiam amnem sita sunt oppida, quæque ad Istrum jacent civitates graviter laborabant. Inde rursus Thorobati* (hodie Croatæ appellati) *& Dioclenses rebellantes universum Illyricum infestabant.* Eamdem in rem scribit Zonaras: *Tertio anno imperii illius gens Crabatorum, quos nonnulli Servios vocant, Bulgariam occupare aggressa est, ac quædam loca cepit, sed multis præliis fractis, multis utrimque cæsis, tum iis excidit, quæ tenuerat, tum devicta, & Romana ditione expulsa, in suas redire sedes coacta est.*

XVI. *Zuonimirus fit Dalmatiæ & Croatiæ Rex.*

Cresimirus Dalmatiæ & Croatiæ Rex adhuc hoc anno regnabat, ut ostendit Lucius lib. 2. Historiæ Dalmatiæ & Croatiæ cap. 10. ex quodam Instrumento publico, sed eo anno incerto demortuo dissensiones in eo Regno exiitere, tandemque *Zuonimirus* illud obtinuit, ejusque investituram anno MLXXVI à Gregorio VII, ut eo anno ostendemus, accepit.

Anno Æræ Hispan. MCXII. Anno Hegiræ CCCCLVII inchoata die 27. Aug. fer. 4.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6567.

☉ 19. E. ☽ 11. P. 20. April. Indict. 12.

JESU CHRISTI 1074.

GREGORII VII PAPÆ 2.

HENRICI IV REG. 19.

MICHAELIS DUCÆ IMP. 4.

I. *Divortium Mathildis Comitissæ cum Gothefredo Duce.*

AD Num. XI ad XXXVI. *Agnes* Henrici Regis mater, *Beatrix* Gothefredi Barbati Lotharingiæ Ducis vidua, & *Mathildis* ejus filia *Gothefrido Gibboso* Barbati filio nupta Romanam Ecclesiam graviter hoc tempore afflictam magnâ constantiâ tutatæ sunt, indeque Gregorius VII eas in suis literis à Baronio hoc anno recitatis summopere laudat. Num. XI Baronius refert ejusdem Pontificis Epistolam, quæ extat lib. I Epist. XL Decreti Gregoriani, ad Mathildem datam, qua eam hortatur, ut cum Beatrice matre ad limina Apostolorum veniat. Hæc Epistolæ inscriptio: *Gregorius*, &c. *Mathildi egregiæ indolis puellæ salutem & Apostolicam benedictionem*, titulum *puella* loco virginis positum esse arbitratur Baronius. Quod num. XXIII & seq. confirmat ex Epistola ejusdem Pontificis lib. IV Epist. II ad Herimannum Metensem Episcopum *mense Augusti indict. XIV*, anno scilicet MLXXVI, data, in qua legitur: *de Mathilda verò communi nostra filia, & beati Petri fideli ancilla, quod vis, volo. Sed in quo statu sit mansura, Deo gubernante adhuc certum non teneo. Godefredi autem quondam illius viri indubitanter scias, quod frequenter apud Dominum, licet peccator, habeam memoriam; quia non me illius inimicitia, vel aliqua impedit vanitas*, &c. Quibus ex verbis Cardinalis doctissimus deducit, Mathildem facto cum Gothefredo viro suo divortio innuptam remansisse, & Gregorium præfatum Præsulem de ipsius Mathildis statu consulere, ac insinuare Gothefredum aliquando ejus maritum fuisse, *sed jam non amplius esse.* Subdit autem num. XXV: *Quænam autem causæ divortii intercesserint, Scriptorum ejus temporis reperi neminem, qui significent.*

II. *Fictitium est.*

Verùm non solùm nullus Antiquorum hujusmodi divortii meminit, sed etiam Lambertus, qui hoc tempore vivebat, postquam anno MLXXVI asseruit, Gothefredum Gibbosum *IV Kalend. Martii* vitâ decessisse, anno MLXXVII loquens de Gregorii VII profectione Germanica ait: *Româ egressus est, & quantum poterat profectionem accelerans, statuto die præsto esse satagebat, Ducatum ei præbente Mathildâ, derelictâ Ducis Lotharingorum Gozelonis, filiâ Bonifacii Marchionis & Beatricis Comitissæ. Hæc vivente adhuc viro suo, quandam viduitatis speciem longissimis ab eo spatiis exclusa prætendebat, cùm nec ipsa maritum in Lotharingiam extra natale solum sequi vellet, & ille Ducatûs, quem in Lotharingia administrabat, negotiis implicitus, vix post tertium aut quartum annum semel marcham Italicam inviseret: post cujus mortem Romani Pontificis lateri pene comes individua adhærebat, eumque miro colebat affectu.* Illud itaque divortium planè fictitium, & Gregorius VII Mathildem *egregiæ indolis puellam* appellans, eam conjugatam non fuisse minimè innuit; sed eam ætate juniorem significat. Hanc apud Virgilium 2. Æneid. legitur *innuptæ puellæ*, apud Horatium 3. Carm. Ode 22. *laborantes utero puellæ*, idest, prægnantes. At, inquit Baronius num. XXII, *Mathildis*, quæ juxta Domnizonem in ejus Vita anno MXLVI in lucem prodiit, nata erat hoc tempore annos XXVIII, ideoque hoc nomen non ætatis, sed integritatis fuit. Verùm in variis hujus Criticæ locis ostendimus, viros & mulieres etiam tricesimum ætatis annum excedentes à Scriptoribus *juvenes* vocari, & Lactantium in lib. de Mortibus Persecutorum de Constantino Magno annum ætatis tricesimum excedente, cap. 29. loquentem scribere: *Credidit adolescens ut perito ac seni*, scilicet Maximiano Herculio Imp. Quoad alteram Gregorii VII Epistolam ait Pontifex, se *Godefredi quondam illius viri* habere memoriam, quia *Godefredus* mense Februario anni MLXXVI mortuus est, & Epistola illa post menses sex ab illa morte scripta. Imò ipsemet Baronius an. MLXXVI num. XXXVIII, ea verba de *Godefredi* morte rectè interpretatus est. Illud ergo divortium omnibus Antiquis incognitum nunquam factum fuit.

III. *Mathildis uxor Azonis Marchionis diversa à Mathilde Comitissa.*

Nupsit postea *Mathildis* Welphoni juniori filio Welphonis Bajoariæ Ducis, cogente Urbano Papa, ut Catholici Henrici Regis tyrannidi resistere possent, quod suo loco videbimus. Fuêre quidem qui post *Gothefredi Gibbosi* obitum Mathildem *Azoni* Marchioni Estensi, nuptam fuisse tradidêre. Verùm Baronius num. XXVI & seqq. commentum illud penitus dissipavit, demonstravitque *Mathildem* illam, quæ primùm *Guidoni Azonis* consanguineo copulata fuerat, diversam esse à *Mathilde* Beatricis filia, & in literis Gregorii VII de quatuor ejusdem nominis fœminis mentionem haberi. Addit Fiorentinius in Comment. Rerum ad Mathildem Comitissam spectantium lib. 1. hanc opinionem, quæ ante Baronium communis erat, planè absurdam esse; cùm alioquin *Mathildis* Comitissa, de cujus pietate dubium esse

SÆC. XI. An. C. 1074.

esse non potest, uno eodemque tempore & cum *Gothefredo* anno tantùm MLXXVI demortuo, & cum *Azone* Marchione matrimonio conjuncta fuisset, quod planè ridiculum.

IV. *Decreta in primo Concilio Romano sub Gregorio VII.*

A num. XXXVI ad num. XLI. In Vita Gregorii VII à Paulo Bernriedensi scripta, cap. 4. refertur ejusdem Pontificis Epistola ab eo ad *Ottonem Constantiensem Episcopum* data, cui significat quæ in Synodo Romana hoc anno celebrata constituta fuerint. Ea quidem in Registro Gregorii VII non legitur; sed id mirum videri non debet; cùm in ea Collectione aliæ desiderentur, ex quo inferre licet, uti & ex quibusdam aliis à me observatis suis locis illam longè post ejusdem Pontificis mortem factam. Gregorius VII Pontificatûs sui tempore decem Romæ Concilia celebravit, contigitque aliquando, ut quæ in uno decreta, à Scriptoribus alteri attributa fuerint ut patet de secundo anno sequenti habito, quod Hugo Flaviniacensis, hujus temporis Scriptor, cum priori confudit, ut suo loco videbimus. Præcipua capita hujus primæ Synodi Romanæ memorat Gregorius VII in laudata Epistola ad Ottonem, quæ extat etiam in fronte Apologetici *super Decreta, quæ venerabilis Papa Gregorius ejusdem nominis septimus in Romana Synodo promulgavit contra Simoniacos & incontinentes altaris ministros*, ab Auctore Anonymo coævo compositi, & à Labbeo Tom. X Concil. pag. 315. & seqq. recitati. Constat Apologeticus ille capitulis XXIV, in quibus Auctor egregiè ostendit, Gregorium VII in iis, quæ in hac prima Synodo Romana statuit, nihil à Sanctis Patribus deviasse, ideoque malè ac perniciosè aliquos obstinato animo eisdem resistere, *ut & ipsi prædictas authenticas sanctiones contemnant, & suam consuetudinem jucundissimam quidem, sed perniciosissimam retinere contendant.* Tum cap. 5. per ordinem digerit statuta in eadem Epistola ad Ottonem Constantiensem Episcopum à Gregorio VII indicata: *Horum illud erat primum*, inquit Apologista, *ut Clerici aliquem sacrorum ordinum gradum & Officium per pretium adepti, nullatenus deinceps in Ecclesia ministrent. Secundum, ut Ecclesiam pretii acquisitam nullus retineat, nec alicui deinceps Ecclesiæ jura vendere vel emere liceat. Tertium, ut à Clericali officio cessent, quicumque se pro incontinentia reprehensibiles exhibent. Quartum, ut populus Clericorum officia nullatenus recipiat, quos Apostolicas institutiones contemnere videat.*

V. *Sacerdotes simoniaci & concubinarii tumultuantur adversùs Synodum Rom.*

Refert hæc summatim Marianus Scotus in Chronico hoc anno, additque: *Unde & de prædicta Synodo Legati Papæ missi ad Henricum Regem Romanorum, idest duo Episcopi, cum Regina ejusdem Regis matre & universali Synodo, coram Rege, communi omnium Episcoporum interdictu, fœminas separarunt à Clericis, & maximè à Presbyteris: & voluerunt esse in Pascha cum Rege in civitate Babemberga, nec cibum, vel societatem Hermanni ejus civitatis Episcopi habere, qui etiam Episcopatum comparavit.* Lambertus verò in Chronico à Baronio num. XXXVIII laudatus: *Adversus hoc decretum*, inquit, *protinus vehementer infremuit tota factio Clericorum, hominem planè hæreticum & vesani dogmatis esse clamitant*, &c. En à quibus Sanctissimus Pontifex hæreticus appellatus fuit, à Sacerdotibus nempe & Episcopis conjugatis vel concubinariis, qui clamabant *malle se Sacerdotium, quam conjugium deserere*, subjungit idem Lambertus. Profectò si Gregorius VII tempora nactus fuisset, quibus Italia & Germania ab Imperatoribus reformationis abusuum, qui inoleverant, cupidissimis, regebantur, Sacerdotum conjugia, aliaque hujusmodi propudia citò finem invenissent.

VI. *Calumnia Sigeberti adversùs Gregorium VII.*

Calumniatus est etiam Gregorium VII Sigebertus in Chron. ad annum MLXXIV, vir partibus Henricianis addictissimus, qui hoc tempore vivebat. Ait enim: *Gregorius Papa celebrata Synodo simoniacos anathematizavit, uxoratos Sacerdotes à divino officio removit, & laicis Missam eorum audire interdixit, novo exemplo, & (ut multis visum est) inconsiderato præjudicio contra sanctorum Patrum sententiam, qui scripserunt quod sacramenta quæ in Ecclesia fiunt, baptismus scilicet, Chrisma, Corpus & Sanguis Christi, Spiritu sancto latenter operante eorundem sacramentorum effectum, seu per bonos seu per malos intra Dei Ecclesiam dispensentur*, &c. Verùm non statuit Gregorius VII, ut Sacramenta per Sacerdotes conjugatos vel concubinarios confecta nulla sint, sed ne Christiani Missas ipsorum audiant, ut publico contemptu ad uxores dimittendas compellantur: *Statuimus etiam*, inquit ipsemet Gregorius VII in laudata Epistola ad Ottonem Constantiensem Episc. *ut si ipsi contemptores fuerint nostrarum, imò SS. Patrum constitutionum, populus nullo modo eorum Officia recipiat, ut qui pro amore Dei & Officii dignitate non corriguntur, verecundiâ seculi, & objurgatione populi resipiscant.* Divus Anselmus in Epistola ad Willelmum Abbatem Hirsaugiensem data, primum publicata à Tengnagelo in sua Collectione anno MDCXII, rursumque typis edita è Gerberone in editione Operum Sancti Anselmi, accuratè Gregorii VII mentem explicat. Puricellus quidem in lib. 4. de Vita Sancti Herlembaldi suspicatur, hanc Epistolam non esse Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, sed Anselmi Episcopi Lucensis, quod neque in veteribus illius editionibus, neque in Coloniensi anno MDCXII curata reperiatur. Verum vana hæc conjectura; cùm Tengnagelus eam Epistolam anno MDCXII, cùm jam editio Coloniensis absoluta esset, è tenebris eruerit. Porrò scitè notat Puricellus Willelmum, cui ea Epistola inscripta, eum esse cujus meminit Trithemius in Chronico ad annum MLXXVI: *Ad hoc Concilium malignantium*, inquit, *Guillelmus Abbas Hirsaugiensis vocatus ire contempsit; quippe qui Vicarium Christi* (nempe Gregorium) *sanctum & innocentem noverat.* Hic obiter notabo, deceptum Bellarminum lib. 1. de Clericis cap. IX, quando ait: *Tempore Gregorii septimi in Germania cœperunt Sacerdotes uxores ducere*; non solùm enim in Germania; sed & in Italia, Gallia, & Hispania & Anglia, & quidem longè ante Gregorii VII tempora, ut ex dictis liquet, prava hæc consuetudo invaluerat. Sed nostri instituti non est in hujusmodi immorari.

VII. *Herlembaldus Mediolanensis adversùs Gothofredum invasorem.*

Huc revocanda quæ anno superiori de tumultibus in Ecclesia Mediolanensi hoc anno excitatis diximus, & hæc illis ex Arnulpho lib. 4. cap. 3. apud Puricellum lib. 4. cap. 48. addenda: *Præterea*, inquit, *dum Gothofredus Brebiæ solùm immoraretur præsidio*; *Atho* (adversùs eum Archiepiscopus Mediolanensis electus)

propria neglecta domo ac patria, Romæ degebat, tantummodo assiduis Papæ mancipatus obsequiis. Cui Herlembaldus apud Mediolanum totis favebat viribus, die noctuque laborans, datis etiam ac promissis muneribus. Insuper omne collegium Gothofredi flammis ac ferro persequebatur. Interim nihil intentatum, juxta posse, relinquens; præsertim cùm nec Regiæ potestati, nec suorum parium, aliorumque multorum cederet ullo modo voluntati, Romana tantum fretus atque contentus fiducia, ad hoc etiam prorumpens, ut Ambrosianæ consecrationis Episcopos blasphemaret; asserens Apostolicè excommunicatos, quorum omne reprobat officium. Unde fuit quod sancto Pentecostes sabbato fieri prohibuit in urbe Baptisma. Postea verò (anno scilicet MLXXV) *Chrisma sacrum quod unus illorum* (videlicet Episcoporum à Sede Apostolica excommunicatorum) *Dominicæ Cœnæ mysterio Metropolitanæ direxit Ecclesiæ, sicut mos est deficiente Pontifice,* (Gothofredus enim invasor habebatur) *profusum humi coram omni populo calcibus proculcavit, suum producens in medium; à quo confectum, vel unde venerit, incognitum; ac sic postposita sabbati illius authentica* (Sabbati nempe Magni & Sancti) *apparatibus tradita prærogativa, sextâ in Albis feriâ suum fecit celebrari Baptisma. Unde contigit, ut Paschale gaudium suum nesciret lavacrum, ac multò pòst tempore plures Catechumeni Baptismi carerent gratia. Quo errore involvitur plurima populi multitudo, partim simplici oculo, partim seducta pretio, partim impunitate, quæ patraverat, scelerum. Ab ipso enim excidio quicumque scelestus illius adhærebat consortio, charus & insons habebatur ab illo. Quamobrem Patarinorum intantum excrevit numerus atque virtus in pagis & oppidis, ac quibusdam, Duce ipso* (nempe Herlembaldo)*, ut suorum omnium videretur dominari concivium.* Quibus ex verbis magis confirmatur quod anno MLVII diximus, *Patarinorum* nomen datum primùm fuisse Sanctis Arialdo & Herlembaldo castitatis Sacerdotalis defensoribus. Jam monui, Arnulphum in iis, quæ habet de Ecclesiæ Mediolanensis turbis, usque ad caput 8. libri quarti, favere Schismaticis, sed tunc ab errore reversum sine ullo partium affectu res narrare.

VIII. *Robertus Calabriæ Dux quo anno ab excommunicatione absolutus.*

A num. XLI ad XLIV. Baronius refert, *Robertum* Apuliæ & Calabriæ Ducem in Synodo Romana hoc anno celebrata à Gregorio VII excommunicatum fuisse, quod, ut habet Leo Ostiensis lib. 3. cap. 44. *Beneventum* Pontifici ditionis urbem obsidione cinxisset, cùm tunc *Richardus* Capuæ Princeps Roberti frater Neapolim obsidere cœpisset. *Ricardo* demortuo *Jordanes* ejus filius successit, ut inquit idem Leo, ubi Librarii errore legitur, *successit ei Jordanis filius.* His narratis Baronius scribit, *Robertum* anno tantùm MLXXX à Gregorio VII excommunicatione solutum esse; quod & eo Christi anno iterat. Verùm anno MLXXVII Gregorius VII, & Robertus Dux fœdus adversùs Henricum Regem sanxêre, ut eo Christi anno ostendemus; ideoque quæ Leo Ostiensis citatus de absolutione Roberti refert, anno MLXXVII contigêre, ut mox ostendam. Leo itaque morte Richardi & Jordanis filii successione narratis, subdit: *Inde inter Ducem* (Robertum) *ac Principem* (Jordanem) *orta dissensio est. Princeps enim Gregorio favens, acceptis à Beneventanis quatuor millibus quingentis Byzantiis, castra quæ Dux ad urbis* (nempe Beneventi) *expugnationem instruxerat destruens, cum omnibus Apuliæ Comitibus adversùs eum conspirat,* &c. *His compertis Desiderius Pater* (Abbas nempe Casinensis & Cardinalis) *Ducem adiens, eum quæ passi sunt rogare instituit. Cujus monitis Robertus obtemperans, pacem cum Principe facit. Inde Dux exercitum movens castrum, quod Monticulus dicitur, cepit: & alia iisdem castella quinque belli jure quæsivit. Interea Desiderius ægerrimè ferens Ducem à matris Ecclesiæ gremio diutiùs exulem agi: profectus Romam Gregorium orare cœpit, ut Ducem ab anathematis vinculo solveret. Quod cùm impetrasset pacis amator Desiderius, ad Ducem cum Cardinalibus pergens, eum à sententia excommunicationis absolvit,* sed post Synodum secundam Romanam anno sequenti coactam in qua iterùm Robertus Anathematizatus est, ut eo anno num. XI apud Baronium videre est. Certè Leo Ostiensis, qui lib. 3. cap. 44. de excommunicatione Roberti Ducis, ejusque absolutione uno tenore agit, statim capp. 45. & 46. recitat quæ *Gregorius VII* adversùs invasores monasterii Casinensis in Concilio Romano V anno MLXXVIII congregato statuit, quæ Baronius eo anno num. XXII & seq. cum eo Concilio accuratè alligat, ideoque tam excommunicatio Roberti, quàm ejus absolutio à Leone cap. antecedenti narratæ, illum Christi annum & Concilium Romanum V præcessêre.

IX. *Aquino Ecclesiæ reconciliatur.*

Porrò *Robertum* anno tantùm MLXXVII à Gregorio VII in communionem fidelium restitutum fuisse, non verò anno anteriori, demonstrat Epistola XI Gregorii VII libri III *data Romæ II Idus Martii, indict. XIV,* anno scilicet MLXXVI, in qua Gregorius ait: *Si Dux Robertus S. Romanæ Ecclesiæ sicut filius parere exorat, paratus sum paterno amore eum suscipere, & ab excommunicationis vinculo penitus absolvere, & inter divinas oves eum annumerare.* Tum in Epistola XV ad Wifredum Mediolanensem militem eadem indictione data, scribit: *Scias Normannos verba componendæ pacis nobiscum habere,* &c. *Sed Deo auxiliante, hoc non cum detrimento, sed cum augmento Romanæ Ecclesiæ in proximo speramus facere, & eos ad fidelitatem B. Petri firmiter & stabiliter revocare.* In Actis Pontificalibus Gregorii VII à Centio Camerario scriptis, & in Actis Bollandianis ad diem XXV Maii recitatis cap. 2. narrato Conventu Forcheimensi Idibus Martii anni MLXXVII coacto Roberti absolutio his verbis refertur: *Interea venerabilis Pontifex, receptis nunciis Roberti Guiscardi, egregii Normannorum Ducis, versùs Apuliam post Octavas Pentecostes iter arripuit, & cum ipso apud Aquinum colloquium habuit. Congrua itaque ab eo satisfactione suscepta, priùs à vinculo excommunicationis eum absolvit, & consequenter fidelitatem & homagium ejus recepit. Postmodum verò, jam assumtum in specialem B. Petri militem, de totius Apuliæ & Calabriæ Ducatu, per vexillum Sedis Apostolicæ investivit.* Tum *Aquino* Pontifex *Beneventum* profectus, fœdus cum eodem Roberto pepigit, de quo anno MLXXVII sermo erit. Mense Octobri anni MLXXVI *Robertum* nondum in gratiam Pontificis rediisse, demonstrat hujus Epistola VII libri IV ad aliquos Mediolanenses *data Romæ secundo Kalendas Novembris indict. XV,* in qua ait: *Hinc*

bona

bona Ecclesiæ Normanni multoties perjuri conantur auferre, &c. *sed confidimus in domino, qui superbiam Normannorum paulo ante sub manu nostra subſtravit, quod adversùs Apoſtolicam ſedem non diu prævalebunt.*

X. *Officium Romanum in Regnis Castella Legionis & Navarra admittè Gregorius VII petit.*

Ad num. LVI ad LXII. Officium Romanum facile ab Aragonenſibus admiſſum fuit, rem promovente *Sanctio* Rege hujus nominis primo, non verò quarto, ut perperàm habet Baronius, qui Epiſtolam ordine LXIII libri primi à Gregorio VII huic Regi datam num. LVI recitat. Data ea Romæ *XIII Kal. Aprilis, indictione XII.* Verùm illud Officium majori cum difficultate ab aliis Hiſpaniarum Regibus admiſſum, ut patet ex Epiſtola Gregorii VII, LXIV libri primi ad Alphonſum Legionis & Caſtellæ, & Sanctium Navarræ Reges *data Romæ XIV Kalendas Aprilis indictione XII*, & à Baronio num. LIX relata, qua Pontifex utrumque hortatur, ut demum Romanam Eccleſiam ut matrem recognoſcant, & Romanæ Eccleſiæ ordinem & Officium recipiant. Recitat eam Baronius omiſſa ſubſcriptione, & quia ea inſcripta *Alphonſo & Sancio Regibus Hiſpaniæ à paribus* exiſtimat, hunc *Sancium* fuiſſe Aragoniæ Regem non advertens errorem Collectoris Regiſtri Gregoriani, qui *Sanctium* Aragoniæ Regem pro *Sanctio* Navarræ Rege ſumſit. Cur enim Pontifex *Sanctium* Aragoniæ Regem hortatus fuiſſet, ut Officium Romanum reciperet, cùm id jam ab eodem *Sanctio* peractum eſſet, Romæque ſignificatum, ut ex ejuſdem Gregorii Papæ Epiſtola, XIII Kal. Apul. indict. XII data evidenter patet. Hi itaque Reges alii non ſunt, quàm *Alphonſi VI*, Caſtellæ & Legionis Rex, & *Sanctius IV* Navarræ & Naiaræ Rex, *Garzeis*, & *de Penalen* cognominatus. Nec minus fallitur Sandovallius, qui in Vita *Sanctii Samora*, ob hæc verba, *à paribus*, duos fratres intelligit, *Sanctium* nempe *Samoram*, & *Alphonſum VI*, indeque concludit, ſe quò ſe vertat neſcire. Verùm hæc difficultas Virum in Hiſtoria Hiſpanica adeò exercitatum irretitum tenere non debuit; ſi enim ibi ſermo eſſet de duobus fratribus, *Gregorius VII* Sanctium, utpote majorem natu, primo loco nominaſſet, non verò Alphonſum. Hæc itaque Epiſtola malè ad Sanctium Alphonſi fratrem jam à biennio demortuum à Sandovallio refertur.

XI. *Episcopatus Ocensis seu Aucensis diversus ab Oscensi.*

Baronius num. LIX prætermittit hæc verba ejuſdem Epiſtolæ LXIV libri primi: *depoſitionem & excommunicationem, quam Geraldus Oſtienſis Epiſcopus cum Rembaldo in Munionem Simoniacum, qui ſuper Simeonem venerabilem fratrem noſtrum Oſcenſem Epiſcopum ordinatus erat, ratam eſſe decrevimus atque firmavimus.* Ubi tamen loco, *Oſcenſem Epiſcopum*, legendum, *Ocenſem Epiſcopum.* Oſca enim, vulgò *Hueſca*, hoc tempore in Maurorum poteſtate erat, nullumque Epiſcopum habebat, ſed Aragoniæ Epiſcopus *Jacca* ſedebat, *Sanctiuſque* appellabatur, ut videre eſt apud Baronium anno MLXXV num. IX, ubi dicitur, hunc coadjutorem à Gregorio VII poſtulaſſe, ſed repulſam tuliſſe. At *Ocenſis* Epiſcopus hoc tempore erat *Scemeno*, dictus etiam *Simeon*, cujus varia Acta exhibet Sandovallius in Regibus Caſtellæ & Leonis. Cùm autem Civitas *Oca* appellata, à Saracenis Seculo VIII everſa fuiſſet, ejuſque Epiſcopus certam ſedem non haberet, ſe Epiſcopum *Caſtellæ* quandoque appellabat, quo nomine *Scemeno* ſubſcriptus reperitur in Teſtamento *Pelagii* Epiſcopi Legionenſis. *Urraca & Elvira* Ferdinandi M. filiæ quamdam Eccleſiam civitati Burgenſi vicinam Scemenoni Epiſcopo dedêre, *ad innovandam ſedem Epiſcopalem, quæ priùs apud Aucenſem urbem noſcitur fuiſſe conſtructam, & à Saracenis deſtructam, Erâ MCXII*, currenti ſcilicet Chriſti anno. *Occam, Aucam* etiam dictam, videre eſt Tom. V Concil. edit. Labbeanæ pag. 892. ubi uterque Epiſcopatus in Notis Garſiæ Loyaiſæ egregiè explicatur. *Alphonſus VI* anno ſequenti *Aucenſem* Epiſcopatum in urbem Burgenſem tranſtulit, ſanxitque, ut in *Caſtella* omnibus aliis honorabilior eſſet, & Urbanus II eum exemit à Juriſdictione Metropolitæ Tarraconenſis & immediatè Sedi Rom. ſubjecit.

XII. *Tres Hispaniæ Reges Sanctii dicti inter se non confundendi.*

Ex dictis apparet, his temporibus tres in Hiſpania Reges fuiſſe *Sanctii* nomine appellatos, nempe *Sanctium* Ferdinandi M. filium natu majorem, *Samoram* vulgò dictum, qui patri in regnum Caſtellæ ſucceſſit, annoque MLXXII in obſidione Zamoræ periit. Præter iſtum Sanctium vivebat hoc tempore *Sanctius* Aragoniæ Rex, qui anno ſuperiori Officium Romanum in Regno ſuo recepit, annoque MLXXVI, ut ibidem videbimus, regnum etiam Navarræ obtinuit. Alius *Sanctius* ab utroque diverſus regno Navarræ præfuit uſque ad annum MLXXVI, & ad iſtum ultimum Sanctium Gregorius VII ſcripſit Epiſtolam laudatam LXIV libri primi. Sed cùm Baronius hanc Epiſtolam *Sanctio* Caſtellæ Regi datam putaret, ex iſto errore in alium abreptus eſt, exiſtimavitque eos Scriptores deceptos, qui memoriæ prodidêre *Sanctium* Caſtellæ Regem ante currentem annum peremptum eſſe, & *Alphonſum* fratrem ſolum regnaſſe; cùm tamen hoc extra omne dubium eſſe debeat. Quæ itaque Baronius num. LXI in medium adducit, ex Vita Sancti Hugonis Cluniacenſis Abbatis, de iis, quæ paſſus eſt Alphonſus Rex Legionis à Sanctio fratre Caſtellæ Rege, non poſſunt non contigiſſe ante annum MLXXII, cùm eo Chriſti anno *Sanctius* interfectus fuerit. Quæ ad majorem claritatem Annalium hîc prætermittenda non fuêre.

XIII. *Sanctius Aragoniæ Rex S. Sedi Apostolicæ addictissimus.*

Porrò *Sanctius Ranimirus*, qui non tantùm Aragoniæ, ſed etiam Navarræ, Suprarbiæ & Ribarcorciæ temporis proceſſu Rex fuit; paucos poſt annos, cùm jam è Suprarbia & Ribacorcia univerſos Mauros expuliſſet, *foros* ſuos condidit; quo nomine Hiſpanici deſignabant conſuetudines municipales, *foros* ab illis appellatas, quod jura contineant in foris ſeu judiciis uſurpari ſolita, ut videre eſt apud Ducangium in voce *forus*. In harum legum Præfatione dicitur, conſultum fuiſſe *Apoſtolicum Ildebrandum & Longobardos*, quorum leges magni hoc tempore in Italia fiebant; *Sanctium* verò *Ranirum* Gregorium VII magna veneratione proſecutum fuiſſe, innumera monumenta, præſertimque Epiſtola Petri Aragoniæ Regis filii ejus ad Urbanum II Papam data, & in libro Gothico apud Sanctum Joannem Pennatenſem conſervata, demonſtrant: *Præſertim*, inquit Petrus Rex, *cùm pater meus, veſter fidelis*, &c. *Romani Pontificis ſe ipſum dominatus ſubdiderit, atque etiam ſingulis annis ex cenſu quingentorum aureorum ſe ſe tributarium, à temporibus Papæ Gregorii uſque ad obitum ſuum, fideliter exhibuit.*

XIV. *S. Wulstanus*

Ad num. LXVI. Sanctum *Wulſtanum* in Wigor-

in Episcopatum restituunt.

Wigorniensem Episcopatum in Concilio apud Westmonasterium anno MLXX habito restitutum fuisse, & Guillelmum Westmonasteriensem, qui illud in præsentem annum differt, hallucinatum, anno MLXXII ostendimus. Quare videnda quæ ibi diximus.

XV. *Otto Episc. Constantiensis fautor Sacerdotum fornicariorum.*

Otto Constantiensis Episcopus, ad quem vidimus Gregorium VII gesta in Concilio Romano contra Presbyteros Simoniacos & fornicarios misisse, decretis salutaribus insultavit, ut Auctor Vitæ Gregorii VII laudatus cap. 4. testatur, probatque ex Epistola ejusdem Pontificis, quæ in Registro ejus non extat, ad eumdem data, quâ eum acriter objurgat, turpitudinem pellicatûs ostendit, Romamque citat: *Cùm autem*, inquit Gregorius VII, *hæc omnia tibi observanda, Pastorali providentia transmitteremus, tu non sursum cor, sed deorsum in terra ponens, prædictis ordinibus fræna libidinis (sicut accepimus) laxasti; ut qui mulierculis se junxerunt, in flagitio persisterent; & qui necdum duxerunt, tua interdicta non timerent*, &c. *Quapropter tibi Apostolica auctoritate præcipimus, ut ad proximam Synodum nostram [primâ] proxima [Quadragesima] hebdomade te præsentem exhibeas, tam de hac inobedientia & Sedis Apostolicæ contemptu, quàm de omnibus, quæ tibi objiciuntur canonice responsurus.* Tum ibidem subjicitur alia Gregorii VII Epistola Clero, populoque Constantiensi data, quibus mandat, *ne inobedienti Episcopo obediant*, subditque: *Secundam ei scripsimus Epistolam, indignationis et nostræ motus ostendentes, & idem præceptum iteratò acrius inculcantes: tum etiam ipsum ad Synodum Romanam, quæ prima proxima Quadragesima hebdomada futura est, advocavimus, ut pro se rationem reddat, & inobedientiæ causas, si rationabiles habuerit, in audientiam totius Conventûs exponat.* Quem exitum res habuerit, docet Chronographus Constantiensis à Pistorio editus: *Hic*, inquit de Ottone, *Episcopus contra Summi Pontificis Gregorii mandatum dicti Henrici partes fovet, quapropter excommunicatus in exilium missus, & anno dom. MLXXIV propter excommunicationem Henrici Episcopali honore destitutus, & inde post duos annos in excommunicatione mortuus Basileæ sepultus est.* Verùm hallucinatur Chronographus in eo quod Henricum excommunicatum appellabat, & in anno excommunicationis Ottonis, quæ inflicta non est, nisi postquam is in Concilio Romano anno sequenti coactò comparere noluit. Hinc lib. 2. Decreti Gregor. Epistola LX *tertio Idus Martii, indict. XIII* Pontifex ei mandat, ut litem inter eum & Augiensem Abbatem dirimat. Quare anno sequenti initio mensis Martii Otto adhuc Episcopatu potiebatur. Duæ citatæ Gregorii VII Epistolæ novæ collectionis Conciliorum editioni addendæ erunt.

XVI. *Fundatio Ordinis Grandimontensis.*

Geraldus septimus Prior Generalis Ordinis Grandimontensis in Vita Sancti Stephani de Mureto ejusdem Ordinis Fundatoris, quam Bollandus ad diem VIII mensis Februarii, & Labbeus Tom. II Biblioth. pag. 674. è codicibus MSS. descripsêre, hujus Ordinis exordium his verbis narrat: *Ad nemorosum montem, qui non longè distat ab urbe Lemovicarum, & Muretum dicitur, Christo ducente, pervenit. Ubi facto de virgulis parvo tugurio, anno domini MLXXVI, XXX agens suæ ætatis annum, Deo in fide Catholica se serviturum spopondit*, &c. *& ibidem in jejuniis & orationibus, serviens Deo die ac nocte, ultra ad seculum non rediens, quinquaginta annos complevit.* Verùm loco, *anno domini MLXXVI*, legendum esse, *anno domini MLXXIV*, ex ipsomet Geraldo in ea Vita certò deducitur; cùm tradat eum *LXXX ætatis suæ anno* die octava Februarii anni MCXXIV animam Deo reddidisse. Hinc enim necessariò sequitur, Sanctum Stephanum anno MXLIV, aut insequenti in lucem prodiisse, currenti tricesimum ætatis attigisse, & quinquagesimum solitudinis inchoasse. Is tamen Librariorum error antiquus; cùm Vincentius Bellovacensis, qui seculo post Sancti Stephani mortem floruit, lib. 25. Spec. Hist. cap. 46. & Bernardus Guido, qui altero post Vincentium seculo vixit, in Tractatu *de Sanctis, qui ornant Lemovicensem diœcesim*, à Labbeo Tom. I Biblioth. edito eum transcribant. Ad quem errorem cùm Baronius animum non advertisset, Sancti Stephani mortem cum anno MCXXVI copulavit, quod is sit quinquagesimus ab anno MLXXVI.

XVII. *Moritur Cajemus Calipha Bagadensis.*

Cajemus Biamrilla Calipha Bagadensis, cùm Caliphatum sustinuisset annos quadraginta quatuor & aliquot menses, obiit *anno Hegiræ* CCCCLXVII, ut prodit Elmacinus lib. 3. Hist. Sarac. cap. 7. qui addit, ei *Muctadim Billam* ex filio nepotem successisse, eoque Caliphatum gerente Saracenos *Edessam* & *Antiochiam* Christianis eripuisse.

XVIII. *Excensiones Saracenorum in Calabriam & Siciliam.*

Meminit hoc anno Malaterra excensionum à Rege Tunetano hoc anno in *Calabriam* factarum, & anno MLXXVIII lib. 3. cap. 8. & 17. aliarum ad Nicoteram, Siciliamque. Porrò Tuneti, Bugiæ, & Telemsani Reguli Saraceni ante Almorahitarum Imperium à Caliphis Ægypti pendebant. De *Almorabitis* anno MLXXVII sermo erit. Fasellus lib. VII de Reb. Siculis in posteriori Decade pag. 401. quàm egregiè sese gesserit *Rogerius* Roberti Guiscardi frater in Saracenis expellendis ab oppidis, quæ in Calabria & Sicilia ceperant, pluribus refert, nosque suis locis præcipuas utriusque fratris expeditiones commemoravimus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6568.

☉ 20. D. ☽ 12. P. 5. April. Indict. 13.

JESU CHRISTI 1075.

GREGORII VII PAPÆ 3.

HENRICI IV REG. 20.

MICHAELIS DUCÆ IMP. 5.

Anno Eræ Hispan. MCXIII. Anno Hegiræ CCCCLXVIII, inchoato die 16. Aug. fer. 1.

I. *Synodus Romana II adversus investituras coacta.*

ANum. X ad XXI. Habita hoc anno secunda Synodus Romana à Gregorio VII, cujus Acta sigillatim conscripta periêre, eorumque tantùm summa brevis à Baronio num. X recitata nobis relicta est. In ea Synopsi nulla *Investiturarum* mentio, sed eas in secundo Concilio Romano primùm prohibitas, certò eruitur ex Epistola X libri tertii Decreti Gregoriani, ad Henricum Regem, *Romæ sexto Idus Januarii indict. XIV data*, & à Baronio anno MLXXVI num. II & seqq. recitata. Ibidem enim apud Baronium num. V Pontifex ait: *Congregata in hoc anno apud Sedem Apostolicam Synodo, cui nos superna dispensatione præsidere voluit*, &c. *videntes ordinem Christianæ Religionis*

multis

SÆC. XI. An.C. 1075.

multis jam labefactatum temporibus, &c. *ad Sanctorum Patrum decreta, doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione nostra statuentes; sed primam & unicam Ecclesiasticæ disciplinæ Regulam, & tritam Sanctorum viam, relicto errore repetendam, & sectandam esse censuimus. Neque enim alium nostræ salutis & æternæ vitæ introitum Christi ovibus, eorumque Pastoribus patere cognoscimus, nisi quem ab ipso monstratum, qui dixit: Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, & pascua inveniet; & ab Apostolis prædicatum, & à sanctis Patribus observatum, in Evangelica & in omni divinarum Scripturarum pagina didicimus. Hujus autem decreti, quod quidam dicunt, humanos divinis honoribus præponentes, importabile pondus, & immensam gravitudinem: nos autem magis proprio vocabulo recuperandæ salutis necessariam veritatem vocamus, & lucem, non solum à te, vel ab his, qui in regno tuo sunt, sed ab omnibus terrarum Principibus & populis, qui Christum confitentur, & colunt, devotè suscipiendam & observandam adjudicamus. Quamquam hoc multum desideremus, & te permaxime deceret, ut sicut ceteris gloria & honore, virtuteque potentior, ita esses & in Christi devotione sublimior*, & cetera ibidem legenda.

II. *Primum decretum contra investituras.*

Baronius anno tantum MLXXVII num. LX & seqq. de laicorum *Investituris* loqui incipit, sed *Gregorium VII* earum usum in Concilio Romano II prohibuisse, non tantum ex laudata Epistola; sed etiam ex Chronico Virdunensi, cujus Auctor hoc tempore vivebat, constat. Hic quidem in anno decipitur, & Labbeum Tom. X Concil. ac alios quosdam, qui hanc Investiturarum prohibitionem ad Synodum Romanam primam referunt, in errorem traxit; sed cùm quæ de Concilio Romano narrat Baronius, neque ad primum, neque ad tertium, neque ad subsequentia pertinere possint, ea ad secundum spectare indubitatum esse debet. Hugo itaque Flaviniacensis in Chronico Virdunensi ad annum MLXXIV, de Gregorio VII scribit: *Quia vidit hoc Sanctorum Patrum adversari decretis, ut in canonica electione Episcopi prævaleret donum Regis; imò multoties ipsam electionem immutaret, vel potius irritam faceret: eodem anno* (imò anno MLXXV) *in Rom. Synodo quinquaginta Episcoporum, considente Presbyterorum & Abbatum multitudine, juxta decreta Pontificalia & institutiones canonicas, ne hoc amplius à quoquam præsumeretur, prohibuit sub interminatione anathematis, decretum faciens in „ hæc verba.* Si quis deinceps Episcopatum vel „ Abbatiam de manu alicujus laicæ personæ sus„ceperit, nullatenus inter Episcopos vel Abba„tes habeatur, nec ulla ei ut Episcopo vel Ab„bati audientia concedatur. Insuper etiam gra„tiam beati Petri, & introitum Ecclesiæ inter„dicimus, quoad usque locum, quem sub cri„mine tam ambitionis, quàm inobedientiæ, „quod est scelus idololatriæ, cepit, deseruerit. „ Similiter etiam de inferioribus Ecclesiasticis „ dignitatibus constituimus. Item si quis Impe„ratorum, Ducum, Marchionum, Comitum, „ vel quilibet secularium potestatum, aut perso„narum Investituram Episcopatûs vel alicujus „ Ecclesiasticæ dignitatis dare præsumpse„rint ejusdem sententiæ vinculo se adstrictum „ sciat.

III. *Prioribus*

Secutus autem est in hoc Patrum exempla, libet jam per multa annorum curricula damnabilis hæc consuetudo inolevisset, & in usum conversa esset. Dicitur enim in VII universali Synodo à V Patriarchis & CCCL Patribus sub Hadriano Papa habita, cap. III, Omnis electio Episcopi, Presbyteri, vel Diaconi, à Principibus facta, irrita maneat, secundum Regulam quæ dicit: „ Si quis Episcopus secularibus potestatibus „ usus Ecclesiam per ipsos obtinuerit, deponatur „ & segregetur, omnesque qui illi communi„cant. *Item in VIII universali Synodo habi„ta à V Patriarchis, sub Nicolao I Pontifice, cap.* „.... Promotiones vel consecrationes Episco„porum concordans prioribus Conciliis hæc „ sancta & universalis Synodus, electione & de„creto Episcoporum fieri constituit, & statuit „ atque promulgavit, neminem laicorum Prin„cipum & Potentum, semet inserere electio„ni, vel promotioni Patriarchæ vel Metropo„litæ, aut cujuslibet Episcopi, ne inordinata „ hinc & incongrua fiat confusio vel contentio; „ præsertim cùm nullam in talibus potestatem „ quemquam potestativorum laicorum habere „ conveniat, sed potiùs silere, & attendere si„bi usquequo regulariter à Collegio Ec„clesiæ suscipiat finem electio futuri Ponti„ficis. Si quis vero Laicorum ad concertandum „ & cooperandum invitatur ab Ecclesia, licet „ hujusmodi cum reverentia obtemperare adsci„scentibus. Quisquis autem secularium Princi„pum & Potentum, vel alterius dignitatis lai„cus, adversùs communem & consonantem at„que canonicam electionem Ecclesiastici ordi„nis agere tentaverit, anathema sit, donec obe„diat & consentiat.

SÆC. XI. An.C. 1075. *Conciliis conforme.*

IV. *Hugo Episc. Diensis in Galliam adversùs Simoniacos Legatus.*

Item ex Concilio Antiocheno cap..... Si quis Presbyter vel Diaconus per secularem dignitatem, Ecclesiam Dei obtinuerit, dejiciatur, & ipse & ordinator ejus à communione modis omnibus abscindatur, & sint sub anathemate, sicut Simon Magus à Petro. *In electione igitur & consecratione domini Diensis* (Hugonis nempe, de cujus ordinatione antequam de Concilio Romano loqueretur, egerat) *evidenter ostenditur operata divinitas, quia per hanc occasionem sancta Dei Ecclesia sub Papatu domini Gregorii multis retrò annis obnubilata electionis Ecclesiasticæ splenduit veritas. Viderint igitur viri cordati, quid juris Imperatoribus, Regibus, & Principibus in electione Pontificis reservetur. Commisit autem ei vices suas in Gallia* (nempe Hugoni Episcopo Diensi) *ubi plurimùm simonia serpebat pestis iniqua: quia perrari illic erant, qui non essent simoniaci, aut à simoniacis ordinati, aut per manum laicam investiti. Plurimùm illi inculcans, potestate data non abuti, quo minùs depravata corrigeret, damnanda recideret, sancta & honesta doceret, & docenda faceret. Scripsit & ad Prælatos Gallicanarum Ecclesiarum, quæ sunt juris sancti Petri, Epistolam pro suo censu debito beato Petro.* Recitat ibidem Chronographus eamdem Epistolam, quæ in Decreto Gregoriano & Tom. X Concil. non extat, in qua ait, se eumdem *Hugonem* in Gallias vices suas executurum mittere.

V. *Præfatum Decretum Concilio Rom. II Anselmus Lucensis tribuit.*

Tertiò Sanctus Anselmus Lucensis Episcopus in lib. 2. contra *Wicbertum* & sequaces ejus, postquam enumeravit mala, quæ ex damnabili illa consuetudine proveniebant, ait: *His tantis cladibus, quæ contingunt ex præfatis promotionibus, Gregorius VII obviare cupiens, Romana*

Synodo quinquaginta Episcoporum, considente Presbyterorum & Abbatum multitudine, per omnia sanctis præfatis Patribus consonantia decreta statuit, dicens: Si quis deinceps Episcopatum vel Abbatiam, & cetera mox ex Chronico Virdunensi descripta usque ad hæc verba, *ejusdem sententia vinculo se adstrictum esse sciat.* Anselmus autem testis oculatus fuit.

VI. *Investituras hoc anno prohibitas magis probatur.*

Quartò Arnulphus hujus temporis Historicus lib. 4. cap. 3. de iis loquens, quæ paulò ante secundum urbis Mediolanensis incendium, exeunte Martio hujus anni excitatum, contigêre, Investituras jam prohibitas fuisse, his verbis docet: *Praterea Cæsar Henricus adolescens jam factus, ut vidit sua florem potentia hoc modo paulatim crescere, cum suis Concilio studet hujus* (nempe sancti Herlembaldi) *ac Romani Præsidis obstare conatibus. Dominabatur tunc temporis Apulia Princeps Magnus Robertus ille Normannia. Inter hunc & Regem, dum sub hac re discurrerent nuncii; præfatus Papa habita Roma Synodo* (scilicet secunda Romana) *palam interdicit Regi jus deinde habere aliquod in dandis Episcopatibus; omnesque laicas ab Investituris Ecclesiarum summovet personas; insuper facto anathemate, cunctos Regis clamat Consiliarios, id ipsum Regi comminatus, nisi in proximo hinc obediat constituto.* Hoc primum contra *Investituras* Decretum, in posterioribus Synodis Romanis confirmatum. *Gregorius* VII œconomia erga Henricum Regem primùm usus est; sed cùm ab eo obtinere non posset, ut ab illa subversione canonum, Ecclesiasticæque libertatis oppressione desisteret, *Investiturarum* usum sub anathemate damnavit, suumque Decretum, quantum in se fuit, executioni mandari curavit.

VII. *Secundum incendium Mediolanense.*

Porrò Urbem Mediolanensem, quæ jam anno MLXXI conflagrarat, novo incendio afflictam fuisse, docet Arnulphus lib. 4. cap. 4. Versibus illud descriptum fuerat ad portam antiquæ Basilicæ Stephanianæ, hoc seculo eversæ, quos Puricellus cap. 51. in Vita Herlembaldi conservavit, notavitque in eorum fine hos characteres Chronologicos, extitisse: *Anno dominica Incarnationis millesimo septuagesimo quinto, indictione decima tertia, tertio Kalendas Aprilis, feriâ secundâ*, ideoque hoc Christi anno, quo feria II in diem XXX Martii incidit. Quam inscriptionem confirmat Arnulphus, qui ait, incendium contigisse *secundâ Hebdomadis Authentica feriâ*, seu, ut nunc loquimur, feriâ secundâ majoris Hebdomadæ.

VIII. *Decretum in Synodo Rom. II. adversùs Sacerdotes fornicarios editum.*

Denique de secunda hac Synodo Romana Marianus Scotus ad annum MLXXV habet: *Plures Clerici sub sententia interdicti Apostolici libentiùs esse voluerunt, quàm fœminis & uxoribus carere; sed ut vel per alios castigarentur, decrevit Papa Synodica legatione etiam hoc anno, ut nullus Christianus audiret Missam conjugati Presbyteri.* Gregorii Decretum hoc in rem latum Simeon Dunelmensis in Hist. de Gest.Reg.Angl. ad annum MLXXV refert: *Gregorius Papa, qui & Hildebrandus, servorum Dei servus, per totum Italicum regnum & Teutonicum debitam sancto Petro obedientiam exhibentibus, Apostolicam benedictionem. Si qui sunt Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, qui jacent in crimine fornicationis, interdicimus eis ex parte Omnipotentis Dei & auctoritate sancti Petri introitum Ecclesia, usque dum emendent, & pœniteant; si qui autem in peccato suo perseverare maluerint, nullus vestrum Officium eorum auscultare præsumat, quia benedictio illorum vertitur in maledictionem, & oratio in peccatum, testante Domino per Prophetam*, Maledicam, inquit, benedictionibus vestris. Idem habet Hovedenus in Willelmo seniore part. I, sed in utroque hæ voces, *qui & Hildebrandus*, explicationis gratiâ videntur additæ.

IX. *In Germania à Sacerdotibus fornicariis rejectum.*

Legationem, de qua Marianus Scotus loquitur, Curiensis Episcopus de sententia Synodi obivit. Concilium Moguntiæ celebratum, & Apostolica mandata Sigefrido Archiepiscopo tradita, ut universos Diœceseos suæ Clericos cogeret, *aut in præsentiarum conjugibus renunciare, aut in perpetuum sacri Altaris ministerio abdicare. Quod dum facere vellet, exurgentes, qui undique assidebant Clerici, ita eum verbis confutabant, & manibus & totius corporis gestu in eum debacchabantur, ut se, vita comite, inde exiturum desperaret. Sic tandem rei difficultate superatus, statuit sibi deinceps, tali quæstioni supersedendum, ut causam, quam ipse toties inutiliter proposuisset; ille per semetipsum quando & quomodo vellet, peroraret*, inquit Lambertus ad annum MLXXV, à Baronio num. XVII laudatus. In secunda Synodo Romana prioris Concilii Romani Decreta adversùs Simoniacos confirmata esse, testatur ipsemet Gregorius in Epistola *ad Annonem* Coloniensem Archiep. LXVII libri secundi.

X. *Victoria Saxonica Henrici Regis.*

A num. XXI ad XXVI. Dum *Gregorius* VII totus est in promulgandis prædictis Synodalibus Decretis, *Henricus* Rex usque ad victoriam Saxonicam se ei obsequentem verbis saltem exhibuit, sed eâ reportatâ ad vomitum reversus est, & quæ Pontifici promiserat, irrita reddidit. Ea victoria, quæ Regi magnos animos fecit, *V Idus Junii* relata, ut Marianus Scotus, aliique docent. Hæc Mariani Scoti ad hunc Christi annum verba: *Henricus congregato exercitu Saxoniam hostili animo intrare conatur, quod audientes Saxones è contra se præparant ei occurrere. Congregati namque ob patria libertatem, ad introitum Thuringia juxta fluvium, qui dicitur Unstruch, consederunt: non enim dederant spatium, ut intraret provinciam eorum. Saxonibus ergo super latitudinem terra diffusis, & jam castra hora IX metantibus, speculatores Henrici considerato exercitu, venerunt ad dominum suum mentiendo, dicentes Saxones se præparare ad pugnam. Quod audiens; protinus suos præcepit armari, & confestim irruit super ignaros & imparatos. Saxonibus verò quamvis serò, ferociter tamen ad arma confugientibus, facta est pugna validissima, ita ut fluvius illo in loco viam præberet itinerantibus super occisorum cadavera. In ista pugna Dux Suevorum Rodolphus, qui postea Saxonibus regnavit, exercitum Regis ducens, strenuissimè dimicavit, &c. Henricus ergo tantum vicevictoriam habuit, licet cum dolo acquisitam. Hoc bellum consummatum est V Idus Junii*, in quem feria tertia incidebat, quam notavit Chronographus Magdeburgensis à Meibomio publicatus, apud quem ideo loco, *Idus Junii feriâ III*, legendum, *V Idus Junii*; illud prælium fusè ibidem narratum.

XI. *Henricus Rex metu Saxonum rebellantium in viam redire simulat.*

Henricus Rex post eam victoriam ad ingenium redit, ut Paulus Bernriedensis in Gregorii VII Vita cap. VI hoc modo narrat: *Illo tempore Saxones, quoniam videbant ab eo se nimium crudeliter tractari, unanimiter conspiraverunt,*

ut

ut pro Rege illum amplius non haberent. Tunc coactus supplices ad Apostolicum literas direxit, orans, ut suis orationibus commendatum susciperet; quatenus eum de tam horrenda, pavidoque judicio jam imminenti, suis meritis excelsi Regis dextra eriperet; iterum iterumque promittens, nihil unquam amplius de Ecclesiis Dei facere, quod sancti Canones reprehendere possent. Cujus precibus motus Papa, eisdem Saxonibus literas & nuncias misit: & circa ejusdem Regis radices fodiens, prædicationis suæ cophinos misit, expectans scilicet ut grossos ex ficu colligere posset. Sed unde sumere humeris boni plenitudinem debuit, inde post marcidus aruit: & expectata vitis ad pingues botros ferendum, labruscas vilet & exiles portavit: & seges foliis pulchrioribus ornata, messis tempore nil aliud quàm infanda permistionis lolium protulit. Monuit equidem Regem, interim se ab armis suspenderet, donec è Saxonum partibus nuncios haberet: Rex verò non acquiescens literis & commonitionibus Patris, terras Saxoniæ intravit; ubi ex utraque parte, hominum peccatis exigentibus, multus humanus sanguis effusus est. Regis tamen in manibus, juste Dei judicio, victoria data: pro qua sub manibus domini humiliari debuit, tanquam ignitus & spiritu elationis inflatus, contra ipsum intumuit. Nam cuncta, quæ per matrem, per Episcopos, per Clericos, per communes nuncios & privatos antea promiserat: postmodum, quia securus, in irritum duxit. Siquidem Ecclesias, quas in manibus domini Papa corrigendas sub juramenta posuerat, non solum non dimisit; verum etiam contra decretales Patrum institutiones, quibusdam adulteris & simoniacis sub Investitura contradidit. (Quare Gregorius VII in Synodo Romana II Investiturarum usum prohibuerat). *Inter quos etiam Gothefridum, propter Ecclesiæ Mediolanensis invasionem excommunicatum, ejusdem invasionis adulterio investivit; Altono* (legendum, *Atteno*, aut *Attone*, ut ex dictis anno MLXXIII liquet) *cum Papa morante, quem Archiepiscopum* (sc. Mediolanensem) *melior pars cleri & populi, dominum elegerant. Dedit etiam Firmanam, & Spoletanam.* Desiderantur postea aliqua verba in fine illius capitis VI. Huc refert quæ Baronius num. XV de gestis post victoriam Saxonicam habet.

XII. *Gregorius VII pro Hungaria & Polonia sollicitus.*

A num. XXVI ad XXX. *Gesa* cùm anno superiori Hungariæ Regnum invasisset, & *Salomonem* Regem expulisset, ut eo Christi anno Lambertus narrat, currenti ad Gregorium Papam scripsit, qui pro pace inter eos conciliandа plurimùm laboravit, ut liquet ex ejus Epistolis à Baronio citatis. Scripsit & Gregorius VII ad *Boleslaum Polonorum Ducem* Epistolam LXXII libri II, misitque Legatos pro Episcoporum causis: *Illud nobis*, inquit Pontifex, *primò attendendum est, quod Episcopi terræ vestræ non habentes certum Metropolitanæ sedis locum, nec sub aliquo positi magisterio, huc & illuc prava quisque ordinatione vagantes, ultra regulas & decreta sanctorum Patrum liberi sunt & absoluti. Deinde verò quod inter tantam hominum multitudinem adeo pauci sunt Episcopi, & ampla singulorum parochia, ut in subjectis plebibus curam Episcopalis officii nullatenus exequi aut ritè administrare valeant.* Epistola *Boleslao Duci Polonorum* inscripta, quo etiam nomine eum Lambertus ad annum MLXXIII & MLXXVII appellat. Quare Polonorum Principes Regium titulum hoc tempore nondum consecuti erant, licet Rerum Polonicarum Historici, non solùm hoc taceant, sed etiam negant.

XIII. *Russia Schismati Cerularii non adhæsit.*

Scripsit & Gregorius VII Epistolam LXXIV ejusdem libri ad *Demetrium* Russorum Regem, significavitque se ex consensu ejus *Russiæ* Regni gubernacula filio illius tradidisse, seque Legatos ad eum mittere, quos petit sincera charitate juvari, neque turbari in iis, quæ ibi ex auctoritate Apostolicæ Sedis tractare voluerint. Quare *Russi*, qui à Romanæ Sedis Prædicatoribus ad fidem Christianam sub præcedentis seculi finem conversi fuerant, *Cerulario* Patriarchæ Constantinop. Schisma conflanti non adhæsêre, ideoque immeritò Scriptores passim contendunt, Ruthenicæ Ecclesiæ Sanctos, etiam qui ante hoc tempus floruêre à Latinis colendos non esse; cùm tunc Ruthenica Ecclesia Sedi Apostolicæ conjuncta fuerit, nec nisi post hæc tempora ab ea defecerit.

XIV. *Concilium Pictaviense adversùs Berengarium.*

Cùm *Berengarius* suum errorem rursùs spargeret, *Giraldus* Ostiensis Episcopus in Gallia, Legatus, ad illam funditus eradicandam *Pictavis* Concilium celebravit, uti ad annum MLXXV testatur Chronographus Malleacensis, qui ait: *Pictavis fuit Concilium, quod tenuit Girandus Legatus, de Corpore & Sanguine Domini, in quo Berengarius.... fermè interemtus est.* Quod postea docet, *Idibus Januarii* habitum fuisse. Franciscus Roius in Vita Berengarii, & Mabillonius Tom. II Analect. in Observat. *de Multiplici Berengarii damnatione* existimant, *Girandum* Legatum fuisse Episcopum Ecolismensem. Verùm nullus hoc tempore Giraldus in Gallia Apostolicæ Sedis Legatus fuit præter Giraldum Ostiensem Episcopum, qui cùm anno MLXXIV è sua Legatione Romam redierit, ut suo loco diximus, manifestum est, Chronographum non minus in anno rei gestæ peccare, quàm cùm ad annum MLXXI ait, *Petrum Igneum* fecisse judicium per rogum ardentem, & ad annum MLXXIV, obiisse Alexandrum Papam. Illud igitur Concilium in editione postrema Conciliorum hoc anno perperàm etiam collocatum, ad aliquem ex superioribus retrahendum.

XV. *Tedaldus Mediolanensis Archiep. dictus.*

Mediolanenses cùm tandiu sine Præsule esse nollent, hoc anno *Tedaldum* elegêre, eumque anno sequenti consecrari curarunt. In antiquo enim Catalogo Episcoporum Mediolanensium à Mabillonio, & Papebrocio publicato legitur, eum sedisse *annos VIIII, & menses tres, & dies XXI*, & obiisse *VIII Kalendas Junii*, seu die XXV mensis Maii, anni nempe millesimi octogesimi quinti, ut ex serie & duratione Sedis cujuslibet Præsulis constat. Quare *Tedaldus* ordinatus fuit anno MLXXVI, die quarta mensia Februarii, in quam quidem feria quinta incidebat; sed Schismatici, qui expressum Pontificis mandatum spernebant, parùm de die curarunt. Arnulphus lib. 4. cap. 9. cùm jam resipuisset de Tedaldi ordinatione hæc apud Puricellum habet: *Mediolanenses pro petendo Episcopo ultra montes Henrico Regi Legationem dirigunt, mandantes Herlembaldica interfectionis triumphum. Quo cognito lætatus est Rex ille supra modum, quemcunque vellent se daturum promittens Episcopum.* Memoriâ labitur Arnulphus, & secundam Legationem à Mediolanensibus post Sancti Herlembaldi Martyrium missam, ideoque anno sequenti, confundit cum priori, quam ante Herlembaldi mortem contigisse certum. Sequentia itaque Arnulphi verba ad hanc prio-

SÆC. XI. An. C. 1075.

rem pertinent: *Interea Legatis Mediolanensium ex Clero & populo de re præfata Regem* (Henricum nempe) *adeuntibus, Tedaldus quidam Mediolanensis Ecclesiæ Subdiaconus capella militabat in Regia, cui Rex.... Ambrosianum tradidit Præsulatum; posthabita Gothofredi illius adhuc viventis Investitura & unctione, Attonis quoque Romæ tunc degentis electione. Quid plura? Susceptus est Præsul ille à Clero & populo, utpote novarum rerum usu.... avido, cui etiam suffraganei eidem ipsi, qui Gothofredum consecraverant, manum benedictionis imponunt* (mense scilicet Februario sequentis Christi anni). *Res quidem mira & cunctis retrò temporibus inaudita; at urbis unius uno dato Antistite* (nempe Gothofredo) *sacrato altero* (sc. Attone), *uno eodemque tempore tertius erumpat*, nempe Tedaldus.

XVI. *Antequam S. Herlembaldus occideretur.*

Lapsum Arnulphi, qui perperàm supponit *Tedaldum* post Herlembaldi mortem Archiepiscopum dictum, corrigit Gregorius VII in Epistola ad Suffraganeos Ecclesiæ Mediolanensis *sexto Idus Octob. indict. XIV*, currenti scilicet anno data, qua probibet, *Tedaldum* jam ab Henrico Rege Archiepiscopum Mediolanensem designatum ordinari. Præterea Petrus Azarius in Chronico adhuc inedito, quod in annum MCCCCII, quo floruit, desinit, apud Puricellum lib. 1. cap. 7. num. 3. ait: *Audientes nobiles Milites de Mediolano proscripti bona nova* (idest, bono nuncio) *de dato sibi Archiepiscopo* (nempe Tedaldo) *qui erat ex parte nobilium confortati sunt valde, & congregantes amicos ex omnibus partibus civitatis Mediolani ipsam civitatem sunt ingressi. Quod sentiens Herlembaldus Cotta dominus populi primus exivit obviam inimicis. Cui occurrit in campo Herlembaldus* (aliis Arnaldus) *de Raude Miles proscriptus, atque ipsum de equo dejecit, & decapitavit, & sic in sancta confessione moriens sepultus fuit in Ecclesia sanctorum Protasii Aurelii inter Martyres* (idest, Sancti Dionysii). *Ipse enim simoniacos Sacerdotes & uxoratos semper fuit persecutus.* Tedaldus itaque ante Herlembaldi Martyrium Archiepiscopus Mediolanensis à Schismaticis creatus. De Sancti *Herlembaldi* nece anno sequenti, quo ea accidit, sermo erit.

Anno Eræ Hispan. MCXIV. Anno Hegiræ CCCCLXIX, inchoato die 4. Aug. fer. 5.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6569.

☉ 21. C B. ☽ 13. P. 27. Mart. Indict. 14.

JESU CHRISTI 1076.

GREGORII VII PAPÆ 4.

HENRICI IV REG. 21.

MICHAELIS DUCÆ IMP. 6.

I. *Gregorius VII Henricum Regem urget, ut promissis stet.*

ANum. I ad XXXV. Gregorius VII videns, *Henricum* Regem post Saxonicam victoriam ad ingenium rediisse, simoniacas Investituras, uti ante eam promiserat, non dimisisse, & ab excommunicatorum consortio non abstinuisse, scripsit ad eum Epistolam X libri tertii, *sexto Idus Januarii indict. XIV* datam, & à Baronio num. II & seqq. recitatam, quâ jubet, ut si ita est, iis à se rejectis, ab aliquo Episcopo pœnitentiam ipse & absolutionem petat; eumdem ad obedientiam Sedis Apostolicæ hortatur, significatque Decretum contra Investituras in Synodo Romana II latum, ab omnibus Principibus observandum esse. Quid postea contigerit, narrat Paulus Bernriedensis in Gregorii VII Vita cap. VII, quæ cùm Baronii tempore non extaret, juvabit hîc ejusdem Scriptoris verba, brevitatis causâ, minus necessariis prætermissis, referre: *His ad Apostolicam Sedem perlatis* (nempe quæ Henricus contra promissa sua faciebat) *Papa Gregorius non modicum conturbatus est. Cœpit interea agitari multis sollicitudinibus, quoniam cuncta, quæ ad pacem provenire speraverat, verti in contraria perspiciebat. Tandem causas aliquas sibi per quosdam Legatos secretè missas, quibusdam personis, honestisque viris patefecit; ut perpenderent, quid super his statuendum foret. Tantis itaque promissionibus, imo simulationibus inspectis, omnes mirari cœperunt. Verùm ne Romana sedes videretur aliquid injustè seu præcipitanter agere, definitum est; ut eidem Regi acriores literæ scriberentur, in quibus plenè cognosceret, nullo timore amoreve justitiam dimittere posse Romanum Pastorem. Scripsit autem ad Beatricem, ejusque filiam Mathildem, quæ tunc temporis Italiam totam præ ceteris gubernabant, ad eumdem Regem, ad invasorem Mediolanensem, ad Suffraganeos omnes.*

SÆC. XI. An. C. 1076.

II. *Conciliabulum Wormaciense Henrici Regis.*

Tunc Rex gravi mœrore & timore correptus, hac illacque mente furibunda transcurrens, omnes nequam consiliarios advocavit: deductis in medium nonnullis seductoribus ante perversa mentis oculos, qui plura, quibus humana mens falli solet, proposuerunt; regni honorem à patre dimissum, liberum arbitrium, opes infinitas, militum abundantiam & fortitudinem, Episcopos, Duces, Tyrannos, & sub fidelitate Principes constrictos, superborum etiam colla suo jugo contrita, quæstum insuper Ecclesiarum suis manibus traditarum, & multa alia, quæ, ut diximus, secularium mentes illiciunt: inter quos Moguntinus fuit Archiepiscopus (nempe Sigefridus) *& reliqui, qui sub ipso degebant Suffraganei. Facta verè tali conventione, statuerunt, ut Imperialis constitutio, cunctos in suo regno manentes Episcopos, cursoribus ubique missis, ante suam præsentiam juberet assistere; & coadunatis omnibus, anathemati, quod Moguntinus hæreticus contra B. Petri Vicarium, imo in dominum & Apostolum ejus componeret, subscriberent. Quod si fortè motus aliqua reverentia quis eorum se subtrahere vellet, rebus omnibus & dignitate privatus, ut Regalis majestatis obnoxius, capitalem subiret sententiam.*

III. *Ideo Gregorius VII deponitur.*

Interea Legatis undique missis, ab Urbe quidam Hugo (cognomento Albus) *olim Cardinalis, tunc autem inter Episcopos hæreticos præcipuum caput* (qui jam tertiò ab Apostolica sede damnatus fuerat, quia quosdam Simoniacos reconciliare præsumpserat) *fictitiis suis literis, Archiepiscoporum & Episcoporum personas repræsentans advenit; laudans omnia quæ super dominum Papam composuerant; projectis in medium aliis Epistolis, sub omnium Cardinalium, Senatûsque ac populi nomine titulatis, quibus significabantur quædam proclamationes ad præsentiam Regiam delatæ, ubi etiam continebantur postulatio novi Pontificis, & abjectio legitimi Pastoris; subintulit etiam multas inimicitias, quas patiebatur à Normannis, à circumjacentibus Comitibus, ab ipsis etiam traditoribus in Urbe manentibus. Quibus visis Rex non modicò lætatus, ad opus componendum fomentum desideratum accepit. Adductis itaque in medium diabolicis Pontificibus, anathema super Dominum Papam, imò super se ipsos protulerunt* (nempe in

Conventiculo

Conventiculo Wormaciensi). Missis etiam in Longobardiam & Marchiam à latere Regis tam nunciis, quàm apicibus, visum est, ut facto anathemati subscriberent. Congregatis ergo omnibus Papiæ, ex præcepto Regis, & magis ex propria malevolentia & odio, ut res patuit, anathemati subscripserunt. Nam ad ostendendum malæ voluntatis cumulum, positis sacrosanctis Evangeliis, juramento firmaverunt, nullo modo se deinceps Gregorium pro Papa habituros, vel obedientiam exhibituros, missisque nunciis, idem ut alii facerent, effecerunt.

IV. Synodus Romana III Regem Henricum deponendum & anathematizandum statuit.

Scripsit autem idem Rex Romam literas, omni injuria inhonestas, falsitateque repletas, præcipiens domino Papæ, ut de Sede surgeret, Ecclesiamque dimitteret: vocans eum perjurum, invasorem, & Regiæ dignitatis diminutorem, maximè simoniacis Longobardiæ elaborantibus. Statuerunt etiam, ut non ante literæ darentur & verba, quam Synodus, quæ congregata in Romana fuerat Ecclesia, plenius hoc audire posset, quod etiam factum est. Nam & Papa Synodum faciente, quidam Parmensis Clericus, domini Apostolici ad injuriam, cum eisdem literis præsentare se non abhorruit; & easdem blasphemias in facie totius Ecclesiæ & Conventus, proferre non formidavit. Paucis interpositis: Postquam verò finito hymno, factis sermonibus exhortationis omnibus, Papa consederat; ille præcursor Antichristi, non tribuens honorem Deo depositionem intimat, & tamen Papa ne occidatur impedit, & ostendit in ejusmodi casibus columbinam simplicitatem tenendam: His atque aliis nonnullis peroratis, sancta & magna Synodus dixit: Tua, Sanctissime Pater, censura, quem ad regendum nostri temporis seculum divina peperit clementia, contra blasphemum, invasorem, tyrannum, desertorem, talem sententiam proferas, quæ hunc conterat, & futuris seculis transgressionis cautelam conferat. Dignum quippe est jussis tuis obedire & obsecundare, &c. Tandem omnibus acclamantibus definitum est, ut honore Regio privaretur, & anathematis vinculis, tam prænominatus Rex, quam omnes assentanei sui colligarentur.

V. Conciliabulum Wormatiense magis explicatur.

De Conventiculo Wormaciensi Chronographus Virdunensis, qui hoc tempore vivebat, & cujus Opus Baronius non vidit, hæc habet: Verùm novi dogmatistæ judicia Apostolica spernunt, Scripturas sanctas abjiciunt, de corde suo prophetantes, & mercedem scelerum traditi desideriis cordium suorum in semet à Christo abjectione recipientes. Hi igitur Concilio Warmaciæ habito, ubi omnis quam patimur calamitas, exorta est, abjecerant a se jugum disciplinæ; cùm nullam adhuc in illos Dominus Papa anathematis destinasset sententiam, & sanctæ obedientiæ libellum repudii conscripserant, Prælationi sedis Apostolicæ superbâ & repentinâ temeritate abrenunciantes. Primùm hoc fermentum totam Ecclesiæ massam corrupit. Conventus hic inter Nativitatem dominicam & sequentem Quadragesimam habitus est, ita distantibus spatiis, ut quæcumque ibi gererentur Romam tempore Synodi referri possent. Die verò natalitio Andreæ Apostoli, ante ipsam dies festivitatem apud Bavemberg Heinrico posito, tanta adhuc inter regnum & summum Sacerdotium vigebat concordia, ut destitutio Pontificis urbis ipsius (nempe Hermanni, de qua Baronius anno MLXXV num. XII) & substitutio alterius obedientia Domini Papæ deputaretur. Ille igitur, qui ante Nativitatem dominicam tanta in Ecclesia magnificentia erat, ut ad nutum illius mutationes Ordinum fierent, paucis post Nativitatem diebus inconventus & inauditus proscriptus est, & quantum ad illos depositus; ex die enim, qua tanti ab hominibus habitus est, nullam eorum legationem accepit, usque dum illa veniret, qua dictum est; Descende, descende, interdicimus tibi jus omne Papatûs.

VI. Gregorius VII ad colloquium in Germaniam invitatus.

A num. XXXIX ad LXIII. Cum prædicti Regis, inquit Paulus Bernriedensis cap. IX, conversionem jamdiu & frustrà Principes expectarent, & statum regni periculosiùs in dies disturbandum, imo sine capite jam penitus destituendum viderent; tandem Zelo Dei armati, cum Legatis Apostolicæ Sedis convenerunt (Oppenheimii inter Moguntiam & Wormaciam secundùm aliquos, vel Triburiæ è regione Oppenheimii secundùm alios) & eumdem, ut eorum consilio acquiesceret & resipisceret, satis fideliter rogaverunt: alioquin, se non ulterius communicare vel obedire protestati sunt. Hac ille necessitate, simulatè quidem, ut postmodum apparuit, se per omnia, & consiliis Principum, & præceptis Apostolici Domini obediturum promisit. Erat autem eorum consilium, ut Dominus Apostolicus ad generale colloquium Augustam in Purificatione S. Mariæ tunc proxima veniret: quatenus ibidem causa ejus in audientia totius regni legitimè determinari posset. Ipsi quoque Principes, missa legatione, Dominum Papam ad prædictum diem venire suppliciter rogaverunt; ad quod iter agendum, illum promptissimum, ut subscripta ejus literæ testantur, invenerunt. Rex autem contra promissionem suam, contra consilium Principum, hoc ab Apostolico per Legatos suos voluit extorquere, ne Augustam veniret, sed ut eum ad se Romam venire permitteret, ea utique intentione, ut tanto faciliùs Papam fallere posset, quanto pauciores regni Principes, jam sæpius astutias ejus perpessi, discutiendæ ejus causæ interessent. Unde & Papa votis ejus non annuit, sed ut Principes rogaverant, ad condictum diem venire dispofuit, & subsequentes Epistolas Principibus regni, pro disponendo itinere suo, transmisit. Recitat postea duas literas Præsulibus & Magnatibus Germaniæ à Gregorio VII scriptas, quibus etiam cum vitæ periculo se colloquio affuturum pollicetur.

VII. Annasir Mauritaniæ Sitifensis Rex favet Christianis.

A num. LXIX ad LXXIII. non solùm Africa Minor hoc tempore Regi peculiari è Secta Saracenorum parebat, uti anno MLXXIII insinuavimus; sed etiam Mauritania Orientalis, Sitifensis à Sitipha, seu Sitifi nunc in regno Algerii & in Bugia provincia, sic nuncupata. Sedes Regia erat Calat Hamad, urbs non longè ab Almasila, vel Mesila, cujus mentio apud Geographum Nubiensem pag. 81. & quæ in chartis Geographicis locatur ad pedem Atlantis montis. Regnum verò obtinebat jam ab anno Christi millesimo sexagesimo secundo Annasir, seu Annazir, quem Noweirius Arabs docet, conditorem fuisse Bugiæ, postea Regni hujus nominis capitis. Favebat Christianis Annasirus, ideoque scripsit ad Gregorium Papam VII, ut liquet ex Epistola XXI libri III Registri Gregoriani, qua ei Pontifex significat, se juxta petitionem ejus Servandum Episcopum consecrasse, gratiasque agit, quòd Christianos apud se captivos dimisisset, aliosque se dimissurum promisisset. Scripsit etiam Gregorius VII Epistolam ejusdem libri ordine XX ad clerum & populum Hipponensem in Mauritania Sitiphensi,

qui

SÆC. XI. An. C. 1076.

qui *Servandum* Archiepiscopum consecrandum miserant, aliamque ordine XIX, ad *Cyriacum* Carthagioensem Archiepiscopum, ex qua liquet, tunc in Africa duos tantummodo Episcopos fuisse. Vixit porrò *Annasir* Rex usque ad annum Hegiræ CCCCLXXXV, Christi scilicet MXCII, & tam in Registro Gregoriano, quàm apud Baronium num. LXX Librariorum errore *Anzir* appellatur.

VIII. *S. Herlembaldi Martyrium.*

Ad num. LXXVII Baronius Vitam *Sancti Arialdi* à B. Andrea Abbate Congregationis Vallumbrosanæ in Hetruria scriptam *Syro* Presbytero attribuit, hunceque Vitam *Sancti Herlembaldi hoc anno martyrium passi etiam composuisse arbitratur.* Verùm jam anno MLXI ostendimus, *Syrum* composuisse quidem Vitam Sancti Arialdi, sed eam nullibi nunc reperiri; & nullam *Herlembaldi* Vitam ab eo editam fuisse. Mortem itaque Sancti Herlembaldi his verbis narrat Arnulphus Historicus Mediolanensis apud Puricellum in lib. de Vita SS. Arialdi & Herlembaldi, ubi loquens de secundo urbis Mediolanensis incendio, quod anno superiori contigit, scribit: *Solius Herlembaldi intrepidus perseverabat, & inflexibilis animus. Siquidem instantibus Paschalibus Albis Baptismi satagebat, sicut præterito fecerat anno* (nempe MLXXV) *ignoto chrismate* (quod scilicet à Simoniacis & Schismaticis Episcopis accipi nolebat) *inchoare mysterium. Cumque Cardinales Ecclesiæ* (scilicet Mediolanensis), *quorum intererat sacrare fontes, nollent contra solitum agere, adstat illicò Luitprandus quidam Presbyter nuncupatus à progenitoribus Vernula, qui jussu ac virtute illius* (sc. Herlembaldi) *Ordinariorum usurpavit officium, venientes inconsultè baptizans.* Arnulphus, qui pro Sacerdotum matrimonio stetit, & Arialdo ac Herlembaldo oppositus fuit, Hîc adversus Herlembaldum declamat, refertque Mediolanenses ob has innovationes valde commotos esse, & fœdus inter se iniisse in gratiam Henrici Regis, clerique Mediolanensis, quod Herlembaldi mortis causa fuit. Pergit enim Arnulphus: *Unde factum est* (hoc nempe anno paulò post festa Paschalia), *ut simul diebus aliquot extra urbem* (sc. milites, civesque Mediolanenses) *exeuntes, suam sibi jurarent magna plebis cum parte justitiam, & Sancti Ambrosii honorem, ac dono Regis accepturos se se Pastorem* (Tedaldum nempe ab Henrico Rege designatum). *Cumque ingrederentur communiter urbem, Herlembaldus ut semper consortii impatiens, adstantibus sibi concionabatur more suo. Ut verò cohibere furorem ultra non valuit, facto cum suis impetu & clamore, festinanter arripit arma, Vexillum quod Sancti Petri dicebat, dextrâ gerens. E contra cives, dum parte surgunt ab omni, armatus proruppit in medium. Quem in momento ac primâ fronte belli tanta adversariorum oppressit incursio, ut nihil memorabile posset ab illo fieri. Ubi verò circumdatus est undique, illicò crebris configitur ictibus, dictoque citiùs moriens corruit, comitatu ejus exiguo circumquaque disperso. Cujus cadaver exanime protensum humo discerptis prorsus exuitur indumentis, nudatumque fustibus undique tunditur atque petris; at qui jam vivens multis terrori fuerat, multorum subjaceret lusibus moriens: & cùm gestaretur humandus, nulla eum est exequiarum prosecuta devotio.*

IX. *Luitprandus*

Post hæc Luitprandus ille supradictus Presbyter, dum fugeret, inventus, auribus truncatur & naso; ut qui alienum præsumpsit officium, quod habere videbatur, amitteret. Apparet igitur liquidò vera fore dicentis assertio; difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Ita Historicus hic adversus cœlibatum Sacerdotum & Pontificis Romani fautores animatus, qui initio cap. VIII lib. IV scribit: *Hic jam apparet schismatis hujusce terminus decem novemque annos semper ab ipsa radice* (ab Arialdi nempe secessu) *pullulando protensi.* Is verò à Clero Mediolanensi secessionem fecit anno MLVII, & hoc anno Herlembaldi morte dissidium inter Clericos Mediolanenses exortum, quod Arnulphus *schisma* appellat, finem accepit. Cùm verò Gregorius VII *Luitprandum* Presbyterum à Mediolanensibus malè habitum accepit, ad eumdem rescriptum misit à Landulpho Juniori cap. VI Historiæ suæ MS. (apud Puricellum lib. 4. de S. Arialdo cap. 59.) recitatum: *Gregorius Episcopus servus servorum Dei Liprando Sacerdoti salutem & Apostolicam benedictionem. Si Sanctorum memoriam veneramur, de quorum legimus morte & abscissione membrorum: si patientiam laudamus eorum, quos à Christi fide gladius nec ulla pœna divisit; tu quoque abscisso naso & auribus pro Christi nomine laudabilior es, qui ad eam gratiam pervenire meruisti, quæ ab omnibus desideranda est, quia à Sanctis, si perseveraveris usque ad finem, non discrepat. Integritas quidem corporis tui diminuta est: sed interior homo, qui renovatur de die in diem, magnum sanctitatis suscepit incrementum. Forma visibilis turpior, sed imago Dei, quæ est forma justitiæ facta est in diminutione jucundior, in pulchritudine pulchrior. Unde in Canticis Canticorum gloriatur Ecclesia dicens,* Nigra sum, filiæ Hierusalem. *Quod si interior species nihil passa est detrimenti in abscissionibus; non est abscissum à te Sacerdotale officium, quod proprium est sanctitatis, & non tam consideratur in integritate membrorum, quàm in integritate virtutum. Unde Imp. Constantinus Hierosolymitani Episcopi cujusdam oculum, pro Christi nomine erutum sæpe osculabatur: & exemplo Patrum atque documento Majorum didicimus, non auferre sacrum officium martyribus pro hujusmodi casura membrorum. Proinde Martyr Christi confortare in domino. Magis credas in te nunc esse Presbyteratûs officium, quod prius olei unctione nunc tui sanguinis est tinctione commissum. Et quantò minùs habet, quod possit auferri, tantò minùs timeas prædicare quæ vera sunt, seminare quæ centuplicata reddentur. Scimus quidem te ab inimicis Sanctæ Ecclesiæ semper inimicari & affligi, sed tu ne eos timeas, neque perterrearis; quia nos tam te, quàm tua omnia sub nostra & sub Apostolica Sedis tutela cum magna charitate tenemus: etsi in aliquibus tibi necessarium fuerit Apostolicam sedem appellare, concedimus, & si ad Nos & ad sedem nostram veneris, cum gaudio & magno honore suscipere parati sumus.* De canonizatione Sancti Herlembaldi, & Luitprandi morte suis locis agemus.

SÆC. XI. An. C. 1076. *à Clericis concubinariis Mediolani mutilatur.*

X. *Tedaldus Archiep. à Mediolanensibus suscipitur.*

Herlembaldus nihil prætermiserat, ut *Tedaldum* anno superiori Mediolanensem Archiepiscopum Henrici Regis jussu ordinatum impediret, ne hujus dignitatis possessionem iniret. Verùm postquam hoc anno Herlembaldus morti traditus fuit, *in crastinum simul cum clero laici cum litaniis & laudibus ad sanctum procedentes Ambrosium reatus præteritos confiteatur alterutrum. Absolutione verò à Sacerdotibus, qui præsto*

aderant,

SÆC. XI. An.C.1076. *aderant*, *celebrata* (dum nullus scilicet adhuc Mediolani Episcopus esset) *reversus est in pace populus ad propria*, inquit Arnulphus cap. VI apud Puticellum de Vita Herlembaldi cap. 59. Idem Arnulphus cap. XIX his addit: *prædictis rebus* (sc. tumultibus post Herlembaldi mortem excitatis) *non planè compositis, sed involutis, utcumque sæpe jam dicti Mediolanenses pro petendo Episcopo ultra montes Henrico Regi legationem dirigunt*, qui Episcopus Tedaldus nomine anno superiori jam consecratus fuerat, sed nondum Mediolanum venerat: *Susceptus est*, subjungit Arnulphus, *Præsul ille à Clero & populo.*

XI. *Moriuntur Beatrix & Godefredus Gibbosus ejus gener.* Ad num. LXXVIII. *Beatricem* Ducissam Tusciæ & *Mathildis* Comitissæ matrem, hoc anno die XVIII mensis Aprilis ad Deum migrasse, notat Baronius ex Domnizone lib. I. cap. 20. Filia erat Friderici II Lotharingiæ Ducis, anno MXXVII sine liberis masculis demortui. Post ejus mortem *Bonifacio* Tusciæ Duci nupsit, ex quibus genita *Mathildis* ex aviæ nomine ita appellata. Bonifacius anno MLII vitâ functus est, Mantuæque sepultus, ut habet Hermannus Contractus, qui addit, eum ditissimum Italiæ Marchionem fuisse. *Beatrix*, ut bona sua ab invasoribus defendere posset, secundis nuptiis *Gothefredo Barbato* Lotharingiæ Duci matrimonio conjuncta fuit, hujusque filius *Gothefridus Gibbosus* cum Mathilde filia. Porrò *Gothefredum Gibbosum* hoc anno sine liberis *quarto Kalend. Martii* vitâ decessisse, ostendit Baronius ex Lamberto, hoc anno num. XXXVIII. Fiorentinius in Commentario de Rebus ad Mathildam Comitissam spectantibus, lib. I. de Beatricis patre, proavisque multa in medium adducit; sed pag. 27. in eo fallitur, quod asserat, *Beatricem* filiam fuisse Mathildis sororis aut filiæ Conradi Salici Imp. Nam ut suprà jam ostendimus, *Mathildis* Beatricis mater filia fuit Hermanni Sueviæ Ducis, & soror *Gisela* Conradi Salici conjugis, qui post S. Henricum in Germania imperavit.

XII. *Navarra Regnum suum Aragonensi tradit.* *Sanctio* Garsiæ Navarræ Regi hujus nominis IV suorum conspiratione occiso Navarrei, qui inter Ebrum & Pyrenæos montes habitant, *Sanctium Ramirum*, secundum Aragoniæ Regem sibi præfecerunt, Provinciæque Biscaiæ, Alavæ, Riojæ, & Burebæ *Alphonsum* jam Castellæ Regem Principem agnovêre, ut videre est apud Suritam lib. I cap. 23. aliosque Rerum Hispanicarum Scriptores. Alphonsus in Cartulario Sancti Æmiliani apud Moretum in Investigationibus Navarreis lib. 3. cap. 4. Najaræ Privilegia confirmans ait: *Impiissima fraude interfecto Rege Sancio Garsia strenuissimi Regis filio, ego Adefonsus filius Fredinandi Regis successi in regno: cupiens igitur subjugare mihi illius regnum, salubre inveni consilium*, &c. *Era MCXIV.* Dies & annus mortis ejus his verbis in Kalendario Legerensi notantur, *III Nonas Junii Sanctius Rex minor erâ MCXIV.* *Sanctius Ramirus* Aragonius Rex expulsis è ditionibus suis Mauris, & jam pacificè regnans leges reformavit, & inter alias, quæ pro Regno Suprárbiensi datæ fuerant. In earum Præfatione dicitur consultum fuisse Apostolicum Hildebrandum & Longobardos, idest Gregorium VII, Hildebrandum appellatum. Sanctii IV hoc anno occisi propinqui per plures annos patrimonio sibi debito privati fuêre usque ad Garsiam Regni restauratorem, ut anno MCXXXIV videbimus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6570.

☉ 22. A. ☽ 14. P. 16. April. Indict. 15.

JESU CHRISTI 1077.

GREGORII VII PAPÆ 5.

HENRICI IV REG. 22.

MICHAELIS DUCÆ IMP. 7.

SÆC. XI. An.C. 1077. Anno Eræ Hispan. MCXV. Anno Hegiræ CCCCLXX, inchoato die 23. Julii Fer. 1.

I. *Henricus Rex à Papa absolutionem impetrat.* AD Num. I ad XXXI. Paulus Bernriedensis in Vita Gregorii VII cap. IX, postquam narravit Gregorium VII à Principibus Germaniæ ad colloquium in eo Regno habendum invitatum esse, eumque ad id se paratum ostendisse, ait: *Interea Rex, propria causa diffidens, & idcirco audientiam totius regni subterfugiens, furtivè Italiam cum excommunicatis, contra Præceptum Papæ & consilia Principum, intravit; & Apostolico ad prædictam diem Augustam tendenti, ante Purificationem Sanctæ Mariæ apud Canusium obviavit; ibique ante portam castri per triduum deposito omni Regio cultu, miserabiliter, utpote discalceatus, & laneis vestibus indutus, persistens, non prius cum multo fletu Apostolicæ miserationis auxilium & consolationem implorare destitit, quàm omnes qui aderant, & ad quos rumor ille pervenit, ad tantam pietatem & compassionis misericordiam movit, ut pro eo multis precibus & lachrymis intercedentes, omnes quidem insolitam Domini Papæ duritiam mirarentur; nonnulli verò in eo, non Apostolicæ serenitatis gravitatem, sed quasi tyrannicæ severitatis crudelitatem esse clamarent: denique instantia compunctionis ejus, & tanta omnium, qui ibi aderant, supplicatione Papa devictus, tandem eum, relaxato anathematis vinculo, in communionis gratiam, & sinum Sanctæ matris Ecclesiæ recepit: acceptis ab eo securitatibus, quarum etiam confirmationem per manus Abbatis Cluniacensis* (nempe Hugonis); *& nobilium Comitissarum Mathildis & Adalaiæ* (Marchionis Segusiæ & Comitis Sabaudiæ Maurianæque conjugis) *& aliorum Principum, Episcoporum & Laicorum, qui sibi ad hæc utiles visi sunt, in hunc modum suscepit.*

II. *Fraudulenter cum eo agit.* Refert illud juramentum Baronius num. XX cum hac subscriptione, quæ apud Paulum deest; *Actum Canusii, quinto Kal. Februarii, indict. XV.* Verùm ea addititia, quia, ut ibidem Baronius ex Domnizone ostendit, absolutio Regis facta die XXV Januarii. Pergit Paulus: *Rex, postquam communione recepta, sed quæstione Regni dilata, solutus ab Apostolico discessit, parum attendens quid ei in reconciliatione sua juramento promiserit, ad solitam nequitiam redire, & Simoniacorum suorum consiliis contra Papam assentire non expavit. Omnes enim Simoniaci, eorumque socii, quorum tyrannidi ipse sanctam matrem Ecclesiam subjugaverat, quorum etiam factione jam pridem Apostolicam sedem deancterisare tentaverat; ipsi, inquam, omnes ad eum reconciliatum recurrentes, non terrorem sed audaciam ab eo, pro perpetrata iniquitate acceperunt; quin etiam in damnatione Apostolici apud eum conjurandi locum invenerunt. Ipse verò, ejusque complices, communionem atcumque idcirco festinaverant recipere; quia juxta legem Teutonicorum se prædiis & beneficiis privandos esse non dubitabant, si sub excommunicatione integrum annum permanerent: cujus adhuc unius mensis superfuit, dum ad reconciliationem redirent:*

rent. Communionem itaque, non ut se corrigerent, repetebant; sed ut plurimos jam dudum ab illius anathemate separatos sibi resociarent; sicque tantò audaciùs, tantò crudeliùs, quanto compluribus, soluta tyrannide sanctam Ecclesiam opprimere possent. Nam statim post reconciliationem, ut prædictum est, ad pristinum volutabrum redire, sed & Simoniacis, utpote sui similibus, contra Apostolicam sedem assentire non dubitarunt.

III. Legati ad Mediolanenses à Papa missi.

Dum hæc aguntur, Mediolani, ubi anno superiori Sanctus Herlembaldus occisus fuerat, contigêre quæ narrat Arnulphus lib. 4. cap. 13. (apud Puricellum lib. 4. cap. 63.): *Henricus* (Germaniæ Rex) *sensit Mediolanensium populum Thedaldi Præsulis societatem culpabilem, divina prohibente lege, communicari excommunicato, missis domino Papa Legatis solutionem implorasse. Cui Legationi* IPSE EGO *interfui, de præteritis satisfaciens, in futuro castigari promittens. Papa verò sapientissimo usus consilio, venerabiles viros Lucensem* (nempe S. Anselmum), *& Ostiensem* (scilicet Geraldum) *Episcopos, direxit Mediolanum, daturos veniam quibuscumque poscentibus. Ubi verò ingressi sunt urbem, lætata est civitas universa. Qui toto illo triduo, confluentibus ad eos civibus, divina prædicantes eloquia cunctos absolventes benedicunt universos. Quod Thedaldus* (Archiep. Mediolanensis excommunicatus) *indignè satis ac molestè tulit; adeò ut seditionem in populo bellumque conaretur inferre, sed minime valuit.* Quibus lucem accipiunt, quæ Baronius num. XXIX de hac legatione refert. Porrò Arnulphum magnum conjugatorum Sacerdotum defensorem, postquam pervenit ad caput VIII ejusdem libri IV, ad sanam mentem rediisse jam suprà insinuavi. Sed redeamus ad Paulum Bernriedensem, qui post laudata verba statim subjungit.

IV. Coronari petens à Papa non exauditur.

Non multò pòst tamen Rex ab Apostolico jam regni concessionem callidè, ut communionem, elicere volebat. Missa enim à legatione, humiliter ei supplicabat, ut vel eum semel apud S. Joannem in Moytia (seu Modoëtia, aliquot milliaribus Mediolano distante) *per Episcopos Papiensem & Mediolanensem, more priorum Regum, coronari permitteret: vel si hoc nollet fieri per hujusmodi Episcopos, utpote excommunicatos, saltem hoc Privilegium Apostolica auctoritate cuilibet Episcopo concederet exequendum; ob hoc maximè appetens coronari, ut cum communione etiam regnum à Romano Pontifice videretur recepisse. Sed Papa calliditatem ejus jam satis expertus, nullo modo votis ejus voluit acquiescere: diligenter secum ipse reputans, se quidem eum pro multis criminibus, & maximè pro inobedientia & contumacia Apostolicæ Sedi irrogata, à regno deposuisse, omnesque ei juratos ab ejus dominio liberos reddidisse: & ob hoc nullatenus eum, sicut nec alium in Regem Principibus, utpote liberis hominibus, superponi debere, absque eorum electione. Nam & à toto regno de tot ac tantis injuriis ac perfidiis erat inculpatus, ut de his eum necesse esset primitus expurgari (si tamen hoc aliquatenus posset fieri), & sic demum cum consensu totius regni legitimè coronari. Rex igitur ea vice quoque, simulatâ obedientiâ apud Moytiam Regalia insignia non usurpavit: quæ tamen non multò pòst contra bannum domini Papæ resumere, & interdicta regni gubernacula usurpare non extimuit.*

V. Promissis non stat.

Interim transibat terminus, quem Rex coram Legatis Apostolicæ Sedis cum Principibus regni ad Augustam in Purificatione Sanctæ Mariæ condixerat, ad quem jam Papa venire conceperat: & jam illuc pervenisset, si non idem Rex, contra commune decretum omnium ingressus Italiam, conducturos Apostolicum à conductu deterruisset: terminus, inquam, ubi coram Apostolico in audientia totius regni canonicè de criminibus illatis expurgari, si inculpabilis esset, expurgatus legitimè in regnum, cum consensu omnium, restitui posset: ad quem ipse venire contempsit: imò suæ causæ diffisus, non præsumpsit; & Papam, ne vel illuc veniret, fraudulenter in Longobardia præoccupavit.

VI. Conventus Principum ad Ulmam.

Cùm igitur Principes regni terminum generali decreto statutum, Regem subterfugisse, & se etiam hac vice, solita ejus perfidia, delusos esse animadvertissent; cumque ejus versutiam nec in ipsa reconciliatione, vel postea cessasse, certissima relatione didicissent, mox in Suevia apud Ulmam, Conventu facto, deliberaverunt; nec se deinceps ab illo ludificari, vel potius pristina ejus calliditate periclitari permitterent; sed suæ saluti in legitimi Principis electione providerent. In eodem autem conventu apud Ulmam, generalius Colloquium ad Forecheim (munitum Episcopi Bambergensis oppidum) *IV Idus Martii, ad novi Regis electionem condixerunt: ad quod etiam domini Apostolici consilium & auxilium sibi venire, missa legatione, postulaverunt. Quo audito Papa ad id Colloquium Legatos direxit, qui Principes rogarent, ut dispositionem regni usque in adventum ejus differrent, si hoc sine periculo fieri posse sperarent. Noluit sanè eis hoc ex definito præcipere, ne sibi jure imputari posset, si quod periculum status regni ex illa dilatione incurrisset. Altera autem die post dimissionem Legatorum, Manegoldus Comes, magnus amator veritatis, advenit, cujus relatione Papa de novo Rege constituendo certior factus, alium Legatum, Gregorium scilicet Romanæ Ecclesiæ Diaconum, ad Principes regni destinavit: qui eos Apostolica auctoritate adventum ejus præstolari compelleret: eo tamen primitus explorato, si Rex, qui adhuc in Longobardia morabatur, ab eodem Legato conventus securitatem facere vellet, ut domino Papæ transitum ad Teutonicas partes, pro ipsius causa determinanda, concederet. Quod si Rex nollet concedere, præcepit Papa, ut Legatus ad se rediret, nec Principes cum aliqua dilatione, à providenda regni necessitate suspenderet. Item eidem Legato præfatam Legationem imponens Papa, dixit inter alia, se quasi pro indicio hujusmodi securitatem exegisse, cujus, inquam, securitatis exhibitio, illum in regnum restitui posse præsignaret: sicuti ejusdem securitatis denegatio, hoc eum non posse, ex divino indicio denotaret.*

VII. Gregorius VII Legatos ad Conventū Forecheimensem mittit.

Inter hæc verba Papæ tres digiti ejus dextræ, usque ad medium, repente sanguinei apparuêre; quos sanguine ex naribus profluente maculatos existimans, detergere cœpit: sed eos sanguineis notis nullatenus emaculare potuit. Hinc ipse & reliqui sapientes, qui hoc miraculum conspexerunt, aliquid magni per hæc signa portendi non dubitarunt. Erant autem ibi tunc præsentes prænominatus Comes Manegoldus, & venerabilis Presbyter Erkinbertus cum aliis quamplurimis in oppido Canusii in capite Jejunii, quod eo anno contigit in Kal. Martii. Percepta igitur legatione statim Legatus ad Regem properavit cum prædicto Comite; sed Rex securitatem, quam Papa postulabat, facere

re

re contempsit : unde & ille Legatus ad Apostolicum redire non eardavit. At Comes ad proximum Forecheimense Colloquium venire acceleravit; quo & priores Legati jam pervenerant, qui una tantum die, priusquam præfatus [discederet] Comes, ab Apostolico missi fuerant. Hi autem erant Legati, Bernhardus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Diaconus, item alter Bernhardus, Abbas religiosus de Massilia, ferè sexcentorum Monachorum Pater, qui etiam secum duxit egregium Doctorem quemdam, nomine Christianum (Guitmundum intelligit, ut sequentia indicant, quemadmodum & Anonymus Chiffletianus, qui *Christini* oomine alium non intelligit. Quare utroque nomine Guitmundus appellatus fuit), *postmodum Aversinæ civitatis Episcopum, cujus Opus extat eximium contra Turonensem Berengarium.*

VIII. *Dictatus Gregorio VII suppositum.* A num. XXXI ad XXXIV. Propositiones quasdam seu Effata oullatenus inter se cohærentia, nullaque temporis nota consignata, Gregorii VII Regesto inserta sunt inter Epistolam LV libri secundi & Epistolam LVI, cum quibus nullam etiam habent coonexionem. Illam farraginem Gregorii VII *Dictatum* inscriptam Baronius refert ad VII Synodum Romanam ab eo, hoc anno celebratam, sed oullius Auctoris testimonio, imò nec probabili ratione fultus. Quare Bellarminus & Labbeus in lib. de Script. Ecclesiast. Gregorii VII opera recensentes ejus tantùm Epistolarum mentionem faciunt, quod viderint, uti existimo, nullum Auctorem coævum aut supparem hujus *Dictatûs* meminisse, aut eum ei adscripsisse; nullum ex ejus adversariis de illo quæstionem adversùs ipsum movisse, quod certè præstitissent, & imprimis *Benno* ille maledicentissimos pseudo-Cardinalis, & atrocissimus calumniator: denique nusquam Gregorium ipsum in suis Epistolis *Dictatum* laudasse aut vindicasse, ut aliàs sua Decreta, ac Propositionum adeò singularium, plerumque nempe nullum io ejus Regesto vestigium extare. Articuli illi numero sunt XXVII, quos jam aliqui Viri docti confutarunt, & nuper Natalis Alexander in part. II Sec. XI & XII Dissert. III. In articulo XXIII, ut ceteros omittam, dicitur: *quod Romanus Pontifex, si canonicè fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur Sanctus, testante sancto Ennodio Papiensi Episcopo, et multis sanctis Patribus faventibus, sicut in Decretis B. Papæ Symmachi continetur.* De Pontificalis Officii sanctitate, non de personali sanctimonia loquitur Ennodius in Apologetico contra Symmachi Papæ adversarios, qui Donum etiam ac Privilegium impunè peccandi Pontificibus tribui ironicè dicebant: *Non nos*, inqoit, *B. Petrum, sicut dicitis à domino cum Sedis Privilegiis, vel Successores ejus, peccandi judicamus licentiam suscepisse. Ille perennem meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ misit ad posteros. Quod illi concessum est pro actuum luce, ad illos pertinet, quos par conversationis splendor illuminat. Quis enim Sanctum esse dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit? In quo si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ à loci Decessore præstantur. Aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eliguntur illustrat.* Verùm Auctor Dictatûs de vitæ sanctitate loqui videtur, & Decretum illud inventum ab inimicis hujus Sancti Pontificis, doctioris ac sapientioris quàm ut similem propositionem, aliasque in eo Dictatu contentas literis mandarit.

IX. *Conventus Forcheimensis.* A num. XXXVIII ad LVII. Pergit postea Paulus cap. X. *Facto igitur Conventu apud Forcheim, præfati Legati literas Apostolicas in medium protulerunt: quam parùm dominus Papa de promissione Regis lætatus fuerit; cùm adversarii Ecclesiæ plus audaciæ quàm terroris ex præsentia Regis acciperent. Ad hæc, aiebant, eum petere, ut novi Regis electionem de qua audierat, in adventum ejus differrent, si hoc sine periculo fieri posse perpenderent. Peracta igitur Legatione, Archiepiscopi, Episcopi, Duces, Marchiones, Comites majores atque minores, debitam reverentiam Legatis impendentes, per consessum singuli surrexerunt, & quot contumeliis, & quot periculis jam ab Henrico Rege affecti essent, vel se afficiendos fore non dubitarent, Legatis lamentari cœperunt; seque toties insidias ejus inter ipsa pacis oscula vix evasisse, ut nec juramento ejus deinceps aliquam fidem exhibere possent. Hoc quoque addentes se tandiu eum post depositionem tolerasse, non utique ut correctionem ejus, utpote desperatam, expectarent, sed ut quibusdam occasionem calumniandi auferrent, qui fortasse ei, si non tandiu expectaretur; totaque illa die cum hujusmodi querimoniis transacta, nec medietatem injuriarum sibi illatarum enumerare potuerunt.*

X. *In eo Rudolphus Rex Germaniæ electus.* Post aliqua interposita: *Hoc igitur Principes regni diligentissimè perscrutati, se quidem à Regis Henrici potestate, penitus, ut prædictum est, emancipatos, nec se illi plusquam illum illis alicujus fidelitatis vel subjectionis [juramento] obnoxios, ut liberi homines Rudolphum, Ducem Suevorum frustra multum renitentem, frustraque vel unius horæ inducias ad consulendum petentem, Regia dignitate sublimaverunt: virum sanè in humilitate præcipuum, Regio honori ætate & moribus idoneum; eique se debito fidelitatis sacramento subdiderunt. Qui utique regnum, non ut proprium, sed pro dispositione sibi creditum reputans, omne hæreditarium jus in eo repudiavit, & vel filio suo se hoc adoptaturum fore penitus abnegavit: justissimè in arbitrio Principum esse decernens, ut post mortem ejus liberè non magis filium ejus, quam alium eligerent, nisi quem ad id culminis ætate & morum gravitate dignum invenissent. Hunc igitur Rudolphum, legitimè electum Archiepiscopi Moguntinus & Magdeburgensis cum eorum suffraganeis, Legatis sedis Apostolicæ præsentibus & regni Principibus, Regali unctione consecrarunt. Electus est autem ab Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus majoribus atque minoribus, in Conventu apud Forcheim, anno Dominicæ Incarnat. MLXXVII, anno IV venerabilis Papæ Gregorii hoc nomine septimi, indictione XV Idibus Martii. Postea die duodecimo apud Moguntiam consecratus est, idest, VII Kal. Aprilis, ubi tunc medium Quadragesima occurrit.*

XI. *Successio in Regnum Germaniæ antiquatur.* In Conventu illo apud *Forcheimum* habito Germaniæ Proceres omne hæreditarium in Regnum jus repudiasse testatur etiam Bruno in lib. de Bello Saxonico, qui ait, Saxones ac Suevos ad Forcheimum præsente *Legato, qui cuncta de regno utiliter disposita firmaret*, convenisse; dumque *sua cuique Deus sit dira cupido*, ac *multi suas singulares causas interponunt, quas ut* Rex eligendus *se correcturum promitteret, volunt; consensu omnium comprobatum est, & Romani Pontificis auctoritate corroboratum, ut Regia potestas nulli per hæreditatem (sicut ante*

que ab eo ad altare post sacrificium Missæ occisum esse. Ibidem etiam legitur, *Stanislaum ab Innocentio IV Assisii in Sanctorum numerum relatum esse.* Refert postea Papebrocius Vitam ejusdem Sancti à Joanne Longino compositam, eamque prolixissimam. Verùm Longinus, qui seculo XV vixit, tam in eâ Vita, quàm in Historia Poloniæ multa refert, quæ sunt dubiæ fidei aut manifestè falsa, uti verbi gratiâ in hac Vita cap. 2. quando ait, *Lampertum* Stanislai decessorem extitisse *Archiepiscopum*; cùm tamen certum esse debeat, solam Guesnensem Ecclesiam in Polonia Archiepiscopalem fuisse; & cùm ibidem affirmat, *Stanislaum* Parisiis studuisse, & folicitatum, ut *se Juris Canonici aut Theologiæ Doctoratu insigniri pateretur*; declinasse conatus amicorum *fasces sibi Magisterii ingerentium*; cùm Doctoratus Theologiæ & Juris Canonici nondum hoc seculo institutus fuerit. Longini Historia Polonica usque ad annum MCCXL typis edita fuit, sed ne reliqui libri imprimantur, prohibent Poloni, arbitrati in hisce plurima Regni sui secreta prodi, inquit Papebrocius in Commentatio prævio ad Vitam Sancti Stanislai. In subsequentibus annis ea Historia fortè accuratior quàm in prioribus, ideoque desideranda. Ait Longinus apud Baronium num. XLI, & in Vita Sancti Stanislai, Gregorium VII Regem *Boleslaum* & Poloniæ Regnum excellentiâ Regali privasse ob cædem hujus sancti Præsulis, quod quidem verum est, sed *Boleslaus* anno tantùm MLXXVII, ut ex Lamberto in Chron. ostendimus, Regium nomen propria auctoritate sibi attribuerat; & tamen Longinus, & passim post eum Historici Poloniæ asserunt, Poloniæ Principes Regium nomen ab Ottone III obtinuisse, & usque ad Sancti Stanislai mortem tulisse, quod ex dictis subsistere non potest.

Anno Eræ Hispan. MCXVIII. Anno Hegiræ CCCCLXXIII. inchoato die 22 Junii fer. 2.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6573.

☉ 25. E D. ☽ 17. P. 22. April. Indict. 3.

JESU CHRISTI 1080.

GREGORII VII PAPÆ 8.

HENRICI IV REG. 25.

NICEPHORI BOTONIATÆ IMP. 3.

I. *Synodus Romana VII, in qua Henricus Rex excommunicatus.*

A Num. II ad XVII. Celebrata hoc anno Synodus Romana VII Præsidente Gregorio VII, de qua Paulus Bernriedensis in hujus Vita cap. XII hæc scribit: *Anno ab Incarnat. Domini MLXXX, Pontificatus verò Domini Gregorii Papæ septimi anno VII, indict. III celebravit ipse Papa Synodum Romæ, ubi interfuerunt Archiepiscopi & Episcopi diversarum urbium, nec non & Abbatum, ac diversorum ordinum, Clericorum ac Laicorum innumerabilis multitudo. Supervenerunt autem & Legati Rudolphi Regis & Principum regni Teutonici, & hujusmodi querimoniam protulerunt super tyrannidem Henrici: Nos ex legatione domini nostri Regis Rodulphi & Principum ejus conquerimur Deo & S. Petro, Vestrique paternitati, & cuncto huic sanctissimo Concilio, quod ille Henricus, quem vos Apostolica auctoritate deposuistis à regno, id ipsum regnum contra vestrum interdictum tyrannicè invasit, omnia circumquaque ferro, prædâ, incendio devastavit: Archiepiscopos, Episcopos de Episcopatibus suis impia crudelitate expulit, & eorum Episcopatus suis fautoribus in beneficia distribuit. Per cujus etiam tyrannidem pia memoriæ Werinharius Magdeburgensis Archiepiscopus occisus est* (anno scilicet MLXXVIII): *Adelbertus Wormaciensis Episcopus adhuc ab eo contra sedis Apostolicæ preceptum in captione cruciatur: multa hominum millia ejus factione sunt occisa; quàmplures Ecclesiæ ablatis Reliquiis, incensæ ac penitus destructæ. Innumerabilia quidem facinora sunt, quæ Henricus in Principes nostros perpetravit, eo quod sibi contra sedis Apostolicæ decretum ut Regi obedire noluerunt: & Colloquium, quod vos pro inquirenda justitiâ & pace componenda fieri decrevistis, ex culpa Henrici & fautorum ejus remansit. Quapropter Vestram humiliter imploramus Clementiam, ut nobis, imò Sanctæ Dei Ecclesiæ, de tam sacrilego pervasore Ecclesiarum justitiam faciatis.*

II. *In eâ aliqui Episcopi deponuntur.*

Addit Paulus, Gregorium VII his auditis eam excommunicationem in *Henricum* Regem promulgasse, quæ legitur apud Baronium à num. VIII ad XIV, quæque his verbis clauditur: *Acta Romæ nonis Martii, indict. III.* In eodem Concilio Romano trium Episcoporum Schismaticorum, *Tedaldi* nempe Mediolanensis, *Guiberti* Ravennensis & *Rolandi* Tarvisensis Præsulum depositio confirmata est, ut narrat Baronius num. III & seqq. Adhæc Gregorius VII *Rudolphum Apostolica auctoritate in Regia dignitate confirmavit*, inquit Bertoldus in Chronico; statuitque, *ut si quis deinceps Episcopatum, vel Abbatiam de manu alicujus laicæ personæ susceperit, nullatenus inter Episcopos vel Abbates habeatur, nec ulla ei ut Episcopo seu Abbati audientia concedatur.* Quare quæ in secunda Synodo Romana anno millesimo septuagesimo quinto congregata de Investituris constituerat, confirmavit, & perpetuò observari decrevit.

III. *Guibertus eligitur Antipapa.*

A num. XVII ad XXXV. Centius Camerarius in libro suo Censuali cap. 3. narrata excommunicatione à Pontifice in Regem Henricum lata, ait: *Rex ubi se cognovit per sententiam Romani Pontificis a consortio fidelium segregatum, tristis effectus est: sed cùm à diversis diversa darentur sibi consilia, in anxietatis dubio positus, quid potius eligeret ignorabat. Tandem perversorum Antistitum & impiorum Principum sententiâ prævalente, apud Brixiam generalem Curiam disposuit celebrare. Convenerunt itaque in loco ipso plurimi seditiosi & infames Episcopi, cum multitudine Clericorum & Principum, quatenus in jacturam Domini Gregorii Papæ possent aliquid mali ordinare vel statuere, ut inter Romanam Ecclesiam & Imperium discordia futuris temporibus fulciretur. Communicato itaque execrabili & detestando consilio, de consensu ipsius Regis, elegerunt in Romanum Pontificem, imò Antipapam, Gubertum Ravennatensem, virum manifestè perjurum, atque omni malitia & dolositate plenum.*

IV. *Venit in Italiam.*

Et quoniam plerumque contigit, ut peccatum sit pœna peccati, de superbia radice processit ad perjurium, de perjurio ad inobedientiam, de inobedientia ad excommunicationem cecidit, & de excommunicatione pervenit ad idololatriam. Hunc talem sicut diximus, Rex Henricus adoravit pronus in terram; qui etiam, suadente Dionysio Placentino Episcopo, jurasse asseritur, ut ab eo imperii coronam acciperet. Quid plura? Ita peccatis exigentibus, omnes qui præsentes aderant, mente excæcati sunt, non ut respicerent cœlum, sed ad ejus vestigia osculanda. Heu! proh dolor! se pariter incurvarunt. Et his ita peractis, Rex in apertam hæ-

resim

resim lapsus, ad propria in Octavis Apostolorum regressus est; Guibertus verò hæresiarcha, insignitus Papalibus insigniis, cum complicibus suis pompose intravit Italiam. Idem de verbo ad verbum legitur in Actis à Nicolao Cardinali Aragoniæ collectis. Quando verò Guibertus coronatus fuerit, suo loco dicemus. *Deinde apud Maguntiam Conventu facto, eamdem ipsam electionem à quibuscumque potuit confirmari fecit*, inquit Bertoldus in Chron. Urspergensis Abbas ad annum MLXXX de utroque Concilio verba facit, additque: *facta sunt hæc VII Kal. Julii, feria V, indict. III*; nempe die XXV mensis Junii in quam hoc anno feria quinta incidit, ubi de die electionis Antipapæ loquitur; cùm jam asseruisset, Synodum Moguntinam in Pentecoste fuisse coactam.

V. *Robertus Investituram Calabriæ & Siciliæ accepit.*

A num. XXXV ad XLIV. Baronius ex eo quod post Epistolam Gregorii VII primam libri octavi, quæ est de Armenorum erroribus, in Registro collocatum fuerit *Juramentum* Roberti Ducis Calabriæ, eum hoc tantum anno vinculo excommunicationis, quo in prima & secunda Synodis Romanis legatus fuerat, absolutum, & illud Juramentum prolatum deducit. Verùm, ut anno MLXXIV jam ostendimus, *Robertus* anno MLXXVII in gratiam Pontificis rediit, neque Juramentum illud suo loco à Collectore positum; cùm *Robertus* illud emiserit *Aquini* eo tempore, quo in gratiam Gregorii VII rediit, ut eo Christi anno ostendimus. Collectorem decepit subscriptio, quæ in fine Juramenti hoc anno à Baronio relati legitur: *Actum Ciprani tertio Kalendas Julii.* Videns enim Epistolam II ejusdem libri VIII dici datam Ciprani quinto Kalendas Julii, indictione tertia, hoc nempe anno, existimavit Juramentum sicuti Epistolam ad præsentem annum pertinere. Verùm alio anno Epistola illa scripta; alio Juramentum emissum; cùm *Robertus* à Pontifice *Aquini* absolutus fuerit, eique homagium præstiterit, ut anno MLXXIV monstravimus. Baronius num. XXXVII ait, *Cipranum* esse oppidum in Latio ad ripam Liris fluminis. Sed existimo arcem fuisse ad Lirim seu Garilianum fluvium positam, in confiniis Terræ Laboris in Regno Neapolitano, in confiniis, inquam, quia Summontius in Historia Neapolitana lib. 1. pag. 487. indicat, eam in Campania sitam fuisse. *Cyperani* vel *Ceperani* mentio in Chron. Casinensi lib. 4. cap. 51. & apud Fulconem Beneventanum. Quare cùm locus ille *Aquino* vicinus esset, quod *Ciprani* gestum, id Centius Camerarius anno MLXXIV num. IX à nobis laudatus, *Aquini* contigisse dicit.

VI. *Pseudo-Michael Imp. mense Julio Romam venit.*

Ad num. XLIV & seq. Refert Baronius Epistolam Gregorii VII ex lib. VIII cap. VI ejus Registri, Episcopis Apuliæ & Calabriæ datam, in qua ait, *Michaelem* Imperatorem Constantinop. in Italiam venisse, ejus & Roberti Calabriæ Ducis opem imploraturum, quem eis maximopere commendat. Epistola *dat. Octavo Kal. Augusti.* Verùm Pseudo-Michael ille Gregorio Papæ fucum fecit. De eo Anna Comnena lib. 1. pag. 28. & seq. scribit duplicem ad se famam emanasse, quarum posteriori adhæret: *Verùm alia me aliunde, eademque credibilior fama circumsonat. neminem fuisse plagiarium Monachum, qui ultrò in Michaelis quondam Imperatoris nomen invaserit, Robertumque provocarit: nugas eas, præstigiasque esse: nihilque aliud nisi artificis scelus Roberti ipsius, facundissimi ad fraudes ingenii. Nimirum is dudum concepta cupiditate Romani imperii sibi bello parandi, apparatibus res sancta jam, ut sibi erat conscius, maturis, parturiebat impotens animi, & rumpere consilio exitum omni conatu moliebatur. At obstabant præcipiti incœpto injusti belli, adversùs Christianos suscipiendi, tum plerique Principum, qui ei aderant, tum ipsa ejus conjux Gaita, qui quoties istam pruriginem lacessendi Romani nominis* (Græcos intelligit Anna) *Robertum ostenderet, nullum finem dissuadendi faciebant. Eos igitur ad suam sententiam trahendi talem viam init. Mittit certos homines Crotonem arcana mentis sua conscios, clam nempe in aurem monitos, ut si quem ibi reperirent Monachum, è Græcia limina Apostolorum cogitantem; quem aspectu & congressu non inidoneum ad rem, qua parabatur, judicarent, exciperent hominem comprehenderentque officiis, omninòque ad se adducerent. Occurrit istis Crotone commodum his, quem dixi Rector, homo versutus & simulandi quidvis; dissimulandique summus artifex. Aptiùs nihil visum ad Roberti propositum.*

VII. *Mense Aprili in Apuliam venerat.*

Literas ergo ad ipsam Salernum mittuat in eam formam scriptas, quas ipse præscripserat: quibus significabant consocerum ipsius Michaelem imperio pulsum, profugumque in Italiam Crotone esse, mox ad ipsum transmissurum auxilii rogandi causâ. Has literas repente Robertus, ut adhuc primùm patentes in manu habebat, conjugi primùm legit, tum comitatûs sui viros illustres ac Principes convocans, quid nuncii perferretur docet. Illi omnes re facile credita, nequaquam negligendum affinis Principis casum Roberto assenserunt. Historiam illam fusiùs Anna prosequitur, cujus etiam meminêre Lupus Protospata hoc anno, & Anonymus Barensis, qui ait: *An. MLXXX ind. III ipse Dux fecit fine cum Bari, & mense Aprili fecit Tarenta cum illo, & Trane, & Fumilare fecit ibi Michael Imp.* Fumilare vox deducta à Græco, ut interpretatur Ducangius in Notis ad præfatum Annæ locum, εὐφημεῖν, quæ significat *Laudes Imperatori acclamare*, uti variis exemplis ostendit in Glossario Græco-barbaro. Hujus Michaelis mentionem etiam faciunt Malaterra lib. 3. cap. 13. & Guillelmus Apuliensis magnus encomiastes Roberti Ducis, lib. 4. qui Roberti expeditionem, de qua anno sequenti, verba faciemus commemorans, hæc subdit:

Modicum remeratus Hydrunti
Tempore præstolans adventum conjugis, atque
Multorum Comitum, quos noverat ipse futuros
Esse viæ socios. Mentitus se Michaelem,
Venerat à Danais quidam seductor ad illum,
Immeritò raptum jus imperiale reposcens,
Se profugum lachrymans, lachrymantem dux & honestè
Suscipit & tractat, placidoque favore benignum
Exhibet obsequium. Populus quoque credulus omnis.
Assurgebat ei flexa cervice salutans.
Hunc adhibens socium sibi dux, ut justior esset,
Causa viæ, secum dum transfretat, ipse reducit.

VIII. *Rodulphus Rex in acie occisus.*

Ad num. LV. *Henricus* Rex cum *Rodulpho* Rege die decima quinta mensis Octobris, ut narrat Marianus Scotus, inter Elstrum fluvium & Gronæ paludes congreditur, & occiso Rodulpho totus Saxonum exercitus in fugam vertitur. Hoc tamen prælium non uno modo narratur. Auctor Anonymus Vitæ Henrici IV à Reubero editus, & à Baronio num. XXI citatus,

qui

SÆC. XI. An. C. 1078.

Ipse in diebus suis divina revelationis instinctu principale cum tota majori Ecclesia altare, quod per incendium destructum est, anno domini MLXXVIII consecravit, priori destructo, ac inclusis multorum Sanctorum integris corporibus, &c. Iste pia memoria frater fuit Arnonis Coloniensis Archiepiscopi, Wernerus appellatus, ut jam idem Chronographus dixerat. De tertio & quarto prælio inter utrumque Regem commisso anno MLXXX mentionem faciemus, ut quo in statu hoc tempore res essent, meliùs innotescat.

III. *Synodus Romana V sub Gregorio VII.*

Ad num. XIX. De Synodo Romana *Quinta* hoc anno habita, hæc tantùm in eodem Paulo Bernriedensi leguntur: *Anno ab Incarnat. domini MLXXXVIII Pontificatus verò domini Gregorii Papæ VII sexto, decimo tertio Kalendas Decemb. indict. II congregata est Synodus Romæ in Ecclesia S. Salvatoris, in qua juraverunt Legati Henrici & Rudolphi, quisque pro Domino suo, quod nullis dolis Colloquium Legatorum Sedis Apostolicæ in Teutonico regno habendum, impedirent.* Bertoldus in Chronico de priori Synodo ait: *Idoneos Legatos iterum destinavit, qui facto generali Colloquio causam regni juste determinaret; & omnes Synodali sententia, damnavit, quicumque impedirent, ne Colloquium fieret. Quod Rudolphus libentissimè voluit fieri: Henricus autem utcumque potuit, impedire non cessavit. Nam contra Apostolicum præceptum, maxima multitudine flagitiosorum adunata, prœlium in Saxoniam paravit: cui Rex Rodulphus apud Struvam cum exercitu obviavit, & illo fugato ipse campum victoria obtinuit VII Idus Augusti. Occubuit tamen ibi ex parte Rudolphi Wecel venerabilis Magdeburgensis Episcopus, & Wormacensis Episcopus captus est. Infinita autem multitudo utrimque occubuit, plures tamen & excellentiores ex parte Henrici. Facto autem alio Concilio Romæ X Kalend. Decemb.* (legendum, XIII Kalend. Decemb.) *utriusque Regis Legati, in Synodo juravêre, quod domini eorum non impedirent colloquium, pro causa regni statuendum. Unde & Papa ea vice inter nos judicare non potuit, quamvis bene sciret, cui parti magis justitia faveret.*

IV. *Iterum Berengarius auditus.*

Subdit de V Sinodo Romana Bertoldus: *In Synodo ista Berengarius Andegavensis Canonicus, ut ab hæresi sua resipisceret, Synodaliter convenitur, eique inducia usque ad proximè futuram Synodum dantur.* Huc referendum quod Anonymus Chiffletianus in Opusculo de Berengarii hæresiarchæ damnatione multiplici scribit, *Reverendissimus Papa Gregorius VII, successor Alexandri, iterùm eidem Beringerio audientiam in duabus Synodis generalibus Romæ concessit. Sed cùm ipse sectam suam Catholicæ fidei contrariam denegare non posset, iteràm sub juramento eamdem abdicare, & fidem Catholicam profiteri delegit, sicut in superioribus Conciliis fecit. Tot igitur Conciliis Beringerianam hæresim damnatam percepimus, tum ex fidelium relatione virorum, qui eisdem Conciliis interfuerunt, tum ex regestis Romanorum Pontificum, tum ex scriptis religiosorum virorum, qui de his fidelissimè scripserunt. Nam eadem Concilia nostris temporibus infrà XL annos celebrata reperiuntur, quot anni ab exordio Pontificatûs Sancti Leonis Papæ usque in præsentem annum computantur, qui est ab Incarnatione domini MLXXXVIII* (quo ideo Auctor Opusculum suum scripsit). *Unde & adhuc multi vivunt, qui eisdem Conciliis interfuerunt; qui & nobis de eisdem Conciliis fidelissimè testificati sunt.*

SÆC. XI. An. C. 1078.

V. *Secunda Berengarii fidei Professio.*

Berengarius, qui primam fidei Professionem anno MLIX coram Nicolao Papa fecerat secundam in ista Synodo edidit, quam hactenus ineditam ex veteri Codice MS. Mabillonius Tom. II Analect. in Observat. de multiplici Berengarii damnatione in hunc modum exhibet: *Profiteor panem Altaris post consecrationem esse verum Corpus Christi, quod natum est de Virgine, quod passum est in Cruce, quod sedet ad dexteram Patris: & vinum Altaris postquam consecratum est, esse verum Sanguinem, qui manavit de latere Christi. Et sicut ore pronuncio ita me in corde habere confirmo. Sic me adjuvet Deus, & hæc sacra.* Verisimile est, inquit Mabillonius, *Berengario* postea quam priorem confessionem quasi proprium Humberti Cardinalis fœtum tam atrociter scripto suo à Lanfranco confutato laceraсset; ut vel sic omnis causandi ac tergiversandi aditus ei præcluderetur, datam fuisse potestatem suis verbis explicandi propriam de Eucharistia mentem; quod ipse præstiterit, edita hac confessione secunda, in qua subdolis *veri Corporis & veri Sanguinis* verbis Catholicam fidem profiteri videbatur: tametsi sub ejusmodi speciosis larvis hæresim suam occultabat. Inde factum, ut hæc confessio permultis istius Synodi Episcopis non fecerit satis, ideoque remissa ac dilata sit amplior hujus rei discussio in Synodum anni subsequentis, cujus gratiâ frequentior Episcoporum numerus Romam convenire debebat: ac interim *Berengarius* ad id tempus Romæ residere jussus. Quæ Viri doctissimi conjectura vàlde mihi probatur.

VI. *Michael Imp. Imperio deponitur.*

Ad num. XX & seq. *Michael Ducas*, cujus ignaviâ Orientalis Imperii pars in Turcorum potestatem venit, hoc anno imperio depositus & ad Monasticam vitam ad Studii monasterium transmissus, *cùm annos sex imperasset, eodem sabbato, quo à fidelibus miraculum Lazari celebratur*, inquit Curopalates pag. 862. Sabbato nempe Passionis, Martii mensis die XXXI, ubi detonsis capillis, Patriarchæ & Metropolitanorum sententia Ephesi Archiepiscopus electus, cùm semel ad Urbem accessisset, in *Manuelis* monasterium reversus, suis manibus laborans ac tandem sub *Alexio Comneno*, à quo perhonorificè semper est habitus, diem clausit extremum, ut subdit postea Curopalates, cui alii suffragantur; sed annis illis sex, totidem menses cum Joele addendi; Imperium enim inierat anno MLXXI, circa initium mensis Septembris.

VII. *Nicephorus Botoniates coronatur Imperator.*

Nicephorus verò *Botoniates*, qui anno superiori Imperium invaserat, sub die vigesima quinta mensis Martii Imperator renunciatus fuit, & Imperatorio diademate in æde Sophiana à Patriarcha donatus in magna hebdomade feriâ tertiâ, die tertia Aprilis, ut in eodem Curopalate legitur. Coronatus est *Botoniates* à *Cosma* Patriarcha Constantinop. qui anno MLXXV, non verò currenti, ut perperam Baronius habet Xiphilino successerat, sicuti anno MLXXX, quo Baronius de morte Xiphilini memoriæ lapsu rursùm loquitur, demonstrabimus. *Botoniates Eudociam* Michaëlis Imperatoris matrem in alteram conjugem ducere statuerat, à quo consilio avocatus, tandem pudore omni posito calcatisque Ecclesiæ legibus *Mariam* Michaelis Imp. uxorem sibi copulavit, licet eamdem an-

SÆC. XI. An. C. 1078.

tea cum Michaële & Constantino filio in Monasterium Studiense amandasset. Anna Comnena lib. 3. pag. 73. *Mariæ* Iberiæ Regis filiæ pulchritudinem miratur, atque nullum unquam tale humani corporis simulachrum extitisse; Theophilactus verò Bulgariæ Episcopus in Institut. Regia part. 1. cap. 3 & seqq. qui ejus hortatu Commentarios in Quatuor Evangelia composuit, præclaras Mariæ animi dotes, pietatem & generis nobilitatem, pluribus prædicat.

VIII. *Helenam filio Michaëlis Imp. desponsatam ad patrem remittit.*

Roberti Calabriæ Ducis filia *Helena* nuncupata Constantinopolim ducta fuerat, Constantino Michaëlis Imp. filio despondenda, sed connubialia pacta penitus abrupit Nicephorus Botoniates; ut fusè narrat Anna Comnena lib. 1. ubi pluribus de eximia ejusdem Constantini pulchritudine, & de Roberti fortuna verba facit. Addit Zonaras *Helenam* postmodum à Botoniate ad patrem remissam quam cùm Malaterra lib. 3. cap. 13. & Ordericus lib. 7. tradant, Constantinopoli reclusam, & diligenti custodia observatam, ea post illam custodiam patri reddita videtur. Porrò *Robertus iste ex mediocri stirpe in Normannia ex eorum ordine, quos Vavassores vulgo illi dicere solent, in plaga, quam Constantiam indigenæ vocant, editus*, inquit Otto Frisingensis lib. 1. de Gest. Friderici cap. 3. cui varii Historici consentiunt.

IX. *Nicephorum Bryennium Historici avum capit & excæcat.*

Bryennio verò, inquit Zonaras, *qui adhuc in Occidente tyrannidem tenebat, per Legatos Cæsaris honorem pollicetur* (nempe Botoniata) *si tyrannide abstineat, & adjutoribus ejus, honorum quos jam ab illo accepissent, confirmationem. Sed cùm ille imperii cupiditate æstuans non cederet.* Botoniata invitus bellum adversum illum suscepit, eumque captum ac cæcatum in Urbem perduxit. Erat tunc *Nicephorus Bryennius* Dux Dyrrachii, cui suberant provinciæ aliquot, urbesque complures quarum præcipua & caput *Dyrrachium* fuit, à qua totius Thematis appellatio deducta, ut liquet ex Porphyrogenneta lib. II. de Themat. cap. IX. Eumdem Ducatum obtinuerunt postea alii, indeque Ducis honoraria appellatio Dominis ex gente Francica attributa fuit, ut tradit Ducangius in Notis ad lib. 1. Alexiadis. Filius *Nicephori Bryennii* unà cum patre captus, oculisque perinde privatus, ut narrat Anna Comnena lib. 10. pag. 174. à qua cùm *Nicephorus Cæsar* ejus maritus vocetur *Ἀπόγονος* perspicuum est, hunc Nicephori tyranni ex filio nepotem extitisse, Zonaramque deceptum, qui scripsit, Nicephorum Cæsarem, Annæ maritum filium fuisse Nicephori Bryennii, qui Botoniata imperante tyrannidem affectavit. *Nicephori Bryennii* Historia ad initium ejusdem Botoniatæ perducitur, & neque à Vossio lib. de Historicis Græcis, neque ab aliis memoratur, quia ea tantùm anno MDCLXI Parisiis typis Regiis excusa est.

X. *Tauromenium Saracenis ereptum.*

Tauromenium & *Rameta* munitissima Siciliæ oppida à Saracenis eversa, & postea restituta fuerant. Hoc verò anno, teste Malaterra lib. 3. cap. 17. *Tauromenium* à Rogerio Siciliæ Comite post longam obsidionem Saracenis ereptum. Narrat hic Historicus Regem Tunetensem, qui hoc tempore erat *Tamimas* è familia Ziridum, toto conatu urbi favisse, sed impedire non potuisse, ne tandem obsessi fame pressi eamdem dediderint, quod Malaterra prosâ & versibus refert:

Deficit ut panis, populus superatur inanis.
Sic Comes accitur, castro pro velle potitur.
Arbore sub tauri, curvantur mœnia Tauri.

SÆC. XI. An. C. 1079.

Quibus ultimis vocibus *Tauromenium* designat. Ita Rogerius reliqua, quæ in Sicilia Saracenis parebant oppida, sensim subigebat, & miseros Christianos in libertatem asserebat. Porrò ex his intelligimus, *Tauromenium* Græcos Episcopos hoc & sequenti seculo sub utroque Rogerio, Comite nempe ac Rege, habuisse, & Pyrrhum Rochum ac Franciscum Scorsum, hunc in editione Operum Theophanis Ceramei Episcopi Tauromitani, illum in Sicilia Sacra, Catalogum Episcoporum ejusdem Urbis ante annum nongentesimum malè absolvisse, existimantes sc. *Tauromenium* postea Episcopos non habuisse.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6572.

☉ 14. F. ☽ 16. P. 24. Mart. Indict. 2.

JESU CHRISTI 1079.

GREGORII VII PAPÆ 7.

HENRICI IV REG. 24.

NICEPHORI BOTONIATÆ IMP. 2.

Anno Eræ Hispan. MCXVII. Anno Hegiræ CCCCLXXII inchoato die 4. Julii fer. 5.

I. *Synodus Romana VI sub Gregorio VII.*

ANnum. I ad VIII. *Anno MLXXIX Gregorius Papa Synodum Romæ mense Februario collegit: in qua Beringarius, jam tertiò convictus, hæresim suam abjuravit & anathematizavit*, inquit Bertoldus in Chron. Anonymus verò Chiffletianus, postquam locutus est de Synodo anno superiori habita, in qua Berengarius ejuravit hæresim, scribit: *Ultima quoque generali Synodo sub Gregorio Papa VII anno dom. Incarnat. MLXXIX ipsi interfuimus, & vidimus quando Beringerius in media Synodo constitit & hæresim de Corpore domini, coram omnibus propria manu sacramento abdicavit sub præsentia Gregorii Papæ, Henrici Patriarchæ Aquileiensis, & Reverendissimorum Episcoporum Petri Albanensis* (Ignei cognominati) *beati Anselmi Lucensis, Landulfi de Pisa, Reginherii de Florentia, Hugonis Diensis, Altismanni Pataviensis, & reliquorum centum quinquaginta Episcoporum & Abbatum, & innumerabilium clericorum.* Tertiam fidei formulam Berengario propositam, quam ipse publicè lectam, non catholico animo, sed metu supplicii confirmavit sacramento, ac subscripsit, recitat Baronius num. III. De hoc Concilio Hugo Flaviniacensis, qui hoc tempore vixit, in Chron. Virdun. pag. 214. hæc habet: *maxima pars panem & vinum per sacræ orationis verba & Sacerdotis consecrationem Spiritu Sancto invisibiliter operante converti substantialiter in Corpus dominicum, quod in Cruce pependit, & in Sanguinem, qui de ejus latere fluxit, asserebat. Quidam verò cæcitate nimia perculsi figuram tantum adstruebant. Verùm ubi res cœpit agi, priusquam tertia die ventum foret in Synodum, defecit contra veritatem niti pars altera. Denique Berengarius hujus erroris magister post longo tempore dogmatizatam impietatem errasse se coram Concilio confessus, veniam postulatam ex Apostolica clementia meruit, juravitque sic.* Refert postea Juramentum, de quo suprà.

II. *In ea Berengarius hæresim abjurat.*

Narrato illo juramento subjungit Hugo Flaviniacensis: *Tunc domnus Papa præcepit Berengario ex auctoritate Dei Omnipotentis, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ut de Corpore & Sanguine*

SÆC. XI. An. C. 1079. *Sanguine Domini nunquam ulterius cum aliquo disputare vel aliquem docere præsumeret, exceptâ causâ reducendi ad fidem hanc eos, qui per ejus doctrinam ab ea recesserant.* Tum, vel saltem anno sequenti dedit ei literas commendatitias à Dacherio Tom. II Spicilegii pag. 508. recitatas: *Gregorius servus Servorum Dei omnibus beato Petro fidelibus salutem & Apostolicam benedictionem: notum vobis omnibus facimus nos anathema fecisse ex auctoritate Dei Omnipotentis Patris & Filii, & Spiritûs sancti, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli omnibus, qui injuriam aliquam facere præsumpserint Berengario Romanæ Ecclesiæ filio, vel in personâ, vel in omni possessione sua, vel qui eum vocabit hæreticum: quem post multas quas apud nos, quantum voluimus, fecit moras, domum suam remittimus, & cum eo fidelem nostrum Fulconem nomine.* Inde sumta occasio à *Bennone* Schismatico asserendi, Gregorium erroris Berengarii participem fuisse; quam calumniam Baronius, qui tamen hanc Epistolam non viderat, num. VI rectè confutat.

III. A S. Brunone Episc. & B. Wolphemo Abbate refellitur.

In hoc Concilio adversùs *Berengarium* disputarunt *Sanctus Bruno*, qui postea Sigoiæ Episcopus fuit, & Beatus *Wolphemus* Abbas Brauvillerensis Epistolam ad *Meginhardum* Abbatem adversùs Berengarii hæresim dedit, quam refert Conradus Monachus in ejus Vita apud Surium die XXII Aprilis, & Bollandum ad eumdem diem. Dissitum illud monasterium aliquot millibus passuum ab orbe Coloniensi, in quo *Conradus*, postquam per aliquot annos Canonicus Ecclesiæ Cathedralis illius civitatis extitisset, vitam traduxit, & eorum quæ de *Wolphemo* narrat, testis ut plurimùm oculatus fuit. De eo cap. 2. scribit: *Fervebat in eo magnificè studium jugis exercitationis Scripturarum: & quoniam scientiæ illius thesaurus non occultabatur absconditus, fiebat ubique fama vulgante celeberrimus. Hinc non minor de longinquo, quàm ex proximo studiosorum illorum Clericorum expetebat frequentia, præsenti auditu sapientium experiri, quanta in illo veri Salomonis vigeret sapientia.* Tum cap. 2. *Istis diebus Francia turbabatur per Berengarium Turonensem, qui asserebat Eucharistiam, quam sumimus in altari, non esse revera Corpus & Sanguinem Christi. Unde contra eum & pro eo multum a multis & verbis & scriptis disputatum est. Adversus quem etiam extat hujus beatissimi viri Epistola, ad quemdam Meginhardum Abbatem Gladebacensem edita* (est Gladebacum monasterium in agro Juliacensi cum oppido adjuncto positum), *firmiter undique veritatis assertione subnixa, qui quasi filius patrem consuluit super hujus quæstionis definitione: quam licet attexere sit longum, utilitas tamen prospicientes legentium, non incongruum duximus præsenti inserere opusculo.* Sed ea Epistola ibidem legenda. *Wolphemus* miraculis in vita & post mortem clarus *decimo Kalendas Maii* obiit *anno millesimo nonagesimo primo dom. Incarnat.* inquit idem Conradus.

IV. In Concilio Romano VI querela lata adversùs Henricum Regem.

A num. VIII ad XVI. Paulus Bernriedensis in Vita Gregorii VII cap. XI de Concilio Romano VI sub eo Pontifice coacto hæc scribit: *Anno ab Incarnat. Domini MLXXIX, mense Februario, indict. II, Pontificatûs verò domini Gregorii septimi Papæ VII, Legati Regis Rodolphi super Henricum proclamaverunt, quod nulli loco, nullique personæ parcens, regiones transalpinam contereret & conculcaret; neminem debitus honor vel reverentia tueretur, & cum vilem mancipia, non modo Sacerdotes, sed etiam Episcopi & Archiepiscopi caperentur, vinculisque mancipaventur, partemque jam trucidarentur. Decreverunt ergo quamplures Concilii, in illius tyrannidem gladium Apostolicum debere evaginari: sed distulit Apostolica mansuetudo, simul & illud attendens, quod Petro Albanensi* (Igneo cognominato) *& Altmanno Batavensi* (seu Pataviensi) *Episcopis de eodem negotio scribens, inter cetera dicit: Sic vos utrique parti communes, & ab omni suspicionis nævo, quantum in vobis est, cum divina gratia adjutorio exhibete immunes, ut justitia semper, & nullo modo partibus faveatis, sicut habetis formam nostram: qui videlicet, postquam judicium tanti hujus negotii in manu B. Petri commissum est, nihil aliud testibus vobis intendimus, nisi ut per justitiæ semitam incedamus. Ad nullam partem sinceritatem Apostolicæ discretionis inflexımus, ut nullis promissionibus aut erroribus cessimus, nec aliud unquam, Deo protegente, acturos nos confidimus.*

SÆC. XI. An. C. 1079.

V. Missi à Gregorio VII Legati in Germaniam.

Narrat postea Legatos Henrici Regis, *qui prædicta querela super eumdem prolata præsto fuerunt*, jurasse iterum compromissum, ac promisisse ex præcepto ejusdem Regis, se ad Pontificem venturos *infra terminum Ascensionis domini*, & Legatis Romanæ Sedis in omnibus parituros *secundùm justitiam & judicium illorum.* Quod itidem Legati Rudolphi Regis jurarunt. Denique recitat Epistolam Gregorii VII Præsulibus in Saxonico & Teutonico Regno commanentibus, cunctisque aliis, in qua ait se in hac Synodo statuisse, ut nullus Legatis suis obsistere præsumat, sed usque ad diem ab illis statutum firmam pacem omnes observent.

VI. Gregorius filios Raimundi Berengarii I Comitis Barcin. conciliare conatur.

Ad num. XVI & seq. Raimundus Berengarii Comes Barcinonensis hujus nominis I, de quo suprà locuti sumus, anno MLXXVI demortuus, postquam in Comitatu XLII annis vixisset Duos reliquit filios, *Berengarium* scilicet *Raimundi*, & *Raimundum Berengarii* hujus nominis II, inter quos post obitum patris exortam fuisse discordiam intelligitur ex literis Gregorii VII lib. VI Epist. XVI à Baronio recitatis, scriptisque ad Berengarium Episcopum Gerundensem. De ea dissensione agit Auctor Anonymus de Gestis Comitum Barcinonensium, à Baluzio in Marca Hispanica editus qui cap. XV ait, post Raimundum Berengarii Comitem Barcinonensem habenas Comitatûs suscepisse Raimondum Berengarii ejus filium, armis strenuissimum, additque: *Huic pater dederat uxorem filiam, scilicet Roberti Guiscardi Ducis Apuliæ & Messinæ, ex qua genuit filium suo pariter nomine Raimundum Berengarii nuncupatum. Berengarius itaque Raimundi frater ejus major, videns se despectum à patre, in hoc quia ipsum non hereditavit, pro eo quia major, tam nobili suo fratri invidens, ipsum plurimùm odio habuit, intantum ut quadam die illum, instigante diabolo, &c. adhuc valde juvenem, heu proh dolor interfecit. Tenuitque Comitatum supradictus Raimundus Berengarii VII annis, &c. Actum fuit hoc Christi anno MLXXXII.* Quare omnis Gregorii VII conatus, ut utrumque fratrem ad concordiam reduceret, irritus fuit. Porrò *Roberto* Calabriæ Duci quinque filiæ fuêre, teste Guillelmo Apuliensi lib. 2. quarum *Mathildis* Raimundo Berengarii II Comiti Barcinonensi, præfati Raimundi filio primùm nupsit, deinde *Americo* II Vicecomiti Narbonensi. Idem Guillelmus lib. 4. nuptias Raimundi

attigit, sed nomen uxoris tacet. At de Mathildis nuptiis agunt Joannes Archidiaconus Barensis in Hist. Inventionis Sancti Sabini cap.1.& Catellus lib. 4. Rer.Occit. pag.583. Quare perperàm Surita lib. 1. cap. 24. hoc matrimonium in dubium revocavit, rectèque Didacus in Hist. Comitum Barcinon. lib. 2. cap. 78. ostendit, *Mathildem* post mortem Raimundi nupsisse *Americo* II Vicecomiti Narbonensi, ex eoque matrimonio natum Americum alterum, quem fratrem suum vocat Raimundus Berengarii filius Mathildis in suo testamento. Baronius duos Raimundos in unum confundit, non animadvertens plures ejusdem nominis Comites Barcinone præfuisse, scilicet *Raimundum* I, *Raimundum* II, duosque alios, qui eis successêre.

VII. *Hugo I Burgundiæ Dux fit Monachus Cluniacensis.*

Ad num. XVIII. Gregorius VII Epistolâ XVII libri sexti, datâ *quarto Nonas Januarii, indict. II* ad Hugonem Cluniacensem Abbatem, queritur, quòd *Ducem in Cluniacensem quietem* receperit, quia, inquit, *vix aliquis Princeps bonus invenitur, Monachi verò, Deo miserante, Sacerdotes & milites, & non pauci pauperes, per diversa loca, qui Deum timent, reperiuntur.* Baronius ait, ex ea Sanctissimi Pontificis querela intelligi cum Ducem magni nominis fuisse, sed illud in iis literis non exprimi. Verùm Gregorium loqui de *Hugone* hujus nominis I Duce Burgundiæ, qui anno superiori apud Cluniacum in Burgundiæ Ducatû sinum, Monachum induit, Ordericus lib. XIII pag. 897. & Anonymus coævus, qui Vitam sancti Hugonis Abbatis Cluniacensis, (cujus aliqua fragmenta in Actis SS. Bollandianis ad diem XXIX mensis Aprilis in Vita ejusdem Sancti Hugonis extant) literis prodidit, certum & indubitatum reddunt. Hæc Orderici verba: *Completis tribus annis* (ab anno MLXXV, quo Hugo Dux successit Roberto avo) *Odoni fratri suo sponte Ducatum dimisit* (ideoque anno superiori), *& ipse pro cœlesti amore seculum reliquit, Monachusque Cluniaci factus, XV annis Deo gloriosè militavit* (ideoque usque ad annum MXCII aut insequentem). *Odo autem frater ejus Ducatum Burgundiæ diu possedit.* Laudatus verò Anonymus ait; *Vidimus & Hugonem Ducem prius Burgundiæ, & pòst militiæ spiritualis signiferum, qui solebat calceos ungere Fratrum, seque ita despicere & humiliare, ut omnes viles personæ stuperent, cùm sub se viderent Principem talem se sternere.* Odo hujus nominis I, coi pius Princeps Ducatum cessit, anno MXCVIII, quo Ordo Cisterciensis in suo Principatu fundatus, erga Monachos munificus fuit, & *monasterium ligneum, quod ipsi in sua paupertate inceperunt, de suis impendiis totum consummavit, eosque ibidem in omnibus necessariis diu procuravit, terrisque & pecoribus abundè sublevavit*, ut dicitur in Historia Cisterciensis MS. cujus pars recitatur in Actis SS. Bollandianis ad diem XXIX Aprilis, in Vita sancti Roberti primi Abbatis Molismensis ac Institutoris Ordinis Cisterciensis pag. 666. Legendus etiam Ordericus lib. VIII pag.713.

VIII. *Instituitur Primatus Ecclesiæ Lugdunensis.*

Ad num. XX. Primatus Ecclesiæ Lugdunensis primùm hoc anno à Gregorio VII literis hoc anno *III Kal. Maii* scriptis institutus est, datusque *Gebuino* Archiep. Lugdunensi in Lugdunensem, Rotomagensem, Turonensem, & Senonensem provincias. *Rodulfus* Turonensis Archiepiscopus huic Decreto statim acquievit, & de ea re *Gebuinus* tam ipsi, quàm ejus Suffraganeis gratulatus est, ut liquet ex literis Gebuini à Baluzio in Appendice libri de Primatibus à Marca editi prodoctis. Verùm *Richerius* Senonensis Archiepiscopus Ecclesiæ suæ jura tueri volens, novo huic instituto intercessit. Sed *Urbanus* II in Synodo Claramontana anno MXCV celebrata Gregorii VII Decretum confirmavit, & Senonensem ac Rotomagensem Archiepiscopos, nisi *Hugonem* Gebuini successorem tanquam Primatem suum revererentur, Pallii privatione mulctavit, eorumque in Suffraganeos auctoritatem suspendit. Aberat uterque, sed interim mandatis Apostolicis eorum Suffraganei paruêre, ut patet ex Decreto Urbani II & Synodi Claramontanæ à Marca in prædicto libro edito. Huic judicio refragatus est *Richerius* Senonensis Archiep. quamvis *Ivo* Carnotensis, Ecclesiæ Senonensis suffraganeus ipsi auctor esset, ut sententiæ Synodicæ ac Pontificiæ pareret, donec documentis authenticis Ecclesiæ suæ libertatem vindicare posset, ut liquet ex Ivonis Epistola L. Verùm neque judicium Claramontani Concilii, neque exemplum Provincialium Episcoporum, neque interdictio adversùs se pronunciata *Richerium* vincere potuêre, nec ab eo obtinere, ut Lugdunensis Ecclesiæ Primatum posthabita Ecclesiæ suæ auctoritate revereretur. Imò in sententia sua usque ad mortem, quæ anno MXCVI contigit, perstitit *Richerius*, quod Paschalis Papa ad præfatum Hugonem literis suis significavit. *Hugo Daimbertum* Richerii successorem obedientiam sibi præstare jussit, prohibuitque ne provinciæ Senonensis Præsules manus ipsi imponerent, antequam id officii Ecclesiæ Lugdunensi reddidisset. Ivo Carnotensis Epistola LX omnium Suffraganeorum nomine rescripsit, rem insolitam, & nullo jure, nullaque consuetudine fultam ipsum postulare: neque id ipsi deberi, nec ratione Primatûs, nec ratione Apostolicæ Legationis.

IX. *Huic insisto suo intercedit Archiep. Senonensis.*

Demum Ivo *Hugonem* enixè precatur, ut permittat, *Daimbertum* consecrari, pollicerturque se ei auctorem futurum, ut post consecrationem Primatum Lugdunensem agnoscat, & secundùm traditiones Patrum Lugdunensi Archiepiscopo reverentiam exhibeat. Scripsit etiam de hac *Daimberti* electione ad Urbanum II. Sed neque *Hugo* Lugdunensis Archiep. hisce vinci passus est, neque Episcopi provinciæ quidquam contra ejus prohibitionem aggredi ausi sunt. *Daimbertus*, cùm nec ordinationem à Provincialibus obtinere posset, neque contra jura suæ Sedis Primatum Lugdunensis Archiepiscopi agnoscere vellet: intelligeret quoque *Hugonem* in hac sententia permanere, prohibitosque provinciales Episcopos quominus ordinationem ejus peragerent, Romam profectus absque ulla conditione ab *Urbano* II ordinatus est. Quid postea contigerit, suo loco narrabimus. Legendi interea de hoc novo Primatu Marca citatus, Carolus du Bois in Hist. Eccles. Paris. lib. XI. cap. V, & Natalis Alexander Sec. XI & XII part. I cap. VII art. III.

X. *S. Stanislaus nefariè occisus.*

A num. XXXIX ad XLII. Papebrocius ad diem VII mensis Maii recitat synopsim Vitæ *sancti Stanislai*, Martyris & Episcopi Cracoviensis in Polonia, ex antiquo MS. erutam. In ea dicitur, *Stanislaum* ordinatum Episcopum Cracoviensem instituisse Verbo Dei, juvasse pauperes, & *Boleslaum* Regem de crudelitate & libidine sæpiùs monitum excommunicasse, indeque

que

SÆC. XI. An. C. 1077. *in omnibus locis, ad qua orationis gratiâ properavit*, inquit Joannes Abbas in Præfatione ad libellum *de Scripturis & verbis Patrum* collectum, quem ei dicavit, & Mabillonius Tom. I Analect. ex parte publicavit, qui existimat, Joannem illum esse Joannem Abbatem Fiscamnensem variis Opusculis clarum. Extat & in Bibliotheca Sebusiana, centuriâ II cap. LXXVII, ejusdem Imperatricis Epistola ad Abbatem Fructuariensem data, quæ quanta pietate prædita fuerit, ostendit: Neque mirum quod in ea Imperatrix dicat: *Interim verò mente adoro ad pedes vestros, rogans, ut Gregoriana pietate in Traianum, petatis mihi veniam à domino. quia namque ille unus homo ab inferni claustris exoravit Paganum, multi vos facilè salvabitis Christianam unam*; nam longè ante hæc tempora fabula illa de Traiano Sancti Gregorii Magni precibus ex inferno erepto fidem invenerat.

XVII. *Instituitur Regnum Marochi.* Hoc anno *Marochum* Regnum, situm in Africa juxta Oceanum Atlanticum, qui ei incidit ad occasum, institutum, ut testatur antiquus Geographus Nubiensis, qui ante annum Christi MCL Opus suum scripsit, part. I. clim. 3. editionis Latinæ Parisiensis pag. 76. ubi ait: *Est urbs Maracos, quam condidit Joseph filius Talesin initio anni CCCCLXX* (nempe Arabici, qui cœpit hoc anno mense Julio) *postquam emerat terram ipsius ab incolis Aghmat magna vi argenti, eamque sibi & nepotibus suis adscripserat.* Marmolus in Historia Mahometis, & Successorum ejus multa habet de Abu Teichfin seu Tesphin, quæ filio ejus *Josepho Eben Tesphin* tantùm conveniunt, perperàmque Regni Marochani cum anno Christi MLXXXVI initium conjungit. Per hæc tempora, inquit Rodericus in Historia Arabum cap. 47. & seq. magna erant dissidia & schismata inter Saracenos cismarinos, qui nempe Hispanias incolebant, & *unusquisque in loco cui præerat, rebellabat. Exorti* tunc *Almoravidi*, seu *Almorabita*, aut *Almorabides*, qui sibi Hispanias subjecêre, quorum Rex fuit *Josephus Eben Tesphin* Monarcha ultramarinus & cismarinus *ab anno Arabum CCCCLXXXIV, usque ad DXXXIX annum*, quando per *Almohades* extirpati sunt Almoravides; quorum caput fuit Josephus Eben Tesphin, qui ope variorum Regulorum, qui Africam sub dominio Caliphæ Ægypti inter se partiti erant; dominationem suam stabilivit. Cùm enim Ægypti Calipha à Turcis in Syria premeretur, de Provinciis Africanis parùm curavit. *Almorabitis* paruêre in Africa Regna Tenissæ, Bugiæ, & Tuneti, & isti Christianos Mostarabes sibi subditos toleraruni, quos postea *Almohades* cum Almorabitis exterminarunt.

XVIII. *Colloquium inter Gregorium VII & Robertum Ducem.* Gregorius VII anno MLXXV, ut ibidem apud Baronium num. XI legere est, *Robertum* Calabriæ & Apuliæ Ducem ob Beneventi urbis Pontificiæ obsidionem iterum excommunicarat, sed eo hoc anno absoluto, ut anno MLXXIV num. VIII & seq. vidimus, inter utrumque fœdus constitutum, ut docent Anna Comnena lib. I pag. 32. & Guillelmus Apuliensis lib. 4. pag. 34. & seq. Anna postquam spiritu schismatico de querela, quæ inter Romanum Pontificem & Henricum Regem versabatur, locuta est, atque judicium de excommunicatione adversùs eumdem Regem tulit, ait: *Hoc tanto Regis contemptu Pontifex cùm magnum ejus in se ac formidolosum concitasset bellum, veritus ne si Henricus se Roberto conjunxisset parum & ipso antea benevolè affecto erga Papam, sustineri non posset impetus amborum simul, hunc sibi matura reconciliatione præoccupandum omnino decrevit. Audito igitur Ducem Robertum Salerni esse, Româ ipse discedens, Beneventum est profectus: unde convento Duce per Legatos obtinuit ab eo, ut ambo in colloquium venirent. Ad hoc cùm Papa quidem Benevento cum propriis copiis, Dux Salerno cum sua & ipse militari manu sibi progressi essent obviam, ubi ambo exercitus in conspectu mutuò fuerunt, ipsi Principes jussi stare armatis soli congressi fœdus pepigerunt, fide etiam quam vicissim dederunt, acceperuntque jurejurando utrimque firmata. Pactorum hæc ferè sententia fuit: Ut Pontifex quidem Regis nomen ac dignitatem Duci tribueret, eidemque auxiliares copias submitteret, ubi opus esset adversus Romanos Orientales. Dux verò Pontifici adesset in omnibus, quando is & ubi vellet.* Ubi Anna Ρηγὸς, seu *Regis* nomine, quo utitur, Pontificem Imperium Occidentale *Roberto* promisisse significat. Græci enim, ut alibi diximus, alio nomine quàm Ρηγὸς non utuntur, quando de Imperatore Occidentis verba faciunt.

XIX. *Pacta in eo Conventu.* Hæc de hoc Colloquio Goillelmus Apuliensis habet.

Illis Gregorius Beneventum Papa diebus
Advenit: urbs erat hæc Romano subdita Papæ,
Atque sui juris, quia Dux obsederat urbem,
Ægrè Papa tulit. veniam Robertus ut hujus
Impetret offensæ, Papa properavit ad urbem,
Supplicat, & pedibus * *dans oscula Patris* (* deest *sancti*.)
Suscipitur, tanti persona vigeris honore
Digna videbatur, considere Papa coëgit.
Soliloquium cunctis adstantibus inde remotis
Consilium tenuêre diu, tum Papa fideles
Convocat: ex Papæ secretum jussibus horum
Panditur, allatus liber est Evangeliorum:
Dux Papæ jurat, fuerit dum vita superstes
Observaturum fidei se jura perennis
Ecclesiæ sanctæ, totus cui subjacet Orbis:
Romani regni sibi promisisse coronam
Papa ferebatur: quia Rex Henricus ab illo
Damnatus fuerat, propter commissa nefandis
Accumulatas modis, nec enim venandare sanctas
Ecclesias veritus perversum dogma colebat
Simonis, & nullum donabat Pontificali
Culmine, præter eos, qui maxima dona tulissent.

Denique Ptolomeus Lucensis in Chron. ad annum MLXXXIV, de Roberto scribit: *Ipsum Gregorius intendebat Imperatorem facere, vel filium suum Boamundum, ut idem Ricardus dicit.* Richardus autem Cluniacensis Monachus, quem Ptolomeus citat, Historiam suorum temporum condidit, vixitque sedente Hadriano Papa IV, ut tradit Vossius lib. De Hist. Latin.

XX. *Colloquium illud hoc anno habitum.* Hoc Colloquium præsenti anno habitum fuisse, tam ex Anna, quàm ex Apuliensi laudatis manifestè eruitur. Uterque enim de eo loquitur statim ac narravit, *Raimundum Berengarii* hujus nominis primum, Comitem Barcinonensem, filium suum matrimonio junxisse cum filia Roberti. Raimundum autem Berengarii superiori anno è vivis excessisse, & Raimundum Berengarii filium ejus minorem, antea uxorem duxisse *Mathildem*

SÆC. XI. An. C. 1080.

qui hoc tempore vixit, ait Rodulphum Wirtziburgensem civitatem obsedisse, & Henricum ad propellendum hostem exercitum convocasse: *Instructa ambarum partium acie, & primis inter se prælia miscentibus, quidem equites Regia partis mercede conducti, qui se Regis lateri quasi fideliter applicuerant, subitò in ipsum arma verterunt: sed ære munito corpori livorem, non vulnus inflixerunt*, eoque occiso Saxonum exercitus in fugam vertitur, & brevi post tempore Henricus Rex venit. Alii aliter rem referunt. Legendus Chronographus Magdeburgensis à Meibomio editus, qui ait, *tertium prælium* inter Rudolphum & Henricum factum esse anno Domini MLXXX, VI Kalend. Febr. feriâ II, quartum verò, in quo Rudolphus occisus, *Id. Octob. feriâ V. Eodem die decessionis ejus* (nempe Rodulphi) *in Longobardia milites prudentissimæ Ducis Mathildæ fugantur ab exercitu pene totius Longobardiæ apud Wltam prope Mantuam*, inquit Bertholdus in Chron. quare dies XV mensis Octob. Henricianis faustus fuit; Catholicis verò tantum timorem injecit, ut cùm *Henricum* in Italiam pergere fama fuit, qui in Germania & Italia neutras partes secuti fuerant, victoris partes amplexi sint; eò magis quod sola in Italia *Mathildis* Comitissa à Pontifice staret. *Post ubi verò hæc gesta sunt*, inquit Centius Camerinus laudatus, ubi de Brixinensi conciliabulo verba fecit, *evolutis paucis diebus Henricus filius ejus cum exercitu illustris Comitissæ Mathildis pugnavit, & quia, sicut fieri solet, varius est eventus belli, victoriam habuit. His successibus provocatus venit in Italiam*, scilicet Henricus Rex.

IX. *Henricus Rex in Italiam pergit.*

Quæ verò idem Rex in Italia gesserit, narrat hoc modo Bertholdus citatus ad hunc Christi annum: *His temporibus Henricus Rex totam Italiam adeo conturbavit, ut nullus securus ad limina Apostolorum posset ire, qui non prius abjuraret, quod ad Papam Gregorium diversurus non esset*, idest, qui non polliceretur, se se Gregorium Papam non agniturum. De hac profectione Romana hæc habet citatus Auctor Anonymus in Vita ejusdem Henrici: *Igitur cum exercitu Romam pergebat, proterens in via quidquid obstabat, oppida fregit, tumida pressit; ardua curvavit, factiones dissipavit*. Pontifex, qui, ut narrat Baronius num. XXXV & seqq. pacem cum Roberto Calabriæ Duce ac Normannorum capite pepigerat, eumque de ditionibus, quas armis occupatat, investierat, cum eo pacis perpetuæ fœdus pepigit, ut narrat Willelmus Apuliensis lib. 4.

Se quasi victorem, percepta morte Rodulphi,
Gaudens Henricus, quem regni depositorem
Noverat esse sui, Papam infestare laborat,
Romam obsessurus magna cum gente venire
Nititur, hoc prudens comperto Papa favorem
Curat habere Ducis, succurrat ut ipse labori
Promptus ad arma suo, vires & deprimat hostis:
Pacis perpetuæ Beneventi fœdere pacto
Gregorius Romam remeavit, Duxque Salernum.
Hæc Matthæe tibi construxit in urbe decoris
Ecclesiam miri, sibi nobilis aula paratur.

X. *Duo Colloquia inter Gregorium VII & Robertum Ducem Beneventi habita*

Jam anno MLXXVII *Robertus* in gratiam Pontificis redierat, Juramentum fidelitatis ei præstiterat, & Ecclesiam Romanam se se defensurum promiserat, ut ibidem ex eodem Willelmo Apuliensi ostendimus. Quare Juramentum fidelitatis, quod Baronius num. XXXV & seqq. refert, ad præsentem annum pertinere non potest, licet à Registri Gregoriani Collectore cum eodem illigetur. Beneventi itaque Pontifex & *Robertus* bis colloquium habuêre; primò postquam *Rodulfus* Rex Germaniæ creatus, iterumque hoc anno post ejusdem Rodulphi mortem. Tunc *Robertus* Ducatûs Apuliæ Investituram ab eo accepit, hoc verò anno pacis perpetuæ fœdus cum eo pepigit. Denique tunc promisit *Robertus*, ut in ejus Juramento legere est, se adjuturum, ut Papa eligatur, secundùm quod monitus fuerit, si Gregorius vel ejus successores ante se ex hac vita migrarent; hoc vero anno auxilium se illi adversùs hostes præbiturum. Willelmus Apuliensis ait, fœdere illo inter utrumque constituto, *Robertum* Ecclesiam in honore *Sancti Matthæi* Salerni construxisse; ut enim apud Baronium num. LVI & seq. videre est, corpus *Sancti Matthæi* hoc anno Salerni inventum; qua de re *Alphanus* Archiepiscopus Salernitanus Pontificem monuit, qui ei *Romæ XIV Kal. Octob.* hac de re rescripsit, significavitque, ut *Robertum* Ducem hortaretur, quò auxilium tanti patroni sibi, suisque promereretur. Porrò *Henricus* Rex nonnisi anno sequenti Romam accessit.

XI. *Epocha Concilii Burgensis.*

A num. LXII ad LXXII. Baronius duas Legationes Hispanicas *Richardi* Monachi Sancti Victoris Massiliensis, Presbyteri Cardinalis, & Abbatis Massiliensis rectè distinguit; sed utramque perperàm anno MLXXIX collocat. Prior enim obita anno millesimo septuagesimo octavo, ut ipsemet Gregorius lib. V Epist. XXI testatur. Secunda ad annum millesimum septuagesimum nonum pertinet, ut ex ejusdem Pontificis Epistola VII lib. VII discimus: *Postquam*, inquit, *Deo auctore monasteria tua benè composueris, legationem tibi commissam ad Hispanias perficere non moreris. Data Romæ quarto nonas Novemb. indict. III.* Tum in Epistola VIII ejusdem libri ad Monachos Massilienses, postridie scripta confirmat electionem Richardi Cardinalis in Abbatem Sancti Victoris, mortuo scilicet eo anno Bernardo ejusdem monasterii Abbate. In posteriori legatione *Burgense* Concilium celebravit, & prisca Gothorum instituta rebus Divinis procurandis antiquavit, & quidem currenti anno; cùm, ut mox diximus, mense Novembri superioris Christi anni in Hispaniam legatus fuerit. Loquitur de hoc Concilio Pelagius Ovetensis, sed exemplar, quo Sandovallius, qui ejus Historiam publicavit, usus est, quibusdam in locis, vel corruptum vel interpolatum. Doctissimus Anonymus Mazarinæus qui illud cum variis manuscriptis contulerat, Pelagium de Alphonso Castellæ & Legionis Rege, hujus nominis VI loquentem sic legit: *Tunc velociter nuncios misit ad Papam Aldebrandum cognomento VII Gregorius* (in laudatis correctionibus legitur, ad Papam VII Gregorium, qui prius Hildebrandus dictus est) *ideo hoc fecit, quia Romanum mysterium habere voluit* (emenda ex Codicibus MSS ab eodem Anonymo lectis, ministerium) *in omni regno suo. Memoratus itaque Papa Cardinalem suum Richardum Abbatem Massiliensem in Hispania transmisit, qui apud Burgensem urbem Concilium celebravit, firmavitque Romanum ministerium in omni regno Regis Adefonsi.* In Codice Pampilonæ à Sandovallio in lucem emisso additur, *Erâ MCXXIII.* Sed hæc nota temporaria non extabat in manuscriptis à

citato

SÆC. XI. An. C. 1080.

citato Anonymo lectis; & rejici debet; cùm ex Epistola Gregorii sexta libri VII, data *Romæ XVIII Kalendas Novemb. indict. tertia*, anno scilicet Christi MLXXIX, constet eo tempore Alphonsum Regem ad illam sacrorum mutationem faciendam propensum fuisse, paratumque Richardo Legato morem gerere.

XII. *Ab hoc anno removeri non potest.*

Non potest itaque Concilium *Burgense* in annum MLXXXV, erâ MCXXIII notatum differri, nec cum Mariana lib. 9. in annum MLXXVI retrahi. Verum quidem est superesse Chartam à Paschali Episcopo Burgensi in dedicatione Ecclesiæ Sanctæ Eugeniæ datam, & à pluribus Magnatibus subscriptam, ac inter alios à Roderico Diaz *Campiatore*, & postea *Cido* cognominato, quæ dicitur data *Erâ MCXV in anno primo, in quo lex illa Romana* (Officium nempe juxta usum Romanum) *intravit in Hispania*, ubi nomine *Hispaniæ* Paschalis Alphonsi Regis hujus nominis VI Regnum intelligit. Verùm era illa evidenter corrupta. Anno enim Christi MLXXVII, in quem convenit non *Paschalis*, sed *Simeon* decessor ejus Ecclesiæ Burgensi præerat, ut demonstrat Epistola II libri IX Registri Gregoriani ad Alphonsum Regem Castellæ data, nullo quidem die aut anno expressis, sed rectè in eodem Registro cum Epistolis anno MLXXX scriptis relata. In ea enim mentio *Simeonis* Episcopi tanquam adhuc viventis, & *Richardi* Massiliensis Abbatis ac Sedis Apostolicæ Legati, atque Pontifex: *Noverit Excellentia tua, dilectissime, illud nunc admodum nobis, imo clementiæ divinæ placere, quod in Ecclesiis regni tui, matris omnium sanctæ Romanæ Ecclesiæ ordinem recipi, & ex antiquo more celebrari effeceris.* Præterquamquod Richardus anno tantùm MLXXIX in finem vergente Abbas Massiliensis creatus, & Legatus in Hispaniam missus. Quare era illa MCXV manifestè depravata. De Concilio *Legionensi* propter receptionem Officii Romani congregato anno MXC verba faciemus, ut magis pateat, ritum Gothicum magnos patronos in Hispania habuisse, & suppleantur Annales, in quibus neutrius Concilii mentio.

XIII. *Manasses Remensis Archiepiscopatu deponitur.*

Ab ann. LXXV ad LXXIX. *Manasses* Remensis Archiepiscopus eo nomine primus, multas in se turbas concitavit ob varia crimina, de quibus accusatus fuit, inquit Mabillonius in Admonitione præfixa Apologiæ ejusdem Manassæ à se ex veteri MS. Tom. I Musæi Italici part. II publicatæ. Præcipua criminum seu accusationum capita erant, simoniaca in Remensis Ecclesiæ Pontificatum intrusio, sacræ supellectilis direptio, spoliatio Clericorum, Ecclesiarum, Abbatiarum & injustæ in plerosque excommunicationes. Accusatores ejus imprimis *Manasses* alter, *Bruno* & *Pontius*. Is Bruno, uti existimat Mabillonius, videtur vir ille sanctissimus, qui cùm ex Ecclesia Coloniensi in Remensem translatus fuisset, Manassæ flagitiis offensus, cùm nullum eis modum imponi cerneret, cessit tandem; & seculi pertæsus, in solitudinem secessit in pago Gratianopolitano, ubi Sacri Carthusiani Ordinis fundamenta jecit. Hanc ejus secessus causam affert Guibertus Abbas de Novigento in libro de Vita sua. Manasses enim in illa Apologia de Brunone accusatore suo loquens ait: *Bruno, nec noster Clericus, nec noster natus aut renatus est, sed sancti Cuniberti Coloniensis in regno Teutonicorum positi Canonicus est.*

Manasses primus Sedem Remensem occupavit ab anno MLXVIII post mortem Gervasii. In Concilium Augustodunense ob crimina, quæ ipsi objiciebantur, ab Hugone Diensi Episcopo, Gregorii VII in Galliis Legato, accitus, cùm adesse recusasset, anno MLXXVII damnatus est, ut videre est apud Hugonem Flaviniacensem in Chron. Virdun. pag. 199. ubi Concilium illud recitat, & cum eo Christi anno affigit; ejus enim apud Baronium mentio non est. *Manasses* verò cùm ad Romanum Pontificem appellasset, ab eoque mitiùs fuisset tractatus, perseverante iniquorum facinorum dedecore, à Legato in Lugdunense Concilium hoc anno habitum denuò vocatus, in ordinem redactus est. Apologiam ille postea in suam defensionem edidit, aut potius aliquis alius ab eo conductus.

SÆC. XI. An. C. 1080.

XIV. *Apologia in ejus defensionem edita.*

Manassem quippe literarum expertem fuisse testatur Willelmus Abbas Metensis in Epistola III ad ipsum data his verbis: *Certè olim apud quosdam Philosophos de revolutione animarum grandis erat opinio: quæ per se nominanter confirmatur, dum, sicut illi Euphorbum in Pythagoram, sic te Gervasium putent nostri temporis hominem esse transfusum. Verùm non ideo ego tibi concesserim, ut ille in te totus transierit: cum in illo tyranno quondam bonarum artium vestigia fuerint; quibus omnino tu cares, ille excelluit.* Gravia sunt quæ in Manassem intorquet Guillelmus iste, quem ex Abbatia sancti Remigii exturbaverat. Nec magis speciosi sunt colores, quibus eumdem Manassem depingunt Gregorius VII, Guibertus Abbas Novigenti in libro de sua ipsius Vita, atque Hugo Abbas Flaviniacensis citatus. Hæc & plura de eodem Mabillonius ibidem.

XV. *S. Hugo fit Episcopus Gratianopolitanus.*

Celebratum & hoc anno *Avenione* ab Hugone Episcopo Diensi Sedis Apostolicæ Legato Concilium, ad quod cùm venissent Gratianopolitani Canonici Episcopum ab eodem Legato obtinuerunt sanctum *Hugonem* tunc Valentinum Canonicum, qui cum eodem Legato ad Summum Pontificem profectus est, ut Gratianopolitanus Episcopus consecraretur, inquit Chronographus Virdunensis. Ei Mathildis Comitissa necessaria procuravit. De ea Guigo Carthusianorum Prior Auctor coævus, qui Sancti Hugonis Vitam in Actis Bollandianis ad diem primam Aprilis recitatam, scripsit, hæc refert: *Comitissa Mathildis, habitu quidem fœminei, sed animi per cuncta virilis, quæ rerum humanarum tumultus atque pericula, instar Prophetissæ Deboræ, prudenter sedare & fortiter noverat tolerare; in suo Deum venerans famulo, dies consecrationis ejus necessaria cuncta subministravit; Pastoralem, quo diu usus est, baculum dedit, addidit Psalmorum secundum B. Augustinum Explanationibus, cum B. Ambrosii volumine, cujus titulus est, de Officiis: totoque quo deinceps tempore vixit, tanquam verum Dei famulum sincera devotione specialiter honoravit, & coluit, sitiens ejus incessanter & consiliis instrui, & oratione defendi.* Porrò cùm Sanctus *Hugo* anno MCXXXII, consecrationis in Episcopum LII, ad Deum migrarit, ut in ejus Vita legitur, is hoc anno Episcopus ordinatus. De eo rursùs infra. Hugo Sedis Apostolicæ Legatus adhuc Episcopus Diensis erat, quando præfuit Concilio Avenionensi, & nonnisi anno MLXXXII Gebuino Archiepiscopo Lugdunensi successit, ut testatur Hugo Flaviniacensis in Chron. ad annum MLXXVII pag. 206. ubi loquens de variis Conciliis ab Hugone

Diensi

SÆC. XI. An C. 1080. Diensi Episc. S. Sedis Legato celebratis, ait: *Celebravit & septimum apud Avenionem, in quo depositus est Achardus Arelatensis invasor, & electi sunt Gibilinus in Arelatensem Archiep. Lantelmus in Ebredunensem aeque Archiep. Hugo in Gratianopolitanum Episcopum, Desiderius in Cavalicensem, quos post expletionem Concilii secum Romam duxit, & consecrati sunt a Papa.* Concilium itaque Avenionense hoc anno celebratum, primum ordine non fuit, ut perperàm Baronius supponit, sed secundum; cùm jam de priori anno MLX egerimus, eique Hugonem Cluniacensem Abbatem præfuisse ostenderimus.

XVI. *Deposito Nicephoro Botoniate Alexius Comnenus fit Imperator.* Ad num. LXXIX & seq. Deposito *Nicephoro Botoniata*, quem Baronius hoc anno refert, anno sequenti contigit, ut non tantum Anna Comnena lib. 3. sed etiam Zonaras testantur. Scribit Zonaras Isaacium & Alexium Comnenos fratres magnis dignitatibus à Nicephoro Botoniate Imp. exornatos, aulicorum, præsertimque duorum servorum, obtrectationibus obnoxios fuisse, & apud Imperatorem criminatos, quasi regnum cogitarent. *Quo illi cognito*, inquit Zonaras, *veriti, ne quid in se graviùs consuleretur, &, ut fama est, regni cupiditate jam olim æstuantes urbe excedunt*, universas pene Legiones ad se attrahunt, & *in magna quinta septimana Passionis Salvatoris nostri die* Constantinopolim per vim occupatam diripiunt. Botoniates Comnenorum congressu cognito monasterium ingressus in eo aliquandiu vixit, & mortuus est. Anna Comnena ait, Alexium patrem suum & Isaacium patruum monitos fuisse: *evocandos nocte nra Comnenos ambos Imperatoris nomine quantumvis insciis: sic comprehensis eruendos oculos falso crimine imposito*; & multis interpositis ad.it: *Erat ea dies feria quinta majoris hebdomadæ, qua mysticum Pascha sacrificamus simul & comedimus, indictione IV, anno 6589. mense Aprili* quando Constantinopolis civitas capta est. *Cædibus modo temperatum est; cetera crudelitati libidinique fræna laxata*, eademque die Alexius Comnenus Imperator acclamatus, ideoque anno sequenti, in quem characteres illi temporum competunt, & feria quinta in Cœna Domini in diem primum mensis Aprilis incidit.

XVII. *Moritur Joannes Xiphilinus Patriarcha Constantinop.* Tum Anna Comnena lib. 3. pag. 75. *Rebus sic pendentibus Alexius coronatur manu Patriarchæ Cosmæ. Etenim IV anno imperii Michaëlis Ducæ & filii ejus Constantini, cùm esset mortuus sanctissimus Patriarcha Joannes Xiphilinus secundo die mensis Augusti, indict. XIII, subrogatus in ejus sedem fuerat hic Cosmas, illo loco dignissimus, & sanctitate plenus.* Paulò pòst: *Septimo post inaugurationem Alexii die uxor quoque ipsius Irene ministerio Cosmæ Patriarchæ solemnem coronæ impositionem accepit.* Quare cùm Zonaras in Michaële Duca scribat, *Joannem Xiphilinum* mortuum esse, *cùm Ecclesiam annos XI & menses VII pavisset*, perspicuum est, non tantum Xiphilinum anno millesimo septuagesimo quinto indictione XIII octavo supremum diem obiisse; sed etiam eum mense Januario anni millesimi sexagesimi quarti ad eam dignitatem evectum esse, & Chronotaxim Patriarcharum Constantinop. per hæc tempora hactenus depravatam fuisse. Gretzerus Tom. II de Sancta Cruce aliquas Xiphilini Homilias exhibet, sed scripsit etiam alias Homilias in Evangelia Dominicalia totius anni, quæ MSS. extant in Bibliotheca Vaticana.

XVIII. *Variæ Dignitates ab Alexio Imp. institutæ.* *Quoniam vero*, inquit Anna lib. 3. pag. 78.

Melisseno Nicephoro Cæsaris dignitas ex pacto debebatur, & Isacium natu majorem fratrem insigniri aliquo decorari honoris titulo par erat, alius autem præterquam Cæsaris non erat, excogitavit nomen novum Imperator: & mixtis Sebasti sive Augusti & Autocratoris, hoc est Imperatoris, nominibus titulum conflavit Sebastocratoris, quasi diceret, Secundi Imperatoris, cui Cæsaris gradum subjunxit: eo cùm Isaacium honestasset, uni cum concedere Augusto voluit, Melissenum Cæsarem tertio demum loco in acclamationibus appellari. Verùm Alexius Comnenus non tantum hanc dignitatem invenit, verum etiam ex *Sebasti* nomine alias confecit, nempe *Protosebasti*, quam in Hadrianum fratrem contulit, *Panypersebasti*, quâ decoravit *Taronitam*, qui ejus sororem in matrimonio habebat. Quæ dignitates ibidem ab Anna explicatæ, quæque postea aliis à sequentibus Imperatoribus concessæ sunt. Et quia & privata, & publica, & sacra expilata, direptaque fuerant, de iis Alexius Imp. coram Cosma Patriarcha & Synodo culpam fatetur: & in salutarem pœnitentiam jejunium quadraginta dierum cum humi cubatione totidem noctium accipit, & cum suis implet. Denique matrem religiosum secessum meditantem administrationi rerum præficit, ut ibidem narrat Anna, quæ matris Imperatoris Annæ sc. Alexii Præfecti Italiæ filiæ prudentiam, religionem, & compositissimam vitæ rationem pluribus narrat.

Ordericus lib. 5. cap. 552. & seq. recitat Concilium habitum in territorio Caletensi, in villa Regia, quam Juliam bonam Antiqui dixère, quæque modo vulgariter *Lilesbona* vocatur. Celebratum illud *anno Incarnat. Domini MLXXX, Anglorum Rege Willelmo gubernante Normanniam, in festivitate Pentecostes, sub ejusdem Regis præsentia, præsente Rotomagensi Archipræsule Willelmo, congregatis etiam Præsulibus & Abbatibus, Consulibus quoque & ceteris Normanniæ Principibus*, ut in Præfatione legitur. Plura Decreta in eo condita, quorum primum est: *Ut pax Dei, quæ vulgò dicitur Trevia* (seu Treuga), *sicut ipse eam initio constituerat, firmiter teneatur, & per singulas parochias dictis excommunicationibus renovetur. Qui verò eam observare contempserint, vel aliquatenus fregerint, Episcopi secundum quod prius statutum est, eos judicando justitiam faciant. Si quis autem Episcopo suo inde inobediens fuerit, domino in cujus terra habitat Episcopus, hoc demonstret, & ille eum subdet Episcopali justitiæ. Quod si & dominus facere contempserit, Regis Vicecomes inde per Episcopum requisitus, omni remota excusatione faciat.* Hæc ad majorem eorum confirmationem, quæ de Treuga Dei in Annalibus Ecclesiasticis prætermissa suis locis diximus. XIX. *Concilium Iuliobonense.*

Reversus Româ *Berengarius* rursùs declinavit ad pristinum errorem, ac tertiam confessionem penitùs retractavit. In Chronico enim Malleacensi legitur: *Anno MLXXX fuit Concilium Burdegalæ, in quo Berengarius reddidit fidei suæ rationem.* Mabillonius Tom. II Analect. in Observat. de multiplici damnatione Berengarii ait, se legisse in MS. Codice Scriptum Berengarii, in quo tertiam fidei Professionem anno superiori à se emissam rescindit, iisdemque ferè argumentis convellit, quibus primam sub Nicolao II Papa editam labefactarat, in Lanfranci Dialogo relatis. Tum, subdit Berengarius, quemadmodum ad subscribendum ultimæ fidei Professioni indu- XX. *Berengarius redit ad vomitum.*

ctus sit, nimirum metu mortis sibi certè imminentis; quove sensu eam asseruerit. Quare licet Bertoldus in Chronico Berengarii obitum cum anno MLXXXIII copularit, eumque nunquam hæresim dimisisse tradiderit, rectè tamen ibidem affirmat, Berengarium post Synodum Romanam anni superiori habitam iterum relapsum esse. Hæc Bertoldi verba: *Berengarius, novæ hæresis de Corpore Domini auctor, eo tempore deficiens abiit in locum suum; qui licet eamdem hæresim sæpissimè in Synodo abjuravit, ad vomitum tamen suum canino more non expavit redire. Nam & in Romana Synodo canonicè convictus, hæresim suam in libro à se descriptam combussit, & apparatam anathematizavit: nec tamen postea dimisit.* Verùm Berengarium annos aliquot ante mortem suam ad Catholicæ fidei communionem rediisse, & ut verum Catholicum vixisse, in morte ejus ostendemus.

Anno Eræ Hispan. MCXIX. Anno Hegiræ CCCCLXXIV, inchoato die 11. Junii fer. 6.

ANNI PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6574.

☉ 26. C. ☽ 18. P. 4. April. Indict. 4.

JESU CHRISTI 1081.

GREGORII VII PAPÆ 9.

HENRICI IV. REG. 26.

ALEXII COMNENI IMP. 1.

I. *Synodus Romana VIII.*

ANum. I ad IV. Celebrata hoc anno à Gregorio VII Synodus *Romana* VIII, in qua Henrici Regis, ejusque fautorum excommunicatio confirmata, uti narrat Baronius; neque enim aliud de hac Synodo superest.

II. *Henricus Rex venit in Italiam.*

A num. IV ad XIII. *Henricus post obitum Regis Rudolphi Veronam in Pascha venit, & inde ad invadendam Romam, cum suo non Apostolico, sed apostata Guiberto, utpote domini Apostolici non semel perjuro & anathematizato profectus, sed mox regressus est*, inquit Bertoldus in Chron. hoc anno. Lupus verò Protospata ad annum MLXXXI: *Alemannorum Rex Henricus venit Romam, ut ejiceret exinde Papam Gregorium.* Gregorius Papa in hoc rerum statu scripsit ad Altmannum Episcopum Passaviensem & ad Abbatem Hirsaugiensem, Epistolam III lib. IX Registri à Baronio recitatam, quâ utrique significat, defuncto Rudolpho Rege omnes sibi suadere, ut Henricum, *cui fermè omnes Italici favent*, in gratiam recipiat, monetque, ut Mathildem Comitissam certiorem faciant, an ab eis præsidium contra Henricum expectare debeat, & Ducem Welfonem, aliosque moneant, ut fidem B. Petro servent, atque omnes hortentur, ne Regis electio temere fiat; sed Deum exorent, ut inimici resipiscant, & Ecclesiæ suæ defensorem tribuat. *Si verò*, inquit, *filia nostra Mathildis, cujus militum animos ipsi perpenditis, à vobis suffragatum non fuerit, quid aliud restat, nisi ut cum sui resistere recusaverint, quam utique hac in re pro insana habent, ipsa vel coacta paci illius acquiescat, aut quidquid possidere videtur, amittat.* Episcopus Passaviensis & Abbas Hirsaugiensis Sedis Apostolicæ Legati erant in Germania; verùm ibi Catholici in minori numero, quàm Regii erant, & in Italia milites Pontificii ob infelices anni superioris eventus ita animo depressi, ut Sapientioribus videretur pacem faciendam, si æquas Henricus Pontifici conditiones offerret, ut inquit Florentinius in Comment. Rer. ad Mathildem Comitissam pertinentium lib. 2.

III. *Sola Mathildis Comitissa se ei armis opponit.*

Ille ergo, inquit Presbyter Pœnitentiarius in Vita sancti Anselmi Episc. Lucensis cap. 4. de Henrico Rege loquens, *quasi novo tyrannidis aucupio, tunc incœpit universarum Ecclesiarum tam prædia, quàm omnes penè thesauros earum militibus dispertiri: quos & omnes parti suæ agglutinat præter admodum paucos, quos reservavit sibi dominus, ut non curvarent genua coram Baal. Collecto igitur exercitu Romam tendit, atque primo mox ingressu omnem furorem suum in supradictam dominam Mathildam convertit; villas incendit, castella diruit. quæ tamen divina se protegente misericordia non nimium detrimenti sustinuit.* Paucis interpositis: *Illa nobiliter & magnificè, insolito mulierum more, plus dico quàm viriliter agebat, nullum ferè periculum metuebat. Quisnam Potentum unquam suum, ut illa, deduxit exercitum? Recesserunt tamen ab illa plurimi suorum, & abierunt retrorsum. Separati sunt, inquam, à nobis, quia non erant ex nobis: nam & Angeli quidam de Cælo deciderunt, alii sic corroborati, ut cadere amplius non valerent. Corroborati sunt & hi, qui permanserunt, tum ex dulcedine Pastoralis sapientiæ, tum ex benevolentia & hilaritate tam desiderabilis matronæ*, &c. *Ipsi denique quondam dicto Regi commonitorium dictavit* (nempe Sanctus Anselmus); *& hæresiarcham ipsum, sanctæ Sedis Romanæ invasorem Wibertum scriptis salutaribus commonuit.* Meminit Anselmi ad Guibertum Epistolæ Urspergensis Abbas ad hunc Christi annum, & nonnulla ex ea refert.

IV. *Civitas Lucensis adversùs Mathildem stat.*

Ptolomeus Lucensis in Chronico ad annum MLXXXI, quid Henricus ut Lucenses sibi conciliaret, egerit, his verbis indicat; *ut habetur in Registro Lucensis Communitatis, Henricus Imperator concessit Lucensibus Privilegium de muris veteribus non destruendis. Item de Regali, sive Imperiali Palatio non ædificando in civitate, nec de Castro construendo Imperiali intra VI milliaria.* Florentinius citatus ait, Privilegia illa Lucæ adhuc conservari, & his verbis subscribi: *Anno dominicæ Incarnat. MLXXXI indict. IV nono Kal. Julii. Data anno domini Henrichi XXVII, regni verò XXII. Romæ feliciter actum.* Verùm error irrepsit in numeros; ex dictis enim constat, Henricum ab Henrico patre anno MLIII Regem appellatum, annoque MLVI mense Octobri ipsi successisse. Quare legendum, *anno domini Henrici XXVIII, regni verò XXV.* Quod & ex variis ejus Diplomatis liquet.

V. *Papa & Henricus à Roberto Duce Calabriæ auxilium petunt.*

A num. XIII ad XXV. Epistola IV lib. IX Registri Gregorii, ad Desiderium Abbatem Casinensem data, qua præcipit, ut exploret, an Robertus Calabriæ Dux Apostolicæ Sedis auxilio venturus sit, & an Quadragesimali tempore, quo *Normanni solent pugnâ vacare præfatus Dux assentiat hoc pacto Deo offerre, ut ad aliquas terras B. Petri, quo invitatus fuerit, competenter instructus accedat*, data est sine die & anno, sed ex ejus verbis mox recitatis eruitur, eam ante Quadragesimales dies scriptam esse. Verùm *Robertus* Dux ob bellum Dalmaticum Pontificis petitioni satisfacere non potuit. Anna Comnena lib. 1. pag. 33. refert, Gregorium VII misisse ad Robertum, qui ex fœdere auxilia poscerent, & venisse etiam Henrici Regis Legatos, qui Regis sui nomine à Duce auxilia-

ros

SÆC. XI. An. C. 1081.

res copias ad Romanæ urbis oppugnationem peterent, sed Normannum utrosque retulisse, Regi quidem *alio modo ac sine literis* respondisse, Papæ verò dedisse Epistolam quam recitat. Paulò post subdit: *Papa autem eatenus duntaxat rationem habuit, quatenus Rogerio filio quem Apuliæ præfecit universæ, & fratri ejus Borytilæ mandavit, si quando ab eis Romana sedes auxilia flagitaret adversùs Henricum Regem, promptissimè in ipsum pergerent, & pro facultate auxiliarentur.* Sed, ut notat Ducangius ad locum illum, loco *Borytila*, legendum, *Lorytila*, quem vulgò Robertum Comitem Lorytelli Scriptores appellant, quique erat Roberti non frater, sed ex fratre nepos, ut liquet ex Orderico lib. 3. & 7.

VI. *Responsum Ducis ad Legatos Henrici.*

De hac Henrici Regis Legatione mentionem facit Guillelmus Apuliensis hujus temporis Scriptor:

Ante tamen paulò quàm transeat, accelerare
Hunc Regis mandata monent, quem Papa notarat
Regno privare censens: ut conferat illi
Auxilium, contra Papam, eumdosque Quiritet,
Qui facti fuerant non cum ratione rebelles.
Tempore Rex Romam veniens obsiderat illos.
Dux quamquam placidi dederit responsa favoris:
Legati redeunt sine quolibet emolumento.
Gregorio Papæ, cui pura mente favebat,
Omnia notificat, damnati nuncia Regis,
Seque fatetur iter nullatenus illud inisse,
Adventum hostilem prænoscere si valuisset:
Sed quia jam tantos compleverat ipse paratus,
A tantis se posse negat desistere cœptis.

VII. *Expeditio Roberti Ducis in Dalmatiam.*

Initium expeditionis Dalmaticæ *Roberto* inauspicatum fuit; postquam enim *Aulonem* primo impetu cepit, copias universas bifariam divisit; partem ipse unam mari cum classe ad *Dyrrachium* ducturus, alterius itinere terrestri eidem urbi Dyrrachio admovendæ ductum permisit Baimundo. Sed postquam classis Corcyræ oram prætergressa est, maxima in eam subitò procella ingruit: *frangebantur passim in navigantium manibus remi*, inquit Anna Comnena lib. 3. pag. 98. *discerptisque momento vi ventorum velis comminuta antennæ in foros cadebant: naves ipsæ cum viris haustæ mergebantur. Incidit hic casus alieno tempore, Soleque post Cancrum magna jam ex parte obitum, ad Leonem festinante, quod tempus esse aiunt exorientis caniculæ. Prætoria, in qua Robertus ipse Dux erat, vix multo denique labore semifracta servata est.* Nihilotamen segniùs in propositum Robertus incumbens, reliquiis naufragii collectis Dyrrachium pervenit, & hoc anno, teste Anna lib. 4. oppugnavit, cepit, & Alexium Augustum acie vicit. Hanc expeditionem narrant etiam Ordericus lib. 7. & Guillelmus Apuliensis lib. 4. qui omnes asserunt, Robertum secum duxisse Pseudo-Michaëlem. Hæc Legatis à Dyrrachianis missis, cur venerit requirentibus respondit:

Dux venisse refert se Regni sede repulsus
Immeritò Michaël, ut restituatur honori.
Illi promittunt urbis, quos ipse petebat
Ingressus, nunquam viso Michaële negandos.
Cornicinum sonitu circumdatus atque tubarum
Et plectrix, qui se Michaelem finxerat esse
More coronatus deducitur Imperiali,
Circumvallatus cantantibus undique turbis.
Unanimi cives hunc ut videre, cachinno
Visum derident dicentes, iste solebat
Crateras mensis pleno deferre Lyæo
Et de pincernis erat inferioribus unus.

SÆC. XI. An. C. 1081.

Venetos in hoc bello Alexii Imp. partes secutos esse, seque præclarè in eo gessisse, produnt Anna, Apuliensis, & Scriptores Veneti, qui ultimi addunt, tunc Regium titulum *Dalmatiæ* Venetiarum Ducem consecutum esse; Lucius verò in Hist. de Regno Dalmatiæ & Croatiæ lib. 3. cap. 2. existimat, integram maris Adriatici ditionem ex Dalmatiæ accessione tunc Venetos habuisse. Sed tam hic, quàm Ordericus laudatus, Lupus Protospata, aliique multi perperàm credidêre *Michaelem*, qui cum Roberto Duce erat, fuisse illum qui Constantinopoli Imperio depositus est. Porrò hanc expeditionem cum hoc anno Lupus Protospata in Chron. & Anonymus Barensis rectè copulant.

VIII. *Origo Principatuum in Regno Arelatensi institutorum.*

Ad num. XXXIII. Collector Registri Gregoriani lib. IX refert duo Juramenta *Bertranni* Comitis Provinciæ, quibus se suumque Comitatum Gregorio VII, ejusque Successoribus submittit; cùm enim *Henricus* IV Germaniæ & Burgundiæ Transjuranæ Rex ab eodem Gregorio excommunicatus fuisset, existimavit Bertrannus se solutum esse à fidelitate eidem Regi debita, quod Provincia intra Burgundici Regni limites contineretur; exindeque tam ipse, quàm Comites Forcalquerii, Venaiscini, Arausionis, Sabaudiæ, Vicecomites Massilienses, aliique multi, quorum Præfecturæ intra Regnum Arelatense seu Burgundiæ, constitutæ erant, jugum Henrici IV excusserunt, & se se supremos dominos reputarunt. Hæc enim verba in Bertranni se Bertrandi Juramento leguntur: *Ego Bertrannus Dei gratiâ Comes Provinciæ*, &c. quæ supremi dominii certa indicia sunt. Regnante quidem in Burgundia Henrico Imperatore hujus nominis II eorum Comitatuum Præfecti cæperant se se paulatim subtrahere ab ejusdem Regis seu Imperatoris dominio, ut videre est apud Boucheum in Hist. Provinciæ lib. VII. pag. 816. sed nullus ex illis se *Dei gratiâ* Comitem expressis verbis appellare ausus fuerat. Verum Henrico IV excommunicationis fulmine perculso *Bertrandus* & plures alii se se supremos dominos dixêre, illeque ut tutius ageret, Comitatum suum Ecclesiæ subjecit, ut idem Boucheus lib. ix. cap. ix. magis explicat. Hæc vera origo tot Principatuum in vasto Regno Arelatensi circa hæc tempora institutorum.

IX. *Gilbertus & Raimundus Comes S. Ægidii de Comitatu Provinciæ decertant.*

Verùm nec Baronius, nec Boucheus, nec alii, qui de hoc Juramento verba faciunt, animadverterunt, illud à Collectore Registri Gregoriani in hunc annum malè dilatum, huncque ordinem temporis non semper servare. *Bertrandus* enim anno millesimo octogesimo jam vità functus erat, & *Gilbertus* Comes Æmiliani & Ruthenensium in Occitania, qui *Gilbergam* Bertranni Comitis sine liberis demortui sororem, sibi copulatat, de Comitatu Provinciæ cum Raimundo Sancti Ægidii Comite contendebat, & magis hic, quàm ille Provinciæ dominabatur. Quæ successio cùm tam Historicos Provinciæ, quàm Occitaniæ maxima ex parte latuerit, juvabit eam hîc in manifestam lucem educere. *Raimundus* itaque, de quo Malmesburiensis lib. 5. ait, *immane quantum auxit Arelatensi, & Narbonensi, & Provinciali adjectis*, nempe Comitatui Caturcensi, quem

à patre in hæreditatis partem acceperat, ut habet idem Malmesburiensis, Raimundus, inquam, licet anno millesimo octogesimo nondum Tolosano Comitatu potiretur, jam tamen erat Comes Narbonensis, Biterrensis, Agatensis, Nemausensis, Ruthenensis, Vivariensis, & aliarum Ditionum, ut Bessa in Historia Narbonæ, Catellus, & alii in Historiis Occitaniæ cetris Antiquitatis documentis ostendunt. Mortuo autem *Bertranno* Comite Provinciæ potiorem Provinciæ partem præfatis dominiis adjunxit, sive invasione aut jure belli, sive jure successionis, ut videre est apud Historicos Provinciæ & Occitaniæ; neque enim hîc locus hac de re disserendi.

X. *Dominatus Raimundi in Provincia.*

Raimundum anno superiori jam utrique Provinciæ, Orientali nempe & Occidentali dominarum esse, ideoque & *Bertrannum* jam tunc obiisse, discimus ex Malaterra lib. III num. XXII: *Igitur anno Dom. Inc. MLXXX Raimundus famosissimus Comes Provinciarum* (qui titulus solis otriosque Provinciæ dominis attributus reperitur) *famam Rogerii Siculorum Comitis audiens, propter strenuitatem, qua de ipso referebatur, Legatos dignos, qui à tanto ad tantum dirigerentur, mittens, Mathildem filiam suam* (idest, *ejus*, ut quæ postea fusè de hoc matrimonio narrat, certò ostendunt, Malaterra quippe Auctor barbarus), *quam de prima uxore admodum honestæ faciei puellam habebat, sibi* (nempe Raimundo) *in matrimonium copulandam expostulabat.* Addit Malaterra conjugium magno apparatu in Sicilia, quò Raymundus Comes venit, celebratum esse; quod ipse ignorare non potuit, sicuti nec nomen filiæ *Rogerii* Comitis, quia subditus ejus erat, aut saltem Normannus natione. Parte alia constat, anno millesimo octogesimo septimo, quò *Guillelmus* Raimundi Comitis Sancti Aegidii frater Tolosanum Comitatum adhuc possidebat, Provinciam bellicis tumultibus ita fuisse conturbatam, & laceratam, ut quem dominum agnoscerent, populi vix scirent. Id liquet ex Instrumentis eo anno datis, & in Archivis Ecclesiæ Arelatensis asservatis, quæ aliquot prædiorum donationem continent, factam *cum consilio Comitum sive Comitissarum, qui tunc temporis regere videbantur regnum Provincialium hominum*, &c. *quia tunc temporis non erat Dux, nec Marchio, qui rectam justitiam faceret.* Quæ verba intelligi non possunt, nisi de dissidiis, mutuisque bellis, quæ *Gilbertus* maritus Gilbergæ ultimi Comitis Provinciæ sororis, & Raimundus Comes Sancti Ægidii frater & hæres Guillelmi Comitis Tolosani & Venascini, sibi mutuò inferebant. Præterea in Instrumento in Ecclesia Aniciensi conservato, & à Catello lib. 2. Comitum Tolosæ cap. 1. relato, legitur: *Quod si aliquis homo hanc donationem tollere*, &c. *Nec dubitet se esse positum sub anathemate domini Urbani Papæ, & omnium Episcoporum, & Abbatum, qui Claramontensi Concilio interfuerunt* &c. *Hujus honoris redditio facta est secunda die, quando R. Comes mancipium & fortalitium Sancti Maximini invasit, & eadem die hæc charta facta est.*

XI. *Gilbertus in Provincia pacificus non fuit ante bellum sacrum.*

Cum autem Concilium Claramontanum mense Novembri anni MXCV coactum fuerit, annoque MXCVI *Raimundus* in Terram Sanctam profectus sit, ex laudatis verbis apparet, bellum, *Gilbertum* inter & *Raimundum*, usque ad hunc ferè ultimum annum perdurasse. Fanum enim Sancti Maximini sex tantùm leucis ab Aquis sextiis, Provinciæ urbe, dissitum. *Gilbertus* itaque Comitatum Provinciæ usque ad præfati belli finem non obtinuit; sed ubi à morte *Bertrandi* manserit, quidve egerit, deficientibus Monimentis, non liquet. De *Gilberto* & *Mathilde* Raimundi Comitis Sancti Ægidii conjuge hactenus non satis cognita, suis locis sermo erit.

XII. *In charta Lirinensi Raimundus non dicitur Comes Provinciæ.*

Neque his obstat Charta in Archivis Lirinensibus asservata, scriptaque *anno ab Incarnat. Domini MLXXXIX, secundo anno ordinationis Urbani II*, in qua narratur, *Richardum* Massiliensem Abbatem Lirinum venisse, & præsente *Adelberto* cœnobii Abbate, ceterisque fratribus lachrymabiliter conquestum esse se ab iis injurias pati, ac admonuisse quò in unum congregarentur, ut utraque Ecclesia sine alterius læsione, quod sui juris esset, probaret: Monachos verò blandis ejus acquiescentes suggestionibus suos advocasse Judices, & Richardum Abbatem suos, ut secundùm Deum causam dijudicarent. Verùm re judicata Abbatem Massiliensem noluisse judicium recipere, sed *in tantam elatus est malitiam*, subdunt Monachi Lirinenses, *ut omni abjecta charitate & amore, quem nobis primò ostenderat dimisso, Raimundum Comitem super nos induceret, ut sua vi nostram subverteret æquitatem.* Addunt Lirinenses, dum cernerent in nullo proficere, se judicium transtulisse in duos viros laicos, *ipso accedente Comite, ipsumque judicium laudante.* Sed postea Massilienses promissionibus Judices obcæcasse, & Lirinenses injustè oppressos illis concessisse, quæ pertinebant ad honorem S. Honorati, *vidente Raimundo Comite Sancti Ægidii atque laudante.* Numerantur postea obedientiæ (ita cellæ & grangiæ à monasteriis dependentes vocatæ, ut videre est in Glossario Ducangii) Massiliensibus ac Lirinensibus tunc traditæ, subditurque, *interfuit Raimundus Sancti Ægidii Comes in omnibus, & per omnia conciliator & adjutor.*

XIII. *Sed hoc non efficit nostræ sententiæ.*

Hæc, inquam, Charta in qua *Raimundus* nunquam dicitur *Comes Provinciæ*, nostræ opinioni non officit; non solùm quia jus ejus ac possessio in controversia versabantur, & *Gilbertus* Provinciæ partem obtinebat; sed etiam quia *Richardus*, qui ab aliquot annis S. R. E. Cardinalis erat, in ea nunquam Cardinalis appellatur, sed tantùm *Abbas Massiliensis.* Præterea Monachi Lirinenses utrumque tanquam hostem habebant, ut ex laudatis verbis manifestè liquet. Denique fanum Sancti Ægidii nunquam *Comitatus* fuit, ut ostendit Catellus in Hist. Com. Tolosæ, & *Raimundus* se Comitem Sancti Ægidii vel Raimundum Sancti Ægidii ob amorem erga hunc Sanctum nuncupabat.

XIV. *S. Canutus Daniæ Rex Martyrium facit.*

Ad num. XXXVI & seqq. Baronius Martyrium *Sancti Canuti* Daniæ Regis, qui *Haraldo* successerat, fusè narrat ex Saxone Grammatico lib. XI, tradente eum, dum populares adhuc sacrorum rudes Decimarum pensitatione obligare vellet, ab eis rebellantibus dirè necatum fuisse. Verùm Martyrium illud ad annum millesimum octogesimum sextum pertinet, ut discimus ex *Aelnotho* Monacho Cantuariensi, qui paucis post mortem ejus annis Vitam & Martyrium literis mandavit, quam Hafniæ sub hujus seculi initium publicatam

Joannes

SÆC. XI. An. C. 1081.

Joannes Meursius anno MDCXXXI in eadem urbe iterùm edidit, & Notis illustravit. Hæc Ælnothi de hujus Martyrii anno verba: *Anno Incarnat. Domini millesimo octogesimo sexto, in civitate Othensia, gloriosus Rex & Protomartyr Danorum Canutus, pro Zelo Christianæ religionis, & justitiæ operibus, ut Christus a proprio conviva tradiens, in Basilica Sancti Albani Martyris, per eum paulò antea de Anglia in Daciam* [idest Daniam, quæ ab Auctoribus passim per hæc tempora ita appellatur] *transvectis, post communionem, & confessionem delictorum, sacramento munitur Dominici Corporis, ante aram, manibus solo tenus expansis, latere lanceatus, sexto Idus Julii, & feriâ sextâ* (quæ anno MLXXXVI in diem decimum mensis Julii incidebat) *mortem pro Christo passus, requievit in ipso.* Erravit itaque Pontanus in Hist. Daniæ lib. 5. Malmesburiensis lib. 3. de Gest. Reg. Angl. aliique, qui hanc mortem aliis annis consignarunt.

XV. *Patruus fuit S. Canuti Junioris, non verò pater.*

Portò in Martyrologio Romano ad diem VII mensis Januarii *Sanctus Canutus* Daniæ Rex & Martyr, Sveonis Estrithii sive Magni filius, *Othoniæ* Martyrio coronatus, malè ad illum diem inscriptus legitur, indeque Baronio errandi causa data. Scribit enim num. XXXVI *Sancti Canuti* Daniæ Regis Martyrium contigisse die septima mensis Januarii; cum tamen, ut mox vidimus, illud die X mensis Julii acciderit, & dies septimus mensis Januarii sacer sit *Sancto Canuto Regi Obotritorum* ac Duci Slevicensi, anno MCXXX martyrio affecto. In eo etiam Baronius peccavit, quòd anno MLXIV num. I Sanctum Canotum Juniorem filium faciat Sancti Canuti Senioris, patremque *Valdemari* Regis. Filius enim Canuti Senioris fuit *beatus Carolus Bonus Comes Flandriæ*, & ipse Martyr, de quo Gualterus Archidiaconus Ecclesiæ Morinorum Auctor coævus, in beati Caroli Vita apud Bollandium ad diem II Martii part. I ait: *Carolus Comes Flandriæ, filius Canuti Martyris* (de quo hîc agimus) *Regis quondam Daciæ, & Adelæ Reginæ; quam postea duxit uxorem Rogerius Dux Apuliæ*, qui anno MLXXXV Roberto Guiscardo patri, Duci nominatissimo in Ducatum successit. Canutus verò Junior filius extitit *Erici Boni*, Sancti Canuti Senioris fratris, qui post *Olaum* etiam fratrem in Dania regnavit, ut videre est apud Saxonem Grammaticum lib. XIV, aliosque Rerum Danicarum Scriptores. De *Sancti Canuti Junioris*, & beati Caroli Boni Martyrio seculo sequenti sermo erit.

XVI. *Imperium Orientale hinc à Turcis illinc à Normannis vexatum.*

Alexius Comnenus die prima mensis Aprilis currentis anni Imperator dictus est, ut anno superiori ostendimus, ideoque, quæ illic in medium adduximus, huc transferenda. De hoc Imperatore Annæ Comnenæ patre hæc illa lib. 3. scribit: *Alexius Imp. palpitantem extremis singultibus rem Romanam cernens, Turcis in Oriente cuncta vastantibus, Occiduis provinciis imminente Roberto, nullumque non funem movente, ut Pseudo-Michaelem in Imperium eveheret, vel potius prætextu hominis fænes vafrè utente ad olim conceptam & hactenus pressam Imperii sibi ipsi parandi cupiditatem explendam; qua ex fumo ac cinere in Flammam latè minacem exardescente, magnum jam & vehemens Romanos ab occasu fines amburere incendium cœperat, tot simul copiis terrestribus ex tota continente collectis, & ex universa littorali regione marium illorum tanto apparatu congregato triremium, biremium remulco trahendarum, & per se euntium onerariarum navium: hæc, inquam videns & secum reputans in Imperii primordiis generosus juvenis, æstuabat animo, non satis expediens quò se verteret; cùm enim illinc ad pugnam Turci vocarent, hinc Normanni raperent.* Ita illa pag. 91. Tum pag. 95. *Quoniam verò impiissimos Turcos videbat circa Propontidem commorantes; Solyma, qui Orienti tota imperitabat, Nicææ habitante (ubi & Sultanitium erat, quod nos Palatium diceremus) & ad quotidiana latrocinia eos immittente, sicque omnem latè heram qua Thynia & Bithynia objacet, usque ad ipsum Bosporum, qua nunc Damalis dicitur, assiduis, quà equestribus, quà pedestribus incursionibus deprædante, planeque vastante: tam securâ licentiâ grassantibus Barbaris, ut tantùm non mare ipsum inscendere, Urbemque ultro invadere ausuri viderentur: quos cernentes Byzantio sine ullo metu moras agere in oppidulis circum littora positis, atque in sacris templis, nemine inde illos absterrente, aut pellere parante, terrore ac consternatione pleni quid consilii caperent, non habebant.*

XVII. *Alexius Imp. pacem facit cum Turcis.*

Paulò pòst pag. 96. *Atqui ne Hercules quidem, quod vulgò ajunt, cum duobus uno tempere unus hostibus pugnam suscipiat: nedum juvenis Imperator in ipsis initiis novæ gubernationis Rempublicam inveniens funditus perditam: non enim ut à longo jam tempore, vergebat in interitum sensim; sed qua pessum ruere dudum cœperat, jam planè pervenisse ad imum præcipitium, & tota ruina procubuisse videbatur, nec copias habens, nec pecuniam, devorata enim prius cuncta fuerant, & sine ulla utilitate publica prodigè absumpta. Ea extrema necessitas rerum Alexium, quamvis invitum, compulit ut Turcis à Damali atque à maritima ora longè prius recedere coactis, præter dona quibus tali tempore supplices Barbaros excipere utile visum est, pacem quoque largiretur, his legibus:* "Ut Dracontem fluvium deinceps pro "Ditionis suæ termino haberent: cum ne un- "quam manu facta trajicerent, neve in fines "Bithyniorum irrumperent. *Sic bellum Orientale conquievit.* Quare Imperium Orientale maximopere inclinabat, & Turcarum potentia in dies augebatur.

XVIII. *Prima Turcorum Sedes.*

De *Turcorum* primis sedibus multa hactenus varii Scriptores congesserunt. Ducangius ex Bryennio, Curopalate & Zonara eos ad Caucasi montis partes Septentrionales, versus Tanaim & Bosporum habitasse colligit, & illis Auctoribus consentit Porphyrogenneta lib. de Administ. Imp. cap. 3. Turcos *Patzinacis* vicinos fuisse: cap. 12. provinciam ab eis inhabitatam ab Occidente *Franciam*, à Septentrione *Patzinacitas*, à meridie *Magnam Moraviam* habuisse auctor est. Denique capp. 38. & 40. ait, eos *Chazaris* conterminos fuisse. Atque ut inde faciliùs deprehendatur, quem incoluerunt, tractum, observandum ex eodem Scriptore cap. 2. 8. & 37. *Patzinacitas* gentem fuisse, vicinam *Russis*, & ad *Danaprim* & *Danastrim* celeberrimos fluvios, versùs Chersonesum Tauricam habitasse. *Franciæ* appellatione intelliguntur Regiones ad Septentrionem, quæ Francis aut Imperatoribus Germanicis Porphyrogennetæ ævo, parebant, Poloni videlicet & vicinæ iis nationes. *Magna Moravia*, quæ Sphendopluchi regio dicitur, eidem Porphyrogennetæ cap. 12. 38. & 42. videtur eadem quæ hodie *Moldavia* appellatur. *Chazari* denique, quorum crebra est apud Scriptores Byzantinos mentio, finitimi erant Uzis,

Alanis, Chersonitis, Bulgaris, & ipsis Turcis. *Turcia* igitur Vetus, ex prædictis extitisse conjicitur in *Lithuaniæ* Provinciis, quæ ad Pontum Euxinum vergunt. Sed & ad *Istrum* ipsum habitasse Turcos docent Curopalates & Zonaras in Leone Philosopho, & in Constantino Monomacho. Ita scitè Ducangius in Notis ad Nicephorum Bryennium pag. 199.

XIX. *Turci Orientales in varias tribus divisi.*

Verùm Vir doctissimus quarundam tantùm *Turcorum* Tribuum eo in loco mentionem facit; horum enim natio, si in universum consideretur, longè magis extensa fuit. Persæ, aliique Orientales *Turcos* appellant, quos Græci, Latinique *Scythas* vocarunt, & Turcos cum Tartaris confundunt; & sicut intra & extra Imaum, montem Asiæ maximum, variis nunc pro locorum diversitate nominibus designatum, *Scythæ* reperiebantur, ita & Turci dilatabantur usque ad mutum quingentarum ferè leucarum, quo Sinenses populi clauduntur; quia verò in immenso illo terrarum spatio complures variæ Turcorum & Tartarorum *Tribus* existunt, inde etiam diversis temporibus *Turci* exière, & in varias provincias excursiones fecère. Quæ de *Turcis* præmittere visum, quia sequentibus temporibus frequens eorum in Historia Ecclesiastica mentio occurrit.

XX. *Obitus Brunonis Episc. Andegavensis.*

In Appendice ad Chronicon Andegavense, quæ extat Tom. I Biblioth. Labbei ad annum MLXXXI legitur: *In ipso anno obiit quinto Kal. Septemb. Andegaverum Episcopus Eusebius, qui alio nomine Bruno dicebatur.* Tum in alia Appendice ad idem Chronicon, ad annum MLXXXI: *Obiit Domnus Eusebius cognomento Bruno Andecavorum Præsul VI Kal. Septemb.* in priori Appendice dies sepulturæ, in posteriori dies mortis notatur, ideoque alter Chronographus ab altero hæc non desumsit. Baronius anno MXXXV num. I ait, *Brunonem* Berengarianæ hæreseos propugnatorem acerrimum fuisse. Verùm *Brunonem* hæreseos infamiam apud nonnullos subiisse, quod *Berengarium* Archidiaconum suum errores publicantem non coërcuerit, non excommunicarit, ac ejus hæresim atque excommunicationem ceteris Episcopis encyclica Epistola notas non fecerit, certum est. Sed, ut notat Natalis Alexander Sec. XI & XII part. II Dissert. I art. IV solâ famâ hac in parte mendaci nitebatur *Deoduini* Leodiensis Episcopi, ibidem à Baronio laudati, & Durandi Troarnensis Abbatis, cujus verba anno ML num. XV retulimus, de Brunone Andegavensi Antistite opinio: quem etsi à negligentiæ reatu, cujus causâ fuit nimius illius in *Berengarium* amor, purgare difficile sit: ab hæresi tamen Berengariana penitus immunem probare facillimum est.

XXI. *Hæresi Berengarianæ non favit.*

Primò, quia ceterorum Auctorum nullus eum Berengarianæ hæreseos infamia infecit: non *Hugo* Lingonensis, non *Lanfrancus*, non *Guitmundus*, non *Algerus*. Secundò, nec ullo in Concilio, nec apud ullum Summum Pontificem de hæresi delatus est; imo cum aliis Episcopis adfuit Synodo Remensi à Leone IX celebratæ, ut ex illius Synodi Actis constat. Tertiò, si vel levissima hæreseos suspicione aspersus fuisset, non minus ipsi, quàm ejus Archidiacono professionem fidei imperassent. Denique *Bruno* fidei suæ integritatem luculenter probatam reliquit in Epistola ad Berengarium data, post ultimum Concilium Romanum in ejus causa habitum, cum *Berengarius* ipsum per literas obtestatus esset, *ut se & Gaufridum Martini* clericum Andegavensem *sub Judice audiri faceret in libro B. Ambrosii de Sacramentis.* Epistola illa ad *Beringerium Magistrum* data, à Claudio Menardio in Notis ad libros Sancti Augustini contra secundam Juliani responsionem ex veteri MS. primùm edita. Etenim *Berengarius* anno MLXXIX, postquam Synodus Romana absoluta est, in Galliam rediit, fidei Professionem, quam in ea sub juramento asseruerat, iterùm perfidè violavit, & prædictam Epistolam ad Brunonem Andegavensem Episcopum dedit: respondit *Bruno*, id sibi conveniens non videri; sufficere ad fidem, ut verbi Christi virtute panem & vinum post consecrationem verum Christi Corpus & Sanguinem fieri credatur, ejus rei modum, ordinemque non inquirendum; Patres hac de re cautè legendos: *ne nullam aliam de hac re disputationem vel controversiam*; Subdit Bruno, *nec audieres me quærere, procurare, congregare aliquando fecatis. Omnibus verò pro hac re, me volente, quod si parum est quamvis parvipendatur, contradicente Conventum publicum aggregare volentibus consensum non tribuam, confluentibus humilitatis meæ pe sonum subtraham, confugentibus audientiam, perseverantibus communionem: est enim causa ter provincia nostra judicio terminata, quarto Sedis Apostolicæ Synodi sententiâ extincta.*

XXII. *Ejus Epitaphium à Marbodo viro piissimo compositum.*

Brunonis Andegavensis Epitaphium condidit *Marbodus*, tunc Scholæ Andegavensis Magister, & deinde Redonensis Episcopus, ab Urbano II in Concilio Turonensi anno MXCVI creatus:

Bruno Pater: jocunde senex, mitissime Præsul,
Cujus cor pietas, lingua mel & lac erat
Si tibi culpa fuit, quod nullum lædere velles,
Quale tuum meritum cum bona culpa fuit?
Quid tibi, chare pater, clerus, populique precemur?
Ut quod tu nobis, id tibi sit Dominus.

Refertur illud Epitaphium ex veteri Cartulario Sancti Albini Andegavensis à San-Marthanis in Episc. Andegav. Porrò *Marbodus*, de quo mentio non est in Annal. Eccles. Ecclesiam Redonensem annos penè XXVII sanctissimè rexit, & de eo infrà sermo erit.

XXIII. *Inquiritur in sectatores hæresis Berengarianæ.*

Post Synodum Burdegalensem anno superiori habitam, in qua *Berengarius fidei suæ reddidit rationem*, cœpit hæc hæresis vires amittere, cum inquireretur in eos, qui eam tuebantur. Hinc Anastasius quidam Monachus SS. Sergii & Bacchi, Andegavensis, cùm suspectus esset apud Geraldum Sancti Albini Andegavensis Abbatem, fidei suæ professionem edere coactus fuit. Publicavit illam Dacherius ad Vitam Lanfranci, cujus hoc est initium: *Domino Geraldo Abbati olim filio, nunc Deo propitio venerabili Patri frater Anastasius domini, qui est quod habet. De Corpore & Sanguine Domini jussisti, Venerande Pater, ut quidquid parvitas mea sentit, imo quod credit, sanctitati vestræ patefaciat, hoc breviter pro modulo meo salva fidei puritate accipiet.*

ANNO

Anno Æræ Hispan. MCXX. Anno Hegiræ cccclxxv inchoato die 1. Junii.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6575.

☉ 27. B. ☽ 19. P. 24. April. Indict. 5.

JESU CHRISTI 1082.

GREGORII VII. PAPÆ 10.

HENRICI IV REG. 27.

ALEXII COMNENI IMP. 2.

I. Secunda expeditio Henrici Regis in Urbem Romanam.

AD num. I & seq. Est hic secundus annus obsidionis Romanæ ab Henrico Rege peractæ, de qua Hugo Flaviniacensis ad hunc Christi annum: *Adhuc Romanæ urbi dominus Gregorius præerat, quam Wibertistarum* (seu sectatorum Wiberti, vel Guiberti Antipapæ) *jam esset facta conspiratio, non tamen promotio. Ubi verò & promotio ejus execratione sua illa quasi auctorisata est, & judicatum est ab impiis & perjuris hostili manu Romam aggrediendam, ut Papa, qui populi obsequio & amore cum gratia Dei protegebatur, cum injuria & dedecore à Sede propelleretur: eò usque res devenit, ut Rex cum Papa suo exercitu innumerabili fultus Romam tenderet, & in itinere quotquot poterat ad adorandam statuam, & in ea imaginem bestiæ compellebat. Sed modo mirabili quò plus ad explendam profanæ mentis vesaniam ferebatur, eo gravius dejiciebatur, & dehonestabatur. Aliquando enim magnum erat, si quis osculum Regium merebatur, gratum, si quis vestigia Papæ oscularetur. Nunc versa vice rerum, quicumque inventus fuisset, tenebatur, nec antea dimittebatur, nisi primò pedem Paparelli illius oscularetur, & sic demum osculo Regis potiebatur: ut esset in ambobus æquiparita injuria, verùm Regis tantò gravior, quantò hic cujus pedibus inclinabatur, erat deterior.* Malaterra ait Henricum in Sedem Sancti Petri hoc anno Guibertum inthronizasse, sed refellit eum Lupus Protospata in Chron. ad annum MLXXXII scribens: *Henricus obsedit Romam ut vi introiret & faceret ibidem Papam Ravennensem Archiepiscopum, sed minime potuit.* Quod anno sequenti magis constabit.

II. Bonizonem Episcopatu deturbat.

Hanc *Henrici* expeditionem narrat Baronius ex Bertoldo in Chron. ubi dicitur, Henricum Regem *capto venerabili Episcopo de Sutria, suoque apostata Guiberto in Tiburtina urbe ad infestandos Romanos derelicto*, in Longobardiam reversum esse. Erat hoc tempore *Bonizo* Episcopus Sutrii, ab Urbe Roma paucis milliaribus dissiti, magnus Ecclesiæ Romanæ Defensor, qui Episcopatu jubente Henrico Rege deturbatus, *cùm plura, ærumnosaque mutasset exilia, pervenissetque Placentiam, ibi à Catholicis ejusdem civitatis est dictus Episcopus*; inquit Ugbellus Tom. II Italiæ Sacræ in Catalogo Episc. Placentiæ. Sed Episcopatum illum ante annum MLXXXVI adeptus non est; cùm Presbyter Pœnitentiarius in Vita Sancti Anselmi Lucensis Episcopi, anno MLXXXVI die XVIII Martii demortui, cap. VI narret, *Anselmum* desiderasse in vicino Mantuæ Cœnobio sepeliri, sed cùm jam deferretur ad monasterium corpus, *affuit subitò Sutriensis Episcopus nomine Bonizo, quem & Spiritus sanctus suscitavit, ut clamaret, dignum esse, ut in Episcopio Episcopus sepeliretur: Tanta, inquit, lucerna, non decet, ut abscondatur. Ipse adhuc vivens tanquam indignum se humiliavit: nos autem ut vere dignum exaltare oportet hominem, quem fuisse scimus sanctissimum.* Quod ita factum est, acclamante *Mathilda* Comitissa, ceterisque præsentibus.

III. Bonizo doctrina & pietate clarus.

Sed non solùm pietate, verùm etiam doctrinâ *Bonizo* claruit. Lambecius enim lib. 2. Biblioth. Cæs. pag. 790. & seqq. refert extare in Bibliotheca Cæsarea Epitomen omnium Operum & Sententiarum Sancti Augustini, cujus inscriptio. *Paradisus Augustinianus* in libros octo divisam, & à Bonizone Sancto Joanni Gualberto Abbati Vallumbrosiano, cujus suasu eam composuit, dicatam, quam Lambecius prælo dignissimam censet. Composuit & Decretale, sive Syntagma *Decretorum Ecclesiasticorum, ex sacra Scriptura, probatisque Conciliis*, ut & ex Pontificum Romanorum & Sanctorum Patrum, aliorumque Orthodoxorum Auctorum monumentis collectum, & secundùm *Locos communes in septem libros* divisum; cui Proemii loco præfixa est Epitome *Historiæ Pontificum Romanorum, à S. Petro* usque ad Urbanum II, de qua Epitome jam suprà locuti sumus, quam valde dolendum hactenus lucem non vidisse.

IV. Mathildis Comitissa ad defensionem Gregorii VII in armis erat.

Lupus Protospata in Chron. ait, Henricum Regem rursùs in Longobardiam venisse, *ad debellandam Mathildæ Provinciam, quæ cum Papa tenebat Gregorio.* Stabat enim Mathildis ad defensionem Pontificis armata, & continuò excurrebat, expugnabatque loca, quæ partes Schismaticorum Longobardiæ sequebantur, uti in ejus Vita Domnizo refert. Et quia, post tot expensas ei deficiebat pecunia, obtinuit à Sancto Anselmo Episcopo Lucensi, ut bona quæ ipsa & Decessores ejus Ecclesiæ Canusinæ dederant, ad hoc bellum insumere posset, à se postea restituenda. Tengnagelius in Syntagmate *Veterum Monumentorum pro Gregorio VII*, libros duos Domnizonis Presbyteri de Vita Comitissæ Mathildæ edidit, eisque præposuit Relationem de Thesauro Canusinæ Ecclesiæ Romam transmisso, cujus initium est: *Anno Domini MLXXXII Comitissa Mathildis cum Episcopo Anselmo, qui & Vicarius erat Papæ Gregorii VII, in illis diebus in Longobardia, thesaurum Ecclesiæ Canusinæ postulavit Abbati Gerardo, qui tunc præerat præfatæ Ecclesiæ, dirigendum PP. pro defensione Romanæ Ecclesiæ, quæ illo tempore persecutionem grandem habebat à Guiberto hæresiarcha. Itaque prænominatus Abbas unà cum congregatione fratrum, fidelem amorem & dilectionem habens in B. Petro & Romana Ecclesia, Vicario ejus ex Comitissæ petitione alacriter thesaurum obtulit*, &c.

V. Cura S. Anselmi Episc. Lucensis à Gregorio VII commendata.

Guibertus Antipapa, qui Archiepiscopatum Ravennensem invaserat, & Henrici Regis conatus in quibuscumque poterat promovebat, ad Sanctum *Anselmum* Lucensem Episcopum scripsit, ut à Mathilde, cujus curæ eam Gregorius VII commendarat, recederet, ad quem servus Dei, ut legitur in libro ejus primo contra Guibertum, respondit: *Quod autem obsecras per Jesum, ne nobilissimam fœminarum amplius circumveniam, deludam, & fallam, Deum testem invoco, nihil terrenum; nihilque carnale in ea, vel ab ea ex intentione concupisco, & sine intermissione oro, ut ab hoc seculo nequam citò eripi merear nimio affectus tædio; quia incolatum meum prolongari video, serviens die ac nocte in custodiendo illam Deo meo, & sanctæ Matri meæ Ecclesiæ, cujus*

SÆC. XI. An. C. 1082.

jux præcepto mihi commissa est, & spero quod multa mihi retributio per gratiam Dei in ejus custodia exerescat, qua non in vanum sua dispergit, sed indeficientem in cœlo thesaurizat sibi thesaurum, quem tinea non demolitur, ubi fures non effodiunt, nec furantur, parata pro defensione justitia non solum terrena omnia distribuere, sed usque ad sanguinem pro vestra confusione & reverentia ad sancta Ecclesia gloriam & exaltationem certare, donec tradat Dominus inimicum suum in manu fœmina.

VI. *Concilium Meldense.*

Ad num. VI. Concilii *Meldensis*, cujus meminit Baronius, mentio est in Chronico Clarii, seu Sancti Petri Vivi Senonensis, his verbis: *Anno MLXXXII die XIV Kal. Novemb. obiit Walterius Meldensis Episcopus, & insequenti septimana Hugo Diensis Episcopus & Romana Ecclesia Legatus congregavit Concilium in eadem urbe, & ordinavit Episcopum in eadem urbe Rotbertum Abbatem Ecclesia Resbacensis. Quod quia sine præsentia & assensu Richerii Archiepiscopi* (Senonensis) *& Coepiscoporum ejus factum est, excommunicaverunt eum.* Ad annum verò MLXXXV: *Eodem quoque anno Richerius Archiepiscopus ordinavit Waltherium Meldensem Episcopum IV Nonas Novembris excommunicato supradicto Rotberto.* In Episcopatu Meldensi successivè sederunt *Walterius* seu Gualterius I, post cujus mortem præfata Synodus provincialis habita ab Hugone Diensi Episcopo Sedis Apostolicæ Legato, qui teste Chronographo Virdunensi hoc anno ad Archiepiscopatum Lugdunensem translatus est. In ea Synodo Hugo *Rotbertum* Meldensem Episcopum ordinavit, sed sine assensu *Richerii* Archiepiscopi Senonensis, qui ideo *Robertum* excommunicavit, annoque MLXXXV *Gualterium* seu *Walterium*, hujus nominis II, Meldensem Episcopum ordinavit, rursumque Robertum excommunicavit. *Gualterius II* Ecclesiam Meldensem usque ad annum MCII administravit. Apud San-Marthanos in Episcopis Senonensibus & Meldensibus dicitur, *Hugonem* Sedis Apostolicæ Legatum excommunicatum fuisse in Concilio Meldensi à Richerio, licet Chronicon Senonense, quod citant, seu Chronicon Sancti Petri Vivi, & Chronographus Autissiodorensis iisdem verbis rem narrent, ut eam modò retulimus.

VII. *Hermannus eligitur Rex Germaniæ.*

Ad num. IX. Marianus Scotus in Chronico hoc anno habet: *Catholici per Saxoniam consistentes, ex constantia domini Apostoli* (legendum, Apostolici) *roborati, constituerunt super se Regem Hermannum. Iste Hermannus fuit Lotharingus, vir sapiens, modestia, genere & fortitudine insignis.* Chronographus Hildensheimensis & Continuator Lamberti ad hunc annum scribens, Hermannum Regnum Germaniæ invasisse, quia nempe Henriciani erant. Denique Chronographus Magdeburgensis à Meibomio editus notat Hermannum hoc anno natali Sancti Stephani à Sigfrido Moguntiæ Archiep. Regem unctum esse.

VIII. *Alexius Imp. ad profligandum bellum thesauros Ecclesiæ accipit.*

Robertus Calabriæ Dux anno superiori *Dyrrachium* in potestatem redegit, & currenti novas auxiliarium cohortes conducere paravit. E contrario Alexius Imp. qui tunc prælio victus fugatusque fuit, *prævalente in dies metu Roberti, perditis rebus, quasi ad sacram anchoram Ecclesiasticorum thesaurorum* animum convertit, inquit Anna Comnena lib. 5. *Replicati ad obtentum rei parum in vulgus plausibilis veteres Canones, quibus in redemptionem captivorum impendi sacras pecunias, conflarique vasa Templorum, fas esse cavebatur. Admonebant incidisse tempus illud. Servire enim servitutem miserabilem & in exitium anima ac periculum salutis præsens sub dominis infidelibus christianos per Orientem innumerabiles.* Hanc ubi tentare viam placuit, Sebastocrator Isaacius in magnam Ecclesiam se confert, ibique indicto cœtu sacrorum ministrorum, non modica est exceptus admiratione, Præsulum assessorum Patriarchæ. Metaxa quidem ei constanter obstitit; verùm pluribus cedentibus in sententiam Sebastocratoris conclusa res est.

IX. *Henricum Regem ad fœdus adversus Robertum Ducem sollicitat.*

Miserat demùm Legatos ad Regem Alamannia sub quodam Methymna dicto, quem Legationis esse Principem jusserat. Is & literas & mandata dederat, quibus magnopere instigare Henricum conabatur ad rumpendas omnes moras invadenda Longobardia, juxta pacta conventa inter ipsos antea transacta. Iret ergo quàmprimùm, moveretque infesta signa in Roberti ditionem, quo ejus viribus ad necessariam rerum suarum defensionem à Romano Imperio santisper aversis, respirare interim à clade Alexius posset, & conductis iterùm auxiliaribus copiis comparare se ad Robertum toto Illyrico pellendum. In eo si Rex Alamannia operam commodare ipsi facillimam vellet, maximam ab se initurum gratiam; quam omnibus officiis & beneficiis rependere ac remunerare paratissimus esset Imperator Alexius, imprimis verò connectenda quàmprimùm affinitate, quam Henrici Legati Regem ipsorum cupere significaverant, cujusque ipsis spes facta fuerat.

X. *Robertus Calabriæ Dux in Italiam redit.*

Dum hæc ita Imperator adversùs Robertum comparat, venit ad eumdem Robertum trepidus nuncius: Regem Alemannia in procinctu esse ad invadendam Longobardiam. Ea ille re in curam versus, postquam in contrarias sententias alternavit animum aliquandiu, acri attentione disquirens, quid in tali articulo rerum factu esset optimum: tandem reputans se Rogerio filio ditionem Italicam attribuisse, jam tum cùm in istam expeditionem versùs Illyricum solveret, Boamundo verò alteri filio, nullam adhuc assignasse regionem, cui præesset summo jure, comitibus & lectis ex toto exercitu viris in consilium vocatis, Dyrrachium, & Aulonem, urbesque ac insulas ceteras captas & capiendas reliquit, addixit, & commendavit. Præcipuè autem præ ceteris omnibus etiam atque etiam mandavit ei bellum adversùs Græcos, significans se decertaturum cum Rege Alemanniæ, ipsumque è suis finibus pulsurum, ut *Rogerio* filio possessionem olim à se datam vindicaret & assereret. Tum navem conscendit, & in oppositam oram Longobardicam trajecit; momentoque *Salernum* delatus, quæ urbs totius Principatûs quasi Metropolis delecta fuerat, ibi per otium delectibus habendis vacabat; dum interim Henricus Rex, *juxta ea quæ Augusto promiserat, se ad invadendam Longobardiam accingebat*, inquit Anna Comnena.

XI. *Ditiones suas Illyrici donat Boemundo filio.*

Robertum relicto Illyrico, in Italiam Gregorio VII opem laturum hoc anno trajecisse, docent Lupus Protospata in Chron. Anonymus Barensis & Malaterra lib. 3. cap 32. Guillelmus Apuliensis lib. 4. pag. 43. Roberti ex Illyrico discessum his verbis narrat:

Robertus geminis exacto navibus anno

Adriacis

SÆC. XI. An. C. 1082.

Adriacis undis loca rursus ad Appula transit:
Is primogenito populum commiserat omnem,
Cui nomen Boamundus erat, pariterque Brieno.

Brienus dignitatem Constabularii, quæ tum suprema erat, à *Roberto* obtinuerat, quod indicat Anna lib. 5. eumque sub Rogerio Duce, Boëmundi fratre, in Apulia & Calabria eodem functum munere, docent veteres Chartæ annorum MXCIII & MXCVII, ab Ughello in Episcopis Melphensibus recitatæ. Prætermiseram monere Græcos *Longobardiæ* nomine Italiam exprimere, ut innumeris exemplis liquet. Denique Lupus Protospata ad hunc Christi annum de Roberto Guiscardo scribit: *Dux rediens ab Epidamno sublecto sibi Boamundo filio suo perrexit Romam, ferens auxilium Papæ Gregorio, cum Rex* (nempe Germaniæ) *jam in partibus moraretur Lombardiæ, ad debellandam Mathildæ provinciam, quæ cum Papa tenebat Gregorio.* Ubi Lupus profectionem Romanam Roberti Ducis, quæ postea contigit, ut infrà narrabitur, uno tenore recitat.

Anno Eræ Hisp. MCXXI. Anno Hegiræ CCCCLXXVI. inchoato die 22. Maii fer. 1.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6576.

☉ 28. A ☽ 1. P. 9. April. Indict. 6.

JESU CHRISTI 1083.

GREGORII VII PAPÆ II.

HENRICI IV REG. 28.

ALEXII COMNENI IMP. 3.

I. *Henricus Rex tertiò Romam obsidet.*

AD num. I & seqq. Narrat Baronius gesta hoc anno in obsidione Romana, ex Leone Ostiensi lib. 3. cap. 45. Urspergensi, & Bertoldo in Chron. quibus addenda quæ in Actis Pontificalibus à Centio Camerario in lib. MS. Censuali de ea habentur. Ibi cap. 3. relatis quæ primo & secundo obsidionis anno accidêre, legitur: *Sic tertio quoque anno idem Rex ad obsidendam Romam reversus est: sed quia se ipsum excommunicatum a Cluniacensi Abbate* (nempe Sancto Hugone), *atque aliis religiosis Deum timentibus pro certo haberi cognovit, ut eorum simplicitatem meliùs circumvenire posset, ad callida se argumenta convertit. Post captionem itaque Ostiensis Episcopi & aliorum multorum, quos præcepit absolutos dimitti; universis Romam visitare volentibus firmam securitatem dedit, quam juramento publicè confirmavit; & ut popularem favorem omninò consequeretur & gratiam, in publico dixit, quod à Domino Gregorio Papa Imperialis coronæ dignitatem vellet accipere. Quod postquam populus Romanus cum religiosis viris audivit, non mediocriter læti sunt omnes, & ad vestigia Pontificis lachrymabiliter accedentes, ipsum cum magna instantia exoraverunt, ut patriæ jam ferè perditæ misereretur, & paternâ clementiâ condoleret. Pontifex autem qui pro justitia & Ecclesiastica libertate tuenda, si rationabilis causa exigeret, mortem subire paratissimus existebat, constanter in hunc modum respondit: Ego versutias & calliditates Regis frequenter expertus sum; sed si vult in iis, in quibus manifestè peccavit, Deo & Ecclesiæ satisfacere, ipsum libenter absolvam, & Imperialem sibi coronam cum benedictione imponam; alioquin nec debeo, nec possum, vos in hac parte ullatenus exaudire. Quod verbum cùm Rex remordente conscientia denegaret facere, & populus Pontifici per plures dies vehementer instaret, ut absque satisfactione Regem susciperet, & Pontifex ad eorum cæcas preces omninò permaneret immobilis; Rex paulatim cœpit popularem favorem pecunia & terrore sibi acquirere.* His addit Lupus Protospata ad annum MLXXXIII, *mense Junio, relicto ibidem præsidio ac filio*, cum XL obsidibus Regem Româ secessisse *in Partes Tusciæ.*

SÆC. XI. An. C. 1083.

II. *Guibertus anno tantùm sequenti inthronizatur.*

Baronius num. I scribit, *Gubertum* Ravennatem hoc anno apud Sanctum Petrum fuisse inthronizatum, & *Clementem* III nominatum; quam in rem laudat Bertholdum in Chron. ac Leonem Ostiensem lib. 3. cap. 49. Verùm Bertoldus non rarò in Chronologiam peccat; cumque in laudatis Actis à Centio Camerario scriptis, in lib. 3. Leonis Ostiensis à Baronio citato, & in Chronicis Urspergensis ac Sigeberti, *Guberti* inthronizatio in sequentem annum conferatur, certum esse debet, id eo anno contigisse, quod & statim demonstrabo. Leo verò Ostiensis gesta utroque anno summariè refert, indeque narrata obsidione Urbis hoc anno facta alterius postea non meminit, quas tamen alii disertè distinguunt, utpote factas diversis annis. Adhæc Urspergensis tempora notat. Ait enim primò, Henricum castra posuisse ad *Occidentalem partem castelli sancti Petri*, quod Leo Ostiensis ac Bertoldus etiam habent. Tum addit: *Capta est urbs IV Non. Junii, feriâ sextâ ante Octavam Pentecostes*, hoc scilicet anno. Ad annum verò MLXXXIV ait, Henricum *ad portam Lateranensem* castra posuisse, subditque, eum *Wibertum* Romanis Apostolicum præfecisse *XI Kal. April. feriâ VI ante diem Palmarum*, qui characteres in annum sequentem competunt, additque *sequente Dominica* inthronizatum fuisse.

III. *In Actis publicis modò se Clementem, modò se Wibertum dixit.*

Rubeus lib. V Hist. Ravennensis pag. 309. & seqq. refert exordium literarum ab isto Antipapa datarum, quod tale est: *Anno dominicæ Incarnat. MLXXXIV, regnante verò Henrico filio quond. Henrici Imp. anno XXVIII, die XXVI mensis Januarii, indict. VII in Capitulo sancti Apollinaris in Classe: domino sancto & meritis beatissimo, atque Apostolico Patri Patrum domino Wiberto, sanctæ catholicæ Ravennatis ecclesiæ Archiepiscopo.* Addit Rubeus, alias extare tabulas *XI Kal. Febr.* scriptas atque alias quæ exaratæ dicuntur *anno MLXXXIV, Guiberto Archipræsule Papa Electo anno III, Henrico, Henrici filio in Italia regnante, anno tertio* (annus ille mendosè descriptus) *XVI Kal. April. Indict. VII.* Cùm verò *Guibertus* anno MLXXX pseudo-Pontifex electus fuerit, loco, *Papa Electo anno III* legendum, *Papa Electo anno IV*, qui error facilè à Librariis committitur. *Wibertus* anno MLXXXVI Ravennæ Conventum aliquot Cardinalium & Episcoporum habuit, & Ravennensis Ecclesiæ bona confirmavit Diplomate à Rubeo recitato, cujus initium: *Clemens Episcopus servus servorum Dei*, &c. His unis literis, inquit Rubeus, Pontificio solio vacante scriptis „ Wibertum se *Clementem* appellasse novi: reliquis deinde omnibus, quas viderim, se perpetuò *Wibertum Archiepiscopum* vocavit. „ Quodque majori notatione atque animadversione dignum est, in quibus tabulis ipse se *Wibertum* nominat, eas factas esse tempore *Clementis* Papæ dicit, ut duo, iidemque omninò inter se diversi videri possint *Wibertus* Archiep. & *Clemens* Pseudo-Pont. Cumque hoc „ tempore Pontifices Max. Summi Pontifices, & „ Universales

SÆC. XI. Ao. C. 1083.

„ Universales Papæ, & quidem jure, scribantur,
„ hunc unico Papæ vocabulo, nullo præterea
„ adjecto titulo ubique exaratum legi; id puto
„ factum, quòd populi, Ravennatis præsertim
„ provinciæ, in qua ipse plurimùm morabatur,
„ illum nequaquam verum Pontificem duce-
„ rent, quamquam metu impulsi, de illo in ta-
„ bulis mentionem Scribæ facerent. Illa antem
„ eo modo scribebat ipse, quòd ejus adhuc flu-
„ ctuaret animus, neque se palam Pontificem
„ Max. jactare, conscientiâ deterritus auderet.
„ Hinc se modò *Clementem*, idque, uti docui, se-
„ mel tantùm, cùm esset in Episcopotum Con-
„ ventu, & Pontificia vacaret Sedes, modò *Wi-*
„ *bertum* Archiep. idque perpetuò affirmabat.
„ Nam & *Desiderio* Abbati Cassinati, ab eo quæ-
„ renti, cur Pontificatum ita arripuisset, & Hen-
„ ricum Imp. consecrasset, Leo Ostiensis Episc.
„ in Cassinati Chron. & Trithemius in Hirsaug.
„ auctores sunt, se illud, postulantibus Roma-
„ nis; hoc planè coactum, invitumque fecisse,
„ respondere solitum. Ita Vir doctissimus.

IV. *Annos suos à sequenti deduxisse demonstratur.* Antipapam verò utrumque nomen usurpasse, variæ tabulæ Ravennenses demonstrant. In unis legitur: *Anno Incarnat. Dominicæ MLXXXVI, anno III Deo propitio Pontificatûs domni Clementis Papæ: imperante Henrico fil. quond. Henrici Imp. anno III, die XV mensis Maij indict. IX Ravenna. Wibertus servus servorum Dei, divinâ gratiâ Archiepiscopus. Gratiæ venerabili Abbatissæ*, &c. Aliarum tabularum initium hoc est: *Anno dominicæ Incarnat. MLXXXVIII, temporibus domni Clementis Papæ, sedis ejus anno V, sicque imperante domno Henrico fil. quond. Henrici Imp. anno V, die quinto mensis April. indict. XI Ravenna. Domino sancto, & meritis beatissimo, atque Apostolico Patri Patrum domno Wiberto, sanctæ catholicæ Ravennatis Ecclesiæ Archiepiscopo.* In aliis tabulis mense Junio scriptis se eas confecisse dicit Wibertus Archiepiscopus, *tempore domni Clementis Papæ, & Henrici Imp. anno XV, indict. VI, Ravenna*, anno scilicet Christi MXCVIII. Ex tribus his literis manifestè apparet, Bertoldum, licet Auctorem coævum, in anno Ordinationis *Guiberti* Antipapæ hallucinatum esse, sicuti & Papebrocium in Conatu Chronico-Hist. qui eam hoc anno factam supponens, tantùm de die dubius est, an nempe die XXVI Maij, vel die XXXI Martii currentis anni ea peracta fuerit. Verum dies illius Ordinationis non minus certus ex dictis, quàm annus.

V. *Concilium Romanum IX.* Baronius num. V & seq. recitat Acta Synodi Romanæ IX sub Gregorio VII, cujus initium: *Anno ab Incarnat. domini MLXXXIV, Pontificatûs verò domni Gregorii Papæ VII anno undecimo, XII Kalendas Decemb.* Idem legitur Tom. IX Concil. pag. 401. Verum loco, *anno ab Incarnat. Domini MLXXXIV*, legendum, *anno ab Incarnat. Domini MLXXXIII*, ut annus XI Pontificatûs Gregorii hoc anno inchoatus certò demonstrat. Præterquamquod anno MLXXXIV mense Novembri Gregorius VII Romæ non erat. In ea Synodo Pontifex questus est de Henrico Rege, qui Ostiensem Episcopum, Castilioneum nempe, in Pontificatu Urbanum II appellatum, *capi jussit*, *sive permisit*.

VI. *Gesta in Illyrico ab* *Robertus* Calabriæ Dux toto hoc anno in Italia fuit, non verò in Illyrico, ut perperàm Baronius num. VIII habet. Neque hoc in dubium revocari potest, post ea quæ anno superiori in medium attulimus. Boëmundus verò ejus filius ab eo in Illyrico relictus, *ferox juvenis, non magis patris mandatis, quàm proprio impetu in occasionem conserendi cum Imperatore* (nempe Alexio) *prælii totus imminebat. Ergo assumtis secum tum suis copiis, tum Romanis transfugis, qui desperatâ Imperatoris fortunâ victorem secuti, non plebeii solum; sed viri etiam insignes magno numero ad Bæmundum accesserant: quibus adjungendi Præfecti urbium ac regionum, quæ nuper ditioni Roberti subjectæ fuerant; cum his omnibus per Bagenetiam profectus Joannina venit, occupavit & munit*, inquit Anna Comnena lib. 5. pag. 133. *Joannina* Ætoliæ oppidum, olim *Cassiope* dictum. *His Imperator auditis, confestim summâ diligentiâ collectis copiis Constantinopoli erumpit mense Maio*, currentis scilicet anni. Subdit Anna, Alexium bis acie victum, fugatumque fuisse à Boëmundo, *insidiis ejus evitatis*. Postea tamen *Alexius* Turcorum auxilia imploravit; & cùm Boëmundus *Larissam* obsidione cinxisset, auxilio Larissensibus venit, & castra Normannorum cepit, multis necatis, qui illic reperti sunt, & præda omni ac spoliis potitus est, ut fusè ibi Anna, quæ sequentis libri initio *Castoriam* ab Alexio expugnatam refert, quod Zonaras sub mensem Novembris indict. VII, anno scilicet currenti, contigisse asserit.

SÆC. XI An. C. 1083. *Alexio Imp. & Boemundo Duce.*

VII. *Annus natalis Annæ Comnenæ.* *Ceterùm Imperator*, ait Anna lib. 6. pag. 166. *cùm ejecto Castoriâ Comite Bryennio, Latinis, quos in partes suas traxerat, comitantibus, victor trophæis positis in Urbem Regiam inveheretur, Kalendis Decembris indictione septima, Augustam suam conjugem in ea Palatii parte diversantem reperit, quæ olim puerperiis Augustarum est dicata* (*ædes ista antiqua appellatione* Porphyra *sive* Purpura *vocantur: unde Porphyrogenitorum nomen orbe toto Romano celebre profluit*). *Ibi circa diluculum die sabbati nata ipsis puella est, haud dubiis lineamentis patrem referens, ut notarunt jam tum, prædicaruntque qui viderunt. Illa ego fui.* Hæc Anna Comnena de se ipsa, cujus Historia, quæ Baronii tempore non extabat, nobis magno subsidio est.

VIII. *Litera in Oriente à Monomacho & Alexio Impp. restituta.* Jam Anna lib. 5. pag. 143. & seqq. dixerat, Alexium patrem Constantinopoli offendisse Ecclesiam factionibus *Itali* cujusdam novam hæresim spargentis perturbatam. *Fuit is*, inquit, *ut nomine, sic & origine Italus*: diu tamen commoratus in Sicilia, qui *Constantinopolim venit, in urbem eruditionis & artis ratiocinandi nequaquam tum egenam. Quamquam enim inde usque à Principatu Basilii Porphyrogeniti, ad Imperium Monomachi, melioris doctrinæ studium a plerisque neglectum jacuerat; non tamen ut extinctum, planeque sepultum esset. Extitit ergo atque emersit illustrius, excitatum ingeniis excellentibus, qualium circa tempora Imperatoris Alexii magnus proventus apparuit.* Quando Italus in Urbem venit, *etiam Michaeli Psello dedit operam illi latè inclyto, homini non tam cum magistrorum sapientum, quorum limina non multum triverat, quàm indolis præstantia & velocitate mentis divinitùs adjuta, (id videlicet impetrantibus ardentissimis per crebras vigilias continuatis matris ejus precibus, in Templum Cyri ad sanctam imaginem Dei matris, haud sine ferventibus lachrymis fundi solitis) in eminentissimum sapientiæ atque eruditionis omnis apicem evecto: quippe qui ad Græcorum literas, atque artes omnes, quas perfectè norat,*

norat, etiam chaldæorum disciplinas adjunxerat, famamque meruerat doctissimi omnium, qui tunc essent.

IX. *Italus hæreticus Constantinopoli damnatur.*

Italus sub Michaele Duca & Nicephoro Botoniata Impp. Beneficio Dialecticæ & Sophisticarum cavillationum adeo inclaruit, ut post Michaelem Psellum, cujus discipulus & æmulus fuerat, *Philosophiæ universæ Professor & Princeps Philosophorum* publicè declaratus sit. Sed variis hæreticis dogmatis, & præcipuè quidem de Pythagorica Metempsychosi, sive *Transmigratione animarum*, & *de Ideis Platonicis*, gravissimas in Ecclesia Orientali excitavit turbas, ideoque imperante Alexio Comneno per Judicium Ecclesiasticum Constantinopolitanum tanquam hæresiarcha solemniter condemnatus, & anathemate percussus est. Imperator *dedit operam, ut nefariorum istorum dogmatum catalogus ad se deferretur. In capita undecim redacta sunt; quæ Imperator retractare ipsum ac condemnare, anathematique subjicere, productum ex ambone unde capite ad concionem universi populi jussit. Ingeminabatur à multitudine anathema singulis sententiis prolatis.* Igitur anathemati, cui subjecta prava ejus doctrina fuerat, *ipsum jam quoque nomen ejus ut caput est subjectum.* Sed secutis temporibus *recepit se hic vir in bonam mentem, sententiasque priores revocavit.* Quæ cùm Anna testetur, accidisse *Eustratio Garida* Patriarchatum gerente, quem *hominem non doctissimum* Italus *verbis ac sophismatis* obtuerat, & Estratius anno sequenti è vivis excesserit, ut suo loco ostendetur, tumultus hi seriùs in Ecclesia Constantinopolitana sedati non fuêre, nec Italus seriùs anathematizatus.

X. *Fuit Princeps Philosophorum in Aula Constantinop.*

Italum hunc *Joannem* nuncupatum fuisse, Allatius lib. 2. de Eccles. Occident. & Orient. consensione cap. 10. eruit ex ejusdem anathematismis, qui recitantur in Ecclesia Græca, die orthodoxiæ sacroque editique sunt in Triodio, ex quibus, quæ fuerint hominis dogmata, intelligitur. Ducangius in Notis ad lib. VI Alexiadis Annæ Comnenæ rectè censet, alium non fuisse ab Italo *Joannem* illum Philosophum, quem Theophilactus Archiep. Bulgariæ 10 Epist. XLV hortatur ad patientiam, & ut inimicis, virtutem ejus impetentibus viriliter obsistat. Indeque concludit, Epistolam hanc scripsisse *Theophylactum* post exactum Urbe *Italum*. Varia Joannis Itali Opera, quibus Aristotelis Philosophiam exposuit & illustravit, commemorant Labbeus in Nova Biblioth. MSS. Librorum in 4°. Parisiis edita, & Lambecius in Appendice ad lib. IV Biblioth. Cæsareæ. Anna Comnena pag. 145. postquam dixit, Psellum tandem Byzantio egressum esse, subdit: *Principis Philosophiæ Cathedra Magister impositus Italus idem est, Summusque Philosophorum declaratus: quam ad loci & honoris possessionem obtinendam Aristotelicos & Platonicos libros mox susceptis enarrandos, αὐτὸς φιλοσοφίας ἐπαίνης προϊεν διδάσκαλος, ὕπατος τῶν φιλοσόφων χρηματίσας. Καὶ τάς τε Ἀριστοτελικὰς βίβλους, καὶ τὰς Πλατωνικὰς ἐξηγεῖσθαι ἐσπούδαζεν.* *Hypatus* itaque dignitatis nomen erat, inter cetera Palatii Constantinopolitani Officia apud Matthæum Monachum recensitæ, sed à Codino omissæ, quod pluribus exemplis eorum, qui eam gessêre, ostendit ibidem Ducangius.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6577. Anno Eræ Hispan. MCXXII.

☉ 1. GF. ☽ 2. P. 31. Mart. Indict. 7. Anno Hegiræ CCCCLXXVII, inchoato die 9. Maii fer. 5.

JESU CHRISTI 1084.

GREGORII VII PAPÆ 12.

HENRICI IV REG. 29. IMP. 1.

ALEXII COMNENI IMP. 4.

I. *Henricus Rex Romæ ab Antipapa coronatur.*

ANum. I ad X. Non tantùm posteriores Historici, uti putat Baronius num. I, confundunt quæ anno superiori cum iis, quæ hoc anno gesta sunt; sed etiam non pauci ex Antiquis, uti Bertoldus, quem Baronius excipit, Leo Ostiensis lib. 2. cap. 52. cujus verba Baronius num. VIII recitat, & Abbas Urspergensis ad annum MLXXXIII, ubi ait, Gregorium VII *Salernum* secessisse, & ibidem ad diem mortis suæ permansisse, quod tamen hoc anno accidisse certum & indubitatum. Sed antequam Historicorum errores indicemus, ex his, quæ certiora visa, in medium proferam. *Henricus Natale domini Romæ apud S. Petrum celebravit*, inquit Abbas Urspergensis, qui annum à Christi Natali inchoat. Bertoldus verò: *Henricus in Romanorum finibus hyemavit, ibique Gubertum Ravennatem suum Romam venturum expectavit, ut ab eo apud Sanctum Petrum incoronaretur, eò quod Gregorium Papam ad hoc flectere non posset, ut eum, nisi legitimè reconciliatum, incoronare vellet.* Subdit Bertoldus, Henricum maximam pecuniam, quam ei Alexius Imperator Constantinop. miserat, ut Robertum Calabriæ Ducem, Gregorio VII addictum bello appeteret, ad conciliandum sibi vulgus Romanum expendisse: *Cujus adjutorio Lateranense Palatium feriâ quintâ ante Palmas* (die nempe XXI Martii) *cum suo Ravennate Guiberto, intravit. Nobiles autem Romani, præter admodum paucos, cum Domino Papa Gregorio tenuerunt, qui & XL obsides ei dederunt; Papa autem in castellum Sancti Angeli se recepit, omnesque Tiberinos pontes & firmiores Romanorum munitiones in sua obtinuit potestate. In die Resurrectionis Dominicæ Henricus, ab hæresiarcha suo Ravennate, coronam non gloriæ sed confusionis accepit*, idest, die tricesima prima mensis Martii, à quo ideo ejus Imperium à Chronologis exordiendum.

II. *Antipapa Romæ inthronizatur.*

Prætermittit ibi Bertoldus, & cum eo Baronius, inthronizationem *Wiberti* Antipapæ, quam uterque perperàm cum anno superiori affixit, ut ibidem diximus. Sed hunc errorem corrigit Urspergensis, qui hoc anno ait: *Wipertum Ravennatem Episcopum in Apostolicum* præfecit Henricus Rex *XI Kal. April. feriâ sextâ ante diem Palmarum*, ideoque postridie ab ejus ingressu in Lateranense Palatium. Subjungit Urspergensis: *Qui sequenti Dominica per multos Pontifices Apostolico nomini dicatus, nomenque Clementis accipiens, reverenter est inthronizatus. A quo Rex cum Regina Bertha in sancta Dominica Pascha, Imperiali benedictione sublimatus est.* Adhæc Centius Camerarius in libro Censuali refert, Henricum Regem, *quoniam populum Romanum ad voluntatem suam indubitanter attraxerat*, Guibertum in Sede Apostolica violenter intrusisse, & vicissim ab eo in festo Paschatis Imperii coronam accepisse.

Post

SÆC. XI. An. C. 1084. *Post modicum verò ad obsidionem castri Crescentii* (quod moles Hadriani antiquitus, & postea Sancti Angeli castrum dictum est) *universos Romanos conduxit. Pontifex autem, sicut vir cautus & providus jamdiu Robertum Guiscardi, egregium Normannorum Ducem sollicitare studuerat, ut in manu valida contra illatam sibi violentiam & potenter succurreret*, inquit Centius Cametarius. His adjunge quæ Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdun. pag. 229. habet: *Gregorius igitur in turre Crescentis muro clausus Legatos misit ad Robertum Apuliæ Ducem, qui tunc fortè classe instructa mare transire parabat, ut veniret, & obsidionem solveret. Erat tunc fortè Romæ Abbas Divionensis* (Jarento nempe) *domino Papæ per omnia fidelissimus, quem pro ingenita sibi bonitate & obedientia debita B. Petro dulcissimo amplectebatur affectu, adeo ut concaptivum suum eum vocaret; quia non eum movebant salutis pericula pro justitia suscepta. Hunc ergo ad evocandum Ducem cum quibusdam Cardinalibus misit. Qui obedientiam non segniter executus Principem adduxit, & data Urbi obsidione, patefactoque ingressu, Rege fugato, Papa liberatur, & ad Lateranense Palatium cum gloria reducitur.* Diem adventûs Roberti Ducis notavit Bertoldus: *Robertus Wiscardus*, inquit, *Dux Normannorum, in servitium Sancti Petri, post Kalendas Maii, Romam armata manu invasit; fugatoque Henrico totam Urbem, Gregorio Papæ rebellem penitùs expoliavit, & majorem ejus partem igne consumpsit, eò quòd Romani quemdam ejus militem vulneraverunt.*

III. *Papa in castro S. Angeli obsidetur.*

IV. *Henrici ipsius verba de sua expeditione.*

Henricus Imp. post suum Româ reditum *secus Alpes moram faciebat*, inquit Auctor Anonymus Historiæ Trevirensis Tom. XII Spicilegii Dacheriani pag. 228. publicatæ, *directis Episcopis* ad Theodericum Virdunensem Episcopum, *qui ei summa familiaritate adhærebat*, ad eumdem literas dedit ibidem recitatas, in quibus ait se *Romam in die Sancti Benedicti* intrasse: *Cum in Teutonicas partes de acquirenda Roma* desperans redire vellet, Romanos missis Legatis, ut Romam intraret, rogasse, & *summo studio secum manentes* adjuvisse: *summo triumpho & fide ab eis recedentes prosecuti sunt, in tantum ut in domino fiducialiter dicamus, quia tota Roma in manu nostra, excepto illo castello, in quo reclusus habitat Hildebrantus, scilicet in domo Crescentii, quem Hildebrandum legali omnium Cardinalium ac totius populi Romani judicio scias abjectum, & Electum nostrum Papam Clementem in Sede Apostolica sublimatum omnium Romanorum acclamatione, nosque à Papa Clemente ordinatum, & consensu omnium Romanorum consecratum in die sancto Pascha in Imperatorem, totius populi Romani exultatione, &c. Tu autem si non gravaris facere quod volumus, Augustam ad nos venire post festum Petri & Pauli te rogamus, quia Deo favente, in festo eorum Radisbonæ erimus.* Quibus egregiè confirmantur quæ jam ex variis Historicis retulimus.

V. *Gregorius VII Liberatur à Roberto Calabriæ Duce.*

Baronius num. VI ait: *Robertum relicto Oriente* in Italiam advolasse, & ad liberationem Pontificis ocyùs properasse: Verùm Robertus jam anno MLXXXII ex Illyrio in Apuliam venerat, & nunc, ut rectè Hugo Flaviniacensis laudatus, se se ad redeundum in *Illyricum* parabat. Sed testatur Guillelmus Apuliensis lib. 4. eum *Cannas* sibi rebelles obsedisse, captasque evertisse. Porrò *Cannæ* urbs fuit prope Aufidum fluvium, nunc excisa, & memorabilis pugnâ illic Romanos inter & Carthaginenses commissâ. Hæc victoria hoc anno reportata, de qua laudatus Poëta canit; SÆC. XI. An. C. 1084.

Cannis destructis Romam molitur adire
Contra Gregorii Romani Præsulis hostem
Henricum, cujus jam dudum obsederat urbem.
Plurima barbaries annis remorata duobus,
Altaque tormentis murorum mœnia fregit,
Et turres multas invictæ diruit Urbis.
Jamque sibi fuerat pars subdita Transtiberina,
Gregorius quadam fuerat conclusus in arce,
Quæ munita satis non expugnabilis ulli
Esse videbatur, miri structurâ laboris.
Hanc & munierat fida custodiâ gentis:
Robertum tantos ubi novit inisse paratus,
Et sibi cum tantis inferre paratibus arma,
Rex fugit Henricus, Ducis hunc audacia terret,
Et virtus tota jam notificata per Orbem,
Expectare verens hunc ad loca tuta recessit.
Robertus Romam properans ut perferat Urbis
Egregia muros: tamen auxiliantibus ipsi
Paucis Gregorii fautoribus, indeque quibusdam
Aedibus exustis violenter ab obsidione
Liberat obsessum jam tanto tempore Papam:
Hunc secum magno deducit honore Salernum.

Ordericus lib. 7. pag. 642. & seqq. magno quidem errore ait, *Robertum* post adventum Legatorum Româ missorum mare ingressum esse, & in Apuliam venisse, cùm, ut demonstravimus, Robertus jam à biennio in Italia versaretur, sed rectè de Henrico scribit: *Jamque facta cum quibusdam Romanorum Proceribus pace, partem Urbis recepit, ac postmodum Occiduas regni sui partes repetiit. Maluit quippe sanus & liber honestè discedere, quàm furibundum Agonothetam* (nempe Robertum) *expectare, & repentini certaminis involvi turbine.* Varia hîc habet Ordericus de hac Romana Roberti expeditione, quæ nulla veritate nituntur, quæque ex dictis se ipsis corruunt.

VI. *Adveniente Roberto Henricus Imp. Româ discedit.*

Centius Cameratius loco laudato, narrata Gregorii VII liberatione, ait: *Hic igitur ita peractis, Dux ad propria rediit, & Patrem suum Gregorium Pontificem in Lateranensi Palatio sedentem cum fratribus suis Episcopis & Cardinalibus in pace dimisit, pertractantem Ecclesiæ negotia pro sui officii debito.* Paulò pòst: *Hic ter quaterque vere beatus Pontifex, post diutinam in Urbe moram descendit in Apuliam; & occurrente sibi jam dicto Duce Roberto Guiscardi, Salerni famosam civitatem gloriosè intravit.* At certum esse debet, Robertum secum Pontificem Salernum duxisse; cùm id non tantum Guillelmus Apuliensis testetur; sed etiam Leo Ostiensis, qui lib. 3. cap. 52. scribit: *Dux ad arcem sancti Angeli continuò properans, atque inde Pontificem abstrahens, Româ sine mora egreditur, & Gregorium Papam ad nostrum deducit monasterium.* In eo tamen Leo Ostiensis, licet Auctor coævus, errat, quod lib. 3. cap. 49. narrans gesta in obsidione Romana anno præterito suscepta, tradat tunc Henricum Guibertum Antipapam inthronizasse. Tertium testem pariter coætaneum mox proferam, cum de Synodo Rom. X sermo erit. Nunc quartum exhibeo sc. Lupum Protospatam, qui hoc anno de Roberto ait: *Papam exinde* (nempe ex urbe Romana) *viriliter abstrahens secum devexit Salernum.*

VII. *Robertus Gregorium VII Salernum deducit.*

Hugo Flaviniacensis, qui hoc tempore vivebat,

VIII. *In Germania*

SÆC. XI. An. C. 1084. *Plerique ab Antipapa stabant.*

bat, in Chronico Virdunensi refert, in tanta rerum perturbatione Germanos *Guiberto* Antipapæ adhæsisse, sicuti tam Lotharingos, quàm Longobardos, præsertimque Episcopos, paucis exceptis. Virduni Theodoricus Episcopus in Monachos, qui Gregorii partes sequebantur, omnem furorem exercuit, ita ut publicè in Ecclesiis Antipapæ nomen in Canone recitari vellet. Sed perstat ipsummet Hugonem Flaviniacensem audire, qui de obsidione Romana rebusque hoc anno gestis aliqua singularia habet: *Inter hæc Virdunensis tota ferè humanitatis facie versa, hac illacque debacchabatur, ita ut omnis in eo religionis species immutaretur, & obsequium, quod prius viris religiosis, qui tunc à Leodio confluxerant, & ab aliis undique partibus, atque sub habitu monastico in cœnobiis suburbanis degebant, exhibuerat, verteret in arma furoris. Totus illi sermo de imperio Henrici, de Papatu Clementis erat: ita ut publicè in Ecclesiis nomen illius hæresiarchæ nefandi in Canone recitari præciperet. Quod etiam faciebant reliqui Episcopi Lotharingiæ & Longobardiæ; exceptis perpaucis, qui magisterio Petri adhærebant: quorum vita cùm esset sancta, pia, casta, & Catholica, publicè notabatur infamiâ, insana dicebatur & hæretica, &c. non sufficiebat Sacerdotibus vel soli peccare, facti erant laqueus juvenum omnes, ut etiam absque synagogis facerent eos, qui non communicabant operibus eorum in communicando excommunicatis, in abjectione Gregorii, in assertione Wiberti. Jam verò si quis esset, qui Gregorio communicaret, hic publicè Comitiis appetebatur, hic hæreticus, destructor regni, assertor mali, qui nec vitâ dignus esset, qui publicæ indignationis offensam contraheret perjurus, & quodam adinventitio nomine Paterinus dicebatur.* Hic locus egregius ad confirmandum quod suprà asseruimus, nomen videlicet *Paterinorum* à Schismaticis, & à conjugii Sacerdotum defensoribus datum illis fuisse, qui ministros Ecclesiæ castos esse volebant.

IX. *Inea Catholici à Schismaticis graviter afflicti.*

Schismaticorum seu *Wiberto* adhærentium numerus adeo increvit, ut Domnizo in Vita Mathildis Comitissæ lib. 2. cap. 2. scripserit:

Hâc leprâ mundus ferè non locus extitit ullus.
Munda domus sola Mathildis erat spaciosa.

Catholici ubique multis & miris modis affligebantur, & idem Domnizo, Antipapæ intrusione narrata, præsentem persecutionem cum Neroniana comparare non dubitat.

Nascitur hinc cunctis ingens tribulatio justis,
Mucronem Regis pia pars quàm maximè sentit;
Sedibus expulsi sunt Pontifices quoque multi,
Flagris afflicti, vinclis in carcere stricti.
Rex & Guibertus faciunt juvenescere tempus
Neronis prisci, &c.

X. *In Italia sola Mathildis pro Papa pugnat.*

Inter hæc una *Mathildis* pro Pontifice pugnabat. Bertholdus enim Pontificis liberatione, victoriâque Roberti Ducis memoratis, scribit: *Eodem tempore milites prudentissimæ dominæ Mathildæ in Longobardia contra fautores Henrici & inimicos S. Petri viriliter pugnaverunt, è quibus Episcopum Parmensem* (Eberardum à Domnizone lib. 2. cap. 3. appellatum), *& sex Capitaneos cum aliis bonis ferè militibus centum ceperunt. Equos etiam plusquam quingentos, & loricas plurimas, & omnia tentoria inimicorum pleniter potiti victoriam habuerunt.* Hugo verò Flaviniacensis citatus: *At verò Mathildis Comitissa Romanæ Ecclesiæ filia virilis animi constantiam tenens, tantò ei* (scilicet Henrico Regi) *fortiùs resistebat, quantò magis hujus astutias, & Papæ innocentiam noverat. Sola enim tunc temporis inventa est inter fæminas, quæ Regis potentiam aspernata sit, quæ calliditatibus ejus, & potentiæ etiam bellico certamine obviaverit, ut meritò nominetur virago, quæ virtute animi etiam viros præibat*, &c. *Hæc est mulier illa, de qua ab obtrectatoribus fidei, & conculcatoribus veritatis crimen incestûs sancto Pontifici objiciebatur. Cui si deessent meritorum laudes, hoc satis eam commendabilem redderet, quod cum tali viro dum exprobratur, dum convitia suscipit, dum improperia audit, approbatur, honoratur, laudatur. Quæ enim ut hæc pro Romana decertavit Ecclesia? Quot & quanta passa est, ut illa debita libertate frueretur?*

SÆC. XI. An. C. 1084.

XI. *Scribit ad Germanos, ut caveant, ne ab Henrico decipiantur.*

Paulò pòst idem Historicus, qui hoc tempore Monachus erat in monasterio Virdunensi, relato, Roberti Ducis Romam adventu, hæc scribit: *Rex hoste adventante, fuga præsidium requirens, sigillum domini Papæ, quod furto subripuerat, secum tulit: & Portuensem, quia olim familiaris Papæ fuerat, sibi conciliatum secum duxit. Wibertus verò & ipse aufugit. Quamobrem veritа Mathildis ne simplices quique astutia Regis specie sigilli deciperentur, prævenit malitiam ejus mittens literas fidelibus in hæc verba:* Mathildis Dei „ gratiâ si quid est, omnibus fidelibus in Teu„ tonicorum Regno commorantibus, salutem. „ Notum vobis facimus, quod *Henricus* falsus „ Rex furto subripuit sigillum domini Papæ Gre„ gorii. Unde si quid audieritis quod discordet „ à nostra legatione, falsum arbitramini, neque „ mendaciis ejus acquiescatis. Præterea Episco„ pum Portuensem secum ducit; quoniam olim „ fuit familiaris domini Papæ. Si igitur aliquid „ vobiscum, vel contra vos per eum vult operari, „ eum falsum testem nolite dubitare. Nulli un„ quam credatis, qui aliter quàm nos dicere „ audebit. Sciatis domnum Papam jam recu„ perasse Sutrium atque Nepe. Barabbas latro, „ idest Henrici Papa, ipse quoque aufugit. Valete, & de insidiis Henrici cauti estote. *Igitur summo Pontifice ab urbe discedente, ejus comitatus Abbas Divionensis* (nempe Jarento) *non defuit.* Multis interpositis: *misit etiam per eum, & per Petrum Igneum, & per Principem Salernitanum Gisulfum nomine, quos Cluniacum mittebat, literas omnibus fidelibus, in quibus & calamitatis S. Romanæ Ecclesiæ causam, & cur tanta passus sit, breviter dilucidavit, & ut sui misererentur, ammonuit in hæc verba.* Recitat postea Epistolam illam, quæ cum desit in Appendice ad Registrum Gregorianum, in altera editione Conciliorum addenda erit cum aliis ab eodem relatis.

XII. *Synodus Romana X sub Gregorio VII.*

Ad num. X. *Dominus Papa*, inquit Bertoldus, *collecta Synodo, iterùm sententiam anathematis in Guibertum hæresiarcham, & Henricum, & omnes eorum fautores promulgavit.* Est hæc decima & ultima Synodus Romana sub Gregorio habita intra paucos illos dies, quibus Presbyter Pœnitentiarius Auctor coævus in Vita Sancti Anselmi Episcopi Lucensis cap. 4. affirmat eum post suam liberationem Romæ resedisse, antequam cum Roberto Duce Salernum proficisceretur. Hæc ejus verba: *A crescente tam impia hæreticorum persecutione, invitatus ab Apostolico viro Dux Apuliæ & Calabriæ Robertus Romam festinavit, ante cujus adventum Henricus Urbe relicta, fugit, quam una die, manu armata Dux fidenter expugnavit, dominumque*

SÆC. XI. An. C. 1084.

Papam de angustia turris in latitudinem sacri Palatii Lateranensis cum magno triumpho & gloria reduxit. Itaque peractis ibi aliquot diebus, Salernum pariter perrexerunt.

XIII. *Gesta in Illyrico inter Alexium Imp. & Robertum Ducem.*

Ad num. XIV. Alexio Imp. ut narrat Anna lib. 5. pag. 143. Proceribus Normannorum præmia ab annis quatuor eis à Roberto & Baimundo filio debita, si Baimnodus statim repræsentare ea nollet promittente, illisque sine ulla mora persolvi postulantibus, Boemundus, ad Patrem Salernum rediit. *Quod cùm Imperator certò comperisset, in urbem Regiam victor invectus est*, anno nempe superiori circa Kalendas Decembris, ut loquentes de Nativitate Annæ ejus filiæ ibidem diximus. Tùm Anna lib. 6. pag. 158. Gesta hoc anno recitat. *Robertus*, inquit, ubi Boemundi filii oratione congnovit in quid tecidissent ingentes illæ spes, quas in eo, ejusque exercitu rediens ab Illyrico collocasset, in heroicas assurrexit minas, cladis hosti reponendæ, tam validè, itaque se se armavit, quàm putavit necessarium ad vulciscendam filii cladem. *Rogerium* & *Gidas* filios statim misit cum mandatis, ut *Aulonem* maturè occuparent, quod illi fecêre, capto etiam Buthtoto. Interim Robertus cum classe universa solvit, & filiis se *Buthroti* junxit. Quæ dum ageret Robertus, Alexius Imp. Venetorum auxilium implorat, *pecunias in sumptus navium & in stipendia militum largissimas liberalissimè pollicens.* Ipsemet classem comparat, nec recusavit certamen *Robertus*, sed eum semel & iterum Veneti vicêre. Verùm Venetorum secura negligentia causa illis magnæ cladis fuit: victi enim & ipsi navali prælio à Roberto, qui *illustri ea victoria usus crudelissimè præteritarum dolorem cladium studuit ulciscendo consolari.* Multos eorum quos cepit, inhumanè cruciavit, deformavitque. Non longum inde tempus fluxerat, cùm Veneti in Robertum infesti movent, *consertoque acri prælio, illum planè vincunt, multis ex ejus exercitu cæsis, pluribus demersis.* Lupus Protospata ad annum MLXXXV unicam Roberti victoriam de Venetis, sed nullam ex tribus Venetorum victotiis ab Anna recitatis, sicuti neque Malaterra Monachus memorat, quamvis Anna in recensendis Roberti victoriis cum illis conveniat.

XIV. *De iis inter Historicos Græcos & Latinos non convenit.*

Adhæc Romualdus Archiep. Salernitanus in Chronico ad annum MCLXXVII perducto, adhuc inedito, in Bibliotheca Regia & quibusdam aliis asservato, & à Baronio hîc, alibique laudato mentionem tantum facit ultimæ hujus *Roberti* de Venetis victoriæ, quam asserit *mense Novembri* reportatam esse, & post eam *Robertum* in victos sæviisse. Quare Lupus Protospata in anno rei gestæ hallucinatus est, nisi annos Incarnationis à Septembri exordiatur. Neque enim anno sequenti, *mense Novembri* Robertus adhuc in vivis fuit. Porrò Robertum *hoc anno* in Illyricum *mense Septembri* iterùm trajecisse, auctor est Malaterra lib. 3. cap. 40. cui suffragatur Guillelmus Apuliensis lib. 5. ubi in Illyrico gesta fusè narrat, atque Robertum se se mari commisisse,

quia tempus adesse
Cœperat autumni, tranquilla recesserat æstas.

Ait etiam secum duos suos filios habuisse, & exegisse fere menses duos in littore, tempestate gravi bellum differre cogente; sed de unica tantum victoria, eaque à Roberto relata verba facit; qua in re cum Lupo Protospata, Malaterra, & Romualdo convenit. Hæc Guillelmus Apuliensis de dilatione belli:

Exegêre fere menses in littore binos,
Tempestate gravi bellum differre coacti.
Temperie placida portum redeunte relinquunt,
Et contra Venetum naves, Danaumque chelindros
Certamen navale parant.

quæ si vera sint, vix Annæ in trium illarum victoriarum narratione fides adhiberi potest.

XV. *Secunda Gallorum in Mauros Hispaniæ expeditio.*

Hoc anno secunda Gallorum in Mauros Hispaniæ expeditio suscepta, de qua Auctor Anonymus Fragmenti Historiæ Franc. à Roberto ad mortem Philippi I apud Duchesnium Tom. IV pag. 88. habet: *Secundam expeditionem in Hispanos Dux Burgundionum Hugo, pluresque alii Principum Galliæ paraverunt. Quibus Rex Aragonensis Sancio, cujus patrem Milonem scilicet Regem ipsi Saraceni jamdudum excoriaverant* (loco Milonis reponendus Ramirus, & fabula de genere mortis ejus rejicienda. Neque enim antiquitus Galli de Rebus Hispanicis magis edocti, quàm Hispani de Rebus Gallicis), *obviam venit, eisque Ducatum contra eosdem præbuit Sarracenos. Quo Duce Hispaniam ingressi, captâque unâ nobilium ejusdem Hispaniæ urbium, & devastata ex parte ipsa regione, plurimâ onusti prædâ domum remeant, quamplurimis captivis adductis.* Hanc expeditionem ad huoc annum pertinere insinuat Garibaius lib. 23. cap. 2. qui licet Gallorum mentionem non faciat, ait tamen *Sanctium Ramirum* Aragonensium Regem bellum hoc anno intulisse Mauris in Navarræ limitibus positis, & die vigesima quinta mensis Maii urbem *Argudam* dictam sibi subjecisse, eodemque mense ad *Tudelam* civitatem cum Mauris prælium commisisse.

XVI. *Tudela à Christianis obsessa.*

Hæc expeditio lucem accipit ex egregia Charta à Chiffletio in Probationibus Historiæ Trenorciensis pag. 331. relata, in qua dicitur: *Revolventibus quibusdam annis cum illo magno exercitu, in quo penè totius Nobiles regni Franciæ, ordinante Deo, venerunt Hispaniam, venit & supradictus Dux* (nempe Odo Burgundiæ Dux, ut mox videbimus.) *Quid fecerunt, & quantum laboraverunt in obsidione Tudelæ, satis notum est. Cùm autem unusquisque prout potuit, remeavit ad propria, ipse Dux adiit Curiam Imperatoris Anfonsi* (seu Alphonsi VI Castellæ & Legionis Regis, Imperatoris nomine in Hispania appellati), *causâ videndi avunculam suam*, Constantiam nempe Alphonsi Regis uxorem, & Odonis Burgundiæ Ducis amitam. In fine legitur: *Scripta est hæc Charta, jubente Regina* (nempe Constantia) *quæ hoc donum fecit, laudante & firmante Duce Odone, in Leone civitate, Nonas Augusti, feriâ V, Lunâ III. Regnante Anfonso Rege in Toletis, & Philippo in Francia, anno ab Incarnatione domini MLXXXVII.* Cùm verò in ea Charta Burgundiæ Dux semel & iterum Odo nuncupetur, & faciliùs Librarii, quàm Notarii in scribendo labantur, existimandum Anonymum loco laudato, pro *Odone*, Hugonem posuisse. Uterque Burgundiæ præfuit, & Hugoni, postquam Monachum induit, *Odo* successit, anno MLXXVIII. De tertia Gallorum in Mauros Hispaniæ expeditione anno MLXXXVII sermo erit. Porrò *Tudela* anno MLXXXVII cum universo antiquo Navarræ Regno citra Ebrum fluvium posito ab *Alphonso* VI Castellæ

& Le-

SÆC. XI. An. C. 1085.

& Legionis Rege pendebat, sed postea in Saracenorum potestatem venit, tandemque anno MCXIV ad Christianos rursùs rediit, ut ibi videbitur.

Nicolaus Grammaticus fit Patriarcha Constantinop. ut videre est anno MLXXXIX.

Anno Eræ Hispan. MCXXIII. Anno Hegiræ CCCCLXXVIII, inchoato die 29. April. fer. 3.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6578.

☉ 2. E. ☽ 3. P. 20. April. Indict. 8.

JESU CHRISTI 1085.

GREGORII VII PAPÆ 13.

HENRICI IV REG. 30. IMP. 2.

ALEXII COMNENI IMP. 5.

I. *Conventus Berbacensis.* ANnum. I ad X. Hoc anno in *Berbac* loco in Thuringia posito, communi partium consensu, seu Henricianorum & Catholicorum *Conventus* habitus, ut Canonum auctoritate probaretur, cui parti justitia faveret. *Wecilo* Moguntinus Archiep. partes Imperatoris absentis, S. *Gebhardus* Salisburgensis Archiep. Gregorii VII causam defendit. Hujus Conventûs Acta ab Abbate Urspergensi & Waltramo seu Venerico in lib. *de Unitate Ecclesiæ commemorata.*

II. *Synodus Quintilinburgensis.* Sed quia Episcopi partium Henricianarum sententias à Gregorio VII contra Henricum Regem latas, in Berebacensi Conventu retractari voluerant, *Otto* Sedis Apostolicæ Legatus Synodum *Quintilineburgi*(est Abbatia prope Halberstadium in Saxonia sita) cum Episcopis & Abbatibus Germaniæ, quorum præcipui erant Sanctus *Gebehardus* Salisburgensis, & *Hartuicus* Magdeburgensis Archiepiscopi celebravit. In ea Henriciana & Weciliana hæresis damnatæ. *Henriciani* enim summam auctoritatem Imperatori in electionibus Episcoporum, & ipsius Romani Pontificis vindicabant, huncque negabant esse legitimum, si eum Imperator vel Germaniæ Rex nominasset, ac latæ à Gregorio VII in Henricum excommunicationis nullam habendam esse rationem contendebant, injustamque asserebant. *Weciliani* verò ita à Wecilone Moguntinæ Sedis invasore nuncupati, seculares suis rebus expoliatos, Ecclesiastico judicio non subjacere volebant. In hac Synodo Wecilionis, & aliorum schismaticorum Ordinationes irritæ declaratæ; repetita anathematis sententia in Clementem III Antipapam & schismatis ejus fautores: *Gebheardi* Constantiensis Episcopi confirmata Ordinatio; quæstio de consanguinitate *Hermanni* Germaniæ Regis & uxoris ipsius agitata est, qui Synodo se pariturum promisit. Denique conditi in hac Synodo Canones septem à Baronio ex Bertoldo in Chronico num. VI & seq. recitati.

III. *Pseudo-Synodus Moguntina.* *Henriciani*, ubi hæc accepêre, *Moguntiæ* pseudo-Synodum coegêre, cui Henricus Imp. cum Legatis Antipapæ interfuit, & universos Episcopos compulit, ut *Gregorii* VII depositionem, & *Guiberti* Ordinationem approbarent. *Hermannus* Metensis Episcopus, Gregorii VII defensor acerrimus, aliique eidem Pontifici adhærentes depositi, ut videre est apud Baronium num. VIII & seq. Hujus pseudo-Synodi Acta à Waltramo laudata prolixè descripta, qui & testatur, *Hermannum* Germaniæ Regem in ea tanquam reum Majestatis damnatum esse. Sigebertus in Chron. ait: *Imperator in Episcopatu Metensium alterum mercenarium supposuit, sed oves Christi non audiverunt vocem alienorum.* In Chronico Sancti Trudonis part. 2. lib. 3. cap. 10. intrusus ille vocatur *Bruno*, filius Comitis de Salmos, *cujus frater Godefridus postea extitit Comes Palatinus.* Ibidem lib. 4. cap. 2. *Jam Metenses, cùm insolentiam Brunonis ferre non possent, stultitiâque ejus suorumque superbiâ, Deo ita volente, provocarentur, armis tandem in eum irruerunt, & intra monasterium B. Protomartyris conclusum obsederunt. Sed foribus tandem super eum fractis, milites ejus hac illacque per monasterium gladiis lanceisque confoderunt, quosdam super ipsa altaria immolantes, quosdam ipsis altaribus, contortis spiculis affigentes. Itaque Bruno vix elapsus tam honore quam nomine Episcopi ea ipsa die penitus est privatus à Metensibus.*

IV. *Hermannus Episc. Metensis sede pellitur.* Hanc persecutionem in *Hermannum* excitatam magis explicat Hugo Flaviniacensis in Chron. Virdun. qui narrata Gregorii VII morte, ait: *Anno sequenti persecutione Henrici Hermannus Mettim exiit, & Sedem Cathedræ ejus Walo Abbas Sancti Arnulphi illicitè usurpavit. Actum est illic mirè Dei judicio, ut cum ad execrationem ejus crisma quæreretur, & allatum esset crisma ab Hermanno confectum, Episcopus Virdunensis* (nempe Theodericus Henrici partibus addictus) *reprobratam crisma, quod sanctum erat, projiceret, & allato suo, quod ipse contra jus & fas sacraverat, inde perficeret Walonis sacrationem, ac benedictionem patris filius impudens mereretur. Walo tamen, quia patris cubile ascendit, publicam pœnitentiam egit. Henricus in loco ejus Brunonem quemdam Exepiscopum creavit, qui postea ab urbe cum dedecore & ignominia pulsus est, & sic Hermannus post multa labores & via pericula à suis de Langobardia, quo cum Mathilde morabatur, revocatus, IV anno egressionis suæ Mettis recipitur cum omnium affectione, anno ab Incarnat. domini MLXXXIX.*

V. *Obitus Tedaldi Archiep. Schismatici Mediolanensis.* Ad num. X. In Catalogo Episcoporum Mediolanensium à Mabillonio & Papebrocio edito, legitur: *Domnus Tedaldus Archiepiscopus sedit annos IX, & menses tres, & dies XXI; obiit VIII Kalendas Junii, sepultus in Arona*, sicut Gothofredus ejus decessor Brebiæ vitam finierat. Quibus ex verbis liquet, verum esse quod suo loco diximus, Tedaldum schismaticum circa initium mensis Februarii anni MLXXVI ordinatum esse. *Tedaldus*, inquit Bertoldus in Chron. *obiit Mediolanensis, non Archiepiscopus, sed Antichristus*, & quidem eodem die, quo Gregorius VII, quem mox VIII Kalend. Junii demortuum esse ostendemus. Postquam Mediolanenses cum Sede Apostolica reconciliati fuissent, nihil prætermisit Tedaldus, ut pacem turbaret: *Quod Tedaldus*, inquit Arnulphus lib. 4. cap. 3. *indignè sanè ac molestò tulit, adeo ut seditionem in populo, bellumque conaretur inferre, sed minimè valuit.* Hæc causa ejus secessûs Aronam, oppidum ad fluvium Adduam, mediâ inter Comum & Bergomum viâ, ubi mortuus est. Sigonius lib. IX ad annum MLXXXIV ait: *Teobaldus Mediolanensis Archiep. circa Urbanum lacum oberrans, propè exul mortuus est. Et per Henricum Anselmus à Raude suffectus, pariter à Gregorio est improbatus.* Verùm Tedaldus hoc anno interiit.

interiit. Secundò, Gregorius VII iisdem, quo ille die & anno, vità functus Anselmi electionem improbare non potuit. Tertiò, Mediolanenses ad Henricum recurrere non potuerunt, cùm Bertoldus scribat : *Civitates de Longobardia Mediolanum*, &c. *contra Henricum in viginti annos conjuraverunt.* Quartò, Anselmus, non Henricianus, sed vir verè Catholicus fuit: *In Longobardia*, inquit Bertholdus, *venerabilis Anselmus Mediolanensis Archiepiscopus, in causa Sancti Petri studiosissimus*, imò & Henrico inimicus, cùm, ut infrà visuri sumus, Conradum coronarit. Puricellus quidem ait, Anselmum Pontificatûs sui initio potuisse esse Henricianum, & postea in gratiam cum Sede Apostolica redire; sed nonnisi positivis argumentis in medium adductis id asseri potest; nec Sigonius excusari; cùm Bertoldus, qui hoc tempore vixit. Tedaldi morte narrata scribat: *è medio sublato potentissimo Ecclesiæ Mediolanensis invasore, erigere caput; ea cœpit; excussoque è cervicibus jugo schismaticorum, Catholicum sibi delegit Antistitem, Anselmum ejus nominis tertium.* Sigonius itaque multa de suo dicere solitus est, & cum magna cautela legendus. Porro cùm in Catalogo Episcoporum Mediolanensium à Mabillonio & Papebrocio edito *Tedaldi* pseudo-Episcopi nomen legatur, *Attonis* autem veri Episcopi & *Gotofredi* pseudo-Episcopi nomina desiderentur, appatet illum antiquum non esse.

VI. *Moritur Gregorius VII PP.*

A num. XI ad XXII. Paulus Bernriedensis in Vita Gregorii VII cap. 12. hujus sancti Pontificis tunc Salerni commorantis mortem relaturus ait : *Rogatus, ut in tanta fidelium perturbatione, sibi successorem & Ecclesiæ contra prænominatum adulterum* (nempe Guibertum) *designaret ulterem, trium dedit optionem; videlicet Desiderii Cardinalis & Abbatis cœnobii Cassinensis, atque Reverendissimorum Episcoporum, Ottonis Ostiensis, & Hugonis Lugdunensis. Verùm quia Otto nondum à Germania & Gallia partibus redierat, ubi Apostolica legatione functus, venerabilem Gebehardum Constantiensis Ecclesiæ Præsulem se præsente & favente consecraverat, & alia nonnulla ad stabilimentum Ecclesiæ pertinentia prudenter ordinaverat; Hugo quoque sua lustrans gubernacula procul aberat, interim suasit eligi vicinum Desiderium.* Post pauca interpositas: *Interea Pontifex B. Gregorius, super his, quos excommunicarat requisitus, si quam dispensationem facere vellet, respondit : Præter Henricum Regem dictum, & Guibertum Apostolicæ Sedis invasorem, & omnes illas principales personas, quæ aut consilio aut auxilio favent nequitiæ, vel impietati illorum, omnes absolvo & benedico, quicumque me hanc habere specialem potestatem in vice Apostolorum Petri & Pauli credunt indubitanter.* Subdit postea cœlestem viam arripuisse die festivitatis *Urbani prædecessoris sui*, nempe Sancti Urbani hujus nominis primi, die XXV mensis Maii demortui.

VII. *Ant- mortem sententiam in Henricum latam non rescidit.*

Leo Ostiensis lib. 3. cap. 64. præter Desiderium, Hugonem & Ottonem, ait Gregorium commendasse etiam cum illis Anselmum Lucensem Episcopum. *Hoc statuto*, inquit, *defunctus est VIII Kalend. Junii die dominica, & dignissimè intra Ecclesiam Sancti Apostoli & Evangelistæ Matthæi sepulturæ traditus : cùm sedisset, annis XII, mense uno, diebus tribus.* Centius Camerarius in libro Censuali habet dies quatuor, quia scilicet diem emortualem, quem Leo excludit, in summam confert. Electus Pontifex fuit Gregorius VII die XXII mensis Aprilis anni MLXXIII. Quare hoc anno die XXV mensis Maii, in quam Dominica incidebat, spiritum Deo reddidit, perperamque Baronius num. XI mortem ejus cum die XXIV ejusdem mensis copulavit. Non dubitandum autem, quin proximiorum Prædecessorum exemplo annos suos ab electionis suæ die deduxerit, & quin tam Leo Ostiensis quàm Centius Camerarius ac Auctores Catalogorum ad eam numerandi rationem respexerint; quod tamen ex ejus Rescriptis erui non potest, cùm Gregorius VII, nec annos Incarnationis, nec annos Pontificatûs in eis memorarit. Ex laudatis Pauli Bernriedensis verbis apparet, Sigebertum falsò scripsisse *Gregorium* VII morti proximum sententiam in *Henricum* Regem latam rescidisse, ipsumque absolvisse, quod & refellit Baronius num. XIII & seq. verbis Presbyteri Pœnitentiarii, qui Vitam Sancti Anselmi Lucensis Episcopi scripsit, eique coævus fuit.

VIII. *A bonis laudatur.*

Laudatur *Gregorius* VII non tantum à Sancto Anselmo Lucensi, à Willelmo Abbate Monasterii Metensis in Epistola à Mabillonio Tom. I Analect. publicata; sed etiam à Scriptoribus illius temporis omnibus, paucis exceptis Henricianæ factioni adhærentibus. Paulus Bernriedensis Canonicus Regularis circa annum MCXXXI Vitam ejus edidit, quæ nunc in Actis Sanctorum Bollandianis ad diem XXV mensis Maii legitur. Marcus Antonius Marsilius Columna anno MDLXXIV Salernitanus Archiepiscopus creatus, librum composuit de Vita & Gestis ac Translatione B. Matthæi Apostoli & Evangelistæ, ex qua Ughellus Tom. VII Italiæ Sacræ hæc de Sepulchro marmoreo Gregorii VII exscripsit : *In quo Robertus Guiscardus, Gregorii VII summi, optimique Pontificis corpus collocavit, quem ut Henrici IV, Romanorumque perfidiæ subtraheret, quasi perfugium hospitio receperat : cujus nos ipsi Reliquias, nulla ex parte labefactatas, Pontificiisque indumentis ornatas, hoc anno, qui est à tumulatione ferè quingentesimus, propriis oculis inspeximus, propriisque manibus contrectavimus.* Robertus hoc anno mense Julio in Illyrico è vivis excessit, ideoque existimandum, Gregorium VII illud ei erigi literis suis præcepisse. Guillelmus enim Apuliensis lib. 5. pag. 49. postquam Gregorium VII summopere laudavit, de Roberto scribit :

Dux non se lachrymis audita fertè coercet
Morte viri tanti . non mors patris amplius illum
Cogeret ad lachrymas, non filius ipse, nec uxor,
Extremos etsi casus utriusque videret.
Magnus erat de morte dolor, quia magnus amoris
Vivere dum licuit, nexus conjunxerat illos,
Alter ab alterius nunquam discessit amore,
Firmata quondam, post mutua fœdera pacis.

Gregorius XIII anno MDLXXXIV Martyrologium Romanum corrigens, in illud Gregorium VII ad diem XXV mensis Maii inseruit, quod retentum est in editione ejusdem Martyrologii à Baronio annotationibus aucti, Sixto V. sedente facta. Post *Gregorii* VII mortem Sedes vacavit ob rationes in Annal. Ecclesiast. deductas.

IX. *Moritur Robertus Apuliæ & Calabriæ Dux.*

Ad num. XXII & seqq. *Robertus* Calabriæ & Apuliæ Dux, qui anno superiori in Illyricum venit, præsenti, cùm jam antea navigia ex suis quædam,

quædam, duce iis suo filio (nempe Rogerio) præfecto, in *Cephaleniam* misisset, studio civitatis, quæ in ea insula est, occupandæ, ipse *galeâ* invectus Cephaleniam remuit, ubi antequam se filio suo conjungeret, vehementi correptus febre est, qua sexta die sublatus. *Supremum spirantem assecuta uxor ejus Gaita offendit, & filium ac in tali spectaculo ac casu flentem*, inquit Anna Comnena lib.6.pag.162. quæ addit, Rogerium deinde copias in Apuliam deportasse, quando *æstatem agebat annus*, & corpus patris in navi detulisse. Deinde ait: *Excessit è vivis anno vicesimo sexto Ducatûs sui, ætatis septuagesimo.* Subdit, Dyrrachienses præsidiarios ingentibus ab Alexio Augusto lactatos spebus ultrò eum adeuntes arcem ei dedidisse. *Æstate* etiam febrem Robertum corripuisse asserit Guillelmus Apuliensis lib.5. postquam Gregorii Papæ VII mortem narravit. Quare Robertum hoc anno è vivis excessisse accuratè scripsêre Romualdus in Chronico à Baronio citatus, Ordericus lib.7. Anonymus Barensis, & quantum ad mensem Julium, Malaterra lib.3.cap.41. qui hanc mortem in annum præcedentem perperàm refert. Anonymus Barensis qui annum Incarnat. cum indictione mense Septembri de more exorditur, expeditionem & mortem Roberti his verbis narrat: *Anno MLXXXV indict. VIII transiit ipse Robertus in Romania in mense Octobri* (idest, anno MLXXXIV, quo annus ille Christi & indictio ab eo mense Septembri inchoantur). *In mense Januarii commisit bellum in mare cum ipsi Benetici* (idest, cum ipsis Venetis), *& vicit. Ildeprando Papa mortuus est in Salerno, & in mense Julii in die S. Alexii obiit Robertus Dux in Kefalonia.* Quò nihil accuratiùs scribi potuit. In Necrologio Casinensi antiquo à Caraciolo edito dies & mensis quibus Robertus mortuus, his verbis notantur: *XVI Kal. Augusti Robertus Guiscardus Dux.* Ibidem etiam dies emortualis ejus uxoris, de qua mox, hoc modo legitur: *XVI Kal. Maii Sigilgaita Ducissa uxor Roberti Guiscardi.*

X. *Ejus uxores & filii.* Rectè etiam Anna Comnena notavit, extinctum Robertum *anno ducatûs XXVI*, quod & Romualdus habet. Ordericus citatus tradit, *Sichelguadam* ab aliis *Sigelgaitam* seu *Sikelgaitam* appellatam, secundam Roberti uxorem, quòd Boamundum privignum suum odio haberet, metueretque ne Rogerius filius suus amitteret Ducatum Apuliæ & Calabriæ, veneno virum sustulisse. Guibertus Abbas Novingenti *in Gestis Dei per Francos*, lib.3. cap.2. tradit etiam veneni haustum ei vitam præripuisse. Verùm cùm Anna, Romualdus, & Guillelmus Apuliensis citati cum morte communi defunctum asserant, major eis hac in re fides habenda. *Robertus* Alberada priori uxore ob consanguinitatem dimissa, ut tradit Malaterra lib. 1. cap. 30. non, ut vult Curopalates, extincta, ex qua Boemundum susceperat *Sigelgaitam*, seu Gaitam, ut eam Anna & Curopalates appellant, Gaimari Salernitani, Principis filiam sibi copulavit. Guillelmus Apuliensis lib.1. de illa loquens ait, eum ex ea suscepisse pueros tres, & quinque puellas, ex quibus unam *Mathildem* vocatam dedit Raimundo Berengario hujus nominis II, Barcinonensi Comiti, ut suo loco vidimus. Baronius num. XXVII reprehendit Fasellum, quòd lib. 7. posterioris Decadis cap.1. captæ Siciliæ gloriam in Rogerium Roberti fratrem refundat, & Robertum tunc à Sicilia abfuisse affirmet. Ipse verò Baronius eam totam Roberto adscribit. Verùm, Guillelmus Apuliensis lib.3.cap.25. indicat Rogerium non minimam hujus expeditionis partem fuisse:

Partibus in Siculis conserta juvamina fratris,
Jam conquisitus ex magna parte Rogeri
Spem Ducis accumulant. Erat hac ætate Rogerus
Non virtute minor, nullus de fratribus ejus
Quamlibet egregius iniit tam nobile bellum:
Nam contra Siculos divini nominis hostes
Semper pugnavit, sanctam quâ vivimus omnes
Exaltare fidem cupiens, operamque juventus
Hanc sua præcipue coluit, dum digna quietis
Causa sua fieret Siculæ subjectio gentis.
Hoc sibi Dux socio confisus & agmine multo
Secum deducto non obsidione Panormum
Vincere desperat.

Hic Poëta, qui Urbano II sedente poëma suum sese scripsisse testatur, illud in morte *Roberti* claudit, & *Rogerio* Calabriæ Duci ejus filio dedicat. Anna loco laudato pag.165. egregium Roberti elogium condidit. Porrò alter *Rogerius* Roberti frater Comes seu Dux Siciliæ erat quando Robertus è vivis excessit, ejusque operâ *Rogerium* inter & *Boëmundum* Roberti filios pax composita, ut suo loco videbimus.

Alphonsus VI Castellæ Rex Toletum Saracenis eripuit, uti anno MLXXXVIII num.V monstrabimus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6579. *Anno Eræ Hispan. MCXXIV. Anno Hegiræ cccclxxix, inchoato die 18. April, fer. 7.*

O 3. D. ☽ 4. P. 5. April. Indict. 9.

JESU CHRISTI 1086.

VICTORIS III. PAPÆ 1.

HENRICI IV. REG. 31. IMP. 3.

ALEXII COMNENI IMP. 6.

ANnum. I ad VI. *Desiderius* Casinensis Abbas & Presbyter Cardinalis, unus ex propositis à Gregorio VII paulò ante mortem suam, vix potuit adduci, ut se in Pontificem eligi pateretur, *decens*, inquit Leo Ostiensis à Baronio citatus, *si se invitum ac per vim ordinarent, ad monasterium quamprimum rediturum, nullamque Pontificatûs rationem habiturum.* Sed tandem omnium votis electus est die vigesima quarta mensis Maii, festo Pentecostes sacra, at nonnisi anno sequenti consecratus est, ut ibidem ostendemus. I. *Victor III fit Papa.*

Anum. IX ad XVI. *Anno Incarnat. Domini nostri J.C. MLXXXVI, Episcopatûs vero sui anno XIII, indict. IX, finitis jam annis septem excommunicationis Henrici quondam Regis; post transitum autem felicissimi Papa Gregorii VII menses novem, dies viginti tres, obdormivit in domino venerabilis dominus & Pater noster Anselmus Lucensis Episcopus X Kalend. Aprilis, in civitate Mantua, præsidente Reverendissimo Episcopo Ubaldo, atque dominante ibidem nobilissima Duce ac Marchionissa Mathilda*, inquit Presbyter Pœnitentiarius domesticus ejus in illius Vita in Actis SS. Bollandianis ad diem XVIII Martii recitata. Sed loco, X. *Kalend. Aprilis*, legendum, *XV Kalend. Aprilis*, & loco, *dies XXIII*, legendum, *dies XXII*, à die enim vigesima II. *Moritur S. Anselmus Episc. Lucensis.*

quinta mensis Maii anni præcedentis, quo Gregorius VII mortalitatem explevit, ad diem XVIII mensis Martii hujus Christi anni, quo sancti Anselmi Lucensis memoria celebratur, quove mortuus dicitur, menses tantum IX & dies XXII effluxêre. Ex his verbis eruitur, *Mathildam* Comitissam Mantuæ dominatam esse, ad quam etiam urbs Lucensis pertinebat.

III. *Bonizo Episc. Sutriensis interest ejus exequiis.* Rogavit sanctus Anselmus, inquit Presbyter Pœnitentiarius, *quatenus in Capitulo monasterii S. Benedicti, quod est in ripa fluminis Eridani sub obedientia sacri Cluniacensis cœnobii, unde frater ipse ac Monachus fuit, sepultura commendaretur; & cùm, concedentibus Episcopo* (nempe Mantuano) *atque Comitissa Mathilda, cæterisque omnibus, jam deferretur ad Monasterium corpus, affuit subitò* SUTRIENSIS EPISCOPUS NOMINE BONIZO, *quem Spiritus sanctus suscitavit, ut clamaret dignum esse, ut in Episcopio Episcopus sepeliretur.* Baronius num. X locum illum refert, sed valde depravatum; loco enim *Sutriensis Episcopus nomine Bonizo*, mendosè habet, *Sabinensis Episcopus Dominus Domnizo.* Et tamen certum est, ut jam vidit Lambecius lib. 2. Biblioth. Cæs. cap. 8. hoc anno, quo sanctus Anselmus obiit, *Bonizonem* fuisse Episcopum Sutrinum, & tunc non Domnizonem, sed *Gregorium* creatum Cardinalem, qui anno MLXXVII Legatus ad Henricum Regem in Germaniam missus est, annoque MLXXXVIII obiit, fuisse Cardinalem Episcopum Sabinensem, ut videre est apud Ciaconium, ubi id certis monumentis demonstrat. Ad hunc errorem, cùm Ughellus Tom. I. Italiæ sacræ animum non advertisset, inter Episcopos Sabinenses Ubaldum & Gregorium, fictitium illum *Domnizonem* inseruit: adeo verum, ut Historia Ecclesiastica, quæ omnium Scriptorum promptuarium quoddam est, quantum fieri potest, emendetur. Is error non Baronio, sed exemplari, MS. quo usus est attribuendus: Vita enim *Sancti Anselmi* Lucensis aliquot post ejus mortem annis à Sebastiano Tengnagelio Bibliothecæ Cæsareæ Præfecto in Syntagmate *veterum Monumentorum pro Gregorio VII anno MDCXII Ingolstadii primùm edita.*

IV. *De ejus Libris.* Multos libros scripsit in ejus Vita recensitos, ex quibus supersunt libri duo contra *Guibertum* Antipapam & sequaces ejus, pro defensione Gregorii VII Papæ, qui nunc extant in Biblioth. Patrum. In multis Codicibus MSS. ei attribuitur insignis Collectio *Canonum Ecclesiasticorum*, sed eam non esse genuinum ejus fœtum, aliqui Viri docti scripserunt; varia enim Urbani II & sequentium Pontificum Decreta continet, cùm tamen Anselmus ad illorum tempora non pervenerit. Deinde vetus auctor Vitæ ejus memoratus, lucubrationes Anselmi recensens istius Collectionis non meminit, sicuti nec Sigebertus, nec Trithemius. De ea legendus Baluzius in Opere de Emendat. Gratiani, tam in Præfat. ad Lectorem num. XIX, quàm etiam in Notis pag. 641. Hanc tamen opinionem (quæ nuper exorta) non parum dubiam facit *Catalogus Pontificum, & Decretorum ab ipsis editorum. Ex sexcentorum annorum Codice* 6381. *Vaticano ante Anselmi Lucensis Episcopi Decretum*, à Schelestrato Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto, Romæ cum Appendice ad Opus Chronologicum anno M.DC.XCII. sub eo titulo publicatus. Si enim Codex ille tantæ sit antiquitatis, vel sancto Anselmo vivente, vel paulò pòst ejus obitum exaratus fuit; sicque laudata Decreta Urbani II & sequentium Pontificum in eo non reperiuntur, qua de re Romam ad amicos scripsi.

V. *Fundatio Ordinis Cartusiensis.* Ad num. XVI. *Sanctus Bruno* Ordinis Cartusiensium institutor Manassis Archiepiscopi Remensis postea dignitate muti mores corruptos perosus, ex urbe Remensi discessit, & deinde seculo renunciavit: *Urbe deserta*, inquit Guibertus Abbas in ejus Vita, *seculo etiam abrenuntiare proponit, qui suorum notitias horrens ad Gratianopolitanum processit territorium. Ibi in arduo & admodum terribili promontorio, ad quod difficillimum & valde insolens iter intenditur: sub eo etiam præruptissima vallis vorago dehiscit habitare deligens, hujusmodi mores instituit, & sequaces ejus hodieque sic vivunt.* Describit postea mores & instituta Cartusiensium. In Epistola verò, quam ipsemet Bruno ex Calabria ad Radulfum Viridem Præpositum Remensem dedit, ei significat se in finibus Calabriæ eremum incolere, hortaturque, ut seculi tempestatibus se subducat: quod si ad hæc agenda Dei amore non provocetur, metu saltem pœnarum terreatur, & meminerit propositi ac sponsionis, quam olim Deo fecerit: *Reminiscitur quippe dilectio tua*, inquit, *quod cùm ego, & tu, & Fulcius monoculus quadam die simul fuissemus in hortulo adjacenti domui Adæ, ubi tunc hospitabar, de falsis oblectationibus & perituris hujus mundi divitiis, nec non de perennis gloriæ gaudiis aliquandiu, ut opinor, tractaremus, unde divino amore ferventes promisimus ac vovimus Spiritui sancto, in proximo fugitiva seculi relinquere, & æterna captare, nec non monachicum habitum recipere, quod & in vicino peractum esset, nisi tunc Fulcius Romam abiisset, ad cujus reditum peragenda distulimus, quo moram faciente, aliisque intervenientibus causis, divinus amor elanguit, refriguit animus, fervorque evanuit. Quid ergo superest, carissime, nisi à tanti debiti nexibus te citiùs expedire, ne pro tam gravi, tamque diuturno mendacii crimine iram incurras Potentissimi, & propter hoc cruciatus immanes?* &c. Hæc causa, cur vir sanctus à mundi consortio discesserit, ut severiora Vitæ Monasticæ instituta sectaretur, non verò apparitio alicujus hominis nuper demortui se damnatum esse clamantis, uti vulgò dicitur.

VI. *Ante hunc annum peracta.* Verùm non hoc anno, ut putavit Baronius, sed anno millesimo octogesimo quarto *sanctus Bruno* eremum petiit, & Cartusiam in Episcopatu Gratianopolitano fundavit, ut constat ex Charta, qua ei à quibusdam privatis viris in ea ibidem nominatis solitudo illa concessa est: *Itaque Magistro Brunoni, & his qui cum eo venerunt fratribus, ut Deo vacarent, ad inhabitandum solitudinem quærentibus, ipsis, eorumque successoribus in æternam possessionem spatiosam eremum concessimus, ego Humbertus de Miribel, unà cum Odone fratre meo, & cæteris qui juris aliquid habebant in prædicto loco,* &c. *præfata quidem terra his terminationibus conclusa, à magistro Brunone, & ab his, qui cum eo erant fratribus cœpit inhabitari & construi anno ab Incarnatione domini MLXXXIV, Episcopatûs verò domini Hugonis Gratianopolitani Episcopi quarto, qui videlicet laudat & corroborat hoc donum, quod fecerunt suprascripta personæ, cum omni Conventu Clericorum suorum; & quantum ad se pertinet, quidquid sui juris esse videtur, omninò concedit.*

Testes

Testes Hugo Decanus, &c. Sanctus autem Hugo anno MLXXX Episcopus Gratianopolitanus renunciatus, ideoque anno MLXXXIV quartus ordinationis ejus annus adhuc in cursu fuit. Quare Sigebertus hujus temporis Scriptor in Chronico accuratè Cartusiensis Ordinis institutionem cum anno MLXXXIV alligavit, sicuti & Auctor Fasciculi temporum.

VII. *Refellitur opinio contraria.* Baronius ideo sanctissimi Ordinis fundationem in hunc annum distulit, quia Guigo scriptor Actorum Vitæ sancti Hugonis, cui necessitudine conjunctissimus fuit, ita loquitur: *Hugo duobus post consecrationem expletis annis, contemptis omnibus, Casa Dei Ordinis Cluniacensis factus est Monachus. Ibi novitius annum vixit. Post hoc* (seu post hunc novitiatûs annum, atque adeo tertium à sua ordinatione) *cogente Gregorio VII, è monasterio, quo fervens intraverat, ferventior est reversus*, &c. *& ecce tribus necdum in Episcopatu post monasterii reditum completis annis, adest magister Bruno.* Quæ verba Baronius sic interpretatur, ut Hugo primùm annos duos solidos post consecrationem Romæ, ubi ea facta, exegerit, & in Casæ Dei monasterio tertium; deinde à *Casa Dei* Gratianopolim reversus, alios ferè tres in Episcopatu posuerit, ante adventum *Brunonis*, & sexto anno à sua ordinatione, currenti nempe, cum sociis Cartusiam petierit. Ita quidem prima fronte locus ille explicandus videtur, sed Charta Fundationis *Cartusiæ*, quam Baronius non viderat, huic interpretationi adversatur, demonstratque ita intelligendum, ut *Bruno post monasterii reditum*, id est, statim vel paulò post ad Hugonem venerit, qui eo tempore necdum tres in Episcopatu compleverat annos. Nec refert quod *Guigo* dicat, Hugonem *duobus post consecrationem expletis annis* monachum induisse. Nam in Dissert. Hypatica, quemadmodum & in hac Critica, variis passim testimoniis ostendi, Scriptores bis loquendi formulis, *tribus annis elapsis*, vel *triennio transacto*, similibusve, sæpe intelligere annos tres utrimque incompletos, & biennium sumere pro unico anno, si res nempe in fine unius incœpta, & initio sequentis absoluta fuerit.

VIII. *Causa fictitia conversionis S. Brunonis.* Circumfertur, ut mox tetigi, horrenda Historia hominis in magna pietatis opinione Parisiis demortui, qui è feretro terribili voce se justo Dei judicio condemnatum esse declaravit; cui spectaculo cùm *Bruno* & socii adfuissent, mundum relinquere & in desertum locum secedere proposuerint, indeque ad sanctum *Hugonem* Gratianopolitanum Episcopum, in cujus Diœcesi eremum suo consilio valde idoneum esse didicissent, accellerint. Verum hæc fabula ducentis ferè à morte sancti Brunonis annis excogitata, jure meritò à Viris doctis explosa fuit; cùm constet de causa secessûs Brunonis, quæ alia non fuit, quàm Vitæ solitariæ desiderium, ut ipsemet in Epistola laudata ad Præpositum Remensem, & Guibertus Abbas Nongentinus in ejus Vita disertè insinuant. Porrò Cartusienses se se primitus *Pauperes*, vel *Pauperes Christi* appellasse demonstrant loca à Ducangio in voce *Pauper* relata.

IX. *Eustratius Garidas succedit Cosmæ in Episc. Constantinop.* *Cosmæ* Patriarchæ Cpolitani mortem Baronius eodem numero XVI consignat, eique annos quinque & menses sex attribuit, quos ab anno MLXXX deducit. Verùm jam ostendimus, Joanni Xiphilino anno MLXXV die secunda mensis Augusti vitâ functo Cosmam successisse; Anna verò Comnena lib. 3. pag. 79. scribit: *Patriarcha Cosmas post aliquot ab Irene coronata dies* (quod initio mensis Aprilis anni MLXXXI contigisse diximus) *ipsâ memoriâ confessionis Sancti Joannis Theologi* (die nempe septima mensis Maii, qua Græci sancti Joannis Evangelistæ festum celebrant) *peracto sacro in Templo ejusdem Sancti Apostoli ad Hebdomum sito, Patriarchalem dignitatem ultrò abdicavit, postquam eam tenuisset annos quinque & menses novem, secessitque in monasterium Callia* (de quo Scriptores Byzantini verba non faciunt). *Gubernacula verò Patriarchalis sedis suscepit in manus Eunuchus Eustratius Garidas*, quem Anna pag. 75. jam dixerat fuisse Monachum magna specie virtutis, quemque Baronius perperam *Eustathium* vocat. Annos etiam quinque & menses novem Ecclesiam Cpolitanam *Cosmam* Monachum rexisse, prodit Zonatas in Alexio Imp. Cosmæ itaque die septima Maii anni MLXXXI, non morienti, sed dignitatem abdicanti successit *Eustratius Garidas*; qui hoc tempore jam mortuus erat, ut infrà monstrabimus.

X. *Bohemia Dux Rex appellatur, & Episcopatus Moraviæ cum Pragensi unitur.* Hoc anno *jubente & peragente Romanorum Imperatore III Henrico Augusto celebrata est Synodus magna in Urbe Moguntia, ubi quatuor Archiepiscopi & XII Præsules simul cum Abbatibus monasteriorum, & cæteris fidelibus residentes plurima decreta super statu Ecclesiæ scriptis roboraverunt*, inquit Cosmas Pragensis Decanus hujus temporis Scriptor in Chron. Bohem. In eo Conventu, subdit Cosmas, Wratislaus Dux Bohemorum tam Bohemiæ quàm Poloniæ præfectus est & *Egilbertus* Archiep. Trevirensis jussus eum Pragæ in Regem ungere. In eodem Episcopatus Moraviensis suppressus mortuo jam anno superiori Joanne Moraviensi Episcopo, & parochia illa ut semper fuerat, Pragensi Episcopatui conjuncta. Refert ibidem Cosmas Diploma Henrici III Imp. quo unio illa confirmatur, in cujus fine legitur: *Dat. III Kal. Maii, anno ab Incarnat. Domini MLXXXVI indict. VIII. Anno autem Domini Henrici, regni quidem XXXII, Imperii verò III.* In eo Diplomate dicitur, Episcopatum Pragensem ab initio Bohemiam ac Moraviam complexum esse, & tam à Benedicto Papa, quàm à primo Ottone Imp. sic confirmatum fuisse, sed postea divisum esse & imminutum sola Dominantium potestate. *Egilbertus* Trevirensis Archiep. venit Pragam *XVII Kalend. Julii*, subjungit Cosmas, & inter sacra Missarum solemnia *Wratislaum*, & *Zwatavam* ejus conjugem coronavit.

XI. *Regius titulus Bohemiæ Ducibus sub Frederico rursus concessus.* *Wratislaum* XX Bohemorum Ducem in hoc Conventu seu Pseudo-Synodo Moguntina, cui *Clementis* Antipapæ Legatos interfuisse, testatur Cosmas citatus, hoc anno Regem Bohemiæ & Poloniæ coronatum, Regiamque dignitatem, quæ ab excessu Suatopluci seu Spentopulchri in Moravia regnantis suppressa fuerat, restitutam, docent etiam Æneas Sylvius in Hist. Bohem. cap. 21. & Dubravius lib. 9. Hoc tempore *Bohemi* nihil in Polonia possidebant, ut videre est apud Chromerum in Hist. Polonorum, sed Pessina in Marte Moravico lib. 3. cap. 2. existimat, Poloniæ nomine intelligendam *Silesiam*, Poloniæ partem. Addit ab hoc tempore Reges Bohemiæ, dum Comitiis Imperii intersunt, proximum ab Imperatore locum obtinere, sicut & in aliis publicis actibus juxta Auream Bullam cap. 21. & successores Wratislai tam

frattes, quàm filios Ducis tantum oomen tulisse, quod Æneas Sylvius suspicatur accidisse, *quòd Imperatoris Romani indultum sumenda corona more majorum obtinere non valuerunt.* Friderici tameo Ænobardi tempore Bohemiæ Principes Reges iterum appellati, & titolus ille ad posteros propagatus, ut ibidem videbimus.

Jussetus Marochii Rex & Almorabitarum Imperator, ex Africa hoc anno in Hispaniam venit, & postea ibi Monarchiam suam statuit, uti anno MXCI videbimus.

Anno Eræ Hisp. MCXXV. Anno Hegiræ CCCCLXXX, inchoato die 7. April. fer. 4.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6580.

☉ 4. C. ☽ 5. P. 28. Mart. Indict. 10.

JESU CHRISTI 1087.

VICTORIS III PAPÆ 2.

HENRICI IV REG. 32. IMP. 4.

ALEXII COMNENI IMP. 7.

I. *Ecclesia S. Maria Rotunda diversa ab Ecclesia S. Maria de Turribus.*

A Num. I Ad VIII. Narrat Barooiùs ex Leone Ostieosi lib 3. cap. 67. & seq. quid Romæ hoc anno egerit Guibertus Autipapa, qui ibi à multis Pontifex agnoscebatur, atque num. IV ex eodem Leone eum *in Ecclesia sancta Maria in Turribus* Missam cantasse; quam Ecclesiam Baronius nom. VI interpretatur *Pantheon* ab Agrippa ædificatum, & à Bonifacio Papa hujus nominis IV io Ecclesiam commutatum, quod Bertholdus in Chron. dicat ipsum *apud Sanctam Mariam ad Martyres, (quam Rotundam dicunt)*, se incastellasse. Verùm Cardinalis doctissimus doas Ecclesias inter se valde diversas in unam confundit; uti enim observat Mabillonius in Indice solemnium Collectarum & Stationum S. R. E. Tom. II Musei Italici pag. 544. & seqq. recitato, *Ecclesia sancta Maria in Turre* erat ad turres Basilicæ Vaticanæ, ut ex eodem Indice, aliisque documentis intelligitur, saocta verò Maria Rotuoda, seo ad Martyres, Pantheon etiam appellata, erat in alia Urbis parte, ubi etiamnum visitur. Nec de hoc difficultas esse potest.

II. *Saraceni in Africa & Sicilia à Christianis devicti.*

Ad num. VIII Victor III postquam multum reluctatus est, *Ecclesiastico more sacratus, & in Apostolica Sede locatus est VII Idus Maii*, inquit Leo Ostiensis lib. 3. cap. 67. & ex eo Baronius num. II. Victor Papa non solum exercitum adversùs Saracenos Africam incolentes direxit, ut refert idem Leo cap. 70. & ex eo hîc Baronius; sed etiam ejus tempore Pisani Africam depopulati sunt. Lambecius enim lib. IV Biblioth. Cæs. pag. 89. & seq. testatur, in ea Bibliotheca extare veterem Codicem Græcum MS. continentem Anonymi cujusdam Expositionem in Sancti Pauli Apostoli Epistolas, & io eo indicari antiquâ miniatâ inscriptione marginali tempus quo Codex ille scriptus, verbis Græcis, quorum hæc est interpretatio: *Hoc tempore (nempe anno mundi 6596) subegit Rogerius Syracusas, occiso prius eorum Principe Saraceno Benure, eodemque tempore Pisani devastarunt Africam.* Hic enim annus mundi Eræ Cpolitanæ Kaleodis Septembris hujus Christi anni iochoatus fuit. Fasellus lib. 7. decadis 2. pluribus agit de rebus à Rogerio in Sicilia contra Saraceoos gestis, & præsertim de *Benuris* Saraceni Syracusarum Priocipis interitu, atque de recuperatione Syracusarum, de qua etiam legendus Hubertus Goltzius in Historia Siciliæ posteriori pag. 14. & seqq. ubi de Syracusa habet: *Rogerius Syracusas quadrimestri obsidione cinctas, Saracenisque frequenti pugna terra marique profligatis deditione capit.* Sed uterque Scriptor ex hoc coætaneo corrigendus, cùm id perperàm referant ad annum Christi MLXXXV. Tota tameo Sicilia ante anoum MXC à Rogerio Saracenis erepta non est, ut legere est apud eumdem Fasellum.

III. *Expeditio Africana magis explicata.*

De expeditione Africana à Victore Papa, antequam supremum diem currenti anno obiret, decreta loquitur etiam Bertoldus io Chroo. ad annum MLXXXVIII, sed rem paulò aliter narrat: *His temporibus Pisani, & Genuenses, & alii multi ex Italia Africanum Regem Paganum hostiliter invaserunt, & deprædati ejus terrâ, ipsum in quandam munitionem impulerunt, & eum deinceps Apostolicæ Sedi tributarium effecerunt.* In antiquo verò Martyrologio MS. Ecclesiæ Locensis à Fiorentinio in Commeni. de Rebus ad Mathildem Comitissam spectantibus lib. 2. memorato, hæc Christianorum de Saracenis victoria eum anno MLXXXIX alligatur, diciturque: *Fecerunt Pisani, & Genuenses stolum in Africam, & ceperunt duas munitissimas civitates, Almadiam, & Sibiliam in die S. Xisti, in quo bello Ugo Vicecomes filius Ugonis Vicecomitis mortuus est. Ex quibus civitatibus Saracenis ferè omnibus interfectis, maximam prædam auri, & argenti, palliorum & ornamentorum abstraxerunt. De qua præda Pisanam Ecclesiam mirabiliter in diversis ornamentis amplificavère, & Ecclesiam B. Sixti in Curte Veteri ædificaverunt.*

IV. *Hugo Lugdunensis Archiep. Victorem III calumniatur.*

A num. IX ad XVIII. Victor III mense Augusto Synodum Beneventi celebravit, in qua inter alia dixit: *Nostis præterea & bene nostis, quos dolos machinati sint, quantasque mihi pressuras intulerint Hugo Lugdunensis Archiep. & Richardus Massiliensis Abbas, qui præ fastu & ambitione Sedis Apostolicæ, ad quam dudum clam inhiabant, ubi votis suis potiti non sunt, schismata in sancta Ecclesia fecerunt*, ut narrat Leo Ostieosis lib. 3. cap. 71. & ex eo Barouius oum. XII, qui reliqua in Coocilio Beneventano gesta prosequitur. Porrò post Barouii mortem Labbeus Tom. I Biblioth. publicavit Chronicon Virdunense ab Hugone Abbate Flavioiacensi compositum in quo hic producit literas ad Mathildem Comitissam ab Hugone Archiepiscopo Lugdunensi datas, in quibus licet fateatur, se absentem electionem Desiderii canonicè factam approbasse, electumque ot legitimum Pontificem veneratum esse, valde tamen in illum, juncto sibi Richardo Massilieosi Abbate blaterat, quòd ipsemet, qui sicuti Desiderius propositus fuerat à Gregorio VII, cùm de successore rogatus est, antepositus ei non fuisset: *Postquam*, inquit, *ad Montem Cassinum pervenimus, ex ejusdem familiaribus nobiscum colloquiis, dum videlicet nefandissimos actus suos in auribus Episcoporum & Cardinalium jactanter recitare non erubesceret, copiosius necessariò deprehendimus, quàm intolerabiliter Deum in ipsius electione offenderimus. Quis enim nisi ex ipsius ore audisset, unquam crederet Henrico dicto Regi fidem eum dedisse, ut de obtinenda Romani Imperii corona fideliter eum adjuvaret?* Recitatur illa prolixa Epistola convitiis in Victorem III

saoctissimum

sanctissimum Pontificem scatens Tom.X. Concil. ubi legi poterit.

V. *Victor III columniis purgatur.*

Promiserat quidem *Desiderius* seu Victor III Henricu Regi suam apud Gregorium VII intercessionem, ut Imperator crearetur, sed optimè noverat, Gregorium VII coronam Imperii ei non concessurum, nisi pœnitentiam ageret, Ecclesiæque satisfaceret, eamque hypothesim involvebat Desiderii promissum, ut explicat Natalis Alexander Sec. XI & XII part. I cap. I. Art. XII. Quantum enim Sedis Apostolicæ & Ecclesiasticæ libertatis studiosos esset Victor, ipsemet demonstravit, cùm Henricum jam excommunicatum non adierit, nisi ut eum ad pacem hortaretur, & ab eversione Cassinensis monasterii prohiberet. Hinc cum Regis Cancellario, aliisque Ministris, quamvis amicis olim suis, excommunicatione pariter irretitis, comedere, bibere, orare noluit. Præcipienti Henrico, ut sibi fidem juraret, ac monasterium Casinense de manu sua susciperet, ac minas intentanti respondit, *se non modo monasterii causâ, sed ne pro mundo quidem toto id facturum. Cumque ipsius rigidum animum Imperator & inflexibile propositum cerneret, iratus est valde: præcepitque Principi, ut acceptis secum amicis suis ad monasterium pergeret, eumque ipsum ille assignaret. Sed cùm Princeps multa illi bona sæpe de Desiderio locutus esset, eo tandem ad illum perducto ira mutatus est, ut ipse coram Principe amicum illum appellaverit, oraveritque, ut de acquirenda Imperii corona ipse sibi fautor existeret. Ea factarum se pro viribus, Principe adstante promisit,* inquit Leo Ostiensis lib. 3. cap. 49. qui statim plura narrat, quæ ostendunt, nonnisi per calumniam dici posse *Desiderium* adulatum esse Imperatori, eum ad invadendum Patrimonium Sancti Petri excitasse, & parvipendisse Pontificias excommunicationes.

VI. *Hugo Flaviniacensis ab electione Victoris III abhorret.*

Quàm immoderato Pontificatûs adipiscendi desiderio Hugo Lugdunensis Archiep. inflammatus fuerit, ex singulis ejus Epistolæ verbis intelligi potest. Hæc causa, cur cum paucis aliis intercesserit, ne consecraretur *Desiderius.* Verùm post aliquanti temporis moras ab ipso Ottone Ostiensi Episcopo Cardinali, qui cum eo conspirarat, consecratus est, postquam Hugonis, qui à Victoris communione defecit, ambitionem perspectam habuit. Hugo Flaviniacensis ab Hugonis partibus stabat, ut ipsemet indicat, cùm de Victoris III morte verba facit, ut mox videbimus, & cum pag. 232. sui Chronici scribit: *Dixit Urbanus Papa in quadam Epistola sua: Dominus noster Papa Gregorius beatæ ac dignæ memoriæ, cùm apud Salernum gravi teneretur infirmitate, unde ipse postea obiit, convenerunt ad eum Episcopi & Cardinales Romani, qui ibidem aderant: rogantes eum & postulantes, ut quem sibi velles subrogari successorem in Pontificatu eis ostenderet. At ille secum aliquantulum cogitans, hæc illis verba dedit: quemcumque horum trium; Lucensem scilicet Episcopum, Ostiensem, aut Archiepiscopum Lugdunensem habere poteritis, in Pontificem eligite.* At hæc Urbanum II ante Pontificatum Cardinalem Ostiensem dictum scripsisse, prorsùs incredibile; cùm ipsemet Victorem III sacraverit, probeque noverit Gregorium VII cum se ipso, Hugone Lugdunensi, & Anselmo Lucensi, Desiderium Abbatem Casinensem pro successore suo proposuisse. Quod ni fuisset, nec Cardinales eum elegissent, nec ipse Cardinalis Ostiensis eum consecrasset, quia à Gregorii VII nam ulla in re discedere nolebant. Quare si illa Urbani Epistola conficta non fuit ab Hugone Flaviniacensi Abbate, qui post ejusdem Urbani mortem Chronicon suum in lucem emisit, ex ea Desiderii nomen expunxit; ad *Hugonem* Lugdunensem Archiep. excusandum, ostendendumque se non sine ratione à Desiderii electione abhorruisse.

VII *Victor III celebrata Synodo moritur.*

Victor itaque III mense Augusto Beneventi Synodum celebrans Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum & Richardum Massiliensem Abbatem à commonione fidelium suspendit, *quia*, inquit Victor apud Leonem Ostiensem lib. 3. cap. 71. *Ecclesia Romana communione sua se sponte privarunt.* Præterea in eadem Synodo Investituras proscripsit, & tam dantibus quàm accipientibus aditum Ecclesiæ interclusit, ut narrat Baronius ex Leone Ostiensi, qui subdit: *Post hæc, convocatis ad se Episcopis & Cardinalibus, monuit, ac jussit, ut juxta Gregorii VII Papæ statutum, Ottonem Ostiensem Episcopum quamprimum eligerent, Pontificemque constituerent,* quia scilicet ex quatuor à Gregorio VII propositis solus reliquus erat Otto Ostiensis, cùm Anselmus Lucensis Anno superiori ad Deum migrasset, & Hugo Archiep. Lugdunensis à communione fidelium abscissus esset. Subdit Leo Ostiensis Victorem III migrasse ad Dominum XVI Kal. Octob. anno Dominicæ Incarnat. MLXXXVII, non verò MLXXXIX, ut locum illum rectè emendat Baronius, subdit Leo Ostiensis, vixisse Victorem III *in sede Apostolica ab ipso suæ electionis exordio anno uno; à consecratione verò mensibus IV, diebus septem.* Hugo Flaviniacensis his verbis mortem Victoris III consignat: *Hic igitur consecratus ab Ostiensi Episcopo, cùm Missas apud S. Petrum diceret, infra Actionem judicio Dei percussus est. Et quamvis tarde cognoscens se errasse, se ipse deposuit, & accitis fratribus de monte Cassino qui secum aderant, præcepit se illo deferri, & in capitulo, non ut Papam, sed ut Abbatem sepeliri.* Sed quæ sparsim de Desiderio in medium attulimus, eum vindicant ab hac calumnia, sicuti & ejus Epitaphium è Baronio num. XVII recitatum. Nomen ejus inscriptum est ad diem XVI. Septemb. in Martyrologio Benedictino. Libros quatuor Dialogorum de sancti Benedicti & Sanctorum Monachorum Casinensium miraculis scripsit, quorum tres priores editi sunt Tom. XVIII Biblioth. Patrum Edit. Lugduni, quartus enim periisse videtur.

VIII. *Turca imperium Orientale devastant.*

Ad num. XXI. Translationem corporis S. Nicolai his verbis refert Ordericus lib. 7. *Anno ab Incarnat. Domini MLXXXVII Indict. X nono die Maii, corpus S. Nicolai Archiepiscopi & Confessoris de Myrea in Barum translatum est. Quam translationem, qualitèr & à quibus facta sit, Joannes Archidiaconus Barensis Ecclesiæ luculenter describit,* &c. *Tempore Alexii Imperatoris, Turci, aliique Paganorum populi rabiem suam exercere volentes, fines suos exierunt; Deoque permittente, Lyciam, aliasque regiones Christianorum depopulati sunt, Ecclesias propter peccata Christianæ plebis destruxerunt, cruces & imagines Christi, atque sanctuaria multis modis violarunt, & multas urbes cum civibus suis incendio tradiderunt. Sic per multos annos debacchati sunt, & innumeras strages Christianorum peregerunt. Myrrea itaque Metropolis Lyciæ Turcorum*

rum

SÆC. XI. An.C. 1087.

rum Dominio subacta est, propriisque civibus, peccatis eorum exigentibus, evacuata est. Barenses autem, qui tribus cum navibus Antiochiam negocii causâ proficisci disposuerunt, ut Myrreum littus ad tentorium accesserunt, peregrinum quemdam ad Basilicam B. Nicolai, qui in castro est, exploraturum præmiserunt, qui rediens multos Turcorum renunciavit adesse, & ad exequias Principis castri, qui defunctus ibidem jacebat, convenisse. Quo audito, Barenses carbasa expanderunt illicò, versus Antiochiam proras ratium direxerunt, paucisque diebus secundo cursu Myram adierunt.

IX. *His debacchantibus corpus S. Nicolai Myrâ Barium transfertur.*

Barini, subdit Ordericus, cujus narrationem in summam contraho, Myream venêre, & ab æditiuo petierunt, ubi jaceret corpus sancti Nicolai, promittentes ei & Monachis de unaquaque puppi centum aureos solidos. Responderunt Monachi hoc fieri non posse, *nam ferè CC Olympiades curricula transierant, ex quo B. Nicolaus qui in Nicæna Synodo sub B. Sylvestro Papa & Constantino Principe facta fuisse legitur, de mundo migravit, nullusque de Reliquiis ejus, vel occultè furari, vel manifestè viribus rapere, vel à Domino precibus valuit hactenus impetrare.* Quod Barenses audientes, Monachos comprehenderunt, & marmoreo pavimento cum ferreo malleo fracto corpus sancti Nicolai è loculo extrahunt, & naves suas conscendentes Barium rediêre, ubi capsella cum Reliquiis commendata fuit Heliæ Abbati cœnobii Sancti Benedicti, quod supra portum situm est, qui ea in Ecclesiam deposuit, nona die mensis Maii, & *solemnitas Translationis ejus VII Idus Maii constituta est. Præfatus Joannes Barensis Archidiaconus*, subjungit Ordericus, *ex cujus libro breviter hoc excerpsi, XII præclara miracula scripto signavit.* Liber ille periit, sed aliud ejus etiam summarium refert Surius Tom. VII ad diem IX mensis Maii, excerptum ab Auctore Anonymo, qui longè post Ordericum vixit. Ab eo tempore *Sancti Nicolai* nomen celebrius esse cœpit apud Occidentales, licet nomen ejus antea in Francia non ignoraretur; cùm Helgaldus in Vita Roberti Francorum Regis scribat: *In civitate Parisiis Ecclesiam in honore sancti Nicolai Pontificis in Palatio ædificavit.*

X. *Moritur Guillelmus Angliæ Rex.*

Ad num. XXVI & seqq. Baronius *Guillelmi* Angliæ Regis *Conquestoris* appellati mortem excerpsit ex *Querimonia*, quam ab eo qui ejus exequiis adfuit, scriptis mandatam fuisse existimat. Verùm ea excerpta fuit ex Orderico lib. 7. pag. 656. & seqq. qui licet Historiam suam solum usque ad annum MCXLI perduxerit, cùm tamen in Normannia vitam traduxerit, de tanti Principis morte non potuit non benè edoctus esse. Orderico addenda quæ habet Willelmus Gemmeticensis lib. 7. cap. 44. *Dispositis tandem rebus suis, & regno Angliæ concesso Willelmo filio suo, vitam præsentem finivit in Normannia apud Rotomagum VI Idus Septemb. Translatum est corpus ejus, sicut ordinaverat, Cadomum, & in Ecclesia sancti Stephani, quam ipse à fundamentis ædificaverat, ante majus altare Regaliter tumulatum. Solus autem filiorum suorum Henricus exequias patris persecutus est, dignus qui paternam hæreditatem aliquando solus obtineret, quam fratres sui particulatim post mortem Patris sui possederunt. Decessit autem idem Rex ferè sexagenarius, anno Ducatûs in Normannia LII, porrò regni sui in Anglia XX, Incarnationis autem Domini MLXXXVII.* Ordericus, & ex eo Auctor Fragmenti à Baronio num. XXXI recitati ait, Guillelmum expirasse *quinto Idus Septemb. feriâ V, jam Phœbo per Orbem spargente clarâ radiorum specula*, ubi licet sermo esse videatur de die ejus emortuali, regula tamen à nobis statuta demonstrat Guillelmum die antecedenti, die nempe VIII Septemb. demortuum, & quinto Idus ejusdem mensis, seu die IX Septemb. sepulturæ mandatum.

SÆC. XI. An.C. 1087.

XI. *Ejus virtutes & vitia.*

Quatuor filios, & quinque filias ex Mathilde Balduini Comitis Flandriæ hujus nominis X filia suscepit, Robertum nempe, Richardum, Willelmum & Henricum, sed Richardus puer obiit, & Robertus Regno jure primogeniti sibi debito à patre privatus, quòd Philippum I Francorum Regem adversus se excitasset, solo ob id Normanniæ Ducatu donatus est, & Willelmus ac Henricus deinceps in Anglia regnavere. Licet autem quosdam Episcopos & Abbates possessionibus suis privaverit, & efferæni interdum ac militari impetu susdeque ferretur, tamen *exterarum nationum homines dignanter ad amicitiam admisit, indifferenter honoribus extulit, eleemosynæ curam habuit. Transmarinis Ecclesiis multas possessiones in Anglia largitus est, nec ullum ferè Monasterium, præsertim in Normannia, vel ejus, vel Ducum munificentia transiit, ut Angliæ copiâ senectus illorum sustentaretur*, inquit Malmesburiensis lib. 3. de Reg. Summus ejus erga Literatos amor fuit, neque unquam aliàs tot in Normannia visi. Præter cæteros enim tunc floruêre Lanfrancus, Anselmus, Guitmundus, qui Episcopus Aversanus fuit, multique alii ab Orderico in sua Historia memorati. De Willelmi Regis virtutibus & vitiis fusè novus Chronographus lingua Saxonica nuper Oxonii editus qui eum viderat.

XII. *Augustenses petunt Reliquias S. Narcissi Gerundensis Episcopi primo.*

In Actis Sanctorum Bollandianis ad diem XVIII mensis Martii recitatur compendium Vitæ SS. *Narcissi* Episcopi Gerundensis Apostoli Augustani, & *Felicis* ejus Diaconi, qui Diocletiano & Maximiano imperantibus *Gerundæ* Martyrium pertulêre, ac prætereà Epistola *Berengarii* Episcopi Gerundensis hoc anno data, qua respondet Abbati & Sancti Udalrici Congregationi, qui ab eo Sancti Narcissi & quorumdam aliorum Sanctorum Reliquias petierant, significatque se ad eos mittere de *Narcissi* vestimento & stola, sed nihil de corpore mittere posse, *quoniam*, inquit, *ita hactenus Dei gratiâ servatur incorruptum, sicut ea die, quâ spiritus ejus, de hoc seculo nequam transvectus est ad Dominum.* In gestis tamen Comitum Barcinonensium à Baluzio in Marca Hispanica publicatis cap. 28. ubi sermo est de ingressu exercitûs Francorum in urbem Gerundensem, qui contigit anno Domini MCCLXXXV, dicitur: *Destruxerunt pugnantes exteriùs Ecclesiam Sancti Felicis, & corpus B. Narcissi, quod ab incolis terræ hujus in mirabili reverentia habebatur, & multas alias Reliquias Sanctorum per partes minutissimas discerpendo, & irreverentissimè distrahendo.*

XIII. *Floret Constantinus Afer.*

Floruit sub Desiderio tam Abbate quàm postea Pontifice Romano Constantinus Afer, qui *relicta Carthagine, ubi ortus fuerat, Babyloniam petiit ubi disciplinis omnibus Chaldæorum, Arabum, Persarum, Ægyptiorum, & Indorum plenissimè instructus, post annos XXXIX ad Africam rediit*, inquit Leo Ostiensis lib. 3. cap. 14.

Paulò

Paulò pòst Salernum venit, & relictis omnibus in Monasterio Casinensi Monachus effectus est, transtulitque ex diversarum Gentium linguis plurimos libros. Hinc Scholæ Salernitanæ fama celebrari cœpit, quæ Eduardo Anglorum Regi libellum *de conservanda valetudine*, versibus conscriptum anno MLXVI transmiserat. Ea Schola jam anno CMLXXXIV celebris erat, ut indicat Hugo Flaviniacensis, qui ait, Adalberonem Episcopum Virdunensem *curationis gratiâ* Salernum profectum esse. Legendus Ordericus ad annum MLIX.

XIV. *Tertia Gallorum in Mauros Hispaniæ expeditio.* Auctor Fragmenti Historiæ Franc. à Roberto ad mortem Philippi I Regis apud Duchesnium Tom. IV pag. 88. de tertia expeditione Francorum in Mauros Hispaniæ scribit: *Tertiam expeditionem in Hispanos Galli faciunt. Quippe unus ex Sarracenorum Regibus nomine Jussefas* (seu Josephus primus Marrochii Rex) *cum multis tam Maurorum quam Sarracenorum legionibus Hispaniam occupaverat citeriorem, maris transito. Quod audiens Andefonsus Rex Galliciæ & Asturciæ, congregatis undecumque bellorum copiis eis obviam properavit. Tandem in locum unum utrinsque concurrentibus turmis, signo dato prælium commissum est. Porrò Andefonsus Sarracenos sustinere non valens, terga vertit, multis suorum oppressis. Quo infortunio exterritus, mittit per Gallias ut ei subveniatur; alioquin se fœdus cum Saracenis inire, & aditum præbere quo in Gallias transirent, minatur. Hoc accepto nuncio, Gallorum Proceres certatim milites congregant, Denique tam urbana, quam rustica plebs se effert. Milites verò gregatim convenientes, ad bellum se præparant. Statuto tempore quique de suis mox provinciis in auxilium Andefonsi festinant. Verum Agareni Francorum adventu audito, cum suo Rege terga præbent, nequaquam eos expectare audentes. Quorum fugam Rex Andefonsus, cùm jam prope fines Hispanorum Franci essent, eis notam fecit, gratias agens, quod sibi auxiliaturi venissent, mandansque ut redirent ad propria. Franci ejus accepto nuncio tristitiam habuerunt maximam, eò quòd hostis jam dictus fuga lapsus esset, & quod tantum iter nequicquam expendissent. Ingressi tamen Hispaniam crebras agentes deprædationes, & plura devastantes loca, demum reversi sunt ad sua.*

XV. *Stella ab iis capta.* Ad hanc expeditionem referendum quod Chronographus Malleacensis ad annum MLXXXVII scribit: *Ipso anno Hildefonsus* (seu Alphonsus VI Castellæ & Legionis Rex) *mandavit per omnes partes Franciæ, ut sibi & suis juvarent; qua de causa multi perrexerunt in Hispaniam, & adunati sunt ad Tutelam civitatem, & castellum Stellæ ceperunt. Inter quos unus Guillelmus nomine Major cæterorum interfuit, quem vidimus, & erat Nortmannus.* Denique de hac expeditione videndum Chronicon Sancti Petri Vivi ad hunc Christi annum. Porrò *Stella* ditionis Sanctii Ramiri Navarræ Regis erat *Tutela* vicina, & citra Ebrum fluvium posita, quam cùm *Ramirus* Rex, Francorum auxilio recuperasset, ut itinera eorum, qui è Francia ad Sanctum Jacobum proficiscebantur, tuta redderet, urbem ibidem ædificavit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6581. Anno Eræ Hispan. MCXXVI. Anno Hegiræ CCCCLXXXI inchoato die 27. Martii fer. a.

☉ 5. B A. ☽ 6. P. 16. April. Indict. 11.

JESU CHRISTI 1088.

URBANI II PAPÆ 1.

HENRICI IV REG. 33. IMP. 5.

ALEXII COMNENI IMP. 8.

Anum. I ad V. Petrus Diaconus Monasterii Casinensis, qui Chronicon Leonis Ostiensis à morte Victoris III continuavit, lib. 4. cap. 2. refert, Cardinales *quartâ feriâ primæ hebdomadæ Quadragesimæ, idest, octavo Idus Martii*, convenisse *apud Terracinam Campaniæ oppidum*, & *Dominico die* in Ecclesiam B. Petri Apostoli rursus convenisse, & *Ottonem* Episcopum Ostiensem Pontificem Romanum elegisse, ac Urbanum appellasse, qui *cum acclamatione & invocatione S. Spiritus ad altare B. Petri pertrahitur, & in Pontificali solio collocatur quarto Idus Martii*; die nempè duodecima mensis Martii S. Gregorio M. sacra, & in quam Dominica hoc anno cadebat. Urbanus II Gallus natione fuit, Castellione ad Matronam Fl. septem circiter leucis à civitate Remensi dissitum natus, Ordericus initio libri 16. ait, Petrum Leonem Elegiacus Versus super ipso edidisse, in quibus dicitur, — I. *Urbanus II fit Papa.*

Canonicum Remis tulerat, Monachum Cluniacus Odonem,
Roma vocat, facit hunc Hostia Pontificem.
Cumque fit URBANUS *mutato nomine Papa,*
Redditur expulsus integer Urbis honor.

Adhuc Guibertus, inquit idem Ordericus lib. 8. *invasor Apostolicæ Sedis Ecclesiam conturbabat, ac adulando, vel persequendo cunctos quos poterat ab unitate pacis ad suum schisma pertrahebat. Odo nimirum Comes Sutriæ nepos ejus erat, & Ecclesiasticæ pacis fautores pluribus pressuris coercebat. Urbanus Papa confisus in Domino cælorum, qui non relinquit virgam peccatorum super sortem justorum, misit Legatos & Epistolas Romanæ auctoritatis Francis & Græcis, aliisque gentibus per Orbem constitutis, ut in fide Catholica irrefragabiliter persisterent, & omnem scissuram à Lege Dei & corpore Christi, quod est Ecclesia, callidè præcaverent. Solus Henricus Teutonum Princeps, & pedissequi ejusdem Guiberto cohærebant. Galli verò & Angli, aliæque gentes pene omnes per Orbem Urbano piè obsecundabant.* — II. *Ab omnibus agnoscitur præterquàm ab Henrico Imp.*

Baronius num. I ait, Petrum Diaconum Casinensem continuasse Historiam Leonis Ostiensis, & num. IV asserit Leonem Ostiensem composuisse Registrum Epistolarum Urbani II. Verùm, ut jam viris doctis observatum, Leo Ostiensis Episcopus & Cardinalis qui in Historiam Casinensis monasterii libris tribus composuit, & ad mortem usque Victoris III Papæ perduxit, diversus est à Leone Ostiensi Cardinali, qui illud Registrum edidit. Id manifestè demonstrat Petrus Diaconus in lib. de Viris illustribus ubi cap. 30. de Leone Marsicano dicto Auctore Historiæ Casinensis, dicit eum sanctitate & Monasticis disciplinis ad plenum imbutum, & in Divinis Scripturis apprimè eruditum; capite verò insequenti de alio Leone — III. *Leo Marsicanus Card. Ostiensis non confundendus cum alio Leone pariter Cardinali.*

Ostiensi

SÆC. XI. An. C. 1088.

Ostieosi Cardinali affirmat eum fecisse *Registrum* Epistolarum Urbani II. Prior vivebat adhuc anno MCXV quo subscripsit Rescripto Paschalis II Ecclesiæ Marsorum concesso; secuodus verò, *quem insignem studio ac eloquentia*, Petrus Diaconus cap. 31. dicit, à Paschali II Diaconus Cardinalis creatus est, & sicuti prior Monachus etiam Casinensis fuit.

IV. *Pax inter Normannos Principes componitur.*

A num. V ad XII. Petrus Diaconus narrata electione Urbani II ait, eum in Apuliam venisse, & Monasterium Casineose visitasse. Quo verò in statu essent res in Apulia, narrat his verbis Ordericus loco citato: *In Apulia omnes Normanni Catholico Papa concorditer favebant. Verùm inter se truculenter diffidebant, & fratres plusquam civilia bella vicissim conferebant. Rogerius cognomento Crumenu, idest, Bursa, Ducatu Calabria solus cum matre* (Gaita nempè secunda uxore Roberti Guiscardi) *potiebatur. Quod Buamundus frater ejus* (*natus ex priori* conjuge ejusdem Roberti) *apud Jordanum Principem Capuæ exulans ægrè patiebatur. Unde auxilio ejusdem Jordani sororii sui, aliorumque parentum, amicorumque suorum, arma contra fratrem suum corripuit, partemque paterni honoris, quam ipse cum patre bello subegerat, viriliter repetere cœpit. Cujus guerram frater & noverca tolerare nequiverunt, commodiùsque consilium ab amicis expetere coacti sunt. Persuasione igitur Rogerii Siciliæ Comitis* (& fratris Roberti quondam Guiscardi) *aliorumque affinium pacem fecerunt; eique Barum atque Tarentum, aliasque duas urbes, cum multis oppidis tradiderunt*, &c. *Connexione hujusmodi necessitudinis Normanni providè mutuò religati sunt, & magnam Italiæ partem, quam Drogo & Unfridus atque Ricardus, & super omnes Robertus Viscardus* (cujus hic nominati fratres erant) *obtinuerant, usque hodie possederunt.*

V. *Toletum ab Alphonso VI Rege Castellæ Saracenis ereptum anno MLXXXV.*

A num XII ad XV. *Alphonsus* VI. Legionis & Castellæ Rex cùm Saracenorum Res jam profligatæ essent, Barbarique magno numero cæsi, Toletum firmissimum eorum ditionis propugnaculum aggressus est. Urbs diuturna & pertinaci obsidiooe *octavo Kalend. Junii* in festo *S. Urbani Papæ & Martyris*, ut habet Rodericus lib. 6. cap. 23. tandem expugnata, non anno Eræ Hispaniæ MCXXXIII ut ibidem mendosè legitur, sed *anno Eræ Hispanicæ MCXXIII*, Christi sc. millesimo octogesimo quinto: Sandovallius enim in Tractatu de Regibus Castellæ & Leonis, de Alphonso VI, & errore Chronologorum in anno Toleti Saracenis erepti statuendo demonstrat hanc civitatem anno Christi MLXXXV, aut Eræ Hispanicæ MCXXIII in potestatem Christianorum venisse, quod fusiùs confirmatur in Hispania Illustrata Tom. II. pag. 71. & seq. ubi in Charta à Saodovallio recitata, & *Asterga data die XVIII Februarii, Erâ MCXXIII* Alphonsus Toletanus Rex non appellatur, & die XXII ejusdem mensis, dum in civitate Burgensi esset, Zenodochio ejusdem urbis locum *Aras* appellatum largitus est, & Imperatoris omnium Hispaniarum nomen tantum sibi tribuit; sed in alia donatiooe, quæ extat in Chartulario monasterii Sahagunti pag. 50. quæ data dicitur *anno Era MCXXIII, & die XXVI mensis Maii*, postridie nempè festi Sancti Urbani Papæ & Martyris, legitur: *Regnante Adefunso Rex in urbe Toleela*, sic enim Arabes Toletum vocabant, vel *Toleytelam*. Denique io Monasterio Celæ Novæ in Galicia habetur Instrumentum seu Donario Adosidis, ejosque mariti sub era MCXXIII, cum hac additione: *Tempore quo serenissimi Principis Adefonsi in anno quando presit Toletum à Saracenis.* Mitto varias Chartas alias à Saodovallio in eamdem rem recitatas, sed prætertre non debeo, eum monere *Toleti* Mooumentum extare Alphonsi Regis tempore scriptum, in quo legitur hanc urbem captam fuisse *Era MCXXIII, die XXV Maii, feriâ quinta & die Sancti Urbani*, qui characteres inter se egregiè cooveniunt, & annum Christi MLXXXV certò designant. Hæc itaque epocha indubitata.

SÆC. XI. An. C. 1088.

VI. *Religio Christiana Toleti restituta.*

Narrat postea Rodericus lib. 6. cap. 24. quæ mense Decembri post expugnationem Toleti ad restituendam religionem Christianam ab Alphonso Rege gesta sunt: *Videns*, ioquit Rodericus, *Rex quod Deus prospera indulgebat, convocavit regni Proceres, & majores Episcopos & Abbates, & viros religiosos, & XV Kalend. Januarii omnes in urbe Regia convenerunt, & habito diligenti tractatu, dominum Bernardum, virum religionis & prudentia, communiter & concorditer in Archiepiscopum elegerunt, & Rex incontinenti dotavit Ecclesiam liberaliter & honestè.* Erat Bernardus Monachos Ordinis Sancti Benedicti; vir optimus, rerum scientia & exemplo vitæ insignis, quem Rex hoc anno Romam misit, ut Pallium, Primatumque totius Hispaniæ & Galliæ Gotthicæ, seu Occitaniæ, ab Urbano II impetraret. Literæ, quibus ei utrumque concessum, recitantur à Baronio dicunturque datæ Anagniæ *Idibus Octobris anno dominicæ Incarnat. MLXXXVIII, indictione undecima, anno Pontificatus domini Urbani primo.* Verùm tam hîc, quàm in Collectione Conciliorum Tom. V pag. 1635. loco, *indictione undecima*, legendum, *indictione duodecima*, à Septembri scilicet inchoata, quo certum est, Romæ indictionem toto hoc seculo incœptam fuisse.

VII. *Archiep. Toletanus Primas totius Hispaniæ instituitur.*

In illis literis Urbanus II ait, *per annos CCC penè LXX*, per quos *Toletum* sub Saracenorum potestate gemuit, nullam illic viguisse Christiani Pontificii dignitatem, nunc verò studio Idelfonsi Regis, (qui idem est ac Adelfonsus VI), & labore populi Christiani, Toletana civitate restituta, optare se statum ejusdem urbis stabilire atque augere, *Te*, inquit ad Bernardum, *secundùm quod ejusdem urbis constat extitisse Pontifices, in totis Hispaniarum regnis Primatem Privilegii nostri sanctione statuimus, & Primatem te universi Præsules Hispaniarum respicient, & ad te, si quid inter eos quæstione dignum exortum fuerit, referent.* Ad Idelfoosum verò, seu Alfonsum Regem scribit: *Fratrem Bernardum venerabilem ejusdem urbis Præsulem tuis exhortationibus invitati, dignè ac reverenter excepimus, & ei Pallium contradentes, Privilegium quoque Toletanæ Ecclesiæ, antiquæ Majestatis indulsimus. Ipsum enim in totis Hispaniarum regnis Primatem statuimus, & quidquid Toletana Ecclesia antiquitus noscitur habuisse, nunc quoque ex Apostolicæ sedis liberalitate, imposterum habere censuimus.*

VIII. *Archiepiscopi Tarraconensis & Narbonensis et partes coacti.*

Tarraconensis Archiepiscopus adversus istud Privilegium, quasi subreptitium reclamavit, cootenditque Archiepiscopos Toletanos nullam olim jurisdictiooem in cæteris Hispaniæ partibus exercuisse, quod tameo *Urbanus* supponebat. Sed Pontifex jussit, ut sine cunctatione Toletano

SÆC. XI. An. C. 1088.

letano Archiepiscopo tanquam suo Primati pareret. Reclamavit etiam Archiepiscopus Narbonensis, sed Pontifex ad querelas hujusmodi compescendas *Bernardum* Legatum suum per universam Hispaniam & Provinciam Narbonensem constituit, ut faciliùs uterque se se ei submitteret, ut liquet ex literis Tom. X Concil. pag. 459. & seq. recitatis. Sequentes Pontifices Romani hoc Privilegium Ecclesiæ Toletanæ confirmarunt. Mariana tamen lib. IX cap. XIX ait: *Toletanos Præsules Primatum jura & auctoritatem obtinuisse, ex quo tempore à Mauris Toletum recepta est: nunquam defuisse tamen qui obsisterent auctoritati, detrectarent imperium: ac ne nunc quidem præter nomen ullam ejus potestatis partem exercent in alias provincias Hispaniæ: neque componendis certè litibus, neque sontibus plectendis, neque legibus promulgandis.* Hujus Primatûs origo & Historia examinatur à Marca in Dissert. de Primatibus num. CXXV & seqq.

IX. *Moritur Hermannus Germaniæ Rex.*

Quoad Hermannum Germaniæ Regem, de eo Bertoldus in Chron. hoc anno habet: *Saxones à fidelitate S. Petri discedentes, Heinricum, quem multoties abjuraverant, receperunt. Unde Hermannus Rex Catholicus ab eis in Lotharingiam secessit, ibique non multò post viam universæ terræ arripuit, anno Dominicæ Incarnat. MLXXXVIII regni verò ejus VII, indict. XII, & in patria sua Mettis honorificè sepelitur.* Post Hermanni mortem *Ecbertus* Marchio Misniæ factionis Saxonicæ caput constitutus, eoque occiso Marchionatus Misniæ Timoni Marchioni Landsbergiæ ab Henrico Imp. anno MXC concessus, à quo Electores Saxonici originem suam repetunt.

X. *Moritur Berengarius Archidiaconus Andegavensis.*

A num. XV ad XXVI. Bertoldus quidem in Chronico *Berengarii*, à quo tot turbæ in Ecclesia concitatæ, mortem cum anno MLXXXIII connectit, quia cùm esset Presbyter Constantiæ ad Rhenum, quæ in Francia accidêre, non semper calluit, sed illum ad hunc annum pervenisse, communis nunc omnium sententia est. Diem ejus emortualem disertè notavit Malmesburiensis lib. 3. de Gest. Reg. pag. 114. diem nempe *Epiphaniorum* qui & habetur in ejus Epitaphio à Baronio ex Malmesburiensi recitato, in quo legitur:

Quem recta fides vestigia summa tenentem
Jam sexta dies abstulit, illa nefas.

Verùm quidem est, in quibusdam editionibus haberi, *Jam prima dies*, apud Malmesburiensem, *Jam quinta dies*, sed id sciolorum audaciæ tribuendum, ut in simili diximus, quando de *Roberto* filio Roberti Francorum Regis verba fecimus. *Berengarius* post multiplices in hæresim relapsiones tandem verè resipuit, & Catholicam fidem usque ad mortem professus est, cùm post Burdegalensem Synodum eam amplexus fuisset. Testatur id Hildebertus Cenomanensis Episcopus ejus epitaphii conditor. Testatur & Malmesburiensis citatus, qui ait: *Porrò licet Berengarius primum calorem juventutis aliquarum hæreseon defensione infamaverit, ævo austeriore ita resipuit, ut sine retractatione à quibusdam habeatur sanctus, innumeris bonis, maximè autem humilitate & eleemosynis approbatus, largarum possessionum dispertiendo dominus, non abscondendo & adorando famulus.* Multis interpositis: *Quin & ipse die Epiphaniorum moriens, gemituque producto, recordatus, quod miseros quondam adolescens primo erroris calore secta sua infeceris: Hodie, inquit, in die apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus Jesus Christus, propter pœnitentiam, ut spero, ad gloriam; vel propter alios, ut timeo, ad pœnam.* Nam ut addit Malmesburiensis; *quamvis ipse sententiam correxerit, omnes quos ex totis terris depravaverat, convertere nequivit.* Eadem verba in morte Berengarium dixisse legitur in Fragmento Bibliothecæ Floriacensis. Franciscus Roius in dissert. de pœnitentia Berengarii ait, in antiquo Codice MS. Sancti Martini Turonensis legi: *Obiit Magister Berengarius Grammaticus, fidelis & vere Catholicus ann. D. MLXXXVIII Philippi primi Francorum Regis XXVIII Urbani Papæ an. I*, alii legunt *an. quinto*. Sed cum Berengarii mortis tempore Urbanus nondum Papa esset, & Philippus nonnisi post creatum Philippum secundum dictus sit Philippus I, seriùs hæc verba exarata.

XI. *Verè de sua hæresi pœnituit.*

Ejus pœnitentiæ initium cum anno MLXXXIII videtur copulandum; eo enim anno Clarius Floriacensis Monachus in Chronico Senonensi Tom. II Spicilegii Dacheriani edito, ejus conversionem & mortem uno tenore eo Christi anno narrat: *Berengarius Turonensis Magister & ammirabilis Philosophus, amator pauperum effloruit. Hic composuit orationem illam quæ sic incipit:* Juste Judex Jesu Christe. *Post hæc fidelis, & verè Catholicus vitam finivit, super cujus tumulum ejusmodi Epitaphium est:*

Quem modo miratur, semper mirabitur Orbis:
Ille Berengarius non obiturus obit.

Qui duo versus primi sunt ejus Epitaphii mox memorati. Porrò Clarii auctoritas magni est ponderis; non solum quia Auctor domesticus; sed etiam quia annis à *Berengarii* obitu haud amplius decem Chronicon suum scripsit, quod novis subinde appendicibus, ut sæpe fit, alii auxêre. Præterea, ut observat Mabillonius Tom. II Analect. in observat. de multiplici Berengarii damnatione, *Berengarius* in insulam Sancti Cosmæ Turonicæ Civitati suburbanam secessit pœnitentiæ causâ, idque post Synodum Romanam anno MLXXIX habitam, ut eruitur ex veteribus membranis Laureacensibus in quibus legitur: *Ille Româ discedens Turones venit, ibique in insula, quæ S. Cosmæ dicitur, seculi pompis abrenuncians ferè per XXVIII annos* (legendum, ferè per octo annos) *assiduè domino militavit; aliique plures Canonici B. Martini Sancto Spiritu, nec non salutari ejus admonitione instructi, mutatis vestibus se se ad insulam contulerunt.* Ea Insula Canonicis Regularibus Sancti Augustini, à quibus etiamnum occupatur, tradita est anno MCII juxta eundem Continuatorem Clarii qui ait: *Anno MCII cœnobium S. Cosmæ de insula primò Conventum accepit.*

XII. *Justa ei quotannis Canonici persolvunt.*

Denique à Berengarii obitu Turonensis Ecclesiæ Sancti Martini Canonici justa *Berengario* persolvere soliti, quot annis ad ejus tumulum, qui in Claustro Sancti Cosmæ nigro lapide stratus, detrito Epitaphio visitur, feriâ Paschæ tertiâ conveniunt: ubi Psalmum *De profundis* pro defuncto *Berengario*, nullâ tamen Collectâ (ut vocant) adhibitâ recitant. Licet enim pestilentissimus hæreticus fuerit, postquam tamen in viam rediit, ita omnium sibi amorem & venerationem conciliavit, ut ipsius laudatores modum excessisse videantur, ut de Hildeberto

Epitaphii ejus conditore scripsit Malburiensis, qui ait, *metas vera laudis amore incitatus transilivit*. His omnibus favet Baldricus ex Monacho, ac dein Abbate Burgulieosi, Dolensis Archiepiscopus, qui hoc distycho Berengarii Epitaphium clausit:

Promittatque licet veniam tibi spes meritorum;
Hanc tamen accelerat Lector, pia vota vovendo.

Quod sanè non dixisset Baldricus, inquit Mabillonius laudatus, vir pius ac Catholicus, *Berengarii* æqualis, nisi is in Ecclesiæ gremio vitam clausisset. Non mirum autem Baronium de veritate pœnitentiæ *Berengarii* persuasum non fuisse, cùm antequam Franciscus Roius Antecessor Andegavensis libellum de hæresi & pœnitentia Berengarii in lucem emisisset hæc Historia magnis teoebris obsita fuerit. Ad id quod habet Baronius oum. XVIII, *Hildebertum* scilicet Bereogariani Epitaphii conditorem ante Episcopatum vitâ solutiorem fuisse, anno MXCVII, quo Antistes Cenomanensis dictus, respondebimus.

XIII. *Obitus S. Gebehardi Archiep. Salisburgensis.*

Mortuus est hoc anno *Sanctus Gebehardus* Archiepiscopus Salisburgensis, ob defensionem Ecclesiæ Romanæ ab Heorico Rege in exilium ante annos novem missus; post cujus mortem cùm idem Heoricus alium schismaticum ad eam Sedem evehere vellet, fideles io uoum coovenientes elegerunt *Thiemonem* Sancti Petri Abbatem, & recentem invasorem de finibus Salisburgensis parochiæ expuleruot, ut narrat Baroonius io Appendice ad hunc annum ex Actis ejusdem Ecclesiæ Tom. VI Antiq. Lect. Caoisii recitatis.

XIV. *Obitus Durandi Troarnensis Abbatis.*

Mortuus est & *Durandus* ex Monacho Fiscanensi primus *Abbas Troarnensis* cœnobii in diœcesi Baiocensi ad Divam fluvium, cujus mentionem facit Baronius anno superiori oum. XXIX, quando ex Fragmento Orderici refert magnos Viros, quos Guillelmus Conquestor Ecclesiis Angliæ & Normanniæ præfecit. De eo idem Ordericus lib. 7. etiam habet: *Durandus Troarnensis Abbas grandævus, ab infantia Monachus, religione & sapientia præcipuus, Ecclesiastici cantûs & divini dogmatis doctor peritissimus, sibi durus carnifex, aliisque mitis opifex, post multos in Dei cultu labores, in lectum decubuit, & bene ut prudens & fidelis servus ire ad curiam domini sui paratus, III Idus Februarii de seculo migravit*, hoc scilicet anno, quo hæc narrat Ordericus. De erudito ejus contra Berengarianam hæresim libello, suo loco mentionem fecimus.

XV. *Anglia bello civili lacerata.*

Willelmus II Willelmi Conquestoris patris in Regnum Angliæ successor, ob flavam cæsariem *Rufus* cogoominatus, ipso principatûs sui exordio bello appetitus fuit ab *Odone* Baiocensi Episcopo, Comite Cantiæ, Patruo suo, aliisque Proceribus ad Regnum ipsi eripiendum, & *Roberto* Normanniæ Duci fratri oatu majori deferendum conjuratis. De hoc bello, quod fusè Historici Anglici oarrant, hæc summatiè Westmonasteriensis: *Omnes nobiliores regni, quos Guillelmus magnus promoverat, superbia effecti, indignantes, quia regnaret super eos junior, spreto Roberto primogenito, nobili & magnanimo: non sine perjurio bella moverunt in Guillelmum. Sed infra tertium annum confusi sunt omnes, & possessiones eorum fidelioribus distributa.*

XVI. *Concilium Fusselense.*

Sandovallius in Alphonso VI pag. 79. refert *Richardum* Abbatem Sancti Victoris Massiliensis, & Urbani II io Hispania Legatum, Concilium apud Sanctam Mariam de Fusellis, oppidum vulgo *Huzillos* dictum, prope Palentiam urbem positum, *Erâ MÇXXVI*, currenti nempe Christi anno, celebrasse, cui ipsemet cum *Bernardo* Toletano & *Petro* Aquensi Archiepiscopis præfuit, amicus enim erat eidem Petro, qui comes ejus io hac Legatiooe fuit. Huic Concilio interfuêre Episcopi undecim io Actis nominati, præcipui Regni Abbates, & octo Proceres, ibidem *Principes* appellati. Nulla in eo Officii Romani mentio, (jam enim capot illud decisum fuerat), sed divisionis seu distioctionis limitum diœceseoo *Osmensis* & *Burgensis*. Quia verò *Osma* ab Archiepiscopatu Toletano peodebat, *Bernardus* huic Ecclesiæ antea à Mauris eversæ favebat; Burgeosis enim Diœcesis Toleto oon subiiciebatur. Episcopus Osmeosis nondum tunc electus aut nominatus, & Petrus, qui huic Ecclesiæ postea præfectus fuit, anno tantùm MCII à Bernardo coosecratus, ut refert Gillius Gonzales Avila in suo Theatro Ecclesiastico. Hujus Concilii Cossartius Tomo X. Concil. suo loco noo meminit. Illud tamen retulit Labbeus Tom. V Concil. pag. 884.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6582.

☉ 6. G. ☽ 7. P. 1. April. Indict. 12.

JESU CHRISTI 1089.

URBANI II PAPÆ 2.

HENRICI IV REG. 34. IMP. 6.

ALEXII COMNENI IMP. 9.

Anno Eræ Hispan. MCXXVII. Anno Hegiræ CCCCLXXXII Inchoato die 16. Martii fer. 4.

I. *Synodus Romana I sub Urbano II.*

AD num. III & seq. In Synodo Romana prima sub Urbano II, statuta prædecessoium Pontificum confirmata, & *Guibertus* Roma expulsus, uti narrat Baronius ex Bertoldo in Chron. Huc referendum quod Simeon Dunelmensis in Historia sua ad annum MXCI habet: *Erant duo, ut in Anglia ferebatur, qui dicebantur Romani Pontifices à se invicem discordantes, & Ecclesiam Dei inter se divisam post se trahentes, Urbanus scilicet qui primum vocatus Odo fuerat Episcopus Ostiensis, & Clemens, qui Wibertus vocatus fuerat, Archiepiscopus Ravennensis. Quæ res, ut de aliis mundi partibus sileamus, per plures annos Ecclesiam Angliæ intantum occupavit, ut ex quo Gregorius, qui & Hiltibrandus defunctus fuit, nulli loco Papa usque ad hoc tempus subdi vel obedire voluerit. Sed Urbanum pro Vicario B. Petri Italia Galliaque jam receperat.* Quod verò subdit Bertoldus, Urbanum II per Legatos suos Imperatorem Constantinop. ab excommunicatione absolvisse, commentitium est, ipseque Bertoldus de rebus io Oriente gestis parùm edoctus fuit. Neque enim ullus alius Latinus Historicus, nec ullus Byzantinus hoc in literas misit, & Anna Comnena, quæ Alexii Imp. patris soi res diligenter persequitur, quæque Pontificibus Romanis parum æqua fuit, nihil simile habet.

II. *Unio Ecclesia Barensis & Canusina ab Urbano II confirmata.*

A num. V ad VII. Urbanus II io Apuliam profectus est, ubi Reliquias Sancti Nicolai nuper Barium ex Oriente delatas visitavit, & Eliæ Archiepiscopo Bareosi *integrum Barensem, qui & Canusinus est, Archiepiscopatum* confirmavit literis

SÆC. XI. An. C. 1089. literis *apud Barum Indict. XIII Nono Octobris* datis, & à Baronio recitatis. Cum enim anno circiter DCCCXL *Canusiam*, celebre olim ad Aufidum Fl. oppidum, à Saracenis dirutum fuisset, *Angelarius* Canusinus Episcopus à Clero, populoque Barensi in Episcopum electus fuit, & paucis post annis à Romano Pontifice statutum, ut utrique Sedi deinceps unus præesset, qui & Barensis & Canusinus diceretur.

III. *Concilium Troianum anno MXCIII habitum.*

Ad oum. VIII. Baronius unum Concilium *Troianum* in Apulia habitum in duo distinxit, quorum alterum hoc anno, alterumque anno MXCIII celebratum fuerit circa conjugia consanguineorum dissolvenda. Verùm Labbeus Tom. X Concil. pag. 475. rectè vidit, prioris hujus Synodi Troianæ fundamentum ruinosum esse, quia Petrus Diaconus cap. ooo VIII, sed VII Libri 4. Chroo ici Casinensis, qui io hane rem citatur, eam sententiam apertè evertit: *Sequenti tempore*, inquit Petrus Diaconos, *idem Urbanus Papa ad hat iteràm* (ideoque anno MXCIII) *deveniens partes, Joannem Cajetanum hujus loci* (nempe Casinensis) *à puero Monachum, Diaconum, in Lateranensi Patriarchio ordinavit. Quo etiam tempore* (anno sc. MXCIII) *cum apud Troiam Apulia civitatem Synodum celebraret, Abbas noster quæstionem de cella Sancta Sophia intra Beneventum posuit.* Superest hujus Concilii Troiani Fragmentum apud Ivonem Carnotensem, à Baronio relatum.

IV. *Mathildis Comitissa nubit Welphoni Bajoaria Duci.*

Ad oum. IX. *Catholici in Ecclesia rari habebantur, schismatici verò multiplicabantur*, inqoit Dodechinus Abbas in Continuatione Mariani Scoti ad hunc annum. Quare cùm Urbanus II non dubitaret, quin *Henricus* Imp. in Italiam rediret, & Mathildem Comitissam, quæ Ecclesiam Romanam protegebat, ad summas angustias redigeret, ei suasit, ut Welphonem Juniorem Bavariæ Ducem hujus nominis V sibi matrimonio copularet. *Mathildis* jam quadragenaria major, ut Romano Pontifici morem gereret, huic matrimooio coosenlit, ut narrat Baronius ex Bertoldo in Chron.

V. *Martyrium Bonizonis Episcopi Placentini.*

Ad oum. X. Martyrium *Bonizonis* primùm Sutriensis, & postea Placentini Episcopi à Bertoldo in Chron. hoc anno narratum paulò fusiùs refert Ughellus Tom. II Italiæ Sacræ in Episcopis Placentinis: *Cùm plura, ærumnosaque mutasset exilia, pervenissetque Placentiam, ibi à Catholicis ejusdem Civitatis est dictus Episcopus, dimicansque cum impietate de factiosis schismaticis, primùm est carcere maceratus, postea truncatus membris atque exoculatus, prope Sanctum Domninum nobili est coronatus martyrio sexto mense, quàm Placentiam Ecclesiam cæperat administrare, anno MLXXXIX, die XIV mensis Julii. Ejus sacrum corpus Cremonam delatum, ibidem exceptum tumulo est apud S. Laurentium, ubi hac subjecta carmina incisa leguntur:*

Nobile depositum tibi clarà Placentia gessit
Antistes Bonizo, Christi pro nomine martyr,
Septima bis Julii hunc lux collegit in urna.

De eo, & ejus libris suprà à nobis actum.

VI. *Moritur B. Lanfrancus Archiep. Cantuaria.*

A num. XII ad XVIII. Beatus Laofrancus Archiepiscopus Cantuariensis anno *Archiepiscopatûs XIX, V Kalendas Junii, diem clausit extremum*, inquit Milo Crispious, Cantor Beceensis, in ejus Vita in Actis Bollandiaois ad diem XXVIII

Tom. IV.

mensis Maii recitata, ideoque die XXVIII mensis Maii hujus anni. Sunt tamen qui ejus mortem cum die XXIV ejusdem mensis copulaot. Ejus Opera à Dacherio evulgata, & in Tomum XVIII Biblioth. Patrum Edit. Lugdun. traoslata. Ordericus lib. 8. Lanfranci obitu narrato de Rannulfo Clerico, Flambardo cognominato, quòd veluti flamma ardens populum oppriméret, ait: *Hujus consilio juvenis Rex* (nempe Guillelmus II) *morientibus Prælatis, Ecclesias cum possessionibus olim sibi datis invasit, & tam in Abbatiis cœnobitas, quàm in Episcopiis Episcopales Decanos & Canonicos cuilibet satellitum suorum subegit. Parcam autem ad victum suum distributionem rerum eis delegabat, & reliquos reditus sua ditioni mancipabat. Sic avaritia Regis in Ecclesia Dei nimis exarsit, & nefarius mos, tunc inceptus, usque in hodiernum diem perseverans* (ad annum oempe MCXLI, quo Ordericus Historiam suam absolvit) *multis animabus exitio fit. Hac enim de causa cupidus Rex Pastores Ecclesiis imponere differebat; & populus Rectore, & grex Pastore carens lupinis dentibus patebat, & multimodarum toxicatis missilibus culparum sauciatus interibat. Princeps itaque nimia cupiditate flagrans suo infert ærario largas opes, quas Ecclesia Dei gratanter & devotè dederunt antiqui Anglorum Reges, Edilbertus scilicet, ac Edwinus; Offa quoque ac Athulfus, Elfredus & Edgarius, aliique Principes cum suis Optimatibus. Illi nimirum ad fidem noviter conversi Deum fideliter coluerunt, & de suis abundantius monachis & Clericis affluenter largiti sunt, ut speciales ministri sacra legis copioso victu pasti gauderent, Deique cultum absque ulla recusatione nocte dieque alacriter peragerent, & in locis constitutis celebres excubias Deo indefineater exhiberent. Illac peregrini & viatores securi veniebant, & ibidem per laborem etiam repausationem sumebant, atque post inediam uberem alimoniam ex institutione principali repeniebant.* Hæc causa, cur Sedes Cantuariensis usque ad annum MXCIII sioe Poorifice fuerit.

VII. *Ope S. Antonii Magni sacro igne tacti sanantur.*

Ad nam. XVIII. Jam seculo integro Reliquiæ *Sancti Antonii Magni* Abbaois io Thebaide, in Galliam asportatæ fuerant, cùm præcipuè grassari sacer ignis cœpit: *cui miseria*, inquit Aymarus Falco in Historia ordinis Sancti Antonii part. 2. cap. 31. *horrendæque calamitati præsentaneum atque efficacissimum remedium afferre perspecta est devota imploratio patrocinii atque intercessionis beatissimi Antonii. Quapropter Reliquiis sancti corporis ejusdem apud Motam* (oppidum non longè ab urbe Viennensi in Delphinatu positum) *honorificè repositis non facile dicta est quantus illuc populorum concursus, quantaque mortalium frequentia, ex diversis regionibus confluerit*, &c. *Reliquiis sancti corporis apud locum, qui prius Mota dicebatur, ut prædictum est, repositis honorificèque collocatis, concurrentibus undique populis, locus ille apud omnes clarior fieri, longèque illustrior haberi capit. Unde suppressa veteri appellatione alteram sensim induit. Nam qui antea Mota vocabatur, subinde ob susceptam à divo illo patre illustrationem, sanctus Antonius vulgò capit nuncupari, quemadmodum ex publicis locorum maximè vicinorum documentis patenter ostenditur.* De Ordine Sancti Antonii ibidem fundato infrà verba faciemus. Hoc verò tempore morbum illum sæviisse, docet Sigebertus in Chronico ad hunc Christi annum. Illud etiam

in Gallia seculo sequenti sævisse Sigeberti Continuatores fidem faciunt.

VIII. *Nicolaus Grammaticus fit Patriarcha Constantinop.*

Ad num. XIX. *Eustratius Garida*, non verò Eustathius, Patriarcha Constantinop. *cùm eam dignitatem per annos tres usurpasset, ob causam non satis notam ab Imperatoribus sacra æde est deductus, atque in ejus locum suffectus Nicolaus Monachus, cognomento Grammaticus, qui in studio virtutis ætate acta, literarum non rudis erat, etsi non inquisitè peritus*, inquit Zonaras in Alexio Comneno. Quare Nicolaus Eustratio demortuo non successit, uti habet Baronius, neque Eustratius, qui die VII mensis Maij anni MLXXXI Pontificatum inierat, ultra annum MLXXXIV illum rexit; cùm Anna Comnena lib. X tradat, Nicolaum Thronum Patriarchicum ascendisse, *indictione septima anni sexies millesimi sexcentesimi nonagesimi secundi*. Sed loco, *sexcentesimi*, *legendum*, *quingentesimi*, ut in textu Græco habetur; cumque is annus mundi Æræ Constantinopolitanæ Kalendis Septemb. anni Christi MLXXXIII auspicetur, apparet, Zonaram annos tres accuratè *Eustratio Garidæ* attribuisse hincque anno MLXXXIV ante mensem Septembrem è Sede Patriarchali dejectum esse.

IX. *Alexius Imp. usum azymorum Latinis interdicit.*

Urbanus II quem num. I hoc anno Concilium Romæ celebrasse diximus, *Terracinæ* hodiernæ Campaniæ Romanæ oppido, in Siciliam venit, teste Malaterra lib. 4. cap. 13. eâque trajecta *Troynam* ad *Rogerium* Comitem adeundum accessit, qui ipsius conspectum obtinuit ne *Butera*, Pontifici obviam occurrit. *Urbanus II* ejus operam adhibuit ad schisma Græcorum extinguendum, utrinque de azymis querelas sedandas. *Alexius* enim Imp. Latini nominis hostem ex professo agebat, & Latinis azymorum usum interdixerat. Addit Malaterra *Alexium* Concilium Generale apud Constantinopolim indixisse, ut Græcorum & Latinorum dissidium disputatione dirimeretur, Pontifici uno, dimidiatoque anno assignato, quo ad illam urbem se se conferre posset; sed Pontificem hostes in Italia nimis urgebant, quam ut protectionem illam instituere posset. *Buteram* postea reversus *Rogerius* brevi Buterenses ad deditionem coegit, & paulatim quasdam arces quæ adhuc in Saracenorum potestate erant, subegit. Bellum verò quod anno superiori Rogerium inter & Boamundum exortum fuerat, inducias diremptum, eæque rursùs anno MXCI sacramento confirmatæ, teste Lupo Protospata in Chron.

Anno Eræ Hispan. MCXXVIII. Anno Hegiræ CCCCLXXXIII. inchoato die 6 Martii fer. 1.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6583.

☉ 7. F. ☽ 8. P. 21. April. Indict. 13.

JESU CHRISTI 1090.

URBANI II PAPÆ 3.

HENRICI IV REG. 35. IMP. 7.

ALEXII COMNENI IMP. 10.

I. *Mezquita Toletana in Ecclesiam conversa.*

AD num. I. Bertoldus in Chron refert *Tolosæ* habitam Synodum, in qua *Legatio pro restauranda Christianitate in Toletana civitate, Rege Hispanorum supplicante* (nempe Alphonso VI) *destinatur*. Illustrant hanc Synodum quæ habet Rodericus Toletanus lib. 6. cap. 25. quæ hîc summariè referam. *Quia adhuc littera Gothica & translatio psalterii & Officium missæ institutum ab Isidoro & Leandro Pontificibus, quod cum translatione & littera dicitur Toletanum, per totam Hispaniam servabantur, ad instantiam uxoris suæ Reginæ Constantiæ, quæ erat de partibus Galliarum, misit Romam ad Gregorium Papam VII, ut in Hispaniis omisso Toletano, Romanum seu Gallicanum Officium servaretur.* Cùm verò Alphonsus Rex ad partes Legionis ivisset, *Bernardus* Archiepiscopus Toletanus Electus ascitis militibus Christianis majorem *Mezquitam* ingressus est Toletanam, ibique erexit altaria fidei Christianæ; sed cùm *Alphonsus* Rex cum Saracenis pacem firmasset de Mezquita, Toletum venit proponens, *Bernardum* & Reginam *Constantiam*, qua hortante id factum fuerat, incendio concremare; quod cùm Saraceni Toleti commorantes accepissent, Regi obviam exierunt, & ab eo petierunt, ut eisdem parceret, ne post ejus mortem malè ipsi haberentur. Quibus auditis Rex valde gavisus est, & urbem Regiam ingressus, *omnia pacificè pertractavit*.

II. *Officium Romanum in Hispaniis receptum.*

Tum cap. 26. Bernardus, inquit, ab Urbano II Primas institutus Hispaniarum, Romà relicta, *Per Tolosam rediens, ibidem cum Episcopis Gothica Gallia & Narbonensi Archiepiscopo Concilium celebravit. Ideo per Pyrenæum in Hispanias transiens omnium Ecclesiarum Hispaniæ curam gessit, & statuto die, in festo festivitatis sanctorum Crispini & Crispiniani, VIII Kalend. Novemb. in honore B. Mariæ semper virginis, & BB. Apostolorum Petri & Pauli, & sanctæ Crucis, & B. Stephani Protomartyris, Toletanam Ecclesiam convocatis Episcopis dedicavit.* Verum quia Ricardus Abbas S. Victoris Massiliensis, & Sanctæ Sedis Legatus *se gerebat in aliquibus minus cautè* legatione privatus, *fuit ab Urbano summo Pontifice revocatus.* Verum ante revocationem Clerus & populus totius Hispaniæ turbatur, eò quod Gallicanum Officium suscipere à Legato & Principe cogebantur. Ad hoc ultimò res pervenit, militari pertinacia decernente, ut hæc dissensio duelli certamine sedaretur; cumque miles Officii Toletani victor extitisset, Rex à proposito non discessit, demumque placuit, ut liber Officii Toletani, & liber Officii Gallicani in magna ignis congerie ponerentur, & licet liber Officii Toletani illæsus in igne mansisset, Rex tamen præcepit, ut Gallicanum Officium in omnibus Regni sui finibus servaretur: tuncque natum proverbium: *quo volunt Reges vadunt leges*, ex tunc etiam Gallicanum Officium nunquam antea susceptum, fuit in Hispaniis observatum, *licet in aliquibus monasteriis fuerit aliquanto tempore custoditum, & etiam translatio psalterii in plurimis Ecclesiis cathedralibus & monasteriis adhuc hodie recitatur.* Ita Rodericus. Imò Toleti in antiquis Ecclesiis, quæ Mozarabum fuerunt, statis anni diebus res Divina Gothico ritu etiam hodie peragitur. Porrò *Ricardus* Massiliensis Abbas anno sequenti *III Nonas Octob.* adhuc in Hispaniis erat, ut liquet ex Charta à Baluzio in Appendice Marcæ Hispanicæ pag. 1192. recitata, in qua tamen legitur; *Ricardus Cardinalis, qui est Abba sancti Victoris Massiliensis*, qui ideo Sedis Apostolicæ Legatus amplius non erat.

III. *Concilium Melphitanum.*

A num. II ad VIII Bollandus ad diem IX mensis Februarii in Vita *Sancti Sabini* Episcopi Canusini circa annum DLXVI demortui, ac in Notis ad Historiam ejus Inventionis, à Joanne Archidiacono Barensi scriptam, Labbeus

Tom.

SÆC. XI. An.C. 1090.

Tom. X Concil. aliique jam observarunt, Concilium *Melphitanum* ad superiorem Christi annum pertinere; neque id in dubium revocari potest; cùm Joannes Romanæ Ecclesiæ Diaconus & Cancellarius in Epistola ad Abbatem Molismensem, à Labbeo ibidem pag. 479. recitata scribat: *Dominus Urbanus Papa precepit in eodem Concilio Melphitano, ut qua usque ad illud Concilium per Principes data monasteriis fuerant, firma, & integra permanerent. De cetero Abbates ab acquisitione hujusmodi abstinerent. Hoc sanè Concilium Melphitanum celebratum est anno dominica Incarnat. MLXXXIX. Porrò per hujusmodi temperamentum & Abbates ab Ecclesiarum invasionibus cessaverunt, & Episcopi non omninò spoliare monasteria voluerunt. Plures enim inter eos querela sic postea in nostra Romana Ecclesia definita sunt. Que autem scribimus, præsentes nos, & audisse & vidisse noscatis.* Ad hæc Lupus Protospata ait: *Anno MLXXXIX factus est Synodus omnium Apuliensium, Calabrorum ac Bruttiorum Episcoporum in civitate Melfia, ubi adfuit etiam Dux Rogerius cum universis Comitibus Apulia ac Calabria & aliarum provinciarum, in qua statutum est, ut sancta Trevia* (idest Treuga Dei) *retineretur ab omnibus subjectis.* Subdit Lupus, Urbanum II venisse *Barium*, & ibi consecrasse *confessionem sancti Nicolai*, & Heliam Archiepiscopum ordinasse. Ipsemet autem Baronius anno superiori num. V & seqq. refert Rescriptum consecrationis Heliæ, rectéque cum illo Christi anno illigat, & tamen hoc anno num. VII ait, absoluto Concilio Melphitano Urbanum II Barium venisse, & illic Heliam Barensem Archiepiscopum consecrasse. Quare nonnisi anno superiori celebrato jam Concilio Melphitano *Helias* ordinatus est Archiepiscopus Barensis, quod & Joannes Archidiaconus Barensis testis oculatus testatur apud Baronium anno MXCI num. XIX.

IV. *Anno superiori habitum.*

Denique Labbeus citatus auctor est, in Codice MS. Romano hæc verba Canonibus Melphitanis præfigi: *Anno dominicæ Incarnat. MLXXXVIIII. Pontificatûs Domini Urbani Papa II. indict. XII, IV Idus Septemb. congregata est apud Melphiam Apulia urbem ejus jussu Synodus Episcoporum LXX, Abbatum XII.* Hæc porrò epigraphe eo tempore scripta, quo jam Romæ indictio à mense Januario initium sumebat. Romualdus quidem Salernitanus Archiep. in suo Chronico à Baronio laudato, ait: *Anno Dominica Incarnat. MXC, indictione XIII, mense Septemb. Urbanus Papa Synodum celebravit in civitate Melfia*, &c. Verum ex indictione XIII, quæ mense Septemb. superioris Christi anni in cursu erat, corrigendus error, qui in annum Incarnationis irrepsit. Canones in hoc Concilio conditi apud Baronium legendi.

V. *Translatio S. Clementis Metensis Episcopi primi.*

Ad num. VIII. Hoc anno *Herimannus* Episcopus Metensis levato è terra corpore *Sancti Clementis* primi ejusdem civitatis Episcopi illuc à Clemente Papa missi, in Ecclesiam in monasterio Sancti Felicis, ubi antea jacebat, sitam, transtulit, & ab hoc tempore ea Abbatia non Sancti *Felicis*, ut antea, sed *sancti Clementis* vocata fuit, quod nomen etiamnum retinet. Meurissius lib. 3. Episc. Metensium rei gestæ Acta refert, in quibus dicitur, Translationem *VI Nonas Maij* peractam esse, in iisque legitur: *Anno Incarnati Verbi MXC, indict. XIII, regnante Domino nostro Jesu Christo, imperante Henrico tertio, Cæsare Romanorum nobilissimo, Monarchiam autem regni tenente Duce Theoderico* (idest, Principatum Lotharingiæ, cujus Theodoricus Dux erat) *Comite Folmaro, Judice Burchardo, cùm Regnum & Sacerdotium à se invicem dissiderent, & idcirco tam mundana quam Ecclesiastica miserabiliter fluctuarent, B. Clementis primi nostri Pastoris pia consolatione, nos peccatores & afflictos cælestis benignitas recreavit*, &c. Refert postea Herimannus varia bona & Privilegia à se monasterio Sancti Clementis concessa.

VI. *Obitus Herimanni Metensis Episcopi.*

Hugo Flaviniacensis in Chron. Virdunensi narrata hac Translatione, quàm sanctè Herimannus paucos postea post dies, nempe IV Nonas Maij, obierit, subdit: *Infirmitas*, inquit, *licet gravis dignitatem vultûs & oris constantiam meatûs in ipso turbare non potuit. Cùm omnibus prædicaret publicè, non tacebat in domino suo confisus de vitandis Simoniacorum & Nicolaitarum sacrificiis, exponens Nicolaum ideo secundùm B. Augustinum ab Apostolis hæreticum judicatum, quia in ordine diaconatûs eam, quam prius habuerat uxoris usum, Apostolis arguentibus dimittere noluit. In Pascha celebrato divino Officio, se & oves sibi commissas sacramento Corporis & Sanguinis Dei munivit. Eadem die ad vesperam gravius infirmari cœpit*, relataque Translatione præfata ait, Herimannum convocatis fratribus & filiis eis dixisse: *Commendo vos Deo, state in fide & doctrina B. Petri, sicut à successoribus ejus & vidistis & audistis*, & postea spiritum Deo reddidisse. Tum anno MXCII scribit, Metenses elegisse quemdam Clericum Trevirensem Popponem nomine, fratrem Henrici Comitis Palatini: *Et quia Trevirensis Episcopus Wibertistarum communione contaminatus erat, à Domno Lugdunensi Archiepiscopo consecrari eum expetierunt, imposito negotio hoc strenuitati domni Abbatis Divionensis* (Jarentonis appellati) *de cujus industria confidebant. Qui nihil cunctatus domnum Lugdunensem* (nempe Hugonem) *cum duobus suis suffraganeis, Matisconense scilicet & Lingonense, per bella & gladios, cum omnia mortem intentare viderentur, Mettim usque deduxit, à quo & consecratus est primâ hebdomadâ Quadragesima cum gloria.* Quare erravit Bertoldus, qui ad annum MXCIII ait: *Metensis Ecclesia refutato Episcopo, quem Henricus ei dare voluit, ipsi sibi canonicè catholicum Pastorem elegère, eumque à Gebehardo Constantiensi Episcopo, Sedis Apostolica Legato consecrari fecère, sexto Kalendas Aprilis, in medio quadragesima.* Bertoldi verba Baronius anno MXCIII num. VI exscribit. Verùm Hugo qui postea Abbas Flaviniacensis fuit, hoc tempore Virduni Monachus erat, & rem quam vidit, recitat. Bertoldus itaque in Chron. tam hic, quàm non rarò alibi, hallucinatus est.

VII. *Flores Thiemo Abbas.*

Ad num. XX. Baronius in Appendice ad hunc annum narrat quæ *Thiemo* Abbas S. Petri adversus factionem Henricianam egerit, & quanta pro Ecclesia Dei perpessus sit, quæ apud eum ibidem legenda.

VIII. *Obitus S. Gulielmo Firmati.*

Hoc circiter anno mortuus est *S. Gulielmus Firmatus* octavo Kalendas Maij, qui vixit & obiit in loco Mantileio dicto, vicino Moritaniæ, quod castrum est in confinio Minoris Britanniæ & Normanniæ; ab Abrincatis non longè remotum, vulgò *Mertain* appellatum, ut videre est apud H. Valesium in Notit. Gall. voce *Moritania*. Henschenius, qui Vitam ejus ad diem XXIV

Aprilis à Stephano Episcopo Redonensi scriptam publicavit, ex iis quæ in ea dicuntur, annum eruit; dies enim tantum in eadem notatur. Natus in urbe Turonica, dimisso Canonicatu cum matre se se recepit in eremum, ubi illa, ei corporale ministrabat edulium; quâ defunctâ in Palæstinam devotionis causâ profectus est, & reversus in Galliam rursus sanctam in solitudine vitam egit. Inde discedens pervenit ad locum, *qui dicitur Eona super Rhodanum*, ubi postquam aliquo tempore in rupe quadam vixisset, Jerusalem iterum nudis pedibus abiit, indeque redux *Mantileu* animam Deo reddidit, *Moritonium* post aliquot annos translatus. Robertus de Torinneio, vulgò dictus *Robertus de Monte*, in Chronico suo anno MCLVII ejus Translationem his verbis narrat: *In Octavis Pentecostes Hugo Rotomagensis Archiep. & Rotrocus Ebroicensis, & Richardus Constantiensis, & Herbertus Abrincensis, Episcopi, apud Moritonium levaverunt corpus beati Firmati.* Ubi cùm non dicatur *Episcopus*, sicuti nec in ejus Vita, *Episcopi* vox meo judicio à sciolo quopiam intrusa in hunc locum ejusdem Chronici ad annum MCLXXVIII: *Obiit Stephanus vir honestus & literatus Episcopus Redonensis*, &c. *Scripsit Vitam Sancti Firmati Episcopi*, &c. *Scripsit etiam mihi quinquaginta versus de senectute.* Civitas autem Redonensis aliquot tantum leucis à Moritonio dissita. Labbeus in Biblioth. Librorum MSS. pag. XVI mentionem facit duplicis MS. Vitæ Sancti Firmati patriâ Toronensis, & jam anno DIX num. VII de ejus mansione *Eona* locuti sumus.

Anno Æræ Hispan. MCXXIX. Anno Hegiræ CCCCLXXXIV, inchoato die 23. Febr. fer. 2.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6584.

☉ 8. E. ☽ 9. P. 13. April. Indict. 14.

JESU CHRISTI 1091.

URBANI II PAPÆ 4.

HENRICI IV REG. 36. IMP. 8.

ALEXII COMNENI IMP. 11.

I. *Concilium Beneventanum.*

AD num. I & seq. Bertoldus in Chron. ad annum MXCI asserit, Urbanum II *in partibus Campaniæ* moratum esse, & Romanos, qui Guibertum Antipapam *jam dudum expulerunt*, iterum Romam intrare permisisse. Dum *Beneventi* Pontifex esset, Concilium celebravit, cujus canones pro disciplina Ecclesiastica conditi extant Tom. X Concil. pag. 484. & Præfatio his verbis concepta: *Anno dominicæ Incarnat. MXCI indict. XIV, V. Kal. April. celebrata Synodus Beneventi, præsidente Domino Papa Urbano, præsentibus Episcopis & Abbatibus, quorum numerus facile numerari non potuit.*

II. *Henricus Imp occupat terras Mathildis Comitissæ.*

Ad num. III & seq. Henricus Imp. antequam in Italiam veniret, ut *Mathildem* Comitissam sibi armis resistentem subderet, prius ea occupare voluit quæ Mathildis hæreditario jure à Beatrice matre cis Alpes obtinuerat, ut Domnizo lib. 2. cap. 4. his versibus docet:

Rex ut Henricus, factus gravis est inimicus
Ecclesiæ sanctæ, dominæque Mathildis amandæ,
In quocumque loco poterat sibi tollere, toto
Nixu tollebat terras, ubicumque tenebat
Præsertim villas, ac oppida, quæ Comitissa
Hæc ultra montes possederat à Genitrice.
Abstulit omninò, nisi Castrum Brigeriinum,
Fortè quod & magnum locuples erat undique largum.
Hoc Rex aggressus nequit intus ponere gressus.

III. *Mantuam sibi subjicit.*

Postea *Henricus* in Italiam adversùs *Urbanum* II transgressus, cùm in Longobardiam venisset, primo adventu *Mathildem* habuit adversariam. Quam ob causam bellum ab ea parte ordiri necesse habuit. Et trans Padum omnia populanti *Mathildis* trajecto Pado audacter occurrit, ac summo prælio in campo Sorbariæ inito superior abiit. Verùm *Henricus* omnibus trans Padum castris, frustrà repugnante Mathilde, potitus, *Mantuam* obsidione cinxit, & post menses undecim Mathilde se se Canusii continente, in suam potestatem redegit *pridie Paschatis*, die scilicet XII Aprilis currentis anni, ut narrat Domnizo loco laudato. Bertoldus verò in Chron. hoc anno ait: *Eo tempore Mantuani diuturna obsidione ab Henrico Rege jam per annum constricti à Domino suo Welfone Duce* (qui maritus erat Mathildis) *discesserunt, & se ac civitatem suam suo devastatori tradiderunt*; Mantua enim proditione capta, ut inquit Domnizo.

IV. *Archiepiscopatus Tarraconensis restitutio ab Urbano II petita.*

A num. VIII ad XVI. Anno MLXXXIX *Berengarius* Episcopus Ausonensis, cujus Ecclesiæ jam inde à temporibus Joannis Papæ XIII unita erat *Tarraconensis*, Romam se contulit ad Urbanum II, ut ab eo impetraret restitutionem Metropolitani in provincia Tarraconensi, quæ per quadringentos annos Archiepiscopo Narbonensi subjecta fuerat. *Urbanus* literas dedit ad *Berengarium* Comitem Barcinonensem hujus nominis III, *Ermengandum* Urgellensem, & *Bernardum* Bisuldinensem, quibus eos hortatus est, ut darent operam restituendæ Ecclesiæ Tarraconensi, ut ibi Cathedra Episcopalis haberi posset, *salvâ tamen Narbonensis Ecclesiæ institiâ*, quibus verbis certum est, inquit Baluzius lib. 4. Marcæ Hisp. ad annum MLXXXIX, Urbanum statuisse, uti novus Episcopus Tarraconensis subjectus esset Archiepiscopo Narbonensi tanquam proprio Metropolitano. Pollicitus tamen est se antiquam dignitatem Metropolicam Episcopo Tarraconensi tributurum, *Si Romani auctoritate Privilegii Tarraconensem provinciam canonicè vendicare. Narbonensis Antistes nequiverit* ait Urbanus in literis suis datis *Romæ Kal. Julii indict. XII*, à Baluzio in Appendice Marcæ Hisp. relatis. Interim cùm Urbani literæ vulgatæ fuissent, *Dalmatius* Archiepiscopus Narbonensis ad Apostolicam Sedem accessit cum *Bertrando* Episcopo Barcinonensi, & illic apud Urbanum *inter cetera*, ut ait idem Papa in Epistola ad Raynerium Legatum suom data, & ab eodem Baluzio in Appendice libri de Primat. tit. VI publicata, *præjudicium sibi factum de Tarraconensium Episcoporum subtractione per Romanam Ecclesiam suppliciter intimavit.*

V. *Intercedit Archiepiscopus Narbonensis.*

Quæsivit ab eo *Urbanus*, num haberet Privilegia Sedis Apostolicæ, quæ ostenderent Primatum sibi in provinciam Tarraconensem competere. *Dalmatio* autem respondente suam Ecclesiam ea habuisse, quæ se sperabat invenire posse, rescripsit Urbanus II ad Raynerium, ut si Privilegiorum nequiverit auctoritas inveniri, ille *cum Principibus terræ*, idest, cum Comitibus, ad quos priores Urbani literæ scriptæ sunt, studeat restaurandæ Ecclesiæ Tarraconensi. Cùm verò *Dalmatius* apertè videret, se causâ casurum, nisi ostenderet Privilegium Apostolicum, confictum est Diploma *Stephani Papæ* hujus nominis

V, vulgò

V, vulgò VI, de quo Balozius citatus ad annum DCCCLXXXV, datum adversùs *Selvam*, & *Hermemirum* pervasores Sedium Urgellensis & Gerundensis. Istud manifestum fit ex contextu ipsius Epistolæ, in qua tanquam si Stephanus prævidisset ea, quæ tempore Urbani II acciderunt, ait, si vera fama, hac conditione Tarraconensem Ecclesiam, in jus & obsequium ditionis Ecclesiæ Narbonensis transiisse, *ut nunquam à subjectione illius ullo pacto ullave ratione recedere queat, etiam si Tarraconensis provincia Metropolitana Ecclesia in pristinum reformetur statum*; quod deinceps pluribus argumentationibus & verbis explicatur. Verùm quia vetus exemplar hujus Rescripti Apostolici prolatum haud dubiè non est, & recenti testimonio credi non debuit in re adeo antiqua, nullam earum *Stephani* V literarum rationem habuit Urbanus II, & currenti anno jus Metropoliticum auctoritate sua restituit Ecclesiæ Tarraconensi, ad quam transtulit *Berengarium* tunc Episcopum Ausonensem; Decretoque eodem Ausonensem Ecclesiam univit Tarraconensi. Ex hoc tempore cessavit auctoritas Archiepiscopi Narbonensis in ea parte Marcæ Hispanicæ, quæ trans Pyrenæos sita est.

VI. *Jus Metropoliticum Tarraconensi restituitur.* Eruit hæc Baluzius laudatus ex Epistola Urbani II ad Raynerium Legatum suum, in qua ait: *Veniens cum Barcinonensi fratre nostro venerabili Episcopo reverentissimus frater noster Narbonensis Archiepiscopus, &c. inter cetera prajudicium sibi factum de Tarraconensium Episcoporum subtractione per Romanam Ecclesiam suppliciter intimavit, cùm eos Narbonensis Metropolis per annos quadringentos sine alterius Ecclesia reclamatione possederit. Nostra igitur vice in partibus illis fungens, Tarraconensibus Episcopis nostra auctoritate pracipito, ut interim Narbonensi tanquam proprio Metropolitano obediant, donec praestante Domino Tarraconensis restauretur Ecclesia, &c. Quia verò Narbonensis Archiep. Privilegia de Primatu Ecclesiam suam habuisse memoravit, qua à suo pradecessore translata, se tamen sperat praestante Domino reperturum, tu causam hanc diligenter inquire, inquisitam ad nos referre procura. Quod si Privilegiorum nequiverit auctoritas inveniri, tu cum Principibus terra de restitutione Tarraconensis Ecclesia stude. Interim tamen Tarraconenses Episcopos ei tanquam Metropolitano proprio obedire pracipito.* Literæ illæ sine ulla temporis nota datæ; sed eæ, quibus jus Metropoliticum restituitur Ecclesiæ Tarraconensi, quas Baronius recitat, scriptæ sunt hoc anno *Capua Kalend. Julii.*

VII. *Raimundus Comes Barcinonensis nuptiarum causâ Salernum venit.* A num. XVII ad XXII. *Sancti Sabini* Episcopi Canusini in Apulia Reliquiæ, *Canusio* à Saracenis devastato, ab *Angelario*, qui Canusinus Episcopus & simul Barensis Archiepiscopus erat, translatæ fuère, cautèque defossæ, adeo ut hoc tempore omnis earum memoria obliterata esset, crederenturque eas in Canusina Ecclesia etiamnum asservari. Tandem Barii sub altari Confessionis, quæ *Angelarii* ætate Cathedralis Ecclesia fuerat, repertæ sunt. Historiam Inventionis accuratè descripsit Joannes Barensis Archidiaconus, qui præsens affuit. Recitat eam Historiam Baronius ex eodem Scriptore, qui ait, hanc Inventionem contigisse *temporibus Ursonis Archiepiscopi Barensis* ad eam dignitatem anno MLXXIX evecti, & à Roberto Calabriæ Duce magna in existimatione habiti: *Nam frequenter*, inquit Joannes Archidiaconus, *ad pradictum Papam* (sc. Gregorium VII) *legaverat, & Hispaniam illum miserat, quoniam filiam suam Comiti Barzelonensi nuptui dederat, quam sua de regno provincia pro nuptiis confirmandis usque in terram istam* (Barensem nempe), *qua sub ejus Ducis erat dominio, cum multo comitatu & apparatu sumptuoso conduxerat.* Ita Joannes apud Baronium num. XVIII. Verùm loco, *quam*, legendum, *quem*, ut habet correctior editio, qua usus est Bollandus, ad diem IX mensis Februarii, ubi hujus Inventionis Historiam refert. Non enim *Mathildem* Roberti Calabriæ Ducis filiam, quæ Salerni erat, *Urso* Archiepiscopus comitatus est, sed Raimundum Berengarii Barcinonensem Comitem, hujus nominis II, quem Salernum venisse, & filiam Roberti uxorem sibi dari postulasse, affirmat Guillelmus Apuliensis lib. 4.

Venerat insignis Comes hanc Raimundus ad urbem,
Ut nuptura Ducis detur sibi filia poscens.
Huic major natu nuptam datur.

Hoc conjugium seriùs non peractum, quàm anno millesimo septuagesimo sexto, quo *Raimundus* pater obiit, ut suo loco diximus. Subdit Guillelmus *Robertum* postea Beneventum se se contulisse, ibique cum Gregorio VII Papa fœdus, de quo suprà locuti sumus, pepigisse. Quæ ad Inventionem Reliquiarum Sancti Sabini pertinent, Baronius ex eodem Joanne Archidiacono recitat.

VIII. *Viri illustres qui sub Gregorio VII floruère.* Ad num. XXIII. *Sanctus Altmannus* Episcopus Pataviensis, qui die VIII Augusti colitur, hoc anno ad Deum migravit, quemadmodum & *Willelmus* Abbas Hirsaugiensis. Paulus Bernriedensis in Vita Gregorii VII cap. XIII ait: *Quanta gratia Dei subsecuta sit obedientes Gregoriana institutioni* (idest, Gregorii VII Decretis) *ostendit religio quadrata* (idest, Sancti Benedicti, ita vocata, quòd ex quatuor generibus, idest, duplici utriusque sexûs gradu constituatur) *per Apostolicam Gregorii nostri benedictionem venerabiliter in his regionibus inchoata, & feliciter multiplicata, videlicet attonsorum Christi servorum, eisque fideliter servientium fratrum Barbatorum* (idest, Conversorum, quorum usum Willelmus Abbas Hirsaugiensis, vel instituisse, vel abolitum renovasse dicitur à Trithemio in Chron. Hirsaugiensi: nam Clericis barbas radentibus ipsi distinctionis causâ illas alebant); *Virginum singulari devotione jugiter inclusarum: itemque Virginum regulari moderatione introitus & exitus suos custodientium. Sanè quadratura hujus sive quadriga quatuor pracipui Rectores fuère; videlicet Canonica vita renovator eximius, Altmannus Episcopus de Patavia, & beata recordationis Odalricus Prior de Cluniaco, venerandi Patres Willelmus de Hirsangia, & Sigefridus de Sancti* Salvatoris Cella, idest, Rector monasterii Sancti Salvatoris in villa Scaphusa, ac in Episcopatu Constantiensi siti, ut legitur in Epistola XXIV libri VII Registri Gregoriani, ad Willelmum Hirsaugiensem data. Gebehardus, Altmannus & Thiemo Abbas fuère Romanorum Pontificum adversùs schismaticorum factiones invicti propugnatores, ut liquet ex Annal. Ecclesiast. & præcipuè ex Vita Sancti Gebehardi à Canisio Tom. II Antiq. Lect. edita, & ex Vitis SS. Altmanni & Thiemonis à Tengnagelio Ingolstadii post Baronii mortem publicatus. Denique *Odalricus* seu Udalricus Clunia-

SÆC. XI
An. C. 1091.

censis Monachus sanctitate Clarus scripsit libros tres *Antiquarum Cluniacensis cœnobii Consuetudinum*, Tom. IV Spicilegii à Dacherio publici juris factos, qui in Prolegomenis de eo agit.

IX. *Concilium Legionense.*

Post mortem *Garsiæ* Gallæciæ & Lusitaniæ Regis, quæ mense Martio superioris Christi anni contigit, ut anno MLXXII num. XII ostendimus, corpus ejus Legionem deportatum est, *cujus funeri ambæ sorores, Urraca scilicet & Geloyra more Regio occurrentes, & Renerio Romanæ Ecclesiæ Legato, qui postea Papa effectus est* (sub nomine Paschalis II) *& cum Bernardo Toletano Archiepiscopo, aliisque comprovincialibus Episcopis & Abbatibus Legione Synodum celebrabat* (idest, celebravit), *omnibus pro ejus anima Deo salutarem hostiam offerentibus, corpus ejus in eadem urbe cum Proceribus suis sepulturæ honorificè tradiderunt, erâ MCXXIX* (hoc scilicet Christi anno, licet superiori è vivis excessisset). *In prædicta verò Synodo almi Sacerdotes de fide Catholica colloquentes, statuerunt, ut secundùm Regulam beati Isidori Hispalensis Archiepiscopi Ecclesiastica Officia in Hispania regerentur. Statuerunt etiam, ut scriptores de cetero Gallicam litteram scriberent, & prætermitterent Toletanam in Officiis Ecclesiasticis, ut nulla esset divisio inter ministros Ecclesiæ Dei*, inquit Lucas Tudensis, qui tamen jam perperàm scripserat, Garsiam Legionem venientem in itinere mortuum esse. Celebratum itaque hoc anno *Concilium Legionense*, cujus Baronius non meminit, cuique præfuit *Renerius Legatus & Romanæ Ecclesiæ Cardinalis*, inquit Rodericus lib. 6. cap. 30.

X. *Explicatur primum ejus Decretum.*

Duo in hoc Concilio constituta, quorum primum respicit Officia Ecclesiastica; alterum Gallicam litteram, quæ usurpari jubetur. Priori, Regula Sancti Isidori de Officiis Ecclesiasticis, ad cujus præscriptum ea administrari deberent, servanda præcipitur, ubi Eminentissimus Cardinalis de Aguirre Tom. III. Concil. Hispan. pag. 298. intelligit Epistolam ejusdem sancti Isidori ad Laudefredum Episcopum Cordubensem, in qua agit de omnibus & singulis Officiis Ecclesiasticis, & proprias uniuscujusque functiones exponit. Quarum disciplina & executio cùm jam obliterata, aut neglecta aliquibus retro seculis, propter irruptionem Saracenorum, & bella cum iis assidua, in Hispania fuisset, in hoc Concilio instauratur. Porrò Regula Sancti Isidori quædam Regulæ Sancti Benedicti mitigatio erat, ut notat Hugo Menardus in Concordia Regularum pag. 72. ad hæc verba, *non multùm differt à Sancti Benedicti Regula*, & rursùs ad ista ejusdem Isidori, *quisquis vestrum illam universam Veterum disciplinam contendit appetere, pergat inquantum placet, & arduum illum limitem atque angustum levigato cursu incedat. Qui verò tanta jussa priorum explere nequiverit, in hujus limitis disciplinam gressum ponat .... Quapropter sicut illa præcepta priorum perfectum reddunt & summum; ita facient ista vel ultimum.* "Ad quæ Menardus "habet: Innuit Sanctus Isidorus Regulam ad "captum imperfectorum & infirmorum à se "compositam fuisse; quod confirmatur auctori-"tate Sancti Braulionis Episcopi Cæsaraugusta-"ni, cùm agit de Scriptis Sancti Isidori; *mona-"stica Regulæ librum unum, quem pro patria usu, "& invalidorum animis decentissimè* temperavit. "Ita Menardus.

XI. *Explicatur*
secundum Decretum.

"Quoad alterum Decretum, hæc scribit eru-"ditissimus Cardinalis citatus: Mutatio primùm "statuta in hoc Concilio Legionensi, non fuit "penès Officium Divinum, sed solùm quoad "litteras; sive characteres, qui eo usque erant "Toletani, sive proprii Mozarabum: verùm ab "hoc tempore derelicti fuerunt in Officiis Ec-"clesiasticis, & mutati in Gallicanos, commu-"nes fere tunc in Ecclesia. Hoc enim indicat "Tudensis ipse postremis illis verbis: *ut nulla "esset divisio inter ministros Ecclesiæ Dei.* Hæc "enim causalis omninò extra rem esset, nisi eo "usque in aliis regionibus libri officiorum Divi-"norum in Choris Ecclesiarum usitati, & Mis-"salia quælibet, ac Breviaria, scripta essent "Gallicis litteris. Ita Card. doctissimus. Character Gothicus littera Toletana appellabatur, ut Officium Gothicum Toletanum dicebatur. Monachi Cluniacenses, qui magna in Hispania auctoritate pollebant, quique natione Galli erant, usus Gallicos, quantum poterant, introducebant. Sed hoc Synodi Legionensis decretum receptum non fuit, sicuti nec Edictum Statuum Regni anno MCI Legione congregatorum, ut ibidem videbimus, ideoque *Alphonsi* VI Regis Legionis, Castellæ & Gallæciæ conatus irritus fuit.

XII. *Initium Imperii Almoravidum in Hispania.*

Jussefus Marochii Rex & Almorabitarum seu Almoravidum Imperator, anno post captum à Christianis Toletum, ex Africa in Hispaniam transiit, uti refert Nowerius Scriptor Arabs, magnæ auctoritatis, adhuc ineditus; & Cæsaraugustam, Granatam, aliasque Urbes occupavit in bello, quod adversus *Alphonsum* VI Castellæ & Legionis Regem gessit. *Almorabitæ* autem ex Africa interiori & magno Deserto, Arabicè *Sahra*, ac regione *Lemta*, aut *Lemtuna*, cujus Leo Africanus mentionem facit, oriundi, religionem suam reformare volentes, Calipharum Abasinorum *Bagdadum* incolentium partes secuti sunt, nihilque omiserunt, ut Caliphas è *Fatemida* descendentes, & *Cairum* habitantes, exterminarent. Sed de *Almorabitis* seu Almoravidibus fusiùs infrà. Videantur chartæ Geographicæ hodiernæ, ubi *Lemta* & *Desertum Africæ* exhibentur, & legatur Sandovallius in Chronico Alphonsi VI, separatim Matriti anno MDC edito. Arsit bellum annis MLXXXIX & currenti, misitque *Jussefus* exercituum suorum Ducem, qui Avenabeth *Hispalis* civitatis Regem vinculis mancipavit, & universam Hispaniam Saracenicam debellavit. Rem narrat Rodericus lib. 6. cap. 31. concluditque: *Cumque Vandalusii* (ita Saraceni Hispaniæ vocabantur) *eorum potentiam perpendissent* (nempe Almorabidum ex Africa evocatorum, *qui in gente Arabum tenebant tunc temporis Principatum*), *adinvicem tractaverunt, quid esset gratius, aut Christianorum porcos, aut camelos Almoravidum custodire, & secta sua zelo commoti servire Almoravidibus elegerunt. Et ex tunc* (nempe ex anno Christi currenti) *Ultramarini & Cismarini* (nempe Saraceni) *sub unius Regis regimine servierunt.* Hoc itaque anno, ut habet idem Rodericus in Hist. Arab. cap. 48. Josephus seu Jussefus Marochiorum Rex *totam terram Vandaliæ occupavit, & fuit Monarcha Ultramarinus & Cismarinus, & duravit sibi hujusmodi monarchia annis LV, ab anno Arabum quadringentesimo octuogesimo quarto* (currenti Christi anno inchoato) *quando per Almohades dominium perdiderunt*, nempe Arabes Hispaniam occupantes, quos Rodericus, aliique Rerum Arabicarum Scriptores, *Vandalos*,

& Hi-

& Hispaniam *Vandaliam* appellant. Hæc rerum conversio valde notanda ob mala, quæ inde in Christianos redundarunt, & quia ex tunc universa Hispania Saracenica unius dominio subdi cœpit. Porro anni illi LV non de duratione Regni Josephi, sed de duratione Monarchiæ Almoravidum intelligendi, ut ex dicendis constabit.

XIII. *Rogerius Comes Saracenos ex universa Sicilia pellit.*

Dum *Saraceni* mutuis se se cladibus in Hispania lacerant, *Rogerius* Calabriæ Comes eos ex universa Sicilia expellit, totiusque Insulæ monarchiam adipiscitur. Omnia jam sibi oppida, *Agrigento* & *Castro Joannis*, seu *Enna* exceptis, superioribus annis subjecerat. Hæc enim duo ultima fuêre, quæ Christianis restiterint; sed tandem *Agrigentum* anno MLXXXVIII, & hoc anno, Hegiræ CCCCLXXXIV, ut refert Noweirius in Historia Siciliæ, *Castrum Joannis* post validam oppugnationem se dedidêre. In potestate tamen Saracenorum remansêre Insulæ Africam inter & Siciliam positæ, quæ quidem à Christianis devastatæ, sed Saracenis non ereptæ ante Principatum *Rogerii* filii Rogerii hujus nominis primi, qui *Melitam* & finitimas Insulas ad deditionem coegit. Verum quidem est, non deesse, qui scribant, Melitam Gregorio VII Ecclesiam Romanam gubernante & Rogerio I Calabriæ Comitatum administrante, captam fuisse, ibique tunc *Goffridum* quemdam constitutum Episcopum: " *Legimus*, inquit Pyrrhus Tom. II pag. 593. *in Epistola XXIV lib. IX Papæ Gregorii VII, atque in Siculis Tabulis anno salutis MLXXXI Goffridum Episcopum Melitensis Ecclesiæ, eumdemque anno MXCIV Ecclesiæ Pactensis erectioni & templi Sancti Stephani de Bosco Calabriæ consecrationi interfuisse.* " Sed jure merito subdit: *Hunc planè Antistitem Meliti seu Mileti Calabriæ, non nostræ Siculæ fuisse censeo.* Postea ait: *Anno MLXXXIX Gualterium primum Ecclesiæ Melitensis thronum adeptum esse ex electione Rogerii Comitis, qui Ecclesiam Cathedralem multis prædiis in utraque insula existentibus dotavit.* At ipsemet addit: *Harum concessionum diplomata, licet omnium aliarum Ecclesiarum Siciliensium invenerim & exscripserim..., exactâ diligentiâ, studio, sollicitudine usus reperire non potui.* Refert deinde varias Chartas, in quibus mentio Episcoporum Melivitanorum, aut Miletinorum. Verùm voces hæ *Melitensis*, *Militensis*, *Milevensis*, similesve æquivocæ sunt, & tam de Melita, quàm de Mileto quod & Melita vocatum reperitur interpretari possunt, constatque Ecclesiam insulæ Melitensis anno MLXXXIX. nondum restitutam fuisse, quia Malaterra affirmat, cum Neti, vulgò *Noto*, incolæ urbem Rogerio anno MXC reddidissent, hunc imperasse, ut classis ad Melitam insulam tanquam viciniorem accelerarent. Quare eo Christi anno nondum *Rogerius* eidem dominabatur. Subjungit enim Malaterra, *Rogerium* tunc Melitam obsidione cinxisse, sed constituta pace eam tantum tributariam factam. Tum anno MXCII, seu Hegiræ CCCCLXXXV, teste Noweirio citatu, *Pantarea* insula à Christianis devastata, qui tamen nec ibi, nec *Melitæ* nec in vicinis insulis sedem fixêre.

XIV. *Melita secundo sequente Christiani juris facta.*

Certum est itaque Pyrrhum, quem Fassellus lib. 7. posterioris Decadis, aliique passim secuti sunt, hallucinatum, nondumque hoc seculo Melitensem urbem Episcopalem fuisse, nec ab Urbano II & Rogerio Comite restitutam. Quo anno ea insula Normannorum juris facta fuerit, insinuabo anno MCXXVII num. II. Post sedulam diligentiam, Episcopum Melitensem antiquiorem, quàm Joannem quemdam in privilegio Callixti II anno MCXXIII dato, & à Pyrrho relato memoratum invenire non potui. Goffridus enim, cui successit *Eberardus*, per corruptionem dictus *Beraldus* & alii quidam quorum meminit Pyrrhus, non Melitæ, sed Mileti Episcopi fuêre, ut demonstrant monumenta ab Ughello, qui post Pyrrhi mortem scripsit, Tom. I. Italiæ Sacræ in Episcopis Mileti relata. Subest nunc *Melita* Equitibus Sancti Joannis Hierosolymitani, à Carolo V Imp. eis concessa, ut *Sicilia* à Turcarum irruptionibus tutior esset.

XV. *Joannes Comnenus in consortium imperii adscitus.*

Hoc vel sequenti anno *Alexius* Imp. filium suum *Joannem* in consortium Imperii adscivit, ut liquet ex Diplomate ab Ughello in Archiepiscopis Neapolitanis num. X recitato, in quo legitur: *Imperante domino nostro Alexio magno Imperatore anno XIV, sed & Joanne Porphyrogenito magno Imperatore ejus filio anno III die XVII mensis Septemb. indict. III*, anno nempe Christi millesimo nonagesimo quarto. Alexius jam filias susceperat ex Irene Ducæna, Andronici Ducæ filia ejus uxore, sed, ut inquit Anna lib. 6. pag. 167. *desiderium ipsos incessit votis incensis flagrans, prolis quoque virilis edendæ: cujus & compotes facti sunt currente indictione undecimâ* (Kalendis Septemb. anni Christi MLXXXVII inchoata): *quando Augusta puerum marem enixa, immensa quadam in parentem utrumque lætitia redundavit: ita ut præteriti luctus ipsa memoria novi gratulatione gaudii abstersa erasaque videretur. At populus, ut ad nutus imperantium fingi solet, in omnes lætitiæ significationes effundebatur.* Joannes Comnenus Alexio patri in imperium successit; *Vir*, inquit Guillelmus Tyrius lib. 15. cap. 23. *inclytus, liberalis, pius, clemens & misericors*, de quo suo loco agetur.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6585.

☉ 9. DC. ☽ 10. P. 28. Mart. Indict. 15.

JESU CHRISTI 1091.

URBANI II PAPÆ 5.

HENRICI IV REG. 37. IMP. 9.

ALEXII COMNENI IMP. 12.

Anno Æræ Hispan. MCXXIX. Anno Hegiræ CCCCLXXXV. inchoato die 11. Febr. fer. 5.

I. *Pax inter Henricum Imp. & Mathildem frustrà tentata.*

AD num. I. *Guibertus* Antipapa, uti narrat Baronius ex Bertoldo in Chron. à Romanis Urbe expelli non potuit, & in Longobardia *Henricus Imp.* Welphonis & Mathildis ditiones ferro flammaque devastare non cessavit. Gesta ab Henrico currenti anno accuratè narravit Domnizo lib. 2. cap. 6. & seq. Postquam verna tempestate omnia loca citra Padum posita occupavit, flumen trajicere decrevit, ne *Mathildis* Comitissa, quæ Mutinæ & Regii cum suis copiis versabatur, evaderet, ipseque munitiora loca sibi subjicere posset. Exercitum itaque in agrum Mutinensem induxit, ac Monte Mauello, & monte Alfredi ex Mathildis ditione receptis Montem bellum circumvallavit; ac per totam æstatem obsedit. Sed cùm arma parum prosperè succederent, *Herebertus* Episcopus Regii à *Clemente* Antipapa impulsus, aliis adhibitis Episcopis, pacem in Carpineto tractavit. Promittebat Imperator

peratot omnia loca à se occupata *Mathildi* & *Welphoni* ejus conjugi restituturum, dummodo *Clementem* in amicitiam reciperent. Verùm *Mathildis*, ut suis faceret satis, respondit, se nihil inconsultis Theologis in negotio ita arduo promittere posse; eamque in rem Carpineti aliquot Episcopos, Abbates, & magni nominis Monachos convocavit, ab iisque sciscitata est, an ad conditionem sibi propositam descendere posset. *Herbertus* Regiensis Episcopus, vir magnæ existimationis, & præclaris animi dotibus præditus, jam alios in suam sententiam pertraxerat, ipsamque Comitissam ad propositam conditionem admittendam induxerat, cùm Eremita quidam *Joannes* appellatus, cujus virtutem Comitissa plurimùm faciebat, ei in animum revocavit, quod aliàs Gregorio VII pollicita fuerat, se nempe ab Ecclesiæ Catholicæ obedientia nunquam recessuram, quantavis adversitate premeretur; eique insignes victorias prædicens, ad bellum prosequendum eam inflammavit.

II. *Mathildis castra ab Henrico capta recuperat.* Ea re *Henricus* Imp. magis irritatus, confestim filium ad Montem-bellum oppugnandum misit; Domnizo ejus nomen tacet, sed testatur, illo dum oppidum aggrederetur occiso, Imperatorem obsidionem solvere coactum fuisse, & castellorum Mutinensium oppugnationem omittere. Ubi verò confectis filii exequiis paulisper luctus, mœrorque resedit, cùm se Parmam contendere simularet, *Cabilianum* repetiit, ut inopinato adventu *Canussium*, ubi Comitissa erat, invaderet, quod ubi ea persensit, Canussii præsidio relicto, cum altera copiarum parte *Bibianellum* profecta est. Imperator interea Canussio exercitum admovit, ac prœlio cum præsidio edito, multos ex suis, & imprimis vexillum ipsum amisit. Qua re mirificè perturbatus, *Monticulum* se, ac postridie *Bibianum* recepit: & collectis sub lucem vasis, cis Padum exercitum omnem reduxit. Quo animadverso *Mathildis* statim omnia sua castra trans Padum sita nullo negotio recuperavit, ut fusè prosequitur Domnizo.

III. *Ivo fit Episcopus Carnotensis.* A num. II ad XII. *Gotfredus* Episcopus Carnotensis & nepos Gotfridi Parisiensis Episcopi, hujus gratia & auctoritate Episcopatum adeptus fuerat, frustrà ejusdem dignitatis candidatis eum simoniæ arguentibus; sed tandem *Urbano* II Ecclesiam Romanam regente è Sede dejectus est. Romam ipse venerat, ut accusationis injuriam coram summo Pontifice depelleret; sed *Ivo* ejus successor, decus & ornamentum Galliæ, testatur eum, cùm se se purgare non valeret, virgam Pastoralem & annulum reddidisse, ut legitur in ejus Epistola octava, quod & ipsemet *Urbanus* in Epistola à Baronio num. III & seq. recitata affirmat. *Gotfrido* itaque, & suo & summi Pontificis judicio è Sede Carnotena dejecto, facta est potestas Clero Carnotensi alterius subrogandi, & *Ivo* omnium calculis electus. Renitebatur quidem, sed tandem Cleri, populique postulationi obtemperavit. Verùm licet à Rege accipiendi Episcopatûs facultatem facilè obtinuerit, nusquam tamen à *Richerio* Senonensi Archiepiscopo Metropolitano suo impetrare potuit, ut diem illi ad consecrationem præfigeret, quod ipsemet Ivo in Epist. VIII scribit, & his verbis Metropolitam suum alloquitur: *Sed cùm Clericorum primo ingenio, postea violentiâ Regi fuissem præsentatus, & inde cum virga Pastorali à Rege mihi intensa, ad Ecclesiam Carnotensem adductus, eorumque Clericis petentibus & pulsantibus nullum diem consecrationis meæ velletis præfigere, interea consilium mihi fuit, electioni eorum non omnimodè assensum præbere, donec certus fierem, & de Gaufridi depositione, & de summi Pontificis voluntate: ad quem cùm pervenissem, ad petitionem Ecclesiæ Carnotensis Apostolica auctoritate sum constrictus, & in Episcopum consecratus.* Epistolam illam recitat Baronius num. VI & seqq. qui antea num. III & seq. retulerat Epistolam Urbani II Clero & populo Carnotensi, *Capua octavò Kalendas Decemb.* datam, qua testatur se Ivonem consecrasse, rogatque, ut eum benignè suscipiant, ac præcipit, ne quis Gotfrido ad Episcopatum rursus invadendum *assensum accommodare præsumat.*

IV. *Non sequenti anno.* Hæc certa & indubitata; sed magna difficultas est de anno, quo *Ivo* Episcopus Carnotensis *Capuæ* ab Urbano II consecratus fuit, postquam hoc Richerius præstare noluit. Baronius præsentem elegit, cujus opinionem Sirmondus in Notis ad lib. 2. Epistolarum Goffridi Vindocinensis Abbatis amplexus est, advertitque consecrationem hanc in annum sequentem differri non posse, quòd in Decreto Urbani II de controversia Credonensi inter Monachos sancti Albini & Vindocinenses, à se publicato, & nunc Tom. X Concil. pag. 462. relatò Pontifex dicat: *Anno dominicæ Incarnat. MXCII Pontificatus nostri V. indict. I cùm essem in provincia Calabriæ apud monasterium sanctæ Mariæ, quæ dicitur de Mattina, Monachi Sancti Albini*, &c. & in fine legatur: *Data Tarenti VIII Kal. Decemb.* Quare Epistola Urbani II octavo Kalend. Decemb. Capuæ data, qua se Ivonem Episcopum ordinâsse ait, pertinere non potest ad annum MXCIII; cùm Urbanus eo anno & die Tarenti esset, non vero Capuæ. Huic rationi aliam adjungit Sirmondus, quod nempe Ivo in Epistola LXVII Urbano II anno MXCIV ut ipse credit, scripta, dicat: *Ecce jam hoc transacto septennio vineam mihi commissam pro posse meo excolui*, ubi, inquit Sirmondus, Ivo septem annos à suscepto Episcopatu exactos esse affirmat, qui numerus non constaret, si anno MXCIII ad Episcopatum evectus fuisset. Verùm hæc ratio, cui etiam innititur Baronius anno MXCIX num. I non minus jugulat opinionem Ivonis ordinationem cum anno MXCIII, quàm cum anno MXCII alligantium. Si enim Ordinatio hæc mense Novembri currentis anni peracta supponatur, Ivo septimum ordinationis annum mense tantum Novembri anni millesimi nonagesimi noni, explevit, cum tamen eo Christi anno, mense Julio Urbanus II vivere desierit, ideoque ad eum Ivo eam Epistolam absolutum ordinationis suæ anno septimo scribere non potuerit. Quod eò magis dicendum, quò ex ejus lectione constet, eam post Natale Christi datam fuisse. Ex illa itaque Ivonis Epistola, utraque illa opinio planè evertitur.

V. *Neque currente.* Ad hæc in Epistola Urbani II ad Raynaldum Archiep. Remensem & suffraganeos ejus, *Data sexto Kalendas Novemb. anno videlicet Dei Christi MXCII*, ut in fine ejus legitur, Tom. X Concil. pag. 463. relata, in qua Pontifex eis præcipit, ut Philippum Galliarum Regem ob illicitas cum *Bertrada* nuptias instanter commoneant, & à tanto facinore desistere compellant, legitur: *Eamdem quoque instantiam pro ereptione confratris nostri Carnotensis Episcopi* (scilicet Ivonis) *adhibete.* Quare cùm Epistola ejusdem Urbani II

à Baronio

à Baronio recitata, dataque *octavo Kal. Decemb. Capuæ* fidem faciat, Jvonem ante diem illum, qui XXIII mensis Novembris erat, jam ab eodem Pontifice Episcopum Carnotensem ordinatum fuisse, manifestum est, *Jvonis* ordinationem ante præsentem annum peractam. Denique San-Marthani in Episc. Carnotensibus testantur in veteri Charta Sancti Quintini, ubi Ivo Canonicus Regularis, & postea Abbas fuit, hæc verba legi: *Actum an. MXCI indict. XIV, regnante Philippo, in Ecclesia B. Quintini, Jvone existente Abbate, tunc Carnutensium Præsule.* Certò itaque constat, *Sigeberti* Interpolatorem perperàm ejus Chronico Jvonis ordinationem in præsentem annum inseruisse.

VI. *Sed anno MXC.*

Jvonem autem anno millesimo nonagesimo Capuæ ante diem XXIII mensis Novembris ab Urbano II Episcopum consecratum, demonstrat Charta CLXX Chartularii monasterii Vindocinensis, quam memorat Joannes Baptista Soucherus in Notis ad Epistolam XII Jvonis, ad Urbanum II. datam, quæ Jvonem testem producit *anno MXCI indict. XIV feriâ VI hebdomada Paschalis.* Cùm enim Urbanus II in literis VIII Kalend. Decemb. *Capuæ* datis asserat, se Jvonem ordinasse, & ex Charta Vindocinensi pateat, eum hebdomade Paschali superioris Christi anni jam Episcopum fuisse, profectò ea Urbani Epistola & *Jvonis* consecratio pertineat ad mensem Novembrem anni millesimi nonagesimi, & forsàn ad octavum Kalend. Decemb. qui eo anno in Dominicam cadebat; certè non longè ab ea die. Præterea Soucherus in Notis ad Epistolam CCLXVIII refert penes se esse Chartam pro quadam Ecclesia Carnotensi datam *anno ab Incarnat. Domini MCXIV, ordinationis verò domini Paschalis Papæ XVI, atque ordinationis domini Jvonis Carnotensis Episcopi XXV.* Qua ex Charta idem ac ex mox laudata certò deducitur, Jvonem sc. alio anno Episcopum dictum non esse, quàm anno MXC. Postquam itaque anno MXC *Urbanus* Jvonem consecravit, ea de re literas scripsit ad Clerum populumque Carnotensem, ut illum Episcopum in *Gotfridi* depositi locum reciperent. Idem quoque scripsit ad *Richerium* Archiep. Senonensem, significavitque se id egisse, quoniam *Ivo* ab ipso, qui ejus Metropolita erat, consecrationem impetrare non potuerat: postulavit, ut ipsum amplecteretur, ac decrevit anathema *Gotfrido* ac ejus fautoribus, si Episcopatum aut invadere aut infestare tentaverit, aut si illi auxilium ei hac in re præstarent. Dicebat *Richerius* Jvonem in Cathedram Gotfridi intrusum esse, ejusque benedictionem *hostili dignam irrisione*, ad quæ gravissimè rescripsit Ivo Epistolâ VIII, à Baronio num. VI & seqq. recitata, dicens se vehementer dolere, quod non tam se, quàm auctoritatem Apostolicam læderet: *Gotfridum* fuisse ramum aridum, qui in radice arboris nunquam coalnerit, qui fructum nusquam fecerit, quique propterea manu magni cultoris excisus sit. Eum deinde vehementer redarguit, quòd causam Gotfridi defendat, hunc fuisse caprum emissarium, *cujus adulteria, fornicationes, perjuria, proditiones per omnem fermè Ecclesiam publicata sunt*; & ordinationem suam ritè à Summo Pontifice factam esse defendit. His non contentus Richerius Synodum *Stampis* congregavit, & Jvonem damnavit, ut anno sequenti, juxta Baronii ordinem, ostendemus.

VII. *Ivo ante Episcopatum Canonicus Regularis & Abbas.*

Cæterùm *Ivo*, ut scribit Joannes Fronto in ejus Vita, ultimæ editioni Operum illius Parisiis factæ præfixa, in agro Bellovacensis natus, à nobili sanguine nobilem animum traxit, & adolescens literis humanioribus imbutus, atque in Philosophia versatus, *Lanfranco* Magistro Theologiæ operam dedit in monasterio Beccensi, quam & ipse postea docuit. Cùm verò *Guido* Bellovacensis, quondam Augustæ Veromanduorum in Ecclesia Sancti Quintini Decanus Bellovacensis Episcopus dictus fuisset, in memoriam Sancti Quintini monasterium construxit, concessitque prædiis Canonicos illic instituit, eisque præfecit *Jvonem*, qui monasterium paternis possessionibus auxit, & in illud vitam regularem, quam plures alii Canonici in Gallia amplectebantur, intulit. Huic Monasterio præfuit *Ivo*, modò Prælatus, ut in Privilegio Philippi Francorum Regis, modò Præpositus, ut in Rescripto Gregorii VII, modò Abbas, & quidem frequentiùs, dictus. Tanta autem monasterii illius & Ivonis pietatis ac canonicæ observationis fama fuit, ut multa monasteria ascitis inde Canonicis aut ædificata, aut instaurata, fuerint, & ipse ad Episcopatum Carnotensem evectus, non quidem præsenti anno, ut in ea Vita, legitur, sicuti & in plerisque modernis Scriptoribus, sed anno MXC, ad quem ideo retrahenda sunt, quæ hîc de Jvonis Episcopatu in medium attulimus.

VIII. *S. Bruno Romam ab Urbano II evocatur.*

Ad num. XII. *Cùm non totos sex annos in* exigua sua & sancta sodalitate Sanctus Bruno Cartusiensium Fundator exegisset, Urbanus II, *qui olim beati viri discipulus fuerat* accivit eum *per literas ad sancta Ecclesiæ præstanda officia graviter præcipiens, ne venire ad Urbem cunctaretur.* Sed cùm eo recedente ejus socii nullam consolationem admitterent, nec in Cartusia manere vellent, locum Bruno dedit *venerabili viro Siguino Abbati Casæ Dei, qui fuit unus ex primis donatoribus: sed in tamen id fecit, ut omnino constitueret reverti cum suis ad Cartusiam.* Hæc Auctor Vitæ Sancti Brunonis apud Surium cap. 16. & seqq. ad diem VI mensis Octobris. Quod confirmat Auctor Anonymus Libelli *de Institutionibus Ordinis Cartusiensis*, à Labbeo Tom. I Biblioth. pag. 638. publicatus, qui ait: *Relicto seculo eremum Cartusiæ fundavit, & rexit sex annis. Qui cogente Papa Urbano, cujus quondam preceptor fuerat, Romanam perrexit ad Curiam.* Baronius, qui Ordinis Cartusiani fundationem cum an. MLXXXVI illigavit, hæc ad præsentem retulit. Verùm jam ostendimus, eam biennio antea factam fuisse, ideoque Bruno anno MXC Romam ab Urbano II vocatus fuit. Utrumque indubitatum reddit Charta à Joanne Columbi in Dissert. de Cartusianorum initiis num. CVIII producta, quâ Siguinus Abbas Cartusiam Sancti Brunonis sociis restituit, in qua legitur: *Ego frater Siguinus Abbas Casæ Dei, notum fieri volo præsentibus & futuris, quod frater Bruno à D. Papa Urbano Romam evocatus, videns loci destitutionem, Fratribus recedentibus propter absentiam ejus, dedit locum Cartusiæ nobis, & Congregationi nobis commissæ.* Paulò pòst: *donum, quod nobis prædictus Bruno fecerat, coram Congregatione nobis commissa, in Capitulo nostro, sub præsentia Gratianopolitani Episcopi Hugonis, ego ipse frater Siguinus prædictæ Casæ Dei Abbas, cum consensu fratrum nostrorum reliqui.* In fine dicitur: *Factum est anno ab Incarnat. Domini MXC, XV Kal. Octob.*

Ego

Ego Siguinus Abbas subscripsi, & in præsentia Archiepiscopi Hugonis (sc. Lugdunensis Archiepiscopi ex Episcopatu Diensi in illam Ecclesiam translati) *hanc Chartam ex integro confirmavi.* Porrò Casa Dei celeberrimum Diœcesis Claromontensis in Arvernia monasterium, à *Sancto Roberto*, ut suo loco diximus, ædificatum fuit, in eoque *Sanctus Hugo* Episcopus Gratianopolitanus vitam monasticam egit.

IX *Institutio Lundensis Archiepiscopatus.*

Ad num. XIII & seq. *Olaus* cognomento *Famelicus*, Daniæ Rex anno MLXXXVI Sancto Canuto successit, & *bis penè lustrum*, teste Saxone Grammatico lib. 12. regnavit, ideoque mors ejus ad annum MXCV, aut insequentem spectat. Hunc excepit Ericus. *Fortè autem Hamburgensis Antistes* (nempe Liemarus) *ob inanes & falsas suspiciones Ericum execratione mulctandum censuerat. Quod veritus Rex appellatione sententiam præcucurrit, Romamque è vestigio petivit: ubi causa sua examine diligentiùs habito, Pontificis accusationem potenter repulit, cunctisque defensionis partibus actore superior redut,* inquit Saxo Grammaticus pag. 226. post multa interposita subdit: *Ne Dani sub externo Pontifice sacrorum munera celebrarent, missis ad curiam Legatis, in ornamentum domesticæ religionis maximi sacerdotis insigne expetendum curavit.* Romà Legatus in Daniam missus, qui Archiepiscopatum Lundiæ, vulgò *Lunden*, quinque leucis Hafnia distans, fundavit, quòd ad eam è finitimis regionibus terra marique transitus abundè pateat. *Nec solum eam Saxonica ditione eruit; sed etiam Suetiæ, Norvegiæque religionis titulo magistram effecit.* Archiepiscopatus itaque Lundensis post annum MXCV, quô *Ericus* cognomento *Bonus* Daniæ Regnum suscepit, incerto anno institutus est. *Lundis* Scaniæ provinciæ civitas, nunc à paucis, teste Meursio, inhabitata sensim deficit.

X. *Ivo mense Novembri ab Urbano II Capuæ consecrari non potuit Episcopus.*

Ad num. XV & seqq. Urbanus II Basilicam Salerni in honorem Sanctissimæ Trinitatis erectam consecravit, ut liquet ex ejus Diplomate à Baronio recitato, in cujus fine habetur: *Datum Salerni per manus Joannis S. R. E. Diaconi Cardinalis XVIII Kalend. Octob. quinta decima indictione, anno dominicæ Incarnat. MXCII, Pontificatûs domini Urbani Papæ II anno quinto.* Sed error est in indictione, legendumque, *indictione prima*, Kalendis Septemb. hujus Christi anni inchoata. Cùm autem ex Decreto Urbani II *Tarenti VIII Kal. Decemb.* anno MXCII dato, & suprà à nobis memorato, constet eum *XII Kalendas Decemb.* currentis Christi anni *in Anglone civitate Apuliæ* fuisse, quæ civitas nunc excisa, posita erat in Lucania, hodie Basilicata provincia appellata, apparet verosimile non esse hoc anno Urbanum II Capuæ versatum esse, certumque & indubitatum, eum in ea urbe mense Novembri *Ivonem* Episcopum Carnotensem consecrare non potuisse, ideoque hujus ordinationem ab anno MXC imposterum removendam non esse.

XI. *Alexius Imp. Principum Occidentalium auxilium adversus Turcas expostit.*

Ducangius in Notis ad lib. VII Alexiadis profert ex codice MS. Roberti monachi Epistolam, quâ Alexius Imp. Robertum Flandrensem Comitem, ceterosque Orbis Christiani Principes, ad suppeditandum contra Saracenicas gentes promissum toties urget auxilium, cujusmodi plures eodem argumento scripsisse literas ad Urbanum II testatur Urspergensis. In ea Alexius exponit quæ Christiani à Turcis in Oriente patiantur, & inter alia ait: *penè tota terra in Hierusalem usque Græciam, & tota Græcia cum suis regionibus superioribus, quæ sunt Cappadocia Minor, alia Major, Phrygia, & Bithynia, & Major Phrygia, id est Troja, Pontus, Galatia, Lydia, Pamphylia, Isauria, Lycia, & Insulæ principales Chyo & Mitylena, & multa aliæ Regiones & Insulæ, quas non valemus modò computare, usque Trojam quæ ab eis jam invasa est. Et fortè nihil remansit nisi Constantinopolis, quam ipsi minantur citissimè nobis auferre, nisi auxilium Dei, & fidelium Christianorum Latinorum celeriter subvenit. Nam & Propontidem, quæ & Avidus dicitur, & ex Ponto juxta eamdem Constantinopolim in Mare Magnum decurrit, cum ducentis navibus invaserunt, quas Græci ab eis deprædati fabricaverunt, & remigiis, velint nolint, deducunt, & minantur, tam per terram, quàm per eamdem Propontidem Constantinopolim,* (ut diximus) *velociter capere. Hæc plura de innumerabilibus malis, quæ hæc impiissima gens agit, diximus & scripsimus tibi, Comes Flandrensium, Christianæ fidei amator.* In argumento verò Epistolæ Robertus monachus ait: *Hoc exemplar Epistolæ quarto anno ante gloriosum Hierosolymitanum Iter à Constantinopolitano Imperatore omnibus occidentalibus Ecclesiis directum est. præcipuè tamen Flandrensi Comiti Roberto: ipse enim Comes jam redierat à Sepulchro Domini in baculo & pera, in quo itinere se viderunt, & affabile atque amicabile colloquium adinvicem habuerunt.* Peregrinationem Hierosolymitanam suscepit Robertus anno MLXXXV, à qua necdum reducem fuisse anno MLXXXIX, auctor est Meyerus lib. 3.

XII. *Canonici Regulares S. Augustini multiplicantur.*

Rabodus Episcopus Tornacensis videns *Magistrum Odonem* Aurelianensi civitate oriundum, qui scholæ Tornacensi ferè per quinquennium magno plausu docuerat, cum quinque suis Clericis secularem vitam velle relinquere, eis concessit Ecclesiam in honorem Sancti Martini, quæ aliàs à Barbaris eversa fuerat, *eamque eis liberam, & Episcopali Privilegio confirmatam coram omnibus tradidit, sicque eos ibidem sub Regula Sancti Augustini canonicè in habitu Clericali Deo servituros dimisit. Facta vero sunt hæc anno Domin. Incarnat. MXCII Apostolicæ Sedi præsidente Papa Urbano, Remensi verò Archiepiscopo Rainaldo, Tornacensi ac Noviomensi Episcopo domno Rabodo*, inquit Herimannus Abbas Abbatiæ Sancti Martini Tornacensis qui medio circiter seculo sequenti scripsit Narrationem *Restaurationis Abbatiæ Sancti Martini Tornacensis* à Dacherio Tom. XII Spicilegii recitatam. Sic passim alibi *Canonici Sancti Augustini* multiplicabantur, nullum formantes Ordinem seu Congregationem plurium monasteriorum ab uno communi capite pendentium, cum aliis Canonicis Sancti Augustini nihil commune habentes præter propositum vitæ in communi ducendæ, juxta Ecclesiasticos Canones, licet quidam Regulam Sancti Augustini, quæ progressu temporis communis omnibus Canonicam vitam regulariter ducentibus facta est, profiterentur. Fuêre tamen variæ Congregationes hujusmodi Canonicorum, uti San Rufiana, de qua anno MXXXIX locuti sumus, Congregatio B. Petri de Honestis, Sancti Salvatoris apud Bononiam, Lateranensis, & aliæ quædam.

XIII. *Dialectici*

Porrò *Odo*, qui & Odardus appellabatur, in

SÆC. XI. An C. 1093. *in Reales & Nominales divisi.*

Dialectica eminebat, & de ea tres libellos composuit, uti refert idem Herimannus pag. 361. sed cùm aliqui jam hoc tempore Nominales, alii verò Reales vocarentur, his ultimis adhæsit: *Eamdem Dialecticam non juxta quosdam modernos in* voce, *sed more Boethii, antiquorumque Doctorum in re discipulis legebat: unde & Magister Rainbertus, qui eodem tempore in oppido Insulensi Dialecticam Clericis suis in* voce *legebat; sed & alii quamplures Magistri ei non parum invidebant, & detrahebant, suasque lectiones ipsius meliores esse dicebant.* Paulò pòst: *Denique domnus Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus in libro,* " *quem fecit de* Verbi Incarnatione, *non Dialecticos hujusmodi Clericos, sed Dialectica appellat hæreticos,* Qui nonnisi flatum, *inquit*, universales putant esse substantias, *dicens eos de sapientum numero meritò esse exsufflandos.* Quare jure meritò divus Thomas I part. quæst. 14. art. 15. ad tertium Nominalium sectam veterem appellat: *Antiqui Nominales dixerunt*, &c. Dein Odo Ordinem Cluniacensem in suum monasterium introduxit, & post aliquot annos Episcopus Cameracensis creatus est, ut anno MCIX videbimus, & de Operibus ab eo editis verba faciemus.

Anno Eræ Hispan. MCXXXI. Anno Hegiræ CCCCLXXXVI. inchoato die 1. Febr. fer. 3.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6586.

☉ 10. B. ☽ 11. P. 17. April. Indict. 1.

JESU CHRISTI 1093.

URBANI II. PAPÆ 6.

HENRICI IV REG. 38. IMP. 10.

ALEXII COMNENI IMP. 13.

I. *Concilium Troianum.*

AD num. I. Unicum Urbano II sedente Concilium *Troja* in Apulia congregatum esse, jam anno MLXXXIX indicavimus: illud verò ad præsentem annum pertinere docent, non tantum Bertoldus & Romualdus in suis Chronicis, à Baronio citatis; sed etiam verba, quæ Labbeus Tom. X Concil. pag. 493. ex quodam Codice MS. profert: *Anno dominicæ Incarnat. MXCIII, V Idus Martii convenit Troiæ in Apulia Concilium Episcoporum ferè LXX, Abbatum XII.* Subditur ibidem, actum in eo fuisse *de quibusdam intra consanguinitatis lineam copulatis*, & aliqua Capitula promulgata, inter quæ hoc unum fuit: *Si quis Treviam Dei* (seu Treugam Dei) *fregerit, usque tertiò ad satisfactionem ab Episcopo moneatur. Quod si nec tertiò satisfacere consenserit, Episcopus vel cum Metropolitani consilio duobus aut uno vicinorum Episcoporum in rebellem anathematis sententiam dictet, & per scripturam Episcopis denunciet.*

II. *Conradus in Henricum Imperatorem patrem rebellat.*

A num. II ad VII. Auctor Anonymus Vitæ Henrici Imp. de eo scribit: *Relicto in Italia filio Conrado* (anno sc. superiori) *jam tum regni sui herede designato, regressus est, scilicet qui se grassanti Mathildi, & penè totam Italiam sibi vendicanti, opponeret, & regnum quod futurum erat suum, de manu fœminæ tolleret.* Paulò pòst: *Filius Imperatoris, quem in Italia relictum à patre, & quam ob causam relictum diximus, à Mathilde persuasus* (*quem enim astutia fœminea non subvertat, aut decipiat?*) *jancti*s *inimicis patris,* (legendum junctus), *coronam sibi imposuit.* Hujus defectionis causam iste Encomiastes tacet, sed eam Dodechinus & Helmoldus, Scriptores natione Germani, iis temporibus ferè proximi, prodiderunt. Henricus, cùm acerbum in *Adelaidem* conjugem, *Praxedem* etiam ab Auctoribus coætaneis appellatam, odium concepisset, & ad cetera illata probra Nicolaitarum more multis eam stuprandam prostravisset, idem Conrado filio, ut faceret, imperavit; eumque se tanto scelere obstringere recusantem filium suum esse negavit. Conradus itaque patri suo rebellans ad Urbanum Papam venit, & Mediolani coronatus est, *annuente*, inquit Bertoldus, *Welphone Duce Italiæ, & Mathilda ejus charissima conjuge.* Ab hoc tempore Catholicorum arma in Italia prævaluêre; cumque *Welpho senior* Bajoariæ Dux in Italiam descendisset, copiasque suas cum Mathildis & aliorum fœderatorum copiis junxisset, Henricum Imp. ad magnas angustias redegit. *Æquiori ut videbatur,* inquit Malmesburiensis lib. 3. de Reg. *causæ affuit militum Mathildis Marcisa* (idest Marchionissæ; his enim temporibus voces Marchionis, Comitis & Ducis ad idem significandum usurpabantur), *quæ oblita sexûs, nec dispar antiquis Amazonibus, ferrata virorum agmina in bellum agebat fœmina; ejus posteriori tempore suffragio Urbanus thronum adeptus Apostolicum, securum per undecim annos actitavit otium.* Urbanum autem in Urbem receptum esse, docet Baronius ex Bertoldo in Chron.

III. *Ivo scribit ad Urbanum II pro Willelmo Electo Parisiensi Episc.*

Ad num. VII. Epistola Ivonis XXVI, novo ordine XLIII, ad Urbanum II Papam scripta, & à Baronio recitata, in qua mentio de electione Episcopi Parisiensis, *Willelmi* nempe, ante annum MXCVI scripta non fuit. *Gotfridus* enim seu Gaufridus ejus Decessor anno tantum millesimo nonagesimo quinto è vivis excessit, idque *Kalendis Maii*, ut ostendit Carolus du Bois lib. XI Hist. Ecclesiæ Parisiensis Cap. I I & seq. Is Ecclesia Carnotensi sub Ivone Episcopo innutritus fuerat, qui ubi accepit se Episcopum electum, cathedram recusare instituit, eamque ob rem ab Ivone Carnotensi consilium petiit. Is ne quid temerè consuleret, misit eum Lutetiam cum quibusdam suæ Ecclesiæ Canonicis, *qui diligenter inquirerent, utrum in eum vota omnia concurrerent, utrum hæc electio mediante pecunia, vel aliquâ esset à Rege* (nempe Philippo) *extorta violentiâ*, inquit Ivo in Epistola laudata, qui cùm accepisset, omnia ex Ecclesiæ legibus peracta esse scripsit ad Urbanum II, qui tum in Gallia versabatur, & præclara de Willelmo memoravit. Carolus du Bois cap. IV Guillelmi Chartam profert, in cujus fine legitur: *Actum Parisiis in Capitulo sanctæ Mariæ anno ab Incarnat. Domini MXCVII, Willelmi verò anno primo, indictione quinta*, ubi anni Episcopatus Guillelmi ab ejus ordinatione anno anteriori peracta numerantur. Refertur ibidem alia Charta, data *anno ab Incarnat. Domini MXCVIII regnante Philippo Rege XXXVIII, Willelmo Episcopo anno III indict. VI. Epact. XV, concurrente IV*, ubi anni ab ejus electione deducuntur.

IV. *Concilium Stampense.*

Ad num. VIII & seq. *Stampis*, quod oppidum est Parisios inter & Aurelianos positum, *Richerius* Senonensis Archiep. Concilium celebravit, in quo *Ivonis* Carnotensis Episcopi ordinationem ad examen revocavit, conatusque est *Gaufredum* depositum contra decretum Urbani II in statum pristinum restituere; sed ut de semet-

ipso inquit Ivo in Epist. XII *Sedem Apostolicam appellavi, & decretis Apostolicis, quamvis ea nonnisi in futurum timerent, à sua præsumptione revocavi.* Verùm cùm Ivo ante diem XXIV mensis Novembris anni MXC Capuæ ab Urbano II Episcopus ordinatus fuerit, Concilium adversus illam ordinationem Stampis habitum, ad annum MXCI retrahendum, ut rectè Cossartius Tom. X Concil. pag. 717. Sed frustrà illud Concilium fuit; Ivo enim Episcopus Carnotensis remansit.

V. *S. Anselmus fit Archiep. Cantuariæ.* A num. XI ad XIV. Vitam *Sancti Anselmi* Archiepiscopi Cantuariensis scripsit Eadmerus, sive Edmerus, Monachus Cantuariensis, ejus in Archiepiscopatu individuus comes, qui & pluribus de illo agit in Historia Novorum, quæ omnia ad diem XX mensis Aprilis in Actis SS. Bollandianis leguntur. Willelmus II Anglorum Rex gravi langore correptus de Cantuariensi Ecclesia jam per quadriennium Pastore orbata tandem cogitavit, eique Anselmum præposuit: *Rapitur ergo*, inquit Eadmerus lib. 2. ejus Vitæ cap. 1. *& violenter in vicinam Ecclesiam cum hymnis & laudibus portatur magis, quam ducitur. Acta sunt hæc anno dominicæ Incarnat. millesimo nonagesimo tertio, pridie nonas Martii, prima dominica Quadragesimæ.* Paulò pòst: *Tandem post longum temporis spatium, obedientia simul ac necessitate compulsus, consensit; & pridie Nonas Decembris debito cum honore ab omnibus Episcopis Angliæ, Cantuariæ consecratus est.* Natus erat *in Augusta civitate* seu Augusta Prætoria in hodierno Pedemontio sita, idque circa annum MXXXIII; cùm juxta Chronicon Beccense anno MLX Monachum induerit, & in ejus Vita lib. 1. cap. 8. dicatur, eum Becci *anno ætatis suæ vigesimo septimo* Monachum factum esse. Reliqua ex ejus Actis accuratè conscriptis repetenda.

VI. *Obitus Anselmi III Archiep. Mediolanensis.* Ad num. XIV. Bertoldus in Chron. refert, *Anselmum III* Mediolanensem Archiep. Ecclesiæ Romanæ addictissimum, *& qui nuper Conradum Regem incoronavit*, piè obiisse, *cui venerabilis Arnoldus de Porta argentea* (sive Orientali) *in Episcopatu successit*, inquit Bertoldus. *Obiit pridie Non. Decembris* juxta Catalogos omnes, ex quibus unus à Papebrocio Tom. VII SS. Mensis Maii publicatus. *E medio sublato potentissimo Ecclesiæ Mediolanensis invasore* (nempe Tedaldo) *erigere caput ea capit, excussoque è cervicibus jugo schismaticorum, Catholicum sibi delegit Antistitem, Anselmum ejus nominis III* ait idem Bertoldus. Quæ verba Papebrocius ibidem pag. 75. scribit videri intelligenda potius *de laudabili Anselmi progressu, quàm ingressu.* Verùm virum doctissimum decepit Sigonius lib. IX de Reg. Italiæ, quem anno MLXXXV num. V refellimus. Idem Sigonius *Arnoldum* Anselmi III successorem schismaticum facit, aitque *quem Henricus, ut consueverat, per annulum & virgam investivit*; sed hac in re eum solidè confutat Puricellus in Monumentis Ambrosianæ Basilicæ, & lib. 4. de Sanctis Arialdo & Herlembaldo, quia, ut testatur Bertoldus laudatus, jam hoc tempore in annos viginti Mediolanenses fœdus adversùs Henricum Imp. pepigerant, & ita ab eo aversi erant, ut Anselmus III hoc anno *Conradum* adversus patrem rebellem coronarit, ut docet idem Bertoldus. Ad hæc Sigonius tradit, *Arnoldum* ab uno tantum Catholico Episcopo consecratum esse, & eo nomine à Legato Apostolicæ Sedis abdicatum. Hæc Sigonius ad annum MXCII, quô perperàm Anselmi III mortem consignat, qui deinde ad annum MXCV de Urbano II ad Concilium Claromontanum proficiscente verba faciens, ait: *Inde Mediolanum progressus* (sc. Urbanus II) *Arnulphum Archiepiscopum è cœnobio evocavit, ac præsidere Ecclesiæ jussum insuper etiam Pallio decoravit, atque ita Ecclesiam Mediolanensem Romanæ post tot annos restituit.*

VII. *Ei succedit Arnoldus.* Primum quidem, quod nempe Urbanus II Pallium Arnoldo concesserit, asseritur etiam ab Auctore Anonymo Vitæ Urbani II, & quidem coævo, cujus exemplar habuêre Baronius, ut ipsemet indicat anno MXCIX num. XXIV, & Papebrocius, qui in Urbano II multa ex eâ Vita in medium profert. At secundum, quod scilicet Mediolanensem Ecclesiam Romanæ restituerit, his verbis à Puricello lib. 4. cap. 79. confutatur: *Ea quippe* (inquit, nempe Ecclesia Mediolanensis) *semetipsam illi* (videlicet Romanæ) *restituerat anno domini MLXXVII*; quod eò certius, quò Mediolanenses jam fœdus cum Urbano II adversùs Henricianos fecerant, ut mox dixi. Bertoldus, cujus verba recitat Baronius anno MXCV num. V tradit, Saltzburgensem Archiepiscopum, Pataviensem, & Constantiensem *Arnulphum Mediolanensem Archiepiscopum, diu quidem electum, sed nondum consecratum, eodem tempore ex concessione Domini Papæ, Mediolani* consecrasse. Sed cùm laudatus Anonymus, qui Romæ scripsit, affirmet eum jam antea ab uno tantum Catholico Episc. fuisse consecratum, quibusdam aliis Episcopis Schismaticis manum non imponentibus, ab eo non recedendum.

VIII. *Moritur S. Margarita Scotiæ Regina.* Hoc anno contigit quod Ordericus lib. 8. pag. 701. narrat, Malcolmum nempe hujus nominis III, Scotorum Regem, à Roberto de Molbraio & Morello nepote ejus ex insperato inermem occisum fuisse. Erat Malcolmus Sanctæ Margaritæ maritus, de qua Ordericus scribit: *Margarita Scotorum Regina tam tristi nuncio de morte viri sui perculsa contremuit; omnesque regni sui Proceres convocavit, eisque filios suos Edgarum, & Alexandrum & David commendavit; ac ut eos sicut filios Regis honorarent, obsecravit. Susceptis autem precibus ejus cum ingenti favore à Curia jussit aggregari pauperum agmina, eisque pro amore Dei omnem thesaurum suum distribui: omnesque rogavit, ut pro se, marito suo, prolèque sua dominum studerent deprecari. Hæc nimirum filia fuit Eduardi Regis Hunorum* (id est, Hungarorum): *qui fuit filius Edmundi cognomento Irnesida, fratris Eduardi Regis Anglorum* (cognomento Confessoris): *& exul conjugem accepit cum regno filiam Salomonis Regis Hunorum. Generosa quippe mulier de sanguine Regum à proavis orta pollebat; sed morum bonitate, vitaque sanctitate magis prælucebat. Denique competenter ordinatis rebus, & Gazis distributis pauperum catibus, Ecclesiam intravit, Missam à Capellanis celebrari rogavit. Sacris deinceps devotè solemniis interfuit. & post sacra perceptionem Eucharistiæ inter verba orationis expiravit*, & quidem hoc anno, ut Hovedenus, Vigorniensis, Simeon Dunelmensis, aliique Historici Anglici testantur.

IX. *Ejus uberi.* Duas reliquit filias, *Edith*, postea Mathildem appellatam, & *Mariam*; priorem Henricus, postquam Regnum Anglorum adeptus est, uxorem

rem duxit, alteram Eustachius Bolonieosis Comes. Baronius anno MXCVII num CXIV Sanctæ Margatitæ mortem narrat, eamque in rem Rogerium citat; quo nomine Rogerium Hovedenum de more intelligit. Verùm hic hanc mortem pag.463.& seqq. cum hoc anno illigat. Ait præterea Baronius, ejus Vitam scriptam esse ab Aldredo Abbate, quod alii non docent, neque ejus Vita aliqua antiqua extat. Clemens Papa hujus nominis Decimus eam Scotiæ Patronam declaravit, & nomen ejus in Breviarium Romanum inseruit, ubi hodie legitur ad diem VIII mensis Julii. Malcolmo & sancta Margarita demortuis, Scotia variis tumultibus vexata fuit, nec eorum filii ante annum MXCVII regnare potuère. Eo enim anno, uti narrat Simeon Dunelmensis in Hist. de Gest.Reg. Angl. Willelmus Anglorum Rex *Eadgerum ad Scotiam cum exercitu misit, ut in ea consobrinum suum Eadgerum Malcolmi Regis filium, patruo suo Dunefaldo, qui regnum invaserat, expulso, Regem constitueret*; quod & factum fuit.

Anno Eræ Hispan. MCXXXII. Anno Hegiræ CCCCLXXXVII inchoato die 2. Januar. fer. 7.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6587.

☉ 11. A. ☽ 12. P. 9. April. Indict. 2.

JESU CHRISTI 1094.

URBANI II. PAPÆ 7.

HENRICI IV REG. 39. IMP. 11.

ALEXII COMNENI IMP. 14.

I. *Gesta inter Henricianos & Catholicos.*

ANum. I ad num. IV. *In Italia, qui ad Imperatorem ab hostibus ejus se transtulerant, eo ad Galliam reverso, omnesque penè ad hostes ejus rursùs transeunt, & munitiones ab eo expugnatas contra eum muniunt*, inquit Sigebertus in Chron. ad huoc Christi annum. De hac profectione Germanica, quam Gallicam Sigebertus appellat, nec Domnizo, nec Urspergensis, nec Bertoldus mentionem faciunt; imò Henricum anno tantum MXCVII ex Italia discessisse asserunt. Quare *Henricus* hoc vel superiori anno in Germaniam quidem venit, sed non multò pòst in Italiam rediit. Neque enim Sigebertus, qui hoc tempore in Gallia Belgica vivebat, hoc ignorare potuit. *Henrici* rebus inclinantibus existimavit *Mathildis* Comitissa, ut refert Domnizo in ejus Vita, præsentiam Urbani II Catholicis Longobardiæ animos facere posse, & Guibertinos metu afficere, ideoque Pontificem rogavit, ut illuc se conferret; quod & ab eo obtinuit, indeque, ut habet Bertoldus in Chronico, *Urbanus II* Natale Domini in Tuscia celebravit, dum scilicet in Longobardiam pergeret. Anno quidem superiori Urbanus *Romæ* eamdem festivitatem celebravit, sed quia Guibertini Castellum Sancti Angeli adhuc occupabant, Catholici Romæ & in Italia, finem hujus intestini belli summis votis exoptabant.

II. *Urbanus II recuperat Palatium Lateranense.*

Goffridus, *juvenis ætate, XII Kal. Septemb.* anni superioris Abbas Vindocineosis electus, & *ab Ivone Episcopo Carnotensi XI Kal. earumdem* consecratus, ut testatur Chronicon Andegavense Tom. I Biblioth. Labbei, Romam ad Urbanum II Guibertinæ factionis metu latitantem profectus, pecuniam unde Lateranum, & turrim Crescentiam, hodie Castellum Sancti Angeli dictam, redimeret, contulit, ut ipsemet in Epistola VIII ad Paschalem II Urbani successorem data hoc modo narrat: *Primo anno, quo, Deo volente vel permittente, nomen Abbatis suscepi, audivi piæ recordationis dominum Papam Urbanum in Domo Joannis Fricapanem* (vel Franchipanem) *latitare, & contra Guibertistam hæresim viriliter laborare. Licet locus noster pauper esset, Romam tamen veni, illius persecutionum & laborum volens particeps fieri, & suam pro posse meo desiderans supplere inopiam: quod & Dei gratiâ feci. Mala, quæ in itinere & in civitate passus sum, nostrorum per omnia, ne agnoscerer, factus famulus famulorum, longum est enarrare. Quasi alter Nicodemus ad dominum Papam in domum prædicti Joannis nocte veni: ubi eum penè omnibus temporalibus bonis nudatum, & alieno ære nimis oppressum inveni. Ibi per Quadragesimam mansi cum illo: &, si fas est profiteri veritatem, ejus onera inquantum potui, caritatis humeris supportavi. Quindecim verò diebus ante Pascha Ferruchius, quem Lateranensis Palatii custodem Guibertus fecerat, per internuncios locutus est cum domino Papa, quærens ab eo pecuniam, & ipse redderet illi turrim, & domum illam. Unde dominus Papa cum Episcopis & Cardinalibus, qui secum erant, locutus, ab ipsis pecuniam quæsivit: sed modicum quid apud ipsos: quoniam persecutione & paupertate simul premebantur, invenire potuit. Quem ego, cùm non solùm tristem, verum etiam præ nimia angustia lachrymantem conspexissem, cæpi & ipse flere, & flens accessi ad eum dicens, ut securè cum Ferruchio iniret pactum. Ibi aurum & argentum, nummos, mulas & equos expendi: & sic Lateranense habuimus, & intravimus Palatium. Ubi ego primus osculatus sum Domini Papæ pedem, in Sede videlicet Apostolica, in qua longè ante Catholicus non sederat Papa.* Ita Guibertus ab Urbano II, Petro Leonis, & Abbate Vindocinensi ante Pascha Româ expulsus fuit, ut in Epist. in sequenti idem Abbas scribit.

III. *Synodus Constantiensis.*

Interim *Gebehardus* Constantiensis Episcopus in Majori hebdomada Constantiæ Synodum celebravit, de qua hæc Bertoldus à Baronio citatus: *Querimonia Praxedis Reginæ, quæ dudum ad Welphonem Ducem Italiæ, à marito suo Henrico Rege discessit, ad Synodum Constantiensem pervenit, quæ se tantas, tamque inauditas fornicationum spurcitias, & à tantis passam fuisse, conquesta est, ut etiam apud inimicos fugam suam facillime excusaret, omnesque Catholicos ad compassionem tantarum injuriarum sibi conciliaret.* Porro Gebehardus, seu Gebhardus Zaringensium Dux in locum Ottonis à Gregorio VII Episcopali honore privati subrogatus fuerat, & Urbani II in Germania Legatus erat; adversus quem cùm Henricus Imp. Arnolfum Comitem de Sancto Monte Episcopum constituisset, gregem suum dimittere coactus fuit circa annum MXCIX, & postea *controversia inter Electum & intrusum ipsos XII duravit annos*, ut legitur in Chronico Constantiensi.

IV. *Philippus Rex cum uxore divortium facit.*

A num. IV ad XV. *Rex Philippus, suggestione diabolica Bertham Reginam repudiavit, & ei subtrahens suî præsentiam, ad castrum quod dicitur Monsteriolum, supra mare situm, quo illam dotaverat, eam destinavit: & (quod turpe est dicere, turpius autem facere, nec ad tantum pertinet virum) libidini deserviens Fulconis, Rechin Andegavensium Comitis suam abstulit uxorem nomine Bertrardam: cum qua pluribus annis adulte-*

rans, genuit ex ea duos filios & unam filiam, Philippum scilicet & Florum & Comitissam Tripolitanam, inquit Aimoinus lib. 5. cap. 50. Erat Bertha Fiorentii Comitis Frisiæ Filia, à Philippo Fraocorum Rege circa annum MLXXI uxor ducta, ex qua *anno dominica Incarnat. MLXXXI natus est futurus Rex Ludovicus, orationibus & meritis sancti Arnulphi* (hoc tempore Suessionensis Episcopi, de quo Baronius oum. VIII & seq.) *impetratus: qui utinam ut bono fine potiatur, ejusdem Sancti suffragio sit adjutus*, inquit Lisiardus Sancti Arnulphi in Episcoparum Suessionensem successor in ejus Vita Tom. IV Duchesnii pag. 163. & seqq. Hic Ludovicus cognomento *Grossus* post Philippum Patrem in Franciа regnavit. *Bertrada* verò Simonis de Montefortі filia nupta erat Fulconi Andegaveosi Comiti, vulgo *Rechino* ob morum asperitatem appellato, quæ ad Philippum Regem fugit, & post ejectam ab eo *Bertham* nuptias cum illo contraxit, quod graves turbas in Galliis concitavit. *Urbanus* enim II illicitum illud conjugium, sicuti & Paschalis II ejus successor, improbavit, & *Philippum* excommunicavit.

V. *Quo anno hoc divortium factum.*

Hoc matrimonium Baronius, & cum eo complures ex meris conjecturis hoc anno consignarunt. Verùm Clarius vel alius quispiam in Chronico sancti Petri Vivi Senonensis post Baronii mortem Tom. II Spicilegii Dacheriani publicaro, annum quo hæ turbæ inchoatæ & Bertha Regina dimissa, his verbis aperit: *Anno MXCII Philippus Rex dimisit uxorem suam nobilissimam, de qua habuit filium suum Ludovicum, & accepit Bertradam, quæ reliquerat Fulconem Andegavensium Comitem.* Præterea Ordericus lib. 8. pag. 699. referens gesta anno MXCII ait: *Circa hæc tempora, in regno Galliæ fœda turbatio exorta est. Bertrada enim Andegavorum Comitissa metuens, ne vir suus, quod jam duabus aliis* (nempe uxoribus) *fecerat, sibi faceret, & relicta contemptui ceu vile scortum fieret, conscia nobilitatis & pulchritudinis suæ fidissimum Legatum Philippo Francorum Regi destinavit, eique quod in corde tractabat, evidenter notificavit*, &c. Blondellus in Diatribe de Formula regnante Christo pag. 315. verbis illis fretus Philippi Regis divortium cum Berta Regina anno MXCIII alligat. Verùm si Vir doctissimus Urbani II literas, de quibus mox, vidisset, Ordericum de anno MXCII interpretandum esse noo dubitasset. Addit Blondellus ex eodem Orderico Regem desponsante *Odone* Bajocensis Episcopo *Bertradam* duxisse; sed de hoc capite Ordericus non bene edoctus fuit; hujus enim culpæ non Bajocensis, sed Silvanectensis Episcopus reus fuit, ut statim videbimus. Hanc oostram opinionem de anno conjugii Bertradæ cum Philippo Franciæ Rege validè confirmat Instrumentum recitatum à Mabillonio in fine Partis I Sec. IV Benedictini inter Monumenta Historica pag. 763. quod dicitur scriptum *mense Maii ipso anno, quo Philippus Rex Francorum accepit uxorem Bertream nomine, uxorem Fulconis Andegavensium Comitis, anno videlicet ab Incarnatione domini MXCII.*

VI. *Urbanus II hoc divortium reprobat.*

Hæc extra controversiam ponit Epistola Urbani II ad Raynoldum Archiepiscopom Remensem, & suffraganeos ejus, *data sexto Kalendas Novembris, anno videlicet Dei Christi MXCII*, ut in fine ejus legitur, recitata Tom. V ejusdem Spicilegii & ex eo Tom. X Concil. pag. 463. in qua Pontifex, narrato & improbato Philippi cum Bertrada connubio, ait: *Te autem, Charissime Confrater Raynolde, noxa hæc maximè impetit, pro eo quod Sylvanectensis subjectus tibi Episcopus, hoc publici Adulterii crimen, suo, ut audivimus, firmavit assensu, cùm mœchis illis benedictionis Sacerdotalis manus imposuit. Quod etsi licitè nuberent, bigamis tamen impendi secundùm canones non liceret. Nunc igitur vobis Apostolica auctoritate præcipimus, ut his visis apicibus, quod etiam non jubentibus nobis jam dudum fecisse vestram prudentiam decuisset, maturè convenire curetis Regem, & ex Dei & nostra pariter & vestra parte instanter commoneatis, arguatis, obsecretis, increpetis, & à tanto, tamque horrendo facinore desistere compellatis. Quod si contempserit, & vobis & nobis necessitas imminebit, ut ad ulciscendas divinæ legis injurias pro nostri officii debito accingamur, & Phinees Gladio Madianitas adulteros perforemus.*

VII. *Petit, ut Ivo Episc. Carnotensis è carcere educatur.*

Eamdem quoque instantiam pro ereptione confratris nostri Carnotensis Episcopi (scilicet Ivonis) *adhibete. Quod si monitis vestris, qui eum cepit, obtemperare contempserit, vos & ipsum excommunicationi subjicite, & castellis in quibuscumque eum retinuerit, & terræ ejus divinum Officium interdicite, ne similia deinceps in viris hujus Ordinis præsumantur. Ut Ordinem vestrum diligitis, ita hoc accelerare omnibus modis satagetis. Valete Data sexto Kalendas Novembris*, ut suprà. Quare Epistola Ivoois aliàs C, nunc XX, *Clericis & Laicis Carnotensibus* scripta, & à Baronio anno MXCV num. XXI & seq. recitata, ad annum MXCII, quo Ivo à Carnotensi Vicecomite captus, retrahenda. Ait in ea Ivo: *Audivi Primates urbis vestræ adinvicem conjurasse guerram se facturos adversus Vicecomitem pro mea liberatione. Quod nequaquam mea liberatio est, sed inclusionis meæ non solum exasperatio, sed interminata productio. Quare ne fiat, prohibeo, interdico*, &c. Ad eum annum reducenda etiam Ivonis Epistola utroque ordine XIV, *Archiepiscopis & Episcopis ad Regales nuptias invitatis* data, sicuti & Epistola ab Ivone Philippo Fraocorum Regi scripta, quæ est ordine XV, & Epistola Ivonis *ad Raynaldum Remensem Archiepiscopum*, cujus erat nuptias benedicere, scripta, quæ novo & veteri ordine est XIII, quas omnes Baronius hoc anno refert; cùm tamen Ivoois detentiooem præcesserint, ideoque ad annum MXCII spectent. Denique ex recitata Urbani II ad Raynaldum Remensem Archiep. Epistola liquet, deceptos esse Viros Eruditos, qui in initium Episcopatûs Ivonis mense Novembri Capuæ ordinati, vel ad annum MXCII, vel ad annum MXCIII retulêre, cùm anno MXCII ante diem XXVII mensis Octobris jam Episcopus fuerit, ideoque & consecratus mense Novembri anterioris Christi anoi, ut suprà ostendimus. *Ivonem* in carcere ipsam etiam penuriam panis perpessum, testatur Hildebertus Cenomanensis Episcopus Epist. C.

VIII. *Conventus Remensis.*

A num. XV ad XXVII. *Philippus* Rex, cùm videret Ivonem Episcopum Carnotensem, quem nuper in carcerem conjecerat, aliosque quosdam Episcopos nuptias cum Bertrada contractas non approbare, & in prima sententia persistere, Conventum Remis hoc anno convocavit, de quo Clarius laudatus in suo Chronico hæc habet: *Anno MXCIV congregavit Philippus*

qui Rex Archiepiscopos & Episcopos Regni sui in Remensi Urbe, & obtinuit ab Archiepiscopo (nempe Senonensi) *Richerio magnis precibus, ut Remis ad Concilium non dedignaretur ire; ostendens Raynaldum Remensem Archiepiscopum podagrico dolore contractum non posse progredi de sua sede; & perrexit Richerius Archiepiscopus Remis, & susceptus est cum maximo honore à Rainaldo Archiepiscopo, & universo Clero Ecclesiæ Remensis, & sedit in Concilio in nullo inferior Remensi Archiepiscopo, sed penitus par & æqualis, utpote qui non per aliquod debitum illuc perrexerat, sed per dilectionem & orationem Regis. Eodem anno obiit Berta Regina, quæ à Rege Philippo prius fuerat derelicta, ipso Rege adhuc tenente Bertradam, quam huic superduxerat, reclamante justitia.* Ita Clarius, seu potius ejus Continuator, qui hoc tempore vivebat, ut ostendit Dacherius ex iis, quæ ille scribit pag. 749. ubi loquitur de Gestis anno M X C V I I I tanquam à se visis.

IX. *Qua de causa convocatum.*

Causam convocationis Conventûs Remensis aperit Ivo Carnotensis Episc. in Epistola X X X V ad Richerium Senonensem Archiep. data, in qua ei significat, se malè argui, quòd perjurium incurrerit, & Majestatem Regiam minuerit, & quia sacri Canones docent accusationes extra provinciæ terminos judicandas non esse, & quantum ex intentatis minis intelligit, non liceret sibi in illo Conventu dicere veritatem, se sedem Apostolicam appellare. Quare in illa Synodo de nuptiis Regis & depositione Ivonis actum: *Quantum verò*, inquit, *ex intentatis minis intelligo, non liceret mihi in Conventu vestro impunè dicere veritatem, qui pro jam dicta veritate & Apostolicæ sedis obedientia tantam sentio severitatem, ut perjurium arguar incurrisse, & Majestatem Regiam minuisse. Quod, ut pace vestra dicam, rectius in eos retorqueri potest, qui vulnus fomentis incurabile tanquam pii medici cauteriis competentibus dissimulant urere, vel medicinali ferro præcidere. In qua sententia si mecum firmiter fuissetis, jam ægrotum nostrum* (nempe Philippum Regem) *ad sanitatem perduxissetis. Quod quamdiu differtis, videte si fidelitatem quam debetis, pleniter exhibetis, si officii vestri munus expletis. Faciat Dominus Rex adversus parvitatem meam quantum Deo permittente libuerit & licuerit: includat, excludat, proscribat, inspirante Dei gratia & prosequente, decrevi pati pro lege Dei mei, nec ulla ratione cogente volo ei consentaneus in culpa esse, qui nolo consors esse in pœna.*

X. *Epistola Ivonis ad Turgedum Episc. Abrincensem sub Paschali II Papa scripta.*

Baronius hujus Epistolæ non meminit, sed huc refert Epistolam Ivonis aliàs C C L X X I, nunc C C L X X, ad Turgedum Episcopum Abrincensem datam, in qua ait Ivo: *Cogit vos ex una parte legatio Apostolicæ Sedis, ut præceptis ejus obediatis; urget vos ex altera Regia potestas, ut resistatis*, &c. Verùm hæc Epistola, Paschali Papa sedente, anno M C I I scripta. Ordericus enim lib. 4. pag. 507. tradit, Turgedum seu Turgisum *Præsulatum fermè X X X annis* tenuisse, & lib. 12. pag. 889. eum anno Christi MCXXIX adhuc in vivis fuisse, ut rectè observat Juretus in Notis ad eam Ivonis Epistolam. Hoc itaque anno Turgedus nondum Episcopus erat, ideoque nec ea Epistola scripta.

XI. *Philippus Rex excommunicatur,*

Tandem *Hugo* Apostolicæ Sedis Legatus Concilium *Augustodunis*, quæ urbs est Ducatûs Burgundiæ, à Bertoldo in Chron. quem sequitur Baronius num. X V I I *Ostio* barbarè appellata, *X V I I Kal. Novembris* celebravit, & Philippum Regem excommunicavit, *eò quod vivente uxore sua, alteram superinduxit* inquit idem Bertoldus.

XII. *Error Roscelini de Mysterio Trinitatis.*

Anum. X X V I I ad X X X I V Dodechinus in Appendice Mariani Scoti ad annum M X C I V de Sancto Anselmo Cantuariensi Archiep. verba faciens, ait: *præsumpta est illi talis assertio, cùm Abbas erat: Si in Deo tres personæ sunt, una tantum res, & non sunt tres res, unaquæque per se separatim, sicut Angeli, aut tres animæ, ita tamen ut voluntate & potentiâ sint idem omninò: ergo Pater & Spiritus Sanctus cum filio est incarnatus. Verum auctor istius perversi dogmatis, à Patribus & Doctoribus Ecclesiasticæ fidei circumventus ac convictus, & penè populo neci traditus, ut mortem evaderet, errorem abjurasse dicebatur. Contra quem errorem pater Anselmus Epistolam Abbas inchoavit, Episcopus consummavit, scribens ad Urbanum Papam.* Loquitur Dodechinus de Roscelino de quo Otto Frisingensis lib. 1. de Gestis Friderici I cap. 47. postquam asseruit fuisse *præceptorem Abælardi* subdit: *Qui primus nostris temporibus in Logica sententiam vocum instituit.* Auctor quidem Historiæ à Roberto Rege ad mortem Philippi I Tom. IV Duchesnii scribit: *In dialectica hi potentes extiterunt Sophistæ: Joannes qui eamdem Artem Sophisticam vocalem esse disseruit, Robertus Parisiacensis, Roscelinus Compendiensis, Arnulphus Laudunensis. Hi Joannis fuerunt Sectatores, qui etiam quamplures habuerunt Auditores.* Sed quia ex omnibus Joannis illius parum cogniti discipulis optimè scientiam illam vocum concepit, & docuit *Roscelinus* natione Britto seu Armoricus, Compendiensis verò Canonicus, pro Auctore & Institutore *Nominalium* vulgò habetur, inquit Bulæus in Hist. Universit. Paris. Tom. I ad annum M L X V I I, qui addit, eam Aristotelicorum sectam à Veteribus penè explosam, à *Guillelmo Occamo* Franciscano rursus excitatam atque de integro instauratam esse, & varias Universitates in hujus verba olim jurasse.

XIII. *Damnatur in Concilio Suessionensi.*

Anno M X C I I, aut insequenti *Ramaldus* Remensis Archiep. Synodum adversùs *Roscelinum* habuit Suessione, cui inter ceteros adfuit *Fulco* Belvacensis Episcopus, ad quem Anselmus tunc adhuc Abbas Beccensis scripsit rogans, uti se apud Synodum purgaret, mentemque suam de Sancta Triade omnibus Prælatis aperiret: verebatur enim, ne *Roscelinus* publicè assereret, quod in scriptis & in privatis conventibus, dictitare solebat, *Lanfrancum* & *Anselmum* idem secum sentire. Legitur ea Epistola in Operibus Divi Anselmi lib. 2. Epist. 41. In eo Concilio *Roscelinus* interrogatus mentem explicavit, erroremque falsus abjuravit. Verum paulò pòst solutum Concilium, hæreticorum more dixit, se non ob aliam rationem sententiam suam damnasse, quàm quia timebat ab ignaro populo interfici, & lapidibus obrui, seque semper in eadem quam coactus abjurarat, sententia permanere. Quamobrem *Anselmus*, ut fidem purgaret, hominemque confunderet, Tractatum edidit *de Incarnatione*, quem Urbano Pontifici II dedicavit, statimque initio *Roscelinum* tanquam hæreticum & prava sentientem condemnat. Anselmi ad Urbanum II Epistolam recitat Baronius num. X X V I I I & seqq.

XIV. *Ivo Roscelino funder, ut*

Roscelinus, cùm videret se tanquam hæreticum haberi, & undequaque expelli, ignarus quid

SÆC. XI. An. C. 1094. *palinodiam canat.*

quid faceret, confugit ad Ivonem Carnotensem, rogat, ut in tanto rerum suarum discrimine sibi opem ferat, asseritque se toto animo errores suos detestari. Ad eum respondit Ivo Epistola utroque ordine VII, qua ei consulit, ut palinodiam scribat, *quatenus sicut multis erroris exemplum fuisti*, inquit Ivo, *sic de cetero sis exemplum correctionis*, antea dixerat: *quia scio te post Concilium Suessionense in auribus quorundam, quos mecum benè nosti, pristinam sententiam tuam clandestinis disputationibus studiosissimè defendisse, & eamdem quam abjuraveras, & alias non minus insanas persuadere voluisse, non potest intrare in cor meum, quod adhuc fidem tuam correxeris, quod mores in melius commutaveris.* Recitat eam Epistolam Baronius num. XXXI & seqq. aitque eam esse absque salutatione præmissa, vel consueta bona imprecatione bene valendi in fine ipsius apposita, *quod ad hæreticum scriberet, cui nec dicendum Ave monuerit Joannes Apostolus.* Verùm, ut in Notis ad Epistolam illam Juretus observavit, in aliquot MSS. plures sunt Ivonis Epistolæ ad alios scriptæ etiam non hæreticos, in quarum calce similis precatio abest, ut negligentia potius librarii fuisse videri possit, quàm Auctoris voluntas.

XV *Roscelinus culpatur à quodam Petro Theologiæ Professore.*

Extat Epistola cujusdam M. *Petri* Theologiæ Professoris conquerentis apud G. Parisiensem Episcopum, quod *Roscelinus* plurimas contumelias in opusculum quoddam de Sancta Trinitate adversus ipsius hæresim in Synodo Suessionensi damnatam, à se compositum evomuisset, in qua Petrus ait: *Cujus tam vita, quàm disciplina omnibus est manifesta. Hic contra egregium illum preconem Christi Robertum Arbroscelle contumacem ausus est Epistolam confingere, & contra magnificum illum Ecclesiæ doctorem Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum adeo per contumelias exarsit, ut ad Regis Anglici imperium ab Anglia turpiter impudens ejus contumacia sit ejecta, & vix tum cum vita evaserit. Vult enim infamia habere participem, ut per infamiam bonorum suam consoletur infamiam*, &c. Duchesnius hanc Epistolam malè Petro Abaëlardo tribuit; Gaufridus enim Parisiensis Episc. anno sequenti obiit. Quo nondum *Abaelardus* Parisios venerat, & ad huc valde juvenis erat. Deinde Auctor ejusdem Epistolæ loquitur de Tractatu S. Trinitatis, quem in Roscelinum conscripserat; cùm tamen quo tempore *Abaelardus* Tractatum suum *de Trinitate* edidit, jam *Roscelinus*, & *Robertus Arbricellensis* & sanctus Anselmus obiissent. Quare rectè existimat Bulæus citatus ad annum MXCV hujus Epistolæ Auctorem esse quemdam *Petrum* Theologiæ iis temporibus Professorem, qui adversus hæresim *Roscelini* in Concilio Suessionensi damnatam scripserat. Eadem Epistola Tom. X Concil. pag. 487. malè etiam tribuitur Petro Abaëlardo.

XVI. *Obitus Calipharum Bagdadi & Ægypti.*

Mustadaus Bagadensis Calipha anno Hegiræ CCCCLXXXVII è vivis excessit, postquam Caliphatum annos novemdecim & aliquot menses gessisset, cui successit *Mustadirus Billa* filius. Obiit & *Mustansirus Billa* Calipha Ægypti, postquam per sexaginta annos imperasset, non verò per sexcennium, ut errore Librarii in Elmacino lib. 3. Hist. Sarac. cap. 9. legitur, qui ait, ei *Mustalim Billam* filium successisse.

XVII. *Attrebatensis Episcopatus ab Urbano II restituitur.*

Urbanus II literis *Clero & populo Attrebatensi* datis *Romæ*, die & anno non expressis, Attrebatensi Ecclesiæ præcipit, ut jugo Cameracensis subjectionis excusso, *& recepta dignitate primis temporibus rationabili firmitate possessa*, Episcopum sibi eligant. Plures hanc in rem Epistolas scripsit Urbanus II recitatas Tom. X Concil. & inter alias unam ad Lambertum Attrebatensem Episcopum pag. 446. datam *X Kalend. Aprilis, indictione II, anno Dominicæ Incarnat. MXCIII Pontificatûs autem Domini Urbani II Papæ VII*, in qua dicitur, Remensem Ecclesiam Metropolitanam duodecim alias sub se habuisse Episcopales Sedes, *inter quas*, inquit, *Atrebatensis nobilis & populosa civitas, quæ per B. Remigium Episc. Vedastum obtinuit, post nonnullorum Antistitum obitum Episcopalis cathedræ perdidit dignitatem, & per nonnulla tempora Cameracensi Episcopo subdita obedivit.* Paulò post: *Nos ergo Attrebatensis Ecclesiæ restitutioni, & Remensis Metropolis redintegrationi pro nostri officii debito imminentes, te frater charissime Lamberte, Cleri plebisque consensu electum unanimi, B. Vedasto & sanctis, qui in urbe ipsa quondam præsedêre Pontificibus, constituimus successorem.* Vedulfus circa annum Christi DLXIX Episcopus Attrebatensis ordinatus Cameracum Sedem transtulerat, indeque Episcopatus Attrebatensis nomen perierat, ut habent Ecclesiæ Attrebatensis Tabulæ.

XVIII. *Lambertus primus ejus Episcopus ordinatur.*

Cùm verò Urbanus II *Rainaldo* Archiep. Remensi literis suis mandasset, ut Attrebatensis Ecclesiæ Episcopum Electum consecraret, ad Urbanum II respondit Rainaldus, ut Tom. X. Concil. pag. 465. videre est, omnium Episcoporum & Clericorum suorum hanc sententiam esse, ut Electum Episcopum Romam transmitteret, & Summi Pontificis arbitrio relinqueret: *Timuerunt enim*, inquit, *& timent, ne Cameracenses ex hoc facto accepta occasione, se ab Remensi Ecclesia abrumperent, cùm & civitas eorum alterius regni* (sc. Germaniæ) *habeatur, & regni cujus Rex nobis & Ecclesiæ Rom. jam ex longo tempore inimicatur.* Attrebatenses itaque Lambertum à se electum Episcopum Romam consecrandum transmisêre, & literis suis ibidem relatis Urbanum II rogarunt, *ut divisio duorum regnorum, Francorum scilicet & Teutonicorum, sit Episcopatûs nostri metu, sicut antiquis temporibus fuisse per successorum relationem & alia indicia cognovimus.* Lambertus vir summæ Sanctitatis Summum Pontificem summopere rogavit, ut eum ab imposita sibi electione absolveret, sed is ei præcepit, ut obediret: *Ille tandem acquiescens divinæ ordinationi & Apostolicæ obeditioni consecratur in Episcopum Romæ apud Sanctam Mariam novam a sæpius jam dicto Apostolico Urbano, anno Dei Christi MXCIII, XIV Kalend. Aprilis, qua tunc Dominica* Lætare Jerusalem *habebatur*, inquit vetus Chronologus ineditus à Labbeo pag. 468. citatus, qui rectè advertit, eum à Paschate annum inchoare, annumque Christi MXCIV juxta nostrum computum demonstrare; hoc enim anno littera dominicalis A. in cursu fuit, & dies XIX Martii incidit in Dominicam quartam Quadragesimæ, quæ vulgò dicitur *Lætare.* Tandem anno MDLXII Sedes Cameracensis à Paulo IV Metropolitana declarata fuit.

XIX. *Lites motus ac resolutus.*

Agunt de separatione utriusque Episcopatus Joannes de Colle-medio in Vita Beati Joannis Morinorum Episcopi anno MCXXX demortui, cui coævus fuit, Locrius in Chron. Belgico ad annum MXCIV, & Auctor Anonymus fundationis monasterii Aroasiæ in Belgio siti,

quæ refertur à Bollandò ad diem XIII mensis Januarii in Vita B. Heldemari Eremitæ Arrasiæ Fundatoris. Scribit Joannes de Colle-medio cap. 2. *Lambertum*, primum post eam separationem Episcopum Attrebatensem, à Clero & populo invitum & reclamantem Episcopali cathedra sublimatum fuisse, & cùm etiam ab Urbano II Romæ obtinere non posset, ut ab ejus obedientiæ vinculo absolveretur, solemniter consecratum esse. In Belgium redux *Beatum Joannem* adjutorem sibi adscivit, & Archidiaconum suum constituit invitum & censuris coactum. Sed de B. Joanne anno MXCIX, quo Morinorum Episcopus dictus, verba faciemus; hîc tantum monebimus, Joannem Buzelinum è Societate Jesu Lamberti Vitam ex veteribus Ecclesiæ Attrebatensis monumentis concinnasse, quam Bollandus in Notis ad Vitam B. Joannis laudatis dicit extare MS. San-Marthani in Episc. Attrebatensibus exhibent Epitaphium, ejus sepulchro marmoreo inscriptum, in quo dicitur Lambertus obiisse *anno Domini MCXV sexto decimo Kal. Junii*, aliudque versibus compositum, in quo habetur mundo decessisse Idibus Maii exeuntibus. Cumque utrumque antiquum sit, liquet *Lambertum* die XVI mensis Maii demortuum, & die insequenti sepultum.

XX. *Annus Incarnat. ab Urbano II diversimodè inchoatus.*

Tomo I Spicilegii Dacheriani pag. 123. extat Urbani II Privilegium pro Attrebatensi Ecclesia Lamberto à se consecrato, ejusque Successoribus concessum, quo Episcopatum Attrebatensem restituit, decernitque, *ut Attrebatensis Ecclesia deinceps semper Cardinalem Episcopum sortiatur*. In eo legitur: *Datum Romæ per manum Joannis S. R. E. Card. Diaconi, X Kalend. April. indict. II anno Dom. Incarnat. millesimo nonagesimo tertio, Pontificatus autem Domini Urbani II Papæ, VII*, diciturque in Claromontensi Concilio recitatum fuisse. Qua ex subscriptione eruo Urbanum II anno Incarnationis à die XXV mensis Martii deducto aliquando usum esse; cùm hoc Privilegium currenti anno, quo annus ejus Pontificatus VII & indictio II die XXIII Martii in cursu erant, emissum sit. Urbanum verò II annum Incarnationis Pisanum, qui novem mensibus annum Incarnationis communem antevertit, adhibuisse demonstrat ejus Epistola ordine XII ad Canonicos Sancti Martini Turonensis scripta, & Tom. X Concil. pag. 436. recitata, Dataque *Pictavis per manum Joannis S. R. E. Diaconi Card. IV Kalend. April. indict. IV, anno Dom. Incarnat. MXCVII, Pontif. autem Domini Urbani II Papæ nono*. Est hic enim annus Eræ nostræ vulgaris MXCVI, ut tam ex indictione, quàm ex anno Pontificatûs evidens est. Qua etiam ex subscriptione deducitur, Urbanum II annum Incarnationis Pisanum ante Pascha inchoasse, licet Gelasius II, ut infrà videbimus, eum à Paschate exorsus sit. Vix credi potest quot errores Chronologici vitari possint, harum similiumve observationum antea non factarum ope.

XXI. *Sanctius Ramirus Navarræ & Aragoniæ Rex occiditur.*

Hoc anno *Sanctius Ramirus* Ramiri primi Aragonum Regis filius, Navarræ hujus nominis V & Aragoniæ hujus nominis I Rex post rem in Mauros sæpius strenuè gestam, *Oscam*, (vulgò Huesca) totius Saracenicæ Ditionis, uti Romanorum tempore fuerat, ea parte propugnaculum, obsidione cinxit. Urbs est Hispaniæ citerioris, Episcopalis olim sub Archiepiscopo Tarraconensi, nunc verò sub Archiepiscopo Cæsaraugustano, citra Ebrum Fluvium posita, cui *Abderrhamanus* Rex præerat. Celeberrimæ hujus obsidionis mentio in Diplomate à Joanne Briz Martinez Abbate monasterii Sancti Joannis Pennatensis lib. 3. cap. 26. Historiæ suæ relato: *Ego Sanctius Dei gratiâ Aragonensium & Pampilonensium Rex*, &c. *Quia spes mea est in Sancto Joanne de Pinnia*, &c. *feci votum Deo & Beato Joanni, quod si Deus daret mihi Oscham de infidelibus prædictum locum de Sancto Joanne amplificarem*, &c. *Nunc verò quia sum in obsidione Oscha, ut votum meum adimpleatur*, &c. *facta charta in obsidione Oscha, octavo Idus Martii, era discurrente MCXXXII regnante me Rege Sanctio in Pampilona &* in Aragonia, in Subrarui, & Ripacurtia, Episcopo Petro in Pampilona. Non multò pòst *Ramirus* lethaliter vulneratus, à *Petro* filio jam in Regni societatem adscito, se ab obsidione non destiturum, donec *Oscam* expugnasset, promissum exegit. Rodericus Toletanus ait, hanc obsidionem semestrem fuisse. Verùm Mauros per biennium Christiano exercitui fortiter restitisse, ostendunt Surita, Garibayus, Blancos, & Briz Martinez, qui lib. 4. cap. 9. Chartam à Sanctio Ramiro in gratiam Sancti Joannis Pennatensis erâ MCXXXII *in mense Junii* emissam recitat, ex qua eum illius mensis initio adhuc in vivis fuisse constat.

XXII. *Osca à Petro ejus successore expugnata.*

Durante obsidione *Petrus* Aragoniæ & Navarræ Rex, ejus filius, dedicationi Ecclesiæ ejusdem Sancti adfuit, Chartamque dedit à Brizio Martinez lib. 4. cap. 2. relatam, in qua legitur: *Facta charta in monasterio antedicto, erâ MCXXXII pridie nonas Decembris die, secundâ feriâ, primâ hebdomada Adventus Domini* (ex quo apparet ejusmodi solemnia diebus Dominicis hoc tempore non semper peracta) *in die quando fuit consecrata dicta Ecclesia sancti Joannis ab Archiepiscopo Burdegalensi Amato nomine, atque ab Episcopo Jacensi*, &c. *In præsentia Domini Regis Petri, & prædictorum prælatorum, & multorum virorum nobilium de curia Regis. Ego Petrus Dei gratiâ Episcopus Jacensis hanc chartam confirmo ad preces D. Regis. Ego Amato Burdegalensis Archiepiscopus & Legatus Domini Papæ hanc chartam laudo & confirmo*, &c. Anno MXCV *Urbanus* II literis die decima sexta Kalend. mensis Maii, Pontificatûs sui anno VIII, indictione tertia datis Petro Regi & ejus Successoribus Breve Apostolicum concessit, ut templorum, quæ extruerentur, vel Mauris eriperentur, decimas & reditus ipsi perciperent, exceptis tantum Ecclesiis Cathedralibus. Quod Privilegium in eadem Bulla Proceribus etiam concessit; tanta erat cupiditas Saracenorum exstirpandorum, ut quid incommodi ea indulgentia allatura esset imposterum, non satis considerarent. Eâ enim complures abutentes varias Ecclesias spoliarunt, ut videre est apud Rerum Hispanicarum Scriptores. *Oscæ* expugnationem præcessit victoria de *Almosabeno* Cæsaraugustæ Rege à Saracenis in auxilium evocato, ad *Alcoracium* die decima nona Novembris reportata. Post eam enim *Abderrhamanus* Oscæ Rex oppido die XXVII Novembris anni MXCVI dedito, *Barbastrum* recessit. Petrus Rex *Oscæ* Regem se se appellavit, & Petrus Jacensis Episcopus statim Sedem in eam urbem transtulit, uti in præcedenti Concilio Jacensi decretum fuerat. Annum captæ *Oscæ* notavit etiam Chronographus Malleacensis, ut suo loco videbimus. Eam Ca-

rolus M. cum Barcinone anno DCCLXXVIII in suam potestatem redegerat, ut legitur in Annalibus Masciacensibus Tom. II Biblioth. Labbei pag. 735. sed Saraceni tam iterùm occupārant.

Anno Eræ Hisp. MCXXXIII. Anno Hegiræ CCCCLXXXVIII inchoato die 10. Januar. fer. 4. Anno Hegiræ CCCCLXXXIX. inchoato die 31. Decemb. fer. 2.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6588.

☉ 12. G. ☽ 13. P. 25. Mart. Indict. 3.

JESU CHRISTI 1095.

URBANI II PAPÆ 8.

HENRICI IV. REG. 40. IMP. 12.

ALEXII COMNENI IMP. 15.

I. *Synodus Placentina.*

A Num. I ad VIII. Holstenius in Collectione Romana publicavit Acta Synodi Placentiæ hoc anno habitæ *circa mediam quadragesimam*, ut refert Baronius num. 1. ex Bertoldo in Chron. Certè Urbanus Placentiæ erat pridie Idus Mart. ut liquet ex ejus literis Episc. Magalonensi datis, & à San-Marthanis relatis. Labbeus Tom. X Concil. pag. 503. ait in Codice MS. tam Barberino, quàm Claromontano haberi Synodum celebratam *Kal. Martii*, & initio Actorum legitur: *Septimo tandem die post tractationem diutinam hac sunt capitula prolata*; ideòque Synodus habita circa mediam Quadragesimam. Addit Baronius num. VI ejusdem Concilii XV Canones contineri *in codice manuscripto Anselmi Lucensis libro 7. Decretorum* ab eadem Synodo statutos. Ad quæ verba Holstenius ait: „Qua in re eum memoria, vel potius amanuensium oscitantia fefellit. Neque enim canones illos Placentinos in suam Collectionem referre potuit Anselmus, qui novennio ante decesserat: nec Vaticani Codices citato libro VII vel alibi eosdem agnoscunt. Tum verò XIV tantum Capitula statutorum libri probatissimi Bibliothecæ Vaticanæ referunt, ubi Baronii schedæ septimo in duo malè divulso XV exhibent. Ita Holstenius. Verum Baronius non dicit, Anselmum Canones illos in suum Decretum inseruisse, ut illum legenti perspicuum fiet. Illa Capitula contra simoniacas & schismaticas ordinationes condita, Tom. X Concil. legenda. Adhæc Bertoldus citatus testatur, in ea Synodo *Praxedem* Imperatricem à spurcitiis, quas invita pertulerat, absolutam esse: *Philippo* Galliarum Regi concessas inducias in causa incestarum cum *Bertrada* nuptiarum; aliaque decreta esse, quæ Baronius de verbo ad verbum recitat.

II. *Ivo anno MXCII in carcerem trusus.*

A num. VIII ad XXIV. Baronius num. XXI & seqq. refert Epistolam *Ivonis* Episc. Carnotensis Carnotensibus datam, quæ veteri ordine est C, novo XX, quâ prohibet, ne bellum inferatur Vicecomiti Carnotensi, quòd eum in carcerem conjecerit, quia ante hunc annum Ivonem in carcerem, quod Regis Philippi nuptias probare nollet, detrusum non fuisse Cardinalis doctissimus putavit. Verùm anno superiori monstravimus, *Ivonem* anno MXCII hanc vexationem passum esse. Præterea Baronius refert ibidem Ivonis ad *Hoellum* Cenomanensem Episcopum Epistolam XXI, alias CI, qua ei gratias agit, quod ejus ad Deum precibus è carcere liberatus fuerit. Sed jam anno superiori *Ivo* invitatus fuit ad Conventum Remensem, ideoque in libertatem assertus fuerat; cumque anno MXCII carceri mancipatus fit, ea Epistola vel eo, vel insequenti anno data; ejus enim carceris duratio incomperta.

III. *Epistola Ivonis ad præcedentes annos referenda.*

Ivo in Epistola XXII, alias CII, *Philippo* Regi scribit, se ad Curiam ire non posse, ut suis inimicis respondeat, quòd bona sibi ab eis sublata nondum restituta fuerint. Eam Baronius num. XX recitat, sed ad aliquem ex annis præcedentibus referenda; sicuti Epistola XIX, alias IX, ad *Willelmum* Abbatem Fiscannensem ab Ivone scripta, in qua memorat damna, quæ patitur, quòd illicitò Regis *Philippi* conjugio contradixerit.

IV. *Urbanus II in Gallias venit.*

A num. XXIV ad XXXIV. *Anno ab Incarnat. MXCV Papa Urbanus II, qui præsidebat Apostolico culmini, pervasis Alpibus venit in Gallias; adventus causa ferebatur perspicua, quod violentia Guiberti Roma extrusus, Citramontanas ad sui reverentiam sollicitaret Ecclesias*, inquit Malmesburiensis lib. 4. cap. 2. Bertoldus verò in Chron. hoc anno scribit: *Dominus Papa rebus in Longobardia bene dispositis, in Gallias marino itinere cœpit divertere, & ad Sanctam Mariam ad Podium in Assumptione ipsius pervenit, Synodumq; ad Montemclarum in Octavam Sancti Martini Apostolica auctoritate condixit.* Hoc autem anno dies XVIII mensis Novemb. in quem octava illa incidit, fuit Dominica eoque peractis precibus, feriâ secundâ actiones Synodales de more inchoabantur; indeque Auctor Magni Chronici Belgici hoc anno de hoc Concilio loquens ait: *Sedit à die Luna XIV Kal. Decemb. per dies decem*, ubi tamen loco XIV Kal. legendum, XIII Kal. qui in feriam secundam incidit. Sicut Paschalis II in Gallias veniens, ad Monasterium Cluniacense accessit, ut suo loco videbimus, ita & Urbanus II, ibique Majus Altare consecravit, ut testatur Innocentius II, cujus verba anno MCXXX num. XXXVII referemus. Innocentius quidem II nec diem, nec annum adventus ejus ad illud Monasterium notavit, sed San-Marthani in Episcopis Matisconensibus pag. 681. Urbani II Rescriptum referunt, *datum Cluniaci per manum Joannis S. Rom. Eccl. Diaconi Card. XV Kal. Novemb. indict. III anno MXCVI.* Urbanus verò, uti mox monstrabimus anno Incarnationis Pisano quandoque usus est, ideoque is annus Christi nobis est MXCV, quo mense Octobri currebat indictio IV, in locum indictionis III subroganda. Quare Urbanus II die XVIII mensis Octobris Majus Altare Cluniacensis monasterii, vel aliquo ex proximioribus hoc anno dedicavit. Neque enim dies ille, quo eæ literæ datæ, intelligi potest de die XV Kalend. Novemb sequentis Christi anni, cùm ex ibi dicendis appareat eum jam Gallias reliquisse & in Italiam profectum esse post Concilium mense Julio *Nemausi* congregatum.

V. *Præsides Concilio Claromontano.*

Concilium *Claromontanum* numerosum fuit, sed Patrum numerus incertus. Malmesburiensis laudatus, & Aimoinus lib. 5. cap. 49. tradunt trecentos decem, tam Episcopos, quàm Abbates, ei interfuisse, & tamen Guibertus Abbas Novigenti hujus temporis Scriptor ad Liziardum Suessionensem Præsulem de hoc Concilio habet: *Fuit tantò aliàs celebrius, quantò excellentis & usitata persona ora cernere, verba audire erat desiderabilius* (Urbanus enim II in Gallia natus erat). *Illic præter Episcoporum & Abbatum examina, quos circiter CCCC per præminentes ferulas* (idest, baculos Episcopales & Abbatiales,

les, ut videre est apud Ducangium in voce Fetula) *fuisse aliquos numerant, totius Franciæ & appendicium Comitatuum literatura confluxit*, idest, Magistri seu Professores. Denique in Decreto Urbani II ejusdem Synodi Claromontanæ de Primatu Lugdunensi, à Marca ex Codice MS. eruto in Dissert. *de Primatu Lugdunensi*, dicitur ei interfuisse Archiepiscopos XII, Episcopos LXXX, Abbates XC, & eo amplius. Baluzius in Additione ad lib. VI *de Concordia* cap. 31. publicavit Concilium Claromontanum ex pervetusto Codice MS. Monasterii Anianensis. Et Tom. X Concil. non solum eadem Notitia ex Centii Camerarii volumine descripta; sed etiam quæ Malmesburiensis & Ordericus lib. IX pag. 719. de iisdem Canonibus habent, leguntur.

VI. *Prohibetur Communionis forma per intinctionem facta.*

Canon XXVIII his verbis exprimitur apud Baronium num. XXVII: *Ne quis communicet de altari, nisi Corpus separatim & Sanguinem similiter sumat, nisi per necessitatem & per cautelam.* Idque, inquit Baronius, ob recentem damnatam hæresim Berengarianam, quæ per unam tantum speciem satis esse impleri figuram aiebat. Verùm Marca citatus hanc explicationem rejicit, quia Berengario affingit, quæ nunquam professus est, imò neque ex hæreseos suæ principiis profiteri poterat. Vera itaque hujus loci interpretatio desumenda ex eis, quæ vitiosè à quibusdam disciplinæ Ecclesiasticæ seculo XI parùm callentibus fiebant in Eucharistiæ administratione. Fidelibus enim Eucharistiam sanguine Domini intinctam porrigere non dubitabant, ut testis est Auctor Micrologi, qui ante Gregorii VII tempora scripsit, cap. XXVI. Quæ forma non tantum adversa erat Ordini Romano, sed etiam institutioni Christi, qui Corpus seorsim à Sanguine commendaverat, ut rectè annotavit Concilium Bracarense III anno DCLXXVIII, quod similem corruptelam capite primo damnavit. Usus autem ille utramque speciem commiscendi, hoc tempore servabatur apud Græcos: quem hodie quoque in suis Ecclesiis frequentant, porrecta populis in cochleari Eucharistiâ, liquore sacro poculi intincta. In quo ab illis graviter peccari contra Christi institutionem, *Niceta* pectorato Abbati, disputatione cum eo Constantinopoli habita, objecit *Humbertus* Sylvæ Candidæ Cardinalis Episcopus, Legatus Romanæ Sedis ad Constantinum Monomachum Imp. anno MLIV missus. Gliscebat in Occidente commixtionis usus: adeo ut Ivo in Tractatu de Divinis Officiis eum tolerandum putaret in populi communione. Illam tamen communicandi formam Synodus Claromontana proscribendam duxit his verbis: *Ne quis communicet de altari, nisi Corpus separatim, & Sanguinem similiter sumat.* Separatim, idest sensim, ut loquitur Concilium Bracarense, sive singulatim, quemadmodum Ordericus laudatus sensum hujus Canonis expressit.

VII. *Hujus regulæ exceptio.*

Huic Regulæ hanc exceptionem exhibet Synodus Claramontana: *Nisi per necessitatem & cautelam*, ubi intincti sacrati panis consuetudinem jam sublatam retinet, in excepto *necessitatis* casu, nempe si communio præbenda esset ægris, vel pueris. Tunc enim, ad adjuvandum esum, panis intinctio permittebatur, ut scripsit Paschalis II Urbani successor ad Pontium Abbatem Cluniacensem Epistola XXXII: *Novimus enim per se panem, per se vinum ab ipso Domino traditum. Quem morem sic semper in Sancta Ecclesia conservandum docemus atque præcipimus: præter in parvulis ac omnino infirmis, qui panem absorbere non possunt.* Cautelæ quoque ratio habita est; qua voce receptum à quibusdam morem in distribuenda populis Eucharistia Synodus confirmat. Veriti enim illi, ne Sanguinis effusio accideret: in frequenti communicantium cœtu, solo panis consecrati symbolo laicos impertiebant, non præbito poculo: qua ratione Corpus seorsim à Calice sumebatur. Id egregiè docet Rodulfus Abbas Sancti Trudonis, qui ea ætate vixit, iis versibus, quos laudat Gropperus cap. 44. de Communione alterius speciei:

Hic & ibi cautela fiat, ne Presbyter ægris,
Aut sanis tribuat laicis, de Sanguine Christi:
Nam fundi posset leviter; simplexque putaret,
Quod non sub specie sit totus Jesus utraque.

VIII. *Eucharistia sub solo panis symbolo data.*

Cæterum Eucharistiæ administratio sub solo panis symbolo, Laicis hoc seculo porrecto, magnum incrementum habuit post constitutum à Christianis regnum Hierosolymitanum; ad exemplum antiquissimæ Ecclesiæ illius civitatis: in qua, nulla specierum mixtione facta, solo pane sibi exhibito, adventantis ex Orbe universo populi pietas rem Sacramenti percipiebat. Consuetudo illa unius symboli non statim obtinuit in omnibus Ecclesiis Occidentis, quamvis in quamplurimis servaretur; sed postquam Divus Thomas ea de re consultus, earum Ecclesiarum pietatem & prudentiam in eo usu laudavit: certatim reliquæ omnes illum amplexæ sunt: *Providè*, inquit Sanctus Doctor 3. part. quæst. 80. art. 12. *in quibusdam Ecclesiis observatur ut populo sumendus sanguis non detur.* Plura ad cum Canonem XXVIII Marca laudatus.

IX. *Presbyterorum filios à sacris Ordinibus aliqui arcendos censebant;*

Baronius num. XXXII affert aliqua Decreta in hoc Concilio statuta, inter quæ istud: *Nec filios Presbyterorum, aut aliter etiam ex concubinis susceptos liberos ad Presbyteratus gradus provehi licere, nisi aliquo in monasterio religionem professi essent.* Ipsa verba Concilii & Urbani II refert Antoninus part. 2. tit. 16. cap. 1. *Presbyterorum filios à sacris ministeriis removemus, nisi aut in cœnobiis, aut in Canonicis* (scilicet Regularibus) *fuerint religiosè conversati.* Cùm enim hoc tempore vix paterentur Presbyteri suas sibi auferri uxores, prudenter judicavit Ecclesia, eorum filios à sacris Officiis & Ordinibus omninò arceri. *Roscelinus*, cum anno superiori in Anglia exularet, hanc quæstionem movit, contenditque Presbyterorum filios ad sacros Ordines nullatenus promovendos. Theobaldus verò Stampensis, qui tunc Oxoniæ Scholam Theologicam regebat, contrariam sententiam propugnavit, eamque in rem Epistolam scripsit ad Roscelinum, quæ legitur Tom. III Spicilegii Dacheriani, in qua ait: *Quoniam Sacerdotum filios & alios ex lapsu carnis generatos non satis provida ratione calumniaris, & calumniando illos exleges esse nimis imprudenter adstruere conaris, quæ super iis à Patribus sanctis rationabiliter audivimus, non quasi præsumendo, sed diligentiæ subserviendo, ad memoriam revocare curavimus.* Post plura interposita: *Joannes quoque in Apocalypsi*, qui lavit nos in sanguine suo & fecit nos Deo regnum & Sacerdotes. *Qua igitur fronte quidam homunciones non palam,*

SÆC. XI. An.C. 1095.

lam, sed è latibulis loquentes, & totam Campaniam libidinosa peregrinatione polluentes, indignos Sacerdotio indicant, quo Petrus & Joannes Regali Sacerdotio dignos esse confirmant? &c. *ideoque Deus nasci voluit de progenie peccatricis, ut discerent homines peccata parentum non obesse sibi. Unde in Genealogia Christi nulla Sanctarum nominatur, sed Thamar & aliæ tres, quas divina pagina reprehendit, apponuntur, ut qui pro peccatoribus veniebat, de peccatoribus nasci dignaretur.*

X. *Decretum, ut cum dispensatione Sedis Apostolicæ ad eos admitti possint.*

Paulò pòst: *quod prohibetur, ne filii sacerdotum ad Ordines promoveantur, sic est intelligendum secundum Augustinum, eosque qui hanc prohibitionem audiunt, ab hujusmodi concupiscentiis abstinere debere. Si enim filius Sacerdotis honestè vivit, ordinandus est; si vero filius militis inhonestè vivit, repudiandus est; quia magis placet Deo vitæ perfectio & contra peccatum affectio, quàm superba de parentibus gloriatio: filii namque sacerdotum non ideo quod sint exleges, refutantur, sicut imperiti homines arbitrantur, sed ut Sacerdotes à concupiscentiis carnis refrenentur. Quia nimirum quemlibet sacro fonte renatum vel plenariè divina mundat gratia, vel sacri mundatio lavacri non est sufficiens, nec plenaria, quod contradicit fides Catholica. Non enim sunt exleges judicandi, quorum Deus ipse est pater, & quos peperit Christi gratia omnium regeneratorum pussima mater, nec debemus illis delictum patris, sive thorum matris improperare, sed potius perfectionem diligenter attendere: quoniam patris sive matris perpetratum crimen non potest filius paradisi claudere limen. Unde quidam Sapiens.* Quid meruêre pati quocunque thoro generati? Plura eamdem in rem idem Theobaldus Oxoniæ Magister. Hanc controversiam diremit Urbanus II in Concilio Claromontano, vetuitque quidem Sacerdotum filios ad sacros Ordines promoveri absque dispensatione Ecclesiastica, aut nisi cœnobiis nomen dederint, eos tamen cum dispensatione sanctæ Sedis admisit. Hinc ad Archiepiscopum Turonensem scribens: *Cenomanensem Electum*, inquit, *eo quod filius Sacerdotis dicitur, si cetera virtutes in eo conveniunt, non rejicimus, sed suffragantibus meritis eum patienter suscipimus, non tamen ut pro regula imposterum hoc assumatur; sed ad tempus Ecclesiæ periculo consulitur.* Mabillonius Tom. I Musei Italici part. II exhibet Epistolam Noviomensium Clericorum ad Cameracenses datam *de filiis Clericorum ad sacros Ordines admittendis.*

XI. *Expeditio Hierosolymitana præcipua causa hujus Concilii.*

A num. XXXIV ad LII. Concilium Claromontanum ob expeditionem in Terram Sanctam ab Urbano II indictum, quod, ut melius intelligatur, summariè hîc ex Guillelmo Tyrio lib. 1. cap. 9. & seqq. quo in statu res in Oriente essent, exponam. *Turcæ* jam Syriam, & utramque Ciliciam, Isauriam, Phamphiliam, Lyciam, Pisidiam, Lycaoniam, Cappadociam, Galatiam, & utrumque Pontum, Bithyniam, & Asiæ Minoris partem infra modicum tempus in suam potestatem redegerant, Ecclesias dejiciebant, & Christianos magno furore persequebantur. Quod si navium copiam habuissent, Constantinopolim procul omni dubio sibi subjecissent. Neque ad sacra loca devotionis causâ tam Græci quàm Latini proficisci poterant, nisi per mille mortis genera. Christianis Hierosolymis post longam peregrinationem inclusis mors singulis diebus imminebat, quando Sacerdos quidam *Petrus nomine, de Regno Francorum, de Episcopatu Ambianensi, qui & re & nomine cognominabatur Eremita*, devotionis fervore incensus Hierosolymam pervenit.

SÆC. XI. An.C. 1095

XII. *Hujus expeditionis auctor vel incentor Petrus Eremita.*

Is moram faciens in civitate pleniùs didicit quod prius aliis referentibus audierat; cumque accepisset civitatis Patriarcham nomine *Symeonem* esse virum religiosum & timentem Deum, eum alloqui voluit. Patriarcha familiariùs ei narravit quæ populum Dei magis affligebant, & quærenti *Petro* num tot malis superesset aliquod remedium, respondit Patriarcha, quoad Græcos nullum auxilium ab illis sperandum esse, quia *infra paucos annos plusquam dimidium amiserunt imperii.* Promisit *Petrus* quod si ille Papæ, & Regibus ac Principibus Occidentis tantas calamitates significare vellet, paratum se esse omnes convenire, & ad afferendum aliquod remedium diligenter invitare. Ecclesiam Dominicæ Resurrectionis ingressus *Petrus* visionem habuit Christi, ut injunctam sibi legationem intrepidè perageret exhortantis. Hinc navim conscendit, & prospera usus navigatione Romam venit, circa quas partes Urbanus II reperiebatur. Promisit Pontifex se tempore accepto fidelem cooperatorem futurum, interimque Petrus permensâ Italiâ Alpes transiit, Occidentales Principes omnes sigillatim monuit, increpavit, rogavitque, ut fratribus in tanta afflictione positis subvenire non differrent. *Fuitque domino Papæ, qui enim ultra montes sine dilatione sequi decreverat in eodem verbo plurimùm necessarius. Nam præcursoris functus officio, auditorum mentes ad obediendum præparaverat, ut facilius idem persuadere volens, obtineret propositum, & universorum animos ad se compendiosius inclinaret*, inquit Tyrius cap. 13.

XIII. *Urbanus II ad hanc expeditionem omnes hortatur.*

Urbanus II in Concilio Claromontano *promulgatis canonibus, qui ad morum ædificationem, & corrigendam delictorum enormitatem poterant proficere, suggerente Petro Eremita*, pluribus hortatus est omnes qui in Synodo erant, ut Christianis in afflictione positis subvenirent: *Noverunt*, inquit, *ex vobis nonnulli, qui hæc quæ loquimur, oculata conspexerunt fide, & præsens illorum per manum Petri, viri venerabilis (qui præsens est) ad nos delata docet Ecclesia. Nos autem de misericordia Dei & B. Petri & Pauli Apostolorum auctoritate confisi, fidelibus Christianis, qui contra eos arma susceperint, & onus sibi hujus peregrinationis assumpserint, injunctas sibi pro suis delictis pœnitentias relaxamus.* Non solum præsentes, sed etiam absentes Urbani II verba accenderunt. *Non erat in regnis Occidentalibus, qui aut ætatis, aut sexus, aut conditionis, aut status vellet esse memor, aut aliquibus persuasionibus deterritus ab incepto desisteret: sed omnes indifferenter manus dabant, omnes unanimiter corde & ore votum profitebantur. Catervatim concurrebant populi, ubicumque unum de Principibus iturum novissimè audierant, ut se illius comitatui sociarent, ejusque super se in toto itinere invocarent nomen, obsequia promittentes & fidem.*

XIV. *Philippus Rex Galliæ in hoc Concilio excommunicatur.*

In hoc Concilio Urbanus II *Philippum* Regem Galliarum excommunicavit, ut refert Baronius num. XXIV ex Bertholdo in Chron. *Fulco* enim Andegavorum Comes, *Bertradæ* maritus questus est, quod sibi uxorem subtraxisset,

set, & etiam illicitè retineret. Is hoc anno piam quamdam Donationem fecit Monasterio Andegavensi Sancti Sergii pro suorum, & parentum peccatorum absolutione, Missaque singulis hebdomadis celebranda, quæ his verbis clauditur: *Facta est autem hac donatio anno ab Incarnat. domini millesimo nonagesimo quinto, indictione III, die sabbati, Luna XXV, Urbano Apostolico Francia ex adulterio Philippi indigni Regis fœdata, Radulfo Turonensium Metropolytano, Gofrido Andegavorum Episcopo. Deo gratias. Amen.* Exhibet eam integram Peireskius in Registro LVII, jussu suo anno M DCXXII à duobus Notariis ex archetypo recognitam. Fuit *Fulco* pater Fulconis seculo sequenti Regis Hierusalem renunciati.

XV. *Simonia prohibetur.* Decreto primo Concilio Claromontani, à Baronio num. XXXI relato, *simonia* prohibetur. Idem hoc seculo præstitum fuerat à Leone IX in Concilio Remensi, deinde à Gregorio VII per suos Legatos Amatum Oleronensem, & Hugonem Diensem Episcopos, ac sanctum Hugonem Abbatem Cluniacensem, qui coactis variis in provinciis Synodis Episcopos & Canonicos simoniacos in ordinem redegere, verùm hæc corruptela adeo hoc & sequenti seculo invaluit, ut ei etiam Principes ipsi auctoritatem darent. Indeque Guibertus Abbas de Novingento lib. 1. cap. 7. testatur, sua ætate, hoc scilicet & sequenti seculo, quo mortuus est anno MCXXIV, Presbyteros ægrè semper tulisse, tum simoniacorum abusuum emendationem, tum etiam sibi interdicta subinde matrimonia. Carpit Guibertus Henricum Primom Franciæ Regem, qui, ut ait, *multum erat cupidus & Episcopatuum venditionibus assuetus.* Sed & Philippum ac successorem *hominem in Dei rebus venalissimum appellat.* Quod confirmat Michael Scotus cognomento, & patria Dunelmensis. Is Friderico II & Imperatori familiaris fuit lib. 4. Mensæ Philosophicæ cap. 28. ait: *Cùm Episcopus Carnotensis promisisset Philippo Regi Franciæ, quod primam prabendam sibi daret ad votum, & cùm multa vacassent per vices, indignatus est Rex: cui remandavit, quod nullam adhuc dederat, sed omnes vendiderat.* Neque Michaelis Scoti testimonium in dubium revocandum; cum Lisiardus Suessionensis Episcopus in Vita Sancti Arnulphi decessoris sui, quæ extat apud Surium ad diem XV mensis Augusti cap. 9. scribat: *Interea defungitur Abbas Reinaldus* [sub cujus disciplina in Monasterii Sancti Medardi Sanctus Arnulphus Monachus vivebat], *& instigante ambitionis spiritu, Pontius quidam pseudo-Monachus, gradu comparativo, non secundum Grammaticam, sed juxta Simoniam, à Rege Francorum Philippo nomen & sedem Abbatis adipiscitur.* Porrò Lisiardus obiit anoo MCXXV, ut dicitur in Chron. Remensi Tom. I. Biblioth. Labbei. Sed exempla simoniæ in Gallia, Anglia, Italia, Germania; aliisque regionibus libros implent.

XVI. *S. Bruno Curiam Romanam relinquit.* Ad num. LII. *Divus Bruno* Cartusiensium institutor anno MXC Romam ab Urbano II vocatus fuit, ut suprà diximus: *Qui cogente Papa Urbano, cujus quondam Præceptor fuerat Romanam porrexit ad Curiam, eumdem Papam solatio & consilio in Ecclesiasticis negotiis juvaturus. Sed cùm tumultus, & mores Curia ferre non posset, relicta solitudinis & quietis amore flagrans, relictâ Curiâ, contempto etiam Archiepiscopatu Rhegiensis Ecclesia, ad quem ipso Papa volente electus fuerat, in Calabria eremum, cui Turris nomen est, secessit ibique laicis & Clericis quamplurimis adunatis solitaria vita propositum quandiu vixit: exercuit*, inquit Auctor Anonymus Libelli *de Institutionibus Ordinis Cartusiensis.* Cùm autem Auctor Vitæ Sancti Brunonis à Surio ad diem VI mensis Octubris editæ scribat, Brunonem in Calabriam periisse, antequam *Pontifex è Placentia abiret in Gallias*, celebrato nempe hoc anno Concilio Placentino; apparet Brunonem non annos tres, ut habet Baronius, sed annos quinque in Curia Romana mansisse.

XVII. *Institutio Congregationis Antonii Magni in Gallia.* A num. LVIII. Postquam *Gasto* vir nobilissimus provinciæ Viennensis & *Girinus* filius ejus meritis Sancti Antonii Magni sanitatem recepêre, statim se & sua pietatis operibus exercendis dedicarunt, quibus in hoc sancto proposito haud multò pòst octo viri se se adjunxerunt, & piissimam inter se societatem & fraternitatem inierunt. Hæc paulatim sublimiùs provecta, postquam custodiam corporis Sancti Antonii adepta, Regulam Sancti Augustini amplexa est, hujusque instituti plurium monasteria paulatim erecta sunt per Galliam, Italiam, Hispaniam, Germaniam, aliasque orbis Christiani provincias, ut narrat Aimarus in Historia hujus Ordinis parte 2.

XVIII. *Congregatio Antoniana ad statum Religionis evecta.* Antoniani Xenodochii Sancti Antonii curam gessêre usque ad annum MCCVIII & Præfecturam *Falconis*, proprio carentes Templo, in quo privatis pietatis exercitiis possent incumbere Postea *Falco* Ecclesiam construere cœpit; Benedictini quidem ad quos Sancti Antonii Prioratus pertinebat, aggredienti obstitêre, sed *Humbertus* Archiepiscopus Viennensis utrarumque partium compromissarius causam Antonianis adjudicavit, & Innocentius III ejus sententiam confirmavit. His non contentus *Falco* suos solennibus votis obstringere meditatus est, idque ab *Honorio* III Summo Pontifice anno millesimo ducentesimo decimo octavo obtinuit; à quo tempore Antoniana Congregatio, quæ per centum viginti tres annos ant citerer nulla vota emiserat, ad statum Religionis & Ordinis Sancti Antonii evecta est. Tandem *Bonifacius* VIII anno MCCXCVII, Bullâ suâ *Quarto Idus Iunii* datâ, Prioratum Sancti Antonii imposterum Abbatiam esse voluit; Religiosos ejusdem Ordinis Canonicos declaravit; & ut Regula Sancti Augustini ab illis deinceps servaretur, statuit. Tunc *Aymo* primus Abbas Ordinis Sancti Antonii institutus; ut Aimarus Falco in Historia ejusdem Ordinis narrat.

XIX. *Concilium Lemovicense.* Urbanus II postquam Concilium Claromontanum celebravit, cum pluribus Archiepiscopis & Episcopis *mense Decembrio, X Kal. Januarii* Lemovicas venit; & Basilicam Sancti Martialis dedicavit *Secundo Kal. Iannarii*, ac in perpetuum *diem illum solemnem & celebrem dedicationis agi constituit*, ut narrat Beslyus in Historia Pictaviensi, & Tabulario Lemovicensi. Gaufredus Prior Vosiensis in Chron. hoc anno scribit: *Decimo Kal. Januarii, Lemovicas advenit Urbanus Papa*, additque Humbaldum Lemovicensem Episcopum accusatum, & convictum ab Urbano II depositum esse. In Synodo ibi ab eodem Pontifice habita de profectione Hierosolymitana, sicut & in omnibus per Galliam Conciliis, sine dubio actum. Chronographus enim Malleacensis, qui hoc tempore vivebat, ad annum

SÆC. XI. An. C. 1093. ipso inquit Ivo in Epist. XII *Sedem Apostolicam appellavi, & decretis Apostolicis, quamvis ea nonnisi in futurum timerent, à sua præsumptione revocavi.* Verùm cùm Ivo ante diem XXIV mensis Novembris anni MXC Capuæ ab Urbano II Episcopus ordinatus fuerit, Concilium adversus illam ordinationem Stampis habitum, ad annum MXCI retrahendum, ut rectè Collartius Tom. X Concil. pag. 717. Sed frustrà illud Concilium fuit; Ivo enim Episcopus Carnotensis remansit.

V. *S. Anselmus fit Archiep. Cantuariæ.* A num. XI ad XIV. Vitam *Sancti Anselmi* Archiepiscopi Cantuariensis scripsit Eadmerus, sive Edmerus, Monachus Cantuariensis, ejus in Archiepiscopatu individuus comes, qui & pluribus de illo agit in Historia Novorum, quæ omnia ad diem XX mensis Aprilis in Actis SS. Bollandianis leguntur. Willelmus II Anglorum Rex gravi langore correptus de Cantuariensi Ecclesia jam per quadriennium Pastore orbata tandem cogitavit, eique Anselmum præposuit: *Rapitur ergo*, inquit Eadmerus lib. 2. ejus Vitæ cap. 1. *& violenter in vicinam Ecclesiam cum hymnis & laudibus portatur magis, quam ducitur. Acta sunt hæc anno dominicæ Incarnat. millesimo nonagesimo tertio, pridie nonas Martii, prima dominica Quadragesimæ.* Paulò pòst: *Tandem post longum temporis spatium, obedientia simul ac necessitate compulsus, consensit; & pridie Nonas Decembris debito cum honore ab omnibus Episcopis Angliæ, Cantuariæ consecratus est.* Natus erat *in Augusta civitate* seu Augusta Prætoria in hodierno Pedemontio sita, idque circa annum MXXXIII; cùm juxta Chronicon Beccense anno MLX Monachum induerit, & in ejus Vita lib. 1. cap. 8. dicatur, eum Becci *anno ætatis suæ vigesimo septimo* Monachum factum esse. Reliqua ex ejus Actis accuratè conscriptis repetenda.

VI. *Obitus Anselmi III Archiep. Mediolanensis.* Ad num. XIV. Bertoldus in Chron. refert, *Anselmum III* Mediolanensem Archiep. Ecclesiæ Romanæ addictissimum, *& qui nuper Conradum Regem incoronavit*, piè obiisse, *cui venerabilis Arnoldus de Porta argentea* (sive Orientali) *in Episcopatu successit*, inquit Bertoldus. *Obiit pridie Non. Decembris* juxta Catalogos omnes, ex quibus unus à Papebrocio Tom. VII SS. Mensis Maii publicatus. *E medio sublato potentissimo Ecclesiæ Mediolanensis invasore* (nempe Tedaldo) *erigere caput ea capit, excussoque è cervicibus jugo schismaticorum, Catholicum sibi deligit Antistitem, Anselmum ejus nominis III* ait idem Bertoldus. Quæ verba Papebrocius ibidem pag. 75. scribit videri intelligenda potius *de laudabili Anselmi progressu, quàm ingressu.* Verùm virum doctissimum decepit Sigonius lib. IX de Reg. Italiæ, quem anno MLXXXV num. V refellimus. Idem Sigonius *Arnoldum* Anselmi III successorem schismaticum facit, aitque *quem Henricus, ut consueverat, per annulum & virgam investivit*; sed hac in re eum solidè confutat Puricellus in Monumentis Ambrosianæ Basilicæ, & lib. 4. de Sanctis Arialdo & Herlembaldo, quia, ut testatur Bertoldus laudatus, jam hoc tempore in annos viginti Mediolanenses fœdus adversùs Henricum Imp. pepigerant, & ita ab eo aversi erant, ut Anselmus III hoc anno *Conradum* adversus patrem rebellem coronarit, ut docet idem Bertoldus. Ad hæc Sigonius tradit, *Arnoldum* ab uno tantum Catholico Episcopo consecratum esse, & eo nomine à Legato Apostolicæ Sedis abdicatum. SÆC. XI. An. C. 1093.

Hæc Sigonius ad annum MXCII, quô perperàm Anselmi III mortem consignat, qui deinde ad annum MXCV de Urbano II ad Concilium Claromontanum proficiscente verba faciens, ait: *Inde Mediolanum progressus* (sc. Urbanus II) *Arnulphum Archiepiscopum è cœnobio evocavit, ac præsidere Ecclesiæ jussum insuper etiam Pallio decoravit, atque ita Ecclesiam Mediolanensem Romanæ post tot annos restituit.*

VII. *Ei succedit Arnoldus.* Primum quidem, quod nempe Urbanus II Pallium Arnoldo concesserit, asseritur etiam ab Auctore Anonymo Vitæ Urbani II, & quidem coævo, cujus exemplar habuêre Baronius, ut ipsemet indicat anno MXCIX num. XXIV, & Papebrocius, qui in Urbano II multa ex ea Vita in medium profert. At secundum, quod scilicet Mediolanensem Ecclesiam Romanæ restituerit, his verbis à Puricello lib. 4. cap. 79. confutatur: *Ea quippe* (inquit, nempe Ecclesia Mediolanensis) *semetipsam illi* (videlicet Romanæ) *restituerat anno domini MLXXVII*; quod eò certius, quò Mediolanenses jam fœdus cum Urbano II adversùs Henricianos fecerant, ut mox dixi. Bertoldus, cujus verba recitat Baronius anno MXCV num. V tradit, Saltzburgensem Archiepiscopum, Pataviensem, & Constantiensem *Arnulphum Mediolanensem Archiepiscopum, diu quidem electum, sed nondum consecratum, eodem tempore ex concessione Domini Papæ, Mediolani* consecrasse. Sed cùm laudatus Anonymus, qui Romæ scripsit, affirmet eum jam antea ab uno tantum Catholico Episc. fuisse consecratum, quibusdam aliis Episcopis Schismaticis manum non imponentibus, ab eo non recedendum.

VIII. *Moritur S. Margarita Scotiæ Regina.* Hoc anno contigit quod Ordericus lib. 8. pag. 701. narrat, Malcolmum nempe hujus nominis III, Scotorum Regem, à Roberto de Molbraio & Morello nepote ejus ex insperato inermem occisum fuisse. Erat Malcolmus Sanctæ Margaritæ maritus, de qua Ordericus scribit: *Margarita Scotorum Regina tam tristi nuncio de morte viri sui perculsa contremuit; omnesque regni sui Proceres convocavit, eisque filios suos Edgarum, & Alexandrum & David commendavit; ac ut eos sicut filios Regis honorarent, obsecravit. Susceptis autem precibus ejus cum ingenti favore à Curia jussit aggregari pauperum agmina, eisque pro amore Dei omnem thesaurum suum distribui: omnesque rogavit, ut pro se, marito suo, prolequæ sua dominum studerent deprecari. Hæc nimirum filia fuit Eduardi Regis Hunorum* (id est, Hungarorum): *qui fuit filius Edmundi cognomento Irnesida, fratris Eduardi Regis Anglorum* (cognomento Confessoris): *& exul conjugem accepit cum regno filiam Salomonis Regis Hunorum. Generosa quippe mulier de sanguine Regum à proavis orta pollebat; sed morum bonitate, vitaque sanctitate magis prælucebat. Denique competenter ordinatis rebus, & Gazis distributis pauperum catibus, Ecclesiam intravit, Missam à Capellanis celebrari rogavit. Sacris deinceps devotè solemnius interfuit, & post sacra perceptionem Eucharistiæ inter verba orationis expiravit*, & quidem hoc anno, ut Hovedenus, Vigorniensis, Simeon Dunelmensis, aliique Historici Anglici testantur.

IX. *Ejus liberi.* Duas reliquit filias, *Edith*, postea Mathildem appellatam, & *Mariam*; priorem Henricus, postquam Regnum Anglorum adeptus est, uxorem

rem duxit, alteram Eustachius Boloniensis Comes. Baronius anno MXCVII num. CLIV Sanctæ Margaritæ mortem narrat, eamque in rem Rogerium citat; quo nomine Rogerium Hovedenum de more intelligit. Verùm hic hanc mortem pag. 463. & seqq. cum hoc anno illigat. Ait præterea Baronius, ejus Vitam scriptam esse ab Aldredo Abbate, quod alii non docent, neque ejus Vita aliqua antiqua extat. Clemens Papa hujus nominis Decimus eam Scotiæ Patronam declaravit, & nomen ejus in Breviarium Romanum inseruit, ubi hodie legitur ad diem VIII mensis Julii. Malcolmo & sancta Margarita demortuis, Scotia variis tumultibus vexata fuit, nec eorum filii ante annum MXCVII regnare potuêre. Eo enim anno, uti narrat Simeon Dunelmensis in Hist. de Gest. Reg. Angl. Willelmus Anglorum Rex *Eadgerum ad Scotiam cum exercitu misit, ut in ea consobrinum suum Eadgerum Malcolmi Regis filium, patruo suo Dunefaldo, qui regnum invaserat, expulso, Regem constitueret*; quod & factum fuit.

Anno Eræ Hispan. MCXXXII. Anno Hegiræ CCCCLXXXVII inchoato die 2. Januar. fer. 7.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6587.

☉ 11. A. ☽ 12. P. 9. April. Indict. 2.

JESU CHRISTI 1094.

URBANI II. PAPÆ 7.

HENRICI IV REG. 39. IMP. 11.

ALEXII COMNENI IMP. 14.

I. *Gesta inter Henricianos & Catholicos.*

A Num. I ad num. IV. *In Italia, qui ad Imperatorem ab hostibus ejus se transtulerant, eo ad Galliam reverso, omnesque penè ad hostes ejus rursùs transeunt, & munitiones ab eo expugnatas contra eum muniunt*, inquit Sigebertus in Chron. ad hunc Christi annum. De hac profectione Germanica, quam Gallicam Sigebertus appellat, nec Domnizo, nec Urspergensis, nec Bertoldus mentionem faciunt; imò Henricum anno tantum MXCVII ex Italia discessisse asserunt. Quare *Henricus* hoc vel superiori anno in Germaniam quidem venit, sed non multò pòst in Italiam rediit. Neque enim Sigebertus, qui hoc tempore in Gallia Belgica vivebat, hoc ignorare potuit. *Henrici* rebus inclinantibus existimavit *Mathildis* Comitissa, ut refert Domnizo in ejus Vita, præsentiam Urbani II Catholicis Longobardiæ animos facere posse, & Guibertinos metu afficere, ideoque Pontificem rogavit, ut illuc se conferret; quod & ab eo obtinuit, indeque, ut habet Bertoldus in Chronico, *Urbanus II* Natale Domini in Tuscia celebravit, dum scilicet in Longobardiam pergeret. Anno quidem superiori Urbanus *Romæ* eamdem festivitatem celebravit, sed quia Guibertini Castellum Sancti Angeli adhuc occupabant, Catholici Romæ & in Italia, finem hujus intestini belli summis votis exoptabant.

II. *Urbanus II recuperat Palatium Lateranense.*

Goffridus, *juvenis ætate, XII Kal. Septemb.* anni superioris Abbas Vindocinensis electus, & *ab Ivone Episcopo Carnotensi XI Kal. earumdem* consecratus, ut testatur Chronicon Andegavense Tom. I Biblioth. Labbei, Romam ad Urbanum II Guibertinæ factionis metu latitantem profectus, pecuniam unde Lateranum, & turrim Crescentiam, hodie Castellum Sancti Angeli dictam, redimeret, contulit, ut ipsemet in Epistola VIII ad Paschalem II Urbani successorem data hoc modo narrat: *Primo anno, quo, Deo volente vel permittente, nomen Abbatis suscepi, audivi piæ recordationis dominum Papam Urbanum in Domo Joannis Fricapanem* (vel Franchipanem) *latitare, & contra Guibertistam hæresim viriliter laborare. Licet locus noster pauper esset, Romam tamen veni, illius persecutionum & laborum volens particeps fieri, & suam pro posse meo desiderans supplere inopiam: quod & Dei gratiâ feci. Mala, quæ in itinere & in civitate passus sum, nostrorum per omnia, ne agnoscerer, factus famulus famulorum, longum est enarrare. Quasi alter Nicodemus ad dominum Papam in domum prædicti Joannis nocte veni: ubi eum penè omnibus temporalibus bonis nudatum, & alieno ære nimis oppressum inveni. Ibi per Quadragesimam mansi cum illo: &, si fas est profiteri veritatem, ejus onera inquantum potui, caritatis humeris supportavi. Quindecim verò diebus ante Pascha Ferruchius, quem Lateranensis Palatii custodem Guibertus fecerat, per internuncios locutus est cum domino Papa, quærens ab eo pecuniam, & ipse redderet illi turrim, & domum illam. Unde dominus Papa cum Episcopis & Cardinalibus, qui secum erant, locutus, ab ipsis pecuniam quæsivit: sed modicum quid apud ipsos: quoniam persecutione & paupertate simul premebantur, invenire potuit. Quem ego, cùm non solum tristem, verum etiam præ nimia angustia lachrymantem conspexissem, cæpi & ipse flere, & flens accessi ad eum dicens, ut securè cum Ferruchio iniret pactum. Ibi aurum & argentum, nummos, mulas & equos expendi: & sic Lateranense habuimus, & intravimus Palatium. Ubi ego primus osculatus sum Domini Papæ pedem, in Sede videlicet Apostolica, in qua longè ante Catholicus non sederat Papa.* Ita Guibertus ab Urbano II, Petro Leonis, & Abbate Vindocinensi ante Pascha Româ expulsus fuit, ut in Epist. in sequenti idem Abbas scribit.

III. *Synodus Constantiensis.*

Interim *Gebehardus* Constantiensis Episcopus in Majori hebdomada Constantiæ Synodum celebravit, de qua hæc Bertoldus à Baronio citatus: *Querimonia Praxedis Reginæ, quæ dudum ad Welphonem Ducem Italiæ, à marito suo Henrico Rege discessit, ad Synodum Constantiensem pervenit, quæ se tantas, tamque inauditas fornicationum spurcitias, & à tantis passam fuisse, conquesta est, ut etiam apud inimicos fugam suam facillime excusaret, omnesque Catholicos ad compassionem tantarum injuriarum sibi conciliaret.* Porro Gebehardus, seu Gebhardus Zaringensium Dux in locum Ottonis à Gregorio VII Episcopali honore privati subrogatus fuerat, & Urbani II in Germania Legatus erat; adversus quem cùm Henricus Imp. Arnolfum Comitem de Sancto Monte Episcopum constituisset, gregem suum dimittere coactus fuit circa annum MXCIX, & postea *controversia inter Electum & intrusum ipsos XII duravit annos*, ut legitur in Chronico Constantiensi.

IV. *Philippus Rex cum uxore divortium facit.*

A num. IV ad XV. *Rex Philippus, suggestione diabolica Bertham Reginam repudiavit, & ei subtrahens suam præsentiam, ad castrum quod dicitur Monsterolium, supra mare situm, quo illam dotaverat, eam destinavit: & (quod turpe est dicere, turpius autem facere, nec ad tantum pertinet virum) libidini deserviens Fulconi, Rechin Andegavensium Comitis suam abstulit uxorem nomine Bertradam: cum qua pluribus annis adulte-*

rans, genuit ex ea duos filios & unam filiam, Philippum scilicet & Florum & Comitissam Tripolitanam, loquit Aimoinus lib. 5. cap. 50. Erat Bertha Florentii Comitis Frisiæ Filia, à Philippo Francorum Rege circa annum MLXXI uxor ducta, ex qua *anno dominica Incarnat. MLXXXI natus est futurus Rex Ludovicus, orationibus & meritis sancti Arnulphi* (hoc tempore Suessionensis Episcopi, de quo Baronius num. VIII & seq.) *impetratus: qui utinam at bono fine potiatur, ejusdem Sancti suffragio sit adjutus*, inquit Lisiardus Sancti Arnulphi in Episcopatum Suessionensem successor in ejus Vita Tom. IV Duchesnii pag. 163. & seqq. Hic Ludovicus cognomento *Grossus* post Philippum Patrem in Francia regnavit. *Bertrada* verò Simonis de Montefortii filia nupta erat Fulconi Andegavensi Comiti, vulgo *Richino* ob morum asperitatem appellato, quæ ad Philippum Regem fugit, & post ejectam ab eo *Bertham* nuptias cum illo contraxit, quod graves turbas in Galliis concitavit. *Urbanus* enim II illicitum illud conjugium, sicuti & Paschalis II ejus successor, improbavit, & *Philippum* excommunicavit.

V. *Quo anno hoc divortium factum.* Hoc matrimonium Baronius, & cum eo complures ex meris conjecturis hoc anno consignarunt. Verùm Clarius vel alius quispiam in Chronico sancti Petri Vivi Senonensis post Baronii mortem Tom. II Spicilegii Dacheriani publicato, annum quo hæ turbæ inchoatæ & Bertha Regina dimissa, his verbis aperit: *Anno MXCII Philippus Rex dimisit uxorem suam nobilissimam, de qua habuit filium suum Ludovicum, & accepit Bertradam, quæ reliquerat Fulconem Andegavensium Comitem.* Præterea Ordericus lib. 8. pag. 699. referens gesta anno MXCII ait: *Circa hæc tempora, in regno Galliæ fœda turbatio exorta est. Bertrada enim Andegavorum Comitissa metuens, ne vir suus, quod jam duabus aliis* (nempe uxoribus) *fecerat, sibi faceret, & relicta contemptui ceu vile scortum fieret, conscia nobilitatis & pulchritudinis suæ fidissimum Legatum Philippo Francorum Regi destinavit, eique quod in corde tractabat, evidenter notificavit*, &c. Blondellus in Diatribe de Formula regnante Christo pag. 315. verbis illis fretus Philippi Regis divortium cum Berta Regina anno MXCIII alligat. Verùm si Vir doctissimus Urbani II literas, de quibus mox, vidisset, Ordericum de anno MXCII interpretandum esse non dubitasset. Addit Blondellus ex eodem Orderico Regem desponsante *Odone* Bajocensis Episcopo *Bertradam* duxisse; sed de hoc capite Ordericus non bene edoctus fuit; hujus enim culpæ non Bajocensis, sed Silvanectensis Episcopus reus fuit, ut statim videbimus. Hanc nostram opinionem de anno conjugii Bertradæ cum Philippo Franciæ Rege validè confirmat Instrumentum recitatum à Mabillonio in fine Partis I Sec. IV Benedictini inter Monumenta Historica pag. 763. quod dicitur scriptum *mense Maii ipso anno, quo Philippus Rex Francorum accepit uxorem Bertream nomine, uxorem Fulconis Andegavensium Comitis, anno videlicet ab Incarnatione domini MXCII.*

VI. *Urbanus II hoc divortium reprobat.* Hæc extra controversiam ponit Epistola Urbani II ad Raynoldum Archiepiscopum Remensem, & suffraganeos ejus, *data sexto Kalendas Novembris, anno videlicet Dei Christi MXCII*, ut in fine ejus legitur, recitata Tom. V ejusdem Spicilegii & ex eo Tom. X Concil. pag. 463. in qua Pontifex, narrato & improbato Philippi cum Bertrada connubio, ait: *Te autem, Charissime Confrater Raynolde, noxa hæc maximè impetit, pro eo quod Sylvanectensis subjectus tibi Episcopus, hoc publici Adulterii crimen, suo, ut audivimus, firmavit assensu, cùm mœchis illis benedictionis Sacerdotalis manus imposuit. Quod etsi licitè nuberent, bigamis tamen impendi secundùm canones non liceret. Nunc igitur vobis Apostolica auctoritate præcipimus, ut his visis apicibus, quod etiam non jubentibus nobis jam dudum fecisse vestram prudentiam decuisset, maturè convenire curetis Regem, & ex Dei & nostra pariter & vestra parte instanter commoneatis, arguatis, obsecretis, increpetis, & à tanto, tamque horrendo facinore desistere compellatis. Quod si contempserit, & vobis & nobis necessitas imminebit, ut ad ulciscendas divinæ legis injurias pro nostri officii debito accingamur, & Phinees Gladio Madianitas adulteros perforemus.*

VII. *Petit, ut Ivo Episc. Carnotensis è carcere educatur.* *Eamdem quoque instantiam pro ereptione confratris nostri Carnotensis Episcopi* (scilicet Ivonis) *adhibete; Quod si monitis vestris, qui eum cepit, obtemperare contempserit, vos & ipsum excommunicationi subjicite, & castellis in quibuscumque eum retinuerit, & terræ ejus divinum Officium interdicite, ne similia deinceps in viris hujus Ordinis præsumantur. Ut Ordinem vestrum diligitis, ita hoc accelerare omnibus modis satagetis. Valete Data sexto Kalendas Novembris*, ut suprà. Quare Epistola Ivonis aliàs C, nunc XX, *Clericis & Laicis Carnotensibus* scripta, & à Baronio anno MXCV num. XXI & seq. recitata, ad annum MXCII, quo Ivo à Carnotensi Vicecomite captus, retrahenda. Ait in ea Ivo: *Audivi Primates urbis vestræ adinvicem conjurasse guerram se facturos adversus Vicecomitem pro mea liberatione. Quod nequaquam mea liberatio est, sed inclusionis meæ non solùm exasperatio, sed interminata productio. Quare ne fiat, prohibeo, interdico*, &c. Ad eum annum reducenda etiam Ivonis Epistola utroque ordine XIV, *Archiepiscopis & Episcopis ad Regales nuptias invitatis* data, sicuti & Epistola ab Ivone Philippo Francorum Regi scripta, quæ est ordine XV, & Epistola Ivonis *ad Raynaldum Remensem Archiepiscopum*, cujus erat nuptias benedicere, scripta, quæ novo & veteri ordine est XIII, quas omnes Baronius hoc anno refert; cùm tamen Ivonis detentionem præcesserint, ideoque ad annum MXCII spectent. Denique ex recitata Urbani II ad Raynaldum Remensem Archiep. Epistola liquet, deceptos esse Viros Eruditos, qui in initium Episcopatûs Ivonis mense Novembri Capuæ ordinati, vel ad annum MXCII, vel ad annum MXCIII retulêre, cùm anno MXCII ante diem XXVII mensis Octobris jam Episcopus fuerit, ideoque & consecratus mense Novembri anterioris Christi anni, ut suprà ostendimus. *Ivonem* in carcere ipsam etiam penuriam panis perpessum, testatur Hildebertus Cenomanensis Episcopus Epist. C.

VIII. *Conventus Remensis.* A num. XV ad XXVII. *Philippus* Rex, cùm videret Ivonem Episcopum Carnotensem, quem nuper in carcerem conjecerat, aliosque quosdam Episcopos nuptias cum Bertrada contractas non approbare, & in prima sententia persistere, Conventum Remis hoc anno convocavit, de quo Clarius laudatus in suo Chronico hæc habet: *Anno MXCIV congregavit Philippus*

ijus Rex Archiepiscopos & Episcopos Regni sui in Remensi Urbe, & obtinuit ab Archiepiscopo (nempe Senonensi) *Richerio magnis precibus, ut Remis ad Concilium non dedignaretur ire; ostendens Raynaldum Remensem Archiepiscopum podagrico dolore contractum non posse progredi de sua sede; & perrexit Richerius Archiepiscopus Remis, & susceptus est cum maximo honore a Rainaldo Archiepiscopo, & universo Clero Ecclesiæ Remensis, & sedit in Concilio in nullo inferior Remensi Archiepiscopo, sed penitus par & æqualis, utpote qui non per aliquod debitum illuc perrexerat, sed per dilectionem & orationem Regis. Eodem anno obiit Berta Regina, quæ à Rege Philippo prius fuerat derelicta, ipso Rege adhuc tenente Bertrudam, quam huic superduxerat, reclamante justitia.* Ita Clarius, seu potius ejus Continuator, qui hoc tempore vivebat, ut ostendit Dacherius ex iis, quæ ille scribit pag. 749. ubi loquitur de Gestis anni MXCVIII tanquam à se visis.

IX. *Qua de causa convocatus.* Causam convocationis Conventûs Remensis aperit Ivo Carnotensis Episc. in Epistola XXXV ad Richerium Senonensem Archiep. data, in qua ei significat, se malè argui, quòd perjurium incurrerit, & Majestatem Regiam minuerit, & quia sacri Canones docent accusationes extra provinciæ terminos judicandas non esse, & quantum ex intentatis minis intelligit, non liceret sibi in illo Conventu dicere veritatem, se sedem Apostolicam appellare. Quæ in illa Synodo de nuptiis Regis & depositione Ivonis actum: *Quantum vero*, inquit, *ex intentatis minis intelligo, non liceret mihi in Conventu vestro impunè dicere veritatem, qui pro jam dicta veritate & Apostolicæ sedis obedientia tantam sentio severitatem, ut perjurium arguar incurrisse, & Majestatem Regiam minuisse. Quod, ut pace vestra dicam, rectius in eos retorqueri potest, qui vulnus fomentis incurabile tanquam pii medici cauteriis competentibus dissimulant urere, vel medicinali ferro præcidere. In qua sententia si mecum firmiter fuissetis, jam ægrotum nostrum* (nempe Philippum Regem) *ad sanitatem perduxissetis. Quod quamdiu differtis, videte si fidelitatem quam debetis, pleniter exhibetis, si officii vestri munus expletis. Faciat Dominus Rex adversus parvitatem meam quantum Deo permittente libuerit & licuerit: includat, excludat, proscribat, inspirante Dei gratia & prosequente, decrevi pati pro lege Dei mei, nec ulla ratione cogente volo esse consentaneus in culpa esse, qui nolo consors esse in pœna.*

X. *Epistola Ivonis ad Turgedum Episc. Abrincensem sub Paschali II Papa scripta.* Baronius hujus Epistolæ non meminit, sed huc refert Epistolam Ivonis aliàs CCLXXI, nunc CCLXX, ad Turgedum Episcopum Abrincensem datam, in qua ait Ivo: *Cogit vos ex una parte legatio Apostolicæ Sedis, ut præceptis ejus obediatis; urget vos ex altera Regia potestas, ut resistatis*, &c. Verùm hæc Epistola, Paschali Papa sedente, anno MCII scripta. Ordericus enim lib. 4. pag. 507. tradit, Turgedum seu Turgisum *Præsulatum fermè XXX annis* tenuisse, & lib. 12. pag. 889. eum anno Christi MCXXIX adhuc in vivis fuisse, ut rectè observat Juretus in Notis ad eam Ivonis Epistolam. Hoc itaque anno Turgedus nondum Episcopus erat, ideoque nec ea Epistola scripta.

XI. *Philippus Rex excommunicatur.* Tandem *Hugo* Apostolicæ Sedis Legatus Concilium *Augustoduni*, quæ urbs est Ducatûs Burgundiæ, à Bertoldo in Chron. quem sequitur Baronius num. XVII *Ostio* barbarè appellata, *XVII Kal. Novembris* celebravit, & Philippum Regem excommunicavit, *eò quòd vivente uxore sua, alteram superinduxit* inquit idem Bertoldus.

XII. *Error Roscelini de Mysterio Trinitatis.* Anum. XXVII ad XXXIV Dodechinus in Appendice Mariani Scoti ad annum MXCIV de Sancto Anselmo Cantuariensi Archiep. verba faciens, ait: *præsumpta est illa ejus assertio, cùm Abbas erat: Si in Deo tres personæ sunt, una tantum res, & non sunt tres res, unaquæque per se separatim, sicut Angeli, aut tres animæ, ita tamen ut voluntate & potentiâ sint idem omninò: ergo Pater & Spiritus Sanctus cum filio est incarnatus. Verum auctor istius perversi dogmatis, à Patribus & Doctoribus Ecclesiasticæ fidei circumventus ac convictus, & pene populo neci traditus, ut mortem evaderet, errorem abjurasse dicebatur. Contra quem errorem pater Anselmus Epistolam Abbas inchoavit, Episcopus consummavit, scribens ad Urbanum Papam.* Loquitur Dodechinus de Roscelino de quo Otto Frisingensis lib. 1. de Gestis Friderici I cap. 47. postquam asseruit fuisse *præceptorem Abaelardi subdit: Qui primus nostris temporibus in Logica sententiam vocum instituit.* Auctor quidem Historiæ à Roberto Rege ad mortem Philippi I Tom. IV Duchesnii scribit: *In dialectica hi potentes extiterunt Sophistæ: Joannes qui eamdem Artem Sophisticam vocalem esse disseruit, Robertus Parisiacensis, Roscelinus Compendiensis, Arnulphus Laudunensis. Hi Joannis fuerunt Sectatores, qui etiam quamplures habuerunt Auditores.* Sed quia ex omnibus Joannis illius parum cogniti discipulis optimè scientiam illam vocum concepit, & docuit *Roscelinus* natione Britto seu Armoricus, Compendiensis verò Canonicus, pro Auctore & Institutore *Nominalium* vulgò habetur, inquit Bulæus in Hist. Universit. Paris. Tom. I ad annum MLXVII, qui addit, eam Aristotelicorum sectam à Veteribus penè explosam, à *Gulielmo Occamo* Franciscano rursus excitatam atque de integro instauratam esse, & varias Universitates in hujus verba olim jurasse.

XIII. *Damnatur in Concilio Suessionensi.* Anno MXCII, aut insequenti *Rainaldus* Remensis Archiep. Synodum adversùs *Roscelinum* habuit Suessione, cui inter ceteros adfuit *Fulco* Belvacensis Episcopus, ad quem Anselmus tunc adhuc Abbas Beccensis scripsit rogans, uti se apud Synodum purgaret, mentemque suam de Sancta Triade omnibus Prælatis aperiret: verebatur enim, ne *Roscelinus* publicè assereret, quod in scriptis & in privatis conventibus, dictitare solebat, *Lanfrancum* & *Anselmum* idem secum sentire. Legitur ea Epistola in Operibus Divi Anselmi lib. 2. Epist. 41. In eo Concilio *Roscelinus* interrogatus mentem explicavit, erroremque falsus abjuravit. Verùm paulò pòst solutum Concilium, hæreticorum more dixit, se non ob aliam rationem sententiam suam damnasse, quàm quia timebat ab ignaro populo interfici, & lapidibus obrui, seque semper in eadem quam coactus abjurarat, sententia permanere. Quamobrem *Anselmus*, ut fidem purgaret, hominemque confunderet, Tractatum edidit *de Incarnatione*, quem Urbano Pontifici II dedicavit, statimque initio *Roscelinum* tanquam hæreticum & prava sentientem condemnat. Anselmi ad Urbanum II Epistolam recitat Baronius num. XXVIII & seqq.

XIV. *Ivo Roscelino suadet, ut* *Roscelinus*, cùm videret se tanquam hæreticum haberi, & undequaque expelli, ignarus quid

SÆC. XI. An. C. 1094. *palinodiam Canat.*

quid faceret, confugit ad Ivonem Carnotensem, rogat, ut in tanto rerum suarum discrimine sibi opem ferat, asseritque se toto animo errores suos detestari. Ad eum respondit Ivo Epistola utroque ordine VII, qua ei consulit, ut palinodiam scribat, *quatenus sicut multis erroris exemplum fuisti*, inquit Ivo, *sic de cetero fias exemplum correctionis*, antea dixerat: *quia scio te post Concilium Suessionense in auribus quorundam, quos mecum benè nosti, pristinam sententiam tuam clandestinis disputationibus studiosissimè defendisse, & eamdem quam abjuraveras, & alias non minus insanas persuadere voluisse, non potest intrare in cor meum, quod adhuc fidem tuam correxeris, quod mores in melius commutaveris.* Recitat eam Epistolam Baronius num. XXXI & seqq. aitque eam esse absque salutatione præmissa, vel consueta bona imprecatione bene valendi in fine ipsius apposita, *quod ad hæreticum scriberet, cui nec dicendum Ave monuerit Joannes Apostolus.* Verùm, ut in Notis ad Epistolam illam Juretus observavit, in aliquot MSS. plures sunt Ivonis Epistolæ ad alios scriptæ etiam non hæreticos, in quarum calce similis precatio abest, ut negligentia potius librarii fuisse videri possit, quàm Auctoris voluntas.

XV *Roscelinus culpatur à quodam Petro Theologiæ Professore.* Extat Epistola cujusdam M. *Petri* Theologiæ Professoris conquerentis apud G. Parisiensem Episcopum, quod *Roscelinus* plurimas contumelias in opusculum quoddam de Sancta Trinitate adversus ipsius hæresim in Synodo Suessionensi damnatam, à se compositum evomuisset, in qua Petrus ait: *Cujus tam vita, quàm disciplina omnibus est manifesta. Hic contra egregium illum preconem Christi Robertum Arbroscello contumacem ausus est Epistolam confingere, & contra magnificum illum Ecclesiæ doctorem Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum adeo per contumelias exarsit, ut ad Regis Anglici imperium ab Anglia turpiter impudens ejus contumacia sit ejecta, & vix tum cum vita evaserit. Vult enim infamiæ habere participem, ut per infamiam bonorum suam consoletur infamiam*, &c. Duchesnius hanc Epistolam malè Petro Abaëlardo tribuit; Gaufridus enim Parisiensis Episc. anno sequenti obiit. Quo nondum *Abaelardus* Parisios venerat, & ad huc valde juvenis erat. Deinde Auctor ejusdem Epistolæ loquitur de Tractatu S. Trinitatis, quem in Roscelinum conscripserat; cùm tamen quo tempore *Abaelardus* Tractatum suum *de Trinitate* edidit, jam *Roscelinus*, & *Robertus Arbricellensis* & sanctus Anselmus obiissent. Quare rectè existimat Bulæus citatus ad annum MXCV hujus Epistolæ Auctorem esse quemdam *Petrum* Theologiæ iis temporibus Professorem, qui adversus hæresim *Roscelini* in Concilio Suessionensi damnatam scripserat. Eadem Epistola Tom. X Concil. pag. 487. malè etiam tribuitur Petro Abaëlardo.

XVI. *Obitus Calipharum Bagdadi & Ægypti.* *Mustadem* Bagadensis Calipha anno Hegiræ CCCCLXXXVII è vivis excessit, postquam Caliphatum annos novemdecim & aliquot menses gessisset, cui successit *Mustadirus Billa* filius. Obiit & *Mustansirus Billa* Calipha Ægypti, postquam per sexaginta annos imperasset, non verò per sexennium, ut errore Librarii in Elmacino lib. 3. Hist. Sarac. cap. 9. legitur, qui ait, ei *Mustalim Billam* filium successisse.

XVII. *Attrebatensis Episcopatus ab Urbano II restituitur.* Urbanus II literis *Clero & populo Attrebatensi* datis *Romæ*, die & anno non expressis, Attrebatensi Ecclesiæ præcipit, ut jugo Cameracensis subjectionis excusso, *& recepta dignitate primis temporibus rationabili firmitate possessa*, Episcopum sibi eligant. Plures hanc in rem Epistolas scripsit Urbanus II recitatas Tom. X Concil. & inter alias unam ad Lambertum Attrebatensem Episcopum pag. 446. datam *X Kalend. Aprilis, indictione II, anno Dominicæ Incarnat. MXCIII Pontificatus autem Domini Urbani II Papæ VII*, in qua dicitur, Remensem Ecclesiam Metropolitanam duodecim alias sub se habuisse Episcopales Sedes, *inter quas*, inquit, *Attrebatensis nobilis & populosa civitas, quæ per B. Remigium Episc. Vedastum obtinuit, post nonnullorum Antistitum obitum Episcopalis cathedræ perdidit dignitatem, & per nonnulla tempora Cameracensi Episcopo subdita obedivit.* Paulò pòst: *Nos ergo Attrebatensis Ecclesiæ restitutioni, & Remensis Metropolis redintegrationi pro nostri officii debito imminentes, te frater charissime Lamberte, Cleri plebisque consensu electum unanimi, B. Vedasto & sanctis, qui in urbe ipsa quondam præsedêre Pontificibus, constituimus successorem.* Vedulfus circa annum Christi DLXIX Episcopos Attrebatensis ordinatus Cameracum Sedem transtulerat, indeque Episcopatus Attrebatensis nomen perierat, ut habent Ecclesiæ Attrebatensis Tabulæ.

XVIII. *Lambertus primus ejus Episcopus ordinatur.* Cùm verò Urbanus II *Rainaldo* Archiep. Remensi literis suis mandasset, ut Attrebatensis Ecclesiæ Episcopum Electum consecraret, ad Urbanum II respondit Rainaldus, ut Tom. X. Concil. pag. 465. videre est, omnium Episcoporum & Clericorum suorum hanc sententiam esse, ut Electum Episcopum Romam transmitteret, & Summi Pontificis arbitrio relinqueret: *Timuerunt enim*, inquit, *& timent, ne Cameracenses ex hoc facto accepta occasione, se ab Remensi Ecclesia abrumperent, cùm & civitas eorum alterius regni* (sc. Germaniæ) *habeatur, & regni cujus Rex nobis & Ecclesiæ Rom. jam ex longo tempore inimicatur.* Attrebatenses itaque Lambertum à se electum Episcopum Romam consecrandum transmisêre, & literis suis ibidem relatis Urbanum II rogarunt, *ut divisio duorum regnorum, Francorum scilicet & Teutonicorum, sit Episcopatûs nostri meta, sicut antiquis temporibus fuisse per successorum relationem & alia indicia cognovimus.* Lambertus vir summæ Sanctitatis Summum Pontificem summoperè rogavit, ut eum ab imposita sibi electione absolveret, sed is ei præcepit, ut obediret: *Ille tandem acquiescens divinæ ordinationi & Apostolicæ obeditioni consecratur in Episcopum Romæ apud Sanctam Mariam novam a sæpius jam dicto Apostolico Urbano, anno Dei Christi MXCIII, XIV Kalend. Aprilis, quæ tunc Dominica* Lætare Jerusalem *habebatur*, inquis vetus Chronologus ineditus à Labbeo pag. 468. citatus, qui rectè advertit, eum à Paschate annum inchoare, annumque Christi MXCIV juxta nostrum computum demonstrare; hoc enim anno littera dominicalis A. in cursu fuit, & dies XIX Martii incidit in Dominicam quartam Quadragesimæ, quæ vulgò dicitur *Lætare*. Tandem anno MDLXII Sedes Cameracensis à Paulo IV Metropolitana declarata fuit.

XIX. *Lites invicem ac res Attrebatensis.* Agunt de separatione utriusque Episcopatus Joannes de Colle-medio in Vita Beati Joannis Morinorum Episcopi anno MCXXX demortui, cui coævus fuit, Locrius in Chron. Belgico ad annum MXCIV, & Auctor Anonymus fundationis monasterii Aroasiæ in Belgio siti, quæ

quæ refertur à Bollando ad diem XIII mensis Januarii in Vita B. Heldemari Eremitæ Aroasiæ Fundatoris. Scribit Joannes de Colle-medio cap. 2. *Lambertum*, primum post eam separationem Episcopum Attrebatensem, à Clero & populo invitum & reclamantem Episcopali cathedra sublimatum fuisse, & cùm etiam ab Urbano II Romæ obtinere non posset, ut ab ejus obedientiæ vinculo absolveretur, solemniter consecratum esse. In Belgium redux *Beatum Joannem* adjutorem sibi adscivit, & Archidiaconum suum constituit invitum & censuris coactum. Sed de B. Joanne anno MXCIX, quo Morinorum Episcopus dictus, verba faciemus; hîc tantum monebimus, Joannem Buzelinum è Societate Jesu Lamberti Vitam ex veteribus Ecclesiæ Attrebatensis monomentis concinnasse, quam Bollandus in Notis ad Vitam B. Joannis laudatam dicit extare MS. San-Marthani in Episc. Attrebatensibus exhibent Epitaphium, ejus sepulchro marmoreo inscriptum, in quo dicitur Lambertus obiisse *anno Domini MCXV sexto decimo Kal. Junii*, aliudque versibus compositum, in quo habetur mundo decessisse Idibus Maii exeuntibus. Cumque utrumque antiquum sit, liquet *Lambertum* die XVI mensis Maii demortuum, & die insequenti sepultum.

XX. *Annus Incarnat. ab Urbano II diversimodè inchoatus.*

Tomo I Spicilegii Dacheriani pag. 223. extat Urbani II Privilegium pro Attrebatensi Ecclesia Lamberto à se consecrato, ejusque Successoribus concessum, quo Episcopatum Attrebatensem restituit, decernitque, *ut Attrebatensis Ecclesia deinceps semper Cardinalem Episcopum sortiatur.* In eo legitur: *Datum Romæ per manum Joannis S. R. E. Card. Diaconi, X Kalend. April. indict. II anno Dom. Incarnat. millesimo nonagesimo tertio, Pontificatus autem Domini Urbani II Papæ, VII*, diciturque in Claromontensi Concilio recitatum fuisse. Qua ex subscriptione eruo Urbanum II anno Incarnationis à die XXV mensis Martii deducto aliquando usum esse; cùm hoc Privilegium currenti anno, quo annus ejus Pontificatus VII & indictio II die XXIII Martii in cursu erant, emissum sit. Urbanum verò II annum Incarnationis Pisanum, qui novem mensibus annum Incarnationis communem antevertit, adhibuisse demonstrat ejus Epistola ordine XII ad Canonicos Sancti Martini Turonensis scripta, & Tom. X Concil. pag. 436. recitata, Dataque *Pictavis per manum Joannis S. R. E. Diaconi Card. IV Kalend. April. indict. IV, anno Dom. Incarnat. MXCVII, Pontif. autem Domini Urbani II Papæ nono.* Est hic enim annus Eræ nostræ vulgaris MXCVI, ut tam ex indictione, quàm ex anno Pontificatûs evidens est. Qua etiam ex subscriptione deducitur, Urbanum II annum Incarnationis Pisanum ante Pascha inchoasse, licet Gelasius II, ut infrà videbimus, eum à Paschate exorsus sit. Vix credi potest quot errores Chronologici vitari possint, harum similiumve observationum antea non factarum ope.

XXI. *Sanctius Ramirus Navarræ & Aragoniæ Rex occiditur.*

Hoc anno *Sanctius Ramirus* Ramiri primi Aragonum Regis filius, Navarræ hujus nominis V & Aragoniæ hujus nominis I Rex post rem in Mauros sæpius strenuè gestam, *Oscam*, (vulgò Huesca,) totius Saracenicæ Ditionis, uti Romanorum tempore fuerat, ea parte propugnaculum, obsidione cinxit. Urbs est Hispaniæ citerioris, Episcopalis olim sub Archiepiscopo Tarraconensi, nunc verò sub Archiepiscopo Cæsaraugustano, citra Ebrum Fluvium posita, cui *Abderrhamanus* Rex præerat. Celeberrimæ hujus obsidionis mentio in Diplomate à Joanne Briz Martinez Abbate monasterii Sancti Joannis Pennatensis lib. 3. cap. 26. Historiæ suæ relato: *Ego Sanctius Dei gratiâ Aragonensium & Pampilonensium Rex*, &c. *Quia spes mea est in Sancto Joanne de Pinnia*, &c. *feci votum Deo & Beato Joanni, quod si Deus daret mihi Oscham de infidelibus prædictum locum de Sancto Joanne amplificarem*, &c. *Nunc verò quia sum in obsidione Osche, ut votum meum adimpleatur*, &c. *facta charta in obsidione Oscha, octavo Idus Martii, era discurrente MCXXXII regnante me Rege Sanctio in Pampilona & in* Aragonia, in Subrarui, & Ripacurtia, Episcopo Petro in Pampilona. Non multò pòst *Ramirus* lethaliter vulneratus, à *Petro* filio jam in Regni societatem adscito, se ab obsidione non destiturum, donec *Oscam* expugnasset, promissum exegit. Rodericus Toletanus ait, hanc obsidionem semestrem fuisse. Verùm Mauros per biennium Christiano exercitui fortiter restitisse, ostendunt Surita, Garibayus, Blancos, & Briz Martinez, qui lib. 4. cap. 9. Chartam à Sanctio Ramiro in gratiam Sancti Joannis Pennatensis erâ MCXXXII *ea mense Junii* emissam recitat, ex qua eum illius mensis initio adhuc in vivis fuisse constat.

XXII. *Osca à Petro ejus successore expugnata.*

Durante obsidione *Petrus* Aragoniæ & Navarræ Rex, ejus filius, dedicationi Ecclesiæ ejusdem Sancti adfuit, Chartamque dedit à Brizio Martinez lib. 4. cap. 2. relatam, in qua legitur: *Facta charta in monasterio antedicto, erâ MCXXXII pridie nonas Decembris die, secundâ feriâ, primâ hebdomada Adventus Domini* (ex quo apparet ejusmodi solemnia diebus Dominicis hoc tempore non semper peracta) *in die quando fuit consecrata dicta Ecclesia sancti Joannis ab Archiepiscopo Burdegalensi Amato nomine, atque ab Episcopo Jacensi*, &c. *In præsentia Domini Regis Petri, & prædictorum prælatorum, & multorum virorum nobilium de curia Regis. Ego Petrus Dei gratiâ Episcopus Jacensis hanc chartam confirmo ad preces D. Regis. Ego Amato Burdigalensis Archiepiscopus & Legatus Domini Papæ hanc chartam laudo & confirmo*, &c. Anno MXCV *Urbanus* II literis die decima sexta Kalend. mensis Maij, Pontificatûs sui anno VIII, indictione tertia dans Petro Regi & ejus Successoribus Breve Apostolicum concessit, ut templorum, quæ extruerentur, vel Mauris eriperentur, decimas & reditus ipsi perciperent, exceptis tantum Ecclesiis Cathedralibus. Quod Privilegium in eadem Bulla Proceribus etiam concessit; tanta erat cupiditas Saracenorum extirpandorum, ut quid incommodi ea indulgentia allatura esset imposterum, non satis considerarent. Eâ enim complures abutentes varias Ecclesias spoliarunt, ut videre est apud Rerum Hispanicarum Scriptores. *Oscæ* expugnationem præcessit victoria de *Almosabeno* Cæsaraugustæ Rege à Saracenis in auxilium evocato, ad *Alcoraenum* die decima nona Novembris reportata. Post eam enim *Abderrhamanus* Oscæ Rex oppido die XXVII Novembris anni MXCVI dedito, *Barbastrum* recessit. Petrus Rex *Oscæ* Regem sese appellavit, & Petrus Jacensis Episcopus statim Sedem in eam urbem transtulit, uti in præcedenti Concilio Jacensi decretum fuerat. Annum captæ *Oscæ* notavit etiam Chronographus Malleacensis, ut suo loco videbimus. Eam Carolus

SÆC. XI. An. C. 1095.

rolus M. cum Barcinone anno DCCLXXVIII in suam potestatem redegerat, ut legitur in Analibus Masciacensibus Tom. II Biblioth. Labbei pag. 735. sed Saraceni eam iterùm occupatant.

Anno Eræ Hisp. MCXXXIII. Anno Hegiræ CCCCLXXXVIII inchoato die 20. Ianuar. fer. 4. Anno Hegiræ CCCCLXXXIX. inchoato die 31. Decemb. fer. 2.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6588.

☉ 12. G. ☽ 13. P. 25. Mart. Indict. 3.

JESU CHRISTI 1095.

URBANI II PAPÆ 8.

HENRICI IV. REG. 40. IMP. 12.

ALEXII COMNENI IMP. 15.

I. *Synodus Placentina.*

A Num. I ad VIII. Holstenius in Collectione Romana publicavit Acta Syodi Placentiæ hoc anno habitæ *circa mediam quadragesimam*, ut refert Baronius num. 1. ex Bertoldo in Chron. Certè Urbanus Placentiæ erat pridie Idus Mart. ut liquet ex ejus literis Episc. Magalonensi datis, & à San-Marthanis relatis. Labbeus Tom. X Concil. pag. 503. ait in Codice MS. tam Barberino, quàm Claromontano haberi Synodum celebratam *Kal. Martii*, & initio Actorum legitur: *Septimo tandem die post tractationem diutinam hæc sunt capitula prolata*; ideòque Synodos habita circa mediam Qusdragesimam. Addit Baronius num. VI ejusdem Concilii XV Canones contineri *in codice manuscripto Anselmi Lucensis libro 7. Decretorum* ab eadem Synodo statutos. Ad quæ verba Holstenius ait: „Qua in re eum memoria, vel potius amanuensium oscitantia fefellit. Neque „enim canones illos Placentinos in suam Collectionem referre potuit Anselmus, qui novennio ante decesserat: nec Vaticani Codices citato libro VII vel alibi eosdem agnoscunt. „Tum verò XIV tantum Capitula statutorum „libri probatissimi Bibliothecæ Vaticanæ referunt, ubi Baronii schedæ septimo in duo malè divulso XV exhibent. Ita Holstenius. Verum Baronius non dicit, Anselmum Canones illos in suum Decretum inseruisse, ut illum legenti perspicuum fiet. Illa Capitula contra simoniacas & schismaticas ordinationes condita, Tom. X Concil. legenda. Adhæc Bertoldus citatus testatur, in ea Synodo *Praxedem* Imperatricem à spurcitiis, quas invita pertulerat, absolutam esse: *Philippo* Galliarum Regi concessas inducias in causa incestarum cum *Bertrada* nuptiarum; aliaque decreta esse, quæ Baronius de verbo ad verbum recitat.

II. *Ivo anno MXCII in carcerem trusus.*

A num. VIII ad XXIV. Baronius num. XXI & seqq. refert Epistolam *Ivonis* Episc. Carnotensis Carnotensibus datam, quæ veteri ordine est C, novo XX, quâ prohibet, ne bellum inferatur Vicecomiti Carnotensi, quòd eum in carcerem conjecerit, quia ante hunc annum Ivonem in carcerem, quod Regis Philippi nuptias probare nollet, detrusum non fuisse Cardinalis doctissimus putavit. Verùm anno superiori monstravimus, *Ivonem* anno MXCII hanc vexationem passum esse. Præterea Baronius refert ibidem Ivonis ad *Hoellum* Cenomanensem Episcopum Epistolam XXI, alias CI, qua ei gratias agit, quod ejus ad Deum precibus è carcere liberatus fuerit. Sed jam anno superiori *Ivo* invitatus fuit ad Conventum Remensem, ideoque in libertatem assertus fuerat, cumque anno MXCII carceri mancipatus sit, ea Epistola vel eo, vel insequenti anno data; ejus enim carceris duratio incomperta.

III. *Epistolæ Ivonis ad præcedentes annos referenda.*

Ivo in Epistola XXII, alias CII, *Philippo* Regi scribit, se ad Curiam ire non posse, ut suis inimicis respondeat, quòd bona sibi ab eis sublata nondum restituta fuerint. Eam Baronius num. XX recitat, sed ad aliquem ex annis præcedentibus referenda; sicuti Epistola XIX, alias IX, ad *Willelmum* Abbatem Fiscannensem ab Ivone scripta, in qua memorat damna, quæ patitur, quòd illicitò Regis *Philippi* conjugio contradixerit.

IV. *Urbanus II in Gallias venit.*

A num. XXIV ad XXXIV. *Anno ab Incarnat. MXCV Papa Urbanus II, qui præsidebat Apostolico culmini, pervasis Alpibus venit in Gallias; adventus causa ferebatur perspicua, quod violentia Guiberti Roma extrusus, Citramontanas ad sui reverentiam sollicitaret Ecclesias*, inquit Malmesburiensis lib. 4. cap. 2. Bertoldus verò in Chron. hoc anno scribit: *Dominus Papa rebus in Longobardia bene dispositis, in Gallias marino itinere cœpit divertere, & ad Sanctam Mariam ad Podium in Assumptione ipsius pervenit, Synodumq; ad Montemclarum in Octavam Sancti Martini Apostolica auctoritate condixit.* Hoc autem anno dies XVIII mensis Novemb. in quem octava illa incidit, fuit Dominica eoque peractis precibus, feriâ secundâ actiones Synodales de more inchoabantur; indeque Auctor Magni Chronici Belgici hoc anno de hoc Concilio loquens ait: *Sedit à die Lunæ XIV Kal. Decemb. per dies decem*, ubi tamen loco XIV Kal. legendum, XIII Kal. qui in feriam secundam incidit. Sicut Paschalis II in Gallias veniens, ad Monasterium Cluniacense accessit, ut suo loco videbimus, ita & Urbanus II, ibique Majus Altare consecravit, ut testatur Innocentius II, cujus verba anno MCXXX num. XXXVII referemus. Innocentius quidem II nec diem, nec annum adventus ejus ad illud Monasterium notavit, sed San-Marthani in Episcopis Matisconensibus, pag. 681. Urbani II Rescriptum referunt, *datum Cluniaci per manum Joannis S. Rom. Eccl. Diaconi Card. XV Kal. Novemb. indict. III anno MXCVI.* Urbanus verò, uti mox monstrabimus anno Incarnationis Pisano quandoque usus est, ideoque is annus Christi nobis est MXCV, quo mense Octobri currebat indictio IV, in locum indictionis III subroganda. Quare Urbanus II die XVIII mensis Octobris Majus Altare Cluniacensis monasterii, vel aliquo ex proximioribus hoc anno dedicavit. Neque enim dies ille, quo eæ literæ datæ, intelligi potest de die XV Kalend. Novemb sequentis Christi anni, cùm ex ibi dicendis appareat eum jam Gallias reliquisse & in Italiam profectum esse post Concilium mense Julio *Nemausi* congregatum.

V. *Præsides Concilio Claromontano.*

Concilium *Claromontanum* numerosum fuit, sed Patrum numerus incertus. Malmesburiensis laudatus, & Aimoinus lib. 5. cap. 49. tradunt trecentos decem, tam Episcopos, quàm Abbates, ei interfuisse, & tamen Guibertus Abbas Novigenti hujus temporis Scriptor ad Liziardum Suessionensem Præsulem de hoc Concilio habet: *Fuit tantò aliàs celebrius, quantò excellentius & usitata persona era cernere, verba audire erat desiderabilius* (Urbanus enim II in Gallia natus erat). *Illic præter Episcoporum & Abbatum examina, quos circiter CCCC per præminentes ferulas* (idest, baculos Episcopales & Abbatiales,

les, ut videre est apud Ducangium in voce Ferula) *fuisse aliqui numerant, totius Franciæ & appendicium Comitatuum literatura confluxit*, idest, Magistri seu Professores. Denique in Decreto Urbani II ejusdem Synodi Claramontanæ de Primatu Lugdunensi, à Marca ex Codice MS. eruto in Dissert. *de Primatu Lugdunensi*, dicitur ei interfuisse Archiepiscopos XII, Episcopos LXXX, Abbates XC, & eo amplius. Baluzius in Additione ad lib. VI *de Concordia* cap. 31. publicavit Concilium Claromontanum ex pervetusto Codice MS. Monasterii Anianensis. Et Tom. X Concil. non solum eadem Notitia ex Centii Camerarii volumine descripta; sed etiam quæ Malmesburiensis & Ordericus lib. IX pag. 719. de iisdem Canonibus habent, leguntur.

VI. *Prohibetur Communionis forma per intinctionem facta.*

Canon XXVIII his verbis exprimitur apud Baronium num. XXVII: *Ne quis communicet de altari, nisi Corpus separatim & Sanguinem similiter sumat, nisi per necessitatem & per cautelam.* Idque, inquit Baronius, ob recentem damnatam hæresim Berengarianam, quæ per unam tantum speciem satis esse impleri figuram aiebat. Verùm Marca citatus hanc explicationem rejicit, quia Berengario affingit, quæ nunquam professus est, imò neque ex hæreseos suæ principiis profiteri poterat. Vera itaque hujus loci interpretatio desumenda ex eis, quæ vitiosè à quibusdam disciplinæ Ecclesiasticæ seculo XI parùm callentibus fiebant in Eucharistiæ administratione. Fidelibus enim Eucharistiam sanguine Domini intinctam porrigere non dubitabant, ut testis est Auctor Micrologi, qui ante Gregorii VII tempora scripsit, cap. XXVI. Quæ forma non tantum adversa erat Ordini Romano, sed etiam institutioni Christi, qui Corpus seorsim à Sanguine commendaverat, ut rectè annotavit Concilium Bracarense III anno DCLXXVIII, quod similem corruptelam capite primo damnavit. Usus autem ille utramque speciem commiscendi, hoc tempore servabatur apud Græcos: quem hodie quoque in suis Ecclesiis frequentant, porrecta populis in cochleari Eucharistiâ, liquore sacro poculi intincta. In quo ab illis graviter peccari contra Christi institutionem, *Nicetæ* pectorato Abbati, disputatione cum eo Constantinopoli habita, objecit *Humbertus* Sylvæ Candidæ Cardinalis Episcopus, Legatus Romanæ Sedis ad Constantinum Monomachum Imp. anno MLIV missus. Gliscebat in Occidente commixtionis usus: adeo ut Ivo in Tractatu de Divinis Officiis eum tolerandum putaret in populi communione. Illam tamen communicandi formam Synodus Claromontana proscribendam duxit his verbis: *Ne quis communicet de altari, nisi Corpus separatim, & Sanguinem similiter sumat.* Separatim, idest seorsim, ut loquitur Concilium Bracarense, sive singulatim, quemadmodum Ordericus laudatus sensum hujus Canonis expressit.

VII. *Hujus regulæ exceptio.*

Huic Regulæ hanc exceptionem exhibet Synodus Claramontana: *Nisi per necessitatem & cautelam*, ubi intincti sacrati panis consuetudinem jam sublatam retinet, in excepto *necessitatis* casu, nempe si communio præbenda esset ægris, vel pueris. Tunc enim, ad adjuvandum esum, panis intinctio permittebatur, ut scripsit Paschalis II Urbani successor ad Pontium Abbatem Cluniacensem Epistola XXXII: *Novimus enim per se panem, per se vinum ab ipso Domino traditum. Quem morem sic semper in Sancta Ecclesia conservandum docemus atque præcipimus: præter in parvulis ac omnino infirmis, qui panem absorbere non possunt.* Cautelæ quoque ratio habita est; qua voce receptum à quibusdam morem in distribuenda populis Eucharistia Synodus confirmat. Veriti enim illi, ne Sanguinis effusio accideret: in frequenti communicantium cœtu, solo panis consecrati symbolo laicos impertiebant, non præbito poculo: qua ratione Corpus seorsim à Calice sumebatur. Id egregiè docet Rodulfus Abbas Sancti Trudonis, qui ea ætate vixit, iis versibus, quos laudat Gropperus cap. 44. de Communione alterius speciei:

Hic & ibi cautela fiat, ne Presbyter ægris,
Aut sanis tribuat laicis, de Sanguine Christi:
Nam fundi posset leviter; simplexque putaret,
Quod non sub specie sit totus Jesus utraque.

VIII. *Eucharistia sub solo panis symbolo data.*

Cæterum Eucharistiæ administratio sub solo panis symbolo, Laicis hoc seculo porrecto, magnum incrementum habuit post constitutum à Christianis regnum Hierosolymitanum; ad exemplum antiquissimæ Ecclesiæ illius civitatis: in qua, nulla specierum mixtione facta, solo pane sibi exhibito, adventantis ex Orbe universo populi pietas rem Sacramenti percipiebat. Consuetudo illa unius symboli non statim obtinuit in omnibus Ecclesiis Occidentis, quamvis in quamplurimis servaretur; sed postquam Divus Thomas ea de re consultus, earum Ecclesiarum pietatem & prudentiam in eo usu laudavit: certatim reliquæ omnes illum amplexæ sunt: *Providè*, inquit Sanctus Doctor 3. part. quæst. 80. art. 12. *in quibusdam Ecclesiis observatur ut populo sumendus sanguis non detur.* Plura ad eum Canonem XXVIII Marca laudatus.

IX. *Presbyterorum filios à sacris Ordinibus aliqui arcendos censebant;*

Baronius num. XXXII affert aliqua Decreta in hoc Concilio statuta, inter quæ istud: *Nec filios Presbyterorum, aut aliter etiam ex concubinis susceptos liberos ad Presbyteratus gradus provehi licere, nisi aliquo in monasterio religionem professi essent.* Ipsa verba Concilii & Urbani II refert Antoninus part. 2. tit. 16. cap. 1. *Presbyterorum filios à sacris ministeriis removemus, nisi aut in cœnobiis, aut in Canonicis* (scilicet Regularibus) *fuerint religiosè conversati.* Cùm enim hoc tempore vix paterentur Presbyteri suas sibi auferri uxores, prudenter judicavit Ecclesia, eorum filios à sacris Officiis & Ordinibus omninò arceri. *Roscelinus*, cum anno superiori in Anglia exularet, hanc quæstionem movit, contenditque Presbyterorum filios ad sacros Ordines nullatenus promovendos. Theobaldus verò Stampensis, qui tunc Oxoniæ Scholam Theologicam regebat, contrariam sententiam propugnavit, eamque in rem Epistolam scripsit ad Roscelinum, quæ legitur Tom. III Spicilegii Dacheriani, in qua ait: *Quoniam Sacerdotum filios & alios ex lapsu carnis generatos non satis provida ratione calumniaris, & calumniando illos exleges esse nimis imprudenter adstruere conaris, quæ super iis a Patribus sanctis rationabiliter audivimus, non quasi præsumendo, sed diligentiæ subserviendo, ad memoriam revocare curavimus.* Post plura interposita: *Joannes quoque in Apocalypsi*, qui lavit nos in sanguine suo & fecit nos Deo regnum & Sacerdotes. *Qua igitur fronte quidam homunciones non palam,*

SÆC. XI. An. C. 1095.

lam, sed è latibulis loquentes, & totam Campaniam libidinosa peregrinatione polluentes, indignos Sacerdotio indicant, quo Petrus & Joannes Regali Sacerdotio dignos esse confirmant? &c. *ideoque Deus nasci voluit de progenie peccatricis, ut discerent homines peccata parentum non obesse sibi. Unde in Genealogia Christi nulla Sanctarum nominatur, sed Thamar & aliæ tres, quas divina pagina reprehendit, apponuntur, ut qui pro peccatoribus veniebat, de peccatoribus nasci dignaretur.*

X. *Decretum, ut cum dispensatione sedis Apostolica ad eos admitti possint.*

Paulò pòst: *quod prohibetur, ne filii sacerdotum ad Ordines promoveantur, sic est intelligendum secundum Augustinum, eosque qui hanc prohibitionem audiunt, ab hujusmodi concupiscentiis abstinere debere. Si enim filius Sacerdotis honestè vivit, ordinandus est; si verò filius militis inhonestè vivit, repudiandus est; quia magis placet Deo vita perfectio & contra peccatum affectio, quàm superba de parentibus gloriatio: filii namque sacerdotum non ideo quòd sint exleges, refutantur, sicut imperiti homines arbitrantur, sed ut Sacerdotes à concupiscentiis carnis refrenentur. Quia nimirum quemlibet sacro fonte renatum vel plenariè divina mundat gratia, vel sacri mundatio lavacri non est sufficiens, nec plenaria, quod contradicit fides Catholica. Non enim sunt exleges judicandi, quorum Deus ipse est pater, & quos peperit Christi gratia omnium regeneratorum piissima mater, nec debemus illis delictum patris, sive thorum matris improperare, sed potius perfectionem diligenter attendere: quoniam patris sive matris perpetratum crimen non potest filiis paradisi claudere limen. Unde quidam Sapiens.* Quid meruêre pati quocunque thoro generati? Plura eamdem in rem idem Theobaldus Oxoniæ Magister. Hanc controversiam diremit Urbanus II in Concilio Claromontano, vetuitque quidem Sacerdotum filios ad sacros Ordines promoveri absque dispensatione Ecclesiastica, aut nisi cœnobiis nomen dederint, eos tamen cum dispensatione sanctæ Sedis admisit. Hinc ad Archiepiscopum Turonensem scribens: *Cenomanensem Electum*, inquit, *eo quod filius Sacerdotis dicitur, si cetera virtutes in eo conveniunt, non rejicimus, sed suffraganeibus meritis eum patienter suscipimus, non tamen ut pro regula imposterum hoc assumatur; sed ad tempus Ecclesiæ periculo consulitur.* Mabillonius Tom. I Musei Italici part. II exhibet Epistolam Noviomensium Clericorum ad Cameracenses datam *de filiis Clericorum ad sacros Ordines admittendis.*

XI. *Expeditio Hierosolymitana præcipua causa hujus Concilii.*

A num. XXXIV ad LII. Concilium Claromontanum ob expeditionem in Terram Sanctam ab Urbano II indictum, quod, ut melius intelligatur, summariè hîc ex Guillelmo Tyrio lib. 1. cap. 9. & seqq. quo in statu res in Oriente essent, exponam. *Turci* jam Syriam, & utramque Ciliciam, Isauriam, Phamphiliam, Lyciam, Pisidiam, Lycaoniam, Cappadociam, Galatiam, & utrumque Pontum, Bithyniam, & Asiæ Minoris partem infra modicum tempus in suam potestatem redegerant, Ecclesias dejiciebant, & Christianos magno furore persequebantur. Quod si navium copiam habuissent, Constantinopolim procul omni dubio sibi subjecissent. Neque ad sacra loca devotionis causâ tam Græci quàm Latini proficisci poterant, nisi per mille mortis genera. Christianis Hierosolymis post longam peregrinationem inclusis mors singulis diebus imminebat, quando Sacerdos quidam *Petrus nomine, de Regno Francorum, de Episcopatu Ambianensi, qui & re & nomine cognominabatur Eremita*, devotionis fervore incensus Hierosolymam pervenit.

SÆC. XI. An. C. 1095

XII. *Hujus expeditionis auctor vel incentor Petrus Eremita.*

Is moram faciens in civitate pleniùs didicit quod prius aliis referentibus audierat, cumque accepisset civitatis Patriarcham nomine *Symeonem* esse virum religiosum & timentem Deum, eum alloqui voluit. Patriarcha familiariùs ei narravit quæ populum Dei magis affligebant, & querenti *Petro* num tot malis superesset aliquod remedium, respondit Patriarcha, quoad Græcos nullum auxilium ab illis sperandum esse, quia *infra paucos annos plusquam dimidium amiserant imperii.* Promisit *Petrus* quod si ille Papæ, & Regibus ac Principibus Occidentis tantas calamitates significare vellet, paratum se esse omnes convenire, & ad afferendum aliquod remedium diligenter invitare. Ecclesiam Dominicæ Resurrectionis ingressus *Petrus* visionem habuit Christi, ut injunctam sibi legationem intrepidè peragere exhortantis. Hinc navim conscendit, & prospera usus navigatione Romam venit, circa quas partes Urbanus II reperiebatur. Promisit Pontifex se tempore accepto fidelem cooperatorem futurum, interimque Petrus permensâ Italiâ Alpes transiit, Occidentales Principes omnes sigillatim monuit, increpavit, rogavitque, ut fratribus in tanta afflictione positis subvenire non differrent. *Fuitque domino Papa, qui eum ultra montes sine dilatione sequi decreverat in eodem verbo plurimum necessarius. Nam præcursoris functus officio, auditorum mentes ad obediendum præparaverat, ut facilius idem persuadere volens, obtineret propositum, & universorum animos ad se compendiosius inclinaret*, inquit Tyrius cap. 13.

XIII. *Urbanus II ad hanc expeditionem omnes hortatur.*

Urbanus II in Concilio Claromontano *promulgatis canonibus, qui ad morum ædificationem, & corrigendam delictorum enormitatem poterant proficere, suggerente Petro Eremita*, pluribus hortatus est omnes qui in Synodo erant, ut Christianis in afflictione positis subvenirent: *Noverunt*, inquit, *ex vobis nonnulli, qui hæc quæ loquimur, oculata conspexerunt fide, & præsens illorum per manum Petri, viri venerabilis (qui præsens est) ad nos delata docet Ecclesia. Nos autem de misericordia Dei & B. Petri & Pauli Apostolorum auctoritate confisi, fidelibus Christianis, qui contra eos arma susceperint, & onus sibi hujus peregrinationis assumpserint, injunctas sibi pro suis delictis pœnitentias relaxamus.* Non solum præsentes, sed etiam absentes Urbani II verba accenderunt. *Non erat in regnis Occidentalibus, qui aut ætatis, aut sexus, aut conditionis, aut status vellet esse memor, aut aliquibus persuasionibus deterritus ab incepto desisteret: sed omnes indifferenter manus dabant, omnes unanimiter corde & ore votum profitebantur. Catervatim concurrebant populi, ubicumque unum de Principibus iturum novissimè audierant, ut se illius comitatui sociarent, ejusque super se in toto itinere invocarent nomen, obsequia promittentes & fidem.*

XIV. *Philippus Rex Galliæ in hoc Concilio excommunicatur.*

In hoc Concilio Urbanus II *Philippum* Regem Galliarum excommunicavit, ut refert Baronius num. XXIV ex Bertholdo in Chron. *Fulco* enim Andegavorum Comes, *Bertradæ* maritus questus est, quod sibi uxorem subtraxisset,

SÆC. XI. An. C. 1095. set, & etiam illicitè retineret. Is hoc anno piam quamdam Donationem fecit Monasterio Andegavensi Sancti Sergii pro suorum, & patrorum peccatorum absolutione, Missaque singulis hebdomadis celebranda, quæ his verbis clauditur: *Facta est autem hæc donatio anno ab Incarnat. domini millesimo nonagesimo quinto, indictione III, die sabbati, Luna XXV, Urbano Apostolico Francia ex adulterio Philippi indigne Regis fœdata, Radulfo Turonensium Metropolitano, Gofrido Andegavorum Episcopo. Deo gratias. Amen.* Exhibet eam integram Peiteskius in Regiftro LVII, jussu suo anno MDCXXII à duobus Notariis ex archetypo recognitam. Fuit *Fulco* pater Fulconis sæculo sequenti Regis Hierusalem renunciati.

XV. *Simonia prohibetur.* Decreto primo Concilii Claromontani, à Baronio num. XXXI relato, *simonia* prohibetur. Idem hoc sæculo præstitum fuerat à Leone IX in Concilio Remensi, deinde à Gregorio VII per suos Legatos Amatum Oleronensem, & Hugonem Diensem Episcopos, ac sanctum Hugonem Abbatem Cluniacensem, qui coactis variis in provinciis Synodis Episcopos & Canonicos simoniacos in ordinem redegere, verùm hæc corruptela adeo hoc & sequenti sæculo invaluit, ut ei etiam Principes ipsi auctoritatem darent. Indeque Guibertus Abbas de Novingento lib. 1. cap. 7. testatur, sua ætate, hoc scilicet & sequenti sæculo, quo mortuus est anno MCXXIV, Presbyteros ægrè semper tulisse, tum simoniacorum abusuum emendationem, tum etiam sibi interdicta subinde matrimonia. Carpit Guibertus Henricum Primum Franciæ Regem, qui, ut ait, *multum erat cupidus & Episcopatuum venditionibus assuetus.* Sed & Philippum ac successorem *hominem in Dei rebus venalissimum appellat.* Quod confirmat Michael Scotus cognomento, & patria Dunelmensis. Is Friderico II & Imperatori familiaris fuit lib.4. Mensæ Philosophicæ cap.18. ait: *Cùm Episcopus Carnotensis promisisset Philippo Regi Francia, quod primam prabendam sibi daret advotum, & cùm multa vacassent per vices, indignatus est Rex: cui remandavit, quod nullam adhuc dederat, sed omnes vendiderat.* Neque Michaelis Scoti testimonium in dubium revocandum; cum Lisiardus Suessionensis Episcopus in Vita Sancti Arnulphi decessoris sui, quæ extat apud Surium ad diem XV mensis Augusti cap.9. scribat: *Interea defungitur Abbas Reinaldus* [sub cujus disciplina in Monasterio Sancti Medardi Sanctus Arnulphus Monachus vivebat], *& instigante ambitionis spiritu, Pontius quidam pseudo-Monachus, gradu comparativo, non secundum Grammaticam, sed juxta Simoniam, à Rege Francorum Philippo nomen & sedem Abbatis adipiscitur.* Porrò Lisiardus obiit anno MCXXV, ut dicitur in Chron. Remensi Tom. I. Bibliotb. Labbei. Sed exempla simoniæ in Gallia, Anglia, Italia, Germania, aliisque regionibus libros implent.

XVI. *S. Bruno Curiam Romanam relinquit.* Ad num. LII. *Divus Bruno* Cartusiensium institutor anno MXC Romam ab Urbano II vocatus fuit, ut suprà diximus: *Qui cogente Papa Urbano, cujus quondam Praceptor fuerat Romanam porrexit ad Curiam, eumdem Papam solatio & consilio in Ecclesiasticis negotiis juvaturus. Sed cùm tumultus, & mores Curia ferre non posset, relicta solitudinis & quietis amore flagrans, relicta Curiâ, contempto etiam Archiepiscopatu Rhegiensis Ecclesiæ, ad quem ipso Papa volente electus fuerat, in Calabriæ eremum, cui Turris nomen est, secessit ubique laicis & Clericis quamplurimis adunatis solitariæ vita propositum quamdiu vixit: exercuit*, inquit Auctor Anonymus Libelli *de Institutionibus Ordinis Cartusiensis.* Cùm autem Auctor Vitæ Sancti Brunonis à Surio ad diem VI mensis Octobris editæ scribat, Brunonem Calabriam petiisse, antequam Pontifex è Placentia abiret in Gallias, celebrato nempe hoc anno Concilio Placentino; apparet Brunonem non annos tres, ut habet Baronius, sed annos quinque in Curia Romana mansisse.

XVII. *Institutio Congregationis Antonianæ in Gallia.* A num. LVIII. Postquam *Gasto* vir nobilissimus provinciæ Viennensis & *Girinus* filius ejus meritis Sancti Antonii Magni sanitatem recepêre, statim se & sua pietatis operibus exercendis dedicarunt, quibus in hoc sancto proposito haud multò pòst octo viri se se adjunxerunt, & pissimam inter se societatem & fraternitatem inierunt. Hæc paulatim sublimius provecta, postquam custodiam corporis Sancti Antonii adepta, Regulam Sancti Augustini amplexa est, hujusque instituti plurimum monasteria paulatim erecta sunt per Galliam, Italiam, Hispaniam, Germaniam, aliasque orbis Christiani provincias, ut narrat Aimarus in Historia hujus Ordinis parte 1.

XVIII. *Congregatio Antoniana ad statum Religionis evecta.* Antoniani Xenodochii Sancti Antonii curam gessêre usque ad annum MCCVIII & Præfecturam *Falconis*, proprio carentes Templo, in quo privatis pietatis exercitiis possent incumbere. Postea *Falco* Ecclesiam construere cœpit; Benedictini quidem ad quos Sancti Antonii Prioratus pertinebat, aggredienti obstitêre, sed *Humbertus* Archiepiscopus Viennensis utrarumque partium compromissarius causam Antonianis adjudicavit, & Innocentius III ejus sententiam confirmavit. His non contentus *Falco* suos solennibus votis obstringere meditatus est, idque ab *Honorio* III Summo Pontifice anno millesimo ducentesimo decimo octavo obtinuit; à quo tempore Antoniana Congregatio, quæ per centum viginti tres annos aut circiter nulla vota emiserat, ad statum Religionis & Ordinis Sancti Antonii evecta est. Tandem *Bonifacius* VIII anno MCCXCVII, Bullâ suâ *Quarto Idus Iunii* datâ, Prioratum Sancti Antonii imposterum Abbatiam esse voluit; Religiosos ejusdem Ordinis Canonicos declaravit; & ut Regula Sancti Augustini ab illis deinceps servaretur, statuit. Tunc *Aymo* primus Abbas Ordinis Sancti Antonii institutus, ut Aimarus Falco in Historia ejusdem Ordinis narrat.

XIX. *Concilium Lemovicense.* Urbanus II postquam Concilium Claromontanum celebravit, cum pluribus Archiepiscopis & Episcopis *mense Decembrio, X Kal. Januarii* Lemovicas venit; & Basilicam Sancti Martialis dedicavit *Secundo Kal. Ianuarii*, ac in perpetuum *diem illum solemnem & celebrem dedicationis agi constituit*, ut narrat Beslyus in Historia Pictaviensi, & Tabulario Lemovicensi. Gaufredus Prior Vosiensis in Chron. hoc anno scribit: *Decimo Kal. Januarii, Lemovicas advenit Urbanus Papa*, additque Humbaldum Lemovicensem Episcopum accusatum, & convictum ab Urbano II depositum esse. In Synodo ibi ab eodem Pontifice habita de profectione Hierosolymitana, sicut & in omnibus per Galliam Conciliis, sine dubio actum. Chronographus enim Malleacensis, qui hoc tempore vivebat, ad annum

SÆC. XI. An. C. 1095.

num MXCVI scribit: *Ubicumque fuit, præcepit Cruces facere hominibus, & pergere Hierasalem, & liberare eam à Turcis, & aliis Gentibus.* Hoc autem anno refert Urbanum Papam celebrato Concilio Claromontano Lemovicas venisse; & præfatum Humbaldum deposuisse, die & mense non memoratis. Idem Gaufredus ibidem jam dixerat, Urbanum II Assumptionem B. Mariæ apud Anicium peregisse; monasterium Sancti Roberti de Casa Dei *decimo quinto Kalend. Septembris* consecrasse; in festo Sancti Thomæ Usarchiæ hospitatum esse, *decimo Kalendas Januarii* Lemovicas venisse; die post festum Innocentium Cathedralem Ecclesiam dedicasse; sequenti die quievisse; *pridie Kalendas Januarii* Basilicam Regalem consecrasse. Indeque patet, quantùm Bertoldus in Chron. aberrarit, qui asserit Urbanum II Nativitatem Christi apud Arelatem celebrasse. Non memorat Gaufredus singula oppida ab Urbano II invisa.

XX. *Urbanus II Erâ Pisanâ quandoque usus.*

Duchesnius in Notis ad Vitam Sancti Hugonis Abbatis Cluniacensis pag. 86. recitat Diploma, quo bona & privilegia Cœnobii puellaris Marciniacensis, positi in territorio castri antiquitus *Sinemure* nuncupati, prope alveum Ligeris in Episcopatu Augustidunensi, (Marciniacus dicitur), confirmantur. Hujus hæc subscriptio: *Datum apud oppidum Sancti Flori* (in Alvernia situm XV leucis à Claromonte) *per manum Joannis S. R. E. Diaconi Card. indict. III anno Dom. Incarnat. MXCVI Pontificatus autem domni Urbani II Papa VIII, VII Idus Decemb.* Est hic annus Incarnat. Pisanus, qui nobis est tantum MXCV. Ex quo & liquet, Urbanum II Era Pisana aliquando usum esse, quam infrà videbimus quandoque etiam usurpatam fuisse à Gelasio II, & Callisto II. Sed suspicor mendum in indictionem irrepsisse, legendumque, *Indict. IV*; alii enim Pontifices, qui ea Era usi sunt, indictionem à Septembri inchoarunt. Porrò *Urbanum* Eram Pisanam quandoque usurpasse, liquet etiam ex ejus Epistolis XI & XII Tom. X Concil. recitatis, ubi perperàm in margine anni Incarnationis Pisani corriguntur, qui tamen puri sunt.

XXI. *Obitus Ladislai Hungariæ Regis.*

In Chron. Hungarorum à Thwroczio scripto, de morte Sancti Ladislai Hungariæ Regis habetur: *Sanctitate & gratia plenus transiit ad consortia Angelorum anno Regni sui XIX, & sepultus Waradini in monasterio suo, anno Domini MXCV tertio Kalend. Augusti feriâ primâ*, sed legendum, *quarto Kalendas Augusti*, in quem diem hoc anno Dominica incidit. Ladislaum hoc anno demortuum, testantur etiam Chronographus Hildensheimensis, aliique. Ei successit *Colomannus*, ut habet idem Thwroczius. Rogerii Comitis Siciliæ filiam uxorem postea duxit *Colomannus*, ut testatur Malaterra lib. 4. cap. 25. Erat autem filius Geisæ Sancti Ladislai fratris.

XXII. *Obitus S. Wlstani Episc. Wigorniensis.*

Anno MXCV Vir venerabilis & valde admirabilis Vita Wlstanus Episcopus Sanctæ Wigorniensis Ecclesiæ ab adolescentia divinis mancipatus obsequiis, post multos sancti sudoris agones, quibus pro gloria Regni cœlestis adipiscenda, magna mentis devotione & humilitate, sedulus Deo servivit intentissimè, die mensis Januarii decimo octavo nocte Sabbati septima hora mediante migravit è seculo, inquit Hovedenus part. I Annal. pag. 465. Idem habet Vigorniensis ejus Vitæ scriptor, sed loco, *die mensis Januarii XVIII*, in utroque Auctore legendum, *die mensis Januarii XIX*, ut methodus cyclica docet, quo etiam die in variis Martyrologiis à Bollando ad diem XIX Januarii, ubi ejus Vitam exhibet, relatis, consignatur. SÆC. XI. An. C. 1095.

XXIII. *Obitus S. Geraldi fundatoris Congregationis Silvæ-majoris.*

Mortuus est hoc anno *Sanctus Geraldus* Abbas monasterii Silvæ-Majoris non longè à Burdegala positi, *Nonis Aprilis*, ut legitur in ejus Vita à Christiano Monacho Silvæ-Majoris, Paulò post ejus mortem composita, & in alia ejus Vita ab Anonymo Auctore fermè synchrono scripta, in Actis SS. Bollandianis ad diem V mensis Aprilis recitatis. Venit Geraldus ex monasterio Corbeiæ in Aquitaniam. Auctor Anonymus laudatus cap. 3. scribit: *O quanta reverentia ille venerandus est dies ab hujus patriæ incolis, quo beatus vir à Deo missus, de longinquis terra partibus huc advènit! Anno siquidem ab Incarnat. Domini millesimo septuagesimo nono cum sociis suis venit Dominus Geraldus in Silvam-majorem, in festivitate* (ut fertur) *Apostolorum Simonis & Iudæ. Fama igitur tanti viri per diversas regiones se velociùs extendit; in secundo anno inceptum est monasterium, quinto scilicet Idus Maii in honore Domini & B. Mariæ Virginis & SS. Apostolorum Simonis & Iudæ.* Ejus Congregatio latissimè quondam propagata fuit, illumque Cœlestinus III anno MCXCVII in Sanctorum numerum retulit, ut liquet ex Rescripto ab illo, *Laterani V Kalendas, Pontificatus anno septimo* dato.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6589.

☉ 13. F E. ☽ 14. P. 13. April. Indict. 4.

JESU CHRISTI 1096.

URBANI II PAPÆ 9.

HENRICI IV REG. 41. IMP. 13.

ALEXII COMNENI IMP. 16.

Anno Æra Hispan. MCXXXIV. Anno Hegiræ ccccxc. inchoato die 19. Decemb. fer. 6.

I. *Urbanus II apud Turones Concilium celebrat.*

AD Num. I ad XI. Urbanus II, non *Arelate*, ut perperàm habet Bertoldus in Chron. à Baronio num. I citatus, sed apud *Lemovicas* Natale Domini anni superioris celebravit, ut patet ex iis, quæ eo anno num. XIX in medium adduximus. Bertoldus enim annum à Natali Domini exorditur, & in rebus extra Germaniam gestis narrandis quandoque peccat. Verum autem est quod is postea ibidem refert, Urbanum nempe in tertia hebdomada Quadragesimæ Synodum in civitate Turonensi celebrasse, & *Philippum* Galliarum Regem abjuratâ Bertradâ in gratiam à Pontifice receptum fuisse. Baronius enim num. V refert Diploma Urbani II, quo Privilegia Ecclesiæ Turonensis confirmavit, *Dat. Turonis secundo Idus Martii indict. IV*, & num. VIII aliud Diploma ejusdem Pontificis *datum Pictavis quarto Kal. Aprilis indict. IV*, ideoque hoc Christi anno.

II. *Ad varias urbes pergit, & Philippum Regem in amicitiam recipit.*

Confirmantur hæc omnia, & magis illustrantur, primò ex Chronographo Malleacensi hujus temporis Scriptore ad annum MXCVI, ubi ait: *Urbanus Papa veniens ad festivitatem Sancti Hilarii* (quæ celebratur vel XII, vel XIII, vel XIV Januarii) *fuit Pictavis, & benedixit monasterium Novum sexto Kalendas Februarii* (qui hoc anno in Dominicam incidit,

SÆC. XI. An.C.1096. dit. Monasterium-novum vulgò Montiers-neuf fundatum fuerat anno MLXVIII à Guidone Gosfrido Comite Pictaviensi, Duce Aquitaniæ, ut dicitur in eodem Chronico Malleacensi). *Post hæc perrexit Andegavis & benedixit monasterium Sancti Nicolai* (quod ipsemet Urbanus in literis datis *apud Sablensium*, quæ urbecula est media inter Andegavum, & Genomanum, vulgò Sablè, *XVI Kalend. Mart. indict. IV*, à San-Marthanis in Tomo de Abbatiis Galliarum recitatis testatur). *Inde abiens Turonis tenuit Concilium in monasterio Sancti Martini: in quo inter alia restauravit Abbatiam Sancti Mauri, & præcepit habere Abbates*, &c. *Inde reversus est Sanctonas civitatem & celebravit ibi Sanctum Pascha: & inde remeavit Romam: & ineunde remeavit Nemausum civitatem; ubi item tenuit Concilium & reconciliavit Philippum Regem Francorum.*

III. *Gesta ab Urbano II apud Andegavos.* Holstenius in Collectione Romana part. II pag. 222. ex libello MS. Fulconis Comitis Andegavensis hæc refert: *In fine istius anni MXCVI* (legendum, MXCV, ut ex dictis liquet, & verba sequentia demonstrant,) *appropinquante quadragesima*, (ideoque Fulco illius libelli Auctor annum à Paschate auspicatur), *venit Andegavum Papa Romanus Urbanus, & ammonuit gentem nostram, ut irent Jerusalem expugnaturi gentilem populum, qui civitatem illam & totam terram Christianorum usque Constantinopolim occupaverant. Tunc in Septuagesima dedicata est Ecclesia Sancti Nicolai ab ipso Papa. Constituit etiam idem Apostolicus, & Edicto jussit, ut in eodem termino, quo dedicationem fecerat, indictum publicum celebraretur* (idest, nundinæ, ut rectè Ducangius in Glossario explicat) *unoquoque anno apud S. Nicolaum, & septima pars pænitentiarum populo convenienti ad illam celebritatem dimitteretur. Unde discedens Cenomannum venit, & inde Turonum; ibique datis venerabili Concilio decretis media Quadragesima coronatus est, & cum solemni processione ab Ecclesia S. Mauricii ad Ecclesiam B. Martini deductus: ubi mihi florem aureum, quem manu gerebat, donavit: quem ego etiam ob memoriam & amorem illius in Osanna semper mihi meisque successoribus deferendum constitui.*

IV. *Gesta ab Urbano II apud Turonos & Pictavos.* Ad hæc Chifflerius in Probationibus Historiæ Trenorciensis pag. 333. refert ex veteri Diplomate, in Concilio Turonensi præsente Urbano II hoc anno habito, Ecclesias Sanctæ Crucis & Sancti Nicolai de Lausduno, Petro Trenorciensi Abbati, ejusque monasterio adjudicatas esse. In fine legitur: *Actum Turonis anno ab Incarnat. Domini MXCV, indict. III, XIII Kalendas Aprilis feria V*, ideoque ni error sit in numeris Notarius annum & indictionem à Paschate incboat, ut feria V cum die XX Martii copulata indubitatum reddit. Et postea refert Chiffletius ex tabulis autographis: *Tempore P. Abbatis, mense Januario, anni MXCV, à Paschate deducti* (ideoque jam numerabatur annus MXCVI juxta nostrum calculum) *indictione IV* (ex quo liquet, Notarium indictionem à Septembri, annum verò à Paschate exorsum esse) *Petrus Pictavorum Episcopus natam inter Monachos Turnacenses, & Canonicos Sanctæ Crucis de Lausduno controversiam dirimit. Subscribunt ejus sententiæ, Urbanus Papa II*, &c. Quare verum est quod scribit Chronographus Malleacensis, Urbanum II in die festivitatis Sancti Hilarii Pictavos venisse qua etiam in urbe erat die XXIX Martii, ut patet ex dictis anno MXCIV num. XX. Insuper Urbanus II, postulante Petro Trenorciensi Abbate, Turonis, hoc anno, ejus monasterii bona, juraque omnia recepit in tutelam Apostolicæ Sedis, ut liquet ex ejus Rescripto ibidem à Chiffletio relato, ab Urbano Papa subscripto, datoque *Turonis XIII Kalendas Aprilis, indict. IV, Incarnat. Dominicæ anno MXCVI.*

V. *Gesta Tolosæ.* Catellus in Hist. Comitum Tolosæ lib. 2. cap. 3. hæc refert ex Codice MS. *Anno Domini MXCVI indict. IV, nono Kalend. Junii Dominus Papa Urbanus unà cum Archiepiscopo Toletano Bernardo, & Amato Burdegalis Archiepiscopo, Pisanoque Archiepiscopo* (aliisque Episcopis ibidem designatis) *consecravit Ecclesiam Sancti Saturnini Martyris, Tolosæ Episcopi.* Quod & testatur ipsemet Urbanus II in Rescripto à se anno insequenti emisso, & à Catello ibidem memorato, qui addit Bernardum Guidonis recensere Concilia ab Urbano II celebrata, & habere apud se Epitomen MS. ab eodem Bernardo editam inscriptamque: *De Temporibus & annis generalium & particularium Conciliorum.*

VI. *Gesta Magalone.* Urbanum II ex urbe Tolosana Magalonam profectum esse colligo ex tempore, quo in utraque urbe fuit, & ex Arnaldo de Verdala Episc. Magalonensi in Catalogo Episc. Magalonensium, à se circa annum MCCCXL scripto & Tom. I Biblioth. Labbei relato: *Anno XCVI*, (legendum, MXCVI) *in Vigilia Apostolorum Petri & Pauli Urbanus Papa II, qui ad visitandas & confirmandas Galliæ Ecclesias Alpes transiisse, ad preces dicti Gothofredi Episcopi* (nempe Magalonensis) *intravit Magalonem, ibique stetit per quinque dies, & tunc secunda die adventus sui, scilicet dominica* (quæ hoc anno incidit in diem XXIX mensis Junii, festo SS. Apostolorum Petri & Pauli sacrum) *Congregato totius pene Magalonensis Episcopatus, Clero & populo sermone facto, assistentibus Archiepiscopis, Pisano & Tarraconensi, ac Episcopo Albanensi, Signinsi, Nemausensi, & Magalonensi; præsentibus Comite Substantionensi, Guillelmo Montispessulani domino, de terra nobilibus totam insulam Magalonensem solemniter consecravit, & omnibus in ea sepultis ac sepeliendis absolutionem omnium delictorum concessit; & multa alia Privilegia eidem Ecclesiæ donavit*, &c. San-Marthani in Episcopis Magalonensibus videntes Verdalam deinde scribere Urbanum II eodem anno XCVI Concilium apud Clarum montem celebrasse, & existimantes eum in anno adversùs Urbani II Magalonam, uti in anno Concilii Claromontani peccasse, Verdalæ nomine alto silentio suppresso hæc ejus verbis cum anno MXCV copulant. Verùm Verdala, qui in Historia generali parum versatus erat, hæc ex Actis publicis desumpsit, & ei adscribenda erant.

VII. *Urbanus II Nemausi Concilium celebrat.* Dacherius in Spicilegio Tom. IV publicavit Concilium *Nemausense*, ab Urbano II mense Julio celebratum, cujus extant tantum Canones. Hoc Concilium nunc legitur Tom. X Concil. pag. 605. in eoque varia continentur ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentia. De eo intelligendus Bertoldus de Philippo Francorum Rege verba faciens: *Dum adhuc in Galliis moraretur* (nempe Urbanus), *satis humiliter ad satisfactionem venit, & abjuratâ adulterâ in-*

SÆC. XI. An. C. 1096.

gratiam receptus est. Io illo confirmata donatio facta Odiloni Abbati & ejus Monachis, terræ Sancti Ægidii, per Raimundum Comitem Tolosanorum & Rutenensium, Ducem Narbonæ, & Marchionem Provinciæ. In fine legitur: *Facta & confirmata Charta in Nemausensi Concilio à domno Papa Urbano II celebrato anno ab Incarnat. Domini MXCVI indict. IV, septima* (legendum sextâ) *feriâ, IV Idus Julii, Pontificatûs domni Urbani Papæ anno IX, regnante Philippo Rege.* Chartæ subscripsit *ipse Raimundus Comes.* Hanc donationem Urbanus iterum Avenione post aliquot dies confirmavit, & monasterium Sancti Ægidii immunitate donavit, rescripto dato *apud Avenionem in monasterio Sancti Andreæ XI Kalendas Augusti, indictione IV, Incarnat. Dominica MXCVI, Pontificatûs autem Domini Urbani II Papæ IX.* Tam donatio quàm ejus confirmatio Tom. X Concil. recitantur, ex iisque constat, Concilium Nemausense mense Julio habitum, indeque Urbanum II Avenionem profectum.

VIII. Nemauso venit ad S. Ægidium, indeque Avenionem.

Ex urbe Nemausensi ad monasterium Sancti Ægidii paucis leucis ab illa dissitum Urbanus II antea venerat, ubi confirmavit quæcumque Privilegia Revipollensi monasterio in Comitatu Ausonensi sito, antea à Pontificibus Rom. ac Principibus concessa fuerant. Baluzius in Appendice Marcæ Hisp. Urbani Rescriptum recitat, *datum in monasterio S. Ægidii*, &c. *XVII Kal. Augusti, indict. IV Incarnat. Dominica anno MXCVII* (Pisano, ut tam indictio IV, quàm annus IX Urbani demonstrant) *Pontificatûs autem domni Urbani II Papæ IX.* Postridie idem Pontifex Apostolico Privilegio munivit monasterium Balneolense in Comitatu Bisuldinensi positum. Ejus Rescriptum ibidem recitatur: *datum in monasterio Sancti Ægidii apud Vallem Flavianam XVI Kalendas Augusti, indictione quarta, Incarnat. Dominica anno MXCVII* (Pisano) *Pontificatûs autem domni Urbani II Papæ anno.* Sancti Ægidii monasterium Benedictinum, quod urbi nomen dedit, ad Presbyteros seculares postea translatum.

IX. Prima pars exercitûs Cruce signatorum est Francorum Orientalium.

Ad num. XI & seq. Mabillonius Tom. I Musei Italici part. II Historiam *Belli Sacri* ab Auctore Anonymo, quem coætaneum arbitratur, scriptam publicavit. Is Gesta hoc anno rectè in compendium redegit. Quare licet eum ab aliis, qui interfuêre, quæ narrat, exscripsisse existimem, ejus tamen verbis utar, quia quæ isto anno refert in Scriptoribus contemporaneis etiam habentur: *Primum*, inquit, *coperunt arripere iter, fecerunt tres partes. Una pars Francorum in Ungariæ intravit regionem, scilicet Petrus Eremita, & Dux Gotsifredus* (Bullonius dictus), *& Balduinus frater ejus, & Comes Balduinus de monte. Petrus verò Eremita Constantinopolim venit in Kal. Augusti, & cum eo maxima generatio Alamannorum. Illic invenit Lombardos & Longobardos, & alios plures congregatos, quibus Imperator Græcorum jusserat dari mercatum* (idest, cibaria ad alimoniam exercitûs) *sicuti mos erat in civitate. Dixitque illis: Nolite transmeare Brachium* (nempe S. Georgii, seu Helespontum), *donec veniat maxima Christianorum virtus, quia vos tot non estis, quod cum Turcis præliari valeatis. Ipsique Christiani nequiter deducebant se, quoniam civitatis Palatia sternebant & incendebant, & auferebant plumbum, unde Ecclesiæ erant cooperta, & vendebant Græcis. De quo magis iratus Imperator, mox jussit illos transmeare ultra Brachium. Postquam verò transfretaverunt, non cessabant agere omnia mala. Tandem pervenerunt Nicomediam. Illic divisi sunt Lombardi, & Longobardi, & Alamanni à Francigenis, quia Francigenæ erant tumidi superbiâ. Elegerunt autem Lombardi & Longobardi Dominum super se se, cui nomen Raynaldo, & Alamanni similiter: & intraverunt in Romaniam, & per quatuor dies iverunt ultra Nicæam civitatem, & invenerunt quoddam castrum, cui nomen Sceregorgo, quod vacuum erat gente, & apprehenderunt illud, in quo invenerunt satis frumentum, & vinum, & carnem, & omnia bona.*

SÆC. XI. An. C. 1096.

X. Malè habetur à Turcis circa Nicæam.

Audientes itaque Turci, quia Christiani essent in castrum, venerunt continuò obsidere illud. Ante portam castri erat quidam puteus, & ad pedem castri erat fons unus, juxta quem exiit Raynaldus, excubare scilicet Turcos. Venientes autem Turci in die dedicationis S. Michaelis Archangeli, scilicet duobus diebus stantibus mensis Septembris, invenerunt Raynaldum & alios omnes, qui cum eo erant, & occiderunt multos ex eis. Alii qui remanserunt vivi, fugerunt in castrum, quod Turci obsederunt continuò, eisque abstulerunt aquam: fueruntque nostri in tanta afflictione sitis, quod flebotomari faciebant suos equos & asinos, quorum sanguinem bibebant. Hæc persecutio fuit per octo dies. At Dominus Alamannorum (scilicet Raynaldus) *confiliatus est cum Turcis, qualiter traderet alios omnes: & fingens se exire ad bellum, fugit ad illos, & cum eo multi ex aliis. Turci ceperunt castrum: illi autem, qui Deum abnegare noluerunt, capitalem sententiam susceperunt: qui vivi remanserunt, decapitati sunt à Turcis. Isti primò acceperunt feliciter martyrium pro Christi nomine. Audientes autem Turci, quod Petrus Eremita & Gualterius Sine habere* (ita cognominabatur) *fuissent in civitate, quæ supra Nicæam, venerunt illuc gaudendo occidere illos. Cùmque venirent, latantes obviaverunt Gualterius & sui milites, quos omnes confestim occiderunt.*

XI. Alexius Imp. lætatur de strage Christianorum.

Petrus verò Eremita paululùm anteà recesserat Constantinopolim; eò quòd nequibat retinere illam diversam gentem, quæ nolebat eum audire, nec verba ejus auscultare. Turci verò post hanc malignam illorum victoriam, ubicumque inveniebantur Peregrini, irruebant super eos: quorum alios inveniebant vigilantes, alios dormientes; alios nudos jacentes, quos omnes interficiebant. Presbyterum quoque unum invenerunt celebrare sanctam Missam super altare, eumque martyrizaverunt. Alii, qui potuerunt evadere, fugerunt ad civitatem: alii miserunt se in mare, alii in silvis, alii ascenderunt in montaneis, & introierunt in quoddam castrum. Turci namque persequentes illos, adunaverunt ligna, ut illos incenderent simul cum castro. Christiani igitur, qui in castello erant, miserunt ignem in lignis adunatis, & reversus ignis adversus Turcos, quoniam Deus noluit suos relinquere. Illos verò qui capti erant à Turcis, diviserunt inter se, sicut prius fecerunt per universas eorum regiones. Hoc totum factum est in mense Octobri. Audiens hoc Imperator, quod Turci ita dissipassent nostros, latus & gavisus fuit: & mandavit, & fecit eos transmeare Brachium; & postquam reversi fuerunt, comparavit ab eis omnia arma eorum.

XII. Secunda pars exercitûs

Secunda verò pars intravit in Sclavoniæ partibus, sc. Raymundus Comes sancti Ægidii, & cum

eo

SÆC. XI. An. C.1096. Christiani malè etiam habita.

eo Podiensis Episcopus (Adematus appellatus): *in qua Sclavonia multa pars passi sunt pro Christi nomine, & sancti Sepulchri. Nam per quadraginta dies ambulaverunt per obscura loca propter nebulas, quæ erant tam densa, ut vix paululum longè conspicere possent, & Turci undique eos insidiantes. Sed belli potens, & providus Comes minutam gentem faciebat ire in medio, & ipse cum exercitu suo custodiebat eos ante & retro ab insidiis Turcorum. Itaque plures è suis militibus perdidit fame & gladio, quoniam mala terra erat. Viam etiam nesciebant, nisi per ortum solis.* Vides Raimundum Comitem sancti Ægidii hoc anno in Terram Sanctam profectum, & hunc Anonymum suffragari Tudebodo, Fulcherio Carnotensi, aliisque qui id etiam scripsêre.

XIII. Franci Occidentales tertiam exercitûs partem componunt.

Tertia pars per antiquam viam Romam venit. In ista verò parte fuit Robertus Comes Flandrensis, & Robertus Comes Normannus & Ugo Magnus (qui frater erat Philippi Francorum Regis), *& alii plures: ac deinde appropinquarunt ad portum Brundusii aut Bari, aut Tarenti. Ugo verò Magnus, & Guillelmus Marchisi filius confestim miserunt se se in mari ad portum Bari, & transfretantes applicuerunt Durachium. Audiens itaque Dux illius civitatis illos prudentissimos viros illuc esse applicitos, continuò mala cogitatione in cor ejus ascendente jussit eos moveri, & Constantinopolim ante infelicem Imperatorem cautè deduci, quò ei fidelitatem facerent.*

XIV. Gothofredus Bullonius Constantinopolim venit.

Dux itaque Gottifredus, nostrorum Comitum primus, Constantinopolim venit cum suo magno exercitu diebus duobus ante Nativitatem Domini nostri, & hospitatus est juxta Constantinopolim: fuitque ibi, donec iniquus Imperator jussit eum honorabiliter hospitari in burgo. Cùmque hospitinus fuisset securè, mandabat armigeros suos foras per unumquemque diem, quatenus paleam & alia necessaria apportarent. Cùm verò jam putabant cum fiducia exire quocumque voluissent, inimicus Imperator, Alexius nomine, sagaciter faciebat ipsos observari: suisque Turcopolis & Piccinacis imperabat, quod eos invaderent, & occiderent. Balduinus itaque, Ducis frater audiens hoc, quod traditor Imperator suis imperabat hominibus, statim misit se in nimiam attentionem, si fortè illos invenire posset. Ad ultimum invenit eos occidentes gentem suam, illosque invasit toto corde, & Deo adjuvante superavit, & apprehendit sexaginta... Ex eis partim occidit, & partim ante conspectum Ducis conduxit. Cùmque vidisset hoc Imperator infelix, valdè iratus est. Videns autem Dux quod Imperator esset iratus, jussit suis militibus exire de Burgo, & hospitari extra civitatem, ubi fuerant prius. Sero autem superveniente, mandavit infelix Imperator exercitum suum, & fecit invadere Ducem simul cum Christi gente: quos persequens invictus Dux unà cum Christi militibus, occidit septem ex illis, & persequendo alios, venit usque ad civitatis portam. Reversus itaque Dux ad sua tentoria, & fuit in campo illo ferè per quinque dies, donec pactus est cum Imperatore: dixitque illi Imperator, quod transfretaret Brachium S. Georgii: promisitque facere illuc conduci omnem mercatum, sicut erat Constantinopoli, & pauperibus eleemosynam erogare, unde vivere possent. Ita Anonymus testis oculatus eorum quæ narrat, cujus aliquas tantùm phrases non necessarias prætermisi. Quæ hoc anno peracta esse docet Chronographus Malleacensis, cujus verba anno sequenti referam.

Ad num. XIII. Bertuldus in Chron. quem sequitur Baronius, refert, Urbanum II *Exaltationem S. Crucis apud Hortarium prope Papiam, & Nativitatem Domini Romæ* celebrasse. Verùm *Urbanus* triduo ante festum Exaltationis sanctæ Crucis, *Tarasci* ad Rhodanum quatuor leucis ab Avenione dissiti agebat, ut docet Charta ex cartulario monasterii sancti Victoris Massiliensis descripta, & à Boucheo lib. IX Hist. Provinciæ pag. 83. relata, in qua habetur: *Notum fieri volumus, quod venerabilis Papa Urbanus anno Incar. Domin. MXCVI, sui autem Pontificatûs octavo, III Idus Septemb. per castrum Tarasconem transiens*, &c. sed loco, *Pontificatûs octavo*, legendum, *Pontificatûs anno nono.* Præterea Noguierius in libello de Episcopis Avenionensibus, hujus Pontificis bullam *XVII Kalend. Octob. Avenione* datam recitat qua Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis Regulam sancti Augustini assumere volentium consilium promovit, & confirmavit. Vita regularis in ea Ecclesia observata usque ad annum MCCCCLXXV, quô Sixtus IV Canonicos religiosis legibus solvit, ut habet idem Noguierius. Fulcherius Carnotensis in Historia Hierosolymitana ab anno MXCV ad annum usque MCXXVII, lib.1.cap. 2. loquens de exercitu Francorum in Orientem proficiscente ait: *Nos Franci Occidentales per Italiam excursâ Galliâ transeuntes, cùm usque Lucam pervenissemus, invenimus prope Urbem illam Urbanum Apostolicum, cum quo locuti sunt Comes Robertus Normannus, & Comes Stephanus, nos quoque ceteri qui voluimus. Et ab eo benedictione suscepta, gaudentes Romam ivimus.* Paulo antea scripserat: *mense Septembri Robertus Normannia Comes iter arripuit, cum quo ivit etiam Stephanus Comes Blesensis Theobaldi filius*, &c. Landulphus verò à sancto Paulo in suo Chronico cap. 28. mentionem faciens cujusdam rei in juventute sua gestæ ait: *Urbanus Papa Synodum placentiæ celebravit, atque de Francia*, (non verò de Alemannia, ut perperàm ponit Galvaneus) in Chron. *Mediolanum rediit. In qua civitate cum ipse Papa staret* (currenti nempe anno) *in pulpito sanctæ Theclæ immensa multitudini hominum utriusque sexûs prædicavit, quod minimus Clericus de Ecclesia Dei est major quolibet Rege mortali. Addidit etiam, quod Clerici & Sacerdotes per pecuniam in Ecclesias non sunt introducendi.*

SÆC. XI. An. C.1096. XV. Urbanus II Romam redit.

XVI. Urbanus II Mediolani Herlembaldum in numerum SS. refert.

Per Urbem Mediolanensem transierat etiam Urbanus II in Franciam veniens; *Superiori autem potius anno, quàm præsenti*, inquit Puricellus lib. 4. cap. 81. *ego Herlembaldum ab Urbano Papa connumeratum sanctis Martyribus, & nobiliori tumulo traditum, idcirco credidi, quia & causa ipsius justitia, & Sedis ipsius Apostolicæ dignitas omninò deposcere videretur, ut hoc utrumque fieret, quâ primàm posset opportunitate, nec ulla ceteroqui veniret in mentem ratio, cur in aliud postea tempus differendum esset.* Verùm hæc conjectura mihi parum verosimilis videtur, cùm enim Pontifex urgentibus tunc universalis Ecclesiæ negotiis, totus intentus esset, & major de *Herlembaldi* virtutibus & miraculis informatio capienda, rem in suum reditum distulisse existimo. *Herlembaldum* verò ab Urbano II in numerum Sanctorum relatum, testatur Auctor Chronici, cui titulus *Flos Florum* anno MCCCXCIX compositi, in quo apud Puricellum lib.1.cap. VI num. 2. sub Guidone Archiepiscopo Mediolanensi hæc leguntur: *Hoc*

SÆC. XI An. C 1096. *tempore passus est beatus Arialdus Martyr & Levita. Jacet in corpore* (nempe Ecclesiæ) *Sancti Dionysii. Beatus quoque Hernebaldus miles, qui amasias Sacerdotum persequebatur, occiditur, & per Urbanum secundum Papam in Ecclesia beati Dionysii sepelitur in navello* (idest in sepulchro) *in pariete, ubi ejus Passio depicta est.*

XVII. *Saraceni in Aragonia victi.* *In Hispania ipso anno*, inquit Chronographus Malleacensis ad annum MXCVI, *subacta est Osca civitas, & Rex Petrus Aragundia* (idest Aragoniæ) *pugnavit cum quinque millibus militum, & viginti millibus peditum contra centum millia peditum Moabitarum & novem millia militum. Fuerat enim possessa civitas cum aliis civitatibus Hispania trecentum annorum, & eò amplius. Hoc bellum & victoria domino donante facta est mediante Novembri mense. Hoc eodem anno deviserunt Moabita Hildefonsum Regem Hispania, & nonaginta milites occiderunt.* De expugnatione Oscæ vide dicta anno MXCIV.

XVIII. *Concilium Rotomagense.* Ordericus lib. IX pag. 721. postquam de Claromontano Concilio sermonem habuit, aliud refert, in quo Canones septem conditi, cujus initium est: *Ode Episcopus Baiocensis, Gislebertus Ebroicensis, & Serlo Sagiensis, Legati quoque aliorum de Normannia Præsulum, cum excusatoriis apicibus Arvernensi Concilio interfuerunt: & inde cum benedictione Apostolica regressi, Synodales Epistolas Coepiscopis suis detulerunt. Guillelmus igitur Archiepiscopus Concilium Rotomagi aggregavit, & cum suffraganeis Episcopis de utilitatibus Ecclesiasticis tractavit. Tunc omnes mense Februario Rotomum convenerunt, capitula Synodi, qua apud Clarum montem facta est, unanimiter contemplati sunt: scita quoque Apostolica confirmarunt, & hujusmodi scriptum posteris dimiserunt. Statuit Synodus sancta, ut Trevia Dei firmiter custodiatur*, &c. In Concilio Claromontano *Trenga Dei* confirmata fuerat, induciæ nempe in bellis inter privatas personas gestis, de quibus frequens hoc & sequenti seculo mentio occurrit.

XIX. *Pax inter Raimundum & Gilbertum de Comitatu Provinciæ contendentes.* Hoc anno *Raimundus* Comes sancti Ægidii ad bellum sacrum profectus est, ut num. XII. jam vidimus. Antequam è Galliis discederet, Comitatum Tolosanum *Bertrando* filio suo notho commendavit, ut refert Guibertus de Nongento in Hist. Hierosolymitana lib. 2. cap. XVIII: *Quiquidem*, inquit, *naturali cuidam suo filio Comitatu, quem regebat, relicto, propriam conjugem* (nempe Elviram Alphonsi VI Castellæ & Legionis Regis filiam) *cum filio, quem ab ea exegerat unico, secum duxit.* Ordericus lib. XIII *Bertrandum* Comitem Tolosæ semper appellat, atque Alphonsum fratrem ei in Comitatum successisse, Gaufridus verò Prior Vosiensis in Chron. apud Labbeum Tom. II Biblioth. habet: *Raimundus* (sc. Comes sancti Ægidii) *filius Pontii Tolosani, pro argento cum quo Hierosolymam abiit, Ruthenis præfecit Comitem Richardum, filium Richardi Vicecomitis de Carlat*, cùm scribere debuisset, *Richardum filium Berengarii Vicecomitis de Carlat*, ut demonstrat Boucheus in posterioribus Additionibus ad Tom. II Historiæ Provinciæ pag. 2. & seq. qui ibidem etiam ostendit, hunc *Richardum* hujus nominis II fratrem extitisse *Gilberti* Comitis Æmiliani & Provinciæ. Quare *Raimundus* Comes sancti Ægidii hoc anno, postquam castrum Sancti Maximini invasit, pacem cum *Gilberto* composuit, & ex tunc is Comitatum Provinciæ pacificè obtinuit, extinctumque bellum à morte *Bertranni* Comitis Provinciæ inter utrumque per annos circiter XVI magno Provincialium damno gestum. Vide dicta anno MLXXXI. Semper tamen Raimundus *Provinciæ Comes* dictus est, sed ratione tantùm partis Provinciæ seu Comitatûs Venascini ad Tolosanos Comites pertinentis. SÆC. XI. An. C. 1097.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6590 — Anno Eræ Hispan. MCXXXV. Anno Hegiræ CCCCXCI, inchoatis die 5. Decemb. fer. 3.

☉ 14. D. ☽ 15. P. 5. April. Indict. 5.

JESU CHRISTI 1097.

URBANI II PAPÆ 10.

HENRICI IV REG. 42. IMP. 14.

ALEXII COMNENI IMP. 17.

I. *Concilium Barense anno sequenti habitum.* ANum. I ad XI. Edimerus in Vita Sancti Anselmi Cantuariensis Episcopi lib. 2. cap. 5. loquens de iis, quæ anno MXCVIII gessit Anselmus, narrata obsidione Capuanæ civitatis hoc anno suscepta, & insequenti soluta, ait: *deinsoluta obsidione, Anselmus multa prece Papam ad hoc flectere conatus est, quatenus ab onere Pontificali eum absolveret, & quieti liberum vacare concederet. Verùm cùm, quantum quidem ad effectum spectabat, in nihilum laborasset, fretus benedictione ejus, Sclaviam reversus est, operiens ibi tempus Concilii, quod idem Papa apud Barum Kalendis Octobris erat celebraturus.* Cùm verò Baronius persuasum haberet, Concilium Barense *Kalendis Octob.* præsentis anni habitum, & Capuam obsidione liberatam, quæ ad sequentem annum pertinent, cum iis quæ currenti gesta permiscuit, quemadmodum & Alfordus in Annal. Angl. & Labbeus Tom. X Concil. Sed, ut hæc certius suis annis reddantur, obiter hîc quæ anno superiori in Anglia contigêre, referenda.

II. *Concilium Hibernicum anno superiori celebratum.* Eadmerus in Historia Novorum lib. 2. part. 1. cap. 1. scribit: *Eo tempore* (nempe tertio anno Pontificatûs Anselmi, ut antea dixerat, qui annus à die IV mensis Decembris anni MXCV inchoatur,) *Robertus Comes Normannia in expeditionem Hierosolymitanam proficisci disponens, fratri suo Willelmo Regi Anglia, Normanniam spatio trium annorum, pecunia gratiâ in Dominium tradidit: qua pecunia per Angliam partim data, partim exacta, totum regnum in immensum vastavit. Nihil Ecclesiarum ornamentis hac in parte indulsit dominandi cupiditas, nihil sacris altarium vasis, nihil Reliquiarum capsis, nihil Evangeliorum libris auro vel argento paratis.* Subjungit postea Eadmerus conventum tunc fuisse Anselmum, qui de thesauro Ecclesiæ aliquam quidem summam obtulit, sed vicissim Ecclesiæ donavit villam suam cum nonnullis aliis. Venit postea Willelmus Rex in Normanniam, *quo cùm demoraretur, Rex Hibernia Murchertachus nomine, & Dofnaldus Episcopus cum ceteris Episcopis, & quique Nobiles cum Clero & populo ipsius Insula miserunt nuncios ac literas ad Anselmum, innotescentes ei civitatem quamdam, Wataferdiam nomine, in una suarum provinciarum esse, cui ob numerosam civium multitudinem expediret Episcopum institui*, &c. *Jam enim secula multa transierant, in quibus eadem civitas absque providentia & cura Pontificali consistens, per diversa tentationum pericula jactabantur,*

SÆC. XI. An.C. 1097.

tur, &c. *Igitur Anselmus, considerans & intelligens eos justa & utilia petere, petitioni eorum libens annuit. Electum ergo Pontificem*, &c. *dignum Episcopatu comprobatum, sumta ab eo ex more de subjectionis suæ obedientia professione, sacravit eum Cantuariæ quinto Kal. Januarii*, idest, die XXVIII mensis Decembris, qui anno MXCVI in dominicam incidebat, quo ideo Malchus Watafordiensis Episcopus consecratus est, ut rectè vidit Alfordus, non verò anno currenti, quò perperàm Tom. X Concil. Concilium *Hibernicum* tunc habitum consignatur. Ubi observabis, Eadmerum uno tenore hæc recitare, quia hujus ordinationis tempore jam quartus Anselmi Pontificatûs annus in cursu erat, licet Concilium anno tertio ejus præsulatûs in Hibernia fuerit congregatum. Porrò *mense Septembri* Robertum Guillelmo Regi fratri Neustriam commisisse, & postea ad expeditionem Hierosolymitanam profectum esse, testantur Ordericus lib. IX pag. 724. Hovedenus & Simeon Dunelmensis.

III. *S. Anselmus Romam proficiscendi facultatem à Rege extorquet.*

Baronius à num. II ad VII narrat, Sanctum Anselmum *mense Octobri* Wintoniam à Guilelmo Rege vocatum esse, & vix tandem post plurimam contentionem, quam ex Edmero in hujus Sancti Vita refert, facultatem ab eo extorsisse Romam ad Urbanum II proficiscendi. Addit, hæc contigisse mense Octobri superioris Christi anni. Verùm Hovedenus part. I pag. 466. hæc accuratè refert ad præsentem annum, ad quem hæc habet: *Mox inter Regem & Dorobernensem Archiep. Anselmum orta dissensione (quia ex quo Archipræsul factus est, Synodum tenere, & prava, quæ per Angliam pullulaverant, non licuit corrigere) mare transiit, & ad tempus in Gallia mansit, & post ad Urbanum Papam perrexit Romam*, quod ipsissimis verbis legitur etiam in Simeone Dunelmensi in lib. de Gest. Reg. Sed Edmerus lib. 2. Novorum cap. 2. rem extra omnem controversiam ponit: *Anselmus*, inquit, *cœptæ petitionis suæ non immemor, rogavit Regem quatenus quæsitam jam olim licentiam, vel tunc, repetitis precibus non negaret. Sed secundo negat, sicut primò negarat. Postea conventu soluto, in mense Octobri, Wintonia ad Regem, ex condicto venimus. Instantiùs itaque tam per se, quàm per alios, Regem Pontifex orat, quatenus bono animo sibi concedat, quod se jam tertio postulare necessitas sua cogebat.* Multis interpositis, narrataque facultate à Rege tandem concessa, ait Anselmum Romam aditurum Regi benedixisse: *Nunc igitur ignorans, quando vos iterum visurus sim, Deo vos commendo, & sicut spiritualis Pater dilecto filio, sicut Archiepiscopus Cantuariensis Regi Angliæ, vobis Dei & meam benedictionem, antequam abeam, si eam non abjicitis, tribuere volo. Tunc Rex Benedictionem, ait, tuam non abjicio. Mox ille surgens, levatâ dextrâ signum Sanctæ Crucis super Regem ad hoc caput humiliantem edidit & abscessit; viri alacritatem Rege cum suis administrante. Anno ab Incarnat. filii Dei millesimo nonagesimo septimo acta sunt hæc feriâ quintâ, quæ fuit Idus Octobris.*

IV. *Hæc facultas hoc anno S. Anselmo concessa.*

Alfordus anno MXCVI, ubi fusè totam Historiam ex Edmero lib. 2. Novorum recitat, ad citata verba, quæ nulla explicatione eludi possunt, ait ea Edmero assuta fuisse oportere; cùm is antea tertii anni Pontificatûs Anselmi mentionem fecerit, & mense Octobri anni MXCVII Concilium Barense coactum sit. Verùm ex citato loco intelligere potuit Vir doctissimus *Concilium Barense* ad annum MXCVIII pertinere, & *Edmerum*, quando tertium Pontificatûs Anselmi annum numerat, illum ad omnia sequentia non extendere. Ex certissimo itaque temporis charactere, feriâ nempe quintâ cum Idibus Octobris conjuncta, certò liquet, non solùm Anselmum hoc anno ex Anglia discessisse; sed etiam *Concilium Hibernicum*, cujus paulò ante meminimus, & ordinationem Episcopi Watafordiensis contigisse anno superiori; cùm hic Præsul die XXVIII mensis Decembris ab Anselmo Cantuariæ consecratus fuerit, & currenti eo die in Galliis Anselmus egerit; Edmerus enim ait: *Venimus Cluniacum, tertio die ante Nativitatem Domini*, &c.

V. *Anselmus anno sequenti Romam adventavit.*

Celebravit dehinc in cœnobio Sancti Michaëlis Archangeli, quod in monte situm, Clusa vocatur, Passionis & Resurrectionis dominicæ solemnia, inter reverti Romam festinavimus, inquit Edmerus à Baronio citatus num. VIII, qui ex eodem addit, Anselmum, ubi Romæ fuit, ab Urbano II valde laudatum esse. Verùm Edmerus non de Paschate currentis anni, ut eum interpretatur Baronius, sed de Paschate anni millesimi nonagesimi octavi die vicesima octava Martii celebrato verba facit, uti ex dictis certò sequitur, & ex dicendis magis constabit.

VI. *Illo anno librum, Cur Deus homo, composuit.*

Sed, quia *instabat æstas*, Joannes quidam olim Monachus Becci suscepit Anselmum, ut proprium patrem, & duxit eum in suam villam, ubi *insigne volumen edidit, quod*, Cur Deus homo, *titulavit: quod opus, sicut in prologo ejus ipse testatur, in Anglia cœpit, sed hîc in Capuana videlicet provincia, constitutus, absolvit*, inquit Edmerus in Vita Sancti Anselmi, quæ Baronius num. X ad præsentem annum revocat, quæque juxta ea, quæ mox in medium attulimus, ad annum sequentem spectant. Porrò villa illa, sicuti cœnobium Joannis, *prope Telesinam urbem* sita erant, ut habet Edmerus lib. 2. Novorum cap. 3. & Telesia urbs Episcopalis, nunc ferè deserta, Beneventano Archiepiscopo parebat.

VII. *Honorificè excipitur à Rogerio Duce Capuam obsidente.*

A num. XI ad XVII. Gaufredus Monachus, Malaterra dictus, cujus verba recitat Baronius, asserit Urbanum II cum Rogerio Comite colloquium habere cupientem Capuam venisse, *ubi obsessionem tenebat*, hoc anno inchoatam, ut habet idem Malaterra. Verùm obsidio usque ad sequentem Christi annum perduravit, tuncque, non verò anno currenti, contigit quod narrat idem Edmerus mox citatus: *His fermè diebus* (anno nempe MXCVIII) *Rogerius Dux Apuliæ, adunato grandi exercitu, Capuanam civitatem à sua Ditione resilientem, obsidebat: & audita fama Anselmi, directis nunciis, rogavit eum venire ad se: cupiens illum videre & alloqui, atque per eum, his quæ saluti suæ adminiculari poterant, informari. Ivit ergo Pater ad eum. Adhuc longè eramus, & ecce Dux ipse, copiosa Ducum multitudine septus, Patri occurrit, ac in oscula ruens, ei pro suo adventu gratias egit. Plures exhinc dies in obsidione fecimus, remoti in tentoriis à frequentia & tumultu perstrepentis exercitus. Cùm autem inter hæc Sedis Apostolicæ Pontifex Urbanus illo adventaret, & ei ab Anselmo ac Principibus totius exercitus obviam itum esset, ingenti sæcularis gloriæ pompa prosecutus, ductus est in tentorium, quod ei prope nos erat ceteris excellentius constitutum. Sicque donec civitas in deditionem transiit, obsidio illius Dominum Papam, &*

Anselmum vicinos habuit, ita ut familia illorum magis videretur una quam duæ. Subjicit paulo post Edimerus: *Obsidione dehinc soluta, Anselmus cum Papa ad Aversanam civitatem vadit,* quæ Capuam inter & Neapolim sita est.

VIII. *Contigit hoc anno tantum sequenti.* Hæc autem anno sequenti accidisse, extra omne dubium esse debet. Lupus enim Protospata, qui hoc tempore in illa regione vivebat, in Chronico suo scribit: *Anno MXCVIII comprehensa est Capua à Rogerio mense Martio.* Verùm loco, *mense Martio*, legendum, *mense Junio*, isque error adscribendus Librario, qui mensem malè exaratum in alium mutavit. Pascha enim illo Christi anno die XXVIII Martii celebratum, quo tempore *Sanctus Anselmus* in Abbatia Sancti Michaëlis adhuc versabatur, & ubi Romam pervenit, illic *per dies decem* resedit in Palatio Lateranensi cum Urbano II, ut narrat Edimerus in lib. 2. Novorum citato. Præterea Capuanæ urbis obsidio per aliquod tempus duravit post *Anselmi* in eam adventum, ut ex memoratis Edimeri verbis colligitur.

IX. *Qui & Salernum Urbanus II venit.* A num. XVII ad CXLIV. Cùm Malaterra lib. 4. cap. 29. cujus verba Baronius exhibet, doceat, *Capuâ expugnatâ, Urbanum II Salernum venisse*, & cum Rogerio Duce colloquium habuisse, ex dictis sequitur quæcumque hoc in loco Baronius habet, cum anno MXCVIII, quemadmodum & præcedentia, connectenda esse. Confirmat hæc omnia Epistola Urbani II ad Rogerium Calabriæ & Siciliæ Comitem, à Baronio num. XXIII recitata, quæ data dicitur *Salerni III Nonas Julii, indict. VII, anno Pontificatus nostri XI*, anno sc. MXCVIII, quo ideo, non verò currenti, Urbanus II tam Barii, quàm Salerni fuit. Sed indictio mendosè à Librario descripta, legendumque, *indictione VI*, loco, *indictione VII.*

X. *Boamundus Dux crucem sumsit.* Ad num. CXLIV & seq. Boamundus Tarenti Princeps, non hoc anno, sed præcedenti cum suo exercitu mare transiit, & in Orientem perrexit, teste Fulcherio Carnotensi lib. 1. cap. 2. qui ad annum MXCVI ait, Hugonem Magnum Philippi Regis Francorum fratrem primum Heroum mare transiisse, & post eum Bujamundum Roberti Guischardi filium. *Dum tanta nobilitas in unum convenit*, inquit Ordericus lib. IX *& incomparabilis probitas sine fictione ad opus Dei se obtulit, ingens cunctis timentibus Deum qui aderant, tripudium fuit. Alexius autem Imperator, qui jam dudum Cisalpinorum arma graviter expertus est, audito adventu tantorum Baronum nimis territus est; & perspecta arte, per quam periculum evaderet, sub specie pacis eos dolo decipere conatus est. Erat enim callidus & facundus, largus & fallendi artifex ingeniosus. Legatos igitur ad nobiles peregrinos misit, & pacem ab eis humiliter requisivit, liberumque transitum per terram suam, & necessarium negotium atque subsidium se illis daturum cum juramento promisit. Dux verò Buamundus, qui fraudes ejus bene dudum expertus erat, eumque bello bis devicerat, simulatis concionibus non adquievit, so socios suos ad obsidendam Constantinopolim viriliter incitavit: & multis ac probabilibus hoc sibi commodissimum esse allegationibus manifestè ostendit. Franci autem dixerunt:* "Nos divitias nostras dereliquimus, & peregrinationem spontè aggressi sumus, ut pro amore Christi Paganos confundamus & Christianos liberemus. Græci autem Christiani sunt. Pacem ergo cum illis faciamus, & quæ Turci eis abstulerunt, reddamus. *Coactus est itaque sagax Buamundus consiliis Francorum, ut pacem faceret cum Imperatore Græcorum, ad magnum, ut postea claruit, detrimentum Christianorum.* Ita Ordericus de rebus hoc anno gestis verba faciens. Tyrius verò lib. 2. cap. 20. *Quotidie, magis & magis Græcorum dolus, & fraus Imperatoris detegebatur; ita ut jam nemo esset de Principibus, cui non esset manifestum, & luce meridiana clarius, quanto odio populum prosequebatur nostrum, & omne Latinorum genus haberet invisum. Verumtamen quoniam ad alia eorum properabat intentio, & à Deo magis placitum propositum anhelabant, tutius judicabant, illatas dissimulari injurias, quàm se à tam pio revocare concepto, aut assumto labori impedimentum ministrare.*

XI. *Concilium Barense.* Ad num. CXLVI ad CLIV. *Urbanus II* post profectionem suam, tam Capuanam, quàm Salernitanam anno sequenti peractam apud *Barium* Apuliæ urbem Concilium celebravit, idque *Kalendis Octobris*, ut jam ex Anselmi Vita diximus. Edimerum de Kalendis Octob. sequentis Christi anni interpretandum, rectè viderunt Hovedenus part. 1. Annal. pag. 467. & Simeon Dunelmensis de Gestis Reg. qui ad annum MXCVIII habent: *Urbanus Papa comitante secum Doroberneнsi Archiepiscopo Anselmo, ut illi mandarat, ad Concilium, quod apud Barum Kal. Octobris celebrari constituit, proficiscitur. In quo Concilio plurima de fide Catholica ab Apostolico disserta sunt facunda ratione*, &c.

XII. *Anno MXCVIII coactum.* Præterea Lupus Protospata in Chron. ubi quandoque annum Incarnat. à Kalendis Septembris, sicut Græci cum quibus vivebat, auspicatur, ait: *Anno MXCIX, mense Octobri Papa Urbanus congregavit universam Synodum in civitate Bari, in qua fuerunt CLXXXV Episcopi, & mense Junii in festivitate S. Petri Apostoli comprehensa est Hierusalem civitas à Christianis .... & mense Julii prædictus Papa Urbanus obiit, & datus est Paschalis Papa.* Chronographus verò Barensis: *MXCIX, indict. VII, tertia die intrante mense Octobr. venit Papa Urbanus cum plures Archiepiscopi & Episcopi* (solecismi Auctoris sunt) *Abbatibus & Comitibus intraverunt in Bari, & suscepti sunt cum magna reverentia, & praeparavit domino Helia nostro Archiepiscopus mirificam sedem* (addendum, *pro Papa*, cujus gratiâ sedes illa Heliæ jussu parata,) *intus in Ecclesia beatissimi Nicolai Confessoris Christi, & fecit ibi Synodum per unam ebdomada. Post completis dies octo perrexit in pace* (nempe Papa); *& in mense Julii obiit ipse Papa Urbanus, & surrexit Paschalis Papa.* Ex his liquet, Protospatam, & Chronographum Barensem annum illum Christi MXCIX à Kalendis Septemb. anni Christi MXCVIII inchoare, exemplo Græcorum Apuliam, Calabriam & Siciliam incolentium, qui tam indictionem quàm annum mundi juxta Æram Constantinopolitanam à Septembri incipiebant. Uterque enim post mensem Octobrem, mensem Julium collocat, mortem Urbani Papæ cum mense Julio anni Christi MXCIX connectit, asseritque *Urbanum II* mense Octobri ejusdem Christi anni Concilium Barense celebrasse, quod nonnisi de mense Octobri anni MXCVIII intelligi potest, indicatque utrumque Scriptorem à Kalendis Septembris annum quandoque exordiri, licet sæpe alibi illum à Januario, vel à Natali Christi repetant. Hujus

itaque

itaque Concilii epocha nunc certa & indubitata, rectèque annotata à Gerberonio in Censura Operum Sancti Anselmi nova editione à se donatorum.

XIII. *Hildebertus fit Episcopus Cenomanensis.*

Hildebertus Cenomanensis Episcopus hoc anno renunciatus, in Epistola ad Anselmum post Concilium Barense scripta, & à Baronio num. CL & seq. relata, ait: *A proborum relationibus didici, vos in Concilio Barensi sermonem habuisse de Spiritu sancto, quem calumniosa Græcorum versutia à filio minime procedere fabulatur*, &c. De processione itaque Spiritûs Sancti in illo Concilio inter alia actum. *Hildebertum* hoc anno dictum Episcopum Cenomanensem, docent *Vetera Gesta Episcoporum Cenomanensium*, à Mabillonio Tom. III Analect. publicata. Ibi enim cap. 34. legitur, *Hoellum anno suæ ordinationis XII obiisse IV Kalend. Augusti anno Dominicæ Incarnat. MXCVII*, & Hildebertum *Scholarum Magistrum, & Archidiaconum propter scientiæ & honestatis suæ meritum* in locum ejus substitutum esse: *ipse autem, ni fallor*, inquit idem Auctor Anonymus Gestorum illorum, *nondum XL annos ætatis exegerat, cùm ad honorem Episcopatûs electus est. Unde metuens, ne caro more suo semper adversus spiritum concupiscens, vigorem spiritûs sui blanditiis emolliret; cœpit corpus suum cibi & potûs parcimoniâ, stratûs duritiâ ac cilicii asperitate domare* &c. *Et si quæ fuerant juventutis delicta, eleemosynarum largitione redimere*: Tum pag. 324. postquam plura in ejus laudem protulit, inquit: *charitatis gessit seminarium, quod intra & supra omnia ejus opera honestatis pariter & religionis emicat splendore, & liberalitatis. Hoc plane beneficium suis præponderat excessibus.* Baronius anno MLXXXVIII num. XIX refert Epistolam ab Jvone Carnotensi *Hildeberto Cenomanensis Ecclesiæ Electo* datam, aliàs CCLXXIX, nunc CCLXXVII, in qua Ivo scribit: *dicunt quidam de majoribus Cenomanensis Ecclesiæ, qui anteactam vitam tuam se nosse testantur, quod ultra modum laxaveris fræna pudicitiæ, intantum ut post acceptum Archidiaconatum, accubante lateribus tuis plebe mulierculaurm, multam genueris plebem puerorum, & puellarum.* Paulò post: *Addunt quoque huic calumniæ prætaxatæ personæ, quod nec earum consilio fueris electus, nec consensu.* Quibus verbis freti Baronius & Sirmondus in Notis ad Epistolas Goffridi Abbatis Vindocinensis, Hildeberto Archidiacono solutioris vitæ & impudicitiæ notam inurunt.

XIV. *Laudatur.*

Contra verò Juretus in illius Epistolæ Jvonis margine, & in Notis ad eam, contendit, Epistolam, non *Hildeberto*, sed *Aldeberto Cenomanensis Ecclesiæ Electo* datam esse; quòd ita in duobus antiquis exemplaribus MSS. legatur. Adhæc asserit, extare præcedentes literas ad *Hildebertum* jam Cenomanensem Episcopum, quæ suo ordini restitutæ fide aliquot priscorum codicum, subindicant, hanc posteriorem vix posse eidem rectè inscribi. Ita Juretus. Verùm hæc sententia prorsùs explodenda; cùm ex laudatis Gestis Episcoporum Cenomanensium, aliisque documentis certò constet, *Hildebertum* fuisse immediatum successorem *Hoelli* anno currenti demortui, nullumque *Aldebertum* Ecclesiam Cenomanensem Jvonis tempore rexisse. Librarii itaque *Hildeberti* nomen in duobus illis MSS. depravarunt, ut non rarò in aliis. Præterea, cùm ex lectione ejusdem Epistolæ manifestè appareat, eam primam esse, quàm ad *Hildebertum* jam Episcopum Ivo scripserit, aliæ, quæ nomen *Hildeberti* præferunt, post præsentem annum datæ, & in codicibus tam MSS. quàm impressis malè collocatæ, ac post hunc annum exaratæ. Quoad opinionem Baronii & Sirmondi, verum quidem est, *Hildebertum* ab Hoëllo anno MLXXXV Episcopo Cenomanensi creato, ad Archidiaconatum ejusdem Ecclesiæ promotum, prioribus Archidiaconatûs sui annis dissolutioris vitæ fuisse, ut ex verbis mox à nobis in medium allatis eruitur; sed cùm à Goffrido Vindocinensi Abbate, cujus ad eum variæ extant Epistolæ, à Malmesburiensi lib. 3. de Gest. Reg. à Sancto Bernardo, præsertimque ab Auctore Anonymo Gestorum Cenomanensium Episcoporum pietas ejus, aliæque præclaræ virtutes commendentur, nullaque ei vitia imputentur, perspicuum est, *Hildebertum* jam ante Episcopatum sanctè vixisse, ejusque æmulos aliqua juventutis ejus delicta non solum refricasse; sed calumnias etiam in eum texuisse. Hinc seculo sequenti ad Archiepiscopatum Turonensem evectus fuit, & utrique Ecclesiæ summa cum laude præfuit, ut ibidem ostendetur.

XV. *Gesta in bello Hierosolymitano.*

Ad num. CLIV. Chronographus Malleacensis ad annum MXCVII gesta in Bello Hierosolymitano his verbis refert: *Acta sunt tria bella in via de Hierusalem cum Turcis, in quibus Christianos usque ad internecionem persecuti sunt occulto Dei judicio. In primo bello Lumbardi seu Longobardi & Alamanni cum Rainaldo Domino suo perierunt in castro quodam Exceregorgo in die dedicationis Sancti Michaelis: in secundo Petrus Eremita & Gauterius intrantes Civitot quod est supra Nicænam civitatem, confestim venerunt illuc Turci, & omnes occiderunt; solus Petrus evasit, & hoc factum est in mense Octobri. Hæc facta sunt in præcedenti anno millesimo nonagesimo sexto ab Incarnatione Domini* (quo ea narravimus, licet Mabillonius in margine ad Historiam Belli Sacri à se publicatam ea cum currenti perperàm alligarit). *Deinde insequenti anno MXCVII, Alii Principes venerunt Constantinopolim & in Sclavia, & fuerunt in magna persecutione. At Boamundus & Tancredus & Guillelmus frater ejus, & multi postquam acceperunt cruces, persecuti sunt Turcopolos, & Pincinnatos & vicerunt, & superaverunt in quarta feria, quod est Caput jejunii. Deinde in alio bello Turci & Pincinnati, & Commani, & Slavi, Usi & Athenasi omnes contra Christianos erant, & quodam die Episcopum Podiensem acceperunt, & per vim perdiderunt, & à Christianis superati sunt.*

XVI. *Nicæa à Crucesignatis capitur. & Antiochia obsidetur.*

Tandem ergo Kal. Maii concordes & unanimes effecti cum Imperatore Alexio causâ sanctæ expeditionis. Collecti itaque Principes & consociati firmiter mediante Maio, pugnaverunt apud Nicæam civitatem cum Turcis, & interfecerunt innumerabilem multitudinem Turcorum, ipsamque, quæ est caput totius Romanæ urbis, & multa alia ceperunt, fueruntque in obsessione illa per septem hebdomadas, & in die Ascensionis pridie Idus (nempe mensis Maii) *ceperunt primùm invadere. Fueruntque vulnerati multi, & martyrizati: quas inter duas pugnas ceciderunt tredecim millia Christianorum & ducenta millia Turcorum. Eodem anno apparuit stella Cometa pridie Nonas Octobris per septem noctes, fuitque terra motus tertio Idus Octobris. Mense Novembri fuit magna perditio feminum, partim ex vermibus, partim ex pluviis, & flumina creverunt magna, & castella, & vicis,*

SÆC. XI. An. C. 1097. *& homines necaverunt, maximè pedites. Fuit inde bellum aliud primo die Julii contra trecentos & sexaginta millia Turcorum, Sarracenorum, Publicanorum, Persarum & Agulanorum, in quinque generalibus bellis, Deo opitulante triumphaverunt, acceperunt quadraginta & unam principales civitates & ducenta castra in Romania & Syria; & post hæc omnia duodecimo Kal. Novembris obsederunt tres partes civitatis Antiochiæ*, quæ anno sequenti in Crucesignatorum potestatem venit, ut ibidem videbimus.

XVII. *S. Margarita ante quadriennium demortua.* *Sanctam Margaritam* Scotiæ Reginam anno MXCIII animam Deo reddidisse, ibidem monstravimus. Asserit Baronius ejus Vitam ab *Adelredo* Abbate scriptam fuisse; sed eum falli suspicor, errorémque inde procedere, quòd Adelredus seu Ailredus Abbas Rievallensis in Epistola ad Henricum Ducem, postea Anglorum Regem, scripta, de Sancta Margarita, ejusque Genealogia agat. Gemmeticensis lib. 7. Hist. Normannorum cap. 10. loquens de Mathilde Sanctæ Margaritæ filia, ab eodem Henrico Rege in uxorem accepta, de utraque ait: *quanta sanctitatis & serenitatis tam secularis, quam spiritualis utraque Regina, Margareta scilicet & Mathildis, fuerint; liber qui de vita ipsarum scriptus est, plano sermone describit.*

XVIII. *Henricus Imp. Italiam relinquere coactus.* Bertoldus in Chronico ad annum MXCVII ait: *Domina Mathildis egregia Dux, & Marchionissa devotissima Sancti Petri filia magnum sibi nomen ubique eo tempore acquisivit. Nam ipsa penè sola cum suis contra Henricum, & hæresiarcham Gilbertum, complicesque eorum jam septennio prudentissimè pugnavit, tandemque Henricum de Langobardia satis viriliter fugavit, & ipsa recuperatis suis bonis Deo & S. Petro gratias referre non desistit.* Henricum autem Imp. currenti anno ex Italia in Germaniam rediisse, affirmant Urspergensis Abbas & Dodechinus Abbas in Appendice ad Marianum Scotum. Mansit *Henricus* in Italia ab anno MXC, quo illuc venit, usque ad præsentem.

XIX. *Flores Congregatio Canonic. Regularium Aroasia.* Vivebat adhuc hoc anno *beatus Hedelmarus* fundator *Aroasiæ* in Belgio, cui hoc anno Lambertus Episcopus Attrebatensis donationem fecit à Locrio in Chron. Belgico recitatam. *Aroasiensis* Canonicorum Regularium congregatio ab Heldemaro, Canone Presbytero, ac Rogero laico circiter annum MXC. instituta, & à Jacobo Vitriaco in Historia Occident. cap. 23. valdè commendata, initium cœpit *Arnosiæ*, altero lapide ab Apatma Artesiæ oppido positæ. Hæc Congregatio etiamnum floret, de eaque legendus Bollandus in Encomio beati Heldemari ad diem XIII mensis Januarii.

Anno Eræ Hispan. MCXXXVI. Anno Hegiræ CCCCXCII, inchoato die 25. Novemb. fer. 1.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6591.

☉ 15. C. ☽ 16. P. 28. Mart. Indict. 6.

JESU CHRISTI 1098.

URBANI II PAPÆ 11.

HENRICI IV REG. 43. IMP. 15.

ALEXII COMNENI IMP. 18.

I. *Urbanus II Concilium Romanum in annum* AD Num. I ad IX. Edimerus seu Eadmerus, corruptè Edinerus appellatus, in lib. 2. Novorum cap. 4. postquam capite superiori narravit profectionem Capuanam Urbani II & D. Anselmi hoc anno susceptam, ut præcedenti monstravimus, differit de Concilio Barensi *Kalend. Octob.* hujus anni congregato, ut etiam ibidem visum, atque de Anselmo: *Flexis genibus coram Papa, præfatum Regem* (Angliæ nempe) *jam tunc excommunicare parato, vix obtinuit, ne in regem faceret, quod communis omnium sententia promulgavit.* Multis interpositis: *Finito Concilio à Baro discessimus, comitatum Papæ Romam usque non deserentes.* Subdit, Willelmum quemdam nuncium à Willelmo Angliæ Rege missum causam spoliati Anselmi reddidisse, sed eam Urbanum II non probasse, eique dixisse: *Redi, quantociùs, redi; & præcipe illi ex parte B. Petri, quatenus mutâ omni contradictione illum suis omnibus integrè revestiat, si excommunicari recusat. Itaque fac, ut quid hinc velit, scire me faciat ante Concilium, quod tertiâ hebdomadâ Paschæ* (anni nempe millesimi nonagesimi noni, non verò currentis, ut apud Baronium, & Tom. X Concil. etiam legitur) *in hac urbe sum celebraturus: alioquin certissimè noverit, se in eodem Concilio damnationis sententiâ puniri, quam promeruit. At ille: Priusquam abeam, secum secretius agam. Mansit ergo ibi per dies plurimos idem Willelmus. prudenter operam dando hos & illos sua causa auctores efficere: ac, ut Domini sui voluntati satisfaceret, munera quibus ea cerdi esse animadvertebat dispertiendo, & pollicendo, parvi habere. Deductus ergo à sententia Romanus Pontifex est: ac pro voto Willelmi, inducias usque ad festum S. Michaelis dedit Regi. Acta sunt hæc in ipsis solemniis Nativitatis Christi*, currentis nempe anni, non verò superioris, ut ex dictis necessariò sequitur. SÆC. XI. An. C. 1098. *sequentem indicit.*

II. *Concilio Rom. S. Anselmus interfuit.* Reprehendit Baronius Malmesburiensem, quòd lib. 1. de Gest. Pont. scribat, Urbanum II muneribus victum Regi Angliæ terminum ad festum Sancti Michaelis protraxisse. Eadmerus tamen, cujus libri Novorum Baronii tempore nondum lucem viderant, id tantum de ministris Curiæ Romanæ asserit, aitque, cùm Pontifex Reingero Lucensi Episcopo præcepisset, ut statuta in Synodo Romana, *sonora qua pollebat voce*, legeret, Reingerum paruisse: *verum nonnullis ab eo capitulis in audientia omnium disertà expositis, subitò admirantibus cunctis, vultu, voce, ac gestu corporis in alium habitum demutatus est: unde suorum luminum acie in circumsedentes directa, vulnerata mentis dolorem ultra dissimulare non potuit. Rupta igitur decretorum serie, quæ exponenda susceperat, intulit dicens; Sed videlicet quid faciamus? Præceptis subditos oneramus, & iniquis tyrannorum sævitiis non obviamus. Oppressiones namque, quas ipsi sua tyrannide Ecclesiis inferunt, & expoliationes personarum, quæ tuendis illis institutæ sunt, quotidie ad hanc Sedem referuntur; consilia & auxilia sicut a Capite omnium, requiruntur: sed quo terminentur effectu, heu! totus mundus novit, & inde conqueritur. De hujus mundi remotissimis partibus unus ecce inter nos, modesta taciturnitate quiescens, mitis resides* &c. *Jam annus secundus est quò huc venit* (ideoque Anselmus, de quo ibi sermo, currenti tantum anno Romam pervenit, ut suprà ostendimus): *Sed nunquid huc usque subventionis invenit? Si de quo dico non omnes agnoscitis, ipse est Anselmus Archiepiscopus Angliæ regionis.* Subjungit Edimerus, in eodem Concilio Papam excommunicationis sententiam intorsisse in dantes vel accipientes Ecclesiarum Investituras, & in

cos

eos qui pro Ecclesiasticis honoribus laicorum hominum servi & quasi ancillæ fiunt.

III. *Male illud Concilium in duo dispertitum fuit.*

Tom. X Concil. & apud Baronium hoc Concilium Romanum in duo dispertitur, quorum alterum præsenti anno coactum fuerit, in eoque de Anselmi causa actum; alterum verò anno MXCIX, in quo Canones XVIII ibidem recitati, conditi fuerint. Verùm secundum illud Concilium Romanum merè fictitium, ut ex die & mense ejus celebrationis evidenter apparet. Chronographus enim Malleacensis scribit, Concilium Romanum *VII Kalendas Maj* anni MXCIX, in uno MS. *VI Kal. Maij*, in alio, *Pridie Kalendas Maij* celebratum, qui dies omnes in tertiam hebdomadam post Pascha anno sequenti die decima mensis Aprilis habitum, incidunt. Quare Hovedenus in priori parte Annal. & Simeon Dunelmensis in lib. de Gest. Concilium Romanum cum anno MXCIX, & tertia post Pascha hebdomada accuratè alligarunt, neque hoc imposterum in controversiam venire debet. Hæc Chronographi Malleacensis verba ad annum MXCIX: *Eo anno fuit factum Romæ Concilium, quod novissime tenuit Urbanus Papa* (inter Romana ordine II, non verò III) *septimo Kalendas Maij, in quo confirmavit viam Sancti Sepulchri Domini nostri I. C. & decrevit in ipsa Synodo, omni sexta feria jejunare pro peccatis suis, omnibus Christianis, & maximè pro illis, quibus non confessi sunt immemores.* Bertoldus in Chron. ad annum MXCIX, Concilium Romanum tertiâ post Pascha hebdomadâ indictum refert, qui licet Anselmi mentionem non faciat, non dubium tamen, quin de Concilio, cui ipse interfuit, interpretandus sit, nempe de Concilio Rom. tertiâ post Pascha hebdomadâ coacto, de quo etiam anno præcedenti sermonem habuimus.

IV. *In ea electio B. Joannis Morinorum Episcopi confirmata.*

Pertinet ad hoc Concilium Romanum, quod refert Joannes de Colle-medio in Vita Beati Joannis Morinorum Episcopi, qui ei annos quatuordecim cohabitavit. Ecclesia Morinensis viginti carcaret annis multis tribulationibus vexata fuerat, & ad magnam confusionem redacta. Cumque Canonici *Aubertum Ambianensem*, Ecclesiæ Morinensis Canonicum contra Canonum sanctiones elegissent, Abbates religiosi, & viri quidam laicalis ordinis *Joannem Atrebatensem Archidiaconum* etiam renitentem Episcopum elegêre. *Eodem tempore*, inquit Joannes de Colle-medio cap. 3. *Romæ Concilium generale de diversis mundi partibus Papa indixerat. In quo Concilio Morinensi causa tractata, & Auberti electione haud difficile reprobata, dominus Joannes, cujus sanctitatem celebris fama vulgaverat multorum vocibus dignus pronunciatur, & electio ejus ex sententia Concilii à Domino Papa solemniter confirmatur.* Quæ cùm ipso ignorante acta fuissent, Urbanus II, ne subterfugere tentaret, literis ad eum datis injunxit, ut oneri collum submitteret: *Annus erat*, subdit Joannes de Colle-medio, *ab Incarnat. Domini N. I. C. MXCIX. Hoc igitur anno II Nonas Junii Presbyteratus ordinatione suscepta, sequenti mense, XVI videlicet Kal. Augusti* à Manasse Archiep. Remensi consecratus est, & IX Kal. ejusdem mensis apud Tarvennam solemniter inthronizatus. Concilium itaque Romanum sub Urbano ordine II, non verò III, ut perperàm habet Bollandus in Notis ad cap. 3. laudatum, anno tantum sequenti celebratum.

V. *Florent in Gallia plures illustres Episcopi.*

Fuerunt illo tempore, ait Joannes de Colle-medio loco citato, *diversarum Ecclesiarum Episcopi, religione conspicui, scientiâ præcipui, famâ celeberrimi. Ex quibus fuit Hugo Lugdunensis Archiep. Apostolicæ Sedis in Galliam Legatus, Manasses Archiep. Remensis, Ivo Carnotensis, Lambertus Atrebatensis, Odo Cameracensis, Nualo* (legendum, Gualo) *Parisiensis, Godefridus Ambianensis, præter alios, quos illustres illa habuit ætas.* Sed de Hugone & Manasse vide dicta suis locis.

VI. *Nicæa à Cruce signatis capta.*

A num. XIV ad XVII. Literæ *Boamundi* Tarenti Principis ad Rogerium Apuliæ Comitem datæ, in quibus sermo de expugnatione Nicææ, & de victoria à Cruce signatis post eam urbem captam reportata, ad annum superiorem pertinent. Tunc enim *mense Junio XX die mensis*, ut habet Tyrius lib. 3. Nicæa capta, *& in ipsa die Kalend. Juliarum* pugnatum est *viribus longè imparibus, & numero multum dissimili. Nam qui Solimanum secuti fuerant, centum quinquaginta millium, solis connumeratis equitibus, dicebantur excedere numerum. Nostrorum autem qui præsentes illo in tanto certamine desudarunt, vix fuit numerus equitum ad millia quinquaginta*, inquit Tyrius.

VII. *Antiochia ab iisdem expugnata.*

Gesta verò hoc anno his verbis narrat Chronographus Malleacensis: *Anno MXCVIII fuit bellum cum Turcis quinto Kalend. Januarii, & Idibus Februarii, fueruntque Christiani septingenti & Turci viginti quinque millia. Fuit & aliud bellum, ubi Amirali duodecim sunt occisi post Pascha, quod fuit isto anno V Kalend. Aprilis. Acta sunt hæc mense Aprili & Maio. Subacta est Antiochia intrante tertia die mensis Junii, in die Jovis. Tertia die post hæc obsessa est civitas à Curbalando, qui adduxit trecenta sexaginta quinque millia, excepto Amiralio Hierosolymitano, qui fuit cum sua gente & Rege Damasci cum suis, & Rege Aleph similiter cum suis; & ita fuit exercitus circa Antiochiam per undecim dies. Tandem visione Domini Jesu & Sanctæ Mariæ, Sanctique Petri Apostoli confirmati & visione & revelatione simul Sancti Andreæ Apostoli & repertione lancea Domini nostri Jesu Christi, acceptis pœnitentiis & processionibus actis construxerunt acies suas Principes Christiani contra Curbalan, & illam innumerabilem gentem Turcorum, Arabum, Saracenorum, Publicanorum, Azymitarum, Curterum, Persarum, Agulanorum & aliarum multarum, quæ nominari, nec numerari poterant. In prima acie fuit Hugo Magnus cum Francigenis & Flandrensi Comite. In secunda vero Dux Godefredus cum suis. In tertia Robertus Normannus cum suis. In quarta autem Ademarus cum lancea & cum exercitu suo & exercitu Raimundi S. Ægidii. In quinta Tancredus & Gasto cum Aquitanis. In sexta fuit Boamundus cum suo exercitu, Episcopi & Clerici revestiti simul cruces in manibus tenentes. Septimam aciem fecerunt ex aliis coacti, quam ducit Raimundus Comes. Postquam venerunt Sancti Martyres Demetrius, Georgius & Theodorus, quos Dominus promiserat mittere in auxilium eorum cum sancto exercitu, versi sunt in fugam, & fugerunt inimici Dei victi; & hoc bellum factum est quarto Kal. Iulii. In illa fuerunt inclusi per viginti & septem dies, & obsederant per octo menses, & post captionem requieverunt per quinque menses & dimidium.*

VIII. *Boamundus*

Urbis potestatem, inquit Tyrius lib. 7. cap. 23. de

Princeps Antiochiæ dictus.

de Antiochia verba faciens, *& dominium, sicuti ab initio promiserant, omnes unanimiter Domino Boamundo concesserunt.* Joannes vero Patriarcha, egregius sub Saracenis Confessor, in sua dignitate remansit, sed hoc intra biennium ultrò cedente, *quod non satis utiliter præesset Græcus Latinis, urbe cedens, Constantinopolim abiit.* Post cujus discessum Bernardus Legati Apostolici Capellanus, *natione Valentinus*, idest, Valentinas Francus Patriarcha electus est, ut ibidem Tyrius habet. Antiochia autem circa annum M L XXXIV in Turcorum potestatem venerat, testibus Raimundo de Agiles pag. 148. Orderico lib. 13. cap. 954. & Tyrio lib. 5. cap. 11. asserentibus, eam Turcos per annos XIV, antequam à Francis caperetur, obtinuisse. Dacherius Tom. IV Spicilegii pag. 257. inter alias Epistolas refert quam Stephanus Comes Carnotensis & Blesensis hoc anno scripsit ad Adelam uxorem, in qua ei accuratè refert quæ in castris ante Antiochiam à Christianis acta sunt, quam juvabit legere.

IX. *Fundatur Ordo Cisterciensis.*

Ad num. XVII & seq. Annum fundati Ordinis Cisterciensis exhibent Versus in fronte Ecclesiæ Cisterciensis descripti:

Anno milleno, centeno, bis minus uno,
Pontifice Urbano, Gallorum Rege Philippo,
Burgundis Odone Duce & fundamina dante,
Sub Patre Roberto cœpit Cistercius Ordo.

Ordericus lib. 8. pag. 715. & seqq. de hac fundatione pluribus agit, ex quo, relectis minus necessariis, hæc excerpsi: *In Burgundiâ locus est, qui dicitur Molismus, &c. Ibi tempore Philippi Regis Francorum venerabilis Robertus Abbas cœnobium condidit, & inspirante gratia Spiritûs Sancti, discipulos magnæ religionis aggregavit, studioque virtutum in sancta paupertate juxta usum aliorum cœnobiorum comites instruxit. Post aliquot annos Sancti Benedicti Regulam diligenter perscrutatus est, aliorumque Sanctorum documentis Patrum perspectis, convocans fratres sic affatus est: Nos, fratres charissimi, secundùm normam S. Patris Benedicti professionem fecimus; sed, ut mihi videtur, non eam ex integro tenemus. Multa quæ ibi non recipiuntur, observamus, & de mandatis ejus plura negligentes intermittimus. Manibus nostris non laboramus, ut sanctos Patres fecisse legimus*, &c. *His dictis Monachorum conventus non acquievit: imò prædecessorum, quorum vita evidentibus miraculis insigniter manifestè refulsit, exempla & instituta, venerabilium vestigiis tritu virorum moderatis novitatibus objecit*, &c. *De hoc, quod redarguimur à te, Pater venerande, quia exorbitamus à rigore monachilis regulæ, nec aspero gradimur Ægyptiorum Patrum tramite, qui in Thebaida & sanctis in Terris commorabantur; inter Barbaros antiquo tempore necessariam rationem subtili considera examinatione. Nullus doctor jure cogit fideles omnia pati pacis tempore, quæ sancti Martyres compulsi sunt in persecutionibus Paganorum tolerare: quoniam nec ipsi eadem ante pressurum impiorum ultrò perpessi sunt, quæ necessitate postmodum cogente pro fide certantes sustinuerunt*, &c.

X. *Monachi Molismenses huic fundationi adversantur.*

Sic palam Monachis repugnantibus dixit Abbas Robertus: Inimitabilem Ægyptiorum Patrum vitam ad informationem boni commemoro; sed inde nulla vobis violenta imponitur exactio, imò salubris proponitur persuasio, &c. *Adhuc Monachi responderunt: Beatus pater Benedictus, ut nobis omnibus evidenter patescit, B. Maurum Monasterii sui Priorem quem à pueritia nutrierat, in Gallias misit*, &c. *Hoc, ô Reverende Pater, Sanctitati vestræ indubitanter notum sit, quæ à prioribus Cœnobiis, qui religiosè vixerunt servanda didicimus, ac ut hæredes Ordinis & professionis habemus, quandiu Cluniacenses, sive Turonenses, aliique Regulares viri ea nacti fuerint, non dimittemus; neque temerariis novitatum adinventores, à fratribus nostris longè latèque condemnari volumus.*

XI. *Urbani II auxilium implorant.*

Hæc & plura his similia Monachis constanter dicentibus, Abbas in sua satis pertinax sententia recessit ab eis, cum duodecim sibi assentientibus, diuque locum quæsivit idoneum sibi suisque sodalibus, qui sancti decreverant Regulam Benedicti, sicut Judæi legem Moysis, ad litteram servare penitus. Tandem Odo filius Henrici, Burgundiæ Dux, illis compassus est, & prædium in loco, qui Cistercius dicitur, in Episcopatu Cabilonensi largitus est. Ibi Robertus Abbas cum electis fratribus aliquandiu habitavit in eremo; nimiæ districtionis & religionis Cœnobium construere cœpit; Deoque donante in brevi plerosque sanctitatis æmulatores habuit. Cumque Molismenses cœnobitæ per aliquod tempus Pastore carerent, utroque Dei virtutibus famoso discedente, despicabiliores ergà vicinos & notos fierent, Urbanum Papam supplices adierunt, eique prorsùs enodatâ serie rerum, quas suprà retuli, consilium & auxilium ab eo postulaverunt. Ille verò paterno affectu utrisque consuluit; Abbati enim Apostolicâ jussit auctoritate, ut prius monasterium repeteret, & ne laberetur, regulariter regeret; ac in alio, quod postmodum cœperat, quemlibet de suis idoneum substitueret. Deinde firma statuit sanctione, ut imprimis quisque quam vellet institutionem vitæ arriperet, ipsamque omni vita sua irrefragabiliter teneret, &c.

XII. *S. Robertus fundator Molismum redire jubetur.*

Coactus itaque Robertus Abbas Molismum repedavit, ibique laudabiliter usque ad finem vitæ suæ Deo militavit. Albericum verò magnæ religionis virum ad opus Cistercii vicarium sibi elegit, & Joanni ac Hilbodo Atrebatensibus aliisque viginti duobus fratribus Abbatem Cistercii constituit, qui in magna egestate per X annos ibi deguit, &c. Ita Ordericus ad annum M X C I V. Labbeus Tom. I Biblioth. pag. 640. refert *Origines Cisterciensis Ordinis incertis Auctoribus* scriptas, ubi plura de ejus fundatione habentur in quibus literæ Urbani II, Paschalis II & aliorum hujus fundationis occasione datæ, & processus canonizationis *Sancti Roberti* Abbatis Molismensis & primi Cisterciensis Ordinis fundatoris mandato Honorii III factus; recitantur. Annus emortualis Sancti Roberti incompertus. Vita ejus Auctore Monacho Molismensi Anonymo sub Adone Abbate seculo XII scripta extat in Actis SS. Bollandianis ad diem XXIX mensis Aprilis. Gaufridus à Collone adhuc ineditus, qui ceteris omnibus accuratiùs Senonensium Antistitum Chronologiam expendit usque ad annum M C C X C I V, quo vivere desiit, ut docet Mathoudus in Præfat. ad Catalogum Archiep. Senonensium, Molismensis Monasterii fundationem his verbis notavit: *Anno Domini M L X X V fundatum fuit Molismense Monasterium in territorio S. Petri Vivi prope Villam de Riciaco per Sanctum Virum Robertum Monachum; qui postea habitum album accipiens,*

accipiens, Cistertiensem Ordinem instituit secundùm Regulam S. Benedicti.

XIII. *Era secundùm Evangelium annos XXII numerat plusquam Dionysiana.*

Mabillonius lib. 6. de Re Diplom. refert Rescriptum Urbani Papæ II de translatione cæmeterii S. Michaëlis ad Mosam, in cujus fine legitur: *Datum Laterani VII Kalend. April. anno ab Incarnatione Domini secundùm Dionysium MXCVII: Secundùm verò certiorem Evangelii probationem millesimo centesimo XXI, Indictione VI, Epacta XVI, concurrente IIII.* Verùm hæ notæ Chronicæ, excepto die mensis, addititiæ sunt. Neque Pontifices Romani duplici illa Incarnationis Era, quod saltem legerim usi fuêre, & cum anno Dionysiano MLXXXXVIII, non annus Domini Secundùm Evangelium MCXXI, sed MCXX concurrit. Mabillonius quidem lib. 2. de Re Diplom. num. XIII de duplici illo calculo loquens ait, Marianum Scotum & Sigebertum in Chron. ratos esse Dionysium annos XXIII Christi annis detraxisse; sed certum est quod scribit Gervasius in Chronico pag. 1337. *Si quis annos Domini, qui secundùm Evangelium dicuntur esse conscripti, nosse desiderat, supputationi Dionysii, quem imitamur, viginti duos annos apponat. Hæc est enim de annis Domini inter Evangelium & præfatum Dionysium dissonantia, sicut in suis Chronicis testatur Marianus Scotus, spatium scilicet annorum viginti duorum.* In Diplomatis Regum Merovingicorum *indictio*, aliæque notæ Chronologicæ, uti & in Actis Sanctorum sæpe adjiciuntur, à quibus omninò cavendum.

Anno Eræ Hispan. MCXXXVII. Anno Hegiræ CCCCXCIII, inchoato die 17. Novemb. fer. 5.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6592.

☉ 16. B. ☽ 17. P. 10. April. Indict. 7.

JESU CHRISTI 1099.

PASCHALIS II PAPÆ 1.

HENRICI IV REG. 44. IMP. 16.

ALEXII COMNENI IMP. 19.

I. *Controversia de Primatu inter Archiepiscopos Lugdunensem & Senonensem.*

ANNum. I ad XX. Controversia inter *Hugonem* Galliarum Primatem ac Sedis Apostolicæ Legatum, & *Daimbertum* Archiepiscopum Senonensem, qui *Richerio* successit, anno millesimo nonagesimo septimo exorta, annoque nonagesimo octavo continuata, ideoque eam Baronius loco suo non refert. Continuator enim Chronici Sancti Petri Vivi hæc de Richerio, cujus mortem Baronius hoc anno consignat, & de Daimberto scribit ad annum MXCVI: *Eodem anno obiit Richerius Archiepiscopus, vir bonæ vitæ & beatæ memoriæ, qui antequam moreretur VI Kalendas Januarias, in die scilicet festi Joannis Evangelistæ, accersitis personis Sanctæ matris Ecclesiæ Senonum, Daimberto Præposito & Archiclavi* (idest Thesaurario, quæ dignitas in Ecclesiis Cathedralibus & in Monasteriis ea voce appellata sæpe reperitur) *nondum, sed mox post eum futuro Episcopo, & Helduino Archidiacono, & reliquis Archidiaconis & Præcentore, & nonnullis Proceribus Senonicæ urbis, misit & mandavit fratribus monasterii Sancti Petri, ut eo vivente eligerent, & providerent sibi Abbatem, quod & fecerunt.* Paulo pòst: *Verùm præfato Richerio de medio sublato successit Daimbertus ipsius Ecclesiæ Vicedominus, nobilis & clarus, ab omni clero & populo electus. Permansit autem sine benedictione Pastorali, anno uno, & duobus mensibus. Postea verò Romæ à Papa Urbano consecratus, cum Apostolica benedictione & Pallii decore rediit, in sede collocatus XIV Kal. Maii, anno MXCVIII ab Incarnat. Domini, lætante Clero, & bonæ devotione populi. Cujus jam in Archiepiscopio XI annâ penè peracto, testor Deum nusquam Abbatiam Sancti Petri, vel audisse, vel legisse, aut vidisse, quietiùs vixisse, vel fuisse ab omni inquietudine. Det Deus succedentia tempora sub eo & cum eo habere læta & prospera.* Quibus ex verbis intelligimus, Continuatorem istum hoc tempore vixisse, vel eum ex Auctore hoc tempore vivente ista accepisse, & in prima persona, ut sæpe fit, protulisse.

II. *Contigit anno MXCVII.*

Die itaque vicesima septima mensis Decembris anni MXCVI *Richerio* Senonensi Archiepiscopo vitâ functo *Daimbertus* in locum ejus subrogatus est, statimque post ejus electionem Clerus ad provinciales de ejus electione scripsit. Hi ordinationem celebrare volebant Quadragesimæ tempore, sed *Hugo* Lugdunensis Archiepiscopus & Summi Pontificis Legatus prohibuit, nisi prius sibi tanquam Primati reverentiam, quam *Richerius* denegaverat, profiteretur; missisque literis ad Provinciæ Episcopos, ut à consecratione manus abstinerent, disertè jussit. Paritum quidem est Legati mandato; sed rescripsit *Ivo* Episcopus Carnotensis Epistolam ordine LX, aliàs LXV, à Baronio num. IV & seqq. recitatam, personalem illam exhibitionem ante susceptum consecrationis munus nulli Primati deberi ex more, sed neque Legatis jus illud competere, nisi electus alicujus criminis reus delatus sit. Quare petiit, ut præmitteret liberam illius ordinationem provincialibus Episcopis. Cùm verò *Hugo* destinatis pertinaciter adhæreret, *Ivo* ea de re certiorem fecit *Urbanum* II Epistolâ LXV, relatâ à Baronio num. II *De Senonensi Electo*, inquit, *cujus consecratio à Legato vestro Lugdunensi Archiepiscopo ob hoc impeditur, quia ei jure Primatûs sui ante consecrationem suam obedientiam non profitetur, quid nobis agendum sit, rescribat vestra Paternitas. Cùm enim nulla aliquo accusante alia causa prætenderetur propter quam ejus consecratio differretur, ea tamen jubente propter reverentiam vestram manus ab ejus consecratione continuimus, cùm de professione à Metropolitanis primatibus facienda nihil legamus consuetudine firmatum, vel legibus institutum: ultra quas metas nihil concessum esse Primatibus testatur Papa Nicolaus.* Hæc Epistola veteri ordine est LVIII.

III. *Daimbertus Electus Senonensis ordinatus est Romæ anno superiori.*

Daimbertus, cum nec Ordinationem à Provincialibus Episcopis obtinere posset, neque contra jura suæ Sedis Lugdunensis Archiepiscopi Primatum vellet agnoscere; intelligeret etiam *Hugonem* in sua sententia permanere, prohibitosque provinciales Episcopos, quominus ordinationem ejus peregerint, Romam profectus est, ubi absque ulla conditione ab Urbano II consecratus fuit ut discimus ex Epistola ejusdem Pontificis *ad Hugonem Lugdunensem Archiep.* data, & à Marca in Dissert. de Primatibus num. CXVIII ex MS. Lugdunensi eruta, scriptaque *Romæ apud B. Petrum indictione septima, VIII Kalend. Maii anno Dominicæ Incarnat. MXCIX, Pontificatûs Domni Urbani II. Papæ duodecimo.* Anno itaque millesimo nonagesimo septimo Hugo Archiep. Lugdunensis prohibuit

prohibuit Suffraganeis Archiepiscopi Senonensis, ne Daimbertum ordinarent; quod cùm accepisset Ivo Episcopus Carnotensis & Suffraganeis onus, ad eumdem Hugonem scripsit Epistolam ordine LX eo Christi anno, non verò currenti, quo eam recitat Baronius, & *Daimbertus* sub illius anni finem, nem, vel initio anni MXCVIII Romam profectus, postquam ab Urbano II consecratus fuit in Galliam rediit, ubi *in sede propria locatus est XIV Kal. Maii*, seu die decima octava mensis Aprilis, qui anno MXCVIII in Dominicam incidit. Consecratus autem est Romæ mense Martio anni MXCVIII, cùm Anonymus laudatus affirmet Daimbertum fuisse *sine benedictione Pastorali anno uno & duobus mensibus*.

IV. *Initium Episcopatûs Ivonis obiter statuitur.*

Post hæc Ivo anno millesimo nonagesimo octavo ineunte dedit ad Urbanum II Epistolam novo ordine LXVII, à Baronio num. XV & seqq. relatam in qua significat, se Episcopatui renunciare velle: *Ecce jam*, inquit, *hoc transacto septennio vineam mihi commissam pro posse meo excolui, stercora etiam circumposui. Fructum autem quærebam, & non inveni. Detur ergo mihi libertas octavo anno, ut hoc principium vera octava aggrediar, ut possim mihi sabbatizare, dulces fructus contemplationis carpere, & octava illius gaudia prælibare.* Quæ verba ostendunt Ivonem anno MXC ante diem XXIV mensis Novembris Capuæ ab Urbano II Episcopum ordinatum fuisse, quod jam suo loco probavimus. Neque enim eo in loco *Ivo* suæ ordinationis annos, ut Baronius num. I existimat, ab anno MXCII repetit, quia eo pacto annus ordinationis ejus septimus anno tantum MXCIX exeunte Novembri expletus fuisset, & octavus inchoatus; cum tamen Urbanus II mense Julio præsentis anni è vivis abierit. Ordinatio itaque Ivonis cum anno MXCII, alligari non potest; cùmque ea Ivonis Epistola scripta sit post Natale Christi, quo Turonensis Archiep. Philippum Francorum Regem coronavit, imo post Natale Sanctorum Innocentium, ut in ea legitur, manifestum est, Ivonem hæc scripsisse initio superioris anni. Sed redeo ad Daimbertum.

V. *Daimbertus Primatum Lugdunensis Archiep. agnovit.*

Daimbertus, postquam mense Aprili anni MXCVIII in Præsulatus Senonensis possessionem inductus fuit, circa præsentis anni initium Romam rediit, & in Synodo Romana hoc anno coacta Urbano II promisit se Lugdunensis Ecclesiæ Primatum super Senonensem agniturum, ut nos docet Epistola ejusdem Pontificis ad Hugonem Lugdunensem data, cujus mox mentionem fecimus. In ea enim postquam dixit Pontifex se Daimbertum consecrasse, subdit: *Nuper autem, cum ad Apostolorum limina tam pro ejusdem causa actione, quam pro communi Synodica vocatione rediisset, præsentibus Legatis tuis*, &c. *sedis Apostolicæ cogente judicio, omni demum tergiversatione cassata, in manu nostra professus est, se & Lugdunensis Ecclesiæ super Senonensem Primatum agnoscere & de cetero tibi, tuisque legitimis successoribus tanquam Primatibus obedire* &c. *præsentibus fratribus nostris quorum infra scripta sunt nomina, Anselmo videlicet Cantuariensi, Leodegario Bituricensi*, &c. Hæc autem Epistola VIII Kalend. Maii, ut supra diximus, præsentis anni exarata, quo quidem tempore S. Anselmus Romæ versabatur, ut statim videbimus.

A num. XX ad XXIII. Ivo in Epistola laudata, ordine LXVII, ad Urbanum data, eum rogat, ut si Turonensis Archiepiscopus vel aliquis Aurelianensis Clericus pro electione Joannis pueri ad eum veniret, ei aurem non præberet: *Persona est*: inquit, *ignominiosa, & de inhonesta familiaritate Turonensis Archiepiscopi*, &c. *per urbes Franciæ turpissimè diffamata.* Paulò pòst: *Sciatis etiam; quia Turonensis Archiep. contra Interdictum Legati vestri in Natale Domini Regi coronam imposuit, & ut iste Episcopus fieret, hac mercede promeruit. Et ut sciatis puerilem fuisse electionem quidam etiam de eligentibus in Natale Innocentium in religendo ita jocatus est.*

Eligimus puerum, puerorum festa colentes,
* *Non nostrum morem, sed Regis jussa sequentes.*

VI. *Philippus Rex anno superiori ad Bertradæ consuetudinem rediit.*

Quare Epistola illa, in qua festi Sanctorum Innocentium mentio, initio præcedentis anni scripta & *Philippus* Francorum Rex in Natali Domini anni MXCVII à Turonensi Archiep. coronam accepit, cùm jam antea eodem anno ad consortium *Bertradæ* reversus fuisset. Nam, id ante annum illum contingere non potuit, cùm primò restitutus Ecclesiasticæ paci sub conditione *abjurandæ Bertradæ* anno MXCVI Rex fuerit, & improbabile sit, ad eamdem mora nulla interposita reversum, & annua vix minor dari possit. Secundò, *Joanni* Episcopo Aurelianensi, qui ad anni MXCV finem Claromontano Concilio interfuerat, defuncto anno MXCVII suffectus est ab Ivone Carnotensi & Willelmo Parisiensi *Sanctio*, ut liquet ex Epistola LIV Joannis ad Hugonem Lugdunensem Archiep. Sedis Apostolicæ Vicarium. Sed *Sanctione* ob intrusionem & simoniam eodem anno deposito *Joannes* hujus nominis II, in quem pluribus invehitur Ivo Epist. LXVII Episcopus Aurelianensis dictus est, electus die Natali Sanctorum Innocentium anni MXCVII postquam die Natali Christi præcedenti Philippus Rex per *Rodulfum* Turonensem Archiep. coronatus fuisset. Cum enim Ivo ille Epistolam adversus Joannem hujus nominis II ad Urbanum II data asserat, octavum Episcopatûs sui annum se attigisse, ea ab initio præcedentis Christi anni disjungi non potest, quia *Ivo* mense Novembri anni MXCVII octavum Præsulatus annum inchoavit, & Epistolam illam post festum Sanctorum Innocentium, ut jam diximus, exaravit. Cæterùm duratio Sedis *Joannis* I, & *Sanctionis* Episcoporum Aurelianensium, neque à Saussaio in Annal. Aurelian. neque à San-Marthanis ex antiquis documentis notata, non potuit non esse brevis. Sed Ioannes II plures annos Aurelianis sedit. In Biblioth. Clun. pag. 531. & seq. refertur Donatio ab eo facta Ecclesiæ *Pitueri* cœnobio Cluniacensi subditæ, in cujus fine legitur: *Actum est istud anno ab Incarnat. Dom. MCIII, Episcopatûs Joannis Aurelianensis Episcopi anno XVII*, ubi rejiciendus denarius numerus, ab oscitanti Librario intrusus, numerusque septenarius, qui restat, ab anno MXCVII exeunte repetendus. Quæ emendatio certa. *Joannes* enim disertè in ea donatione alterius meminit *sub eodem anno* à Ludovico Rege Francorum designato factæ mense Octobri anni MCIII, ibidem recitatæ. Ex quo & liquet, *Joannem* die Innocentium anni MXCVII Episcopum Aurelianensem electum.

Revocatæ

SÆC. XI. An. C. 1099.

VII. *Nec dissentit Folco maritus ejus.*

Revocatæ *Bertradæ* causa adscribenda videtur consensui Fulconis mariti, quem ipsa blandimentis muliebribus ad suam voluntatem alliciebat: *Inter opulentos rivales*, inquit Ordericus lib. 8. de Philippo Rege & de Fulcone Comite Andegavensi verba faciens, *ingens tumultus & præliorum conatus exortus est* (initio scilicet conjunctionis Bertradæ cum Philippo); *verùm versipellis mulier inter rivales simultatem compescuit, ingenioque suo in tantam pacem eos compaginavit, ut splendidum eis convivium præpararet, & apte prout placuit illis ministraret.* Sugerius verò in Vita Ludovici cap. 17. *Andegavensem priorem maritum, licet, thoro omninò repudiatum, ita mollificaverat, ut eam tanquam dominam veneraretur, & scabello pedum ejus sæpius resideat, ac si præstigio fieret voluntati ejus omninò obsequeretur.*

VIII. *Synodus Romana II sub Vrbano II.*

Ad num. XXIII. Baronius post Concilium *Barense* Kalendis Octobris præcedentis anni habitum unam Synodum *Romanam* in duas divisit, autumavitque priorem anno præterito, posteriorem currenti congregatam fuisse. Verùm, ut jam anno superiori monstravimus, post Concilium Barense unicum Romanum coactum, & quidem hoc anno, tertia post Pascha hebdomadâ, eique sanctus *Anselmus* interfuit.

IX. *Moritur Vrbanus II PP.*

A num. XXIV ad XL. Simeon Dunelmensis in Historia de Gest. Reg. ad annum MXCIX, *Vrbanus Papa*, inquit, *IV Kal. Augusti feriâ V obiit.* Verum loco, *feriâ V*, legendum, feriâ VI, ut littera Dominicalis B demonstrat. Urbanum autem II *quarto Kalendas Augusti*, seu die XXIX mensis Julii currentis anni, è vivis excessisse, constans est Auctorum antiquorum sententia. Quare cùm anno MLXXXVIII die XII mensis Martii Pontifex Romanus consecratus fuerit, sedit annos undecim, menses quatuor, & dies octodecim, die emortuali incluso, & hoc sine controversia. Paschalis II ei post dies XVI successit, ut anno sequenti videbimus.

X. *Gesta ante expugnationem Hierosolymæ.*

Ad num. XL & seq. Chronographus Malleacensis hujus temporis Scriptor, civitatis Hierosolymitanæ expugnationem hoc modo refert: *Raimundus Comes Sancti Ægidii exivit de civitate Matra Idibus Januarii, & venit ad castrũ Caphardà, ibique junxit se cum eo Comes Rotbertus Normanniæ. Rotbertus Flandrensis & Dux Godefredus venerunt usque Liciam* (Laodiciam) *civitatem sequentes Raimundum sancti Ægidii. Ibique Boamundus separavit se ab aliis, & reversus est Antiochiam. Indeque tendentes venerunt Tripulim, & ibi pugnaverunt contra Turcos & maximam partem occiderunt. Alia die equitaverunt ultra vallem Edissem, & inde ad castrum Archa. Quod tenuerunt obsessum per tres menses uno die minus; ibique Pascha Domini celebraverunt tertio Idus Aprilis* (legendum, quarto Idus Aprilis). *Fecerunt placitum cum Rege Tripuli & discesserunt à castro, & pervenerunt in sexta feria quarto Idus Maii* (legendum, tertio Idus Maii, qui hoc anno in feriam sextam incidit). *Postea discesserunt à civitate, veneruntque ad castrum Betholon, deinde Gibelon* (Biblum), *& inde ad civitatem Barut, & de illa ad Sagittam* [Sidonem], *& de Sagitta civitate ad civitatem Sur* (Tyrum) *de civitate autem Sur ad Acram civitatem, & de Acra ad Caiphas, indeque pervenerunt ad civitatem Cæsaream; ibidem Pentecosten celebraverunt quarto Kal. Junii, unde venerunt ad civitatem Ramam, & ibi ordinaverunt Episcopum.*

SÆC. XI. An. C. 1099.

XI. *Hierosolyma à Christianis expugnata.*

Et inde venerunt lætantes Hierusalem septimo Idus Junii, eamque robustissimè prope muros civitatis obsederunt. Robertus Normannus obsedit eam à Septentrione & juxta eum Flandrensis Comes Rotbertus, à meridie Comes Raimundus sancti Ægidii. Quinto Idus fecerunt bellum: quarto Idus aggrediuntur civitatem, & minorem murum straverunt, & unam scalam ad majorem erexerunt, & super suis ensibus ac lanceis cominùs pugnabant. Fuerunt in illa obsidione per decem dies in magna siti & fame, & fecerunt processionem circa civitatem, & postea fecerunt duo lignea castra, & VII Idus deportaverunt ad civitatem. Sexto Idus, & quinto & quarto aptaverunt machinas, & pridie aggrediuntur mirabiliter civitatem usque in noctem. Sextâ feriâ summo mane undique aggrediuntur eam, & nimis stupefacti erant, usque venit illa hora, in qua Dominus noster Jesus Christus *passus est in ipsa civitate mortem. Tunc expugnata est & subjugata, quamvis pugnassent fortiter, nisi per voluntatem Dei intraverunt. Primus qui intravit miles extitit Letot, secundus Godofredus Dux, tertius Eustachius Comes frater ejus. Octava postquam civitas capta fuit, celebraverunt festivitatem ereptionis per omnem civitatem Hierusalem, & legerunt Principem Godofredum, qui pugnaret Paganos, & custodiret Christianos. Similiter in loco Patriarchæ elegerunt Arnulfum in festivitate sancti Petri ad Vincula. Aliud bellum fecerunt apud Ascalonem pridie Idus Augusti cum Amiravisso Babyloniæ, ubi nonaginta* [nongenta] *sexaginta millia erant: sic dictum fuit, & tamen nemo scivit numerum, nisi solus Deus.*

XII. *Gothofredus Bullionius Rex Hierosolymæ creatur.*

Hæc fusè ab Auctoribus, qui bellum Hierosolymitanum scripsêre, narrantur. Chronographus Maxentianus mensem & diem captæ urbis annotarat, sed ab amanuensi prætermissus fuit. *Capta est autem*, inquit Tyrius lib. 8. cap. ult. *prædicta civitas, anno ab Incarnat. Domini MXCIX, mense Julio, quinta decima die mensis, feriâ sextâ, circa horam diei nonam: anno tertio, ex quo fidelis populus tantæ peregrinationis sibi onus assumserat.* Dies & mensis ab Historicis, qui testes oculati fuêre, confirmati. Octavo post urbem captam die Gothofredus Bullionius Lotharingiæ Dux, Rex Hierosolymitanus unanimi consensu electus: *Promotus autem*, inquit Tyrius lib. 9. cap. 9. *humilitatis causa, corona aurea, Regum more, in sancta civitate noluit insigniri: ea contentus, & illi reverentiam exhibens, quam humani generis Reparator, in eodem loco usque ad Crucis patibulum pro nostra salute spineam deportavit. Vnde quidam in Catalogo Regum, non distinguentes merita, eum dubitant connumerare: magis attendentes quæ exteriùs geruntur in corpore, quàm quæ fidelis & Deo placens anima mereatur. Nobis autem non solum Rex, sed Regum optimus, lumen & speculum videtur aliorum. Non enim consecrationis munus & Ecclesiastica sprevisse credendus est Princeps fidelis sacramenta, sed pompam seculi, & cui omnis creatura subjecta est, vanitatem; & perituram humiliter declinasse coronam, ut immarcessibilem alibi consequeretur.*

XIII. *Arnulphus, dein Daymbertus Patriarcha Hierosolymorum dicti.*

Ad num. XLIII. Petrus Tudebodos Presbyter Siuracensis apud Pictones, qui descripsit *iter Hierosolymitanum*, cui interfuerat, quique res per quinque priores annos gestas narravit, lib. 1. pag. 812. apud Duchesnium Tom. IV. postquam locutus est de expugnatione civitatis Hierosolymitanæ,

SÆC. XI. An. C. 1099.

rosolymitanæ, & de electione Godefridi in Regem, quæ facta est octavs die à capta civitate, ait: *Similiter elegerunt in loco Patriarcha quemdam sapientissimum & honorabilem Clericum, cui nomen erat Arnulphus, in festivitate Sancti Petri ad Vincula.* Simon enim ultimus Patriarcharum Græcorum propter minas Turcorum ad insulam Cyprum profectus erat; *sed illo, tempore obsidionis, in prædicta insula ex hac luce subtracto, Ecclesia suo Pastore viduata remansit*, inquit Albertus Aquensis lib. 6. §. 39. qui Arnulphum valde laudat, de quo tamen variant Scriptorum judicia, sicuti & affectus. *Post aliquantulum temporis, cùm facta usque ad Apostolicam Sedem procrebuisset electio, Papa Paschalis, post obitum Podiensis Episcopi* (Adhemari appellati) *vices super Dominici exercitûs curas suas, Archiepiscopo Daiberto* (seu Daymberto) *Pisano mandavit*, inquit Guibertus Abbas Monasterii S. Mariæ Novigenti, hujus temporis Scriptor, lib. 7. qui Arnulphum in aliquibus culpat, additque eum cum dignitate motus fuisset, auctorem fuisse, ut *Daymbertus* Legatus Patriarcha eligeretur, quod exeunte hoc anno factum fuisse prodit Fulcherius Carnotensis, qui præsens erat lib. 1. cap. XXI Historiæ Hierosolymitanæ ab anno MXCV ad annum MCXXVII perductæ.

XIV. *Institutio Equitum Hospitalariorum.*

Hospitale Hierosolymitanum Sancti Joannis, uti narrant Tyrius lib. 18. cap. 5. & Jacobus de Vitriaco in Hist. Hierosol. cap. 64. in hunc modum initium habuit. *Amalphitani* (qui Normanni erant), quia merces peregrinas afferebant, Calipham Ægypti muneribus sibi benevolum reddidêre, & ab eo obtinuere, ut prope Ecclesiam Sepulchri Dominici Ecclesiam Latinorum construerent, dictam postea Ecclesiam *Sanctæ Mariæ de Latina*, quia Abbatem & Monachos more Latinorum Divina celebrantes in ea statuerunt. Illuc postea confluente Peregrinorum multitudine, cùm tam Monasterium illud, quàm Monasterium *Sanctæ Mariæ Magdalenæ* pro peregrinis mulieribus Latinis ab ipsis fundatum ad excipiendos omnes pauperes & infirmos non sufficerent, prædictus Abbas & Monachi Hospitale & capellam in honorem *Sancti Joannis Eleemosynarii* Patriarchæ Alexandrini in eodem loco construxerunt. Postquam verò Hierosolyma à Christianis capta fuit, vir quidam sanctæ vitæ nomine *Gerardus*, qui diu de mandato Abbatis in prædicto Hospitali pauperibus ministrarat, adjunctis sibi quibusdam aliis *habitum regularem suscepit, vestibus suis albam crucem exteriùs affingens in pectore Regula salutari & honestis institutionibus facta solemniter professione, se ipsum obligavit*, inquit Jacobus de Vitriaco, cui consonat Tyrius citatus.

XV. *Sub patrocinio S. Joannis Baptistæ.*

At Equites Hierosolymitani negant *Gerardum* dedicasse Sancto *Joanni Eleemosynario* Hospitale quod Hierosolymis ante initium belli sacri ædificavit, affirmantque nullam unquam in Ordine Ecclesiam in honorem Sancti Joannis Eleemosinarii constructam, aut aliquod festum de eo celebratum, sed *Sanctum Joannem Baptistam* semper Ordinis Patronum agnitum, varia per sonum festa ab antiquissimis temporibus de illo facta ejusque mentionem in votis ab Equitibus Hierosolymitanis quando professionem emittunt, fieri solitis: semper habitam. Hanc difficultatem quanta potui diligentia examinavi, comperique Ordinis traditionem in dubium revocandam non esse. Extat apud San-Marthanos in Archiepiscopis Arelatensibus Charta Bernardi Arelatensis Archiep. qua confirmat *Deo & Sancto Joanni Baptistæ & Hospitali sancti Sepulchri, & pauperibus* ac Fratribus Hospitalariis Donationem Ecclesiæ Sancti Thomæ Apostoli in urbe Arelatensi sitæ, factam ab Aitone antecessore ejus, in eaque dicitur: *Acta est charta in civitate Arelate in mense Octob. XIV Kal. Novemb. anno ab Incarnat. MCXXIX, indict. VII*, à Natali Domini vel à Januario inchoata. Quare cùm *Atto* circa annum MCXV, ut apud eosdem San-Marthanos videre est, sedere cœperit, evidens est ipso Ordinis initio, non Sanctum *Joannem Eleemosynarium*, sed Sanctum *Joannem Baptistam* Equitum Hierosolymitanorum Patronum extitisse.

SÆC. XI. An. C. 1099.

XVI. *Quod probatur ex Actis publicis.*

Ad hæc Tom. II Monastici Anglicani pag. 509. refertur Charta Willelmi filii Audelini Henrici Angliæ Regis Dapiferi, qua confirmat quandam donationem à se factam *Deo & B. Mariæ & S. Joanni Baptistæ, & beatis pauperibus sanctæ domus Hospitalis Hierusalem, & Fratribus in eadem domo Deo servientibus.* Scripta Charta *anno Incarnat. Dominica MCLXXXVI, XVI Kal. April. apud Londoniam.* Tum pag. 510. recitatur alia Charta Joannis Angliæ Regis, qua confirmantur Donationes factæ *Deo, & Fratribus sancti Hospitalis Hierusalem.* Donationes autem, quæ ibidem sigillatim confirmantur, paulò ante sine anno & die referuntur, dicunturque factæ in honorem Sancti Joannis Hierosolymitani. *Joannes* anno MCXCIX in Anglia regnare cœpit, ideoque primo hujus Ordinis seculo, non sanctus *Joannes Eleemosynarius*, sed sanctus *Joannes Baptista* Patronus agnitus in Anglia, & Guillelmi Tyrii ac Jacobi de Vitriaco narratio præfatis Chartis planè convulsa. Nec video quid ad eas responderi possit. Verum quidem est, has Donationes factas fuisse Hospitali Londoniensi, cujus Ecclesiam *Heraclius* Patriarcha Hierosolymitanus anno MCLXXXV, *sexto Idus Martii*, cùm in Anglia versaretur, in honorem Sancti Joannis Baptistæ dicavit, ut legere est loco laudato Monastici Angl. pag. 505. sed quemadmodum Hospitale illud dicitur Hierosolymitanum, & in honorem sancti *Joannis Baptistæ* fundatum est; ita alia per Occidentem ædificata, ideo appellantur Hospitalia & Ecclesiæ Sancti Joannis, tam in libris, quam in Actis publicis, quia Domus Hierosolymitana ceterarum caput ac mater, primo Ordinis seculo sanctum Joannem Baptistam Patronum reverebatur.

XVII. *Refellitur opinio contraria.*

Bollandus tamen ad diem XXIII Januarii relata Vita Sancti Joannis Eleemosynarii Patriarchæ Alexandrini, & notis illustrata pag. 533. Patrocinium Ordinis Hospitalariorum ei attribuit, & de opinione contraria ait: *At nobis frivolum id videtur. A quo enim Veterum traditum est literis, aut quis omninò usquam meminit? Sacellum verò illud, cui dicatum fuerit utri tandem certius nosse potuerunt, Tyriusne & Vitriacus, qui id suis ipsi oculis lustrarunt? An Recentiores, qui sola ratiocinatione id concludunt, & quidem sententia dubii?* Sed præter ratiocinia Acta publica quorum mox meminimus, traditionem Ordinis Hierosolymitani extra omnem dubitationem ponunt. Neque ratiocinia ad eam corroborandam in medium allata parum roboris habent. Nam verùm quidem est sanctum *Joannem Eleemosynarium* toto Oriente celeberrimum

SÆC. XI. An. C. 1099.

celeberrimum fuisse, sed minimè verosimile, *Gerardum* & Equites Hierosolymitanos, à quibus instituti Monachi & Sanctimuniales, qui ritu Latino divina officia Hierosolymis peragerent, alium Patronum elegisse, quam qui in Ecclesia Occidentali in summa celebritate esset. Improbabile pariter in aliquo Ordine Religioso nunquam aliquam Ecclesiam in honorem Patroni sui ædificatam fuisse, nullamve de eo in Officiis Divinis mentionem unquam factam.

XVIII. *Testimonium Gullelmi Tyrii hac in controversia infirmum.*

Argumentum, quod ab auctoritate *Gullelmi Tyrii* desumitur, in specie quidem validum, sed revera infirmum; nam quoad *Jacobum de Vitriaco*, is serius Hierosolymam venit, & *Tyrii* opinionem amplexus est. In Præfatione libri XVI, quem Tyrius exorditur ab iis quæ anno MCXLII accidisse credidit, ait se hactenus narrasse, quæ relatione acceperat, sed imposterum scriptis mandaturum, quæ vel ipsemet vidit, vel à testibus ocularis didicit; & tamen eo anno & consequentibus non pauca refert, de quibus constat eum malè edoctum fuisse, & in iis fidem ejus nutare. Neque dici potest Scriptor coævus respectu fundationis istius Ordinis; cùm lib. 19. cap. 4. verba faciens de divortio *Amalrici* III Regis Hierosolymitani, & Agnetis filiæ Comitis Edessani, quod contigit anno MCLXII, affirmet se tunc in juvenilibus annis versatum fuisse; cùm scribat: *Nondum de scholis redieramus, sed transmare adhuc, circa liberalium artium detinebamur studia, quando Hierosolymis hac facta sunt.* Quare Tyrius longè post conditum Ordinem in Orientem perrexit, neque Operi suo manum admovere potuit ante ultima tempora Amalrici III anno MCLXXIII demortui. In Præfatione enim suæ Historiæ, & in fine lib. XX ait, se ad hujus Regis postulationem eam scripsisse. Tyrius igitur Auctor coævus non fuit; imò Auctores coævos non rarò in errorem abripi ac hallucinari sæpius insinuavimus, sed immeritò adversus traditionem Ordinis, cui tot monumenta favent, proferrur testimonium Gullelmi Tyrii, qui prorsus abhorruit ab Equitibus Hierosolymitanis post dissidia inter Clerum Hierosolymitanum & eosdem Equites exhorta, quòd hi se se ab Episcoporum jurisdictione subtraxissent, & ab Hadriano IV obtinuissent, ne bonorum à se possessorum decimas eisdem solverent. Legenda quæ hanc in rem à nobis dicentur anno MCLV num. VII & seqq. Illa itaque fabula tandem explodenda. Porrò Charta laudata Bernardi Archiep. Arelat. extracta fuerat à Peireskio ex libro Authentico, uti vocatur, Capituli Arelatensis, ori legi in ejus Registro res Ecclesiæ Arelatensis continente.

XIX. *Henricus Imp. Henricum filium Regem renunciat.*

Henricus Imperator, inquit Abbas Urspergensis *in Epiphania, Aquis filium suum juniorem Henricum quintum Regem fecit, reprobato majore suo Chunrado, quem priùs coronavit. Chunradus verò causam rebellationis sua paucis tantùm sibique familiarissimis in regno detegens, assumto quodam ex ordine ministerialium patris, atque Chunrado nomine, forti admodum & prudenti viro, per quasdam Italia partes & nomen & dignitatem Regis annis ferè novem obtinuit; tantum indolis sue per orbem Romanum diffundent interim odorem, ut nemo religiosus, nemo sapiens in ipso saltem Rempublicam [illegible]stitaendam fore dubitares. Erat enim vir per omnia Catholicus, & Apostolica sedi subjectissimus, plus religioni quàm* fascibus vel armis deditus, &c. *Cælibatûs pudorem perpetualiter & servare eum proposuisset, coactus tamen à suis filiam Ruggeri Ducis Siciliæ, famosissimi pene nostrorum temporum viri, duxit uxorem: cujus tam castè usus est conjunctione, ut vix crederetur eam unquam cognovisse*, &c. Eamdem Henrici Quinti inaugurationem cum hoc Christi anno copulat Chronographus Hildensheimensis.

SÆC. XI. An. C. 1099.

XX. *Flores Malaterra.*

Usque ad hunc annum *Gaufredus* à Malaterra Monachus Benedictinus Opus suum perduxit, nempe *libros IV de Gestis Roberti Viscardi Calabriæ Ducis & Rogerii ejus fratris, Principum Normannorum, & eorum fratrum in Campania, Apulia, Sicilia*, insertos in Tomum IV *Scriptorum Hispaniæ Illustratæ*, initio hujus seculi editorum. Inde Possevinus eum Hispanum malè credidit; hunc enim in Normannia Galliæ provincia natum non dubitandum.

XXI. *Obitus Roderici Cidi.*

Obiit hoc anno magnus ille heros & fidei in Hispania defensor *Rodrigus Diaz*, Cidus vulgò appellatus, quem jure merito queritur Sandovallius in Historia Ferdinandi Magni Castellæ & Legionis Regis, Historicum nactum non esse, qui illustres ejus actiones posteritati commendarit. Pauca enim, quæ de eo scripta, fabulosis narrationibus plena. Post *Valentiam* captam, & post alia egregia facinora è vivis excessit, postquam Valentiæ annis quinque præfuisset. Annus ejus emortualis in Tumbo Nigro Sancti Jacobi apud Sandovallium pag. 56. erâ MCXXXVII consignatur, quod & in antiquo documento MS. apud eumdem Sandovallium etiam legitur. Denique Chronographus Malleacensis, qui hoc tempore floruit, ad hunc annum habet: *In Hispania apud Valentiam Rodericus Comes* (Cidus scilicet) *defunctus est, de quo maximus luctus Christianis fuit, & gaudium inimicis Paganis.* Plerique Hispanorum Scriptores tradunt, mortuo *Cido* Christianos conservandæ Valentiæ spe abjecta eam deseruisse. Verùm in eodem Documento lingua Castellana scripto apud Sandovallium pag. 56. disertè dicitur, *Alphonsum Regem* Valentiam *mense Maio erâ MCXL*, anno nempe Christi MCII, dereliquisse, & *Maurum*, quem nominat Regem, eidem præfectum fuisse.

XXII. *Philippus Francia Rex Ludovicum filium Regem dicat.*

Philippus Francorum Rex Ludovicum filium, qui post ejus mortem Monarchiæ Francicæ præfuit, hoc vel superiori anno in consortium regni adscivit, decepique qui hanc designationem in annum MCIII, aut etiam seriùs differunt. In Bibliotheca enim Cluniacensi pag. 530. extat Diploma ab eo solo, nulla patris mentione facta emissum, in cujus fine legitur: *Actum est istud mense Octobri apud Tornicum, regnante Ludovico Rege V anno, anno ab Incarnat. domini MCIII.* Quare hoc anno ante mensis Octobris finem, vel forsàn superiori post ejusdem mensis initium Franciæ Rex dictus fuerat. Adhæc Catellus in Hist. Comit. Tolosæ lib. 2. cap. 2. refert reperiri in Cartulario S. Saturnini donationem quamdam cum hac subscriptione: *Facta Charta in mense Augusto feriâ quintâ, anno ab Incarnat. Domini millesimo centesimo, Ludovico Rege Francorum regnante, Bertrando Comitante* (in Comitatu sc. Tolosano) *& Amelio Episcopante.* Denique Simeon Dunelmensis in Hist. de Gest. Reg. Angl. ait: *Anno MCI Henricus Rex* (nempe Angliæ) *tenuit curiam suum Londoniæ in Nativitate Domini; ubi interfuit Lodowicus electus Rex Francorum,*

SÆC. XI An. C. 1099.

quod & Hovedenus in Henrico,l pag.468.etiam habet, & uterque annum à Natali Christi exorditur. De Ludovico hujus nominis VI sæpe infrà sermo fiet.

XXIII. *Ludovici Regis anni rarò in scriptis publicis ante ejus coronationem memorati.*

Blondellus in Diatriba *de Formula regnante Christo* sect. I. contendit, *Ludovicum Grossum*, hujus nominis VI, Philippi Regis filium, ante patris mortem nunquam Regem absolutè, sed tantum *Regem designatum*, vel *Regni defensorem* vocatum fuisse, ideoque subscriptionem, quam ex Catello produximus, mendosè descriptam, ac loco, *anno ab Incarnat. domini MC*, legendum esse, *anno ab Incarnat. domini MCVIII*, quo *in mense Augusto* post Philippi patris obitum coronatus fuit. Verum si Vir pereruditus animum advertisset ad Diploma Regis Ludovici in Bibl. Cluniacensi, quam legerat, recitatum, in eam sententiam non abiisset. Charta enim, quam mox ex ea memoravimus, non solum dicitur scripta *regnante Ludovico Rege, V anno*; sed etiam in ea visitur magna crux, circum quam scriptum, *Signum Ludovici Regis*, ejusque in alia Charta in eadem Bibliotheca immediatè pòst recitata, dataque à Joanne Episcopo Aurelianensi, *anno ab Incarnat. dom. MCIII*, eodem sc. anno ac Charta Regis, mentio est, quia utraque in gratiam Ecclesiæ *Pitiers* cœnobio Cluniacensi subjectæ emissa. Ceterùm Ludovicus plerumque Rex designatus tantum ab Historicis appellatur, vel, ut in Charta à Mabillonio lib. VI de Re Diplom. pag. 594. relata, *Ludovicus Regis filius, Dei gratiâ Francorum Rex designatus*,& anni Regni ejus perrarò notati; imò postquam solus regnavit, nonnisi à Philippi patris morte deducti, cum tamen tam *Philippus*, quàm *Ludovicus* VII Ludovici Grossi filius, & *Philippus Augustus*, qui ei successit, annos suos à die, quo coronati sunt, & cum patribus regnare cœpère, repetant. At Ludovicum VI à Philippo patre etiam coronatum fuisse & aliquando Regni ejus annos à prima illa coronatione in ejus Diplomatis numeratos, demonstrat præceptum ab eo emissum, & à Jacobo Petito post Theodori Archiepiscopi Cantuariensis Pœnitentiale pag. 581. relatum in cujus calce dicitur: *Actum Parisius anno Incarnat. Verbi MCX indict. tertia, pridie Nonas Februarii, anno unctionis nostræ XI. Stephanus Cancellarius relegendo subscripsit.*

Hic incipit Critica in Tomum XII Annalium Card. Baronii.

ANNO PERIODI GRÆCO-RUMANÆ 6593.

☉ 17. A G. ☽ 18. P. 1. April. Indict. 8.

JESU CHRISTI 1100.

PASCHALIS II PAPÆ 2.

HENRICI IV REG. 45. IMP. 17.

ALEXII COMNENI IMP. 20.

Anno Eræ Hisp. MCXXXVIII. Anno Hegiræ CCCCXCIV inchoato die 6. Novemb. fer. 3.

I. *Paschalis II anno præcedenti Papa creatus.*

ANum. II ad VII. Anno superiori, *Urbano* II demortuo, Paschalis II Summus Pontifex electus est, ut ad annum MXCIX his verbis narrat Bertoldus in Chronico, quod illo anno absolvit: *Romæ venerabilis Papa Urbanus hujus nominis II postquam Sedem Romanam XI annos, & V menses* (præter paucos dies ab hoc Chronographo neglectos) *gubernavit, post multas tribulationes, tandem IV Kal. Augusti de hac luce migravit; post cujus obitum Dominus Paschalis, qui & Regengerius* (seu Ragingerius vel Rainerus dictus) *in ordine CLXII Papa ordinatur, & hoc ex divina revelatione factum* (ubi respicit Bertoldus ad id, quod refert Baronius num. II ex Dodechino Abbate) *ubique divulgatur. Ordinatus est autem à Clero & populo, post discessum sui prædecessoris die decima sexta*, seu die decima quarta mensis Augusti anni præcedentis, in quam Dominica cadebat. In Vita Paschalis II à Pandulfo Pisano, Auctore coætaneo scripta, qui tantum ex hac littera P. eidem præfixa innotescit, & à Baronio sub Anonymi nomine citatur, ac à Papebrocio in Conatu Chron. Hist. perperam *Petrus Pisanus* creditur. Ait Pandulfus eum ex Monacho Cluniacensi creatum fuisse Cardinalem Presbyterum Sancti Clementis, & postea ad Pontificatum diu renitentem evectum. *Electionis modum implevit*, inquit idem Pandulfus, *die altero* (nempe ab electione) *mensis sexti XIV* (sc. Augusti qui sextus est à Martio), *die primo* (idest, die Dominico) *consecrandus in Pontificem*. Porro *Pandulfum* Auctorem esse Vitæ Paschalis II, ex eo colligitur, quòd Gelasii II successoris Vitam lib. 3. mandavit, quod certò constat, & Onuphrius initio Chron. Ecclesiastici Auctores enumerans, quibus in Historia Ecclesiast. conscribenda usus est dicat: *Gulielmus S. R. E. Bibliothecarius Anastasium supplevit ab Hadriano II usque ad Alexandrum II. Vixit anno MLX. Pandulfus Pisanus Subdiaconus Apostolicus Gulielmum supplevit à Gregorio VII usque ad Honorium II. Vixit anno MCXXX.* Neque dubitandum, quin Onuphrius utriusque Scriptoris Opus, aliaque quædam quæ periêre, præ manibus habuerit.

II. *Wigbertus Antipapa moritur durante Concilio Valentino.*

A num. XVI ad XIX. Baronius de Guiberti seu Wiberti Antipapæ Clementis III nomine appellati, morte locuturus ait, eum diem clausisse extremum *hoc anno, sive sequenti, ut est diversa diversorum Scriptorum assertio*; neque enim desunt qui mortem illam in annum sequentem differant, uti Papebrocius in Conatu Chronico-Hist. aliique quidam. Verùm eum currenti anno, & quidem exeunte Septembri, vel mense insequenti demortuum, post testimonium Hugonis Flaviniacensis Abbatis in dubium revocari non potest. Is in Chronico Virdunensi de Synodo Valentina in ejus causa habita verba faciens ait: *Anno Incarnat. Dom. MC advenerunt missi ad Gallias Legati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Joannes & Benedictus, a quibus Concilium primo apud Eduam designatum, apud urbem Valentinam institutum est II Kal. Octobris, ad quod convenerunt Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates numero XXIV occurrentibus Legatis domni Lugdunensis Archiepiscopi,* (scilicet Hugonis ex Diensi Antistite creati Lugdunensis) *quia ipse infirmabatur, quamquam Episcopi diœceseos ejus, Lingonensis & Cabilonensis* (*Matisconensis enim in redeundo à Roma captus à Wiberto in custodia detinebatur*) *non interfuerant, prohibiti, ut dicebatur, ab eodem Lugdunensi. Eduensis autem interfuit, quia accusabatur à Canonicis suis de simonia, & aliis quibusdam, pro cujus defensione maximè illo convenerant Lugdunenses. Ibi ego in primo aditu Concilii purgationem illatorum offerens, accusatoribus tacentibus & deficientibus, judicio Concilii ad primam Abbatis Divionensis vocem de Abbatia Divionensi, astantibus Canonicis Eduensibus & laudantibus, cappa & baculo donatus*

SÆC. XI. An. C. 1100.

tus in circo residere jussus, post soluto Concilio ad propria sum remissus, literis Apostolicis munitus, quas postea recitat.

III. *Ea mors ab hoc anno removeri non potest.*

Paulò post subdit Hugo: *In spatio temporis, quo Valentinense celebratum est Concilium, obiit Wibertus, vicesimo anno, ex quo Sedem invasit Apostolicam, cùm haberet in captione Matisconensem Episcopum, & alios quamplures Clericalis Ordinis, quos omnes pro absolutione sua in egressu suo per se absolvit, monens Episcopum, ut Romam remeans apud Papam pro sua laboraret erepsione.* Quare Otto Frisingensis, Sigebertus, Dodechinus Abbas, & Urspergensis Abbas hanc mortem cum hoc anno accuratè alligarunt. *Vir utique*, inquit Urspergensis, *satis ingenio, facundia, nobilitate, personaque reverentia clarus, nec Roma tunc, nec Ravenna benè usus, & qui super unum Papam viventem* (sc. Gregorium VII) *quamvis coactus, ut aiunt, ipse tres sibimet alternatim succedentes supervixit* (sc. Gregorium VII, Victorem III & Urbanum II), *extorris utraque sede Roma & Ravenna, malens, ut ab ipsius ore didicimus, Apostolici nomen nunquam suscepisse*; quod ab Auctore hoc tempore vivente accepit Urspergensis Abbas, qui ejus verba exscribit, & in ejus persona loquitur. Qui loquendi modus à variis aliis Scriptoribus etiam usurpatus plures Criticos in errorem induxit; existimarunt enim, qui eum adhibent, eo tempore floruisse, quo se visa narrare dicunt; non animadvertentes, eos testium oculatorum verba proferre, non verò sua, licet eosdem non citent, quia tunc is invaluerat usus. Neque Urspergensis, quæ de *Wiberto* refert, ab ipsius ore didicisse potuit, cùm Chronicon suum usque ad annum MCCXXVIII perduxerit.

IV. *Et tres Antipapa deinceps successere.*

Wiberto de medio sublato *duo statim deliguntur Papæ, alter post alterum. Et unus quidem eodem, alter vero post CV electionis suæ diem à fidelibus captus; qui Albertus vocabatur, apud S. Laurentium retrudi, & qui Theodoricus, apud S. Trinitatem in Cava eremiticam vitam addiscere, Patrum judicio adjudicati sunt*, inquit Auctor Vitæ Paschalis II, qui addit electum fuisse & tertium *Maginulfum* nomine, sed hunc amissa urbe exulem vitam miserè finiisse, sicque Ecclesiam quievisse. Quod sibi nomen hi pseudo-Pontifices imposuerint, ab Antiquis notatum non inveniri asserit Papebrocius laudatus; at in genuino Chronico Sigeberti à Miræo publicato ad annum MCV refertur *Excerptum Epistolæ directæ Henrico Imp. à Guarnero Principe Anconitano*, qui schismaticis adhærebat, in qua Maginolfus *Archipresbyter* appellatur, & subjicitur: *Maginolfus & insidias hominum, & onus Apostolici honoris fugiens, in munitissimum locum se contulit. Berto verò caput & Rector Romanæ militiæ, quasi causâ audiendi verbi vitæ, ad eum accedens cum expeditione Cleri, & populi eum inde extraxit, & ad Waraerum Principem Anconæ in Tiburtinam urbem adduxit, & sic electus IV Non. Novembris in sedem Apostolicam promotus, & Silvester quartus appellatus est.* Sigebertus verò ibidem ait: *Maginolfus invasionis reus non multò pòst reprobatur à Romanis, & fama nominis ejus evanuit.*

V. *Nullus ex Antiquis Wigberti mortem in annum sequentem distulit.*

Baronius ait eorum opinionem, qui Wiberti mortem in annum sequentem differunt, inniti Petro Diacono, qui lib. 4. Chron. Casinensis cap. 21. scribit: *Cum ab electione Paschalis II Summi Pontificis secundus jam annus esset elapsus, ab Incarnatione Domini MXCIX volveretur, Wibertus hæreticus invasor Apostolicæ Sedis, vita privatus est.* Verùm vel Librarius in anno Incarnationis exarando erravit, vel Petrus Diaconus secundum Paschalis II annum imperitè cum anno MXCIX copulavit. Mortuus quidem *Wibertus* anno II Paschalis Papæ, sed is annus die XIV mensis Augusti currentis Christi anni, uti inter omnes convenit, inchoatus est, & adhuc in cursu erat sub finem mensis Septembris, ac mense Octobri insequenti, quo alterutro mense Ecclesia peste illa liberata. Affert etiam Baronius ibidem hos Domnizonis testis coævi Versus:

Post annos binos Urbanus erat, quod ab isto
Seclo portatus, cælique choro sociatus:
Iste dolore gravi tactus Gubertus inanis
Mortuus est.

At Domnizo more multorum aliorum partem superioris Christi anni & partem præsentis pro biennio usurpat, & duos annos Julianos, utrumque incompletos biennium appellat. Cujus rei tot exempla in hac Critica in medium adduxi, ut similes loquendi formulæ nullum negotium imposterum facessere debeant.

VI. *Duratio schismatis ab eo conflati.*

Anno MLXXX Wigbertus pseudo-Pontifex creatus fuerat, ideoque Hugo Flaviniacensis in Chronico rectè scripsit, eum per annos viginti Ecclesiam turbasse. Et tamen Domnizo laudatus numerum illum auget, aitque:

Hic per viginti tres annos denique Christi
Ecclesiam nisu toto turbarat iniquus.

Verùm Baronius num. XVII rectè observavit, illum viginti trium annorum numerum non referri à Domnizone ad tempus, quo in pseudo-Pontificatu vixit, sed ad illud, quo à Gregorio VII Papa descivit, & schisma conflavit.

VII. *Concilium Pictavense.*

A num. XIX ad XXIII. Francia propter illegitimas *Philippi* Francorum Regis cum *Bertrada* Fulconis Andegavensium Comitis uxore nuptias, quam contra omnes Urbani Papæ preces, minasque retinere voluit, valde turbata fuit. Quare Paschalis II, ubi Pontificatum adeptus est, per *Joannem & Benedictum Cardinales* Legatos suos Concilium *Pictavis* celebravit, Episcoporum quidem Abbatumque frequentia illustre, sed vi & furore *Willelmi* Aquitaniæ Ducis disturbatum. Diffugientibus tamen Episcopis, aliisque qui intererant, substitère *Sanctus Bernardus* Abbas Tironiensis in Diœcesi Carnotensi, & *Robertus de Arbrissellis*. Gaufredus Grossus Monachus Tironiensis utrique coætaneus in Vita ejusdem Bernardi rem paulò aliter narrat, quàm Baronius & Hugo Flaviniacensis in Chron. Quare ad majorem rei tanti momenti intelligentiam, hîc nobis ejus verba referenda.

VIII. *In eo Philippus Francorum Rex excommunicatur.*

Per idem tempus duo Cardinales Joannes atque Benedictus Apostolicæ Sedis legatione fungentes ad urbem Pictavium Concilium convocarunt. In quo centum quadraginta Patres adfuerunt, qui Philippum Regem Francorum propter Fulconis Consulis (idest Comitis) *Andegavensium uxorem, quam in adulterio tenebat, anathematis vindicta percusserunt. Qua excommunicatione comperta, Willelmus Dux Aquitanorum, qui aderat, totius pudicitiæ ac sanctitatis inimicus, timens ne similem vindictam pro consimilibus actis pateretur, nimio furore succensus, jussit omnes illos deprædari, flagellari, occidi. Quod ministris suis facere incipientibus, Pontifices & Abbates omnes huc illuc-*

que diffugiunt : & ut temporalem vitam retineant, tuta latibula quærere contendunt. At verò Bernardus atque Robertus Abressellensis, qui Concilio intererant, fortissimi justitiæ propugnatores, ac totius iniquitatis & injustitiæ expugnatores, aliis turpiter diffugientibus, ita immobiles, constantesque persisterunt, ut nec ab incœpto excommunicationis desisterent : sed pro Christo mortem vel contumeliam pati gloriosissimum ducerent. Hugo Flaviniacensis in Chronico diem Concilii celebrati notavit, diem nempe *Octavarum Sancti Martini*, qui in XIV Kal. Decembris incidit. Tom. X Concil. pag. 724. recitantur Canones XVII in hoc Concilio statuti, qui Baronii tempore latebant, & observatur, Canones decem, quos Baronius num. XXII recitat, pertinere ad aliud Concilium Pictavense anno MLXXVIII, præsidente *Hugone* Diensi Episcopo Legato Gregorii VII celebratum, de quo disertam mentionem facit Hugo Flaviniacensis in Chron. pag. 202. Portò Guillelmus ille Aquitaniæ Dux & Comes Pictaviæ fuit hujus nominis VIII, qui teste Chronographo Malleacensi hujus temporis Scriptore *duxit anno MXCIV uxorem, Philippam nomine, filiam Willelmi Comitis Tolosani*, dictam etiam Mathildem, ex qua suscepit *Willelmum IX*, ultimum Aquitaniæ Ducem.

IX. *Clericorum & Monialium hujus temporis incontinentia.*

A num. XXIII ad XXVII. Occasione Canonis adversus Clericos concubinarios in Concilio Pictavensi sanciti narrat Baronius ex Petro Venerabili, quæ adversus ejus contemptorem contigêre. Verum, uti jam dixi, Canon ille, aliique hîc à Baronio recitati pertinent ad aliud Concilium Pictavense anno MLXXVIII coactum. Fatendum tamen hoc tempore Clericorum & Monialium incontinentiam non minus, quàm tunc in variis Galliæ partibus invaluisse. Hinc Ivo Carnotensis in Epistola Galterio Meldensi Episcopo hoc circiter anno data, ordine LXX, eum hortatur, ut nullus timor incommodorum ab officii sui intentione dimoveat. *Quod ideo*, inquit, *suggero dilectioni vestræ, quia tam ex verbis Turonensium Monachorum, quàm ex literis dominæ Adeleidis venerabilis Comitissæ audivi turpissimam famam de monasterio Sanctæ Faræ, quod jam non locus Sanctimonialium, sed mulierum dæmonialium prostibulum dicendum est, corpora sua ad turpes usus omni generi hominum prostituentium.* Juretus in Notis ad illam Epistolam ostendit, annis MCVII & MCXXIX Moniales ob turpem vitam ex aliquot Monasteriis expulsas fuisse, & in ea Monachos introductos.

X. *Moniales è monasterio S. Faræ ejectæ.*

Mabillonius lib. 5. de Re Diplom. pag. 368. recitat Epistolam Philippi Francorum Regis Bernardo Majoris-monasterii Abbati datam, in qua ait : *Sequendo vestigia prædecessorum nostrorum, monasterium Sanctæ Mariæ semper Virginis, sanctæque Faræ, in quo ex infirmitate & incuria inhabitantium omnis religio & Monasticus Ordo penitus est adnullatenus, & (quod miserabilius est) prostibulum factum esse condolemus; pro salute animæ meæ per præsentem cartam in cellam vobis jure perpetuo possidendam tradimus, concedimus & auctoritate Regia confirmamus. Quatinus &c. Ecclesia Dei, quæ hactenus (proh dolor!) adulterinis fœdata est complexibus, & tanto tempore à servitio Dei privata est, cum Ecclesia vestra filiis de valle lachrymarum ascendere, & canticum graduum se cantare congratuletur.* Positum illud Sanctæ Faræ Monasterium in regione Briæ ac Comitatu Meldensi, cujus tam regionis quàm Comitatus Adelais domina erat. Conatus omnes tam Principum, quàm Episcoporum ad hoc Monasterium reformandum adhibiti frustrà fuêre usque ad Ludovicum Juniorem Francorum Regem, & Sugerium Monasterii Sandionysiani Abbatem. Tunc enim, ut legere est apud Doubletum in Antiquitatibus Sancti Dionysii pag. 229. Abbatia Sanctæ Faræ ad pristinum splendorem restituta. Quæ tunc Doubletus in Archivis Monasterii Sancti Dionysii legit, nunc præ vetustate deleta, licet ante triginta aut quadraginta annos, uti à quibusdam Viris doctis mihi relatum, non pauca ex illis adhuc legi possent.

XI. *De carum incontinentia loquitur Ivo Episc. Carnotensis.*

Porrò fallitur Mabillonius citatus, cùm ait eam Philippi Regis Epistolam, *non de Eboriacensi Sanctæ Faræ apud Brigenses parthenone Diœcesis Meldensis, sed de quadam cella ei subjecta* intelligendum esse; hanc enim interpretationem citata Ivonis Epistola planè convellit. Subdit Vir doctissimus : *Nescio, an de Gaiaco Pagi Wastinensis B. Mariæ sacro : quo Ludovicus Augustus S. Faræ celebris Parthenonis attribuit, idque confirmavit Lotharius Augustus*, intelligenda sit. At Monasterium illud B. Mariæ in Comitatu Wastinensi & Diœcesi Senonensi situm; cùm tamen Monasterium, de quo agitur, in Diœcesi & Comitatu Meldensi, Ivone citato teste, positum fuerit. Si tamen ea Ivonis Epistola non extaret, cum aliqua verosimilitudine dici posset, *Philippum* Regem verba facere de antiquo Monasterio Campellæ, quod oppidum est Briegii, haud procul à Melo tuno, à *Sancta Fara* de sui patrimonii reditibus fundato, & Eboriacensi Monasterio annexo, cujus Monachæ cùm incorrigibiles essent, ab *Odone Soliacensi* Episcopo Parisiensi, regnante Philippo Augusto, circa annum MCC ad magnum Sanctæ Faræ monasterium, tum sicuti & hodie, valde reformatum, traductæ, & Canonici seculares XII in earum locum subrogati; qua de re legendus Rovillæus in Historia Melodun. Sed non tantum in Gallia, Lotharingia & Belgio; verùm etiam in Germania aliquæ Sanctimoniales voto castitatis contempto vitam secularem amplexæ sunt, & eò processit Ecclesiasticorum incontinentia, ut cœlibatus abolitus videretur, & concubinatus quasi lege constitutus.

XII. *Penuria Grammaticorum in Gallia.*

Licet hoc tempore Gallia tot Viris doctis abundaret, magna tamen in ea penuria erat Grammaticorum, qui linguam Latinam docerent. Guibertus enim de Novigento, qui hoc tempore floruit, lib. I. de Vita sua scribit : *Erat paulò ante id temporis, & adhuc partim sub meo tempore tanta Grammaticorum caritas, ut in oppidis ferè nullus, in urbibus vix aliquis reperiri potuisset; & quos invenire contigerat, eorum scientia tenuis erat, nec etiam moderni temporis Clericulis vagantibus comparari poterat*, &c.

XIII. *Obitus Godefridi primi Hierosolymorum Regis.*

A num. XXVII ad XXXV. *Mense Julio* Godefridus Hierosolymorum Rex ægrotare cœpit, & invalescente morbo *obiit quinto decimo Kalendas Augusti : anno ab Incarnat. Domini MC*, inquit Willelmus Tyrius lib. 9. cap. ult. cui quoad annum & diem emortualem consentiunt Fulcherius Carnotensis lib. I. aliique. *Uno tantum anno*, inquit Abbas Urspergensis, *populo Dei præfuit, langore superatus XV Kal. Aug. plenam fide, bonisque operibus præsentem in Christo vitam* fini-

SÆC. XI. An. C. 1100.

finivit. Exceptis sive tacitis cunctis, quibus pollebat virtutibus, tanta se mansuetudine conjunxerat tam indigenis, quàm cum peregrinis, ut vix adverteretur, Francis ne plus plangeretur, quàm Syris vel Gracis. In ejus locum Balduinus frater ejus Rex electus est, qui Hierosolymam pervenit *die, quo solstitium hyemale accidit,* inquit idem Fulcherius, qui eum comitabatur, qui addit: *Et præparatis ornamentis, quæ Regi competant coronando, pacificatoque Daiberto cum domno Balduino, & cum Canonicis Sancti Sepulchri aliquantis, quia viri sensati de hoc tractaverunt, cessavit contentio eorum. Anno ab Incarnat. Domini MCI in Basilica B. Mariæ apud Bethleem die Nativitatis Domini à Patriarcha memorato* (nempe Daiberto) *unà cum Episcopis, Cleroque ac populo assistentibus, in Regem honorificè sub sacra unctione sublimatus, & coronatus est Rex Balduinus. Et quod fratri suo Prædecessori non fecerant, quoniam noluit; & tunc laudatum à quibusdam non fuit, huic ratione prudentiùs considerata fieri decreverunt.* Ubi Fulcherius de die Natali currentis Christi anni, à quo sequentem incipit, quemadmodum & Willelmus Tyrius lib. 10. cap. 1. verba facit.

XIV. *Willelmus II Angliæ Rex occiditur.*

A num. XXXV ad XL. *Anno ab Incarnat. Domini MC, feriâ quintâ, IV Nonas Augusti, Guillelmus Rufus in Nova foresta ictu sagittæ mortuus est, postquam XII annis, & penè X mensibus regno Angliæ potitus est,* inquit Ordericus lib. 10. pag. 783. qui subdit, Henricum fratrem ejus *dominico sequenti* consecratum fuisse ab Episcopo Lundoniensi, quòd Sanctus Anselmus Cantuariæ Archiepiscopus exularet. Tum subjungit: *Triginta annorum erat Henricus, cùm regnare cœpisset, & XXXV annis & IV mensibus regnavit. Hic inter prospera & adversa regnum sibi divinitus commissum prudenter & commodè moderatus est, ac inter præcipuos totius Christianitatis Principes, obtentu pacis & justitiæ fulgens insignis habitus est. In diebus ejus Ecclesia Dei divitiis & honoribus alacriter emicuit, & omnis ordo Religiosorum ad laudem Creatoris multipliciter crevit.* Quarto mense, ex quo cœpit regnare, Mathildem Malcolmi Regis Scotorum, & Sanctæ Margaritæ Reginæ filiam sibi desponsavit, quam Sanctus *Anselmus die dominica festivitatis Sancti Martini Reginam consecravit & coronavit,* inquit Simeon Dunelmensis, qui jam dixerat Anselmum de Gallia ab Henrico Rege revocatum fuisse. Henschenius Tom. II SS. Aprilis ad diem XXI ejusdem mensis, quo Sanctus Anselmus colitur, pag. 927. ait, *Henricum* Regem à *Thoma* Archiepiscopo Eboracensi benedictum. Verùm nullum ad id probandum testem adducit, & tam Ordericus, quàm novus Chronographus Saxo ac Simeon Dunelmensis in sua Historia disertè asserunt, factum id esse Londoniæ, & à Mauricio ejusdem urbis Episcopo. Matthæus quidem Parisiensis ad annum MC tradit, *Henricum* consecratum esse in Regem *in die Assumptionis B. Mariæ,* eique continuo à Mauricio Londinensi Episc. & à Thoma Eboracensi Archiepisc. coronam capiti impositam; sed is non magis in utroque capite audiendus, quam cùm matrimonium Mathildis cum Rege Henrico, & adventum Sancti Anselmi in Angliam in annum MCII differt.

XV. *Adventus S.*

Eadmerus, qui præter Vitam Sancti Anselmi, cujus continuus comes fuit, scripsit Historiam Novorum sex libris comprehensam, quam Baronius non vidit; lib. 3. cap. 1. narrat Anselmum, in cujus comitatu ipse erat, nono Kal. Octobris Dubrim appulisse, & cùm post paucos sui reditus dies ad Henricum Regem venisset,

ÆC. XI. An. C. 1100. *Anselmi in Angliam.*

postulatus est pro consuetudine antecessorum suorum Regi hominium facere, & Archiepiscopatum de manu ejus recipere, & Anselmum respondisse: *Si dominus Rex ista suscipere, & suscepta servare voluerit, benè inter nos firma pax erit: sin autem non video remanere meum in Anglia utile fore vel honestum, præsertim cùm, si Episcopatus aut Abbatias dederit, privari me penitus tam ea sui, quam & eorum qui susceperint, communione necesse sit. Nec enim ea de causa Angliam redii, ut si ipse Romano Pontifici obedire nolit, in ea resideam.* Regem inter & Anselmum conventum, ut utrimque Romam mitterentur; interimque induciæ usque ad Pascha essent. Hinc *paucis diebus interpositis,* Mathildis nupsit Henrico Regi, & Anselmus eos conjunxit.

XVI. *Legatus in Angliam missus re infecta revertitur.*

Eodem anno, subjungit Eadmerus, *venit in Angliam Guido Archiepiscopus Viennensis* (Pontifex postea Romanus sub Christi II nomine) *functurus, ut dicebat, legatione totius Britanniæ, ex præcepto & auctoritate Apostolicæ Sedis. Quod per Angliam auditum, in admirationem omnibus venit: inauditum scilicet in Britannia cunctis scientes quemlibet hominum super se vices Apostolicas gerere, nisi solum Archiepiscopum Cantuariæ. Quapropter sicut venit, ita reversus est, a nemine pro Legato susceptus, nec in aliquo Legati officio functus. Exinde, cùm ad tempus induciarum Pascha* (sequentis Christi anni) *ventum esset, & qui Romam missi fuerant Nuntii, necdum redissent, usque ad adventum illorum induciæ dilatæ sunt.* Agebatur de Investituris, quas Henricus Rex petebat, & Anselmus à summi Pontificis sententia recedere nolebat.

XVII. *Paschalis II confirmat ordinem Cisterciensem.*

Ad num. XLI. *B. Robertus* Abbas Molismensis, qui ante biennium Monasterium Cisterciense in Diœcesi Cabilonensi construxit; hoc anno duos Monachos Romam misit cum literis commendatitiis Joannis & Benedicti Cardinalium Sedis Apostolicæ in Gallia Legatorum, Hugonis Archiepiscopi Lugdunensis, atque Walteri Præsulis Cabilonensis, quorum precibus Paschalis II Ordinem Cisterciensem confirmavit, rescripto *Troiæ* dato *XIV Kalend. Maii, indict. VIII,* quod integrum à Baronio recitatur. Tum Albericus Cistercii Abbas anno sequenti arctissimam Regulæ Sancti Benedicti observationem instituit in novo suo Monasterio, ut videre est apud Manriquem in Annal. Cistercien.

XVIII. *Petrus Aragoniæ Rex Saracenos bello vexat.*

Toti erant hoc tempore Hispaniarum Reges in Saracenis debellandis; quam in rem Chronographus Malleacensis hoc anno scribit: *Guillelmus* (hujus nominis VIII) *Consul Pictavorum* (idest Comes) *accepit apud Lemovicas Crucem & cum eo multi alii suorum Procerum* (qui cum eo Hierosolymam profecti sunt). *Similiter Petrus Rex Aragundiæ* (idest Aragoniæ) *cepit Barbastam, & multa castella; & pugnavit cum Moabitis* (idest Saracenis) *apud Oscam, & vicit, & subjugavit civitatem decimo quinto Kalendas Novembris.*

XIX. *Anselmus Archiep. Me-*

Anselmus Archiepiscopus Mediolanensis semel tantum, idque sequenti anno in Palæsti-

diolanensis anno sequenti in Orientem profectus.

nam profectus est; vana enim & futilia, quæ Puricellus in Monumentis Basilicæ Ambrosianæ & lib. 4. de Sanctis Arialdo & Herlembaldo in medium adducit, ut ostendat Anselmum jam illuc anno MXCVIII pertexisse. Constat enim hunc præsulem anno MXCIX Sancti Arialdi Reliquias ex Ecclesia Sancti Celsi in Ecclesiam Sancti Dionysii transtulisse circa tempus autumnale, & antea *quarto Nonas Februarii* sententiam emiserat in gratiam Religiosorum Sancti Simplicii, quam integram refert Puricellus in Basilica Nazariana cap. 5. In exemplari ab eo viso habetur tantum MX IX. At numerus C vetustate temporum deletus; legendum enim MXCIX, ut habet aliud exemplar authenticum ab Ughello relatum, & indictio septima, quæ in utroque legitur, certum facit. Hoc verò anno Anselmus mense Julio Mediolani consistens celebravit dedicationem Ecclesiæ sancti Sepulchri, cujus dedicationis monumentum insigne recitat Ughellus scriptum *anno ab Incarnatione Domini nostri millesimo centesimo, indictione octava, Idibus Julii.* Eo instromento indulget Anselmus, ut quicumque aliquo impedimento detentus, *ad Sepulchrum in quo Christi Corpus dormivit, ascendere non potuerit, & ad hoc sepulchrum ad ejus veram similitudinem factum venerit, sana mente & bona intentione, remissionem suorum tertia partis delictorum habeat, & ad laudem Hierosolymitani Sepulchri hoc se retulisse cognoscat.* Instrumento ita subscribit Anselmus: *Ego Anselmus quartus Dei gratiâ Archiepiscopus.* Quare ante sequentem annum Anselmus peregrinationem illam non suscepit.

XX. *Cruciatam prædicat in Longobardia.*

Postquam enim petendæ Hierosolymæ consilium iniit, Cruciatam in Longobardia publicavit, & Episcopum aliquem, qui se absente vices suas Mediolani ageret, instituere decrevit, quod Landulphus Junior, seu à Sancto Paulo, qui scripsit librum Historiarum Mediolanensis urbis, ab anno Christi MXCVI, usque ad millesimum centesimum tricesimum sextum, perductum, apud Puricellum citatum, licet ordine præpostero, testatur: *Cùm adhuc homo iste simplex* (sc. Anselmus.) *Mediolani viveret, & exercitum congregaret, habuit consilium statuendi sibi Vicarium, hominem multarum artium. Unde quidam sagacissimi viri ab eo ordinati Sacerdotes, mandatum eundi Saonam* (sive Savonam) *susceperunt, ut in ipsa civitate suo jussu & auctoritate electionem Episcopi admonerent, & fieri cogerent. Qui dum iter facerent, venerunt Ferrariam* (aliam à Ferraria ad Padum posita), *in quo nemore amplexi sunt Grossulanum & ejus consilium. Quorum Sacerdotum exercitium intantum valuit, quod quidam ex Saonensibus ipsum Grossulanum in victu afflictum, in vestitu abjectum, elegerunt sibi Episcopum. Eligentes una cum illo Electo & illis duobus Sacerdotibus ab Archiepiscopo missis Mediolanum pervenerunt, ibique per jussionem Archiepiscopi,* QUI JAM ERAT IN EXPEDITIONE POSITUS, *Grosulanus .... ordinatus est Episcopus, & Archiepiscopi Vicarius.* Et tamen Grosulanus, qui factus Episcopus Savonensis eo munere functus est, in Instrumento citato subscribit his verbis, *indignus Episcopus subscripsi.* Contra verò ejus nomen non legitur in judicio in causa Monachorum Sancti Simpliciani anno superiori *quarto Nonas Februarii* habito, licet Abbates omnes, Priores & Dignitates Cleri Mediolanensis eidem subscribentes officii sui Titulum addant. Quare Grosulanus mense Februario superioris Christi anni nondum Episcopus ac Vicarius Archiepiscopi Mediolanensis erat, nondumque tunc fortè ab *Anselmo* Cruciata prædicabatur.

XXI. *Multi crucem accipiunt.*

Puricellus laudatus contendit, gesta hæc fuisse anno MXCVIII, *Conradum* Henrici Imperatoris filium ante Urbanum II Papam demortuum esse, & Grossulanum consecratum eo tempore, quo Anselmus *erat in expeditione positus*, in Oriente scilicet, ut Puricellus interpretatur. Verum is Landulphum Juniorem non intellexit, qui tantum indicat Anselmum Mediolano abfuisse, prædicantem tunc Cruciatam in orbibus Longobardiæ, indeque cap. 2. Landulphus ait: *Ad vocem hujus prudentis viri* (sc. Anselmi) *viri cujuslibet conditionis per civitates Longobardorum, villas & castella eorum cruces susceperunt.* Hæc expeditio in qua positus erat Anselmus, non verò in Orientali, ubi paucissimo tempore moratus est & in ipso adventu male habitus. *Conradum* verò anno tantum sequenti, non verò anno MXCVIII vita functum esse, anno sequenti demonstrabimus.

XXII. *Refellitur Puricellus Conradi Regis mortem prævertens.*

Ut ostendat Puricellus Conradum Regem ante Urbanum II demortuum adhibet verba Landulphi Junioris cap. I. *Cono* (idest Conradus) *quoque Rex, qui dum Henricus pater ejus viveret, per contradictionem Mathildis Comitissæ, & officium hujus Anselmi de Rhode* (hujus nominis III) *fuit coronatus Modoetiæ, & in Ecclesiâ Sancti Ambrosii Regali more .... regnans in loco, qui Burgus Sancti Domnini dicitur* (in Parmensi tractu posito) *vidit Presbyterum Luitprandum propter* PATARIAM *naso & auribus truncatum* (vides factionem Pontificiam Patariam à Mediolanensibus appellatam fuisse) *euntem ad Urbanum Pontificem Romanum* (anno MXCVIII secundum Puricellum, aut potius anno MXCIX), *cui Presbytero Rex ipse cum devotione inquit: Cùm sis Magister* PATARIORUM, *quid sentis de Pontificibus & Sacerdotibus Regia jura possidentibus, & Regi nulla alimenta præstantibus? Et Presbyter ipse absque ullo rancore in beneplacito Dei, & ipsius Regis respondit. Verum tamen altera die faciens iter suum cum Presbytero Arnaldo Magistro scholarum Mediolanensium, & Syro sacerdote Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Podonæ* (quem Puricellus eum esse credit, qui Vitam Sancti Arialdi, quæ nunc non extat, composuerat,) *captus est ab hominibus Parmensis Episcopi .... per quatuor dies retentus excoriatus, inde Mediolanum redit. Rex verò ipse, prout audivi à raptoribus illis, emendum* (idest, quod datum fuerat à Presbytero pro sua redemptione), *& mulum ipsius Presbyteri suscepit, &* MOX *in Tusciam adire tentavit. Et cùm pervenisset Florentiam, Rex ipse prudens & sapiens atque decorus specie, proh dolor! adolescens arrepta potione ab Aviano Medico Mathildis Comitissæ Vitam finivit.*

XXIII. *Explicatur locus Landulphi Junioris.*

Ex præfato adverbio *mox* Puricellus sequi putat statim à Luitprandi expoliatione *Conradum* in Tusciam perrexisse, ibique anno MXCVIII vitam cum morte commutasse. Verùm hæc adverbia *mox*, *statim*, aliaque tempus exprimentia aliquam latitudinem habent; neque istud *mox* semper significat nullam moram interpositam fuisse, sed aliquando *deinde*, uti apud Suetonium in Augusto cap. 47. *Nec mox* (idest, deinde,

deinde, vel postea) *occasio aut causa trajiciendi fuit*. Landulphus itaque intelligit, *deinde*, idest, biennio post, annoque MCI Conradum Tusciam petiisse, ibique mense Julio ejusdem anni mortem oppetiisse. Luitprandus enim anno MXCIX injuriam illam passus est.

XXIV. *Secunda ratio Puricelli.* At secundò Puricellus, Landulphum Juniorem secundum caput Historiæ suæ his verbis auspicari: *Rege igitur* (sc. Conrado) *in regno deficiente, supradictus Anselmus de Buis Mediolanensis Archiepiscopus, quasi monitus Apostolica auctoritate, cum dicto Presbytero* (nempe Luitprando) *volente, de diversis gentibus exercitum studuit congregare, cum quo caperet Babylonicum regnum.* Quibus ex verbis infert Puricellus, quod cùm constet ex Catalogo Archiepiscoporum Mediolanensium Anselmum IV die XXX mensis Septembris anni MCI vivere desiisse, certumque sit eum eodem anno in Oriente fuisse, necessariò admittendas duas ejusdem Præsulis profectiones in Orientem, quarum prior suscepta fuerit anno MXCVIII, eodemque *Conradus* Rex obierit. Nam si Conradus die XXXI mensis Julii anni MCI in Tuscia vita functus esset, ut communis fert opinio, cùm Landulphus testetur, eo mortuo *Anselmum* milites collegisse, se seque ad expeditionem Hierosolymitanam parasse, quomodo Anselmus intra diem ultimam mensis Julii, ultimamque mensis Septembris militum copias comparare, & cum iis Constantinopolim pervenire potuisset? Certè ad rem utramque ei tempus non fuisset. Ita Puricellus.

XXV. *Refellitur.* At frustra se Vir doctissimus torquet, ut Landulphum cum aliis Historicis conciliet. Accuratè enim ii Conradi mortem cum anno MCI connexuêre, & Landulphus Junior, qui unicæ Anselmi in Orientem peregrinationis mentionem facit, non scribit eam post Conradi Regis obitum, ut eum Puricellus interpretatur inusse, sed tantum *eo in regno deficiente*, id est, eo jam morti proximo, vel cum prope esset, ut in regno deficeret. Neque Landulphus Junior, qui annum mortis Conradi ignorare non potuit, ab aliis Scriptoribus etiam coævis in anno hujus Regis emortuali consignando discrepat, uti ex dicendis anno sequenti magis patebit.

XXVI. *Landulphus Senior Historiam suam absolvit.* *Landulphus Senior*, qui Rerum Mediolanensium Historiam ab anno millesimo duodecimo exorsus est, eamdem currenti absolvit. Ea nondum typis data, sed Puricellus in Monumentis Basilicæ Ambrosianæ, aliisque suis Operibus varias ejus Periochas exhibet, quibus Annales Ecclesiasticos locupletare conati sumus.

XXVII. *Fundatio Ordinis Fontebraldensis.* *Eodem anno*, inquit Chronographus Malleacensis ad hunc Christi annum, *Rotbertus Magister* (de Arbrissellis cognominatus) *cœpit dignosci apud nos* (sc. in Pictonibus) *& incœpit locum Fontis-Enardi* (seu Fontis Ebraldi) *ædificare, & Fratres & Monachos adjuvare in pluribus locis, qui sub disciplina sua religiosè vivunt.* De beato Roberto, ejusque Ordine pluribus infrà.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6594.

☉ 18. F. ☽ 19. P. 21. April. Indict. 9.

JESU CHRISTI 1101.

PASCHALIS II PAPÆ 3.

HENRICI IV REG. 46. IMP. 18.

ALEXII COMNENI IMP. 21.

Anno Eræ Hispan. MCXXXIX. Anno Hegiræ CCCCXCV. inchoato die 26 Octob. fer. 7.

I. *Operâ S. Anselmi pax inter Henricum Regem & Robertum fratrem conciliata.* ANNUM. I ad VI. Termino induciarum inter *Henricum* Angliæ Regem & *S. Anselmum* Cantuariæ Archiepiscopum anno superiori pactarum adveniente, Nuncii, quos Romam Henricus Rex miserat, & ante Pascha redituri credebantur, necdum reduces erant. Quare Rex inducias prorogandas censuit. Interim *Robertus* Normanniæ Dux & Henrici Regis frater ex Oriente redierat, & se delusum à fratre dicens de Regno ei eripiendo, cogitabat, & non paucos Proceres ad suas partes attraxerat: *In subsequenti solemnitate Pentecostes*, ait Eadmerus lib. 2. Vitæ S. Anselmi, *adventus Comitis Roberti, Fratris Regis, in Angliam; præviâ famâ, totam Regalem Curiam commovit: & quorumdam animos, ut postea patuit, in diversa permovit.* Robertus Regnum sibi debitum contendebat, quòd major natu esset, & Guilelmus frater sine prole obiisset. Tota Regni Nobilitas *Anselmum*, Robertum inter & Regem medium fecêre, & Sancti Præsulis operâ fratres in concordiam reduêre, exercitusque dimissi. Paschalis Papa, qui nolebat injuriam fieri Roberto ex Palestina reduci, *Anselmum* per literas monuit, ut se pacis sequestrum interponeret, interimque Nuncii, quos Henricus Rex ad Paschalem II miserat, ex Urbe redeunt, referuntque Romanum Pontificem pro Anselmo & Ecclesiarum prærogativa dixisse & scripsisse.

II. *Dissidium inter Regem Angliæ & S. Anselmum de Investituris.* Paschalis literæ ad Henricum Regem datæ recitantur ab Eadmero in lib. 3. Novorum cap. 2. iisque Investituræ Regiæ improbantur. Quibus relatis subdit Eadmerus: *Cùm ad Curiam venissemus, Rex usus consilio fratris sui & amicorum illius, qui acerbo contra Anselmum, pro regni amissione, odio erant inflammati, exegit ab eo, ut aut homo suus fieret; & eos quibus Episcopatus vel Abbatias se daturum dicebat, pro more antecessorum suorum consecraret; aut terram suam sine retractatione & festinanter exiret.* Verùm Anselmus negavit se alterutrum facturum, & Cantuariam abiit: *Reversus est Anselmus ad sua, Deo in cunctis placere studens, & oppressionibus Ecclesiarum Angliæ gravi contritione cordis ingemiscens.* Postea agentibus Angliæ Episcopis Anselmus duos Monachos Romam destinavit, Rex verò tres Episcopos, quibus Papa incunctanter crederet. Paschalis II literis suis sancti Anselmi constantiam laudavit, aliisque literis Regem monuit, ut Investituras sibi non arrogaret. Sed cùm Rex in sententia perstaret, incitantibus eum Episcopis Regnique Proceribus, quatenus *sibi Anselmus hominium faceret, & eos quibus se daturum protinus Episcopatus dicebat, consecraturum sponderet, servata in omnibus antecessorum suorum consuetudine*, Anselmus Romanum Pontificem sese consulturum respondit, iterumque Nuncios Romam destinavit. Citatas Paschalis Papæ literas tam ad Regem, quàm ad

Anselmum

Anselmum datas refert Eadmerus, cujus libros sex Novorum Angliæ cùm Baronius deperditos existimaret, hanc controversiam ex Malmesburiensi narrat, sed fusiùs Alfordus, qui libros Novorum ab Eadmero elucubratos viderat, in Annal. Angliæ hoc anno num. VI & seqq.

III. *Obitus Conradi Italiæ Regis.* Ad num. VI. Conradum Italiæ Regem filium Henrici Imp. hoc anno è vivis abiisse, superiori insinuavimus, idque nobis nunc ex Auctoribus coævis probandum. Abbas Urspergensis in persona Auctoris coævi hæc scribit: *Anno domini MCI Chunradus Rex adolescens IX anno postquam à patris Palatio discesserat* (anno enim MXCIII adversus patrem rebellavit, ut ibidem vidimus) *Mathildis magna illius & nobilissima, & ut quidam dicunt, religiosa fœmina, sicut sanguine, ita & contubernio conjunctus, & in rebus per Italiam disponendis tam illius quam domini Apostolici, ceterarumque Deum timentium, personarum consilio semper usus, immaturo præventus occasu, plena fide & bona confessione à regno transitorio, ad æternum creditur regnum migrasse. Sunt etiam, qui veneno eum dicant interiisse* (uti Landulphus Junior hujus temporis Scriptor, cujus verba anno superiori retulimus). *Testari solent, qui aderant, in brachio corporis exanimi, crucis signaculum subitò exortum se vidisse, ipsasque ejus exequias quibusdam miraculis honorificatas fuisse* (quæ verba Baronius in ista mutavit, funus ejus versibus exornatum). *Visus est & à nostro quodam familiari, ab Oriente in Occidentem volans ignis, ad instar non modicæ civitatis.* Vides Urspergensem loqui in persona testis oculati, quod ei non rarò accidit. Ad hæc Sigebertus in Chron. qui adhuc in vivis erat, eam mortem cum præsenti anno etiam copulat.

IV. *Contigit mense Julio.* Imò Domnizo Scriptor etiam hujus temporis in Vita Mathildis Comitissæ lib. 2. cap. 12. de Conradi morte verba faciens, annum & mensem ejus obitûs notavit:

Scribere res gestas cùm non sit res inhonesta.
Carmen adesto meum sic ut promas nisi verum
Infra Chonradus, Longobardos comitatus dum staret,
Discorsa Mathilde fuit ipso
Tempore. Duravit modicum discordia talis;
Nam petiit partes Tuscanas Rex: ibi tandem
Nobilibus quidam facientibus expulit iram.
Ad pacem firmam rediit benè cum Comitissa.
Post istam pacem febre tactus Julius autem
Mensis *erat, magnus moritur Chonradus: & annus*
Tertius, Urbanus, quod transigerat memoratus.
Ejus habet corpus Florentia florida prorsùs.

Obiit *Urbanus* Papa anno MXCIX die XXIX mensis Julii, tertioque pòst anno Juliano, currenti nempe, *Conradus* eodem mense Julio vita functus est, postquam pacem iniisset cum Mathilda Comitissa, à qua biennio & paulò amplius aversus fuit. Mitto hîc testimonium Ottonis Frisingensis, qui lib. 7. cap. 7. idem in literas misit. Sed Puricellus cùm Landolphum Juniorem cum aliis Scriptoribus in concordiam adducere non posset, nodum, quem solvere non potuit, discidit, scripsitque *Conradum Regem* juxta Landulphum anno MXCVIII extinctum esse, aliosque Auctores, qui eam mortem usque ad hunc annum differunt ex Landulpho corrigendos esse; cùm tamen idem ac illi hac in re sentiat. Puricelli dubiis jam satisfecimus.

V. *Ivonis Episc. de Philippo Franciæ Rege.* Ad num. VII ad XIII. Quæ habet hîc Baronius de *Philippo* Francorum Rege & de *Galone* electo Belvacensi Episcopo commodiùs anno MCIV examinabimus. Quare ad eum annum Lectorem remittimus.

VI. *Expeditiones Christianorum in Terram Sanctam.* Ad num. XIII. Gesta hoc anno in Oriente narrat Urspergensis in persona Auctoris coævi, qui dicit se vidisse quæ refert. *Mox profectio populosa, & quæ penè priori posset numero duntaxat æquari, subsequitur: quæ post auditas ultra spem res Hierosolymæ prosperè gestas, à residuis totius Occidentis gentibus, maximè ab his quarum prius votis timor vel diffidentia, inopia vel imbecillitas obstiterant, denuò parabatur, primùm ab Episcopis Mediolanensi* (Anselmo sc. IV. de quo mox agemus) *Papiensi, ceterisque Longobardorum populis ad quinquaginta millia signatis, deinde à diversarum provinciarum Teutonicis, postremò ab Aquitanicis, quibus Willelmus Pictaviensis* (hujus nominis VIII, ut suprà ostendimus) *præerat, præter vulgus ad XXX millia loricatis. Longobardorum plebes permissu Henrici Ducis Carinthiâ permeatâ, dum post Ungaros tergo relictos in Bulgariæ civitatibus hyemarent, numero rarescere cœperunt, tandemque Constantinopolim pervenientes, in alteram ripam* (illud *enim beneficium maledictus Alexius peregrinis accelerare solet*) *transpositi sunt, imo Paganorum sagittis expositi. Turci enim explorata Longobardorum inertia stipulárum eos terebant more mitantum, ut exercitus Teutonicus, qui eadem via subsecutus, circa* Junii Kal. *ad eamdem Metropolim pervenit*, & cetera, quæ apud eum legi possunt.

VII. *Anselmus Archiep. Mediolanensis Constantinopoli moritur.* Ex his tempus habemus, quô *Anselmus IV* Mediolanensis Archiepiscopus, postquam anno superiori ingentem militum numerum in Longobardia collegisset, & ibidem Cruciatam prædicasset, peregrinationem Hierosolymitanam suscepit. Cùm enim *circa Kalendas Junii* exercitus Longobardicus Constantinopoli fuerit, apparet ineunte vere Anselmum cum exercitu se se viæ dedisse. Hæc expeditio parum felix fuit. Landulphus quippe Junior cap. 2. hæc de ea habet: *Archiepiscopus ille de Buis à Turcis & Saracenis fugatus in gravi luctu Constantinopoli expiravit.* In antiquo verò Catalogo Episcoporum Mediolanensium de Anselmo legitur: *Sedit annos III, & menses X, & dies XXVIII, obiit, II Kalendas Octobris, sepultus est Constantinopoli ut peregrinus.* Quare ad Archiepiscopatum evectus fuerat die tertia mensis Novembris, anni MXCVII, quæ in feriam tertiam incidebat, obiitque die XXX Septembris præsentis Christi anni. Chalcus in Historia Mediolanensi ait: *Ceterùm Archiepiscopum Mediolanensem conscendisse Genuæ classem Ligustici Annales habent.* Nihil tamen hac de re Annales Justiniani & Fogliettæ, licet de bellicis apparatibus anno superiori ac sequentibus factis verba faciant. Ceterùm Puricellus, Chalcus, aliique Genuensium expeditionem cum Anselmi & Longobardorum expeditione malè confundunt; Genuensis enim felicem sortita est exitum, Longobardica verò parum fausta fuit, ut videre est apud Albertum Aquensem lib. 8. ubi fusè de Anselmo Mediolanensi Archiep. & de ejus morte agit.

VIII. *Obitus S. Brunonis.* Ad num. XIV. In Opusculo *de Institutionibus*

bus Ordinis Cartusiensis, à Labbeo Tom. I Biblioth. pag. 638. recitatis, dicitur *sanctum Brunonem* illius fundatorem in Calabria mortuum esse, *post egressum Cartusia undecimo plus minus anno*. Quare cùm anno MXC Romam, quò ab Urbano II vocabatur, relictâ Cartusiâ venerit, mors ejus à Baronio rectè hoc anno consignata, liquetque eum perperam scripsisse *Brunonem* anno MXCII peregrinationem illam instituisse.

IX. *Officium Rom. in Regnis Castella & Legionis recipitur.* Sandovallius in Vita Alphonsi VI, Castellæ Regis pag. 91. & seq. refert ex antiquis Hispaniarum Documentis hunc Principem *erâ MCXXXIX*, quæ in præsentem Christi annum competit, habuisse Comitia in urbe Legionensi, iisque interfuisse duos Summi Pontificis Legatos nuper Româ in Hispaniam missos, Bernardum scilicet Cardinalem & Archiepiscopum Toletanum, ac Raynaldum: venisse & Abbates Ordinis Sancti Benedicti, aliosque Prælatos, *eò quòd Rex voluit, ut confirmaretur Officium Romanum, & per omnia relinqueretur Gothicum pariter egit, ut relinqueretur character Gothorum vel Longobardus, quem Episcopus Ulphila ipsis dederat.*

X. *Obitus Rogerii Calabria & Sicilia Ducis.* *Rogerius* Comes Calabriæ & Siciliæ mense Julio præsentis anni, qui usque ad senectutem sanctissimè vixit, mortuus est, cui *Simon* ejus filius successit, & huic anno sequenti vita functo *Rogerius* Germanus Rogerii frater, ut scribit Fasellus lib. 7. in posteriori Decade. Is postea Siciliæ Rex coronatus, ut infrà videbimus.

XI. *Obitus Calipha Ægypti.* Elmacinus lib. 3. Hist. Sarac. cap. 9. tradit, *Mustalem Billam* Calipham Ægypti vita functum esse anno Hegiræ CCCCXCV, & durasse Imperium ejus septem annos & duos menses, lunares scilicet. Ei successit *Alis Abulmansor* filius quinque tantum annos natus. Idem habet Abulpharajius in Hist. Dynastiarum. Sunt hi Caliphæ Ægypti è familia Fatemitarum. Mustalis Billæ tempore *Franci Joppen expugnarunt & Arsufam receperunt pactionibus, subjugaruntque majorem partem regionis maritima*, inquit Auctor Anonymus Chron. Orientalis, & confirmant Fulcherius Carnotensis, aliique Belli Sacri Scriptores.

Anno Eræ Hispan. MCXL. Anno Hegiræ CCCCXCVI. inchoato die 25. Octob. fer. 4.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6595.

☉ 19. E. ☽ 1. P. 6. April. Indict. 10.

JESU CHRISTI 1102.

PASCHALIS II PAPÆ 4.

HENRICI IV REG. 47. IMP. 19.

ALEXII COMNENI IMP. 22.

I. *Concilium Lateranense.* A Num. I ad V. Concilium Lateranense primum sub Paschali II habitum refert Baronius ex Urspergensi Abbate, qui tradit promissam in eo fuisse Paschali II, ejusque Successoribus obedientiam, & sententiam in Henricum Imperatorem promulgatam, quam, subdit Urspergensis, *nos quoque inter innumeras diversarum gentium catervas, proximâ Cœna Domini, in Ecclesia Lateranensi ab ipsius ore didicimus: nimirum postquam octavo Kalend. Octob. maris fluctibus Joppa traditi, Romæ sumus per gratiam Christi prædicta majore hebdomada introducti.* Ubi Urspergensis, qui nunquam in Terra Sancta fuit, loquitur in persona Auctoris, qui quæ viderat narrat. Ad quem loquendi modum cùm animum non advertisset Blondellus Tom. I Genealogiæ Franciæ in Disquisitione *de Ampulla Remensi*, valde probat quod scripsit Bellarminus in lib. de Script. Eccles. dum verba facit de Conrado à Lichteno Abbate Urspergensi: *Necesse* est, inquit Bellarminus, *hanc Historiam, vel non esse unius Auctoris, vel Conradum hunc inseruisse aliqua in Historia sua, ex scriptis aliorum. Siquidem anno MCII scribit, se Romæ fuisse, cùm Paschalis secundus Pontifex feriâ quintâ in Cœna Domini publicè Imperatorem Henricum excommunicatum pronunciavit. At ipse (ut paulò antè notavimus) scribit se anno MCCXV factum esse Abbatem Urspergensem, quæ certè non coharent, nisi fortè factus sit Abbas cùm esset plus quam centum & quindecim annorum. Sed neque hoc dici potest, cùm ipse idem loquens de initio Pontificatûs Innocentii III, idest de anno MCXCVIII, dicat se tunc fuisse in minori ætate, & adhuc laicum. quomodo enim poterat esse in minori ætate, si plus quam centenarius erat?* Verùm Abbas Urspergensis hoc anno Romæ esse non potuit, cùm anno MCCXXVII adhuc vixerit, & Chronico suo finem imposuerit. Certum itaque indubitatumque tam Urspergensem, quàm Actorum Sanctorum Interpolatores & Abbreviatores varia quandoque in prima persona enarrare, quæ tamen ipsi nec viderunt, nec audierunt, sed alii quorum nomina tacent. Hujus observationis ope varii errores vitari poterunt.

II. *Sumptus necessarios Legatis solvere Hungari renuunt.* A num. V ad XII. *Gregorius* VII Legatorum in provincias mittendorum commodis consulens, Metropolitanis formulam præscripsit secundùm quam jurare debebant, cùm Pallium eis ab Apostolica Sede dabatur. In ea formula addita est clausula de procurationibus Legatorum, ut certi essent sibi sumtus ab iis, ad quos mittebantur, suppeditatum iri. Clausulæ illius hæc sunt verba apud Baronium anno MLXXIX num. IX. *Legatum Romanum eundo & redeundo honorificè tractabo, & in necessitatibus suis adjuvabo.* Hungari tamen detrectaverunt illis munera seu tributa dare quæ citra contradictionem eis in aliis provinciis solvebantur. Colligitur istud ex Epistola Paschalis II *ad Archiepiscopum Coloniensem* data, & à Baronio recitata, qui ad eum scripserat, Regem & Regni Majores admiratione permotos, quòd Pallium sibi ab Apocrisariis Apostolicæ Sedis tali conditione oblatum fuisset, si sacramentum juraret, quod ei per Apocrisarios eosdem miserat Summus Pontifex, idest, sacramentum à Gregorio VII institutum, de quo mox diximus. Quare Paschalis II, ut *Hungaros* ad obsequium inclinet, ostendit quid sit Pallium, deinde disserit de auctoritate Romani Pontificis in universa Ecclesia, & denique docet juramentum illud per omnes ubique provincias vigere: *Nunquid; inquit, non ultra vos Saxones, Danique consistunt? Et tamen eorum Metropolitani & idem juramentum afferunt, & Legatos Apostolica Sedis honorificè tractant, & in suis necessitatibus adjuvant.* Falsa autem istius Epistolæ inscriptio, quæ extat in libris Decretalium, Baronium in errorem induxit. Nam, ut observatum à Francisco Florente ad Tit. *De usu & auctoritate Pallii*, & à Baluzio in Supplemento lib. 5. de Concordia cap. 48. num. III in libris Decretalium legendum non est; *Panormitano Archiepiscopo*, ut vulgò editum est, & Baronius habet; sed *Colocensi Archiepiscopo*:

III. *Indebitæ contributiones à quibusdam Legatis petitæ.*

Sumpta inde quandoque occasio ad contributiones indebitas exigendas; indeque illa Joannis Saresberiensis querela lib. 5. Policrat. cap. 16. *Sed nec Legati Sedis Apostolicæ manus suas excutiunt ab omni munere, qui interdum in provinciis ita debacchantur ac si ad Ecclesiam flagellandum egressus sit Satan à facie Domini.* Et lib. 6. cap. 24. *Provinciarum diripiunt spolia, ac si thesauros Crœsi studeant reparare.* Quæ per hæc tempora adeo publica erant S. Bernardus ad Eugenium III Epistolam scripserit, qua eum monet, ut tales in Cardinalium collegium admittat, qui cùm legatione Sedis Apostolicæ ornati fuerint, *Ecclesias non spolient, sed emendent, qui marsupia non exhauriant, sed corda reficiant, & crimina corrigant*, qui cùm ad Apostolicam Sedem redierint, *redeant fatigati quidem, sed non suffarcinati simul & gloriantes, non quòd curiosa seu pretiosa quæque terrarum attulerint, sed quòd reliquerint pacem regnis, legem Barbaris, quietem Monasteriis, Ecclesiis ordinem, Clericis disciplinam, Deo populum acceptabilem sectatorem bonorum operum.* Hæc & alia hujusmodi Baluzius loco citato, de quibus etiam Baronius variis in locis.

IV. *Concilium Londonense.*

A num. XII ad XIV. Divus Anselmus cupiens Gregem sibi commissum in fidei morumque puritate regere; *Londini* Concilium celebravit, in quo præter Episcopos & Abbates, pluresque Ecclesiastici ordinis Regni etiam Proceres affuerunt, ut quæ decreta essent, à suis servanda curarent. Refert hanc Synodum Baronius ex Malmesburiensi, quia ejus tempore libri Novorum Eadmeri lucem non viderant. Sed cùm nunc eos Seldeni beneficio habeamus, ex iis summariè describemus, quæ ad rem nostram faciunt. Eadmerus itaque lib. 3. Novorum ait: *Anno dominicæ Incarnat. MCII, quarto autem Præsulatûs Paschalis summi Pontificis, III regni Henrici gloriosi Regis Anglorum, ipso annuente, celebratum est Concilium in Ecclesia B. Petri*, &c. *in quo præsedit Anselmus Archiepiscopus Dorobernensis, & Primas totius Britanniæ*, &c. *Huic conventui affuerunt, Anselmo Archiepiscopo petente à Rege, Primates regni: quatenus quidquid ejusdem Concilii auctoritate decerneretur, utriusque ordinis concordi cura & sollicitudine ratum servaretur.* In eo Concilio Abbates tres ibi nominati simonia notati depositi sunt, & aliqui alii propter alias causas ab Abbatiis remoti. Decretum etiam, *ut nullus Archidiaconus, Presbyter, Diaconus, Canonicus uxorem ducat, vel ductam retineat.* Præterea *ut Presbyter, quandiu illicitam conversationem mulieris habuerit, non sit legalis: nec Missam celebret, nec si celebraverit, ejus Missa audiatur.* Alia hujus Synodi Decreta Tom. X Concil. legenda. Porrò Concilium *sancti Michaelis festo* habitum fuisse notavit novus Chronographus Saxo.

V. *In eo de Clericorum cælibatu præcipuè actum.*

In horum Canonum promulgatione, Anselmus moram nexuit, donec ad incudem revocati essent, ut ipsemet in Epistola ad Willelmum Archidiaconum suum scripsit, ubi inter alia dicit: *De Archidiaconibus, & Canonicis, qui uxores suas dereliquerunt, extra domos suas in maneriis suis ponunt* (idest, villis suis) *existimo interim, donec aliud statuatur, tolerandum, si certam promissionem fecerint, se nullam conversationem cum illis habituros, nec sine legitimis testibus locuturos.* Simeon Dunelmensis in sua Historia de hoc Concilio loquens ait: *Presbyteris concubinæ interdictæ sunt. Unde plures eorum ostia Ecclesiarum obseraverunt, omittentes omnia Officia Ecclesiastica.* Adeo difficile fuit inveterato malo mederi. Sed quamcumque cautionem sanctus Anselmus adhibuerit, Henrici Regis iram avertere non potuit. Hic enim ubi Synodus celebrata fuit, jussit Anselmum manum Episcopis imponere, quos ille nuper per Investituram elegerat; quod tamen ab eo obtinere non potuit, quòd lite adhuc Romæ pendente, sine Ecclesiasticæ potestatis præjudicio fieri non posse arbitraretur.

VI. *Crucesignati in Oriente malè habiti.*

Anno MCII, inquit Chronographus Malleacensis, *Principes Christiani ceperunt civitatem Tortosam* (in Syria positam) *duodecimo Kalendas Maii, & apud Joppen iterum Rex* (nempe Hierosolymorum) *Balduinus impugnavit sexto Kalendas Junii, ubi devicti fuerunt, & apud Romam civitatem inclusi, & duodecim Consules* (idest, Comites) *capti cum aliis multis, & ipse Rex evasit. Postea recuperaverunt, & Dei adjutorio devicerunt infestissimam gentem inimicorum.* Sed antequam Tortosam sibi subjicerent, miserabili prælio victi fuêre, teste Fulcherio, qui in Oriente erat: *Cùm Francorum exercitus ingens*, inquit Fulcherius lib. 2. *Hierusalem tenderet, aderant in illa multitudine simul Willelmus Pictaviensium Comes, & Stephanus Comes Blesensis, qui ab Antiochia relicto exercitu discesserat.* Addit cum his etiam fuisse Hugonem Magnum, qui frater erat Philippi Francorum Regis & Veromanduorum Comes, Raimundum Comitem Provincialium, & Stephanum Burgundiæ Comitem, iisque in Romaniæ finibus obstitisse Solimanum Turcum, & exercitum Francorum confudisse, & totum ferè internecione delevisse. *Sed quia eos fatigatos, & fame & siti anxios, atque pugna sagittaria indoctos esse didicit, magis quam centum millia equitum atque peditum gladio peremit. De mulieribus nempe alias occidit, alias secum adduxit.* Comes Pictavensis perdidit quæcumque habebat, vixque mortis periculum evadens, pedes Antiochiam pervenit. Ex his, qui evaserunt, *Hugo Magnus* Tarsi defunctus est.

VII. *Grosulanus Ecclesiam Mediolanensem turbare incipit.*

Anselmum Archiepiscopum Mediolanensem anno superiori Constantinopoli mortuum esse, nonnisi hoc anno Mediolani nunciatum. Quod nuncium magnos tumultus in ea urbe excitavit, Grosulano, qui Ecclesiam illam regebat, in eam intruso, ut Landulfus Junior cap. 4. apud Puricellum fusè narrat. In antiquo Mediolanensium Episcoporum Catalogo de eo legitur: *Grosulanus hanc sedem annos IX, & menses IV perturbavit*, usque ad annum nempe MCXII. *Bernardus Abbas Umbrosæ vallis & Cardinalis Romanus Grosulano favit*, inquit Landulfus, qui cap. 6. apud Puricellum in Monument. Ambros. num. 294. de eodem Grosulano habet: *Quoscumque non potuit sibi blandiri*, (seu blandimentis conciliare) *tentavit minis terrere, Presbyterum Liprandum præcipuè.* Hunc pluribus Landulphus, qui nepos ejus erat, laudat, capiteque nono asserit Grosulanum Synodum Provincialem Mediolani indixisse, *ut ipsum Liprandum, ejusque affectatores ab ejusmodi proposito dimoveret.* Ambonem ascendit, & adversarios suos his verbis provocavit: *Si quis vult adversum me dicere aliquid, nunc dicat, quod si modo tacuerit, amplius adversum me audientiam non habebit. Hoc cùm Presbytero Liprando renunciatum fuit, & ipse principales cives ad Ecclesiam sancti Pauli vocavit in die, quibus dixit: Videtis me abscissum naso & auribus pro nomine Christi. Unde mihi magna*

retributio

retributio est promissa, si in finem perseveravero, &c. *Et cùm hac & plura benedicta, beneque sonantia, præsertim adversus simoniam dixisset, proposuit dicens: Grosulanus, qui pro Archiepiscopo tenetur, est simoniacus de Archiepiscopatu Mediolanensi per munus à manu, per munus à lingua, per munus ab obsequio. Et cùm hac in suo proposito procederet, sæpissime hortabatur omnes, ut convenirent ad veram cognitionem hujus propositi per divinum judicium* (nempe transitu per ignem) *approbatam* (subaudi cognitionem) *in vita vel morte sua* (dum scilicet per ignem transiret) *manifestata per ipsum. Sed Grosulani turba hoc perturbabat auctoritate Pontificum, qui Mediolani venerant ad celebrandum Synodum cum Grosulano. Verumtamen Presbyter ipse adversus Episcopos disputans, rationibus & exemplis suam sententiam sustinuit, nec dimisit. Grosulanus verò parùm pendens hujus Presbyteri verba, velut in præsentia ejus non essent prolata, Synodum suam in Ecclesia sancta Maria, qua dicitur Hyemalis, per duos dies tractavit.* Quæ postea contigerint, anno sequenti referemus. Erat Grosulanus caput simoniacorum in urbe Mediolanensi, Liptandus verò Presbyter sanctissimus, ut ex iis, quæ seculo superiori de eo diximus, perspicuum est. Grosulano tamen favebat S. Bernardus Abbas Umbrosæ vallis & Cardinalis Presbyter tituli S. Chrysogoni, cujus Vita à Scriptore Anonymo, forsàn coævo edita, Romæ anno MDCXII typis mandata fuit. Papebrocius tamen ad diem XXII mensis Maii in Vita Sancti Attonis pag. 196. dicit eam à Thesauro Veli ejusdem Congregationis Monacho, qui initio seculi XVII vixit, interpolatam fuisse.

VIII. *Moritur Wladislaus Polonia Dux.*

Hoc anno mortuus est *Wladislaus* hujus nominis primus Polonorum Dux, postquam viginti regnasset annos. Cumque de successione ejus inter *Boleslaum* & *Sbigneum* filios controversia orta esset, tandem convenit, ut æqualem uterq; partem acciperet. Sbigneus filius nothus erat Wladislai, & *Boleslaus* hujus nominis III *Crivonstus* cognominatus fuit. De utroque legendus Chromerus lib. 5. de Rebus Polonorum.

IX. *Richardus Albanensis Episc. Legatus in Francia.*

Legatus in Burgundiam & Franciam directus est Richardus Albanensis Episcopus, primò Sancti Stephani Metensis Ecclesia Decanus, inquit Hugo Flaviniacensis in Chron. Exeunte anno MCIV è Gallia discessit, ut ibidem dicemus.

X. *Letbertus fit Abbas Sancti Rufi.*

Eo Legatione fungente *Leodegarius* Episcopus Vivariensis in Septimania, *Ecclesiam Sancti Andeoli Fratribus sancti Rufi pro eleemosyna & religione* à se concessam passus est eis à Clericis suis auferri, uti refert Paschalis II in literis ad eum datis, quibus ei prohibet, ne Constitutiones hac de re ab eo factas, & à se confirmatas infringat & jubet, ut Clericos suos emendet, nisi suam Constitutionem integram ratamque custodiant. Præterea *R. Albanensis Episcopus* & Sedis Apostolicæ Legatus, nempe *Richardus*, mandat eidem Episcopo, ut eamdem concessionem factam *Ecclesia Sancti Rufi & domno L. loci ejusdem Abbati*, nempe Letberto, quam ut ipsemet scripto firmaret, petierat, inconvulsam teneri faciat, & qui eam perturbare præsumpserint, anathemati subjiciat. Utraque Epistola refertur à Jacobo Perito in Appendice ad Pœnitentiale Theodori Archiep. Cantuariensis pag. 505. & seq. Quare *Letbertus* prætermissus à San-Marthanis, & à Castruccio in Catalogo Abbatum Sancti Rufi, circa hujus seculi initium ad illius Abbatiæ Præfecturam evectus est. Peritus enim laudatus pag. 629. refert ex Chartario Ecclesiæ Sancti Rufi donationem à Leodegario Vivariensi Episcopo factam Ecclesiæ *Sancti Andeoli in loco, qui in Burgus dicitur*, quam donat *sub providentia Letberti Abbatis Sancti Rufi, & successorum ejus ibidem canonicè substituendorum*; sed numeri in ea corrupti; dicitur enim ea corroborata *anno dominica Incarnat. M:XVIII Kalend. Junii indictione tertia*, & tamen hæc indictio, neque in annum MCXVIII, neque in annum MCVIII, ut errorem illum emendant San-Marthani in Episcopis Vivariensibus, competit. Certè hæc Donatio ante annum MCVIII à Leodegario facta; cùm currenti circiter anno *Richardus* Legatus in Francia eam confirmavit, uti suprà diximus.

XI. *Est Auctor libri de floribus Psalmorum.*

Composuit Letbertus librum *de Floribus Psalmorum*, quem Oudinus in Supplement. de script. Eccles. testatur se vidisse MS. tribus voluminibus in fol. in Biblioth. Branensi Ordinis Præmonstratensis in tractu Suessionico, quem ait esse *insignem & prolixum in Psalmos omnes Davidis Commentarium*. Præterea Mabillonius Tom. I. Analect. pag. 289. è tenebris eruit Epistolam Galteri Episcopi Magalonensis *ad Robertum Præpositum Insulanum* datam, in qua Galterus ait, Hescelinum Insulæ in Flandria Canonicum diligenter inquisisse *de Floribus Psalmorum, quos à sancta memoria Letberto, olim Canonico vestro, postmodum Sancti Rufi Abbate audierat exceptos, & in unum collectos*. Addit Galterus Hescelinum *totum aut partem illius operis* à se petiisse, seque illud *tota* Insulanæ *Ecclesia* mittere. Galterus autem anno MCVIII Magalonensis Ecclesiæ Episcopus dictus, annoque MCXXIX vita functus.

XII. *Liber ille malè Galtero adscriptus*

Trithemius in lib. de Script. Eccles. in voce *Galterus*, plures Scriptores in errorem induxit; ait enim: *Scripsit ad petitionem Præpositi & Clericorum Insulensis Ecclesia super Psalterio lib.* I. Et tamen ex Galteri Epistola laudata, de qua Trithemius loquitur, constat eum librum *de Floribus Psalmorum* inscriptum, ex Expositionibus Augustini, Cassiodori, & aliorum Ecclesiæ doctorum à Letberto compositum, Galterum misisse ad Robertum Præpositum Insulanum, aliosque ejusdem Ecclesiæ Canonicos, non verò Opus aliquod *de Floribus Psalmorum* à se ipso editum. Hunc Trithemii lapsum cùm San-Marthani non animadvertissent, in Episcopis Magalonensibus unum Galterum in duos divisêre quorum alter Magalonensis Ecclesiæ Episcopus fuerit, alter verò Insulensis Ecclesiæ Canonicus & Auctor Commentariorum in Psalmos, *de quo* inquiunt, *Joannes Trithemius.*

XIII. *Galterus Poeta cum Galtero Episc Magalona malè confusus.*

Horum errorum fons & origo *Henricus de Gandavo* in lib. de script. Ecclesiasticis, qui de Galtero scripsit: *Walterus, Insulis, oppido Flandria oriundus, Magalonensis Episcopus exposuit Psalterium limato sermone, ad petitionem Præpositi & Clericorum insulensis Ecclesia.* Nam hæc verba cùm legisset Trithemius Walterum seu Galterum inter Scriptores Ecclesiasticos reposuit. Cùm verò illis ista subjecerit Henricus de Gandavo: *Walterus dictus de Castellione, Insulis oriundus (unde est illud monostichum, Insula me genuit, rapuit Castellio nomen) scripsit gesta Alexandri Magni eleganti metro. Qui liber in scholis Grammaticorum tanta dignitatis est hodie* (post medium scilicet seculum XIII, quo Henricus de

de Gandavo floruit), *ut præ ipso veterum Poetarum lectio negligatur*; Valesius Andreas in Biblioth. Belgica, & Miræus in Notis ad Henricum Gandavensem pag. 165. ex illis intulêre, *Henricum Gandavensem* unicum Galterum, qui circa annum MCCLV floruerit, in duos dispertitum esse. At accuratè Henricus de Gandavo utrumque *Galterum* distinxit, certumque est, Poëtam ante annum millesimum ducentesimum secundum Opus suum heroicum publicasse; cùm illud dicarit *Willelmo II*, ex Archiepiscopatu Senonensi ad Remensem translato anno MCLXXVI, ac postea Cardinali creato. De isto Willelmo, filio Theobaldi hujus nominis III Campaniæ Comitis pluribus agit Marlotus in Metropoli Remensi, docetque ejus mortem contigisse anno millesimo ducentesimo secundo, & eo Ecclesiam Remensem regente *Galterum* Vitam Alexandri Magni decem libris constantem, (quot sunt litteræ in vocabulo, *Guillermus*, non verò *Willelmus*, ut perperam Marlotus) ei consecrasse, ita ut quilibet Poëmatis liber ab unaquaque incipiat. Addit Marlotus illud adhuc M S. in Bibliotheca Remensi asservari. Verùm seculo elapso ter impressi sunt *libri decem Alexandreidos, sive de Gestis Alexandri Magni* sub nomine Philippi Gualteri Castellionensis, quorum antiquissimum manuscriptum Bulæus Tom. II Hist. Universitat. Parisiensis pag. 740. ita inscriptum se se legisse testatur. Vidi tertiam editionem *Philippi Gualteri Poetæ Alexandreidos* libros decem continentem Lugduni anno MDLVIII cusatam, in Bibliotheca Ill^mi. Domini de Mazaugues, pulchris characteribus, pro ut ferebant illa tempora impressam. Nuper Lugduni Batavorum prodiit Collectio veterum aliquot Scriptorum in qua extat *Gualteri Castellionensis disputatio adversus Judæos* hactenus inedita. Hæc fusiùs discussa, quia hactenus non satis cognita. *Letberto* successit in Abbatiam S. Rufi Beatus *Oldegarius* Prior Monasterii Barcinonensis Sancti Adriani, idque anno MCVIII, ut habet Diagus in Hist. Comitum Barcinonensium lib. 2. cap. 85. De *Oldegario* sæpe mentio infrà occurret.

Anno Eræ Hispan. MCXLI. Anno Hegiræ CCCCXCVII. inchoato die 5. Octob. fer. 2.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6596.

☉ 20. D. ☽ 2. P. 29. Mart. Indict. 11.

JESU CHRISTI 1103.

PASCHALIS II PAPÆ 5.

HENRICI IV. REG. 48. IMP. 20.

ALEXII COMNENI IMP. 23.

I.
S. Otto ordinatur Episc. Bambergensis.

ANum. I. ad V. Canisius Tom. II Antiq. Lect. refert Vitam S. Ottonis Episcopi Bambergensis ab Auctore Anonymo scriptam, qui in Præfatione dicit se narrare, quæ probatissimi Viri *ab ipso gesta oculis sui viderunt*. Lib. 1. cap. 1. ait: ex Suevia duxit originem, *& percursis aliquibus Poetis & Philosophis, & Grammatica, metrorumque regulis tenaci memoria commendatis*, &c. *in Poloniam peregrè vadens, ubi sciebat literatorum esse penuriam, scholam puerorum accepit*, &c. *Ob ea igitur studia omnibus gratus*, &c. *Legationibus etiam & responsis, inter magnas personas differendis adprimè aptus erat.* Anno superiori renunciatus est Episcopus Bambergensis ab Henrico Imperatore, ut ibidem ex Urspergensi in Chron. Baronius num. XIV narrat, qui & currenti ex laudato Auctore ejus Vitæ ostendit, eum die Pentecostes à Paschali II consecratum fuisse Bambergensem Episcopum. Fuit is postea Apostolus Pomeranorum, ut suo loco videbimus.

II.
Dissidium inter Henricum Regem & S. Anselmum de Investituris.

A num. V ad XI. Acerrimè in Anglia de Jure Investiturarum disputatum. Rem gestam referam ex Eadmero lib. 3. Novorum, qui ait Henricum Regem Cantuariam venisse cum Anselmo ea de re acturum. Qui videns Anselmi constantiam in juribus Ecclesiæ conservandis, *hac inter voce summissa Rex Antistiti mandat, & multis precibus obsecrat: quatenus ipse per se Romam iret: & quod alii nequiverant, suâ sibi industriâ conetur adquirere; ne ipsi perdendo suorum jura Antecessorum, et vilior fiat. Sensit Pater quò hæc vergerent, & respondit: Differantur hæc, si placet, usque in Pascha, ut audito Episcoporum, regnique Primatum Consilio, qui modo non adsunt, respondeam hinc* Noluit Anselmus in re gravissima, aut arbitrio suo, aut turbatæ Regis menti concedere, & in Paschate in Curiam venit. *Communis consilii vocem unam accepit: æquum scilicet fore illum tantæ rei gratiâ, viæ laborem debere non subterfugere.* Finitis itaque Paschalibus festis Angliam reliquit, & *V Kalend. Maii* navem conscendit.

III.
Quidam Angliæ Episcopi animum Regis exasperant.

Tres Episcopi, qui nuper Romæ Regis causam egerant, reduces retulerant, *Paschalem* Papam vivæ vocis oraculo aliud Regi indulsisse, quàm literæ à Monachis allatæ testarentur; & horum Præsulum auctoritate, suffragioque Rex in vendicando Investiturarum jure pertinacior fuerat. Sed Anselmi constantia fecerat, ut rursum novi Oratores in Urbem pergerent, relaturi certius, an Monachorum literis, an verò Episcoporum testimonio standum esset. Indignè tulit Romanus Pontifex, in dubium vocari; an unum Monachis, aliud Episcopis, mandatum Regi perferendum dederit; & anathematis sententiam in Episcopos fulminavit. Recitat Eadmerus literas ea de re à Paschali II ad S. Anselmum datas, in quibus inter alia scribit: *Dolemus, quia confratres nostros Episcopos, Legatos Regis Anglorum benignè suscepissemus: quæ nec diximus eis, nec cogitavimus; redeuntes ad propria retulerunt. Audivimus enim eos dixisse: Quia si Rex in aliis benè ageret, nos Investituras Ecclesiarum, nec prohibere, nec factas excommunicare. Et quod ideo nolebamus charta committere; ne sub hac occasione & ceteri Principes in nos inclamarent. Unde Jesum, qui renes & corda scrutatur, in animam nostram testem inducimus: si ex quo hujus Sanctæ Sedis curam capimus gerere; hoc immane scelus, vel descendit in mentem; & hoc à nobis Deus avertat, ut est: & non surrependo inficiat nos, ut aliud habeamus ore promptum, aliud corde reconditum.*

IV.
Paschalis II investituras damnat.

Anselmus Romam perveniens *Guillelmum* Henrici Regis Legatum invenit. Ubi ergo adventus ejus summæ Sedis Antistiti nunciatus, illum deprecatus est, quatenus diem illum atque sequentem à fatigatione sui apud S. Petrum quietos duceret. *Dein Papa præsentatus, honorificè suscipitur: ac pro ejus adventu, ipse, & quæ confluxerat Romana Curia, vehementer se lætari fatetur*, &c. *Adest & Willelmus Legationi aqua fungebatur, toto studio curam impendens*, &c. *Exponit etiam statum regni, Regiamque in Romanos munificentiam · unde ampliori quadam & Digniori*

gniori præ ceteris sublimitate, ex Apostolica largitione Regis Anglorum probat antiquitus usos: eaque re non solum molestum & indecens fore, hunc suorum Antecessorum jura perdere. Verum etiam sicut se certò cognovisse ferebat, magno hoc ipsum Romanis damno futurum, si contingeret. Et dum fortè locum recuperandi inventuri non essent; ubi ais serò lugendum, &c. ipse nihilominus Pontificum Pastor, cùm ad cuncta sileret: & quid quisque diceret, prudenti consideratione examinaret; æstimans Willelmus, jam jam illum pro favore Romanorum in se, nihil eorum quæ quærebat, sibi negaturum, erupit, & ait: Quidquid hinc inde dicatur: volo norint, quicumque assistant, Dominum meum Regem Anglorum, nec pro amissione regni sui passurum se perdere Investituras Ecclesiarum. Tunc vir Apostolicus paucis hæc verba locutus est. Si quemadmodum dicis: Rex tuus, nec pro regni amissione patietur Ecclesiarum donationes amittere: sciat ecce, coram Deo dico, quia nec pro redemptione sui capitis eas illi aliquando Paschalis Papa impunè permittet habere. Quod auditum oppidè conturbavit Willelmum.

V. S. Anselmus Romà redux Lugduni residet.

Paulò pòst: Itaque Romanorum consilio, Papa nonnullos paternos usus interdictis omnino Ecclesiarum Investituris, Regi concessit: eumque ab excommunicatione quam Antecessorem suum fecisse superiùs diximus, immunem ad tempus constituit: iis dumtaxat, qui a manu ipsius Investituras susceperant, vel deinceps susciperent usque ad dignam satisfactionem pro servanda Ecclesiasticæ rigoris disciplina, sub excommunicationis catena retentis. Paucis interpositis: Nobis itaque Romà discedentibus Willelmus remansit, asserens se, se voto constrinxisse, Beatum Nicolaum adire. Re autem vera, Romæ moraturus: & si posset; Anselmo absente, quod eo præsente nequiverat, Antistitem a data sententia traducturus. Quod quia nequaquam facere potuit: persuasorias literas Regi deferendas, ne nil videretur egisse, a Papa obtinuit. Eas recitat Baronius num. VIII & seq. dataeque sunt Laterani nono Kalendas Decemb. Pervenit Anselmus Lugdunum paulo ante Nativitatem Dominicam, ubi prætatus Willelmus Regis nomine hæc ei significavit: Dicit (nempe Rex) quia si sic ad eum redieris, ut talem se illi per omnia facias, quales Antecessoribus suis, Antecessores tui se fecisse noscuntur: tunc libenti animo tuum in Angliam reditum volet & amplectetur. Videns Anselmus quo hæc tenderent, literis ad Henricum Regem datis, gesti negotii summam, & quid ex Willelmo ejus nomine accepisset, narravit, Lugdunique remansit, Regis responsum præstolatus. Summo cum honore ab Hugone Lugdunensi Archiepiscopo susceptus fuit, ibique ut Dominus loci ab omnibus habitus, inquit Eadmerus, qui postea Anselmi ad Regem literas refert. Fusius hæc exponit Alfordus in Annal. Angliæ, qui legerat libros Novorum ab Eadmero elucubratos, quos Baronius non vidit.

VI. Liprandus ignis examine Grosulanum esse simoniacum probare offert.

Episcopis anno superiori in Concilio Mediolani habito adhuc coactis, Liprandus obtulit probare ignis examine Grosulanum Archiepiscopum Mediolanensem simoniacum esse, quo in proposito cum persisteret, factum illud judicium antequam ii à Concilio digrederentur, & quidem currenti anno, ut docet Galvaneus Flamma in magno suo Chronico cap. 250. apud Puricellum in Monum. Basilic. Ambrosianæ num. CCLV: In millesimo centesimo tertio secundum Chronicam Gothofredi de Busseto (Opus illud periit) judicium ignis Presbyteri Aliprandi Ecclesiæ S. Pauli in Compito, & tunc Crysolaus (idest, Grosulanus) Archiepiscopus depositus fuit tanquam Simoniacus, de Archiepiscopatu. Idem legitur in Chronico MS. cui titulus, Flos florum fol. 136. Puricellus his contradicit; sed is in Monumentis Basilicæ Ambrosianæ varia errata chronologica admisit, quæ in suo ultimo Opere de SS. Arialdo & Herlembaldo postea correxit. Quomodo res se habuerit, narrat Landulphus Junior cap. 10. apud Puricellum lib. 4. de SS. Arialdo & Herlemb. cap. 88. & in Monum. Ambrof. num. XXIX: Attamen Grosulani turba dimicans adversus Primicerium Landulphum, ejusdem Primicerii Clericum lapide occidit; deinde quasi in consensu totius civitatis dictum fuit Presbytero (sc. Liprando) ut ad faciendum judicium multa ligna congregaret in prato, quod clauditur in muro (idest muro) juxta S. Ambrosii Monasterium. Et Presbyter ipse plenus magno spiritu annonam & vinum, quæ ad edendum habebat, pauperibus erogavit. suamque lupi tunicam pelliceam (idest pellitam vestem) pro lignis pignoravit; cetera vero quæ possidebat in libris, statuit ut conservarentur Landulpho nepoti suo & alumno, (Landulphus hujus narrationis Auctor de semetipso loquitur) qui tunc temporis ducebat Aurelianis (ex quo scholæ Aurelianensis antiquitas probari potest) ab egregio Magistro Alfredo & nobili Jacobo. Statuit etiam, si contigerit illum mori in illo judicio, si quid corporis ejus residuum fuerit, portaretur ad Ecclesiam Sanctæ Trinitatis, &c.

VII. Se ad illud prævio jejunio parat.

Et cùm ipse facturus esset judicium, manus Grosulani prævaluit, & ipsa ligna in Prato dispositi dispersit, ipsum Presbyterum separavit ab illa dispositione ignominiosè. Deinde in domo sua & S. Pauli Ecclesia Presbyter ipse siluit & quievit, donec pueri & puellæ, mares & fœminæ in proximo tempore clamaverunt; Feras, Grosulane, hunc clamorem Grosulanus cupiens compescere habuit consilium cum fidelibus suis, quibus dixit; Ite & vos, & publicè eligite viros e Populo, qui dicant illi Liprando, ut aut ad satisfactionem meam veniat, aut de terra ista exeat, aut judicium quod se facturum promisit, faciat. Consiliarii itaque de latere ejus venientes ad concionem populi in vespertina hora Dominica diei de Ramis Palmarum seu Olivarum (qui hoc anno in diem XXII Martii incidit) publicaverunt, quæ audierant à Domino suo Archiepiscopo Grosulano. Quapropter non solum viri in concione electi venerunt ad Presbyterum hanc legationem dicere; sed innumera hominum multitudo venit hanc Legationem confirmare. Ad quorum clamorem clamantem venit Presbyter ipse Liprandus; ipse humilis exivit, & ut Legationem audivit, & intellexit, manus ad cœlos levavit, & Deo gratias egit, & interrogando Legatos, inquit: Vult & mandat ipse quod mihi dicit? qui omnes respondentes dixerant; Utique vult & mandat. Et Presbyter ad eos; Terram non exeo, sed in istis duobus diebus, (feria II & III) jejunium ago, & in quarta feria faciam judicium præstante Deo, sed unde ligna emam, non habeo.

VIII. Pergit ad locum ubi examen faciendum erat.

Tunc Grosulani & Respublicæ ministri quercina ligna ad flammam & ad calorem aptissima frigata solidis denariorum emerunt, quæ in campo ante atrium S. Ambrosii in duabus congeriebus respicientibus se composuerunt. Longitudo quarum decem cubitorum fuit, & latitudo & altitudo minor

statura hominis cubitorum quatuor; via verò inter ipsas congeries unius cubiti & semis. Iis ita dispositis, & quibusdam lignis in via interpositis, in quarta feria (die sc. XXV mensis Martii) Presbyter indutus cilicio, camisio atque casula more Sacerdotis, ab Ecclesia S. Pauli usque ad Ecclesiam SS. martyrum Protasii & Gervasii, & beatissimi Ambrosii nudis pedibus Crucem portavit. Super quorum Sanctorum Altare, & ceteris Sacerdotibus deficientibus ipse sibi Missam cantavit (ante examen ignis id observabatur, & tamen Liprandus non habuit Sacerdotem, qui Missam caneret). Missâ cantatâ Grosulanus quoque gerendo Crucem eamdem Ecclesiam intravit, & pulpitum cum Arialdo de Meregnane & Berarde Judice Astensi (qui præcipui Grosulani sectatores erant) ascendit. Et facto silentio in populo, & Presbytero (nempe Liprando) stante nudis pedibus super lapidem marmoreum, qui in introitu chori continet Herculis simulachrum (de qua statua aliàs ad S. Ambrosium posita fusè & doctè differit Puricellus in Monum. Basil. Ambros. num. CCXCVI), idem Grosulanus ait ad populum:

IX. Grosulanus conatur eum à proposito avertere. Attendite, quia in tribus verbis hunc hominem vincam, & ejus confusionem ostendam, & ad Presbyterum inquit; Proposuisti quod ego sum simoniacus per munus à manu, modo dic, cui dedi? Tunc Presbyter super populum Oculos aperuit, & ad tres illos, qui stabant in pulpito extendit dicens; Videte tres grandissimos diabolos, qui per ingenium & pecuniam suam putant me confundere. Et nonne diabolus ille, qui suasit illum fieri simoniacum per pecuniam, suadere potest, at adhuc majorem pecuniam daret, & veritatem occultaret, & testes, & judices mundanos mihi auferret? Et nonne scitis, quia propter vitandam astutiam diaboli, & pravorum hominum, ego elegi Deum judicem, qui neque per pecuniam, nec aliquo modo potest falli judicio? Ad cujus judicium, si vultis venire, paratus sum quod promisi facere. Et Grosulanus ad eum; Modo dic de qua simonia dicis? & Presbyter ad illum: Modo dic in qua est bona, & aliquantulum Grosulanus subsiluit & ait; Est simonia, qua simoniacum non deponit. Et Presbyter ait; Ego dico de illa, qua deponit Abbatem de Abbatia, Episcopum de Episcopatu, Archiepiscopum de Archiepiscopatu in quo est. Et cùm his verbis satisfecisset omnibus, audivit populum clamantem; Exite foras ad judicium, Exite foras ad judicium. Et Presbyter in hoc multiplicato clamore, licet senex, desuper lapide continente Herculis simulachrum prosiliuit, & unà cum populo in campo, in quo erat lignorum congeries, venit; ibique, cum ignis lignis accendebatur, Presbyter circumstantibus dixit; Vos præter me non cernitis Sacerdotem, qui mihi ignem benedicat (secundùm morem in examine per ignem facto), sed cernitis chartam hanc, quam teneo, in qua sancta verba & signa Sanctæ Crucis continentur. Et ego minister hæc verba & signa inferius dicam & faciam, & Deus, qui est Dominus meus, desuper ignem benedicat; audientes & bene intelligentes, Amen.

X. Liprandus per ignem illæsus transiit. Atque cùm in circuitu ignis hæc verba dixisset, & signa fecisset, & aquam benedictam & incensum super ignem, astante ibi Grosulano, aspersisset, dubitabat de ordinando sacramento apud Grosulanum, & Arialdum de Meregnane, qui erat quasi potentissimus princeps Grosulani, & quasi procurator judicii, & expectans Presbyterum per ignem in morte finiri, vel per nimium terrorem ad Dominum suum Grosulanum converti. Ipse namque (sc. Grosulanus) Berarde Judici Astensi hanc legem non solum per mortem (sc. Liprandi operâ ignis), sed per quam libet ignitam læsuram in Presbytero factam condemnanti dixerat; Absit quod læsura (idest, una sufficiat), sed ignem adeo magnificabo, quod procul oculos ignis de capite ejus eruet, & in ipso igne ardens ignis putrescet. Attamen Presbyter cum vidisset eos de ordinando sacramento (seu jurejurando) dubitare, dixit ad eos; Sinite me quod ego bene ordinabo, nec finiam sacramentum, donec dixero tantum, quantum vobis satisfierit. Et illicò in consensu eorum apprehendit cappam Grosulani, ipsamque cassavit dicens; Iste Grosulanus, qui est sub ista cappa, & non de alio dico, est simoniacus de Archiepiscopatu Mediolani per munus à manu, per munus à lingua, per munus ab obsequio. Et cùm illis videbatur sufficere, addidit; Et ego ad fiduciam maleficii, aut incantationis, vel carminis non intro hoc judicium, sic Deus me adjuvet, & ista Sancta Evangelia in isto sancto judicio. Facto hoc sacramento Grosulanus concorditer equum ascendit, & ad Ecclesiam S. Joannis, quæ dicitur ad Concham, venit. Arialdus verò prædictus de Meregnane, inquirens, & expectans plenitudinem ignis, Presbyterum tenuit. Et tenendo manum suam læsam procul ab ipso calore ignis sensit; & tamen ad Presbyterum inquit; Presbyter Liprande, vide mortem tuam in igne, convertere ad Dominum meum Archiepiscopum, habita securitate vita tua. alioquin vade, & arde te cum Dei maledictione. Et Presbyter ad illum, Satana retro vade. Illo retrocedente Presbyter prostratus à terra levavit, & signo Crucis sibi apposito ingens flamma ignis in meridiem & septentrionem se divisit: & via apparuit, quam Presbyter intravit, & transiens per ipsos carbones ignis, ceu arenam calcaret, sensit: & dum per ipsam viam transibat, flamma post ipsum coibat. Et, ut ipse (sc. Liprandus) mihi (sc. Landulpho) dixit, & bene intellexi, donec in via hujus ignis fuit, hanc orationem Deo protulit; Deus in nomine tuo salvum me fac; & in virtute tua libera me. Et dum tertiò proferret hoc verbum, Fac, se extra ignem vidit, nec in suis Sacerdotalibus vestibus lineis aut sericis, quibus erat indutus, sive in cilicio læsionem ullam sensit.

XI. Grosulanus Mediolanum relinquit. Initio capitis 11. idem Landulphus Junior apud Puricellum loco laudato, ait: Tunc populus plenè quasi ex uno ore laudem Deo, & huic Presbytero extra & infra civitatem contulit. Grosulanus verò intrepidus (idest, populum non timens) sedem Archiepiscopatus deseruit, & civitatem, quæ apertè Communis civitatis conjuratione erat, quod timeret eorum (Grosulano & Liprando), nec alicui de parte illorum pro hac actione malum fieret, nisi quod Dominus sibi faceret. Sicut itaque Petrus igneus sedente Alexandro Papa II transivit per rogum ardentem, quando Petrum Florentinæ civitatis Episcopum accusavit; ita Paschalis II tempore Liprandus, qui Grosulanum Archiep. Mediolanensem accusarat, per flammas transivit illæsus. Cum verò Grosulanus Mediolanum reliquisset, capitulum Canonicorum Ecclesiæ Metropolitanæ regiminis spiritualis possessionem adiit, quasi verè Sedes vacaret, & per annos duos, ut infrà videbimus, administravit.

ANNO

SÆC. XII. An. C. 1104. Anno Eræ Hispan. MCXLII. Anno Hegira ccccxcviii inchoato die 23 Septemb. fer. 6.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6597.

☉ 21. C B. ☽ 3. P. 17. April. Indict. 12.

JESU CHRISTI 1104.

PASCHALIS II PAPÆ 6.

HENRICI IV REG. 49. IMP. 21.

ALEXII COMNENI IMP. 24.

I. *Galo à Legatione Polonica redux.*

AD num. I. Legatio *Galonis* Episcopi Bellovacensis Electi, & quidem anno millesimo centesimo, quam Baronius hoc anno collocat, revocanda ad annum MCII; anno enim MCIII Romam rediit, Legationis suæ rationem Paschali II redditurus. Quantum laboraverit Ivo Carnotensis, ut Galo vir doctus & pius Episcopatus Bellovacensis possessionem adire posset, pluribus narrat Baronius anno MCI & seqq. Quare hic tantum Legatio ejus Polonica, ad corrigenda, quæ correctione digna videbantur Decreta, suo anno reddenda. Profectò ea ad præsentem annum pertinere non potest, cùm tunc *Galo* è Polonia Romam reversus sit, & eodem hoc anno Episcopus Parisiensis electus. Baronius enim num. III & seq. refert Epistolam Ivonis ad Paschalem Papam, quæ novo ordine est CXLIV, qua ei significat *tertio Kalend. Augusti* Episcopos convenisse ad Balgenciacum, eique suggerit, *ut Domnum Galonem Coepiscopum nostrum, de Belvacensi Episcopatu, quem propter sacramentum Domini Ludovici habere non potest, per manum Senonensis Archiepiscopi transferri jubeatis in Parisiensem Episcopatum, quem ei gratanter & devotè concedunt pro vestro amore Rex & Regis filius*, scilicet Ludovicus, qui cum patre regnabat. Galonem antea consecratum esse Episcopum Bellovacensem, testatur idem Ivo Epist. CXLV & CXLVI juxta novum ordinem. Ineunte verò mense Decembri currentis anni jam translatum fuisse ad Episcopatum Parisiensem, mox certò patebit. Errarunt itaque, qui ejus Episcopatum Parisiensem in annum sequentem distulêre.

II. *Philippus Francorum Rex absolvitur excommunicatione.*

A num. II ad V. Blondellus in Diatriba de Formula *Regnante Christo*, paragrapho X, & ex eo San-Marthani in Genealogia Francica lib. XII cap. V existimarunt, *Philippum* Francorum Regem anno MCII excommunicatione solutum fuisse, innixi Epistolâ Ivonis ad Richardum Sedis Apostolicæ Vicarium, quæ novo ordine est CXLI, in qua Ivo vocatus ad Concilium Trecense ubi Philippus Rex absolutionem ab excommunicatione impetrare debebat, ait: *Ad Concilium denominatum gratanter ire desidero, sed contra voluntatem Regis, cujus odium jam* PER DECENNIUM *tolero, qua via, quo conductu, vel circuitu, Trecas venire valeam, non invenio.* Putavit enim Blondellus anno MXCII Ivonem è gratia ejusdem Regis excidisse. Verum præterquamquod id anno MXCI contigit, ut ibidem demonstravimus, Ivo annos illos decem repetit ab anno MXCIV, quo Rex magis in eum exarsit, ut eo anno ostendimus. Quare Baronius hanc absolutionem accuratè cum præsenti anno illigat, licet falso fretus principio, quod scilicet Ivo anno tantum MXCIV in Philippi Regis odium incidere cœperit. Sed Baronii, Blondellique tempore documenta, quæ nunc habemus, adhuc in tenebris latebant.

SÆC. XII. An. C. 1104.

III. *Conventus ea de re Balgenciaci habitus.*

Currenti itaque anno Richardus Albanensis Episcopus Paschalis II Papæ legatus, *ad faciendam Regis absolutionem in Franciam missus*, efflagitatu Ivonis, qui alibi quàm Senonis eam fieri desiderabat, nec Trecas ire audebat, Balgentiaci (quod lambit Liger oppidum decimo ab Aurelia milliario distans, Conventibus Episcoporum & Principum aliis temporibus nobile) die XXX Julii Concilium congregavit, in quo Rex & *Bertrada carnalem copulam, imò mutuam collocutionem abjurare usque ad Papæ dispensationem, paratos esse se protestantur.* Sed re infecta Concilium (Rege se malè esse tractatum clamitante) solutum est. Rex per se & per Ivonem ac Coepiscopos dispensationem probantes, ad Paschalis Papæ *aures pulsat*, causamque suam temperari rogat, ut videre est in laudata Ivonis Epistola à Baronio relata.

IV. *Litteræ Paschalis II de ea absolutione Episc. Galliæ datæ.*

Post hæc Paschalis Papa scripsit *Archiepiscopis & Episcopis per Remensem, Senonensem, ac Turonensem provincias* constitutis, & de causa Philippi Regis & Bertradæ illis hæc significavit: *Quam nimirum causam fratri nostro Richardo Albanensi Episcopo reminiscimini à nobis fuisse commissam. Si ergo idem frater Franciæ jam fines egressus est, nos eamdem causam, aspirante domino, unà vobiscum peragendam venerabili fratri* LAMBERTO *Attrebatensi Episcopo committimus. Convenientibus itaque vobis in unum, si communis filius Francorum Rex, & illa ejus lateralis, tactis Sacrosanctis Evangeliis omnis carnalis copulæ consuetudinem abjuraverint, mutuum quoque colloquium & contubernium nisi sub testimonio personarum minimè suspectarum, nunquam videlicet ad idem flagitium redituri, sicut quorundam vestrûm literis significatum est, satisfactionem eorum vice nostra vobiscum Attrebatensis Episcopus suscipiat, & à vinculo excommunicationis absolvat, quatenus largiente domino & filium Ecclesia, & Regem sibi Francia reconciliatum Episcopali ministerio gratuletur. Datum Laterani per manum Joannis III. Nonas Octobris.*

Iuramentum Philippi Regis Francorum.

V. *Iuramentum Philippi Regis & Bertradæ.*

Audiat tu, LAMBERTE *Attrebatensis Episcope, qui hic Apostolica vice fungeris. Audiant Archiepiscopi, & præsentes Episcopi, quod ego* PHILIPPUS *Rex Francorum peccatum & consuetudinem carnalis & illicitæ copulæ, quam hactenus cum Bertrada exercui, ulterius non exercebo, sed peccatum istud & flagitium, penitus & sine omni retractatione abjuro. Cum eadem quoque fœmina mutuum colloquium & contubernium, nisi sub testimonio personarum minimè suspectarum, non habebo; hæc omnia sicut literæ Papæ dicunt, & vos intelligitis, sine omni malo ingenio observabo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sacro-sancta Jesu Christi Evangelia. Similiter & Bertrada cum excommunicationis vinculo solveretur, tactis Sacro-Sanctis evangeliis in persona sua hoc idem juravit sacramentum. Actum Parisius in præsentia domini Daimberti Senonensis, & Radulfi Turonensis Archiepiscoporum; domini quoque Ivonis Carnotensis Episcopi, Humbaldi Autisiodorensis Episc. Joannis Aurelianensis Episc. Gualonis Parisiensis Episc.* & trium aliorum Episcoporum ibidem nominatorum, ac trium Abbatum etiam designatorum, *Archidiaconorum etiam quamplurium; & honerabilium Clericorum, & laicorum non parva multitudine ibi consistentium. Taliter*

SÆC. XII. An. C. 1104. *itaque ex Apostolica Sedis Auctoritate reincorporatus est Philippus Rex Francorum Sancta Catholica Ecclesia matri sua IV Nonas Decemb. Indict. XIII. Anno autem Dei Christi MCIV, Pontificante verò in Sede Romana Domno Paschali Papa II anno sexto.* Hæc Dacherius Tom. III Spicilegii ex MS. Corbeiensi, & ex eo Labbeus Tom. X Concil. pag. 658. & seq. Porrò Richardum S. Sedis Legatum ante diem secundam mensis Decembris Galliam reliquisse demonstrat absolutio Regis à Lamberto Episc. peracta, quam ei Paschalis II commiserat, si Richardus jam è Gallia exiisset.

VI. *In Concilio Parisiensi factum.* Acta hæc esse hoc anno in Concilio Parisiensi *IV Nonas Decemb.* docet aliud MS. Igniacense, quod ex Sirmondo exhibet Labbeus ibid. pag. 742. sed is animum non advertens ad errorem Anonymi, qui pro MCIV scripsit MCV, Concilium illud in annum illum differt, quamvis in eo Codice alia non narrentur, quàm quæ hoc anno gesta, & quidem eodem die ac mense. Refert iste Anonymus literas Philippi Regis ad Lambertum Attrebatensem Episc. cui mandat, & precatur, *quatenus in crastino festivitatis Sancti Andrea ad hoc negotium pracipuè tibi commissum adsis cum Archiepiscopis & Episcopis nostris, qui ibi aderunt, tum ex pracepto Papa, tum ex fide, quam mihi debes, commonitus.* Paruit Regi Lambertus, ut vidimus, & quod factum fuit, Paschali II literis significavit ibidem recitatis, quarum initium: *Convenientes Parisius ex vestra Auctoritate Archiepiscopi*, & Episcopi à priori Anonymo nominati, quemadmodum & Abbates. Subdit Lambertus: *Advenit Rex satis devotè, multumque humiliter, nudis pedibus, peccato renuncians, & excommunicationem emendans, & sic ex vestra auctoritate absolutionem suscipere meruit.* Postea juramentum integrum suprà à nobis descriptum refert, Epistolamque his verbis concludit: *Actum Parisius anno Dei Christi MCV, IV Nonas Decemb. anno Pontificatûs Paschalis Papa II quinto.* Ubi Anonymus tam in anno Christi, quàm in anno Pontificatûs Paschalis II peccat. Nam eum rem hoc anno gestam, eamdemque quàm alter Anonymus narrare, certum & indubitatum esse debet, ideoque in altera Conciliorum editione error iste corrigendus erit.

VII. *Filii Philippi Regis ex Bertrada spurii fuere.* Blondellus citatus contendit, matrimonium *Philippi* Regis cum *Bertrada* validum fuisse, & Paschalem II postulatam ab Ivone, & aliis Galliæ Episcopis dispensationem, ut illud contrahi posset, largitum esse. Verùm non solum Juramentum mox recitatum; sed etiam consensus & testimonium Historicorum coævorum, aliorumque huic tempori proximorum opinionem illam planè evertunt. Referam hîc tantum verba Sugerii in lib. de Vita Ludovici Grossi, Philippi Regis filii ac successoris, qui de eo cap. 1. scribit: *Famosus juvenis unicus patri erat de nobilissima conjuge Roberti Flandrensis Comitis sorore. Qui enim duo supererant* PHILIPPUS *&* FLORUS, *de superducta Andegavensi Comitissa Bertrada geniti erant, nec illorum appreciabatur successionem, si unus cum primum decedere quocumque infortunio contingeret.* Paschalem verò dispensationem ratione affinitatis Bertradæ cum Rege ab Ivone & aliis quibusdam Episcopis petitam concedere noluisse, ex laudatis ejus verbis certò intelligimus. Quare San-Marthani citati filios & filias, quas *Philippus* Rex ex Bertrada suscepit, nothos fuisse rectè censuêre. Blondellus tamen in laudata Diatriba pluribus testimoniis invictè refellit errorem eorum, qui scripsêre Philippi Regis annos, dum excommunicationis vinculis teneretur, formula *Regnante Christo* notatos fuisse, demonstratque eam ante & post Constantinum M. usurpatam. SÆC. XII. An. C. 1104.

VIII. *Concilium Trecense.* A num. V ad VII. Ante Concilium Parisiense aliud *Trecis* habitum fuerat, cujus meminit Chronographus Sancti Petri Vivi Senonensis: *Anno MCV tenuit Concilium apud Trecas Richardus Albania Episcopus, V Kal. April.* Sed loco MCV, legendum, MCIV, & loco V Kal. April. legendum V Non. April. ut docet Privilegium Molismense à Labbeo loco laudato recitatum, quod in eodem Concilio emissum fuit. Mentio etiam hujus Trecensis Concilii in Vita S. Godefridi Episcopi Ambianensis à Nicolao Monacho Suessionensi, hujus æqualis scripta, quæ extat apud Surium ad diem VIII mensis Novemb. fuit Godefridus in celebri monasterio S. Quintini in Veromanduis educatus, quinquennisque induit habitum monasticum, ac postea à multis Episcopis Abbas Novigenti designatus. Aliquot post annos Richardus Apostolicæ Sedis Legatus, *Apud Trecenses celeberrimum habuit Conventum Episcoporum, Abbatum, & Gallia procerum*, qui effecêre, ut electioni de se factæ in Episcopum Ambianensem assentiretur; qua in dignitate *sanctitatis & pudicitia custos adeo praclarus & studiosus ubique extitit, ut infames Clericos, vel impuro matrimonio copulatos, non solum à suo consortio; sed etiam à chori ingressu constanter arceret*, inquit Nicolaus citatus. S. itaque Godefridus hoc anno Episcopus Ambianensis renunciatus. Neque enim Concilium Trecense in annum sequentem, quo in Chronico S. Petri Vivi collocatur, differri potest; cùm, ut paulò ante diximus, *Richardus* Legatus S. Sedis, qui eidem præfuit, ante diem secundum mensis Decembris currentis anni *Francia fines egressus* fuerit. Celebratum autem fuisse hoc anno *V & IV Nonas Aprilis* indict. XII, tam Privilegium Molismense laudatum, quàm aliud Ecclesiæ S. Petri Trecensis in eodem confirmatum, & Tom. X Concil. recitatum extra omnem controversiam ponunt.

IX. *Querela Hugonis de Puteolo militis Hierosolymitani adversus Rotrocum Comitem.* Ad num. XIII. Querela ad Paschalem II adversùs *Rotrocum*, qui jura possessionis ad *Hugonem* de Puteo Hierosolymitanum militem pertinentis invasisset, non hoc anno, sed anno MCVI contigit, ut observavit Souchetus in Not. ad Epist. Ivonis CLXVIII juxta novum ordinem, nec *Rotrocus* Comes Cenomanensis fuit, ut habet Baronius, sed Comes Perticensis. *Hugo* enim *Puteacensis* Vicecomes, de quo in ea Epistola sermo, iturus tunc erat Hierusalem, ut ibidem dicitur, & in Epistola CLXIX juxta novum ordinem iteratur. Hierosolymitanum iter aggressus est, quando *Boamundus* in Gallias venit, ut disertè legitur in Fragmento Hist. à Roberto ad mortem Philippi Regis. Venit autem Boamundus in Gallias anno MCVI, ut ex infrà dicendis constabit. Tunc innumerabilem equitum & militum multitudinem ex ea eduxit, inter quos fuit *Hugo de Puteolo*; quare quæ in eo fragmento, & in Epistolis laudatis Ivonis de *Hugone* illo, & *Ivone Curvavilla* Domino referuntur, spectant ad annum MCVI, quo *Ivo Carnotensis* controversiam illam, quæ erat inter Ivonem de Curvævilla, Vicecomitem Hugonem, & Rotrocum

SÆC. XII. An. C. 1104. trocum Perticensem Comitem, de mandato Paschalis II diremit. Jnte conquerebantur *Hugo* & *Carvavillanus* Ivo, quòd ad Sacrum Bellum ituris *Rotrocus* Perticensis pacem turbaret, & facultates, quæ in protectione Ecclesiæ erant, sibi vendicaret, quia in Synodo Claromontana, Canone I, ut videre est apud Baronium anno MXCV num. L, *Treuga Dei*, ut vocabatur, confirmata fuerat. De qua *Treuga* à nobis anno MXXXIV actum adversus Baronium, qui eam ibidem negavit, quam tamen postea anno MXCV admisit & probavit, ut utroque anno ab eo dicta inter se conferenti liquebit. Agit de ea querela Ivo Epist. CLXVIII, CLXIX, CLXX, & CLXXIII juxta novum ordinem; Baronius enim veterem sequitur, quod non taró Lectori negotium facessit. Porrò *Puteolus* castrum vulgò nunc vocatur *le Puiset*, jam inde à Ludovico Crasso dirutum & in vicum redactum, estque in diœcesi Aurelianensi, ut videre est apud Hadrianum Valesium in Not. Galliarum voce, *Puteolus castrum*.

X. *Legatio Gallica S. Brunonis Episc. Signiensis.* A num. XV ad XVIII. Legatio *S. Brunonis Episcopi Signiensis*, cujus mentio est in duabus Epistolis Jvonis Carnotensis Episc. pertinet ad annum MCVI; cùm enim Bruno unà cum Boamundo *directus in Galliam vice Romani Pontificis* fuerit, ut tradit Petrus Diaconus lib. 4. Chron. Casin. & Boamundus in Galliam anno MCVI venerit, ab eo Christi anno ea Legatio removeri non potest, ut jam observavit Sirmondus lib. 2. Epist. Gaufredi Vindocinensis Epist. XIV, frustraque contendit Souchetus in Notis ad citatam Jvonis Epistolam ordine CLXVIII, eam anno sequenti datam esse, & S. Brunonem currenti in Gallias missum, quòd in ea Jvo asserat, *præterita æstate*, Hugonem Album præsentiam Brunonis Legati adiisse, ex illis enim verbis tantum inferri debet, eam Jvonis Epistolam autumno vel hyeme sequenti scriptam fuisse; cùm certum sit, *Boamundum* cum *Brunone* Legato initio anni MCVI in Galliam venisse; qua de re Ordericus lib. 11. nos dubitare non patitur. Meminit etiam Legationis Brunonis Jvo in Epist. CLXVII juxta novum ordinem.

XI. *Concilium Romanum.* *Egilberto* Archiepiscopo Trevirensi Nonis Septembris anni millesimi centesimi primi demortuo Trevirenses ab Henrico IV Imp. petiêre dari sibi Episcopum, & consentientibus civibus, Bruno, *Francus natione* ordinatus est Idus Januarii anni millesimi centesimi secundi, & Trevirim venit die Purificationis sanctæ Dei Genitricis, uti refert Auctor Anonymus Historiæ Trevirensis Tom. XII Spicilegii Dacheriani ex Codice MS. Sancti Cornelii Compendiensis, qui postea Concilium hoc anno Romæ celebratum, & à Labbeo Tom. X Concil. prætermissum his verbis narrat: *Anno ordinationis suæ tertio mense Martio, Romam profectus Apostolorum gratià & percipiendæ benedictionis magistri causâ, invenit dominum Paschalem Papam universali Synodo præsidentem, Papatûs sui jam annum octavum* (legendum, annum quintum) *agentem, à quo honorificè susceptus est, utpote Belgicæ Galliæ primæ Metropolis Præsul magnificus*, &c. *Sed quoniam Episcopalia, annulum videlicet & baculum per manum laicam suscepisset, atque quia Ecclesias dedicasset, & Clericos necdum Pallium consecutus promovisset, multum asperè correptus est, & decernente Episcoporum ibi congregatorum Concilio Pontificatûs officium deposuit, quod tamen ipsis intervenientibus, quia discretio ejus, & prudentia officio & tempori congruens erat, & post triduum, non sine admissorum pœnitentia recuperavit; injuncta ei pœnitentia est, ut quotiens in spatio trium annorum proximorum Missarum solemnia celebraret, Dalmaticis non uteretur: quod ipse humiliter implevit. Deinde accepta tam Apostolici, quàm totius Synodi benedictione, Pallii honore donatus* cum gaudio remeavit. Vivebat hoc tempore Anonymus iste, ut ipsemet indicat ad annum MCXXII, quo Historiam suam absolvit. Idem brevius refert Brouverus in Annal. Trevir. lib. XIII ex alio Chronico MS. Trevirensi, in quo etiam dicitur Concilium istud Romanum anno tertio Sedis Brunonis congregatum esse, ideoque annus Pontificatûs Paschalis II Papæ rectè à nobis emendatus. SÆC. XII. An. C. 1104.

XII. *Floret Bruno Archiep. Trevirensis.* Bruno *fuit constans in oratione, devotus in eleemosynarum largitione, pius in viduarum & pupillorum defensione*, inquit Anonymus Dacherianus, qui subdit: *Quoniam in rebus commissis sibi strenuissimus erat, defuncto Imperatore, communi consilio Principum Curiæ Regiæ Vicedominus effectus est, & regnum regnique hæres Henricus videlicet hujus nominis V Rex, adhuc adolescens circa annos XX ei committitur, ut & regnum sua providentia disponeret, & hæredem regni morum suorum honestate, & disciplina, qua ipse præ omnibus pollebat, informaret, quousque in virum perfectum ætate & sapientia eductus succrevisset: quem susceptum tandiu educavit, usque dum Adelberti tunc Cancellarii, postea vero Maguntiensis Episcopi detractionibus exasperatus, regni & hæredis providentiam Proceribus reconsignavit.*

XIII. *S. Anselmus per menses XVI Lugduni residet.* Sanctus Anselmus, postquam Henrico Angliæ Regi, quæ Romæ gesta fuissent, per Nuncios significavit, Lugduni resedit, eosdem expectans. Verùm Rex à Willelmo procuratore suo malè edoctus reditus Archiepiscopales fisco addixit. Anselmus itaque *suis spoliatus, Lugduni remansit, degens circa sæpe nominatum venerabilem Hugonem, ipsius civitatis Antistitem, anno integro & mensibus quatuor*, inquit Eadmerus lib. 4. Novorum cap. 1. *Quæ autem mala ex hoc diutino exilio ejus per Angliam quàquà emerserint, vel cujusmodi studio illius ipsum exilium, multi reditum illius desiderantes, eaque minus rei veritatem considerantes, ipsi adscripserint*, intelligi dicit Eadmerus ex Epistola cujusdam Anselmo addictissimi ad eum scripta, qua eum urget, ut in Angliam redeat, neque existimet se inimicorum Dei contumaciam inflexurum: *Etiam, Pater sancte, si quispiam incarceratum & afflictum evisceraret, hoc modo recessisse non debueras. Quantò magis cùm nihil horum expertus fueris, nec sedes tua tibi negata sit; sed pro uno verbo cujusdam Willelmi fugere decrevisti, & relicto hoste dilacerandas impiis oves tuas dimisisti* & cetera, quæ fusè Scriptor illius Epistolæ prosequitur. Cumque non deessent, qui suo sensu rem metientes, ejus constantiam damnarent, coactus fuit pro se Apologiam scribere, & facti rationem reddere in Epistola XC libri 3. Epistolarum ad Ernulfum Cantuariensis Ecclesiæ Priorem, ubi inter alia scribit: *Quod autem dicunt, quod non oportuerit eum, pro uno verbo fugere, qui suum sanguinem pro ovibus suis, & pro Ecclesia Dei debuerit effundere:*

XIV. *Immeritò à quibusdam culpatus.* *Dico, quia non est parvipendendum illud verbum, in quo tam gravia mala continentur, quia jam dixi, in quo sine periculo animæ meæ, & sine detrimento Ecclesiæ mihi commissæ, nullate-*

itaque ex Apostolicæ Sedis Auctoritate reincorporatus est Philippus Rex Francorum Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ matri suæ IV Nonas Decemb. Indict. XIII. Anno autem Dei Christi MCIV, Pontificante verò in Sede Romana Domno Paschali Papa II anno sexto. Hæc Dacherius Tom. III Spicilegii ex MS. Corbeiensi, & ex eo Labbeus Tom. X Concil. pag. 658. & seq. Porrò Richardum S. Sedis Legatum ante diem secundam mensis Decembris Galliam reliquisse demonstrat absolutio Regis à Lamberto Episc. peracta, quam ei Paschalis II commiserat, si Richardus jam è Gallia exiisset.

VI. *In Concilio Parisiensi factum.* Acta hæc esse hoc anno in Concilio Parisiensi *IV Nonas Decemb.* docet aliud MS. Igniacense, quod ex Sirmondo exhibet Labbeus ibid. pag. 742. sed is animum non advertens ad errorem Anonymi, qui pro MCIV scripsit MCV, Concilium illud in annum illum differt, quamvis in eo Codice alia non narrentur, quàm quæ hoc anno gesta, & quidem eodem die ac mense. Refert iste Anonymus literas Philippi Regis ad Lambertum Attrebatensem Episc. cui mandat, & precatur, *quatenus in crastino festivitatis Sancti Andreæ ad hoc negotium præcipuè tibi commissum adsis cum Archiepiscopis & Episcopis nostris, qui ibi aderunt, tum ex præcepto Papæ, tum ex fide, quam mihi debes, commonitus.* Paruit Regi Lambertus, ut vidimus, & quod factum fuit, Paschali II literis significavit ibidem recitatis, quarum initium: *Convenientes Parisius ex vestra Auctoritate Archiepiscopi*, & Episcopi à priori Anonymo nominati, quemadmodum & Abbates. Subdit Lambertus: *Adveniens Rex satis devotè, multumque humiliter, nudis pedibus, peccato renuncians, & excommunicationem emendans, & sic ex vestra auctoritate absolutionem suscipere meruit.* Postea juramentum integrum suprà à nobis descriptum refert, Epistolamque his verbis concludit: *Actum Parisius anno Dei Christi MCV, IV Nonas Decemb. anno Pontificatûs Paschalis Papæ II quinto.* Ubi Anonymus tam in anno Christi, quàm in anno Pontificatûs Paschalis II peccat. Nam enim rem hoc anno gestam, eamdemque quàm alter Anonymus narrare, certum & indubitatum esse debet, ideoque in altera Conciliorum editione error iste corrigendus erit.

VII. *Filii Philippi Regis ex Bertrada spurii fuere.* Blondellus citatus contendit, matrimonium *Philippi* Regis cum *Bertrada* validum fuisse, & Paschalem II postulatam ab Ivone, & aliis Galliæ Episcopis dispensationem, ut illud contrahi posset, largitum esse. Verùm non solum Juramentum mox recitatum; sed etiam consensus & testimonium Historicorum coævorum, aliorumque huic tempori proximorum opinionem illam planè evertunt. Referam hîc tantum verba Sugerii in lib. de Vita Ludovici Grossi, Philippi Regis filii ac successoris, qui de eo cap. 1. scribit. *Famosus juvenis unicus patri erat de nobilissima conjuge Roberti Flandrensis Comitis sorore. Qui enim duo supererant* PHILIPPUS & FLORUS, *de superducta Andegavensi Comitissa Bertrada geniti erant, nec illorum appretiabatur successionem, si uni cum primum decedere quocumque infortunio contingeret.* Paschalem verò dispensationem ratione affinitatis Bertradæ cum Rege ab Ivone & aliis quibusdam Episcopis petitam concedere noluisse, ex laudatis ejus verbis certò intelligimus. Quare San-Marthani citati filios & filias, quas *Philippus* Rex ex Bertrada suscepit, nothos fuisse rectè censuêre. Blondellus tamen in laudata Diatriba pluribus testimoniis invictè refellit errorem eorum, qui scripsêre Philippi Regis annos, dum excommunicationis vinculis teneretur, formula *Regnante Christo* notatos fuisse, demonstratque eam ante & post Constantinum M. usurpatam.

VIII. *Concilium Trecense.* A num. V ad VII. Ante Concilium Parisiense aliud *Trecis* habitum fuerat, cujus meminit Chronographus Sancti Petri Vivi Senonensis: *Anno MCV tenuit Concilium apud Trecas Richardus Albanensis Episcopus, V Kal. April.* Sed loco MCV, legendum, MCIV, & loco V Kal. April. legendum V Non. April. ut docet Privilegium Molismense à Labbeo loco laudato recitatum, quod in eodem Concilio emissum fuit. Mentio etiam hujus Trecensis Concilii in Vita S. Godefridi Episcopi Ambianensis à Nicolao Monacho Suessionensi, hujus æqualis scripta, quæ extat apud Surium ad diem VIII mensis Novemb. fuit Godefridus in celebri monasterio S. Quintini in Veromanduis educatus, quinquennisque induit habitum monasticum, ac postea à multis Episcopis Abbas Novigenti designatus. Aliquot post annos Richardus Apostolicæ Sedis Legatus, *Apud Trecenses celeberrimum habuit Conventum Episcoporum, Abbatum, & Galliæ procerum*, qui effecêre, ut electioni de se factæ in Episcopum Ambianensem assentiretur; qua in dignitate *sanctitatis & pudicitiæ custos adeo præclarus & studiosus ubique extitit, ut infames Clericos, vel impuro matrimonio copulatos, non solum à suo consortio; sed etiam à chori ingressu constanter arceret*, inquit Nicolaus citatus. S. itaque Godefridus hoc anno Episcopus Ambianensis renunciatus. Neque enim Concilium Trecense in annum sequentem, quo in Chronico S. Petri Vivi collocatur, differri potest; cùm, ut paulò ante diximus, *Richardus* Legatus S. Sedis, qui eidem præfuit, ante diem secundum mensis Decembris currentis anni *Franciæ fines egressus* fuerit. Celebratum autem fuisse hoc anno *V & IV Nonas Aprilis* indict. XII, tam Privilegium Molismense laudatum, quàm aliud Ecclesiæ S. Petri Trecensis in eodem confirmatum, & Tom. X Concil. recitatum extra omnem controversiam ponunt.

IX. *Querela Hugonis de Puteolo militis Hierosolymitani adversus Rotrocum Comitem.* Ad num. XIII. Querela ad Paschalem II adversùs *Rotrocum*, qui jura possessionis ad *Hugonem* de Puteo Hierosolymitanum militem pertinentis invasisset, non hoc anno, sed anno MCVI contigit, ut observavit Souchetus in Not. ad Epist. Ivonis CLXVIII juxta novum ordinem, nec *Rotrocus* Comes Cenomanensis fuit, ut habet Baronius, sed Comes Perticensis. *Hugo* enim *Puteacensis* Vicecomes, de quo in ea Epistola sermo, iturus tunc erat Hierusalem, ut ibidem dicitur, & in Epistola CLXIX juxta novum ordinem iteratur. Hierosolymitanum iter aggressus est, quando *Boamundus* in Gallias venit, ut disertè legitur in Fragmento Hist. à Roberto ad mortem Philippi Regis. Venit autem Boamundus in Gallias anno MCVI, ut ex infrà dicendis constabit. Tunc innumerabilem equitum & militum multitudinem ex ea eduxit, inter quos fuit *Hugo de Puteolo*; quare quæ in eo fragmento, & in Epistolis laudatis Ivonis de *Hugone* illo, & *Ivone Curvævilla* Domino referuntur, spectant ad annum MCVI, quo *Ivo Carnotensis* controversiam illam, quæ erat inter Ivonem de Curvævalla, Vicecomitem Hugonem, & Rotrocum

trocum Perticensem Comitem, de mandato Paschalis II diremit. Jure conquerebantur *Hugo* & *Carvavillanus* Ivo, quòd ad Sacrum Bellum ituris *Rotrocus* Perticensis pacem turbaret, & facultates, quæ in protectione Ecclesiæ erant, sibi veodicaret, quia io Synodo Claromontana, Canone I, ut videre est apud Baronium anno MXCV oum. L, *Treuga Dei*, ut vocabatur, confirmata fuerat. De qua *Treuga* à nobis anno MXXXIV actum adversus Baronium, qui eam ibidem negavit, quam tamen postea anno MXCV admisit & probavit, ut utroque anoo ab eo dicta inter se conferenti liquebit. Agit de ea querela Ivo Epist. CLXVIII, CLXIX, CLXX, & CLXXIII juxta oovum ordinem; Baronius eoim veterem sequitur, quod non rarò Lectori oegotiom facessit. Porrò *Puteolus* castrum vulgò nunc vocatur *le Puiset*, jam inde à Ludovico Crasso dirutum & in vicum redactum, estque in diœcesi Aurelianensi, ut videre est apud Hadrianum Valesium in Not. Galliarum voce, *Puteolus castrum*.

X. *Legatio Gallica S. Brunonis Episc. Signiensis.*

A num. XV ad XVIII. Legatio *S. Brunonis Episcopi Signiensis*, cujus mentio est in duabus Epistolis Jvoois Carootensis Episc. pertinet ad annum MCVI; cùm enim Bruno unà cum Boamundo *directus in Galliam vice Romani Pontificis* fuerit, ut tradit Petrus Diaconus lib. 4. Chron. Casin. & Boamuodus in Galliam anoo MCVI venerit, ab eo Christi anno ea Legatio removeri noo potest, ut jam observavit Sirmondus lib. 2. Epist. Gaufredi Vindocineosis Epist. XIV, frustraque contendit Souchetus in Notis ad citatam Jvonis Epistolam ordine CLXVIII, eam anno sequenti datam esse, & S. Brunonem currenti in Gallias missum, quòd in ea Jvo asserat, *præterita æstate*, Hugonem Album præsentiam Brunonis Legati adiisse, ex illis enim verbis tantum inferri debet, eam Jvoois Epistolam autumno vel hyeme sequenti scriptam fuisse; cùm certum sit, *Boamundum* cum *Brunone* Legato initio anni MCVI io Galliam venisse; qua de re Ordericus lib. 11. nos dubitare non patitur. Memioit etiam Legationis Brunonis Jvo in Epist. CLXVII juxta novum ordinem.

XI. *Concilium Romanum.*

Egilberto Archiepiscopo Trevirensi Nonis Septembris anni millesimi ceotesimi primi demortuo Trevirenses ab Henrico IV Imp. petiêre dari sibi Episcopum, & consentieotibus civibus, Bruno, *Francus natione* ordinatus est Idus Januarii anni millesimi centesimi secundi, & Trevirim venit die Purificationis sanctæ Dei Genitricis, uti refert Auctor Anooymus Historiæ Trevirensis Tom. XII Spicilegii Dacheriani ex Codice MS. Sancti Cornelii Compendiensis, qui postea Concilium hoc anno Romæ celebratum, & à Labbeo Tom. X Concil. prætermissum his verbis narrat: *Anno ordinationis suæ tertio mense Martio, Romam profectus Apostolorum gratiâ & percipiendæ benedictionis magistrô causâ, invenit dominum Paschalem Papam universali Synodo præsidentem, Papatûs sui jam annum octavum* (legendum, annum quintum) *agentem, à quo honorificè susceptus est, utpote Belgicæ Galliæ primæ Metropolis Præsul magnificus*, &c. *Sed quoniam Episcopalia, annulum videlicet & baculum per manum laicam suscepisset, atque quia Ecclesias dedicasset, & Clericos necdum Pallium consecutus promovisset, multum asperè correptus est, & decernente Episcoporum ibi congregatorum Concilio Pontificatûs officium deposuit, quod tamen ipsis intervenientibus, quia discretio ejus, & prudentia officio & tempori congruens erat, & post triduum, non sine admissorum pœnitentia recuperavit; injuncta ei pœnitentia est, ut quoties in spatio trium annorum proximorum Missarum solemnia celebraret, Dalmaticis non uteretur: quod ipse humiliter implevit. Deinde accepta tam Apostolici, quàm totius Synodi benedictione, Pallii honore donatus* cum gaudio remeavit. Vivebat hoc tempore Anonymus iste, ut ipsemet indicat ad annum MCXXII, quo Historiam soam absolvit. Idem breviùs refert Brooverus in Annal. Trevir. lib. XIII ex alio Chronico MS. Trevirensi, in quo etiam dicitur Concilium istud Romanum anno tertio Sedis Brunonis congregatum esse, ideoque annus Pontificatûs Paschalis II Papæ rectè à nobis emendatus.

XII. *Flores Brunonis Archiepisc. Trevirensis.*

Bruno *fuit constans in oratione, devotus in eleemosynarum largitione, pius in viduarum & pupillorum defensione*, inquit Anonymus Dacherianus, qui subdit: *Quoniam in rebus commissis fidelis strenuissimus erat, defuncto Imperatore, communi consilio Principum Curiæ Regiæ Vicedominus effectus est, & regnum regnique hæres Henricus videlicet hujus nominis V Rex, adhuc adolescens circa annos XX ei committitur, ut & regnum sua providentia disponeret, & hæredem regni morum suorum honestate, & disciplina, qua ipse præ omnibus pollebat, informaret, quousque in virum perfectum ætate & sapientia educatus succrevisset: quem susceptum tandem educavit, usque dum Adelberti tunc Cancellarii, postea verò Moguntiensis Episcopi detractionibus exasperatus, regni & hæredis providentiam Proceribus resignavit.*

XIII. *S. Anselmus per menses XVI Lugduni resedit.*

Sanctus Anselmus, postquam Henrico Angliæ Regi, quæ Romæ gesta fuisseot, per Nuncios significavit, Lugduni resedit, eosdem expectans. Verùm Rex à Willelmo procuratore suo malè eductus reditus Archiepiscopales fisco addixit. Anselmus itaque *suis spoliatus, Lugduni remansit, degens circa sæpe nominatum venerabilem Hugonem, ipsius civitatis Antistitem, anno integro & mensibus quatuor*, inquit Eadmerus lib. 4. Novorum cap. 1. *Quæ autem mala ex hoc diutino exilio ejus per Angliam quaquà emerserint, vel cujusmodi studio illius ipsum exilium, multi reditum illius desiderantes, eaque minus rei veritatem considerantes, ipsi adscripserint*, intelligi dicit Eadmerus ex Epistola cujusdam Anselmo addictissimi ad eum scripta, qua eum urget, ut in Angliam redeat, neque existimet se inimicorum Dei contumaciam inflexurum: *Etiam, Pater sancte, si quispiam incarceratum & afflictum eviscerares, hoc modo recessisse non debueras. Quantò magis cùm nihil horum expertus fueris, nec sedes tua tibi negata sit, sed pro uno verbo cujusdam Willelmi fugere decrevisti, & relicto hoste dilacerandas impiis oves tuas dimisisti* & cetera, quæ fusè Scriptor illius Epistolæ prosequitur. Cumque non deessent, qui suo sensu rem metientes, ejus constantiam damnarent, coactus fuit pro se Apologiam scribere, & facti rationem reddere in Epistola XC libri 3. Epistolarum ad Ernulfum Cantuariensis Ecclesiæ Priorem, ubi inter alia scribit: *Quod autem dicunt, quod non oportuerit eum, pro uno verbo fugere, qui suum sanguinem pro ovibus suis, & pro Ecclesia Dei debuerit effundere:*

XIV. *Immeritò à quibusdam culpatus.*

Dico, quia non est parvipendendum illud verbum, in quo tam gravia mala continentur, quæ jam dixi, in quæ sine periculo anima mea, & sine detrimento Ecclesiæ mihi commissæ, nullate-

SÆC. XII. An.C. 1104.

nus me possum ingerere. Denique non timeo sanguinis effusionem, aut quamlibet corporis mei destructionem, aut rerum amissionem. Quæ si personæ meæ evenirent, libenter paterer, propter veritatis assertionem. At nil horum super me cadet: sed Ecclesiam nostram & homines ad eam pertinentes, si cum Rege contenderem, gravis oppressio frustra contereret: & multitudo vexatorum ad culpam meam, ærumnas suas me execrando, converteret. Melius itaque mihi videtur, ut me absente qualibet tribulatio, si vitari nequit, in Anglia debacchetur; quàm per meam præsentiam, & tolerantiam, qualibet prava consuetudo in futurum confirmetur: aut multitudo hominum, me aspiciente, propter me, tribulationem se pati lamententur, & cetera quæ fusè prosequitur Anselmus.

XV. *Grosulanus Romæ honorificè exceptus fuit.*

Landulphus Junior cap. XI apud Puticellum in Monumentis Basilicæ Ambrosianæ hæc narrat, quæ, ut ex consequentibus eruitur, ad præsentem annum spectant: *Interea Grosulanus dominum Papam Paschalem gratum sibi invenit. Landulphus verò de Vareglate* (quem absentem Archiepiscopum Mediolanensem Canonici eligere voluerant), *qui primus in Corrtiana fuga fuerat* (urbs hæc in limitibus Syriæ ad Euphratem posita, cujus meminit Guillelmus Tyrius lib. 10. cap. 24. sed non memini me vel in eo Auctore, vel in alio aliquid de hac Mediolanensium & Longobardorum clade legisse: Landulphus verò iste hoc anno ex expeditione Syriaca rediit, & Româ transivit) *rediens à Hierosolymis, Romam pervenit: atque in Grosulano jam inde* (sc. Româ) *didicit non solum quod actum fuerat Mediolani propter concertationem Presbyteri & Grosulani; sed & quam solemniter Romanus Pontifex post alia facta Grosulanum susceperat. Quia ipse quidem Papa Paschalis super sedem suam ipsum Grosulanum posuit, & per quot dies idem Grosulanus fuit Laterani, eum supra sedem suam sedere fecit, atque ipsi sedenti cessit, & locum dedit* (notabilis circumstantia), *suam quoque Curiam, & omnes causas Ecclesiasticas à se discernendas & judicandas, ipsi Grosulano ad discernendum & judicandum tradidit.*

XVI. *Plures Mediolani ei adhærent.*

Sed tamen Landulphus ille de Vareglate veniens Mediolanum, non Presbyterum (nempe Liprandum), *nec ejus legem directè contempsit, sed Clero & populo Mediolanensi promittens deponere Grosulanum ab omni Ecclesiastico officio juxta canonum rationem, inquit; Cur de lege Presbyteri* (nempe Liprandi) *& Grosulano contenditis: En vobis certissimè dico, & per Joannem Vicomercatensem Grosulano mando, quod ego apud dominum Papam Paschalem, ejusque Curiam, vel Synodum, certis eum rationibus & justis, & sanctis canonibus comprobabo, illum non posse subsistere in numero Episcoporum vel Presbyterorum, aut etiam in aliquo ordine Clericorum. Clerus verò & populus huic authentico viro, & secundùm quandam novitatem Canonica Sancti Nazarii Præposito, & Majoris Mediolanensis Ecclesiæ Ordinario, credulus unà cum Grosulano ad Romanam Synodum pervenire studuit: unde rigidus & sapiens Capitaneus Mediolanensium Amyso de Landriano, ait; Vos ludriam in aqua negare vultis.* Ludria seu lutra, tum in aquis, tum in arido per intervalla degit, & molaribus minutiorum arborum radices ac truncos momento excidit; & Grosulanus ob magnam qua Romæ florebat, gratiam & auctoritatem erat veluti lutra in aqua. Cetera ad eamdem litem pertinentia anno sequenti gesta.

XVII. *Obitus Petri Aragoniæ & Navarræ Regis.*

Mortuus est hoc anno *Petrus* hujus nominis primus Aragoniæ & Navarræ Rex; Sandovalius enim pag. 94. notat, in antiquo MS. Tumbo Nigro vulgò appellato, legi eum obiisse *Erâ MCXLII*, exeunte Septembri; Chronographus verò Malleacensis ad huoc Christi annum habet: *Rex Petrus Aracandia* (idest, Aragoniæ) *defunctus est, & ei successit Idelsonfus frater ejus*, quia nempe filios nullos reliquit. Idelsonsus, Alfonsus etiam vocatus, frater fuit *Ramiri* Monachi, qui post eum regnavit. Petrus in uno prælio ad *Oscam* habito, quatuor nigrorum Arabum Reges occidit, & paulò pòst *Osca* ipsi dedita; indeque Aragoniæ Reges eorumdem Regum capita in Insigniis usurpant, ut tradunt Historici Hispanici.

XVIII. *Venetorum potentia & divitiæ auctæ.*

Aodreas Dandulus in Annal. refert, *Venetos* primam expeditionem in Terram Sanctam cum classe ducentarum navium suscepisse anno MXCVII, & secundam currenti anno, ipso Duce Ordelapho Phaletro classem ducente. Is diu in Palæstina moratus est, & Veneti urbium expugnatarum participes facti, coloniis ibi relictis, merces Orientales in Europam, & Francos peregrinos in Asiam transfretando, duplicem, continuatumque quæstum percipiebant. Navigationem vivente Alexio Imperatore prosequentes, commoda quæ olim illis communia cum ceteris nationibus erant, ex singularibus Privilegiis ejusdem Imperatoris auxêre, exiodeque navium numero crescente, prolatoque in Asiam Dominio, opes ampliarunt, Venetorumque nomen apud exteras nationes celebre evasit, & in mari Mediterraneo ceteris nationibus præcellere cœpit, ut narrat Lucius in Historia Dalmatiæ lib. 3. capp. 4. & 10.

XIX. *Gesta in Palæstina.*

Balduinus Hierosolymorum Rex, qui anno superiori *Achon* Ptolomaidam appellatam frustra obsidione cinxerat, eamdem iterum hoc anno obsedit; *Ad quam*, inquit Fulcherius in Hist. Hierosolym. lib. 2. *venerant Jannenses cum classe LXX navium rostratarum.* Post viginti dies civitas Cruce signatis valde necessaria, *quoniam inest et portus valde utilis*, in potestatem Christianorum venit. Hanc expeditionem refert etiam Elmacinus lib. 3. Hist. Saracenicæ cap. 9. aitque eam contigisse anno Hegiræ ccccxcvii, eique interfuisse Genuenses cum navibus supra nonaginta, ideoque hoc Christi anno, quo & eandem memorat Chronographus Malleacensis.

Anno Æræ Hispan. MCXLIII. Anno Hegiræ ccccxcix inchoato die 12. Septemb. fer. 4.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6598.

☉ 22. A. ☽ 4. P. 9. April. Indict. 13.

JESU CHRISTI 1105.

PASCHALIS II PAPÆ 7.

HENRICI IV. REG. 50. IMP. 22.

ALEXII COMNENI IMP. 25.

I. *Henricus Rex adversus Henricum Imp. patrem rebellat.*

AD Num. I ad XII. Baronius pluribus refert rebellionem *Henrici* V adversùs *Henricum* IV Imp. patrem suum, ex Urspergensi Abbate; sed num. I perperam ait, hunc anno superiori Hierosolymis in Germaniam rediisse, eumque, quæ videbat, scripsisse; ut enim an. MCII num. I ostendimus,

dimus, Historicus iste nondum hoc tempore natus erat, & more quorumdam aliorum exscribit, quæ Auctores coætanei dicunt se vidisse aut audisse. Vide quæ ibi de hoc loquendi modo in medium adduximus. Porrò Gesta hoc anno accoratè narrat Urspergensis, qui annum à Natali Christi incipiens ait, *anno Domini MCV* (qui nobis tantùm erat MCIV), dum Henricus Imp. Natalem Domini Moguntiæ celebraret, Henricum filium ejus adversus illum rebellasse, Apostolicæ Sedis Pontifici debitam professum esse obedientiam, in *Quintilingeburg* Pascha celebrasse, & ab Optimatibus dignitate Regia honoratum fuisse. Postea indixit Henricus Rex Conventum generalem in hebdomada ante Pentecosten in Thuringia celebrandum *in loco, qui dicitur Northusum*, inquit Chronographus Hildesheimensis, in quo inter alia statutum, *uxoratos Clericos nullum Divinum Officium celebrare*. Vocatur hoc Concilium *Quintilineburgense*, seu *Northusense*, habitumque pro reformandis moribus Ecclesiæ. Tritbemius in Chron. Hirsaugiense vocat illud Concilium Generale Episcoporum & Abbatum.

II. *Henricus à filio Imperio deponitur.*

Narrat postea Urspergensis bellum inter *Henricum* patrem & *Henricum* filium gestum esse, & in Natale Domini anni MCVI, qui nobis est MCV, factum esse apud Moguntiam totius Regni Germanici Conventum, ubi Apostolicæ Sedis Legati, Episcopus sc. Albanus cum Constantiensi pœnitentiam anathematis in Henricum Imp. aliàs latam confirmatunt. Is verò consilio Principum Imperialia Insignia filii potestati tradidit. *Hoc Ordine Henricus, illius nominis V Rex, primùm a patre, deinde ab universa Germaniæ Principibus in Regem jam secundò electus, &c. regnare cœpit*, inquit Urspergensis. Legendus Chronographus Hildesheimensis, qui fusè hæc omnia narrat.

III. *Moritur Raimundus Comes S. Ægidii.*

Ad num. XIII. Hoc anno mortuus est *Raimundus Comes Ægidius*, qui per plures annos de Comitatu Provinciæ cum Gilberto Provinciæ Comite decertavit, quique *Comes Provincialium* vulgò appellatus fuit. Mortuus est, inquit Fulcherius lib. 2. *in oppido suo ante Tripolim civitatem pridie Kal. Martii.* Is valde laudatur in Veteribus Assisiis Hierosolymitanis, Bituricis anno MDCXC in fol. publicatis, lib. ultimo. cap. 5. Ei successit in Comitatu Tripolitano à se capto nepos ejus *Guillelmus-Jordanus*, filius Bertrandi, cui Comitatus Tolosanus obtigit, ut legere est apud Catellum lib. 2. Hist. Comitum Tolosæ. Porro Raimundus iste ordine IV est inter Comites Tolosanos hujus nominis.

IV. *Concilium II Lateranense sub Paschali II.*

Concilium II Lateranense Paschali II Sedente habitum, Labbeus Tom. X Concil. & Alfordus in Annal. Eccles. Angl. præcedenti collocant; sed illud ad præsentem pertinere, ad secundum nempe commorationis S. Anselmi in urbe Lugdunensi, disertè docet Eadmerus lib. 4. Novorum: *In secundo*, inquit, *anno adventûs nostri à Roma Lugdunum, ipse Papa coacto Lateranis generali Concilio Comitem de Mellento, & complices ejus, qui Regem ad Investitura flagitium, sicut dicebatur, impellebant, nec non illos, qui ab eo investiti fuerant, à liminibus Sanctæ Ecclesiæ judicio Spiritûs Sancti repulit.* Recitat postea Eadmerus literas à Paschali II ad S. Anselmum de hoc Concilio & excommunicatione in præfatum Comitem lata datas, quas Pontifex his verbis claudit: *Regis verò sententia ea ex causa dilata est, quia suos ad nos Nuncios in præterita Pascha* (anni sc. Christi MCIV) *tempore debuit destinare. Data Lateranis VII Kal. Aprilis.* Quare Concilium Lateranense eo circiter die indictum. Nuncii, quorum meminit Paschalis II, ab Henrico Rege anno superiori Romam missi sunt, cùm quidam Regi insisterent, ut Anselmum revocaret: *Unde Nobis*, inquit Eadmerus, *adhuc Lugduni degentibus; Nuncii Romam ab ipso Rege directi sunt, qui modis omnibus elaborarent Apostolicum ad hoc deducere, ut Anselmum Angliam redire & Regiæ voluntati juberet in cunctis subdi & obedire. Ad quod dum nequaquam illum flectere possent, sicut venerunt, infecto negotio reversi sunt.* Quæ refert Eadmerus immediatè antequam de Concilio Lateranensi verba faciat. Horum ergo Nunciorum expectationem ab Henrico Rege excommunicando abstinuit Paschalis II; sed ubi vidit Regem tempus, & Apostolicam Sedem inutili tergiversatione fallere, voluit Anselmum in eum surgere, ut post narrata, quæ gesta sunt in Concilio Lateranensi, exponemus.

V. *Agitata in eo causa Grosulani & Liprandi.*

Venêre ad Concilium Lateranense Grosulanus Archiep. Mediolanensis & Liprandus Presbyter; ille, ut in dignitate confirmaretur, hic ut illud impediret, uti narrat Landulfus Junior cap. 11. apud Puricellum in Monumen. Basil. Ambrosianæ cap. 9. *Grosulanus nihil moratus ad pedes Apostolici provolutus sibi & suis iterum refugium suscepit. Presbyter verò Liprandus, cùm jam senex esset, & duo anni post legem ab ipso factam* (hoc est conditionem, quam ipse obtulerat divini judicii per ignem) *transissent provocatus & compulsus Romam ad Synodum venit. In qua prædictus Landulfus de Varaglate, qui post ipsam Synodum fuit Astensis Episcopus, neque ante Papam, vel ejus Curiam, vel Synodum adversus Grosulanum verbum ignominiosum protulit. Sed Presbyter Liprandus causam, quam adversus Grosulanum habuit, pure notificavit: & Apostolicus non legem per ipsum Presbyterum datam, & sacramento & igne notatam, laudavit, sed gratiam & officium Presbyteratus in illo firmavit; & dixit. Si Presbyter juraret, & duodecim Sacerdotes cum illo jurando affirmarent, quod Grosulanus coegit ipsum Presbyterum ire ad ignem, sustineret Grosulanus depositionem. Atque super hoc spatium consulendi per unam noctem dedit.*

VI. *Grosulani in Archiepiscopatum Mediolani restitutio.*

Tum Landulfus cap. 12. subdit: *Nocte autem illa transacta, Apostolicus coram Synodo à Grosulano suscepit Sacramentum, in quo Sacramento Grosulanus sic ait: Ego Grosulanus gratiâ Dei Archiepiscopus non coegi dictum Liprandum Presbyterum ire ad ignem, & facere judicium. Tunc & Ardericus Laudensis Episcopus, jurando firmavit id ipsum. Azoni vero Aquensi Episcopo, proferenti id ipsum, jurare ex parte Grosulani ab Apostolico fuit condonatum. Grosulanus itaque accessit, ut acciperet gratiam restitutionis. Et cùm ad accipiendum restitutionem accederet, gabata, & Pastoralis virga, quam ipse Grosulanus sua tenebat manu; coram Synodo ad terram corruit. Quod signum quàm pluribus fuit indicium, quod Sacramentum ejus fuit Sacramentum mortis. Veruntamen nec Papa, nec ejus Synodus ad hoc tunc respexit: sed ipsum Grosulanum Azoni Aquensi, & Arderico Laudensi, atque Jordano de Clivi, & ceteris Mediolanensibus, tam Clericis quàm laicis, verum etiam Episcopis ejusdem Ecclesiæ suffraganeis, volentibus eum habere in*

Archiepiscopum,

SÆC. XII. An. C. 1105.

Archiepiscopum, licet otiosè, restituit, ubi *otiosè* restitutum idem significat ac frustra, quia nonobstante hoc judicio Grosulanus Archiepiscopatu pacificè frui non potuit: *Grosulanus verò*, inquit Landulfus, *gratia Guillelmi Abbatis monasterii S. Ambrosii, & Andreæ Mediolanensis Ecclesiæ Primicerii, & aliorum multorum prudentum, tam Clericorum quam laicorum, nec Sedem, nec aliquam munitionem Archiepiscopatûs post legem primam à Presbytero factam, sive restitutionem à Synodo celebratam, habuit*. In Appendice ad Tom. X Concil. pag. 1833 dicitur, hæc gesta esse in Concilio Romano anno MCIII coacto. Verùm Landulfus laudatus cap. 12. apud Puricellum in Monum. Basil. Ambros. num. CCCII demonstrat hanc Synodum diversam non fuisse à Lateranensi, cùm ait: *Putavi non prætereundum silentio, quod durante lite Grosulani, scilicet millesimo centesimo quinto anno, septimo Idus Maii inventa sunt Reliquiæ pretiosæ in Ecclesia S. Mariæ ad Portam. Unde Ordinarii cum universo Clero statuerunt festum solennem illa die in Ecclesia prædicta*.

VII. *Per annos VII Grosulanus pacificè in dignitatem mansit.*

Quæ postea Mediolani contigerint, refert ibidem Landulfus: *Qui quidem Presbyter ille Liprandus, licet occasione hujus restitutionis foret suspectus Grosulano restituto, & restitutum suscipientibus tamen in Ecclesia S. Pauli suaque domo fuit Sacerdos idoneus in suo officio per septem annos*, ubi Landulfus tantum denotat *Liprandum* nonobstante inimici sui restitutione remansisse in pacifica possessione suæ Ecclesiæ & Beneficii per septem annorum spatium, idest usque ad mortem, quo durante septennio in Valle Telina moratus est, ut suo loco dicetur. Puricellus loco laudato Landulfum interpretabatur, quasi toto illo temporis spatio *Liprandus* Mediolani mansisset, & ex ea urbe egressus non esset, & hoc pacto universam tam Historiam, quam Chronologiam turbabat. Videtur tamen hanc opinionem retractasse, ut patet ex illis, quæ lib. 4. cap. 90. de SS. Arialdo & Herlembaldo statuit. *Grosulanus* usque ad annum MCXI Mediolani à suis sectatoribus, qui non pauci erant, agnitus, substitit, eò tranquilliùs, quò nullus ei in ea dignitate competitor erat. Sed redeo ad S. Anselmum.

VIII. *Colloquium S. Anselmi cum Henrico Rege in Normannia.*

Postquam Anselmus intellexit, inquit Eadmerus lib. 4. Novorum, *se amplius frustra Lugduni, Romanam opem præstolari, præsertim cùm jam sæpe numero ipsi Romanæ Sedis Antistiti Legatos & literas de sui negotii consummatione transmiserit, consulto Hugone Lugdunensi Archiepiscopo, Lugduno Franciam petiturus decessit. Cum ergo ad Charitatem*, quæ Cella Cluniacensis cœnobii est, *Comitissam Blesensem nomine Adelam*, apud castrum suum Blesense quod ad Ligerim Flu. Aurelianum inter & Turonas situm, *infirmari accepisset, eam visitare voluit, quod ea erga se valde munifica fuisset, verùm invenit illam fermè convaluisse. Anselmus Comitissæ causam reditûs sui Franciam ab ea inquisitus, innotuit: & quia fratrem ipsius, Henricum videlicet Regem Anglorum pro injuria, quam Deo, sibique jam per biennium & ultra fecerat excommunicare veniebat, non celavit. Quod illa audiens, ut eum cum fratre in concordiam reduceret, operam dare disposuit. Rex per Legatos Comitissæ de Anselmi adventu monitus eam deprecatus est, ut eum sibi in Normanniam duceret, pollicitus se in multis voluntati* ejus, pacis gratia condescensurum. Tandem *habito inter eos colloquio Anselmum Rex de redditibus sui Pontificatus revestivit, & in pristinam amicitiam utrimque recepti sunt*. Sed cùm de omnibus conditionibus inter se convenire non possent, ex condicto decretum fuit, ut Romam Nuncii mitterentur. *Hæc autem inter ipsos acta sunt anno tertio exitus nostri de Anglia, undecimo Kalendas Augusti*, inquit Eadmerus, ex quo hæc excerpta.

SÆC. XII. An. C. 1105.

IX. *Obitus Guimundi Archiep. Aversa.*

Ad hunc circiter annum pervenit *Guitmundus* Episcopus Aversanus, quem Ordericus lib. 4. pag. 524. & seqq. ubi pluribus de eo agit, ait; *Ecclesiam sibi commissam diu rexisse*. Guillelmus Angliæ Rex eum ad se accersivit, sed *Guitmundus* qui in Neustria natus erat, oblatum sibi Ecclesiasticum Angliæ regimen omninò repudiavit. Ordericus tamen, qui hæc narrat, fallitur, quando ait, *Urbanum* II eum Ecclesiæ Aversanæ præfecisse, *Guitmundus* enim sedente Gregorio VII jam Archiepiscopus erat, ut ostendit cap. *Si consuetudinem*, apud Ivonem Carnotensem Episcopum eidem æqualem, part. 4. cap. 213. *Gregorius VII Vimondo Episcopo Aversano*, quod & legitur in Decreto Gratiani distinct. 8. Ex eodem capitulo intelligimus *Guitmundum* eo ferè tempore, quo *Lanfrancus*, ad Episcopalem dignitatem evectum fuisse.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6599. Anno Eræ Hispan. MCXLIV. Anno Hegiræ D. inchoato die 2. Septemb. fer. 2.

☉ 23. G. ☽ 5. P. 25. Mart. Indict. 14.

JESU CHRISTI 1106.

PASCHALIS II PAPÆ 8.

HENRICI V. REG. 1.

ALEXII COMNENI IMP. 26.

I. *Henricus Imp. ab Henrico filio detinetur.*

ANum. I ad XXV. Herimannus in Narratione Restaurationis Abbatiæ Sancti Martini Tornacensis Tomo XII Spicilegii Dacheriani num. LXXXIII refert, quomodo Henricus IV Imp. à filio Henrico Imperio spoliatus fuerit, quod hoc anno accidisse testatur Sigebertus in Chronico: *Calidus Papa*, inquit Herimannus, *Henricum adolescentem filium Henrici Imperatoris adversùs patrem concitat, & ut Ecclesiæ Dei auxilietur admonet; ille regni cupidus & gaudens se competentem occasionem & Apostolica auctoritate invenisse, contra patrem ferociter armatur, eumque regno propellit, ita ut præter Autbertum Leodiensem Episcopum nullum inveniret, qui sibi adhæreret. Juvenis frendens eò quod contra voluntatem suam a prædicto Episcopo pater suus in urbe Leodiensi retineretur, exercitum congregat & in die Sancto Parasceves* (qui hoc anno cum die XXIII mensis Martii concurrit) *Leodium violenter intrare parat. Præcedente igitur feria quinta cum Episcopus jam vesperis finitis ex more Ecclesiastico pedes Canonicorum lavaret & Cœnam Dominicam celebraret; ecce subitò nunciatur milites juvenis Regis castrum quod Visetum* (ad mosam positum) *dicitur obtinuisse: exiliunt cum impetu Leodienses & præcedente Namurcensi Comite obviam venientibus ire festinant; ecce autem dum militia novi Regis inconsultè & præpropere pontem Mosellæ fluminis.* (Sigebertus habet Mosæ) *conscendit, repente pons fluminis frangitur, & quingenti ferè*

milites

milites loricati, & armati cum equis in flumine corruentes necantur. Sicque Rex juvenis, quòd contra patrem tam solemni die pugnare voluisset, serò renitens (fortè legendum, pœnitens) *non sine magna confusione retrocedere, & Moguntiam redire compellitur; sed quia jam totum regnum, excepto Leodio obtinuerat, rursùm resumtis viribus contra patrem armatur, donec pater omni Principum auxilio destitutus in quodam castello ab eo includitur. Extat quædam Epistola ab eodem patre Philippo Regi Francorum scripta in qua de filio suo conqueritur, quam si quis legerit, & non fleverit, videtur mihi duri esse cordis.* Extat ea inter ejus Epistolas editas à Reinero Reineccio ad Vitam Henrici IV.

II. *Moritur Henricus Imp.*

II. Aliqui tamen tradunt, non paucos ei favisse: *Contigit interim, Imperatorem Leodio ægrotasse, & perductus usque ad mortem Kalendis Augusti diem ultimum clausit*, inquit Chronographus Hildensheimensis, qui bellum inter eum & Henricum filium gestum prolixè narrat, & ex Urspergensi Baronius. Eum tamen die septimo mensis Augusti obiisse notat Ordericus pag. 762. & pag. 819. eique alii passim suffragantur: *Henricus Imp. Alemannorum VII Idus Augusti expiravit, sed quia pro multis reatibus suis Ecclesiæ, teste Deo, non satisfecerat, terrâ caruit: nec per multos annos humano ritu sepeliri meruit. Karolus Henricus V filius ejus post eum imperavit, qui post tres annos Mathildam filiam Henrici I Regis Anglorum uxorem duxit, sed legitimum sibi de ea successorem non habuit*, inquit Ordericus in postremo loco citato.

III. *Scripsit ad S. Hugonem Abbatem Cluniac.*

III. Henricus Imp. Epistolas tres ad S. Hugonem Abbatem Cluniacensem relatas Tom. II Spicileg. Dacheriani pag. 396. & seqq. dedit, rogavitque, ut illum inviseret, quò pacem inire posset cum Summo Pontifice. In ultima hæc habet: *Notum facimus, Serenitati vestræ quod pro reparatione Ecclesiarum, quæ nostris temporibus nostris peccatis, heu! corruerunt, omnibus modis, pro ut Deus vires dederit, volumus laborare, & sanis consiliis omnium bonorum amodò acquiescere, si quo modo valeamus dispersa colligere, & hiantia cuneo schismatis, unionis glutino coadunare, atque ruinam Ecclesiæ, quæ per nos facta est, pacis & justitiæ instauratione recompensare. Præterea significamus vobis, quod si Deo propitio regnum & Sacerdotium in unum recolligere poterimus, post confirmatam pacem ire Jerusalem disponimus, & videre Sanctam Terram, in qua Dominus noster in carne visus est*, &c. Sed res in eo statu non erant, ut verbis ejus fides adhiberi posset. Obiit anno Regni sui quinquagesimo, in excommunicatione trium Romanorum Pontificum.

IV. *Concilium Guastallense.*

IV. Ad num. XXV ad XLII Concilium *Guastallense* celebratum est à Paschali Papa *XI Kal. Novemb.* in eoque statutum, *ut Episcopi & Clerici in schismate ordinati, si sint alioqui probati vita, suscipiantur*, quia nempe pauci Sacerdotes aut Clerici Catholici, in Longobardia reperiebantur, inquit Cencius Camerarius, ex quo plura referuntur Tom. X Concil. ibidem legenda. Porrò Guardastallum positum est super ripam Padi Fl. diciturque etiam *Wastallis*, hodie ditionis Ducis Mantuani. Vide dicta anno MCXVIII num. VIII & seqq.

V. *Paschalis II in Galliam venit.*

V. Ad num. XLII Paschalis Papa Rebus Germaniæ consulturus in Galliam venit, & in Burgundia Natale Domini apud Cluniacum celebravit, uti habet Baronius ex Urspergensi in Chron. Causâ adventus Pontificis in Galliam notavit Sugerius in Vita Ludovici Grossi Regis pag. 288. Tom. IV Duchesnii: *Sequenti Boamundi repatriationis anno, veneranda memoriæ universalis & Summus Pontifex Paschalis ad partes Occidentales cum multis & sapientissimis viris Episcopis, & Cardinalibus, & Romanorum nobilium comitatu, ut Regem Francorum, & filium Regem designatum Ludovicum, & Ecclesiam Gallicanam consuleret super quibusdam molestiis, & novis Investituræ Ecclesiasticæ querelis, quibus eam & infestabat, & magis infestare minabatur Henricus Imperator, vir affectûs paterni, & totius humanitatis expers, qui & genitorem Henricum crudelissimè persecutus exhæredavit, & ut ferebatur, nequissima captione tenens, inimicorum verberibus & injuriis, ut insignia Regalia, videlicet coronam, sceptrum, & lanceam S. Mauritii redderet, nec aliquid in toto regno proprium retineret, impiissimè coegit. Et quidem deliberatum est Romæ propter Romanorum conductitiam perfidiam de præfatis, imo de omnibus quæstionibus tutius Regis, & Regis filii, & Ecclesiæ Gallicanæ in Francia, quàm in urbe disceptare naufragio. Venit itaque Cluniacum, à Cluniaco ad Charitatem.* Boamundus Antiochiæ Princeps anno MCIV in Apuliam venit, uti scribunt Willelmus Tyrius lib. 11. cap. 1. & Fulcherius in Hist. Hierosol. lib. 2. Quare præsens annus secundus est ab ejus *repatriatione*, sed Sugerius secundi anni menses negligit. Qui modus annos numerandi ab Historicis quandoque usurpatus Chronologis, valde observandus, ne dum eos errare perperam putant, ipsimet errent.

VI. *Philippus Franciæ Rex mortuus anno MCVIII.*

VI. A num. XLIII ad XLIX. *Philippus* Francorum Rex anno tantum millesimo centesimo octavo è vivis excessit, Orderico lib. 11. Chronographo Malleacensi, & Fulcherio lib. 2. Hist. Hierosol. Auctoribus coævis testibus, quibus passim alii consentiunt. Ordericus, & quidam alii eum *IV Kal. Augusti* mortuum tradunt, quidam verò III. *Kal. Augusti*; quare priores diem mortis, posteriores diem sepulturæ notarunt. Mortuus est *anno regni sui XLVII*, inquit Ordericus, & liquet ex dictis. *Ludovicus* cognomento *Grossus*, hujus nominis VI, qui jam ab anno MXCIX Rex designatus fuerat, ut supra diximus, Aurelianis, reclamantibus Remensibus, ut videre est apud Baronium, coronatus est sequenti *Dominica*, ait Ordericus, ideoque die secunda mensis Augusti, quæ eo Christi anno cum Dominica concurrit, verùm non dubito, quin Ordericus hîc sicuti non rarò alibi, in Chronologiam peccet. Sugerius enim in Vita Ludovici Grossi Regis cap. 13. asserit, eum unctum & coronatum à Daimberto *Senonensi* Archiep. *Aureliani* die antecedenti, sc. *in die Inventionis Sancti Protomartyris Stephani*, quod & ex eo habet Continuator Aimoini cap. 50. *III Nonas Augusti*, (quod idem est) inquit Chronographus Senonensis. In Chron. S. Petri Catalaunensis Tom. I Biblioth. Labbei ad annum MCVIII legitur: *Philippi Regis obitus. Ordinatio Ludovici filii ejus vicesimo sexto anno ætatis ejus*, sed annum unum minus dicit; cùm Lisiardus Episc. Suessionensis in Vita S. Arnulphi sui decessoris prodat eum natum esse anno Dominicæ Incarnat. MLXXXI, *orationibus & meritis S. Arnulphi* impetratum. Sugerius in Ludovici Grossi Vita cap. 13. ait: *Præfatus Ludovicus, quoniam in adolescentia Ecclesiæ amicitiam liberali defensione promeruerat, pauperum & orphanorum*

phanorum causam sustentaverat, tyrannos potenti virtute perdomuerat, Deo annuente ad regni fastigia, sicut bonorum voto asciscitur; sic malorum & impiorum votiva machinatione, si fieri posset, excluderetur.

VII. *Tertia profectio Occidentalium in Terram Sanctam.* *Anno ab Incarnat. Domini MCVI in fine Februarii, quando Cometa longissimum crinem emittens in occiduis partibus apparuit, Boamundus famosus Dux post captam Antiochiam in Gallias venit,* (ex Apulia nempe), *& Constantiam Regis Francorum Philippi filiam* (ex Berta nempe legitima conjuge) *uxorem duxit, & nuptias honorabiles apud Carnotum administrante sufficienter apparatum Adela Comitissa* (Blesensi nempe & sorore Henrici Angliæ Regis) *celebravit. Tunc tertia profectio Occidentalium in Jerusalem facta est, multorumque maxima conglobatio militum pedibus suis Bizanteum stemma proculcare minitantium contra Turcos progressa est. Ceterùm justissima Dei dispositio conatus concupiscentium invadere rem proximi sui frustrata est: unde superba conglomeratio ambitiosorum nihil eorum, quæ in cassum rata fuerat, adepta est*, inquit Ordericus lib. 5. pag. 589. Addit Willelmus Tyrius lib. 11. cap. 1. Boamundum alteram filiam Philippi Regis nomine *Ceciliam* ex Bertrada natam Tancredo nepoti suo destinasse uxorem. Peractum *Constantiæ* matrimonium coram Philippo Rege, & multis Episcopis, ac Regni Proceribus: *Affuit etiam ibidem*, inquit Sugerius in Vita Ludovici Crassi cap. 9. *Romanæ Sedis Apostolica Legatus Domnus Bruno Signiensis Episcopus, à Domino Paschali Papa ad invitandam & confortandam sancti Sepulchri viam Dominum Boamundum comitatus. Unde plenum & celebre Pictavis tenuit Concilium, cui & nos interfuimus, quia recenter à studio redieramus. Ubi de diversis Synodalibus, & præcipuè de Hierosolymitano itinere, ne tepescat, agens, tam ipse, quàm Boamundus, multos ire animavit.* Habitum illud Concilium *VI Kal. Julii*, ut refert Chronographus Malleacensis, & Boamundus *mense Martio* in Gallias adventavit, ut docet Ordericus lib. 11. pag. 816.

VIII. *S. Anselmus in Angliam redit.* Hoc anno S. Anselmus, qui in Galliis agebat, ab Henrico Rege revocatus est in Angliam, misso ad eum Willelmo Legato suo; ipsemet Rex in Normanniam venit, ubi Anselmus ægrotabat: *Igitur in Assumptione B. Mariæ*, inquit Eadmerus lib. 4. Novorum cap. 3. *Rex Beccum* (monasterium est in diœcesi Rotomagensi trans Sequanam ad rivum Beccam prope amnem Rillam) *venit, celebratoque ab Anselmo solenni Missæ officio, unà Rex scilicet & ipse convenerunt, & tandem omnia quæ illos in diversa traxerant, pacem & concordiam invenerunt. Siquidem Ecclesias Angliæ, quas Willelmus Rex frater Regis Henrici sub censum primus redegerat, liberas ab eadem exactione Rex in manus Anselmi reddidit: & se de ipsis, dum viveret, nihil accepturum, quamdiu essent sine Pastore, promisit. Pro pecunia autem, quam à Presbyteris acceperat, eam emendationem spopondit, ut ii, qui nondum inde quid dederant, nihil darent; & qui dederant, tribus annis sua omnia in pace & quiete libera possiderent. Cuncta verò, quæ de Archiepiscopatu, exulante Anselmo, suo jussu accepta fuerant, se redditurum cùm in Angliam esset reversus, dato vadimonio, pollicitus est. His & aliis, quæ res expetebat, inter viros compositis Anselmus iter Angliam remeandi ingressus est.* Paucis interpositis: *Itaque posthac, ii qui Ecclesiis ac monasteriis, pro exigenda Regia pecunia, fuerant intromissi, ejecti sunt; & personis cujusque Ecclesiæ, res intus & extra ad communem utilitatem commendatæ. Presbyterorum etiam causæ, sicut Regem Anselmo promisisse diximus, dispositæ sunt; atque id ipsum per totum regnum divulgatum. Rex ipse inter hæc Normanniam sibi bello subegit*, & quidem præsenti anno; sed quia Baronius rem anno sequenti narrat, ejus ordinem sequemur.

IX. *Annus natalis Alfonsi VII Imperatoris Hispaniæ incertus.* Postquam Præfectus Maurorum Africæ à Miramolino Almorabitarum missus, magnam partem Hispanicæ Saracenicæ subegit, hoc anno ejus regimen *Abdallæ* tradidit, uti narrat Sandovalius fol. 96. Hoc pariter anno, uti in Cartulario legitur, Asturicæ idem Alfonsus Chartam dedit subscriptam *erâ quatuordenâ centenâ & quaternâ post peracta millesima.* In ea dicitur, *Alfonsum Imperatorem* totius Hispaniæ regnare cum *Isabella* conjuge. Recentes Scriptores Rerum Hispanicarum nativitatem *Alfonsi* VII, cui nationes omnes titulum *Imperatoris Hispaniæ* tribuêre, hoc anno collocant; à quibus dissentit Garibaius, qui Raimundi Comitis ejus patris mortem cum anno MC connectit. Verùm de anno natali Alfonsi VII nihil illi certi in medium adducunt. Quoad *Raimundum Comitem*, patrem ejus, Alfonsi VI generum & Gallæciæ Principem, is è vivis excessit post mensem Aprilem anni MCVII; Sandovalius enim fol. 96. Chartam refert die XVII April. ejusdem anni datam, qua constat, eum adhuc in vivis fuisse, qui tamen die XXIX Decemb. ejusdem anni jam obierat, ut liquet ex alia Charta ab eodem in Historia Salmanticensi recitata.

X. *Alfonsus Aragon. Rex ad Sacralia victus.* Hoc anno mortuus est *Josephus*, seu *Jussephus* Imperator Almorabitarum seu Saracenorum Africæ & Hispaniæ; Noweirius enim anno Hegiræ D. obitum ejus consignat, quo anno *in campo Zalla, quæ prope Badalloz* (*vulgò Badaioz*) *cum Aldefonso Rege acriter dimicavit*, inquit Rodericus in Hist. Arabum cap. 48. Describit illud prælium Rodericus in Hist. Goth. lib. 6. cap. 32. atque, *licet multi de Arabibus periissent, tot & tanti de Christicolis perierunt, quod illius belli strages & memoria quasi in proverbium adhuc extant.* Locum prælii, quem in Hist. Arabum *Zallam*, hìc *Sacralia* appellat; Petrus verò Episcopus Legionensis, qui prælio interfuit, eum vocat *Saltatrices*, ut videre est apud Sandovalium, qui Opus ejus MS. habuit, in Alfonso VI fol. 95. Rodericus in Hist. Gothica non nominat Imperatorem *ad Sacralia* victorem; sed ex iis, quæ in Hist. Goth. cap. 33. habet, videtur intelligere *Alim* seu *Halim*, cùm eum ibi nominet; & revera, qui Saracenos ducebat, vocabatur *Abenjufaz* (qui idem est ac Ebenjufaz filius Josephi, idemque ac Hali), & *Josephus* non nisi sub finem hujus Christi anni demortuus. Petrus Legionensis citatus tradit, *Halim* post hoc insigne prælium in Africam transfretasse relicto Abdalla Vicerege, ex quo eruitur, Josephum tunc demortuum, & Alim Marocum perrexisse, ut sedis imperii possessionem iniret. Hæc enim inter se optimè conveniunt. Deinde *Alis* Imperator mare iteratò trajecit, annoque MCVIII ad *Uclesium* Christianos vicit, ut ibi videbimus.

ANNO

SÆC. XII
An. C. 1107.
Anno Eræ Hispan. MCXLV.
Anno Hegiræ DI inchoato die 22. Aug. fer. 5.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6600.

☉ 24. F. ☽ 6. P. 14. April. Indict. 15.

JESU CHRISTI 1107.

PASCHALIS II PAPÆ 9.

HENRICI V REG. 2.

ALEXII COMNENI IMP. 27.

I. *Paschalis II in Galliam venit.*

ANNum. I ad VI. Anno superiori diximus, Paschalem II Natale Domini in monasterio Cluniacensi celebrasse; nunc ejus Itinerarium ex Sugerio in Vita Ludovici VI Francorum Regis cap. IX, aliisque monumentis describendum: *Venit itaque*, inquit Sugerius, *Cluniacum, à Cluniaco ad Charitatem* (ubi hodie oppidum est Nivernensis provinciæ ad Ligerim fl. non longè à monasterio positum), *ubi celeberrimo Archiepiscoporum, & Episcoporum, & Monastici Ordinis Conventu eidem nobili monasterio sacram dedicationis imposuit. Adfuerunt & nobiliores regni Proceres*, &c. *cui consecrationi & nos ipsi interfuimus.* In Chronico Fiscannensi Tom. I. Biblioth. Labbei ad annum MCV legitur: *dedicatio de Charitate à Paschali Papa VII Idus Martii*, ubi tamen Auctor, vel potius Librarius in anno rei gestæ errat; ea enim anno MCVI more Gallicano annum à Paschate exordiente peracta. Sed ante eum diem aliæ dedicationes ab eodem Pontifice factæ; in monasterio enim Besuensi in diœcesi Lingonensi sito, *ubi usque in diem tertium demoratus* est, altare SS. Petri & Pauli in honore eorundem consecravit, ibique Missam solemniter celebravit, ut legitur in Chronico Besuensi pag. 638. ubi & dicitur, id factum esse *die XII Kalend. Martii.* Imò Chifflerius in Probationibus ad Diatribam *de Illustri genere Sancti Bernardi Abbatis* pag. 428. hæc refert ex autographo Sancti Benigni Divionensis: *Anno dominicæ Incarnat. MCVI* (qui nobis est MCVII) *quarto decimo Kalendas Martii, quo anno & die venerabilis Papa Paschalis Divionensem consecravit Ecclesiam, adhærentibus & obsequentibus sibi Richardo Albanense Episcopo*, &c. quod etiam legitur in Chronico Divionensi ibidem apud Labbeum. His addo, in Chronico Dolensi seu monasterii Dolensis in Archiepiscopatu Bituricensi positi, apud eumdem Labbeum haberi hoc anno: *Consecrata est Ecclesia Dolensis à Domino Papa Paschali, quo jubente altare B. Mariæ consecratum est ab Episcopo Placentino, &c. ipse verò Papa Apostolorum Petri & Pauli consecravit.* Sed redeo ad Sugerium, prætereoque varias dedicationes, & concessiones ab eo in aliis Urbibus, per quas transivit, factas.

II. *Summo honore excipitur.*

Pergit Sugerius. *Cumque Turonis apud S. Martinum, ut mos est Romanus, Frigium* (seu Phrygium, præcipuum capitis summi Pontificis ornamentum, quod hodie triplici Corona insigne est, vulgòque *Regnum* à Scriptoribus appellatur, quo in solemnibus ceremoniis utitur) *ferrent, Lætare Hierusalem celebrasset*, (id est, Dominicam quartam Quadragesimæ) *ad venerabilem beati Dionysii locum* (seu monasterium) *tanquam ad propriam B. Petri sedem, benevolus & devotus devenit*, &c. *Occurrit itaque ei ibidem Rex Philippus* (qui ideo anno superiori mortuus non est, ut credidit Baronius,) *& Dominus Ludovicus filius ejus gratanter & votivè, amore Dei Majestatem Regiam, pedibus ejus incurvantes, quemadmodum consueverunt ad sepulchrum piscatoris Petri Reges submisso Diademate inclinari* (vides Bertradam non fuisse in Aula, ideoque & antea Regem eam reliquisse.) *Quos Dominus Papa manu erigens tanquam devotissimos Apostolorum filios ante se residere fecit.*

SÆC. XII. An. C. 1107.

III. *Petit auxilium adversus Henricum Imp.*

Cum quibus de statu Ecclesiæ, ut sapiens sapienter agens, familiariter contulit, eosque blandè demulcens Beato Petro sibique ejus Vicario supplicat opem ferre, Ecclesiam manu tenere, & sicut antecessorum Regum Francorum Caroli M. & aliorum mos inolevit, tyrannis & Ecclesiæ hostibus, & potissimum Henrico Imperatori audacter resisterent. Qui amicitiæ, auxilii, & consilii dextras dederunt, regnum exposuerunt (idest, ut puto, corouam Regalem) *& qui cum eo Catalaunum Imperatoris Legatis occurrere festinent, Archiepiscopos, & Episcopos, & Abbatem S. Dionysii Adam, cum quo & nos fuimus, conjunxerunt. Ubi cum Dominus Papa aliquantisper demoraretur*, venerunt Legati Henrici Imp. & dixêre, hoc ad jus Imperii pertinere, in omni electione requiri assensum Imperatoris, ut electus annulo & virga investiatur. Respondit Summus Pontifex Episcopi Placentini voce: *Ecclesiam pretioso J. C. Sanguine redemptam & liberam constitutam, nullo modo iteratò ancillari oportere.* Cumque hæc & his similia Legati audissent; *Non hic, inquiunt, sed Romæ gladiis determinabitur querela.* Summus Pontifex viros misit ad Cancellarium Imperatoris, qui eum exorarent, ut paci operam daret. Hæc Sugerius, qui non dicit qua in urbe Papa Pascha peregerit; sed illud nos docet Ordericus lib. XI pag. 810. *Tunc venerabilis Ivo Carnotenæ urbis Episcopus, inter præcipuos Franciæ doctores eruditione literarum tam divinarum, quam secularium floruit: à quo invitatus Papa solemnitatem Paschæ apud Carnotum celebravit. Adela quoque Comitissa largas ad ministerium Papæ impensas contulit, & benedictionem sibi dominique* (legendum, domuique) *suæ in æternum à Sede Apostolica promeruit.*

IV. *Concilium Trecis celebrat.*

Postea Paschalis II *circa Ascensionem Domini Concilium non modicum apud Trecas habuit*, ubi inter alia sententiam de libera Pastorum electione promulgavit, ut refert Baronius ex Urspergensi. In Chronico Divionensi Sancti Benigni Tom. I Biblioth. Labbei Concilium illud *Idibus Maii* dicitur coactum, ideoque hæc Epocha rectè ab Urspergensi notata. In eo Paschalis Papa *inter alia cum ageret de Guibertinis, fertur dixisse Richardum Virdunensem, qui se tradidit Regiæ Curiæ, & nos tradimus eum satanæ; inde Archiepiscopo Treverorum aliisque denunciavit eum excommunicatum*, inquit Laurentius de Leodio in Hist. Episc. Virdunen. Tom. XII Spicilegii Dacheriani. *Per septem annos* Richardus sine benedictione Episcopali fuit, & sub anathemate Sedis Apostolicæ degit, mortuus apud Cassinum Montem anno VII quo Virdunensis Ecclesiæ erat electus, necdum tamen consecratus Episcopus, dum petiam veniam à Papa & impetratam expectaret. Præterea, ut inquit Chronographus Senonensis, *in eo intentio Paschalis Papa maxima fuit de Hierosolymitano itinere, & de treuva Dei*, idest de treuga in bellis, quæ inter privatos gererentur. Quo spectant ista quæ hoc anno in Chron. Malleacensi leguntur: *Ibi quoque decretum, ut per nullam guerram incendia domorum fierent, nec oves aut agni raperentur.* Po-

SÆC. XII. An. C. 1107.

stea Paschalis II *autumni tempore ex Gallia Romam redit*, inquit Urspergensis.

V. *Normannia Angliæ adjuncta.*

A num. VI ad XII. Non hoc anno, ut putavit Baronius, sed præcedenti *Henricus* Angliæ Rex Normanniam occupavit, sicut anno superiori ex Eadmero in lib. 4. Novorum insinuavimus. Henricus Rex, inquit Dunelmensis ad annum MCVI, *ante Augustum mensem transivit mare, vadens in Normanniam, cui ferè omnes primi Normannorum se dederunt*, paucis exceptis, *qui se tenebant cum Comite Rodberto*. Postquam Henricus Rex S. Anselmum apud Beccum monasterium visitavit, *congregato exercitu*, ad quoddam castrum, *quod vocatur Tenercebrei, perrexit, & obsedit illud. Interim dum ibi moraretur, venit Comes frater Regis Rodbertus super eum cum exercitu suo in vigilia S. Michaelis*, sed jus & victoria facta est Regis. *Ibi captus est Rodbertus Comes Normanniæ*, & plures alii cum eo. *His ita gestis Rex subegit sibi totam Normanniam*, & hoc per literas Anselmo indicavit. Eas recitat Baronius num. VII. *Idem dies*, inquit Malmesburiensis in Henrico I pag. 158. loquens de vigilia S. Michaelis, *ante quadraginta annos fuerat, cùm Willelmus primus Hastingas appulit: providè forsan Dei judicio, ut eo die subderetur Angliæ Normannia, quò ad eam subjugandam olim venerat Normannorum copia.* Villelmum autem Conquæstorem anno MLXVI in vigilia S. Michaelis in Angliam appulisse, eo Christi anno ostendimus, ideoque anno præcedenti juxta Malmesburiensem Normannia ab Anglis capta, quod & testantur Gemmeticensis lib. 8. cap. 13. Radulfus de Diceto in Abbreviat. Chronicorum, Matthæus Parisiensis, aliique. Post hæc Henricus Anglorum Rex & Normannorum Dux appellatus.

VI. *Concilium Londinense.*

Hoc verò anno Anselmus in Anglia totus fuit in componenda Anglicana Ecclesia, quia induciarum tempus effluxerat ad Kalendas Augusti: quod tempus Episcoporum Conventui, & negotiis ibi tractandis Henricus Rex præfixerat. Rem gestam narrat Eadmerus, qui Conventui seu Concilio Londinensi adfuit, lib. 4. Novorum: *In Kalendis ergo Augusti Conventus omnium Episcoporum, Abbatum, & Procerum regni, Lundoniæ in Palatium Regis factus est. Et per tres continuos dies, absente Anselmo, inter Regem & Episcopos satis actum de Ecclesiarum Investituris: quibusdam ad hoc nitentibus, ut Rex eas faceret more patris & fratris sui, non juxta præceptum & obedientiam Apostolici. Nam Paschalis Papa, in sententia, quæ exinde promulgata fuerat, firmus stans, concesserat hominia, quæ Urbanus Papa æquè ut Investituras interdixerat: ac per hoc Regem ibi de Investituris consentaneum fecerat. De hinc præsente Anselmo, adstante multitudine, annuit Rex, & statuit, ut ab eo tempore in reliquum nunquam per donationem baculi Pastoralis vel annuli quisquam de Episcopatu vel Abbatia per Regem vel quamlibet laicam manum investiretur in Anglia; concedente quoque Anselmo, ut nullus in prælationem electus, pro hominio, quod Regi faceret, consecratione suscepti honoris privaretur. Quibus ita dispositis, penè omnibus Ecclesiis Angliæ, quæ suis erant Pastoribus diu viduatæ, per consilium Anselmi ac Procerum regni sine omni virgæ Pastoralis aut annuli Investitura, Patres à Rege sunt instituti. Instituti quoque sunt ibidem & eodem tempore ab ipso Rege quidam ad regimen quarumdam Ecclesiarum Normanniæ, quæ similiter suis erant Patribus destitutæ.* De hoc Concilio legendus Petrus Blesensis in Continuat. Ingulphi pag. 126. *quantum tunc*, inquit, *gaudium agitabat Clerus, quàm devotus arridebat populus, quam solemniter & sanctè omnes & singuli Regis animum ad sidera extollebant, nullus ediceret, nec Tullius edoceret.* Subjungit, S. Anselmum, assistente sibi Gerardo Archiep. Eborac. *uno die* sex Episcopos à suis Ecclesiis canonicè electos consecrasse.

VII. *Hildebertus Episc. Cenomanensis à Vuillelmo II Angliæ Rege vexatus.*

A num. XII ad XV. *Hildebertus* Cenomanensis Episcopus celeberrimus, non ab Henrico Angliæ Rege, ut arbitratus est Baronius, sed à Vuillelmo II ejus decessore in carcerem conjectus, malèque habitus; idque initio Episcopatus ejus, & ante annum millesimum centesimum. Nam Hovedenus part. I. ad annum MXCVIII ait: *Æstatis tempore Willelmus Rex Anglorum junior civitatem, quæ Cenomannis dicitur, magnamque partem illius per vim suæ ditioni subegit*, illius nempe *Provinciæ*, ut habet Simeon Dunelmensis, qui idem refert. Auctor tamen novæ Chronologiæ Saxonicæ, cujus major est fides, cùm coævus sit, ait id contigisse anno MXCIX. Nunc audiendi Hildebertus, & Auctor Anonymus de Gestis Episc. Cenomann. Hildebertus in Epistola XX ad Paschalem II ait: *Longum esset narrare quàm constante tyrannide Rex Anglicus in nos sævierit.* Alfordus anno MXCVII num. XXX integram illam Hildeberti Epistolam recitat, aitque, *Guillelmum intelligi opinarer, nisi Baronius ad Henricum I retulisset.* Verùm vetera Acta Cenomanensium Episcoporum à Mabillonio Tom. III Annalect. publicata, cap. 35. narrant quanta passus sit Hildebertus à Rege Angliæ, qui *Heliam* Comitem Cenomanensem ex ea urbe expulerat, eamque sibi subjecerat, petens ab Hildeberto, ut turres Ecclesiæ dirui præciperet, ex qua eversione Præsul clarissimus grande periculum Ecclesiæ suæ imminere prævidebat. Minabatur Rex urbem incendere, jamque Clericos ab urbe eliminarat. Sed dum *Hildebertus* Dei clementiam jugiter precaretur, ut ab Ecclesia & populo sibi commisso iram indignationis suæ dignaretur avertere, Rex ille *dum quadam die in silvam venandi gratiâ perrexisset, ab uno ex militibus, qui secum ierant, sagitta percussus interiit*, inquit Auctor Anonymus Actorum illorum, quem manifestum est intelligere *Guillelmum* II anno MC in venatione interemptum. Post ejus mortem civitas hostibus erepta, & ab Helia occupata. Ivo Carnotensis Epist. LXXIV ad Hildebertum datâ, significat eum de proditione urbis nuper facta insimulatum fuisse apud Regem, qui nolebat illum hujus proditionis immunem credere, nisi *igniti ferri examinatione innocentiam suam demonstraret*; ad quod cùm paratus esset Hildebertus, Ivo qui ab eo consultus fuerat, scripsit, *Monomachiam & ferri calidi examinationem, nec consuetudo Ecclesiastica in discutiendis causis Ecclesiasticis recipit, nec Canonica auctoritas instituit*, quod variis Decretis demonstrat. Ea Epistola vel anno MXCIX vel insequenti scripta.

VIII. *Romam petit.*

Pacata igitur civitate, inquit Anonymus laudatus, *& hostibus inde effugatis, Hildebertus Romam proficiscitur: quem Paschalis Papa in notitiam suam attentiùs accepit & familiaritatem. Deinde illo Apuliam, Siciliamque progresso, sibi universi, quasi Angelo Dei, honorem exhibebant & reverentiam. Dux enim Apuliæ & avunculus ejus Comes Siciliæ Rogerius, auditâ famâ scientiæ*

Præsulis

SÆC. XII. An.C. 1107. *Præsulis & honestatis, illum cum maximo honore & incredibili reverentia susceperunt.* Quibus ex verbis intelligimus, Hildebertum ante mensem Julium anni M C I profectionem illam Italicam suscepisse; cùm iis mense & anno *Rogerius* Comes Siciliæ, à quo tunc cum bonore exceptus est, obierit; huic enim alter *Rogerius* Roberti Guiscardi filius, Apuliæ Dux, nepos fuit. Scripsit Hildebertus ad Paschalem II Epistolam à Baronio num. X I I I recitatam, dum in Galliam rediret, quam ideo seculi hujus initio datam oportet. Ait in ea se ejus orationibus debere, quod in Barbarorum manus non inciderit, quo nomine Saracenos intelligit: *Ii Catholicæ*, inquit, *religionis expertes, & hostes in insulam beatissimi Honorati sacratissimo die Pentecostes in multis navibus delati sunt. Ibi ad fundamentum monasterio penitus everso, plurimi Monachorum Gladio percussi ceciderunt, reliquis & latibulis & turre proxima consultum*, &c.

IX. *Monasterium Lerinense à Saracenis sæpius eversum.* Vincentius Barralis in Chronologia insulæ Lerinensis part. 2. texit catalogum Abbatum Lerinensium, & pag. 157. loquens de *Aldeberto* II Abbate Lerinensi ait, eum *anno MCI imminente senuado* mortuum esse, & quia non legerat laudatam *Hildeberti* Epistolam de hac Lerinensis monasterii eversione nullam mentionem facit; imò aliam, quæ eamdem jam à multis annis præcesserat, fictitiam credit. pag. enim 152. loquens de *Aldeberto* hujus nominis I anno MXLVI Abbate creato ait *in quodam catalogo codicis perantiqui monasterii Lerinensis*, in quo omnes Abbates ab eo anno usque ad annum MCCCCXX recensentur, legi Aldeberto I Abbatiam administrante *destructum fuisse primo anno ordinationis illius monasterium Lerin. & non readificatum neque erectum, ni post annos X L I I ab illius successore Aldeberto II*, sed huic ruinæ se non *de facile* assentiri; *cùm nullos exprimat invasores*. Verùm frivolum hoc argumentum negativum; præsertim cùm ipsemet pag. 157. scribat, *Aldebertum* II anno MLXXXVIII monasterium & Ecclesias reparasse & cultui Divino iterùm dedicasse, ideoque anno X L I I ab eversione, quæ sub Aldeberto I contigerat. Præterea ipsemet pag. 164. ait, Ecclesiam Lerinensem anno MCLIX perfectam, & solemniter consecratam esse, quod ex Actis monasterii demonstrat. Quare Ecclesiam & monasterium Lerinense circa hujus seculi initium Saraceni destruxerant. In eo etiam fallitur Vincentius Barralis, quod tradit *Aldebertum* II condidisse monasterium hodiernum ad repellendos Saracenos turris instar ædificatum; id enim nonnisi Lucio III Ecclesiam Romanam regente contigit, ut sub ejus Pontificatu demonstrabimus. Hunc Historicum decepit Rescriptum Honorii Papæ à se pag. 159. recitatum, in quo Pontifex Fideles hortatur, ut auxilium porrigant Monachis Lerinensibus *ad construendam contra Saracenorum impetum munitionem*. Illud enim non hoc seculo ab Honorio II, sicut ipse, eumque secutus Bouchæus in Hist. Provinciæ Tom. 2. pag. 110. arbitrati sunt, sed seculo sequenti ab Honorio Papa III emissum, ut ejus lectio perspicuum reddit; cùm in eo mentio sit remissionis peccatorum concessæ ab *Eugenio Papa* Jerusalem pergentibus, quam extendit ad fideles Lerinenses in hoc pio opere adjuturos: nam is *Eugenius* alius esse non potest quàm Eugenius III, qui hoc seculo aliquot annis post *Honorium* II Ecclesiæ Romanæ præfuit.

Ad num. X V & seqq. Daiberto Hierosolymorum Patriarcha *XVI Kal. Julii* demortuo in ejus locum substitutus est *Gibelinus* Arelatensis Archiepiscopus, ut narrat Baronius ex Willelmo Tyrio lib 11. cap. 4. Hoc etiam anno, ut inquit Fulcherius in Hist. Hierosol. lib. 2. *postquam Boamundus de Galliis regressus est, congregata gente quantumcumque potuit in portu Brundusino, qui est in Apulia, classem suam paravit. Qui cùm tempus ad transfretandum expectasset opportunum, VII. Idus Octob. naves ingressi Bulgariam navigaverant, & Avalonis portu applicuerunt. Et Avalone citissimè capta, Duratium urbem adeuntes, III Idus Octob. obsederunt. Sed quia civitas illa tam hominibus, quàm victualibus satis erat munita, illa obsessores diu fatigavit*, &c. *Erat quidem Imp. Constantinopolitanus Alexis nomine genti nostræ tunc contrarius, & Hierosolymam peregrinantibus vel fraude clandestina, vel violentia manifesta tam per terram, quàm per mare perturbator & tyrannus. Quapropter Boamundus, collecto, ut dictum est, exercitu, terram illius intravit; civitates & oppida comprehendere nitens.* At Duratium expugnare non potuit. SÆC. XII. An. C. 1107. X. *Gesta in expeditione Hierosolimitana.*

XI. *Moritur Isabella IV uxor Alfonsi VI.* Sandovalius in Alfonso VI refert, *Isabellam* Alfonsi VI Castellæ & Legionis Regis quartam uxorem è vivis excessisse, quod probat ex hujus Reginæ Epitaphio ejus sepulchro apud S. Isidorum Legionensem litteris Gothicis inscripto: *H R* (idest, hîc requiescit) *Regina Elisabet, filia Ludovici Regis Franciæ, Uxor Regis Alfonsi, qui cepit Toletum. Obiit era MCXL*, sed legendum, MCXLV. At Epitaphium istud à quodam imperito longè post hujus Reginæ mortem positum. Nullus enim hoc anno Ludovicus in Francia regnabat præter Ludovicum Philippi Regis filium in consortium Regni adscitum, qui junior erat, quàm ut posset Isabellæ pater esse. Quod hîc observandum duxi, ut principium à me non semel inculcatum magis corroborem, plura nempe Epitaphia Principum vel Magnorum Virorum tumulis inscripta, nova esse, ideoque suspectæ fidei. Ceterùm Isabellæ mors hoc anno non contigit, cùm Sandovalius ibidem Chartam laudet, integram à se in Historia sua Salmaticensi recitatam. Data ea erâ MCXLV, die XXIX mensis Decemb. in qua Alfonsus VI testatur, *Isabellam* conjugem eam confirmare; quod si ea die illo corpore valebat, verosimile non est, die XXX aut insequenti naturæ debitum solvisse. *Isabella* itaque hyeme anni sequentis demortua, statimque *Alfonsus* Beatricem, cujus familia ignoratur, sibi copulavit; Sandovalius enim fol. 96. Chartam aliam exhibet, in qua ea die XXVIII mensis Maii Regina dicitur, & uxor Alfonsi Regis.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6601. Anno Eræ Hispan. MCXLVI.

☉ 25. E D. ☽ 7. P. 5. April. Indict. 1. Anno Hegiræ DII, inchoato die 11 Aug fer 3.

JESU CHRISTI 1108.

PASCHALI II PAPÆ 10.

HENRICI V REG. 3.

ALEXII COMNENI IMP. 28.

I. *Concilium Beneventanum.* AD num. II & seq. Illis quæ Petrus Diaconus in Chron. Cass. lib. 4. cap. 34. de

Concilio Beneventano refert, addendum quod scribit Falco Beneventanus in Chron. anno MCII inchoato, & usque ad annum MCXL perducto: *Anno MCV Indict. XIV* (Is annus nobis est MCVI, quia à Kalendis Martii Falco annum inchoat.) *mense Januario & Februario nix magna fuit & fluminum inundatio, stella Cometes ad Occasum apparuit: triduo enim post venit Papa Beneventum. Sequenti anno* (nempe MCVII) *obiit Henricus Teutonicorum Rex* (hujus nominis IV). *Anno MCVIII indict. II* (à Septembri inchoata) *Papa Paschalis venit Beneventum, qui mense Novembri ordinavit Landulfum Archiepiscopum.* Hæc ad aliquas Paschalis II literas sui anni reddendas conducere potuerunt. Porro hoc Concilium adversus Investituras celebratum.

II. *Concilium Londoniense.* A num. IV ad X. *Rex Henricus*, inquit Eadmerus lib. 4. Novorum cap. 3. *considerans pene totum regnum* (nempe Angliæ) *in gravem ærumnam multis ex causis decidisse, per consilium Anselmi & Procerum regni operam dare instituit, qualiter aliquo modo mala, quæ pauperes maxime deprimebant, mitigarentur: cujus boni exordium gnarus in sua Curia cœpit.* Paulò post: *Divina nihilominus Officia quoniam indigne per quorumdam Sacerdotum manus eò usque tractabantur, felicius instituit, ut ipsi suo ritu caste celebrarentur. Multi nempe Presbyterorum statuta Concilii Londoniensis, necnon vindictam, quam in eos Rex exercuerat, quorum superius mentionem fecimus, postponentes, suas fœminas retinebant, aut certè duxerant, quas prius non habebant. Quod incontinentium crimen Rex subvertere cupiens, adunatis ad Curiam suam in solemnitate Pentecostes apud Londoniam cunctis Majoribus regni, de negotio cum Anselmo Archiepiscopo & ceteris Episcopis Angliæ tractavit, eosque ad malum illud extirpandum Regalis auctoritate atque potentia fultos roboravit.* Deinde refert Anselmus Decreta pro extinguendo usu concubinarum inter Viros sacros in illo Concilio Londoniensi condita, graves pœnas in transgressores decretas, necnon in Decanos aut Archidiaconos cum eis conniventes.

III. *In Normannia incontinentia inter Clericos grassatur.* Nec minus in Normannia inter Clericos incontinentia grassabatur. Gaufridus enim Grossus Monachus Tironiensis in Vita beati Bernardi Abbatis ejusdem monasterii, cujus discipulus fuit, cap. 6. scribit: *Porro pro consuetudine tunc temporis per totam Normanniam hoc erat, ut Presbyteri publicè uxores ducerent, nuptias celebrarent, filios ac filias procrearent, quibus hereditario jure post obitum suum Ecclesias relinquerent, filias suas nuptui tradentes, multoties, si aliud deesset possessionis, Ecclesiam dabant in dotem. Dum autem uxores acciperent, antequam sibi eas conjungerent, in præsentia parentum jurabant, quod nunquam eas desererent. Hoc itaque facientes juramento se alligabant, quod nunquam fornicatores esse desinerent, nunquam ad Christi Corpus & Sanguinem nisi rei & indignè accederent, & indignè accedentes judicium sibi manducarent & biberent. Contra hanc mortiferam consuetudinem servus Dei Bernardus in conventiculis Sacerdotum studiosè disputabat, & ut eam relinquerent, magnopere satagebat. Quosdam itaque abstraxit: maximam tamen partem illorum ab hujus mortis abstrahere nequivit barathro, unde factum est, ut uxores Presbyterorum, metuentes ab eis disjungi, cum suis auxiliariis eum perimere quærerent, ipsi quoque Sacerdotes insidias pararent, deserendo eum ut à prædicatione revocarent*; quod tamen frustra fuit.

IV. *Concordia inter Alexium Imp. & Boamundum Antiochiæ Principem constituta.* Ad num. X & seqq. Hoc anno concordia per internuncios inter *Alexium* Imp. & *Boamundum* Antiochiæ Principem constituta. *Juravit enim Boamundo Imperator super Reliquias pretiosissimas, peregrinos tam in terra, quam in mari, quanto latius Imperium ejus extendebatur, ab illo die deinceps se salvaturum & conservaturum: ne quis eorum deperiretur, vel male tractaretur. Ille quoque Imperatori juravit pacem & unitatem omnimode tenendam. Qui postmodum occasione habita Apuliam remeavit, partem exercitus sui minorem secum ducens*, inquit Fulcherius lib. 2. Hist. Hierosol. cui suffragatur Willelmus Tyrius lib. 11. cap. 6. & uterque addit, *Philippum* Francorum Regem hoc anno è vita migrasse.

V. *Instituitur Congregatio Tironensis à B. Bernardo.* Chronographus Malleacensis ad præsentem Christi annum scribit: *Bernardus Abbas* (Monasterii S. Cypriani in prospectu Pictaviensis urbis aliàs constructi) *in Pertico* (regio inter Carnotenses, Cenomanenses, Vindocinenses & Ebroicenses sita, vulgò *le Perche*) *cœpit suum Cœnobium ædificare in loco, qui vocatur Tiro* (erat locus silvestris in prædio Carnotensis Ecclesiæ) *in honore S. Martini, ubi plus centum Monachorum insimul habuit.* Ex iis tamen quæ leguntur in ejus Vita scripta à Gaufredo Grosso, qui sub ipso Monachus Tironii vixerat, ad diem XIV mensis Aprilis in Actis SS. Bollandianis recitata, cap. 8. apparet, Congregationis beati Bernardi initium ad sequentem annum differendum esse. Ibi enim legitur, *Bernardum* venientem ad silvam diœcesis Carnotensis, *quæ Tiro dicitur*, eam peragrare curasse, eique loci planitiem placuisse, ac ad discipulos, qui in Britanniæ ac Normanniæ finibus remanserant, remeasse, ut eos ad se colligeret: *Et secum Tironium adducens, ibi cum eis deinceps habitavit. Anno igitur incarnati Verbi MCIX, aggregatis discipulis, accepta benedictione à bonæ memoriæ Domino Ivone, Carnotensis Ecclesiæ tunc temporis Pontifice, primam Missam celebravit in die sancto Paschæ, in monasterio ligneo jam ædificato, in possessione, quam sibi memoratus Princeps Rotrocus donaverat.* Rotrocus in Vita beati Bernardi dicitur *Consul* seu Comes Perticì, hæc enim vocabula jam ante ista tempora pro uno eodemque usurpata. Ibidem etiam num. LII Congregationi beati Bernardi dicuntur subfuisse *centum cellæ*, sive ex iis forent Abbatiæ, sive Præpositure. Regula S. Benedicti in eo servata.

VI. *Duces Alfonsi VI ab Imperatore Almoravidarum victi.* Toletanus lib. 6. de Reb. Hisp. cap. 33. refert prælium habitum inter *Halim* Amiromeninum Saracenorum Africæ, & Duces Alfonsi VI Castellæ & Legionis Regis, quod Christianis infaustissimum fuit. Illud die tricesima mensis Maii, era MCXLVI currenti se. Christi anno commissum esse docet antiquus codex MSS. In eo occisus *Sanctius* Infans Alfonsi Regis filius unicus; occisi & Magnates septem, fusæ copiæ, amissaque Concha cum *Uclesio*, & quibusque aliis munitis oppidis. Pugnatum ad *Uclesium*, quod Toletum inter & Concham positum est, & tunc ab Hali Amiromenino obsidebatur. Fusè hoc prælium refert Sandovalius in Alfonso VI; sed in non paucis fallitur. Ait enim *Zaidam* puellam Saracenam legitimam conjugem fuisse Alfonsi VI, qui ex ea *Sancium* hoc anno demortuum suscepit; verùm Pelagius

gius Overensis ab ipsomet Sandovalio publicatus disertè contrarium scribit: *Hic* (sc. Alfonsus VI) *habuit quinque uxores legitimas: primam Agnetem, secundam Constantiam Reginam, ex qua genuit Urracam Reginam, conjugem Comitis Raymundi: de qua ipse genuit Sanctiam, & Adelfonsum Regem: tertiam Bertam Tuscia oriundam: quartam Elisabeth, ex qua genuit Sanctiam Comitis Roderico, & Geloiram, quam duxit Rogerius Dux Sicilia: quintam Beatricem, qua mortuo eo repedavit in patriam suam. Habuit etiam duas concubinas, tamen nobilissimas: priorem Semenam Mumonis, ex qua genuit Geloiram uxorem Comitis Raymundi Tolosani* (qui vulgò vocabatur Comes S. Ægidii), *patris ex ea Adelfonsi Jordanis: & Thorasiam uxorem Henrici Comitis, patris ex ea Urraca, Geloira, & Adelfonsi. Posteriorem nomine Ceidam filiam Abenabeth Regis Hispalensis, qua baptizata Elisabeth fuit vocata. Ex hac genuit Sanctium, qui obiit in lite de Oclet*, idest in prælio hoc anno apud Uclesium habito. Sandovalius, ut hujus Historici coævi testimonium eludat, contendit, Alfonsum VI post Bertam & ante Elisabetham Zaidam conjugem duxisse, & Sanctium exercitui paterno hoc anno præfuisse; sed cùm *Sanctius* annos tantum undecim natus fuerit, quando præfatum prælium ad Uclesium gestum, hæc sententia rejicienda, licet Auctor Anonymus fragmenti Historiæ à Roberto ad Philippum I Regem, apud Duchesnium Tom. IV pag. 85. idem in literas miserit. Adhæc Alfonsus VI ante ann. MXCI Zaidam concubinam habebat; cùm eo Christi anno Saraceni cœperint *Avennabeth gravius infestare; adeo quod eum in quodam prælio peremerunt: reputabant enim eum, quia filiam* (nempe Zaidam), *& castra Christiano* (sc. Alfonso VI) *dederat, Christianum*, inquit Rodericus lib. 6. cap. 31. loquens de primo ingressu Joseph Tachfin Regis Maroci in Hispaniam. Vide quæ de illo eo anno dixi. Sandovalius itaque perperam scribit, *Alfonsum* VI post Bertam Zaidam uxorem duxisse.

VII. *Epitaphium Zaida à quopiam imperito scriptum.*

At, inquit Sandovalius, Pelagium Ovetensem errasse, evincit *Zaida* Epitaphium ejus sepulcbro apud S. Isidorum Legionensem inscriptum, in quo legitur: *H. R.* (hîc requiescit) *Regina Elisabet, uxor Regis Alfonsi, filia Berabet Regis .... qua prius Zaida fuit vocata.* Verùm Epitaphium istud ejusdem farinæ ac Epitaphium alterius Reginæ Isabellæ, de quo suprà, quod in eadem S. Isidori Ecclesia reperitur; quod eò manifestius, quò Toletanus lib. 6. cap. 35. tradat, *Alfonsum* VI sepultum fuisse in monasterio S. Facundi cum suis uxoribus superius nominatis.

VIII. *Pactum inter Raimundum & Henricum Comites de partiendo Regno Aragonia.*

Quia *Sanctius* Zaidæ filius spurius erat, eo in honore non habebatur, quo legitimus coronæ Successor; sed cùm multi ei adhærerent, *Raimundus Comes* pactum pepigit cum *Henrico* Comite sororio Urracæ, Regni Aragonici potentissimo Principe, quod refertur Tom. III Spicilegii Dacheriani pag. 122. Ex eo manifestè eruitur, *Henricum* Comitem jus aliquod in Regnum prætendisse; cùm Raimundus Comes juret se post mortem Regis Alfonsi illi *daturum Toletum*, eumque adstringat, ut sibi dimittat *omnes terras de Leon & de Castella*. Adeo autem verum est, *Henricum Comitem* jus illud sibi asseruisse, ut Alfonso VI demortuo bellum Urracæ & Raimundo Comiti intulerit, & Regnum invadere tentarit, ut narrant Scriptores Hispanici, qui tamen non viderant præfatum fœdus amicitiæ inter utrumque initæ, & pactorum de partienda successione soceri sui ejusdem Alfonsi Castellæ ac Legionis Regis. quod ad S. Hugonem Abbatem Cluniacensem misêre, cujus operâ constitutum fuerat, ut in eo legitur. *Raimundus* Comes anno MCVII demortuus, *Sanctius* verò Alfonsi Regis filius hoc anno occisus, uti mox diximus; sed annus, quo pactum istud juratum, magna caligine involutus. Dacherius arbitratur hæc contigisse circa annum MXCIII, quod verò simile non est propter hæc verba in pacto contenta, *Raimundus Comes, ejusque filius*, nempe Alfonsus, qui tamen nondum in lucem prodierat. Existimo itaque pactum illud peractum circa annum MCII, quia ab eo tempore Alfonsi Infantis nomen in Actis publicis legitur, ut asserit Sandovalius in Vita Alfonsi VI; indeque refelluntur, qui hujus Principis nativitatem cum anno MCVII connectunt.

IX. *Almorabitæ seu Almoravides cum Almoadibus non confundendi.*

Errat porro Sandovalius fol. 67. ubi habet, *Almorabitas* Africæ omnes Hispaniæ Ecclesias, omniaque monasteria in locis sibi subditis ædificata penitus diruisse, & Christianos Mosarabas morti tradidisse; sequitur enim Chronologos, qui Almorabitas seu Almoravides cum Almoadibus confudêre; antequam enim *Almoades* in Hispania regnarent, Christiani, qui à religione sua discedere noluerant, cum Barbaris permixti vixerant, idque à tempore Hispaniæ in Saracenorum potestatem redactæ, ut ipsemet Sandovalius in Alfonso VII fol. 194. & 200. affirmat. Verùm *Almoades*, postquam in Hispania regnarunt, Christianorum Ecclesias everterunt, omnesque, qui religionem Christianam deserere noluêre, internecione deleverunt; quod quando contigerit, diligenter exponemus. Ceterùm Sandovalius rectè refellit Marianam, qui lib. 10. de Reb. Hisp. varias Saracenorum *Almorabitarum* expeditiones in Hispaniam variis annis susceptas inter se confundit; sed ipsemet fol. 97. rem falsam & fabulosam in medium profert; asserit enim *Alfonsum* VI, consilio *Mahamadi Abenhabet* Regis Hispalensis soceri sui, numerosum Africanorum *Josepho Tachfin* Almorabitarum Imperatori subditorum exercitum in Hispaniam accersisse, & Josephum eidem unum ex suis Ducibus *Halim Hamamum* præfecisse. Addit, *Halim*, postquam à Saracenis Hispaniæ receptus fuit, à supremo Africæ Imperatore defecisse, & summum Hispaniæ Amiral-nemenim se se dixisse; deinde fudisse ac occidisse Hispalensem Regem, & Alfonsi VI copias ad *Uclesium* profligasse.

X. *Almorabitæ hoc tempore Hispania Saracenica Monarchæ.*

At hæc magna ex parte commentitia; falsum enim Saracenos Hispaniæ à Saracenis Africæ divisos fuisse, quando ad Uclesium hoc anno pugnatum. Præterea anno MCVI, quo ad *Rodam* iterumque *prope Badalloz* bellum inter Alfonsum VI & Saracenos Hispaniæ habitum, Africani in Hispania Saracenica dominabantur, & jam ab anno MXCI Hispalensis Rex captus fuerat. Anno quidem MCVI Africæ Agareni cum suo Amitamonino in Hispaniam venêre, uti Sandovalius, aliique Historici Hispaniæ narrant, & Cæsaraugustam sibi subjecêre, eorum exercitum ductante *Abenjufaz*; sed is Rex appellatur, quia nomen illud Præfectis Saracenorum tribuebatur. Nullus tunc Saracenis Monarcha præerat præter *Josephum Tachfin*; *Ha-*

SÆC. XII. An. C. 1108.

lis verò, qui cum Christianis ad Uclesinm pugnavit, noo rebellis, sed filius ejusdem Josephi fuit, eique in Monarchiam successit. Hîc obiter Lectorem moneo, in variantibus lectionibus Pelagii Overensis, in exemplari Bibliothecæ Mazarinæ annotatis, legi hæc verba, quæ desunt in codice Pampelone impresso, fol. 96. col. 2. *fecit etiam bellum in campo de Sacralias* (prope Badalloz, qua de re Rodericus lib. 6. cap. 32. & 10 Hist. Arab. cap. 47.) *cum Rege Hyrchef*, qui alius non est à præfato Abenjusaz, nec prælium illud ab eo quod anno MCVI commissum, diversum est.

XI. *Urraca Alfonso Regi Aragoniæ uxor tradita.*

Proceres regnorum Castellæ & Legionis videntes Alfonsum VI *dolore & senio tendere ad defectum*, in pago quodam *convenerunt*, *tractaturi, ut Urraca Regis filia, quæ mortuo Raimundo Comite viro suo adhuc vidua permanebat, nuptui traderetur*, inquit Rodericus lib. 6. cap. 34. Optabant, ut Comiti Gomezoni, *dicto postea de Campo spina*, matrimonio jungeretur; sed Alfonsus VI, vocato Bernardo Tolerano Primate, & ceteris Episcopis & Abbatibus regni sui, decrevit cum eis, ut Alfonso Regi Aragoniæ copularetur, quò *omnes unius legis moderamine regerentur*, inquit Rodericus citatus.

XII. *Victoria Alfonsi VI de Saracenis post cladem ab eis acceptam.*

Sandovalius fol. 99. & seqq. refert Narrationem postremi belli ab Alfonso VI adversus Saracenos gesti, & à Petro Episcopo Legionensi Scriptore coætaneo descripti. Hoc Opus noo solum hactenus typis mandatum non fuit, sed ne quidem ejus meminit Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispanica. Rem paucis expedio. *Alfonsus VI*, ut de morte *Sancii* filii vindictam sumeret, magnum exercitum congregavit, cum quo *Cordubam* adortus est, ex qua cùm *Abdalla* Urbis Præfectus erupisset, captus fuit cum XXII aliis Ducibus, in conspectu urbis jussu Alfonsi combustis. Civitas Christianis dedita, bonaque Almorabitarum cum MDCC Christianis captivis Alfonso VI tradita. Hoc cùm accepisset Amiromominus, ex Africa rediit, adversus quem cùm processisset *Alfonsus* Rex, Amiromominus in Africam transfretavit, & Hispalenses ab eo deficientes nepotem ex filio postremi sui Principis Regem elegerunt; se seque Alfonso vectigales fecêre, quorum exemplum Giennenses imitati sunt. De *Hispali* adhuc ab Almorabitis stante invadenda cogitabat *Alfonsus*, sed cùm morbi quædam initia sentiret, Toletum se cedere coactus fuit. Interim Castellani *Concham* die XXIII Maii insequentis expugnarunt, & *Ocana* se se eis dedidit; quibus in Urbibus ferè tria millia Christianorum servitute liberati. Parte alia novus Hispalis Rex à Genuensibus adjutus naves armamentis & ministris instruxit, & Tunetum usque mare infestum habuit. Hac de re hujus urbis Rex, qui Almorabita non erat, apud *Alfonsum* VI quæstus est, & Maroci Imperator misit, qui suo nomine trium annorum inducias ab Alfonso peterent; sed nihil ab eo obtinuit, quia decem annis breviores concedere noluit. Eodem anno die Assumptionis Beatæ Virginis Judæi à Christianis Toleti trucidati. Hæc summariè ex Petro Legionensi Episc. laudato.

XIII. *Institutio Communiarum in Francia ad defensionem publicam.*

Hoc anno mortuus est Philippus Francorum, cui successit Ludovicus filius hujus nominis VI Grossus cognominatus, ut aono MCVI demonstravimus. Notabilia sunt, quæ de utroque scribit Ordericus lib. XI pag. 836. *Quia senio & infirmitate Rex Philippus à Regali fastigio deciderat, & principalis erga tyrannos justitia rigor nimis elanguerat: Ludovicus imprimis ad comprimendam tyrannidem prædonum & seditiosorum, auxilium totam per Galliam deposcere coactus est Episcoporum. Tunc ergo communitas in Francia popularis statuta est à Præsulibus, ut Presbyteri comitarentur Regi ad obsidionem vel pugnam cum vexillis & parrochianis omnibus.* Erat verò *Commune*, vel *Communia*, vel *Communio*, vel *Communitas*, vel *Communa*, vel *Communantia* (totidem enim nominibus apud Auctores vocatur, ut videre est in Glossario Ducangii) incolarum urbis aut oppidi universitas, domino vel Rege concedente, sacramento invicem, certisque legibus adstricta. Fuêre primò Communiæ in oppidis Regi ipsi obnoxiis duntaxat, sed postmodum, Regibus concedentibus, in aliis, quæ Episcoporum erant, inductæ sunt. Imò Regii vassalli in suis oppidis *Communias* pariter statuerunt, quibus institutionibus eò magis assensum Francorum Reges præbuêre, quod in bellis opem ab iis exposcere licebat. Hinc crebrò legimus in præliis adfuisse & dimicasse urbium *Communias*, quibus prævii erant ipsi Presbyteri seu Curiones cum vexillis Ecclesiæ, quod testantur Ordericus pag. 855. & seq. & Sugerius in Vita Ludovici VI cap. 18. quorum loca refert Ducangius ibidem.

SÆC. XII. An. C. 1109.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6602.

Anno Æræ Hispan. MCXLVII. Anno Hegiræ DIII, inchoato die 31. Julii fer. 7.

☉ 26. C. ☽ 8. P. 25. April. Indict. 2.

JESU CHRISTI 1109.

PASCHALIS II PAPÆ 11.

HENRICI V REG. 4.

ALEXII COMNENI IMP. 29.

I. *Obitus Alphonsi VI Castellæ & Legionis Regis.*

AD num. I & seq. Cùm rerum Hispanicarum Historiam hoc præsertim & præcedenti seculo Baronius tantum delibarit, operæ pretium duxi nobilem hanc Annal. Eccles. partem, quanta tamen fieri poterit brevitate, supplere, & quæ hîc uno tenore referuntur, cum suis annis illigare. Baronius & passim alii, *Alphonsi* Castellæ & Legionis Regis hujus nominis VI mortem hoc anno collocant; neque hoc in dubium revocari potest; cùm Pelagius Overensis, qui eum videre potuit, de eo scribat: *Vixit LXX annis, & annis XLIII & sex mensibus ex eis in Regno* (à morte scilicet Ferdinandi M. patris primi hujus nominis Castellæ Regis). *Obiit Kalendas Julii in Toleto*; & quidem nocte inter diem XXX Junii & primum mensis Julii interjecta. Sandovalius enim in Alphonso VI fol. 102. notat plures ex Antiquis scripsisse eum die Mercurii ultima mensis Junii Erâ MCXLVII naturæ debitum solvisse. Sepultus est in monasterio sancti Facundi, ubi ante annos XXVIII sepulturam elegerat, ut patet ex Charta aut testamento ab eo in favorem hujus monasterii emisso, in quo se se Hispaniæ Imperatorem indigitat: *Elegi, ut post mortem meam ibi tumulatus requiescerem, quatenus qui in vita nimio amore dilexi, etiam defunctus foberem* (loco, foverem). *Datum hoc testamentum die sabbatum III Idus Decembris, era MCXVIII*, id est, anno Christi MLXXX. Pelagius Overensis

tensis pag. 76. mira de ejus justitia ac pace qoam in Regnis suis, non obstantibus bellis ab eo adversùs Infideles gestis, conservabat, refert, & inter alia ait: *Iste Adefonsus fuit pater & defensor omnium Ecclesiarum Hispaniensium. Ideo hæc fecit, quia per omnia Catholicus fuit.* Ei successit Alphonsus Aragoniæ Rex maritus Urracæ Alphonsi VI filiæ. Pelagius Ovetensis usque ad hunc annum Historiam suam perduxit, à Sandovalio editam. De Pelagio pluribus agit Nicolaus Antonius lib. 7. cap. 3. Biblioth. Veteris Hispaniæ.

II. *Concilium Palentinum II.*

Alphonso VI regnante duo Concilia apud Sanctam Mariam de Fusellis, oppidum vulgò *Husillos* dictum, prope Palentiam urbem situm, celebrata, quæ Palentina dici solent. De priori anno MLXXXVIII, quo congregatum fuit, egimus cum Sandovalio, qui ejus Acta vidit; sed cùm ejus tempore Vita *B. Geraldi* Archiep. Bracarensis lucem nondum vidisset, hujus secundi Concilii Palentini notitiam non habuit. Scribit itaque Bernardus in Vita B. Geraldi Archiepiscopi Bracarensis, cujus discipulus fuerat, *Bernardum* Archiepiscopum Toletanum sedente Urbano II Româ reducem secum adduxisse ex Aquitania Toletum Geraldum, & in ea Ecclesia eum Præcentorem constituisse: vacante verò Ecclesia Bracarensi, unanimi Bracarensium consensu electum fuisse Episcopum, & à Bernardo apud Sanctum Facundum consecratum: deinde, ut Metropolicam dignitatem Ecclesiæ suæ restitueret, Romam petiisse ad Paschalem II, & ab eo Pallium impetrasse, ac postea Concilio Palentino, cui præfuit *Richardus* Cardinalis, exhibuisse Privilegium Ecclesiæ suæ Româ allatum. Hæc verba Bernardi in beati Præsulis Vita: *ut B. Geraldus sedi Bracarensi propriam dignitatem restitueret, Romam petiit, & à domino Papa Paschali honorificè susceptus, Pallium & Privilegium, & auctoritatem Ecclesiæ suæ inde apportavit. In* CONCILIO *enim* PALENTINO, *quod venerabilis Richardus Cardinalis Romæ celebravit, Episcopis & Abbatibus & optimis Clericis Hispaniæ circumsedentibus, Romanum Privilegium in auribus omnium recitatum est: & juxta tenorem ipsius Privilegii Bracaræ Metropolis suffraganei Pontifices venerabili Geraldo Bracarensi Metropolitano, justitia dictante, & Cardinali præcipiente, obedientiam & reverentiam promiserunt.* Annus restitutionis Ecclesiæ Bracarensis in Archiepiscopalem incertus, incerta & epocha hujus Concilii; sed cùm *Burdinus*, ut anno MCXVII videbimus, ut anno MCX B. Geraldo demortuo successerit, liquet Concilium Palentinum aliquot ante præsentem annos congregatum fuisse, & Bracarensem Metropolim institutam. Nec aliud in hoc Concilio gestum ad nos pervenit. Richardus itaque Cardinalis non solum priori Concilio Palentino, ut ex ejus Actis liquet; sed etiam posteriori præfuit.

III. *Ei succedit Alphonsus Aragoniæ Rex.*

Post Alphonsi VI mortem Saraceni Africæ in Hispaniam transfretarunt, & quæcumque antea amiserant, recuperarunt; adeo ut Christiani ingenti timore perculsi *Toletum* deseruissent, nisi solus *Bernardi Archiepiscopi* Tolerant virtus celebrem hanc civitatem Christianis servasset. Mirum profectò dissensiones, quæ post *Alphonsi* VI mortem Castellanos inter & Aragonios extitêre, Saracenis majori non fuisse emolumento. Regna enim Alphonso, Successori ejus, Castellæ, Legionis, Aragoniæ & Navarræ Regi subdita, in tres factiones divisa: Castellæ tegnum ad *Urracam* ejus uxorem jure devolvebatur, eaque ex priori conjugio cum Raimundo Comite inito *Alphonsum Infantem* susceperat, qui postea sub nomine Alphonsi VII & Imperatoris Hispaniæ regnavit. Cumque pervicax Reginæ animus ab Alphonso Rege vix flecti posset, isque Castellanis, qui ab eo matrimonio aversi fuerant, diffidens, Præfectos ex Aragonia gente daret, alii *Urracæ* Reginæ, alii *Alphonso* ejus conjugi, aliique *Alphonso Infanti*, quem Regem optabant, toto animo adhærebant. *Alphonsus* Urracam uxorem è patre tertio propinquitatis jure attingebat, indeque conjugium illud illegitimum, injustumque à plerisque censebatur; adeo ut Paschalis II illud penitus improbavit, sicuti infrà videbimus. Quare in Regnis Alphonso subjectis omnia passim perturbatè agebantur, quod ex dicendis liquebit.

IV. *Obitus S. Anselmi Archiep. Cantuariæ.*

Ad num. III. Eadmerus lib. 4. Novorum cap. 4. Sancti *Anselmi* Cantuariæ Archiepiscopi mortem hoc modo narrat. *Post hæc XI Kal. Maii defunctus est Cantuariæ in Metropoli sede gloriosus pater Anselmus, & die sequenti (quæ fuit Cœna Domini) in Majori Ecclesia ad caput veneranda memoriæ Lanfranci prædecessoris sui honorificè sepultus, anno incarnati Verbi millesimo centesimo nono, regni vero Henrici gloriosi Regis Anglorum nono, Pontificatus autem ipsius Anselmi decimo sexto, ætatis verò septuagesimo sexto.* Gerberonius Opera ejus, quæ reperiri potuêre, ab aliquot annis in lucem emisit cum Historia Novorum Eadmeri, quæ Baronii tempore non extabat. Eadmerus Anselmi auditor, convictor, & laborum ac exiliorum individuus comes fuit, Vitamque ejus scripsit in illa Historia, ad hoc maximè attentus, ut ea quæ inter Reges Angliæ & sanctum Anselmum gesta sunt, inconcussa veritate designet. De genuinis ac spuriis Sancti Anselmi Operibus legêndus idem Gerberonius.

V. *Obitus S. Hugonis Abbatis Cluniacensis.*

Ad num. IV. *Sanctus Hugo Abbas* Cluniacensis in Gallia octavo die, postquam è vita Sanctus Anselmus migravit, mortuus est, ut narrat Ordericus lib. XI pag. 839. *Venerandus Hugo Cluniacensis Abbas, postquam passionem Christi & Resurrectionem celebravit, feria secundâ ægritudine cactus in lectum decidit, & per tres dies iter ad Dominum confessione & oratione præparavit. Ipse Conventum, ut successorem eligerent, imperavit, electumque juvenem nomine Poncium testimonio auctoritatis suæ corroboravit. Deinde in domum infirmorum inter manus Fratrum portari se fecit, ibique feriâ IV grandævus heros ad Christum, cui à pueritia militaverat, migravit. Hic, ut fertur, sexaginta quatuor annis Cluniacense cœnobium gubernavit, & plusquam decem millia Monachorum ad militiam Domini Sabbaoth suscepit, & post obitum in Basilica sepultus est, quam ipse à fundamento inchoavit. Sic duæ Ecclesiarum columnæ de terrestri Hierusalem, quæ adhuc inter allophylos peregrinatur, translatæ sunt: ac, ut credimus, pro diuturna sanctitate in superna Sion immobiliter plantata sunt. Gloriosus Archipræsul Dorobernia Anselmus ante Pascha obiit, & Curiam omnipotentis Adonai feriâ IV infulatus adivit: & in ipsis Pascha solemniis charus amicus ejus Hugo Abbas feriâ IV similiter è mundo transivit.* Philippo Francorum Regi hujus no-

mois I, & quibusdam aliis Principibus impensè charus extitit. Arcta ei fuit cum beato Petro Damiani oecessitudo, & cum Desiderio Abbate Casinensi, postquam ad Pontificatum Romanum evectus fuit, Victore III appellato. Denique plutes illustres Viri ex ejus schola prodière, inter quos Urbanus II & Gregorius VII, Summi Pontifices.

VI. *Obitus B. Roberti fundatoris Ordinis Cisterciensis.*

Hoc circiter anno *beatus Robertus* primus Abbas *Molismensis* ac fuodator Ordinis Cisterciensis *XV Kalendas Maii* spiritum Deo reddidit, qui dies ab Auctore Monacho Molismensi Anonymo, qui sub Adone seu Odone Abbate hoc seculo floruit, notatur, in ejus Vita in Actis SS. Bollandianis ad diem XXIX Aprilis recitata. Baronius in Notis ad Martyrologium Rom. hanc mortem cum aono MXCVIII, secutus, ut ait, Sigebertum in Chron. conjungit, sed memoriæ lapsu; eo enim anno Ordinis Cisterciensis fundationem, non verò fundatoris mortem Sigebertus narrat, nosque de illa fuodatione eodem anno egimus. Annus itaque hujus mortis iocompertus, certumque tantum eum anno MCV adhuc in vivis fuisse; cùm eo anno apud San-Marthanos cuidam Chartæ subscripserit. Porrò *Molismus* sylva erat in Episcopatu Lingonensi sita, ubi Robertus cœnobium condidit, & *discipulos magna religionis aggregavit*, inquit Ordericus lib. 8. Honorius II literis anno VI Pontificatûs sui datis potestatem fecit Molismeosibus Officium de illo celebrandi, in ea, qua sacra ejus ossa recondebantur, Ecclesia.

VII. *Monachi Sanvalaricenses nolunt subjici S. Godefrido Episc. Ambianen.*

A oum. V ad VIII. Nicolaus Monachus Suessionensis in Vita *S. Godefridi* Episcopi Ambianensis, recitata à Surio ad diem VIII mensis Novemb. in qua quæ de Sancto Præsule viderat vel audierat, se scripsisse testatur, lib. 2. cap. 9. & duobus seqq. narrat, *Godefridum* malè acceptum à Monachis S. Vualerici, immunitatem suam jactantibus, ad *Manassen* Archiepiscopum Remensem causam rejiciendam statuisse: Monachos verò commentitia fingentes Privilegia Remos venisse, *ubi tum celeberrimus Procerum Galliæ Conventus habebatur.* Ibi S. Godefridus Privilegia illa planè recentia esse probavit. *Monachi pudefacti ad Romanum Pontificem* provocant, Romamque illicò proficiscuntur. Refert postea Nicolaus *Godefridum* Romam ad Paschalem II venisse, huncque præcepisse, ut Abbas S. Vualerici & Mooachi Ambianensi Episcopo, perinde atque Patri & Pastori parerent. Ita ille cap. 21. ejusdem libri.

VIII. *Epocha Concilii Remensis.*

Erat tunc Episcopus Remorum *Manasses*, uti scribit Nicolaus Suessionensis lib. 1. cap. 26. quem ex Chartis Authenticis Marlotus in Metropoli Remensi lib. 2. ostendit eidem Sedi præfuisse usque ad annum millesimum centesimum septimum. Quare Synodus Remensis ante illum Christi annum congregata, idque anno millesimo centesimo quinto, ut eruo ex membrana Donationis, quæ extat apud Miræum io Codice Donationum, scripta anno millesimo centesimo octavo, Episcopatûs Odonis, in hoc Concilio Remensi Præsulis Cameracensis consecrati, anno tertio, *Domnus Manasses*, ioquit Herimannus in Narratione Restaurationis Abbatiæ sancti Martini Tornacensis Tom. XII Spicilegii pag. 444. *Remorum Archiepiscopus ad Concilium generaliter mandans alios Abbates, inter alios nominatim evocavit Odonem Abbatem Sancti Martini Tornacensis, eumque exinde admirantes quid de Concilio nobis referretur, attoniti & suspensi expectaremus, ecce repente audimus ad Cameracensis sedis Episcopatum eum fuisse electum, & sine mora ab Archiepiscopo, & comprovincialibus Episcopis consecratum. Quis eo die luctus totum conventum nostrum repleverit, quis singultus pectora nostra concusserit, nullus facile explicare poterit. Vix tamen octo dies transierant, & rursum nobis quadam redditur consolatio, quoniam ipse, rebellante ac resistente Galchero Episcopo* (qui dignitate depositus fuerat, quòd Henrici Imp. partibus adhæreret), *pacificè ingredi non valens Cameracum Urbem, rursum nobis ab Archiepiscopo remittitur, & per annum integrum nobiscum demoratur.* Tum pag. 447. *Mortuo patre Henrico* (hujus nominis V) *Henrico seniore* (anno nempe MCVI, Kalendis Augusti) *non quidem armis, sed tristitia cordis filius ejus, jam optato regno potitus, mandavit Cameracensibus, ut Gualcherum excommunicatum ab urbe pellerent, domnum Odonem reciperent, tuncque primùm domnus Odo Urbem sedis suæ pacificè ingrediens, præcepit nobis ut Abbatem eligeremus.*

Si itaque *Odo* Cameracensis Sedis possessionem iniit post mensem Julii aoni MCVI, annoque integro post suam in Concilio Remensi ordioationem, perspicuum est illud anno MCV congregatum, & tertium Sedis exeuntem in annum MCVIII convenisse. Marlotus citatus cap. 23. ait Historiam, quam refert Nicolaus Suessionensis, ubi *Sanctus Godefridus* falsitatis arguit Diploma Apostolicum, quô se tueri & eximere conabantur Sanvalaricenses Monachi à subjectione ejusdem Godefridi, egregiè per partes excussisse Lucam Dacherium, & Robertum Quatremarium Benedictinos, quibus ipse adhæret, eosque mirari tot summæ erodirionis viros in ea cæcutiisse, *cùm nullus per id temporis Conventus talis legatur in Chartophilacio Remensi.* Verùm frivola hæc ratio, eaqoe Historia certæ & indubitatæ fidei, & Concilium Remense, cujos in ea mentio, aliud non est, quam quod mox memoravimus. IX. *Illud Concilium fictitium non est.*

Baronius illud hoc anno consignavit, quòd *Sanctus Godefridus* præsenti anno Romam profectus sit, uti constat ex Epistola Hugoois Monachi Cluniacensis ad Pontium Abbatem Cluniacensem data, & in Biblioth. Clun. pag. 462. relata, in qua dicitur, *Godefridum*, dum Sanctus Hugo Cluniacensis Abbas ad Deum migravit, fuisse *tum in Italia apud Papam*, & sociis mortem ejus revelasse, quam die XXIX mensis Aprilis hujus anni contigisse inter omnes convenit. Verùm hæc profectio Romana Sancti Godefridi & revelatio mortis Sancti Hugonis Abbatis nihil commune habent cum Concilio Remensi, quia illud ante aliquot annos congregatum fuerat, anno nempe MCV, idque non Rodulpho Viride, sed Manasse ejus decessore Ecclesiæ Remensi præsideore. Quare fallitur Cardinalis doctissimus num. V quando ait, Acta *Sancti Godefridi* insinuare, eum Romam profectum esse, & Remensem Synodum coactam eo anno, quo illa visio accidit; illa enim produnt Synodum Remeosem habitam Manasse Episcopatum administraore, qui tamen biennio ante sanctum Hugonem Abbatem mortuus est. Tom. X Concil. hæc Synodus cum præsenti anno copulatur, X. *Nec differri potest in annum MCIX.*

& Cos-

& Cossartius ibidem ait, Baronium Concilium appellare *cœtum*, quem Nicolaus Monachus *conventum* vocat. At horum temporum Scriptores Concilium sæpius conventum appellant in quo de rebus Ecclesiasticis agitur, vel cui Episcopi intersunt. Petit deinde Cossartius, uter peccet, an Nicolaus, qui Manassem tum Remensem Episcopum fuisse tradit? an Baronius, qui illud in annum currentem confert? Sed certum & indubitatum imposterum esse debet, Nicolaum accuratè notasse Concilium istud sedente *Manasse* celebratum, & mortem sancti Hugonis Abbatis, ac ejus revelationem extra rem ad Concilium Remense trahi.

XI. *Annus emortualis Odonis Cameracensis Episc.* *Odo, quia virgam & annulum, quæ consecratus ab Ecclesia acceperat* (ut ipsemet scribit lib. de Blasphemia in Spiritum Sanctum) *iteratò ab Henrico IV Imp. accipere noluit*, Sede sua pulsus, Aquicincti, quod monasterium est Benedictinum, secundo lapide à Duaco, in exilio decessit anno millesimo centesimo decimo tertio, uti habet Miræus lib. de Script. Eccles. in Henrico Gandavensi pag. 162. qui addit, eum scripsisse commentarium in *Canonem Missæ*, Dialogum *de Mysterio Dominicæ Incarnat.* contra Leonem Judæum, aliaque Opuscula, quorum nonnulla in Biblioth. Patrum referuntur, præter varia Opera adhuc inedita in variis monasteriis asservata, ut ibidem Miræus. Videnda quæ anno M X C I I de *Odone* jam diximus, & Tomus I I Spicilegii Dacheriani pag. 525. & seqq. ubi referuntur septem Epistolæ Odonis Canonici Regularis ad varios *Fratres* Canonicæ professionis, in quibus agit de regulari eorum observantia quam in professione promisêre, Canonici enim Regulares verè Monachi erant, ut alibi ostensum.

XII. *Concilium Laudunense.* Girardus Engolismensis Episcopus, & *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatus* Concilium hoc anno celebravit *Lausduni*, quod oppidum est Pictaviensis provinciæ, decem leucis ab urbe Pictaviensi dissitum. In eo aliqua peculiarium Ecclesiarum negotia pertractata, ut Tom. X Concil. pag. 762. legere est. In Codice MS. de Gestis Pontif. Engolismensium de Girardo dicitur: *Gerardus Engolismensis Episcopus, cùm domino Paschali Papæ adhæsisset, qui ad partes Galliarum venerat, cognitu honestate & præclara sapientia, vices suas priùs in Britannia, & deinde in Turonensi, Burdegalensi, Bituricensi, Auxitanensi provinciis commisit. Præter cetera, quæ in Legatione eximiè fecit, octo Concilia celebravit.* Sed Lausdunensis tantum memoria superest, & *Gerardus* Anacleto Antipapæ postea adhærens, quam antea sibi compararat gloriam, commaculavit.

XIII. *Barcinonensis auxilium Ludovici Francorum Regis adversus Barbaros implorant.* In Chronico Sancti Petri Vivi ad annum M C V I I I, hæc referuntur, *Venerunt ultima gentes exeuntes de finibus suis transmarina, quas quidam Amorreos, quidam Amirales vocabant, & fecerunt de se tres partes: quarum una tetendit super Sarracenos, duæ super Christianos: & venerunt non longius, quàm est iter trium aut duorum dierum à civitate Barcinona. Verum consilio accepto Barcinonenses, Comes scilicet & Episcopus, & Proceres, & compatriota, quibus incumbebat necessitas, reclamaverunt advocationem Regis* (sc. Francorum) *Hludovici, & miserunt ad eum Confidicos suos, Episcopum sc. ipsius civitatis cum paucis nunciis. Qui querimoniam suorum civium & compatriotarum suorum ipsi Franciæ Regi referentes, invenerunt eum variis militiæ bellis implicitum, scilicet versus Regem Anglorum, Ducem Normannorum, qui contra jus & fas denegabat facere hominium, quod debebat, & debet Regibus Francorum. Similiter & Consul Pictavorum, & Dux Burgundionum, & multi alii Consules, qui sunt sub Rege Francorum. Cum quibus omnibus pro instante necessitate pacem fecit supradictus Rex, quibusdam inducias & treuvas dando; de quibusdam hominium debitum accipiendo. Unde confidens plurimum Rex spopondit Legatis supradictis se vere præparaturum ad ferendum illis patriæ auxilium. Et ad Curiam suam, quæ in Pentecoste futura erat (nam hæc fiebant in diebus præcedentis Quadragesimæ) dixit se suum consilium, ut dignitatem Regiam decebat, accepturum. Inde supradictus Episcopus cum sociis suis lætus cum Regis gratia retrogradum iter arripuit.*

XIV. *Quo anno in agrum Barcinonensem Barbari irruperint.* In Appendice ad Marcam Hisp. num. 340. Baluzius refert Narrationem *de vastatione, quam Arabes intulerunt in Marcam Hispanicam anno M C V I I I*, sed numeri in Instrumento expressi corrupti sunt. Illud enim in fine habet: *Actum est hoc VI Kal. Decemb. anno primo Ludovico regnante*, ideoque anno Christi superiori. Et tamen illud his verbis inchoatur: *Anno Dom. Incarnat. CVI post millesimum, indict. XV, pridie Kal. Septemb.* &c. *ingens multitudo Moabiturum, ceterorumque Paganorum ingressa est partes nostræ patriæ, scilicet in Penitense*, additurque eos plures Ecclesias evertisse, & non minimas Christianorum strages edidisse. Tum dicitur, *Raimundum* Barcinonensem Comitem jussisse, ut reædificaretur castrum Olerdula, à Paganis eversum jam à pluribus annis. Porrò pagus, qui inter Tarraconem & Barcinonem interjacet, Penitensis, & vulgò *Panades* appellatus, ut notat Baluzius ibidem ad annum M C V I I I. Chronographus Sancti Petri Vivi dicit, se accepisse, quæ hac de re scribit, ab Episcopo & sociis ad Regem in Galliam missis, dum ipse esset in Alvernia, subditque: *Addiderunt etiam & dixerunt, quod supra scripta gentes à Montepessulano non longiùs erant, quàm itinere quinque dierum, similiter & de sancto Ægidio.* Quibus inter se collatis eam Paganorum illorum irruptionem anno superiori factam esse, currenti verò Legationem illam missam oportet; cùm irruptio exeunte mense Augusto contigerit ut ex præfata Narratione liquet, & Legati ad Regem missi, *in diebus Quadragesimæ*, ut prodit Chronographus, ab eodem auditi fuerint. Quare loco, *anno Dom. Incarnat. CVI post millesimum, indict. XV*, legendum, *anno Dom. Incarnat. CVIII post millesimum indictione prima.*

XV. *Tripolis à Crucesignatis capta.* Hoc anno *Tripolis* à Balduino Hierosolymorum Rege, adhibitis Genuensibus, qui cum classe navium ferè L X X illuc venerant, subacta, uti narrat Fulcherius lib. 2. Hist. Hierosol.

XVI. *Moritur Ingulphus Abbas.* Petrus Blesensis in Continuatione Historiæ ab Ingulpho Abbate Croylandensi scriptæ tradit, eum *XVI. Kal. Januarii, scilicet anno Domini MCIX, Regis Henrici anno itidem IX*, ætate valde provectum è vita excessisse. Natus erat Londini, & licet præcipuus ejus scopus sit Monasterii sui Historiam repræsentare, tamen & genus suum, & varia in Anglia gesta ei intexuit. Ejus Continuatio à *Petro Blesensi* edita, mutila ad nos pervenit. Tam Historia, quàm Continuatio correctiùs impressæ Oxonii anno M D C L X X X I V.

SÆC. XII. An. C. 1109.

XVII. *Thomas Hharanita Monothelismum apud Maronitas inducere tentat.*

Hoc circiter tempore *Thomas Hharanita* Syrus, Episcopus Kfartabensis Maronitarum fidem Monothelismo labefactare conatus est, uti oarrat Faustus Naironus in Dissert. de Origine ac Religione Maronitarum num. XLIX & seqq. probatque ex eorumdem Maronitarum Chronicis, ac præsertim ex *Gabriele Qlais* inter eosdem doctrina ac sanctitate illustri. Gabriel nonnulla de Sacramentis Opera soluta oratione, aliaque de Orientalium Historiis Carmine exaravit, & in Poemate in quo recenset hæreticos, qui aliquem errorem inter Maronitarum gentem disseminare voluêre nominat præfatum Thomam Hharanitam, atque, *Quos secutus est Thomas ex Hharan, qui in provincia Aleppensi erat Metropolita.* Hic quamvis natus & educatus fuisset in civitate Maredin in Mesopotamia ad Tigrim fluvium (quæ urbs Jacobitarum est Patriarchalis Sedes, etsi in ea nonnulli Nestoriani extent, ut io eodem Poemate idem Auctor subdit: *Dixisti mihi illum fuisse ex Maredin, Maredin enim est habitaculum Dæmonum, habitantibus in ea Nestorio, & Jacobo*) nihilominus patria religione relicta, Monothelismum amplexus est, tanto animi ardore, ut Joannes Patriarcha Græcorum Antiochenus, ne is error, qui tunc extinctus in Syria videbatur, iterum reviviseeret, utque imminenti malo consuleret, contra præfatum Thomam variis scriptis insurrexerit, illique miserit Epistolam, in qua reprobatâ ex Sanctorum Patrum ac Conciliorum auctoritate, Thomæ sententiâ de unica tantum in Christo voluntate, illum anathemate percussit.

XVIII. *Refellit eum Joannes Patriarcha Antiochia.*

Hanc controversiam anno circiter MCXI inter eos cœptam existimat Naironus citatus num. LI, quòd io Præfatione decem Propositionum, quas Thomas adversùs eumdem Joannem Patriarcham compilavit, legatur: *Anno Alexandri filii Philippi Græcorum* 1400. *Epistolæ ac scripta mutuo processerunt Antiochiæ inter Joannem Patriarcham Græcorum, & Thomam Archiepiscopum Kfartab Diœcesis Aleppensis, eratque quæstio circa professionem duarum voluntatum in duabus naturis in Incarnatione Domini nostri, cùmque inter eos multiplicatæ fuissent Epistolæ, Joannes Patriarcha Antiochiæ scripsit Epistolam prolixam, eamque misit cum Nuntio ad Thomam, in qua defendendo se, demonstrat eum, qui non profitetur in Domino nostro Jesu Christo duas voluntates, deficere à fide, & execrabatur professionem Thomæ unius voluntatis in Domino nostro Jesu Christo.* Sed fallitur vir doctissimus, annus enim Alexandri MCCCC non coocurrit cum anno Christi MCXI, sed incipit Kalendis Octobris anni Christi MLXXXVIII: quare cum hæc controversia ferveret, eo tempore, quo Thomas ad montem Libanum profectus est, & profectio illa ad annum MCIX pertineat, ut mox dicetur, in Præfatione illa loco, *Anno* 1400. *Alexandri*, legendum puto, *anno* 1420. *Alexandri*, qui inchoatur Kalendis Octobris anni MCVIII.

XIX. *Thomas respondit ad eumdem Joannem.*

Thomas igitur pro responsione ad hanc Epistolam, ac pro suæ sententiæ confirmatiooe aliam scripsit in decem Propositiones divisam, quæ extat inter libros Abrahami Ecchelensis Maronitæ eruditissimi, in qua Scripturarum ac SS. Patrum fultus, ut sibi videbatur, auctoritate, unicam in Christo Domino voluntatem & operationem probare contendit, eamque per nuncium ad præfatum misit Patriarcham, qui oe veoenum hoc per ipsius serperet Diœcesim, jussit illam igni publicè dari, uti habetur in eadem Præfatione: *Eamque cum Nuncio expresso misit Antiochiam in manus Patriarchæ, ibique tunc aderant duo viri prudentes, Georgius scilicet filius Alsesatus, & Socrates filius Philippi. Jussit Patriarcha eam comburi, ut eum prorsus de medio tolleret, ne corrumperetur fides populi.*

XX. *Fingit se esse Maronitam.*

Cum autem hoc Thomæ nunciatum fuisset, eodem Tractatu denuo compilato, & in meliorem formam redacto, ac ad valvas Ecclesiarum affixo, se ad montem Libanum contulit, ut ibidem legitur: *Et cum nunciatum fuisset Thomæ Joannem ejus Epistolam igni dedisse, eam in meliorem formam rescripsit, cumque illam ad valvas suæ Ecclesiæ affixisset, ad montem Libanum se contulit.* Et infra: *Profectus est pater Thomas ad montem Libanum, ratus se ibi per medium annum duntaxat permansurum; sed evenit statim ut Franci tunc aggrederentur Tripolim Syriæ, ut eam expugnarent, prout eam expugnaverunt, permansit Thomas per quatuor annos in Gjobbet Jannbh, & postea rediit in Gjobbet Bsciarrai, ubi mansit per biennium.* Ex quo patet profectionem Thomæ ad montem Libanum ad currentem annum pertinere, quo Tripolis mense Junio à Francis capta, ut num. XV diximus. Hac igitur permotus occasione curavit diabolico excogitatu aggredi Maronitas, quos ut facilius in suam sententiam adduceret, dixit se esse Maronitam, & Maronem ejusdem secum fuisse opinionis, idque Eutychii Alexandrini auctoritate probabat, quemadmodum legitur in ejus tertia & quarta Propositione, subditque divum Maximum auctorem fuisse opinionis duarum voluntatum in Christo Domino sub Imperio Marciani, uti recenset in quarta Propositione: *Stetit Maximus coram Imperatore Marciano, ac ejus fratre, eisque consilium dedit, dicens. Necesse est, ut addamus aliam voluntatem, ut sint duæ voluntates in duabus naturis*, atque ut Maximum apud Maronitas in contemptum vocaret & odium, genealogiam ei finxit perridiculam, illamque, auctore Eutychio Alexandrino, per fraudem & mendacium ei attribuit: *Dicitur de eo in Eutychio filio Patrieii, ipsum in civitate Tiberiade natum fuisse ex quadam fœmina oriunda ex Perside, quam Judæus nomine Sadoc ex progenie Samaritanorum fornicariè cognoverat; & cum ex his natus fuisset præfatus filius fornicationis, vitam duxit fraudibus, malisque operibus plenam, & postea ex Tiberiade se contulit Constantinopolim.*

XXI. *Et S. Maximum excogitasse duas voluntates in Christo.*

His etiam non contentus Thomas, ut eosdem Maronitas, quos Romano Pontifici adhærere videbat, io suam facilius reduceret sententiam, subdit ibidem Heraclium Leonis Papæ auctoritate, Maximum iosectatum fuisse: *Scripsit Heraclius ad Patriarcham Leonem Papam Romanum, & accusavit Maximum de nova ejus assertione absque ulla vera auctoritate. Cum igitur hæc Epistola ad Patriarcham pervenisset, responsum dedit Heraclio: Benedicat Dominus noster imperium Heraclii, ejusque augeat fidem. Quicumque hanc assertionem emisit, & sparsit, corrupitque fidem rectam & scissionem ac schisma invexit inter fratres fideles, dignus est, cui lingua ac manus abscindatur. His Patriarchæ rescriptis quæ Heraclius summo receperat cum honore, Maximum ad se coram adduci jussit, eique amputari linguam, ac manum, eumque in insulam, quæ vocatur Rachie, ablegavit, quæ enarratio scripta est apud*

nos,

SÆC. XII. An. C. 1109.

nos , & vos in libro Eutychii filii Patricii.

XXII. *Eam in rem falsò Eutychium adducit.*

Verum etsi multa perabsurdè retulerit *Eutychius*, nihil tameo simile vel scripsit vel somniavit, uti ejus Opera legentibus patebit: nam *Maximus* natus est centum circiter & quinquaginta annis post Marcianum Imperatorem, anoo sc. DCXV juxta Baronium; *Marcianus* autem tenebat Imperium anno CCCCLI, quo celebratum fuit Concilium Generale Chalcedonense adversus Eutychetem, ac Dioscorum, qui duas in Christo oegabant naturas, & tunc voluntatum controversia nequaquam emanaverat. Neque Eutychius temere à *Thoma* citatus, de divi Maximi Genealogia, ac vitæ moribus asserit, quæ ipse mendosè refert; imò oppositum legitur Tom. II Annalium ejusdem Eutychii in Califatu Moaviæ in Imperio Constantini, ubi de Maximo scribit: *Erat tunc temporis Monachus quidam sanctus, nomine Maximus.* Et haud quaquam io ejus Annalibus legitur, ab Heraclio pro Monothelitarum causa vel *Maximum*, vel quemquam alium malè habitum fuisse, vel ullum eo imperante Leonem Papam extitisse: Eutychius verò cum aliis convenit Scriptoribus, Theophane ceterisque Græcis hanc insectationem evenisse sub Coostantis Imperio Heraclii nepotis, ab aliis Constantini etiam vocati, ut ait Baronius anno DCXLI; quo etiam oomine illum Eutychius vocat. Neque hic recenset Maximum opinionis duarum voluntatum auctorem fuisse; ait enim passim in Tomo II Annalium, Sophronium Jerosolymitanum, qui illum præcesserat, Cyro Alexandrino adversatum fuisse, qui in Conciliabulo Alexandriæ coacto unam in Christo voluntatem affirmaverat.

XXIII. *Thomas sc... in...*

Hæc igitur Thomæ errata animadvertens *Gabriel Qlai*, in hæc verba cum derisione adversus ejus scripta prorumpit: *In ejus Historia rei patet veritas; at Sedes ejus non erat Simonis.* Sensus est, si vis scire fidem Thomæ, patet rei veritas ex mendacii ejus Historia: ex eoque Sedes ejus non erat fundata super fidem Simonis Petri, sed erat extra Ecclesiam à Christo fundatam super Petrum. Hoc libello ex mendaciis ineptissimis contexto aditum ad plebem imperitam; & ad quosdam etiam è Clero viros minime eruditos sibi reperit; ac præcipuè placuit Archipresbytero cuidam *Farsiaia*, diœcesis *Bsciarrai*, qui ab ipso summis precibus postulavit, ut suum tractatum decem Propositionum rursus in lucem ederet, quemadmodum habetur in præfata Præfatione: *Et regressus est in diœcesim Bsciarrai, ubi moratus est per duos annos; tunc temporis illi adfuit Archipresbyter quidam Farsiaia, illumque instantissime rogavit: ut suam Epistolam renovaret.*

XXIV. *Post ejus mortem Patriarchæ Maronitæ ejus doctrinam amplectuntur.*

Ex quo factum est, ut ejus asseclæ datâ operâ inter Maronitas exemplaria aliqua disseminarint, multosque eorum Ecclesiasticos libros, varia in illis addendo, atque delendo corruperint, ut asserit Gabriel Qlai in suo de Hæreticis Poëmate, ubi post præfati Thomæ mentionem deinde ait: *Post illum in lucem emersit Ebn Sciebban, & cœpit scribere, & docere pueros, seminavit inter Maronitas errores, eorumque libros zizaniis implevit.* Et rursus in eodem Poëmate: *Filius Hhosen erat ex Hhatscit* (est quoddam Libani oppidum in Giobbe) *decepit populum Kfariasci* (est aliud Libani oppidum) *scripsit, & mutavit preces*, & brevi temporis intervallo in aliis oppidis idem veoenum diffusum est, quo eadem lue ipsemet Patriarcha infectus videbatur, uti legitur io Chron. Maronitarum: *Quoniam Patriarcha venenum hauserat, missis ad labefactandum ipsum muneribus, quantum ore capere voluit.* Quapropter inito inter Maronitarum Primates tam Ecclesiasticos, quàm Seculares consilio, decreverunt una sententia omnes ab ejus se communione sejungere; *cujus subditi*, prosequitur idem Chronicon, *ac regiones Patriarcham ab suo segregarunt consortio, nec postea præstiterunt ei obedientiam, nec illum in regionibus acceptarunt.* Imo eo pervenit eorum fidei zelus, ut illum deposuerint, aliumque io ejus locum suffecerint. Qua novitate ira perciti asseclæ depositi Patriarchæ, in novum Patriarcham insurrexerunt, eumque interfecerunt, ignique ejus corpus dederunt, ut ibidem habetur: *Præfatus Patriarcha mortuus est depositus, & elegerunt Patriarcham Hhgiula, mortuus est Martyr interfectus, eumque combusserunt, testificati sunt contra eum quadraginta Christiani, fidem ejus non fuisse rectam, aliaque falsa protulerunt.* Quid postea contigerit, ex eodem Fausto Nairono anno MCLXXXII referemus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6603. — Anno Eræ Hispan. MCXLVIII; Anno Hegiræ DIV inchoato die 20. Julii fer. 4.

☉ 27. B. ☽ 9. P. 10. April. Indict. 3.

JESU CHRISTI 1110.

PASCHALIS II PAPÆ 12.

HENRICI V REG. 5.

ALEXII COMNENI IMP. 30.

I. *Henrici Imp. Romam pergit.*

AD num. I & seqq. Chronographus Hildeosheimensis ad annum MCIX, scribit: *Archiepiscopus Coloniæ Fridericus, Bruno Treverensis, Cancellarius Adelbertus, Comes Hermannus de Winceburch, aliique Principes satis clari Romam cum pompa non parva vadunt, inter domnum Apostolicum & Regem* (Henricum sc. V, qui tamen à Sugerio in Ludovico Grosso Rege cap. IX. dicitur *Imperator*, licet nondum Romæ coronatus fuisset juxta morem, qui obtinebat) *concordiam facturi. Domnus Apostolicus omni paternitate, omni mansuetudine eum se excepturum spondet, si ipse se ut Regem Catholicum, ut Ecclesiæ filium & defensorem, ut justitiæ amatorem S. Romanæ Sedi exhiberet.* Tum ad annum MCX: *Nonis Martii Synodus gloriosa in Lateranensi Ecclesia præsidente Domino Papa Paschali celebratur.* (Tom. X Concil. ex Chronico MS. sancti Petri Vivi dicitur Concilium illud adversus Investituras celebratum). *Prædicti Legati Leodium ad Regem veniunt, responsum Papæ referentes. Ibi Rex Anglici Regis* (Henrici nempe) *filiam* (Mathildem appellatam) *sponsam suscepit, quam in Pascha apud Trajectum Regio more dotavit. Expeditio in Italiam ab universis Occidentis Principibus Trajecti collaudatur.* Paucis interpositis: *Circa Assumptionem Sanctæ Mariæ Rex Regio apparatu Italiam ingreditur. Omnes civitates munita, omnia castella Regi subduntur. Rex Natalem Domini apud Florentiam celebrat.* Inde nuncios Romam mittit, inter quos & Paschalem II Pacta quædam conventa, à Baronio num. II ex Petro Diacono lib. 4. cap. 37. recitata.

II. *Grosulani Archiep. Mediolanensis profectio Jerosolymitana.*

Hoc anno, ut narrat Landulphus Junior cap. 17. apud Puricellum lib. 4. de SS. Arialdo & Herlemb. cap. 90. cùm *Grosulanus* Archiep. Mediolanensis arcem *Arona*, quam invaserat, dedere

dere coactus fuisset, fautorum & amicorum consilio de Peregrinatione Hierosolymitana suscipienda cogitavit. Puricellus quidem ibidem cum anno MCXI hæc copulat, & in Monum. Basilicæ Ambrosianæ num. 308. ante libros illos editis, hanc Peregrinationem ad annum MCIX retulerat. Verùm eam ad currentem pertinere certum existimo; nam statim post ejus discessum mense Aprili, *Olricus* & quatuor Metropolitanæ Ecclesiæ Canonici quatuor temporibus Pentecostes sacros Ordines Mediolani accepêre, quæ eo anno contigêre *ineunte Junio*, ut inquit Landulphus citatus. Quare *Olricus*, & socii die IV Junii, qui hoc anno cum sabbato quatuor temporum concurrebat, Genuæ ordinati sunt, & *Grosulanus* mense Aprili currentis anni, qui Henrici Imp. in Italiam adventum præcessit, in Terram Sanctam profectus est; quæ quidem Peregrinatio pro abdicatione habita fuit, *in hac manifesta depositione*, inquit Landulphus. In Catalogo Episcoporum Mediolanensium in Archivis Metropolitanæ Ecclesiæ ejusdem urbis asservato, & à Puticello lib. 4. de SS. Arialdo & Herlembaldo cap. 90. citato legitur: *Grosulanus Episcopus sedit annos septem, & menses quatuor, sepultus est Romæ ad Sanctum Sabam*, sicque mense Decembri anni MCII ab Episcopatu Savonensi ad Mediolanensem translatus fuerat, & mense Aprili currentis anni in Orientem perrexit. Auctor Catalogi Episcoporum Mediolanensium à Papebrocio publicati, qui ait: *Grosulanus hanc sedem annos IX, & menses IV perturbavit*, annos illos novem à mense Decembri anni MC repetit, ab illo enim mense usque ad Aprilem hujus anni, hoc temporis spatium fluxit.

III. *Coronatio Henrici Mediolani commentitia est.* Galuancus Flamma in magno suo Chronico cap. 251. Auctor Chronici, cui titulus, *Flos florum* fol. 136. Annalista Modoetiensis lib. 1. cap. 37. & alii Recentiores apud Puricellum in Monument. Basil. Ambros. num. 310. quos Sigonius lib. X de Reg. Italiæ sequitur, asserunt, *Grosulanum* seu *Chrysolaum* Henrico Imp. Regium Insigne Modoetiæ, vel Mediolani dedisse, sed cùm Landulphus Junior, qui tunc Mediolani erat, hujus Coronationis mentionem non faciat, sicuti nec Sigebertus, nec Otto Frisingensis, nec Urspergensis Abbas, ea commentitia habenda; cùm ex dictis *Grosulanus* mense Aprili currentis anni Mediolanum reliquerit, & Henricus Imp. ineunte autumno, teste Domnizone in Mathilde, in Italiam venerit.

Cum multis Galeatus in ortu.
Autumni venit, Longobardosque peremit.

Henricum porrò malè se se in suo itinere gessisse, præter Domnizonem testatur P. Auctor Vitæ Paschalis II: *Civitates multas & castra in itinere, dolo pacem ostendendo, subvertit; Ecclesias destruere non cessavit, Religiosos ac Catholicos viros capere, quos invenire poterat; quos verò habere non poterat, à propriis sedibus expellere non desistebat. Sic impiè agendo per Longobardiam & Tusciam usque pervenit.* Ita Pandulfus.

IV. *Toletum à Saracenis frustrà obsessum.* Hoc anno *Hali* Saracenorum Africæ & Hispaniæ Rex seu Imperator *Toletum* diebus octo omnibus machinis impugnavit, tandemque *Madrito* & *Talavera* direptis ingenti præda onustus in Africam rediit, uti refert Sandovalius, qui ait nescire se quis sit iste *Hali*; sed jam diximus, eum fuisse filium *Josephi Techfin*, Maroci Regis & Imperatoris Amorabitarum. Ipsemet postea fol. 119. citat Historiam MS. Toleti, ubi legitur *Halim* fuisse potentissimum Maroci Regem. Mariana lib. 10. cap. 8. de hac *Toleti* obsidione loquitur, sed quis fuerit *Hali*, præcisè non designat. Garibayus etiam nihil de *Hali* dicit, & tantum de *Concha* recuperatione verba facit, quod quidem verum est; nam non tantum oppidum illud à Saracenis tunc captum; sed etiam universum Toleti Regnum, ipsa civitate primaria excepta, à *Bernardo* Archiepiscopo Toletano servata, ut anno superiori indicavimus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6604.

☉ 28. A. ☽ 10. P. 2. April. Indict. 4.

JESU CHRISTI 1111.

PASCHALIS II PAPÆ 13.

HENRICI V REG. 6. IMP. 1.

ALEXII COMNENI IMP. 31.

Anno Eræ Hispan. MCXLIX. Anno Hegiræ DV inchoato die 10. Julii fer. 2.

I. *Henricus Germaniæ Rex Romam pervenit.* AD Num. I ad XLV. Baronius fusè narrat, quæ hoc anno Romæ, quô illuc Henricus Imp. adventavit, contigêre. Quare his tantum addo, quæ in Vita Paschalis II Pandulfus Pisanus hanc in rem refert: *Susceptus à Summo Pontifice non prius Ecclesiam intrare voluit, quam eam suo jure, suoque dominio à suis fidelibus detineri vidisset. Deliberata est itaque ei Ecclesia, & omnes munitiones circumquaque sitæ: & in hac deliberatione obsides dedit, videlicet nepotem suum, & alios Barones; ostendendo fidem servaturum, quam penitus malè servavit. Dominum Papam Paschalem dolo & fraude, cum Episcopis & Cardinalibus, ceterisque ordinibus, & cum Proceribus quàmmultis, apprehendit. de aliis verò maximas struges fecit: Clericos verò, Archipresbyteros, Presbyteros expoliavit, planetas & thymiamata eis auferendo: & proprias vestes, ex quibus vestiti erunt, minimè dimittebat, nec etiam subtalaria atque femoralia eis habere permittebat. Hæc verò acta sunt mense Februarii II Idus, anno Dom. Incarnationis MCXI, indict. IV. Eodem namque die Dominica, quâ legebatur Evangelium, Assumpsit Jesus duodecim, &c. Et ait illis, Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis, quoniam tradetur gentibus & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur.*

II. *Paschalem II captivum detinet.* *Ascensio ista descensio fuit: quoniam ut Dominus à malignis perpessus est injuriam, sic & iste à barbaris malitiosè captus est. Consummata sunt in Christo, quia à Prophetis prænunciatum est, eum passurum Hierosolymis: in isto, quoniam jam multis vicibus dictum erat, non iturum; si verò ivisset, non priùs rediturum, quàm omnia quæ vellet, faceret. Traditus fuit videlicet à suis, & non ab extraneis: flagella, multaque opprobria diu ab eis perpessus est. A prædicto namque die, videlicet à II Idus Februarii usque in V Kal. Maii devotus Dei Pontifex multis est affectus cruciatibus.*

III. *Ab eo coronatur Imperator.* Verùm loco, *V Kal. Maii*, legendum, *V Idus Aprilis*, ut habet Malmesburiensis lib. 5. pag. 167. qui ait narrare se gesta in Coronatione Henrici Imp. ex Davide Scoto Bancorensi Episcopo tunc vivente, & à partibus ejusdem Imperatoris stante. Cùm enim, ut habet idem Malmesburiensis, *Henricus* coronatus fuerit *IV Idus Aprilis Dominicâ, Quasi modo geniti*, idest, Dominicâ in Albis, quæ hoc anno incidit in V Idus Aprilis, non verò in *IV Idus Aprilis*, ut errore Librario-

rum

rum ibidem legitur, manifestum est, oltra diem illum Paschalem II ab Imperatore detentum non fuisse, & locum præfatum eo quo diximus modo corrigendum. Corrigendus est alter ejusdem Malmesburiensis locus, qui est de concessione Investiturarum à Papa Imperatori facta, *Privilegium & conventionem violenta trium septimanarum captione à Papa extorta veraciter inseram*; loco enim, *trium septimanarum*, legendum, *octo septimanarum*; Pandulfus quippe in Vita Paschalis II refert eum *II Idus Februarii* captum fuisse, die sc. XII ejusdem mensis, indicatque Dominicam Quinquagesimæ cum illo die concurrisse, cùm dicat hæc accidisse *die Dominico, quo legebatur Evangelium, Assumpsit Jesus XII discipulos*, à quo die ad Dominicam in Albis fluxere septimanæ octo, non verò tres. Ex quibus emendandus etiam Petrus Diaconus à Baronio num. XIV laudatus, lib. 4. cap. 41. ubi ait, Paschalem II *in ergastulo* fuisse *sexaginta & unum dies*, ut numeranti patet. Scriptum erat in apographo *LVI dies*, & Librarius legit *LXI dies*. Norunt enim qui in MSS. legendis versati sunt, numerum X cum numero V à Librariis sæpe confusum fuisse. Mitto alios errores minoris momenti, qui cubant in aliquibus aliis locis à Baronio, qui arbitratus est Henricum *Idibus Aprilis* Imperatorem coronatum esse, hoc anno recitatis; sed eum præterire non possum, qui extat in Chronico Urspergensis, dum de Henrici Imp. coronatione verba facit, & quidem ex citato à se Davide Scoto; postquam enim retulit, Paschalem II detentum fuisse, subdit: *His ita in Dominica Quadragesima transactis*; loco enim, *Quadragesima*, legendum, *Quinquagesima*. Cùm verò postea asserit, Paschalem II *Post octavas Pascha* Henricum coronasse Imperatorem, non discrepat à Malmesburiensi, qui tradit id factum in Dominica in Albis, seu in die octava Paschatis, quia *post octavas Pascha*, idem est ac *in octavas Pascha*, sicut *post diem tertium*, idem sæpe significat ac *die tertio*, ut alibi demonstravi. Porrò *David Scotus* in Aulam ab eodem Imperatore adscitus, hujus expeditionis seriem tribus libris scripsit, ut prodit Urspergensis, qui addit Henricum sibi eum Capellanum assumsisse. Quare non mirum si Malmesburiensis laudatus moneat Davidem *in Regis gratiam, magis quam Historicum deceret, proclivem fuisse*. Sed illa Historia vel periit, vel adhuc in tenebris latet.

IV. *Quintò Idus Aprilis.* His ita juxta Criticæ regulas discussis perspicuum est, Labbeum in Chronico rectè observasse Robertum de Monte in germano suo Chronico diem Coronationis Henrici Imp. annotasse, dum Bullam Paschalis II eodem die datam recitat. Hæc Roberti verba: *Die Pascha Henrico in Imperatorem coronato, tradidit ei post lectum Evangelium Papa Paschalis, qui & Raginerius, ante altare Apostolorum Petri & Pauli, in oculis omnium Principum, Privilegium de Investitura Episcopatuum & Abbatiarum*, &c. *Datum est Idus Aprilis indictione quarta.* Ad quæ verba Labbeus observat numeros duos, vel à Librariis omissos, vel diuturnitate temporis in autographo deletos fuisse, nempe VIII inter illa verba, *die Pascha*, & V ante *Idus Aprilis*; hoc enim anno nullus Iduum dies concurrere potest cum die Paschatis, quod celebratum est quarto Nonas Aprilis; & parte alia dies Iduum in Dominicam non incidit. Quare error, qui in Roberti Chronicon irrepsit, ex ipsomet emendandus. Iidem errores irrepsêre in editionem Sigeberti Francofurti curatam; in MS. enim Gemblacensi, quo Miræus in correcta sua editione usus, diei Paschatis nulla mentio, sed tantum in fine Privilegii legitur, *datum est Id. Aprilis* (loco, V Idus Aprilis) *indictione IV.* Sed cùm Sigebertus hoc ipso tempore vixerit, neque ignorare potuerit diem Dominicam hoc anno cum die Iduum Aprilis non concurrisse, & hanc ceremoniam die Dominicali fieri oportuisse, ea diei V Iduum omissio ei adscribi non potest. Sed nondum errorum finis. Baronius enim num. XXIV refert ex veteri Codice verba dicta à Paschali Papa in die coronationis Henrici, in quibus legitur: *Anno Verbi incarnati MCXI hoc confirmatum est decimo sexto Kalendas Martii*, qui mensis & dies manifestè corrupti. Tum ex Actis Paschalis II: *Actum Idibus Aprilis, V feriâ post octavas Pascha indictionis IV*, quæ ex dictis constat subsistere non posse. Denique in Chron. Hildenshemensi accuratè dicitur Henricum II Idus Februarii Romæ *ab Apostolico* exceptum, sed perperàm subditur, eum *Id. Aprilis* à Papa consecratum.

V. *S. Gebhardus Archiep. Salisburg. factum Imperatoris improbat.* Baronius num. XXV mentionem facit *Sancti Conradi* Archiepiscopi Salisburgensi cognomento Gebehardi. De eo in Vita ejus Tom. VI Canisii recitata dicitur, Henricum V *cum exercitu copioso circiter XXX millia equitum electorum* Italiam ingressum esse, habentem in comitatu suo *Chunradum* Archiep. Salisburgensem, ut benedictionem Imperialem à Paschali Papa susciperet; sed Regem quorumdam sceleratorum consilio Paschalem captivasse, & Chunradum factum hoc improbasse. Exinde Imperator, inquit Anonymus, ejusque sequaces in eum commoti, nullus ei locus tutus erat ad latendum. Tandem *post novem annos* in Sedem suam reductus est. *Quadragesimo secundo Episcopatûs sui anno senex & plenus dierum V Idus Aprilis feliciter fine quievit anno Incarnat. Domini MCXLVII.* Factum verò Paschalis II improbavit *Sanctus Bruno* Abbas Casinensis & Episcopus Signiensis, ut videre est apud Baronium à num. XXIX ad XXXIII, ubi ait eum pridie Kalend. Septemb. animam Deo reddidisse, anno non expresso, quem infrà videbimus fuisse annum Christi MCXXV. Baronius in Addendis & Corrigendis ad Tomum XII suorum Annal. ex Vita S. Gebehardi scripta ab Auctore hujus temporis alia refert huc transferenda.

VI. *Investituras ab eodem extorquet.* *Tunc Papa*, inquit Ordericus lib. 10. pag. 762. *solerti custodia detentus, omnique solatio destitutus, Imperatori quidquid petierat, concessit. Unde ab illo dimissus, multis postmodum vilior extitit. Nam Rodbertus Parisiensis, Gualo Episcopus Leonensis, & Pontius Abbas Cluniacensis, aliique plures de Cardinalibus & Prælatis Ecclesiarum Papam redarguebant, & quidquid Imperatori verbo seu scripto concesserat, irritum esse debere indubitanter censebant. Asserebant enim, quod pro veritate & justitia debuisset optare mori, & usque ad mortem innocenter Christum sequi: satiusque malè vincula & flagra perpeti, quàm aliquid contra jus & statuta Patrum potestati annuere seculari. Ille vero reprehensiones Sophistarum patienter tolerabat, & assertiones eorum legitimas ac veraces esse allegabat.* Sophistarum nomine quicumque ceteris doctiores esse putarentur, appellabantur, indeque Lanfrancus & Anselmus *profundi Sophistæ* dicti.

SÆC. XII. An. C. 1111.

VII. *Duæ Philosophorum & Theologorum sectæ in Schola Parisiensi.*

Porrò *Robertus*, quem in ea significatione Ordericus *Sophistam* vocat, fuit Theologus Parisiensis Urbano II, ac dein Paschali II acceptissimus. Auctor Historiæ *à Roberto Rege ad mortem Philippi I*, apud Duchesnium Tom. IV de eo scribit: *In Dialectica hi potentes extiterunt Sophistæ: Joannes, qui eamdem artem Sophisticam vocalem esse disseruit, Robertus Parisiacensis, Roscelinus Compendiensis, Arnulphus Laudunensis.* Occasione enim altercationum Berengarii Hæresiarchæ tempore excitatarum, ortæ sunt in Schola Parisiensi duæ Philosophorum & Theologorum Sectæ; primi in vocibus seu nominibus omnia reponebant, alii verò in rebus; indeque priores *Nominales*, alii *Reales* vocati. Materia communis totius disputationis erat *Universale Logicum*: vetus opinio naturam ipsam realem esse defendebat; nova verò contendebat nullam dari Universalem, sed quidquid est, esse singulare, solasque voces seu nomina Universalia dici posse. Dissidium illud, inquit Bulæus in Hist. Universitat. Parisiensis, ad annum MLXVII, diu & per multa secula in Academia Parisiensi viguit.

VIII. *Moritur Boamundus Antiochiæ Princeps.*

Ad num. XLV. Boamundi Antiochiæ Principis mortem Baronius accuratè hoc anno consignat, & Ducangius in Notis ad lib. XIV Hist. Annæ Comnenæ perperàm contendit, eam uno aut altero ante præsentem anno accidisse. Hæc de Boamundo Ordericus lib. IX: *Anno ab Incarnat. Dom. MCXI indict. IV, Marcus Buamundus post multos agones & triumphos in nomine Jesu Antiochiæ obiit*, ubi tamen in loco mortis fallitur. Eum enim in Apulia demortuum certissimum, idque anno currenti, ut etiam produnt Albertus Aquensis lib. XI cap. 48. Chronographus Malleacensis, ac Falco Beneventanus, qui extinctum tradit mense Februario anni Christi MCX *indict. IV.* Falconem citat Ducangius, & observat solenne esse huic Scriptori annos Christi à mense Martio auspicari, ideoque existimare eum vita functum mense Februario anni Dionysiani MCXI. Ceterùm quantus vir fuerit *Boamundus*, vel ex his Annæ Comnenæ lib. XIII verbis intelligi potest: *Hic talis ac tantus fuit: ut unus omnium, qui tunc erant hominum, Imperatori Alexio secundus; uni duntaxat illi fortuna, vi dicendi, consilio, ceterisque naturæ dotibus esset inferior; planè invictissimus futurus, nisi eum ætas sua, rerumque ac spei rationes cum Patre meo commisissent.* Eum hoc anno vitam cum morte commutasse testatur etiam Petrus Diaconus lib. 4. cap. 42. cujus verba Baronius num. XV refert: *Ea perturbatione durante*, inquit hic Auctor, *Rogerius Dux cum Boamundo fratre defungitur.* Rogerius Dux erat Apuliæ, cui in Principatum successit *Guillelmus* filius, Boamundo verò in Principatum Antiochiæ Tancredus nepos Dux etiam celeberrimus. Erant *Rogerius* & *Boamundus* filii Roberti Guiscardi, de quo sæpe à nobis sermo habitus.

IX. *Floret Rupertus Abbas Tuitiensis.*

Ad num. XLVII & seqq. Florebat hoc tempore *Rupertus* Abbas monasterii Tuitiensis, in opposito civitatis Coloniensis juxta Rhenum, quod aliàs diximus à sancto Heriberto Coloniensi Archiep. constructum. Fuerat antea Monachus cœnobii sancti Laurentii in publico Monte Leodii, de quo *Renerus* ejusdem monasterii Monachus lib. *de Viris Illustribus sui cœnobii.* Multa Opera tam in juventute, quàm jam ætate provectior in lucem emisit, inter quæ libros XII *de Divinis Officiis*, quos ejus genuinum fœtum esse malè à quibusdam negatum, uti demonstrat Gerberonius in Apologia *pro Ruperto.* Eum in gravissimum errorem circa Eucharistiæ Sacramentum impegisse putarunt Baronius num. XLIX, Bellarminus lib. de Script. Ecclesiast. aliique utrumque secuti, quòd scilicet unionem hypostaticam panis & vini Eucharistici cum Verbo admiserit, cui opinioni ipsemet locum dedit durioribus & subobscuris suis locutionibus; adeo ut hæretici eum inter suos connumerent. Verùm immeritò; cùm in Epistola Dedicatoria libris illis præfixa clarè Berengarianam hæresim impugnet, suamque mentem Catholicæ fidei conformem explicet. Legendus Gerberonius loco citato, & Natalis Alexander part.I.Sec. XI & XII. Obiit *Rupertus* anno MCXXXV. Porrò Renerus hoc ipso tempore vivebat, scripsitque etiam Gesta S. Lamberti Episcopi Leodiensis, quæ extant apud Chapeavillam Tom.I.

SÆ C. XII. An. C. 1111.

X. *Initium dissidii Alphonsum inter Regem & Urracam uxorem exorti.*

In Hispania dissensiones inter Alphonsum Regem, & Urracam conjugem in apertum hoc anno erupêre. Sandovalius fol. 120. & seq. Chartas varias laudat, quibus liquet *Urracam* anno superiori adhuc cum Alphonso marito fuisse, uti Privilegium in favorem monasterii sanctæ Mariæ de Balvaneta, emissum *era MCXLVIII unà cum conjuge Urraca nomine strenuissimo Rege Adefonso suo existente genitore: michi quoque quodammodo juncta consanguinitate, à Pyrenæis montibus usque ad refluxus Oceani Regali auctoritate dominantibus.* Eo etiam Christi anno era MCXLVIII Urraca die XXVI Decembris sancto Stephano Protomartyri sacra donationem quamdam facit, in qua habetur: *Adefonsus Rex. Confirmat Urraca totius Regina Hispaniæ.* Quare Alphonsus & Urraca adhuc eo anno conjunctim regnabant, nondumque Alphonsus Infans prioris mariti Urracæ filius Rex proclamatus fuerat, ut eruitur ex Instrumento Ecclesiæ Vallisoletanæ, ubi Bernardus dicitur *Archiepiscopus Toletanus*, Urraca *Regina Legionis*, Petrus Travæ Comes Gallæciæ Præfectus & Gomesius Castellæ. Petrus autem Alphonsi Infantis gubernator erat.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6605.

☉ 1. GF. ☽ 11. P. 21. April. Indict. 5.

JESU CHRISTI 1112.

PASCHALIS II PAPÆ 14.

HENRICI V REG. 7. IMP. 2.

ALEXII COMNENI IMP. 32.

Anno Eræ Hispan. MCL. Anno Hegiræ DVI, inchoato die 28. Junii fer. 6.

I. *Concilium Lateranense.*

AD Num. I ad XII. Concilium Lateranense, quod revocavit Privilegium à Paschali II Henrico Imperatori concessum, celebratum hoc anno non *V Kalendas Aprilis*, ut per errorem Amanuensium legitur in Actis hujus Concilii, à Nicolao Aragonio editis, sed *decimo quinto Kalendas Aprilis*, uti habent Urspergensis in Chron. & Simeon Dunelmensis in Hist. de Gest. Reg. Angl. Paschalis II, inquit Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, Clericorum suorum importunitate compulsus, Romæ apud sanctum Joannem Lateranensem *in medio mensis Martii Concilium CXXV Episcoporum celebravit*, in

quo

SÆC. XII. An. C. 1112.

quo Episcopi omnes, qui fuerunt præsentes, uno ore, unaque sententia Privilegium illud, quod Papa compulsus Imperatori tradiderat super Investitura Episcoporum, condemnaverunt. *Perlecta Charta acclamatum est ab universo Concilio: Amen, Amen*, inquit Aragonius Cardinalis, qui subdit: *Hæc charta lecta est à Gerardo Engolismensi, Leone Ostiensi, Galone Legionensi Episcopis, Roberto Cardinali tit. S. Eusebii, & Gregorio Cardinali tit. SS. XII Apostolorum, & communi aliorum consensu.* Sed tam Tom. X. Concil. quàm apud Baronium num. X loco, *Gelone*, vel *Galone Legionensi* Episc. legendum, *Galone Leonensi* Episc. Is enim Episcopus erat *Leonis* in minori Britannia sub Archiepiscopatu Turonensi, quod oppidum nunc vulgò vocatur *S. Paul de Leon*. Obiter observa diem XVIII Martii incidere hoc anno in feriam secundam, qua de more Concilia inchoabantur.

II. *Inve Investitura prohibita.* Labbeus Tom. II Biblioth. pag. 249. recitat Historiam Pontificum & Comitum Engolismensium ab Auctore Anonymo, qui vixit anno MCLIX, scriptam, in qua de Gerardo Episcopo Engolismensi cap. 35. inquit: *Cùm Romam tenderet, audito quod Paschalis Papa Concilium congregasset maximum diebus illis, ad jubileum tetendit* (sed legendum cum alio exemplari correctiori, maximis dietis ad Urbem tetendit), *in quam quamvis tardè venit, tamen residentes Episcopos cum domino Papa in Concilio invenit. Causa siquidem qua convenerant, talis fuit. Imperator siquidem Henricus Papam Paschalem, Cardinales & nobiles Romanos ceperat. Hac occasione Papa reliquit Investituras Imperatori, quæ fiebant per annulum & virgam, & super Sacrosancta juravit propria manu & Curia ejus imperatorem se non excommunicare pro Investituris. Quia verò Papa rem illicitam fecerat, deponere se à Papatu promiserat, & ad Ponetianas insulas habitu religioso exul ire disposuerat, si Investituras salvo sacramento ad pristinam libertatem*, &c. *In qua re nullum remedium à toto Concilio inveniri poterat. Gerardus Episcopus requisitus tandem tale consilium dedit, quod Investituræ revocari poterant salvo sacramento* (à Paschali scilicet II facto) *ita tamen quod Imperator dans Investituras non excommunicaretur. Quod consilium omne Concilium laudans dixit; Non tu locutus es, sed Spiritus Sanctus in ore tuo. Placuit itaque Papæ & toti Concilio, quatenus Gerardus Episcopus, per quem Deus Ecclesiæ suæ tale consilium reseraverat, cum quodam Cardinale Diviniaco, vel Dunciaco* (nomen illud corruptum) *ad Imperatorem dirigeretur, qui voluntatem Imperatoris consuleret, quatenus Ecclesia Romana Investituras exponeret* (forrè reponeret), *alioquin habitum consilium revelaretur. Quod cùm in præsentia Imperatoris supradictus Pontifex Gerardus mirabiliter perorasset, & à Cancellario Imperatoris, qui illius interpres erat, singula exponerentur, vehemens tumultus ortus est in Curia, ita quod Coloniensis Archiepiscopus, qui eum solemniter in hospitio suo susceperat, (in Galliis namque discipulus Gerardi fuerat) de vita illius dubitans, dixit: Magister maximum scandalum generasti in Curia nostra. Indignans autem Gerardus respondit: Tibi sit scandalum, mihi est Evangelium. Dedit tamen Gerardo Pontifici Imperator multa munera.* Addit Petrus Blesensis in Continuat. Ingulphi pag. 128, ubi de hoc Concilio agit, Gerardum tunc fuisse *in Aquitania Sedis Apostolicæ Legatum*.

III. *Sed Henricus V excommunicatus non fuit.* *Gerardi* consilium secutum est Concilium Lateranense, in quo, ut habet Baronius ex Aragonio Card. num. VIII, Patres non Henricum Imp. sed Privilegium ab eo extortum excommunicarunt: *Nos omnes in hoc S. Concilio cum eodem domno Papa congregati, canonica censura, & Ecclesiastica auctoritate, judicio S. Spiritus damnamus & irritum esse judicamus* (nempe Privilegium illud), *atque omninò cassamus, & ne quid auctoritatis & efficacitatis habeat, penitus excommunicamus.*

IV. *In Concilio Viennensi excommunicatus.* A num. XII ad XIX. Concilii Viennensis hoc anno habiti meminit Chronographus Malleacensis, illudque *XVII Kalendas Octobris* celebratum, ut habet Codex à Baronio num. XVI citatus. In eo Investitura Episcopatuum, & Abbatiarum de manu laica suscepta, hæresis judicata est, & Henricus Germaniæ Rex excommunicatus, quòd Paschalem II indignè tractasset, ac detestabile scriptum violenter extorsisset. Patres in Synodali Epistola ad Paschalem II data, & à Baronio num. XIV relata testantur, Legatos Henrici Regis ad illud Concilium venisse; sed hunc in eodem excommunicatum esse. Pertinet ad istud Concilium, quod Sugerius in lib. de Vita Ludovici Regis hujus nominis VI cap. IX scribit: *Verum si quærit quis, quare dominus ita tepide fecerit, noverit, quia Ecclesia, percusso Pastore & collateralibus, languebat, & pene eam, tyrannus ancillans, quia non erat qui resisteret, tanquam propriam occupabat. Cui certum facto dedit experimentum, quod cùm Fratres Ecclesiæ columnas ad tuitionem & Ecclesiæ reparationem, quomodocumque solvi fecisset, pacemque Ecclesiæ qualemcumque reformasset: ad eremum solitudinis confugit, moramque ibi perpetuam fecisset, si universalis Ecclesiæ & Romanorum violentia coactum non reduxisset. Verum Dominus J. C. Redemptor & defensor Ecclesiæ suæ, nec eam diutius conculcari, nec Imperatorem impanè ferre sustinuit. Qui etenim nec tenti, nec fide obligati fuerant, causam Ecclesiæ fluctuantis suscipientes, domini designati Ludovici* (nempe Ludovici hujus nominis VI) *suffragio & consilio in Gallicana celebri Concilio collecta Ecclesia* (sc. in urbe Viennensi) *Imperatorem tyrannum anathemate innodantes mucrone beati Petri perfoderunt.* Malmesburiensis lib. 5. de Reg. Angl. ait, omnem Galliam Ecclesiastici zeli vigorem intentasse in Henricum Imp. nec dissimulasse execrati. Tom. X Concil. pag. 786. recitatur Epistola Paschalis II *Guidoni Viennensi Archiep. Sedis Apostolicæ Vicario*, & ceteris Archiep. Episc. & Abbatibus *Viennæ congregatis*. Data *Laterani XIII Kal. Novemb.* qua Paschalis II quæ *statuta sunt ibi, rata* suscipit & confirmat. Denique Guigo Prior Cartusiensis in Vita sancti Hugonis Episc. Gratianopolitani Innocentio Papæ hujus nominis II dicata cap. 5. de hoc sancto Præsule scribit: *Ipse præ cunctis, ut apud Viennam excommunicaretur, effecit.*

V. *Obitus Gibellini Patriarchæ Ierosolymorum.* Ad num. XXIX. Guichenonus in Biblioth. Sebusiana refert Epistolam A. Hierosolymitani Patriarchæ, datam A. Fructuariensi Abbati, in cujus fine legitur: *Domnus Gibellinus Pater Pastorque Patriarcha noster, Vir piissimus obiit VIII Idus Aprilis. Hoc Scriptum nostrum confirmatum est in Capitulo S. Sepulchri Jerusalem VI Kal. Madii anno Dominicæ Incarnat. MCXII, indict. V, captionis Jerusalem à Christianis anno XIII, Domini Arnulphi Patriarchæ anno I, præ-*

sidente in Jerusalem Domino Balduino Rege invictissimo anno XII, regnante Domino nostro Jesu Christo. Ita Guichenonus ex Archivo monasterii Fructuariensis Cent. 2. cap. 73.

VI. *Canonici Mediolanenses Grosulanum Archiep. munere suo dejiciunt.* Puricellus in Monum. Basilicæ Ambrosianæ refert ex Landulfo Juniore in Chron. depositionem Grosulani ex Archiepiscopatu Mediolanensi, quem per tot annos turbarat: *Mane facto, videlicet Kalendis Januarii* (currentis Christi anni) *Ardericus idem cum Vicedomino, & ceteris sibi conjuratis in abjiciendo Grosulanum, vel in suscitando aut in alium erigendo Archiepiscopum, catholicè pulpitum ascendit* (in publico sc. cœtu), *& facto silentio in populo, coram illa maxima multitudine loquens dixit; Nos salvâ reverentiâ Papæ secundum auctoritatem & justitiam Canonum dicimus, quod Grosulanus non potest esse Archiepiscopus Mediolani* (mirum Ecclesiasticos summi Pontificis judicium abrogasse). *Isto dicto & confirmato illicò Presbyterum Jordanum de Clivi elegit in Archiepiscopum. Hoc cùm Presbyter Liprandus audivit, ægrotus à lecto surrexit, & in altero die illi Electo piscem obtulit dicens; Gratias Deo, quod nunc mihi testimonium perhibetis; sed hi qui te elegerunt in Archiepiscopum, malè fecerunt, & Deus illis misereatur; quia tu posses esse unus bonus Presbyter de claustro; nunc autem masculus esto* (idest virum te præbe). *Cùm autem Electus ille, nec aliquis de tot circumstantibus ipsi Presbytero respondisset. Presbyter ipse propinquius accessit, & osculatus Jordanum sicut unum de ceteris Sacerdotibus reliquit.*

VII. *Paschalis II Grosulani causam tuetur.* Landulfus cap. 23. fusè narrat ordinationem Jordani factam ab ejus suffraganeis Arialdo Genuensi, Mamardo Taurinensi, & Landulfo Astensi; qua de re à multis murmur excitatum, *in quo murmure*, inquit Landulfus, *Episcopi Azo Aquensis & Ardericus Laudensis* (veteres Grosulani amici) *videntur fuisse. Vigilante* (idest vigente) *itaque hoc murmure Mamardus Taurinensis illicò Romam adivit, & stolam petiit* (à Paschali II, qui jam in Grosulani favorem sententiam dixerat), *& rediens inde, stolam & chartam continentem sacramentum, quod Papa poscebat à Jordano, attulit; alioquin stolam dari Jordano Papa prohibuit, sicut idem Mamardus notavit. At Jordanus per sex menses jejunus fuit*, & *stolam non habuit.* Sequentibus capitibus Landulfus refert, Liprandum avunculum suum contestatò denunciasse, se jure adversus Grosulanum egisse; cùmque in extrema versaretur ætate Mediolano egredi statuit, ne inter eos moreretur, qui animum obfirmarant in defensionem hominis, cujus causam Deus reprobasse videretur: *Delatus est ipse Presbyter*, inquit Landulfus cap. 24. *ad Pontidis Monasterium* (in diœcesi Bergamensi situm,) *me nesciente. In quo monasterio coram Monachis & fratribus à festo S. Nicolai* (sc. à die VI mensis Decemb.) *usque ad festum Epiphaniæ Domini splendidè vixit.* Liprandum usque ad annum MCXIII vitam prorogasse, certis testimoniis liquet, sicque, quod notandum, unico tantum mense in eo Monasterio fuit.

VIII. *Liprandi Presbyteri miraculis clari obitus.* Pergit Landulphus cap. 25. apud Puricellum in Monum. Basilic. Ambros. num. XVII, & lib. 7. de SS. Arialdo & Herlemb. cap. 90. *Igitur Presbytero Liprando in Pontidis monasterio fama de Grosulano redeunte a Hierosolymis, aures Jordani & Ordinariorum ejus implevit, & Mamardus Taurinensis Episcopus iterum Mediolanum venit: atque stolam, quam in præcedenti* (legendum, præsenti, Landulfus enim de anno MCXII, qui Liprandi obitum antecessit, verba facit) *sine sacramento Jordano dare noluit, neque dedit; nunc videlicet in festo S. Nicolai, quando Presbyter Liprandus Pontidum intravit, super altare S. Ambrosii posuit: & Jordanus osculans eam, de ipso altari assumsit, quæ positio & assumtio absentibus Ordinariis & Primiceriis facta fuit.* Puricellus in priori loco laudato, ut ostendat nihil mutandum esse in hoc loco, *quam in præcedenti*, ait Landulfum annum à die XXV mensis Martii exorditi, & Mamardum Episcopum Taurinensem ante diem XXV Martii Jordano Pallium dare noluisse, ideoque *in anno præcedenti.* Sed vanum illud effugium; præterquam enim quod Landulfus annum à Kalendis Januariis auspicati videtur, disertèque asserit, à Mamardi reditu cum Pallio Jordanum eo per sex menses tantùm privatum fuisse, à die XXV Martii ad diem VI mensis Decemb. quo S. Nicolaus colitur, menses novem intercurrunt. Landulfus cap. 24. *Liprandi* Presbyteri in vita & post mortem miraculis clari, sed in Sanctorum numerum non relati obitum narrat, & inquit, *spiritum emisit in ejusdem* (sc. Epiphaniæ) *nocte*, anno sc. MCXIII.

IX. *Obitus Henrici Patris Alphonsi primi Lusitaniæ Regis.* Hoc anno mortuus est *Henricus* Portugalliæ Comes, qui *Tarasiam* filiam Alphonsi VI Castellæ Regis ex contubernio cum Semena Muñionis, uxorem duxerat. Eum Mariana lib. I de Reb. Hisp. cap. 4. aliique usque ad nostra tempora è Domo Lotharingica prodiisse tradidêre, licet Rodericus lib. 6. cap. 21. disertè scripsisset, eum fuisse *ex partibus Bisontinis*, & *congermanum Raimundi Comitis patris Imperatoris*, Alphonsi scilicet VII. Verùm nunc inter Eruditos convenit Henricum, cujus filius *Alphonsus* primus Portugalliæ Rex fuit, ut suo loco videbimus, ex Burgundiæ Ducibus originem traxisse. Audiendus Anonymus, cujus Historiæ à Roberto ad mortem Philippi I Regis fragmentum recitat Duchesnius Tom. IV, qui loquens de Alphonso VI Castellæ Rege scribit: *Hic filiam Roberti ducis Burgundionum* (fratris Henrici I Francorum Regis) *duxit in uxorem, nomine Constantiam, de qua suscepit filiam* (Urracam appellatam, quæ mater fuit Alphonsi VII Castellæ Regis) *quam in matrimonium dedit Raimundo Comiti, qui Comitatum trans Ararim tenebat.* (Raimundus iste filius fuit Guillelmi II Burgundiæ Comitis, ubi Vesontio sita). *Alteram filiam* (nomine Tarasiam), *sed non ex conjugali thoro natam, Henrico uni filiorum filii ejusdem ducis Roberti dedit. Hosque ambos in ipsis finibus Hispaniæ contra Agarenorum collocavit imperium.* Quare ex Roberto Burgundiæ Duce natus est Henricus, qui patri in Principatum successit, & ex Henrico *Henricus* alter Portugalliæ Comes, de quo hîc sermo, cujus Successores ad solium Regium evecti fidem Christianam in remotissimas nationes intulerunt. Porrò *Henricum* Portugalliæ Comitem exeunte æstate currentis anni, die incerto, vita functum esse, sepultumque Bracaræ erâ MCL, testatur *Petrus Comitus Bonelus* Portugalliæ Princeps, qui id ante tria secula literis mandavit, & ex eo exscripsit Faria Auctor Lusitaniæ Europeæ Tom. II. De præliis adversus Saracenos, tam ab Henrico, quàm à Raimundo Comitibus gestis. Legendus Sandovalius in Alfonso VI.

X. *Comitatus* Victoriis de Saracenis reportatis inclaruit etiam

SÆC. XII. An. C. 1112. Provinciæ unitur Barcinonensi.

etiam hoc tempore *Raimundus* Berengarii Comes Barcinonensis hujus nominis III, non verò IV, ut perperàm Boucheus lib. IX Hist. Comitum Provinciæ cap. 1, qui & primus ex ea gente Provinciæ Comes fuit: *Habuit uxorem*, inquit Anonymus de Gestis Comitum Barcinon. cap. 16. *filiam Girberti* (melius, Gilberti) *Comitis Provinciæ nomine Dulciam, & ipsum Comitatum Provinciæ, & Amiliam* (idest, Æmiliani Comitatûs in Linguadocia positi, Gallicè Milhaud, *cum ipsa adquisivit*. Gilberto enim Comite Provinciæ, incerto anno demortuo *Gerberga* uxor ejus *Dulciam* utriusque filiam Raimundo Barcinonensium Comiti entrenti anno in matrimonium dedit, ut liquet ex Instrumentis à Baluzio in Appendice ad Marcam Hispanicam cap. 347. & duobus aliis capitibus sequentibus recitaris. Hæc verba prioris *Kal. Februarii* scripti: *Ego Girberga Comitissa dono tibi Dulcia filia mea omnem honorem, quem habeo, vel habere debeo quocumque modo, Comitatum videlicet Provinciæ & Gavaldensis, & Carladensis, & illum honorem, qui est in Comitatu Rutenensi. Quæ omnia advenerunt mihi voce parentum meorum & largitione viri mei Girberti Comitis patris tui.* In secundo Instrumento *III Nonas Febr.* hujus anni dato leguntur: *Ego Gerberga Comitissa Arelatensis trado tibi Raimundo Berengarii Comiti filiam meam in conjugium nomine Dulcem cum omni honore meo, & cum illo honore, qui fuit Girberti Comitis patris puellæ, nominatim Provinciam, quod ibi habeo & habere debeo, & comitatum Gavallanensem, & Vicecomitatum Carladensem, & omnem honorem quem habeo in Comitatu Rutenense, sicut fuit Girberti Comitis, &c. Advenerunt autem mihi Comitissa Gerberga perscripta omnia, partim voce parentum meorum, partim largitione viri mei Girberti Comitis.*

XI. *Matrimonio Dulcia cum Raimundo Comite Barcinonensi.*

In tertio, *Idus Januarii* hujus etiam anni scripto habetur: *Ego Dulcia Barcinonensis & Provinciæ Comitissa per hanc scripturam omnibus innotescere volo qualiter tibi venerabili Raimundo, quem Dei dispositione mihi justo matrimonio copulavi, dono atque concedo totum meum honorem, quem habeo vel habere debeo per paternam sive maternam hæreditatem, vel alio modo in Provincia & in Rutenensi comitatu vel ubicumque sit*, &c. Fuit Gilberto & Gerbergæ altera filia *Stephania* appellata, quæ antea nupserat *Raimundo de Baucio*, cujus mentio in Instrumento anno MCL scripto, & in eadem Appendice cap. 410. relato, in quo dicitur: *Stephania uxor Raimundi de Baucio filii sui partem & hæreditatem in Comitatu Provinciæ requirebant; sed præfatus Comes Berengarius* (filius Raimundi & Dulciæ) *nihil se inde eis dare debere recognoscebat, quia Gilbertus Comes pater suus, & mater sua Girberga Comitissa eam maritaverant, & hæreditaverant.* Quibus ex actis tria, quæ hactenus tenebris involuta fuêre, in apertam lucem educuntur. Primò, *Dulciam* Comitissam Barcinonensem Gilberti & Gerbergæ Comitum Provinciæ filiam extitisse: secundò, *Dulciam* sororem habuisse nomine *Stephaniam*, & denique *Gilbertum* Provinciæ præfuisse, ac Gilbertum II Comitem Provinciæ fictitium esse. Quæ ad illustrationem Historiarum Comitatuum Barcinonæ & Provinciæ obiter dicta sunto.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6606.

☉ 2. E. ☽ 12. P. 6. April. Indict. 6.

JESU CHRISTI 1113.

PASCHALIS II PAPÆ 15.

HENRICI V REG. 8. IMP. 3.

ALEXII COMNENI IMP. 33.

SÆC. XII, An. C. 1113. Anno Eræ Hispan. MCLI Anno Hegiræ DVII inchoato die 17. Junii fer. 3.

I. *Collectiones duæ scriptorum rerum Beneventi gestarum.*

AD num. I. Baronius partem tantum Chronici Beneventani res in ea urbe ab hoc anno ad MCXL gestas complectentem vidit; verum post ejus mortem duæ antiquorum Chronicorum, in quibus recensentur acta à Principibus Beneventanis & Capuanis, Collectiones prodierunt. Prior Neapoli in 4°. ab Antonio Carsaciolo anno MDCXXVI, alteraque in eadem urbe etiam in 4°. anno MDCXLIII à Camillo Peregrinio publicata, hæcque auctior & Notis Chronologicis ac Dissertationibus illustrata. Complectitur ea Collectio Historias Lupi Protospatæ, Herempetti, Anonymi Cassinensis, & Falconis Beneventani, eaque magno nobis usui fuit. Verùm *Falco*, non ab hoc anno, sed ab anno MCII usque ad MCXL Chronicon suum exorditur, & anni initium repetit à die prima mensis Martii, non verò à die vicesima quinta ejusdem mensis, ut alii, qui ab eodem mense annum auspicantur, quod Peregrinius pag. 152. & seq. compluribus exemplis demonstrat. Hic Auctor res sui temporis, easque præcipuè quæ Beneventi contigerunt, fusè & accuratè describit.

II. *De Falcone ex illis Scriptoribus uno.*

Baronius ait, *Falconem* in Beneventana Ecclesia Clericatûs munere functum esse; sed Peregrinius citatus pag. 148. ostendit eum ea in re deceptum, & Falconem ex laicali munere Notarii & Scribæ sacri Beneventani Palatii in Judicem Beneventanum adscitum fuisse, jamque Notarum suarum initio scripserat; Chronologus „ Falco nostratum (Neapolitanorum seu Italorum) mediæ ætatis ob fidelem, nec prorsus „ ineptam diligentiam facile princeps; munere, „ ut ipse de se tradit ad annum MCXXXIII „ & MCXXXVII, Notarius & Scriba sacri „ Beneventani Palatii, tandemque in sua eademque patria Judex. Chronicon illud principio „ & fine mutilum ad nos pervenit. Pag. 149. „ Peregrinius pag. 149. hanc vocem *Judex* his „ verbis explicat; Judex haud Prætorem definiendis litibus constitutum, sed in Decurionum, sive dicas Senatorum, album credas relatum, qui per ea tempora plerisque in locis „ Judices appellabantur. Ita ille.

III. *Paschalis II anno superiori exeunte Beneventum venit.*

Anno MCXII VI indictionis mense Martio, inquit Falco, sed ibi annus rectè descriptus, & indictio vitiosè, legendumque, *V indictionis*. In ejus enim Chronico indictione sexta præsens annus rectè notatur, & annis sequentibus tam indictiones, quàm anni accuratè collocantur. Amanuenses turbavit exemplar Falconis, ubi ad annum MCXI habetur, *V indictionis*, sine ulla narratione. Anno itaque Christi MCXII *Papa Paschalis faciens Romæ Synodum*, inquit Falco, *fregit pactum, quod fecerat cum Henrico Rege* (mense sc. Aprili anno MCXII, ut ibidem ostendimus). Pergit Falco: *Apostolus hæc audient* (nempe seditiones à Beneventanis exeunte anno MCXII excitatas), *nec moru secundo*

Ii 3 *die*

SÆC. XII. An. C. 1113.

die instante mensis Decembris advenit Beneventum. Causa tumultuum hæc erat, *quod alii Landulphum Burrellum, alii Ansonem civitatis Rectorem sine Domini Papæ voluntate constituere satagebant.* Fallitur itaque Baronius, quando scribit Paschalem hoc anno Beneventum adventasse, cum eam in urbem mense Decembri anni superioris pervenerit.

IV. *Ibi synodum celebrat, & seditiosos coercet.*

Cùm in ea urbe hoc anno versaretur, *mense Februario Synodum constituit. Synodo autem facta, cùm in sacro Beneventano Palatio assisteret, prædictamque conspirationem factam pro parte illius Landulphi Burrelli deprehendens concives vocari jussit,* (ubi loquitur Falco de proditione ad urbem occupandam jam tunc detecta) *Et quod quidam civium pro ipsius Landulphi auxilio turres Portæ summa noctu cepissent, indeque munitionum ipsarum custodes ejicientes, una tantum nocte eas virtute tenuerunt. Tandem Deo opitulante & Beneventanorum complurium fidelium solatio, quorum mens erat sanior, turres ipsæ vendicatæ sunt, & B. Petro restitutæ. At cives ipsi tale domino Papæ dedêre responsum, ut quos suspectos haberet, vocaret, & ab eis pleniter justitiam sumeret. Quid plura? Curia ordinata vocantur malorum fautores, vocantur suspecti, tandemque legitimè sententia extensa quosdam captos vidimus, quosdam ejectos, & domos quorumdam fisco deditas, quorundam destructas.*

V. *Securitati urbis consulit,*

Istis taliter actis (mense scilicet Februarii anni MCXIII) *XIV anno pontificatus supradicti domini Papæ mense Martio VI indictionis* (præfata Falco cum anno MCXII, labente scilicet, copulavit, sequentia cum mense Martio hujus Christi anni, juxta eam quam servat methodum) *Dominus ipse Apostolicus civitatem Beneventanam variis prædarum persecutionibus ex omni parte oppressam aspiciens, & civium bona à* Normandis undique vicinantibus quotidie *distrahi & confundi, cognoscens consilio habito Landulphum de Græca militem præstantem & solertem, Comestabulum Beneventanorum instituit, quatenus .... civitas .... secura .... persisteret.* Ad quæ verba Peregrinius hæc notat; „ His consonat Petrus Diaconus in Auctario ad „ Ostiensem lib. 4. cap. 50. qui præsentem ad„ ventum Paschalis in has partes numero facit „ secundum, priorem statuens in anno MCVIII „ mense Octobri, ut tradit libro eodem cap. 33. „ adsertoremque habet nostrum Falconem, di„ centem tunc illum mense Novembri ordinas„ se Landulphum Archiepiscopum Beneventi. Ita Peregrinius. De priori Paschalis II Beneventum accessu anno MCVIII cum eodem Falcone egimus.

VI. *Variæ Paschalis II literæ in Orientem missæ.*

Ad num. II & seqq. Willelmus Tyrius lib. 11. cap. 27. narrat, Balduinum Hierosolymorum Regem per nuncios à Paschali II petiisse, ut quascumque urbes *sibi posset vendicare, omnes ditioni & regimini Hierosolymitanæ Ecclesiæ subjacerent*; quod obtinuit Rescripto dato *Laterani V Idus Julii.* Ad petitionem quoque Balduini Regis Paschalis II *Gibelino* Patriarchæ Hierosolymorum scripsit, eique concessit Urbes & Provincias, *quæ gloriosi Regis Balduini, ac exercituum eum sequentium sanguine, per Dei gratiam acquisitæ sunt.* Eæ literæ nullo die aut mense notatæ. Quod cùm accepisset Bernardus Antiochenorum Patriarcha, de illata Ecclesiæ suæ manifesta injuria plurimùm conquestus est apud Paschalem II, qui literis datis *Laterani VII Idus Augusti*, & à Tyrio ibidem recitatis, respondit, actum id esse propter ignorantiam & locorum prolixam longinquitatem, seque jus & honorem quibusque Ecclesiis conservaturum. Et volens hanc mentem suam interpretari, literas dedit ad eumdem Bernardum Antiochenum Patriarcham, à Baronio num. II recitatas, quæ dicuntur datæ *Beneventi XV Kalendas Aprilis.* Eadem die Balduino Hierosolymorum Regi alias literas dedit, à Baronio num. II relatas, mandatque, *ut Hierosolymitanæ Ecclesiæ sint jure contenti; nec injustè aut procaciter usurpare ea contendant, quæ certò sciuntur ad jus Antiochenæ Ecclesiæ pertinere.* His relatis Baronius scribit eas literas, *postquam Benevento reversus est Romam* Paschalem II dedisse. Verùm, uti observat Peregrinius in Notis ad Falconem pag. 154. Paschalis II una eademque die, nempe *XV Kalend. April.* utrasque literas Beneventi & Romæ scribere non potuit.

SÆC. XII. An. C. 1113.

VII. *Suis annis redduntur.*

Conatus est Peregrinius præfatas literas uno tenore à Willelmo Tyrio recitatas suis annis reddere; sed cùm animum non advertisset ad errorem, qui cubat in subscriptione literarum à Paschali II ad Balduinum Regem datarum, oleum & operam perdidit. Literæ itaque Paschalis datæ *Laterani V Idus Julii*, aliæque ad Gibelinum Patriarcham Hierosolymorum sine loco & die scriptæ, ad eumdem annum eumdemque diem pertinent; cùmque Gibelinus anno MCXII, VIII. Idus Aprilis è vivis excesserit, utraque Epistola, *V Idus Julii*, uno aut altero anno ante Gibelini obitum procul dubio data. Baronius, qui annum emortualem *Gibelini* rectè notarat, literas ad eum à Paschali II directas, & à Tyrio anno MCXV, sicuti omnes jam memoratæ, relatas prætermisit, quia, uti existimo, hunc nodum solvere non potuit. Tum cùm *Bernardus* Patriarcha Antiochenus questus esset apud Paschalem II de concessione illa Patriarchæ Hierosolymitano in suum præjudicium facta, Paschalis II Epistolam ad eum scripsit, quæ dicitur *data Laterani VII. Idus Augusti*, idque anno MCXI aut insequenti. Currenti verò anno dum Beneventi esset, ad Bernardum Antiochenum Patriarcham iterùm scripsit, aitque se jam revocasse concessionem factam *felicis memoriæ Gibelino Hierosolymitano Patriarchæ.* Quare Paschalis II literæ *XV Kal. Aprilis Beneventi*, ubi is versabatur, indubitanter datæ, eademque die ac in eadem urbe de prioris concessionis à se in præjudicium Ecclesiæ Antiochenæ factæ revocatione ad Balduinum Hierosolymorum Regem scripsit; sed Librariorum errore hæ literæ dicuntur datæ *Laterani XV Kal. Aprilis*, loco, *Beneventi XV Kal. Aprilis*, qui error manifestus est; cùm uno eodemque die Paschalis II Romæ & Beneventi esse non potuerit. Tyrius verò cum lib. 11. cap. 26. cùm de Legatione à Paschali II adversus *Arnulphum* Patriarcham Hierosolymorum *ad partes Syriæ*, anno MCXV directa verba fecit, capitibus sequentibus ejus occasione literarum ejusdem Papæ tam ad Gibelinum, quàm ad Bernardum Patriarchas, mentionem habet.

VIII. *Beneventani à Roberto Sclavo & à Normannis vexati.*

Interim cùm *Robertus Sclavus*, qui castellum ad montem Sabletam contrà Beneventanos erexerat, nollet illud diruere, & eosdem vexare non cessaret: *Prædictus Apostolicus hac Romæ audiens*

audiens (Benevento sc. redux) *illum excommunicavit, donec castellum illud civitati contrarium delevisset, quod facere ipse Robertus contempsit*, inquit Falco, qui addit, Landulphum Comestabilem cum Roberto ea de re egisse, & castellum illud evertisse: *Castellum illud destruxit, & funditus delevit, duobus videlicet equis optimis & ducentis solidis datis.* Quod cùm Normanni accepissent, sævius in Beneventanos grassati sunt, ut Baronius num. I narrat ex Falcone.

IX. *Infaustæ nuptiæ Balduini Regis Ierosolymorum cum Comitissa Siciliæ.*

Ad num. IV. Willelmus Tyrius lib. 11. cap. 21. loquens de Rebus hoc anno gestis ait, Comitissam Siciliæ viduam Rogerii Roberti Guiscardi fratris & Comitis Siciliæ matrimonium iniisse cum *Balduino* Hierosolymorum Rege, consilio & consensu Rogerii filii sui, qui postea Siciliæ Rex declaratus fuit; sed eas nuptias Arnulphi Patriarchæ Hierosolymorum malitia factas infelicem exitum sortitas esse, quia prior Balduini uxor apud Edessam *adhuc in rebus agebat humanis.* Ea Siciliæ Comitissa erat *Adelais de Monteferrato* tertia uxor Rogerii, dimissa postea à Balduino Rege, ut infra referemus.

X. *Ad reditum Grosulani ex Oriente, Mediolani tumultuatum.*

Hoc anno Mediolani *Grosulano* ex Oriente reduce rursùs tumultuatum, ut narrat Landulphus Junior cap. 26. apud Puricellum in Monumentis Basil. Ambros. num. 326. *In Augusto, qui fuit octavus mensis ab illo, in quo Presbyter Liprandus obiit; in isto enim mense Grosulanus à Hierosolymis rediit, & prius post legem factam de eo ignitam intravit Mediolanum* (Grosulanus enim bis mense Augusto Mediolanum rediit: primò anno M C V postquam à Paschali II in Sedem Mediolanensem restitutus fuit, & secundo hoc anno post suum è peregrinatione Hierosolymitana reditum), *ibique tunc ad locum, ubi Sanctus Victor carceratus fuit, suos labores, suosque thesauros Sacerdotibus & viris, quos sibi putabat fideles, explicavit: & explicando induxit benignitatem, qua pavit & induit Jordanum, quem fecerat Subdiaconum. Videbat etiam instare adversùs Jordanum; eo quod dicebat eum sibi jurasse, & dejerasse* (fuerat Jordanus unus ex ardentioribus Grosulani fautoribus, ut indicat Landulphus cap. 24. de sequenti miraculo à Liprando perpetrato sermonem habens) *ipso quoque Presbytero Liprando existente in vita, cum Jordanus & ceteri Grosulanistæ calumniabantur eum & suam legem, nobilis miles Placentinus de faucibus mortis ad laudem ejus ereptus est.*

XI. *Grosulanus Mediolano extra ejectus fuit.*

Jordanus quà vi, quà pecunia sibi possessionem Archiepiscopatus Mediolanensis asseruit, uti narrat Landulphus cap. 26. apud Puricellum citatum num. 320. *Quod fortis & valida turba Jordani non sustinuit: sed assumtis armis maximum insultum in Grosulanum fecit. Ipsius autem Grosulani caterva undique concurrens, ferendo & inferendo ulnerationes, orbitationes, & occisiones multas in equis & in hominibus fortiter & prudenter ipsum Grosulanum per quindecim dies in turribus de porta Romana servavit.* Paucis interpositis: *Plurima igitur utrimque strages Anselmus de Pustella suadet, ut legitima Synodus dirimendæ litis congregaretur; sed in hujus consilii mercedem à Jordano excommunicationem reportat.* Ex eodem Landulpho cap. 27. discimus, Grosulanum à Jordano accepta ingenti pecuniæ summa, non tantum cum suis; sed etiam cum Jordanistis communicasse. Tandem Grosulanus *Mediolanum exivit, atque Placentiam adivit, ibique in monasterio Sancti Marci, quod est congregationis Vallis Umbrosæ hospitatus est.* Cumque Grosulanus ad Archiepiscopatum Mediolanensem rursum animum adjecisset, Paschalis II ad causam hanc dirimendam Concilium Romæ indixit, ut anno M C X V I videbimus.

XII. *Moritur Sigebertus Chronographus.*

Obiit hoc anno *Sigebertus*, Gemblacensis in Brabantia Monachus, vir in omni scientia literarum incomparabilis ingenii, inquit Robertus de Monte ejus Chronici Continuator, qui tamen in Schismaticorum castris militavit. De anno ejus emortuali inter omnes convenit, dies verò notatur in brevi ad Sigeberti Chronicon Appendice ab anno MCXIII ad MCLXII Tom. I Biblioth. Labbei, in qua ad annum MCXIII dicitur, *quarto nonas Octobris obiit.* Chronicon ejus à Miræo juxta antiquum Codicem Gemblacensem editum; ad hunc usque annum perducitur eo excluso. Quare *Sigebertum* bis illud Opus publicasse oportet, cùm Robertus de Monte qui illud continuavit, asserat *Sigebertum* Chronicon suum perduxisse *usque ad annum Incarnationis MC; ego exinde*, inquit, quod & Matthæus Parisiensis ad annum Christi MC, & Radulfus de Diceto in Abbreviat. Chronicorum etiam tradunt. In libello de Gestis Abbatum Gemblacensium Tom. VI Spicilegii Dacheriani ejus virtutes, scripta, dies & annus mortis exactè narrantur. De ejus etiam Operibus legendus Labbeus in dissert. de Script. Ecclesiast.

XIII. *Floret in Gallia Petrus Abaëlardus.*

Florebat hoc tempore in Gallia *Petrus Abaëlardus* Nannetensis, qui calamitatum suarum Historiam composuit in sua prima Epistola ad *Amicum* scripta. Natus *ad literatoriam disciplinam*, ut ipsemet asserit, facile eam didicit, præsertimque Dialecticam, cujus discendæ percupidus diversas disputando perambulavit Provincias. Parisios venit ad Guillelmum Campellensem, *in hoc tunc magisterio re & fama præcipuum*, cui primò acceptus, sed postmodùm gravissimus fuit, quòd nonnullas ejus sententias refelleret, & de suo ingenio nimis præsumens adhuc adolescentulus Meloduni paucis leucis Parisiis dissiti, & Campello vico, ubi *Guillelmus* in lucem venit, Scholas aperuisset: *Et ab hoc*, ait Abaëlardus, *Scholarum nostrarum exordio, ita in arte Dialectica nomen meum dilatari cœpit, ut non solum condiscipulorum meorum; verum etiam ipsius Magistri fama contracta paulatim extingueretur. Hinc factum, ut de me amplius ipse præsumens, ad castrum Corbolii, quod Parisiaca urbi vicinius est, quantociùs Scholam nostram transferrem: ut inde videlicet crebriores disputationis assultus nostra daret importunitas*, sed legendum videtur, inquit Duchesnius mox citandus, *opportunitas.* Interim Guillelmus Campellensis currenti anno, ut docet Albericus in Chron. Episcopus Catalaunensis creatus, à consueto Philosophiæ docendæ studio non destitit, & ad ejus Scholam *Abaëlardus* Corbolio Parisios venit. Sed cùm rursùs Magistro gravissimus esset, Dialecticæ docendæ ipsemet operam dedit, & post aliquod tempus *Melodunum* reversus Scholas ibi rursùs aperuit. Tandem *Parisiis* Sacram Scripturam legit, & *Petrus Lombardus* postea Episcopus Parisiensis, ejus Theologia usus in compositione Sententiarum

tiarum, ut prodit Joannes Cornubiensis ipsius Lombardi discipulus in suo Eulogio ad Alexandrum III Papam.

XIV. *Ejus & Heloissa amores.*

Fulbertus Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Parisiensis eum rogavit, ut succisivis horis *Heloissam* nobilem virginem neptem suam, forma præstantem, doctrina præstantiorem, & tota Gallia ob eruditionem, eximias animi dotes, & peritiam Hæbraicæ, Græcæ & Latinæ linguæ postea celebrem, tam Linguis quàm Philosophicis, aliisque liberalibus artibus imbueret. Verùm *Abaelardus* amoribus ejus illaqueatus, ipsam quoque suis illaqueavit, & ex ea concepit filium nomine *Astrolabium*; quod scelus honestis nuptiis, consentiente *Fulberto*, imminuere voluit, & dum interim Scholis vacaret, *Heloissam* cum Argenteolensibus Monialibus reclusit, monitam tamen ne velum indueret. At *Fulbertus* & Heloissæ consanguinei eum sibi illusisse putantes, qua parte peccaverat, crudeliter mutilarunt, & eunuchum effecerunt; indeque ipse pudore suffusus Monachum in Monasterio Sancti Dionysii juxta Parisios induit, ipsa verò ab Episcopo velum accepit in Monasterio Argenteolensi Lutetiæ vicino, in quo postmodum Priorissa & Abbatissa fuit.

XV. *Ejus schola celeberrima.*

Cùm non desisterent Scholares ad eum accedere, & tam intra quàm extra Galliam ejus fama dilataretur, rogatus est *Adamus* Sancti Dionysii Abbas, ut eum docere permitteret, quod & ab eo obtinuêre: *Vix autem de vulnere adhuc convalueram*, inquit Abaëlardus, *cùm ad me confluentes Clerici tam ab Abbate nostro, quàm à me ipso continuis supplicationibus efflagitabant, quatenus quod hactenus pecuniæ vel laudis cupiditate egeram, nunc amore Dei operam studio darem.* Notat Abaëlardus San-Dionysianos Monachos eo tempore licentiori vitæ fuisse deditissimos: *Quorum quidem intolerabiles spurcitias ego frequenter atque vehementer modo privatim, modo publicè redarguens, omnibus me supra modum onerosum atque odiosum effeci. Qui ad quotidianam discipulorum nostrorum instantiam maximè gavisi occasionem nacti sunt, qua me a se removerent.* Sed dum magnorum & parvorum odiis in eum ardentibus, ipse nimis ingenio suo indulget, aliosque despicit, sicut manus ejus contra omnes, sic manus omnium contra eum armantur, & variis erroribus insimulatur, uti anno MCXXI de Concilio Suessionensi, annoque MCXL de Senonensi verba facientes videbimus. Quæ paulò fusiùs nobis tractanda fuêre, quia ejus Opera nonnisi post mortem Baronii, annoque MDCXVI ab Andrea Duchesnio è tenebris eruta & Notis illustrata. Vide quæ anno MCLXVI de Gozuino Abbate Aquicinctensi dicemus.

Anno Eræ Hisp. MCLII. Anno Hegiræ DVIII, inchoato die 7. Junii fer. 2.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6607.
☉ 3. D. ☽ 13. P. 29. Matt. Indict. 7.
JESU CHRISTI 1114.
PASCHALIS II PAPÆ 16.
HENRICI V REG. 9. IMP. 4.
ALEXII COMNENI IMP. 34.

I. *Beneventani a Normannis ho...*

ANum. I ad IX. Beneventani à Normannis in angustias compulsi Legatos ad Paschalem II misêre, rogaruntque, *ut gregi commisso, sicut Pastor bonus, subvenire dignaretur. Necessitate enim dominus Papa, cogente scilicet, eis præcepit, ut pacem civitati, prout melius possent, facerent*, inquit Falco apud Baronium num. II. In Codice à Caraciolo impresso legitur: *Necessitate autem Domino Papa ostensa eis præcepit, ut pacem, &c.* Peregrinius in Notis ad hunc Falconis locum observat, Baronium à fide sui exemplaris alicubi discessisse, aliquantoque concinniùs, & ad Latinam magis normam dictionem composuisse. Landulphus Beneventanus Archiepiscopus conatus est armis Landulphum Comestabulum in ordinem redigere, uti narrat Baronius num. II.

 ...sciliter prœ...

II. *Willelmus Calabriæ & Apuliæ Dux à Paschale II constitutus.*

In Concilio apud Cyperanum, ad fluvii Liris ripam positum, hoc anno habito, *Apostolicus* juxta Falconem, à Baronio num. IV citatum, *Ducatum Italiæ, Calabriæ & Siciliæ Duci præfato* (nempe Willelmo) *concessit*. In Codice quidem Falconis impresso, loco, *Ducatum Italiæ*, habetur, *Ducatum Apuliæ*; verum Peregrinius laudatus, pag. 156. asserit, quam secutus est lectionem Baronius, reperiri in antiquo Codice MS. Falconis. Quod si quis dicat, sequi inde universam Italiam Willelmo Duci in Concilio Cyperanensi concessam, respondet Peregrinius, quia id apertum videbatur mendacium Librario persuasisse, ut expuncto *Italiæ* nomine, alterum *Apuliæ* induceret, vel ob id maximè, quod fortasse observasset, Petrum Diaconum in Auctario ad Ostiensem lib. 4 cap. 49. pro illa sua stare lectione: *In eodem Concilio*, inquit Petrus, *idem Apostolicus investivit Willelmum Ducem de Ducatu Apuliæ & Calabriæ.* "At nesciens erat, ait Peregrinius, "ex Græcorum tunc idiotismo nostratibus etiam "Italis ob mutuam cum suis consuetudinem "usurpato, communi *Italiæ* vocabulo à Falcone "*Apuliam* solummodo demonstrari, quam Langobardis perindeque Italicis Dynastis ipsi "subtraxerant; nec noverat ob id recentem "Calabriam, sitam ad mare inferum, tunc "comprehensam sub eo vocabulo non fuisse, "quoniam ea à Græcis nunquam amissa fuerat, "nec Italis unquam post Justini Junioris tempora possessa. Ita Peregrinius, qui variis Falconis locis hunc loquendi modum usitatum fuisse probat. Hoc itaque anno *Willelmus*, Rogerii Apuliæ & Calabriæ Ducis filius ac Roberti Guiscardi nepos, Dux eorumdem Ducatuum à Paschali Papa constitutus est in Synodo apud *Cyperanum* cui ille postea fidei sacramentum præstitit, uti narrat Petrus Diaconus lib. 4. cap. 51. Cinnamus lib. 3. cap. 1. hunc Willelmum *Longobardiæ* Ducem appellat, quia ea regio à Græcis Longobardia vocabatur; qui loquendi modus etiam observandus.

III. *Fides Christiana hoc tempore nondum in Africa extincta.*

Petrus Diaconus, postquàm de Concilio *Cyperani* indicto verba fecit, capite insequenti de quibusdam Casinensibus Monachis à *Saracenis* captis sermonem instituit, meminitque Ecclesiarum Christianarum Africæ, quæ seculi XII initio antequam *Almoravidum* Secta in ea exurgeret, adhuc perstabant. Hi enim omnes Christianorum seu Mozarabum Ecclesias, tam in Africa, quàm in Hispania demoliti sunt, uti infrà narrabimus. Petrus itaque Casinensis cap. 50. secundùm novam editionem, vel cap. 52. secundùm veterem refert *Azzonem* Monasterii Casinensis Decanum, ac quosdam alios Monachos è Sardinia in Italiam navigantes, à Pyratis captos, in Africam ac in civitatem

Calamensem,

Calamensem, *qua à Saracenis Alchila dicitur*, deductos fuisse. Urbs hæc alia non est quàm *Alkala*, vel *Kala Amad*, idest arx *Hamid*, à nomine conditoris è familia Ziridum sic appellata. *Kala amad*, uti per corruptionem vocatur à Scriptoribus in Geographia parum versatis pro antiqua *Calama* usurpata fuit; verùm urbs hæc longè ante hæc tempora eversa, & *Calad Hammad* nova civitas erat.

IV. *Id insigni Petri Diaconi loco probatur.*

Jam *Azzo* bujus Monasterii Decanus in eadem captivitate vita excesserat, inquit Petrus Diaconus cap. 51. secundùm novam editionem, qui capite insequenti subdit: *Corpus ejus in Ecclesia Beatæ Mariæ ante altare conditum est*, jamque dixerat eum *in eadem provincia* defunctum fuisse, patrata in ejus sepulchro miracula ab eodem Chronographo recitata, quæ à Saracenis visa sunt, sed quæ eorum Rex putavit à Christianis conficta: *Rex suorum talia dum audisset ab ore, dictis derogans fidem, lampadem extinguit, & Ecclesiam, sicut prius, custodiri præcepit, exurgensque ad domum Callifa, quæ ad Ecclesiam liminabat, perrexit.* Ad quæ verba Angelus à Nuce novæ editionis Auctor rectè notavit hunc Califam non fuisse Regem, *quod Rex Calamensis*, inquit, *accessisse dicitur ad Domum Callifa, diversus ergo à Rege Callifa.* Idem Angelus ac Ducangius in Glossario voce, *Chalifa*, animadvertunt, *Califa* nomen non tantùm supremis Sacerdotibus, sed quibuscumque etiam aliis à Saracenis Principibus attributum fuisse. At cum ex hoc Petri Diaconi loco appareat, *Callifa* domum Ecclesiam liminasse, seu eidem adjecisse, verosimile non est, sermonem ibi esse de præcipui Doctoris aut Presbyteri Mahomerani domo, sed de domo Pastoris aut Episcopi Ecclesiæ Christianæ, qui Arabico nomine & more recepto Saracenorum *Callifa* nuncupabatur. Hoc enim tempore *Califa* Babylonienses & Bagadenses omnem auctoritatem amiserant, eisque Pontificatûs tantùm umbra supererat. Hæc annotare visum, quia extinctionis fidei Christianæ in Africa tempus hactenus non satis explicatum. Porrò, ut habet Noweirius hoc anno Calamensis Rex *Al Aziz bellah* vocabatur, & pronepos erat *Annasirus* Regis, qui Christianis favit Gregorio VII Ecclesiam Romanam regente, uti anno MLXXVI monstravimus.

V. *Concilium Vindsoriense.*

Ad num. IX & seq. Hoc anno Vindesorii seu Vinsorii (oppidum est à Londinio XX mille passuum, in quo Reges Angliæ inaugurati solent) *sexto Kalendas Maii* habitum Concilium, cui Episcopi & Proceres Angliæ interfuêre, ut Archiepiscopus Ecclesiæ Cantuariensi præficeretur. Voluntas Regis erat, inquit Eadmerus, qui præsens fuit, lib. 5. Novorum, ut Abbas Abendoniæ Archiepiscopus eligeretur: *Animus tamen Episcoporum, & quorundam Magnatorum in aliud vergebat, præoptantium videlicet, aut quemlibet Episcopum de Ordine Clericali, aut Clericum aliquem de Capella Regis, in opus illud asciscî. Verùm ab eis objectum est, nullum à Beato Augustino, nisi de Monachico ordine unquam Pontificatum Cantuariensi præsedisse, uno duntaxat excepto* (Stigando scilicet), *qui & ob hanc præsumptionem, & alia quadam perversè ab eo commissa, depositus per Romanum Pontificem fuit* (nempe per Alexandrum II anno MLXX), *& ea tam antiquam, & authenticam consuetudinem; cùm nulla ratio, vel necessitas exigeret, subverti non oportere; desistere cœpto, quod plurimo conatu perficere laborabant, compulsi sunt.* Henricus Rex cùm videret omnium sententias in Rodulphum Roffensem Episcopum inclinare, mentem mutavit, eamque in Rodulphum transtulit, qui ideo in Primatem totius Britanniæ constitutus est. *Audires (si adesses) multos una conclamare: Verè cor Regis in manu Dei, Quòcumque vult, inclinat illud. Acta sunt hæc anno Incarnat. Dom. MCXIV, sextò Kalendas Maii, quinto die peracto quinquennio à transitu gloriosissimi patris Anselmi*, inquit Eadmerus laudatus.

VI. *Henricus Angliæ Rex Walliam sibi subjicit.*

Cùm verò *Britanni*, Cambri & *Wallenses* dicti, conterminis Anglorum finibus graves, *Henrici* Regis curam exercerent, is militem colligit, aciem trifariam dividit, & tertiam ipse totius exercitûs Imperator ducit. Hoc bellico apparatu territi Britanni, provinciam victori Regi reliquerunt, qui præsidia per loca disponens, Britannis servitutis jugum, quod prius subire nolueraut, imposuit, ut colligitur ex Hovedeno pag. 473. Huntindoniensi pag. 380. Mailrosensi in Chron. Joanne Bromptone in Chron. Alfordo in Annal. Eccles. Angl. & aliis. Matthæus Paris. hæc ad annum præcedentem refert.

VII. *Concilium Belvacense.*

A num. XI ad XV. *Anno Domini MCXIV, VIII Idus Decemb. Cono prænestinus Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus, Regem Henricum* (sc. Germaniæ) *apud Belvacum anathematizavit in Concilio suo*, uti legitur in Codice MS. Montis Dei, & in alio à Juteto in Notis ad Epistolam Ivonis CCXXXVI memorato. In eo Concilio questi sunt Ambianenses destitutos se esse optimo Pastore suo, nempe S. *Godefrede*, qui relicto Episcopatu Cartusiam petierat, ut narrat Nicolaus Monachus in ejus Vita, qui præsens rerum, quas refert, inspector fuit. Interim afferuntur literæ sanctissimi Præsulis, quibus significat se Episcopatum abdicasse, seque *ineptum & indoneum, qui Episcopi munere fungatur.* Statutum fuit, Patres *apud Suessiones ad Domini Epiphaniam convenire, & quid faciendum sit deliberare.* Tum anno sequenti *Concilium Suessionense* congregatum, missique Henricus Abbas Sancti Quintini, & Hubertus Monachus Cluniacensis ad Cartusianos, petunt, ut Godefredum Ambianorum Præsulem ad Sedem suam ociùs redire compellant. Hæc ubi Godefredus accepit, *ad pedes Monachorum se prostravit, cum multis lachrimis orans, ne finerent ipsum à se evelli*; sed quia *Regiæ & Episcoporum auctoritati resistere non poterant, in pace illum à se dimittunt*, inquit Nicolaus Monachus. Hujus etiam Concilii Belvacensis meminit pseudo-Robertus de Monte in Chron. ad hunc annum, & Tom. II Spicilegii Dacheriani pag. 594. referuntur varia Decreta in eo recepta, diciturque *ex Gestis ejus* nunc deperditis, ei interfuisse Archiepiscopos Remensem, Bituricensem ac Senonensem, nec non & Suffraganeos eorum, multosque alios Synodales Viros.

VIII. *Ivo Episc. Carnotensis usque ad annum MCXVII in vivis fuit.*

Baronius num. XIV meminit quatuor Epistolarum ad *Cononem* Prænestinum Episcopum & Apostolicæ Sedis in Gallia Legatum ab *Ivone* Episcopo Carnotensi scriptarum, quæ juxta novum ordinem sunt CCLXVI, CCLXVII, CCLXXIII, & CCLXXV, quas cùm ante hujus anni finem datas arbitretur, *Ivonem* postea superstitem non fuisse suspicatus est. Verùm

Conon

SÆC. XII An. C. 1114. *Conon* anno sequenti tribus Conciliis in Gallia celebratis præfuit, ipseque *Ivo* Epistolam CCLXXV anno tantum MCXVI, eoque in exitum vergente misit, ut infra videbimus. Quare communis opinio, quæ *Ivonem* anno MCXV demortuum tradit, anno MCXVII validè confutabitur, constabitque eum illo Christi anno è vita migrasse. In Epistola quidem CCLXVIII scribit Ivo, *se viginti quinque annis* jam in Episcopatu esse, ejusque Sedis annus XXV hoc anno absolvitur; sed non inde sequitur, eum eo Sedis suæ anno vivendi finem fecisse. Imò in sententia Baronii Episcopatus ejus initium cum anno MXCIII conjungentis, annus ejus XXI hoc anno absolvitur. Præterea ea Epistola vulgatem opinionem, quæ eum Episcopum anno MXCII creatum, & anno MCXV demortuum statuit, planè etiam convellit. Sed de *Ivonis* morte anno MCXVII sermo erit.

IX. *Alexius Imp. convertendis ad fidem Manichais operam dat.* *Manichæi* in Oriente grassabantur, & *Alexius Imp.* in iis ad veram religionem convertendis omnem operam adhibebat. Anna enim Comnena lib. XIV Alexiados pag. 449. refert, Alexium partem *indictione octava, mense Novembri*, profectum esse ex urbe Regia, ut Comanos repelleret, interimque dum Philippopoli moraretur, pro militari quam susceperat, Apostolicam expeditionem religiosis certaminibus gessisse: *Cùm nondum illi limitem intrassent* (nempe Comani, inquit Anna pag. 453.), *ne sibi periret illud otium, opus ex occasione moliri cœpit, eò ipso utilius & majus quod ex professo agebat, & cujus præcipue causa venerat. Deducere nimirum Manichæos aggressus est à corruptis & amaris quibus se ingurgitare consueverant prava doctrinæ lacubus; quod eos ad puros & suaves Catholicæ doctrinæ fontes salubriter sitiendos, jucundèque hauriendos converteret. In eo erat, id agebat totos dies. Vidisses à primo diluculo ad pomeridianam horam, aut etiam ad vesperam; interdum ad secundam & tertiam noctis custodiam continuò vacantem uni rei; audientem nimirum patientissimè: ac vicissim alloquentem quos subinde accersebat erroribus implicitos. Ibi eos docebat fidem rectam; ibi pravitatem hæreseos eorum invictis argumentis confutabat, convincebatque ineluctabiliter. Aderant vel testes, vel adjutores præclari operis Eustratius & Nicææ Antistes* (celeberrimus Aristotelis interpres de quo Philippus Labbeus in Brevi Conspectu Græcorum Aristotelis interpretum Parisiis anno MDCLVII edito) *vir & sacris & externis cumulatus literis: præstanti verò potissimum pollens colloquiorum ac congressuum conferendorum facultate: adeo quidem ut in ista disceptandi coram dexteritate vivida, copiaque disputandi, eos etiam antecelleret, qui in Zenonis porticu, aut Academiæ spatiis hoc unum tota vita meditantur. Nec ipse videlicet deerat Philippopolitanus Archiep. Sed ante omnes & præ omnibus unum Imperator sibi ad hanc pugnam commilitonem auxiliarem adjunxerat Nicephorum meum Cæsarem* (Annæ maritum): *quem jusserat in divinis libris bene jam antea versatum, colligere ad præsentem usum, habereque in promptu atque in tempore suggerere testimonia sacrorum oraculorum, quæ apertè revincendis Philippopolitanorum erroribus apta essent.*

X. *Innumeros* *Fructus extitit operæ magnus. Plurimis Manichæorum pertinacia & dubitatio omnis exempta est. Ibant persuasi exuto errore ad Sacerdotes, &* SÆC. XII. *ab iis peccata ultro ipsi sua fatentes, damnantesque divini baptismi fiebant participes* (ut enim An. C. 1114. *ab errore avocat.* testatur Cedrenus in Constante Imp. Heraclii filio pag. 434. Manichæi pro baptismo habent verba Evangelii, quia Dominus dixerit se esse aquam vivam). *Multos tamen videre erat eodem tempore perversâ constantiâ veram illam & Sanctam Macabæorum æmulantes; imò superantes; etenim ut illi pro sacra, divinaque religione, ita hi pro suo nefario errore propugnabant, perstantes in eo: proferentes, quin etiam auctoritates & sententias librorum divinorum, quibus suum disputabile firmari dogma credebant. Verum & horum plerisque istam ad extremam contumaciam quotidiana allocutiones Imperatoris, & illa miseros admonendi, adhortandique perseverantissima dignatio eripuit: ut jam & credere, & sacro baptismate initiari convicti vellent, atque ultrò poscerent; quorum salus abundè magna tot laborum merces Augusto videbatur: tantique illi erant ærumnosissimorum congressuum exorbere longa tædia, Solis ab ortu primo ad profundissimam sæpius noctem durantium, à quibus ne memoria quidem eum aut necessitas curandi avellere corporis poterat, eotos plerosque impastum dies in illis fastidiosissimis jurgiis perseverantem, idque per æstum sub Sole ardenti; nam ista colloquia in subdivali tabernaculo fiebant.* Paulò pòst subdit multitudinem conversorum Manichæorum in multa millia ac myriadas excrescere numerum. Istorum Manichæorum secta infecit postea Ecclesiam Latinam, ex iisque exorti Albigenses, & alii diversis nominibus appellati.

Pandulfus Pisanus Auctor Vitæ Paschalis II, XI. de bello Balearico hoc anno inchoato hæc *Expeditio in Baleares & Ebusum insulas.* scribit: *Quid egregia Pisanorum industria & admirabilis pertinacia per eundem dominum Papam Balearibus insulis Efisa & Majorica contulerit; quem apparatum, quas copias supplementumque, quemve Legatum ipsi habuerint, quo Consule, sub quo Imperatore militaverint, quisve eorum fortiter (fecerit), quot navibus & quomodo ierint, quid naufragiis, quidve laboris in reficiendis ratibus passi sint; illud etiam gloriosum, admirandumque subsidium quod non desperaverint; quomodo etiam evulsis captivis, direptis spoliis, subversis urbibus victores redierint, quia digno volumine comprehendere disposui, suo loco & suo tempori distuli.* Verùm vel is Auctor coævus Historiam illam postea non elaboravit, vel ea ad nos non pervenit. Hoc tamen bellum fusè descriptum à Laurentio Veronensi, Petri tunc Archiepiscopi Pisani Diacono, Auctore etiam contremporaneo, in suo Poemate in septem libros diviso, editoque ab Ughello in Appendice ad Tom. III Italiæ Sacræ cum antiquis Chronicis Pisanis. Illud etiam bellum narrat Diagus in lib. 2. Hist. Comitum Barcinonensium cap. 88. & seqq.

Porrò *Baleares* Insulæ ab Hispania vix LXX XII. milliaribus, & inter se XXV mille passibus *Saracenorum in urbem Barcinonensem irruptio.* distitæ sunt. Sæpius à Pisanis, quòd gravia damna ab illis ferrent, vastatæ fuerant, nuperque frustrà obsessæ. Paschalis II seriò perpendens mala, quibus à pyratis illis Saracenicis Christiani affligebantur, ut illuc arma rursùs converterent, Pisanos adegit, iisque *Raymundus Berengarii* hujus nominis III Barcinonæ & Provinciæ Comes se se adjunxit. In Majoticam insulam Comes excensionem fecit, ac

ac præcipuum oppidum oppugnavit; verum cum cives illud fortiter propugnarent, ipseque accepisset, Mauros seu Saracenos cum ingenti exercitu *Barcinonam* venisse, obsidionem solvit, & tam ad majores copias colligendas, quam ad auxilium Barcinonæ ferendum, ad eam urbem rediit. Diagus citatus cap. XCI hæc verba refert ex lib. 2. Antiquitatum MSS. Archiepiscopatûs Barcinonensis quæ ad hunc annum referenda: *Sequenti tempore exercitus magnus Moabitarum* (legendum videtur, Morabitatum), *qui biduo civitatem Barchinonam obsedit, ipsam Ecclesiam violavit, & altare suffodit, & fregit.* Addit Diagus, Saracenos, cùm urbem occupare non possent, Ecclesias spoliasse, altaria fregisse, & inauditas crudelitates exercuisse. Interim *Raimundus* Comes ex insulis Balearibus cum classe adventavit, & tantam Barbarorum stragem edidit, quanta maxima aliàs facta fuisset.

XIII. *Ebusus insula Saracenis erepta.* Dein *Raimundus* Comes sublatis velis Barcinone solvit, & per Provinciam Genuam ac Pisas ad utrumque Reipublicæ auxilium implorandum tendit, quod illi promissum fuit. Sed antequam Pisani adventarent, Raimundus Comes *Majoricam* aggressus est. *Pisani* optatum iter contra Majoricam suscepere cum Petro Pisanorum Archiepiscopo, atque cum Bosone Cardinali Romanæ Sedis Legato. Hic in Chronico Mauriniacensi, quod extat Tom. IV. Duchesnii, memoratur his verbis in narratione dedicationis Ecclesiæ Mauriniacensis, à Papa Callisto II anno Incarnationis Pisano MCXX peracta. *Boso de titulo S. Anastasiæ totius Hispaniæ Legatus, cujus ope & industria Majorica insula & Cæsaraugusta nobilissima Hispanorum civitas subacta est.* Sed fallitur iste Anonymus; *Boso* enim Cardinalis erat Tit. Quatuor Coronatorum, *Theobaldo* verò Buccaperus Cardinalis Presbyter tit. S. Anastasiæ, qui anno MCXXIV sub Cœlestini II nomine Pontifex creatus eodem die abdicavit, ut videre est apud Baronium eo anno num. VII, Ciaconium & alios. Antiquus Chronographus Pisanus laudatus de Bosone Legato & Petro Pisanorum Archiep. ait: *Divina disponente gratia prius ad insulam Evisam* (seu Ebusum quæ non longè à Majorica distat) *applicuerant. In ipsa enim insula ejusdem nominis civitas, in arduo sita*, &c. Hæc *per mensem obsessa capta est in Sancti Laurentii festa* (currenti scilicet anno). *Ejus mœnibus destructis & cassare* (idest arce) *cum ejusdem urbis Gardo* (idest, Præfecto) *catenis adstricta in festo Sancti Bartholomæi Apostoli ad insulam Majoricam applicuerunt.* Describit postea iste Chronographus quæ tam autumno, quàm hyeme sequentis Christi anni, quô Majorica urbs capta, ab exercitu Christiano gesta sunt. *Ebusus* ab Hispanis hodie *Yvita* appellatur.

XIV. *Occisi in obsidione Majoricæ Massiliæ sepulti.* Cùm pòst primam *Majoricæ* oppugnationem *Raimundus Comes* ad repellendos Barbaros Barcinonem redire coactus fuit, & insulam relinquere, *Pisani* occisorum, quorum non parvus erat numerus, cadavera navibus imposuere, & Massiliam pervenientes ea in Ecclesia Sancti Victoris sepeliêre, ut produnt citata Chronica Pisana, in quibus refertur eorum Epitaphium, quod etiamnum in ea visitur, sicuti & apud Volaterranum lib. 5. Geographiæ.

Verbi incarnati de Virgine mille peractis
Annis bis centum bis septem connumeratis
Vincere Majoricas Christi famulis inimicas
Tentant Pisani Maometi Regna profani.
Marte neci dantur multi, tamen hi sociantur
Angelicæ turbæ, cælique locantur in urbe.
Terrâ destructâ classis redit æquore ducta,
Et vi divina redit victrice carina.
O pia victorum bonitas defunctaque horum
Corpora classe gerunt, Pisasque reducere quærant.
Sed simul adductus ne turbet gaudia luctus,
Casi pro Christo tumulo clauduntur in isto.

XV. *Gesta ab Alphonso Aragoniæ Rege adversus Saracenos.* Nec minus validè *Alphonsus* Aragoniæ & Castellæ Rex Saracenos in Hispania premebat Castellanis & Aragonensibus communi utilitate odium & dissidium, quo ob invicem dissidebant, ad tempus deponentibus. *Cæsaraugusta* nuper mortuo Rege nonnisi à Præfectis à Marochiorum Rege ex Africa missis regebatur, & *Osca* ac munitorum Oppidorum, eorumque vicinorum expugnatione ferè circumvallata erat. Quare eamdem obsidione cingere decrevit, de eximia multorum Procerum Francorum erga se voluntate certus. *Mense Januario* præsentis anni copias in loco à Cæsaraugusta quinque tantum leucis distante collegit, uti narrat Sorita in Annal. lib. I; & quia Saraceni, qui circumvicina loca obtinebant, exercitum Christianum graviter vexabant, *Rotrocus* hujus nominis II Pertensis Comes *Tutela* florentis civitatis; ipsoque situ opportunæ occupandæ consilia inivit. Posita ea ad amnem Iberum, sexdecim tantum leucis à Cæsaraugusta dissita, quam cùm tandem *Rotrocus* Comes expugnasset, *Alphonsus* Rex eamdem ei in fortitudinis prœmium dedit, supremo sibi jure reservato. Deinde leges & Privilegia eidem urbi concessit. Chartam ab eo tunc emissam refert Moretus lib. 3. Investigat. Navarr. pag. 539. quæ data dicitur *Erâ MCLII*, & in Archivis Ecclesiæ Collegialis Tutelæ asservatur. Hæc verba in ea leguntur: *Et capta fuit Tutela ab illustri Rege Alphonso cum Dei gratia, & auxilio virorum Nobilium terræ & Comitis de Pertica .... erâ MCLII*, hoc scilicet Christi anno.

XVI. *Gallis pro eo præliantibus.* Ordericus initio libri XIII varia in medium adducit, quibus Gesta in Hispania Christianos inter & Saracenos eò majorem lucem accipere possunt, quò ejus Historia anno MDCXIX Parisiis ab Andrea Duchesnio primùm publicata fuerit. Et licet Ordericus semper annos non definiat, resque suo ordine narret, ac in nonnullis erret, id tamen sincero Scriptori in Normannia scribenti condonandum. Is re quæ anno MC accidit relata, subdit: *Non multò pòst Ildefonsus Aragonum Rex graviter à Paganis impeditus est, & crebris certaminibus, multis que detrimentis nimiùm vexatus est. Unde Rotroco consanguineo suo Legatos destinavit, eique humiliter mandavit, ut sibi contra Ethnicos dimicanti subveniret, & auxilia Francorum, quos multis in necessitatibus laudabiliter expertus fuit, secum adduceret. Promisit etiam se daturum suffragantibus Gallis larga stipendia, & secum remorari volentibus opima prædia. Protinùs Comes probissimos commilitones ascivit, eoquata Regi suppetias adduxit, sine dolo & fictione adjuvit: sed integram Hiberorum* (seu Hispanorum) *fidem non invenit. Nam dum in multis strenuè cum sociis & comprovincialibus suis egisset, & eorum adminiculum Saracenos admodum terruisset, & Hispani dolum in illos machinati sunt, & de morte suorum auxiliatorum consensu Regis,*

ut

ut opinantur, tractaverunt. Quod facinus ut ab eorum complicibus detectum Gallis patuit, Rotro cum consodalibus suis Regem cum proditoribus Hiberis reliquit, & in nullo digne pro tantis laboribus remuneratus, in Gallias remeavit. Ita Ordericus. At licet Tudelæ obsidione in longum protracta, ob continua, quæ Saracenis à Fragæ, & Leridæ Regulis submittebantur subsidia, complures è Gallis exercitum reliquerint, quia pecunia eis promissa non solvebatur, ut Scriptores Hispani fatentur, nulla tamen intervenit perfidia, ut tam præfata donatio, quàm conjugium neptis Rotroci cum Garsia Ramire insinuant.

XVII. *Tutela saracenis erepta datur Rotroco II Pertensi Comiti.*

Hoc enim circiter tempore idem *Rotrocus* comes *Margaritam* seu Mergelinam neptem Garsiæ Ramirex postea Regni Navarrici restauratori in matrimonium collocavit, eique in dotem *Tutelam*, & loca ab ea dependentia dedit. Hanc Toletanus lib. 7. cap. 12. Marca lib. 5. Historiæ Bearnensis cap. 18. Garibayus, & passim Hispaniarum Historici Rotroci Pertensis Comitis *filiam* faciunt; sed hunc vulgarem errorem Ægidius Bry lib. 3. cap. 7. Historiæ Comitum Perticæ & Alençonii Parisiis anno MDCXX in 4°. impressæ primus refellit, & post aliquot annos Oihenartus in Notitia utriusque Vasconiæ manifesto plagio hoc inventum sibi adscripsit. Uterque inter alia refert testimonium *Margaritæ* Guillelmi Siciliæ Regis uxoris & Garsiæ Ramirez filiæ, quo ipsamet Margarita Regina asserit, operâ Tutelæ Ramirem patrem in Regni Navarrici possessionem rediisse. Ea apud Hugonem Falcundum libro *de Sicilia calamitatibus* illius Regni Optimates his verbis alloquitur: *nec enim aliter quam fratres proprios diligere quidem & honorare debeo filios Comitis Perticensis, per quem (ut verum fatear) pater meus regnum obtinuit. Nam idem Comes patri meo terram amplissimam cum* NEPTE SUA MATRE MEA *dotem dedit, quam in Hispania multis periculis ac diuturnis laboribus expugnatam Sarracenis abstulerat. Nec ergo mirari debetis, si filium ejus matris meæ consobrinum, loco mihi fratris habendum censeam, & de remotissimis partibus ad me venientem gratanter excipiam.* Locum illum, aliaque in hanc rem refert etiam Moretus, qui cùm Oihenartum tantum legisset, excusatione dignus, si præfati Auctoris Historiæ Comitum Perticæ nomen tacuerit. Quoad obsidionem urbis Cæsaraugustanæ ex ob quæ *Alphonso* Regi supervenêre negotia, & ob multorum Francorum ab exercitu discessum, ante ann. MCXVIII felicem exitum non habuit.

XVIII. *Matrimonium Henrici Imp. cum filia Regis Angliæ.*

Anno MCXIV Henrico Romanorum Imperatori filia Regis Anglorum Henrici (Mathildis appellata) *VII. Idus Januarii Moguntiæ desponsata, & in Imperatricem est consecrata*, inquit Simeon Dunelmensis in Hist. de Gest. Reg. Angl. Idem habet Urspergensis in Chron. qui addit, *Frisones & Colonienses* adversùs Henricum Imp. rebellasse, ab eoque *Saxones* anno sequenti etiam defecisse.

XIX. *Moritur Colomanus Hungariæ Rex.*

Joannes Turocius in Chron. Hungarorum cap. 62. scribit, *Colomanum* Hungariæ Regem excæcasse *Almum* fratrem suum & filium ejus *Belam* adhuc infantulum, ac postea migrasse ex hoc seculo currenti anno, *tertio nonas Februarii, feriâ tertiâ*. Ei successit *Stephanus* hujus nominis II filius ejus. *Timebant omnes Reges*, inquit idem Chronographus, *Stephanum Regem, tanquam ictum fulminis: unde infantes vagientes comminatione nominis Regis Stephani quiescere compellebantur.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6608.

☉ 4. C. ☽ 14. P. 18. April. Indict. 8.

JESU CHRISTI 1115.

PASCHALI II PAPÆ 17.

HENRICI V REG. 10. IMP. 5.

ALEXII COMNENI IMP. 35.

Anno Eræ Hispan. MCLIII. Anno Hegiræ DIX inchoato fer. 27. Maii fer. 5.

I. *Anno sequenti Romæ tumultuatum.*

AD Num. I ad V Baronius in narrandis tumultibus, qui Romæ post mortem Petri Urbis Præfecti accidère, usus est codice variis in locis corrupto Pandulfi Auctoris Vitæ Paschalis II à P. scriptæ, seu, ut ipsemet interpretatur, à Petro Diacono Cardinali Bibliothecario. Ait itaque Auctor Vitæ Paschalis: *Anno XVII Pontificatûs dicti domini Papa* (hoc anno mense Augusto inchoato) *anno pacis X* (legendum *anno pacis V*, pax enim Pontificem inter & Henricum Imp. anno MCXI constituta, ideoque exemplar, quod nactus est Baronius, rectè habet, *anno pacis V*) *mense primo* (idest, Martio) *XXVI die mensis die transitûs Domini* (legendum, in Cœna Domini; Codex Baronii habuit, die Paschæ, idest transitus in Cœna Domini) *ira Dei de manu calicis ejus in terram descendit.* Quare Falco Beneventanus, qui non minus quàm Auctor Vitæ Paschalis II coætaneus est, accuratè scribit, hæc contigisse *anno XVII Paschalis, indictione IX, mense Martio.* Auctor enim Vitæ Paschalis, aliique omnes Falconi in eo consentiunt, quod seditio hæc mense Martio, non verò mense Aprili excitata fuerit; anno autem MCXVI, qui Paschalis II decimus septimus est, Pascha in diem secundum Aprilis, & feria quinta in Cœna Domini in diem tricesimum mensis Martii incidit. Minimè itaque dubitandum, quin prolixa ista Auctoris Vitæ Paschalis II narratio in annum sequentem indictione IX notatum differenda sit, de qua ideo ibidem agemus.

II. *Treuga Dei confirmata in Concilio Trojano.*

Ad num. V. Narrat Baronius ex laudato Falcone Concilium *Trojanum* in Apulia mense Septembri celebratum, in quo inter cetera, *Treuga Dei statuta est.* Ex quo intelligis, Treugam Dei, seu pacem inter privatos homines & communitates, de qua seculo superiori locuti sumus, à sacris Conciliis approbatam fuisse.

III. *Concilium Trenorciense.*

Labbeus Tom. IV Concil. refert, *Trenorcii* à Guidone Viennensi Archiep. Sedis Apostolicæ legato celebratum fuisse Concilium in causa Ecclesiarum Vesontionensium S. Joannis & S. Stephani, quæ utraque se Cathedralem jactabat: cùm Archiepiscoporum Sedes diutius quidem in Sancti Joannis nonnunquam verò in S. Stephani Ecclesia fuisset. Fusius jam de illa controversia egerat Chiffletius in Historia Trenorciensi, & uterque refert varia Rescripta Apostolica ad componendam hanc controversiam emissa. In uno à Paschali II *Guidoni* Viennensi Archiep. S. Sedis Apostolicæ Vicario scripto reprehendit Pontifex *Guidonem*, quòd Sancti Stephani Clericorum testimonium in Ecclesiæ suæ causa admittere noluerit, ex eoque discimus, Synodum Trenorciensem currenti anno habitam; datum est enim *Trojæ VI Kal. Septemb. indict. VIII*, hoc scilicet anno. In alio dato *Laterani*

SÆC. XII. An. C. 1115.

terani X Kalendas Maii Paſchalis hæc Guidoni Legato ſuo mandat : *pracipimus ſollicitudini tue, ut pro hoc negotio peragendo, & tanti ſcandali lite ſedanda, adhibitis tecum ſapientibus & religioſis fratribus, vel Divione, vel ad alium competentiorem locum convenias, quo poſſint ſine gravamine perſonas ſibi neceſſarias adducere*, &c.

IV. *Concilium Divionenſe.*

Guidonem juxta Paſchalis II mandatum Concilium ad hanc litem dirimendam *Divione* coegiſſe, docet antiquum monumentum in parvo Chronico Bonævallenſi à Manrico in Annal. Ciſterc. anno MCXVII cap. 3. recitatum, cujus nulla, oeque Tom. X Concil. neque in Hiſtoria Trenorcienſi mentio, quod ideo hîc à nobis referetur ; *Anno ab Incarnat. Domini milleſimo centeſimo decimo ſeptimo, cùm dominus Guido S. R. E. Legatus, Viennenſis Eccleſia Archiep. nunc autem Papa Catholicus* (ſub Calliſti II nomine) *rediret a Concilio, quod ad Divionenſe caſtrum, cum multorum Epiſcoporum, & Abbatum, aliarumque religioſarum perſonarum Conventu celebraverat, veniens ad novum monaſterium, quod uſitato vocabulo Ciſtercium nuncupabatur, rogavit dominum Stephanum Abbatem illius loci, ut in Viennenſi ſuo Archiepiſcopatu monaſterium conſtrueret, ubi Monachi ſub Regula & Abbate viventes, pro ſe, & omni Clero, & populo ſibi commiſſo, miſericordiam Dei devotè exorarent. Cujus petitioni idem Abbas, communicato Monachorum ſibi commiſſorum conſilio, annuens venit Viennam, & conſilio, & adjutorio praſcripti domini Papa Calliſti, in valle quadam cœpit Cœnobium adificare, quod Bonam vallem idem Papa dictavit vocari. Et ſciendum, quod omnes ſumptus ad hoc opus neceſſarii ejuſdem Papa providentia, ſeu adminiſtratione provenerunt.* De eo Monaſterio infrà. Hoc Concilium Divioneoſe in altera Conciliorum editione locum habere debet.

V. *Finis controverſia in Conciliis Trenorcienſi & Divionenſi agitata.*

Ceterùm controverſia illa de Sede Metropolitana Veſontionenſi inter Canonicos S. Stephani & S. Joannis ſedentibus Paſchali II & Calliſto II magna aoimorum cooteotione agitata, omninò compreſſa oon fuit, donec anno MCCLIII *Hugo* Cardinalis, qui *de S. Caro* dictus eſt, tum per Germaniam Legatus Apoſtolicus, utriſque cooſentientibus Canonicis, ſic illas Eccleſias uniit, ut una in poſterum eſſet Eccleſia, unum Capitulum, unum æratium, ſigillumque unum, cum hac epigraphe : *Sigillum Eccleſia Biſontina.* Iiſdem horis Divinum Officium, iiſdem ritibus peragitur ; Canonicorum aliis ad S. Joannis, aliis ad S. Stephani conſedentibus : quod diſcrimen ipſæ, quas incolunt, domus faciunt. Utrobique ſuam habet Sedem Epiſcopus : penes ipſum eſt optio. Hæc Chifletius tam in Hiſtoria Trenorcienſi cap. 39, quàm in Probationibus ejuſdem Hiſtoriæ, & ex eo alii.

VI. *In Germania turba exorta.*

Ad num. VI & ſeq. Germania tumultibus hoc anno concuſſa, uti refert Urſpergenſis in Chron. & ex eo Baronius. Saxonum cooſenſus ad reſiſtendum Imperatori magis roboratus fuit, & Dieterico Cardinali Romano ac Sedis Apoſtolicæ Legato hoc anoo miſſo pro ea ſegniter agente *tam Archiepiſcopus Magdeburgenſis, quàm ceterarum Eccleſiarum Praſules reconciliationem recipiunt, ſicque ſciſſo iterum regno, undique nova res oriuntur, ſic contraria qualibet invicem partes utraque moliuntur*, inquit Urſpergeoſis, coi Chronographus Hildensheimenſis ſuffragatur.

SÆC. XII. An. C. 1115. VII. *Obitus Mathildis Comitiſſa.*

Ad num. VIII. *Mathildis* Comitiſſa, cui tantum Romana Eccleſia debet, die XXIV meoſis Julii, anno ætatis LXIX in caſtello Boodeni octo milliaribus ab urbe Ferraria diſtante ſpiritum Deo reddidit, ejuſque corpus, ut ipſa vivens conſtituerat, ad monaſterium Sancti Beoedicti, quod *de Padolirone* dicitur, & quindecim milliaribus Mantuâ diſſitum eſt, tranſlatum. Urbanus VIII anno MDCXXXV Mathildis oſſa Romam aſportari juſſit, ac ſepeliri prope ſacellum Gregorianum. Ejus Vita à Domnizone Auctore coævo ſcripta, & hoc ſeculo Franciſcus Maria Fiorentinius Commentaria Rerum ad Mathildem Comitiſſam pertinentium linguâ Italicâ in urbe Lucenſi publicavit, cujos Opere in hac Critica ſæpius uſi ſumus. Quaotis ipſa eminuerit virtutibus, ex Annalibus ſatis patet.

VIII. *Varia Concilia in diverſis locis coacta.*

Ad oum. IX. Noo taotum Concilium *Hieroſolymitanum*, in quo *Arnulphus* Patriarcha Hieroſolyioitaous Sede depoſitus eſt, ut narrat Baronius ex Tyrio lib. 11. cap. 26. ſed etiam *Remenſe* hoc anno celebratum. De eo Tom. X Concil. ex Codice MS. Montis Dei hæc referuntur : *Cono praneſtinus Epiſcopus, & Apoſtolica Sedis Legatus, in quadrageſima proxima* (ſc. poſt Bellovacenſe coactum menſe Decembri ſuperioris anni) *Latare Hieruſalem* ſc. dominicâ quartâ Quadrageſimæ) *V Kal. April. Remis celebrato Concilio eumdem Henricum* (ſc. Imperatorem) *damnavit.* Habitum præterea Concilium *Sueſſionenſe*, ut anno ſuperiori jam diximus, in eoque decretum, ut Sanctus *Godefridus* Ambianenſis Epiſcopus è Cartuſia, quò ſeceſſerat, revocaretur. Verùm, ut oarrat Nicolaus Monachus in ejus Vita, Godefridus *profectus inde venit ad Remorum urbem, ubi tum Cono Cardinalis & Legatus frequentiſſimam Synodum habebat.* In eo Cono Legatus eum admonuit, *ut propria utilitati multorum ſalutem anteponens Ambianos rediret. Cùm non poſſet Vir Dei, illius, aliorumque Epiſcoporum auctoritati obluctari, ad ſuam redit Eccleſiam.*

IX. *Duo Concilia Colonienſia adverſus Henricum Imp.*

Duo alia Concilia *Colonia* congregata ; alterum die decima nona menſis Aprilis, ſeu feriâ ſecundâ Paſchatis ; alterum inſtante feſto Natalis Domini. De priori in Codice MS. Montis Dei hæc leguntur : *Item Cono* (Legatus Sedis Apoſtolicæ in Gallia) *Feriâ II proxima Paſcha Regem Henricum* (coronatum Imperatorem) *damnavit Colonia in templo Sancti Gereonis.* De poſteriori Urſpergenſis verba faciens de Alberto Moguntiæ Archiepiſcopo, qui Henrici Imp. partes ſecutus fuerat, ſcribit : *Hic non multò poſt Sedis Apoſtolica Legato Dieterico* (ſeu, ut eum Trithemius in Chron. Hirſaug. vocat, Theoderico) *ſe nunciis & literis ſubjiciens, ipſum ſibi, ceteriſque non paucis Praſulibus Coloniam occurrere poſtulavit, ubi & mandata Papa, qua ſibi detulerit, communiter percipi, & ille* (ſc. Adelbertus) *ſuam conſecrationem, diu ſcilicet interclusam* (quia, ut tradit Urſpergenſis in Chron. ad annum MCXI, annulum & virgam Paſtoralem ſuſceperat ab Henrico Imp.), *tanta auctoritate conſequi poſſit. Qui conventus inſtante Feſto Natalis Domini* (ſeu, ut loquitur Trithemius, qui idem narrat, circa fioem Decembris) *factus eſt, non abſque indignatione Imperatoris, qui necdum plenè voluntarius erat in conſenſu ejuſdem ordinationis. Anno Domini MCXVI* (qui nobis annum à Kalendis Januarii incipientibus eſt adhuc

huc annos MCXV) *Imperator Natalem Domini Spiræ cum paucis Episcopis & Principibus celebrans, ea quæ interim Coloniæ gerebantur, graviter tulit. Audivit enim quam plurimos ibi convenisse, non solum Metropolitanos; sed etiam alios Episcopos, uti Optimatos regni, causa præcipua verbum excommunicationis in se manifestandi, quamvis ipse Cardinalis* (sc. Dietericus, seu Theodericus), *cujus hæc instiabantur auctoritate, in itinere defunctus, illo ad sepulturam potius, quàm ad actionem delatus esset Concilii. Missus tamen ab eo illuc præsul Wirzburgensis, audientiam vel communionem, nonnisi reconciliatus habere meruit.* Idem narrat Trithemius citatus ad annum MCXV; sed Tomo X Concil. hoc secundum Concilium Coloniense malè in annum sequentem dilatum, quod in altera Conciliorum editione corrigendum erit.

X *Concilium Catalaunense.* Denique indictum Concilium *Catalauni*, quæ urbs Galliæ Belgicæ in Campania ad Matronam Fl. ut habet laudatus Codex MS. Montis Dei: *Catalaunis Cono quarto habito Concilio prædictum Regem* (sc. Henricum Imp.) *damnavit IV Idus Julii*; quod tamen Concilium *V Idus Julii* in Chron. Sancti Petri Vivi dicitur celebratum. Sermonem etiam de hoc Concilio habet Simeon Dunelmensis in Hist. de Gest. Reg. Angl. ad annum MCXV: *Wilfridus Episcopus de Sancto David in Walonia obiit. Usque ad illum Episcopi extiterunt Brittonici. In octavis Apostolorum* (seu pridie Nonas Julii) *magnum Concilium à Cono Romanæ Ecclesiæ Cardinali Catalaunis celebratum est. In quo excommunicavit Episcopos, qui Concilio non interfuère, quosdam verò degradavit, & plurimos Abbates baculis privatos deposuit de sedibus, Ecclesiasticum illis interdicens officium.* Paulò pòst: *Bernardus Reginæ Cancellarius ad Ecclesiam S. David in Walonia Præsul eligitur.* Videtur Concilium Catalaunense circa initium mensis Julii inchoatum, & quæ mox narravimus, diversis diebus in illo gesta esse. Porrò Henricus Rex Angliæ Walliâ subjugatâ cupiens Ecclesiam Sancti David, seu Menevensem & alias Walliæ Ecclesias suffraganeas Menevensis Ecclesiæ subjicere Metropolitæ Cantuariæ voluit *Bernardum* à Cantuariensi Archiepiscopo consecrari; verum *Bernardus*, Henrico Rege defuncto, super jure Ecclesiæ suæ Menevensis, seu Sancti David quæstionem movit contra *Theobaldum* Cantuariensem Archiepiscopum, de qua anno MCXL verba faciemus.

XI. *Gesta in eo Henrici Angl. Regis animum conturbarunt.* Episcopi in Concilio Catalaunensi depositi subditi erant Henrici Angliæ Regis & in Normannia, quæ ei parebat, Sedes suas habebant. Quare Eadmerus lib. 5. Novorum ait, id Regem valde commovisse. Hæc ejus verba: *Rex adhuc consilio cum Episcopis habito, quid super his, & quibusdam aliis, quæ animum suum plurimùm offendebant, Papæ responderet, placuit in commune, ut suos Nuncios mitteret: per quos quæ vellet, securiùs Papa mandaret: nam ante hos dies, quidam Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, functus Legatione Apostolicæ Sedis, Cono nomine, Franciam venerat: & ibi juxta suæ legationis officium, generalia Concilia celebrans, Episcopos Normanniæ, ab Episcopali officio suspensos excommunicavit* (nempe in Concilio Catalaunensi): *eò quod Conciliis* (hoc anno celebratis) *tertiò vocati, interesse noluerant. Quæ Episcoporum excommunicatio animum Regis valde reddidit conturbatum: & rationis esse duxit, super his Papam convenire. Maximè quod in hujusmodi visus sit Privilegia Patris* (Willelmo sc. I Angliæ Regi) *& fratris sui* (Willelmo sc. II) *sibique à Romana Ecclesia jam olim collata, se non promerente, scidisse. Ad hæc itaque agenda, directus est Willelmus Antistes Exoniensis, Papæ notissimus: utpote qui sæpe ad eum, tempore gloriosi Patris Anselmi, pro negotiis, quæ tunc inter Reges Angliæ, & eumdem Patrem versabantur, ab ipsis fuerat Regibus destinatus. Nec enim cæcitas, quo visum ei tulerat, ab ipso itinere illum poterat excusare: quia præterita gesta ejus fiduciam Regi præbebant, illum pro posse, juxta morem suum, suæ causæ fideliter velle insistere.* Quia verò Paschalis Papa ultrà non processit, videtur eidem, Oxoniensis Episcopi oratione satisfactum.

XII. *Querela inde nata cito & prudenter sopita est.* Priora Eadmeri verba, quibus asserit, *Henricum* Regem cum Episcopis Regni sui consilium habuisse, quid Paschali II respondendum esset, respiciunt literas ejusdem Pontificis, datas *Laterani Kal. Aprilis, indictione VIII*, hoc scilicet anno, ab Eadmero ibidem recitatas, in quibus queritur apud Regem, quòd se inconsulto Episcoporum negotia definiat, oppressis Apostolicæ Sedis appellationem subtrahat, præter conscientiam suam Concilia Synodalia celebret, & *Episcoporum mutationes præsumat*; *quod*, inquit, *sine sacrosanctæ Sedis Romanæ auctoritate ac licentia, fieri novimus omnino prohibitum.* Jam dixerat: *Usque ad nos, licet indignos, coram* (nempe Apostolorum) *Vicarios hæc consuetudo pervenit: ut per nostræ Sedis Vicarios graviora Ecclesiarum per provincias negotia pertractarentur, seu retractarentur.* Hæ ergo literæ Regis animum pupugerant, qui postea magis commotus fuit, cùm accepit *Cononem* Legatum à Paschali Papa in Galliam missum Normannorum Episcopos in Concilio Catalaunensi suspendisse. Sed cùm Eadmerus, qui eas Paschalis II literas nobis conservavit, de hac inter Pontificem & Regem simultate nihil amplius dicat, apparet, brevi prudenterque hanc querelam sopitam fuisse.

XIII. *Quatuor priores Ordinis Cisterciensis Abbatiæ.* Ordo Cisterciensis per hæc tempora mirificè propagatus est; anno enim MCXIII *Firmitas* ad Gronam fl., Gallicè *La ferté*, prima Cistercii filia in diœcesi Cabilonensi fundata fuit; *Pontiniacum*, vulgò Pontigny, secunda Cistercii filia quatuor ab Autisiodoro leucis anno MCXIV condita, & currenti anno *Clara-Vallis*, & *Morimundus*, tertia & quarta Cistercii filiæ, in diœcesi Lingonensi institutæ. Quatuor hæ Abbatiæ sunt quasi totidem Cistercii filiæ primigeniæ, ex quibus inde ceteræ omnes exortæ sunt, ut videre est apud Manriquem in Annal. Cister. qui de illis omnibus fusè agit.

XIV. *Majorica à Pisanis capta.* Hoc anno Majorica in Christianorum potestatem venit, ut his verbis refertur in Chronicis Pisanis. *Octavo Idus Februarii novam urbem præliando capiunt .... factum est, ut Conventus & .... consilia Comitis Barcinonensis, & Saracenorum Regis de Domini inspiratione & Pisanorum Archiepiscopi, & Romani Legati, Ecclesiæque Pisanæ Canonicorum probitate atque prudentia penitus dissiparentur, & penitus fierent irrita; cùm enim Archiepiscopus & Romanus Legatus cum Clero & Barcinonensi Comite, aliisque Principibus ad prædicta consilia audienda convenissent, Petrus Albitbonis nobilis Pisanus miles celer advenit, & Pisanos Urbem expugnare acclamans Conventum diremit, Cleroque atque aliis, qui convenerant, ad bellum festinantibus, prædictus Comes tristis remansit; & quia pro consilio creditum non fuerat, se*

prælaturum

SÆC. XII. An. C. 1115.

præliantium negavit, suosque pugnare prohibuit. Sed divina providentia providens fervorem Pisanorum, & volens misereri captivorum, urbem in solemnitate Cathedræ Apostolorum Principis (mense Februario) *per manus Pisanorum civium capi concessit, multis Sarracenorum utriusque sexûs interfectis, atque plurimis in captione retentis. Ibique Sarracenorum thesaurorum maximas copias invenientes, & eas quique recolligentes ad carcerem perveniunt captivorum, & inde eos extrahentes .... ad tertiam civitatem perveniunt, quæ fuerat Regis Mortada. Veniunt & eam, murum rumpendo, & portas ferreas frangendo, capiunt quarto nonas Martii. Capta ibi Regis Mortada sorore cum filiis & filiabus & nepotibus, & cum maxima copia auri, argenti atque palliorum. Sed quoniam ipsa in captivos, eis testantibus, omnemque Christianum illuc pervenientem misericordissima fuerat, cum sua progenie est reddita libertati. Factumque est, ut in ipsa insula Majorica remanente filia sua, Regina cum fratre suoque filiolo cum Pisano exercitu Pisam spontè veniret, ibique abrenuncians Paganismo Christianum nomen cum suo parvulo filio susceptit.*

XV. *Non multò post Majoricani ad Infidelitatem redeunt.* *Quarta verò civitatula* (idest, pars civitatis,) *quæ circa Regiam Sudam, quæ cassarum* (idest, arx) *dicitur, erat constructum, per manus Pisanorum capta est sexto Idus Martii. Præter cassarum autem duæ remanserunt turres, quas ..... obtinuerunt XIV Kalend. Aprilis .... Rex Burabe, quem Sarraceni defuncto Rege Nazaradech, sibi dominum fecerant .... tentavit evadere, sed ingrediens in naviculam illicò captus est .... Ex castellis ergo superemiuentibus* (lignea erant castella) *Christiani pontem super cassarum posuerunt. Per pontes Pisani transeunt in cassarum .... Ipsius autem cassari captio, & tanti laboris consummatio tertio Nonas Aprilis. Destructo itaque cassaro, omnique Majoricæ munitione in ruinam data, Pisani cives campum faciunt, & destructa urbis grandia & innumera spolia inter se dividunt ...... His itaque peractis omnibus, Pisani cives & totus exercitus captis spoliis naves onerant .... & ad sua remeant.* Laurentius Veronensis, cui egregiè convenit cum his antiquis Chronicis Pisanis apud Ughellum Tom. III, in fine sui Poëmatis ait, Pisanos, postquam Majoricam evertissent, Pascha, quod hoc anno in diem XVIII Aprilis incidit, celebrasse:

Et facta præda muri sternuntur & ædes.
.... Pascha celebratur, Baralet de nexibus exit. Soror hæc erat Mortadæ Regis.
Cujus dat nato Pisana potentia regnum.
Denique victores felici classe parata
Ad sua quique meat, hos & de littore spectans,
Et miranda canunt Christi magnalia gentes.
Pisanam tandem Burabe (Rex Maurus) *traductus in urbem*
Præbuit Italiæ sese spectabile monstrum.

Regina, quæ fidem Christianam amplexa fuerat, Pisis sepulta, ubi tempore Chronographi adhuc extabat. Addit Chronographus hujus Reginæ filium facto baptismate initiatum in patriam remissum, ut ibi regnaret; sed cùm tunc nulla in eam insulam Christiana colonia missa sit, religio Christiana ibidem paulò pòst extincta, & Majoricani ad infidelitatem & rapinas rediêre.

XVI. *Concilium Ovetanum.* Celebratum hoc anno *Oveti* Concilium, à Sandovalio in Vitâ Urracæ Reginæ integrum ci-tatum linguâ Hispanicâ, quod cùm prætermissum fuerit in editione Conciliorum Labbei, ejus versionem hîc exhibebo: „ Era MCLIII „ celebratum fuit Concilium Provinciale in ci„ vitate Oueto, cujus tunc erat Episcopus Pela„ gius, in quo sancita fuerunt Decreta contra „ prædones, sacrilegos, violatores templorum, „ & ceteros maleficus. In istis verò Decretis con„ stitutum fuit, quod nullus posset à templo vi „ abstrahere, neque à spatio septuaginta passuum „ circùm, rem ullam vel reum, nisi esset qui „ confugisset in azylum manifestè servus, vel „ latro publicus, vel proditionis alicujus con„ victus, aut publicè excommunicatus, vel Mo„ nachus fugitivus, vel Monialis, vel violator „ templi. Quod autem quicumque deceptus à „ Diabolo eriperet aliquid à templo, & ab ejus „ cæmeterio usque ad duodecim passus, resti„ tuere teneatur quadruplum, pœnitentiamque „ agere prout jubent sacri Canones, vel Mona„ chum profiteretur sub Regula S. Benedicti, aut „ fiat Heremita quandiu viveret, vel servus fie„ ret Ecclesiæ, cui damnum intulisset, aut pe„ regrinationem perpetuam susciperet, &c.

XVII. *A Præsulibus & laicis subscriptum.* *Pelagius* Episcopus Overensis, qui hoc Concilium indixit, Auctor est Historiæ, quæ adhuc „ extat. Sandovalius nihil aliud de eo Concilio „ refert nisi subscriptiones eo qui sequitur mo„ do. Confirmat Regina Domina Urraca istud „ Concilium cum omnibus suis filiis & filiabus, „ in ejusque Constitutiones juravit, jurareque „ alios præcepit, utque servarentur ab omnibus „ in Regno suo tum Clericis cùm laicis. Sorores „ verò ejus istud confirmarunt, nempe Domina „ Elvira cum omnibus suis filiis & filiabus, om„ nibusque suis subditis. Infans Domina Tere„ sia cum omnibus suis filiis & filiabus & om„ nibus suis subditis idem jurarunt, & confir„ marunt Comes Dominus Suerus, qui sepultus „ est in cæmeterio Cornelianense, Gunsalvus „ Pelagii, Alfonsus Veremudis, Petrus Alfonsi, „ Didacus Fredinandi, Gonsalvus Assurez, Gon„ salvus Froyla. Sandovalius ait, post has sub„ scriptiones alias haberi cum hac divisione jux„ ta diversas terras. Ex Çamoris & Campi Tau„ ri Comes Gomez Pelagii, Comes Ferdinandus „ Ferdinandi. Ex territoriis Gallæciæ Comes Pe„ lagius, Comes Monius Pelagii, Comes Al„ fonsus Nunnii, Comes Gutierre Vermudi. Ex „ territoriis Castellæ Comes Petrus Gonsalvi, „ Comes Rodericus Gomez, Comes Bertran„ dus, Comes Hermengaudus, Comes Lope Di„ daci. Ex territorio sanctæ Julianæ Camargo „ Trasmieta, Egunna cum ceteris terris. Comes „ Rodericus Gonsalvis Giron, ortus ex Asturi„ bus Santillanensibus. Confirmant alii multi „ Milites & Præsules Dominus Bernardus Ar„ chiepiscopus Toletanus & Legatus Romanæ „ Sedis, Pelagius Archiepiscopus Bracharensis, „ Dominus Didacus Episcopus Yriensis, Munius „ Episcopus Mindoniensis, Didacus Oriensis, „ Alfonsus Tudensis, Hugo Portucallensis, Pe„ lagius Asturicensis, Gonsalvus Conimbricen„ sis, Petrus Segobiensis, Bernardus Seguntì„ nus, Paschalis Burgensis, Sanctius Abilanus, „ Munius Salamanticensis, Bernardus Çamorensis. Addit Sandovalius, Instrumentum habete hanc Constitutionem non ab hominibus statutam fuisse, sed à Deo Omnipotenti, qui eam in universum Orbem disseminavit, & postquam audita fuit, non solum Christianos om-

SÆC. XII. An. C. 1115. nes; sed etiam Paganos ac Judæos lætitia triumphasse.

XVIII. *Aragonenses venant Saracenos.* Hoc anno, era MCLIII, ut narrat Sandovallius ex antiquis Chronicis, Christiani magnam in Almorabitas irruptionem fecêre, eisque mense Januario *Morsellam* munitum oppidum eripuêre. Illud ad Valentiæ limites positum, & Christiani illi alii non sunt ab Aragonensibus.

XIX. *Ludovicus Franciæ Rex in Seditiosos pugnat.* Ludovicus Rex Franciæ, inquit Guillelmus Nangius in Chron. ad annum MCXIV: *Obsedit castrum Gernais super Matronam fluvium situm contra Hugonem de Pompana dominum Creciaci, qui rapinis intentus mercatorum naves per fluvium transeuntes expoliabat, & apud Gornaium spolia deducebat. Venit autem ad auxilium Hugonis Guido Rubeus dominus de Rupeforti pater ipsius Hugonis, & Comes Campaniæ Theobaldus. Sed Rege viriliter decertante eos ad fugam compulit, & castrum in deditionem accipiens Garlandensibus commisit.* Idem narrat Sugerius in Vita Ludovici Giossi cap. 10. qui cùm annos rerum gestarum non memoret, hæc Epocha ad alia multa suis temporibus reddenda conducere poterit. *Gernaium* seu Gornacum, gallicè *Gournai*, situm erat in agro Parisiensi, ut videre est apud Hadr. Valesium in Notitia Gall. & Theobaldus Campaniæ Comes idem est ac Theobaldus Blesensis Comes, de quo mox.

XX. *Iterum in eosdem dimicat.* Tum Nangius ad annum MCXV: *Ludovicus Rex Franc. circa idem tempus suis à vicinis Baronibus suis & militibus sic arctatus, quod vix ab urbe Parisius securè egredi posset. Sed tandem Dei virtute, & auxilio BB. Martyrum*, &c. *contra hostes armatus Hugonem de Puisaco in Blesia, & Comitem Blesensem Theobaldum potentissime subjecit, castrum Puisaci funditus evertens, deinde Odonem Corboliensem Comitem & Hugonem de Creciaco, Guidonem de Rupeforti, & Thomam de Marlu tyrannum sibi adversantes perpetuo exhæredavit.* &c. Idem narrat Sugerius loco laudato cap. 18. & duobus sequentibus, ubi castrum quod Nangius Puisacum, ipse *Pateolum* appellat, quod dicit fuisse in Belsa, Gallicè *la Beausse.* Quare suspicor apud Nangium loco *in Blesia*, legendum esse in Belsa, vel econtra. Denique Ordericus hujus temporis scriptor, idem ac Sugerius & Nangius, de hoc bello habet lib. XI pag. 813. & castrum quod alii *Puteolum*, vel *Puteucum*, vel *Pusatum*, vel *Pinsacum*, ipse *Pusacium* vocat, illudque vulgò nunc nuncupatur *le Puiset*, ut videre est apud Valesium laudatum pag. 459.

XXI. *Tanchelinus hæreticus occiditur.* In Chronico Anselmi Gemblacensis ad hunc annum hoc additamentum legitur: *Tanchelinus hæreticus, qui Andoverpiam* (seu Antuerpiam,) *Walagram, & circumjacentes insulas, & maritima loca in partibus illis, multis hæresibus infecerat, occiditur.* Quod hoc etiam anno Meyerus in Annal. Flandriæ narrat.

XXII. *Obitus Petri Eremitæ.* In eodem Chronico ad hunc annum legitur hæc additio: *Petrus Eremita ex Syria reversus apud Huyum moritur, & sepelitur in monasterio à se fundato ad Mosam fluvium.* Huum seu Huyum aut Huionum oppidum est quinque leucis ab urbe Leodiensi dissitum. Ægidius Aureæ Vallis Religiosus in Continuatione Episcoporum Leodiensium cap. 16. *His diebus*, inquit, *dominus Petrus Eremita, qui cum Godefrido Duce Jerosolymam profectus fuerat, acceptis Reliquiis à Domino Arnulpho Jerosolymitano Patriarcha, de Sepulchro sc. Domini, & de Reliquiis B. Joannis Baptistæ, cum privilegio Crucesignatorum, Domino Oberto Leodiensium Episcopo transmisso, ad partes Leodienses revertitur; ubi fundavit Ecclesiam Hoy novi monasterii in honore S. Sepulchri, & B. Joannis Baptistæ, in qua vir vitæ venerabilis, sumptis aliquantis viris religiosis plantavit Regulam Sanctissimi Patris Augustini. Consummato autem vitæ suæ curriculo, in bona senectute diem clausit extremum VIII Idus Julii, cujus corpusculum dignè mandatur sepulturæ à toto Clero & populo Hoyensi in latere Ecclesiæ.* Ait postea Ægidius in sua marginali annotatione eum translatum *solemniter* fuisse *à loco extra Ecclesiam, ubi olim sepultus fuerat, in criptam prætactæ Ecclesiæ*, & ibi honorificè reconditas ejus Reliquias *XVII Kalend. Novemb. anno gratiæ MCCXLII.* SÆC. XII. An. C. 1116.

XXIII. *Fundavit Monasterium Canonicorum Regularium apud Huyum.* Jacobus de Vitriaco in Hist. Orientali cap. 16. dicit, *Petrum* inspiratum fuisse à Deo, ut Jerosolymam adiret, & ut in reditu *Urbanum* II conveniret de liberatione Terræ Sanctæ cum eo acturus. Ait etiam eum fuisse pauperem & religiosum hominem *in Ambianensi Episcopatu vitam eremiticam agentem.* Denique Auctor Magni Chronici Belgici pag. 134. annum fundatæ à Petro Eremita apud Huyum Ecclesiæ his verbis aperit: *Anno ejusdem domini Oberti* (Episcopi Leodiensis, successoris Henrici pridie Kalend. Junii anno MXCI demortui, ut habet Ægidius laudatus) *decimo tertio incepit fundari novum Monasterium in suburbio Hoiensi Canonicorum Regularium* &c. *in honorem Sepulchri Domini, & S. Joannis Baptistæ, assumtis eò viris religiosis secundùm Regulam B. Augustini, & ibi prædictus Petrus sepulturam accepit.* Quare cùm Monasterium illud redux ab expeditione Jerosolymitana *Petrus* fundaverit, ut refert ibidem hic Chronographus, ejus è Syria in Occidentem reditus, & novi monasterii ædificatio pertinent ad annum MCIV. Vita hujus servi Dei hoc seculo à Petro D'outremanno Belga è Societate Jesu edita. Porrò anno MCIV *Daimbertus* quidem verus Jerosolymorum Patriarcha erat, sed *Arnulphus* Sedem invaserat, ut narrat Tyrius lib. 10. *cap. 26. & seqq.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6609. Anno Eræ Hispan. MCLIV. Anno Hegiræ DX. inchoato die 15. Maii fer. 2.

O 5. B A. ☽ 15. P. 2. April. Indict. 9.

JESU CHRISTI 1116.

PASCHALIS II PAPÆ 18.

HENRICI V. REG. 11. IMP. 6.

ALEXII COMNENI IMP. 36.

I. *Concilium Lateranense.* AD Num. I ad VI. Acta Concilii Lateranensis hoc anno celebrati fusè Baronius ex Urspergensi in Chron. recitat. Illud inchoatum secundâ feriâ tertiæ hebdomadæ Quadragesimalis, *pridie Nonas Martii*, & per sex dies congregatum, adeoque conclusum sequenti sabbato, V Idus Martii. In eo Paschalis II retulit se Privilegium Investiturarum Henrico Imp. per vim concessisse, & ut multa mala ab Ecclesia & populo averteret; sed se illud condemnare sub perpetuo anathemate, & rogare omnes, ut idem faciant. *Tunc ab universis conclamatum est: Fiat, fiat*, inquit Urspergensis. Vides Concilia feriâ II ut plurimum inchoata fuisse.

Ad num.

II. *Depositio Grosulani ab Archiepiscopatu Mediol. in eo agitata.*

Ad num. VI & seqq. Acta in causa *Grosulani* ab Archiepiscopatu Mediolanensi depositi, & *Jordani* in ejus locum subrogari narrat Baronius ex Urspergensi laudato, sed Puricellus in Monumentis Basilicæ Ambrosianæ num. 322. refert verba Landulphi à sancto Paulo in Chron. cap. 29. qui huic Concilio interfuit: *Ego itaque mœrens de hac intrusione* (quippe Nazarius Muricula jam factus Primicerius alterum Landulphi intruserat in Ecclesiam sancti Pauli in Compito, ut notat Puricellus), *& omnis Ecclesiastici beneficii in me facta expoliatione, ivi ad Synodum, quam Papa Paschalis pro causa Grosulani & Jordani Romæ celebravit, in qua supradictus Anselmus de Pusterla secundùm suam dignitatem honestum locum habuit, & sedit. Sed neque pro Grosulano, neque adversùs Jordanum verbum bonum aut malum protulit. Jordanus verò à principio Synodi usque in finem sedens & silens à dextra Apostolici nullo mediante in Synodo fuit* (notabile est, quod Mediolanensis Episcopus primum locum habuerit). *At Grosulanus ibi stando & sedendo inter Archiepiscopos & Episcopos, ceu vir prudens intendebat ad destruendam Jordani impositionem* (idest, electionem aut inthronizationem) *& conversionem* (idest, eorum mutationem, qui Jurdanum Archiepiscopum crearant, licet antea Grosulanistæ fuissent) *eorum, qui ipsum fecerant impositionem: & intendendo ad ista egregie loquebatur de positione & restitutione sua, qua positus & restitutus fuit in Mediolanensi Ecclesia. Cui viro* (sc. Grosulano) *homo, qui in ista Synodo sive in Lateranensi Palatio contradixerit, certum locum non habuit*, idest, in præsenti Synodo.

III. *Grosulanus ad Episcopatum Savonensem redire jussus.*

Ut hæc locutus est Grosulanus, nullus qui ei contradiceret comparuit, *sed domnus Papa Paschalis, qui affectans reddere illum placabilem Deo & sibi, ejus scientiam, ejusque facundiam commendabat, atque labores, quos ipse Papa per se, suosque Legatos Romæ & per Longobardorum provinciam pro ipso Grosulano sustinuerat, coram Synodo referebat, & ad leniendam duritiam & asperitatem eorum, qui nec positionem, nec restitutionem Grosulani susceperant, vel suspiciebant, non solum de Presbytero Liprando, ejusque lege mentionem faciebat, sed ruinam gabuta* (idest, pedi Pontificii, quod in ipso Concilio Romano anno MCV coacto è Grosulani manibus cecidit), *introducebat. Quæ ruina tunc apparuit, quando ipse Grosulanus juravit, & ad accipiendam restitutionem ascendit. Insuper inferebat* (sc. Paschalis II), *quod Grosulani translatio de Episcopatu Saonensi ad Archiepiscopatum Mediolanensem utilitatem non contulerat. Quos casus Grosulanus clypeo Ecclesiasticæ consuetudinis & legis à se quodammodo repellebat. Verumtamen domnus Papa, nec Synodus, neque in prima, neque in secunda, neque in tertia, sive in quarta die Synodi Grosulano per singulos dies pro se, suaque causa in Palatio & Synodo agenti, non satisfecit. Sed Grosulanus in quinta die* (Puricellus notat fuisse diem sabbati, eo quod feriâ quintâ Pontifex in Concilio non sedisset, uti Urspergensis narrat) *qui fuit ultimus illius Synodi Apostolica instantis suis cum prædictis objectionibus. Flendo, inquit, Domine, Domine, veniam ad vos; quamvis ii, quibus dedisti potestatem judicandi causam meam, me non diligant. Tunc Portuensis Petrus Episcopus se & ceteros habentes hanc potestatem de malevolentia habita in Grosulanum honestè & sufficienter excusavit. Et cùm excusasset; in communi concordia illius excusantis, & cetererum habentium potestatem istam prolata fuit sententia, quæ prohibuit Grosulanum Mediolanensem Ecclesiam inquietare, & ad Episcopatum* (Savonensem) *dixit eis redire.*

IV. *Grosulanus Romæ toto vitæ tempore remansit.*

Hanc narrationem prosequitur Landulphus Junior cap. 30. apud Puricellum citatum: *Jordanus verò audita & publicata illa sententia de redeundo Grosulano ad Episcopatum* (nempe Savonensem) *coram ipsa Synodo theatrum ascendit* (supra quod erat Paschalis II thronus), *& ibi ad pedes Apostolici stratus grates illi reddidit: & elevatus ab ipso Apostolice gratiam & virgam Pontificalem in ipso theatro suscepit. Altera verò die* (sc. dominica IV Quadragesimæ) *ipse Jordanus Archiepiscopus* ordinavit Brixiensem Electum in Episcopum nomine *Villanum*, sicuti refert Landulphus. Mandavit Grosulano Concilium Romanum, ut ad suum Episcopatum Savonensem rediret; verùm, uti habet Landulphus: *Ipse autem non ad Saonam ivit, sed in ipsa Urbe* (sc. Roma), *apud monasterium, quod dicitur sancti Sabbaoth* (legendum, *Saba* sicuti rectè notatur in antiquo Archiepiscoporum Mediolanensium Catalogo in Archivis Metropolitanæ Ecclesiæ asservato. Monasterium illud Romanum sancti Sabæ Monachi Græci incolebant) *per annum unum & menses quatuor, ut Episcopus vixit*, (neque enim Episcopatum deseruerat, aut Monachum induerat) *atque ibi sepultus est octavo Idus Augusti.* Galuancus Flamma in suo magno Chronico, aliique recentiores Mediolanenses, qui eum sequuntur Scriptores hunc Præsulem in Ecclesia sancti Sebastiani sepultum asserunt; sed solidè à Puricello laudato hac in re refelluntur.

V. *Scripsit Tractatum de processione Spiritus Sancti.*

Grosulanus ab aliquibus *Grisolanus* ab aliis *Chrysolanus* appellatus doctrina & eloquentia pollebat, ut mox vidimus Synodum Romanam explicantes. Trithemius lib. de Script. Eccles. cujus verba recitat Baronius num. XVI valde laudat Tractatum ab eo editum de Spiritu Sancto contra Græcos, quem Baronius periisse existimans prolixum fragmentum ex eo excerptum num. VIII & seqq. recitat. Verùm asservatur ille MS. in Bibliotheca Regia sub titulo, *Petri Grosulani Episcopi de processione Spiritus sancti*, indeque Ughellus in Episc. Mediolanensibus eum *Petri* prænomen tulisse deducit. Existimat num. VII Baronius Grosulanum à Paschali II ad Alexium Imp. Legatum missum fuisse ob causam sibi incognitam, & dum Constantinopoli esset adversus Græcos disputationem de processione Spiritus Sancti instituisse coram ipso Imperatore. Baronium secutus est Allatius lib. 2. de Consensione Eccles. Occid. & Orient. cap. 10. & utrumque passim alii. Verùm Legatio hæc, cujus antea nullus mentionem fecerat, planè commentitia. Cumque ex Landulpho Juniori anno MCX à nobis laudato constet, *Grosulanum* eo anno in Orientem profectum esse, indeque nonnisi post biennium rediisse, perspicuum est, intra tempus illud *Grosulanum* Constantinopoli adversùs Græcos disputasse, & Tractatum, de quo mox, tunc elucubrasse.

VI. *Seditio Romæ hoc anno excitata.*

Baronius num. VI suspicatur, *Landulphum* Archiepiscopatu Beneventano aliàs à Paschali II depositum, in Concilio Lateranensi in pristinum statum restitutum fuisse, illudque indicare Falconem in Chronico Beneventano. Verum iste Chronographus contrarium insinuat; cùm eum mense Augusto dignitatem recuperasse prodat,

dat, & Concilium Lateranense mense Martio inceptum & absolutum fuerit. Hæc Falconis ad hunc annum verba, quibus seditio, quam Baronius anno superiori, ut ibidem dictum, contigisse putavit, anno suo redditur: *dominus noster prædictus Apostolicus Romæ Synodum statuit* (ubi de alio Concilio, quam quod hoc anno celebratum est, verba non facit), *& hoc anno Præfectus urbis Romæ mense quidem Martio obiit, post cujus mortem civile bellum terribiliter ortum est, eò quòd Romani audierant, quòd Petrus filius Leonis, Apostolici consilio filium suum Præfectum ordinare vellet. Unde Romanorum populus Præfecti defuncti filium ad Præfecturæ honorem evexerunt. Quo ordinato ad prædictum Papam Paschalem miserunt suppliciter postulantes, quatenus eorum ordinationi assensum ipse præberet & corroboraret. Apostolicus autem nullo modo ei assensum tribuit. Romani itaque hæc agnoscentes conjuratione facta, mirabilia domorum ædificia, & turres complures radicitus prostraverunt, eorum quidem qui cum Petro Leonis ad id faciendum conjurabant. Unde factum est, ut Ptolemæus Præfecti avunculus, & alii Barones Apostolici castra invaderent & tenerent; contigit autem die quadam quod Præfectus ipse militum ferè quinquaginta collegio stipatus ad explorandum milites, quos Apostolicus miserat, extra Urbem perrexisset. Comestabulus autem Apostolicus hoc deprehendens ex improviso eos aggreditur, prostravit, & Præfectum comprehendit. Ptolemæus igitur memorati nepotis captionem audiens, absque mora militibus sumtis, Papæ præfatum Comestabulum invadens, nepotem, qui captivus ferebatur, absolvit, & secum gaudens ad propria perduxit.*

VII. *Paschalis II Landulphum in Archiepiscopatum Beneventi restituit.*

Dum hæc & alia Romæ agerentur, præfatus Apostolicus Urbem exivit, qui apud castrum quoddam Setton nomine (Italicè, *Sezza* in Campania Romana, ditionis Pontificiæ) *commoratus est; viderat siquidem seditionem illam magis ac magis inflammari, & Petrum Leonis de die in diem acriter expugnari. Diebus autem non multis elapsis, Apostolicus ipse seditionem illam placari & minui aspiciens, consilio accepto, militibus collectis, Romam ingressus est; deinde Palatium Lateranense ingreditur, ibique Missarum solemnia decantavit. Cùm autem ipse Urbem ingressus fuisset, Romanorum cœtus, qui ei rebellis exstiterat, ferè ad ejus imperium & voluntatem conversus est; sicque Apostolicus ipse tranquillitate inventa Romam securus habitavit. His taliter actis, prædictus Apostolicus* LANDULPHUM, *quem deposuerat, undecimo die intrante mensis Augusti redintegravit ad Archiepiscopatum*, videlicet Beneventanum. His adde quæ Baronius anno superiori num. I & seqq. de hac seditione loco non suo habet.

VIII. *Saraceni à Raymundo III Comite Barcinonensi bello victi.*

Paschalis II literis ad Raymundum III Barcinone, Bisulduni, & Provinciæ Comitem datis *apud Transtiberim per manum Joannis S. R. E. Diaconi Cardin. ac Biblioth. X Kal. Junii indict. IX, Incarnat. Dom. anno MCXVI*, Pontificatûs autem sui anno XVII, ejus personam, ut Comes petierat, uxoris ejus ac filiorum in Sedis Apostolicæ tutelam suscipit, aitque: *Non parvum tuæ Nobilitati meritum labor ille conciliavit, quo per anni longitudinem* (per annum nempe MCXIV) *in Balearibus insulis contra hostes Christiani populi desudasti: cui tuo, tuorumque consortium glorioso præcinctus Omnipotens Deus gloriosam de hostibus suis victoriam conferre dignatus est. Super hoc ad expugnandos Mauros ac Moabitas in Hispaniæ partibus, & Tortosam eorum præsidium obsidendam animi nobilis industriam paras.* Ad quæ postrema verba referendum quod Anonymus in Gestis Comit. Barcin. cap. 16. de Raymundo scribit: *Tributa ab eorum* (nempe Saracenorum) *Principibus, Valentiæ scilicet, Tortosæ & Ilerdæ accepit.* Ceterùm *Tortosa* nonnisi à Raymundo Berengarii hujus nominis IV ejus filio & successore Saracenis erepta, ut suo loco dicetur. Eas literas refert Diagus in Hist. Comit. Barcin. lib. 2. cap. 95.

IX. *B. Oldegarius fit Episc. Barcinonensis.*

Eodem die Paschalis II scripsit ad *Oldegarium*, Abbatem sancti Rufi Electum Barcinonensem, aitque se à Canonicis Barcinonensis Ecclesiæ accepisse eum Cleri & populi desideriis concurrentibus Episcopum Barcinonensem electum fuisse, ipsumque eo cognito in suam diffugientem Abbatiam, omnium expectationes fefellisse, ita ut Spiritui Sancto resistere videatur. Quare se illum à regimine monasterii sancti Rufi absolvere, eique præcipere, ut ad præfatam Ecclesiam Barcinonensem accedat. *Quod si, quod absit*, subdit Paschalis II, *huic nostræ præceptionis paginæ obedientiam impartiri renueris, venerabili fratri nostro Bosono S. R. E. Presbytero Cardinali, quem in Hispaniæ partibus Legatum dirigimus Apostolicum, per Apostolica scripta præcipientes mandamus, quatenus te* (*ut Barcinonensis Ecclesiæ præfatæ, ad quam te Electum dignoscimus, gubernacula sumas*) *monitione præmissa, appellatione remota, nullisve literis à Sede Apostolica impetratis, veritati & rationi præjudicantibus, per censuram Ecclesiasticam, donec pareas, cogere non desistat.* Eas literas Tamayus in Hispanico Martyrologio eruit ex Codice MS. pervetusto, & ex eo alii exscripsêre. Natus erat Beatus *Oldegarius* in Catalania, & adhuc puer oblatus est à parentibus Ecclesiæ Barcinonensi unà cum aliquibus possessionibus, & postquam Sacerdos ac Præpositus Ecclesiæ Barcinonensis creatus fuit, eum Canonici Regulares monasterii sancti Rufi juxta Avenionem siti Abbatem sibi præfecêre. Cùm verò anno MCXIV *Raymundus Guillelmus* Barcinonensis Episcopus in expeditione Majoricana, ad quam jubente Paschali II profectus est, occisus fuisset, Clerus & populus Barcinonensis, curante *Raymundo Comite*, eum in demortui locum subrogarunt: quod ubi ille factum cognovit, ut erat singulari vir humilitate, properè in Provinciam, ubi sancti Rufi monasterium positum, navigavit.

X. *Duo proximi ejus successores in Abbatiam S. Rufi.*

Beato *Oldegario* in Abbatiam San-Rufensem successit *Willelmus* in Catalogo Abbatum San-Rufensium à San-Marthanis omissus. Jacobus enim Petitus in Appendice ad Pœnitentiale Theodori pag. 634. recitat donationem Ecclesiæ Ordinatensis cum permissu & concessione *Pontii* Episcopi Bellicensis factam *Willelmo* sancti Rufi Abbati & ejus successoribus, in cujus fine legitur: *Facta est charta ista anno ab Incarnat. domini MCXX apud Portas* (quæ domus est Cartusiana) *præcipiente domno Pontio Turrensi Bellicensi Episcopo.* San-Marthani in Episcopis Bellicensibus plura habent de illustri hoc Præsule, qui ante Episcopatum fundavit Cartusiam *Mayoravi* in Bugesio, & huic Ordini nomen dedit. Postea sedente Innocentio II Pontifice Romano, abdicato Episcopatu, monasterium suum repetiit, in eoque sancto fine quievit. In Actis à San-Marthanis citatis vir nobilitate clarus vocatur *Pontius*

tius de Balneto. Post Willelmum San-Rufensem Abbatiam administravit *Pontius*, cui & successoribus ejus *Petrus Viennensium Archiepiscopus & Apostolicæ Sedis Legatus* confirmat donum, quod Ecclesiæ sancti Rufi prædecessor suus Guido Viennensis Archiepiscopus fecit de Ecclesia sancti Martini Viennensis, aliaque memorata in confirmatione recitata à Jacobo Petito laudato pag. 631. in cujus fine legitur: *Actum est anno ab Incarnat. Domini M C X X V. Præfata verò donationis actores fuerunt & testes domnus Petrus Archiepiscopus*, &c. Tam Pontius Abbas, quàm Petrus Archiep. Viennensis à San-Marthanis omissi, & post Guidonem Callistum II in summo Pontificatu vocatum nullum Archiepiscopum Viennensem ante annum M C X L V I exhibent, aientes: *de Petro quem nonnulli ex Canonico Podiensi, ad Viennensem Metropolim sublectum referunt*, nullam *in diptychis* mentionem haberi. Quare diptycha illa, sicuti & variarum Galliæ Ecclesiarum, per hæc tempora suppleri debent.

XI. *Severus Abbas S. Rufi.*

Prætermissus & à San-Marthanis *Severus* Abbas Sancti Rufi, quem Pontio successisse oportet; cùm Stephanus Diensis Episcopus literis suis apud Petitum citatum pag. 633. donationem Ecclesiæ de Tauliniaco factam Ecclesiæ sancti Rufi confirmet *in manu domini Severi Abbatis sancti Rufi*, & in earum calce legatur: *Acta hæc charta est anno ab Incarnat. domini MCXXVII indict. V, mense Aprilis, octavo Kalendas Maii, lunâ decimâ, anno VII Episcopatus domini Stephani prædicti Episcopi*, nempe Diensis.

XII. *Henricus Angliæ Rex Willelmum filium regni hæredem declarat.*

In Anglia Henricus Rex *Guillelmum* unicum filium, quem priùs Normanniæ Ducem creatat, Anglici Regni hæredem ac Principem coli Senatus consulto decrevit: *decimo tertio Kalendas Aprilis*, inquit Eadmerus lib. 5. Novorum, *factus est Conventus Episcoporum, Abbatum, & Principum totius regni apud Serberiam: cogente eos illuc sanctione Regis Henrici; siquidem Normanniam se proximè transfretaturum disposuerat. Et quid sibi eventurum esset, ignorans, Willelmum, quem ex ingenua conjuge sua filium susceperat, hæredem regni sibi substituit.*

XIII. *Anselmus Legatus Sedis Apostolicæ Angliam ingredi prohibitus.*

Interim *Anselmus Junior*, qui nuper Pallium Radulpho Archiepiscopo Cantuariensi tulerat, iterùm Legatus Sedis Apostolicæ redit, *Henricum* Regem in Normannia reperit, & Regis in obeundo munere patrocinium postulat. Verum Henricus Rex magnum inde nasci Cantuariensi Ecclesiæ præjudicium prævidens, Regni Episcopos convocavit currenti anno: *Ipso anno*, inquit Eadmerus citatus, *circa mensem Augustum, reversus à Roma super memoratus Anselmus, venit Normanniam ad Regem Henricum, literas Apostolici deferens: quæ sibi vices Apostolicas in Anglia administrare concedebant: quod regno Angliæ brevi innotuit. Admirati ergo Episcopi, Abbates, & Nobiles quique Lundoniæ adunati sunt, super his, & quibusdam aliis, præsente Regina* (Mathilde), *communi consilio tractaturi. Quid multa? Placuit omnibus, Archiepiscopum Cantuariensem, quem res hæc maximè respiciebat, Regem adire, & exposita ei antiqua regni consuetudine, simul ac libertate, si consuleret, Romam iret, & hæc nova annihilaret. Amplectitur ille consilium, & amore quam maximo visitandi Apostolorum limina ardens, mare transit, & Regem Rotomagi reperit. A quo, & Ecclesiâ Pontificatus illius civitatis, summo gaudio & honore susceptus, per plures dies in eadem civitate, ab ipso Rege detentus est.* Suprà memoratum quoque *Anselmum ibi reperimus, transitum in Angliam, gratiâ legationis suæ exercendæ, præstolantem. Sed Rex Henricus antiquis Ecclesiæ consuetudinibus præjudicium inferri non sustinens, illum ab ingressu Angliæ detinebat, & ei ut potè Nuncio B. Petri, largiter & officiosè ministrari faciebat.* Reliqua ad hunc annum non pertinent.

XIV. *Causa discordiæ inter Franciæ & Angliæ Reges.*

Hæc verò causa *Henricum* Regem in Normanniam traxit, ibique eum detinuit. *Theobaldus* Blesensis Comes Adelæ Henrici Angliæ Regis sororis filius *Ludovicum* VI Francorum Regem offendens belli facem accenderat. Quare *Henricus* Rex nepotis causam agere, & adesse, si opus foret, decrevit. Hinc utrimque iræ, malaque quæ plures annos tenuêre. Et licet interdum ab armis cessatum sit, uterque tamen colligendo tantum vires respirasse videntur, ut fortiùs insurgerent. *Cum Rex ad Pascha transfretasset in Normanniam*, inquit Huntindoniensis pag. 380. *fit maxima discordia inter eum & Regem Francorum. Causa autem hæc erat. Tedbaldus, Consul Blesensis* (vides *Consulis* & *Comitis* nomen jamdiu pro uno eodemque sumtum fuisse) *nepos Regis Henrici contra dominum suum Regem Francorum arma promoverat. In cujus auxilium Rex Anglorum Duces suos, militiamque suam misit, & Regem Ludovicum non mediocriter afflixit.* Quod ad hunc annum pertinere, ostendit Matthæus Parisiensis, qui ad annum M C X V I idem narrat.

XV. *Ex rebellione Theobaldi Blesensis Comitis repetenda.*

Audiendus etiam Malmesburiensis lib. 5. de Reg. pag. 159. de utroque Rege verba faciens, sed aliorum Scriptorum Anglicorum more Ludovico Regi parum æquus: *Postea simultas inter eos exorta est pro Theobaldo, Comite Blesensi, filio Stephani, qui apud Ramulam occubuit (qui Theobaldus susceptus erat Stephano, ex Adala, filia Willelmi magni). Diu igitur ex parte Regis nostri, labores viarum consumpserunt nuncios; ut dignaretur Ludovicus satisfactionem Theobaldi. Ille verò parvi faciens preces, Theobaldum ab Apostolico devotari fecit, quasi arrogantem, & Deo rebellem: qui præter austeritatem morum, quæ omnibus videbatur intolerabilis; ferebatur dominum suum fraudare avitis possessionibus.*

XVI. *Ludovicus Rex Franciæ de Theobaldo queritur.*

Ludovicus Francorum Rex anno M C X I X Synodum Remensem, cui Callistus II Papa præerat, introivit, plurimumque questus de Henrico Anglorum Rege, & de injuriis ac infestationibus sibi, suisque hoc anno ingestis, dixit: *Thedbaldus Comes* (nempe Blesensis) *homo meus est, sed instinctu avunculi sui* (sc. Henrici Regis) *contra me nequiter erectus est. Ejus enim divitiis & potentia inflatus, in me rebellavit, & insidiis mihi atrocem guerram fecit, regnumque meum ad detrimenta multorum conturbavit. Legitimum, bonumque virum Guillelmum Nivernensem, quem benè nostis, remeantem de obsidione castelli cujusdam excommunicati furis, ubi verè spelunca latronum, & fossa Diaboli erat, comprehendit, & usque in hodiernum diem carceri mancipavit. Religiosi Præsules Thomam de Marla seditionum prædonem* (legendum, prædonem) *totius provinciæ meritò adversati sunt* (in Concilio sc. Belvacensi anno M C X I V Præside Conone Cardinali Prænestino coacto, ubi ob immania scelera excommunicatus fuit, uti refert Sugerius in Vita Ludovici Regis V I). *Ideoque mihi generalem inimicum peregrinorum & omnium simplicium obsidere præceperunt, & ipsi*

mecum, legitimique Barones Galliæ ad comprimendos exleges convenerunt, & cum communi collectione Christiani exercitus (intelligit Communia, de quibus anno MCVIII num. ult. locuti sumus) *pro zelo Dei certaverunt. Inde præfatus heros* (Guillelmus Comes Nivernensis) *cum mea licentia pacificè regrediens captus est, & a Tedbaldo Comite usque hodie retentus est: licet eum multitudo Procerum ex parte mea sæpe pro liberatione Comitis suppliciter requisierit, & tota terra ejus ab Episcopis anathematizata sit.*

XVII. *Ob captionem Guillelmi III Nivernensis Comitis.*

Guillelmus iste secundus hujus nominis Nivernensis Comes, qui anno MCXLVII sub finem vitæ Cartusiano Ordini nomen dedit, hoc anno captus est, ut tam Chronicon Fiscanense, quàm Vezeliacense Tom. I Biblioth. Labbei fidem faciunt, & in Vezeliacensi additur eum captum *apud Avalum* Burgundiæ oppidum inter Augustodunum & Autissiodorum, ut anno DCXII num. VI diximus. Cum verò *Thomas de Marla*, seu de *Maraa*, ut etiam appellabatur, à rapinis & incendiis non desisteret, Galliarum Episcopi *Ludovicum* Regem precati sunt, ut eum armis aggrederetur, & idem *Cono* Legatus Apostolicus eumdem & complices anathemate perculit, & quidem hoc anno, ut demonstrat Ivonis Epistola CCLXXV *Ononi Prænestino Episcopo, Sedis Apostolicæ Legato* scripta; cùm enim capti Comitis Nivernensis mentionem in ea faciat, isque hoc tantum anno in hostium potestatem venerit, non dubium, quin ea ad præsentem annum pertineat, licet Baronius anno MCXIV num. XIV putarit, nullam Ivonis post eum annum superesse datam ab eo Epistolam: *Nuper accepi*, inquit Ivo, *litteras vestras, continentes excommunicationem eorum, qui Nivernensem Comitem ceperunt, vel captioni ejus interfuerunt, vel de spoliis ejus aliquam partem acceperant, vel auxilium in hoc dederunt, exceptâ solâ personâ Theobaldi Comitis; cui inducias usque ad Octavas omnium sanctorum donastis. Et tamen nisi interim Comitem Nivernensem reddat, ex tunc eum excommunicationi subjecistis.* Paucis interpositis subjungit Ivo: *Auditis ejus* (sc. Theobaldi) *responsionibus consilium mihi fuit, ut religiosas personas religioni vestræ transmitterem, qui verba Comitis, & hæc & alia vobis referrent: at de his cum domino Rege* (sc. Ludovico) *tractetis, & inter eum & Comitem pacem componere studeatis*, &c. *Communicato itaque consilio cum Episcopis & Iudicibus pacis, ita hanc controversiam sedare studete, ut qui ex adverso stat, non habeat quod reprehendat; & pax Ecclesiarum & quies pauperum in sua stabilitate permaneat*, ubi loquitur de *Trenga Dei*, cujus violatores excommunicati soliti erant, ut liquet ex Epistola LXI Ivonis, qui cùm subditus esset Theobaldi Blesensis, Carnotensis, & Campaniæ Comitis, in Epistola CCLXXV in partes ejus propendere videtur.

XVIII. *Ivo Carnotensis Episc. usque ad initium anni sequentis in vivis fuit.*

Ex his evidenter deducitur, summopere deceptos fuisse viros doctissimos, qui *Ivonem* Carnotensem Episcopum anno superiori demortuum statuerunt. In Vita Beati Roberti de Arbrissello Ivoni summa amicitia conjuncti, à Monacho Fontis-Ebraldi coævo scripta, cap. 3. dicitur *Robertum* paulò antequam animam Deo redderet, Ivonem & Bernardum Abbatem Bonævallis graviter dissidentes inter se conciliasse: *Quadam die in territorio Carnotensi ad vicum Bonævallis, in quo quædam Monachorum Abbatia erat, hospitalitatis gratiâ convenerant* (sc. Robertus cum quibusdam Sanctimonialibus Ordinis à se fundati) *eodem tempore quo Carnotensium Episcopatum regebat Ivo, qui adeo pro quibusdam causis cum Bernardo hujus Bonævallis Abbate discordatus fuerat, ut propemodum irreconciliabilis esset eorum discordia*, &c. *postquam verò pius Magister tantam discordiam invitus audivit; discordantibus illis valdè condoluit, atque qualiter eos pacificare posset, apud se cogitare cœpit. Præmisit ergo ante se per Angardim religiosam Monacham, quæ Fontis-Ebraldi tunc Priorissa erat, Sanctimoniales suas ad locum destinatum: ipse verò consociato sibi Bernardo* (Ordinis Tironiensis fundatore) *Abbate religioso, atque Petronilla Abbatissa sua, propter prædicta discordia reconciliationem festinet, accurrit Carnotum*, &c. *& ut verum fatear, postquam prudens concionator charitate conductus Carnotum advenit; licet multùm laboraverit, non solum tamen illam Dæmoniacam discordiam funditus dissipavit; verum etiam, quod multi jam in credibile suspicabantur, in antiquam amicitiam illos restituit.* Subdit, Robertum, *appropinquante Dominica Nativitate ad Alta-Brugeria locum*, qui paucis leucis Carnoto distat, pertexisse, ibique *Dominicam Nativitatem* celebrasse.

XIX. *Henricus hæreticus agnoscitur in viciniis Cenoman.*

Auctor de Gestis Episcoporum Cenomanensium Tom. III Analect. à Mabillonio publicatus, pag. 312. postquam rem feriâ Paschatis III gestam retulit, duo hactenus ignota nos edocet, *Hildebertum* nempe Episcopum Cenomanensem, qui hujus seculi initio, uti jam ostendimus, Romam profectus est, iterum hoc anno illuc perrexisse, & sequenti rediisse. Secundum, *Henricum* hæreticum, quem divus Bernardus Epist. CCXL apud Baronium anno MCXLVII num. XVI testatur, Lausanam, Cenomanos, Pictavos & Burdegalam spurcitiis suis fœdasse, annis quibus hæc accidêre, non expressis, currenti primùm *Cenomanis* visum esse. Cujus Auctoris, qui narrat quæ suo tempore sub Hildeberto Episcopo contigere, vel saltem quæ ab iis qui viderunt, accepit, verba, licet longiora, non possumus non transcribere, quia Annales Ecclesiasticos mirè illustrant: *Per idem ferè tempus in adjacentium finibus regionum surrexit quidam hypocrita, quem propria actio, mores perversi, dogma detestabile scorpionibus & parricidalibus dignum protestantur suppliciis. Is enim ovium spoliis lupi rapacis rabiem occultans, vultus & oculorum incitatione mari conformis naufragoso, coma succinctus, intonsus barba, corpore procerus, pernix incessu, nudis humo, bruma debacchante, serpens vestigiis, expeditus affatu, terribilis sono, juvenis ætate. Nullus ei ator in vestitu, victus ejus à publico in promtu dissimilis, hospitium in ædibus burgensium, mansio in porticu, cœna, cubile in cœnaculo, minimè siquidem ad instar Danielis Prophetæ, sed juxta illud*, "Mors intravit per fenestras vestras." *Quid multa? idem namque miræ sanctitatis & scientiæ circumquaque rumore, non merito; falsitate, non vero habitu erat celebrior, non moribus, non religione, sed opinione.*

XX. *Ejus præsentia à Cenomanensibus expetita.*

Matronæ etiam atque impubes pueri (*nam utriusque sexus utebantur lenocinio*) *pro varia vice huic accedentes, excessus suos profitentur; sed augmentant, plantas ejus, clunes, inguina, tenera manu demulcendo. Isti planè tanti viri lascivia exhilarati,*

exhilarati, & adulteriis enormitate, publicè testabantur, nunquam se virum attrectasse tantæ rigiditatis, tantæ humanitatis & fortitudinis: cujus affatu cor etiam lapideum facile ad compunctionem posset provocari. Hujus itaque religionem & cœlibem vitam Monachi & viri anachoritæ, & universi regulares deberent imitari. Asserebant quoque sibi à domino Deo antiquam & authenticam prophetarum collatam fuisse benedictionem, & spiritum quo mortalium excessus ceteris incognitos, visa tantum eorum facie cognosceret & proderet. Cum hujusmodi fama nostram afflaret regionem, populus propria levitate proprio applaudens detrimento, quotidie, & tota die illius illudi confabulationibus suspirabat, & ejus adventum, quod citiùs posset hæresis sua consors in remotus (loco in legendum, *non*) *fieri & particeps. Solet enim accidere multoties, quod plerisque ea sunt gratiora, quæ sibi magis officiunt.*

XXI. *Duos ex discipulis suis Cenomanum mittit.* *Ceterùm hoc volvenda dies en attulit ultrò. Ipse enim nostros compatriotas viperino afflatu suo disponens inficere, eidem Episcopo* (nempe Hildeberto) *duos ex discipulis suis, tam vita, quàm habitu sibi similes, ad instar Salvatoris, ante faciem suam destinavit. Qui cùm die Cineris nostra suburbia civitatis attigissent, eos plebs universa malo fervens proposito, tanquam domini universitatis Angelos susceperunt. Gerebant ex Doctoris consuetudine baculos, vexillum crucis, in quorum vertice ferro fabricatum erat infixum, colore & exteriori conversatione speciem prætendentes pœnitentium. Hos idem Pontifex vir maxima pietatis minus argoliei equi formidans insidias, blandè recepit & devotè, eisdem hilarem frontis gratiam exhibuit & liberalitatis. Et quamvis Romanum iter assumpsisset, tamen inter cetera suis injunxit Archidiaconis, ut illi pseudo-eremitæ* HANRICO (*hoc enim nomine vocabatur hæreticus*) *pacificum ingressum, & licentiam sermocinandi ad populum permitterent.*

XXII. *Cenomanum venit, & hæresim suam prædicat.* *Quo mœnia civitatis ingresso, vulgus solito more,* (*ut diximus*) *applaudabat novitati, ut potius personam mirabatur incogniti, quàm probati. Quid mirum? Æstimabant illum suam honestate famam excedere, cui rumor præconio, quo frequentius utitur; excellebat: cujus schismate, factionibus, privatis largitionibus plerique Clericorum execati, plebecula declamationibus alimenta ministrabant, tribunal preparantes unde concionator ille turbas alloqueretur obsequentium sibi populorum. Ceterùm dum orationem haberet ad populum, eisdem Clericis ad pedes ejus residentibus & flentibus, tali resonabat oraculo, ac si dæmonum legiones uno hiatu ejus ore murmur exprimerent. Verumtamen mirum in modum facundus erat, cujus sermo ita mentibus vulgi per aures infusus hærebat, quasi recens venenum interius membris indagatis, circa vitalia totis collectis viribus, cum vita inexerabile exercens odium: se inflectit avidius, jugiterque degrassatur.*

XXIII. *Plebem adversùs Clerum commovet.* *Qua hæresi plebs in Clerum versa est in furorem, adeo quod famulis eorum minarentur, cruciatus, nec eis aliquid vendere vel ab eis emere voluissent: immò habebant eos sicut ethnicos & publicanos. Præterea non tantum ædes eorum obruere, & bona dissipare; sed illos lapidare aut affigere patibulo decreverunt, nisi Princeps & Optimates ejus cognita illorum nequitia, nefandis ausibus suis, vi potius quàm ratione* (*bellua enim rationem non admittit*) *resisterent. Quidamque ex Clericis in eadem urbe manentibus, Hugo scilicet de Osello, & Willus. Qui-non bibit-aquam, & Paganus Aldricus cum quadam die ad eum gratiâ disceptandi accessissent, vehementer verberati & in buccis, in luto & in cœno contumeliosè obruti & sordidati vix sine mortis discrimine impetum furiosa plebis potuerunt sustinere, immò postquam evaserunt periculum, eorum profectio similis fugæ videbatur. Illi enim ab ipsis comprehensi nullatenus evasissent periculum, nisi Comitis & Optimatum ejus patrocinio latebras subire potuissent. Nam* (*sicut dictum est*) *Princeps civitatis illorum errori resistens, nullatenus à Clericorum unione volebat resilire. Clerici verò per quemdam Canonicum eidem hypocritæ literas, quia vivâ voce cum eo loqui non audebant, in hunc modum transmisere.*

Ecclesia nostra te & socios tuos in vestimentis ovium venientes, sed intrinsecus lupi rapaces molientis insidias, cum pace recepit & honore. Ipsa etiam tibi affectum & effectum fraternæ caritatis exhibuit, existimans quod populum de salute animarum fideliter commoneres, & semen verbi Dei in cordibus eorum sinceriter seminares: sed tu pro pace iram; pro honore opprobrium, pro caritate odium, maledictionem pro benedictione perverso ordine reddere, & Ecclesiam Dei fallacia tua perturbare præsumpsisti. Nam inter Clerum & populum discordiam seminasti, ac seditiosa plebis multitudinem cum gladiis & fustibus adversus matrem Ecclesiam traditione DECIES *iterata commovisti: nobis osculum Iudæ porrexisti, nosque & universum Clerum publica injuria hæreticos appellasti. Insuper* (*quod pejus est*) *multa contra fidem Catholicam, quæ fidelis Christianus retractare exhorrescit, perniciosè & infideliter protulisti. Igitur ex auctoritate summæ & individuæ Trinitatis; & totius orthodoxæ Ecclesiæ, & Sanctæ Dei genitricis Mariæ, & S. Petri Apostolorum Principis, & Vicarii ejus reverendi Patris nostri Paschalis Papæ, atque Antistitis nostri Hildeberti, tibi sociisque tuis malè & damnosè errori tuo blandientibus penitus prohibemus, ne in toto Cenomanensi Episcopatu ulterius, nec privatim, nec publicè prædicationem facere, nec perversorum dogmatum ineptias propagare præsumas. Si verò contra tantam auctoritatem usurpaveris nefandis faucibus tuis dehiscentibus, denuò virus elicere, eadem auctoritate, ejusque Privilegio suffulti, excommunicamus te, omnes complices, fautores, & adjutores tuos, & ipse cujus Divinitati non desinis contraire, te in die districti judicii æterna maledictione facias maneipari.* XXIV. *Excommunicatur à Clero.*

Ille verò apices minimè recepit; sed Willus Musca seriem literarum coram eo retulit. Huic XXV. *Pergit in erroribus disseminandis.* *fanè supplicium adstantes minabantur: nam in propatulo, ut sibi visum fuerat, Hanrico audacter opprobria ingerebat: Hanricus planè singulis literarum distinctionibus caput mutando, Mentiris, iterabat. Sanè nisi Dapifer Consulis* (idest, Comitis) *illic adesset, cujus conductu Willelmus iter illud sumserat, nunquam vivus ad matrem remearet Ecclesiam. His ita gestis, nec minus apud Sanctum Germanum, & Sanctum Vincentium sacrilegos agebat conventus, ubi dogmatizabat novum dogma, quod fœminæ quæ minus castè vixerant, coram omnibus vestes suas cum crinibus nudæ comburerent; nec quilibet amplius aurum, argentum, possessiones, sponsalia cum uxore sumeret; nec illi dotem conferret: Sed nudus nudam, debilis ægrotam, pauper duceret egenam, nec curarent sive castè, seu incestè connubium sortirentur.*

tirentur. Dum ea, sicut imposterum dixerat, agerentur, ille quid singula haberent venustatis mirabatur, quæ ceteris candore excelleret, vel nitore corporis splendidior haberetur. Ex jussu tamen illius plebis actio pendebat universa: & affectus.

XXVI. Et in moribus corrumpendis.

Tanta auri, tanta argenti affluentia, si vellet, redundaret, ut opes omnium solus videretur possidere. Licet planè multa reciperet, tamen parcebat cupiditati, ne nimis ambitiosus videretur. Veruntamen plura sibi retinens, pauca ad restaurationem pannorum, qui (sicut dictum est) incensi fuerant, conferebant. Ejus quoque admonitu multi juvenum ducebant venales mulieres, quibus ipse pannos pretio quatuor solidorum emebat, qui nuditatem suam tantum modo supertegerent. At verus Judex opibus quassatis hæresies ceteris innotuit qualis esset arbor, folia proferens sine fructu: quæ tamen occupat terram, & quæque circumquaque germinantia extinguit, nesciens expectare hyemem, sed æstate arescit, & moritur. Juvenes enim qui nequam ejus consilio uxores acceperant, parvo temporis dilapso curriculo, aut fame aut stupro compulsi mulierum, ad alias partes transvolabant, feminas relinquentes totius egentes auxilii. Sicque illi aliis in adulterio adhærebant, & ipsæ adhuc maritis suis superstitibus, aliorum connubia illicitè expectabant. Nemo enim ex illis qui ejus exhortatione conjugium iniverunt, cum multi essent, unquam uxori suæ, vel viro conjux fidem exhibuit vel reverentiam; vel qualibet alia mulier quæ fornicationi deliciis vestimentorum, jurejurando abrenunciasset, potuit se continere: sed in dies augmentando facinora, in deteriora delapsi est.

XXVII. Henriciani adversùs Episcopum Cenomanensem rebellant.

Hæc & multa his similia exactor ille jugiter perficiens, adventu cognito Antistitis (idest Hildeberti) qui (sicut prælibavimus) Romam profectus fuerat, secessit in castrum Sancti Karilefi: ibique & in locis circumpositis morabatur, nequaquam incœpto desistens, sed quotidie ad quæque pessima innovatus. Nam sacratissimo die Pentecostes, cum etiam parvuli fideles officiis soleant divinis devoti interesse, ipse miserrimus omnium, adscito sibi quodam adolescente Clerico, cujus indicio postea tota illius petulantia denudata est, clam secretò noctis silentio ad domum cujusdam Militis proficiscitur, ibique cum matrona domus in thalamo luxuriosè tota die usque ad meridiem immoratur. Sic nec timore divino, nec pudore hominum lascivia sua voluit temperare, donec enormitatem sui facinoris finitimis & exteris populis innotesceret. His ita pertractatis, & præfato Pontifice multa, maximaque Clericorum suorum stipante caterva, suburbia civitatis ingresso, & signum Dei vivi paterno affectu ore & manu pingente in populum, felle cordis & sermonis in injuriam Creatoris commoventur, ejus signaculum & Pontificalem respuentes benedictionem. Nolumus, inquiunt, scientiam viarum tuarum, nolumus benedictionem, canum benedic, canum sanctifica: nos habemus patrem, habemus Pontificem, habemus advocatum qui te excedit auctoritate, excedit honestate, excedit scientiâ. Huic Clerici iniqui, Clerici tui adversantur, ejus doctrinæ contradicunt, hunc quasi sacrilegum detestantur & respuunt, verentes quod eorum scelera denudaret prophetico spiritu, & heresim suam & corporis & incontinentiam privilegio condemnaret literarum. Sed hæc omnia sine dilatione in eorum capita redundabunt, qui Sancto Dei vocem cælestis prædicationis, nescimus qua ausi audacia, interdicere præsumpserunt.

XXVIII. Henrici inscitiam Episc. Cenomanensis in apertum profert.

Episcopus autem misertus erroris eorum & inscitiæ, opprobria ab eis sibi illata clementer sustinuit, Deum majestatis assiduè exorans, ut plebis errorem admixtum elationi compesceret, ne Ecclesiæ suæ schisma inferre potuissent. Sed juxta vocem Psalmistæ pro salute delinquentium exorantis, Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum domine; idem Dominus Deus repentino incendio maximam partem suburbiorum civitatis permisit comburi, ut saltim temporali jactura malum propositum suum deponerent, & nomen sanctificatum, nomen Dei vivi invocarent. Pontifex verò illud Prophetæ recinens, "Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, domine, quam abscondisti timentibus te, paucis evolutis diebus seductorem adiit, & ejus impietatem divina auctoritate convincit. Cùm verò simul inirent colloquium Episcopus sciscitatur, cujus meriti sortitus esset professionem. At ille ignorans quid esset professio, obmutuit. Denuò requirente Episcopo, cujus Ordinis fungeretur officio? Ait ille, Diaconus sum. Tunc Episcopus, Prosor igitur si hodiernis interfuisti mysteriis. Respondit, Non. Pangamus ergo domino Deo hymnos matutinales; quibus incœptis Henricus profitetur, se dietam ignorare, (idest cursum Ecclesiæ ordinarium seu Officium, quod quotidie celebrari solet in matutinis horis, ut videre est in Glossario Ducangii). Episcopus tamen volens omninò ejus reserare inscientiam, Dei genitrici solitos psalmos canere cepit. Horum quoque nec versus noverat, nec sensum. Sicque rubore confusus, vitam suam, genus dogmatizandi & præsumptionem profitetur. Revera lixa erat, nullam adeptus scientiam, sed totus deditus petulantiæ: tamen sermocinandi ad populum & tessaras insciendi notitiam prosecutus. Hinc scriptum est: Vera gloria radices agit atque propagatur: ficta omnia celeriter transeunt, & tanquam flos sunt decidunt, nec quicquam simulatum potest esse diuturnum.

XXIX. Eum è Diœcesi sua expellit.

Verùm tamen Episcopus cognita levitate & impietate Henrici, Apostolica sibi prohibuit auctoritate, ne ipse amplius in Episcopatu suo permaneret: sed ad alias partes, nostris parcens, gressus dirigeret. Ille verò convictus industria Pontificis, clam aufugit; & ceteras regiones, nisi ocior esset fama, simili modo perturbaret, & viperino hiatu suo inficeret. Hæc de Henrico adnotavi, & gestis Hildeberti inserui ad commodum & doctrinam posterorum; ut caveant, ne Ecclesia Christi aliquando ejusmodi erroribus valeat perturbari. Denique idem Hildebertus modis omnibus procuravit, qualiter furorem plebis ratione pariter & humilitate mitigaret, quam Henricus contra Clerum seditiosè concitaverat. Eos enim Henricus sic sibi illexerat, quod vix adhuc memoria illius & dilectio à cordibus eorum deleri valeat vel depelli. Hæc Anonymus de Gestis Episcoporum Cenomanensium. Porrò Hildebertus Romam perrexit ad Generale Concilium à Paschali II in Urbe celebrandum, illucque hyeme profectus est, ut ipsemet in Epist. LXXVI ad quemdam Episcopum data affirmat. Huc etiam revocanda Epistola LXXVIII Hildeberti omnibus Archiepiscopis & Episcopis scripta, quà significat Cyprianum & Petrum in hæresim Henrici prolapsos, in

sinum

sinum Ecclesiæ nunc rediisse. Ubi Henricus ab eo appellatur *magnus Diaboli laqueus*, & *celebris armiger Antichristi*, atque eam pestem sic suam hæresim infecisse, *ut renitentes Clerus vix inter parietes Ecclesiæ suam tueretur libertatem*.

XXX. *Alii hæretici in Diœcesi Trevirensi detecti.*

Jam antea *Brunone* Ecclesiam Trevirensem regente, anno Sedis ejus, quam initio anni Christi MCII iniit, incerto, res memorabilis contigit, cui Auctor Anonymus Historiæ Trevirensis Tom. XII Spicilegii Dacheriani pag. 243. se interfuisse scribit: *Ivodii*, inquit, *quod Treverica diœcesis appenditium est, fuerunt eo tempore hæretici, qui substantiam panis & vini, quæ in altari per Sacerdotes benedicitur, in Corpus Christi & Sanguinem veraciter transmutari negabant, nec baptismi sacramentum parvulis ad salvationem proficere dicebant, & alia perplura profitebantur erronea, quæ memoriæ tradere nefas duxi. De his quatuor oblati sunt ei, quorum duo Presbyteri, reliqui verò duo erant laici.* Quid egerit Bruno, ut pestem illam eliminaret, ibidem legendum.

Anno Æræ Hispan. MCLV. Anno Hegiræ DXI. inchoato die 5. Maii fer. 7.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6610.

☉ 6. G. ☽ 16. P. 25. Mart. Indict. 10.

JESU CHRISTI 1117.

PASCHALIS II PAPÆ 19.

HENRICI V REG. 12. IMP. 7.

ALEXII COMNENI IMP. 37.

I. *Concilium Troianum anno MCXV celebratum.*

ANNum. I ad VIII. Petrus Diaconus lib. 4. Chron. Casinensis cap. 56. de rebus anno superiori gestis disertum sermonem habet. Tum his verbis caput 57. exorditur: *Sequenti anno mense Maio jam dictus Papa Paschalis ad monasterium venit: Abbatemque secum adducens, Troiam Concilium ibi celebraturus accessit.* Baronius num. I textum illum corrupit, legitque *sequenti anno millesimo centesimo decimo septimo*, sed contra mentem Petri Diaconi, indeque Concilium Troianum fingit, quod nunquam fuit, certumque illud hoc anno Beneventi habitum. Peregrinius enim in Notis ad Falconem, postquam observavit, ipsummet Baronium Concilium Troianum anno MCXV copulasse, hæc scribit: Paschalis, ut Petrus Diaconus perhibet in laudato non semel Auctario lib. 4. cap. 57. mense Maio Romam egrediens “venit ad monasterium Casinense, ejusque Abbatem tunc Girardum secum ducens, Synodum celebraturus Troiam pertexit, indeque “regrediens Ecclesiam Sancti Vincentii juxta “ortum Vulturni fluminis solemniter dedicavit. Sic ille. Et Falco insuper post prædicta “subdit: *Confirmato autem Concilio & piè finito, Papa Beneventum tertio die intrante mensis Septembris reversus est. Deinde Romam reversus est septimo Kal. Octobris. Qui tunc monasterium Sancti Vincentii* (hoc jam à Petro “etiam intellexeramus) *dedicavit*. Igitur Paschalis à mense Martio in anno MCXV Româ absens moratus in his est locis per quatuor ferè menses, cùm Synodum habuit Troianam; recitata namque Petri verba de alia “Synodo in præfata urbe congregata, quàm de “exposita à Falcone, haud sunt intelligenda: “quod amborum Auctorum de celebrata tunc “à Paschali dedicatione Ecclesiæ Sancti Vincentii concors assertio manifestè probat.

II. *Concilium Beneventanum hoc anno celebratum.*

“Et præterea, ut in Castigationibus ad Anonymum Casinensem ad annum MCXIV “observabam, Petrus dicens Papam Paschalem “sequenti anno, postquam Cassinenses Monachi Castellum suum recuperarunt, quod cap. 54. accidisse perhibet in anno MCXV. Sic “enim ejus scriptus Codex & editio præfert “Neapolitana (*nempe quæ ab Angelo de Nuce curata fuit*) statuens, inquam, Papam Roma “discessisse *sequenti anno*, hoc est Christi “MCXVI Troianum Concilium celebraturum, communem Epocham Christi nati observatam à Falcone, anno certè præit (*nempe “Petrus Casinensis*) observandoque, Concilium Troianum anno MCXV certò celebratum fuisse. Quo fit, ut Falconi de tempore “præfati Concilii non adversetur. Qui insuper “spontanea confessione coactum illud deregit in anno MCXV, cùm cap. 60. & 61. ait, “*Paschalem* sociato sibi Abbate Casinensi reversum ex Synodo nimirum jam dicta disposuisse *mediante Quadragesima* alteram ibi Synodum celebrare (*sequenti anno MCXVI*) ac “deinde loco cessisse ob turbas à Romanis motas “(*eveniente Martio anni MCXVI*) occasione “præfecti se invito instituti, tandemque in anno MCXVII Urbem egressum (*ad eam “enim prius ipse iterum se contulerat, ut fatendum est, idque Falco non tacet*) Beneventum “recessisse, ut Romam advenientem Regem “devitaret Henricum, Paschalis, inquam, præfati Regis occursum, sic in dicto anno “MCXVII declinavit, in quem ceteri etiam “omnes id coniiciunt Auctores, & præsertim “Falco, qui illum mense Aprili Beneventi constitisse affirmat, utique postquam Concilium “in Quadragesima antecedentis anni MCXVI “Romæ habuerat, eam deseruerat, repetiveratque Urbem; ac subinde in anteacto anno “MCXV Troiæ, ut prædictum est, præsens “fuerat. Hæc Peregrinius. Hoc itaque anno Concilium à Paschali II non Troiæ, sed Beneventi congregatum, sed altum ibi de rebus in hoc Concilio gestis silentium. Hæc Falconis de eo verba. *Anno MCXVII Dominicæ Incarnat. & XVIII Pontificatûs Domini Paschalis, mense Aprili, ipse Synodum Beneventi celebravit.*

III. *Italia Transtyberina Apulia quandoque dicta.*

Petrus Diaconus laudatus apud Baronium num. V urbe, in qua Concilium celebratum, non expressa, de eo loquitur, atque tantum coactum fuisse *in partibus Apuliæ*, quæ verba Baronio labendi causa esse potuêre. Sed Peregrinius pag. 163. rectè ea exponit; “Nec “turbet te, inquit, quod dicat *in Apuliæ partibus* Concilium illud congregatum, in quibus “haud censetur *Beneventum*. Nam tunc, & aliquantò etiam pòst, passim unius *Apuliæ* absoluto nomine cunctam Italiam cis Tyberim “(nota, qui loquitur, Neapolitanum esse) exteri Occidentales nuncuparunt, exque illorum usurpatione etiam incolæ; quandoquidem Normanni ob res primùm in Apulia “præclarè & feliciter gestas longinquorum ora “ad se solos, & ad unam Apuliam convertebant.

IV. *Henricus à Burdino Archiep.*

Adventum *Henrici* Romam accuratè refert Baronius ex Pandulfo Pisano Auctore Vitæ Paschalis II Petrus Diaconus cap. 63. ait tan-

tum

SÆC. XII An. C. 1117. *Bracarensi Romæ Imperator coronatur.*

tum Imperatorem *congregato exercitu* Romam adventasse, ac Paschalem II Urbe egressum Beneventum perrexisse. Et quia Pontificem ibi minimè invenit (nempe Henricus), *nec poterat aptè per internuncios res inter utrumque* agitari, *coactus fervore æstatis secessit*, Verùm Auctor Vitæ Paschalis II; quid Henricus antequam Urbem relinqueret, egerit, hoc modo narrat: *Diffisus his Rex, accito Mauritio Bracharensi Archiepiscopo, qui ob superbam levitatem Curialis effectus, per biennium, extra Ecclesiam propriam, opulentissimo cultu & Regio, hac & illac dissolutè vagabatur, ante corpus B. Gregorii coronari se fecit, sicque ab urbe comitatus abscessit.* Baronius anno MCIX num. II de Mauritio, vulgo *Burdino* appellato, jam locotus fuerat, sed ibi aliqua in medium adducit, quæ nobis hîc illustranda, corrigendaque ex Vita ejusdem Burdini à Baluzio lib. 3. Miscel. pag. 471. ex variis Antiquis collecta. *Bernardus* Archiepiscopus Toletanus ac Sedis Apostolicæ per Hispaniam Legatus, cùm anno MXCV post celebratum Concilium Claromontanum in Hispaniam rediret, ducit secum è provincia Lemovicensi Burdinum, literatum, Curialem, & eloquentem virum, ut eum vocat Auctor Chronici Mauriniacensis, illumque primùm Toletanum Archidiaconum, dein Episcopum Conimbricensem constituit. Tum defuncto *Sancto Gerardo* Bracaræ Archiepiscopo, quem ex Monasterio Moyssiacensi in Aquitania prima Bernardus in Hispaniam adduxerat, *Burdinus* ei, juxta quod S. Gerardus, ut in Vita ejus cap. 16. apud Baluzium libro citato, olim prædixerat, suffectus est communibus Cleri suffragiis anno MCX, ut tradit Rodericus à Cunha in Hist. Ecclesiast. Archiepiscoporum Bracharensium; & quia translationes Episcoporum sine interventione auctoritatis Romani Pontificis fieri non possunt, ad Sedem Apostolicam accessit.

V. *Dissensio inter Bernardum Toletanum Primatem & Burdinum Archiep. Bracara.*

Primùm quidem à Papa *Paschali* obtinuit, ut postulata Cleri Bracharensis valerent, postea verò Pallium accepit per manus Joannis Caietani Diaconi Cardinalis & Cancellarii. *Bracaram* reversus tenacior fuisse videtur in vindicando antiquo Sedis suæ gradu, quàm ut *Bernardo* patrono suo placere posset. Nam is tota mente incumbebat, ut quia Toletanæ Ecclesiæ collatus recèns fuerat Primatus per universam Hispaniam, subiiceret Toleto universas Hispaniarum Ecclesias. Intercessit *Burdinus*, appellavitque Paschalem Romanum Pontificem, qui sæpe monuit *Bernardum*, ut abstineret ab inferendis injuriis Archiepiscopo Bracharensi; sed cùm tunc magna esset Legatorum auctoritas, *Burdinus* perrexit in Italiam, ut à Romano Pontifice afflictis rebus remedium peteret. Hanc ejus in Italiam profectionem anno hujus seculi decimo quinto contigisse, ex eo colligit Baluzius, quòd Pandulphus in Vita Paschalis II. loquens de coronatione *Henrici Imp.* quæ hujus anni initio Romæ peracta est à Burdino, scribat eum biennio non introiisse provinciam Bracharensem; quod evincat eum de ea decessisse anno MCXV. *Paschalis* II, auditis, quæ adversus *Bernardum* proponebantur, terminos posuit Legationi ejus, & *Burdinum* Bracharensem Archiepiscopum, universamque provinciam ab illius jurisdictione liberavit; simulque Conimbricensem Diœcesim, quam *Bernardus* subtrahere conabatur Metropoli Bracharensi, ad eam pertinere pronunciavit.

SÆC. XII. An. C. 1117

VI. *In favorem Burdini à Paschali II diremptа.*

Horum Papæ *Paschalis* Decretorum mentionem facit Innocentius III lib. 2. Epist. 126. occasione controversiæ, quæ sub Pontificatu ejus fuit de Diœcesi Conimbricensi inter Bracharensem & Compostellanum. Nam Conimbricam uterque contendebat ad Metropolim suam pertinere. Bracharensis ergo, ut jus suum tueretur, allegavit Decreta Papæ Paschalis, quæ Conimbricensem diœcesim adjudicant Archiepiscopo Bracharensi. Laudat Innocentius III Epistolas Paschalis II, quarum prior edita est Tom. III Monarchiæ Lusitanæ, posterior à Roderico à Cunha in Tractatu *de Primatu Bracharensis Ecclesiæ in universa Hispania.* Utraque data est *Anagniæ III Nonas Novemb.* & in posteriori Bernardo Toletano Archiep. Apostolicæ Sedis Legato, ait Paschalis: *Pro injuriis confratris nostri Mauritii Bracharensis Archiep. fraternitatem tuam sæpe monuimus; sed adhuc se vehementer a te gravari conqueritur. Colimbriensis enim Episcopi obedientiam ei contra Romana auctoritatis Privilegia subtraxisti*, &c. *Nos autem in his vehementer regni turbationem & ætatis tuæ gravedinem infirmitatisque pensamus. Idcirco te ab injuncta super Archiepiscopum & provinciam Bracarensem cura legationis absolvimus, ut liberiùs ipse valeat in provincia sua justitiam exercere.*

VII. *Burdinum à Paschali II excommunicatus quod Henricum coronasset Imperatorem.*

Tanti autem *Burdinum* Paschalis Papa fecit, ut cùm hoc anno *Henricus* Imp. Romam venit infenso erga se animo, eumdem Burdinum *super tractanda pace Legatum* ad eum miserit, ut inquit Gelasius II successor ejus in literis anno sequenti Caietæ *ad Clerum & plebem Romanam* datis, Tom. X Concil. pag. 818. recitatis. Sed ipse à Papa deficiens Henricum Imperatorem coronavit. Neque enim alia de causa delectus ad id facinus, quam quia Romani Pontificis vices obtinebat apud Augustum, pacis ac concordiæ interpres. Alioquin, inquit Baluzius citatus num. XII, cur non potius Germani cujuspiam Episcopi ministerio *Henricus* usus fuisset? *Paschalis*, qui tum agebat in partibus Apuliæ, ut ex Falcone jam diximus, incanduit adversus *Burdinum* uti proditorem ac perfugam, Synodumque congregavit apud *Beneventum*, in qua eum publicè ob eam causam excommunicavit, ut asserit Gelasius II in Epistola ad Gallos, quæ prima est inter ejus Epistolas. Ex aliis literis ejusdem Gelasii ad *Bernardum* Toletanum & ceteros Hispaniarum Episcopos discimus, non solum excommunicatum in ea Synodo fuisse Burdinum; sed etiam *Paschalem* Bernardo Toletano Archiepiscopo & Hispaniæ Primati mandasse, ut alium in locum *Burdini* eligendum curaret, ipsumque excommunicatum fuisse, ceteris Hispaniarum Prælatis significaret.

VIII. *Antea ab eodem Papa officio Episcopali interdictus fuerat.*

Em. Cardinalis de Aguirre Tom. III Concil. pag. 319. & seqq. refert aliqua fragmenta Concilii Palentini Præside Bernardo Archiepiscopo Toletano anno MCXIV celebrati sub die VIII Kalendarum Novemb. quæ quando Baluzius præfata de Burdino scripsit, nondum è tenebris exierant. Inter ea extat Epistola Paschalis II ad Burdinum *Lateran. XII Kal. Maii, indictione VII* anno sc. Christi MCXIV data, cujus hic tenor est: *Inter querelas alias, quæ de te ad Sedem Apostolicam delata sunt, Legionensis Ecclesiæ invasio & contritio nos gravius contristavit. Super*

qua

quæ ex nostris literis monitus, & à Vicario nostro Bernardo Toletano ad Concilium evocatus, & venire & satisfacere contempsisti (illius Concilii Acta deperdita, & locus in quo celebratum ignotus). *Adhæc pro hujus nequitia & inobedientia, per eum, tam à Sacerdotali, quàm ab Episcopali officio interdictus, eadem officia celebrare pertinaciter præsumpsisti. Nos igitur auctore Deo, tantum superbiæ & nequitiæ facinus ulciscentes, & eadem tibi officia, & Bracarensis Ecclesiæ obedientiam interdicimus, donec resipiscens obedias, & pleniùs satisfacias.* Quibus ex literis liquet primò, Burdinum ante initium anni MCXIV non solum Ecclesiam Legionensem invasisse; sed & à Bernardo Toletano Archiep. S. Sedis Legato ab officio Episcopali interdictum fuisse. Secundò, ante præsentem annum resipuisse, & *pleniùs* satisfecisse, cùm Paschalis II eo currente eum Legatum pacis ad Henricum Imp. miserit.

IX. *Fabula de Bernardo & de Burdino consicta refellitur.*

Baronius anno MCIX num. II refert ex Mariana lib. X cap. VIII *Alphonsum* Aragoniæ Regem Bernardum *per biennium* in exilium misisse. Verùm cùm hoc in aliis Hispanis Scriptoribus non legatur, suspicor biennium illud, quo Auctor Vitæ Paschalis II affirmat, *Burdinum* à suo Episcopatu abfuisse, errandi causam Marianæ dedisse, eumque inde intulisse *Bernardum* ab Alphonso Rege per biennium relegatum esse. Secundò, Baronius ibidem ait, *Burdinum* illius exilii captata occasione Romam venisse, atque oblatâ pecuniâ petiisse à Paschali II in Bernardi locum intrudi, sed cum execratione rejectum à Paschali II se contulisse ad *Henricum Imp.* quem eidem jam cœpisse adversari intellexisset. Quam in rem laudat *Rodericum* lib. VI cap. XXVII & XXVIII, & citare potuisset *Romualdum* Archiepiscopum Salernitanum, acerrimum Toletani Primatûs defensorem, qui nundinationem illam commemorat, licet non illo tempore, quo Baronius pronunciat ista evenisse. Verum tot contradictionibus implicata est narratio illa apud Rodericum, ut fabulæ simillima videatur. Nam tradit Rodericus id evenisse statim post mortem Urbani II; cùm tamen eo tempore *Burdinus* nondum Archiepiscopus esset, nullaque hactenus controversia versaretur *Paschalem* inter & *Henricum*, nulla *Bernardum* inter ac *Burdinum*. Secundò vanitas istius Roderici anno scriptionis ex eo deprehenditur, quòd illic scriptum sit *Burdinum* ad Sedem Apostolicam evectum ab Imperatore eo ipso tempore, quo Paschalis Papa in custodia Regia erat; denique quod affirmet Paschalem diem suum obiisse apud Caietam, & Imperatorem illum *Ottonem* appellet; quæ omnia à veritate aliena. Æque falsum est quod ait Romualdus, *Burdinum*, defuncto Toletano Archiepiscopo, largitâ Paschali Papæ thesauri copiâ petiisse ab eo Toletanum Archiepiscopatum, sed obtinere non potuisse, licet *Paschalis* pecuniam accepisset. Quippe *Bernardus* superstes fuit Paschali II, quem aliunde constat *Burdino* postea gratificatum esse, eum adversùs vim *Bernardi* defendisse, suumque Legatum constituisse, ut concordiam procuraret inter Sacerdotium & Regnum.

X. *Paschalis II Ecclesiæ Cantuarien. Privilegia confirmat.*

A num. VIII ad XI. Radulphus Cantuariensis Archiepiscopus, qui pro Ecclesiæ suæ causa Romam petebat, Paschalem II ex Urbe fugatum nonnisi Beneventi convenire potuit: *Quoniam*, inquit Eadmerus lib. 5. *Dominus Papa, propter*

discordiam, quæ illis diebus inter ipsum & Imperatorem erat, & Romanos, Beneventi morabatur: nec Radulphus usque ad eum, partim propter corporis sui imbecillitatem, partim propter præfatam discordiam; cujus causâ, omnibus ad Papam ire volentibus, graves insidiæ ab incolis struebantur, nullatenus accedere poterat: missis nunciis cum literis, innotuit ei, & adventum, & adventus sui causam usque Romam: quod ille benignè suscipiens, & verba eorum moderata æquitatis lance perpendens, juxta negotii modum scripsit Episcopis Angliæ & Regi. Refert postea Paschalis II literas Episcopis Angliæ & Henrico Regi, *Beneventi nono Kalend. April.* datas, quibus Pontifex rescribit, se Cantuariensis Ecclesiæ Privilegia confirmare. Hujus Legationis substantia fuit Legatorum rapacitas. Verùm non *Petrus*, uti scribit Baronius, sed *Anselmus* vices Apostolicas in Anglia administrare jussus fuerat; *Petri* enim Legatio ad annum MCXXI pertinet, ut ibi videbimus.

Interim *Anselmus*, qui Legationem suam Rege impediente exercere non poterat, cùm Rotomagi moraretur, rogavit Regem, ut sibi saltem liceret, Petri denarios Romæ pendi solitos, per Insulam colligere: *Memoratur Anselmus*, inquit Eadmerus, *eò usque morabatur Rotomagi cum Rege, pecuniam, quæ B. Petro de Anglia quotannis pendi solet, Romam reversurus cupiens secum habere. Ut autem ipse in Angliam pro exercenda Legatione sibi injuncta transiret, Rex, ut diximus, consentire nolebat, ratione quam prælibavimus, & aliis non minus rationalibus usus.* Factam tamen denariorum collectionem, illamque pecuniam consignatam dubitandum non videtur, sed incertum, inquit Alfordus hoc anno num. IX, an ad illam colligendam mare trajecerit Legatus. XI. *Anselmus Legatus Papæ in Anglia Rotomagi remanet.*

Ad num. XI. *In Octabis*, inquit Chronographus Hildensheimensis ad hunc Christi annum, *Sancti Joannis Evangelistæ late per Orbem terribili & inaudito hactenus terræ motu terra concutitur. Maximè verò in Italia minax hoc periculum per multos dies continuò desævit*, &c. Sigonius lib. X de Regn. Ital. ait, illum terræ motum *Nonas Januarias* Italiam concussisse, & eodem ferè modo quo Sigonius, describit illum Landulphus Junior cap. 31. apud Puricelium in Monument. Basil. Ambros. num. 325. Landulphus addit, Jordanum Mediolanensem Archiep. Concilium provinciale in eadem urbe convocasse: *Longobardorum civitates, & earum Pontifices, audita Legatione Jordani Archiepiscopi, & Consulum ejusdem urbis, in statuta die convenerunt Mediolanum in Prato sancto, quod dicitur Brolium, ubi Archiepiscopus & Consules duo theatra constituerunt. In uno Archiepiscopus cum Episcopis & Abbatibus & Ecclesiarum Prælatis stetit & sedit: in altero Consules cum juris legum & morum peritis. Atque in circuitu eorum affuit innumera multitudo Clericorum & laicorum, mulierum quoque & virginum expectantium sepelitionem vitiorum, & suscitationem virtutum.* Quid in hoc Concilio, cujus in Collectione Conciliorum nulla mentio, statutum fuerit, incompertum. Subjungit Puricellus; "Hæc autem atque hujusmodi alia hoc ipso terræ motus tempore agebantur Mediolani non ultra decem menses ac dimidium, antequam Paschalis Papa moreretur, sicuti constat ex ejusdem Landulphi cap. 32. "Mortuus autem ille fuit anno MCXVIII me- XII. *Terra motus & Concilium Mediolanense.*

"dio,

SÆC. XII. An C. 1117.

"dio mense Januario. Quamobtem Concilium "illud & terræ motus inciderunt in superiorem "annum MCXVII circa finem Februarii.

XIII. *Moritur Ivo Episc. Carnotensis.*

A num. XII ad XV. Anno superiori ex Vita *Beati Roberti* de Arbrissello Fundatoris Ordinis Fontis-Ebraldi à Monacho ejusdem Ordinis elucubrata, & ad diem XXV Februarii à Bollando recitata, cap. 3. ostendimus, Robertum, postquam *Ivonem* Episcopum Carnotensem, & Abbatem Bonævallis inter se dissidentes reconciliavit, celebrasse *Dominicam Nativitatem*, quæ tunc appropinquabat, *Alba-Brugeria*, cœnobio à Carnotensi urbe parum dissito. Nunc verò ex eadem Vita addendum, *peracta in eodem loco Dominicæ Incarnationis festivitate, dispositaque interiùs & exteriùs ejusdem loci Dominici ovilis societate, iterum Carnotum rogatus advenit. Defunctus quippe jam fuerat Carnotensis Antistes, quem superiùs prænotavimus.* Quare à recentioribus Criticis *Ivonis* Carnotensis Episcopi doctrina & sanctitate illustris mors aut cum anno MCXV, aut cum anno MCXVI malè hactenus alligata fuit; cùm Scriptor laudatus Vitæ B. Roberti, qui hoc tempore vixit, disertè indicet, *Robertum*, quem hoc anno exeunte mense Februario demortuum constat, uno aut altero mense *Ivoni* superstitem fuisse. Accuratè itaque *Ivonis* obitum tam Robertus de Monte (cujus germanum Supplementum ad Sigeberti Chronicon Dachetius publicavit cum Operibus Guiberti de Novingento), quàm Matthæus Parisiensis in Chron. cum præsenti anno copularunt. Utrique suffragatur priscum Kalendarium Sancti Quintini Belvacensis, in quo ipse Ivo Abbas ante suum Episcopatum fuerat, & varia moriens eidem donavit; in eo enim legitur: *Kalend. Januarii obiit veneranda memoria Magister Ivo, præ aliis sui temporis Doctor insignis, primus Abbas hujus Ecclesiæ, postea Carnotensis Episcopus.* Paulò pòst: *Obiit autem tantus vir iste anno Incarnationis Christi MCXVI, pro cujus anima damus ad eleemosynam unum frumenti modium*, ubi annus ille MCXVI à Paschate superioris anni exorditur. In Martyrologio quidem Ecclesiæ Carnotensis *Ivo* mortuus dicitur *Idibus Decemb. anno Incarnat. Dom. MCXV*, sed ex dictis, tam præsenti quàm superiori Christi anno, illud falsum esse convincitur, sicuti & quod inscriptum est Kalendario Ecclesiæ S. Joannis Carnotensis in Valle, eum obiisse *X Kal. Januar. anno ab Incarnat. MCXV*; utrumque enim Kalendariis laudatis, ut sæpe fit, post aliqua secula ab Ivonis morte insertum; neque video hoc imposterum in controversiam venire posse. Sammarthani in Episcopis Carnotensibus referunt quoddam Ivonis epitaphium in quo is dicitur sedisse *annos XX*; sed hujusmodi epitaphia plerumque multis seculis post eorum mortem, in quorum honorem efformata, composita sunt; *Ivonem* enim annum Sedis XXVII inchoasse, me demonstrasse arbitror.

XIV. *Ejus elogium.*

Sed præstat audire Robertum de Monte in vero suo Chronico ad annum MCXVII: *Mortuus est hoc anno vir religiosus & magnæ literaturæ Ivo Carnotensis Episcopus. Hic dum esset juvenis audivit Magistrum Lanfrancum Priorem Becci* (in Normannia) *de secularibus & divinis literis tractantem in illa famosa schola, quam Becci tenuit, in qua & multi & nobilitate seculari, & honestate morum convenerunt viri præditi, & qui postea ad summum apicem Ecclesiasticæ dignitatis, & religionis attigerunt; postea verò idem Ivo aliquando præfuit & profuit Conventui Canonicorum Sancti Quintini Belvacensis. Ad ultimum factus est Episcopus: rexit Ecclesiam Carnotensem viriliter & religiosè ferè annos viginti tres* (legendum viginti sex, scriptum erat XXVI, & progressu temporis extrema parte penultimi numeri deleta, relictum est XXIII, quod sæpius contigisse suis locis observavimus). *Reliquit autem multa monumenta industriæ suæ, religionis & sapientiæ, ædificando scilicet monasterium Canonicorum Sancti Joannis de Valle, in quo & sepultus est: & domus Episcopii faciendo: & à malis consuetudinibus & exactionibus Comitis Carnotensis idem Episcopium liberando, & multa utilia scribendo.*

SÆC. XII. An. C. 1117.

XV. *Auctor fuit Decreti Iuris.*

* Pius V Pontifex Romanus Canonicis Regularibus Congregationis Lateranensis, Bullâ anno MDLXX emissâ, festum ejus celebrare concessit die XX mensis Maii. Ejus Decreto ante Gratiani tempora per sexaginta circiter annos usi sunt Juristæ, illudque ab eo editum anno MXC, ut docet Radulphus de Diceto in Abbreviat. Chronic. ad annum MXC, ubi ait: *Ivo Carnotensis Episcopus regularum Exceptiones Ecclesiasticarum in unum corpus adunavit huc usque*, idest usque ad illum Christi annum. Prologus enim hujus Operis his verbis inchoatur: *Exceptiones Ecclesiasticarum regularum, partim ex Epistolis Rom. Pontificum*, &c. In ultima quidem editione Decreti Ivonis vox *Exceptiones* mutata fuit à Jureto in vocem *Excerptiones*, sed ipsemet in Notis ad illum Prologum eam mutationem recipiendam non esse his verbis satis declarat: "In "præcedenti editione & in codice MS. S. Victo-"ris Parisiensis, sicut etiam in omnibus Panor-"miæ & Epistolarum Ivonis MSS. & editis ha-"betur *Exceptiones*. Sed quia Recentiores, dum "illum citant, ut Antonius Augustinus & alii "posuerunt *Excerptiones*, ex quorumdam judi-"cio hic editum est. Ita Juretus. Verum judicium illud non sequendum, sed reiiciendum erat; nam præter codices MSS. citatos & præcedentes editiones, Radulphus de Diceto laudatus, Sigebertus lib. de Illust. Ecclesiæ Script. cap. 168. & codex MS. Vaticanus num. 1358. habent, *Exceptiones*, non verò *Excerptiones*, & *excipere aliquid memoria dignum ex sermone alicujus* phrasis Ciceroniana est, ut liquet ex lib. 1. de Oratore 48. Denique Galterus, qui hoc ipso tempore Episcopus Magalonensis erat, in Epistola ad Robertum Præpositum Insulanum loquens de Floribus Psalmorum à Letberto sancti Rufi Abbate collectis ex expositionibus super Psalmos ab Augustino ac Cassiodoro & aliis Doctoribus editis, ait se illos transmittere, *sicut ab illo sancto viro* (sc. Letberto) *flores excepti sunt*, ex illis nempe expositionibus. Imò Hildebertus Archiep. Turonensis Collectionem Canonum à se factam inscripsit, *Exceptiones Ecclesiasticarum regularum*, ut ipsemet prodit in Epist LXXXIII. Vera itaque Ivonis lectio *Exceptiones*, non verò *Excerptiones*.

XVI. *Sed non ejus Epitomes.*

Extant duæ Canonum ac Decretorum Collectiones antiquæ Ivoni attributæ, quarum una *Decretum Ivonis* vulgò vocatur, altera *Pannormia*, utraque eamdem habens Præfationem à voce *Exceptiones* incipientem, sed Pannormia non est Ivonis Opus, sed Hugonis cujusdam *Catalaunensis* qui Decretum in compendium redegit, teste Vincentio Bellovacensi qui lib. 25. Speculi

culi Historialis cap. 84. de Ivone & ejus Abbreviatore scribit: *Hic inter alia laudabilia quæ fecit, Decreta Apostolica abbreviando compilavit & ordinavit. Quod quidem priùs Isidorus in unum maximum volumen redegerat, nec sine magno sumptu transcribi poterat. Hic autem & ipsa Decreta Apostolicorum abbreviavit, & per capitula distinxit, & multas sanctorum Doctorum sententias ad ea capitula pertinentes pariter interseruit. Hic liber Decretorum Ivonis apud nos pluribus locis reperitur, qui quoniam ipse quoque non parvæ quantitatis, non est facile portatilis. Hugo Catalamensis* (legendum, Catalaunensis) *ex eodem volumine abbreviato libellum portatilem legitur composuisse, qui & ipse apud nos est, & Summa Decretorum Ivonis appellatur.* Baluzius U. Cl. in Præfatione ad Dialogos Antonii Augustini de Emendatione Gratiani, notationibus eruditissimis à se illustrato existimavit, Vincentium loqui de quodam alio Opere, quo careamus, & *Ivonem* primò scripsisse *Pannormiam* & Præfationem eodem tempore confecisse, quæ postea magno Decretorum volumini præfixa fuerit, cùm ab una eademque Præfatione *Decretum*, ejusque Abbreviatio initium sumat.

XVII. *Refellitur contraria sententia.* Sed hac in re Viro doctissimo assentiri non possum; cùm *Vincentius* Bellovacensis seculo sesqui medio post *Ivonem* obierit, disertè testetur, se *Hugonis* Epitomen habere, & conjecturæ quæ ad eam Ivoni vindicandam in medium adducuntur, rem non evincant. Quod enim dicitur, hanc Epitomen diversam esse à *Pannormia*, quòd Summa Decretorum Ivonis inscripta fuerit, & *Pannormia* in codicibus tam editis, quàm MSS. nunquam *Summa Decretorum* appelletur, parum urget; cùm iisdem libris varii quandoque tituli appositi fuerint. Ex eo verò quod pauca sint, in quibus hæ duæ Collectiones inter se conveniant, non sequitur, *Pannormiam* non esse Epitomen Decretorum Ivonis, sed Pannormiam seu Epitomen, ac Decreta duorum esse Auctorum. Denique Sigebertus, qui eodem, quo Ivo, tempore vixit, loco laudato unius tantum Operis de Canonibus ab eo editi mentionem facit, quod aliud esse non potest, quàm ejus *Decretum* in libros XVII divisum: *Composuit*, inquit, *insigne volumen Canonum.*

XVIII. *Decretum & Epitome eodem quandoque nomine appellantur.* Tam Decretum, quàm ejus Summa seu Epitome *Pannormia* nomine appellata reperiuntur. Epitome enim, quæ in Bibliotheca Vaticana, uti jam monui, servatur, *Pannormia Ivonis* inscribitur, & hoc ejus initium: *Exceptiones Ecclesiasticarum regularum*, &c. liber autem VIII & ultimus Pannormiæ in eo Codice his verbis finitur: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*, estque sexcentorum annorum, quod cùm ex characterum formâ dignoscitur, tum ex Imperatorum & Romanorum Pontificum Catalogis eidem præfixis aperte colligitur. Hi enim eadem veteri manu, qua *Ivonis Pannormia* sunt exarati, & prior desinit in Conrado II, idest, in Conrado Salico, alter verò in Joanne XIX, ut me per literas monere dignatus est Eminentissimus Card. Casanata. Quo ex Catalogo Rom. Pontificum, ut id obiter observem, colligimus Joannem, qui imperante Conrado Salico Ecclesiam Romanam rexit, appellatum fuisse Joannem XIX, non verò Joannem XX, ut eum Baronius vocavit. Decretum verò Pannormiam etiam dictum fuisse, ostendit Trithemius in lib. de Script. Eccles. qui de Ivone ait: *Scripsit post Burkardum Wormaciensem Episcopum ex canonibus Sanctorum compendiosum Decretum, quo ante Gratiani tempora utebantur Juristæ, quod prænotavit Pannormiam libris X*, ubi legendum, *libris XVII.* Neque enim Trithemius de Ivonis Epitome intelligi potest; cùm non eâ, sed Decreto ante Gratianum uterentur Juristæ, & incredibile sit, Trithemium Epitomen memorasse, & Decreti mentionem non fecisse.

XIX. *B. Robertus de Arbrisello post mortem Ivonis Carnotum venit.* Præter *Ivonem* duo alia fulgentissima Galliarum luminaria hoc anno extincta, Beatus nempe *Robertus* de Arbrissello, & *Bernardus* Tironii Abbas, cujus societas Roberto semper gratissima fuerat, uti scribit Monachus Fontebraldensis in Vita ejusdem Roberti, qui postquam narravit eum Natale Domini in loco Altæ-Brugeriæ dicto celebrasse, subdit Robertum iterum rogatum fuisse Carnotum venire: *Defunctus quippe jam fuerat Carnotensis Antistes* (sc. Ivo) *quem superiùs prænotavimus, & in loco ejus, communi Clericorum electione alius inthronizatus* (Gotfridus nempe des Lieues II). *Tanta autem seditio inter Clericatum & Comitem illius civitatis* (nempe Theobaldum Carnotensem & Blesensem Comitem) *versabatur, ut etiam nonnulli Canonicorum amissis facultatibus suis, jussu Comitis trucidari timerent.* Subjungit idem Monachus, illuc etiam venisse *Bernardum de Tironio*, & Comitem per Roberti monitum *Clericis universa quæ abstulerat*, reddidisse, & novi Episcopi electioni acquiescentem, ad urbem redire concessisse.

XX. *Moritur.* Tum cap. 4. subdit: *Carnotensibus itaque pacificatis, fidelis verbi domini dispensator Carnotensem urbem, nunquam ad eam postea remeaturus, reliquit, conjunctoque sibi Bernardo Tironii Abbate venerabili, cujus societas semper sibi gratissima fuerat, ad castellum, quod populariter Blesis dicitur* (Gallicè, Blois) *ambo insimul pervenerunt. In eodem verò castello Willelmus Nivernensis religiosus Comes* (hujus nominis secundus) *incarceratus tenebatur* (ab anno sc. superiori, ut ibidem ostendimus) *eò quòd Ludovici Regis Franciæ partes pro pace tenenda adversùs Carnotis Comitem ipse tueretur. Hic etiam Willelmus exigentibus vita sua meritis utrique charus habebatur*, &c. *Visitato itaque sibi dilecto Comite, atque plus quam carceralis pœna exigebat, confortato, duo illi visitatores, nunquam posthàc in hac vita sese visuri, inseparabiliter, ut ita dicam, sunt separati.* Quod exeunte circiter mense Januario currentis anni factum fuisse præfatus Monachus indicat. Qui paulo pòst narrat, *Robertum* Ursanum sui Ordinis monasterium non longè Carnoto & Fontebraldo dissitum venisse. Tum refert quid Robertus egerit *sextâ feriâ*, die nempe decima sexta mensis Februarii, dein quæ *sabbato*, die videlicet XVII ejusdem mensis, *secundâ feriâ*, sc. die XIX, *tertiâ feriâ*, die nempe XX, & denique *quartâ feriâ ante obitum suum*, die sc. XXI. Cùmque post hæc de ejus morte verba faciat, apparet eam incidisse in eandem feriam quartam, diemque XXI mensis Februarii, sive IX Kalendas Martii.

XXI. *Annus mortis ejus ac dies.* Honoratus quidem Nicquetius in Vita Gallica B. Roberti cap. 35. ait, juxta monasterii, Ordinisque Fontebraldensis traditionem eum die XXIV mensis Februarii demortuum; Henschenius verò ad diem XXV ejusdem mensis, Pavillonus in Vita Gallica ejusdem inclyti Fun-

datoris, passimque omnes alii diem insequentem eligunt; sed Auctori Anonymo coætaneo, qui ejus Vitam scripsit, manifestè contradicunt; is enim disertè docet, eum feriâ quartâ spiritum Deo reddidisse, ideoque die XXI mensis Februarii. Præterea evidens est corpus ejus nonnisi post aliquot ab illius obitu dies terræ mandatum fuisse, utpote de longinquo adductum. San-Marthani enim in Archiep. Bituricensibus de Leodegario Archiep. Bituricensi verba facientes referunt Chartam ex tabulario Fontebraldensi extractam, currentique anno, ipsoque die, quo B. Robertus sepulturæ mandatus, scriptam, in qua dicitur: *Eodem die, quo Magistri Roberti de Arbressello corpus* (*Dei gratiâ* DE LONGINQUO ALLATUM, *in loco Fontis Ebraldi, quem Deo auxiliante fundavit*) *humatum fuerat, non minima multitudo Religiosarum personarum ad tanti viri funeris obsequium illic congregata fuerat*, &c. Denique Robertus in Monasterio *Ursani* leucis circiter quatuordecim à Cari fluvio dissito hominem exuit, corpusque ejus, ut ad Fontem Ebraldum commodiùs deveheretur, navi impositum, solo corde Ursani relicto. *Carus* infra Turonas in Ligerim sese exonerat, ad quem fluvium positus est Candacensis vicus, ubi divus Martinus Turonensis Episc. ultimum diem clausit. Locus ille Galacâ leucâ à Fonte Ebraldo distat, ut videre est in chartis Geographicis, & è Candacensi vico Gallicè *Cande* sacrum pignus terrestri itinere ad Fontem Ebraldum devectum est, ad quod iter tam navale quam terrestre conficiendum tres aut quatuor dies insumpti. Quare *Robertus* nec die XXIV, nec die XXV Februarii vita functus est, & tam in Chronico Andegavensi Tom. I Biblioth. Labbeanæ, quàm in Chronico Malleacensi Tom. II ejusdem Biblioth. obitûs nomine dies exequiarum intelligendus. In posteriori Chronico ad annum MCXVI legitur: *Obiit Robertus de Abrisello, Fundator Fontis-Enrandi VI Kalendas Martii*; in priori ad eumdem Christi annum, *obiit Robertus de Arbrissellis quinto Kal. Martias, ipse fuit fundator Monasterii Fontis-Ebrandi*. Ex utroque eruo, corpus Roberti die XXIV Februarii ad Fontem-Ebraldi pervenisse, & die insequenti seu V Kalend. Februar. sepulturæ mandatum fuisse. Festo quidem S. Mathiæ ista in diem sequentem in Martyrologio Ordinis Fontis-Ebraldi præleguntur: *Eodem die in Biturica patria, apud Ursanum, preclara dormitio Reverendi domini Roberti de Arbrissel Doctoris Theologi, venerabilis Presbyteri, ac carissimi Patris nostri*, &c. sed ea à paucis seculis scripta; cùm hoc tempore titulus iste, *Doctor Theologus*, nondum auditus esset. Certum itaque & indubitatum esse debet, *Robertum*, die XXI Februarii jam inchoato ac currenti anno ad Deum migrasse, & utrumque Chronographum citatum à die Paschatis annum inchoare. Præter Monachum Fontis-Ebraldi, qui creditur esse Andreas Roberti discipulus, ejus Vitam scripsit *Baldricus* Dolensium Episcopus anno MCXXXI demortuus.

XXII. *Purgatur à calumniis in eum confictis.*

Licet *Robertus* Ecclesiam universam sanctitate sua vivens & mortuus illustrarit, calumniam tamen passus est à *Roscelino* hæretico, & à quibusdam æmulis. Imò Goffridus Vindocinensis Abbas, Roberto amicus ad eum scripsit Epistolam XLVII libri 4. in qua ait: *Fœminarum quasdam, ut dicitur, nimis familiariter tecum habitare permittis: quibus privata verba sæpius loqueris; & cum ipsis etiam & inter ipsas noctu frequenter cubare non erubescis*, &c. Goffrido suppositam fuisse hanc Epistolam credidère Sirmondus Editor Epistolarum ejusdem Goffridi, Bollandus in Comment. prævio ad Vitam B. Roberti, & Joannes à Manu Firma Fontebraldensis Monachus in Dissert. duplici *de Epistola contra B. Robertum de Arbrissello conficta*. Verùm legitur ea in antiquissimo Codice MS. Cenomanensi eadem manu scripta, quâ ceteræ; extat pariter Florentiæ in Bibliotheca Sanctæ Crucis, quæ domus est Ordinis nostri, ubi eam legi, quamque nuper examinavit etiam Mabillonius in Musæo Italico Tom. I pag. 164. qui testatur illarum Epistolarum codicem scriptum esse Auctoris ætate. Jam pag. 54. loquens de Bibliotheca Reginæ Sueciæ dixerat, se in ea vidisse alterum Codicem complectentem Epistolas ejusdem Goffridi ipsius ætate scriptum, & has inter Epistolam ad Robertum de Arbrissello, cujus nomen sola prima littera R designatur. Sed nec ea Epistola, neque alia Marbodi Episcopi Redonensis, officiunt Roberti Sanctitati; utpote quæ falsos tantum rumores continent, à malevolis in eum sparsos. Etenim pi ssimum virum, inculpata vita, alia Auctorum æqualium testimonia, ceteraque omnia ab his calumniis abundè purgant, ut fusè demonstrat Natalis Alexander part. II seculi XI & XII, in Dissert. V *de Goffridi Vindocinensis Abbatis, & Marbodi Redonensis Episcopi Epistolis Roberto de Arbrissello inscriptis*.

XXIII. *Viri pii falsis relationibus aliquando decepti.*

Mirum tamen videri non debet, *Goffridum* virum egregiis monimentis ad omnem memoriam commendatum, quique tanto in numero fuit apud *Ludovicum VI* Francorum Regem, Urbanum II & Callistum II, mendaciis in Robertum confictis fidem adhibuisse; cùm Sanctus Bernardus Abbas Clarævallensis, cujus major fuit existimatio apud Reges & Summos Pontifices, & non minor in maximis rebus & gerendis & sustinendis exercitatio, factioni adversus *Sanctum Willelmum*, electum & consecratum Archiepiscopum Eboracensem innocenter adhæserit, & insontem Præsulatu mulctari curarit. Mortuo Archiepiscopo Eboracensi pars major *Willelmum* Thesaurarium elegit Episcopum, & *Henricus* Vintoniensis Episc. sanctæ Sedis Legatus, Vir tam natalibus, quàm religione & pietate illustris illum consecravit. Sed Osberto Archidiacono ejusdem Ecclesiæ, homine turbulento & factioso intercedente, variæ sparsæ per Angliam adversus Willelmum criminationes, quæ sanctum Bernardum seduxêre, & effecêre, ut pessimè de illo sentiret & scriberet. Non solum Innocentio II, sed etiam Cœlestino II, Lucio II & Eugenio III sedentibus. In Epistola ccxxxv ad Cœlestinum II data, quæ alias erat ccxxxiv, ait Willelmum *sibi vendicare electionem in præfata Ecclesia impiè* cupere, & eum *de plurimis & pessimis* pulsari. Willelmum appellat *idolum Eboracense*, atque eum, *cùm non* posset *per ostium*, fodisse *argenteo, ut aiunt, sarculo*, & intrusum fuisse. Subdit: *Heu! Notus est Orbi triumphus Diaboli. Ubique perstrepat plausus incircumcisorum & planctus bonorum, pro eo quod videatur sapientiam vicisse malitia. Monstratur digito matris Ecclesiæ turpitudo: Patris Innocentii* (nempe Innocentii II Papæ) *verenda irridentur, denudata à servo nequam*

SÆC. XII. An. C. 1117.

quam (nempe à Willelmo) *quoniam mortuum putat; sed vivit in vobis. Si in exitus immuaebat, cur è longinquo Romam est pertracta causa spurcissima, umbra magis & angulo digna?* &c. Non dissimilia scribit sanctus Abbas adversus Sanctum Præsulem Willelmum in Epistolis CCXXXVIII, CCXXXIX, CCXL, CCLII, CCCXLVI, & in Epistola CCCLX ubi Willelmum *pestem communem* vocat. Et tamen tunc Anglia Sanctiorem Præsulem non habebat, neque majori apud alios multos viros piissimos existimatione pollentem, ut infrà visuri sumus. Magni itaque ac piissimi Viri falsis relationibus quandoque decipiuntur, & trahuntur in sententias à veritate alienas. Sed sicut criminationes adversus *Willelmum* Eboracensem excogitatæ non obstitêre, quominus Honorius III eum Sanctorum catalogo adscriberet; ita sperandum Sanctam Sedem *Roberto* de *Arbrissello* Sanctorum honores, cultumque tandem decreturam. Infrà videbimus beatum Joachimum Congregationis Florensis in Calabria Fundatorem, prophetiæ dono clarum, duriùs habitum fuisse.

XXIV. *Moritur B. Bernardus Fundator congregationis Tironensis.*

B. Roberto superstes fuit *B. Bernardus* Fundator Congregationis de Tironio, ut jam diximus hujus anni initio, & fidem facit Chronographus Malleacensis, qui hoc tempore vixit, quique annum à Paschate exordiens, ad annum MCXVI, narrata B. Roberti morte, ait: *Eodem anno obiit Bernardus Fundator cœnobii Tironis, quod est in Pertico, septimo Kalendas Martii*, qui tamen colitur in monasterio Tironensi die XIV mensis Aprilis, ad quem diem Henschenius recitat ejus Vitam à Gaufrido Grosso Monacho Tironensi & B. Bernardi discipulo elucubratam. Tironensium Monachorum Religionem laudat Jacobus à Vitriaco in cap. XX Hist. Occidentalis, & Tironense monasterium in diœcesi Carnotensi constructum subest Congregationi Sancti Mauri.

XXV. *Moritur B. Vitalis Fundator Congregationis Saviniacensis.*

Guillelmus Neubrigensis hujus seculi exeuntis Scriptor, Roberto & Bernardo addit *Vitalem* Saviniacensis cœnobii in confinio Normanniæ, Aremoricæ & Cenomannorum anno MCXII conditorem; qui tres Viri cum Petro Pictaviensi Episcopo celeberrimo, anno MCXV juxta Chronographum Malleacensem vita functo, non modo literis; sed omnibus quoque virtutibus eminuerunt, suique singuli Monasterii, quasi de condicto fundatores extiterunt. Hæc Neubrigensis lib. 1. cap. 15. *In transmarinis partibus, sicut à Majoribus accepi* (erat enim Anglus), *tres memorabiles viri uno tempore fuere, scilicet Robertus cognominatus de Arbuscalo, Bernardus & Vitalis. Hi non ignobiliter eruditi & spiritu ferventes circuibant per castella & vicos, seminantesque secundùm Esaiam super omnes aquas, de conversione multorum fructus uberes colligebant, pio inter se placito constituto. Quod Robertus quidem fœminarum communis labore ad meliora conversarum sollicitudinem gereret: Bernardus verò & Vitalis maribus propensius providerent. Robertus itaque famosissimum illud monasterium fœminarum de Fonte-Ebrandi construxit, & regularibus disciplinis informavit. Bernardus verò apud Tironium, & Vitalis apud Saviniacum Monachos regulariter institutos, suos quisque ab aliis per quasdam præceptorum proprietates distinxit.* B. Vitali quartus in Abbatiam successor fuit Serlo, qui se eum triginta Abbatiis sibi subditis, præsente Sancto Bernardo Cisterciensibus subjecit, ut sub Eugenio Tertio Pontificatu videbimus. Baluzius lib. 2. Miscell. pag. 310. refert Chronicon *Saviniacense*, quod his verbis inchoatur: *Anno domini MCXII beatus Vitalis eremita optimus seminaverbius* (id est, Verbi Divini seminator) *in confinio Normanniæ & minoris Britanniæ ædificavit Monasterium istud, quod dicitur Saviniacum. Hic beatus vir modernas institutiones in aliquibus Cisterciensibus similes Monachis suis imposuit, virtutibus & miraculis claruit*, &c. *Rexit Abbatiam annis X, & anno domini MCXXII gloriosè migravit ad dominum*, & quidem *XVI Kalend. Octob.* ut in eodem Chronico legitur. Denique Baluzius Tom. IV Miscell. pag. 556. refert elogium B. Abbatis in quo dicitur, *Canonicus primò, post eremita bonus. Cœnobium Savineii construxit*, nempe in diœcesi Abrincatensi.

XXVI. *Adelais dimissa à Balduino Rege Hierosol.*

Ad num. XV. *Balduinus* Hierosolymorum Rex, qui vivente adhuc uxore *Adelaidem* Rogerii hujus nominis primi Comitis Siciliæ viduam superinduxerat, eam hoc anno dimisit, quæ *septem cum navibus in comitatu suo Siciliam transfretavit*, inquit Fulcherius lib. 2. Hist. Hierosol.

XXVII. *Moritur Nicolaus III Patriarcha Constantinop.*

Ad num. XVI *Nicolaus Grammaticus* Patriarcha Constantinop. anno millesimo centesimo undecimo è vita migravit, cùm, uti suo loco monstravimus, Patriarchale solium anno MLXXXIV ante mensem Septembrem conscenderit, & Zonaras in Alexio Imp. scribat: *Patriarcha Nicolaus, Ecclesiâ per annos viginti septem gubernatâ, senex admodum decessit: cujus funus Imperator magnificis honoribus prosecutus, alium in Patriarchico solio collocavit, ex fratre nepotem ejus, qui tum Chalcedonensi præerat Ecclesiæ, in literis tum profanis, tum sacris ab ineunte versatum ætate, quem ipse Imperator in Ecclesia declaravit.* In lib. IV Juris Græco-Romani, ubi refertur *Series Episcoporum Byzantii*, Nicolai successor appellatur *Joannes Hieromnemon*, cognomento *Chalcedonius*. Extant in Bibliotheca Regia Cod. 912. Monachorum quorumdam extra civitatem Acummiorum Quæstiones, & ad eas responsa Synodi coactæ sub Nicolao Patriarcha & Alexio Imp. Ejusdem Operis aliud exemplar MS asservatur in Bibliotheca Cæsarea, ut monet Lambecius Tom. II Biblioth. Cæs. Porrò iste Nicolaus tertius hujus nominis fuit. *Nicolaus* verò *Muzalo*, quem cum eo confundit Baronius, quartus hujus nominis appellandus, & de eo infrà sermo erit. Huc trahenda quæ anno sequenti Baronius de damnatione *Bogomilorum* sedente Nicolao Patriarcha facta, literis mandavit.

XXVIII. *Obitus Magistri Anselmi Laudunensis.*

Hoc anno è vivis excessit *Magister Anselmus*, Laudunensis Decanus, qui Lutetiæ & Lauduni per quadraginta & amplius annos Theologiam publicè professus est. Dacherius enim, qui Guiberti Abbatis B. Mariæ de Novigento Opera publicavit, catalogum Decanorum Laudunensium ex tabulariis eruit; & iisdem Operibus annexuit, hoc anno mortem ejus consignat. Habuit discipulos celeberrimos & Magistros insignes, Willelmum de Campellis postea Catalaunensem Episcopum, Petrum Abaëlardum, Gaufridum Britonem dein Rotomagensem Archipræsulem, aliosque. Hugo Metellus Canonicus Regularis Ordinis S. Augustini in Abbatia sancti Leonis Tullensis, qui hoc ipso

SÆC. XII. An. C. 1117. tempore floruit, scripsitque *Epistolas plures ad viros sui temporis scientiâ vel dignitate illustres*, nondum publici juris factas, in Epistola IV ad Innocentium, de eo ait; *Mortuo Anselmo Laudunensi & Guillelmo Catalaunensi, ignis verbi Dei in terra defecit*, indeque Joannes Canonicus S. Victoris Parisiensis in Chronico MS. de eo, inquit, dixisse fertur Eugenius III *Deum spiritum ejus suscitasse, ne Scriptura periret*. Glossam interlinearem, aliaque reliquit ingenii sui monumenta, quorum pleraque adhuc inedita, quæ Natalis Alexander Sec. XI & XII part. I cap. VI art. III enumerat. Porrò Anselmum hoc anno obiisse præter Pseudo-Robertum de Monte tradit Auctor Synchronus, cujus verba Marlotus in Metrop. Remensi lib. 2. cap. 33. refert, & *Anselmum* plurimùm laudat. Dacherius in Notis ad Guibertum de Novigento pag. 642. elogium Anselmi, & annum ejus emortualem descripsit ex Chronico Canonici Laudunensis coævi hactenus inedito, & Nangius in Chron. eumdem annum pariter signat.

Anno Eræ Hispan. MCLVI. Anno Hegiræ DXII inchoato die 24. April. f.r. 4.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6611

☉ 7. F. ☽ 17. P. 14. April. Indict. 11.

JESU CHRISTI 1118.

GELASII II PAPÆ I.

HENRICI V REG. 13. IMP. 8.

JOANNIS COMNENI IMP. 1.

I. Moritur Paschalis II PP.

AD num. I & seq. Paschalis II, uti refert Pandulfus Pisanus in ejus Vita apud Baronium, qui eum Petrum Bibliothecarium perperam credit, cùm morbo affectus esset, *venit in praeneste, & B. Agapiti Ecclesiam ibidem dedicavit. Nativitatis domini vigilias Romæ* celebravit. Tandem *carnis debitum solvit XV Kalendas Februarii*; sed dies ille procul dubio corruptus, uti ex ipso Pandulpho eruitur, qui subdit, post Paschalis II obitum Episcopatum cessasse *diebus tribus*, quemadmodum videre est apud Baronium num. II & apud Papebrocium in Conatu Chronico-Hist. in Paschali II. Fieri enim non potest, ut Paschalis XV Kalendas Februarii, seu die XVIII mensis Januarii è vivis excesserit, & die XX vel XXI ejusdem mensis *Gelasius II* ejus successor electus fuerit; cùm hujus mors contigerit anno sequenti die XXIX mensis Januarii, postquam sedisset annum unum & dies quatuor vel quinque, ut ibidem videbimus; alioquin Sedes vacasset, non dies III, sed dies VII. Loco itaque, *XV Kalend. Februarii*, legendum, *XII Kalend. Februarii*, quo die Paschalem II vita functum esse rectè scripsêre Petrus Diaconus lib. 4. cap. 66. & Chronographus Malleacensis. Hanc nostram emendationem certam reddit ipsemet Pandulphus, qui narrata ejus morte ait: *In sede propria, in Patriarchio, in dextro latere templi, in mausoleo purissimi marmoris mirifico opere sculpto XI Kalendas Februarii collocatus*; indicat enim Paschalem II die præcedenti, nempe XII Kalend. Februarii, è vivis abiisse, sequentique die terræ mandatum esse. Hinc Falco, qui annum à die prima mensis Martii incipit, diem sepulturæ cum die mortis, ut sæpe fit, confundens, scribit: *Hoc anno MCXVII Paschalis Papa obiit XI Kal. Februarii, & Gelasius Papa eligitur.* Dies mortis Paschalis II etiam corruptè descriptus apud Simeonem Dunelmensem in Hist. de Gest. Reg. Angl. Hovedenum pag. 474. & Bromptonum pag. 1007. ubi traditur, Paschalem *XIV Kal. Februarii* demortuum, sicuti & in Chron. Walteri Hemingford Tom. II Collect. Oxoniensis. SÆC. XII. An. C. 1118.

II. Duratio sedis ejus & interpontificia.

Cùm itaque *Paschalis II* die XIV mensis Augusti anni MXCIX Pontifex Rom. ordinatus fuerit, Ecclesiam Romanam rexit annos XVIII, menses V, dies VII, si dies emortualis excludatur, ut habent Auctor Magni Chronici Belgici ex Bernardo Guidonis, Joannes Ceccanus in Chronici Fossæ Novæ apud Ughellum Tom. I Italiæ Sacræ, Martinus Polonus in Chron. Wernerus in Fasciculo Temporum, & duo ex nostris Catalogis, vel dies VIII si dies emortualis includatur, ut in uno ex iisdem Catalogis dicitur. Verùm quidem est, Baronium num. II referre locum Pandulphi hoc modo: *In mausoleo purissimi marmoris thalapsico opere sculpto, undecimo Kalendas Februarii collocatus est; cùm sedisset annos XVIII, menses V, dies IV*, sed locus ille tam à librario, quàm ab interpolatore corruptus; loco enim, *thalapsico*, legendum, *mirifico*, & rejicienda hæc verba, *cùm sedisset*, &c. quæ in aliis Pandulphi Exemplaribus non extant, & veritati contraria sunt. Ex quibus consequens est, Papebrocium citatum perperam scripsisse *Paschalem II* è vivis excessisse XVIII die Januarii, sedisse annos XVIII, menses V, dies V, & Sedem post ejus mortem vacasse dies XII; rectè verò Onuphrium in Chron. Eccles. qui Vitam Paschalis II à Pandulpho scriptam viderat, uti anno MC indicavimus, literis mandasse Paschalem II *duodecimo Kalend. Februarii* animam Deo reddidisse, cessasse Sedem dies III, & Gelasium II ejus successorem electum fuisse octavo Kalendas Februarii. Hunc enim electum esse die XXV mensis Januarii, non verò XXXI ejusdem mensis, ut arbitratur Papebrocius, ex dicendis in morte ejus apparebit. Non hinc discedam, quin monuero, Chronographum Sancti Petri Vivi apud Dacherium Tom. II Spicilegii, qui die non memorato ait, *Paschalem II* obiisse anno MCXVII, annum à Paschate inchoare, quod apertè liquet ex donatione quadam ab eo anno MCXIII summariè recitata, in cujus calce dicitur: *Factum est hoc in fine istius anni de quo agitur, VII scilicet Idus Martii*; eo enim anno, qui nobis est MCXIV, Pascha die XXIX Martii celebratum, & ab eo tantum Chronographus ille annum MCXIV exorsus est.

III. Ejus sepultura.

Joannes Diaconus junior Basilicæ Salvatoris Patriarchii Lateranensis Canonicus in libello suo de Ecclesia Lateranensi, à Mabillonio Tom. II Musei Italici vulgato, refert retrò sub absida esse sepulturas Apostolicorum, inter quos istos numerat: *Ibi prope jacet Leo Papa V & Agapitus Papa II juxta sepulchrum ejus. Inde per directum ad dexteram jacet Paschalis Papa II qui salubri providentia ac studio renovavit Ordinem Canonicum in ista Ecclesia: juxta quem jacet Callistus Papa II*, &c. *Secus ipsum requiescit Honorius Papa II, ac deinde penes istum Cælestinus Papa II.* Joannes autem Diaconus junior libellum suum Alexandro Papæ III dicavit; licet enim quotus hujus nominis Alexander ille fuerit, non memoret, evidenter tamen se

de

de eo loqui pag. 570. insinuat, quando ait, in una absida esse *altare sanctarum virginum Rufinæ & Secundæ, sub quo recondita sunt pretiosa earundem corpora, quæ inventa sunt ab Anastasio Papa IV felicis memoriæ, antequam Apostolica dignitate sublimaretur, & post ipsarum inventionem fabricato altari ad honorem earumdem propriis manibus consecravit ipsum altare adstantibus nobis omnibus, & præsentibus Canonicis Basilicæ Salvatoris*, &c. Fatetur tamen Joannes Diaconus in præfata Epistola dedicatoria Libellum illum antiquum esse, seque tantum addidisse, quæ vel propriis oculis vidit, vel ab antecessoribus veridica relatione cognovit. Sed post Joannem Diaconum libellus ille rursus interpolatus, cùm in eo pag. 570. paulò scilicet antequam de Anastasio IV verba faciat, referat Decretum consecrationis cujusdam altaris *de mandato domini Bonifacii Papæ VIII* factæ, imò & in eodem libello pag. 569. sermo sit de sepultura ipsius Alexandri III, & aliquot Successorum ejus.

IV. *Gelasius II eligitur Pontifex Rom.* A num. III ad XVII. Paschali II successit *Gelasius* hujus nominis II, Campanus, patriâ Caietanus, antea Joannes Caietanus, S. R. E. Archidiaconus, cujus Vitam scripsit Pandulphus Pisanus familiaris ejus, quam Papebrocius laudatus ex MS. Antverpiano integram exhibet, & Pandulfum perperam *Aletrinum* vocat. Eam Constantinus Abbas jam anno MDCXXXVIII Romæ cum prolixis Commentariis ediderat. Baronius complura ex eadem hîc recitat; sed cùm Falco hujus temporis Scriptor de Gelasii II electione etiam sermonem habeat, nobis ejus verba ad Annalium Eccles. Illustrationem referenda: *Factum est*, inquit Falco, *cùm præfatus Pontifex Gelasius ad Pontificale solium ferè totius populi Romani unanimi voto & concordia eligeretur, Archiepiscopis, Episcopis & Abbatibus, circa Romanam Sedem morantibus, missos Apuliæ quoque partibus delegavit, ut ad ejus consecrationis diem convenirent. Erat quippe, ut retulimus, cùm electus fuit, Diaconus & Cancellarius, qui quidem nonnisi in canonico jejunii tempore constituto consecrari poterat* (quia Presbyteratus in quatuor temporibus conferebatur, & nullus tunc Romæ aut Papa, aut Episcopus aut Presbyter, unica ordinatione, ut aliàs factum fuerat, sacrabatur). *Legatione itaque accepta Episcopus Trajanæ, Archiepiscopus Sipontinæ civitatis, & alii complures ad ipsius consecrationis solemnitatem properaverunt; sed priusquam memoratus electus Gelasius consecrationis acciperet dignitatem, Rex præfatus Henricus, instructis insidiis, noctis silentio Romam ingreditur, mensis Martii secundo die ingrediente. Apostolicus itaque Regis ipsius sic latenter deprehendens, reminiscens qualiter Rex ipse dominum Papam Paschalem ejus prædecessorem, & Cardinales fraude & dolo cepisset, absque mora Cardinalibus convocatis fluvium Tiberis ingressus est. Deinde prosperis ventis more sulcantes pervenerunt Calenum*; sed cùm Calenum neque portum habeat, neque in mari positum sit, legendum. *Cajetam*, quò juxta Pandulphi citati testimonium Gelasius appulit, & aliquo tempore moratus est.

V. *Adveniente Henrico Imp. Româ fugit.* *Rex autem Apostolici egressum cognoscens, ei apud Calenum* (Caietam) *delegavit, quatenus Urbem reverteretur, quoniam ad ejus consecrationem libentissimè interesse & corroborare desideraret. Pontifex autem Gelasius nequitiam ejus & perfidiam telum longè latèque cognoscens, Miramur, inquit, super talis tantique viri Legationibus, cùm ad nos venturum se die Resurrectionis* (Paschatis) *nuper transmiserit. Nunc verò nocturno tempore, & ante condictum tempus comperimus eum advenisse. Ego verò Deo annuente, consecrationis accipiam firmitatem*, &c. *Deinde electus ille Gelasius die constituto* (die sc. quatuor temporum Martii, uti suprà) *à Cardinalibus, qui cum eo exierant, canonicè & ordinatè consecratus est apud Calenum* (lege Caietam) *mense Martio superiùs nominato.*

VI. *Ordinatur Pontifex Rom.* Baronius quidem num. XI. ex Pandulpho citato ait: *In Papam Gelasium infra Kal. Martii consecratus*, quod & exemplar, quo usus est Papebrocius, etiam habet, eamdemque lectionem alii passim sequuntur. Verùm textus Pandulphi eo in loco corruptus, sicuti & in exemplari Constantini Caietani, quod habet *infra Octavas Martii*, legendum enim *infra Octavas Idus Martii* seu *Octonas Idus*, ut loquitur Horatius serm. I. Satyr. VI, indeque intelligimus, postridie, seu die nona mensis Martii *Gelasium* Presbyterum ordinatum, dieque decima, quæ Dominicalis fuit, Pontificem consecratum. Inter Episcopos qui Gelasii inaugurationi adfuêre, Pandulphus Risonem Barensem Archiepiscopum numerat, & tamen in Chronico Falconis ad annum MCXVII scriptum reperitur: *Hoc anno Riso Barensis Archiepiscopus ab Argiro cive Barensi trucidatus est in via Canusina.* Verùm Falconis Chronicon eo Christi anno partim mutilatum, partim depravatum, ut observat Peregrinius in Castigat pag. 163.

VII. *Burdinus fit Antipapa.* Pergit Falco: *Pontificis ipsius responsum audiens* (nempe Henricus Imp.) *pestifero invento consilio Archiepiscopum quemdam Hispanum* (nempe Burdinum Archiep. Bracatensem) *in Pontificem, &, ut ita dicam, invasorem Ecclesiæ constituit, & consecravit.* Quod pluribus Romanis displicuit: *Romanorum igitur complures, quorum mens erga Ecclesiæ fidelitatem fixa manebat, visa ejusmodi hæresi & cognita, aiebant; Heu, heu miseri cùm nos ex longo nostrorum patrum vetusto ritu, sine alicujus Regis adventu & licentia, pastorem eligebamus, consecrabamus quem volebamus. Nunc autem sine Regis permissu jam amplius alium neque eligere, neque consecrare ausi erimus.* Quare plures è nobilitate *Gelasio canonicè ordinato apud Calenum* (legendum Caietam) *legaverunt, dicentes; Vestra noscat Paternitas, Pater & Domine, nos & nostros amicos consecrationi illius excommunicati viri in Pontificem scelestum constituti, nullatenus consilio & auxilio manus dedisse.* Hoc in loco Falconis Chronicon valde mutilatum & corruptum; jam enim narrarat Gelasium II Paschatis tempore Caietam venisse, inde Romam, & Româ Pisas.

VIII. *Henricum coronat Imperatorem.* *Burdinus*, seu *Gregorius* VIII Antipapa postridie Kalendas Junias, ipso Pentecostes die *Henricum* Imperatorem ut Papa coronavit, quem jam anno præcedenti ut Legatus Paschalis II coronaverat. Hoc enim docet Petrus Diaconus in Chron. Casinensi lib. 4. cap. 64. *Imperator interea cum oppidanis* (nempe Turriculæ) *fœdus iniens, Romam redit, ibique diebus Pentecostes ab eodem Hæresiarcha coronatus Liguriam redit.* Gelasius verò II, postquam Henricus Româ digressus est, in eam urbem clàm venit: *Magis peregrini quàm domini*, inquit Pandulphus, *Romam, sicut Deus novit, intravimus. Latuit*

dominus Papa, melius quàm hospitatus est in Ecclesiola quadam, quæ Sancta Maria in Secundo-Cerreo dicitur. Narrat postea Paodulphus Gelasium II, cùm nimis facile ad festum Sanctæ Praxedis, quod Romæ die XXI mensis Julii celebratur, se se exposuisset, denuò invasum ab Henricianis, acriterque utrimque pugnatum esse; Henricianos deinde ab Urbe recessisse, & Gelasium II illuc rediisse. Et quia Ravennates eorumque Archiepiscopus *Gualterius* ejus partes perpetuò secuti sunt, antequam Româ discederet, eorum voluntatem prolixè laodavit, & restituit Archiepiscopo eos Episcopatus, quos Paschalis II Ravennati Ecclesiæ in Syodo ad Guastallum anno MCVI coacta ademerat. Gelasii Diploma refert Rubeus lib. 5. Hist. Ravenn. in cujus fine legitur: *dat. Romæ per manum Chrysogoni S.R.E. Diaconi Cardinalis VII Id. Augusti indict. XI* (ideoque hoc Christi anno) *anno Dominicæ Incarnat. MCXIX, Pontificatûs autem domni Gelasii secundi Papæ anno primo.* Refertur etiam illud Rescriptum Tom. X Concil. pag. 818. sed ea subscriptio ibidem corrupta; loco enim *VII Id. Augusti, indict. XI*, ibi habetur, *Kalendis Septembris, indict. XII*; Rubeus enim, qui autographum viderat, hac de re nos dubitare non patitur. Præterea annus ille Incarnationis Pisanus est, non verò communis.

IX.
Gelasius II Ecclesiæ Ravenn. pristina jura restituit.

In Concilio Guastallensi statutum fuerat, *ut Æmilia tota cum suis urbibus, idest, Placentia, Parma, Regio, Mutina, Bononia, nunquam ulterius Ravennatensi Metropoli subjaceret. Hæc enim Metropolis per annos jam penè centum adversus Sedem Apostolicam erexerat se, nec solùm ejus prædia usurpavit, sed ipsam aliquando Romanam invasit Ecclesiam Guibertus ejusdem Metropolis incubator*, inquit Cencius Camerarius apud Baronium anno MCVI num. XXXII. *Sed cùm tandem*, inquit Gelasius II in laudato Rescripto, *Divinæ Majestati placitum fuit, eamdem Ravennatensium Ecclesiam misericordia sua gratiâ ad unitatem & obedientiam matris suæ Romanæ Ecclesiæ revocavit.* Quare Gelasius Gualtero Ravennatensi Archiepiscopo, & per eum Raveooatium Ecclesiæ *dignitatem omnem, quam ante illius divisionis tempora per Romanam Ecclesiam possederat*, restituit, & Gualtero pallium concessit. Baronius in Appendice ad hunc annum Epistolam Gelasii II *Gualtero* Ravennatium Archiepiscopo datam recitat, sed depravato exemplari usus scribit, eam datam *Kalend. Septemb. indict. XII*, additque indictiooem illam XII, sicuti & annum Incarnat. MCXIX cum mense Septembri in ea Epistola inchoati. Verùm certum, illum Christi annum Pisanum esse, & Gelasium II Eram illam, noo à die XXV mensis Martii, ut Pisaoi, sed à die Paschatis exorsum esse, uti mox monstrabo. Tum relictâ Româ Pontifex *Pisas* venit, ubi diu moratus est, & Ecclesiam Metropolitanam dedicavit.

X.
Pisanam Ecclesiam metropolim facit.

Hoc anno, inquit Falco, *prædictus Papa Gelasius Gallias ivit secundo die mensis Septemb. intrante, & Pisas applicuit*, (hoc io loco est hiatus). *Cumque sicut relatum est, Pontifex Gelasius apud civitatem Pisanam ivisset, & Archiepiscopum civitatis consecrasset.* Hoc in Chrooico Falconis hodie non legitur, & hæc verba, *Archiepiscopum civitatis consecrasset*, mutilata & corrupta. *Petrus* enim II Archiepiscopus Pisanus, qui hoc tempore vivebat, jam ab anno MCIII, ut legitur apud Ughellum Tom. 3. col. 427. consecratus fuerat, *Daiberto* ejus decessore Patriarcha Hierosolymitano constituto, qui juxta Fulcherium in Hist. Hierosolymorum lib. 2. anno MCIV Romam venit, ut de Hierosolymorum Rege apud Paschalem II quereretur, & rediens Hierosolymam obiit die XVI mensis Maii anno Pisano MCVI, aut anno communi MCV secundùm antiquum Chronicon Pisanum, apud Ughellum Tom. 3. col. 426. ideoque Petrus à Gelasio sacratus non fuit. Legendum itaque, *Archiepiscopatum & Ecclesiam civitatis consecrasset.* Daibertus totius insulæ Corsicæ ab Urbano II Archiepiscopus constitutus fuerat juxta Rescriptum ab Ughello col. 429. relatum, emissumque *Anagniæ X. Kal. Maii, indict. XV, anno Dom. Incarnat. MXCII Pontificatûs verò D. Urbani Papæ II, anno V*; Daibertus tamen, nec Petrus ejus Successor eo jure usi ante hunc annum, quo Gelasius Pisas adventavit. Tunc enim juxta antiquum Ecclesiæ Pisanæ Codicem MS. col. 434. apud Ughellum citatum, *Gelasius novam Pisanorum Ecclesiam in honore gloriosissimæ semperque triumphatricis Virginis Mariæ consecravit.... Romanus igitur Pontifex inter Missarum solemnia ipsius dedicationis die ipsam Sanctam Pisanam Ecclesiam tam Privilegio, quàm ore proprio coram innumerabilibus turbis Tusciæ in Metropolitanam confirmavit sublimitatem.*

XI.
Corsica Metropoli Pisanæ subjicitur.

Auctor Anonymus de Gestis Pisanorum apud Ughellum col. 433. ait: *post decessum* (seu abitiooem ac discessum) *venerabilis Papæ Gelasii Petrus Pisanorum Archiepiscopus cum Petro Cardinali Ecclesiæ Romanæ Legato, & cum Ecclesiæ Pisanæ Canonicis, atque cum Ildebrando Judice, & Pisanorum tunc Consule, aliisque Pisanis civibus in Corsicam ivit, ubique honorificè receptus in conspectu Cleri & populi Marsicani Maranensem Electum & ipsius Ecclesiam consecravit, aliorum Corsicæ Pontificum obedientiam & fidelitatem recepit anno Incarnat. Dom. MCXIX* (more Pisano, & nobis anno MCXVIII). *Post eorum igitur honorabilem reditum velox fama Tusciam & Longobardiam continuò replevit, resonans Ecclesiam Pisanam Metropolitanam dignitatem assecutam in Corsicam ivisse.* Quod Genueosium animos valde exasperavit, inquit idem Anonymus. Alius aotiquus Scriptor Pisanus apud Ughellum col. 434. de dedicatione Ecclesiæ Pisanæ & Metropolico jure eidem à Gelasio II concesso idem refert: *Pisas venit, & consecravit majorem Ecclesiam Pisanorum, & concessit Archiepiscopatum civitati Pisanæ, & dedit, quia usque tunc tantum Episcopus erat*, quia sc. Urbani II Rescriptum executioni mandatum non fuerat. Ea dedicatio secundùm veterem Codicem MS. jam laudatum peracta anno Pisano MCXIX, communi verò MCXVIII, *indict. XII, Kalend. Octob.* qui dies hoc anno in feriam tertiam cadebat.

XII.
Gelasius II Genuam venit.

Pisis Gelasius II *Genuam* profectus est, ubi Sancti Laurentii Ecclesiam dedicavit juxta antiquam tabulam in ejusdem Cathedralis sacrario servatam, ut notat Caietanus Abbas in Commentario ad Pandulphum pag. 144. ubi hanc inscriptionem refert: *Sexto Idus Octobris, anno Dominicæ Incarnat. MCXVIII, indict. XII, dedicatio Ecclesiæ beatissimi Laurentii, atque Sanctissimi Syri Jannensis Episcopi: quæ consecrata fuit à domino Gelasio primo anno Episcopatus sui, compluribus*

compluribus Episcopis, cum Ottone videlicet Januensi, &c. Refert ibidem Caietanus Gelasii Rescriptum in quo legitur: *Anno Dom. Incarnat. MCXIX indict. XII* (ubi annus Incarnat. MCXIX Pisanis est) *sexto Idus Octobris D. Gelasius Papa II altare hoc & oratorium consecravit, Pontificatûs sui anno primo.* Quare cùm hæc dedicatio feriâ quintâ, Pisana vero feriâ tertiâ facta fuerit, diei Dominicæ ratio non habita. Inde Gelasius II *post omnium sententias* Imperatoris persecutionem fugiens in Galliam venit, uti narrat Pandulphus laudatus. Sed, antequam de profectione Gallica Gelasii II loquamur, monendus Lector annum Incarnationis Pisanum à Curia Romana aliquando usurpatum, à Paschate, quod Kalendas Januarii novem mensibus præcedit à Gelasio II inchoatum, indictionem verò Kalendis Septembris, qui eumdem mensem Januarium, à quo annum Dionysianum incipimus, antevertit, licet Pisis non à Paschate, sed à die XXV Martii inciperetur. Vide hujus probationem post duos numeros sequentes.

XIII. *Intrusionem Burdini Gallia Episcopis significat.* *Gelasio* II die XXV mensis Januarii Romæ in Pontificem electo *Henricus Imp.* qui jam à multis annis Ecclesiam Romanam vexabat, *Burdinum* Bragarum Archiepiscopum in Ecclesiam intrusit, hicque *suis à fautoribus Gregorius VIII vocitatus est*, inquit Ordericus lib. 12. Gelasius, qui *Caieta* tunc versabatur, ut primùm eam electionem & ordinationem audivit, literas dedit ad Galliarum Archiepiscopos, ceterosque per Galliam fideles constitutos, à Baronio num. X recitatas ex Malmesburiensi lib. 5. de Reg. Angl. in quibus ait, Henricum, *die* post electionem suam *quadragesimo quarto*, Bracarensem Episcopum in matris Ecclesiæ invasionem injecisse, subditque: *In hoc tanto facinore nullum de Romano Clero, Deo gratias, Imperator socium habuit, sed Guibertinos solos.* Ita habet editio, quæ estat apud Eadmerum lib. 5. Novorum & Simeonem Dunelmensem in Hist. de Gest. Reg. Angl. ut rectè observat. Baluzius lib. 3. Miscell. in Vita Mauritii Burdini Archiep. Bracarensis; lectio enim Malmesburiensis & Hovedeni, quam sequitur Baronius, & quæ habet, *nullum de Romanis dominus Imperator, Deo gratias, socium habuit*, manifestè mendosa; cùm certum sit multos nobiles Romanos, & in his Frangipanem in partes Henrici transgressos esse, & à Gelasio II secessisse. Vidit difficultatem Baronius, atque *Gelasium* per *Romanos* Catholicos, & per *Guibertinos* intelligere schismaticos. Sed cùm tam Gelasiani, quàm Gregoriani ejusdem urbis Romanæ cives fuerint, licet partibus ac studiis diversi, eam interpretationem Baluzius jure merito rejecit. Cùm ergo *Gelasius* II die XXV mensis Januarii Pontifex dictus fuerit, perniciosum hoc Schisma die nona aut decima mensis Martii inceptum, corruptaque hæc earumdem literarum Gelasii II ad Gallos subscriptio: *Datum Caietæ XVII Kalendas Februarii*; eo enim die nondum Paschalis II è vivis abierat, & schisma, cujus in iis mentio, nonnisi mense Martio inchoatum. Legendum itaque, *datum XVII Kalend. Aprilis*, seu die XVI mensis Martii. Librarii mensem unum in alium, & Kalendas in Idus, dum minus attendunt, quandoque mutant, ut variis exemplis liquet, & observare operæ pretium est.

XIV. *In Galliam venit.* Sed redeo ad profectionem Gelasii II in Galliam. Pandulphus in ejus Vita prodit, cum *portum Sancti Ægidii* attigisse, & in vicinis varias Ecclesias dedicasse, ut videre est apud Baronium num. XVI. Sed fanum Sancti Ægidii in Occitania provincia positum una leuca à Rhodano fluvio distat, ideoque Gelasius ad Rhodanum appulit. *VII Idus Novemb. apud Sanctum Ægidium* erat, ut liquet ex Rescripto ibidem ab eo dato, & à Baronio in Appendice ad hunc annum recitato, *in Addendis sc. & Corrigendis.* Inde *Magalonam*, civitatem nunc extinctam, cui Mons Pessulanus successit, venit, ubi Sugerius à Ludovico VI Francorum Rege missus eum convenit, ut ipsemet Sugerius narrat in Vita ejusdem Regis, qui addit, Pontificem, cùm *Rex ei occurrere maturaret*, mortuum esse videlicet sub finem mensis Januarii sequentis Christi anni, ut ibi narrabimus. Falco verò de accessu Gelasii II in Franciam loquens, ait: *Continuò Archiepiscopi omnes, & Episcopi, Proceresque alii gaudio cum ineffabili & honore immenso eum susceperunt. Taliter igitur Gelasius accessus cum prædicto Anglorum Rege confabulatus est.* Peregrinius in Castigat. pag. 165. notat in Codice Falconis ibi lacunam esse, ac Henricum Angliæ Regem, sicut Galliarum Regem, cum Gelasio per Legatos colloquium habuisse. Ordericus lib. 12. pag. 846. refert, *indictione XI Nonis Octobris* Concilium congregatum esse Rotomagi, cui interfuerunt varii Episcopi & Abbates ibidem designari, subditque: *Ibi tunc Conradus Romanus Clericus, Gelasii Papæ Legatus eloquentissimo sermone, utpote laicali* (legendum latiali) *fonte à pueritia inebriatus, querimoniam fecit de Karolo Imperatore* (Henricus enim Karolus Henricus nuncupabatur), *Paschalis Papæ bonorum, & adificiorum pravo destructore, & Catholicorum diro persecutore. Addidit etiam planctum de Burdino pseudo-Papa Apostolicæ Sedis invasore, & de multimoda in Tuscia partibus Ecclesiæ tribulatione. Retulit etiam Gelasii Papæ, qui jam cis Alpes venerat, insurgentibus procellis exilium, & à Normannica Ecclesia subsidium petiit orationum, magisque pecuniarum.* Denique Pandulphus scribit, Papam per *Podium* in Franciam properasse, & Cluniacense monasterium adiisse, ubi anno sequenti mortuus est. Sed cum ex jam dictis constet, *Gelasium* II mensis Octobris initio Pisis & Genuæ fuisse, Concilium Rotomagense, in quo adventus ejus in Franciam nunciatus, *Nonis Octobris* celebrari non potuit, ideoque legendum, *Nonis Novembris*, hincque apparet, verum esse quod mox dixi, Librarios nempe unum mensem in alium quandoque mutasse, & Ordericum indictionem à Januario incipere.

Gelasius II literis ad Pontium Abbatem Cluniacensem datis *Capuæ II Idus Aprilis, per manum Grysogoni S. R. E. Cardinalis anno Dom. Incarnat. MCXVIII indict. XI*, hoc scilicet anno ante Pascha, quo Romani Pisanum annum Incarnat. MCXIX auspicaturi erant, ei & Successoribus ejus confirmavit quidquid Sanctus Hugo Abbas Cluniacensis, quietè ac sine lite possidebat. Tum aliud ei in monasterii Cluniacensis favorem Privilegium largitus est, in cujus fine legitur: *datum Avenione per manum Chrysogoni S. R. E. Diaconi Cardinalis, XVIII Kal. Januar. indict. XII Dom. Incarnat. ann. MCXIX* (computo Pisanorum) *Pontificatûs autem domini Gelasii II Papæ, anno I.* Huc etiam revocandum XV. *Variis in urbibus Galliæ fuit.*

dum quod Hugo Monachus Cluniacensis scribit ad Pontium Abbatem Cluniacensem, & habetur in Biblioth. Cluniac. pag. 463. *Hic* (nempe Gelasius Papa) *Henrico IV Romanorum Imperatore contra Ecclesiam sæviente, declinans ad mare descendit, navigio Gallias expetivit, tibique primùm Cursore à Pisis emisso, suum prænunciari fecit adventum ..... Huic apud Sanctum Ægidium occurristi, huic & multo comitatu suo equitaturos, & alia quàm maxima elegantissimè ministrasti. Hunc pro maris molestia infirmatum in tuo solo nativitatis, quod pater tuus Petrus potens & nobilis Comes Merguliensis juri Apostolorum Petri & Pauli contradidit; & inde accepit, tu Papam officiosissime confovisti. Qui denuo convalescens, & Cluniacum suum pervenire desiderans, Lugdunum Galliæ pertransit, Matisconam descendit, ubi gravissima ægritudine confectus, se Cluniacum perferri instantissimè præcepit.* Erat Mergurium oppidum maritimum Occitaniæ propè Magalonam & Montem Pessulanum situm, quod hodie Gallicè *Mangnio* appellatur, pertinetque ad Episcopum Montis Pessulani.

XVI. *Cæsaraugusta ab Alphonso Aragoniæ Rege obsidetur.*

Ad num. XVIII & seq. *Alphonsus* Rex Aragoniæ arma, consiliaque omnia ad Mauros debellandos convertit, & *Cæsaraugustam* urbem Hispaniæ Tarraconensis ad Iberum fluvium positam, ex qua identidem in vicinos Christianorum agros excursiones faciebant, obsidione cinxit, quæ adhuc durabat die decima mensis Decembris, ut demonstrat Epistola Gelasii II ad exercitum Christianorum civitatem Cæsaraugustanam obsidentem, *data Alesti*, (non longè à fano Sancti Ægidii) *quarto Idus Decembris*, & à Baronio relata. Eâ Pontifex omnibus ad eum aliquid conferentibus indulgentiam largitur, significatque se *Petrum*, quem consecravit Episcopum Cæsaraugustanum, ad eos remittere. Quare cùm *Gelasius* mense Januario currentis anni Pontifex Romanus creatus fuerit, eodemque mense anno sequenti obierit, valde mirum Blancam, qui eam Epistolam legerat, in Comment. Rerum Aragonensium, *Cæsaraugustæ* expugnationem cum anno MCXV copulasse, biennio nempe antequam *Gelasius* ad summum Pontificatum evectus esset. Baronius ait, Blancam opinionem suam documentis publicis probasse, eique adhæret; verum Blancæ, Baronioque adversantur Surita lib. 1. Annal. cap. 44. Garibayus Tom. 3. Compendii Historialis lib. 23. cap. 7. & Sandovalius in Alphonso VII, qui non minus quàm Blanca monumenta Ecclesiæ Cæsaraugustanæ perlegerant, quique testantur celeberrimam illam Hispanorum de Saracenis victoriam die decima octava mensis Decembris cum feria quarta tunc concurrente, qua festum Expectationis Beatissimæ Virginis in variis Ecclesiis Hispaniæ celebratur, reportatam fuisse.

XVII. *Expugnatur.*

His suffragatur Chronographus Malleacensis hujus temporis Auctor, qui ad præsentem Christi annum ait: *Tertio Idus Junii subactum est castrum juxta Cæsaraugustam. Octavo Idus Decembris fuit bellum in Hispania inter Ildefonsum & Reges plures & Ancoetas, & contra innumerabiles Moabitas. Rex Marroch fuit unus: Rex Granada unus: Rex Tamit frater alii* (legendum videtur, Ali Marochii Regis) *qui fugit, & omnes alii victi, & capti, & occisi sunt in bello. Tertio Idus Decembris* (qui in feriam quartam incidebat, *subacta est Cæsaraugusta, & post eam reddiderunt se aliæ civitates octo, Tudela, Vamerra, Antais, Aragun, Terraçona, Sarranuna, & plurima castella.* Chronographus urbium captarum nomina corrupit, & Librarius duas ex illis omisit, sed de his legendi Historici citati, qui disertè hæc narrant, asseruntque *Tamit* Regem initio mensis Decembris frustrà tentasse annonam in urbem Cæsaraugustanam inferre. Citatis Historicis adde Auctorem Anonymum Chronici Massiliensis Tom. I Biblioth. Labbei, qui ad annum MCXVIII habet; *Cæsaraugusta capta est à Rege Aragonensi.*

XVIII. *Urbis captæ annus & dies.*

Difficultas tantum potest esse de die, cùm de anno, mense, ac feria quarta inter omnes conveniat; dies enim III Idus Decemb. seu dies XI ejusdem mensis in feriam quartam cadebat, uti jam dixi; cùm tamen Chronographus Malleacensis in Aquitania vixerit, domesticis testibus major hac in re fides habenda videtur. Expugnata *Cæsaraugusta*, Alphonsus se se Cæsaraugustæ Regem dixit, in ea Imperii sui Sedem fixit, & *Gastonem* Vicecomitem Bearnensem, quòd expugnationis urbis auctor fuisset, *Cæsaraugustæ* Dominum sub certis conditionibus constituit, ut ostendit Marca lib. 5. Hist. Bearn. cap. 20. ubi fusè & accuratè de urbibus hoc & sequentibus annis ab *Alphonso* Rege Saracenis ereptis differit, & præfatum Blancæ errorem emendat. Blancæ tamen diligentia laudanda; is enim, ut captæ urbis annum certò detegere posset, Archiva Cæsaraugustana Magistratibus præsentibus invisit; cumque in autographo Privilegii ab Alphonso Rege civibus Cæsaraugustanis concessi legisset, illud datum fuisse *sub era MCLIII* (idest, anno Christi MCXV), *in illa Acuda* (idest, Palatio Regio) *civitatis Zaragoça in mense Januario, in ipso anno quando fuit capta prædicta civitas Zaragoça*, non dubitavit, quin ea anno MCXV in Alphonsi Regis potestatem venerit. Sed cùm Privilegium illud mense Januario scriptum sit, melius ex eo intulisset, urbem anno antecedenti, Christi sc. MCXIV captam fuisse. Dicendum itaque in Charta illa scriptum fuisse, *sub era MCLVII*, sed temporis lapsu numeri V lineolâ detritâ visum fuisse Blancæ Chartam habere *sub era MCLIII.* Similes errores à Librario in Chartis describendis admodùm subinde notavimus. Conatur quidem Blanca opinionem suam tueri, sed cùm jam de re constet, ejus argumentis refellendis non immoraboor.

XIX. *Petrus Librana ei Episcopus præficitur.*

Cæsaraugustâ expugnatâ *Petrus de Librana* Vasco natione encyclicam Epistolam universis Christi fidelibus misit, & fretus auctoritate Gelasii Papæ & Bernardi Archiep. Toletani Legati Apostolici indulgentiam largitus est iis, qui Ecclesiæ suæ solatiis destitutæ eleemosynas mitterent. Literæ sine die ac mense datæ, à Baronio recitantur. His addendum quod Marca lib. 5. Hist. Bearn. cap. 22. refert, *Guidonem* nempe Episcopum Lascurrensem in Aquitania, & *Pontium* Abbatem Cluniacensem, qui de quarundam Ecclesiarum decimis litigabant, coram Gelasio II de juribus suis transegisse in urbe Alesia seu Alesto, *die II Idus Decemb.* ut legitur in Chartario Lascurrensi, præsentibus Gerardo Episcopo Engolismensi Sedis Apostolicæ Legato, tribus Cardinalibus, Petro Episcopo Cæsaraugustano, aliisque.

XX. *B. Oldegarius Archiep. Tarraconensis dictus.*

Parte altera Raimundus III Barcinonensis & Provinciæ Comes de Tarracona celeberrima aliàs Tarraconensis Hispaniæ urbe, diversa ab ea

SÆC. XII. An. C. 1118. ea ejusdem nominis quam Alphonsus Aragoniæ Rex Saracenis eripuit, ut infrà videbimus, restauranda cogitabat. Ea enim jam à multis annis à Saracenis eversa fuerat, & nunc sine incolis erat. Quare literis *anno Incarnat. Dom. MCXVII, decimo Kalendas Februarii* datis B. Oldegario Barcinonensi Episcopo, ejusque Successoribus libertatem dedit congregandi undecumque posset homines, *cujuscumque dignitatis & mediocritatis, ad incolendam terram illam, & regendi & judicandi eos ad honorem Dei, & utilitatem ipsius civitatis.* Gelasius verò II literis datis *Caietæ per manum Chrysogoni R. E. Cardinalis XII Kal. April. indict. XI anno Domin. Incarnat.* MCXVIII, considerans Prædecessores suos, præsertimque Urbanum II plurimùm laborasse ad restitutionem insignis olim hujus Ecclesiæ Metropolitanæ, Beatum Oldegarium Barcinonensem Episcopum ejusdem Ecclesiæ Antistitem constituit, & Pallium ei concessit, Metropolitani dignitate in eum collata. Addit Gelasius: *Sanè Dertosam* (aliquot passuum millibus à Tarracona distantem, vulgò dictam Tortosam) *si divina clementia populo Christiano reddiderit, in suburbanam parochiam Metropoli Tarraconensi concedimus; donec præstante Deo, Tarraconensis Ecclesia robur status sui recipiat; mox Dertosa ipsa proprium Pastorem obtineat.* Utrasque literas recitat Bollandus ad Diem VI mensis Martii in Vita B. Oldegarii cap. 4. Quando *Dertosa* à Comitibus Barcinonensibus occupata fuerit, suo loco dicemus.

XXI. *Varia Concilia hoc anno habita.* Ad num. XX. Anno tantum sequenti coacta Concilia *Coloniense & Fritslariense* in Germania Conone Episcopo Prænestino Sedis Apostolicæ Legato præside celebrata, in iisque *Henricus Imp.* excommunicatus fuit, ut anno MCXIX narrat Urspergensis in Chronico. Baronius eodem Chronographo perperam citato utrumque cum currenti anno connectit, indeque Labbeus Tom. X, Concil. re non examinata duo illa Concilia anno suo non reddidit, & Baronium hac in re exscripsit. Trithemius in Chron. Hirsaug. ad annum MCXIX rectè observat, utrumque Concilium post Gelasii Papæ obitum congregatum fuisse à *Conone* Prænestino Episc. adhuc Legatione fungente, ab illo, dum adhuc viveret, sibi commissa; quod & indicat Urspergensis Abbas ad annum MCXIX, dum de utroque Concilio locuturus post Callisti II electionem narratam, ait: *His etiam temporibus Cuno Prænestinus adhuc Legatione Gelasii functus, Synodum Coloniæ*, &c. Denique Interpolator Chronici Anselmi Gemblacensis ad annum MCXIX disertam Concilii Coloniensis mentionem facit. Auctor Vitæ S. Norberti apud Surium ad diem VI Junii cap. 7. Concilii *Fritslariensis* in Hassia meminit, atque hunc Sanctum tunc Presbyterum coram *Conone* Concilii Præside ab Episcopis, qui aderant, accusatum fuisse, quòd ipsos in suis concionibus verbis & conviciis acriter insectaretur, habitum religionis præ se ferret; cùm in nullo religio & proprietas conveniret, & pretiosas vestes abjecisset contra morem nobilium ipsius terræ, qualis ipse esset. Urspergensis, quem Baronius num. XX sequitur, dicit frivolam hanc accusationem factam in Concilio Coloniensi, sed Hugo Abbas in hujus Sancti Vita, Auctor coævus, Urspergensem hac in re deceptum ostendit. Itaque, ut jam monui, tam utraque Synodus, quàm Conventus Principum apud *Wiceburg*, seu Herbipolim coactus, de quo ibidem Baronius, pertinent ad annum sequentem; SÆC. XII. An. C. 1118.
ad hunc verò Concilium *Tolosanum* occasione sacræ expeditionis à Christianis adversus Saracenos Cæsaraugustanam civitatem inhabitantes susceptæ. Hujus urbis obsidioni plures Francorum Proceres adfuêre, uti refert Marca citatus, & uti habet Chronographus Malleacensis ad hunc annum, *Tolosæ fuit Concilium, in quo confirmata est via de Hispania.* Nec plura de hoc Concilio supersunt. Præterea coactum *Rotomagi* Concilium, teste Orderico lib. 12. non quidem *Nonis Octobris*, sed *Nonis Novemb.* ut monuimus num. XIV & Gelasii Papæ Legatum ad illud venisse diximus. *addidit etiam* (nempe Legatus Pontificius) *planctum de Burdino pseudo-Papa, Apostolicæ Sedis invasore, & de multimoda in Tusciæ partibus Ecclesiæ tribulatione*, inquit Ordericus.

Ad num. XXI. Baronius *Templariorum* originem cum Guillelmo Tyrio lib. 12. cap. 7. hoc anno alligat, & ad eumdem Christi annum Matthæus Paris. scripsit, *circa dies istos* Ordinem illum fundatum. Baronii opinionem passim Viri docti secuti sunt præter Mabillonium, qui in Chronologia Bernardina hujus Ordinis exordium in annum millesimum centesimum vicesimum rejecit. Fons erroris modus annos Incarnationis numerandi à Tyrio usurpatus; cùm enim quandoque eos vel à die vicesima quinta Martii, vel à die Paschatis exordiatur, ut anno millesimo centesimo septuagesimo nono ex ipsomet demonstrabimus, evidens est hanc Fundationem ad annum sequentem pertinere; cùm ipsemet asserat nono ab ea anno confirmatam esse in Concilio Trecensi, initio anni Christi Dionysiani MCXXVIII celebrato. Baronius quidem Concilium Trecense cum anno MCXXVII connectit; sed eum hac in re deceptum esse infrà ostendemus. Primi institutores fuêre duo Equites, *Hugo de Paganis & Godefridus de Sancto Audomaro*, qui cum certum domicilium non haberent, *Balduinus* II Hierosolymorum Rex, de quo mox, locum in Palatio, quod secus Templum Domini ad australem plagam situm erat, eis ad habitandum concessit. Inde *Fratres Militiæ Templi dicuntur*, inquit Matthæus Parisiensis, *& cùm diu in honesto starent proposito, nunc adeo professionis suæ humilitate neglecta, Domino Patriarchæ, a quo Ordinis institutionem, & prima beneficia susceperant, se subtraxerunt, obedientiam & Ecclesiis Dei decimas subtrahentes, facti sunt cunctis valde molesti.* XXII. *Templariorum origo.*

Ad num. XXII. *Balduinus* Hierosolymorum Rex post varias victorias de Saracenis reportatas hoc anno in Quadragesima mortuus est, sepultus *in Golgota juxta Godefridum Regem germanum suum*, inquit Fulcherius lib. 2. Hist. Hierosol. *Eo defuncto, ne Rege carentes æstimarentur debiliores, creaverunt sibi Regem Balduinum, Comitem videlicet Edessenum Regis defuncti cognatum. Communiter electus, die Pascha est consecratus*, subdit idem Fulcherius lib. 3. Mortuis verò Balduino I & Arnulpho Patriarcha Hierosolymorum, & Balduino II in Regem uncto, *Germundus, vir bonæ conversationis ab omni Clero & populo in Patriarcham eligitur*, inquit Albertus Aquensis lib. 12. num. 30. Germundum aliqui *Garimundum* appellant. XXIII. *Obitus Balduini I Hierosolymorum Regis.*

A num. XXIII ad XXVIII. *Alexius Comnenus* Orientis Imperator hoc anno die XV Augusti XXIV. *Moritur Alexius Imp.*

Augusti indict. XI è vivis excessit, postquam vixisset annos circiter septuaginta, & imperasset annos XXXVII, menses quatuor, dies quindecim, ut Zonaras, qui in eu Annales suos absolvit, Nicetas Choniates, qui eosdem prosequitur, Anna Comnena ejus filia, aliique produnt. Alexii sepulchrum etiamnum superesse in Templo, quod Patriarchium vocant, scribit Mart. Crusius in Turcogræcia. Bellica quidem laude clarissimus fuit, sed in bello sacro Latinos fraudibus primùm, deinde aperto marte infestavit. Ipso belli initio *Boamundus & Raymundus Comes Sancti Ægidii ac Godefridus dux, Robertusque Comes Normanniæ, atque Robertus Comes Flandrensium & Comes Boloniæ*, nempe Eustachius hæc ad Urbanum II scripsêre: *Tu nos filios per omnia tibi obedientes, Pater piissime, debes separare ab injusto Imperatore, qui multa bona promisit nobis, sed minime fecit. Omnia enim mala & impedimenta quæcumque facere potuit, nobis fecit. Hæc charta fuit scripta XI die intrante Septembrio indictione IIII*; sed loco, IIII scribendum, VII, ut notat Baluzius lib. I Miscell. ubi eam Epistolam refert, indeque confirmatur, quod jam hoc anno diximus, Librarios in hujusmodi numero exprimendo non rarò errasse. Ea itaque Epistola anno MXCVIII data.

XXV. *Alexius ejus uxor & filia literis exculti.*

Quamvis Zonaras de *Alexio* scripserit, *Eruditionem non at convenîebat, sed utcumque colebat*, extant tamen Alexii Comneni Monita *ad Spaneam nepotem*, versibus politicis Græcobarbaris scripta, & publicata Venetiis à Christophoro Zineto, sed sine versione Latina & absque mentione anni impressionis. Cujus Operis exemplar MS. in Bibliotheca Cæsarea extare testatur Lambecius lib. 5. pag. 262. aliudque in Bibliotheca Regia asservari monet Ducangius Tom. II Glossarii Mediæ Græcitatis in Indice Auctorum Græcorum ineditorum, qui in eo laudantur. Ad hæc in Analectis Græcis Parisiis anno MDCLXXXVIII à Monachis Benedictinis Congregationis S. Mauri publicatis referuntur *Antiquum Rationarium Augusti Cæsaris, & Novum Alexii Comneni Imperatoris*, & in priori narratur, quonam modo, & quæ olim vectigalia exigebantur; in posteriori verò exponitur, quomodo Antiquum ob varios abusus, qui irrepserant, emendaverit *Alexius Comnenus*, & Novum illud literis mandarit. *Irene Ducana* Alexii uxor, literis etiam exculta fuit, cujus studia & Literatorum patrocinium mirè extollit *Anna* filia in Alexiade lib. 5. pag. 147. Sub vitæ exitum monachæ habitu sumto, *Xene* dicta est, ut legitur in Menæis ad diem XIII mensis Augusti. In iisdem Analectis refertur *Typicum* sive Regula monasterii Monialium Græcarum capitibus LXXX constans. Monasterium illud Irene à fundamentis extruxit, & Regulam illam Monialibus composuit, etiam verba ipsa suggerens. Denique *Anna Comnena* Alexii & Irene filia omni scientiarum laude clara fuit, ut testantur libri XV Alexiados, quibus Alexii patris Vitam exposuit. Nupta fuit *Nicephoro Bryennio* Cæsari omni etiam disciplinarum genere instructo, qui rerum sui temporis Historiam à Petro Possino è tenebris erutam elucubravit. *Joannes Comnenus* Calojoannes etiam è quibusdam dictus, qui jam cum patre imperabat, post ejus mortem solus Imperium administravit. Jam uxorem duxerat *Irenem* Ladislai Hungariæ Regis filiam, ut testatur Zonaras, & ostendit Ducangius in Familiis Augustis Byzantinis. Is Latinis patre æquior fuit.

XXVI. *Nilus Ha... rationem ad sanam doctrinam reducere conatur.*

Imperante Alexio *Nilus* Monachus Ecclesiam invadens, de Christi Oeconomia, varia ex Armenorum hæresibus orta disseminavit; diligentiâ tamen piorum hominum deprehensus cum hæresi sua damnatus fuit, uti narrat Anna Comnena lib. 10. *Cùm Ecclesiam*, inquit, *tanquam improbitatis fluvius, Nilus ille inundans, summopere omnium animos perturbaret, non longè post ab Italo* (de quo suo loco egimus) *hæresibus condemnatis apparens, multis sui erroris turbinibus complures demersit*, &c. *Hinc nostri mysterii secundùm hypostasin unionem ignorans, neque quid unio sit, omninò capere valens, neque penitus, quid hypostasis sit, sciens, neque separatim hypostasin aut unionem intelligens, neque rursùm secundùm hypostasin unionem, neque quomodo assumtum Deificatum sit, à Patribus edoctus; longè à veritate avulsus, naturâ illud Deificatum fuisse multùm aberrans, existimabat. Id non latuit Imperatorem, & statim ac de eo certior factus est, opem promptissimè excogitat; cumque virum accersisset, multum de inscitia atque audacia arguit, refellensque eumdem enixè secundùm hypostasin unionem Dei & hominis Verbi aptissimè exponebat, & retributionis modum ostendebat, & quomodo assumtum Deificatum sit ex superiori gratia instruebat. Ille prava sua sententia mordicus inhærebat, & vexationem omnem, torturam, & compedes sufferre; excarnificari quoque atque confici promptius se exhibebat, quàm ab eo abstinere, ne doceret, naturà assumtum Deificatum fuisse.*

XXVII. *Synodus adversus eum cogi... damnatur.*

Hinc frequentes ordinationes ad Tigranem, Arsacemque; quos ante alios Nili dogmata ad impetusem irritabant. Quid inde? Impietate multorum depopulari animos conspiciens Imperator, & Armeniorum Nilique decreta simul innecti, nec non ubique naturà deificatum assumtum clara voce evulgari, pessundari verò sanctorum Patrum de eo scriptiones, & secundùm hypostasim unionem ignorari; noxæ impetum quàm longissimè ejaculari cupiens, Ecclesiæ Primatibus in unum coactis, Synodum de eo celebrandam unà cum aliis determinavit. Convenerunt tunc omnes Præsules & Patriarcha ipse Nicolaus, Nilusque stabat in medio cum Armeniis, illiusque dogmata explicabantur. Ille clara voce illa docebat, illisque enixè pluribus adhærebat. Quid inde? Synodus, ut multorum servaret animas à noxia illius doctrina, sempiterno eumdem anathemate ferit, & unionem secundùm hypostasin, ad traditiones Patrum, manifestiùs evulgat. Post hunc, immò cum hoc Blachernita quoque proscriptus est, impia & ab Ecclesia aliena sentiens, licet in sacris esset. Namque cum Enthusiastis congressus, illorum perniciem contracta, multisque illudens, & magnas in Urbe domos suffodiens, & impietatis dogmata tradens, cum sæpe sæpiùs accerseretur, doceretùrque ab Imperatore, nec ejuratis pravis ejus opinionibus resipisceret, ad Ecclesiam ab Imperatore mittitur, ubi magis ac magis examinatus, ut ignavissimus repertus est, ipseque & dogmata ipsius perpetuo anathemati subjiciuntur. Allatius lib. 2. de Consensione Eccles. Occident. & Orient. cap. 10. illius anathema legi in Triodio, Dominicâ Orthodoxiæ, observat. Cùm verò *Nicolaus* III Patriarcha CP. anno MCXI è vivis excesserit, hæc ante illum Christi annum gesta esse oportet, sicuti & sequentia quæ de Bogomilis, habet Anna Comnena, sed anno incerto.

Alexii

SÆC. XII. An. C. 1118. XXVIII. *Bogomilorum hæresis in Oriente grassatur.*

Alexii Imp. etiam tempore *Bogomilorum* hæresis grassata est. Illius primarius auctor fuit *Basilius Medicus*, monachi habitu insedens. Is Byzantium ingressus, & in manifesto hæresis crimine deprehensus, condemnatus fuit. Nam Imperator simulavit, se fidem habere homini, & Magistrum appellavit, & servatorem errantium animarum: quibus effecit, ut ille evomeret, doctrinâ vulgatâ, virus suæ improbitatis, in qua postea cùm pertinax perseveraret, in Theatro exustus est, ut refert Zonaras in Alexio. Non pœnitebit tamen rem totam ex Anna Comnena, quæ rebus interfuit, illius verbis, licet prolixioribus, cùm post Baronii mortem ejus Historia edita fuerit, audire. Anna lib. 15. ait: *Post hæc maxima insurgit Hæreticorum nebula. Hæreseos genus novum, nunquam antea in Ecclesia compertum: namque duo dogmata pessima, impiissimaque in unum convenère, superioribus temporibus cognita, Manichæorum ut quidam diceret, impietas, quam nos Paulicianorum hæresim vocaremus, & Massalianorum abominatio. Tale est Bogomilorum dogma, ex Massilianis & Manichæis conflatum. Et, ut verosimile est, fuerat etiam ante Patris mei tempora, verumtamen latebat. Namque Bogomilorum gens, ad dissimulandam virtutem, aptissima est, & capillum quidem secularem nunquam reperias, Bogomilorum sectam sequentem; sed malum hoc sub pallio cucculloque occultatur; tristisque est Bogomilas & ad nares usque cooperitur, & incurvatus incedit, & ore submurmurat, intus verò lupus est effrenis. Et hanc nationem, talis cùm esset, placabilem, veluti serpentem in latibulis immerantem, incantamentorum illecebris, quæ verbis exprimi nequeunt, Pater meus in lumen evocavit, eduxitque. Recens enim immodica rerum Occidentalium, Orientaliumque cura deposita, spiritualioribus se se exercebat*, &c.

XXIX. *Basilius Monachus hujus sectæ auctor.*

Vt verò ubique Bogomilorum rumor invasit. Basilius enim quidam impietate Monachus, duodecim habens discipulos, quos & Apostolos nuncupabat, secumque unà discipulas adducens mulierculas quasdam pravis ac improbissimis moribus, per omnes partes malum profudit; multasque animas, perinde ac ignis, pestis absumpsit. Ægrè fert hoc Imperator. Quare de hæresi inquirere cœpit, & ex Bogomilis nonnulli in Aulam asportantur, omnesque Basilium quemdam, primumque Bogomilicæ Hæreseos auctorem esse denunciabant. Ex his Diplatius quidam comprehensus, cùm interrogatus confiteri renueret, tormentis deditus, tum dictum Basilium confitebatur, & quos ille creaverat Apostolos. Quare illius perquisitionem multis Imperator commisit. Et tandem comparet, Satanaelis Archisatrapa Basilius, habitu quidem Monachus, facie macilentus, mento glaber, statura procerus, ad impietatem pertractandam callidissimus: statimque Imperator, quod occultabatur, suasionibus ac illecebris, foris educere avens, & cum omni obsequio hominem accersit: namque & sedens assurrexit homini, & Sedis illum mensæque participem fecit, & hamum præda, omnibus escis onustum, universum ceto huic voracissimo laxavit, deditque glutiendum; venenumque huic Monacho, & improbitate conspicuo, omne propinavit, per omnia simulans se illius discipulum fieri velle: nec ipse solum, sed & Germanus illius frater Isaacius Sebastocrator; & omnia, quæ ab illo dicebantur, veluti divina oracula æstimare, & in omnibus illi subdi, si tantummodo sibi animæ salutem pessimus ille Basilius procurasset.

SÆC. XII. An. C. 1118. XXX. *Qua arte Alexius Imp. prava ejus dogmata detexerit.*

Et ego quidem, ait, Pater honorandissime (hisce namque dulcibus poculum Imperator inungebat, ut Dæmonibus ille obsitus atram bilem, quam intus habebat, evomeret) virtutem tuam admiror, postuloque addiscere, quæ à tua reverentia inducuntur, cùm nostra tantummodo prava sint, nihilque ad virtutem conducant. At ille primùm quidem simulabat, & pellem leoninam, qui verè asinus erat, quacumque ex parte trahebat, & ad dicta subsultabat; nihilominus tamen laudibus inflabatur: namque cum sibi convictorem effecerat. Aderat verò his omnibus, unàque simul scenam volvebat Imperatoris frater & Sebastocrator. Ille verò hæreseos dogmata eructavit; at quanam ratione? Verum Gynæcium & Imperatores veluti murus, dividebat: sic execrando hæcce omnia, ut illi animo insederant, eructante palamque enunciante, scriba intra velum dicta scripto excipiebat. Et fatuus ille, ut sibi videbatur, Magister erat; Imperator instrui se simulabat; scribebat doctrinam Notarius. Omnia autem fanda infandaque vir ille ominosus exaggerabat, nullique execrando dogmati pepercit: quin imò & Theologiam omnem nostram contempsit, & Oeconomiam imaginariam fuisse asseruit; Templaque sacra, heu miserum! templa Dæmonum appellavit, & quæ à nobis conficiuntur, Caro & Sanguis, primi & Antistitis & Sacrificii, nullo loco habuit. Quid inde subsecutum est? Scenam aufert Imperator, & aperit. Senatores omnes cogantur, militaris Ordo accurrit, & venerandi Ecclesiæ Patres adsunt.

XXXI. *Basilius in impietate animum obfirmat.*

Præsidebat itaque tunc temporis in Regiæ Urbis Throno beatissimus Patriarcha Dominus Nicolaus Grammaticus, & Deo exosa dogmata percurrebantur, & probatio calumniâ vacat: neque id negabat adversarius, immò aperto capite ad defendendum se præparabat, & igne & verberibus, & sexcentis mortis generibus se affligi velle promittebat. Firmiter namque credunt falsi isti Bogomili, omnem sine dolore pœnam subire se posse; quasi Angeli ipsos ab igne erepturi sint. Multis itaque eorum omnium improbitatem exprobrantibus, iis etiam, qui illius pestis participes fuerant, Basilius ipse immutabilis erat, Bogomilus generosissimus: & licet illi ustionem minarentur, & aliorum tormentorum genera, mordicus ipse Dæmoni inhærebat, Satanaelemque suum amplectebatur. Custodiis verò sæpius mancipatus, accersitusque ab Imperatore, sæpiusque exoratus, ut impietatem ejuraret, eodem modo se gerebat ad adhortationes. Sed finem illius ne prætereamus. Antequam enim illum Imperator torviùs intueretur, post impietatis confessionem, in ædiculam quandam Regio Palatio contiguam, tum primùm propter eumdem extructam secessimus. Serò erat & stellæ sereno cœlo desuper affulgebant, & Luna post conjunctionem emicabat; Monacho cellam ingresso, nocte media saxa ex se se, ad instar grandinis, in cellam jaciebantur, manu nulla lapides projiciente, nulloque alio Dæmoniacum hunc Abbatem lapidibus petente. Videbatur verò esse Dæmonum, qui Satanaeli inserviebant, iis furentium, indignatio, ægrè ferentium, quod ille arcana Imperatori manifestaverat, & persecutionem apertam contra errorem induxerat.

XXXII. *Dogmatica Panoplia jussu Alexii Imp. adversus Hæreticos composita.*

Et hæc quidem Parasceviotes quidam nomine, Dæmoniaci illius senis custodia destinatus, ne ille cum aliis sermonem confereret, & pestis suæ participes faceret, horribilia hæc se vidisse, jure jurando affirmavit, audisseque projectorum lapidum, & in terra & in tegulis strepitum, vidisse verò eos compressos crebrosque lapides, neminem verò usquam,

SÆC. XII. An. C. 1118. *qui illos proiiceret, conspexisse. Lapidum enim projectionem subsequebatur illicò terræ motus, & pavimentum concutiebatur; & quæ circa tectum erant, stridebant. Parasceviotes itaque antequam percepisset, Dæmonum opus illa esse, non despondebat animum, ut ipse ajebat; sed videns postea saxa desuper, veluti imbrem deferri, & senem illum hæreseos auctorem ingredi, absconditque, Dæmonum opera id esse factum ratus, hærebat animo, nec, quid facturus esset, sciebat. Et prodigii hujusce narratio hic finem habeat. Erat interim animus universam Bogomilorum hæresim percensere; sed me pudor impedit, ut alicubi dixit bella Sappho,* quod scriptor *ipse mulier sim, & purpura pretiosissimum, & primus Alexii surculus; & quod illa, quæ in multorum aures venêre, silentio digna sint. Et vellem equidem scribere, ut plena Bogomilorum hæreseos notitia habeatur; verumtamen, me linguam deturpem, prætereo. Mitto verò eos, qui universam Bogomilorum hæresim cognoscere avent, in librum qui dicitur Dogmatica Panoplia, jussu Patris mei conscriptum. Namque ille Monachum quemdam Zygadenum dictum Despœnæ cognitum, & ex parte matris aviæ, omnibusque, qui sacro catalogo nomina dederunt, Grammatices instructissimum, & Rhetoricæ etiam studiis exercitum, dogmatumque, si quisquam alius, gnarum accersivit, jussitque illi, ut hæreses omnes, singulas quasque separatim, exponeret, & in unaquaque Sanctorum Patrum refutationes conscriberet, ipsorum etiam Bogomilorum hæresim, uti impius ille Basilius edocuerat. Librum hunc Dogmaticam Panopliam Imperator nuncupavit, & ad hæc usque tempora libri illi ita appellantur.*

XXXIII. *Ab Euthymio Zygabeno qui schismaticus fuit.* Damnatio *Basilii* & sociorum apud Annam Comnenam, quæ omnia etiam minutissima prosequitur, legenda. Alexius Imp. in revocandis ad fidem *Bogomilis* plurimam operam posuit, multique resipuêre; qui verò animum in errore obfirmarunt, Crucem in morte quoque adversati sunt. *Basilius* vivicomburio damnatus, & *Bogomili* ad incendium à plebe postulati, sed iis Imperator resipiscendi spatium in carcere indulsit. Natalis Alexander part. I seculi XI & XII pag. 317. Bogomilorum hæreseos capita sigillatim exponit, apud quem legi poterunt. Lambecius lib. 3. Biblioth. Cæs. pag. 170. refert inter MSS, Græca in ea Bibliotheca asservari Panopliæ Dogmaticæ Euthymii Zygabeni Appendicem, qua continentur *Anathematismi quatuordecim contra Massalianorum & Bogomilorum hæresin, & Triumphus de eorumdem repressione per Imp. Alexium Comnenum, cujus jussu Basilius hæresiarcha, professione quidem Medicus, habitu autem Monachus, in Hippodromo Constantinopolitano vivus combustus est.* Notat Lambecius Opus illud prælo dignissimum esse, ut Historia originis illarum hæreseon suppleatur & illustretur. Priores ipse tres Anathematismos exhibet, in quorum priori *Petrus* sive *Lycopetrus* hæreseos Massalianorum primus Auctor dicitur, cujus tamen nec apud S. Epiphanium in Panario omnium hæresium, nec apud Photium in Biblioth. nec apud Hannenopulum in libro de Sectis; nec apud alios, qui de hæresi Massalianorum agunt, mentio occurrit, ideoque Appendix illa res notabiles docere potest. Porro *Euthymium* Schismaticum fuisse, probat Allatius laudatus ex Tractatu MS. Bibliothecæ Regiæ, cujus hic titulus est Εὐθυμίου μοναχοῦ, &c. idest, *Euthymii Monachi Zygabeni adversus Romæ veteris cives, sive Italos, capita duodecim, demonstrantia, non ex Filio procedere Spiritum sanctum,* seu, *Euthymii Monachi Zygabeni contra Latinos duodecim capita de processione Spiritus sancti.* Denique Lambecius Tom. V Biblioth. Cæs. pag. 134. ait, in ea asservari MS. cujus inscriptio est: *Euthymii Zigabeni, Monachi monasterii Constantinopolitani cognominati τῆς Περιβλέπτου* Epistola adversus Phundagiagitas sive *Bogomilos & Massalianos, ut & contra Armenios cæterosque hæreticos, Constantinopoli in suam patriam missa.* Ex quibus patet *Bogomilos* minus rectè à Baronio num. XXVII vocari Bongomilos. SÆC. XII. An. C. 1118.

XXXIV. *Moritur S. Godefredus Episc. Ambianensis.* Ad num. XXVIII. Nicolaus Monachus in Vita S. Godefredi Episc. Ambianensis, Scriptor coævus, ejus mortem his verbis refert: *Excessit è vivis VI Idus Novemb. horâ diei nonâ, anno Sacerdotii sui undecimo* (verùm, ut ex dictis liquet, legendum, anno Sacerdotii sui quinto decimo) *ætatis quinquagesimo, regnante Ludovico Philippi Francorum Regis filio, anno regni ejus decimo octavo, incarnati autem Verbi MCXVIII.* At anno Christi MCXVIII Ludovicus Rex mense Novembri annum Regni XI numerabat, ideoque hunc numerum Librarius per errorem ejus Episcopatui attribuit. Neque enim dici potest, annum illum à priori Regni Ludovici Epocha proficisci; cùm post patris mortem anni Regni ejus à priori Epocha numerati non reperiantur; licet Philippus pater ejus à sua inauguratione vivente patre facta Regni sui annos quandoque deduxerit, ut liquet ex Charta à Mabillonio lib. VI de Re Diplom. pag. 589. recitata.

XXXV. *Obitus Mathildis Reginæ Angliæ.* Hoc anno mortua est Mathildis Angliæ Regina, Henrici Regis conjux, piissima fœmina, quæ ei peperit filium *Willelmum* nomine, filiamque sibi cognominem. De ea Eadmerus lib. 5. Novorum hæc habet: *His diebus, gravi damno Anglia percussa est in morte Reginæ. Defuncta siquidem est apud Wesmonasterium, Kalendis Maii, & in ipso monasterio decenter sepulta. Quo autem judicio Dei ignoramus. Illicò post hæc, plures Normannorum; quam Regi juraverant fidelitatem postposuerunt, & in Regem Franciæ* (sc. Ludovicum VI) *Principesque ejus adversarios; scilicet ipsius naturalis domini sui, non veriti justitiam, se transtulerunt. Unde quæ & quanta mala emerserint, cogitari ne dicam, dictu scimus esse difficile.* Hæc de Mathilde Petrus Blesensis in Continuat. Ingulphi pag. 129. ad hunc Christi annum: *Mathildis Anglorum Regina & Scotorum gloria, pauperum alumna, & omnium miserorum refugiaria, Croylandensis Ecclesiæ ac Abbatis Jofridi specialissima Patrona, hoc tempore obiit.* Erat Jofridus Abbas Croylandiæ, qui hoc anno cum Gilberto Wesmonasterii Abbate Legatus missus est ad Ludovicum Franciæ Regem ob dissensionem, quæ inter ipsum & Henricum Regem versabatur. Erant Legati isti in Francia geniti, in septem liberalibus artibus insignes doctores, inquit Petrus Blesensis. Hærebat tunc Henricus Angliæ Rex in Normannia, & Ludovicus Franciæ Rex contendebat Normanniæ Ducatum, si non Roberto, Henrici Regis fratri, in vinculis detento; ejus tamen filio, *Guillelmo* nomine, hæreditario jure deberi. Hinc crudele bellum exarsit; eò funestius, quò exulceratæ mentes diuturnitate temporis plus virium collegerant. De eo bello legendus Alfordus in Annal. hoc anno, Sugerius in Vita Ludovici Grossi Regis, & Ordericus lib. XII.

Obiit

SÆC. XII. An. C. 1118.

XXXVI. *Elmacinus Historiam Saracenicam absolvit.*

Obiit etiam *Mustadirus Billa* Calipha Habbasida, postquam Caliphatui præfuisset annis XXIV & aliquot mensibus, ut tradit Georgius Elmacinus, qui in eo Historiam suam Saracenicam absolvit. Eam è lingua Arabica in Latinam vertit *Thomas Erpenius*, & post mortem ejus *Jacobus Golius* ex illius testamento in lucem edidit. *Elmacinus*, ut notat Golius in Præfatione, Chronologiam potius Muhammedici Imperii, quàm Historiam contexuit, paucisque perstringit quæ gesta sunt in Arabia, Ægypto & Perside. Natus est in Ægypto seculo XIII ineunte, eoque velut Notario Principes Imperii Saracenici usi sunt ad secretiora consilia, ad quem dignitatis gradum sub Muhammetico jogo, nonnisi per summas virtutes, via patet homini Christiano. Qualem fuisse *Georgium Elmacinum*, liquidò constat, tam ex ipso nomine, quàm etiam quod solemni præfatione abstineat, quâ religionem Mahumetani suam profiteri superstitiose solent. Huc accedit, quod res Christianorum, Ecclesiasticas præsertim, in Annales suos tam diligenter referat. In his condendis præclaris Rerum Orientalium Scriptoribus, quales sunt *Abulfeda* Geographus, *Abugiafarus* Tabarita, & *Mircondus*, Persicus Auctor celeberrimus, innixus est. Vide quæ de eo anno DCXXII in medium attulimus. Porrò *Mustadiro Billa* successit *Almostashed* filius ejus, ut tradunt Abulpharajus in Hist. Dynastiarum, & Auctor Anonymus Chronici Orientalis ab Abrahamo Ecchellensi è tenebris erutus.

XXXVII. *Mediolanenses in gratiam Henrici Imp. congregantur.*

Mediolanenses, qui Henrici Imp. partes defendebant, hoc anno Conventum coegere de ejus excommunicatione acturi: *Marchiones & Comites Longobardiæ*, inquit Landulfus Junior cap. 34. apud Puricellum num. CCCXXIX, *in hac tempestate convenerant Mediolani, ut ibi coram Episcopis suffraganeis & comprovincialibus explicarent Imperatoris innocentiam, & ipsum Imperatorem perducerent in Archiepiscopi* (nempe Jordani), *& Episcoporum benevolentiam. Episcopi itaque consedentes in Palatio Mediolanensi unà cum Archiepiscopo attentè audierunt Marchiones, & Comites fideliter loquentes de Domino suo: propter quorum verba quamplures arbitrati sunt Imperatorem esse alienum ab excommunicationis culpa. Sed cùm Archiepiscopus & Episcopi contentiosè adversùs Marchiones & Comites, Duces & Reges* (idest, jura prætensa à Regibus Longobardiæ) *disputarent, Milites & cives Mediolani in atrio Ecclesiæ jurabant facere guerram Cumanis* (idest, Comensibus) *donec Vicum & Coloniolam destruerent, civitatem quoque ipsam dissiparent.*

XXXVIII. *Comensibus bellum indicunt.*

Finito Conventu cœptum decennale & exitiosum bellum adversus Comenses, quod Puricellus rectè observat malè à Sigonio in Hist. de Reg. Ital. lib. II. in annum MCXX differri. Narrat bellum istud Landulfus loco laudato: *Ubi Imperator*, inquit, *à Roma exivit* (quod hoc anno contigisse certum), *& se à prædicto Papa Gregorio sive Burdino, prolongavit; mox manus Guidonis Comensis Episcopi* (Gelasio II addicti, & ab Henrico Imp. alieni), *ejusque militum & civium violenter apprehendit Landulfum Carcanensem, Mediolanensis Ecclesiæ Clericum Ordinarium & Ministrum: & in ipsa apprehensione interfecit Othonem, ejusdem Landulfi nepotem, & urbis Mediolanensis egregium Capitaneum. Hinc Jordanus Pontifex Mediolanensem concionem militum, & civium clamantium in Cumanos* (seu Comenses) *intravit, ibique connumerando & lamentando quamplura mala; quæ Cumani fecerant in rebus etiam Mediolanensis Archiepiscopatus, ipsam turbam concionis ad faciendam vindictam inflammavit. Eodem quoque tempore Pontifex Jordanus obseratis januis Ecclesiarum suo populo negavit introitum, nisi materiali gladio vindicaret malitiam Cumanorum. Demum ad sonitum vocis, & jussu hujus Pontificis Mediolanensis populus cœpit facere guerram Cumanis: atque in primo exercitu, quo Mediolanenses castra metati sunt in Canneto, civitatem ipsam Cumanam occupaverunt: ipsumque Landulfum, qui investituram Cumani Episcopatus à Rege, & ordinationem à Patriarcha Aquileiensi suo Metropolitano susceperat, de captione liberaverunt.*

SÆC. XII. An. C. 1119.

Anno Eræ Hispan. MCLVII. Anno Hegiræ DXIII, inchoato die 14. April, fer. 2.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6612.

☉ 8. E. ☽ 18. P. 30. Mart. Indict. 12.

JESU CHRISTI 1119.

CALLISTI II. PAPÆ 1.

HENRICI V REG. 14. IMP. 9.

JOANNIS COMNENI IMP. 2.

I. *Concilium Viennense sub Gelasio II commentitium.*

ANum. I ad V. Urspergensis in Chron. tradit, *Gelasium* II apud *Viennam* Synodum congregasse, & post paucos dies in monasterio Cluniacensi obiisse. Urspergensem secuti sunt Baronius num. I., Labbeus Tom. X Concil. pag. 825. Constantinus Abbas in Commentario ad Pandulphum Pisanum, Ciaconius, aliique. Verùm eos hallucinatos esse, Gelasiumque II nullum Viennæ Concilium coëgisse, apud me certum. Falco enim in Chron. ad finem anni MCXVIII, quo annum MCXIX inchoamus, ait: *dehinc Apostolicus ipse stabilivit, ut in sequenti mense Martii Synodum cum Patribus Franciæ, Teutonicisque celebraret, ibique de Sacerdotii & de regni dissidio longè lateque habito, Spiritu sancto mediante, loquerentur*, &c. *Sed antequam terminus statutus Synodum celebrandi advenisset, apud monasterium sancti Petri, quod vocatur Clunia, ubi diligenter morabatur, ægritudine detentus est*, quod ex Falcone Baronius num. II narrat. Præterea Pandulphus, qui Gelasium II comitabatur, hujus Concilii non meminit, sicuti nec Hugo Monachus Cluniacensis in Epistola ad Pontium Abbatem suum, ubi refert, quæ Gelasius II in Gallia egerit. Ejus narrationis partem anno superiori retulimus, & mox reliquam describemus.

II. *Gelasius II Concilium Remis celebrare decreverat.*

Verum quidem est, Gelasium II proposuisse Concilium in Gallia celebrare; sed ad id Urbem Remensem elegerat, ut testatur Eadmerus hujus temporis Scriptor lib. 5. Novorum: *Papa Gelasius per mare Burgundiam venit, & adventus ejus mox Galliæ toti innotuit. Excitati sunt quique Potentes cum mediocribus, ei occurrere, & certatim parabantur interesse Concilio, quod ipse disponebat, se mediâ quadragesimâ Remis celebraturum. Rodulphus quoque* (Cantuariensis) *Archiepiscopus, audito Papæ adventu, de Rotomago, ubi eò usque morabatur, egressus, impiger ei occurrere statuit. Sed ubi aliquantum itineris confecit, accepit à quibusdam, ipsum Papam longiùs discessisse, & versùs Hispanias ire proposuisse*, & postea mortem

tem ejus narrat. Idem habetur in Chron. Mauriniacensi lib. 2. Tom. IV Duchesnii: *Apud Remum Metropolim regni Concilium disponebat, in quo se magna dispositurum credebat; sed divino judicio, quod occultum, nunquam tamen injustum est, aliter disponente, præventus ægritudine gravissima*, &c. & dein Chronographus ejus mortem recitat; qui tamen de Callisto II post pauca interposita verba, notat eum *Tolosæ* primùm, *Remis* secundò Concilium celebrasse, sed nec ipse, nec ullus alius ex Antiquis præter Urspergensem ac Nangium in Chron. Gelasium II aliquam Synodum in Galliis habuisse memorarunt. Quare non dubitandum, quin Urspergensis hallucinatus fuerit, & Nangium in errorem induxerit. Is tamen non Viennæ, sed Remis Concilium coactum voluit.

III. *Moritur Gelasius II.* Hugo Monachus Cluniacensis citatus de Gelasio II ait: *qui denuò convalescens, & Cluniacum suam pervenire desiderans, Lugdunum Galliæ pertransit, Matisconam descendit, ubi gravissima ægritudine confectus, se Cluniacum perferri instantissimè præcepit. Quò deportatus, summâque reverentiâ susceptus, completo Episcopatûs sui anno I & diebus IIII, in medio fratrum, circumstantibus* Episcopis Cardinalibus, in propria domo proprius Pastor in pace Cluniaco quievit. Cùm verò Callistus II apud Baronium hoc anno num. V dicat: *D. N. fel. memoriæ Gelasius à Vienna discedens, injunxit mihi*, &c. & statim mortem ejus referat, apparet *Gelasium II* Avenione Viennam, ex ea urbe Lugdunum, indeque Matisconam & Cluniacum venisse, sed Viennæ moram facere non potuisse. Obiit autem Cluniaci *IV Kal. Februarii*, uti scribunt Falco apud Baronium num. II, Ordericus lib. 12. Fulcherius Carnotensis lib. 3. Hist. Hierosol. aliique. Quoad durationem Sedis ejus, fuit ea anni unius & dierum IV vel V. Nam Hugoni Monacho Cluniacensi laudato consentiunt omnes nostri Catalogi, & ille qui habet eum sedisse annum unum, dies quatuor, excludit diem emortualem, qui etiam non numeratur ab Hugone Monacho. Martinus verò Polonus & Auctor Fasciculi Temporum, qui habent dies quinque, diem emortualem includunt. In Chronico Gotfridi Viterbiensis hujus temporis scriptoris, nonnisi librariorum errore legitur eum sedisse *annum unum, dies sex*. Ex quibus consequens est, Gelasium Pontificem Romanum anno superiori electum fuisse *VIII Kalend. Febr.*

IV. *Sedis ejus duratio.* Baronius quidem num. II refert Epitaphium Gelasii II à Petro Pictaviensi versibus elaboratum, in quo dicitur, eum sedisse *annum unum, duobus diebus exceptis*, & numero sequenti tradit eum quoque funebrem orationem dixisse, *quam adhuc extare*, inquit, *qui viderunt eam, affirmant*. Indeque Papebrocius in Conatu Chronico-Hist. ait, Gelasium II sedisse menses XI, dies XXIX. Verùm licet Petrus Pictaviensis Monachus Cluniacensis fuerit, tamen illud epitaphium ab aliquo imperito seriùs editum malè illi attribui apud me certum; cùm Gotfridus Viterbiensis, qui hoc seculo floruit, Bernardus Guido citatus in magno Chron. Belgico, Wernerus in Fasciculo Temporum, omnesque Catalogorum, quos mihi videre licuit, Auctores, Hugoni Cluniacensi suffragentur; nullus verò fictitio illi Petro Pictaviensi. Quod si Epitaphium illud antiquitus Gelasii II sepulchro insculptum fuisset, non deessent ex Veteribus, qui ejus meminissent. Denique Petrus Marrierus Monachus Ordinis Cluniac. Auctor Bibliothecæ Cluniacensis pag. 594. ait Petrum Pictaviensem plures scripsisse Epistolas ad Petrum Cluniacensem, *& multa alia*, inquit, *quæ apud nos sunt omnia*; & tamen pag. 607. & seqq. profert Panegyricum ab eodem Petro Pictaviensi Petro Venerabili Abbati Cluniac. dictum, Epitaphium Gelasii Petro Pictaviensi falsò attributum, aliaq; ejusdem Petri Pictaviensis Opuscula, sed ne verbum quidem habet *de Oratione funebri*, quæ ab eo dicta vel composita fuerit in laudem Gelasii II. An verò Constantinus Cajetanus, qui stemma Gelasii II elucubravit, Orationem illam apud se habuerit, fateor me ignorare; sed quidquid de ea re sit, non video Auctorem illius Epitaphii Hugone Monacho Cluniacensi fide digniorem esse.

V. *Gelasio II succedit Callistus II.* Gelasio II post Interpontificium dierum duorum successit *Callistus* II, electus, non *IV Nonas Februarii*, sicut habet Ordericus lib. XII, idest die secunda mensis Februarii, neque quarta die ejusdem mensis, ut statuit Papebrocius in Callisto II, sed *Kalendis Februarii*, uti Onuphrius in Chron. Eccles. & Sigonius lib. X Hist. de Reg. Ital. habent, & ex iis, quæ in morte ejus in medium afferemus, perspicuum fiet. *Callistus* II ante Pontificatum *Guido* appellabatur, eratque Archiepiscopus Viennensis. Patrem habuit Willelmum Burgundiæ Comitem. *Sublimatus*, loquitur Sugerius in Vita Ludovici VI Regis, *tantæ celsitudinis dignitate, gloriosè, humiliter, sed strenuè Ecclesiæ jura disponens, amore & servitio Domini Ludovici Regis, & nobilis Adelaidis Reginæ neptis, aptiùs Ecclesiasticis providebat negotiis.* Callisto enim II soror fuit nomine *Gilla*, quæ Humberto II Comiti Maurianensi seu Sabaudiæ nupta Adelaidem peperit, Ludovico VI Francorum Regi anno MCXV in matrimonium collocatam, ut videre est in Chron. S. Petri Vivi, qui ibi habet: *Accepit Rex Hludovicus uxorem suam nomine Adelaidem.* Porrò Anselmus Gemblacensis in Chron. ad hunc Christi annum, ait: *Consensu omnium Episcoporum, tam Germaniæ, quam Galliæ cum Romanis habito, domnus Guido Viennensis Archiep. in Papam eligitur, & Callisti nomine designatus Cluniaci benedicitur.* Sed cùm benedictionis Episcopi aut Papæ nomine Veteres consecrationem intelligant, ut videre est in Lexico Ducangii voce *benedictio Episcoporum*, Anselmus perperam dicit Callistum Cluniaci benedictum fuisse, ut ex mox dicendis manifestum fiet.

VI. *Viennæ die IX Februar. coronatur.* Callisti II Consecratio, quam Pandulphus magna solemnitate peractam testatur, differri non potest ultra diem *V Idus Februarii*, seu diem nonam ejusdem mensis, cùm ea in Dominicam inciderit. Quod, postquam hæc literis mandavi, dum minus cogitarem, reperi in lib. 1. Hist. Vezeliacensis, Tom. III Spicilegii Dacheriani, ubi refertur Epistola Cononis Prænestini Episcopi, Apostolicæ Sedis legati Hugoni Nivernensi Episcopo sine die & mense data, in qua ait: *Die ipsa, qua ab invicem discessimus cum Electo nostro, Duce misericordia Dei ad partes Lugdunensium properavimus. Antequam autem Lugdunum pervenissemus, domnus Lugdunen. Archiepiscopus* (Humbaldus sc.) *electioni nostræ assensit, & Lugduni subscripsit. Ibi facta processione solemni domnum Papam Callistum, & nos honorificè suscepit. Nam & Engolismensis Episcopus, antequam à nobis discederet, subscripserat, & Domino Papæ humiliter se subdiderat* (nempe Gerardus). *Inde venimus Viennam, ubi in Dominica Quinquagesima,*

(quæ

(quæ hoc anno in diem IX mensis Februarii convenit) *Dominus Papa coronatus est.* Cluniacum, ubi Callistus II Pontifex Rom. electus, quatuor leucis distat à Matiscone, & hæc civitas leucis sedecim à Viennensi, ideoque Matisconem inter & Viennam est tantùm iter dierum duorum, quod navi breviori tempore confici potuit. Papebrocius laudatus perperàm credidit, Callistum II Cluniaci coronatum fuisse, *post reditum nunciorum Româ, adulto Martio aut fortassis ipso die Paschatis, XXX ejusdem.* Rectè tamen observavit, cum Pontificatûs annos à die suæ electionis deduxisse. Addo. *Callistum* II anno Incarnationis Dionysiano & Pisano indifferenter usum fuisse, quod compluribus Viris eruditis errandi causa fuit. Porrò Falco in Chron. refert, *Gelasium*, Cùm convalescere penitus desperaret, Cardinales hortatum esse, ut *Episcopum Prænestinum*, tanquam magis idoneum sibi substituerent, sed eum Pontificatum recusantem proposuisse *Guidonem* Archiep. Viennensem, qui & electus fuit, ut narrat Baronius num. II, qui tamen Episcopum illum Prænestinum *Odonem* malè interpretatur; cùm certum sit, fuisse *Cononem*, de quo jam suprà sæpiùs mentionem fecimus, rursumque faciemus.

VII. *Concilium Tolosanum.* A num. VII ad XII. Callistus II post suam in Pontificem Romanum consecrationem, *Viennæ reversus, rebusque dispositis per Gallias transitum faciens, Tolosæ primo, Remis secundo celebrato Concilio, Romam cum maximo tripudio, sicut decebat, intravit*, anno scilicet sequenti, inquit Chronographus Morigniacensis lib. 2. Prioris Concilii Baronius non meminit, sed ejus summarium refert Catellus lib. 2. Comitum Tolosæ cap. 3. ex Bernardo Guidonis in parvo Tractatu *de Temporibus & annis generalium & particularium Conciliorum*, in quo legitur: *Hic Callixtus Papa Pontificatus sui anno primo VIII Idus Junii celebravit Concilium Tolosanum cum Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis & Abbatibus Provinciæ, Gothiæ, Gasconiæ, Hispaniæ, & citerioris Britanniæ, in quo Concilio inter cetera, quæ gesta sunt in eodem, fuerunt damnati Heretici, & depulsi ab Ecclesia, qui religionis speciem simulantes dominici Corporis & Sanguinis sacramentum, Baptisma parvulorum, Sacerdotiumque, & omnes Ecclesiasticos ordines, & legitimarum damnabant fœdera nuptiarum. Primitiæ quoque & decimæ, & oblationes, & bona deficientis Episcopi, & Clericorum, fuerunt Principibus, & quibuscumque laicis sub pœna sacrilegii interdicta.* Labbeus, ad hunc Bernardi Guidonis Episcopi Ludovensis locum animum non adverterat, & Tom. X Concil. Acta Concilii Tolosani Decretis decem constantia profert, quorum hæc Præfatio est: *Anno ab Incarnat. Domini MCXIX, indictione XII, Era MCLVIII, epacta VII, concurrente II, VIII Idus Junii, præsidente venerabili Callixto Papa II anno Pontificatûs sui primo in Concilio Tolosano*, &c. " In margine verò Labbeus ait: Mendosè scriptum erat MCXX, quod refellit indictio, & notatus Callisti annus primus. Ita ille. Verum si Vir doctissimus animadvertisset, annum Pisanum, quo aliquando Callistus II usus est, non differre ab anno eræ vulgaris, nec in indictione, nec in anno Pontificatûs, aut in aliis notis temporariis, sed tantum nostrum unitate superare, & Pisanos numerare annum MCXX, quando nos annum MCXIX, ita ratiocinatus non fuisset. Annus itaque ille MCXIX annus est Dionysianus, ut demonstrat Epistola Synodalis Callisti II, qui Concilio præfuit; scripta enim illa *Idibus Julii, indict. XII, Dom. Incarnat. anno MCXIX, Pontific. autem Domini Calisti II Papa an. I.* In præfatione Concilii legitur, *in Concilio Tolosano unà cum Cardinalibus*, &c *Abbatibus provinciæ Gotia, Gasconia*, &c. *hæc sunt recitata capitula.* Verùm loco, *provinciæ Gotia*, legendum, *Provinciæ, Gothiæ*, uti rectè Catellus & Baluzius lib. 8. de Concordia cap. 18., & demonstrat Epistola Synodalis subscripta ab Atone Arelatensi, & Fulcone Aquensi Archiepiscopis.

VIII. *Callistus II Tolosâ Romam venit.* Tolosâ per Pictavensem provinciam transiens Callistus II Andegavos, indeque Turonos venit; Tom. enim I Biblioth. Labbei in priori Chronico Andegavensi ad hunc Christi annum legitur: *Calixtus Papa venit Andecavam.* Ibi majus Altare Ecclesiæ Monialium Monasterii *Ronceresi* in vigilia Nativitatis B. Virginis, seu die VII mensis Septembris, dedicavit, ut patet ex Instrumento à San-Marthanis Tom. IV Galliæ Christianæ pag. 794. relato, qui & ibidem de Abbatia Fontebraldensi verba facientes, recitant Rescriptum Callisti II, in cujus fine legitur: *Dat. Turoni apud Majus monasterium per manum Grisogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarii XVII Kal. Octob. indict. XIII Dominica Incarnationis anno MCXIX, Pontificatus autem Domini Callisti II Papa anno primo*, ubi utitur Era communi Incarnationis. In eo Rescripto Pontifex ait: *Cum per Pictavensem Parochiam pro Ecclesiæ servitio transitum haberemus, venerabilis fratris nostri Willelmi Pictavensis Episcopi suggestione ad B. Mariæ de Fonte-braudi monasterium declinavimus*, &c. *In honore beatissimæ & gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ Oratorium dedicavimus* &c. *omnibus autem cooperante Deo, solemniter celebratis, ad populum, cujus undique illuc multitudo confluxerat, verbum ex more habuimus.* Turonis Callistus II venit ad monasterium Morigniacense in Diœcesi Senonensi prope Stampas situm, uti habet Chronographus Morigniacensis: *Anno incarnati verbi MCXX dedicata est Ecclesia Maurigniacensis cœnobii à domino Papa Callisto II, V Nonas Octob.* &c. *Inter eas venerabiles personas, quæ huic sanctæ dedicationi adfuerunt, venerabiliores fuerunt Cono Prænestinus Episcopus, totius Franciæ ac Teutoniæ, Alemanniæ ac Saxoniæ Legatus*, &c. Sed annus MCXX Pisanus est; Callistus enim, anno MCXX aliquot mensibus ante Octobrem jam Romam pervenerat; ideoque Chronographus annum illum MCXX eruit ex Charta tunc edita & anno Incarnationis Pisano notata. E Monasterio Morigniacensi Parisios venit, ubi *VIII Idus Octob. indict. XIII* dedit Privilegium quoddam Monasterio Vindocinensi Tom. XXI Biblioth. Patrum Edit. Lugdunensis pag. 101. recitatum. Tandem Remos profectus est ubi eodem mense Octobri Concilium celebravit.

IX. *Concilium Remense.* Refertur illud Tom. X Concil. in eoque conditi Canones quinque, quorum primus est *de damnatione simoniacæ hæresis*, secundus *de Investituris per manum laicam non faciendis.* Hæc ejus Præfatio: *Anno Incarnat. Dom. MCXIX Synodus Remis in Ecclesia Metropolitana die XII* (legendum, ut habet Ordericus, *indictione XII*, à Kalendis Januarii more Gallicano inchoata) *XIII Kal. Novemb. à Callisto Papa II celebrata est: in qua fuerunt Archiepiscopi XIII, & plusquam CC Episcopi, cum multis Abbatibus, & aliis Ecclesiæ Dignitatibus. Postrema die adsidente*

quoque in Concilio Rege Francorum Ludovico,&c. Acta ejusdem Concilii ex Rogerio Hovedeno num. IX à Baronio relata habent: *numeratæ sunt ibi personarum Pastoralium virga quadringenta viginti quatuor*; quæ etiam apud Simeonem Dunelmensem in Hist. de Gest. Reg. Angl. referuntur. Ordericus lib. XII, ubi fusè de Concilio Remensi agit, ait: *Anno ab Incarnat. Dom. MCXIX, indict. XII, in Octobris medio Callistus Papa cum Romano Senatu Remis venit, ibique XV diebus demoratus Concilium tenuit, & de utilitatibus Ecclesiæ cum Pastoribus dominici gregis solerter tractavit. Ibi nimirum fuerunt XV Archiepiscopi, & plusquam CC Episcopi, cum multis Abbatibus, & aliis Ecclesiæ dignitatibus. Apostolico enim jussu evocati de Italia & Germania, de Gallia & Hispania, de insulis Oceani, & cunctis occidentalibus provinciis, congregati sunt pro amore Salvatoris.* Hi Auctores inter se non discrepant quoad Patrum numerum, cùm baculus Episcopalis & Abbatialis *virga* nomine ab Antiquis designetur, ut videre est in Glossario Ducangii.

X. *In eo Henricus Imp. & Burdinus Antipapa excommunicati.*

Narrat postea Ordericus *Ludovicum* Francorum Regem Synodum introiisse, & de *Henrico* Anglorum Rege questum esse, quod *Robertum* Normanniæ Ducem beneficiarium suum, & *Guillelmum* Ducis filium malè tractaret, *Guillelmum* Comitem Nivernensem in carcere detineret, aliaque in medium adduxisse, de quibus anno MCXVI num. XVI mentionem fecimus. *Callistus* II Francis, Anglisque pacem summopere commendavit, *Treugam Dei*, sicut eam Urbanus II in Concilio Claromontano statuerat, tenendam præcepit, jussitque omnibus Episcopis & Abbatibus, ut eum præstolarentur, dum Mosonem castrum adiret, pacemque cum Imperatore Alemannorum ad utilitatem Ecclesiæ tractaret. *In crastinum*, inquit Ordericus, *feriâ quartâ cum insigni comitatu Mosonem profectus est, & dominico sequenti, præ labore & metu lapsus & æger Remis regressus est.* Dein *feriâ secundâ, postquam Papa consedit*, Joannes Cremonensis, eloquens Presbyter, *peracti eventum itineris seriatim* narravit, atque Imperatorem cum ingenti exercitu ad prædictum locum advenisse, & quasi pugnaturum armatorum ferè XXX millia secum habuisse. Pontifex verò dixit, memorem se quàm fraudulenter idem Imperator Paschalis II tempore Romam intrarit, huncque ceperit, repedandi consilium velociter iniisse. *In novissimo Concilii die Barcinonensis Episcopus* (qui erat beatus Oldegarius jam Tarraconensis Archiepiscopus anno superiori dictus) *subtilem, satisque profundum sermonem fecit de Regali & Sacerdotali dignitate*, &c. *Tunc Papa, Carolum Henricum Imperatorem Theomachum, & Burdinum pseudo-Papam, & fautores eorum, mœrens excommunicavit*, &c. *Deinde sacrum illud Collegium solutum est*, inquit Ordericus, cujus fusa de hoc Concilio narratio Tom. X Concil. legi potest, quemadmodum & Acta ejusdem Concilii descripta ab *Hessone Scholastico*, quæ Baronii tempore in tenebris latebant.

XI. *Angliæ Episcopi ad Concilium Remense venire permissi.*

A num. XII ad XVII. Henricus Angliæ Rex ad Concilium Remense Episcopos & Abbates Normanniæ, & insuper Episcopos Angliæ, *qui tunc temporis in Normannia cum illo degebant*, misit, inquit Eadmerus lib. 5. Novorum, qui subdit, *Thurstanum* Archiepiscopum Eboracensem illuc eundi à Rege licentiam obtinere non potuisse, quia Thurstanus à Callisto II sacrari volebat, & Rex jura Ecclesiæ Cantuariensis, ad cujus Præsulem pertinet ordinatio Eboracensis, illæsa cupiebat. Cùm tamen promisisset se à Callisto II Episcopalem benedictionem non suscepturum, ad Concilium Remense se se conferendi facultatem ab Henrico Rege impetravit, sed *posthabita fidei sponsione* à Papa consecrari obtinuit. *Quæ ut Regi certò innotuerunt*, ait Eadmerus, *mandat omnibus modis Thurstano & suis interdixit, redire in Normanniam, & Angliam, & in omnem locum dominationis suæ. Ratum ex his quisque audientium habuêre, præter consensum Regis, quæ fuerunt facta fuisse.*

XII. *Colloquium inter Callistum II & Henricum Angliæ Regem.*

Hæc postea Eadmerus ibidem habet: *Post hæc Callistus Gisortium venit, & Rex Henricus illuc ei locuturus accessit. Acta igitur sunt multa inter eos, quorum gratiâ par erat tantas personas convenisse. Inter quæ Rex à Papa impetravit, ut omnes consuetudines, quas pater suus* (nempe Guillelmus II) *in Anglia habuerat, & in Normannia, sibi concederet: & maximè, ut neminem aliquando legati officio in Anglia fungi permitteret, si non ipse aliqua præcipua querela exigente, & quæ ab Archiepiscopo Cantuariorum, cæterisque Episcopis regni, terminari non posset, hoc fieri à Papa postularet.* Hoc ideo à Rege postulatum, quia crebræ ex Urbe legationes, Anglorum animos accenderant; alia enim quam quæ Ecclesiæ esset, quæri causabantur: *In principio regni Henrici*, inquit Malmesburiensis lib. 1. de Pont. pag. 231. *venerat Angliam ad exercendum legationem Guido Viennensis Archiepiscopus, qui postea Apostolicus fuit. Tunc Anselmus, nec multò post quidam Petrus* (legati in Angliam missi): *omnesque reversi nullo effectu rei, grandi præda sui; Petrus maximè, quod omnes incendere caveret, qui esset filius Petri Leonis, summi Romanorum Principis. Crebra ergo ad Angliam meabat Legatio Romanorum insidiantium imbecillitati Radulphi* (Cantuariæ Archiepiscopi). *Sed effugabantur omnes cautelâ Henrici. Nolebat enim ille in Angliam, præter consuetudinem antiquam, recipere Legatum, nisi Cantuariensem Archiepiscopum: illique libenter refringebant impetum propter violentiam denariorum.*

XIII. *Callistus II anno Incarnat. Pisano aliquando usus.*

Porro suprà diximus, Callistum II anno Pisano quandoque usum esse, quod hîc ostendere juvat ex ejus Epistola ordine XII ad Canonicos Bisuntinæ Ecclesiæ S. Joannis; in fine enim ejus legitur: *Datum apud Magalonam, per manum Chrysogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Biblioth. II Kal. Julii Indict. XII Dom. Incarnat. anno MCXX, Pontificatus autem Callisti II Papæ anno I*, ideoque hoc Christi anno, qui nobis est MCXIX. Callistus II varias Ecclesias in Galliis dedicavit: *Ventum est in Provinciam*, inquit Pandulphus, *in qua S. Juliani Ecclesiam, cellam Psalmodiensis cœnobii idem Papa nimium celeriter dedicavit.* Ecclesia S. Joliani sita est in urbe Arelatensi, hodieque dicitur Parrochia S. Antonii Abbatis, *Psalmodium* verò ab Aquismortuis semi leuca tunc distabat, nuncque est Ecclesia Collegiata.

XIV. *Itinerarium ejus post Concilium Remense.*

Sed ut varia suis annis reddi possint, & quæ loca Callistus II dum in Italiam rediret, transierit, innotescat, juvabit observare eum Remis iterum Parisios, indeque Corbolium venisse, ut habet Moriniacensis Chronographus, qui ait: *Celebrato namque Remis maximo generalissimoque Concilio domnus Papa cum omni comitatu*

suo Burgundiam ingressurus Romamque profecturus de Parisius Corbolium advenerat. Corbolio sex circiter leucis à Lutetia dissito Melodunum venit, *ad quem locum Rex & Regina à Domino Papa discessuri, valeque facturi. Proceres atque Pontifices, multaque persona confluxerant*, inquit laudatus Chronographus, qui Callistum Meloduno Senonas venisse his verbis asserit: *Algrinus juratus atque publicatus hostis Monachorum* &c. *dominum Papam Senones insequitur*, unde Chronographus sancti Petri Vivi ad annum MCXIX scribit: *Postquam celebratum est Concilium Remis, venit dominus Papa Senonas, quem adiit Abbas Arnaldus, & ostendit literas, quas habet Ecclesia Sancti Petri de duabus sororibus S. Ebbonis Ingoara sc. & Leotheria, quas confirmavit* Epistolâ *data Senonis Nonis Decembris* ad Episcopum Lingonienſem.

XV. *Joannes Imp. adversus Persas bellum movet.* Ad num. XVIII & seqq. Historiam Zonaræ continuarunt Nicetas Choniates usque ad annum MCCV, & Joannes Cinnamus Imperatorius Grammaticus, qui ab excessu Alexii Comneni Imp. Historiam suam exorsus, resque à Joanne Imperatore ejus filio carptim & libro unico complexus, eas potissimum describendas suscepit, quæ *Manuele Comneno* Joannis filio, imperante, accidêre, quibus ipse interfuit, & in omnibus, quas Manuel obiit expeditionibus, fidelissimus comes extitit. Joannes Imp. rebus politicis, prout se se obtulerat occasio, ritè compositis, in Asiam transiit. Nam *enim Persas fœdus cum patre suo initum nihili facientes, urbes Phrygiæ, & ad Mæandrum fluvium sitas, magnis copiis incursare cerneret, primo vere egreditur. multisque prœliis victor Laodiceam capit, & mœnibus cingit, ejecto Alpichara, qui Urbi cum præsidio præerat: ceterisque rebus ordinatis, domum redit*, inquit Nicetas, quæ Cinnamus paulò fusiùs habet.

XVI. *Concilium Beneventanum.* Falco in Chronico de Landulpho Archiepiscopo Beneventano hoc anno scribit: *Mense Martio XII indictionis prædictus Beneventanus Archiepiscopus videns civitatem variis prædarum afflictionibus ex omni parte confundi & devastari, suæque Parochiæ Ecclesias à raptoribus vexari quotidie, Synodum decima die intrante ejusdem mensis Martii celebravit. Ad cujus sacri Conventus præsentiam Tusculanus adfuit Episcopus, & Ugo suprà nominatus Cardinalis, & Cardinalis alius, & Beneventanæ sedis suffraganeorum circiter viginti, monasteriorum Abbates sex adfuêre. Inter cetera verò, quæ in ipso Conventu statuta sunt, malefacientes Beneventi omnes, & disturbantes mercatores ad civitatem venientes & redeuntes, sub anathematis vinculo alligavit. Conventu itaque piè & ordinatè finito unusquisque ad propria repedavit.* Baronius num. V alium Falconis locum refert, in quo Ugonis Cardinalis Legati mentio; sed hujus Concilii non meminit. Fusè describit Falco Translationem die XV mensis insequentis à Landulpho factam corporum Sanctorum *Martiani*, & aliorum ibidem nominatorum, quæ prisco tempore non honestè tumbæ jacuerant. Quam ceremoniam prolixè narrat, additque Landulphum hoc anno obiisse, & *Rofridum* in locum ejus electum esse.

XVII. *Moritur B. Petrus de Honestis.* *Petrus de Honestis*, qui Canonicos Regulares in Ecclesia sanctæ Mariæ in Portu in agro Ravennate instituit, mortuus est hoc anno *quarto Kal. April.* Ravennæ, in Portuensi ab se extructo cœnobio, ibique sepultus, ut testatur Rubeus lib. 5. Hist. Ravenn. Peculiarem Regulam Canonicis, quibus præerat, scripsit, quam *Paschalis II* X Kal. Januarii anno MCXVI confirmavit. Ea edita ad calcem Operum *Petri Damiani*, cum quo aliqui perperàm Petrum de Honestis confudêre, quos tam Rubeus, quàm Pennotus lib. 2. cap. 48. confutarunt. Petrus quidem de Honestis, sicut Petrus Damiani, *Peccatorem* se appellabat, sed mos tunc inoleverat, ut ob animi demissionem, aliqui se se *Peccatores* inscriberent, quod illorum temporum monumenta declarant. Petrum de Honestis in Italia imitati sunt Canonici sancti Fridiani Lucensis, Lateranenses, & quidam alii. Nunc Canonici Portuenses subsunt Congregationi *Canonicorum Lateranensium*, quæ inter plures alias Italiæ præcipua est. In Actis SS. Bollandianis ad diem XXIX Martii Petrus de Honestis memoratur inter *Prætermissos*, quod ab aliquibus *Beatus*, ab aliis *Venerabilis*, ab aliquibus vir *piæ memoriæ* appelletur. Juvabit legere Mit[illegible]um in *Originibus Canonicorum Regularium Ord. S. Augustini*, in libro singulari *de Congregationibus Clericorum in communi viventium*, & in alio *de Collegiis Canonicorum*.

XVIII. *Maurorum Hispaniæ & Africæ rebellio.* Maurorum Africæ & Hispaniæ res malo in loco erant, *Ali* Almorabitarum Imperator magno contemptui erat; tantum enim abest, ut ex dissidiis inter Christianos exortis emolumentum aliquod hausisset, ut *Alphonsus* Castellæ & Aragoniæ Rex anno superiori *Cæsaraugustam* expugnavit, & hoc sequentique anno varia munita oppida eisdem eripuerit. Rodericus in Hist. Arab. cap. 49. de isto Almorabitarum Imperatore scribit: *Et fuit in cunctis debilis & ignavus, nec regni confinia defendebat.* Quare Saraceni *Cordubam* quæ primaria eorum urbs citra mare, insolentes, apertè in eum rebellarunt. Tunc tandem *Ali* animum fractum ac demissum excitavit, congregatoque exercitu mare trajecit, inquit Nowairius & Andalusios seu Vandalicios (ita enim Hispaniarum Saraceni appellabantur) ad obedientiam compulit, tantumque terrorem Cordubensibus civibus incussit, ut ejus misericordiam implorarint. *Ali*, cujus imperium *Musmudes*, aut *Musmutes*, vel *Mazmutes*, ut Hispani hanc vocem pronunciant, detrectabant, lubenter eis veniam tribuit; in Africam enim illi transfretandum erat, quia *Musmudes* Atlantem montem, seu, ut Hispani loquuntur, *Montes Claros* habitantes in Susa Provincia ad Marochii meridiem sita, Ducem sibi præfecerant *Mahometem* Tumarti filium, eodem populo prognatum, qui tantam multitudinem Maurorum sibi conciliarat, ut domum *Ali*, omnemque Almorabiticam sectam, ac religionem Christianam, tam in Africa quàm in Hispania, tandem exterminarit. Quare ad Annalium Ecclesiasticorum supplementum de eo nobis necessariò agendum.

XIX. *Mahomet Eben Tumart Mahumetanos in Africa reformat.* Erat *Mahometes Eben Tumart* à tribu Hargæ nationis Musmudarum ex illustrioribus una. In Orientem profectus variis doctrinis animum excoluit, & ad Meccam peregrinationem obiit. Ex Asia in patriam itinere maritimo rediens cœpit pœnitentiam prædicare iis, qui in eadem navi erant, adeoque eorum animos dementavit, ut eum pro Sancto habuerint; sed ubi Africam attigit, Mahometici cultus promovendi studio magis exarsit. Cùmque sanctitatis ejus fama

SÆC. XII. An. C. 1119.

undique dilataretur, & à prædicando Alcorano non desisteret, non longè à Bugia urbe aliàs Mauritaniæ Sitifensis, nunc Regni Algerii provinciæ cognominis capite, obvium habuit hominem *Abdelmumen* dictum, figuli filium, declaravitque hunc ad conservandam, restituendamque in Africa religionem à Deo electum fuisse, idque à Mahomete Prophera prædictum. Ipsemet Mahomet Eben Tumart sibi attribuit nomen *Almohdi*, vel ductoris & directoris, quod ante ducentos annos *Obeydallah* cùm Caliphatum Africæ usurpavit, sumpserat. Quare deceptus est Rodericus lib. 7. cap. 10. cùm postquam Eben Tumart tanquam Astrologum exhibuit, ait: *Aventumerth autem ascivit quemdam, qui Almohadi vocabatur, & erat in Mahometi doctrina valde peritus, & cœpit librum Mahometi, qui dicitur Alchoranus, exponere & docere.* Mahometes enim filius Tumert vel Aben Tumert idem fuit ac Almohadi.

XX. *Marochii, quæ Urbs Regia erat, Alcoranum prædicat.* Noweirius ait, prætensum hunc Prophetam *Marochium* tandem pervenisse, ibique publicè in vitia, pravosque mores invectum esse. Cùmque benevolos auditores invenisset, eò insulentiæ processit, ut cùm videret Imperatoris *Ali* sororem magnificè vestitam, & generoso equo insidentem eam ex eo dejecerit, exclamans indignum esse, ut in Musulmanna fœmina hæ vanitatis notæ apparerent. Hoc cùm accepisset *Ali* Almotabitarum Imperator hominem vocavit, isque ad eum audacter respondit, ac vi rationum suarum & argumentorum subtilitate Doctores ejus ita perculit, ut quid contrà dicerent, non habuerint. Consilium Imperatoris tulit, ut innovatorem morti traderet; sed Imperator consilium illud aspernatus est, interimque Pseudo-Prophera è manibus ejus elapsus *Marochio* egreditur, & apud populares suos in *Susam* provinciam secedit. Ibi cùm adversus vitia ac præsentem rerum statum vehementer declamaret, agrestem illum populum ad defectionem commovit: *Cœpit Calipha de Baldac* seu Badadi, inquit Rodericus, *contraria prædicare, similiter contra Almoravides, qui tunc culmen regni in Africa obtinebant, rebellia adhortari.*

XXI. *Origo Almohadum.* Neque enim patiebatur *Eben Tumart*, ut Calipha Bagadensis agnosceretur, nec ut Principibus Almorabitis, qui ab eo investituram accipiebant, mos gereretur. Hoc interim spatio *Mahometem* hunc, inquit Noweirius, filium *Eben Tumart* Ducem sibi præficiunt, existimantes eum esse verum directorem à *Mahomete* Legislatore prædictum, & religionem Mahumeticam per totum Orbem restauraturum. Rebus sic stantibus, *Almohadi* sectatores suos *Almo-Wahhedinos* appellavit, idest, viros, qui doctrinam de unitate Dei in essentia, substantia, & persona solidè constituerent. Et licet hoc dogma omnibus Mahometanis commune sit, ac Musulmannicæ religionis fundamentum, nihilominus *Almowahhedim*, seu *Almohades* magis reformatos aliis videri volentes, ac studio inflammationi accensos nomen illud elegêre, quasi bellum implacabile iis indicerent, aut plures Deos uti Idololatræ, vel plures in Deo personas, uti Christiani statuunt. Quare licet sectarii alii omnes Christianos apud se manere passi essent, *Almohades* tamen nullum penitus tolerarunt, sicuti ex dicendis liquebit.

SÆC. XII. An. C. 1120.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6613. — Anno Æræ Hispan. MCLVIII.

☉ 9. DC. ☽ 19. P. 18. April. Indict. 13. — Anno Hegiræ DXIV inchoato die 2. April. fer. 6.

JESU CHRISTI 1120.

CALLISTI II PAPÆ 2.

HENRICI V REG. 15. IMP. 10.

JOANNIS COMNENI IMP. 3.

I. *Itinerarium Callisti II.* AD num. I & seq. Callistus II literis anno superiori *Senonis Nonis Decembris* datis, & Tom. X Concil. pag. 834. recitatis *Joscerannum* Lingonensem Episcopum judicem constituit litis, quæ inter Abbates Sancti Petri Vivi Senonensis, & Molismensem versabatur. Thomas Stubbs in Actis Pontif. Eborac. narrans quàm honorificè Turstinus Archiep. Eboracensis à Callisto II, quem in Gallia adiit, exceptus fuerit, ait: *In solemnibus processionibus equitando factus, quando more Apostolico coronatus fuit, sicut in die natalis Domini, Augustudum, & die Epiphaniæ Cluniaci Episcopus Ostiensis, qui magister inter eos & dignior erat, eum parem esse voluit.* Quare Senonis Augustodunum & Cluniacum descendit, indeque Trenorcium oppidum utrique vicinum profectus est, ubi die undecima mensis Januarii currentis anni dedicavit Ecclesiam Trenorciensem, ut fidem faciunt tam hujus Pontificis Epistolæ XVIII & XIX, quàm vetustum Kalendarium Trenorciense à Chiffletio in Probationibus ad Hist. Trenorciensem pag. 308. relatum. In eo quidem dies tantùm & mensis notantur; sed cùm in Epist. XVIII hujus dedicationis mentio sit, & in ea legatur: *datum Matiscone XIX Kal. Febr. indict. XIII*, apparet eam tertio post dedicationem die scriptam, & Callistum II Trenorcio Matisconem venisse.

II. *Augustodunum & Cluniacum fuit.* Callistum II Bruno Archiepiscopus Trevirensis, dum Augustoduni esset, convenit, quod Adelbertus Archiep. Moguntinus, qui Legationem Apostolicam ab ipso Papa dudum acceperat, ut ait Urspergensis in Chron. ad annum MCXXI, jura Ecclesiæ suæ læderet. Rem narrat Scriptor Anonymus Historiæ Trevirensis, qui hoc tempore vivebat, Tom. XII Spicilegii Dacheriani pag. 248. *Anno*, inquit, *ordinationis suæ decimo nono* (legendum, decimo octavo, juxta dicta anno MCIV num. XI *placuit Romam tendere, ut renovaret Privilegia sedis suæ, indignatus super protervia Adelberti Maguntiensis Episcopi de Legatione Romanæ Sedis sibi concessa superbè se efferentis, maximè cùm ex concessione priorum Apostolicorum Episcopus Treverorum nulli nisi soli Apostolico, vel à latere ejus Misso ad præsens debeat obedire.* Paulò pòst: *Cum igitur propter causas supra memoratas suprà dictus Bruno versus Romam iter faceret, & Augustidunum usque processisset, Callistus Papa ibi ei occurrit, & eum amicè suscepit, & cum eo in eodem loco Natalem Domini celebravit* (anno nempe superiori). *Transactis autem diebus solemnibus pariter iter Cluniacum dirigunt, ubi Bruno causas adventûs sui aperuit, prolatisque coràm sedis suæ Privilegiis eadem sibi & Ecclesiæ suæ Apostolicæ subscriptionis firmamento stabiliri postulavit, & obtinuit.* Refert deinde Historicus literas ei à Callisto II concessas, datas *Cluniaci tertio nonas Januarii*, quibus

SÆC. XII. An. C.1120. quibus Pontifex personam ejus *à cujuslibet Legati potestate* absolvit, *nisi forte à suo latere dirigatur.*

III. *Deinde Romam.* Sed Callistum II Romam pergentem sequamur. Matiscone *Romanum*, oppidum in Delphinatu hodierno Valentinæ Urbi proximum profectus est, ubi die XV mensis Februarii coofirmavit bona & Privilegia Ecclesiæ Bisuntinæ Sancti Joanois, ut docet ejus Epistola ordine XIII, data *Romanis XV Kal. Martii, indictione XIII Incarnat. dom. anno MCXX Pontificatus autem domini Callisti II Papa anno secundo.* Pridie ejus Diei monasterium sancti Cucuphatis Martyris, Ordinis Sancti Benedicti, vulgò *San Culgat*, soscepit sub protectione Sedis Apostolicæ, eique omnia bona ac Privilegia sua confirmavit, ut discimus ex Rescripto ejus, à Baluzio io Appendice ad Marcam Hispanicam pag. 1253. recitato, quod dicitur, *Datum Romæ per manum Grysogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Biblioth. XVII Kal. Martii indict. XIII, anno Incarnat. dom. MCXX, Pontificatus autem domini Callisti II Papa anno secundo*, sed corrigendi errores duo à Librariis admissi, & loco *Roma*, legendum, *Romanis*, loco, *XVII Kal.* legendum, *XVI Kal.* mensis eoim Martius tot dies ante Kalendas non habet.

IV. *Callistus II Primatum in septem Provincias Viennensi Archiep. concedit.* Cum verò inde *Valentiam* se cootulisset, *VIII Kal. Martii* Privilegium quoddam Ordinis Cluniacensis ratum habuit, ut patet ex ejus Epistola ordine XXII, & *quinto Kal.* ejusdem mensis Vienoensi Ecclesiæ, cujus Episcopus foerat tribuit Primatûs auctoritatem in septem Proviocias, Viennensem, Bituricensem, Burdigalensem, Auscitanam, Narbooeosem, Aquensem, & Ebredunensem cum potestate Synodos indicendi, & negotia Ecclesiastica caoonicè dirimendi. Occasionem arripuit subjiciendi septem illas Provincias Ecclesiæ Vienoensi, inquit Marca in Dissert. ad Concilium Claromontanum anno MXCV celebratum oum. CXXIII, qua in Notitia in capite illarum septem, descripta est Viennensis provincia, unà cùm ejus Metropoli, quæ est *civitas Viennensium.* Quare conjecit tam sibi liberum esse, ut Vienoam septem Provinciis præficeret, quàm Decessoribus suis fuerat, Logdunum præficere iis Provinciis quæ Lugdunenses dicebantur in Notitia. Et ne nova videretur hæc institutio, à Silvestro I & aliis Pontificibus Romanis ejus originem arcessit, quorum supposititia Rescripta edita sunt à Joaone Bosco, ubi ex Romano Catalogo septem Provinciæ subjici dicuntur *Vienna*, ut notatur in calce supposititii rescripti Silvestrini. *Tarantasia* autem Archiepiscopum, qui Præpositus erat provinciæ Alpium Penninarum extra septem illas, positæ, subjecit Viennensi, ut Primati, exemplo Leonis I & Symmachi.

V. *Origo octo Viennensium Provinciarum in Notitiis.* Existimat Marca ex hoc *Callisti* Decreto initium sumsisse divisionem illam, quam aliquot exemplaria *Notitia* præferunt, in octo Vienoenses Provincias: ita ut Viris eruditis laborandom non sit in alia ratione ejus divisionis quærenda, com Scaligero, qui Vicarium Præfecti Prætorio Galliarum *Vienna* quondam constitisse, & io octo illas Provincias jus dixisse, sibi, dein ceteris, sine ullo argumento, imò etiam contra veteris Historiæ fidem persuasit. Cùm itaque beneficio Callisti, *Bituricensis* Ecclesia, quæ Primatu in Aquitania potiebatur, & *Narbonensis*, quæ ex Urbani II Decreto Primas erat Provinciæ Aqueosis seu Narbonensis Secundæ, subjectæ essent Primati Viennensi, ipse sibi *Primatus Primatum* nomen indidit: & monetæ, quam cudi curabat Viennæ, haoc inscriptionem adjecit: *Maxima sedes Galliarum.* Sed oulla planè auctoritate in vim ejus Rescripti, quod per subreptionem elicitum, veterum Primatum inauditorum jura convellebat, Archiepiscopus Viennensis potitus est. Attamen Diensem, & Albensem, seu Vivariensem Episcopatum, vi Rescripti illius ab Arelatensi Provincia distractos, Vieonensis Archiepiscopus in suam provinciam adscivit, cujus etiamnum partes sunt. Callistus II disfinivit Ecclesiam Eboracensem liberam esse à Professione, quam petebat Radulphus Archiep. Cantuariæ: *Hoc apud Vapingum in Capite jejunii Apostolico Privilegio confirmatum est*, inquit Thomas Stubbs in Actis Pontif. Eborac. apud Seldcoum Tom. II pag. 1716.

A num. III ad VIII. Callistus II dispositis Gallicanatum Ecclesiarum tebus, *veniens ad* [VI. *Callistus II Romam pergit.*] *Montem Pessulanum*, inqoit Pandulphus *processit ad Sanctum Ægidium, peragratisque Provinciæ partibus, & Alpium difficultate transcensa ad Sanctum Ambrosium cum jucunditate pervenit.* Oppidum Sancti Ambrosii paucis milliaribus ab urbe *Susa* dissitum est. Iode Romam perrexit, ubi *tertio Nonas Junii* magno honore exceptus fuit, inquit Egino Abbas, cujus Epistolam ad omnes Fideles tunc scriptam tefert Baronius Malmesburiensis in lib. 5. de Gest. Reg. Angl. de Callixti II Romam adventu ait: *Libenter à civibus, (nam jam Imperator discesserat) receptus est. Tum Burdinus in medio relictus Satrinii effugit, multis peregrinorum calamitatibus Papatum suum fovere meditatus;* Proceres enim, qui ejus partibus adhærebant infestas latrocinius vias habebant, eosque qui Romam tenderent, spoliabant. Porrò Udascalcus Monachus Sancti Udalrici scripsit Narrationem *de controversiis inter Hermannum Episcopum Augustanum & Eginonem Abbatem S. Udalrici*, quæ extat Tom. II Antiq. Lect. Henrici Canisii complectiturque Epistolas quinque Paschalis Papæ II, tres Arnoldi Archiep. Maguntini, ac tres Eginonis Abbatis.

Jordanus Archiepiscopus Mediolanensis à Callisti II partibus stabat, & ut inquit Puricellus, [VII. *Jordanus Archiep. Mediolanensis Papæ Romam venienti occurrit.*] Pontifici occurrerat propter eos, qui insidiabantur gratiâ Imperatoris; & Pontifex ipse eum convenire cupiebat, quemadmodù properè & prospetè Romam adiret, Sedemque ibi Apostolicam obtinere valeret, uti narrat Landulfus Junior cap. 35. apud Puricellum uum. CCCXXXIII, obi ait: *Guerra Cumanorum* (idest, Comensium) *& Mediolanensium durante, atque eorum Pontificum & Consulum, vidi Dominum Papam Callistum, & Jordanum Archiepiscopum cum pluribus Ecclesiasticis & secularibus viris illustribus consedere in Terdonensi Palatio: in quorum præsentia querelæ meæ causam protuli, scilicet de Domino Jordano*, à quo Landulfus vexabatur, qui paulò post subdit: *Jordanus itaque, ejusque cœtus locutus de sua opulentia in illa vespertina hora, & die altera Palatium descendit: atque in tertia, quæ dies fuit Dominica de Ramis Palmarum, in Ecclesia Sancti Martiani cum suis suffraganeis Petrum Terdonensem Electum, licet modò abjectum, in Episcopum ordinavit*, &c. *In die autem altera, quæ fuit secunda feria,*

feria, domnus ipse Electus Papa Terdonam exivit: cum quo Olricus (id est, Henricus) *Vicedominus Mediolanensis, Jordano Archiepiscopo reversente Mediolanum, usque Placentiam ivit.*

VIII. *Jordano demortuo succedit Olricus.* Tum Landulfus cap. 36. *Deus Omnipotens, neque per literas Domini Gelasii, neque per Legatum Callisti* (qui tunc erat Vicedominus Olricus) *Jordanum mihi suavem sive benignum fecit. Sed de mundo illum tulit & gratiâ Presbiteri Nazarii Primicerii, & ceterorum, quos suspectos habebam, & habeo, Olricus Vicedominus Jordano successit, qui ferè simili modo me gravavit, ut Jordanus.* In antiquo Catalogo Episc. Mediolan. apud Mabillonium in Musæo Italico & apud Papebrocium Tom. VII SS. mensis Maii legitur: *Domnus Jordanus Archiepiscopus Sedit annos VIII & menses IX, & dies III: Obiit IV Nonas Octob.* Quæ computatio certa, à die enim prima mensis Januarii anni MCXII, quo eum electum fuisse vidimus, ad diem IV mensis Octob. currentis anni spatium illud intercurrit. Olricus seu Henricus die XVII mensis Novemb. electus est Archiepiscopus juxta eumdem Catalogum, in quo de eo habetur: *Sedit annos V, & menses VI, diesque XI: Obiit V Kalendas Junii.* Sed quia certum est mortem ejus incidisse in annum MCXXII, loco, *annos V*, legendum *annos II*; qui error sæpe in MSS. occurrit.

IX. *Olricus Archiep. Mediolan. instituit festum Mortuorum.* Iste *Olricus* primùm instituit Mediolani Commemorationem omnium fidelium defunctorum, idque sedente Jordano, cùm ipse adhuc Archipresbyter esset, ut ostendit vetus Catalogus Archiepiscoporum Mediolanensium apud Puricellum in Dissert. Nazariana cap. 96. num. III. In eo enim Catalogo legitur: *Istius* (nempe Jordani) *tempore Olricus Archipresbiter & Vicedominus Ecclesiæ Mediolanensis ordinavit festum mortuorum sequenti die post festum Dedicationis.* Idem Puricellus num. V hæc verba refert ex Kalendario Ambrosiano, anno MCCCLXXXI in pergameno scripto: *Nota quod Dedicatio Ecclesiæ Mediolani est semper tertia Dominica Octubris & festum Mortuorum est die Lunæ sequenti.* Beroldus Jordano & Olrico coætaneus, ut demonstrat Puricellus cap. 97. Dissert. Nazarianæ, composuit Manuale adhuc MS. asseritque Dedicationem Ecclesiæ Mediolani celebrari Dominica III Octobris, & addit, *feriâ secundâ post Dedicationem Ecclesiæ instituit Dominus Olricus bonæ memoriæ Archiepiscopus* (quia post illam institutionem eam dignitatem adeptus est) *Commemorationem & Officium fieri omnium fidelium defunctorum in Ecclesia Mediolanensi pro animæ suæ remedio; quod hoc ordine celebratur. Finito itaque Matutino supradicti diei, omnia tintinabula Ecclesiarum pulsentur; & Matutinum defunctorum publice cantatur. Simili etiam modo, facto mane, Missa absque defunctorum tantùm voce excelsa celebratur*, &c.

X. *D. Carolus usum Ecclesiæ Rom. in Mediolanensem introducit.* Ceterùm institutio ejusdem Festi facta ab *Odilone* Abbate Cluniacensi, quam Ecclesia Romana ad diem secundam mensis Novembris amplexa est, in Mediolanensem introducta non fuit ante initium seculi proximè præteriti. Nam in Kalendario Missalis Ambrosiani anni MDV legitur: *Dedicatio Ecclesiæ Majoris Mediolani semper celebratur in tertia Dominica hujus mensis* (nempe Octobris) *& festum Mortuorum est die Lunæ sequenti.* Idem legitur in editione anni MDXXII cum hoc discrimine, ut uterque ossus in ea ponatur, & ad diem II Novembris legatur: *Commemoratio omnium fidelium defunctorum secundùm Romanos.* Idem legitur in editione anno MDXLVIII facta. Sed postea solemnitas festi Mediolani instituti paulatim abolita fuit, & *ad libitum* relicta, idque in Breviario anno MDLVII impresso, in quo legitur, *Et nemo tenetur, nisi qui vult.* In editione anni MDLX facta tantùm mentio festi Mortuorum ad diem II Novembris; tandemque divus Carolus Archiep. Mediolanensis in suo Breviario anno MDLXXXII impresso, omnibus Presbyteris & Clericis præcepit, ut quoad festum Mortuorum se se Ecclesiæ Romanæ conformarent.

XI. *Roma mox Beneventum excipitur.* A num. VI. I ad XI. Brevi tempore *Callistus* II Romæ remansit; ut enim Normannos ad Sutrii expugnationem hortaretur *Beneventum* se contulit, uti narrat Baronius. Porrò *Sutrium* oppidum est rupibus undique cinctum, ab urbe Romana XXV mille passibus dissitum, ubi *Burdinus* ab Imperatore derelictus se se continebat; & sine exercitu expugnari non poterat. Sed præstat audire Falconem in Chron. Petro Diacono & Romualdo Salernitano Archiep. à Baronio citatis antiquiorem, cùm de rebus hoc anno in Italia gestis verba facit: *Hoc anno*, inquit Falco, *supra memoratus Papa Callistus ab ultramontanis partibus reversus est, & nono die intrante mensis Junii Romam ingreditur* (Egino, ut suprà vidimus, scribit Callistum II Romam *III Nonas Junii* introisse; & in Chron. Falconis numeri sæpe depravati. Quare loco, *nono die*, legendum, *tertio die* & error ille Librariis adscribendus). *Unde factum est, ut Petrus Portuensis Episcopus tunc Vicarius cum aliis Cardinalibus Romæ manentibus, aliisque Clericorum turmis, & viris utriusque sexus obviam Pontifici illi properavit. Gaudium igitur populi Romani & lætitiam, si lector aspiceres, diceres admirans præ gaudio tanto sub honore triumpho Pontificem quempiam Urbem ingressum non fuisse. Audiens itaque Hugo Cardinalis, qui tunc Beneventanam civitatem regebat, Apostolici adventum Romam festinus tetendit, & cum illo cives quamplures adierunt*, &c.

XII. *Beneventum proficiscitur.* *Hoc anno Bernardus Abbas Monasterii S. Sophiæ*, (in urbe sc. Beneventana) *III Kal. Aug. migravit ad Dominum. Post obitum verò ipsius Abbatis quædam Monachorum pars ultimo die stante mensis Julii Monachum quemdam Ademarium nomine Abbatis Madelmi nepotem in Abbatem elegerunt, ad cujus electionem Joannes venerabilis Decanus*, &c. *aliique Monachorum sapientum non consenserunt: unde factum est, quod discordia ineffabilis inter eos habita est. Hoc anno Dominus noster Papa Callistus accepto consilio Beneventum advenit, & octavo die intrante mensis Augusti civitatem ingressus est. Audiens itaque Beneventanus populus ipsius adventum longè latèque optatum, extra civitatem duorum millium spatio gaudio magno repletus egrediebatur: Apostolicus ipse à Clericis & Monachorum turba, & à Presbyteris, civibusque omnibus gloria & gaudio magno suscipitur. Præterea Amalphitani omnes, plateas cunctas vestibus sericis, palliisque & ornamentis pretiosis in adventu illius ornaverunt; insuper ornamenta verò thuribula aurea & argentea cum odoribus & cynnamo-*

no posuerunt. Pedes verò Apostolico & habenas equi cives quatuor à ponte Leproso usque ad portam Sancti Laurentii ducebant: deinde quatuor, alii usque ad Episcopium, ab Episcopio autem quatuor Judices, &c. usque ad Sacrum Beneventanum Palatium detulerunt. In comitatu Apostolico si adesses, & tympana percussa, cymbala tinnientia, & lyras sonantes aspiceres, revera affirmares, Apostolicum alium cali sub triumpho & gaudio ingressum non fuisse civitatem.

XIII. *Gesta Beneventi hoc anno.* *Diebus autem non multis decursis, complures civium, qui amici Landulphi* (cognominati à Græca, Pontificis Romani addictissimi) *quondam Comestabuli, fuerant, Apostolicum precantur, quatenus ei copiam habitandi tribueret in civitate, Comestabulus verò per triennium Montem Fuscum habitaverat. Apostolicus igitur fidelium suorum precibus favens, sicut postulaverant, licentiam impendit, &c. Audiens autem Callistus Pontifex discordiam illam, qua inter Fratres Monasterii sancta Sophia pro electione facta supradicti Ademarii regnabat, Monasterium advenit, & quia electio illa canonica & regularis non esset, à Petro Portuensi Episcopo, caterisque Cardinalibus qui illuc convenerant, irrita & fracta judicata est. Confestim id à Pontifice Callisto confirmatur. Quid multa? licentiam fratribus dedit, ut quem vellent Abbatem, eligerent. Quo facto ad Palatium Apostolicus reversus est. In crastinum autem quarta decimo die intrante mensis Augusti &c. Fratres numero quinquaginta personam Joannis Grammatici, virum prudentem, & ornatis moribus comprehenderunt, & eum invitum & renuentem Cathedram supersedere fecerunt, &c. Audiens igitur Apostolicus, quod regulariter electio illa fieret, complacuit & confirmavit. Diebus autem non multis excursis pradictus Pontifex Callistus Monasterium S. Sophia advenit, & inter Missarum solemnia XIV Kal. Septemb. prafatum Joannem, &c. consecravit. Die verò ipsius consecrationis dedicatio altaris B. Mercurii celebratur in S. Sophia. Diebus autem non multis elapsis prius ad pradicti Rofridi electionem Pontifex Callistus inducias posuit, ut ad constitutum tempus jejunii mensis Septembris consecraretur.* Anno superiori Rostidus Archiepiscopus Beneventanus electus fuerat.

XIV. *Obitus duorum Comitum Caieta.* Hæc etiam præsenti anno Falco narrat: *Hoc anno quinto die stante mensis Maii Capuani constituerunt Principem Richardum, filium Roberti Principis, Dominum eorum, eò quòd Princeps genitor ejus infirmabatur, & eo constituto Capuanus Archiepiscopus convocatis Episcopis, aliisque viris prudentibus, & Rofrido Beneventano Electo, die, Ascensionis Domini V die ipsius Maii stante Principem eum consecravit.* Habemus hîc egregium exemplum, quo evincitur Apuliæ Scriptores per mensem *stantem*, *instantem*, vel *astantem* intellexisse mensem exeuntem; hoc enim anno, quo Pascha die XVIII mensis Aprilis celebratum, Ascensionis festum in diem XXVII mensis Maii incidit, & Falco disertè asserit festum Ascensionis fuisse diem quintum ipsius mensis Maii *stantem*; ad quem loquendi modum cùm varii Critici emunctæ naris animum non advertissent, quandoque Chronologiam perturbarunt. Refert postea Falco Rofridum Beneventanum Electum, inducias sanxisse cum Ranulpho Comite: *Ceram omnibus fide data & accepta trewvam à septimo die stante mensis Maii* sc. à die XXV mensis Maii, juxta ea quæ mox diximus) *usque ad Kalendas Septembris firmiter confirmaverunt.* Addit Falco Robertum Principem Capuanum octavo die post filii sui consecrationem è vita migrasse: *quo defuncto Jordanum pradicti Roberti Principis fratrem constituerunt in Principatus honorem.* Ad “ quæ verba Peregrinius in Stemmatibus Prin- “ cipum Capuæ hæc notat: *Cui* (nempe Falconi “ standum, Auctori rem minutissimè exponenti, “ non autem Petro Diacono lib. 4. cap. 65. nec “ Anonymo Casinensi perhibentibus ipsum un- “ ctum (retinuêre enim Normanni Capuæ Prin- “ cipes se sacro oleo perungi) post patris mor- “ tem. Nec consentiendum Romualdo Salerni- “ tano, qui ait, Roberto successisse fratrem ejus “ Jordanum. Jordanus II Princeps Capuæ post “ nepotem Richardi III inunctus Nonis Ju- “ lii anno MCXX, secundùm Falconem & Chronicon Cavense. Callistum II Trojam profectum esse, ibique honorificè à Willelmo Apuliæ Duce exceptum, tradit Romualdus Salernitanus Archiep. in Chron. apud Baronium num. VIII.

XV. *Callistus II Romam redit.* Pandulphus in Vita Callisti II loquens de eo è Gallia Romam reduce, ait: *Ibi aliquandiu commorans, Hugonem Cardinalem à Benevento vocavit. Idem D. Hugo Beneventum tenebat: cum quo simul & aliis pariter per Campaniam & Casinense cœnobium ipsum adiit Beneventum,* die scilicet octava mensis Augusti. *Venerunt ad eum illicò Guillelmus Apulia Dux, Princeps Capuana urbis Jordanus Comes,* &c. *& innumeri alii, qui eidem sibi hominium fidelitatemque fecerunt. His ita dispositis paulò post Romam per Maritimam rediit,* vel exeunte hoc anno, vel ipso sequentis initio. Hæc de prima Callisti II in Apuliam profectione, ad quam revocati non potest Legatio Sugerii, de qua statim ago.

XVI. *Legatio Sugerii ad Callistum II. ejusque in Abbatem consecratio.* Ad num. XI. Legationem *Sugerius* Monachi San-Dionysiani nomine Ludovici VI Francorum Regis ad *Callistum* II dum in Apulia esset, quam ipsemet in Vita ejusdem Regis memorat neque hoc anno, ut putavit Baronius neque anno MCXXII aut insequenti, ut omnes alii arbitrati sunt, sed anno millesimo centesimo vicesimo primo obitam, ex ejusdemmet relatione certò deduci puto. Baronii opinio sustineri non potest, cùm *Sugerius* pag. 310. disertè asserat se ad eam destinatum, postquam *Burdinus* perpetuo carceri damnatus fuit, quod anno tantum sequenti, exeunte mense Aprili accidisse videbimus. Quo narrato subdit Sugerius: *Cui* (nempe Callisto II) *cùm in Apulia apud civitatem Botuntum* (legendum, Bituntum, vel Butuntum, quod oppidum est à Beneventano aliquod milliaribus distans) *missus à Domino Rege Ludovico pro quibusdam regni negotiis occurrissem*, &c. Ait postea, cùm vix se dedisset, ut in Franciam rediret, se se mortem *Ada* Abbatis Dionysiani accepisse, & *communem* de persona sua *factam electionem*; sed quia *inconsulto Rege factum fuerat*, eum meliores Fratrum & milites nobiliores castello Aurelianensi inclusisse. Se se etiam ad Regem unum de suis præmisisse, ut sciret, *quem finem turbati negotii confusio reperisset*; sed dum eum subsequitur, *inopinatè* rediisse, *qui Regis pacem, captorum solutionem, electionis confirmationem reportant*, & denique cùm ad Sanctum Dionysium pervenisset, Archiepiscopum Bituricensem, *sequente die, sabbato scilicet Mediana*,

diane, se Presbyterum ordinasse, *& sequente dominica* Abbatem consecrasse. Paulò pòst indicat, se Romam profectum esse, & sequente *ordinationis* suæ *anno* Concilio Generali Laterani habito interfuisse. Hæc Sugerius.

XVII. *Utriusque Epocha.* Concilium Lateranense I anno MCXXIII qui annum Sugerii ordinationis sequebatur, die XXV mensis Martii celebratum, anno MCXXII *sabbato Mediana*, seu sabbato ante Dominicam Passionis, die sc. XI mensis Martii Presbyter, & dominica insequenti Abbas consecratus fuit, qui reliqui sunt menses duo & dies aliquot ejusdem anni MCXXII, vix sufficiunt, ut Parisios mittere, illucque ipsemet pervenire posset. Ex quibus consequens est, *Sugerium* ultimis mensibus anni millesimi centesimi vicesimi primi ad Callistum II Legatum missum fuisse; paucis postquam cum eodem Pontifice collocutus est diebus, mortem Adæ Abbatis Dionysiani accepisse; hancque accidisse ipso initio anni MCXXII; cùm ab illo tempore ad diem, quo Presbyter ordinatus fuit, fluxerint tantum menses duo & aliquot dies, in eundo Parisios, indeque redeundo consumpti. Quare in parvo Chronico Sancti Dionysii in fine Tom. II Spicilegii Dacheriani edito, accuratè ad annum MCXXII scriptum: *Obiit Adam Abbas. Ordinatio Sugerii Abbatis.* Anonymo vetera instrumenta suffragantur, & Nangius in Chron. Verum quidem est, initio Operum Sugerii pag. 280. ex vetere Codice MS. Ecclesiæ Sancti Dionysii dici *Sagerium* anno Domini MCXXIII in Abbatem monasterii electum esse, sed illud ex mox dictis se ipso corruit, sicuti & quod ex Chronico Nangii ad annum MCXXIII refert, & sequitur Mabillonius in Nota ad Epistolam LXXVIII Sancti Bernardi & in Chronologia Bernardina: *Sugerius Sancti Dionysii in Francia Monachus*, &c. *à Roma regrediens, quò fuerat à Rege Franciæ Ludovico missus, Abbate suo Adam defuncto eligitur in Abbatem, qui reversus primò Presbyter ordinatur, & post præsente Rege à Bituricensi Archiepiscopo in sua Sancti Dionysii Ecclesia in Abbatem benedicitur;* Sugerius quippe, ut ex ipsomet Sugerio ostendimus, tempore Quadragesimali anni MCXXIII, non in Francia, sed Romæ erat, & Concilio Lateranensi I assistebat.

XVIII. *Magis confirmatur.* *Callistus* II anno MCXXI medio mense Septembri *Salerni* versabatur, & eodem mense exeunte *Beneventi* fuit, uti eo anno videbimus. Quare ex alterutra urbe *Bituntum* se contulit, ibique *Sugerius* ante ejusdem anni finem eum convenit, & negotia pro quibus missus fuerat, exposuit. Ea itaque Legatio, nec hoc anno, nec anno MCXXII aut insequenti peracta, nec aliquid contra hanc nostram sententiam alicujus momenti afferri potest; cùm contrà aliæ ipsummet Sugerium contrarium habeant, ut ex dictis patet, & magis mox liquebit. In Patriarchio quidem Bituricensi cap. LXII dicitur, *Vulgrinum* Bituricensem Archiep. *tertio adepti Pontificatus anno* Sugerium in Abbatem Sancti Dionysii benedixisse, illumque *Leodegario* anno MCXX mense Martio demortuo in Archiepiscopatum successisse. Verùm Anonymus, qui illud Opus composuit, seculo præcedenti vixit, & nisi annos Julianos numeret, ut sæpe fit, hac in re non audiendus, sicuti nec in multis aliis passim à viris doctis rejectis. Duchesnius in Notis ad Hist. Calamitatum Petri Abaelardi, pag. 1173. ut probet *Adamum* anno MCXXIII demortuum, ait ipsummet Sugerium in veteri Charta annum Christi MCXXV administrationis suæ tertium numerare, his verbis: *Actum in monasterio B. Dionysii in generali Conventu, præsidente Domino Suggerio venerabili Abbate ejusdem monasterii, tertio administrationis ejus anno, Incarnat. autem Dom. MCXXV, die Dominica Idus Martii, Lunâ VII, Indict. III, Epactâ XIV, concurrente III, regnante Ludovico glorioso & illustri Francorum Rege; XVII administrationis suæ anno, & præsentem condonationem confirmante*, &c.

XIX. *Corrigitur locus mendosus Constitutionis Sugerii.* Verùm locus ille, qui seculi nostri Criticos in errorem induxit, mutilus est, & loco, *die Dominica Idus Martii*, legendum, *die Dominica VIII Idus Martii*, seu die VIII, non verò die XV mensis Martii; Sugerius enim, qui anno MCXXIII, die XXV mensis Martii Concilio Lateranensi Romæ interfuit, non potuit eodem anno, die prima Aprilis apud S. Dionysium in Francia Abbas consecrari, quod tamen necessariò sequeretur, si præfata subscriptio pura esset, quia Sugerius consecratus fuit dominica sabbatum *Mediana* subsequente, quæ anno MCXXIII in diem primam Aprilis incidit. Dominicam enim Passionis *Medianam* appellatam fuisse certum, & Sabbato antecedenti Sacros ordines conferri solitos, docet Durandus lib. 6. Rationat. cap. 59. num. 2. Hanc nostram emendationem confirmant constitutiones duæ Sugerii ab ipsomet Duchesnio Tom. IV pag. 546. recitatæ, in quarum una ordine III Sugerius ait, eam datam esse *XV Kalend. Julii anno incarnati Verbi MCXXXVII, indict. XV, anno vero administrationis nostræ XVI*, & in altera ordine IX: *Actum est hoc & hæc charta anno ab Incarnat. Domini MCXLVIII, regnante Ludovico Rege Francorum & Duce Aquitanorum, anno regni sui XVIII; Abbatiæ vero nostræ XXVII.* Quæ subscriptiones veræ esse non possunt, nisi Sugerius Abbatiæ suæ annos ab anno MCXXII deduxerit. Postquam hæc scripseram legi apud Doubletum in Antiquit. monasterii Sancti Dionysii pag. 852. Diploma emissum à Ludovico VI Francorum Rege in gratiam Sugerii tunc Abbatis Sancti Dionysii, datum *Parisiis publicè anno incarnat. Verbi MCXXII, Regni nostri XIV, Adelaidis Reginæ VII*, &c. Ex quo Diplomate liquet etiam novo exemplo Adelaidis Reginæ annos numeratos fuisse, non quidem in omnibus ejusdem Regis literis, sed in multis, quæ adhuc supersunt: Incipiunt hujus Reginæ anni anno Christi MCXV, cùm primus connexus reperiatur cum anno MCXVI, & tertius cum anno MCXVII.

XX. *Institutio Ordinis Præmonstratensis.* Ad num. XII. In vulgari Chron. Roberti de Monte ad hunc annum legitur: *Vir Dei Norbertus à Papa Callisto Bartholomæo Laudunensi Episc. specialiter commendatus* (anno sc. superiori, quo post celebratum Concilium Remense Callistus II Laudunum venit, ut refert Hugo in Vita Sancti Norberti cap. 17.) cùm ei Ecclesia *B. Martini à prædicto Episcopo offerretur, tum propter urbis viciniam, tum quia ejusdem Ecclesiæ Clerici propositi & vitæ ejus austeritatem horrebant, eam reliquit, & ab Episcopo diversis ejusdem provinciæ locis congruentibus sibi ostensis, tandem divinitus in loco Præmonstrati resedit, ibique solitarius*

SÆC. XII. An. C. 1120.

ritus religiosam vitam agere cœpit, & tempore Quadragesima ad colligendos socios solus egressus, ante Pascha cum tredecim sociis rediit, & cum his in Præmonstrato loco secundùm Canonica institutionis normam ad tenorem Regulæ B. Augustini Deo militare cœpit. Hermannus, qui hoc tempore vivebat, ex Monacho Laudunensi Sancti Vincentii, factus postea Abbas Sancti Martini Turonensis, in Hist. Restaurationis Abbatiæ Sancti Martini Tornacensis Tom. XII Spicilegii Dacheriani de hoc Ordine scribit. *Sic per Dei gratiam brevi tempore profecit, ut nullum præter Apostolos videamus hodie tantum fructum in Ecclesia fecisse. Nam cùm necdum conversionis ejus trigesimus annus sit, jam ferè centum monasteria à sequacibus ejus per diversas Orbis partes constructa audivimus; ita ut etiam in Hierusalem usque Regula eorum servetur.*

XXI. *Gerardus Episc. Engolismensis, fit Legatus Aquitaniæ.*

Hoc anno Callistus II literis *Beneventi XVII Kal. Novembr.* datis Gerardo Episc. Engolismensi committit Legationem Sedis Apostolicæ *per Bituricensem, Burdigalensem, Auscitanam, Turonensem, & Britanniam provincias*, aitque se id facere exemplo Paschalis; qui cùm nullam Gelasii II mentionem faciat, Baluzius in Supplem. ad lib. 5. Concordiæ cap. 47. ubi eas literas refert, rectè inde deducit, *Gerardum* hac auctoritate instructum non fuisse à Gelasio II; præsertim cùm *Cono* Episc. Prænestinus ad Hugonem Episc. Nivernensem scribens literas supra à nobis memoratas de electione Callisti II dicat, Gerardum Engolismensem Episc. in partes ejus transiisse, & indicare videatur illum quodam modo alienatum fuisse à Curia Romana tempore electionis Gelasii II. Ait enim: *Nam & Engolismensis Episcopus, antequam à nobis discederet, subscripserat, & domino Papa humiliter se subdiderat.* Data itaque viro præpotenti Legatio Aquitanica ad mitigandum ejus animum. Eam autem quinque præfatis Provinciis comprehensam fuisse jam supra ostendimus, & laudatæ Callisti II literæ demonstrant. Hujus tamen legationis terminos, contractos aut dilatatos fuisse pro libito Summorum Pontificum probat ibidem Baluzius citatus.

XXII. *Concilium Bellovacense.*

Anno MCXX, inquit auctor Chronici Sancti Petri Vivi, *celebratum est Concilium IV Kal. Novembris à Domno Conone Prænestino Episcopo, qui tunc Legatus dicebatur trium provinciarum Rotomagensium, & Senonensium, atque Remensium. At quod Concilium cùm Archiepiscopi cum suffraganeis suis tam Episcopis, quàm Abbatibus Belvaco harum invitarentur Provinciarum, Domnus Daimbertus Senonensis Archiep. invitatus, molestia corporis detentus venire non potuit.* Subjungit hujus Chronici Auctor Daimbertum invitasse Arnaldum Abbatem Sancti Petri Vivi ad iter illud peragendum, sed illum cùm iter suscepisset, in morbum incidisse. *Mox quemdam Monachorum suorum nomine Clarium, ut se excusaret, ad Concilium transmisit. Monachus verò ille ad Concilium veniens, Abbatem Arnaldum Dominum suum veris rationibus excusavit*, inquit Chronographus. Dacherius in margine habet, Clarium istum Auctorem esse ejusdem Chronici Sancti Petri Vivi; quod confirmat in Præfatione ad Lectorem num. VII, scribitque *Clarium* Floriacensem primùm, pòst ejusdem Abbatiæ Sancti Petri Monachum fuisse, & *Gaufridum à Colone* Monachum itidem Sancti Petri Vivi, de Concilio Belvacensi in Tabulis Chronologicis agentem tradere: *Pro domno Senonensi Archiepiscopo, & pro se, misit* (nempe Abbas) *Monachum nomine Clarium, valdè benè literatum: qui Monachus benè illos excusavit.* Mathoudus in Dissert. De Vera Senonum Origine Christiana cap. 2. §. 2. Clarium Auctorem Chronici Sancti Petri Vivi statuit, ostenditque Gaufridum Præfationi libri sui lemma subjecisse, quo testatur, se libellum suum scripsisse *anno Domini MCC nonagesimo tertio.* Dacherii opinionem omnes etiam alii secuti sunt.

XXIII. *Clarius non est Auctor totius Chronici S. Petri Vivi.*

Verùm ipsemet Dacherius in Præfatione laudata ad Tom. II Spicilegii num. V. refert verba Lisiardi Suessionensis Episcopi *in Vita MS. Sancti Arnulphi decessoris sui cap. 15. de Elevatione corporis ejus*, quæ demonstrant non solum Auctorem Chronici Sancti Petri Vivi deceptum fuisse in die celebrationis Concilii Belvacensis, & in delegatione tam Arnaldi Abbatis, quàm Clarii Monachi ad eam Synodum; sed etiam Clarium non esse legitimum parentem ultimorum annorum præfati Chronici. Ait enim Lisiardus, Concilium Belvacense *XV Kalend. Novembris* congregatum fuisse, subditque: *Intererant ibi Episcopi Francorum Guillelmus Catalaunensis Columna doctorum, Gaufridus Carnotensis Episc.* Daimbertus Senon. nsis Archiepiscopus, *Aurelianorum Episc. Parisiorum Episc.* Listardus Ego Indignus Suessionensis Episc. &c. Quare Lisiardus, quem constat ex Chron. Remensi anno MCXXV vita functum, hac in re falli non potuit, & Auctor qui Chronicon S. Petri Vivi usque ad annum MCLXXIX perduxit, non potest esse *Clarius*; is enim non assereret, *Daimbertum* morbo affectum ad Bellovacense Concilium non venisse, & Clarium, seu semet ipsum, ejus loco missum esse. Certè parum verosimile est, Chronographum post annos sexaginta à celebratione Concilii, cui ipse interfuisset, manum operi admovisse. Ceterùm Surius ad diem XV mensis Augusti recitat Vitam S. Arnulphi Suessionensis Episc. à Lisiardo scriptam, LII capitibus contentam, quæ in morte ejus desinit, nihilque habet eorum, quæ Dacherius refert. Unde suspicor, Surium prætermisisse Historiam miraculorum & Translationis Sancti Arnulphi, & ex ea, non verò ex ejus Vita, Dacherium exscripsisse, quæ refert, quæque nunc Tomo X Concil. ubi sermo est de Concilio isto Bellovacensi, leguntur. Anno MCIX jam indicavi, Chronicon Sancti Petri Vivi post annum circiter MC continuatum fuisse ab alio Auctore, sicut Chronicon Hildensheimense, Opus est trium Auctorum, sub unius nomine editum.

XXIV. *Translatio S. Arnulphi Episc. Suessionensis.*

Concilium *Bellovacense* currenti anno coactum fuisse, ex fragmento illo Dacheriano certò eruitur; ibi enim dicitur, auditis miraculis in variis regionibus à Sancto Arnulpho post mortem ejus patratis, decretum fuisse, ut corpus ejus *Kalendis Maii* de humo levaretur, subditurque: *itemque cap. 18. annus, quo gesta sunt isthæc, nempe paulò post peractum Concilium, designatur. Facta est autem hæc Sancti Arnulphi Translatio prima die Maii, indict. XIV sub anno Dominica Incarnat. MCXXI, Francorum sceptra tenente Ludovico filio Philippi annis quatuordecim.* Decretum itaque in Concilio Bellovacensi mense Octobri currentis anni conditum, anno sequenti, die qui designatus fuerat, executioni mandatum. Cumque *Guillelmus* Catalaunensis Episcopus,

ſcopus, quem certum eſt menſe Januario obiiſſe, huic Concilio interfuerit, manifeſtum eſt lapſos eſſe Viros doctiſſimos, qui mortem ejus cum anno MCXIX alligarunt, & quæ Chronographus Maurigniacenſis de Conone & Willelmo Catalaunenſi Epiſc. ſcribit, præſenti anno contigiſſe: *Divina providentia factum eſt*, inquit Chronographus iſte, *ut rurſus Dominus Cono Praneſtinus Epiſcopus & Apoſtolica Sedis Legatus apud nos hoſpitandi gratiâ divertiſſet, habens ſecum velut auxiliatorem magnum Willelmum Catalaunenſem Epiſcopum, qui ſublimes ſcholas rexerat, & tunc zelum Dei habens ſuper omnes Epiſcopos totius Galliæ divinarum Scripturarum ſcientiâ fulgebat.*

XXV. *Moritur Gerardus fundator Ord. Hoſpitaliorum.*

Hoc anno *Gerardus* primus Inſtitutor Ordinis Equitum Hoſpitalariorum è vita migravit, teſte Chronographo Malleacenſi, qui hoc tempore vivebat, quique ad annum MCXX inter alia habet: *Girandus Hoſpitalis de Jeruſalem eodem anno obiit in ſancta converſatione.* Boſius quidem in parte II Hiſtoriæ hujus Ordinis lib. 1. pag. 11. mortem ejus in annum MCXVIII confert, ſed nullo teſte. Ipſemet pag. inſequenti narrat extare donationem quandam ab *Attone* Comite Aprutii anno MCXX Hoſpitali Hieroſolymitano factam, ex qua quidam deducunt, *Rogerium*, qui in ea Donatione dicitur Præfectus Hoſpitalis Hieroſolymitani, & Fratrum ejus Gerardo in eo munere ſucceſſiſſe, non verò *Raimundum de Podio*, quod Boſius jure meritò in dubium revocat. Error inde proceſſit, quod cùm Notarius Magiſtri Jeroſolymitani nomen ſola littera R. expreſſiſſet, imperitus exſcriptor loco Raimundi *Rogerium* legit, cùm in nulla Hiſtoria Rogerii mentio ſit. Raimundus electus Ordinis Magiſter Regulam edidit ab omnibus Hoſpitalis Hieroſolymitani Religioſis in poſterum obſervandam, quæ poſtea interpolata fuit, ut idem Boſius tradit. Seculo decimo ſexto Rhodo à Turcis capta quidam Equites Hieroſolymitani corpus Gerardi Melitam & inde in domum ſuam Manuaſcæ, quod oppidum eſt Provinciæ in diœceſi Siſtaricenſi ſitum, detulerunt, uti refert Columbius Manuaſcenſis lib. 3. Hiſt. Manuaſcæ, qui ſubdit: *Gerardus eſt in præcipua Manuaſcenſium veneratione, & ſæpenumero pluviam arentibus agris rogatus concedit.*

XXVI. *Pax Francos inter & Anglos ſancita.*

Geſta hoc anno in Anglia Simeon Dunelmenſis in Hiſt. de Geſt. Reg. Angl. hoc modo narrat: *Anno MCXX Rex Anglorum Henricus & Rex Francorum Ludowicus poſt multa ſuarum partium detrimenta, die præſtituto ineunt colloquia. Quo ex conſenſu concordia peracto, juſſu Regis Henrici filius ejus Willelmus, facto Regi Francorum hominio, Normanniæ ſub illo ſuſcipit Principatum. Ita redeuntibus in pacem Regibus, tota tumultuantis Normanniæ ſeditio comprimitur*, &c. *Ad hoc Epiſtola Apoſtolici ad Regem jam parantem redire in Angliam directa, Turſtinum Archiepiſcopum* (ſc. Cantuariæ) *ſuſcipere, & in ſuam præcepit Eccleſiam omni poſtpoſita excuſatione reſtituere. Sed ad hoc præceptum quid potiſſimum reſpondeat Rex, diſtulit donec rediiſſet in Angliam.*

XXVII. *Willelmus Angliæ Rex declaratus naufragio perit.*

Itaque Rex omnibus, qui contra ſe inſurrexerant, vel devictis vel repacificatis, cunctiſque ad votum proſperè peractis, quinto profectionis ſuæ (ſc. in Normanniam), *anno needum completo, lætior ſolito in Angliam multo* (navigio) *revehitur. Delegaverat autem filio cunctoque illius comitatui, navem qua nulla in tota claſſe videbatur melior, ſed ut eventus oſtendit nulla infelicior. Patre namque præeunte, paulo tardiùs, ſed infeliciùs ſequebatur filius. Nave quippe non longè à terra in ipſo velificationis impetu ſuper ſcopulos in ipſo exitu delata ac diſſoluta, filius Regis cum omnibus, qui ſecum erant, interiit VI Kal. Decemb.* (legendum, *VII Kal. Decemb.* ut Ordericus lib. 13. & Malmesburienſis pag. 165. habent, & feria demonſtrat) *feria V noctis initio apud Barbufflot. Manè facto, theſaurus Regis, qui in navi fuerat, invenitur per arenas, corpora verò pereuntium nulla.* Ordericus laudatus reditum Henrici Angliæ Regis in Regnum ſuum, & mortem Willelmi filii in annum præcedentem malè retrahit refragantibus aliis Scriptoribus Britannicis, præſertimque Eadmero lib. 5. Novorum, Viro in Chronologia accuratiſſimo. Venerat in Normanniam *Henricus* Rex anno MCXVI, ut Eadmerus, aliique produnt; & ab eo tempore variæ pugnæ inter eum & Ludovicum Francorum Regem habitæ ſunt, de quibus Anonymus in veteri membrana MS. apud Ducheſnium Tom. IV pag. 323. ita loquitur: *In bello quoque contra Henricum Regem Angliæ ſæpe vario eventu pugnavit, nunc victor, nunc victus: tamen victoriam ſæpiùs reportavit. Et tandem adinvicem pacificati ſunt.*

XXVIII. *Ordo militaris S. Sepulchri inſtituitur.*

Alphonſus Aragoniæ Rex poſtquam *Darocam* munitum oppidum Aragoniæ ad Xilocam *Fl.* *Mauris* eripuit, animadvertens à Daroca Valentiam uſque villas omnes & vicos deſertos, agroſque incultos ob continuas *Maurorum* incurſiones, certum locum elegit, ubi *Montem Regalem* ædificandum curavit, conventumque Equitum militarium, Hoſpitaliorum inſtar deſignavit, ut nova hæc militia Chriſtianos circumvicinos à Mauris tutaretur, & ad Valentiæ, Murciæque Regna Mauris eripienda aditum panderet. De hujus Ordinis inſtitutione loquitur Surita lib. 1. Annal. cap. 45. aitque *Gaſtonis* Vicecomitis Bearnenſis, & Regni ſui Procerum conſilio factam eſſe, amplos his Equitibus ab Alphonſo Rege reditus deſtinatos; pium opus per univerſum Aragoniæ Regnum tam à *Guillelmo* Archiepiſcopo Auſcenſi, quàm ab Aragoniæ Epiſcopis promulgatum; ſed ob Regis mortem rem effectum ſortitam non eſſe. Equites iſti *Sancti Sepulchri Equites* nominati, & ab uno Orderico lib. 13. *Fratres de Palmis* nuncupati, quod, ut rectè conjicit Marca lib. 5. Hiſt. Bearniæ cap. 21. pro inſignibus palmam elegiſſent. Joannes Briz Martinez in Hiſtoria Sancti Joannis Pennatenſis lib. 5. cap. 24. hos Equites à *Templariis* diverſos fuiſſe optimè demonſtrat, ſed in eo fallitur, quod eoſdem cum Sancti Joannis Pennatenſis Equitibus confundat. De victoriis ab *Alphonſo* Rege de Mauris in Hiſpania reportatis legendi Surita, Joannes Briz Martinez & Marca citati.

XXIX. *Almohedi ad univerſum Africæ Imperium inhiat.*

Poſtquam *Ali* Almorabitarum Imperator Africanos ſibi rebelles vidit, ut *Almohedi* rebellium ductoris factionem in ipſo ortu præfocaret, ex Hiſpania exercitum miſit, ſed is animo imperterrito ſe victorem fore ſuis prædixit, quod cùm revera contigiſſet, montis *Tinmerla* incolæ Legatos ad eum miſêre, ejuſque Dominium agnovêre, ac fœdus cum eo pepigerunt. Cùm ad montem illum *Almohedi* perrexiſſet, veritus, ne ab agreſti populo iſto proderetur quò illos hac rebellione magis illigaret, auctor eis fuit, ut quos *Ali* Imperator ad colligenda tributa mitteret, interficerent; quod & factum fuit; omnes enim Officiales & à Principe delegati internecione deleti,

deleti, eorumque bona ab *Almohedi* suis distributa. Mitto hîc crudelitates & dolos, quibus vir multiplici ac tortuoso ingenio osus, ut apud rebelles auctoritatem nancisceretur; hoc solum dicam, eum *anno Hegiræ* DXIV, quo hæc accidêre, exercitum quadraginta millium pugnatorum ad *Marochium* Marochiani Imperii metropolim obsidendam misisse, ut absolutum in Africa dominatum exercere posset. Verùm, uti refert Noweirius Arabs, consilium hoc ei infeliciter cessit, exercitusque ille fusus fugatusque. Sandovallius scribit, Chronica, Documentaque Hispanica à se visa fidem facere Christianos ad hanc *Musmutum* aut *Musmudum* cladem plurimùm contulisse. Marochium, inquit fol. 120. „ refertum erat Christianis captivis, inter quos „ *Reberter* eques Catalanus bellica laude clarissimus, cui *Ali* Imperator confidebat, eumque „ multùm faciebat. Ab *Ali* prorsùs abhorrebant „ Assyrii Mosinitæ appellari, qui hanc Africæ „ partem habitabant, quam *Montes Claros* vocabant, (hæc Musmudum origo ab Assyriis de„ ducta manifestè falsa; sed antiquis Hispanis „ parceodum, si de originibus Arabicis satis edo„ cti non fuêre). Ali Imp. hoc negotium omne „ *Rebertero* commisit, eique facultatem fecit, ut „ servos omnes Christianos Marochii existentes, „ & arma ferre valentes secum duceret. Faustum, „ fortunatumque fuit *Ali Imp.* quod talem virum elegisset; quia ejus & militum Christia„ norum fortitudine *Reberter* præclaras de ini„ micis victorias reportavit. Ita Sandovalius.

XXX. *Ejus Dominatus initium à sequentis anno repetendum.* *Ebn Tumart*, inquit Noweirius, ac Propheta ille & Almohedi moriens suis commendavit, ut in Principem eligerent *Abdelmoumen*, quod ante finem anni Hegiræ DXIV ab illis præstitum, ideoque initio sequentis Christi anni. Hæc epocha initii Dominatus & Imperii *Almowahedinorum*, à quibus Christiani in Africa & in Hispania duè habiti. Scriptores Hispanici *Almowahedinorum*, aut *Almohadum* nomen corrupêre, indeque hujus nominis etymologiæ magnas tenebras offudêre. Testatur Rodericus plures eam à Propheta Mohadi deduxisse. Verum hanc derivationem linguæ Arabicæ periti, quos consului, planè rejiciunt. Addit Rodericus, alios, arbitratos *Almohades* vocem *Unitos* designare, qui licet falsi sint, veritati tamen proximè accessêre; *Almohades* enim Latinè sunt *Unitarii*, seu unitatis defensores. Subdit Noweirius, *Abdelmoumen* à montium incolis Regem electum nomen *Amiral Mumenin*, idest, fidelium Imperatoris sibi attribuisse, Calipharum instar, & *Omarum* ex ejus Ducibus unum, Imperii successorem designatum esse.

XXXI. *Victoria de Saracenis ab Alphonso Aragonum relata.* In Chronico Malleacensi ad annum MCXX narratur victoria ab Alphonso VI Aragoniæ Rege de Saracenis ad *Cutandam* reportata; Cutanda autem castrum est Darocæ proximum, in Regno Aragoniæ situm. Hæc hujus Chronographi verba: *Quinto decimo Kalendas Julii Comes Willelmus* (sc. Pictaviensis, hujus nominis VIII), *& Dux Aquitanorum, & Rex Aragundiæ pugnaverunt cum Abraham, & aliis quatuor Regibus Hispaniarum in campo Cotantia, & devicerunt, & occiderunt quindecim millia Moabitarum, & innumerabiles captivaverunt: duo millia camelorum ceperunt, & de aliis bestiis sine numero, & plurima alia subjugaverunt castella.* Joannes Briz in Historia Pennatensi rectè refellit Suritam hoc prælium ante Cæsaraugustæ expugnationem collocantem; sed perperàm tradit, *Willelmum* Comitem Pictaviensem eidem non interfuisse. Fundatur hic Historicus in Charta in Archivis suæ Abbatiæ Sancti Joannis Pennatensis servata, dataque erâ MCLVIII, hoc scilicet Christi anno, in cujus fine Willelmi Comitis adventus his verbis narratur: *Facta charta feriâ III postera die de Maio, quando venit Comes Pictavensis in Hispaniam.* Ipse autem autumat, prælium ad Cutandam nonnisi circa annum MCXXII habitum esse. Verùm Charta illa demonstrat, Chronographum Malleacensem hujus prælii annum & diem accuratè constituisse; dies enim primus mensis Junii, qui posterus est dies *de Maio*, seu qui sequitur mensem Maium, incidit hoc anno in feriam tertiam; & prælium die XVII mensis Junii commissum, ut mox diximus ex Chronographo Malleacensi. Martinus Carillus in Catalogo Episcoporum Aragonensium ait, incertum esse an Episcopatus *Taraçonensis* restitutus fuerit, & urbs Saracenis erepta hoc vel sequenti anno; sed cùm prælium ad Cutandam ad præsentem annum pertineat, non videtur dubitandum, quin ea restitutio ad hunc etiam annum referenda sit. Porrò Tarraçona hæc ab Alphonso Aragoniæ Rege cum aliis septem oppidis capta, ut anno MCXVIII indicavimus, diversa à Tarracone vel Tarragona Catalauniæ urbe; illa enim in Celtiberia & in Regno Aragoniæ sita, ut ostendit Surita lib. 1. Annal. cap. 45. ubi fusè de hac Tarraçona agit, docetque primum Episcopum post Sedis restitutionem fuisse *Michaelem* qui ideo coævus fuit B. Oldegario Archiepiscopo Tarragonensi & Episcopo Barcinonensi. Denique Tarraçona Aragoniæ scribitur cum circuli parte ab Hispanis *cedilla* dicta; indeque Tarraçona à Surita laudato appellata ab Hermanno Monacho dicitur *Tarrassona* seu *Tarassona* ratione inferioris semicirculi explicati. Hermanni verba anno MCXXXIV referam.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6614.

☉ 10. B. ☽ 1. P. 10. April. Indict. 14.

JESU CHRISTI 1121.

CALLISTI II PAPÆ 3.

HENRICI V REG. 16. IMP. 11.

JOANNIS COMNENI IMP. 4.

Anno Eræ Hispan. MCLIX. Anno Hegiræ DXV inchoato die 22. Martii fer. 5.

I. *Burdinus à Callisto II captus.* A Num. I ad VI Falco in Chron. hoc anno habet: *Pontifex Callistus exercitu congregato super civitatem nomine Sutrim tetendit; Gregorius autem ille* (idest, Burdinus Antipapa, Gregorius VIII dictus) *quem prædictus Rex* (nempe Henricus Imp.) *in Pontificem statuerat, civitatem ipsam obtinebat. Viribus sumptis civitatem illam comprehenderunt, & Gregorium illum turpissimè, ultra quàm credi potest, injuriis afflictum ligaverunt. Deinde illum super camelo imponentes Romam taliter captivum, & vestibus propriis exutum perduxêre IX Kalendas Maias. Pontifex igitur Callistus Deo & Petro Apostolo gratias agens gaudio magno repletus Urbem triumphans ingressus est: deinde consilio invento ad monasterium Sanctæ Trinitatis, quod Cava dicitur, illum delegavit.* Baronius num. III refert Epistolam, quam Callistus II post Burdinum captum ad Episcopos & fideles per Gallias constitutos scripsit, sub *datum Sutrii quinto Kalendas Maii*, apud Malme-

Malmesburiensem lib. 5. de Gest. Reg. Angl. vel *sexto Kalend.* apud Rogerium Hovedenum in Annal. & Simeonem Dunelmensem lib. de Gest. Reg. Angl. Verum utrobique numeri mendosi; cum enim Burdinus *IX Kal. May* Romam perductus fuerit, & illuc statim *Callistus* II se se contulerit, literæ illæ, nec V nec VI Kalend. Maij Sutrii scriptæ fuêre, nisi in ipsomet Falcone numeri depravati sint, ut non rarò alibi in præclaro illo Opere. *Burdinus* itaque sub Gregorii VIII nomine trienoio integro Ecclesiam perturbavit, aliis ei adhærentibus, aliis verò *Gelasium*, & post eum *Callistum* II verum Pontificem agnoscentibus.

II. *Ab aliquibus in Anglia Pontifex Rom. agnitus.*

Rem adeo memorabilem magis explico. Eadmerus Auctor accuratus in rerum & temporum circumstantiis, lib. 6. Novorum, postquam de iis, quæ hoc anno in Anglia ad res Ecclesiæ benè componendas gesta sunt, sermonem habuit, ait: *Dum hæc isto ordine in Anglia disponuntur, fama certitudo illuc usque perlata est, Papam Callistum, viribus undecumque collectis, Mauricium cognomento Burdinum; quem vocatum Gregorium, in sede Apostolica Imperator, cum suis fautoribus Papam constituerat, cepisse; eumque suis omnibus spoliatum, monasterio, ut Monachus esset, contumeliosè intrusisse.* Antea de Gestis anno MCXIX Eadmerus scripserat: *Dum hæc Ecclesiastica ita in Burgundia disponuntur, Apostolatus Romanæ Ecclesiæ præfato Gregorio sede beati Petri præsidente administratur. Super his ergo multis rumoribus Anglia concussa est, aliis hunc, aliis illum, aliis neutrum Ecclesiæ Dei jure prælatum asserentibus. Galli tamen & Rex Anglorum cum Pontifice Cantuariorum in Callistum se transtulerunt, & eum, spreto Gregorio, pro Apostolico susceperunt.* Certè Matthæus Parisius, qui Anglus erat, Gelasium Antipapam appellat: *Anno*, inquit, *MCXVIII defuncto Papa Paschali, Gelasius Antipapa anno uno succedit, cui successit orthodoxè Callistus.*

III. *Refellitur fundamentum Schismaticorum.*

Fundamentum Schismaticorum erat, ut pluribus ostendit Baluzius lib. 3. Miscell. in Vita Burdini num. XVI & seq. quod secundùm constantem consuetudinem quoties Romani cujuspiam Pontificis obitus eveniebat, mitterent Romani Legatos ad Imperatorem; ut ipse suos Romam mitteret, coram quibus novus Pontifex Romanus consecraretur. Verùm jam à Gregorii VII morte Ecclesia hoc jugum Imperatorium excusserat, & pristinam libertatem recuperarat, ideoque prudenter Cardinales prætensi illius juris Imperatorii nullam rationem habuerant. Tandem captus *Burdinus* per medium civitatis in triumphum deductus fuit, & *Callistus* II ad exemplum veterum Romanorum, qui devictorum Regum ac populorum nomina, titulosque marmoribus inscribi curabant, eam Historiam in antiqua camera Palatii Lateranensis depingi curavit cum hac inscriptione, quam sua quoque ætate superfuisse docet Onuphrius.

Ecce Callixtus honor patriæ, decus Imperiale,
Burdinum nequam damnat, pacemque reformat.

Plura hac de re Baronius num. I & seq. habet, quibus addi potest, quod de eadem tradit Willelmus Tyrius lib. 12. num. 8. ubi tamen perperam de Callisto ait: *Hic domini Imperatoris Henrici, cujus consanguineus erat, consecutus gratiam, & ejus fretus auxilio, in Italiam cum Cardinalibus, & universa Curia descendens, apud Sutrium urbem Romæ conterminam, æmulum & Hæresiarcham Burdinum violenter cepit*, &c. Ex iis enim quæ Baronius hoc anno, aliique scribunt, constat, nondum eo tempore Papam inter & Imperatorem pacem constitutam fuisse, illumque, non ab Imperatore, sed à Normannis, aliisque Proceribus sibi addictis copias obtinuisse.

IV. *Burdinus in Monasterium detrusus.*

Ergo dejectus ac triumphatus *Burdinus* subjungit Baluzius num. XL, missus est cum multa ignominia, ut Willelmus Tyrius ait, ad Cavense monasterium, quod juxta Salernum situm esse dignoscitur, sive retrusus in Caveam, ut refert Joannes Salisburiensis lib. 8. Policrat. cap. 23. ibique habitu monachali indutus, ut idem Tyrius, Radulfus de Diceto, & Auctor Chronici Maurigniacensis referunt, vitam compulsus est lege loci ducere cœnobiticam, indeque Baluzius rectè deduxit, eum redire jussum ad illud vitæ institutum, quod olim susceperat in monasterio Usercensi, & antequam ad Archiepiscopatum Bracarensem eveheretur, vitam monasticam professum esse. Nicolaus enim II statuerat, ut si quis *per seditionem, vel præsumptionem, aut quolibet ingenio electus, aut etiam ordinatus seu intronizatus fuerit, ab omni Ecclesiastico gradu, in quocumque fuerat prius, sine retractatione reponatur*, idest, ad illud vitæ institutum reducatur, in quo existebat antequam gradus Ecclesiasticos assequeretur. Anno sequenti idem Callistus *Burdinum* de Cava extractum in Janula, quæ arx est in rupe imminente civitati Sancti Germani, custodiendum tradit, Auctore Anonymo Casinensi à Caracciolo edito. Denique hinc deductus ab Honorio II anno MCXXIV in arcem *Fumonis* non longè ab Alatro civitate in Hernicis translatus est, in eam nimirum arcem, in quam postea Bonifacius VIII conjecit S. Petrum Murrhonem, dictum antea Celestinum V. Illic ad supremum usque senium vixit, ibique mortuus est, non verò in monasterio Cavensi, unde recesserat.

V. *Secunda profectio Callisti II in Apuliam.*

Falco iis narratis, quæ suprà ex eo retulimus subdit: *His ita peractis Pontifex Callistus consilio invento Salernum venit quinto die intrante mensis Septembris, ut pacis firmamentum cum Duce* (nempe Apuliæ) *Willelmo, & Rogerio Comite* (sc. Siciliæ) *confirmaret.* Salerni adhuc erat *mense Septembri mediante*, ut testatur idem Falco, qui & habet: *hoc anno IV Kal. Septemb. Archiepiscopus Salernitanus nomine Alfanus* (qui Poeta erat) *defunctus est. Quo defuncto Callistus supramemoratus Pontifex Romualdum Diaconum Cardinalem Archiepiscopum* (diversus est à Romualdo Archiep. Salernitano, qui Chronicon adhuc ineditum literis mandavit) *Salerni consecravit mense Septembri mediante.*

VI. *Ante suum Roma discessum Legatos in Germaniam mittit.*

Hæc est secunda Callisti II in Apuliam profectio. Quid verò ante suum Romà discessum egerit, hoc modo narrat Pandulphus in ejus Vita: *Romam per Maritimam rediit* (nempe post primam ejus in Apuliam profectionem, de qua anno superiori). *Tunc à Spiritu Sancto admonitus, Lambertum Ostiensem Episcopum, D Saxonem Cardinalem Presbyterum S. Stephani in Cælio-monte, & Gregorium Diaconum Sancti Angeli, ut pacem in regno & Ecclesia reformarent, ad Henricum Imperatorem in Alemanniam delegavit. Sed quid plus? Imò totum volo dicere verbo. Legati missi inscriptis pacem offerunt: & quemadmodum in Lateranensi Palatio tabula privilegio repræsentat, pax ad velle Papæ, ab Imperatore simul & recepta est, & perpetuò annuente Domino stabilita.* Hi Legati è Germania Romam redierе

ante

ante mensem Septembrem, quo Callistus II iterum in Apuliam perrexit. Pandulphus enim post laudata verba statim scribit: *Inde in Apuliam, Legatis jam ad Urbem regressis, iteratò descendit. Nam Comes Rogerius de Sicilia tunc, nunc autem Italiæ Rex* (quando nempe Pandulphus Vitam illam scribebat) *Calabriam & Apuliam ideo licenter intraverat, quoniam Guillelmus Apuliæ Dux, ut acciperet Alexii quondam Imperatoris Constantinopolitani filiam (quæ postea ea data non est) in uxorem, Constantinopolim iverat, & terram quæ ei competit domino Papæ in eundo commiserat. Cùmque jam dictus Comes arcem de Calabria, quæ Miceforis dicitur* (legendum cum Collenutio lib. 3. Hist. Neapol. Nicephori), *obsideret, dominus Papa ad eum, ut ab obsidione cessaret, dominum Hugonem Cardinalem direxit. Ivit Cardinalis, & infecto negotio rediit. Papa autem in Comitem eali omine surgit, quali & Barenses post eum, sicuti ipsi vidimus, erant insurrecturi. nam fere omnes Cardinales meliores, quos habuit in temporibus illis, sed & magnum Hugonem Cardinalem nobilem & industrium, mortuos cum non paucis ex domesticis perdidit, & demum quidquid voluit ipse Comes Rogerius cum Papa semivivo peregit. Rediit ad urbem in lecto evasit.* Quæ ultima verba ad annum sequentem referenda, quo Romam rediit, & ægrotavit, ut ibidem videbimus. Porrò Lambertus fuit postea Papa sub Honorio II, & Gregorius post eum sub Innocentii II nomine.

VII. *Willelmus Apuliæ Dux Constantinopolim petit.*

Collenutius laudatus ait, *Rogerium* Siciliæ Comitem ex hoc Pontificis morbo occasione sumta, universam Calabriam, atque Apuliam sibi subjecisse, & *Guillelmum* in Italiam ex Oriente reversum, Imperium suum à Rogerio occupatum invenisse, nec multò pòst è vita migrasse. Ritius lib. I. de Reg. Siciliæ, aliique quidam Rerum Sicularum recentes Scriptores idem ferè tradidêre. Cinnamus verò initio lib. 3. Guillelmum, non Constantinopolim, sed Hierusalem profectum esse dicit: *Ille* (nempe Rogerius) *Guillelmo Longobardiæ Duci in Palæstinam eunti, pecunia fœnori data Longobardia* (idest, Apuliæ) *Principatum eo nomine sibi oppigneratum retinuit.* Verùm Cinnamus de Rebus in Italia gestis malè edoctus fuit; neque enim Willelmus ditiones suas Rogerio patruo in pignus dedit, sed Callisto II commendavit, ut mox diximus ex Pandulpho, qui cùm tunc Romæ cum eo esset, id ignorare non potuit. Præterea verum non est, *Rogerium Willelmi* ditiones retinuisse; cùm, ut ex eodem Pandulpho mox vidimus, in easdem quidem irruptionem fecit, sed Willelmus paulò pòst suum reditum omnia recuperavit, & usque ad mortem obtinuit, ut anno sequenti ex Falcone constabit, & in morte magis ejus confirmabitur. Sed nec veram hujus profectionis causam Pandulphus scivit; certum enim, ut demonstrat Sumontius in Hist. Neapol. Tom. I. lib. I. pag. 489. *Willelmum* jam ab anno MCXIII matrimonio junctum fuisse cum *Gaitegrima* Jordani Principis Capuæ sorore, eamque marito supervixisse, quod ex Actis publicis à Sumontio laudatis extra omne dubium ponitur. Hujus itaque profectionis Willelmi causa prorsus latet, sed verosimile est *Willelmum*, ut eam celaret, consentiente Pontifice rumorem illum de alia uxore à se ducenda sparsisse. *Willelmus* jam mense Septembri in Apuliam redierat, ut ex mox narratis constat. Porrò dum Callistus II in Apulia esset Sugerius à Ludovico VI Franciæ Rege Legatus ad eum missus est, ut anno superiori ostendimus. Adventus enim Sugerii malè à Baronio ad primam profectionem Callisti in Apuliam relatus.

VIII. *Agitur in Germania de schismate tollendo.*

Ad num. VI Interim, inquit Urspergensis in Chron. *Henricus Imp. inito fidelium suorum consilio, rebelles sibi Moguntinos affligere tractavit,* &c. *His auditis, Præsul Adelbertus totam Saxoniam ubi tunc manebat, commovet: & quia Legationem Apostolicam ab ipso Papa dudum acceperat, hac auctoritate Pontifices & Principes ipsius provinciæ pro utilitatibus matris Ecclesiæ frequenter convocat.* Paulò pòst: *Quid plura eò usque Spiritus Jesu pro pretio sanguinis sui filius sponsæ suæ dimicans, spiritus superbiæ & maligno prævaluit, ut mentibus universorum jam, imo divina voluntatis assensu connexis, ipsorum consilio, suasione ac obsecratione Regis* (sc. Henrici Imp.) *indignatio intantum mitigaretur, ut ipse præsens negotium, non suo, sed Optimatum utriusque partis arbitrio terminandum decreverit.* Subdit Urspergensis ad hæc determinanda indictum fuisse Conventum Principum Imperii apud Wirciburg, seu Herbipolim ad festum sancti Michaelis. Idem habet Chronographus Hildensheimensis, qui ait: *Circa festum Sancti Michaelis in Sede Episcopali Werciburg* (seu Herbipolensi) *Imperator & totius regni proceres conveniunt, & in concordiam redeunt; judicio & consilio domni Apostolici causam Imperatoris determinandam reservantes.* Denique idem Urspergensis acta in hoc Conventu hoc modo refert: *Quidquid scandali, quidquid perturbationis usquequaque per regna Germaniæ inimici seminario succreverat, omnimodis eradicari decretum est.*

IX. *Duplex Legatio Callisti II in Germaniam.*

Licet autem Pandulphus, cujus verba num. VI in medium attulimus, innuere videatur concordiam Sacerdotii & Imperii hoc anno ante Callisti II ex urbe Romana discessum initam esse, certum tamen & indubitatum, eam anno tantum sequenti sancitam, ideoque & Pandulphum rem una serie abbreviatorum more retulisse. Cumque Pandulphus tradat, Pontificem in Apuliam iteratò profectum non esse, nisi post reditum trium suum Legatorum ad Imperatorem missorum, & Urspergensis scribat, eosdem tres Legatos anno sequenti in Germaniam ivisse, eosdem Legatos bis in Germaniam à Callisto II missos oportet. Neque enim existimandum, Urspergensem anno MCXXII. ubi id refert, errasse; cùm quæ de pace inter Pontificem & Imperatorem pacta narrat, ex Actis publicis acceperit. Multò minus id sentiendum de Pandulpho, qui Romæ cum Callisto II agebat. Porrò cùm Pandulphus iste Paschalem II aliquando comitatus fuerit, eumque Gelasius II Lectorem & Exorcistam, Callistus verò II Subdiaconum fecerit, uti ex jam dictis liquet, exeunte saltem seculo præcedenti natum fuisse oportet, ac errasse Oldoinum in Hist. Card. qui loquens de Pandulpho Masca à Lucio III Cardinali creato unum & eumdem cum Pandulpho Subdiacono esse censet, licet ipsemet asserat Pandulphum Subdiaconum Diplomatis anno MCCI ab Innocentio III datis subscripsisse; sic enim centenario major tunc fuisset, quod ex ejus opinione in sola nominis similitudine innixa necessariò sequitur. Ipsemet

ibidem rectè reprehendit Godwinum, quod in Præsulibus Norwicensibus Pandulphum Norwicensem Episcopum cum Pandulpho Masca S. R. E. Cardinali confuderit, licet in eo cum Godwino erret, quod Pandulphum Norwicensem Cardinalem faciat eo fundamento, quod in variis monumentis dicatur Legatus Angliæ; is enim in iisdem sæpius quidem Legatus in Angliam missus dicitur, sed nunquam Cardinalis, ut videre est apud Wartonum Tom. I Angliæ Sacræ pluribus in locis. Quæ obiter dicta sunto.

X. *S. Erminoldus Abbas occiditur.* Ad num. VII & seq. Sanctus Erminoldus, qui à Sancto Ottone Episcopo Bambergensi Abbas dictus fuerat Cœnobii Prufeningensis, à se conditi propè Ratisponam, cùm delinquentes corriperet, occisus est ab iis, qui nolebant à suis se voluptatibus coerceri, *in Sancto Epiphaniorum* die, inquit Anonymus, qui ejus Vitam scripsit, nunc in Actis SS. Bollandianis ad diem VI Januarii recitatam, qui addit: *Transiit autem anno Domini MCXXI, septimo verò postquam de Hirsangia mense Augusto vocatus est, & ad Prufingensem electus Ecclesiam.* Ejus virtutes & miracula fusè ab eodem Anonymo descripta, qui in Præfatione ait, se *anno MCCLXXXI* Vitam illam elucubrasse.

XI. *B. Fredericus Episc. Leodii necatur.* Occisus & hoc anno B. Fredericus *Simoniacæ hæreseos damnatione & Catholicæ fidei defensione*, ut loquitur Lambertus Parvus, & cùm eo Scriptores, qui beatum Fredericum Episcopum Leodiensem Martyris titulo exornant. Annum ejus emortualem notarunt Dodechinus Abbas in Chron. Anselmus Gemblacensis Auctor Chronici Leodiensis Tom. I Biblioth. Labbei, aliique; Renerus enim Monachus monasterii Leodiensis S. Laurentii Auctor coævus, qui scripsit Vitam ejus in Actis SS. Bollandianis ad diem XXVII mensis Maii recitatam, obitûs ejus annum tacuit. *Alexander* Archidiaconus Leodiensis Episcopus illius Ecclesiæ electus fuerat, & investituram ab Henrico Imp. contra summi Pontificis Præceptum susceperat. Quare Archiepiscopus Coloniensis, cui Leodium subest, alium eligi curavit, & Fredericus majoris Ecclesiæ Præpositus electus, *à Callisto Papa in Concilio Remensi consecratus, nudis pedibus repatriavit: & processit ei obviam totius Cleri & populi multitudo, factaque est lætitia magna in populo*, inquit Renerus. Interea Alexandri fautores nullam, quam ei inferre possunt, molestiam prætermittunt; *sed cùm jam omnia pacata esse viderentur, anno secundo ordinationis suæ migravit ad dominum*, inquit Renerus. Aliqui qui de eo verba fecerunt, post mortem Godefridi Barbati Ducis Lovaniensis, & ejusdem Alexandri, postea Leodiensis Episcopi renunciati, tradidêre, beatum *Fredericum* veneno potatum fuisse, quia tunc liberior eis facultas fuit verum scribendi.

XII. *Moritur Guillelmus Episc. Catalaunensis.* Albericus Monachus, qui anno MCCXLio Abbatia Trium-Fontium in Diœcesi Catalaunensi sita Chronicon suum, adhuc ineditum, scribebat, ad hunc Christi annum de Ebalo Guillelmi de Campellis in Episcopatum Catalaunensem decessore loquens, ait: *Obiit Episcopus Catalaunensis, succedit Ebalus.* Willelmi mortem etiam hoc anno consignant Simeon Dunelmensis in Hist. de Gest. Reg. Angl. Hovedenus in Annal. & Anselmus Gemblacensis in Continuatione Sigeberti, quibus suffragantur Chronicon Catalaunense Tom. I Biblioth. Labbei, vetera Monumenta Ecclesiæ Catalaunensis, & Acta Episcoporum ejusdem Ecclesiæ apud Carolum Rapineum Ordinis Recollectorum, qui linguâ Gallicâ de Episcopis Catalaunensibus scripsit. Cumque certum sit, *Willelmum* anno superiori Concilio Bellovacensi interfuisse, ut ibidem ostendimus, certò etiam liquet, deceptos eos, qui Willelmi mortem cum anno MCXIX connexuêre. Simeon Dunelmensis & Hovedenus eum *XV Kal. Februarii* vita functum tradunt; sed cùm in Necrologio Sancti Victoris Parisiensis, & in altero Corboliensi à Joanne Picardo memorato legatur: *Octavo Kal. Febr. anniversarium Willelmi Catalaunensis Episcopi, & nostri Canonici*, dies mortis ejus non satis compertus. Non dubito tamen, quin verum sit, quod habet Simeon Dunelmensis & ex eo Hovedenus: *VIII diebus ante exitum suscepto habitu Monachico vita decedit*; testatur enim Rapineus sepultum eum apud Claram-Vallem in sacello à se, dum viveret, extructo, & quia mos erat illorum temporum, ut plures in lecto morti proximi decumbentes habitum Monachicum induerent. Manricus in Annal. Cisterc. ad annum MCXIX, quo perperam mortem ejus recitat, Willelmi Monachatum dubium, aut fortè falsum fuisse dicit, asserens se neminem vidisse eum ex Episcopo in Monachum, & ex Catalauno in Claram-Vallem transiisse, indicatque se neque Hovedenum, neque Simeonem Dunelmensem legisse. Quare argumentum ejus negativum, & Willelmi monachatûs interpretatio nullum robur habent.

XIII. *Ejus scientia & virtutes.* Willelmus à Campello oppido Briegii haud procul Meloduno, ubi natus erat, *Campellensis* dictus est, factusque Archidiaconus Ecclesiæ Parisiensis magna celebritate in schola ejusdem Ecclesiæ Dialecticam publicè docuit: *Perveni tandem Parisios*, inquit Abaëlardus in Epistola calamitatum suarum declarativa cap. 2. *ubi jam maximè disciplina hæc* (nempe Dialectica) *florere consueverat, ad Willelmum scilicet Campellensem Præceptorem meum, in hoc tum Magisterio, re & fama præcipuum.* Paulò pòst scholam illam Episcopalem reliquit, & in suburbanis urbis Parisiensis monasterium Regularium Canonicorum condidit; ubi literas quemadmodum prius in urbe solitus erat, docere instituit. Haud diu tamen novam illam Augustinianam Congregationem rexit; ut enim fidem facit Albericus in Chron. anno MCXIII Episcopus Catalaunensis renunciatus est. Sed antequam ordinaretur Episcopus, à Rege Ludovico VI literas obtinuit, quibus Victorina Congregatio Regia auctoritate munita consisteret, Abbatem Canonicorum suffragiis & votis electum haberet, & ex Regia donatione possessiones & terras obtineret. Literarum Regiarum hæc subscriptio est: *Actum Catalauni in Palatio publicè. Anno Incarnat. Dominicæ MCXIII, anno verò regni nostri V.* Paschalis II literis anno insequenti datis Præceptum Regium confirmavit. Magna ei fuit cum Sancto Bernardo Abbate Claravallensi necessitudo, ut ex ejus Epistolis ac Vita innotescit. Sanctus Doctor in Epist. LVIII Ebalo præfato Willelmum jam ab aliquot annis demortuum imitandum proponit, testaturque eum duobus monasteriis Sancti Petri & Sancti Urbani Præfectos dedisse, contemptis longi itineris labore & hyemis asperitate; quæ monasteria Ordinis Sancti Benedicti fuisse, & etiamnum esse,

notat

notat Mabillonius in Notis ad eamdem divi Bernardi Epistolam. De ejus Scriptis videndus Oudinus in Supplement. de Script. Eccl.

XIV. *Epocha Concilii Suessionensis.*

Morte Willelmi Catalaunensis Episcopi suo anno reddita, Concilium Suessionense adversus Petrum Abaëlardum hoc anno congregatum fuisse, non verò anno MCXIX, ut plures existimarunt, vel anno MCXX, cum quo Tomo X Concil. conjungitur, certò constat. Ipsemet enim Abaëlardus in Epistola, in qua suas calamitates describit, ait: *Æmuli mei vehementer accensi Concilium congregaverunt, maximè duo illi antiqui insidiatores, Albericus scilicet & Lotulfus, qui jam defunctis eorum Magistris & nostris,* GUILLELMO *scilicet atque Anselmo* (Guillelmo nempe Episcopo Catalaunensi, & Anselmo Laudunensi, viro per hæc tempora celeberrimo) *post eos quasi regnare se solos appetebant, atque etiam ipsis tanquam heredes succedere. Cùm autem utrique Remis Scholas regerent, crebris suggestionibus Archiepiscopum suum Radulfum adversùm me commoverunt, ut adscito Conone Prænestino Episcopo, qui tunc Legatione fungebatur in Gallia, Conventiculum quemdam sub nomine Concilii in Suessionense civitate celebrarent, meque invitarent, quatenus illud opus clarum, quod de Trinitate composueram, mecum afferrem, & factum est ita.* Neque Concilium hoc in annum sequentem differri potest; cùm *Cono* sub hujus anni finem *Petrum* in Legatione Gallica successorem habuerit, & *Adam* Abbas Sancti Dionysii, ad quem Abaëlardus post celebrationem Concilii Suessionensis scripsit, vel sub hujus anni finem, vel sequentis initio vivere desierit, ut infrà videbimus.

XV. *In eo Abaëlardus damnatur.*

Non obmittenda, quæ Gaufridus Sancti Bernardi Abbatis Clarevallensis Notarius in Epistola ad Henricum Cardinalem & Episcopum Albanensem scribit apud Duchesnium Notis in Abaëlardum: *Audivi etiam, quod super damnatione Petri Abaelardi diligentia vestra desiderat pleniùs nosse similiter veritatem: cujus libellos pia memoria dominus Innocentius Papa II in urbe Roma, & in Ecclesia B. Petri incendio celebri condemnavit, Apostolica auctoritate hereticum illum denuncians. Nam & ante plures annos venerabilis quidam Cardinalis & Legatus Romanæ Ecclesiæ, Cono nomine, Regularis quondam Canonicus Ecclesiæ Sancti Nicolai de Arvasia* (idest, Aroasia in Diœcesi Attrebatensi), *Theologiam ejus, Suessione Concilium celebrans, similiter concremaverat, ipsum Petrum præsentem arguens, & convictum de heretica pravitate condemnans. Unde vestro si placuerit desiderio, per libellum de Vita Sancti Bernardi, & per ejus Epistolas missas ad Curiam satisfacies.* Vocatus ad Concilium Abaëlardus nulla, si ei in propria causa adversùs æmulos loquenti fides sit habenda, prævia interrogatione, sine ullo libelli examine, sed hoc solo capite, quòd in eo scripsisset, *solum Deum Patrem omnipotentem esse*, jussus est manu propria librum à se *de Trinitate* compositum in ignem conjicere, & symbolum Athanasii recitare. Tum in custodiam Anselmo S. Medardi Suessionensis Abbati traditus est, ut ipsemet in Epistola laudata cap. 10. hoc modo narrat: *Vocatus statim ad Concilium adfui, & sine ullo discussionis examine me ipsum compulerunt propria manu librum memoratum meum in ignem projicere. Et sic combustus est. Ut tamen, cùm nihil dicere viderentur, quidam de adversariis meis id submurmuravit, quod in libro scriptum deprehenderat, solum Deum Patrem omnipotentem esse. Quod cùm Legatus subintellexisset, valde admirans ei respondit, hoc nec de puerulo aliquo credi debere, quod adeo erraret, cum communis, inquit, fides & teneat & profiteatur, tres Omnipotentes esse. Quo audito Terricus quidam Scholarum magister irridendo subintulit illud Athanasii, & tamen non tres Omnipotentes, sed unus Omnipotens.*

XVI. *Conjicitur in carcerem.*

Cùm autem *Radulfus* Archiepiscopus Remensis sententiam Legati confirmasset, aiens revera Patrem esse Omnipotentem, Omnipotentem Filium, Omnipotentem Spiritum Sanctum, eosque qui secus sentirent hæreticos esse censendos, existimarunt necesse esse, ut *Abaelardus* ipse super his mentem aperiret, fidemque suam coram omnibus exponeret: sed obstantibus adversariis legit solummodo symbolum Athanasii; quod ut potuit, recitavit: *Inde*, inquit Abaëlardus, *quasi reus & convictus Abbati Sancti Medardi, qui aderat, traditus, ad claustrum ejus tanquam ad carcerem trahor, statimque Concilium solvitur.*

XVII. *Retractat suam de S. Dionysio Areopagita sententiam.*

Gravissimas à suis Fratribus & æmulis Alberico & Lotulfo persecutiones *Abaelardum* passum, dubitandum non videtur. Isti, quos urebat fama, quam liber *de Trinitate* ei pepererat, eum ubique velut hæreticum, & trium Deorum assertorem infamarunt. Infensi etiam ei fuêre Monachi Dionysiani quod secularem ipsorum vitam, moresque irreligiosos liberiùs argueret, & in privato colloquio vindicaret Bedæ sententiam, qua asseruit, *Dionysium Areopagitam* Corinthiorum potiùs quàm Atheniensium fuisse Episcopum. Inde enim sequi videbatur, *Dionysium* Galliarum Apostolum Areopagitam non esse; cùm ejus Acta eum Atheniensium Episcopum faciant. *Cono* Legatus post Concilium Suessionense eum in suum Sancti Dionysii monasterium reduci jussit, ubi ut prius veterum Auctorum lectioni se applicuit, & quibusdam Monachis dixit, veriorem sibi videri *Bedæ* quàm *Hilduini* sententiam. *Adam* Abbas Sancti Dionysii non tantum Cœnobium suum læsum; sed Regiam quoque ipsam Majestatem imminutam ratus, sese nomen Abaëlardi Regi delaturum minatus est, sed is commodam & opportunam nactus occasionem, custodes incautos & incogitantes fallit, atque ad *Theobaldum Magnum* Tricassinæ civitatis & Pruvini dominum, cui sciebat suas displicere miserias, confugit, & apud Pruvinum in cella Sancti Aigulfi cum Monachis Sancti Petri Trecensis, volente ejus loci Priore commoratur, donec cum *Adamo* Abbate suo in gratiam redire posset. Hic verò fraudem sibi à Monacho suo factam ægrè ferens, comminatur, ni redeat, se illum excommunicationi subjecturum. Præterea ad reparationem injuriæ Monasterio Sancti Dionysii illatæ, jubet palinodiam cantare, & Dionysii Areopagitæ Historiam ab Hilduino editam scriptis suis confirmare. Jussus ille acquiescit, seu volens seu invitus, Epistolamque dirigit Abbati suo cum hac inscriptione: *Adæ dilectissimo Patri suo Abbati D.G. gloriosissimorum Martyrum Dionysii, Rustici & Eleutherii ibidem corpore quiescentium, uniàque fratribus & commonachis suis carissimis; Petrus habitu Monachus, vità peccator.* Dum autem inter Abbatem & Priorem Cellæ Sancti Petri Trecensis atque ipsum *Abaelardum* de

SÆC. XII. An. C. 1121.

teritu tractatur, obiit Adam Abbas anni sequentis initio, ut ibidem videbimus. Ad majorem condemnationis Abaëlardi in Concilio Suessionensi notitiam legenda quæ de ea Tom. X Concil. pag. 885. ex Ottone Frisingensi lib. I. de Gestis Friderici cap. 47. referuntur.

XVIII. *Callistus II Primatus Lugdunensi amplificando studet.*

Ludovicus VI Francorum Rex, cùm accepisset Callistum II Metropolitanum Senonensem Primati Lugdunensi subjecisse, hac de re quatenus est apud eumdem Pontificem, qui in ejus gratiam Decretum suum suspendit. Sed quia illud ad tempus tantum relaxatum erat, rursùs ad Callistum II scripsit Ludovicus Rex, atque se passurum potius totius Regni sui incendium & capitis etiam sui periculum, *quàm hujus subjectionis & abjectionis opprobrium.* Rogat eum, ut recordetur, se Remensi Concilio cum labore suo, sed cum honore ejusdem Pontificis interesse studuisse, & plus honori ejus, quàm suo dominio consuluisse: *videat, subdit, dulcissime pater, discretio vestra, ne civitas Lugdunensis, qua de alieno est regno, de nostro fiereat detrimento, nec subjiciatur amicus amico.* Recitantur ex literæ sine die & mense datæ Tom. X Concil. pag. 855. sed eas præsenti anno datas, hæc prima ejus verba demonstrant: *Scripsit nobis Sublimitas Vestra de captione illius apostatæ Bardini*, &c. Quare quando Callistus II exeunte Aprili ad Galliarum Episcopos literas dedit, alias etiam ad Regem scripsit, quæ periêre, harumque hæc responsio fuit. Legendus liber Joannis Baptistæ Drioti Canonici Senonensis de Primatu Metropolitani Senonensis.

XIX. *Secunda Henrici Angliæ Regis nuptia.*

In Anglia Henricus Rex piæ Mathildis uxoris demortuæ loco aliam hoc anno substituit, scilicet *Adelizam* ut eam appellat Gemmeticensis lib. 8. cap. 29. seu *Atheleidem*, de qua Eadmerus lib. 6. Novorum hæc literis mandavit: *Rex, legalis conjugii nexu olim solutus, ne quid ulteriùs inhonestum committeret,* (naturali enim, spuriaque prole abundabat) *Consilio Radulfi Cantuariorum Pontificis, & Principum regni; quos omnes in Epiphania Domini, sub uno Londoniæ congregavit, decrevit sibi in uxorem Atheleidem, filiam Gotfredi, Ducis Lothariagiæ* (sc. Gotfredi Barbati Lovaniensis, seu Lotharingiæ Ducis), *puellam virginem, bonis moribus, & decore modesti vultus decenter insignitam.* Quam narrat postea à Radulfo Cantuariæ Archiep. coronatam fuisse. *Ea XV annis in regno floruit; sed aliis rebus abundans optata sobole hucusque caruit*, inquit Ordericus lib. 12. qui tamen hoc matrimonium cum anno MCXX perperam conjungit, quòd Willelmi filii Henrici Regis mortem anno uno seriùs collocarit. Quibus ex verbis intelligimus Ordericum librum illum duodecimum ante Henrici Regis obitum scripsisse.

XX. *Eboracensis Archiep. Professionem Cantuariensi facere recusat.*

Interim vetus controversia, quæ inter Cantuariensem & Eboracensem Archiepiscopos versabatur circa Ordinationem Archiepiscoporum Eboracensium, quam Henricus Rex à Cantuariensi fieri volebat, multorum motuum causa fuisset, nisi Regis pietas Romani Pontificis auctoritati cessisset. *Cùm hæc ita administrantur*, ait Eadmerus, *Conventu Principum, qui pro occursu Reginæ factus fuerat, nondum soluto, magnus sermo habitus est de dissidio, quod eousque versabatur inter Radulfum Cantuariensem Archiep. & Thurstanum Eboracensem. Siquidem ipse Thurstanus à Callisto Episcopus ordinatus* (ne à Radulfo ordinaretur) *literas ab ipso Callisto, more quo cuncta Romæ impetrantur, adeptus fuerat. Quibus jubebatur, ut ipse Thurstanus Episcopatu suo potiretur, aut Rex anathemate, & Radulfus suspensione Pontificalis officii plecteretur. Ad quod recitata sunt sententiæ Privilegiorum, & quam dignè hæc Apostolica disponerentur, intellectum est ab omnibus. Tamen ne prætermissa intentio pænæ, Regem vel Pontificem aliquatenus conturbaret, ex communi consilio permissus est idem Thurstanus Angliam redire, & Eboracum Regiâ viâ venire. Quod & factum est, ea dispositione, ut nullatenus extra Parochiam Eboracensem divinum Officium celebraret, donec Ecclesiæ Cantuariensi de injuria, quam ei intulerat, abjurata cordis sui obstinatione satisfaceret.* Verùm Thurstanus à Rege in Angliam revocatus, mox in suum reductus est Archiepiscopatum, nec legitur, aliquam satisfactionem ab eo factam; imò *sine exactione Professionis in suum mox recipitur Archiepiscopatum*, ait Chronographus Mailrosensis.

XXI. *Petrus Leonis Legatus in Angliam & Galliam missus.*

Extincto schismate Callistus II *Apostolici culminis securitate potitus*, inquit Eadmerus, *libera auctoritate, qua Romanum Pontificem uti æquum esse probatur, quaqua versum per Legatos suos utebatur. De quorum numero, quidam Petrus nomine, Romanus genere, Monachus Cluniacensis professione venit in Galliam, missus ab ipso Pontifice, Functurus, ut ferebatur, Legatione Galliæ, totius Britanniæ, Hiberniæ quoque & Orcadarum insularum. Supercreverat autem fama istius famam omnium, ante eum in has partes à Romana Sede destinatorum. Et Abbates, & nonnulli alii, viri videlicet honorati, ejus adventum Angliæ præconaturi ab eo promittebantur. Erat enim filius Petri, præclarissimi ac potentissimi Principis Romanorum: cujus fides & actio, magni consilii & fortitudinis esse solebat, ut qui in sede Apostolica Canonicè constituti, Patres Orbis habebantur. Attonitâ igitur totâ terrâ in expectatione quasi tanti adventus: direxit Rex Henricus Bernardum Episcopum S. David de Walis, & Joannem filium patris sui Clericum, trans mare; ubi eò usque idem Petrus morabatur; Regis Anglorum de introitu suo in Angliam voluntatem, jussamque operiens, quatenus illum ad se perducerent. Quibus etiam ipse Rex, prudenti usus consilio, injunxit; quatenus iter ejus ita disponerent, ut post ingressum Angliæ; nec Ecclesias, nec Monasteria quælibet, ad se tendens, hospitandi gratiâ ingrederetur; nec aliunde quam de suis victus necessaria ei ministrarentur. Perductus igitur ad Regem, dignè ab eo susceptus est. Et exposita sui adventûs causa, Rex obtensa expeditione, in qua tunc erat* (nam super Walenses ea tempestate exercitum duxerat) *dixit, se tanto negotio operam tunc quidem dare non posse; cùm Legationis illius stabilem auctoritatem nonnisi per conniventiam Episcoporum, Abbatum & Procerum, ac totius regni Conventum roborari posse constaret. Super hæc sibi patrias consuetudines, ab Apostolica sede concessas, nequaquam se æquanimiter amissurum fore testabatur*, (in quibus hæc, & de maximis una esset, quæ Regnum Angliæ liberum ab omni legati ditione constitueret,) *donec ipse vita præsenti superesset. His horumque similibus Regali facundia editis, præfatus Petrus assensum præbere utile judicavit & annuit.*

XXII. *In Anglia honorificè exceptus, sed non admissus.*

Quapropter larga Regis munificentia magnificè honoratus, omni modo (legendum, nullo modo) *se illi quicquam antiquæ dignitatis derogaturum: imò ut dignitatis ipsius gloria undequaque argumentaretur*

(legendum

SÆC. XII. An. C. 1122. (legendum, augmentatur), *superadde, plena fide elaboraturum. Pax itaque firma inter eos firmata est: & qui Legati officio fungi in tota Britannia venerat, immunis ab omni officio talis, cum ingenti pompa, via qua venerat, extra Angliam à Rege missus est. Desiris itaque transfretaturus, Cantuariæ hortatu Regis & Archiepiscopi magnificè à fratribus susceptus est; & inter eos triduo cum jucunditate conversatus. In quo temporis spatio, querimonia apud eum deposita est pro gravi injuria, qua Papa Callistus Ecclesiam Cantuariensem in causa Turstani Eboracensis humiliare non veritus est, & suis literis eamdem humiliationem, omissa omni justitiæ consideratione roborare. Quæ ipse leni vultu & mitis mente suscipiens, privilegia ab antiquis Patribus olim à Romana Sede possessa* (legendum concessa) *ostendi sibi postulavit: & si rata esse probarentur, quæ noviter instituta erant, se promisit elaboraturum, ut in adnihilum redigerentur. Prudentum igitur ratione virorum probatum est, bullatas antiquitus Chartas incendio, quod totam Ecclesiam, nec dum transitis quinquaginta annis, omninò consumpsit, esse consumptas: paucas illarum in antiquis schedulis, seu veteribus libris quoquo modo raptim transcriptas, atque retentas. Quarum veritas & Romani stylo eloquii, & auctoritate jam per quadraginta, & eo amplius annos ab ipsa Ecclesia inconcussè possessa declaratur: quibus ille perspectis atque perpensis; testatus etiam ipse est, Ecclesiam Cantuariensem grave nimis & immoderatum judicium esse perpessum: & quatenus hoc velociùs corrigeretur, se modis omnibus opem adhibiturum pollicitus est. Posthac Angliam egreditur, prospero cursu procellosum mare evectus.*

XXIII. *Erat tunc Cardinalis S. R. E.* *Petrus* mense Octobri Legatus in Galliam & Angliam missus, cùm jam Presbyter Cardinalis esset, ut docet Epistola Callisti II ad Ludovicum VI Francorum Regem data, quam Dacherius Tom. 4. Spicilegii pag. 146. è tenebris eruit: *Sanè carissimum*, inquit, *filium nostrum P. Sedis nostræ Presbyterum Cardinalem nobilitati tuæ attentiùs commendamus. Nos enim à latere nostro eum secundùm antiquam Apostolicæ Sedis consuetudinem ad terram potestatis tuæ pro corrigendo & confirmando quæ corrigenda & confirmanda fuerint, delegamus &c. Datum Beneventi pridie Kalendas Octobres.* Ex his manifestum est, Baronium anno MCXVII num. VIII Petri in Galliam & Angliam Legationem ad illum Christi annum malè retraxisse. Petrus iste *Petrus Leonis* cognominatus postea Antipapa fuit sub Anacleti nomine.

Anno Eræ Hispan. MCLX. Anno Hegiræ DXVI inchoato die 22. Martii fer. 1.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6615.

☉ 11. A. ☽ 2. P. 26. Mart. Indict. 15.

JESU CHRISTI 1122.

CALLISTI II PAPÆ 4.

HENRICI V REG. 17. IMP. 12.

JOANNIS COMNENI IMP. 5.

I. *Concilium I Lateranense Generale.* ANum. I ad III. Concilium Lateranense I, quod generale fuit, anno tantum sequenti celebratum, uti certis argumentis constat, cumque aliqua ex illo pendeant, prius necessariò narranda, ejus tractationem in eumdem annum differendam censuimus.

II. *Conventus* A num. III ad IX. Anno superiori è Germania Romam Legati missi fuerant, qui de pace Ecclesiæ & Imperii cum *Callisto* II agerent, ut Generali Concilio, si aliter fieri non posset, omnia terminarentur. Hoc verò anno, ut Urspergensis in Chron. refert, *Episcopus Spirensis & Abbas Fuldensis legatione totius regni apud sedem Apostolicam peracta, rediêre, ducentes secum Ostiensem Episcopum, vicem domini Apostolici per omnia tenentem, cum duobus Cardinalibus, qui itidem nimirum à sede Sancti Petri ob reconciliationem regni & Sacerdotii missi fuerant.* Post pauca interposita: *Facto igitur universali Conventu apud urbem Vangionum, quæ nunc Wormacia dicitur, sicut longum, ita & incredibile memoratu est, quam prudenti, quàm instanti, quamque per omnia sollicito cunctorum Procerum consilio, pro pace & concordia per unam vel amplius hebdomadam certatum sit, donec ipse, in cujus manu cor Regis est, omnem animositatem Augusti, sub Apostolicæ reverentiæ obedientiam causâ matris Ecclesiæ, etiam ultra spem plurimorum, inflexit*, & cetera à Baronio narrata. SÆC. XII. An. C. 1122. *Wormatiensis.*

III. *Iterum facta concordia Sacerdotii & Imperii.* Dimisit Imperator Investituram per annulum & baculum, & permisit in omnibus Ecclesiis fieri electionem, & liberam consecrationem. Callistus verò II literis *IX Kal. Octob.* datis concessit, ut electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici Regni, in præsentia Imperatoris absque simonia fierent, & ut Electus Regalia per sceptrum ab Imperatore reciperet. Ita concordia Ecclesiam inter & Imperium restituta. Idem habet Anselmus Gemblacensis in Chron. ad hunc Christi annum, qui notat, Conventum Wormatiensem celebratum *mense Septembri in Nativitate Sanctæ Mariæ.* Concilium verò Lateranense in annum sequentem indictum fuisse, docet, his verbis Simeon Dunelmensis in Hist. de Gest. Angl. ad annum MCXXII: *Hac concordia per gentes & populos ubique Divulgata, mittuntur etiam literæ ab Apostolico omnibus Archiepiscopis & Episcopis per regiones & provincias, ut omni excusatione postposita festinent occurrere ad Concilium, quod Dominus Apostolicus Romæ celebraturus erat XV Kal. Aprilis.*

IV. *Gesta in Apulia.* A num. IX ad XII. Hìc præmittenda quæ præcessêre res à Baronio relatas. Falco in Chron. ad annum MCXXII ait: *Dux Guillelmus* (nempe Apuliæ) *filius Rogerii Ducis ad Rogerium Comitem* (nempe Siciliæ) *filium Rogerii Comitis Siculorum descendit, conquerens de Jordano Comite Arianensi*, &c. *Medietatem suam Palermitanæ civitatis & Messanæ, & totius Calabriæ Dux ille eidem Comiti concessit, ut ei auxilium largiretur. Continuò sexcentos milites & quingentas uncias auri ei largitus est. Dux ille adveniens*, &c. *castellum Apicis, ubi Comes ille morabatur, obsedit. Ad ducis utique auxilium Crescentius Cardinalis, tunc Rector Beneventanus, cum Beneventanorum catu festinavit. Quid multa? Comitem illum, & castrum Apicis sua obtinuit potestati. Comes itaque Jordanus Ducis pedibus, sicut ipsi vidimus, qui aderamus, prostratus, misericordiam ei postulavit. Dux autem precibus multis coactus, præcipuè Comitis Raınulphi, qui aderat, liberum eum, &, ut vellet, abire permisit.* Post aliqua bellica facinora subdit Falco: *Dux ille milites, quos à Comite Rogerio acceperat, ei remisit; cumque* interim Jordanus Comes arma rursum sumsisset, *castellum Paludis comprehendit. Audiens autem Dux prænominatus castellum illud captum fuisse, exercitu aggregato castrum illud obsedit tribus mensibus.*

mensibus. Tandem, &c. *Principem Jordanum Capuanorum rogavit, ut ei auxilium praberet, & pro auxilio ferendo castellum Apicis & Acernum ei largitur*, &c. *Praterea Dux ipse Beneventanis mandavit, ut neque sibi, neque Comiti Jordano auxilium prastarent*, &c. *quod Beneventanis complacuit; cumque Comes ille Jordanus taliter se coarctatum aspiciens in manus pradicti Principis* (sc. Capuani) *se & castellum Paludis summisit*, &c. *Comes Jordanus castrum Morsonis ingressus est; & sic firmata pace Princeps ipse Capuanus revertens, temporibus multis castrum Apicis & Acerni obtinuit. Deinde Dux ille* (nempe Guillelmus) *super castrum Morsonis milites & peditum catervas opposuit, cogitans & Comitem & castellum illud sua obtinere ditioni, quod facere minimè potuit. Deinde Dux prafatus Salernum adivit, & de multis, variisque sudoribus, quos perpessus erat, requiem adeptus est; sicque usque ad diem obitûs terra sui ducatus a bellorum turbinibus siluit & quievit.*

V. *Dissidium inter Abbatissas S. Mariæ & S. Petri dirimitur.*

Hoc anno mense Februario *Callistus* II Beneventi, quò ex urbe Salernitana se se contulerat, sententiâ suâ confirmavit judicium Cardinalium in gratiam *Bethleem* Abbatissæ monasterii Sanctæ Mariæ adversus *Agnetem* Abbatissam monasterii sancti Petri, quæ monasterium illud sanctæ Mariæ tanquam appendicem monasterii sancti Petri petierat, *salvo tamen censu, quem pars ipsius monasterii persolvat annualiter ad pradictum monasterium sancti Petri*, &c. Summus Pontifex hanc litem commisit Dionysio Episcopo Tusculano, Chrysogono Cancellario, aliisque Cardinalibus, quia *tunc Apostolicus valde infirmabatur*, & Curiam ante se congregare non poterat. Erat tunc *in sacro Beneventano Palatio*, quò Agnes Abbatissa venit, istaque acta *septima die Kalendarum Martiarum*, ut notat Peregrinius, desinente anno Falconiano MCXXI, inchoato autem communi MCXXII, coram Callisto II Beneventi tunc degente.

VI. *Petrus Venerabilis fit Abbas Cluniacensis.*

Anno Domini MCXXII Domnus Pontius pro quibusdam negotiis hujus Ecclesia agendis Apostolicam Sedem adiit, in manu Domni Callisti II Papa Abbatiam Cluniacensem sponte resignavit, & Hierosolymam devotus petiit, ut legitur in Chronico Cluniacensi. Hugo secundus Prior Sanctimonialium de Marcigniaco ei in Abbatiam substituitur, fuitque II hujus nominis, & obiit *VIII Idus Julii*, postquàm per tres tantum menses monasterium rexisset. *Petrus* primus, Abbas nonus Cluniacensis electus est *in Octavis Assumptionis B. Dei Genitricis Mariæ*. Hic cognominatus fuit *Venerabilis*, ex nobilissimis Arverniæ Magnatibus originem ducens, qui ab ipsis infantiæ cunis à parentibus Deo sub monastica observatione militaturus oblatus fuerat, & à S. Hugone in extremum vitæ suæ monachali benedictione insignitus, inquit idem Chronographus. De Petro S. Bernardus in Epist. CCLXV ad eumdem data: *Quis mihi det tanta humilitatis insigne tam imitari posse, quàm admirari? Quis mihi tribuat sancta & desiderata prasentia tua, non dico semper, non dico sape, sed vel semel in anno frui? Puto quia nulla vice reverterer vacuus.* Porro Pontium hoc anno Abbatiæ Cluniacensi renunciasse demonstrat Præfecturæ ejus duratio; annos enim tredecim cum Abbatiæ Cluniacensi præfuisse, præter alios testatur Gaufridus Prior Vosiensis hujus temporis Scriptor, cui consentit Simeon Dunelmensis, qui hoc etiam seculo vixit, in Hist. de Gest. Reg. Angl. ad annum MCXXII, ubi narrata ejus abdicatione statim de ejus profectione Hierosolymitana verba facit.

VII. *Initium Legationis Gallica Petri Leonis & Gregorii Card.*

Petrus Leonis Cardinalis Presbyter Sanctæ Mariæ trans Tiberim, qui anno superiori in Galliam & Angliam Sedis Apostolicæ Legatus missus fuerat, & ab *Henrico* Angliæ Rege non receptus Romam, ut conjicere licet, redierat, hoc anno iterum in Galliam reversus est unà cum *Gregorio de sancto Angelo* Diacono Cardinali. Hoc discimus ex Orderico lib. XII, ubi loquens de Serlone Episcopo Sagiensi, seu, ut ipse loquitur, Salariensi, ad annum MCXXII ait, inclytum Præsulem, postquam Salariensem Episcopatum *XXXII annis rexisset, VII Kal. Novemb.* (seu die XXVI mensis Octob. qui hoc anno in feriam quintam incidebat) Missâ à se cantatâ Clericis suis mortis suæ tempus prædixisse, & sepulchri sui locum designasse. *In crastinum feria VI* (scilicet die XXVII Octob.) *in Basilicam venit*, cumque trementibus membris Missam celebrare non posset, Capellanus ejus id officium explevit. Tum horâ nonâ ad mensam venit, sed *superiùs jam anhelans* de præsentibus nihil comedit. *Surgere de mensa post refectionem paratis nuncius affuit, qui Cardinales Romanos Petrum & Gregorium adesse retulit. Vigilia quippe SS. Apostolorum Simonis & Juda tunc agebatur. Mox Prasul Clericis dispensatoribus suis dixit:* "Velociter ite, & diligenter Romanis "servire, abundanter eis omnia dantes, quæ "necessaria sunt, quia Legationem Domini "Papæ, qui post Deum universalis Pater est, "deferunt, ipsique qualescumque sint, magistri "nostri sunt. *Solers itaque senex in occursum eorum clientes suos destinavit, & ipse sine dolore seu manifesta agritudine, ut solebat, in cathedra sedens solus remansit*, & in ea paulò pòst animam Deo reddidit. Legatio itaque *Petri Leonis*, & *Gregorii de S. Angelo* Cardinalium hoc anno inchoata, & anno MCXXIV, quo ea adhuc durabat, absoluta. Mabillonius quidem in Præfat. ad editionem Operum S. Bernardi Abbatis §. 4. num. 39. hujus Legationis initium cum anno MCXXIV connectit, citatis Orderico ibidem & Vincentio Bellovacensi in lib. 2. de Vita S. Stephani Grandimontensis, ubi loquens de Sancti hujus Fundatoris morte, quam cum anno MCXXVI copulat, refert *Petrum & Gregorium* Sedis Apostolicæ Cardinales, & Legatos sanctum Virum paulò ante mortem ejus convenisse. Verùm Ordericus utrumque Legatum hoc anno in Galliam venisse disertè asserit, & Vincentius Bellovacensis annum mortis Sancti Stephani biennio seriùs collocavit, ut suo loco monstrabimus.

VIII. *Alfonsi VI cum Urraca matre dissidium.*

Hoc anno *Urraca* Castellæ Regina ab *Alfonso Raimundo* filio Regno spoliata, isque ab omnibus Regni Magnatibus ut Princeps legitimus agnitus, uti Sandovalius fol 129. & seq. aliique Scriptores Hispanici tradunt. Pacem tamen Matrem inter & Filium postea constitutam fuisse, apparet ex Instrumento *erâ MCLXI*, Christi nempe MCXXIII, scripto, in quo Regum Legionis & Toleti nomen utrique tribuitur; cùm tamen penes unum *Alfonsum* tota auctoritas esset.

IX. *Eadmerus absolvit Libros VI Novorum.*

Eodem anno, inquit Eadmerus, *qui fuit annus ab Incarnat. Domini MCXXII, & ex quo ab Episcopatu Roffensi in Patriarchatum Cantuariensem*

SÆC. XII. An. C. 1123.

fem translatus est annus nonus, defunctus est Cantuariæ in Metropoli Sede Radulfus Archiepiscopus, XIII Kalendas Novemb. præsentibus filiis suis, glorioso scilicet agmine Monachorum ejusdem loci, & tertio die ab hinc in medio aula Majoris Ecclesiæ decenter sepultus; quibus verbis Eadmerus librum VI Novorum absolvit, & forsan vitam; nulla enim posthac ejus mentio. Fuit Monachus Ecclesiæ Cantuariensis, ut ipsemet lib. 5. Novorum affirmat. Ejus libri Novorum post Baronii mortem, Joannis Seldeni operâ, magno Historicæ veritatis compendio, in lucem prodierunt, est enim Auctor in Chronologia accuratus.

Anno Eræ Hispan. MCLXI. Anno Hegiræ DXVII inchoato die 1. Martii fer. 5.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6616.

☉ 12. G. ☽ 3. P. 15. April. Indict. 1.

JESU CHRISTI 1123.

CALLISTI II PAPÆ 5.

HENRICI V REG. 18. IMP. 13.

JOANNIS COMNENI IMP. 6.

I. *Concilium Generale Lateranense primum.*

ANNum. I ad V. Concilium *Lateranense* Generale primum, de quo Baronius anno MCXXII num. I & seqq. agit, currenti tantùm anno congregatum, rectèque Tom. X Concil. suo anno restitutum; Falco enim Auctor coævus in Chron. Simeon Dunelmensis in Hist. Anselmus Gemblacensis, passimque Scriptores, qui hoc seculo vixêre, illud cum hoc Christi anno illigant, nihilque in contrarium afferri potest. Opinionem suam Baronius ex Onuphrio in Chron. Eccles. hausit, neuterque celebrati Concilii diem notavit, qui & omissus fuit in Collectione Conciliorum, & à paucis ex Antiquis memoratur. Simeon tamen Dunelmensis, tam hoc anno, quàm superiori, Chronographus Mailrosensis & Auctor Magni Chronici Belgici ex Bernardo Guidonis produnt illud habitum *XV Kalendas Aprilis*, quod confirmat Landulphus apud Puricellium in Mon. Bas. Ambros. num. CCCXXXIV, cùm ait, Synodum *in secunda feria* inchoatam fuisse, nempe XIV Kalend. Aprilis; diebus enim dominicis Synodos Generales primam Sessionem non incœpisse sæpius insinuavi.

II. *Duabus sessionibus constat.*

Hæc verba Landulphi à Sancto Paulo, ex quibus etiam eruimus Synodum duabus Sessionibus absolutam esse: *Olrico Archiepiscopo Mediolanensi sedente in Roma, tunc cùm Papa Callistus Synodum Roma celebravit: ego ab Ecclesia mea exturbatus, & propriis meis rebus & allodiis exspoliatus, coram domno Papa Callisto, ejusque Curia consedente in Lateranensi Palatio, causam meam notavi; & ut eam explicarem in Synodo, Synodum intravi. In qua Synodo, gratiâ antiquæ honestatis Mediolanensis Ecclesiæ, & condiscipulatus Olrici, valde condolui in perturbatione, quam Ravennas Archiepiscopus faciebat sibi. Poscebat enim Ravennas locum sedendi in Synodo ad dexteram Apostolici, nullo mediante: quem locum Grosulanus possedit, quando restitutus fuit; Jordanusque qui Grosulano successit, eumdem locum habuit tunc, quando idem Grosulanus eumdem Jordanum deponere studuit. Hac itaque ratione, & multis aliis, quæ tunc in memoria non habebantur, domnus Olricus Mediolanensis Archiep. locum illum obtinere non dubitavit. Sed tamen ipse Mediolanensis Olricus, in secunda feria, qua incœpta & celebrata fuit Synodus, loco vacante, neque in Palatio, neque in Synodo apparuit. Synodus verò tunc in tertia feria non fuit, & idem Mediolanensis Palatium non intravit. Sed in quarta feria dum Synodus celebrata fuit, Olricus idem Mediolanensis Archiep. ad dexteram Apostolici Callisti nullo mediante sedit.*

III. *Finitum fuit die XXI mensis Martii.*

Post aliqua interposita pergit iste Historicus: *Ego expectans alterum diem conveniendum mea causa, meaque querela, ex improviso vidi & audivi, quod Dominus Papa gratiâ consecrandi Altare dissolvit Synodum in ipsa die Mercurii, nec altra ab eo Synodum celebrari audivi, nec vidi; sed sperans in Domino præsensi, quod Dominus Olricus Mediolan. Archiep. prout moris, & legis consuetudo exigit, pro Rege Henrico oravit, & in Ramos Palmarum per Landrianensem Thealdum, Mediolanensis Ecclesiæ egregium Notarium in Germaniam misit.*

IV. *Quæ præcipuè in eo gesta; summariè narrantur.*

Quæ præcipuè in eo Concilio gesta hoc modo narrat Falco in Chronico: *Anno MCXXIII Dom. Incarnat. & quinto anno Pontificatus Domini Callisti II summi Pontificis, & universalis Papa, mense Martio, prima indictionis, supradictus Callistus Pontifex consilio salutis accepto, Ultramontanos omnes ferè Episcopos, & Archiepiscopos, & Abbates, & totius, ut ita dicam, Italiæ Ecclesiarum Pastores accersiri præcepit, quatenus sancta Synodali confabulatione firmata pactum cum Imperatore Henrico positum* (anno sc. superiori) *perpetuò confirmaret. Ad cujus sacri conventus præsentiam Rofridus Beneventanus Antistes honestè properavit. Ordinato itaque Concilio tali ac tanto, Apostolicus ipse sacramenti Privilegium, quod prædictus Imperator constituerat pacis, in conspectu omnium qui convenerant, adduci & legi præcepit. Continuò ab omnibus confirmatum est & commendatum. Inter cætera verò, quæ ibi statuta sunt, treugam Dei tenendam posuerunt. Item vinculis anathematis alligavit Apostolicus ipse, si quis Beneventanam civitatem ex B. Petri potestate auferre tentaret, & alia multa, quæ huic opusculo affigere longum visum nobis est: excogitans quidem me fastidia addere, si libello tali universa componerem. Alia verò scripta omnia & notata invenietis. Audivimus autem, & quod revera est, comperimus tale, tantumque pacis firmamentum infra Romanam urbem temporibus prædicti Apostolici advenisse, quod nemo civium, vel alienigena arma, sicut consueverat, ferro ausus est.*

V. *Numerus Episcoporum præsentium, & Canonum editorum.*

Quoad Episcoporum, qui Concilio interfuêre numerum, Nangius in Chron. ait, *Concilium trecentorum aut amplius Episcoporum* fuisse, quod diu ante eum Sugerius, qui Concilio interfuit, in Vita Ludovici VI Francorum Regis his verbis retulerat: *A Domino Papa Callisto, & tota Curia honorificè valde recepti per sex menses, cùm apud eum demorando magno Concilio trecentorum aut amplius Episcoporum Lateranis compositioni pacis de querela Investiturarum astitissemus.* Pandulphus in Vita Callisti II ait, Concilium fuisse *CMXCVII Episcoporum, sive Abbatum numero*, sed numeros corruptos existimo. Quoad verò Canones in eo editos, referuntur ii Tom. X Concil. ex Baluzio ad lib. VIII de Concordia Sacerdotii & Imperii, eruti ex vetusto Codice MS. monasterii Anianensis, qui conferri poterunt cum Decretis ejusdem Synodi à Simeone Dunelmensi in sua Historia memoratis, ubi & Concilium istud appellat *Concilium CCC Episcoporum*,

SÆC. XII. An. C. 1123.

coporum, & Decretis hæc verba subnectit: *His Synodalibus decretis subscriptis & confirmatis Imperatorem per Legatos suos & scripta, secundùm præmissum scriptorum tenorem promittentem se sanctæ Romanæ Ecclesiæ justa servaturum, generalis Concilii sententia ab excommunicationis absolvit vinculo, quo in Remensi Concilio fuerat ligatus.* Constat enim ex iis, quæ Batooius anno MCXXII num. VI & seq. refert, Henricum Imp. eo anoo, qoo pax constituta, ab excommunicatione absolutum non fuisse. Natalis Alexander Sec. XI & XII part. II Dissert. IV art. XX Canones XVII in hoc Concilio inter Oecumenica nono conditos percurrit, & exponit apud eum legendos.

VI. *B. Oldegarius creatur S. Sedis Legatus in Hispania.* In Canone XI *Callistus* II peccatorum remissionem concedit iis, *qui Hierosolymitanum vel Hispanicum iter suscipiunt* ad Christianam gentem defendendam, & tyrannidem infidelium debellandam. Diagus in Hist. Comitum Barcinonensium lib. 2. cap. 103. refert literas Callisti II omnibus Episcopis, Regibus, & Principibus datas statim post Concilium Lateranense, Principibus nempe Hispaniarum, eisque significat se omnibus adversùs Paganos Hispaniæ Ecclesias opprimentes militaotibus eamdem peccatorum remissionem, quam Orientalis Ecclesiæ defensoribus concedere, subdique: *Verum quia exercitum vestrum per nos, ut desideraremus, visitare nequimus, charissimum fratrem nostrum Oldegarium Tarraconensem Archiepiscopum, ad ipsum ex latere nostro delegare curavimus, nostras ei vices in hoc specialiter committentes, ut ipsius consilio & dispositione corrigenda corrigantur, & confirmanda, cooperante Domino confirmentur. Si qua verò dubia in exercitu eodem emerserint, ipsius experientia terminentur.* In fine legitur: *dat. Lateran. IV Non. Aprilis*, paucis scilicet diebus post celebratum Concilium Lateranense; neque enim annus in eis legitur. Eas literas eruit Diagus ex Archivis Ecclesiæ Barcinonensis, & Bollandus ad diem VI Martii recitat in Vita B. Oldegarii.

VII. *Tertia profectio Beneventana Callisti II.* In primo Canone simoniacæ ordinationes & promotiones modis omnibus prohibentur; simonia enim per hæc tempora grassabatur. Audiendus Falco in Chron. qui postquàm de Concilio Lateranensi primo sermonem habuit, subjungit: *Concilio celebrato Beneventum venit prædictus Apostolicus Callistus* (hæc tertia ejus profectio Beneventana), *& quadam negotia Beneventanorum tractavit. Eodem anno Landulphus de Graca supra nominatus* (fuerat is Beneventi Conestabilis) *XII Kalendas Decembris obiit, & ad Ecclesiam suam sancti Maximi sepultus est. Cumque prædictus Pontifex Callistus Beneventum venisset, vocari fecit præfatum Rofridum Archiepiscopum, ut audiret quorundam civium accusationes, quæ ei inferebantur; accusatus enim fuerat, quod simoniacè Archiepiscopatus honorem accepisset. Tunc Præsul ipse vocatus quibusdam suffraganeis suis & Presbyteris civitatis sacrum ascendit Palatium, & accusatoribus auditis inducias postulavit, & acceptis induciis respondit; Paratus tum Pater sanctissime juxta canonica instituta ab his purgari accusationibus, & vestram sequi jussionem. Tandem juravit ipse primum cum duobus Episcopis & tribus Presbyteris simoniace non fuisse ingressum.*

VIII. *Compostella Metropolica dignitate aucta.* A Rebus Beneventanis ad Hispanicas transeo, quia Baronius num. I & II de erectione Metropolis Compostellanæ, & de confirmatione Privilegiorum Metropolis Bracarensis verba facit. *Alphonsus* VII Castellæ Rex in Charta *erâ MCLXVII quinto Idus Aprilis* scripta, anno sc. Christi MCXXIX, ait, Callistum II patrium suum dignitatem Archiepiscopatus Emeritensis Ecclesiæ in Compostellanam transtulisse; sed cùm annum, quo hæc facta sunt, in ea non expresserit, Sandovallius in Alphonso VII hanc erectionem Ecclesiæ Sancti Jacobi in Metropolim cum anno MCXXV copulat. Verum Vir in Antiquitatibus Hispanicis versatissimus nihil suorum studiorum Chronologiæ Pontificiæ impertierat; ideoque Baronio standum, qui ex veteri Codice de Romanis Pontificibus ab Auctore hujus temporis scripto refert, id hoc anno factum esse. Sandovalius Scriptorum Hispanicorum Episcopos omnes Galliciæ Metropolis Compostellanæ suffraganeos constituentium errorem rectè detexit, asseritque, cùm ipsemet Episcopus Tudensis creatus fuit, se in archivis illius Ecclesiæ in Gallicia positæ reperisse annos ducentos à Callisti II obitu Archiepiscopos Bracarenses à Galiciis Metropolitas agnitos confirmasse electiones Episcoporum Tudensium, ab hujus Ecclesiæ cathedralis Canonicis factas.

IX. *Suffraganei eidem subjecti.* Addit, in archivis Ecclesiæ Bracarensis diversa asservari Documenta; quibus constat, eumdem Archiepiscopum jus illud exercuisse in Ecclesias Cathedrales Astorgæ, Auriæ, Luci & Mindonii; quod confirmat Rescriptum Callisti II in gratiam Ecclesiæ Bracarensis, eo tempore datum, quo Compostellæ Metropolicum jus attribuit; ut enim videre est apud Baronium num. II *Callistus* confirmans restitutionem antiquæ Metropolis Bracarensis à Paschali II Papa, (ignotùm quo anno,) factam, huic Ecclesiæ nominatim conservat jus Metropolicum in Asturicam, Lucum, Tudam, Mindonium, Auriam, Portugale, & Colimbriam. *Callistus* itaque II Ecclesiæ Sancti Jacobi antiqua jura, eosdemque suffraganeos attribuit, qui antiquæ Metropoli Emeritensi, cujus Episcopus Lusitaniæ Primas erat, aliàs attributi fuerant. Et tamen hoc ipso anno *Callistus* II reservavit in antiqua Lusitania Metropoli Bracarensi Ecclesias Conimbriæ, Lameci, Egitaniæ, Visei & Britoniæ in veteri Emeritensis Ecclesiæ districtu positas; & quod rariùs factum, Episcopatus antiquæ provinciæ Emeritensis dantur Præsuli, qui nunquam Metropolita fuerat, & cujus Ecclesia continebatur limitibus alterius provinciæ, Bracarensis scilicet aut Galiciæ. Volens *Callistus* II Ecclesiam Sancti Jacobi sine præjudicio Bracarensis jure & majestate augere, contulit in Compostellanam à nullo Metropolita dependentem jura Metropolis devastatæ, & quæ jamdiu sine titularibus, sine Ecclesiis, & sine Episcopis erat.

X. *Victoria Alfonsi Aragoniæ Regis de Saracenis.* Inter hæc *Alfonsus* Aragoniæ Rex incredibili perseverantia Mauros lacessebat, plurimasque de illis victorias reportabat, uti narrant Surita lib. I. Annal. cap. 47. & Sandovalius fol. 131. Hoc enim anno *Valentiæ* Regoum cum ingenti exercitu ingressus, vastavit, incendit, evertitque loca omnia quæ repugnabant. In antiquis Documentis legitur, eum tantùm secum in hac expeditione habuisse *Gastonem* Vicecomitem Bearnensem, *Petrum de Librana* Episcopum Cæsaraugustanum, & *Stephanum* Oscensem Episcopum, licet verosimile sit, inquit Surita, plures alios Magnates in hoc arduo bello Regi operam suam commodasse. Exercitus iter continuans trajecit, *Sucronem* fluvium Valentiæ Regoum rigantem,

Xucar

Xucar Hispanicè appellatum; vastavit agros *Deanus* Oppidi inter ostia Sucronis & Artemisium promontorium siti, & in Regno *Murcia* variis in locis strages edidit. Sed his non contentus, *Granata* Regnum ingressus Andalusiam usque excurrit, & *Cordubam* Maurorum urbem Regiam obsidione cinxit. Quod cùm Cordubensis Rex vidit, omnium Maurorum copias coëgit, & acie cum Alfonso Rege conflixit. Pugnatum ad locum ab Aragonensibus *Arinçol*, & à Castellanis *Aransçuel* dictum; Mauri profligati, & undecim eorum Reguli internecione deleti, uti refert Surita. Sandovalius memorat antiquum Documentum, in quo idem dicitur, additurque Mauros *Montiels* Dominum suum occidisse *mense Junio era MCLXI*, currentis sc. Christi anni. De hoc bello legendus etiam Marca lib. 5. Hist. Bearn. cap. 21.

XI. *Alfonsus VII Castellæ Rex adversùs eum bellum movet.*

Parte altera Alfonsus VII Castellæ Rex Burgos, Castellæ Veteris caput, profectus à civibus exceptus est, solumque castellum Alfonsi Aragoniæ Regis causam tuendam suscepit. Castellani milites civibus, præsertimque Judæis adjuti ita fortiter pugnarunt, ut cùm oppidi Præfectus lethali plaga sauciatus fuisset, obsessi castellum dediderint. Sandovalius fol. 132. Chartam in Ecclesia Cathedrali Burgensi conservatam, & erâ MCLXI, currenti nempe Christi anno, datam laudat, in qua legitur, *quando Deus castellum de Burgus Regi Hispania dedit*. His ad *Alfonsum* Aragoniæ Regem perlatis, is copias in Naiaræ urbem immisit, alia, quæ tam in Regno Castellæ, quàm Legionis tenebat oppida, munitionibus instruxit, & postea cum exercitu in Castellanorum ditiones irrupit; sed *Alfonsus* Rex *Castella* socero occurrit, ambo exercitus ad Tamaram in conspectum venêre, se seque ad duorum Principum querelam prælio dirimendam compararunt; utrinsque tamen partis Episcopi intercessionem interposuêre, eaque conditione pacem faciendam proposuêre, ut Aragonensium Rex intra quadraginta dies genero redderet oppida ad ipsum pertinentia. Verùm tractatio ista effectum sortita non est, rursumque ad arma ventum, ut anno sequenti, quo pax tandem ad exitum perducta, narrabimus. Chronographus Malleacensis hujus belli ad hunc annum meminit.

XII. *B. Oldegarius totus est in restauranda Tarraconâ.*

B. *Oldegarius*, de quo mox locuti sumus, totus in restauranda civitate Tarraconensi, cujus Archiepiscopus erat, pellendisque Saracenis à finibus ejus incumbebat. Hæc Ordericus hujus temporis Scriptor lib. 13. pag. 891. & seq. de illo habet: *Terracona* (legendum, Terracona) *Metropolitana Sedes erat*, *& Odelricus* (legendum, Oldegarius) *eruditissimus senex Archiepiscopus florebat, & in vicis, burgisque diœcesis suæ officium sibi injunctum exercebat. In Episcopali quippe Basilica quercus & fagi, aliaque proceros arbores jam creverant, spatiumque interius intra muros urbis à priscis temporibus occupaverant: habitatoribus per immanitatem Saracenorum peremptis seu fugatis, qui eamdem dudum incoluerant. Denique Rodbertus instinctu Præsulis Honorium Papam* (qui anno sequenti sedere cœpit) *adiit, vello suum os denudavit, Terraconensem Comitatum ab omni exactione seculari liberum dono Papa recepit; & reversus, validis sodalibus quæsitis, sibique adjunctis, usque hodie custodit, Ethnicisque resistit.* Jam dixerat Ordericus, Rodbertum de Culeio Equitem Normannum post prælium ad Cutandam anno MCXXI datum, cui ipse interfuit, sedem Tarraconæ fixisse. Hunc Scriptores Hispani vocant *Robertum Agulonium*, quem ortum esse ex nobilissima gente de *Trsa* in Normannia, ostendit Baluzius in Supplem. ad Marcam Hispanicam lib. 4. pag. 489. Porrò loco *Odelrici*, legendum esse, *Oldegarii* certò deducitur ex Diago lib. 2. Hist. Comit. Barcinonensium cap. C, ubi ait *Oldegarium* in Archiepiscopatum Tarraconensem successisse *Berengario* demortuo, qui Ausonensis Episcopus, & Tarraconensis Episcopus titularis fuerat. Locus ille Orderici decepit Mabillonium in brevi Nota ad Epist. CXXVI Sancti Bernardi, ubi dicit *Oldegarium* juxta Ordericum *Odelrico* successisse. Præterea corrigendus hic error Orderici, qui ibidem scribit de Roberto: *Terraconensem Comitatum ab omni exactione seculari liberum dono Papa* (sc. Honorii II) *recepit*. Diagus enim lib. 2. Hist. Comitum Barcinon. cap. CXI tradit constare ex Instrumentis à se in archivis urbis Barcinonensis visis Tarragonam *Roberto de Agulone* die XIV Martii anni Incarnat. MCXXVIII ab Oldegario Archiep. Tarraconensi in feudum datam fuisse. Ditionem autem illam à Comite Barcinonensi Archiepiscopos Tarraconenses dono obtinuisse, Acta publica docent.

XIII. *Tarracona à fœmina defenditur.*

De Roberti qui & cognominabatur *de Bordet*, uxore hæc subdit Ordericus: *Interim dum pergeret* (nempe Robertus) *Romam, itemque pro colligendis sodalibus rediisset in Normanniam, Sibylla uxor ejus filia Guillelmi Capra servavit Terraconam. Hæc non minus probitate, quam pulchritudine vigebat. Nam absente marito pervigil excubabat, singulis noctibus loricam ut miles induebat; virgam manu gestans murum ascendebat, urbem circuibat, vigiles excitabat, cunctos ut hostium insidias cautè præcaverent, prudenter admonebat. Laudabilis est juvenis hera, quæ marito sic famulabatur fide, & directione sedula, populumque Dei piè regebat pervigili solertia.*

XIV. *Pax Venetorum cum Imp. Orientis, & victoria de Saracenis.*

Ad num. V. *Alexio Imperatore* Orientis demortuo *Joannes* filius ac successor cernens Venetos ex Privilegiis paternis, opibus abundare, eorum maritimam potentiam suspectam habuit, & Privilegia confirmare renuit. Inde, inquit Joannes Lucius in Hist. de Regno Dalmatiæ lib. 3. cap. 10. simultatibus primis Venetos inter & Græcos ortis, illi tertiam expeditionem in Terram Sanctam facientes Græcorum loca infestarunt; sed Dux Venetiarum victricem classem reducens, & Græcorum loca in Ægæo vastavit, & Dalmatiam recuperavit, & Imperator, Privilegia paterna confirmare persuasus fuit; à quo tempore *Veneti* navigationes quietas prosecuti sunt. Quid verò hoc anno adversùs Christiani nominis hostes in Syria Veneti egerint, narrat Baronius ex Tyrio lib. 12. eaque de re legendus etiam Fulcherius Carnotensis, qui tunc Hierosolymis erat, lib. 3. qui ait, classem eorum fuisse navium CXX, *exceptis catttis vel carabis, quarum alia quidem rostrata, alia onerata, alia verò triremes fuerunt*. Cùm Saraceni naves octodecim de classe Venetica perspicerent *ad se appropiare*, pugnam audacter adversùs eos suscipiunt, sed Veneti in eos irruunt, omnesque detruncant: *fide caret*, inquit Fulcherius, *quod ultra humanum auditum navibus vasis occidentium sanguine fluido tingerentur. Itaque naves multis onusta opibus capiuntur. Corporibus quidem extra naves tunc jactatis, usque ad quatuor millia passuum salum rubescere circumquaque videretis.*

SÆC. XII. An. C. 1123.

XV. *Balduinus Rex capitur & infideles victi.*

Refert ibidem Tyrius cap. 21. Christianos manu valida Ægyptios repulisse, eodemque prælio septem millia ex eis occidisse. Qua de te Anselmus Gemblacensis in Chron. hoc anno scribit: *Balduinus Jerosolymorum Rex à Saracenis capitur. Qua de re mente excedentes undique versum evocati, ad sexaginta millia conglomerantur, ut Christianos à finibus suis exterminarent, &c. Dies pugna indicitur. Procedunt Christiani cum militibus & peditibus vix ad tria millia æstimati, &c. Abbas olim Cluniacensis Pontius profert lanceam transfixam in latere Christi.* Periêre septem millia infidelium, omnes verò Christiani incolumes reversi sunt. Balduinus anno sequenti in libertatem assertus, ut ibidem dicetur.

XVI. *Victoria Joannis Imp. de Hungaris.*

Ad num. VI & seq. Nicetas Choniata loquens de gestis à Joanne Comneno *quinto Imperii ejus anno*, ait eum educto Beroe, obi castra habebat, exercitu, Scytas aggressum esse & illustrem de illis victoriam reportasse: *Hac de Scythis parta victoria*, subdit Nicetas, *& illustri edito facinore, Joannes vota Deo persolvit, quod festum Pazinacarum nostro tempore dicitur, in res gestæ monimentum, & grati animi testimonium.* Quibus ex verbis intelligimus, Scythas illos alios non fuisse quàm *Hungaros*, Pazinacas seu Patzinates à Scriptoribus Græcis vocatos, ut alibi observabimus. Hæc præsenti anno, qui Imperii Joannis quintus est, gesta.

XVII. *Genus triumphi in Imperio Orientali usitatum.*

Sed triumphus Beatissimæ Virginis Mariæ, quem Baronius num. VII ex eodem Niceta recitat, aliquot post hunc annis Constantinopoli exhibitus. Scribit enim Nicetas, *non multò post* Joannem Imp. contra Triballos seu *Servios* expeditionem suscepisse, eosque acie victos ad pacem coegisse. Narrato deinde bello Hunnico subdit, *succedenti tempore* copias coegisse, & naves expeditas comparasse, iisque per Pontum in Istrum trajectis, hostes terra & aqua adortum esse, & post varias dimicationes pace cum Hunnis, ceterisque Barbaris facta, de hostibus remotioribus subigendis cogitasse, & *Italiam maritimam* sibi consiliasse. Tum traducto in Orientem exercitu *Persarmenios* aggressum eos superasse, & Byzantium reversum triumphum indixisse. Describit triumphum illum, atque quadrigas à quatuor equis tractas fuisse, & currum argento interpunctum non Imperatorem conscendisse, sed Dei genitricis Imaginem in eo collocasse, *cui victorias, ut collegæ imperii invictæ acceptas ferebat.* Cinnamus lib. 1. pag. 7. postquam eumdem triumphum retulit, ait: *Res miraculi instar à Byzantinis visa, quod à nemine, ut opinor, factitatum noverant, ex quo Heraclii & Justiniani imperium obtinuêre.* Verùm, ut observat Ducangius in Notis ad Cinnamum, facile refellitur Historicus iste ex Curopalata & Zonara, tradentibus *Joannem Zimiscem*, devictis Bulgaris, ita triumphum duxisse, ut totam rerum bene gestarum gloriam Deiparæ adscripserit, cujus Imaginem in curru collocatam ipse subsecutus est. Vide quæ de hoc triumpho ex Leone Diacono hactenus inedito de Zimisce loquentes diximus. Id ipsum postea imitatum *Manuelem* Joannis in Imperium Successorem, debellatis Pannonibus, tradit Nicetas lib. 5. num. 3.

XVIII. *Archiepisco-*

Ordericus lib. XII pag. 873. narrata Radulphi Archiepiscopi Cantuariensis morte, quæ anno superiori, ut ibidem diximus, non verò currenti, ut ipse per hæc tempora in Chronologia parum certus affirmat, contigit, de ejus Successore hæc scribit: *Cui Willelmus Curboliensis Canonicus Regularis post aliquot annos successit. Ecce antiquus mos pro invidia, qua Clerici contra Monachos ardebant, depravatus fuit. Augustinus enim Monachus, qui primus in Anglia Christum prædicavit, ac Edelbertum Regem, & Sabertum nepotem ejus cum populis Cantiæ & Lundoniæ ad fidem Christi convertit, jussu Gregorii Papæ Primas Metropolitanus totius Britanniæ floruit. Omnes exinde usque ad Radulphum Dorobernia Archiepiscopum præter Frigeardum, & Odam atque Stigandum, fuerunt Monachi. Frigeardus quippe Capellanus Lotharii Regis ad Præsulatum fuit electus, & Romam ut ab Agathone Papa consecraretur destinatus. Deinde datis à Papa induciis decem dierum, expectans benedictionem interea decidit in lectum, & sine Præsulatus unctione exhalavit spiritum.*

pi Cantuarienses è monasteriis de more assumti.

XIX. *Nonnulli ex Clero.*

Oda verò pro nobilitate & morum benignitate, de Clero assumptus, & Archipræsul est consecratus. Qui postquam omnes antecessores suos Monachos fuisse comperit, libenter ac devotè habitum mutavit, & religiosus Monachus ac Archipræsul usque ad mortem Deo militavit. (Eadmerus, qui idem ac Ordericus narrat, ut anno MCXIV num. V. vidimus, neque Frigeardum, neque Odam inter Archiepiscopos ex Clero assumptos numerat, quia primus ante suam ordinationem mortuus, alterque Monachum postea induit). *Stigandus autem Emmæ Reginæ Capellanus admodum secularis & ambitiosus extitit, qui primum Lundoniæ, postmodum Cantuariæ cathedram invasit. Verùm à Romano Papa nunquam Pallium habuit, imò ab Alexandro Papa interdictus Haraldum profanavit, dum in Regem benedicere debuit. Quapropter idem, sicut à se exaltatus intumuit, sic à Deo humiliatus & confusus ingemuit. Nam Guillelmo primo in regno confirmato, clarescentibus culpis, judicio Synodi depositus est: unde nec in Catalogo Pontificum computatus est. Angli Monachos, quia per eos ad Deum conversi sunt, indesinenter diligentes honoraverunt: ipsique Clerici reverenter & benignè sibi Monachos præferri gavisi sunt. Nunc autem mores & leges mutata sunt, & Clerici ut Monachos confutent & conculcent, Clericos extollunt.* Ita Ordericus Uticensis in Neustria Monachus.

XX. *Obitus Marbodi Redonensis Episcopi.*

Hoc anno *Marbodus* Episcopus Redonensis vitam cum meliore commutavit, ut testatur Chronographus Andegavensis Tom. I Biblioth. Labbeanæ, qui ingressurus viam universæ carnis Pontificali onere deposito Sancti Benedicti habitum suscepit, & B. Albino se tradidit, pauperem Christum pauper & ipse secutus, ut legitur in Chartulario Sancti Albini. Varia scripsit Opera, ex quibus plura periêre; sed tam deperdita, quàm impressa & MSS. enumerat Oudinus in Supplement. de Script. Eccles. Circumfertur sub ejus nomine Epistola *ad Robertum de Arbrissello*, qua eum portentosis criminibus accusat, sed quodnam de ea judicium ferendum sit, jam anno MCXVII diximus. Ejus Elogium ex veteri Charthulario mox citato Sancti Albini Andegavensis referunt San-Marthani, ex quo liquet, eum die XI Septembris animam Deo reddidisse, extatque

Tomo

SÆC. XII. An. C. 1124.

Tomo XIII Spicilegii Marbodi Epistola ad *Hildebertum Cenomanensem Episc.* qui illum consuluerat de viro à quo uxor debitum tori postulabat, licet ipse votum Monasticæ vitæ, consensu ejus, emisisset.

XXI. *Concilium Bituricense.*

Simeon Dunelmensis in Hist. de Gest. Reg. Angl. Concilii Bituricensis his verbis meminit: *Habitum est Concilium apud Bituricas V Idus Decemb.* sed nihil ejus superest. In eum diem hoc anno Dominica cadebat. Quare Concilia particularia, sicuti mox vidimus de generalibus, à feria secunda sæpè exordiebantur, post rem divinam die Dominico ritè procuratam.

Anno Æræ Hispan. MCLXII. Anno Hegiræ DXVIII inchoato die 18. Febr. fer. 2.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6617.

☉ 13. FE. ☽ 4. P. 6. April. Indict. 2.

JESU CHRISTI 1124.

HONORII II PAPÆ 1.

HENRICI V REG. 19. IMP. 14.

JOANNIS COMNENI IMP. 7.

I. *Boleslaus III Poloniæ Dux sororem Henrici Imp. uxorem ducit.*

A Num. I ad VI. Anonymus, qui Vitam Sancti Ottonis Bambergensis Episcopi, ab Henrico Canisio Tom. II Antiq. Lect. recitatam non multò post hujus Sancti Præsulis mortem literis mandavit, ait in Præfatione eum ante Episcopatum in Polonia scholam puerorum accepisse, & magnam in ea regione famam sibi comparasse, *cumque aliquot annos probè & sapienter ibi mansisset, uxor Ducis defuncta est,* Boleslai nempe Poloniæ Ducis hujus nominis III qui primis nuptiis sibi copularat, ut Chromerus lib. 5. de Gestis Polon. refert *Sbislavam* Kiovensium Principis filiam. Otto, ut subdit idem Anonymus, Boleslao Duci Auctor fuit, ut si vellet ad alios toros venire, acciperet uxorem in partibus Teutonicis, cùm nihil ei querendum esset, *nisi amicos, genus, potentiam ut pote cui opes abundè suppeditarent.* Hanc in rem ipsemet Sanctus Otto Legatus eligitur: *Eo tempore soror Imperatoris in contubernio ejus manebat*, de qua Otto felices nuptias expectabat. *Duce igitur optatis thalamis potito, major iterum gratia Ottoni accessit, suique paranymphi domina oblita non est.* Idem Chromerus, cujus tempore hic Anonymus in tenebris latebat eam *Adelaidem* appellat.

II. *Conversio Pomeranorum per S. Ottonem Episc. Bambergensem.*

Postquàm *Boleslaus* III variis præliis *Pomeranos* sibi subjecit, de fide Christiana in illam gentem referenda cogitavit, literasque dedit ad Ottonem Episc. Bambergensem nullo temporis charactere notatas, & à Baronio num. III relatas, quibus eum rogavit, ut quia *in diebus juventutis* ejus apud patrem suum *decentissima honestate* conversatus esset, ipseque *per triennium* frustrà laborasset ad Sacerdotes huic operi idoneos inveniendos, eum non pigeret, id laboris assumere, & ad se venire. Anonymus lib. 2. Vitæ hujus Apostoli Pomeranorum de iis, quæ ibi hoc & sequentis anni initio gessit, fusè loquitur. *Uratislaus* Pomeraniæ Dux, amboque ejus filii à Sancto Ottone baptizati & *Adelbertus* Pomeraniæ Episcopus renunciatus Sedem posuit Vollini, quod oppidum est insulæ Julioi ad ostia Oderæ fluvii, sed ea anno MCLXXV Caminum translata. *Ante diem Palmarum ad sedem suam sanctus Otto reversus est*, ait Anonymus, & gaudium Paschale duplicavit, quòd & suam præsentiam civibus exhiberet, & tanto cum fœnore tot animas Christo lucratus esset. Helmoldus in Chron. Slavorum lib. 1. cap. 41. hanc Sancti Ottonis Missionem cum anno sequenti conjungit, quia ad finem ejus respexit. Auctor verò Anonymus præfatis eam Honorio II attribuit, quia is hoc anno ad culmen Apostolicum evectus est. De secundo Sancti Ottonis in Pomeraniam, & in Leutitiam seu Liutitiam itinere anno MCXXVIII sermo erit.

III. *Legatio Gallica Petri Leonis Cardinalis.*

A num. VI ad IX. In Chronico Malleacensi ad annum MCXXIV legitur: *Fuit Concilium Carnots, &c. fuitque aliud Clermondo Concilium, & aliud Belvago: alterum quoque Vienna.* Quod in iis gestum ignoratur, sed Chronographus Maurigniacensis pag. 376. testatur, Petrum Leonis S. R. E. Cardinalem, quem jam diximus, anno MCXXII Sedis Apostolicæ Legatum in Franciam missum esse. Carnotensi & Belluvacensi Conciliis præsedisse: & quia is postea sub Anacleti nomine Antipapa fuit, juvabit hîc referre, quæ de eo Chronographus iste in medium adducit: *Fuit hic Petrus Petri filius, filii Leonis. Leo verò à Judaismo Pascha faciens* (idest, transitum, quod vox illa Hebraica significat) *ad Christum, à Leone baptizari & ejus nomine meruit insigniri* (Leonem hunc è Judæis prognatum scribit etiam Arnulphus Sagiensis Archidiaconus, & postea Lexoviensis Episcopus, in Tractatu *de Schismate orto post Honorii Papa decessum*). *Hic vir, quia scientissimus erat, in Curia Romana magnificus effectus, genuit filium nomine Petrum, magna fama, magnaque potentia post futurum. Ea tempestate inter Regem Theutonicorum, qui ex successione Karoli Magni, Romanorum Patricius erat, & Ecclesiam Romanam illa turbulentissima de Investituris orta est seditio. In qua vir ille insianium armis strenuus, consilio providus, & Ecclesiæ Romana fidelis extitit, ut ei cum ceteris munitionibus, quæ Romæ sunt, illam quoque, quæ illius urbis videtur obtinere similitudinem, turrim dico Crescentii* (seu arcem Sancti Angeli) *quæ à parte Galliarum in capite Tiberini pontis sita est, Papa committeret, & eum præ ceteris familiarem haberet.*

IV. *Duo Concilia celebrat.*

Hac occasione mirabiliter excrescens quotidie suis melior efficiebatur, & divitiis, possessionibus, honoribus augmentabatur. Inter ceteram sobolem, cujus plurima multitudine sexûs utriusque à quibusdam Antichristus gloriabatur, genuit hunc Petrum, de quo sermo nunc est, qui literis eruditus, à quibusdam Antichristi præambulus appellabatur. Iste studii gratià Gallias atque Parisius adiit, & cùm repatriaret, apud Cluniacum ditissimum atque sanctissimum cœnobium Monachilem habitum induit. Aliquantisper inibi regularibus institutionibus imbutus, à Papa Paschali II patris admonitione retrahitur ad Curiam, & Cardinalis effectus, tempore Calisti Papa, cum eodem Gregorio Legatus missus ad Gallias, Carnots, Belvacique Concilia celebravit, currenti scilicet anno, uti mox insinuavimus. Ita Chronographus Maurigniacensis.

V. *A Paschali II Cardinalis creatus.*

Mabillonius in Præfatione generali ad novam editionem Operum Sancti Bernardi à se curatam §. 4. ait, nullam in memorato loco Chronographi Maurigniacensis mentionem esse *de titulo Diaconi Cardinalis*, quem titulum Petro Leonis à Paschali II concessum fuisse Onuphrius tradit, eaque in re potiorem esse auctoritatem

Chronographi Mautigniacensis, ejus temporis æqualis; verùm Vitum doctissimum decepit, vel Duchesnius, qui Chronicon illud Tom. IV publicavit, vel potiùs Librarius, qui omissa interpunctione locum hoc modo edidit, *à Papa Paschali II patris admonitione retrahitur ad Curiam, & Cardinalis effectus tempore Callisti Papa, cum eodem Gregorio* &c. cùm ponere debuisset, *retrahitur ad Curiam & Cardinalis effectus, tempore Callisti Papa cum eodem Gregorio* &c. ita ut non tantùm ad Curiam evocatus fuerit à Paschali II; sed etiam ab eo Cardinalis creatus; quæ emendatio certa, sicuti & Onuphrii opinio, cùm, ut videre est apud Baronium anno MCXVIII num. XVI Pandulphus in Vita Gelasii II inter eos, qui secuti sunt hunc Pontificem Roma egredientem, ut persecutionem fugeret, numeret *Petrum* istum, scribatque, *& de Diaconis Cardinalibus Dominus Petrus Leonis, Gregorius Sancti Angeli* &c. qui Gregorius postea sub Innocentii II nomine Ecclesiam Romanam rexit. Porrò cùm is hoc anno in Francia, ubi duæ Legationes erant, ut alibi ostendimus, Legatus etiam Sedis Apostolicæ, fuerit ut anno MCXXVI demonstrabo, existimo eum Conciliis *Claromontano & Viennensi* à Chronographo Malleacensi memoratis præfuisse, cùm Petrus Bellovacensi & Carnotensi tantùm præsedent.

VI. *Callistus II reprobat conjugium filii Roberti Comitis Normanniæ.*

Hoc anno, ut narrat Simeon Dunelmensis in Hist. de Gest. Reg. Angl. Fulco Comes Andegavensium, *aliam filiam suam dedit uxorem Willielmo filio Roberti Comitis Nortmannorum fratris Regis* (nempe Henrici Regis Angliæ, qui Robertum fratrem Normanniæ Comitem captivum tenebat), *promittens juveni auxilium, ut quacumque in parte paterni honoris fieret heres.* Post illud matrimonium Guillelmus crebras irruptiones in ditiones Henrici Regis fecit, earumque occasione *gravibus Anglia est attrita exactionibus pecuniarum*, ut subdit Dunelmensis. Verùm Callistus II *post susceptam idoneorum testium de parentela probationem ubicumque Guillelmus filius Roberti Comitis fuerit, prohibuit officia celebrari, nisi utique ad datum à se terminum conjugium idem dissolverit*, inquit Callistus II in suis literis, datis *Laterani VII Kalendas Septemb.* Tom. III Spicilegii pag. 148. relatis, asserens se causam illam Joanni Presbytero Cardinali commisisse finiendam. Est is *Joannes Cremensis* ab eo Legatus in Angliam missus, qui in eam venire non potuit, nisi *cùm diu in Normannia retentus esset à Rege*, inquit idem Dunelmensis ad annum MCXXV. Interim Callisto II mense Decembri hujus anni, ut statim narrabimus, demortuo, anno sequenti Honorius II ejus successor, literis *Laterani pridie Idus Aprilis* datis, & in eodem Tom. III Spicilegii relatis scripsit ad Canonicos Ecclesiæ Turonensis, *Willelmum* post dissolutum à Joanne Cardinali Presbytero Apostolicæ Sedis Legato illicitum illud matrimonium, non solum non paruisse; sed Legati nuncios ad eum directos cepisse, *in arcta custodia per duas septimanas* retinuisse, *barbas eorum & capillos flammis exussisse, & literas in conspectu hominum sub dio cremare* præsumpsisse. Quare Honorius II Canonicos Turonenses monet, se excommunicationem in personam ejus, & interdictionem in propriam Comitis terram à suo Legato latas confirmare. *Guillelmus* aliam postea uxorem accepit, & mandatis Pontificis paruit, ut infrà videbimus.

VII. *Moritur Callistus II PP.*

Nunc ad *Callisti* II mortem veniamus. Hanc Pandulphus in ejus Vita exactè consignarat, sed Librarii locum corrupêre. Hæc Pandulphi verba: *Iam Christus continuè in mentibus fidelium nascebatur* (idest Ecclesia Adventum ejus celebrabat) *dum febris inopina proveniens, Papam repente consumit, & caput nobis omnibus in solo Papa cecidit. Nec mora confessus & ordinatus* (hæc ultima vox corrupta), *omnibus ululantibus obdormivit in domino: & sic pacis pater cum ipsa pace recedit. Sepultus est Laterani juxta dominum Paschalem in festivitate Sancta Lucia.* Sed cùm certum videatur, Callistum II postridie festivitatis Sanctæ Luciæ, die nempe XIV mensis Decembris, sepulturæ traditum fuisse, legendum: *Et sic pacis pater cum ipsa pace recedit in festivitate Sancta Lucia. Sepultus est Laterani juxta dominum Paschalem.* Corruptus & Falco cùm Christi II mortem his verbis narrat: *Papa Callistus duodecimo die stante mensis Decembris migravit ad Dominum.* Sic enim mortuus fuisset die vicesima mensis Decembris; cùm, ut jam alibi diximus, Falco dies stantes alicujus mensis, non à primo ejus die, ut eum perperàm Papebrocius in Conatu Chronico-Hist. interpretatur, sed à die mensis ultima usque ad diem Iduum retrocedendo numeret, ita ut dies XIV mensis Decembris ei sit dies XVIII stans mensis Decembris. Quare loco, *duodecimo die stante mensis Decembris*, legendum, *decimo tertio die intrante mensis Decembris*, nisi fortè Callistus II nocte inter diem XII & XIII interjecta è vivis abierit. Quo casu scribendum fuisset, *duodecimo die intrante.* Callistus itaque die quidem Iduum Decembris demortuus, sed post Idus sepultus, ut tot Scriptorum loca demonstrant, neque hic nodus doctorum Virorum ingenia amplius torquere debet.

VIII. *Dies ejus emortualis.*

Emendationem nostram in dubium revocandam non esse ostendit Necrologium monasterii Casinensis à Caracciolo in fine quatuor antiquorum Chronologorum, scilicet Heremperti, Lupi Protospatæ, Anonymi Casinensis, & Falconis Beneventani Neapoli anno MDCXXVI publicatum. In eo enim habetur: *XIX Kal. Ianu. ✝ Callistus II Papa.* Dies autem in illo Necrologio notati vel dies mortis vel dies sepulturæ Pontificum Rom. certò designant, ut singulos in eo contentos percurrenti patebit. Cùm itaque dies XIX Kalendarum Januariarum, seu dies XIV mensis Decembris, ad diem emortualem Callisti II referri non possit, non nisi de die sepulturæ interpretandus. Secundò, Joannes Ceccanus in Chron. ad hunc Christi annum scribit: *Obiit Calixtus Papa XIX Kal. Januarii.* Idem legitur in Chronologia Saxonica nuper Oxonii vulgata, cujus Auctor hoc ipso tempore in Anglia florebat. Tertiò, Fulcherius Carnotensis, qui hoc ipso tempore vivebat, lib. 3. Hist. Hierosol. ad hunc Christi annum ait: *Callistus Papa Obiit XII Kalend. Ianuarii*, sed loco, *XII. Kalend.* legendum, *XIX Kalend.* Bongarsius, qui tres illos libros in lucem emisit, fatetur exemplaria, quibus usus est, nec integra, nec satis emendata fuisse. Miræus in Auctario de Script. Eccles. pag. 247. monet, Brugis in Collegio Soc. Jesu inter reliquias Bibliothecæ Pamelianæ extare

plenos

plenos & integros, iisque jam edito. corrigendos esse. Quartò, Baronius num. VI recitat verba antiqui Scriptoris inediti, qui ait: *Moritur decimo quarto Kalend. Januarii,* Ubi etiam legendum, *decimo nono Kalend. Januarii.* Quamobrem Simeon Dunelmensis hujus temporis Scriptor in Hist. de Gest. Reg. Angl. ad annum MCXXIV rectè habet, Callistum II *Idibus Decemb.* seu die XIII ejusdem mensis Divæ Luciæ sacra obiisse; & id confirmant laudati Scriptores, qui non de die mortis, sed de die sepulturæ intelligendi, & quorum operâ transpositio, quæ extat in textu Pandulphi, emendanda.

IX. *Sedis ejus duratio.* Cùm *Callistus* Kalendis Februarii anni MCXIX Pontifex Romanus electus fuerit, Sedit *annos V, menses decem, & dies duodecim*, ut in duobus ex nostris Catalogis legitur, in quibus dies emortualis excluditur; in magno verò Chronico Belgico, ubi refertur ex Bernardo Guidonis eum sedisse annos V, menses decem, & dies tredecim, dies obitualis includitur, sicuti & in Chron. Martini Poloni. Idem de mensibus ac diebus habent Matthæus Parisius in Chron. Sigonius lib. X de Reg. Ital. & Onuphrius in Chron. qui tradunt, Callistum *Kalendis Februarii* Pontificem electum, & *Idibus Decembris* demortuum. Sed in Chron. Godefridi Viterbiensis hujus temporis Auctoris numerus mensium corruptus; cum ibi legatur, eum sedisse menses VI & dies XIII. In Fasciculo Temporum menses decem rectè notati, sicuti & in Chron. Hirsaugiensi, in priori tamen, loco dierum XIII, perperam scriptum habetur, *dies XI.* Ex quibus errores recentiorum Scriptorum refellendi. Varia Callisti II Opuscula adhuc MSS. supersunt in variis Bibliothecis, recensita à Ludovico Jacob. in Bibliotheca Pontificia.

X. *Honorius II ei succedit.* Successoris *Callisti* II electionem breviter, sed accuratè narrat Ceccanus in Chron. ubi postquam dixit, eum demortuum, seu, ut jam exposuimus, sepultum *XIX Kal. Januarii,* subdit: *Consensu omnium Clericorum Romanorum post septem dies, ordinaverunt Lambertum Ostiensem Episcopum in Honorium Papam*, qui hujus nominis secundus fuit. Quare *Honorius* II Pontifex Romanus electus est die vicesima prima mensis Decembris, quæ cùm hoc anno dominicalis fuerit, non videtur dubitandum, quin eadem etiam consecratus sit. Sed hæc magis explicanda. Baronius num. VII refert ex Pandulpho Subdiacono in Vita Honorii II, Leonem Frangipanem mortuo Callisto II dolo & fallaciis usum, ut successoris electionem turbaret: *Religiosæ memoriæ,* inquit Pandulphus, *Callisto Papa defuncto, omnes Patres de Curia Cardinales, & alii, præsertim verò Petrus Leonis, & Leo Frangipanis pariter condixerunt, ut usque ad diem tertium unà simul juxta scita sacrorum canonum pertractarent, interim de electione nulla mentio haberetur,* &c. *In sero autem præsentis idem Leo per nuncios unumquemque seorsum de capellanis Cardinalium præmonet, ut mane summo diluculo, cum pluviali rubeo sub cappa nigra venirent, & ita non ignorante domino, eumdem suum dominum introducerent,* &c. *Tandem in crastinum ita illecti Papam facturi conveniunt ad B. Joannis Basilicam, & in Ecclesia Oratorium, quod Sancti Pancratii dicitur, intrarunt. Ubi post aliqua verba, Jonathas Sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis, collaudantibus omnibus, ipso etiam Domino Lamberto Episcopo* (nempe Ostiensi patriâ Bononiensi) *Theobaldum Cardinalem Presbyterum S. Anastasiæ cappa rubea induit, & Cælestinum appellat, ut cœlitus missum. Non patitur Cælestinus (ego nescio, cur aliquandiu noluerit). Inceptum est, Te Deum laudamus, cani gaudenter, Lamberto Episcopo Ostiense pariter nobiscum canente. Non tamen dimidiato adhuc, Robertus impius Frangipanis versò fecit in luctum citharam. Etenim ipse cum quibusdam consentaneis suis, & aliquibus de Curia Lambertum Ostiensem Episcopum Papam acclamarunt. Deinde in Simiis, quæ ante oratorium B. Sylvestri sita sunt, sine mora eum composuerunt. Unde licet maxima discordia & tumultus emergeret, tamen postea pacificatis omnibus, & ad concordiam reductis, Lambertus Cardinalis Ostiensis in Honorium Papam sublimatur.* Discordia itaque & tumultus aliquot dies durarunt, septem nempe, uti Ceccanus in Chron. rectè notavit.

Idem dierum numerus in Codice Vaticano à Baronio num. VIII relatus, etiam notatur; sed vel Baronius aliqua de suo addidit ad majorem explicationem, vel Librarius numeros corrupit. In eo enim Codice habetur: *quia electio Honorii minus canonicè præcesserat* (legendum, processerat): *post septem dies, nempe XXVIII Decemb.* (sed hæc ultima verba vel addititia, vel legendum, *nempe XXI Decemb.*) *in conspectu Fratrum sponte mitram & mantum refutavit, atque deposuit. Fratres tam Episcopi, quàm Presbyteri, & Diaconi Cardinales videntes ipsius humilitatem:* &c. *ad ejus vestigia procideruut, & tanquam Pastori suo, & universali Papæ consuetam obedientiam exhibuerunt,* seu eum coronarunt, non die XXVIII Decemb. ut habet Baronius, aut eo die, aut IV. Januarii insequentis, ut vult Papebrocius in Conatu Chron-Hist. sed *XII Kalend. Januarii*, seu die XXI Decemb. ut rectè Onuphrius in Chron. & jam ex Ceccano diximus. Postquam hæc scripseram vidi Papebrocium laudatum referre ex Baronio memorata Codicis Vaticani verba, sed sine ista nota temporaria, *nempe XXVIII Decembris.* Quare non dubito, quin ea Baronii sit, non vero Anonymi Vaticani ab eo citati. Utor ego editione Coloniensi Baronii, & cùm dubitare cœpi, an ea verba Baronii essent vel Anonymi, legi editionem Moguntinam, in qua etiam ea verba eodem charactere, quo locus Anonymi exarata sunt, indeque mendum in Librarium refudi. Chronotaxim enim Paschalis II, Gelasii II, Callisti II & duorum præsertim sequentium Pontificum diu multumque examinavi. XI. *Post dierum VII interpontificium.*

XII. *Non verò dierum XII.* Baronius num. VIII narrato Anonymi Vaticani loco, jam in medium adducto, subdit: *Narrat eadem totidem pene verbis Willelmus Tyrius lib. XII cap. XV in fine*; in editione tamen à Bongarsio curata, & anno MDCXI Hanoviæ publicata, ea verba non libro XII, sed libro XIII in fine capitis XV leguntur, verum loco, *post septem dies* ibidem habetur, *post duodecim dies* quos ex eo excripsisse videtur Sigonius lib. X. Hist. de Reg. Ital. indeque Papebrocius dubitat, an Honorius II die IV Januarii sequentis anni coronatus fuerit. At sive Tyrius

dies illos XII exhibeat, sive hi ejus Operi additi fuerint, eos rejiciendos certum, ut tam ex dictis, quàm ex dicendis in morte Honorii II planum fiet.

XIII. *Gesta in bello Hierosolymitano.*

Ad num. IX. Fulcherius lib. 3. Hist. Hierosol. refert Tyrium à Venetiarum Duce cum navibus suis & à Germundo vel Garimundo Patriarcha cum subditis suis XV Kal. Martii obsidione cingi cœptam esse, & *nonis Julii* certis conditionibus Christianis deditam: *Videns Rex Damasci Turcos suos & Sarracenos, qui erant in urbe circumclusi, nullo modo posse de manibus nostris evadere, maluit cum aliquo dedecore vivos eos redimere, quàm mortuos plorare*, inquit Fulcherius, qui post aliqua interposita subdit: *Omnipotente Deo favente, de Turcorum custodia Hierosolymorum Rex* (nempe Balduinus II) *IV Kal. Septembris exiit, cùm mensibus XII, Pauloque magis sub eorum vinculis detentus esset.* Quare fallitur vulgatus Robertus de Monte, quem Baronius sequitur, quando in Chron. ad hunc Christi annum scribit: *Balduinus Rex Hierosolymorum à Saracenis præventus capitur.* Fulcherius enim, qui tunc Hierosolymis erat, hoc ignorare non potuit. Ad hæc victoria à Crucesignatis de Saracenis reportata, quam ex eodem Roberto de Monte recitat Baronius, ad annum præcedentem pertinet, cum quo idem Fulcherius eamdem copulavit. Tyrius lib. 13. cap. 15. loquens de gestis hoc anno, libertatis Balduino Regi redditæ tempus signantiùs designat, aitque, *IV Kalend. Septemb. cùm quasi mensibus decem & octo, vel amplius aliquid, apud hostes detentus fuisset, in vinculis, pactâ pro se pecuniâ, obsidibus datis, libertatem pretio interveniente consequutum* esse.

XIV. *Floret in Hibernia S. Malachias.*

Ad num. XI. Florebat hoc tempore in Hibernia *Sanctus Malachias*, Monachorum præstantissimus, cujus Vitam & res gestas Sanctus Bernardus Abbas Clara-vallensis in literas misit. Ortus Hiberniâ de populo barbaro, *de natali barbarie traxit nihil, non magis quàm de salis materno pisces maris.* Erat in civitate Ardmacha, in qua ille alitus, magnæ sanctitatis vir, ad quem se contulit, formam vitæ ab eo accepturus; visus dignus *Celso* Metropolitæ Armachano, qui ad Diaconi gradum promoveretur, ad ministerium illud coactus accessit & hoc indefessè exercuit. *Erat autem, cùm Sacerdos ordinatus est, annos natus quasi viginti quinque. in qua ejus utraque ordinatione, sicut præter Canonum formam processisse videtur, ut verè videtur, (siquidem infra vicesimum quintum annum Leviticum ministerium, infra tricesimum adeptus est Sacerdotii dignitatem) donandum sanè sum zelo ordinatoris, sum meritis ordinati*, inquit Divus Bernardus. Quare cùm ex dicendis in morte ejus, anno MXCIV in lucem prodierit, anno MCXVIII aut insequenti Presbyteram insignitus est. Interim obiter observabis Divi Bernardi tempore Canones illos, quibus cautum erat, ne quis Episcopus & Presbyter ante triginta annos ordinaretur, adhuc viguisse, licet sæpe ab Episcopis in gratiam piorum virorum dispensatum fuisse reperiatur. Benchorense monasterium olim florentissimum, sed à pyratis jam diu destructum, Malachias amplexus est, illucque veniens cum decem circiter fratribus, illi tempore aliquanto præfuit, *ipse Rector, ipse Regula fratrum.* Jamdiu Episcopatus *Connerotensis* vacabat, & licet nolens ad illum electus est: *Tricesimo fermè ætatis sua anno Malachias consecratus Episcopus Conneroth*, subdit Bernardus; erat autem Coneria, vulgò *Coner*, urbs Ultoniæ Provinciæ, nunc in vicum redacta, cujus hoc anno Malachias Episcopus constitutus, ut accuratè scripsit Baronius. Nusquam adhuc tales expertus fuerat *Malachias* in quantacumque barbarie, Christianos nomine, re Paganos, ut apud S. Bernardum legere est.

XV. *Tanchelini sectatores Antuerpiæ grassantur.*

Baronius in Appendice ad annum MCXXIV refert ex Miræo Diploma, quo Canonici Antuerpienses consilio Burchardi Episcopi concedunt Norberto Institutori Canonicorum Præmonstratensis Ordinis Ecclesiam Sancti Michaelis *anno Verbi incarnati MCXXIV indictione II, epactâ tertiâ.* Præpositus verò Sancti Michaelis in Antuerpia, ubi nunc illustris Abbatia Sancti Michaelis, in eo Diplomate hujus concessionis causam his verbis enunciat: *Cùm in diebus nostris quidam Hereticus Tanchelinus nomine in partibus nostris advenisset, & venenoso sermone a fide & à Sacramentis Ecclesiæ plurimos avertisset; hac de causa, ut illa heresis, qua Provinciam nostram occupaverat, funditus extingueretur*, Norbertum, virum nostris temporibus spectabilis religionis, accersiri curavimus, eique præfatam Sancti Michaelis Ecclesiam tradidimus. De hoc hæretico jam locuti sumus, annoque sequenti rursùs verba faciemus, ostendemusque *S. Norbertum*, non anno illo, ut putavit Baronius, sed præsenti Romam ad Honorium II venisse.

XVI. *Moritur Gubertus Abbas Novigenti.*

Dacherius, qui Opera *Guberti* Abbatis Novigenti in diœcesi Laudunensi in lucem emisit, in Synopsi ejus Vitæ, ac in Catalogo Abbatum B. Mariæ de Novigento prodit, piissimum Abbatem currenti anno ad Deum migrasse; & licet mirum sit, virum pereruditum rem singularem nulla in medium adducta probatione asserere, existimandum tamen illum aliquo fundamento innixum fuisse. Inter alia multa Gubertus scripsit libros octo *Gestorum Dei per Francos*, sive Hierosolymitanæ expeditionis, libros tres *de Vita sua*, & quatuor *de Pignoribus Sanctorum*; quo in ultimo Opere de sacrarum Reliquiarum suppositione fusè disserit, & circa ipsas penè infinitos errores facti contingere ait. Non probat quod sacræ Reliquiæ auro aut argento ad quæstum includantur, cùm Christi corpus sepulchro conditum fuerit, & gravissimè puniti, qui corpora S. Pauli Apostoli & S. Laurentii Martyris Gregorii Magni tempore inscii conspexerant. Verùm pius Abbas abusum & avaritiam, non verò pietatem improbat, qua ab antiquis temporibus Sanctorum corpora argento, auro & gemmis circumvestire & adornare mos fuit. De ejus Operibus legendi Oudinus in Supplem. ad Script. Eccles. & Natalis Alexander Sec. XI & XII part. I cap. VI, art. VI.

XVII. *Translatio S. Barbati Episc. Beneventani.*

Facta hoc anno Translatio Sancti Barbati Episcopi Beneventani qui anno circiter DCLXXXII spiritum Deo reddidit. Describit eam Falco Beneventanus in Chron. aitque: *Anno MCXXIV Dom. Incarnat. & VI anno Pontificatûs Domini Callisti Papa Roffridus Beneventanus Antistes, consilio accepto, corpus sanctissimi Patris nostri Barbati, Beneventani Præsulis, ex altaris tumba, quaper multa annorum curricula quieverat, abstraxit. Diesque octavo adveniente, pridie Kalendas Junii sub altari lapideo corpus B. Barbati, duobus secum adhibitis Episcopis locavit*: & loco eminentiore ascendens, *ut videri & audiri ab omnibus posset, peccatorum partem divina favente clementia, condonavit. Donavit item aliis omnibus,*

mibus,

urbis, qui usque ad octavum diem festivitatis SS. Apostolorum Petri & Pauli ad dedicationem illam devotè concurrunt, Narrat Falco miracula in ista Translatione patrata, quorum ipsemet testis oculatus fuit, & inter alia ait, Joannem Sutorem, qui in brachio & manu gravi dolore torquebatur, liberatum fuisse: *Manum illius*, inquit Falco, *cum brachio curatam sæpiùs ego palpavi: vicini namque illius testabantur, quod tempore longo eum infirmari cognovissent.*

XVIII. *Pax inter Reges Aragoniæ & Castellæ sancita.*

Anno superiori, uti narrat Sandovalius, inter *Alfonsum* Aragoniæ & *Alfonsum* VII Castellæ Reges de pace actum, & pacta scripta; sed ea executioni mandari non potuêre, quia Castellanus oppida omnia, quæ Alfonsi VI avi fuerant, repetebat, & Aragonius, quæ ab antiquis Navarræ Regibus possessa fuerant, retinere volebat. Quare inter utrumque Regem *erâ MCLXII*, currenti sc. anno, bellum redintegratum, tandemque pax operâ *Petri Venerabilis* Abbatis Cluniacensis tunc Nataræ, ubi præcipuum Ordinis Cluniacensis monasterium, versantis, conciliata, in qua Aragonius Rex *Rioiam*, & quæ fuerant Regum Navarræorum, sibi reservavit cum Regis Castellæ titulo, sed honorario tantùm. Sicque finitum bellum, & ab utroque Rege seorsim Regna in posterum administrata.

XIX. *Alphonsi Castellæ Regis conjugium cum filia Comitis Barcino no.*

Hoc etiam anno *Alfonsus* VII Castellæ Rex *Berenguelam*, seu *Berengariam* Raimundi Berengarii hujus nominis III Barcinonis & Provinciæ Comitis ac Dulciæ Comitissæ filiam sibi conjugio copulavit, *erâ MCLXII.* Die duodecima mensis Julii matrimonium istud jam contractum fuerat; cùm eo die uterque insignem Donationem Ecclesiæ Cathedrali Burgensi à Sandovalio fol. 134. relatam fecerint. Idem Historicus citat antiquissimum Diarium, in quo legitur, *Alfonsum* (Aragonium nempe) *era MCLXII mense Julio cepisse Medinam Celi* (quam urbem Mauri post Alfonsi VI mortem in ditionem suam iterum redegerant), *& Mozarabas Marochium trajecisse.* Non hîc prætermittendum quod idem Sandovalius refert, *Sanciam*, sororem Alfonsi VII & Urracæ filiam, donationem quamdam fecisse Petro Cluniacensi Abbati tunc pro pace in Hispania agenti, & monasterio ejus Cluniacensi, à Sandovalio recitatam, ac datam *die VI feria VIIII Kal. Julii* (sed legendum, *II feria*; Gothici enim characteres lectu difficiles, ut observat Sandovalius, & II pro V proclivi errore usurpatur) *era CLXII pro millesima, regnante Regina Urracha cum filio suo Domno Adefonsi Regis Hispaniæ.*

XX. *Complures Mozarabes ad Alphonsum Aragonem confugiunt.*

Ordericus lib. XIII pag. 892. ad annum MCXXV de Alphonso VI Aragoniæ Rege scribit: *Remotas regiones usque ad Cordubam peragravit, & in illis sex hebdomadibus cum exercitu deguit, ingentique terrore indigenas, qui Francos cum Hiberis* (idest Hispanis) *adesse putabant, perculit. Saraceni autem in munitionibus suis delitescebant, sed per agros armentorum, pecorumque greges passim dimittebant. Nullus de Castellis in Christianos exierat, sed Christiana cohors ad libitum omnia extra munimenta diripiebat, & depopulatione gravi Provincias affligebat. Tunc Muceranii ferè decem millia congregati sunt, ac Regem Ildefonsum humiliter adierunt. Nos, inquiunt, & Patres nostri hactenus inter Gentiles educati sumus, & baptizati Christianam legem libenter tenemus: sed perfectum divæ Religionis dogma nunquam ediscere potuimus. Nunc neque nos pro subjectione Infidelium, à quibus jamdiu oppressi sumus, Romanos seu Gallos expetere Doctores ausi fuimus: neque ipsi ad nos venerunt propter barbariem Paganorum, quibus olim paruimus. Nunc autem adventu vestro admodum gaudemus, & natali solo relicto vobiscum migrare cum uxoribus & rebus nostris optamus. Mucerianus* (legendum, Muceranis) *itaque Rex quod petebant, annuit. Magna igitur eorum multitudo de finibus suis exivit, & pro sacræ legis amore, ingenti penuria & labore afflicta exulavit.*

XXI. *Ob id Mozarabes, qui remanserunt, pessimè habiti.*

Aragones enim ut remeaverunt, totam regionem bonis omnibus spoliatam invenerunt, nimiaque penuria & fame, antequam proprios lares contigissent, vehementer aporiati sunt. Porrò Cordubenses, aliique Saracenorum populi valde irati sunt, ut Muceranios cum familiis & rebus suis discessisse viderunt. Quapropter communi decreto contra residuos insurrexerunt, rebus omnibus eos crudeliter expoliaverunt, verberibus & vinculis, multisque injuriis graviter vexaverunt. Multos eorum horrendis suppliciis interemerunt, & omnes alios in Africam ultra fretum Athlanticum relegaverunt, exilioque truci pro Christianorum odio, quibus magna pars eorum comitata fuerat, condemnaverunt. Garibayus lib. 23. Compendii Historialis linguâ Hispanicâ scripti, cap. 8. idem paucis verbis narrat ad annum Christi MCXXVI, sed quoad rei gestæ annum, præferendum videtur Diarium laudatum. Porrò Ordericus Christianos *Mozarabes* ab Historicis Hispanis vocatos, & lingua Hispanica *Muçaraves*, appellat *Muceranios*, quia more Scriptorum res externas narrantium nomen illud depravavit. Ad hæc verum non est quod tradit Ordericus Mozarabas omnes, ab ipso Muceranios dictos, qui mortem vitarunt in Africam ultra fretum Athlanticum missos fuisse; neque enim dubitandum, quin multi in Hispalensi Regno remanserint usque ad adventum Almohadum, qui Christianos omnes, ut suo loco videbimus, in Hispania exterminarunt. Existimo tamen eos Valentia, Murcia, Cuenca, aliisque locis in quibus societatem cum Christianis, præsertimque cum Alphonso Aragone, habere potuissent, expulsos tunc fuisse. Post hæc Ordericus refert *Alphonsum* Aragoniæ Regem in suum Regnum regressum invenisse *Urracam* conjugem adversùm se rebellasse. Verùm hæc, aliaque in eo paragrapho relata juxta exactam Chronologiam ad suos annos revocanda.

XXII. *David Alexandro fratri in regnum Scotiæ succedit.*

Malcolmo hujus nominis III Scotiæ Rege anno MXCIII occiso, eodemque *Sancta Margarita* ejus uxore vitâ functa, ut eo anno diximus, tres eorum filii *Eadgarus* vel Edgarus, *Alexander & David* in Scotia regnarunt, sed Eadgarus ante annum MXCVII thronum Regium conscendere non potuit, quo mense Januario anni MCVII, ut habet Simeon Dunelmensis in Hist. de Gest. Reg. Angl. decedente, *Alexander* frater Regnum suscepit, illudque ad præsentem usque annum administravit, monasteriorum ædificatione, aliisque pietatis operibus clarus. Hoc vero anno, ut scribit Simeon Dunelmensis, *obiit VI Kal. Maii, cùm regnasset XVIII annis & tribus mensibus, cui frater ejus David succedens, regnum, quod frater suus laboriosissime tenuit, mox ille sine contradictione susceptum quaquaversum inclitum sibi & quietum tenuit.* Loco tamen *XVIII annis*, legendum, *XVII annis*; certum enim eum Eadgaro fratri mense Ja-

nuario anni MCVII successisse, & præsenti vitam clausisse, ut ex duratione Regni Davidis innotescit. Dunelmensi suffragatur Annalista Mailrosensis, Alfordus quidem in Annal. Angl. Matthæus Parisius, aliique quidam mortem ejus in annum sequentem differunt, sed ii hac in re non audiendi. Fuêre tres hi Reges fratres *Mathildis* Henrici Angliæ Regis uxoris, piissimæ fœminæ, à qua ad omnem virtutem erudiri potuêre.

Anno Eræ Hispan. MCLXIII. Anno Hegiræ DXIX. inchoato die 8 Febr. fer 7.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6618.

☉ 14. D. ☽ 5. P. 29. Mart. Indict. 3.

JESU CHRISTI 1125.

HONORII II PAPÆ 2.

HENRICI V REG. 20. IMP. 15.

JOANNIS COMNENI IMP. 8.

I. *Pontius olim Abbas invadit monasterium Cluniacense.*

ANum. IV ad VIII. Questi sunt Monachi Cluniacenses *Pontium* eorum olim Abbatem, de quo suprà egimus, monasterium suum invasisse. De hac invasione Gaufredus Prior Vosiensis Auctor æqualis, cujus Chronicon Baronii tempore lucem non viderat, hæc scribit, & aliqua singularia de invasore habet: *Contigit Romanum Antistitem* (nempe Gelasium II) *Cluniaco venire, mori, ac sepeliri; qui ab Abbate* (scilicet Pontio) *visitatus aciem oculorum prolixiùs in illum deflexit* (vel defixit): *dixitque ei Abbas: quid me aspicis? æger respondit: quia video in Papatu moriturum. Extunc animus Pontii gliscere cœpit de Præsulatu sperans se Papam futurum iri. Sed fefellit eum dubia spes. Verum tamen in Papatu mortuus est, non ut Præsul Romanus, imò captivus & peregrinus. Tumulato Pontifice Cluniaco, Archiepiscopum de Vienna* (sc. Callistum II) *qui erat frater Comitis illius ejusdem urbis, Summum Pontificem statim Cardinales elegerunt. Pontius his contradicere voluit, sed non valuit. Reatum Præsul indulsit Abbati. Rogatus deinde urbem propriam rediit. Evoluto tempore, quibusdam ex causis, Pontius idem adiit Papam. Volenti reddere Epistolam Abbati Præsul ostendit, qua multa de ipso sinistra prodebat. Hac à Cluniaco dicta Romam fuerat nuper, licet occultè. Quam cernens Abbas non mediocriter irritatur: etiam renitente Pontifice, domui sua abrenunciavit. Romà egressus abiit Hierosolymam. Tunc Cluniaco elegerunt Petrum* (cognomento Venerabilem) *cujus frater Armannus Prior Cluniacensis postmodum Abbas Magniloconsis, Pontius Vizeliacensis, Jordanus de Casa-Dei extitêre. Hi fuerunt de viris nobilibus de Montboissier, quod est castrum in Arvernia.*

II. *Honorius II factum illud improbat.*

Biennii nondum tempore emenso, Pontius ab Hierosolymis rediens expetiit Cluniacum. Ejus adventu cognito Petrus Abbas quasdam in partes secessit ad tempus. Bernardus interim Abbas, qui fuit quondam sancti Martialis, portas Monasterii contra Pontium clausit, quia partibus Petri favebat. Et ecce pars major irruit Monachorum, Pontiumque suscipiunt januis effractis, Rogerius de Magant (vel Maulant) *Monachus S. Martialis, & Bernardus Vicecomes quondam Combornensis, tunc Monachus Cluniacensis valde sollicitabant animos cæterorum, quatenus de peccatis* (aliàs pietatis) *Pontii recordarentur. Quid replicem cuncta? Tanto pondere debiti laboraverunt Cluniacenses, ut multis Ecclesiæ thesauris exhaustis aureo non pepercerint Crucifixo. Schismate urgente, audiens ista Præsul Romanus* (nempe Honorius II, & quidem hoc anno) *accivit utrumque, amboque venêre. Pontius Lemovicas veniens Abbatem secum Romam ire rogavit. Amlardus Vosiensis* (Vosium monasterium est diœcesis Lemovicensis) *deveniens in Octavis Dei Genitricis, ejusdem Nativitatis octavas ibidem instituit agi, assumptoque Ademaro Vosiensi Abbate* (qui ideo hoc anno ea dignitate potiebatur; ex quo præcedentium & subsequentium Abbatum, quos sine ulla temporaria nota San-Marthani Tom. IV Gall. Christ. proponunt, tempora dirigi possunt) *Pontium Romæ ambo sequuntur. Et ut breviter multa perstringam, jussu Apostolici Pontius frater Comitis de Melgoire sine audientia captus, in turre, quæ dicitur ad septem salas, usque ad obitum, videlicet V Kalendas Januarii, in custodia tentus est. Sepultus verò est quasi pauper, imò captivus apud Sanctum Andream*, sed anno sequenti, quo eum vitam clausisse videbimus.

III. *Mittit Legatum, qui eum excommunicat.*

In paucis à Gaufredo differunt Ordericus lib. XII pag. 871. & Petrus Venerabilis lib. II de Mirac. cap. XIII, cujus verba refert Baronius: *Hic* (sc. Honorius II) *tanta Ecclesiæ tantos tumultus audiens, misso de latere suo Legato, domino scilicet Petro Cardinali, Pontium & Pontianos, qui tunc sic vocabantur omnes, adjuncto sibi Lugdunensi Primate Hubaldo, terribili anathemate condemnavit.* Hic Petrus Cardinalis diversus à Petro Leonis, quia is Cardinalis Presbyter erat jam ab anno MCXX juxta Onuphrium, & certo certius anno MCXXI, ut eo anno vidimus. Petrus itaque Legatus à Latere cui causa Pontii ab Honorio II commissa, alius esse non potest, quàm *Petrus Diaconus Cardinalis & Legatus*, ad quem Divus Bernardus scripsit Epistulam ordine XVII, quia Legatio ejus nullo alio per hæc tempora anno peracta esse potuit, quàm currenti, ex quo & sequitur eam Divi Bernardi Epistolam, quam Mabillonius circa annum MCXXVII datam notat, ad hunc omninò annum pertinere. Cumque Epistolæ XVIII & XIX ad eumdem Petrum Diaconum Cardinalem & Legatum à Sancto Bernardo scriptæ sint, ad hunc annum etiam pertinent; cùm anno sequenti *Humbaldus* Archiepiscopus Lugdunensis, & *Girardus* Episcopus Engolismensis legatione Gallica functi sint. Mabillonius in præfat. ad editionem Operum S. Bernardi Abbatis §. 4. num. 39. jam suspicatus fuerat *Petrum* Diaconum Cardinalem & Legatum cui præfatæ Bernardi Epistolæ inscriptæ sunt, eum fuisse, qui adversùs Pontium Abbatem Cluniacensem in Galliam accessit ex mandato Honorii Papæ; sed id apud me certum & indubitatum.

IV. *Galterus Episc. Magalonensis hoc anno S. Sedis in Gallia Legatus.*

Præter Petrum Cardinalem invenio, *Galterum* Episcopum Magalonensem fuisse etiam in Gallia *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatum*, sic enim ipsemet se se appellat in Epistola ad Robertum Præpositum Insulanum data, & à Mabillonio Tom. I Analect. relata, ex qua & annum gestæ Legationis eruo; ait enim Galterus: *Gratia Dei præcedente, per importunum laborem & instantiam nostram, pax inter Principes nostros reformata est, unde tota patria nostra lætatur*, id est, Occitania, quam patriam vocat, quia in ea Episcopus erat. Pax autem illa inter Alphon-

sum

ſum Toloſæ Comitem & Raimundum hujus nominis III Comitem Barcinonenſem ac Provinciæ de totius Provinciæ Comitatu inter ſe decertantes facta *decima ſexta Kal. Octob. Domin. Incarnat. anno C X X V poſt milleſimum*, ut dicitur in diviſione Provinciæ inter utrumque Comitem tunc peracta, quam exhibent Catellus in Hiſt. Comit. Toloſæ & Boucheus in Hiſt. Provinciæ lib. IX Sect. II cap. I, quos latuit Galterum Epiſc. Magalonenſem ad hanc pacem conciliandam omnem ſuam induſtriam contuliſſe. In ea Epiſtola Galterus refert Heſcelinum Canonicum Inſulenſem petiiſſe à ſe librum, cui titulus; *Flores Pſalmorum*, à Lerberto compoſitum. Heſcelinus autem hoc ipſo tempore vivebat, ut eruo ex Epiſtola XCVIII Divi Bernardi, in qua reſpondet ad quæſtionem ſibi ab Heſcelino, & Fulcone Sparnacenſi Abbate factam, *cur ex juſtis antiqua legis, ſolos Machabæos Eccleſia diem feſtum decreverit*. Fulco enim *Octavis Pentecoſtes, anno Incarnati verbi M C X X V I I I, indict. V* creatus eſt primus Abbas Monaſterii Sparnacenſis in diœceſi Remenſi ſiti quando Regula S. Auguſtini in illud introducta, ut demonſtrat Marlotus in Metropoli Remenſi Tom. II lib. 2. cap. 37. ex inſtrumento publico, in quo tamen loco, *indict. V*, legendum, *indict. VI.* Unde Epiſtola illa Divi Bernardi, cujus epocha in noviſſima editione in margine non notatur; poſt Octavas illas Pentecoſtes anni MCXXVIII data. Fuit & hoc anno Legatus in Francia *Petrus Archiep. Viennenſis*, ut patet ex dictis anno MCXVI, indeque unum ex his tribus Legatis brevi tempore legationem illam exercuiſſe oportet.

V. *Henricus Imp. bellum movet adverſus Ludovicum Franciæ Regem.*

A num. VIII ad XI. *Henricum* Imperatorem, non hoc anno, ut autumavit Baronius, ſed ſuperiori adversùs *Ludovicum* Francorum Regem arma capeſſiiſſe, docet Sugerius in Vita Ludovici VI Francorum Regis ubi ait: *Ante domini Papa Calliſti deceſſum, Imperator Henricus collecto longo animi rancore contra dominum Regem Ludovicum, eo quod in regno ejus Remis in Concilio domini Calliſti anathemate innodatus fuerat, exercitum quantumcumque poteſt Lotharingorum, Alemanorum, Bajoariorum, Suevorum, & Saxonum, licet eis infeſtaretur, colligit*, & cetera, quæ fusè proſequitur. Chronographus, qui ſub Roberti de Monte nomine Francofurti editus fuit, anno MCXXIV rem ſummariè, his verbis narrat: *Henricus Imp. congregata exercitus infinita multitudine, fines regni Francorum irrumpere diſponit. Sed Ludovico Francorum Rege cum infinito nihilominus exercitu in occurſum ejus properante, Concilio Principum & Epiſcoporum ab inutili propoſito deſiſtit, & hoc factum eſt menſe Auguſto.* Meyerus verò in Annal. Flandr. lib. 4. ad annum MCXXIV de eodem bello habet: *profectus eſt per idem tempus cum exercitu in Galliam Carolus* (Comes Flandriæ) *ſuppetias Ludovico Regi contra Henricum Cæſarem, qui fines ingreſſus regni Remorum urbem obſidere tentabat.*

VI. *Henricus Imp. moritur.*

Idem Henricus hoc anno, ut in Chronico Urſpergenſis legitur, *diem clauſit extremum X Kalend. Junii. Cujus corpus more Regio curatum, Spiram eſt delatum, & coram multitudine nobilium & inferiorum Clericorum atque laicorum, juxta majorum ſuorum mauſolæa honorificè conditum, anno regni ſui XX, imperii vero XIV.* Gotfridus Viterbienſis, de quo paulò poſt, aſſerit Henricum V obiiſſe *anno regni ejus XIX, imperii verò XIV*; & tamen is in anno Imperii XV tunc verſabatur. Verùm Hiſtorici annos Regni vel Imperii incompletos ſæpe negligunt; quod quidam Critici pereruditi non animadvertentes, Auctorum loca modò pervertunt, modò ex iis, quæ non conſequuntur, deducunt. Contrà verò Urſpergenſis Abbas in annis Regni Henrici V numerandis Julianos, eoſque non integros recenſet, quia in ſimilibus Hiſtorici nullis legibus adſtricti erant. Cumque Henricus V nullus liberos reliquerit, extincta in eo *Luidgarda* Ottonis M. filiæ propago, ex qua quatuor Imperatores orti, Conradus II Salicus dictus, Henricus III, & duo ejus Succeſſores eodem nomine appellati. Urſpergenſis refert, ſe eorum Mauſolæa Spiræ vidiſſe, & in quarto ſepulchro legiſſe: *filius ejuſdem* (nempe Henrici IV) *Henricus V dictus Junior, Romanorum Imperator anno dominicæ Incarnationis MCXXV, X Kalen. Aug. obiit*, ubi obitus nomine ſepultura intelligitur, quem loquendi modum ab Hiſtoricis uſurpatum eſſe innumeris exemplis in hoc Opere probavimus, & tanquam unum ex fundamentis Chronologiæ noſtræ Pontificiæ propoſuimus. Aventinus lib. VI Hiſt. Bojorum cui regula illa in mentem nunquam venerat, perperàm credidit *Henricum* Imperatorem *X Kal. Auguſti* mortuum eſſe.

VII. *Mors ejus in annum ſequentem differri non poteſt.*

Hic annus in Falconis Beneventani Chronico vacuus eſt, & ad annum MCXXVI legitur: *Hoc anno Imperator Henricus obiit*, ſed imperiti Librarii, quod in anno MCXXV fine poſuerat, in ſequentem tranſtulêre, qui error etiam commiſſus in editione Annalium Fuldenſium, ut anno DCCCXCIV num. I oſtendimus. *Henricum* enim V hoc anno finem vivendi feciſſe teſtantur vetus Robertus de Monte, Dodechinus Abbas, Anſelmus Gemblacenſis, Otto Friſingenſis, aliique. Verum quidem eſt, Malmeſburienſem lib. I Hiſt. Novellæ pag. 175. Matthæum Pariſienſem in Chron. Auctorem Continuationis Roberto de Monte falsò attributæ, Trithemium in Chron. Hirſaug. Helmoldum, Sigonium, alioſque quoſdam Henrici V mortem in annum ſequentem differre, ſed eos falli variæ tabulæ Lothario regnante confectæ demonſtrant, uti eæ quas Rubeus in Hiſt. Ravenn. lib. 5. Gualterio Archiepiſcopo ſedente ſcriptas dicit, in quibus legitur: *Anno MCXXVI tempore Honorii Papæ & Hlotharii Regis die XXII Febr. indict. IIII Argentæ.* Cùm etiam omnes de die ac menſe, quibus Henricus V mortuus eſt, inter ſe conveniant, & menſe Februario ſequentis Chriſti anni jam Lotharius regnarit, Henricum V currenti è vivis abiiſſe oportet.

VIII. *Tractatur de electione Imperatoris.*

Ad num. XI. Electionem *Lotharii* ſucceſſoris Henrici V narravit Ordericus hoc anno lib. XII pag. 882. *Eodem anno*, inquit, *in hebdomada Pentecoſtes* (quod feſtum hoc anno in diem XVII menſis Maii incidit) *Karolus-Henricus V Imperator mortuus eſt, & Spiræ Metropoli Germaniæ ſepultus eſt. Imperii verò inſignia moriens Cæſar Imperatrici Mathildi dimiſit, quibus poſtmodum, quia nulla ſoboles illi ſuperfuit, Lotharius Dux Saxonum generali plebis Edicto inthronizatus ſucceſſit. Maguntinus enim Archiepiſcopus* (nempe Adalbertus), *qui potentia & ſtrenuitate pollebat, providentiaque ſua, ne ſchiſma vel inordinata ſurreptio imperii fieret, precavebat, Epiſcopos*

SÆC. XII An. C. 1125.

copos & Proceres totius regni cum exercitibus suis convocavit, cum quibus unà collectis de Imperatore constituendo tractavit. Insignia siquidem ab Imperatrice procuraverat ornamenta Imperii, antequam de tanto præsumpsisset negotio fari. Excellentissimi, inquit, Barones, qui adsistites in hac planicie, me, quæso, solerter audite, & prudenter intendentes his, quæ dicam, obedite. Pro commoditate omnium vestrûm, & plurimorum qui non adsunt, laboro, & nocte dieque anxius cogito. Multis sermonibus hic modo non opus est. Bene nostis, Imperator noster sine prole defunctus est: cui Deo fidelis & devotus, Ecclesiæque sibi utillimus successor sapienter inquirendus est.

IX. *Quatuor ad Imperium designantur.*

Refert postea Ordericus *Lotharii* electionem, de qua eum non probè edoctum fuisse existimo, eamque addiscendam ab Ottone Frisingensi, & Gotfredo Viterbiensi, horum temporum Scriptoribus. Imò Otto Frisingensis frater uterinus fuit *Conradi* Ducis Franconiæ, & *Frederici* Ducis Alemanniæ seu Sueviæ, qui ad Imperium aspirabant. Ut enim tradit Urspergensis Abbas in Chron. *Agnes* soror Henrici Imp. primis nuptiis juncta fuit, *cuidam Friderico nobili de Stophen*, ex qua progenuit Fridericum & Conradum; secundis verò nuptiis sancto *Leopoldo* hujus nominis IV Marchionis Austriæ, cui inter alios liberos Ottonem, postea Frisingensem Episcopum, peperit, qui ideo gesta in hac electione vix ignorare potuit. Otto itaque Frisingensis, quem Baronius sequitur, lib. 7. cap. 17. hæc de electione successoris Henrici V scribit: *Anno ab Incarnat. Domini MCXXV, defuncto absque herede Henrico quinto, Principes Moguntia conveniunt* (in festo S. Bartholomæi, inquit Chronographus Hildesheimensis), *ibique habito de successore consilio quatuor regni Optimates, Lotharius Dux Saxonum, Fridericus Dux Suevorum, Leopoldus Marchio Orientalis, & Carolus Comes Flandriæ ad regnum designantur.*

X. *Lotharius eligitur Imperator.*

Tandem Lotharius natione Saxo, patre Gebehardo, voto omnium, renitens valde, ac reclamans, ad regnum tractus, sub præsentia Sedis Apostolicæ Legati nonagesimus tertius ab Augusto regnavit. Hic per omnia progeniem Imperatoris Henrici humiliavit, ut planè Dei judicio justo, sicut in libro Regum habes, ex peccatis ac prævaricatione patrum, semen ipsorum affligi videretur. Unde gravis dissensio regni, in multos annos protracta, plurimos in anima & corpore periclitari fecit. Prædicti enim Fridericus & Conradus juvenes, sororis Henrici Imperatoris, dum se viderent opprimi, in quantum poterant, reniti conabantur. Ob quam causam à summo Pontifice Honorio, qui Callisto successerat, excommunicantur. Porrò Conradus, a fratre, & quibusdam aliis Rex creatus, & cetera, de quibus infrà. Idem habet Gotfridus Viterbiensis in Chron. part. 17. qui in Henrico V Imp. narrare incipit, vel quæ vidit, vel quæ à viris fide dignis accepit, ut ipsemet affirmat Lotharius, ut prodit Dodechinus Abbas in Chron. *III Kalend. Septemb.* electus ac Aquisgrani *Idibus Septembris inunctus*, Rex scilicet Germaniæ; nam nonnisi anno MCXXXIII Romæ Imperator coronatus est. Lotharius secundus hujus nominis fuit. Porrò Legati à Sede Apostolica missi fuêre duo nempe Eurardus & Romanus juxta Anselmum Gemblacensem hoc anno. Gesta post Comitia his verbis narrat Ordericus citatus.

XI. *Fridericus & Conradus Duces de tumultibus excitandis cogitant.*

Dissoluto Conventu, exercitus Frederici super Lotharium irruit, ipsumque & plurimos de parte illius vulneravit, & terga vertentes fugavit. Fredericus enim armatorum ferè XXX millia secum adduxerat, quia timore vel favore se se Regem fore autumabat. Sed quia probi Pontifices ingenio praventus, ut dictum est, velle suum perpetrare nequivit, per CONRADUM *fratrem suum maximam postmodum guerram fecit. Lotharius tamen auxiliante Deo prævaluit, meritoque strenuitatis & religionis laudabilis jam X annis regnavit.* Ex quibus postremis verbis intelligimus Ordericum Historiæ suæ librum XII anno MCXXXV elucubrasse.

XII. *Concilium Londinense.*

Ad num. XII & seq. *Imperatrix defuncto marito, amissis quibusdam quas in dotem acceperat munitionibus, ad patrem* (Henricum Angliæ Regem) *rediit in Normanniam. Joannes Cremensis* (Presbyter Cardinalis tit. S. Chrysogoni) *accepta ab Apostolico super Britanniam Legatione, cùm diu in Normannia retentus esset à Rege, tandem permissus in Angliam transvehitur, & ab Ecclesiis honorificè excipitur*, ait Simeon Dunelmensis in Hist. de Gest. Angl. ad hunc Christi annum qui postea recitat literas eidem Cardinali ab Honorio II scriptas *Laterani Idibus Aprilis*, in quibus ait se illi committere curam & sollicitudinem eidem à Callisto Papa in Angliæ Regno commissam. Recitat & alias ejusdem Papæ omnibus tam Episcopis, quàm laicis per Angliam constitutis *Laterani II Idus Aprilis* datas, quibus monet & præcipit, *ut eum tanquam Sancti Petri Vicarium reverenter* suscipiant. Super Scotiæ quoque Regnum idem Joannes Legati suscepit officium, scripsitque Honorius II ad Davidem Scotorum Regem, cui rogando mandat, ut Episcopos terræ suæ, *cùm ab eo vocati fuerint, ad Concilium suum* faciat *convenire*. Epistola *data* est *Laterani Idib. Aprilis. Hac auctoritate Joannes prædictus*, subdit Dunelmensis, *circuiens Angliam, etiam ad Regem Scotorum David pervenit apud fluvium Twedam, qui Northymbriam & Lodam disterminat, in loco qui Rochesburch nominatur. Ubi officio Legationis peracto, rediens apud Londoniam celebravit Concilium*, ait Simeon Dunelmensis qui illud recitat, additque habitum *anno XXV Henrici Anglorum Regis, mense Septembri nona die ejusdem mensis, & anno ab Incarnat. Dom. MCXXVI.* Sed legendum, MCXXV, & XXVI Henrici Anglorum Regis, cùm ibidem dicatur congregatum esse *Pontificatus Domini Papæ Honorii II anno primo.* Eidem præfuit idem Legatus, & interfuêre Turstinus Eboracensis, & Willelmus Cantuariensis Archiepiscopi, Episcopi numero XX, & Abbates circiter XL, *cum innumera Cleri & populi multitudine.* Condita in eo Capitula numero XVII, eaque de reformandis pravis Ecclesiæ moribus. His Synodali Decreto firmatis *Joannes Cremensis* Legatus Romam reversus est. Hoc Concilium cum præsenti anno accuratè illigarunt Annalista Mailrosensis, Henricus Huntindoniensis in Hist., & novus Chronographus Saxo, qui addit illud tres dies integros durasse, & in eo sancitos eosdem Canones, quos Sanctus Anselmus olim sanxerat, aliosque multos, verùm illos *haud diu* mansisse.

XIII. *Floret B. Carolus Bonus Flandriæ Comes.*

B. Carolus cognomento *Bonus* Flandriæ Comes aut Marchio, ut etiam appellabatur, hoc tempore florebat, tantamque illi egregiæ quibus exornatus erat, virtutes famam pepererant, ut mortuo

SÆC. XII. An. C. 1125.

mortuo Henrico V Imperatore plerique Germanorum de eo in locum ejus substituendo cogitarunt, ut narrat Galbertus Brugensis, & in his suæ publicus Notarius, ac in plerisque testis ocularis, in Vita ejusdem B. Caroli à Bollando ad diem II mensis Martii recitata. Narrat enim sapientiores ex Cleró & populo Legatus ad eum misisse *expostulantes & obsecrantes potentiam & pietatem ipsius, ut imperii honores & dignitates Regias cum suis facultatibus pro sola caritate assumeret.* Verùm subditi, qui eum ut patrem, venerabantur cœperunt dolere, & discessum ejus deflere. *Remansit itaque in Comitatu suo Carolus Comes pro expostulatione suorum dilectorum, pacem & salutem patriæ, quantum in se erat, omnibus demandans & constituens.* Addit Galbertus, postquàm Balduinus II, Rex Hierosolymorum à Saracenis captus fuit, milites, *qui militiæ Christianæ ibidem studuerant*, communi consensu literas ad Carolum direxisse, ut Hierosolymam veniret, & Regnum Judææ assumeret, quærebantur enim, quod Balduinus *non bene rexisset populum Dei*, licet Scriptores Rerum Hierosolymitanarum Balduinum valdè laudent. Verùm *Carolus* Flandriam deserere noluit, ubi tamen eum à quibusdam traditoribus occisum fuisse, post biennium referemus.

XIV. *Moritur S. Bruno Episc. Signiensis.*

Hoc anno mortuus est *Sanctus Bruno* Episcopus Signinus, pietate & doctrina clarissimus. Ughellus Tom. I Italiæ Sacræ hoc anno mortem ejus consignat, sicuti & Angelus de Nuce in Notis ad Chronicon Casinense, ubi tamen non annus mortis ejus, sed tantùm dies, videlicet *prid. Kal. Septembris* notatur. Colitur die XVIII Julii, quo & in Martyrologio Romano memoratur, colitur. Hic tamen dies non ejus mortis, sed ejus canonizationis. Signiæ hæc Inscriptio adhuc legitur: *Æternæ memoria Brunonis, quem Lucius III Pont. Max. Cardinalium & Episcoporum Conventu Signiæ in Ecclesia Beatæ Mariæ, ubi defunctum corpus quiescebat, inter Sanctos jussit adscribi anno ab ejus abscessu LVIII S. P. Q. S.* idest, Senatus populusque Signinus; ideoque Bruno anno MCLXXXII in Sanctorum numerum relatus. Postquam aliquot per annos Pastorale munus gessit, Cassinum migravit ac religiosam vitam professus electus est Cassinensis Abbas. Verùm ad populi postulationem jussus est à Pontifice Rom. in Ecclesiam suam redire. Varia ingenii sui reliquit monumenta à Labbeo in Dissert. de Script. Eccles. memorata, qui & observat, aliqua ex eis *Sancto Brunoni* Cartusiani Ordinis Institutori adscripta fuisse. Baronius anno MCXI num. XXXII de Sancti Brunonis Episc. Signiensis morte mentionem facit, sed annum, quo ea contigerit, non designat.

XV. *Franci prælisantur sub Alphonso Aragone adversus Mauros.*

Ordericus initio Libri XIII victoriam Alphonsi VI Aragoniæ Regis ad *Peneeadel* de Saracenis relatam narrat, sed annum non exprimit, & in aliquibus circunstantiis peccat. Verùm antiqua Monumenta Hispaniensia à Sandovalio in Alphonso VI memorata & Marmolus lib. 2. cap. 33. præsentem annum disertè signant. *Saraceni*, inquit Ordericus, *comperto recessu Francorum animosiores effecti, rursus aggressi regiones Christianorum, vires suas ostenderunt cædibus multorum. Porrò erubescentes Aragonis viribus hostium oppressi, Francos iterum accersierunt, eisque pro perpetrata olim contumelia satisfecerunt, & jurejurando terras & honores dandos denominaverunt. Comes ergo præterita vita & injuriæ immemor, amici & consobrini legationem suscepit, & secum ingentem exercitum undecumque collectum adduxit, & contra Paganos pugnaturus in terram eorum audacter intravit. Porrò Hispani de tanto auxilio gaudentes, Francos alacriter susceperunt, transactosque reatus emendare volentes, in urbibus suis Toleto & Tudela, nec non Pampelona, oppidisque suis hospitati sunt, & amplos honores ac possessiones eis tradiderunt. Illi nimirum otia vitantes, in initio æstatis in unum congregati sunt, Ethnicosque de suis finibus cruentis ictibus expulerunt, & talionem eis reddituri terminos illorum pertransierunt. Pro illatis autem damnis & contumeliis, Deo favente, multimodam ultionem exercuerunt: & in regionibus eorum magnam libertatem invenientes, victus omniumque rerum, hyemem præstolati sunt.* Hæc Ordericus, cujus narratio licet quoad substantiam vera, in circumstantiis tamen peccat; cùm *Tutela* Francis statim post Rotroci Comitis adventum tradita fuerit, ut patet ex dictis anno MCXIV, ubi retulimus, quæ paulò antè ibidem Ordericus narrarat.

XVI. *Saraceni ad Pennecadel victi.*

Pergit Ordericus: *Tunc Rotro Comes Moritonia cum Francis, & Episcopus Cæsaraugustanus cum fratribus de Palmis & Guazso de Biara* (legendum, *Gastone de Biara*, Bearniæ Vicecomite) *cum Gasconibus, Penecadel, ubi sunt dua turres inexpugnabiles, munierunt, & sex septimanis tenuerunt. Tandem pugnantes contra Amorgan Regem Valentiæ per Satinam* (corrige Sativam, quæ Xativa & Chatiba, & Setabis appellatur, à Valentia novem leucis dissita) *urbem convenerunt: sed Pagani antequam ferirentur, fugerunt. Relictis autem in munitione Penecadel LX satellitibus, redierunt. Sed. Amoravit, & Andeluciani de Africa missi à Rege Alis, filio Insted* (hic locus à Librariis manifestè corruptus; Andeluciani enim Hispani sunt, & Almorabitæ Africani. Quare legendum, *Almoravitæ & Andeluciani de Africa missi à Rege Alis, filio Iussef* aut Joseph &c.) *eis obviaverunt, triduoque in castro Serralus obsederunt. Christiani verò his tribus diebus peccatorum suorum pœnitentiam egerunt, jejunaverunt, & Deum invocantes XVIII Kal. Septembris pugnaverunt, & adminiculante cælesti virtute post diurnum certamen, cùm Sol occumberet, vicerunt: sed fugientes Paganos, nocturna formidantes pericula, per incognita itinera diu persequi ausi non fuerunt.*

XVII. *Complures Galli sedes in Hispania figunt.*

Prosequitur Ordericus: *Pridie ante generalem pugnam Guarinus Sancio, vir in multis laudandus, cum fratribus* DE PALMIS *in montana ascendit: ibique Christianis cum virtute Dei præliantibus, Alamintus Rex cum CLIV millibus peditum victus aufugit. Innumeri de tantis Paganorum legionibus perierunt, aut armis persequentium, aut præcipitiis, aut nimia lassitudine, vel siti, vel aliis generibus mortium. Sic Afri, qui suppetias idololatris Hiberis* (idest, Saracenis Hispanis) *venerant, interierunt, & Christicolarum telis in Orcum demissi, cum Regibus suis gehennæ pœnas luunt. Deinde Normannorum quidam & Francorum loca sibi opportuna perquisierunt, & ibidem ad habitandum sedes elegerunt.* De equitibus Ordinis militaris Sancti Sepulchri, ab Orderico *Fratribus de Palmis* appellatis, qui in hoc prælio magnam sibi gloriam peperêre, anno MCXX verba fecimus. Instituti erant

Templa-

Templariorum exemplo adversùs Infideles in variis Aragoniæ locis, ut Diagus, Burerus & Joannes Briz in Historia Pennatensi ostendunt.

XVIII. *Fundatur urbs S. Dominici de Calciata.*

Erâ MCLXIII, hoc scilicet Christi anno, urbs Sancti Dominici de Calciata, vulgo *S. Domingo de la Calzada dicta*, in qua Sanctus Dominicus Calciatensis anno MCIX demortuus quiescit, fundata fuit in Rioia, Provincia Hispaniæ, Castellæ veteri annexa, ut refert Sandovalius in Alphonso VII fol. 138. ubi celebris hujus civitatis, quæ hodie pars est Episcopatus Calahorrensis, initium repetit à Diplomate ab Alphonso Aragone concesso Sanctio Abbati Sancti Dominici Calciatensis, ut circa hujus Sancti Sepulchrum urbem civibus propagare posset.

XIX. *Anselmus Archiep. Mediolanensis dicit se non teneri petere Pallium.*

Anselmus anno MCXXIII Mediolanensis Archiepiscopus electus fuerat, ut jam diximus, sed Mediolanensibus Ecclesiam suam eatenus Romano Pontifici subjici, sed juris sui esse prætendentibus, ut Pallium Romanus Pontifex petenti Archiepiscopo mitteret, Romam se se conferre distulerat; verùm hoc anno *secutus consilium quorundam Cappellanorum & Primiceris, Petri quoque Terdonensis Episcopi, contra publicum interdictum Cleri & populi Mediolanensis* (resmira) *Romam ivit*, inquit Landulphus Junior in Monument. Basilicæ Ambrosianæ pag. 174. Paulò pòst subdit Landulphus: *Veruntamen ipse, ceu vir prudens & sapiens, cum Papa Honerio & Cardinalibus ejus multa contulit; & conferendo Ecclesiasticas consuetudines Ambrosiana Ecclesia, & honores ejus Archiepiscopatus & urbis vivis & bonis rationibus defendit. Unde ipse Papa huic prudenti viro dixit; frater, meditatus, ut Episcopus venisti: sed si vis frui auctoritate Archiepiscopi in temporibus meis, necesse est ut Stolam suscipias de manibus meis; aut sicut ego suscepi, ad Altare Sancti Petri. Hinc domnus iste Mediolanensis Robaldum Albensem* (Episcopum Abbæ in Monte Ferrato.) *adjuravit, ut sibi consuleret. Tunc Robaldus ille Albensis sic ait, quod prius sustineret nasum suum scindi usque ad oculos, quam daret sibi consilium, ut susciperet Roma Stolam, & Ecclesia Mediolanensi prepararet hanc novam & gravissimam, quam Honerius Papa dicebat sibi, imponere mensuram.*

XX. *Purgat se apud Mediolanenses prævaricationis culpâ.*

Mediolanum igitur iste Anselmus Archiepiscopus sine Stola redit, & eumdem Albensem Episcopum secum reduxit. Verùm Archiepiscopalem Sedem non ascendit (hinc Puricellus citatus deducit, ideo Anselmum Sedem illam non ascendisse, quia tantum electus erat, & non consecratus. Sed ex mox dictis liquet, Landulphum intelligere eum Sedem non conscendisse; quia Clerus & populus pati nolebat Archiepiscopum jurium Ecclesiæ suæ prævaricatorem, qualem Anselmum reputabant, ac donec se se purgasset reputarunt. Anselmum enim jam ordinatum fuisse, ostendunt præfata verba; *Meditatus, & Episcopus venisti, donec Ubertus de Meregnano ejus Scriba juravit, quod ipse domnus suus Anselmus nulli minuimento honoris Ecclesia Mediolanensis consensit* (qua de re solum tunc agebatur); *& quod ipsum Albensis ille Episcopus Robaldus auctoritate sua confirmavit. Deinde Pontifex iste Anselmus Sedem & Castella Archiepiscopatus, in beneficio Cleri & populi recuperavit.* Idem Clerus ac populus, qui eum Sede Archiepiscopali & reditibus spoliarant, ipsimet utrumque ei reddunt, *beneficio Cleri & populi*, postquàm se se prævaricationis crimine purgavit, tuncque, uti legitur in Catalogo, tam Metropolitani Archipresbyteri quàm urbis Secretarii, à Puricello citato, *hic* (Anselmus) *cum magna comitiva Nobilium Mediolanensium in festo S. Michaelis per portam Ticinensem intrans, in Sede sua collocatur, ut mos est in talibus.* Quibus ex verbis Puricellus perperàm infert eum antea in eadem Sede non sedisse. Porrò, ut videre est apud Puricellum, prætendebant Mediolanenses ut Romani Pontifices petenti Archiepiscopo Pallium mitterent, exemplo Sancti Gregorii anno DXCIV, Joannis XII anno DCCCCXXX, & Paschalis II anno MC; quis rei exitus fuerit, infrà videbitur.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6619.

☉ 15. C. ☽ 6. P. 11. April. Indict. 4.

JESU CHRISTI 1126.

HONORII II PAPÆ 3.

LOTHARII REG. 2.

JOANNIS COMNENI IMP. 9.

Anno Æræ Hispan. MCLXIV. Anno Hegiræ DXIX inchoato die 28 Januar. fer. 6.

I. *Obitus Pontii Exabbatis Cluniacensis.*

AD Num. VI ad IX. Refert Baronius ex Petro Venerabili lib. 2. de Mirac. cap. 13. judicium habitum Romæ de Pontio Exabbate Cluniacensi, qui anno superiori, magno dedecore Monachorum, populique scandalo, in monasterium Cluniacense irruit, ut ibidem diximus. Idem ac Petrus venerabilis narrat Ordericus lib. 12. *Pontium protinus accersiit* (nempe Honorius II), *ad examen Apostolica Sedis astare præcepit, rationem redditurus, unde impetitus fuerit. At ille Romam veniens, Papam adire distulit, dieque denominato ad placitum summonitus venire renuit. Romanus igitur Pontifex Petrum* (sc. Venerabilem in Pontii locum Abbatem electum) *cum apicibus Apostolicis & dignitatibus Cluniacum destinavit, Monachisque, ut in omnibus et secundùm Regulam S. Patris Benedicti obsequerentur, mandavit. At illi jussa complentes Abbatem victoria elatum susceperunt: cujus Imperii jugum divina legis laudabiliter militantes huc usque perferunt. Contemptorem verò Pontium post aliquot dies missis satellitibus suis comprehendit, & in carcerem retrudit. Qui non multò pòst enormi mœrere affectus ægrotavit, ibique multis illum lugentibus vitam finivit. Igitur, ut quidam dicit; Principium finis solet impar sæpe videri.* Petrus Venerabilis etiam scribit Pontium Romæ mortuum fuisse, quod & indicat Honorius II in sua Epistola. In Martyrologio Benedictino ad IV Kalend. Januarias, ut videre est in Biblioth. Cluniac. pag. 558. legitur: *In Monasterio Cluniacensi, depositio Sancti Pontii Abbatis doctrina ac sanctitate clari.* Verum literæ Honorii II mox laudatæ: & à Baronio recitatæ ostendunt fidem hujus Martyrologii hac in parte nutare. Ibidem refertur locus Trithemii in Chron. Hirsaugiensi tradentis Honorium II Pontium Cardinalem S. R. E. ordinasse, quod à veritate prorsus alienum. Vide dicta anno superiori num. I & seqq.

II. *De Abbate inter Cluniacenses & Cistercienses dissensio orta.*

Ad num. X & seq. Divus Bernardus Epistola sua ordine I ad *Robertum* nepotem data, eum ad Monasterium Cisterciense revocare conatus est. *Robertus* enim vel horrore strictioris Regulæ,

seu

seu vitæ laxioris illecebra, vel etiam blanditiis & subdolis aliorum susurris inductus à Cisterciensibus ad Cluniacenses transierat. Rediit postea Claramvallem Robertus, restitutus ab Abbate Cluniacensi, ac Domus-Dei in Diœcesi Bisuntina Abbas à Sancto Bernardo aliquot post annos institutus. Hinc ortæ inter utriusque Ordinis Monachos dissensiones, ut videre est apud Baronium, qui putavit eam Sancti Bernardi Epistolam hoc circiter tempore datam esse, & quando hæc contigêre, Petrum Venerabilem Abbatem Monasterii Cluniacensis fuisse. Verum Manricus in Annal. Cistere. ad annum MCXVII, & ad annum MCXXVI, ac Mabillonius in Notis fusioribus ad Epist. I Divi Bernardi ostendunt, *Robertum* & à Claravalle discessisse, & ad eamdem reversum esse *Pontio*, non verò *Petro Venerabili*, Abbatiam Cluniacensem administrante, & Epistolam illam ante annum MCXX scriptam fuisse.

III.
S. Norbertus adversùs Tanchelinum hæreticum Antuerpiam accersitur.

A num. XII ad XVII. *Sanctus Norbertus* Ordinis Præmonstratensis Fundator hoc anno Magdeburgensis Archiepiscopus creatus fuit, ut ex dicendis anno sequenti, quæ huc revocanda, perspicuum est. Is anno MCXXIV, non verò currenti, adversus *Tanchelinum* hæreticum Antuerpiam vocatus eique & ejus Ordini Ecclesia Sancti Michaelis concessa, ut eo anno ex monumento à Baronio in medium adducto probavimus. Præterea ex Vita Sancti Norberti apparet, eum ante hunc annum ad suscipiendam Antuerpiensem Ecclesiam evocatum fuisse. Quare accuratè in Chronico Roberto de Monte attributo ad annum MCXXIV hæc referuntur: *In castro nihilominus Antuerpiensem Ecclesiam ordinandam hac de causa suscepit* (nempe Norbertus). *Oppidani castri illius à quodam hæretico Tandemo* (legendum, Tanchelino) *seducti, paulatim à fide & bonis moribus defecerant, quia idem hæreticus nimia subtilitatis, cùm tamen esset laicus, sed multis etiam disertis Clericis in sermone acutior, sacri ordinis ministros & Episcopalem ac Sacerdotalem gradum nihil esse dicebat, Corporis & Sanguinis Christi perceptionem sumentibus ad salutem prodesse negabat, & in pretioso apparatu & vestibus deauratis incedens, triplici funiculo crinibus intortis, verbis persuasibilibus & conviviorum apparatibus suas, qui eum circiter tria millia armati sequebantur, illiciebat, & per eos in resistentes sibi cædibus sæviebat, credebant ei, & reverebantur eum, in tantum, ut aquam, in qua corpus lavisset, biberent, & pro reliquiis asportarent; cum tamen tanta incontinentia & impuritatis esset, ut filias in matrum præsentia, sponsasque maritis intuentibus corrumperet, & hoc opus spirituale esse asserebat, qui tandem post multos errores, & multas cædes, dum navigaret à quodam Presbytero percussus in cerebro occubuit.*

IV.
Hæreses Tanchelini & Petri de Bruis grassantur.

Sed nec post ejus mortem error ipsius tam facilè extirpari potuit, propter quod à Clericis loci illius Ecclesia cum aliquantis reditibus per manum Episcopi Norberto ordinanda datur, sperantibus quod per ejus salutarem doctrinam hæresis illa de medio tolleretur; quod & factum est, siquidem ipso prædicante, & compuncti viri & mulieres corpus Dominicum quod in cistis & foraminibus per decem annos & amplius reposuerant (quare ante annum MCXV hæresis illa emerserat) *attulerunt, & per ejus doctrinam paulatim ad sanctam fidem resipuerunt.* De hoc hæretico & de Petro de Bruis hæc refert Petrus Abaëlardus lib. 2. Introductionis ad Theologiam pag. 1066. *Ad hæreticos venio, qui quantò domesticiores, tantò pejores, civilibus bellis inquietare Ecclesiam non cessant. Atque ut ad nostra veniamus tempora, quibus jam aiunt adeo repressas esse, ut jam nullo fidei fundamento sit opus: nullos in tantam olim insaniam prorupisse hæreticos quisquam audierit, quanta nonnulli contemporaneorum nostrorum debacchati sunt. Tanquelinus quidam Laicus nuper in Flandria, Petrus Presbyter nuper in Provincia, ut ex multis aliquos in medium producamus. Quorum quidem alter Tanquelinus scilicet in tantam se erexerit dementiam, ut se Dei filium vocitari atque decantari, & à seducto populo, ut dicitur, templum ædificari sibi faceret. Alter verò ita ferè omnem divinorum sacrorum, & Ecclesiastica doctrina institutionem enervarat, ut multos rebaptizari cogeret, & venerabile dominicæ signum Crucis removendum penitus censeret, atque altaris sacramentum nullatenus celebrandum esse amplius adstrueret.*

V.
S. Stephanus fundator Ordinis Grandimont. ante biennium demortuus.

Ad num. XVII. *Geraldus* septimus Prior Generalis Ordinis Grandimontensis in Vita sancti Stephani de Mureto ejus institutoris, quæ extat ad diem VIII Februarii in Actis SS. Bollandianis, demonstrat eum anno millesimo centesimo vicesimo quarto ad superos evolasse, non verò præsenti, ut malè habet Vincentius Bellovacensis, cujus verba recitat. Baronius Geraldus enim cap. 2. hujus Sancti mortem narraturus, ait: *Cumque duo Legati Cardinales in Galliam missi, ipsum in solitudine Mureti visitassent, & de ejus conversatione diligenter inquisivissent, octavo die ab eorum recessu, pridie nonas Februarii, nullo tamen dolore vexatus, se totum contulit doctrinæ discipulorum suorum & orationi*, &c. *Et quinta die dolore invasus*, &c. *octuagesimo ætatis suæ anno, in ordine Diaconatus, VI feriâ, VI Idus Februarii*, &c. *feliciter migravit ad Dominum.* Anno autem MCXXIV, qui bissextilis erat, littera F dominicalis fuit usque ad diem intercalarem, ideoque dies octavus Februarii incidit in feriam sextam. Præterea testatur Carolus Fremonus ejusdem Ordinis Religiosus, in Vita sancti Stephani Gallicè à se scripta, extare primum Stephani tumulum Mureti, in sacello postea ædificato, in quo legitur ejus Epitaphium.

Nimbosus luces jam Februus egerat octo
. . . . . Stephani cùm spiritus astra petivit;
Anno centeno milleno, bis quoque deno,
Adjuncto quarto, regno cæli sibi parto.

VI.
Hæc opinio confirmatur.

Quare Bollandus *sancti Stephani* mortem cum anno MCXXIV optimè copulavit. Præterea in Vita sancti Stephani à Vincentio Bellovacensi recitata Cardinales duo, qui virum sanctum convenêre, dicuntur *Gregorius & Petrus Leonis, inter quos postmodum de Papatu schisma fuit*; certum autem anno MCXXIV duos illos Cardinales Legatione in Galliis unà functos esse, uti jam ostendimus. Quibus addo quod legitur apud Duchesnium Tom. IV pag. 547. in Constitutione Sugerii Abbatis sancti Dionysii: *Ego Petrus Sedis Apostolicæ Presbyter Cardinalis & Legatus laudo & confirmo. Ego Gregorius sancti Angeli Diaconus Cardinalis & Apostolicæ Sedis Legatus laudo & confirmo*; ut enim observavit Onuphrius, *Petrus Leonis* à Paschali II Diaconus Cardinalis tit. SS. Cosmæ & Damiani: dein à Callisto II Presbyter Cardinalis sanctæ Mariæ trans Tiberim,

betum, tit. Callisti, anno MCXX creatus fuit, & postea cum Gregorio de sancto Angelo Diacono Cardinali Legatus in Galliam missus; eorum verò Legatio jam anno superiori absoluta fuit, & hoc anno *Gerardus* Engolismensis Episcopus & Cardinalis ac *Humbaldus* Archiepiscopus Lugdunensis in Galliis Legati Sedis Apostolicæ erant, ut paulò pòst videbimus. Ex quibus liquet, *sanctum Stephanum* ante annos duos fuisse demortuum, cùm duo, qui illum convenêre, Legati hoc anno in Galliis non fuerint. Vita S. Stephani à Vincentio Bellovacensi relata eadem est cum Vita à Geraldo scripta, sed interpolata, ut ex ejus lectione intelligitur. Neque enim ea nisi interpolationibus à primigenia diversa Decretu S. Rituum Congreg. die VII April. an. MDCXCVI emisso, Martyrologio Rom. ad diem VIII Februar. insertum fuit nomen Sancti Stephani de Mureto *Abbatis, Ordinis Grandimontensis Institutoris.*

VII. *Refellitur contraria.* Labbeus Tom. II Biblioth. pag. 674. & seqq. Vitam *sancti Stephani de Mureto* ex veteri Codice, in quo nomen Auctoris non legitur, recitat, eaque in nullo diversa est ab ea, quam Bollandus cum Auctoris nomine refert ex alio Codice. Non viderat Bollandus Labbei Bibliothecam, quia quando Acta SS. mensis Februarii in lucem emisit, ea nondum juris publici facta erat: indeque Bernardi Guidonis in notis ad Sancti Stephani Vitam non meminit. Bernardus Guidonis in Tractatu *de Sanctis, qui ornant Lemovicensem diœcesim,* qui extat Tom. I Biblioth. Labbei ait, Stephanum anno Christi MLXXVI, ætatis verò suæ anno XXX in eremum secessisse, & *anno Domini MCXXVI, ætatis verò suæ anno octogesimo* vivendi finem fecisse. Verùm Bernardus Guidonis adversùs testem domesticum, longèque se antiquiorem non audiendus. Stephanum Clemens III in Sanctorum numerum retulit anno MCLXXXIX, in Bulla Canonizationis expresso. Bernardus Guidonis interpolatorem secutus est, licet in Tractatu *de Ordinibus Grandimontensi atque Artigia & monasterio sancti Augustini Lemovicensis*, edito Tom. II Biblioth. Labbei pag. 275. de septimo Priore Generali Ordinis Grādimontensis scribat: *VII Prior D. Geraldus iterum electus in Capitulo generali III Kal. Octob. MCLXXXVIII. Procuravit canonizationem & relevationem sancti Stephani MCLXXXIX. Scripsit gesta ejusdem sancti Stephani.* Bernardum Guidonis Vitam à Vincentio Bellovacensi exhibitam, à Geraldo scriptam existimasse oportet; alioquin non interpolatam, sed genuinam & primigeniam secutus fuisset. Vide dicta de anno instituti Ordinis Grandimontensis anno MLXXIV.

VIII. *Moritur B. Godefridus Ordinis Præmonstrat.* Ad num. XVIII Auctor Anonymus Ordinis Præmonstratensis Vitæ Beati Godefridi Cappenbergensis ex Comite Canonici Ord. Præmonstrat. quæ extat in Actis SS. Bollandianis ad diem XIII mensis Januarii, mortem ejus cap. X his verbis narrat: *debitum Creatori reddidit spiritum, atque Idibus Januarii, quo die baptismum Christi sancta recolit Ecclesia, beata illa anima carne soluta, æternæ regenerationis induit candidatum: anno dominicæ Incarnat. MCXXVI, ætatis autem suæ fermè XXX migravit ad Christum.* Hæc verba cum legisset Baronius, non dubitavit, quin hoc anno mors ea contigerit; verùm, ut observat Bollandus ex Joanne Gamansio in Commentario prævio ad Vitam B. Godefridi §. 7. annus ille à Paschate exorditur; hic enim calculus Monasterii & Cappenbergæ, quæ in ea diœcesi sita, usque ad annum MCCCX viguit, quô demum abrogatus fuit in Synodu Coloniensi sub Henrico Archiepiscopo, ut in Sancti Engelberti Vita tradit Gelenius. Sequenti itaque tantum anno *Beatus Godefridus* ad superos abiit. Cùm enim ante mortem Cappenbergâ cum fratre Præmonstratum sit missus, ac post annum revocatus ad Norbertum jam Archiepiscopum Magdeburgensem, ut dicitur cap. X ejus Vitæ, die XIII Januarii hujus anni vita decedere non potuit, cùm S. *Norbertus* die XXV mensis Julii hujus Christi anni ordinatus fuerit Archiep. Magdeburgensis, ut anno sequenti ostendimus.

IX. *Ejus virtutes.* *Godefridus* nobilissimis parentibus ortus cum *sancti Norberti* circumquaque flagraret opinio, unà cum fratre germano *Ottone* eum adiit, & uterque paulò pòst, mutato seculari habitu Regulam Beati Augustini sub Norberto professus est. *Vir Deo dignus Godefridus*, inquit Auctor Vitæ ejus, *conjugem suam Friderici Comitis filiam, sacrum sumere velamen adhortationibus piis ac salutaribus effecit.* Plura Godefridus Cœnobia condidit, inter quæ principem locum obtinet Cappenbergense in Westphalia ex quo tanquam primario prodierunt diversa alia. Cùm Antistes Monasteriensis conaretur impedire, ne castrum *Cappenberg* in partem Præmonstratensium cederet, plurimaque loca Beato viro in concambium offerret, respondit se nulla passurum ratione, ut se superstite deinceps in eo loco mundanæ vanitati serviretur, quin potius id elaboraturum necesse esse, ut ubi hactenus licentiosa militum grassata esset incursio, illic cœlestis obsequii succederet assiduitas. Porrò ejus Vitæ Auctor synchronus fuisse videtur. Recitat alias duas Vitas Bollandus, sed ex primigenia deductas.

X. *Quinam hoc anno S. Sedis Legati in Gallia fuerint.* Mox diximus, Gregorium de sancto Angelo, & Petrum Leonis S. R. E. Cardinales hoc anno non fuisse Legatos Sedis Apostolicæ in Gallia, & vulgarem illam sententiam explosimus; nunc nobis ostendendum, *Humbaldum* Archiepiscopum Lugdunensem, & Gerardum Episcopum Engolismensem hoc anno Legatione Gallica functos esse. Priorem anno superiori Sedis Apostolicæ Legatum non fuisse, demonstrant verba Cartularii S. Stephani Divionensis, recitata à Sammarthanis Tom. IV pag. 846. ubi dicitur Herbertus anno MCXXV positus *Abbas præsentibus & laudantibus Humbaldo Lugdunensi Archiepiscopo, Stephano Eduensi Episcopo* aliisque. Quare eo anno nondum Sedis Apostolicæ Legatus erat, currenti verò eum munus illud exercuisse, docet concessio cujusdam præbendæ in Ecclesia S. Petri Bellovacensis Canonicis Regularibus S. Quintini à Petro Episcopo Bellovacensi facta, & à Sammarthanis in Episcopis Bellovacensibus ex originali relata, in cujus fine legitur: *Ego quoque Humbaldus Lugdunensis Ecclesiæ Episcopus & Apostolicæ Sedis Legatus hujus præscriptæ donationis sententiam firmam & inconcussam servari, Apostolica auctoritate præcipio, &c. Actum Incarnationis Domini anno MCXXVI indict. IV.* Is hoc, vel seriùs sequenti anno Concilium Aurelianis celebravit, ad quod vocavit Goffridum Vindocinensem Abbatem, ut patet ex ipsius Goffridi Epistola XXIX libri primi ad Humbaldum Apostolicæ Sedis Legatum, in qua ait, se ad illud Concilium venire non posse,

quòd

quòd Privilegiis Romanorum Pontificum interdictum sit, *ne alodiarius B. Petri Abbas Vindocinnensis ab Episcopo, vel à quolibet Apostolicæ Sedis Legato ad Concilium vocetur.* Labbeus Tom. X Concil. pag. 944. Epistolam illam integram recitat, aitque magnam omnium ignorationem esse, quo anno *Concilium* illud *Aurelianense* coactum fuerit; magnam itidem quid in eo fuerit gestum. At licet hoc postremum verum sit; certum tamen Concilium illud nonnisi hoc vel sequenti anno congregari potuisse, cùm anno MCXXVII saltem exeunte *Matthæus* Episcopus Albanensis Cardinalis Legatus in Gallia fuerit, & duobus sequentibus annis eodem munere functus sit, ut infrà videbimus. Nunc ostendendum, *Gerardum* Engolismensem eodem tempore etiam Legatum fuisse.

XI. *Girardus Episc. Engolism. S. Sedis Legatus in Gallia.* *Anno ab Incarnat. Domini MCXXVI,* inquit Ordericus lib. XII pag. 883. *indictione IV, Pontificalis Basilica sancti Gervasii Mediolanensis Martyris apud Sagium* (Normanniæ civitatem) *XII Kalend. Aprilis* (qui dies hoc anno in dominicam cadebat) *dedicata est à domino Goiffredo Rotomagensi Archiep. & aliis quinque Præsulibus. Ibi tunc Henricus Rex Anglorum cum Proceribus suis affuit, & eidem Ecclesiæ reditus X librarum pro dote per singulos annos donavit. Ibi tunc interfuerunt Girardus Engolismensis Episcopus Romanæ Ecclesiæ Legatus, Joannes Lexoviensis, Joannes Salariensis* (seu Sagiensis), *Goiffredus Carnotensis, & Ulgerius Andegavensis.* Quare cùm hoc anno Humbaldus & Giraldus Sedis Apostolicæ Legati in Francia fuerint, obitus S. Stephani de Mureto cum eo connecti non potest, quia paucis antequam è vita decederet diebus, Petrus Leonis & Gregorius S. Angeli Cardinales Apostolicæ Sedis Legati eum invisère; cumque Epistola sancti Bernardi XXII *Humbaldo Lugdunensi Archiepiscopo, Romanæ Sedis Legato* data fuerit, tunc ei in Legationis munere adjunctus non fuit *Petrus Fontanensis* Cardinalis, ut autumavit Mabillonius in Notis fusioribus ad illam Divi Bernardi Epistolam, ideoque ea Epistola currenti anno scripta. Quod obiter dictum sit.

XII. *Floruit Albertus Aquensis & Robertus Monachus.* *Albertus* Aquensis Ecclesiæ Canonicus & Sacrista Historiam Hierosolymitanæ Expeditionis in XII libros divisam usque ad h c annum non perduxit, ut scripsit Oudinus in Supplem. de Script. Eccles. sed eamdem cum anno secundo Balduini Regis, seu cum anno MCXIX, absolvit, ut ex ejus lectione apparet. *Robertus* Monachus Sancti Remigii Remensis, qui eidem Expeditioni factæ interfuit, Sancti Bernardi Abbatis sui jussu eamdem Historiam libris novem descripsit, sed desiit in victoria apud Ascalonam anno MCXCIX à Christianis reportata. De varia Roberti fortuna legendus Marlotus lib. 2. Metropol. Rem. cap. 17. Annus emortualis utriusque incertus.

XIII. *Moritur Urraca Castellæ Regina.* Hoc anno *Urraca* Regina Alphonsi VII Castellæ & Navarræ Regis mater vitam cum morte commutavit, ut Sandovalius in Alphonso VII fol. 131. se in antiquo Documento linguâ Castellana scripto legisse affirmat, & dicitur in libro Tumbo nigro appellato, ubi mors ejus accidisse legitur *era MCLXIV, VIII Idus Martii*, indeque deducit Sandovalius exemplaria Chartarum duarum sibi ostensarum eam erâ MCLXVII adhuc in vivis fuisse supponentium, in numeris mendosa esse, quòd qui ea exscripsère, numeros Gothicos legere nescierint. Io Chartis in gratiam monasterii Sancti Æmiliani datis, quas era MCLXIII, non verò MCLXVII datas esse oporter, asserit Urraca se in Ecclesia seu monasterio sancti Vincentii Alphonsi filii & Alphonsi Aragoniæ Regis jussu in carcere detentam esse; quod etiam legitur in literis in gratiam Ecclesiæ sancti Jacobi *die XXV Martii* emissis ab Alphonso Rege, & ab Urraca matre ejus confirmatis, in quibus ea se captivam esse dicit. Sepulta fuit in capella Regia sancti Isidori Legionensis, ubi Sandovalius scribit se ejus epitaphium legisse, in quo ea dicitur mater Adefonsi Imperatoris, mortuaque *anno MCLXIV Martio mense.*

XIV. *Comitia Principatûs Catalauniæ.* Hoc pariter anno juxta Diagum lib. 2. Hist. Comit. Barcinon. cap. 108. Barcinonæ Comitia generalia totius Principatus celebrata, in quibus Reipublicæ status reformatus, & secularium adversus Ecclesiastica jura excessus emendati. Peritt id à Raimundo III Barcinonensi & Provinciæ Comite *Beatus Oldegarius*, cujus desiderio annuit Comes, & in ejus Palatio utroque Ordo coactus fuit. Ex Ecclesiasticis adfuère *Oldegarius* Metropolitanus, *Raimundus* Ausoensis, & *Berengarius* Gerundensis Episcopi, ac Catalauniæ Abbates omnes. Ex Laicis Comes cum Raimundo Berengario filio post patris mortem Aragoniæ Principe, Proceres multi & nobilium multitudo infinita. Inter alia multa in utilitatem Ecclesiæ in Comitiis statuta, Comes ac filius, Proceres ac nobiles *Beato Oldegario* restituère Ecclesias omnes ac cœmeteria cum reditibus ac quibuscumque aliis hactenus à se in præjudicium Ecclesiæ possessis: integra libertas iisdem Ecclesiis concessa absque ullius jurisdictionis in eas reservatione. Hæc aliaque à Didaco citato memorata, quæ in novam Conciliorum editionem transferri debent, statuta, inquit Diagus, *die X Martii anni MCXV*; sed id errore Librarii positum; cùm eo Christi anno *Oldegarius* nondum Tarraconensis Archiepiscopus fuerit. Quare loco, MCXV, legendum, inquit Didacus, *anno MCXXV*, qui annus currentem designat; cùm Comitia mense Martio habita fuerint, & in Catalaunia annus vel à Paschate, vel à die XXV mensis Martii secundum usum Gallicanum proficisceretur. Catalauniam enim Francorum Regibus hoc tempore paruisse, seu Francorum Reges supremos Principes ibi agnitos fuisse, compluribus Actis publicis liquet.

XV. *In Catalaunia infeliciter adversus Saracenos pugnatum.* Surita lib. 1. Annal. cap. 49. refert in antiquissimis Annalibus legi hoc anno in Catalaunia ad castellum *Corbinense* sanguinolentum prælium commissum fuisse, ubi magnus Christianorum numerus periit, & res eorum in magnum discrimeo venère. *Alphonsus* Aragoniæ Rex statim ad Comitem Barcinonensem, ejusque filios perrexit, ut eis in hoc bello adversus Infideles auxilio esset: Comitati sunt eum plures Episcopi ac Proceres ibidem nominati, inter quos duo Episcopi Stephanus Oscæ, & Stephanus Electus Rodensis. Porrò Corbioum Ballegarium inter & Ilerdam Ballegario vicinam positum.

SÆC. XII. An. C. 1127.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6620.

☉ 16. B ☽ 7. P. 3. April. Indict. 5.

JESU CHRISTI 1127.

HONORII II PAPÆ 4.

LOTHARII REG. 3.

JOANNIS COMNENI IMP. 10.

Anno Eræ Hispan. MCLXV. Anno Hegiræ DXXI, inchoato die 17. Januar. fer. 1.

I. *Moritur Guillelmus Dux Apuliæ.* ANum. I ad VI. *Hoc anno*, inquit Falco in Chron. *Dux* (nempe Apuliæ) *Willelmus septimo Kalendas Augusti mortuus est*, (nempe die XXVI mensis Julii. Romualdus Salernitanus à Baronio citatus tradit, eam mortem accidisse *in festo Sancti Nazarii*, idest, die XXVIII ejusdem mensis, quô ideo sepultus fuit). *Continuò uxor ejus crines suos, quos pulchros & suaves nutrierat, coram omnibus qui aderant, totondit.* Describit postea magnificas exequias Salerni, ubi Willelmus Dux demortuus, peractas; Baronius num. I ait cum Willelmo genus Roberti Guiscardi penitus extinctum fuisse. Verùm restabat *Boamundus Junior* Roberti ex Boamundo filio nepos anno MCXXX occisus, ut ibidem ostendemus. Falco subdit: *Cumque Rogerius Comes Siculorum mortem Ducis Guillelmi agnovit, navigiis septem paratis, in armis siquidem & omnibus necessariis Salernum advenit, & diebus ibi decem commoratus est, nolens rerum de navi descendere, sed nocte dieque in navigio persistens, cives vocari fecit Salernitanos, & Archiepiscopum eorum Romualdum, & eis juxta littus omnibus convenientibus Comes ille Rogerius exorsus est.* Ostendit in sua oratione Principatum illum jure natalium sibi deberi, petitque in Principem eligi, & cuicumque alteri præferri, *me præter quemlibet alium*, inquit, *deligentes*; additque: *Cives illi, consilio communicato, civitatem Salerni, ejus sub fidelitate commiserunt*, &c. *Et his actis civitatem ingreditur, & ibi honestè moratur.*

II. *Rogerius Siciliæ Comes eis substituitur.* Alexander Abbas Celesini monasterii, qui vivebat adhuc anno MCLIV, in libris complectentibus Res gestas hujus Rogerii postea Siciliæ Regis, de eodem, antequam Guillelmo consanguineo succederet, scribit: *Et cùm adolevisset, invaserat alias insulas, quarum una Malta vocabatur.* Quare non Rogerius pater ejus, ut aliqui perperàm in literas misêre, sed ipsemet Melitam insulam occupavit, & quidem ante præsentem annum, annoque circiter MCXXII. Primum Melitæ Episcopum indicavimus anno MXCI. Subjungit Alexander, post istam expeditionem Rogerium de aliis terris occupandis cogitasse: Cùm *ad alias iterum occupandas insulas, terrasque attentiùs persisteret, repentè audivit præfatum Ducem Guillelmum ab hac luce Salerni decessisse. qui doluit valdè, quòd se ignorante, defunctus sit, quodque se, ut sibi vivens statuerat, si filium non haberet, hæredem non fecisset. Unde moram non patitur, sed præparato navali itinere quantociùs Salernum tetendit: cumque non procul ab urbe constitisset, delegatis nunciis Salernitanis civibus misit, quatenus eidem subderentur. Nam potiùs sibi, quàm alteri dominatus ejusdem civitatis generis successione competebat: quod & Guillelmus Dux, si ex conjuge nato cariturus esset hærede, vivens ei concesserat. Quibus illi respondentes; Nos nullo modo, inquiunt, nullave ratione ei subdemur, quoniam plura malorum Guillelmo Duce, ejusque prædecessoribus perpessi sumus, quæ etiam ab eodem ipso nobis inferri, si dominatûs culmen super nos susceperit, formidamus: cumque hæc & his similia ab eis superbo ore proferrentur, atque quidam Sarolus nomine unus ex illis, qui ex parte Comitis verba detulerant, dum contra eos pro hoc ipso verba reddidisset, mox illis in eum furere concitatis, dum fugam evadendi infelix ageret, ferro ab ipsis succisus interiit.* Factum hoc à Falcone omissum.

SÆC. XII. An. C. 1127.

III. *A Salernitanis civibus recipitur.* Pergit Alexander: *quæ videlicet cùm Rogerio relatu fuissent, licet cordis dolore quamplurimum tangeretur, animi sui impetum pro tempore graviter obvolvens, rursus mittebat exorans eos, quatenus quod sibi justum ad habendum erat, non denegarent. At illi super hoc iterum atque iterum conferentes, tandem talia respondentes dixerunt; concedatur nobis munitio Turris majoris ad custodiendum; sicque post dominio ipsius subdemur. Quo audito ille, quamquam super hoc pernimiùm aggravaretur, subditionem tamen civium accepturus, prædictam arcem eis pro nutu ipsorum conservandam annuit.* Idem refert Falco: *Juravit statim Comes ille Rogerius, quod sine judicio, & sine culpa eos non capiat, neque capi permittat, neque extra dies duos in expeditione illos perducat, & castellum Turris Majoris de illorum potestate non auferat; & si quis abstulerit, ejus auxilio sub eorum potestate restituat.* Ex his perspicuum fit, fabulosum esse quod scribunt recentiores Rerum Sicularum Auctores *Rogerium* scilicet Siciliæ Comitem Guillelmi Apuliæ Ducis Constantinopolim profecti ditiones invasisse, & usque ad mortem ejus retinuisse. Id quidem à nobis anno MCXXI confutatum, sed ex Willelmi mortis narratione magis convellitur. Ibidem diximus Willelmi uxorem fuisse *Gaitegrimam* Jordani Principis Capuæ sororem.

IV. *Recipitur & in reliqua Apulia.* Alexander Abbas refert, *Ramnulfum* Comitem Mathildis maritum se se Rogerio sororio subdere noluisse, quin vice versa Rogerius Comitem Rogerium Orianensem sibi subderet, additque: *Tandem Rogerius abire non passus tam pro conjugali Mathildis copula, quæ ei propinqua erat, quàm pro strenuitatis suæ nomine, quam sibi in acquirendo Apuliam omninò profuturam sperabat, ejus suscepto hominio subdidit ei præfatum, quem proposuerat Comitem; deinde cum accepta fidelitate Salernum ingreditur. Amalfitani deinde videntes Salernitanos Comiti colla subdidisse, & ipsi eidem ei, retentis munitionibus, subjiciuntur.* Falco nulla Ramnulfi Comitis mentione facta, ait: *His & aliis ita decursis, universum Ducatum Amalphitanorum circumquaque Comes ille suæ subjugavit potestati, & inde procedens, Trojanam civitatem, & Melphitanam, & totius ferè Apuliæ partes obtinuit*, &c. concluditque: *Quibus peractis victor & exultans Siciliam repedavit.*

V. *Honorius II eum excommunicat.* Subjungit Falco: *Consilio habito ad Ducatûs arripiendum honorem animum impulit elatum, & præcepit omnibus in terra sua manentibus, ut Ducem Rogerium eum vocitarent, quod & factum est.* Alexander verò Abbas in eamdem rem scribit: *Per idem tempus Romanæ Ecclesiæ Pontificium Honorius Papa II administrabat, qui Romæ obitum Guillelmi Ducis percipiens, nec non Siciliensium Comitem Ducale jam ambire regimen cognoscens, doluit valde: atque sine dilatione Urbem egressus Beneventum properat. Deinde Missarum celebrans solemnia ipsum publica voce anathematis jaculo perculit, si Ducale obtinere culmen ulteriùs conaretur,*

SÆC. XII. An. C. 1127.

retur, vel quisquis ei ad nanciscendum consilium, auxiliumve tribueret. Unde factum est, ut ipse Ranulfus Comes ab eo, quamquam malè consultus, penitus averteretur, modis omnibus nitens prapedire eum, ne ducatûs quiret conscendere apicem. Verum Rogerius Salerni commorans (quò è Sicilia venerat) cùm audisset, quod Papa Beneventum venisset, atque in se excommunicationis intorsisset jaculum, misit ad eum, orans, ut non ab Ecclesiæ Dominatum, Ducalemque honorem generis jure sibi competentem conscendere prohiberetur. Nam & prout æquitas imperaret, de ejusdem Ducatûs culmine libenter ipse obsecundaturus esset. Falco verò: misit præterea Domino Papæ Honorio munera multa auri & argenti, pollicitando etiam urbem Trojanam, & Montem Fuscum, ut ducatûs ei vexillum, & nomen largiretur, quod nunquam tempore illo prædictus Papa Honorius ei concedere dignatus est.

VI. Ei Ducatus Apuliæ datus fuerat.

Verùm jure merito Honorius II Ducis Apuliæ titulum Rogerio Comiti Siciliæ negavit. Gualterus enim Ecclesiæ Tarvanensis Archidiaconus in Vita B. Caroli Boni Comitis Flandriæ, de cujus Martyrio mox sermo erit, cap. 2. narrans Guillelmi Ducis mortem, scribit: qui ut se periclitari cognovit, Salernitanum Archiepiscopum & Trojanum Episcopum (nempe Romualdum utrique Sedi præpositum, uti jam diximus) advocavit, atque quod antea, dum incolumis esset, fecerat, eorum quoque testimonio desiderans confirmari, quidquid mobilium vel immobilium in terra possidere videbatur, Beato Apostolorum Principi Petro, ejusque Vicario sanctissimo Papæ Honorio, ex cujus ore sucro hoc ipsum frequenter audivi (hoc enim tempore Gualterus vivebat) jure perpetuò possidendum delegavit, ac deinde in confessione Domini ab hac luce migravit.

VII. Nec vi, nec muneribus Honorium II flectere potest Rogerius.

Alexander tamen idem ac Falco his verbis narrat: Papa verò ea percepta (Legatione nempe Rogerii) nulla ratione, nullove pacto ejus precationibus flectitur; imò illum excommunicando feriens expellebat. Porrò Rogerius indignationem adhuc illius patienter sustinens, misit iterum atque iterum eum suscipiens quod se habere jure decebat, non denegaret. At contra Papa eodem modo, quò suprà in eum obstinatissimum gerens animum, nullo modo desiderio ipsius assensum præbere volebat. Alexander Abbas, qui Rogerii partes sequebatur, gesta ab eo adversùs Honorium II & urbem Beneventanam dissimulat, sed Falco ea narrat: Audiens autem, inquit, prædictus Rogerius Siculorum Comes præfatum Pontificem Honorium petitionibus suis circumflecti non posse, &c. fautoribus suis præcepit, quatenus quot possent captivos perducerent Beneventanorum, & afflictionibus multis civitatem infestarent. Qui verè magis quàm fuerat eis injunctum, executi sunt. Post aliqua interposita: His taliter omnibus superiùs narratis evolutis, prædictus Pontifex Honorius nihil utilitatis & virtutis erga civitatem Beneventanam agere deprehendens, consilio salutis accepto, III Kalend. Januarii (currentis Christi anni) Capuanam civitatem adivit; continuò prædictus Robertus (Capuæ) Princeps officiosissimè illum excipiens, ad Palatium Episcopi Capuani gaudio magno eum castra metari præcepit. Princeps hic filius erat Jordanis XIV Kalend. Januarii hujus anni demortui, ut Peregrinius in Tabula genealogica Principum Capuanorum animadvertit; Honorius verò antequam Benevento discederet, Trojæ fuerat, ut ipsemet affirmat in sua Oratione habita in Concilio aut cœtu Capuæ congregato, quam Baronius num. III ac seq. refert, quamque ex Falcone exscripsit; cùm pro quibusdam imminentibus negotiis civitatem Trojanam adissemus, hîcque observandum, Baronium non Falconem, sed ejus Epitomen sequi, aut aliqua pro libitu mutare.

VIII. Robertus Capuæ Princeps anno sequenti inunctus.

Baronius num. II refert ex Falcone unctionem Roberti novi Comitis Capuani; verùm cùm secundùm eumdem Falconem Honorius II tertio Kalendas Januarii Capuæ exceptus fuerit, & Episcopos & Abbates ad eam unctionem convocarit, cœtus ille ante initium sequentis Christi anni congregari non potuit: Honorius, inquit Falco, Archiepiscopos & Abbates accersiri præcepit, quatenus ad Principis unctionem convenirent, qui euntes die statuto (sed à Falcone non designato) exultatione ingenti ad Capuanam Ecclesiam convenère. Archiepiscopus itaque Capuanus juxta prædecessorum suorum Privilegium, præsente illo jam dicto Pontifice Honorio, cum turba virorum religiosorum quæ convenerat, & Episcoporum Conventu, prædictum Robertum in Principatûs honorem inunxit & confirmavit.

IX. Honorius II in Concilio Trojano Rogerium Comitem iterùm excommunicat.

Suprà dixi Honorium II Trojam se se contulisse; is autem in Oratione in Conventu Capuano habita & à Baronio num. III relata dicit Rogerii Comitis fautores in cives Beneventanos sævisse in die festivitatis Sancti Martini, eo scilicet tempore quo Honorius II, non Beneventi, sed Trojæ versabatur. Alexander Abbas quid tunc gestum fuerit, hoc modo narrat: Post hæc autem prædictus Præsul a Trojanis civibus accitus, eorum hominum flagitantibus ipsis accepit (nempe Honorius II) ubi pridem universi Apuliæ ad se venientes Magnates adversùs Rogerium, ita eodem sollicitante, fœdere ei uniuntur, ut nonnisi eum penitus expellerent, aut in bello, si possent, de terra necunde delerent; ex quibus fuerunt Grimoaldus Barensium Princeps, Gofridus Comes Andrensis, Tancredus de Conversano atque Rogerius Orianensis Comes, aliique complures; quorum scilicet unanimitati & Robertus Capuanorum Princeps ejusdem Papæ hortatu, Comitisque Ranulfi (sororii Rogerii, qui ab eo defecerat) instigatione consociatur. Hoc Honorius II in sua Oratione citata designat paucis his verbis; Cumque pro quibusdam imminentibus negotiis civitatem Trojanam adissemus. Pergit Alexander: Nec mora præfatus Apostolicus Beneventum repedat (hoc sc. anno circa festum S. Martini) ibique non longa intercedente mora rursùs Trojam revertitur (verosimiliter sub exitum mensis Novembris), qui ibidem Episcoporum celebrans Concilium (quod observatione dignum est) Rogerium iterum, vel quisquis ei ad adipiscendum Ducatum consensurus seu opem collaturus esset, ab Ecclesia excommunicando eliminavit: cumque his peractis denuò Beneventum remeasset, Rogerius rursùs Legatione ad eum directa simpliciter precatur, quatenus anathematis sententia remota, Ducalique sibi dignitate concessa servitium ejus susciperet (mense Decembri). At ille rursus in eodem ipso quo suprà immobili mente persistens, petitioni suæ nullatenus adquievit. Imò Honorius II Capuam perrexit, ut refert Falco hoc anno apud Baronium. nu. V.

X. Honorius II & Rogerius Comes se se ad arma parant.

Pergit Alexander: Rogerius tantam ipsius (nempe Honorii II) insolentiam, animumque inflexibilem spectans, ad Siciliam transvectus navigio redit: quatenus quod humilibus verbis obtinere non poterat, armorum violentiâ revertens adipisceretur.

SÆC. XII. An. C. 1127. *eretur. Cujus abscessu cognito, Papa & ipse, quantocyus potuit, repetit, ut inde bellicam aciem ducens adversùs eum simul cum præmemoratis Principibus obsistere deberet, si fortè cùm hostili manu Ducatum invasurus rediret.*

XI. Concilium Trecense. A num. VI ad IX. Concilium *Trecense*, cui Matthæus, Albanensis Episcopus Cardinalis, Legatus Apostolicus, Archiepiscopi Remensis & Senonensis, variique Episcopi interfuêre, anno tantum sequenti celebratum; cùm in ejus Præfatione Joannes Michaelensis Concilii Scriba dicat, illud habitum *in solemnitate Sancti Hilarii* (nempe die XIII mensis Januarii) *anno MCXXVIII ab Incarnate Dei filio, ab inchoatione prædicta militia* (nempe Templariorum) *IX*; qui annus Incarnationis etiam notatus reperitur in Codice MS. Bibliothecæ Victorinæ Parisiensis, & in Historia Hierosolymitana Jacobi de Vitriaco. Tyrius quidem ait Concilium istud Ordinem Templariorum jam à novem annis fundatum confirmasse; sed cùm is annum Incarnationis, vel à die XXV mensis Martii, vel à die Paschatis ibi incipiat, certumque sit Concilium mense Januario congregatum, Tyrius nonnisi de mense Januario sequentis Christi anni interpretari potest, & malè aliqui viri docti cum ad ejus annos incarnationis numerandi modum animum non advertissent, vel numeros apud Tyrium mendosè descriptos esse causati sunt, vel ad vanas interpretationes recurrêre. Annus itaque Eræ Dionysianæ MCXXVIII mense Januario erat adhuc annus MCXXVII Tyrio, & nonus exiens à Fundatione Ordinis Templariorum.

XII. In eo Regula Templariis data. Baronius num. VI rectè asserit *Matthæum Albanensem Episcopum* Cardinalem huic Concilio præfuisse, & ea occasione Epistolam XXI Sancti Bernardi ad eum datam. Sed ad illud Concilium Epistolam Sancti Bernardi ordine XVII ad Petrum Diaconum Cardinalem datam, in qua Sanctus Abbas excusat, quòd vocatus non venerit, malè revocavit; ibi enim divus Bernardus de alia profectione nobis ignota sermonem habet, & *Petrus* ille, qui ibidem à Sancto Bernardo vocatur Diaconus Cardinalis & Legatus, anno MCXXV Legatione Gallica, non verò hoc anno functus est, ut eo Christi anno ostendimus. Regulam à Sancto Bernardo ex injuncto Concilii Trecensis Templariis datam, non multo pòst à Theutonicis receptam fuisse testatur Jacobus de Vitriaco Card. in Hist. Orient. cap. LXVI. De incremento verò *Templariorum* post Regulam acceptam complures libri testes sunt. Porro ex die celebrati Concilii Trecensis, die sc. XIII Januarii anni MCXXVIII, intelligimus *Matthæum Albanensem Episc.* Cardinalem hoc anno, saltem exeunte, legatum Sedis Apostolicæ in Galliam venisse. *Girardum* Engolismensem Episcopum in Legatione Aquitanica continuatum fuisse, ex dicendis anno MCXXX intelligetur. Duas enim in Gallia Legationes fuisse non semel insinuavimus.

XIII. Ecclesia Gallicana dissidiis turbata. A num. IX ad XVIII. *Stephanus* Episcopus Parisiensis *Ludovicum* VI Francorum Regem Anathemate perculit, quòd Ecclesiæ bona nonnulla usurpasset; eamque ob rem literas ad omnes Ecclesiarum Prælatos & Abbates, ad ipsum quoque Honorium II dedit, rogans ut suæ se causæ adjungere vellent. Sed tandem Rex ablata restituit, & à vexandis præfato Stephano & Henrico Senonensi Archiepiscopo Stephani Metropolita destitit, uti narrat Baronius ex Epistolis Divi Bernardi XLIV, XLV, XLVI, XLVII, & XLIX, quæ ideo hoc anno datæ sunt. *Bernardus* enim impatienter ferens quæ adversùm utrumque Præsulem à Rege gerebantur, tam suo quàm Gaufridi Carnotensis Episcopi nomine literas ad Honorium II querimoniæ plenas dedit. Reconciliationis Stephani cum Rege testes sunt literæ, quibus concedit Ecclesiæ B. Martini Campensis in urbe Parisiensi sitæ Ecclesiam S. Dionysii de Carcere, ut vocant, quæ usurpata fuerat: *Quapropter*, inquit Stephanus, *Ecclesiæ B. Martini de Campis & fratribus inibi Deo servientibus Ecclesiam S. Dionysii de Carcere, quam diu manus laica injustè invaserat, quæ etiam tempore nostro ad manus Regias redacta fuerat, ipsam in manibus nostris redditam ex consensu, petitione & voluntate ipsius Domini Regis Ludovici, Adelaide Regina, filiis etiam Ludovico Rege, & Henrico ejusdem Ecclesiæ Abbate concedentibus, salvo in omnibus jure Parisiensis Ecclesiæ in perpetuum donavimus.* SÆC. XII. An. C. 1129.

Manricus in Annal. Cisterc. ad hunc Christi annum cap. I. autumavit, *Stephanum* Episcopum Parisiensem fuisse olim Regi carum, nuncque invisum, & de eo intelligendum quod scribit Chronographus Maurigniacensis: *Defuncto Willelmo, Anselli Dapiferi Germano, Stephanus Cancellarius frater amborum, Major Regiæ domus effectus est. Hoc retroactis generationibus fuerat inauditum, ut homo qui Diaconatûs fungebatur officio, militiæ simul post Regem duceret Principatum. Hic vir industrius, & seculari præditus sapientia, tum multis Ecclesiasticorum bonorum redditibus, tum familiaritate Regis, quam sic habebat, ut ei potius à quibusdam diceretur imperare, quàm servire; temporali felicitate supra ceteros mortales nostris temporibus efflorebat*, &c. XIV. Stephanus Episc. Parisiensis diversus à Stephano Anselli Dapiferi fratre. In ea etiam sententia non pauci Critici versantur. Verùm, ut animadvertit Duchesnius in Notis ad Hist. *Calamitatum Petri Abaelardi*, pag. 1175. & seq. Stephanus Episcopus Parisiensis diversus est à Stephano Cancellario Anselli Dapiferi fratre; cùm tabulæ B. Mariæ de Gornaio referant simul & *Stephanum Parisiensium Episcopum, & Stephanum Dapiferum Gornaium tenentem*; quem ultimum fratrem fuisse Anselli, ex documentis publicis liquet. Duchesnius quidem utrumque *Stephanum* Cancellarium facit, quia in Stephani Parisiensis Episcopi Epitaphio, quod apud Victorinos Parisienses legitur, *Cancellarii* dignitas ei attribuitur; at Epitaphia, de quorum antiquitate non constat, nullam fidem in similibus faciunt, ut sæpiùs insinuavimus, & verosimile est istud ab aliquo è posteris fuisse inscriptum, qui è duobus Stephanis unum fecerit. Qua de re legenda Collectio Documentorum ad notitiam Cancellariorum Franciæ conducentium, subjuncta Historiæ Comestabilium & Cancellariorum Franciæ à Dionysio Godefrido linguâ Gallicâ publicata, pag. 72. De causis verò dissidii inter *Ludovicum* Franciæ Regem, & *Stephanum* Parisiensem Episcopum, legendus Mabillonius in Notis fusioribus ad Epist. XLV Sancti Bernardi ad eumdem Regem datam. Prætermiseram monere *Dapiferum*, Majorem domûs Regiæ, & Senescalcum seu Senescallum unius ejusdemque dignitatis nomina fuisse, huicque curam incubuisse Domûs Regiæ seu sacri Palatii ac Aulæ, idque evidenter demonstrare

strare varia Scriptorum Francorum loca in Glossario Ducangii, vocibus *Dapifer, Major domus & Senescallus*. Præterea observandum Stephanum de Garlanda, dum Cancellarius esset, electum fuisse Episcopum Bellovacensem, sed eam Sedem nunquam obtinere potuisse, ut San-Marthani in Episc. Bellovac. ex Ivone Carnotensi demonstrant. At *Stephanum de Garlanda* deinde electum Parisiensem Episcopum, quod volunt Labbeus & Mabillonius pag. 122. de Re Diplom. planè convellitur ex documentis à Dionysio Godefrido citato in medium adductis.

XV. *Concilium Londinense.*

Ad num. XVIII & seq. Hoc anno in Anglia pro reformandis Ecclesiæ moribus Concilium habitum, non *Wintoniæ*, ut habet Baronius, sed *Londini* seu Westmonasterii, ut Continuator Vigorniensis hujus temporis Auctor, Matthæus Parisius in Chron. Huntindoniensis lib. VII pag. 383. & Hovedenus pag. 478. disertè affirmant. Eidem præfuit Guilielmus Cantuariæ Archiep. & Legatus Apostolicæ Sedis; *sedit autem tribus diebus, idest, tertio Idus Maii, & die sequenti, tertioque post hoc, qui fuit XVII Kalendas Junii*, ut dicitur in Præfatione. In eo Ecclesiastica disciplina Canonibus XII sancita, & Canonibus V, VI, & VII Presbyteris & Canonicis prohibitum, ne uxores vel concubinas haberent. Imò in Canone VII de Concubinis eorum statuitur, *ne ab aliquo potestate minore vel majore detineantur, sed liberè eisdem ministris Ecclesiæ tradantur, & Ecclesiastica disciplina vel servituti Episcopali judicio mancipentur.*

XVI. *S. Norbertus anno præcedenti Magdeburgensis Archiep. dictus.*

Ad num. XX. *Sanctus Norbertus* Ordinis Præmonstratensis Institutor anno superiori Magdeburgensis Archiepiscopus renonciatus est, ut notavit Dodechinus Abbas in Chron. & duratio Sedis ejus ab Hugone ejus Vitæ Scriptore coætaneo memorata demonstrat. Chronographus Magdeburgensis à Meibomio editus tradit, cùm mortuo Archiepiscopo Magdeburgensi electores inter se non convenirent de persona in ejus locum subroganda, eos à Legatis Apostolicis Spiram accitos esse, eosdem communicato cum *Lothario* Rege Germaniæ Consilio *Norbertum*, quamvis plurimùm renitentem, elegisse, & hunc Comitatu Halvestadensis ac Brandeburgensis Episcoporum Magdeburgum deductum: *Ibidem X Kalend. Augusti* (legendum, *XV Kalend. Augusti*, ut sequentia evidenter ostendunt) *qua tunc evenit Dominica, magno concursu Comitum ac Procerum, à Clero & populo cum ingenti gloria suscipitur, ab omnibus eligitur, & in Sedem suam divina laude attollitur, & octava dein die idem in festo Jacobi Apostoli ab Udone Olensi Episcopo, cooperantibus aliis non paucis, qui aderant Episcopis, in Archipræsulem ungitur, cui & Pallium à Papa Honorio dirigitur*, subjungit idem Chronographus. Octava autem dies, eaque Dominicalis ante festum Sancti Jacobi Apostoli, non in X Kalend. sed in XV Kalend. Augusti seu in diem XVIII mensis Julii incidit anno præcedenti, quo Chronographus iste *Norbertum* creatum Archiepiscopum disertè asserit. Hanc sententiam certam & indubitatam esse, quæ in ejus morte dicemus, ostendent.

XVII. *Primus Episcopus Latinus urbis Tyriensis.*

Ad num. XXI & seq. Willelmus Tyrius lib. XIII cap. XXIII refert, *Guillelmum* natione Anglicum consecratum fuisse Archiepiscopum Tyri urbis à quatuor annis Infidelibus ereptæ. Honorius II literis *in territorio Barensi octavo Idus Julii* datis præcepit, ut suffraganei eidem tanquam proprio Metropolitano redderentur, monuitque Patriarcham Antiochenum cui parebant, ut post literarum suarum inspectionem id executioni mandaretur. Fulcherius Carnotensis lib. 3. Hist. Hierosol. ad annum MCXXIV ait: *pacificet Deus Antiochenam Ecclesiam cum Hierosolymitana Ecclesia, quæ duæ diffident de Tyria tertia. Illa dicit hanc sibi fuisse subditam sub Græcorum tempore. Hæc dicit se esse communitam privilegiis à Romano Pontifice.* Iste Guillelmus unus fuit è Decessoribus Willelmi Tyrii Expeditionis sacræ Scriptoris. Fulcherius Carnotensis Historiam Belli Sacri ab anno MXCV, ad annum MCXXVII libris tribus deduxit, Balduinum Godefridi Bullonii fratrem in profectione Syriaca secutus, cujus tum erat Capellanus, ut ipsemet affirmat.

XVIII. *Moritur S. Gualfardus Solitarius.*

Baronius in Addendis & Corrigendis ad annum MCXXVII refert mortem *Sancti Gualfardi*, ortu Augustani, qui ex Alemannia Veronam adveniens, postquam totos viginti annos Solitarius in vicina urbi silvula uni Deo notus vixisset; in urbem retractus, decem ibi annos juxta prædictam Ecclesiam veluti reclusus Deo servivit, ibique hoc anno *pridie Kalendas Maii* mortuus est. De eo plura in Actis SS. Bollandianis ad diem XXX mensis Aprilis, sed non ex veteribus, at ex recentibus monumentis.

XIX. *Alphonsus Henricus Portugalliæ Comes Alphonso VII hominium præstat.*

Hoc anno, uti narrat Sandovalius in Alphonso VI fol. 141. in Regnis Castellæ, Legionis & Galiciæ magnæ turbæ excitatæ; *Alphonsus* enim *Henricus* Portugalliæ Comes non contentus favisse *Alphonso* Aragoniæ Regi, & Castellæ rebellibus adversùs *Alphonsum* VII Castellæ Regem, cujus beneficiarius erat, in bello hoc anno inter utrumque Regem gesto, & fusè à Sandovalio descripto, armis etiam vexabat *Theresiam* matrem. *Alphonsus* Castellæ Rex amitæ patrocinium suscipiens exercitu Congregato in Portugalliam intravit; verum accepto in coxendice vulnere ad sua redire coactus fuit. Cumque *Alphonsus Henricus* victoria elatus Alphonso Regi homagium præstare renuisset, se seque supremum in suo Principatu Principem dixisset, Alphonsus Rex novum statim exercitum collegit erâ MCLXV, præsenti nempe Christi anno, cumque in Portugalliam ingressus esset, Alphonsus Comes, quò se verteret nesciens, pacem ab *Alphonso* Rege postulavit, eique Comitatus sui homagium obtulit. Ad hanc conditionem *Alphonsus* Rex eò lubentiùs accessit, quò omnibus in Castella perturbatis illuc ei redeundum erat. Præcipui enim inter Magnates, & inter eos *Bertrandus Comes*, maritus Elvitæ Alphonsi VI neptis, Aragonensis Regis partes amplexi erant.

XX. *Historicorum Hispaniæ error correctus.*

Existimat Sandovalius *Bertrandum* hunc esse Comitem Tolosanum, sequiturque alios Hispaniæ Historicos, qui tradunt *Bertrandum* hunc nepotem esse *Alphonsi* VI, natum ex conjugio *Raimundi* Sancti Ægidii Comitis cum *Elvira* Infanta. Verùm hic error, licet antiquus, cùm in veteri Historia MS. Toleti legatur, solidè refellitur à Catello in Hist. Comitum Tolosæ, ubi Guiberti Abbatis de Novingento, & Guillelmi Malmesburiensis auctoritate *Bertrandum* illum *nothum* fuisse demonstrat. Ostendit etiam Catellus *Bertrandum* Comitem Tolosanum hoc tempore in vivis non fuisse, & *Alphonsum Jordanum* ante annum MCXXI aut insequentem

SÆC. XII An. C. 1127. naturæ debitum solvisse. Quare *Bertrandus* Comes Elviræ maritus, qui hoc anoo arma adversùs Alphonsum VII capessiit, diversus à Comite Tolosano. Hispaniæ Historici, ubi de vicinorum Principum familiis verba faciunt, cæcutire solent, sicuti vice versa Rerum Gallicarum Scriptores de externorum Principum Genealogiis sermonem habentes.

XXI. *Willelmus Normannus sororem Reginæ Franciæ uxorem accipit.* Hoc anno, *cùm Guillelmus exul*, inquit Ordericus lib. 12. loquens de Guillelmo filio Roberti Normanniæ Ducis, quem Henricus Angliæ Rex captivum à multis annis tenebat, *viginti sex esset annorum, & nemo posset ei de paterna hereditate recuperanda suffragari contra patruum suum, Adeles Regina* (conjux Ludovici VI Regis Franciæ) *uterinam sororem suam* (Joannam nuncupatam) *dedit illi in conjugem, Rainerii scilicet Marchionis sobolem*, &c. *Hoc mense Januario factum est, & paulo post ante Quadragesimam Gisorsis* (vulgo, Gisors oppidum Normanniæ ad Eptam Fl.) *venit cum militari manu Normanniam calumniari* (idest, in jus vocare, ut videre est in Glossario Ducangii): *sed enim Normanni velut dominum naturalem reveriti sunt.* Jam uxorem duxerat Guillelmus unam ex filiabus Fulconis Comitis Andegavensis, sed matrimonium illud Callisti II & Honorii II jussu dissolutum fuerat, ut anno MCXXIV monstravimus. *Rainerius* verò Comes seu Marchio erat Montisferrati, uxoremque sibi copularat *Guillam* Burgundam, viduam Humberti II Comitis Maurianæ seu Sabaudiæ, & matrem Adelaidis Reginæ Franciæ.

XXII. *B. Carolus Bonus Flandriæ Comes occiditur.* Gualterus Archidiaconus Ecclesiæ Morinorum in Vita Beati Caroli Boni Comitis Flandriæ, quam proximis post obitum ejus mensibus in lucem edidit, & Bollandus ad diem II mensis Martii recitat, sancti hujus Principis, quem Sugerius in Ludovico VI Franciæ Rege pag. 315. Ecclesiæ Dei illustrem defensorem, eleemosynarum liberalitate conspicuum, & justitiæ tutorem insignem appellat, cædem his verbis narrat cap. I *Anno Verbi Incarnati MCXXVII, indictione V, sexto Nonas Martii*, &c. *ipso die in plurimorum perniciem execrabili quorundam scelere interfectus est Brugis in Ecclesia Sancti Donatiani Carolus Comes Flandriæ, filius Canuti Martyris, Regis quondam Daciæ* (idest, Daniæ, cujus cædem anno MLXXXI retulimus) *& Adelæ Reginæ, quam postea duxit uxorem Rogerius Dux Siciliæ*, hujus nominis primus. Sanctus Princeps, *cùm debitor honoris adepti*, inquit Sugerius citatus, qui hoc tempore vivebat, *Potentes quosdam genere humiles, opibus elatos, dominio ejus lineam consanguinitatis absentare superbè mutentes* (*erant enim de face conditionis servilis*) *judicio Curiæ convenienter satis repeteret; ipsi, videlicet Brugensis Ecclesiæ Præpositus, & sui, viri superbissimi & famosi proditores, crudelissimè ei insidiabantur* dieque secunda mensis Martii nefariè interficerunt. Ludovicus VI Franciæ Rex *Flandriam animosus intrat, ut nequissimos atrocissimè perdat, toto animi & operis nisu exæstuat. Comitem Flandriæ Guillelmum Normannum filium Roberti Hierosolymitani Normanniæ Comitis* (*ad eum enim jure consanguinitatis spectabat*) *constituit*, subdit idem Sugerius.

XXIII. *Willelmus Normannus* Galbertus Brugensis, urbis suæ publicus Notarius, & in plerisque testis oculatus alteram Beati Caroli Boni Vitam scripsit, & Bollandus etiam publicavit. Ille cap. XI refert, Ludovicum Galliæ Regem *XIII Kalendas Aprilis Dominica* ex Attrebato, ubi versabatur, mandasse Magnatibus & Baronibus, ut alium Ducem in locum Caroli nepotis sui eligerent, & pro morte ejus vindicanda omnem suam operam pollicitum esse. Electus præfatus Guillelmus, pluresque ex interfectoribus exquisito mortis genere affecti: *His ergo & diversis ultionum modis & sanguinis multi effusione lota, & quasi rebaptizata Flandria, Guilielmo Normanno Comite constituto, Rex in Franciam, Deo auxiliante, victor remeavit*, inquit Sugerius. Beati Caroli Martyris Flandrorum Comitis nomen variis Martyrologiis inscriptum, testaturque Molanus in Indiculo Sanctorum Belgii ex vulnerato ejus cranio sæpius bibere febricitantes. SÆC. XII An. C. 1127. *Flandriæ Comes constituitur.*

XXIV. *Angliæ Rex sibi à Willelmo Normanno præcavet.* Matthæus Parisius in Chron. de Henrico Anglorum Rege curiam suam apud Windlesboram tenente verba faciens scribit: *Venerunt ibi ad Regem Legati dicentes: Carolus Comes Flandrensis tibi dilectissimus, à Proceribus suis, proditione nefanda est occisus in Templo apud Brugas. Et Rex Francorum dedit Comitatum Willelmo filio fratris tui, nepoti tuo & inimico, & in quo jam valde roboratus, diversis cruciatibus omnes proditores Caroli interfecit. Super his itaque Rex Henricus nimis anxius erat, eò quod esset juvenis ille strenuus satis & animosus, & comminaretur se Regi Henrico tam Angliam, quam Normanniam ablaturum, quæ sibi, ut dicebat, jure hæreditario debebantur.* Henricus Rex sibi præcavens, Mathildem filiam, Henrici V Imperatoris viduam in Normanniam misit *desponsandam Gaufrido filio Comitis Andegavensis: & postea secutus est eam ipse Rex in Augustum*, ait Hovedenus ad annum MCXXVIII; ad hunc verò annum Matthæus Parisius habet: *Fulco Comes Andegavensis Hierosolymam sine animo revertendi profecturus, dedit Comitatum suum Gaufrido filio, cognomento Plantagenest, adolescenti elegantissimo: & peregrè profectus Hierosolymam cum prosperitate pervenit. De cujus adventu Rex Hierusalem* (sc. Balduinus II) *valde lætus, dedit ei filiam suam primogenitam, cum spe regni post mortem suam. Quod cùm à Rege Anglorum Henrico compertum fuisset, transfretavit in Normanniam: & filiam suam Imperatricem præfato Gaufrido Andegavensium Comiti matrimonio copulavit.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6621. Anno Eræ Hispan. MCLXVI. Anno Hegiræ DXXII inchoato die 6. Januar. fer. 6. Anno Hegiræ DXXIII. inchoato die 25 Decemb. fer. 3.

☉ 17. AG. ☽ 8. P. 22. April. Indict. 6.

JESU CHRISTI 1128.

HONORII II PAPÆ 5.

LOTHARII REGIS 4.

JOANNIS COMNENI IMP. 11.

I *Honorius II relictâ Apuliâ Romam redit.* AD nom. I. Baronius Honorii II Romam reditûs, & Rogerii Siciliæ Comitis ex urbe Salernitana in Siciliam discessûs non meminit, quem ideo utrumque ex Falcone in Chron. hîc narrabimus. Prodit hic Auctor Honorium II exeunte mense Januario currentis anni Romam reversum esse. Ranulfus Comes castellum quoddam, quò rebellis Hugo cognominatus & Guillelmus Præfectus Beneventanus se se receperant, obsidione cinxit; & licet hujus civitatis incolæ se ei adjunxissent, conatus ille irritus fuit; *Comes Rainulfus,*

SÆC. XII. An. C. 1128.

Rainulfus, inquit Falco, pro tempore nivali & periculoso instanti manere excusabat in tanta expeditione, sicque unà cum Principe discessit. Rector igitur illorum deprehendens excusationes, ut populus omnis ad civitatem reverteretur, præcepit. Nec mora jussa sumentes cursu rapido repedaverunt; obsidio autem illa IV Kal. Februarii facta est. Præfatus itaque Pontifex, qui apud Montem Sarculam (vulgò, Monte Sarchio) morabatur, castrum illud sic dimissum fuisse deprehendens, & pollicitationes Principis (nempe Capuani) & Comitis (sc. Ranulfi) non circa eum prospere commorari, dolore inaudito turbatus, ultra quam credi potest, condoluit in fremendo continuò iter arripiens, Romanos fines adivit. Falco, quia à mense Martio annum exorditur, hæc ad annum præcedentem refert, concluditque Honorium II Apuliæ Principum excusationes gratas non habuisse, ac Beneventi regimen Banderio Archiepiscopo Tarentino commisisse.

II. Rogerius à Sicilia in Apuliam redit.

Cùm verò Honorius II Romæ esset, Rogerius Siciliæ Comes in Italiam rediens, gessit quæ Alexander Abbas refert: Igitur Rogerius cùm apud Siciliam, quo usque ad bella solitum est procedi, demoratus fuisset, coacto nimium immensa exercitu, fretum Pharense transvadavit, &c. Tarentum perveniens civibus se dedentibus mox eam obtinuit. Cujus post obsidionem Hydruntini cives pertimescentes, & civitatem & ipsi se seque submittunt. Hæ quippe urbes Boamundi juris fuerant, quas ipse, omnemque terram suam, cum ad potiendum Antiochiæ transmarinum peteret iter, Apostolica priùs fertur tutela commisisse.

III. Honorius II cum copiis Beneventum venit.

Deinde super Brundusium urbem prædicti Tancredi (nempe de Conversano) veniens eam nimio obsidionis rigore tamdiu oppressit, donec urbicolæ non diu tolerantes, civitatem ei, se seque dedêre, &c. Honorius itaque Papa cognoscens Siculorum Comitem mare transmeasse, terrasque Boamundi ac Tancredi ex parte jam occupasse, cum militibus fermè trecentis revertitur, mandans Principi Ruberto, Comitique Ramnulfo, ceterisque per Apuliam memoratis Principibus, quatenus militaribus collectis agminibus, secum hosti Rogerio jam imminenti armis obviaturi procederent. Quæ hoc modo Falco hoc anno narrat: Hoc anno Papa Honorius venit Beneventum cum ducentis militibus Romanorum; & invenit Robertum Principem Capuanum; & Comitem Rainulfum cum exercitu magno, &c. Prædictus Apostolicus Honorius audiens Comitem Rogerium Siculorum contra ejus voluntatem quotidie insistere, & Apuliæ partes detinere, Robertum Principem nomine & Comitem (sc. Ranulfum) submonet, ut exercitu congregato super Comitem illum Rogerium festinent. Quid multa? Simul cum Principe & Comite, ille Apuliam descendit prædictus Apostolicus, & Grimoaldum Barensem, & Tancredum vocari præcepit, ut omnes unanimiter adversus Comitem Siculorum insistant; quod & factum est.

IV. Inter Honorium II & Rogerium Comitem pax sancitur.

Comes Rogerius, inquit Alexander Abbas, comperiens præfatam expeditionem ad se debellandum procurare, movens se ad fluvium Bradanum, ubi vadus Petrosus dicitur, castra figi præcepit. E contrariò verò Papa cum omnibus suis appropinquat in tantum, ut medius fluvius inter eos ipse difflueret. At Rogerius, cùm Dominum Papam expeditioni illi interesse percepisset, reverentiam illi ita exhibebat, ut vitaret eum contingere, ne contra Deum spreto ipsius Vicario, repugnare videretur. Quinetiam ad eum Legatione semel ac iterum facta flagitabat, ut ei anathematis vinculo absoluto Ducatum etiam jure generis sibi succedentem liceret accipere. Cumque sic hic & illic sine rerum effectu diutius permansissent, Magnates Principis Roberti deficientes sumptuum stipendiis egere incipiunt; adeo ut plures eorum chlamydes suas distrahentes cibum mercari compellerentur; unde factum est, ut quidam eorum tædium non ultra ferentes latenter decederent. Apostolicus verò cognito, quod Baronum, militumque murmur instaret, eò quòd multum temporis militare sustinentes exercituum egestatem pati cogerentur, vellentque sese dimissos recedere, facto Concilio ad Rogerium clàm festinanter præmisit, pollicens illi Ducatum annuendum; ita tamen ut prius Beneventum petens, suum ibi hominium subderet; sicque postea ipsam à se Ducatum ex more acciperet. Hoc quoque illo annuente, simulque ab utraque parte firmato, Apulienses heroes, comperto hoc, mox dissolutis papilionibus ad sua cum dedecore revertuntur, culpantes præmium Papam, quod sine eorum consensu cum hoste Rogerio concordatus fuisset.

V. Rogerius Apuliæ Dux ab Honorio II creatur.

Idem ac Alexander Abbas, Falco narrat, sed cum diversis quibusdam circumstantiis: Comes itaque Rogerius sentiens Apostolicum cum exercitu valido militum & peditum, & Baronibus illis adversus se venientem in Montana secessit, devitans Apostolici virtutem, ne aliquo modo aliquid sinistrum ei contingeret; & sic per quadraginta dies Apostolicus ille ardenti Sole mensis Julii fatigatus Comitem illum obsedit. Interim prædictus Princeps (sc. Robertus Capuanus), quia delicatus corporis erat, & laborem sustinere non poterat, cœpit à fidelitate Apostolici declinare, excogitans qualiter castra ejus dimitteret, & ad propria repedaret, & tentoria sua amoveri fecit, & iter arripere conabatur (ideoque ex eorum numero non erat, qui à pace aversi erant). Apostolicus itaque Principis fraudem & aliorum Baronum deprehendens, pactis intervenientibus, à prædicto Comite Rogerio per Cancellarium Americum (seu Haymericum) Diaconum Cardinalem Sanctæ Mariæ novæ, virum magnæ existimationis Honorio II & Innocentio II sedentibus, ad quem plures divus Bernardus literas scripsit), & Cencium Fraiapanem se daturum promisit, & ut Comes ille circa Beneventum veniret, ibique Ducatûs honorem ei firmaret. Quod executioni mandatum fuit; ut enim Alexander Abbas tradit: Cum ergo Præsul (sc. Honorius) Beneventum redisset, e ce Rogerius adveniens, in montem Sancti Felicis haud longè à Benevento positum, ascendit. Militari quidem cuneo in devexum ejusdem collocato montis. Post diem vero tertium præfatus Pontifex ab eo accitus paululum ab urbe progreditur: ipsiusque, ut moris est, hominio suscepto, cum vexillo Ducale eidem tradidit regimen. At Rogerius Apostolica roboratione Dux constitutus, secundum quod inter se jam propositum fuerat, sacramentum fidelitatis ei per omnia servandum exhibuit, quibus peractis Papa ad Palatium revertitur.

VI. Dies & tempus ejus inauguratione.

Hujus ceremoniæ diem Falco determinatè notavit: His actis Beneventi Apostolicus ille revertitur, & Comes ille, exercitu suo aggregato, Beneventum venit, & in monte Sancti Felicis castra metatus est. Inde pactis inter se compositis, & promissionibus adimplendis, prædictus Apostolicus in octava die Assumptionis Sanctæ Mariæ Ducatûs honorem Comiti illi in conspectu fere viginti millium hominum largitus est, ad pontem scilicet majorem, juxta fluminis ripam, post Solis occasum, multis

SÆC. XII. An. C. 1128.

multis enim negotiis intervenientibus dies ille totus disputando inter se consumptus est. Et quia Comes ille civitatem Beneventi introire dubitabat, Apostolicus foris, ut dictum est, ad prædictum pontem exivit, & Ducatûs ei tribuit honorem; & Ducatu accepto Dux ille sacramento juravit non esse in facto vel consensu, ut B. Petrus & Dominus Papa Honorius, ejusque successores Catholici civitatem Beneventanam perdant, & Principatum Capuanum non capiat, nec permittat ad capiendum. Subjungit Falco: *Et his omnibus actis Salernum revertitur, & Siciliam repedavit.*

VII. *Rogerius Apuliam paulatim sibi subjicit.*

Alexander Abbas expeditionem à Rogerio Comite post suum ex urbe Beneventana reditum, & antequam in Siciliam reverteretur, adversus urbem Trojanam susceptam, quam Falco prætermisit, sic narrat: *Dux Trojam festinus obsessurus pergit, quæ quidem etsi strictiùs obsessa ab eo teneretur, tamen ei à civibus omninò resistebatur, nam Trojani præscientes obsidionem ipsam super se venturam, urbem nimiùm præmunierant: unde eum obsidentem audaciores parvi pendebant. Cùm ergo Dux ibi aliquandiu moratus civitatem etiam munitissimam fere conspiceret, nihilque tunc ad capiendum eam ob hyemem jam imminentem se proficere posse prævideret, remota obsidione, interim ad recipiendum Melfam, aliasque Ducales urbes festinat: quæ jam Legatis præmissis ultro se ei subdendas mandaverant: quibus receptis expeditionem bellicam* (scilicet universum exercitum) *ad propria redire jubet: sicque Salernum reversus, ibique parum permoratus, ad Siciliam cum multo inde iterum reversurus exercitu remeat.*

VIII. *Magna seditio Beneventi excitato.*

Qui dum apud eamdem provinciam (nempe Siciliam) *morans, Apuliæ absentaretur, Tancredus suis interim persuasionibus civitatem & oppida, quæ invadente eo amiserat, recuperavit.* Honorius II diu Beneventi non remansit post datam Rogerio investituram, Romamque rediit, quò antequam adventaret, civitas Beneventana magna seditione hoc modo à Falcone narrata, perturbata fuit: *diebus autem non multis elapsis, prædictus Pontifex Honorius consilio accepto Romam reversus est. Sed priusquam urbem Romam ingrederetur, pars quædam Beneventanorum secundo die stante mensis Septembris* (idest, die vicesima nona ejusdem mensis, ut hanc loquendi formulam alibi explicavimus), *Guillelmum tunc Beneventanum Rectorem in sacro Palatio Beneventano gladiis eductis occidit. Videlicet miser ille Rector furorem partis illius fugere tentans, post altare Sancti Joannis de Capella Palatii fugit: & ibi se occultans infra pedes Joannis Presbyteri, qui ibi Missam tunc celebrabat, se abscondit, sed evadere non potuit: ibique vero cultris percussus est, & foris eductus de Palatio illo projicitur, & pedibus ejus funem ligaverunt, sicque per civitatis plateam usque ad Curnariam S. Laurentii, heu miser, lapidibus obrutus, productus est. Et eo defuncto populus civitatis furore arreptus domum Potonis Spitamete, & Joannis & Visilii Judicum, & Transonis & Laurentii & Lodorice Medici destruxerunt. Ipsi verò & Gaufersius Judex, populi cavventes superbiam ad Montem Fuscum fugiunt. Continuò communitate intra se ordinata populus fere totus juravit, ut extunc & septem annis completis, & quadraginta diebus non esset habitator civitatis prædictus Poto Spitameta cum aliis supradictis, qui civitatem exierunt.*

IX. *Honorius II*

Eodem anno Joannes Abbas Sanctæ Sophiæ octavo die instante mensis Novembris mortuus est, & Franco, qui tunc erat mansionarius electus est. *Girardum Cardinalem Benevento præficit.* *Audiens autem prædictus Pontifex mortem Rectoris illius sic contigisse, dolore turbatus valde, civitati Beneventanæ minatur ultionem pro tali facinore insectari. Continuò consilio accepto miserunt ad prædictum Pontificem Legatos, qui dicerent mortem Rectoris per stultos viros & iniquos advenisse, rogantes, ut Rectorem idoneum mitteret, ut pacem donaret Beneventanis. Pontifex autem consilio accepto Dominum Girardum Cardinalem Rectorem nobis mandavit.*

X. *Concilium Ravennatense.*

Baronius num. I ait se non invenisse causam, cur Patriarchæ Aquileiensis & Venetiarum ab Honorio II depositi fuerint. Eam nos edocet Bernardus Guidonis in Magno Chronico Belgico de Honorio II verba faciens: *Papa per Legatum Cardinalem duos Patriarchas, scilicet Aquilegiensem & Venetum, qui & Gradensis nuncupatur, deposuit, quia invenit ipsos Schismaticis favorabiles extitisse.* Quare Sigonius lib. XI de Regn. Ital. rectè suspicatus erat, hujus abdicationis causam fuisse, quod Schismatico Conrado Franconiæ Duci adversùs *Lotharium Imp.* bellum gerenti studerent; cùm eadem quoque de causa *Anselmo* Mediolanensi Archiepiscopo dignitas abrogata fuerit. Baronius ait, se legisse in veteri Pontificali utriusque Patriarchæ depositionem in Concilio Ravennatensi factam fuisse. Hujus Concilii non meminit Rubeus in Hist. Ravennatum.

XI. *Finis belli decennalis adversus Comenses gesti.*

Mediolanenses finem Comensi bello tandem imponere cupientes, extremum ea in re conatum adhibuerunt, & Comenses sibi subdiderunt, uti narrat Sigonius lib. II. Hist. de Reg. Ital. qui tamen perperam scribit, bellum hoc anno MCXXVII finitum esse, eoque Comenses debellatos. Cœperat enim anno MCXVIII, ut ibidem vidimus, & *per decem annos* duravit, ut disertè docet Otho Frisingensis in Chron. Præterea mense Martio bellum illud profligatum fuisse inter omnes Historicos Mediolanenses à Puricello in Monum. Basil. Ambros. num. CCCXXXIX citatos convenit, quod non nisi de mense Martio currentis Christi anni intelligi potest. Quare in antiquissimo Chronico, cui titulus, *Flos florum*, ibidem apud Puricellum num. CCCXL de Anselmo Archiepiscopo Mediolanensi accuratè scribitur: *Convocans exercitum, civitatem Cumanam invasit, & obtinuit: & multi capti sunt, qui dederunt pro sua redemptione Altare aureum Sancti Abundii, & quæcumque pretiosa. Quam violenter obtentam funditus evertit anno Domini millesimo centesimo vigesimo octavo, die quinta vel septima ante Kalendas Apriles.* Utrumque diem videtur Auctor iste in Actis publicis invenisse, & priorem ad expugnationem urbis referre, posteriorem verò ad ejus eversionem.

XII. *Conradus pergit in Italiam, ut coronetur.*

Landulfus Junior cap. 39. apud Puricellum in Monum. Basil. Ambros. num. CCCXLII narrat, quomodo *Conradus* Sueviæ Dux, qui titulum Regis assumserat, hæreditario jure sibi debitum contendens, in Italiam hoc anno profectus sit, & tam Modoëtiæ, quàm Mediolani coronam acceperit: *Anselmus*, (inquit, Archiep. sc. Mediolanensis) *in Castellis* (ad Archiepiscopatum pertinentibus) *habitans intellexit, quod Clerus, & populus Mediolanensis nobilem Principem Conradum cum Ecclesiastica pompa & civili triumpho, convenientem Regi naturali, suscepit. Cùm autem Clerus, & populus idem de coronando Rege ipso tractaret, Pontifex idem Anselmus à Leuco* (vulgò

SÆC. XII. An. C. 1128.

(vulgò *Lecco*, quod oppidum est ad Adduam Fluvium) *descendit ad Modoetiam* (vulgò *Monza*), *qui est primus locus coronæ Regis Italiæ* (quibus verbis invictè refellitur Onuphrius, qui Imperatorum coronationem alias ad Modoëtiam fieri solitam inter fabulas recensuit); *ibique pernoctavit, & consilium redeundi ad montana suscepit; & post trium dierum interpositionem Castellum, quod dicitur Plebia, ascendit. Ibi plures sonos sonoros de coronando Rege Conrado audivit: & ego non in amaritudine ab ipso Pontifice audivi, ut citissimè Mediolanum adirem, & affectum omnium civium super hujusmodi Regale negotium sibi renunciarem*, &c. *ad plenitudinem concionis Cleri & populi, convocatam & congregatum Mediolani quasi in hora tertia perveni, ubi Clerus & populus quasi homo unus amplissimè & mirificè collaudavit, & conclamavit, ut Episcopus veniret, & Principem illum coronaret*, &c. *Causa itaque ista sic plandata & statuta, Anselmus de Badaglo Subdiaconus*, &c. *ex parte totius Cleri & populi legationem de plaudato & coronando Rege Conrado Pontifici Anselmo contulerunt*, &c.

XIII. *Coronatur ab Anselmo Archiep. Mediolani.*

Qui cùm esset in Castro Plebia, & intendisset super horum & meam relationem; festinavit ad urbem. De cetero ipse, quasi consentiens communi omnium gentium voto, in Ecclesia S. Michaelis, quæ est Modoetia, benedixit & unxit, & coronam Electo Conrado in festo S. Petri posuit, altero Episcopo astante Regi coronando. In quo facto ego piger non fui; sed ante ipsum Pontificem, ipsumque Coronatum, ab Ecclesia S. Michaelis Pontificalem virgam, in admirabili Pompa, per Dei voluntatem congregata ad honorem illius Regis, usque ad Ecclesiam S. Joannis bona cum voluntate portavi; & in S. Joannis Ecclesia solemniter cum Rege ipso quam optime Missam audivi. Eamdem quoque solemnitatem Coronationis idem Pontifex in Ecclesia S. Ambrosii, me alibi non meo vitio detento, celebravit. Verumtamen quidquid directè est actum in illo Domino meo Rege dilexi, & diligo. Hunc namque gradientem per Comitatus & Marchias Lombardiæ & Tusciæ, Comites & Marchiones cujuscumque nobilitatis, viri potentes & humiles, cum gaudio susceperunt & amaverunt; qui verò rebelles fuerunt, ejus acutissimi gladii fortitudinem senserunt, atque mortem & confusionem, &c. *ac sic benignè & fortiter agendo Romam appropinquavit, sed fortis manus Honorii Papæ ipsum resupinavit, atque in Germaniam, quasi ad sua propria redire fecit.*

XIV. *Ob eam coronationem Anselmus ab Honorio II excommunicatur.*

Joannes igitur Cremensis, Cardinalis Romanus, Episcopos Suffraganeos & Comprovinciales Mediolanensis Ecclesiæ, ut excommunicaret Mediolanensem Archiepiscopum, convocavit Papiæ. Quibus convocatis & Cardinali, per plures viros & Sacerdotes ipse Pontifex Mediolanensis mandavit, ne præsumerent (idest ut lentè procederent), *sed ipsum per unius diei spatium expectarent. At Papienses, Cremonenses, Novarienses quoque & eorum Episcopi & aliarum civitatum, prædicantes hoc Regium opus Anselmi, contrarium Deo & magno Lothario Regi, nequaquam illius Pontificis Legationem susceperunt; sed ipsum præstante Cardinali illo Joanne, excommunicaverunt; & Mediolanensibus protegentibus castrum Cremæ, bellum facere studuerunt. Attamen in maxima parte Mediolanenses Catholicam reverentiam, vivente Papa Honorio, huic Pontifici præbuerunt*, nempe Anselmo Archiep. Mediolanensi. Porrò Puricellus laudatus non solùm loco Landulfi memorato; sed variis aliis etiam innixus solidè confutavit Onuphrium, qui Coronationem Imperatorum Mediolani & Modoëtiæ fieri aliàs solitam, commentum esse sibi persuasit.

SÆC. XII An. C. 1128.

XV. *Moritur Germundus Patriarcha Hierusalem.*

Ad num. III. Guarimundi seu Germondi Patriarchæ Hierosolymorum obitus his verbis consignatur ab Orderico, Willelmo Tyrio antiquiori lib. XIII: *Anno ab Incarnat. Domini M C X X V I I I indict. V I Germundus Patriarcha Hierusalem obiit; Stephanus autem Carnotensis post illum sanctam Sion duobus annis rexit: quo migrante Guillelmus Flandrensis successit.*

XVI. *Synodus Rotomagensis.*

Indictione V I I Goffredus Rotomagensis Episcopus ægrotavit, ut prosequitur Ordericus, *& post diuturnam ægritudinem V I I Kal. Decemb. hominem exivit.* (legendum, exuit). *Interea dum præfatus Archipræsul ægrotaret, & de salute sua sollicitus omnia quæ haberet prudenter erogaret, Matthæus Cluniacensis Monachus, Albanensis Episcopus* (anno M C X X V ab Honorio I I creatus Cardinalis) *Romanæ Ecclesiæ Legatus Rotomagum ad Regem* (Angliæ) *Henricum venit, & cum eo de utilitatibus Ecclesiasticis tractavit. Jussu igitur Regis Episcopi & Abbates Normanniæ asciti sunt, & in Rotomagensi Capitulo sista præsente Rege audierunt, quæ per Legatum Honorii II Papæ sic prolata sunt. Ut nullus Presbyter uxorem habeat. Qui verò à pellice abstinere noluerit, Ecclesiam non teneat, nec portionem in beneficiis Ecclesiasticis obtineat, nec aliquis Fidelium Missam ejus audiat. Ut unus Presbyter duabus Ecclesiis non deserviat, nec Clericus quilibet in duabus Ecclesiis præbendas possideat: sed in illa Ecclesia, cujus beneficiis fruitur, Deo militet, eique pro benefactoribus suis quotidie supplicet. Ut Monachi vel Abbates Ecclesias seu decimas de manu laicorum non recipiant, sed laici quæ usurpaverant Episcopo reddant, & ab Episcopo Monachi pro voto possessorum oblata recipiant. Ea tamen quæ antea quoque modo obtinuerant, quiete per indulgentiam Papæ possideant: sed ulteriùs aliquid hujusmodi sine Præsulis, in cujus Diœcesi est, licentia usurpare non præsumant.*

XVII. *Præsente Henrico Angliæ Rege celebrata.*

Tunc Romanus Legatus de transactis transgressionibus omnes absolvit, & sequenti mense, ut jam dictum est, Archiepiscopus migravit. Ibi cum Legato fuerunt Gosfredus Carnotensis Episcopus, & Goslenus Rufus Suessionensis Episc. & omnes Episcopi Neustriæ ibidem nominati. *Abbates etiam affuerunt plures, Rogerius Fiscannensis*, &c. *aliique plures, quorum fautor Rex Henricus affuit, qui nullam eis gravedinem ab Episcopis imponi permisit.* Hoc Concilium in Collectionibus Conciliorum non memoratum novæ eorumdem editioni addendum erit.

XVIII. *Conventus Atrebatensis præsente Ludovico Franciæ Rege congregatus.*

Neque tantum hoc tempore Presbyterorum; sed etiam Sanctimonialium incontinentiæ medendum fuit; Hermannus enim Laudunensis Monachus, Auctor æqualis, qui *Libros tres de Miraculis Beatæ Mariæ Laudunensis* Bartholomæo ejusdem urbis Episcopo obtulit lib. 3. cap. 22. tradit, in monasterio Sancti Joannis Laudunensis nonnulla sinistræ famæ de illius Sanctimonialibus dicta fuisse; cumque frequenter commonitæ emendationem verbo promitterent, sed facto non implerent, Bartholomæus Episcopus Rainaldi Remorum Archiepiscopi, & Ludovici Francorum Regis, *ad quem ea Ecclesia propriè pertinere dicebatur*, consilio & auctoritate, *omnes pariter illas Sanctimoniales ex illa ejecit. Assumens quoque viros religiosum dom-*

nuum

num Drogonem cœnobii, Sancti Nicasii Remensis Priorem, eum ibidem primum Abbatem ordinavit, & Monachos illic sufficienter ex diversis monasteriis posuit. Drogo postea Cardinalis & Episcopus Ostiensis ab Innocentio II creatus est anno MCXXXVI, ut probat Dacherius in suis ad Guibertum Notis, cum cujus Operibus libros illos tres Hermanni publicavit. Decreta ea Monialium expulsio in Comitiis Episcoporum, præsente Ludovico Rege, Attrebati habitis *VI Idus Maii* currentis anni, quibus interfuere *Rainaldus* Remensis Archiepiscopus & octo Episcopi ibidem nominati. Idem Dacherius pag. 828. & seq. profert Diploma Regium, Decretum Matthæi Albanensis Cardinalis & Legati, ac Literas Innocentii II, qui rem gestam confirmavit, aliaque hujus Historiæ monumenta. Hoc monasterium fundarat *Sancta Salaberga*, ut suo loco diximus, & hoc tempore *Adelais* Regina Ludovici VI uxor illud, non Abbatissæ titulo, sed uxoriæ dotis jure possedit. Quo nefando commercii genere regularis observantia sensim tepescere cœpit.

XIX. *Moritur Guillelmus Flandriæ Comes.*

Ludovicum Franciæ Regem Attrebatum venire coegerant turbæ, in Flandria ab iis excitatæ, qui anno superiori *Carolum Bonum* Flandriæ Ducem interficiendum procurarant. Ut enim narrat Ordericus lib. XII. pag. 885. Guillelmus, cui idem Rex Ducatum Flandriæ dederat, proditores persequebatur, & variis mortium generibus puniebat: *Interfectorum ergo consanguinei vehementer contristati sunt, & detrimentum illi, perniciemque machinati sunt*, inquit Ordericus, qui subdit, eos *Theodoricum* Auxensem, seu Elsatium adiisse, eumque ut Principatum jure hæreditario caperet, hortatos esse. Willelmus his auditis contra hostes processit: *erant enim viri potentes, & nobiles, audaciaque & multa probitate laudabiles, divitiis & amicis, & munitionibus & favore contribulium formidabiles.* Tandem Guillelmus hoc anno, dum fortiter in prælio adversùs eos pugnat, graviter sauciatus *sexto Kalendas Augusti, sextâ feriâ* è vulnere lethali expiravit, inquit Galbertus in Vita B. Caroli Boni cap. 22. Qui addit post multas controversias Theodoricum Alsatium pacificam Flandriæ possessionem iniisse, & tam Regem Franciæ, quàm Regem Angliæ gratanter ei dedisse investituram feudorum, *quæ ab ipsis sanctissimus & piissimus Comes Carolus obtinuerat.*

XX. *Moritur Bernardus Toleti Archiep.*

Hoc anno *Bernardus* Archiepiscopus Toletanus, de quo sæpius locuti sumus, *Toleti* obiit, & quidem *mense Aprili, Erâ MCLXVI*, ut Sandovalius in Alphonso VII fol. 133. ex monumentis Toletanis studiosè hoc tempore scriptis notavit, qui addit *Raimundum* ejusdem Ordinis ac Bernardus, Benedictini nempe, & Oxomensem Episcopum eum in ea dignitate excepisse. Porrò mirum, Virum doctissimum in Vitæ Alphonsi VI secunda editione, Pampilonæ anno MDCXV curata, fol. 132. Chartam tanquam ex monasterio Sancti Dominici de Sylos extractam, sibique communicatam inseruisse; ea enim manifestè falsa. Data, ut supponitur, *die XXI Julii, Era MCLXIII*, in eaque Alphonsus Raimundus se se Hispaniarum *Imperatorem* appellans, cum Regina *Urraca* facit donationem quamdam à Raimundo Archiepiscopo Toletano subscriptam; cùm tamen hoc tantum anno Raimundus eam dignitatem consecutus sit, idque biennio post Urracæ Reginæ obitum; præterquam quod *Alphonsus Raimundus* ejus filius, ea vivente, nunquam se se *Imperatorem* appellavit. Quare dici non potest, errorem in numeros irrepsisse; cùm ipsemet Sandovalius testetur, sub signo Crucis legi subscriptionem ipsiusmet *Imperatoris Alphonsi*, & confirmationem Reginæ his verbis: *Urraca Regina genitrix ejus conf.* & Joannes Ramires Notarius *Reginæ* se eam scribere dicit. Bernardus *vixit in Pontificatu annos quadraginta quatuor*, inquit Rodericus lib. 7. cap. 4.

XXI. *Christiani Hispani à Mauris vexati.*

Erâ MCLXVI, ut tradunt antiqua monumenta Toletana, ibidem à Sandovalio citata, hoc scilicet Christi anno Mauri cum suo Rege seu Imperatore *Texufino* in Regnum Toletanum irrupêre, duo oppida cepêre centum octoginta viris interfectis, quæ oppida *Ceca & Elquelca Fernandez* ibidem vocata. Dein *Bargas* occupavit, & quinquaginta homines peremit. Hæ minutiæ, quàm exacta sint monumenta illa, apertè declarant. Porrò *Texufin* Rex alius non est à *Techefino*, ab Imperatore Ali patre suo Almorabitarum supremo capite, Rege creato. Horum Principum Sedes *Marochium* Mauritaniæ celebre oppidum. Marmolus lib. 2. fol. 163. refert, ab anno MCXXVII ad MCXXXII Hispaniarum Christianos invicem se se magnis bellis appetiisse, sed ex iis dissidiis Mauros, quòd inter se discordes essent, emolumenta non percepisse.

XXII. *B. Oldegarius Tarracone restaurandæ incumbit.*

Raimundus III Comes Barcinonis & Provinciæ literis anno *MCXVII, X Kalend. Februarii* scriptis donavit B. Oldegario Archiepiscopo Tarraconensi ejusque successoribus civitatem Tarraconensem, *quæ diu per multos annos*, inquit, *sub destructione & eremo absque cultore & incolatu mansit*, dominicaturâ & Palatio sibi reservatis; Oldegarius verò literis *pridie Idus Martii* hoc anno datis *Robertum Bordetum* militem fortissimum ejusdem civitatis Principem constituit, ut Deo & Ecclesiæ ejus semper ibi serviat, & suam in defensionem Christianitatis adversus Saracenos militiam exerceat. *Robertus* vicissim promittit, se civitatem ipsam restauraturum ac defensurum, ac pugnaturum adversus quemcumque qui jura Ecclesiæ Barcinonensis, ejusque Episcopi, ac successorum tollere vel minuere tentaverit. Utrasque literas seu Chartas recitat Baluzius in Appendice ad Marcam Hispanicam num. 358. & 373. Vide quæ de *Roberto* isto Normanno strenuissimo anno MCXXIII diximus.

XXIII. *S. Otto Bambergensis Episc. Leuticeorum conversionem suscipit.*

Videamus nunc quæ à *Sancto Ottone* Bambergensi Episcopo, Pomeranorum Apostolo, in secunda ad Pomeranos & Leuticenses seu Liuticenses profectione egerit; eam enim currenti anno susceptam discimus ex Auctore Vitæ ejus lib. 3. cap. 1. ubi ait: *Post hinc triennio domi detentus, post quadriennium, &c. illam revisere adgreditur*, idest, *novellam coloniam*, de qua antea locutus fuerat. Refert autem situm Leuciæ, in Lexicis Geographicis omissum, & à recentibus Geographis passim non intellectum hîc declarare; *Leutici* in Vita Sancti Adalberti Episcopi Pragensis, qui martyrium in Prussia fecit, & in variis Historicis memorati, ibique ac plerumque alibi malè cum Lusaticis à Viris doctis confusi. Pergit enim Anonymus: *Per Saxoniam iter disposuit, & apud Hallam* (urbem Saxoniæ Superioris ad Salam Fl. qui apud Dessaviam in Albim exoneratur) *naves victualibus onerans per Albam* (seu Albim) *flumen*

SÆC. XII. An. C. 1128. *men in Habalum perlapsus* (quod flumen in Albim ad Verbinum subtus Taogermundam devolvitur) *Leuticia littora usque adductus est.* Inde adverso Hala Fl. qui per Havelbergam, Brandeburgum, Spandaviam & Sedenicum labitur, navigans, naves, ut verosimile est, reliquit, & terrestri itinere *Leutitia littora usque adductus est*, ubi littoris nomine intelligit ripam fluminis, quod Leuticorum terras rigat; nomen enim illud tam pro fluvii, quàm maris littore usurpatur, ut patet ex Virgilio lib. 7. Æneid. V. 160. Addit Anonymus: *Cunctaque Halla coempta, & navigio usque in Leuticiam portata* (scilicet per Fl. Salam, Albim, & Havelam) *curribus & quadrigis quinquaginta cum annona imponens, ibi per terram Leuticia usque Timinam civitatem Pomerania transportavit.* Est Timinum sive Demminum Pomeraniæ Occidentalis oppidum ad Paoim Fl.

XXIV. *Multos ex eis ad fidem Christianam perducit.* Ex his perspicuum est, *Leuticiam* fuisse *Timinum* inter & *Zedeaicum* ad Havelam, & occupasse partem Meklebugi, Marchiæ Brandeburgicæ, *Vkermark* vulgò dictæ, & Ducatum Stetinensem. Idem Auctor de Demmino oppido loquens ait: *Quò ubi cum labore & fatigatione ventum esset, multos horrores, & pavores illa nocte sibi sustinuerunt*; cujus rei cap. 2. rationem assignat: *Nam Dux Pomeranorum populaturas Leuticiam cum exercitu eadem nocte illò venturus erat. Timinenses autem Leuticios audierant ad pugnam sibi ei occursuros*, &c. *Dux cum exercitu omni ad prædam festinans Episcopum* (nempe Sanctum Ottonem) *videre non potuit*; *sed missis nunciis ibidem* (nempe Timinum) *illum die illa rogavit se expectare. Circa meridiem Leuticiam quaquaversum fumigare aspexerunt* (quare supra mœnia Demmini positi Leuticiam videre poterant). Paulò pòst: *Episcopus omnem substantiam suam, ut populi, qui secum erat, Timina navibus imponens, per prona fluminis undam* (sc. per Panim) *tribus diebus Unznoimiam vectus sunt* (oppidum illud, uti Julinum, ubi Sedes erat Episcopalis, Arcona in Rugia insula, pluraque alia jamdiu funditus eversa) *Episcopo in itinere terrestri cum paucis gradiente.* Idem Anonymus cap. 3. & seq. asserit divum Ottonem Evangelium prædicasse *Hologosti*, quod nunc *Volgastia* dicitur, estque in Pomerania citeriori ad ostium Oderæ Fl. ejus aquis tanquam parvo mari circumfusum, gauderqoe arce Ducali. Non videtur Volgastia ab Unznoimia multum dissita fuisse.

XXV. *Verus situs Leuticia.* Hæc Sedes Leuticiorum, qui ideo triginta ant quadraginta leucis procul à Lusatia habitabant. Quod, ut clariùs pateat, legendus Helmoldus in Chron. Slavorum lib. I. ubi cap. 20. ait: *Est Panis fluvius, in cujus ostio sita est civitas Dimine*, & cap. 21. asserit Leuticorum partem *trans & cis Panim*, idest, ad hujus fluminis partem Orientalem habitasse, & Thollenzos dictos fuisse: *quatuor*, inquit, *sunt populi eorum, qui Lutici seu Wilzi dicuntur, quorum Kycinos atque Circipanos citra Panim, Riaduros sive Tolenzos cis Panim habitare constat.* Verùm error est in vocibus, *citra* & *cis*, ex ipsomet Helmodo cap. 2. emendandus, ubi scribit: *deinde venitur ad Circipanos, quos à Tholenzis & Rederis* (seu Redariis) *separat flumen Panis, & civitas Dimine. Kyzini & Circipani* CIS PANIM, *Tholensi & Rhedari*, TRANS PANIM *habitant. Hi quatuor populi à fortitudine Wilzi, sive Lutici appellantur.* Tholenzi populi fluvio ejusdem nominis, qui eorum regionem rigabat, & ad Demminum Paoi jungitur, nomen dedêre.

SÆC. XII. An. C. 1128.

XXVI. *S. Otto venerationem S. Adalberti Episc. Pragensis restituit.* *Sanctus Otto* affectum & venerationem *Sancti Adalberti* Episcopi Pragensis, qui, ut suo loco diximus, Leuticios fide Christiana imbuere copietat, secum tulit, & ad ejus honorem in Pomerania & Leuticia varia templa erexit. *Juhnenses*, quos Sanctus *Adalbertus* ad fidem converterat, cum vicinis Stetioensibus à vera Christi religione ad priorem Ethnicismum defecerant; sed Sanctus Otto pro eorum reductione sollicitus, inibi *Ecclesiam Sancti Adalberti cum fidelibus, Zelo Zelatus pro domo Dei visitavit, ac præmissa inibi orationis solemnitate, altare abominationis fregit, comminuit & ejecit, factaque reconciliationis emundatione, fracturas Basilica suis impensis emendari fecit*, inquit Auctor Vitæ S. Ottonis, cujus mors in libri tertii calce his verbis notatur: *Ejus corpus tumulatum est anno Dominica Incarnat. MCXXXVIIII, tertio Nonas Julii.* Nomeo ejus Martyrologio Romano inscriptum est ad sextum Nonas ejusdem mensis.

XXVII. *Synodus Dolensis.* Anno *MCXXVIII Girardus Engolismensis Episc. & S. Rom. Ecclesia Legatus in monasterio Sancti Gilda Dolensi Concilium rexit*, ut legitur in Chronico Kemperlegieosi à Baluzio lib. I Miscell. edito, sed hujus Concilii Acta periêre. Hinc confirmatur quod suprà diximus, Gerardum hoc tempore in Aquitania Legatum fuisse, ejusque Legationem Turoneosem Provinciam complexam esse.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6622 — Anno Eræ Hispan. MCLXVII. Anno Hegiræ DXXIV inchoato die 15. Decemb. fer. 1.

☉ 18. F. ☽ 9. P. 14. April. Indict. 7.

JESU CHRISTI 1129.

HONORII II PAPÆ 6.

LOTHARII REG. 5.

JOANNIS COMNENI IMP. 12.

I. *Rogerius universam Apuliam sensim sibi subjicit.* AD num. I. Consecratio Abbatis monasterii Sanctæ Sophiæ *Francoms* appellati hoc anno mense Augusto facta, ut legitur apud Baronium, ex Falcooe in Chron. Hîc ex eodem Chronographo Annales Ecclesiastici supplendi: *Cùm tempus*, inquit Falco, *egrediendi in hostem opportunum successisset, Dux Rogerius, collecta rursus militari expeditione fretum, quod Pharum dicitur, transmeavit*, &c. *Cùm ex parte recuperasset oppida, quæ jam Tancredus, eo absente resumpserat, tandem iterum Brundusium, ut eam recuperaret, obsessurus vadit; qui cùm longa in obsidendo mora traheretur, nilque tunc ad obtinendam eam posse proficere prævidisset, dimittens eam ad tempus, ad alia interim aggrediendum oppida accelerat.* Paulò pòst: *Alexander, Comes Tantredus, Grimoaldus Barensis Princeps, nec non Gotfridus Comes Andrensis tantam ipsius potentiam experti, mox ei subiciuntur, unde Tancredo ipsi Dux animo jam sedatus, terras quascumque abstulerat, reddidit: quibus deinde præcepit, ut post ipsum ad obsidendum secum Troiam celeriter accessuri essent. Porrò Troiani percipientes præfatos Magnates Duci colla jam subdidisse, &c. miserunt ad Robertum Capuanorum Principem, quatenus citò veniens Dominium super se susciperet,*

susciperet, &c. *At ille nolebat ad hos venire*, &c. *Comes Ranulfus*, &c. *Trojam ingressus cives alloquitur, eos se contra Rogerium protecturum firmissimè spondet. Verum cùm Dux*, &c. *cum eodem, si Trojam de se concordaturum promisisset, confestim ille, Trojanis dimissis, ad castra illius* (scilicet Ducis) *ivit. Deinde*, &c. *Facto concordia constituto Comes ad propria regreditur.*

II. *Troja, aliæque civitates ab eo subactæ.* *Dux autem Trojam obsessurus rediit, ad quam videlicet obsidionem supradicti Proceres, ut eis imperatum fuerat, accelerarunt. Urbi quippe obsessa intantum constringitur, ut infra paucos dies, vellent, nollent, Duci subderentur. Trojà itaque captâ sese urbes Ducales*, &c. *eidem subiiciuntur, atque ita omnis ei Apulia sine ulla contradictione submittitur.* Paulò infrà: *His quoque peractis Dux Melfiam properans, cunctos Apuliæ Optimates ad se venire jussit, quibus etiam inter cetera Edictum dedit, ut in pace permanentes alterutrum non adversarentur, simulque eos jurare compulit, ut ab ipsa ora & in antea justitiam & pacem tenerent*, &c. Anonymus Casinensis hanc in rem habet: *Anno MCXXVIII* (qui nobis est MCXXIX) *Rogerius Dux cepit Trojam, & ferè totam Apuliam, & Capuanus Princeps illi hominium fecit.*

III. *In Siciliam redit.* *Cùm ergo ibi Dux aliquandiu moratur, hæc & sibi similia ad commune proficuum disposuisset, Baronibus ad sua redeuntibus, Tarentum ipse ingreditur, qui verens ne Robertus* cognominatus de Grantemania, vel Grantemenil, Normannus Rogerio rebellis) *quidquam ei adversi moliri satageret, jurare eum ante discessum compulit, quatenus ultra montes abiens* (nempe in Franciam) *ibi in perpetuum degeret*, &c. *neque jam amplius Apuliam ad inhabitandum requireret; quod cum ille juramento firmasset, hoc modo liber abscessit. Dux post hæc ad Siciliam remeat.*

IV. *Honorius II Beneventanis irascitur.* *Hoc anno Papa Honorius Beneventum venit, mense Augusto Franconem Abbatem monasterii Sanctæ Sophiæ consecravit, & precatur Beneventanos, qui communitatem fecerant, ut prædictum Potonem Spitametam cum jam dictis civibus, quos de civitate ejecerant, in civitatem revocarent Beneventum, quod obtinere non potuit. Unde Apostolicus valde iratus de Benevento exivit, & ad vicum quemdam, qui dicitur Leocabante, secessit, & rogavit prædictum Ducem Rogerium, qui ibi morabatur, ut in mense Maio venturo* (anni sc. MCXXX, ante quem mensem Honorius è vivis excessit) *cum exercitu veniret, quod Dux ille sacramento juravit taliter facturum. Inde Apostolicus ad castrum Ceppalum adivit, & civitatem prædari fecit, & sic valde iratus Romam repedavit.*

V. *Rogerius in Apuliam redux omnia errore complet.* Falco, asserit, Rogerium Leocabante tunc versatum esse, quia Pharum hoc anno iterùm trajecit, uti narrat Alexander Abbas *Audiens præfatum Robertum* (de Grantemenil) *violato sacramento reversum*, &c. *iratus fretum Pharense Siculorum exercitum agens transmeavit. Deinde Calabrorum, Apulorumque etiam ascitis agminibus*, &c. *super illum ivit.* Robertus iste intra paucos dies victus fuit. *Deinde Salernum adiens*, illud obsidione cinxit, eivesque ut Turrim majorem, quam vi ab eo extorserant, sibi dederent compulit. Inde *in terram Comitis Orianensis tendit*, eamque sibi subdidit: *Unde progrediens Trojam iterum obsidione cinxit.* Cives se se dedere coacti sunt, & tam ibi quàm Melphiæ arcem reædificari curavit, quia post Guillelmi ultimi Apuliæ Ducis mortem utraque arx solo æquata fuerat, Melphitana quidem *subversa jubente eodem Duce.* Addit Alexander Abbas: *Tunc temporis & Robertus Capuanorum Princeps solo nominis sui terrore constrictus suo subditur dominio. Nec multò pòst Salernum rediens ad Siciliam inde remeavit. Nunc itaque in hoc loco primus de Ducatu claudatur libellus, quatenus ad ea quajam Rex constitutus gessit, commemoranda stylus vertatur*, ad secundum nempe librum; Alexander enim libris quatuor Rogerii Regis res gestas prosecutus est.

VI. *Causa adventus Honorii II in urbem Beneventanam.* Baronius num. I narrata à Falcone in compendium redigens ex eo scribit Honorium in Beneventanos *ob Willelmi Rectoris civitatis necem, quam eidem intulerant*, commotum, *in civitate habitare* noluisse, verùm hoc non dicit Falco, negotium enim ad Guillelmi cædem spectans anno superiori compositum fuerat, tantumque de *Spitameta* & consortibus à communi Beneventano in exilium missis revocandis agebatur, & cives nullam postulationis ab Honorio Papa supremo eorum domino factæ rationem habere volebant. Falco postquam Honorium II Romam rediisse retulit, addit: *Hoc anno corpus Sanctorum Januarii, Festi & Desiderii Rotfridus tunc Archipræsul foras produxit de altari, in quo antiquo tempore jacuerant; & revera non honestè, sicut decebat, loco illo manebant. Unde in Basilicam, quam Gualterius Tarentinus Archiepiscopus pro Sanctorum illorum dilectione constrùi fecerat, magno enim honere, & lætitia prædictorum Sanctorum ossa collocata sunt, nobis videntibus, & de illorum ossibus osculantibus.* Baronius num. I nulla Rotfridi mentione facta hæc omnia Gualterio Tarentino adscribere videtur. Ait enim delatas esse sacras Reliquias *in novam Basilicam tunc eisdem erectam à Gualterio Archiepiscopo Tarentino.* At jam ab anno antecedenti, non Gualterius, sed Girardus Cardinalis Beneventanæ civitatis Rector erat, ut ibi ex Falcone diximus.

VII. *Legatio Danica in annum præcedentem retrahenda.* Ad num. II. *Honorius* II Gregorium de Crescentio, Sancti Theodori Diaconum Cardinalem, Apostolicæ Sedis Legatum ad Regis postulationem in *Daniam* misit. Verùm hæc Legatio etiam in Baronii sententia anno superiori decreta; Honorii enim literæ ordine IV ab eo recitatæ dicuntur, datæ *Laterani quarto Kalendas Januarii, Pontificatus nostri anno quinto*, Honorius autem juxta Baronii sententiam anno MCXXIV die XXVIII mensis Decembris Pastor universalis agnitus, juxta verò nostram die XXI ejusdem mensis, quare anno superiori eæ literæ scriptæ, die nempe vicesima nona mensis Decembris, quo die quintus *Honorii* annus jam inchoatus erat.

VIII. *Concilium Catalaunense.* Ad num. III & seqq. Celebratum hoc anno *Catalaunense* Concilium, cujus nulla in Collectione Conciliorum mentio: *Matthæus Albanensis Legatus*; inquit Albericus in Chron. ad annum MCXXIX, *Concilium tenuit apud Catalaunum in Purificatione B. Virginis, ubi de consilio B. Bernardi Abbatis, Henricus Virdunensis Episcopus Episcopatum dimisit, & factus est Episcopus per biennium quidam Abbas S. Dionysii Remensis.* Ad illud Concilium revocanda Epistola Honorii II ad Matthæum Legatum suum, recitata à Wassebургio lib. 4. Antiq. Belgic. in

qua

qua inter alia legitur: *Tu verò tam prædictum Episcopum* (Henricum de bonorum Ecclesiasticorum dilapidatione accusatum), *quàm partem adversariam*, (Virdunenses Canonicos, ut ibidem utrumque exprimitur) *ad tuam præsentiam evocans, Catalaunum adeas, ubique adscitis tibi Trevirensi Archiepiscopo & aliis Episcopis, sapientibus etiam & religiosis viris, negotium studiosè audias, & diligenti indagatione perquiras. Quod si accusatores & testes idonei apparuerint, communicato Fratrum consilio canonicè causam diffinias*, &c.

IX. *Epistola prima S. Bernardi ad Honorium II suo anno reddita.*

Baronius ad hanc Henrici depositionem ex Episcopatu refert Epistolam XIII divi Bernardi ad Honorium II; qua eum rogat, ut electionem Alberici ad Episcopatum Catalaunensem ratam habere velit; *videmus nimirum*, inquit Bernardus, *jam jamque imminere sentimus nos, qui vicini sumus, pacem videlicet memoratæ Ecclesiæ graviter mox esse turbandam*, si Alberici electio infirmetur. Verùm hæc Bernardi Epistola anno MCXXVI, ut observat Manricus in Annal. Cistert. ad eum Christi annum, à Bernardo data. Nam ex suppresso ejus nomine, imò ex ipso contextu prima ad Honorium II scripta intelligitur, cui se tunc incognitum *Bernardus* existimabat. Præterea extant aliæ ad ipsum Honorium II datæ, scilicet XLVII & XLIX, quas ipse Baronius reponit ad annum MCXXVII & MCXXVIII, proinde hæc anno superiori, scilicet MCXXVI collocanda, quo *Ebali* Catalaunensis obitum, in cujus locum electus est *Albericus*, Rapinæus in Hist. Præsulum Catalaunensium ex Actis ejusdem Ecclesiæ contigisse ostendit. Quod spectat ad periculum, quod Bernardus in ea Epistola dicit imminere Ecclesiæ Catalaunensi, non videtur explicandum de ambitu *Henrici* Virdunensis, quem Baronius, & Manricus citatus asserunt, invadere voluisse Sedem Catalaunensem; sed potius de perturbatione consequenda, si vota & unanimis, tam Cleri, quàm populi postulatio frustrarentur, quod in consequentibus Bernardus satis insinuat, ut Mabillonius in Notis fusioribus ad eam Epistolam observavit.

X. *Epistola D. Bernardi ad Petrum Presbyterum Card.*

Neque etiam Epistola divi Bernardi XVI *Petro Presbytero Cardinali* inscripta, quâ ei Monachos Divionenses commendat, ad hunc annum pertinet, sed vel ad annum MCXXVI, uti existimant Manricus & Mabillonius citati, vel fortè ad annum MCXXIV, aut sequentis initium; his enim videtur esse *Petrus Leonis* Presbyter Cardinalis, qui Legatus Sedis Apostolicæ in Gallia fuit, & ad quem post suum è Gallia discessum verosimile est, Bernardum in favorem Monachorum Divionensium scripsisse; sed nihil certi hac in re diffiniri potest quoad utrumque Cardinalem, quia *Petrus de Fontana* Cardinalis Burgundus erat, ideoque Monachi Divionenses ei chari esse poterant.

XI. *Philippus filius Ludovici VI Regis Galliæ coronatur.*

Anno ab Incarnat. Domini MCXXIX indict. VII Philippus puer à Ludovico Patre suo electus est, & in die Pascha Remis à Rainaldo II Remorum Archiepiscopo Rex coronatus est, inquit Ordericus sub finem libri XII, loquens de Ludovico VI Francorum Rege, cujus Philippus primogenitus erat. Idem refert Willelmus Nangius in Chron. additque Henricum Angliæ Regem huic unctioni præsentem fuisse. De Philippi morte post biennium sermo erit.

XII. *Monachæ ex monasterio Argentolii expulsa.*

Hoc anno, ut Tom. X Concil. videre est, *Matthæus* Albanensis Card. A lis, Sedis Apostolicæ Legatus Parisiis *apud Sanctum Germanum de Pratis* Concilium celebravit, cui interfuêre Remensis Archiepiscopus, & quatuor Episcopi, in quo decretum, ut Moniales Monasterii Argentoliensis tribus circiter leucis ab urbe Parisiensi dissiti, quæ *spurca & infami conversatione* omnem ejusdem loci affinitatem fœdare dicebantur, inde ejicerentur. Quod Honorius II literis *Laterani nono Kal. Maii* datis confirmavit, & ad petitionem Ludovici Regis monasterium illud San-Dionysiano dedit, quia ex antiquo ad illud pertinuerat. Gesta in eo Concilio confirmavit etiam Ludovicus Rex literis hac subscriptione notatis: *Datum & confirmatum Remis in solemni Curia Pascha in unctione Domini Philippi gloriosissimi Regis, anno Incarnati Verbi MCXXIX, indict. VII, anno Domini & serenissimi Regis Francorum Chludovici XX, Philippi autem filius ejus I.* Verùm loco, *filius*, legendum, *filii*, & loco, XX, legendum, XXI, *Ludovicus* enim VI mense Julio anni MCVIII regnare cœpit. Annos Philippi I. in consortium Regni à Patre adsciti, annosque hujus Philippi pueri & Ludovici fratris ejus, de cujus coronatione infrà, numeratos fuisse observare non inutile erit. *Heloissa* Petri Abaëlardi aliàs uxor hujus monasterii Priorissa erat, ideoque aliò migrare coacta, & Abaëlardi calamitates auctæ.

XIII. *Petrus Abælardus de suis calamitatibus queritur.*

Is, mortuo Adamo Abbate San-Dionysiano, operâ Stephani Regis tunc Dapiferi seu Majoris domûs, à Rege & Sugerio Adami successore obtinuit, ut ad quam vellet solitudinem transiret, dummodo se nulli Abbatiæ subderet: *Hocque in præsentia Regis*, inquit Abaëlardus in Epistola prima cap. 10. *& suorum utrimque assensum est, & confirmatum. Ego itaque ad solitudinem quamdam in Trecensi pago mihi antea cognitam me contuli, ibique à quibusdam terra mihi donata, assensu Episcopi terræ Oratorium quoddam in nomine S. Trinitatis ex calamis, & culmo primùm construxi.* Subdit postea Abaëlardus, Scholares cœpisse undique ad se concurrere, & parva sibi ibidem tabernacula construere, ultrò sibi ab eis concessis necessariis, ut nulla se à studio domestica cura retardaret. Cùm verò Oratorium illud in nomine S. Trinitatis esset fundatum in memoriam consolationis alicujus à se ibi profugo acceptæ, ipsum *Paracletum* nominavit. Inde sumpta eum calumniandi occasio, fuerunt enim qui dicerent, *non licere Spiritui sancto specialiter magis quàm Deo Patri Ecclesiam aliquam assignari.* In tantis perturbationibus, cùm Abbatia Sancti Gildasii Ruiensis, in Episcopatu Venetensi posita, Pastore defuncto desolata esset, Abbas à Monachis electus fuit; sed indisciplinata eorum vita eum die ac nocte cruciavit. Ipsam Abbatiam tyrannus quidam in usus proprios redegerat, sicque Abaëlardus foris & intus opprimebatur.

XIV. *Heloissa Abbatissa monasterii Paracleti constituitur.*

His ita se habentibus, *Heloissa* à monasterio Argentoliensi San-Dionysianis concesso expulsa fuit, quare in Oratorium suum reversus, illud Heloissæ & quibusdam ejusdem Congregationis Monialibus concessit & donavit, ipsamque postea donationem Innocentius II *per Privilegium in perpetuum corroboravit.* Cumque Abaëlardus, ut eis quoquo modo subveniret ad eas sæpiùs reverteretur, fuêre qui dicerent,

inquit Abaelardus cap.14. *me adhuc quadam carnalis concupiscentiæ oblectatione teneri, qui pristinæ dilecta sustinere absentiam, vix aut nunquam paterer.* Interim Heloissa prima Monasterii Paracliti dicti primùm Priorissa, ac dein Abbatissa constituta in omnium amore & admiratione erat. Unde Petrus Cluniacensis Abbas ad eam scripsit Epistolam XX libri V: *Necdum metas adolescentiæ excesseram, necdum in juveniles annos evaseram, quando nomen non quidem adhuc religionis tuæ, sed honestorum tamen & laudabilium studiorum tuorum* Latinæ enim Græcæ & Hæbraicæ literaturæ perita erat) *mihi fama innotuit. Audiebam tunc temporis mulierem, licet necdum seculi nexibus expeditam, literatoria scientia, & studio secularis sapientiæ summam operam dare. Quo efferendo studio tuo & mulieres omnes evicisti, & pene viros universos superasti. Mox verò juxta verba Apostoli, ut complacuit ei, qui te segregavit ab utero matris tuæ, per gratiam suam, longè in melius disciplinarum studia commutasti, & pro Logica Evangelium, pro Physica Apostolum, pro Platone Christum, pro Academia claustrum tota jam & verè Philosophica mulier elegisti.*

XV. *Concilium Londoniense.*

Huntindoniensis lib.7. pag. 384. de Concilio Londini hoc anno habito ab Henrico Angliæ Rege scribit: *Tenuit Concilium magnum ad Kalendas Augusti apud Londoniam de uxoribus Sacerdotum prohibendis. Interererant siquidem illi Concilio Willelmus Cantuariensis Archiep. & Turstanus Archiep. Eboracensis, Alexander Lincoliensis Episc. &c. Hi columna erant regni & radii sanctitatis hoc tempore. Verum Rex decepit eos simplicitate Willelmi Archiepiscopi: concesserunt namque Regi justitiam de uxoribus Sacerdotum, & improvidi habiti sunt, quod postea patuit, cum res summo dedecore terminata est. Accepit enim Rex pecuniam infinitam de Presbyteris & redemit eos. Tunc, sed frustrà, concessionis suæ pœnituit Episcopos, cùm pateret in oculis omnium gentium deceptio Prælatorum, & depressio subjectorum.* Idem habent Matthæus Parisius & Annales Waverleienses ad hunc Christi annum. Cossartius Tom. X Concil. in Notis ad hoc Concilium Londinense ait, hujus Concilii annum suspectum sibi esse, quòd aliqua, quæ in eo narrantur, decreta videantur anno MCXXVII in Concilio Londinensi tunc habito; indeque concludit, unum illud Concilium in duo distractum fuisse. Verùm licet aliqua ad præcedens Concilium Londinense pertinentia malè isti affixa sint, certum tamen utrumque Concilium inter se diversum fuisse; nam in priori decretum, ut concubinæ Presbyterorum nonnisi Episcopali judicio mancipentur; quod tamen in posteriori Regis efflagitatu revocatum est; neque enim duo Decreta inter se contraria in uno eodemque Concilio condita. Hovedenus pag. 479. idem ac Huntindoniensis & Matthæus Parisiensis narrat; sed tam Concilium istud quàm Philippi Ludovici Francorum Regis filii inaugurationem malè in annum sequentem differt. Denique novus Chronographus Saxo nuper ab Edmundo Gibsone Oxonii publicatus præcedentis Concilii Londinensis non meminit, sed præsenti anno habitum connectit cum *festo Sancti Michaelis*, atque in eo actum *de Archidiaconorum, & de Presbyterorum uxoribus, ut illas dimitterent ante Sancti Andreæ festum; sed Rex iis omnibus*, subdit Chronologus, *veniam dedit domum redeundi, adeoque domum reversi sunt nec ullam vim habuerunt illa decreta: cuncti retinuerunt suas uxores Regis veniâ sicut antea fecerant.* Huic Chronologo Saxonico magna fides habenda, cùm ipsemet in Guilhelmo I Angliæ Rege se illum vidisse asserat.

XVI. *Concilium Palentinum.*

Alphonsus Hispaniarum Rex Urracæ & Comitis Raimundi filius Concilium, in Palentina civitate, prima hebdomade Quadragesimæ, Erâ MCLXVII celebravit, in quo omnes Episcopos, Abbates, Comites & Principes invitavit. Illud Em. Card. Daguierre in Notitia Conciliorum Hispaniæ è tenebris eruit, integrumque publicavit. Inter cetera in eo statutum, ut *concubinæ Clericorum manifestè ejiciantur.* Archiepiscopus Compostellanus petiit ab Alphonso Rege, ut ea quæ ad suum & suorum Successorum jus in Emeritana civitate pertinebant sibi conferret, quod & obtinuit. In Diplomate suo dicit Rex civitatem Emeritanam nunc temporis à Saracenis possessam esse, sed se sperare Dei ope devicturum, & ex ea Saracenos expulsurum. Alphonsus Chartam illam hoc modo subscribit: *Ego Adephonsus præfatus Imperator, unà cum conjuge mea, quod fieri mandavi, proprio robore confirmo.* Quare is quemadmodum & *Alphonsus* VI Castellæ Rex avus ejus se se Imperatorem vocabat. In eodem Diplomate Alphonsus Rex Callistum II Papam patruum suum vocat, atque eum Archiepiscopatus Emeritensis Ecclesiæ dignitatem in Compostellanam transmutasse, idcirco se eam confirmare.

XVII. *Comitia Palentia habita.*

Sandovalius fol. 144. de hoc Concilio Paleotino loquitur, atque in Historia Compostellana legi *Alphonsum* Regem cupientem pacem in Regno suo statuere, omnibusque significare se malè ab Alphonso Aragoniæ Rege haberi, quòd is nollet sua sibi oppida restituere, & subditis suis prætextum & auxilium, ut adversum se rebellarent, subministraret, Præsulibus suis ac Regni Magnatibus mandasse, ut congregarentur in civitate Palentina, & Episcopos ac Abbates aliorum Regnorum rogasse, ut iis Comitiis assisterent, quò in rebus ad fidem Christianam pertinentibus de reformatione & abusibus agerent, ac leges Dei servitio convenientes stabilirent. Addit Sandovalius Historiam illam narrare primam sessionem, prima Quadragesimæ hebdomade habitam fuisse, & in eo Concilio multa statuta, sed eam *res in particulari non referre.* Integrum nunc Concilium illud habemus. Comitia illa usque ad mensem Maium producta; dum enim, ut notat Sandovalius, haberentur, Alphonsus Rex die prima mensis Maii Era MCLXVII quandam exemptionem viris in ea nominatis, quod sibi inservivissent, concessit. Tum idem Rex ac *Berenguela* uxor dum Astorgæ essent Ecclesiæ Cathedrali ejusdem urbis quandam donationem fecere.

XVIII. *Alphonsi Aragonum Regis expeditio adversus Saracenos.*

Alter verò *Alphonsus* Aragoniæ & Navarræ Rex adversùs Saracenos expeditionem suscepit, &c, ut testatur Surita lib. 1. Annal. *Molinam*, oppidum Castellæ novæ, ad amnem cognominem, in confinio Aragoniæ sibi subjecit, & milites Francos, quorum operâ variis in occasionibus usus erat, remunerare cupiens burgum quemdam Pampilonensis civitatis, ubi habitare possent, eis assignavit mense Septembri sequentis Christi anni, consilio Episcoporum Oscæ, Pampelonis, & aliorum, sicut refert Garibayus lib. 23. Compendii Historialis Hispaniæ cap. 9.

ANNO

SÆC. XII. An. C. 1130. Anno Eræ Hispan. MCLXVIII. Anno Hegiræ DXXV inchoato die 4. Decemb. fer. 5.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6623.

☉ 19. E. ☽ 10. P. 30. Mart. Indict. 8.

JESU CHRISTI 1130.

INNOCENTII II PAPÆ 1.

LOTHARII REG. 6.

JOANNIS COMNENI IMP. 13.

I. *Moritur Honorius II Papa.*

ANNum. I ad VIII. Falco in Chron. ad annum MCXXIX, quem usque ad diem primum mensis Martii currentis anni continuat, scribit: *Dominus Papa Honorius medio mense Februario viam universæ carnis ingressus est ad Dominum, & dominus Innocentius electus est, post quem, Innocentium die ipso ad horam tertiam Petrus Portuensis Episcopus, Petrum filium Petri Leonis elegit pro Anacleto. Deinde Innocentii illius electionem damnantes, Anacleti Pontificis electionem confirmabant.* Dies & annus mortis Honorii II in controversiam vocati; Bulæus enim Tom. II Hist. Universitatis Parisiensis pag. 109. eum anno superiori communi mortalium fato functum credit, quòd, inquit, Scriptores antiquiores, Joannes Berardi, qui Chronicon Casauriense seu Piscariense ad annum MCLXXXII perduxit, & Auctor Chronici Maurigniacensis, qui temporibus istis ad annum usque MCL Chronicon suum scripsit, disertè asserant, *Honorium* eo anno obiisse. Verùm decepit Virum doctissimum annos Incarnationis numerandi modus ab utroque Scriptore usurpatus; tam certum enim eos à Paschate, vel saltem à die XXV Martii annos Christi exorsos esse, quàm *Honorium* currenti anno è vivis abiisse. Quoad diem ejus emortualem, Onuphrius in Chron. Eccles. *XIV Kal. Martii* fuisse credidit. At Baronius Falconem laudatum rectè interpretatur de die *XVI Kal. Martii*, seu de die decima quarta mensis Februarii currentis anni; nam Christophorus Geuvoldus anno MDCXI Monachii publicavit Chronicon monasterii Reicherspergensis, à Scriptore Anonymo cum anno MCXCIV, quo is vivebat, absolutum. In eo autem ad annum MCXXX dicitur *Honorius* defunctus *XVI Kal. Martii*, qui dies omninò retinendus, ut mox magis probabitur.

II. *Sedis ejus duratio.*

Major difficultas est de duratione Sedis *Honorii* II; cùm non solum Recentiores in ea assignanda inter se non consentiant; sed etiam ab Antiquis discrepent, & apud hos numeri corrupti sint. Baronius supra annos quinque, de quibus nulla controversia esse potest, ait eum sedisse *mensem unum, & dies XVII*, Onuphrius *menses duos, dies tres*, & Papebrocius *mensem unum, dies XXX.* Gotfridus verò Viterbiensis, qui hoc tempore florebat, in Chron. scribit, eum supra annos V Ecclesiæ Romanæ præfuisse *mensibus sex, diebus viginti novem*, nisi quod pag. 580. loco dierum, XXIX, habet *dies XXVIII.* Denique Auctor magni Chronici Belgici pag. 134. Vernerus in Fascic. Temp. pag. 76. & Dodechinus Abbas in Chron. habent menses duos, dies octo, & ex nostris Catalogis nihil quod ad rem faciat, erui potest. Unus Ceccanus, qui in Chron. Interpontificium, quod post Callisti II mortem fuit, accuratè notavit, durationem Sedis Honorii II rectè etiam expressit. Ait enim ad annum MCXXIV, uti jam ibidem monuimus: *Obiit Calixtus Papa XIX Kal. Januarii. Consensu omnium Clericorum Romanorum post septem dies ordinaverunt Lambertum Ostiensem Episcopum in Honorium Papam, qui sedit annos quinque, mensem unum, dies viginti quinque.* Hæc magnis hucusque tenebris fuerant sepulta, quæ ideo diligenter nobis tractanda erant.

III. *Innocentius II Papa & Anacletus II Antipapa electi.*

Mortuo Honorio in Papam electus *Gregorius* Cardinalis Diaconus Sancti Angeli, qui fuerat *Monachus Lateranensis cœnobii SS. Joannis Baptistæ, Joannis Evangelistæ, atque Pancratii*, inquit Baronius num. II. Verùm Oldoinus in Innocentio II pag. 979. notat Anastasii IV & Paschalis II Diplomatis constare ab Alexandri II temporibus usque ad Bonifacii VIII, monasterium illud fuisse Canonicorum Regularium. Et licet temporibus Joannis tertii & Gregorii III Monachi divi Benedicti monasterium illud apud Ecclesiam Lateranensem obtinuerint, tamen aliquot seculis ante *Alexandrum II* loco excesserant, nec illorum prorsùs ulla in Lateranensis Ecclesiæ monumentis memoria habetur, ut testatur Onuphrius, qui Lateranense Archivium sæpe scrutatus est. Testatur & Cæsar Rasponius in Basilica Lateranensi lib. 2. cap. 1. Denique idem Onuphrius in Notis ad Platinam recitatâ Alexandri III Vitâ exhibet *Nicolai Mansaenti Canonici Regularis Lateranensis Ordinis Sancti Augustini versus de Romanis Pontificibus* usque ad Eugenium III, sub quo testatur se vixisse, quos alius usque ad Alexandrum III continuavit. Quare Innocentium II Canonicum Regularem S. Augustini fuisse, hallucinatumque Anonymum à Baronio num. II laudatum, qui eum Benedictinum fecit, certum esse debet. In Innocentii II æmulationem elevatus est in thronum *Petrus*, Leonis filius Presbyter Cardinalis, & *Anacletus* appellatus. Causam festinatæ electionis hoc modo narrat Chronographus Maurigniacensis pag. 376. *Cardinales, qui cum Cancellario* (scilicet Aimerico S. Mariæ novæ Card.) *inibi aderant, & Honorio infirmanti assederant, Gregorium quendam scientia ac religione præclarum sibi præficiunt, & nimis festinanter, ut à quibusdam dicitur, Pontificalibus induunt insignibus. Id illius gratiâ dispensationis factum dicunt, ut Petrum quemdam, qui seculariter ad Papatum videbatur aspirare, spe sua frustrarentur.* Paulò pòst: *Mortuo Honorio potentissima fratrum suorum, familiaque quam maxima numerositate fretus, & Portuensis Episcopi cujusdam literatissimi, & sicut putabatur religiosissimi senis impetu animatus, Pontificatus culmen arripit, Cleri populique non parva multitudine sibi consentiente. Id in Ecclesia Dei seminarium maximi schismatis erat.* Priorem Innocentii electionem fuisse, sed præpoperam, nec ab universis eligentium Comitiis factam scribit etiam Sugerius à Baronio num. I citatus.

IV. *Dies electionis Innocentii II in controversiam vocatus.*

Arnulphus Sagiensis Archidiaconus ac dein Luxoviensis Episcopus, qui composuit Tractatum *de Schismate orto post Honorii II Papæ decessum*, in quo ait se nihil scripsisse, quod non vel ipse cognoverit, vel Auctore probabili non habuerit, *vel quod saltem fama publica non affirmet*, plura nos edocet de Schismate isto, & de tempore electionis Anacleti cap. 4. tradit: *In eo autem quo ordine, sequenti die Petri processisset intrusio, non diutius immorabor, quàm ut dixerim virum turpem, fœdatum infamia, publica existimatione damnatum: posterius à* (desunt duo aut tria verba), *& parentibus esse promotum.* Denique Ordericus in fine lib. 2. ait: *à quibusdam*

dam noctu Gregorius Diaconus, Papia natus, in Papam electus est, & Innocentius nominatus est. Tertia verò die ab aliis Petrus Leonis filius inthronizatus est, & Anacletus appellatus. Verùm præterquam quod Innocentius non Papiensis, sed Romanus erat, ejus electio secreta quidem fuit, at non nocturna, certumque Ordericum, quando de rebus extra Galliam & Angliam gestis sermonem habet, sæpe de iis malè edoctum fuisse. Scribit Anonymus Casinensis: *Anno MCXXIX* (qui nobis est MCXXX) *obiit Honorius Papa, & eo die sunt electi Gregorius Sancti Angeli in Papam Innocentium, & Petrus Cardinalis Sanctæ Mariæ trans Tiberim in Anacletum: & Innocentius ultra montes perrexit, Anacletus in Apuliam ivit, qui Ducem Rogerium Regem constituit.* Denique Arnulphus laudatus asserit Petrum Leonis altero post Innocentium die intrusum, quod verum existimo. At falsum est Papam & Antipapam eodem die, quo obiit *Honorius Papa*, electos esse, ut statim videbitur.

V. *Certò detegitur.*

Unus itaque Annalista Abbatiæ de Margan Tom. II Collectionis Oxoniensis nuper publicatus, non solum confirmat Honorium die XIV Februarii, seu XVI Kal. Martii demortuum, sed etiam tam diem electionis quàm consecrationis Innocentii II nos edocet. Hæc ejus verba ad annum MCXXX: *Hoc anno XVI Kal. Martii defunctus est Papa Honorius apud Sanctum Gregorium, & in crastino, id est XV Kal. ejusdem, electus est Gregorius Diaconus Cardinalis Sancti Angeli in Apostolatum; qui & Innocentius nominatus est: & sexta die, scilicet sequenti sabbato post proximum* (nempe die XXII Februarii) *ordinatur in Presbyterum, in die cathedra Sancti Petri, & in crastino consecratus est in summum Pontificem apud Sanctam Mariam novam. Eo die & Petrus Leonis consecratus est in Apostolicatum apud Sanctum Petrum.* Accuratè itaque Onuphrius tradit Innocentium II die XXIII mensis Februarii coronatum esse, sed ejus electionem malè cum die decima septima ejusdem mensis alligat, quod non advertens Papebrocius ejus sententiam in utroque capite secutus est; Mabillonius verò in Chronologia Bernardina, ubi de die coronationis mentionem non facit, in die electionis ab Onuphrio non dissensit.

VI. *Innocentius II Sedis suæ annos à die electionis cœpit.*

Denique Innocentium II Sedis suæ annos non à die coronationis, sed à die electionis, seu à die XV mensis Februarii deduxisse demonstrat Rescriptum ejus, recitatum à San-Marthanis Tom. IV Gall. Christ. pag. 239. & seq. quod dicitur datum *Romæ per manum Aymerici S. R. E. Diac. Card. & Cancellarii XIII Kalend. Martii, indict. I incarnat. Dominicæ MCXXXVII, Pontificatus verò domini Innocentii Papæ II anno IX.* Ubi Innocentius II illum Christi annum à die XXV Martii exorditur, ideoque datum Diploma anno MCXXXVIII die XVII Februarii, diebus sex integris antequam Pontificatus ejus annus IX à consecratione ejus dinumeratus inciperet.

VII. *Mores Innocentii II ante Pontificatum.*

Baronius num. VII de utriusque Electi meritis agit, sed mira sunt, quæ de Innocentii II moribus & de recusato ab eo Pontificatu Arnulphus laudatus cap. 4. refert: *Si vita consideretur integritas, & a primis annis sub examen omnia redigantur, nihil deformatum crimine, nihil infamia condemnatum. In eo enim nil illiberale pueritia, nil adolescentia fluxum, nil juventus infame, nil virilis ætas edidit in decorum. Inconcussa fides operationi bona fundamenta perstruxit. Consilio providus, benignus alloquio, facundia celebris, quem nec verborum fastus elatum, nec multitudo faciat effluentem. Tantumque apud omnes bonæ existimationis servabatur & gratiæ, ut quod aliàs perrarum est, esset ei ante electionis ejus tempora nullus hostis, cibi, potusque tanta sobrietas, ut illis non fastidium, sed abstinentiæ modus terminator assistat. Vestitus autem Apostolatus tempori satè conveniens; quem nec professio Clericalis excluderet, Cardinalatûs dignitas non horreret. Qualibus enim impræsentiarum vestibus induatur, jam non ex ipsius pendet arbitrio, sed Sanctorum Patrum antiqua constitutione decretum est. Prædicta verò Cardinalatûs dignitas, ab ipso non impetrata quidem, sed ob vitæ munditiam & scientiæ plenioris meritum, ultrò data. Cujus muneris sic gessit officia, ut suis ipsum laudibus ampliaret. Fiebat honos titulis sui possessoris illustrior. nec tantum propria, quantum administrationis suæ gloriâ præfulgebat. Adeoque cæteros egregia prærogativa dignitatis excesserat, ut nec restare locus invidiæ videretur, eoque planè quisque suos ad æqualitatem ipsius aspirare non posse conatus adverteret: usque quicquam cujuslibet laudibus ipsius prælatio derogaret.*

VIII. *Semel & iterum recusat Pontificatum.*

Postremò si non ille humani generis perfidus adversator in Petro Leonis Ecclesiæ Dei præstruxisset insidias, nulla jam post Papam Honorium de successione quæstio superesset, cùm vir unicus huic dignitati divina jam videretur providentia præformatus. Ipsum enim hoc Divinitatis consilio talem constat esse Plasmatum, ut dum adversùs Ecclesiam vis hujus persecutionis insurgeret, esset qui se tempestati sui securus opponeret, & inter fluctus periclitanti navicula subveniret. Cùmque ipsum ad hoc onus omnium penè conscientia destinaret, ipse sibi jam adeptæ dignitatis locum nequaquam videbatur explere. De se enim cura suam credere facultatem judicium sapientis esse. Quod ipse de se satis evidenter docuit, dum ipsum eligentium corona clauderet, & ad Apostolatûs fastigia vocaretur, instabant precibus, & reclamantem lachrymis obsecrantes, injecto Pluviali renitentem manibus etiam comprimebant. Cumque ipse injectam sibi vestem secundò (ut aiunt) totis viribus abjiciendo rupisset; illique nihilominus instandum crederent, si quid sanctis electionibus crederetur, timuerunt, ne inter manus eorum tanta reluctatione & compressione fatigatus obiret, & suffocatum singultibus animam protinus expiraret. Manibus igitur, donec modicum respiraret, inhibitis, dum tertium ex longinquo Pluviale requiritur, inter rorantes adhuc lachrymas, & erumpentes usquequaque singultus, sic affatur astantes:

IX. *Quibus rationibus.*

Expediret instans negotium exclusa animorum affectione tractari, nec caritatem zelus alterutrum impediret, & generale commodum odio familiaris, vel gratia in oppositum verteretur. Sæpiùs enim præoccupatas mentes fallit affectio, ut & dignos odia reprobent, & indignis suggerente gratia præferantur. Quam quidem gratiam in hoc video vires sibi vendicasse præcipuas, ubi sola obtinere debuerat expensa pari lance ratio meritorum. Nam ubi me pars vestra contendit tantæ præficere dignitati, profectò non obtinet examinatio meritorum, palamque prævalet indulgentior gratia, quæ me vobis nunc & hactenus in imperfectis operibus acceptabilem præstat. Per quam etiam olim huic sancto me voluistis inesse consortio, quem dejectum inferiùs longè morum qualitas amovisset. Quam

tamen

SÆC. XII. An. C. 1130. tamen locum etsi vir nullus virtute tenuisque scientia impleret, vestra infirmitatem meam sapientia supportabat, quos ejusdem sollicitudinis idem dominus in eadem paritate fecit esse ministros. Verùm oportet nunc ex meritis, non ex gratia judicare, nec gratiosum tantum, sed & dignum constituere Sacerdotem. Hic enim nullum capietur ex paritate solatium, ubi consortem muneris prærogativa singularis excludit. Excludatur ergo benevolentia, & persona comparetur officio ad quod vocatur: vita probabilem, scientia præditum, celebratum fama tantus honor exposcit; ubi ipsi divinum favorem probabilis vita conciliet: gerendorum facultatem scientia conferat, & nominis celebritate clara comparetur auctoritas. Quales ex hoc ipso numero promptum est invenire. Quis ego sum, sub cujus arbitrio rerum summa versetur? Quis, inquam, ego sum, quem Papam Roma salutet; qui non inter primos duntaxat, sed etiam primorum primus assigner? indignum qui præficit, afficis injuria dignitatem.

X. Magis urgetur, ut electioni de se factæ acquiescat. Talia dicentem, & adhuc dicturum plurima si liceret, hoc sermone cœtus assistentium desperatus excepit. Excusationum dispendia, periculum imminens, & articulus necessitatis excludit. Stat enim in insidiis leo paratus ad prædam, occasionem sicut & ipse nosti præstolatur a puero, cujus si non præveniatur assultus, si non impetus obtundatur; nulla jam libertatis spes, nulla prorsus honestatis disciplina relinquitur. Antiqua Ecclesiæ Romanæ dignitas occidit, ipsius gloria commutatur opprobrio, & formidata extremis hominum potestas vertitur in contemptum. Si enim est ille, sicut equidem est, vita contemptibilis, & pollutus infamia, restat & contemptum potestas ipsa contrahat ex persona. Quis enim bonus subesse non recuset infami? Quis ad honestatem coarctari inhonestioris arbitrio non refutet? Si autem honor iste deferendus est digniori, profectò apud omnes infinitorum criminum Petri prælatio nos condemnat. Arguemur nimirum de nobis turpiora confessi, quam de ipso fama vulgaverit, si nobis ipse quasi dignior anteferatur. Æstimabitur etiam non displicere nobis, quod nec in altero non damnamus, sed & sustinentes crimen consensus incurrere, & rei veritate, & existimatione publica convincemur. Fuit, fuit hactenus hæc Romana Ecclesia caput Orbis, penes quam constantissima fides, suprema potestas, honestas incomparabilis, inconcussa severitas, gerendorum summa discretio, & nota toti mundo pietas viguisset, fuit, inquam, fuit hæc olim terror improbis, bonis in tranquillitate præsidium, in necessitate refugium singulare; à cujus integritate minores Ecclesiæ vires sumerent, & velut ab illæso capite membra saucia sua sortirentur initia sanitatis. Nunc autem instat & à fide discessio, ut antiqua desolatio potestatis; & omnium bonorum ejus casus manifestus apparet, dum homo peccati, perditionis filius revelatur, ut adversetur, & extollat se supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur; ut in templo Dei sedeat ostendens se quasi ipse sit Deus.

XI. Ejus excusationes non admittuntur. Post aliqua alia hujusmodi interposita subdit Arnulphus: Alust hæc (nempe Ecclesia) te, & cùm in aliquo tui non egeret, excepit, ut in summa tranquillitate suis educaret uberibus, & proprio foveret amplexu. Nunc multum postulat, & suorum repetit præmia meritorum, ut scilicet in necessitate subvenias, & oppressa præstare subsidia non recuses, &c. At verò prætendis ex indignitate tua subterfugii causam, quasi nos prudentiam tuam, & singularum partium vita tua merita nesciremus. Profectò si te dignum crederes, hac ipsa æstimatione videreris indignus, &c. Revereris etiam pudore laudabili subire tanta fastigia dignitatis, in quam suprema regni & Sacerdotii prærogativa mirabili fœdere copulata convenimus. At nos non ad honorem te, sed ad periculum potius invitamus, nec enim sumus ignari, quid adversus nos ille adversarius machinetur. Jam stringit gladios, jam sagittas acuit; nec viam sibi ad Apostolatum patere nisi nostri sanguinis effusione confidit. Quantumcumque tamen discrimen nobis mortis immineat, malumus sanguinis nostri mercedem de manu divina requirere, quàm de manu nostra sanguis Ecclesiæ requiratur. Quamvis te mortis socium quærimus; immo volumus etiam præcursorem.

XII. Innocentius II renitens & invitus Pontificatum admittit. Exponatur jugulus tuus sicut noster ad victimam, neque enim fas est, ei qui dedit, negare spiritum, cùm reposcit. Si quid igitur te matris desolata calamitas, si quid inundans assistentium fletus, si quis ullus honestatis amor, si quid virtus obedientiæ movet, acquiesce. Si acquiescis, exhibemus obsequia; si recusas, exigimus de inobedientia pœnam. Eadem enim quæ Papa superstite est, ipso decedente penes nos præcipiendi & ulciscendi quoque consistit auctoritas, donec alius inducatur. His dictis parabant excommunicationis promulgare sententiam. Allatum igitur ex longinquo Pluviale præ manibus offerentes. Quid faceret? tentaret ex fuga subsidium? At illud continua seniorum corona claudebat. Postularet inducias? sed quominus impetrarentur, dilationem rei instantia Petri machinamenta negabant. Negaret semper? At illi gladio spiritus imminebant anathematis pœnam protinus intentantes. Dum ergo sibi videtur inter gemina mortis conclusus angustias, alterique eorum legi necessitatis obnoxius, discrimen periculi corporalis excepit, quia dum respuit anathematis experiri sententiam, insidiis, immo potentiæ sese Petri Leonis objecit. Ita Arnulphus, qui solus nos hæc edocuit.

XIII. Mores Anacleti & Leonis avi ejus. De moribus & Familia Anacleti Antipapæ anno MCXXIV num. III & seq. jam aliqua diximus. Hîc audiendus idem Arnulphus cap. 3. de eo & de Leone avo ejus scribens: Cujus avus cum inæstimabilem pecuniam multiplici corrogasset usurâ, susceptam Circumcisionem baptismatis unda damnavit (erat enim, ut ibidem diximus, Judæus). Pudebat eum impotentia sua, potius quam erroris, ne genus ejus infidelitatis opprobrio confusum, perpetua damnaret obscuritas. Susceptis itaque fidei sacramentis, ubi novus civis insitus est, factus dignitate Romanus. Cumque ipsi numerosam progeniem seriis successionis afferret, dum genus & formam regina pecunia donat, alternis matrimoniis omnes sibi nobiles civitatis ascivit, machinante jam humani generis hoste, ut quodam quasi veteri fermento tota Romana sinceritatis conspersio corrumperetur. Ex hac itaque diversorum generum mixtura, Girarde (alloquitur Girardum Engolismensem Episc. Anacleti in Gallia fautorem) Petrus iste tuus exortus est, qui & Judaicam facie repræsentet imaginem, & perfidiam voto referat & affectu. Porrò ipsum à cunabulis, ab ipsius nutricis uberibus, Apostolatus præsaga parentum destinavit ambitio; atque post prima literarum rudimenta docendum delegavit in Galliam, ut illius regni benevolentiam, ipsi morum, linguæque conformatio vendicaret. Totis igitur annis pueritiæ suæ, ut honestiùs inhonesta dicantur, ad omne se quod alteri collibuisset, exposuit, utque

SÆC. XII. An. C. 1130.

Romanus nominis importunus exactor alienis adolescere non refugit expensis.

XIV. Anacletus pravis moribus in juventute infectus.

Paulò pòst: At vero postquam adolescentia & peccandi facultatem, & licentiam fecit liberiùs evagandi, si qua superbia, si qua petulantia, tum verè ipse superbus & petulans omni intemperantiæ se se satis impudenter addixit. Profectè cum in his operibus nec Deum dignatur revereri, nec hominem, tantam sibi suscitavit infamiam, ut ejus ortu, ambitione, vitaque precognitis, ipsum esse Antichristum universitas gentium passim crederet, & publicè testaretur. Augebat fidem, quod ex Judæis ortus; quod totius mundi dominium Romanæ sedis auspicabatur obtentu; quod vitiis deditus infamiam nulla virtute redimeret, & quod infinitam avi & patris pecuniam possessurus esset, &c. Post hæc quoque habitum Monachatus excepit, ut vitia mentis ovino velares amictu, opprobriis vitæ præteritæ Cluniacense nomen obnuberet, & virtutis existimationem bonorum societas quasi in referret, &c. Reversus denique Romam illo Venerabilium Seniorum Sacrosancto Conventui, annuente patre fratribusque, convictus est; & Cardinalis factus, honoratus nomine titulo que ditatus est. Nullus quippe fortassis ad aures summi Pontificis infamiæ Petri fumus ascenderat, eòque tanti viri sublimitatem singuli reverentes, sanctis auribus perturbare turpia reformidavit, &c.

XV. Legationis Apostolicæ munera pessimè functus.

Deinde ad diversas partes functus Legationis officio, cupiditati suæ potius quàm justitiæ satisfacere studuit, adeo ut illi ea tantum bonos exitus habuisse negotia viderentur, quæ merces adjecta, & marsupii plenitudo subsecuta probaret. Vos ergo nullis intervenientibus causis, nulla rapina præstabatur occasio, tunc exactio blandiens vel comminatione plena non deerat. Bina singulis diebus sumptu plurimo convivia parabuntur, tantusque ciborum luxus & superfluitas erat, ut ad exquisitas ferculorum varietates sollicitari plerumque figulos oporteret, & ignota compositionis nova vasa formare, &c. Cumque pauperes Episcopos vel Abbates profusioribus, quàm domi didicerat, vexasset expensis, in ipsa Ecclesiarum ornamenta satis impudenti sacrilegio grassabatur, ac planè sponsam domini spoliare, suisque privare monilibus ausu temerario videtur.

XVI. Impurè & flagitiosè vixit.

Profusa verò convivia tanta libidinum spurcitia sequebatur, ut ab ipso passim quidquid occurreret, adiretur. Sororem Tropeam (sed nec dici fas est) bestiali polluisse narratur incestu; & ex ea abominabili prodigio sustulisse filios, quos nepotes, nepotum pater, filiorum factus avunculus, sic naturæ cura confudit, ut eosdem sibi invicem fratres faceret & cognatos. Jam nec Judæus quidem, sed Judæo etiam deterior. Nulla sexuum, nulla loci vel temporis, nulla professionum; Sed hæc silere decentius, ne si hæc ipsum indifferenter excepisse protulero, honestiùs potuisses silentio præteriri. Sic actum domi: nec ab eisdem Legationum tempore temperatum. Ut enim turpiora præteream, circumducebatur puella, cui in fraudem videntium adolescentis speciem vestis & tonsura conferret, quæ singulos æstus toleraret, singulos solaretur affectus. Eò gratior, & quasi quodam novitatis affectata miraculo, quod dum virum facie, reliquis mulierem partibus exhibet, uterque sexus ipsi in eodem corpore videbatur exponi. Testis est Montispessulani populus & circumjecta provincia se vidisse. At ne satietatem præstaret identitas, quærebantur & alia, quarum ipse nocturnus fungeretur amplexibus, quibus ipse se Papam futurum in ipsa turpi commixtione jactaret. Multæ in Galliis sunt & Aquitaniæ civitates, quæ id apud se dictum certa fide testantur.

SÆC. XII. An. C. 1130.

XVII. Flagitia Gerardi Engolismensis, Legati Anacleti in Gallia.

A num. XXVII ad XLVII. Baronius num. XLVI ait, Innocentium II. Matthæum Albanensem Cardinalem Legatum suum in Franciam misisse, huncque, ut scribit Petrus Cluniacensis lib. 2. Mirac. cap. 26. Galliam, Hispaniam, Angliam, Germaniam Christo univisse. Verùm Petrus Venerabilis id quidem asserit, sed Matthæum Legatum Apostolicum hoc anno missum non dicit. Neque Legato opus erat, cùm ipsemet Innocentius non multò post suam ad supremum Pontificatum evectionem in Galliam venerit, uti mox narrabimus. Sed Anacletum Girardum Engolismensem Episcopum Legatum in Aquitaniam direxisse, constat ex iis quæ Baronius num. XLII & seqq. profert. Girardus Anacleti principalius instrumentum fuit. Erat ille patriâ Normannus, sed paternæ domus inopia coactus in Galliam venit, ubi Episcopus Engolismensis electus adeo se se malè gessit, ut Arnulphus citatus cap. 1. eum alloquens scribat: Ubi igitur talis in Episcopatum forte provectus es, insolentia, quam antè paupertas represseras, efferri cœpisti; petulantiâ, quam privatus exercere non poteras, bonos quos libuit insectari, rapinis & exactionibus exinanire provinciam: judicia solâ munerum comparatione formare, commutare rerum omnium status, nobilium labefactare fortunas; nepotibus tuis, quos natalis soli finibus eadem quæ te causa depulerat, rerum tradere summam, & dignitatibus Ecclesiæ sublimare, quasi Platonem scientia, Catonem moribus, Scipionem genere superarent. Quos illiteratos quidem & ad res illicitas impudentiùs effluentes, obscuro loco natura produxit, &c. Reliquis autem Ecclesiæ dignitatibus, & beneficiis, quæ in unum coacervare non poteras, eisdemque conferre, qui pecuniosior, is dignior habebatur. Non attendebatur honestas, sed manus onustas potius expectabas. Basilicarum dedicationes, benedictiones altarium, Sacerdotum constitutiones, eodem quo cætera more tractasti, ut planè nihil faciendum putares, quod non alicujus emolumenti auspicatio præveniret.

XVIII. Ante obitum Honorii II grassatus erat in quinque provinciis Galliæ.

Post multa interposita subdit cap. 2. Ad has autem, ut his etiam operibus exercendis diffusa materies libera facultas, inconcussa fiducia non deesset, quæsita & impetrata est Ecclesiæ Romanæ Legatio. Augebat te hinc læsæ conscientiæ reatus exuberans, hinc comprovincialium Episcoporum nota severitas, hinc Burdegalensis Archiepiscopi suspecta prælatio, quem loco confinem tua non semper opera se fefellissent. Ambitio quoque tua quasi quibusdam sibi coarctata videbatur angustiis, dum fauces tuas unius Episcopatus spolia non implerent. Ac si ergo omnia in Episcopatu suo compositio plena firmasset, nihilque novi operis causas afferret, effecisti, ut quinque Archiepiscopatibus singulari potestate præsses, & in ipsis vices Romani Pontificis exerceres. Paulò pòst: Ab inde igitur inconcussa prærogativa potestatis armatus, libera in Ecclesiam facultate grassatus es, singulorum vel depopulando quidem, vel augendo substantias, infimis summa, summis infima commutando, ut planè quasi fortunarum auctor existeres, ad quem de statu sui qualitate vel laudare possent omnia, vel causari, &c. quid ergo manifestas exactiones? quid familiaria ob periculum justitiæ suscepta dispendia dicam? quid generales Synodos; quid fatigatas venerabiles ex remota regione personas edisseram,

feram, ut Concilio præsidens generali amplitudinem tuæ potestatis gloriabundus inspiceres, & ambitioni satisfaceret contemplatio subjectorum? in quo opere quàm perversa fuerint omnia, promptum est intueri. Hæc de Gerardo ante Honorii II obitum.

Gerardus ab Anacleto in universa Gallia Legatus constituitur.

XIX. Arnulphus cap. 5. postquam retulit Innocentium II in Concilio Strampensi Pontificem Romanum agnitum fuisse, & Anacletum rejectum, ait Gerardum Engolismensem electioni Innocentii assensisse, subditque: *Qua nimirum ratione cùm in Papam Innocentium inspirante Domino convenissent* (sc. Ludovicus Rex, Clerusque Gallicanus), *ipsi statim de obedientia tua, & debita subjectione scripsisti: postulasti tamen ipsius honorari rescripto, & munus Legationis habita confirmari* (Quare aliquot annis ante Honorii II mortem, & quo tempore is mortuus est, Gerardus Legatus in Aquitania erat). *Visum est simoniacum favorem tuum redimere Legationis officio: & cùm ipse partes illas visitare sub eodem tempore decrevisset, nullus locus poterat sub ipsius præsentia restare Legato. Neque enim Legatus præsentis personæ, sed absentis explet obsequium. Jamque tantus ad Romanas aures malæ administrationis tuæ clamor ascenderat, ut esset de eo quod olim imperaveras* (legendum, imperraveras) *pœnitentia major, quam ut modo restitueretis affectus. Tulisti repulsam graviter, & mutilatâ potentia tua cornua doluisti. Atque inferioribus antea modo factus inferior, & velut in senectute reputatas inutilis, consueti beneficii finem, rapina ratus injuriam, temeraria succensus & ultionis affectu*, &c. *Spreto igitur eo quod rectè susceperas, & indiscretè conversus ad aliud, temerariè prioribus contraria concepisti; factumque est, quod in rebus sæpè contingit humanis, ut circuvem propensiùs affectatam, spem præcipitem desideria concepta firmarent. Misisti Legatum Romam, qui eidem quem jam devenerat Petro favorem tuum venalem, pro munere Legationis offerres, & similem sibi ministrum Domino fœderaret. Expletum est sine difficultate commercium, & dum te cæcitas indiscreta conducit, ministrum te schismatis addixisti, ut inutili Privilegio donareris. Formata est tibi, sed inanis nova Legatio, & quidquid ab Alpibus usque ad fines Occidentis interjacet, tua ditioni, sed inefficaci donatione subjectum est. Et ne excedenti ambitioni tuæ fortassis angustior prædictorum finium præscriptio videretur, adjectum est, ut ubicumque calcaret pes tuus, ibi esset legatio tua.*

Episcopos & Abbates deponit.

XX. *Gerardus* ergo Engolismensis prætensa sua Legatione totam perturbavit Aquitaniam; nam cùm quosdam Episcopos sibi resistentes, à propriis sedibus deturbare præsumpsisset, ceteri ad Primatem suum *Vulgrinum* Bituricensem Archiepiscopum, tanquam ad asylum, confugiendum decrevêre. In Patriarchio Bituricensi Tom. II Biblioth. Labbei cap. 62. recitantur aliquæ Epistolæ ad eumdem Archiepiscopum datæ, quibus Annales Ecclesiastici illustrari possunt. Nullus quidem temporis character in iis notatur, sed quæ in illis narrantur, lucem affundunt iis, quæ mox ex Arnulpho producemus. *Willelmus* Santonensis Episcopus literis suis *Vulgrinum* monet, Gerardum Engolismensem Ecclesiam Dei in partibus suis adeo perturbasse, ut jam quæratur inter eos, cujus quis professionis sit: *Et quia ipsius prava persuasioni*, inquit, *nos & Comprovinciales Episcopi assentire nolebamus, Pictavensem* (nempe Guillelmum Adelelmum, ut videre est in Gallia Christiana), *& Lemovicensem* (nempe Eustorgium, in cujus locum Gerardus Doratensem Abbatem Raiuulfum consecravit Episcopum, ut in eadem Gallia Christiana ex Chronico Vosiensi refertur) *fretus auxilio Principis nostri* (sc. Willelmi IX Comitis Pictaviensis) *à sedibus suis expulit, & alios intrusit. Sed quia non habere poterat Episcopos, non consecravit illos. Abbatem quoque Angeriacensem in nostra Diœcesi existentem, à monasterio suo per manum Comitis ejecit. Inter nos etiam Principemque nostrum tantam seminavit discordiam pro eo quod intrusos suos consecrare, imò execrare nolebamus, quod & nos & Canonici nostri à sede nostra, & ab urbe & Ecclesia ob metum & minas Principis egressi fuimus.* Quando Guillelmus Santonensis Episc. eas literas scripsit, *Ramnulphus*, & *Petrus de Casteleyrant*, qui in locum Eustorgii Lemovicensis, & Guillelmi Adelelmi intrusi fuerant, nondum consecrati erant, sed utrumque postea ordinatum esse Episcopum, docet Gaufridus Prior Vosiensis in Chron. pag. 301, ubi singularia de utroque intruso habet.

Mensibus aliquot recluditur in carcere.

XXI. Deinde subjungit Guillelmus sceleratum istum præcursorem Antichristi, cùm quadam die per Episcopatum Santonensem transiisset, ab Aimaro de Archiaco milite strenuo captum fuisse, & captum modo teneri; *cujus captio*, inquit, *Ecclesia nostra, & omni populo gaudium est & exultatio quàm maxima.* Eumdem Primatem rogat, ut literas transmittat ad Burdegalensem Ecclesiam, *quæ eum in Archiepiscopum sibi elegit*, ad Episcopos Agennensem, Petragoricensem, Pictaviensem, Lemovicensem & ad se, quibus inhibeat, ne ullus ei honor exhibeatur, jubeatque, ut Episcopi omnes eum excommunicent; annullet ejus electionem in Archiepiscopum Burdegalensem, ipsumque perpetuò deponat. Illis qui *Girardum* ceperunt, gratiam & absolutionem suam impartiatur, & Ausciensi Archiepiscopo, & Burdegalensi Ecclesiæ, & eorum suffraganeis præcipiat ut publicè eos excommunicent, *qui Duci Aquitaniæ auxilium impenderint, donec in hac Ecclesia Dei perturbatione permanserit.* Coepiscopis quoque suis præcipiat, ut Aimaro de Archiaco pecunia, auxiliisque aliis subveniant, ut se defendere possit adversùm Principem suum, scilicet Ducem Aquitaniæ, & Engolismensem Comitem, *qui pro deliberando Girardo ei minatur.* Recitatur etiam ibidem Epistola *G. Petragoricensis Ecclesiæ Episcopi* Vulgrino data, qua eum precatur, ut semper eum tueatur, nec de proposita obedientia sine illis aliquid permutet, idest sine Episcopis comprovincialibus, utque obtineat literas à Francorum Rege, quibus tuitionem suam promittat omnibus Burdegalensis Archiepiscopatus suffraganeis. Episcopus ille Petragoricensis erat *Guillelmus de Nauclard*, factione Aquitaniæ Ducis Episcopatu pulsus, ad quem aliosve Antistites Aquitaniæ scripsit Sanctus Bernardus Epistolam CXXVI, cujus partem Baronius à num. LXII ad LXV recitat, aliamque num. VII.

In Archiepiscopatum Burdegalensem se se intrudit.

XXII. Scripsit & ad Vulgrinum Abbatem suum *Guillelmus Adelelmus* Episcopus Pictaviensis, quem Bernardus Bonævallis lib. 2. cap. 6. Vitæ Sancti Bernardi tradit, *& à Girardo, & Cardinale adjutore suo, quia Petrum abdicabat*, damnatum fuisse. Postulat Willelmus nomine suffraganeorum Burdegalensis Ecclesiæ, suoque, ut *Gerardum* Engolismensem excommunicatum re-

excom-

SÆC. XII. An. C. 1130.

excommunicet, omnesque ejus fautores. Vulgrinus verò Primas Ecclesiarum Aquitanicarum scribit Agennensi, Pictavensi, Petragoricensi, Santonensi Episcopis, & Clero populoque Burdegalensis provinciæ, hortaturque, ut *minas Principum, damna possessionum, vexationes corporum* contemnant: improbat electionem quam de Gerardo jam excommunicato Burdegalenses Clerici fecerunt, atque Gerardum à fructibus suis modo cognosci; *cùm Antistitem Lemovicensem & pictavensem catholicè & canonicè ordinatos, à sedibus suis indecenter expulerit.* Denique scribit ad Episcopos Burdegalensis Ecclesiæ suffraganeos, testaturque se paratum esse tribulationibus eorum compati, atque nullam subjectionem deberi illi, *quem Catholica Ecclesia in Remensi Concilio pro schismate damnavit*, ideoque ea Epistola post hunc annum data.

XXIII. *Guillelmi IX Aquitaniæ Principis potentia abusum.*

Arnulphus loco citato cap. 7. Gerardum Engolismensem alloquens in eamdem rem habet: *Dum unicum tibi propositum, unicus urgendi* (pro urgeodi) *labor; unica laboris perseverantia constat, torrentes impetus tuos prævertit modica vis divina. primumque de inefficacem sperata potestatis argumentum accessit, in ligationem versa Legatio. Captus es, & mensibus aliquot reclusus in carcere, donec quis gratia prædestinaverat, plena veritatis agnitio confirmasset, & qui prius de rescripta tibi Legatione speraverant, de ligatione postea desperarent. Reserato autem carcere processisti quasi pardus è cavea, cujus rabie carcere diutius & catenis inhibita, si fortè liber evaserit, insurgit audacior: nec eum ulla potest sanguinis effusio satiare.* Paulò infrà: *Pictaviensis ac Lemovicensi Ecclesiæ Comitis viribus abutende, Catholicos ejecisti Pontifices, alios extraordinarie superponens; quorum alterum minus visa probabilem, & nullarum hominem literarum, & in vulgari etiam sermone ferè prorsus elinguem Romana Ecclesia an eiusdem Pictaviensis Ecclesiæ regimine reprobatum, olim canonica decisione removerat,* &c. *Alter vero nec seculari præditus, nec scientia literarum famosus apud omnes adulter*, &c.

XXIV. *Pictavienses & Lemovicenses aspernantur Episcopos ab eo intrusos.*

Post aliqua interposita: *Tertia pars Pictaviensis Episcopatus, quem posuisti, non agnoscis Episcopum, eique totus ferè Nobilium numerus respuit obedire. Adeoque omni conscientia reprobatus, abjicitur, ut & frater ejus naturalis excommunicatam ex hoc ipso judicet, nec ulla ei communione jungatur. Catholicus verò usque ad portas civitatis plena potestate dominatur Episcopus, & eum majores persona Pontificalis Ecclesiæ comitantur, ad formam beati Petri relictis omnibus exulem prosecuti. Alii fornicet civitatis inhabitant, qui super ollas carnium recumbentes; gentis & loci potius quam animæ perditione terrentur. At Lemovicensis ab urbe sua stadio uno vix intercedente remotus, castrum Sancti Martialis pro foribus urbis inhabitat; unde is qui sedem sibi cathedra Pontificalis usurpat, singulis diebus audire possit campanas in sua excommunicatione sonantes. Te quoque Pastorem suum Engolismensis patria minimè profiteatur abique, sed & ibi multi Catholica partis nomine glorantur. Distuli circa extremitates orationis hujus de usurpatione Burdegalensis Archiepiscopatus apponere, ut ex hoc illa effranis ambitio tua irrefragabili liqueat argumento. Engolismensi Ecclesia copulatus spirituali connubio teneberis, impudens tamen dominandi libido contemplatione prænominata dignitatis incandunt: & dum descendentium jam rerum tuarum detrimenta non sustines, ad compensationem frustrata legationis in amplexum quasi datoris adultera prorupisti; filia sponsus incestu matrem nefario polluere non abhorres, & monstrum biceps, infaustum seculo prodigium non tenuis apparere*, &c. San-Marthani in Archiep. Burdegal. scribunt, usqoe ad annum MCXXVI mentionem occurrere *Arnaldi Guirardi* Archiepiscopi Burdegalensis, & postea anno MCXXXVI *Gaufredi de Oratorio.* Quare Arnaldo, dum *Gerardus* prætensam suam legationem exerceret, demortuo, is Archiepiscopatum invasit.

XXV. *Alia Gerardi Engolismensis Episc. flagitia.*

Sed non tantum Arnulphus Gerardum Episcopum Engolismensem nefariè se se in sua legatione gessisse scribit; verùm etiam Goffridus Vindocinensis Abbas in Epistola XXI *Gerardo glorioso Engolismensi Episcopo, Apostolica Sedis Legato*, ut præfert titulus data, ideoque ante hæc tempora, literis mandavit: *Nos quod audivimus*, ioquit Goffridus; *unde etiam, quod pejus est, cantilenam composuit vulgus, quoniam publicatum est, vobis occultare, nec possumus, nec debemus. Audivimus itaque, & dolemus Andream de Vitreio filia sue vobis conjugium vendidisse: illud etiam à vobis filium Vicecomitis de Maloleone comparasse; quorum alter quingentos solidos vobis pretium dedit conjugii; alter verò quindecim marcas argenti. Hoc Episcopus Pictaviensis & Guillelmus Archidiaconus ejus, & quidam alii qui affuerunt, si veritatem sepelire noluerint, non negabunt. Carrofensem Abbatem non regulariter electum, sed violenter, ut dicitur, intrusum, pro mille solidis barbarinorum, barbara nimis auctoritate conjecturi, imò, si verum est, execrari fecistis; nolente suo consecratore, & ejus Clero, modis quibus poterat, reclamante, & qui vidit, & partem habuit, Abbas quidam vester vicinus testimonium perhibuit, & multi dicunt ejus testimonium verum esse.* Post aliquas alias rapacitates, subdit: *Illud itaque quod contra Comitem Andegavensem egistis, esset satis sentio supprimendum: sed occultari minimè potuit, quod multis populis extitit divulgatum. Asserunt quidam vos quasi Balaam alterum, Regis Anglici pecunia fuisse corruptum, & idcirco injustam in prædictum Comitem excommunicationis protulisse sententiam. Et licet excommunicatio vestra vires etiam unius diei habere non potuerit, amicis tamen Romanæ Ecclesiæ peperit verecundiam; & ejus inimicis detrahendi dedit materiam. Hoc solum remedium fuit, quod dominus Papa excommunicationem illam confirmare sapienter vitavit: & sic ora clausit detrahentium: & quod à vobis seminatum fuerat, Apostolicè sedis delevit opprobrium.* Prætereo alia, sed hæc verba præterire non debeo: *Hæc pauca de multis, modica de magnis vobis significavimus, dilectionis videlicet causa: ut si vera sunt, quæ contra vestram astutiam ventilantur, præteritorum transgressio fiat vobis futurorum cautela.*

XXVI. *Anacletus frustra conatur Principes ad suas partes pertrahere.*

Anacletus *Ottonem* Episcopum Tudertinum Legatum in Galliam misit, instructum literis ad *Ludovicum* Galliarum Regem, ejusque uxorem, & ad *Henricum* Angliæ Regem datis, cum aliis ad quosdam Galliæ Episcopos & Principes viros scriptis, ut eosdem ad se traheret. Scripsit & ob eamdem causam ad *Lotharium* II Imperatorem & ad Imperatricem, sed omnis ejus conatus irritus fuit, ut videre est apud Baronium num. XVI & seqq. Verum quidem est, Epistolam ab eo num. XXXIII relatam sine titulo haberi in Casinensi Codice, sed, ut observat Alfordus

in

SÆC. XII. An. C. 1130. in Annal. hoc anno num. V cùm ex *Roma* datæ sint *apud Sanctum Petrum Kalendis Maii*, sicut literæ Ludovico Francorum Regi per Ottonem Legatum missæ, ad alium Regem scriptæ non sunt, quàm ad *Henricum*: cùm enim in eis *regni* fit mentio, ad Regem scribi debuêre; cumque etiam Rex ille inter Galliarum Principes numeretur, conjectura hæc certa videtur, quia Normanniæ Ducatum, Cenomanniæ Comitatum, & affinitate plures alias in Gallia Provincias, sub Imperio suo *Henricus* Angliæ Rex habebat.

XXVII. *Reimbaldus censet in causa Innocentii II & Anacleti suspendendum judicium.* Baronius à num. XXXVIII ad XLI refert ex Codice Vaticano *rotulum* ad urbem Leodiensem allatum, quo petebatur, ut orationes fierent pro obitu cujusdam *Hervei* Abbatis, eaque occasione *Reimbaldus* loquitur de Anacletianis & Innocentinianis, monetque præcipitandum non esse judicium, neque ante tempus judicandum. Inde reprehendit monachus *Cluniacenses*, quos dicit præpropere Innocentii causam amplexos esse. Baronius existimat, hunc *Reimbaldum* fuisse Episcopum Leodiceosem; verùm certum est *Alexandrum* hoc tempore Ecclesiæ Leodiensi præfuisse, ut videre est apud Chapeavillum Tom. II Hist. de Gestis Pontificum Leodiensium, & apud San-Marthanos Tom. II Galliæ Christ. Præterea Reimbaldus ait: *Ego Reimbaldus perlecto*, &c. ideoque Episcopus non erat, sed vel Monachus, vel fortè Præpositus aut Decanus alicujus Ecclesiæ. Porrò *rotuli* nomine intelligenda Charta in speciem rotulæ seu rotæ convoluta, vel etiam Epistola, ut videre est in Glossario Ducangii in voce *rotulus*. Postquam hæc scripseram legi in Tomo I Analect. pag. 348. Reimbaldum Canonicum Leodiceosem duas Epistolas direxisse Waselino Priori Monasterii Sancti Laurentii in suburbio Leodiensi, quas ibidem Mabillonius dicit se vidisse in Alnensi Codice MS. in eoque contineri tractatum Reimbaldi Canonici Ecclesiæ S. Mariæ & S. Lamberti *de Vita Canonica*. Quare non dubito, quin is Reimbaldus ille sit, de quo hic agitur. Fuit Reimbaldus *Ecclesiasticæ disciplinæ studio insignis*, inquit Bartholomæus Fissenus in Floribus Leodiensibus, qui ait eum obiisse anno MCXLVII.

XXVIII. *Scoti Anacleto adhærent.* Ceterum *Davidem* Scotiæ Regem Antipapæ partibus adhæsisse eruo ex Wulgrino Archiep. Bituricensi & Primate Ecclesiarum Aquitaniæ, qui postquam accepit Clericos Burdegalenses Gerardum Engolismeosem Archiepiscopum Burdegalensem elegisse ad Episcopos Burdegalensis Ecclesiæ suffraganeos literas in Patriarchio Bituricensi cap. LXIII recitatas, scripsit, quibus eos hortans, ut ab obedientia Innocentii II se se dimoveri non patiantur, ait: *In hac unitate permanet Dominus Rex Francorum, similiter & Rex Anglorum, Rex Alemannorum, Rex Hispanorum & Rex Hierosolymorum, Duces ac Principes ferè totius orbis terrarum.* Ubi cum Henrici Angliæ Regis mentionem faciat, & Davidis Scotiæ Regis nomen taceat, clarè indicat hunc Anacleti partes secutum esse, & verè Ricardum Priorem Hagustaldensem, cujus verba anno MCXXXVIII num. XII referemus, scripsisse *Davidem* Scotiæ Regem Anacleti apostasiæ nimiùm favisse. Sed cùm optimus Princeps extiterit, eum pravis consiliis seductum fuisse oportet.

XXIX. *Rogerius coronatur Rex Siciliæ.* A num. LI ad LVI. Initium Regni *Siciliæ* cum hoc Christi anno Baronius accuratè connexuit; sed quia res hæc magni momenti, magis hîc nobis elucidanda. Recentes rerum Sicularum & Neapolitanarum Scriptores contendunt *Rogerium* bis coronatum fuisse, semel anno superiori post Neapolim *Idibus Maii* captam, iterumque hoc anno *die Natali Christi*. At cùm velint utramque coronationem *Panormi* factam fuisse, invictè inde refelluntur; Alexander enim Celesinus Abbas testatur verno tempore superioris Christi anni *Rogerium* Pharum trajecisse, variaque bella in Apulia gessisse. Quare ibi, non verò Panormi, mensibus Aprilis & Maij eum versatum esse oportet. Peregrinius in Notis ad Falconem ait „ Historicos istos contendere *Rogerium* proprio arbitrio persuasum Regia corona apud *Panormum* redimitum fuisse per manum quatuor Archiepiscoporum, &c. qui ejusce narrationis auctorem se habere contestantur ineditum Chronicon compositum à *Maraldo*, nec dicunt quantæ antiquitatis, Monachi Cartusiani; quibus facilè assentiri non possum, tacentibus omnibus Antiquis, & præcipuè Alexandro Celesino, qui Rogerii benevolus & familiaris, coronationem ejus summo sumptu, hominumque omnis conditionis frequentia, in Dominicis Natalitiis (ac perinde in exitu anni MCXXX Antipapæ Anacleti auctoritate actam, & à Falcone descriptam) literis consignat; haud antecedentem, vel in ipsius Rogerii gratiam, siluisset; nec pompa, nec Antistitum, procerumque minori Conventu, quin nullo tunc in Romana Ecclesia vigente, sed *Honorio* sedente, *Rogerii* eo temporis momento amicissimo celebratam. Ita Peregrinius. Profectò *Honorius* II, qui vix adduci poterat, ut *Ducis* titulum ei attribueret, omnino non tenuisset, si *Rogerium* Regem se se appellasse audisset, & *Rogerius*, qui mense Augusto antecedentis anni Honorio II auxilium promisit, in colloquio tunc inter utrumque habito Regiæ dignitatis confirmationem ab eo sine dubio petiisset.

XXX. *Duplex ejus Coronatio fictitia.* Id de *Honorio* II eò magis præsumendum, quò constat, *Rogerium*, postquam hoc anno à *Comite* Cardinale, Anacleti Antipapæ Legato, corona Regia donatus est, non Siciliæ tantum; sed & Italiæ Regem se se dixisse. *Rogerium* verò hoc anno Regem acclamatum, præter Falconem Beneventanum & Alexandrum Abbatem, produnt Joannes de Ceccano in Chron. Ordericus lib. 13. pag. 895. & Auctor Chronici Casauriensis. Sed antea *Ducis* tantum nomen sibi adscripsisse innuunt Falco & Alexander Abbas à nobis laudati, & ex utroque refellitur Chronicon Maraldi, cui nimis leviter fidem adhibuêre Fasellus lib. 7. posterioris decadis pag. 406. & Ducangius in Notis ad Historiam Cinnami pag. 446. Rochus Pyrrhus Tom. I Siciliæ Sacræ citat hoc Chronicon MS. *apud Ecclesiam Sancti Stephani de Bosco Calabriæ, quæ olim Eremus vocabatur*; Additque autographum tunc asservatum fuisse *apud Camillum Tutinum Neapolitanum*. In eo Chronico legitur: *Vita functo Honorio Pontifice in Pastorem universalem fuit adlectus Gregorius Diaconus Cardinalis, dictus Innocentius II, qui noluit hanc coronationem Pontifi so confirmare diplomate: & quoniam adversus Innocentium Petrus Cardinalis schismate fuit in Pontificem creatus, dictus Anacletus II, Rogerius ab hoc fuit Privilegio confirmatus.* Et tamen Rogerium hoc anno hujusmodi confirmationem ab Innocentio II postulasse,

postulasse, ex en falsum esse convincitur, quòd *Rogerius* per aliquot annos Innocentium II pro Antipapa habuerit.

XXXI. *Ea fabula magis refutata.*

Chronographus Cartusianus & Fasellus de duplici coronatione Rogerii mentionem non faciunt, nec recentiores Auctores juvat, quod Alexander de inauguratione *Rogerii* Panormi facta verba faciens, nec consensus Anacleti, nec præsentiæ ejus Legati meminerit, unde inferunt eum respicere ad coronationem anno superiori factam. Alexander enim, ut ipsemet in Præfatione, alibique Lectores suos monet, varias circumstantias omittit, neque illius, qui Rogerium coronavit, nomen memorat, sed tantum disertè refert inaugurationem à se narratam Panormi in die *Dominici Natalis* factam fuisse. Quare non de coronatione *Idibus Maji* à Maraldo & Fasello relata sermonem habet, sed de coronatione in die Natali Domini à Cardinali de Comitibus peracta, ut narrat Falco apud Baronium num. LIII.

XXXII. *Universi Proceres decernunt, ut Rogerius in Regem promoveatur.*

Porrò universa alia Italiæ pars ab Anacleti partibus stabat. Ut enim Falco scribit: *Eodem anno ipse Anacletus consecravit Romæ prædictum Landulphum Archiepiscopum*, nempe Beneventanum, refertque Anacletum Roberto Capuano Principe adjutum Beneventanos sibi subjecisse; *eorum communitatem fregit*, inquit Falco; quod exeunte hoc anno, vel sequentis initio ante mensem Martium contigit; quo etiam tempore Rogerius, ut habet Falco, *exercitu magno comprehendit Amalphiam.* Quoad civitatem Neapolitanam ea se se jam Rogerio subdiderat, & Alexander Abbas Catalogum texens Urbium, Principum, & Magnatum qui anno superiori Rogerii dominium agnoverunt, nullam in primo suo libro de Neapolitana urbe mentionem facit. Existimandum tamen Roberti Capuæ Principis ceteris potentioris, qui exeunte antecedenti anno se se Rogerio submiserat, Præfectum Neapolitanum exemplum secutum esse. Alexander enim libri secundi initio hæc prodit: *Cùm Rogerius totas Boamundi terras, omnemque Ducatum in integrum potentissimè obtinere videretur, nec non Capuanorum Princeps, Magisterque militum Neapolitanus, omnisque terra, quæ erat usque penè fines Anconitanæ urbis, bellorum cunctis contrarietatibus sopitis, subderentur, sæpissimè sibi ac familiari quorundam, maximè Henrici Comitis avunculi sui, à quo plus aliis diligebatur, cœpit suggeri, collocutione videlicet, ut ipse qui tot Provinciis Siciliæ, Calabriæ, Apuliæ, ceterisque regionibus, quæ penè Romam usque habentur, dominabatur, nequaquam uti Ducalis, sed Regis illustrissimi culminis honore deberet.* Quam in rem Salerni Comitia coëgit, ubi Magnates *unanimiter concedunt, decernunt, imò magnopere precibus insistunt, ut Rogerius Dux in Regiam dignitatem apud Panormum Siciliæ Metropolim promoveri debeat, &c. Istorum itaque Dux consiliis roboratus Siciliam repetit, mandans.* &c. Suam ergo coronationem cum consensu Principum, Magnatum, Baronum & Prælatorum, inconsulto Romano Pontifice, decrevit.

XXXIII. *Rogerius se Siciliæ & Italiæ Regem appellat.*

Denique Alexander Celesinus nullam in sua Historia Anacleti mentionem fecit, ut ostenderet Rogerium Regiam dignitatem fortitudini suæ & vassallorum benevolentiæ debere, cùm ab eis Rex declaratus fuerit, antequam *Anacletus* V Kalendis Octob. Rescriptum à Baronio num. LII. relatum emisisset. *Rogerius* non tantùm Siciliæ; sed & Italiæ Regem se appellavit, ut ostendunt ejus Diplomata ab Ughello in Archiepiscopis Salernitanis, Brundusinis, & Beneventanis relata, & annis MCXXXIII & MCXXXVII data, quorum hoc initium: *Ego Rogerius* D. G. *Siciliæ & Italiæ Rex, Christianorum adjutor & clypeus, Rogerii primi Comitis filius.* Cinnamus, qui Baronii tempore lucem non viderat initio libri tertii de Rogerio primò Comite, & postea Rege verba facit, & Ordericus, quem etiam Baronius non viderat, lib. XIII pag. 895. de Rogerio Duce Apuliæ, Rege Siciliæ consecrato ab Anacleto, ait, *cujus ope penè totam Italiam sibi associavit*, scilicet Anacletus. Sed reliquus ferè totus Orbis Catholicus Innocentio II adhæsit.

XXXIV. *Concilium Stampense.*

A num. LVI ad LXV. Innocentius II paulò post suam electionem Pisas venit, ubi majorem currentis anni partem moratus est. Antequam in Galliam veniret, in eam præmisit Nuncios, qui Gallicanæ Ecclesiæ rei gestæ veritatem aperirent, & hortarentur Episcopos, ut partem schismaticam damnarent, uti narrat Baronius ex Bernardo seu Ernardo Abbate in Vita S. Bernardi lib. 2. cap. 1. Arnulphus verò cap. 5. Gerardum Engolismensem de more alloquens hæc de re habet: *Nunciato in Galliis schismate, dum pro partibus vario favore multi multa loquuntur, fidelisque populus ancipiti raptatur errore, primus Regum Catholicus Princeps Rex Francorum Ludovicus occurrit. Is vocatis Episcopis, & omnibus qui probatæ religionis in Galliis habebantur, convocato etiam Clero, regnique Majoribus, Concilium statuit generale* (apud Stampas, oppidum Lutetiam inter & Aurelianum situm). *Cumque se Petro Leonis ob sua & Patris obsequia fateretur obnoxium, nihil tamen super hoc Celsitudini Regiæ voluit arrogare. Episcopis & Patribus, qui ex Monastica religione convenerant, omni tradita potestate, ut eis, & in eos omnis diffinitio conferretur; eo quod penes sanctos Episcopos Ecclesiæ dispensatio tota consistit; & Abbates, quos divinitatis contemplatio recreat, divina latere concilia non creditur. Cui Concilio quoniam interesse, Girarde, non poteras, cum literis tua deformatis imagine consignatis nuncium destinasti. Utramque te novisse personam, & electionis ordinem pleniùs exquisisse, proculdubio cum Innocentio Papa stare justitiam, eo quod plane vir esset honestatis egregiæ; & ipsius electio prima tempore, & à præcipuis Romanæ Ecclesiæ fuerat celebrata personis. Porrò Petrum per opulentam manum Cathedram posterius usurpasse, virum adeo vita reprobatum & nomine, ut si ipsum etiam qualibet electionis forma defenderet, promovere tamen vitæ qualitas & infamia minimè sustineret. Id tibi, & tuæ largitioni subjectis ratum fore; idque cum Lugdunensem, tum Viennensem Ecclesiam, tum totam ferè Italiam ab ipsis urbis mœnibus excepisse.*

XXXV. *In eo Anacletus rejectus.*

Aderant autem ibidem venerabiles, quæ Romæ fuerant sub eadem tempestate personæ, quæ rerum seriem planè cognoverant, præsertim quæ oculata fide singula percepissent. Habebantur quoque super hoc ipso & aliarum, quæ non aderant ultro delegata testimonia: simul & persuasiones personarum, quas spiritum Dei habere certa fides esset, cùm tot hominum sensus in eamdem ferre confluerent voluntatem. Sicut enim una bonorum fides est, sic & spiritus unus: malorum verò spiritus multiplex & voluntas ambigua. Tandem ergo favore divinitatis multis lachrymis implorato, dum

utrisque

utriusque personæ merita & prosequentia partes studia conferuntur, inventus est Petrus indignior adeo, ut ex ipsius comparatione alteri personæ irrogari gravis injuria videretur. Studia verò partium tanta dividebat imparitas, ut Petro nondum extra Urbis mœnia quisquam favor, alterum infra Urbem quidem pars potior elegisset, & extra urbem usque ad fines terræ tota jam fere Patrem confiteretur Ecclesia. Sumta igitur ex Magni Leonis Papæ Decreto sententia, ubi se partium vota diviserant, visus est illis jure Canonico præferendus is, qui majoribus studiis juvabatur & meritis. Qua nimirum ratione cum in Papam Innocentium inspirante Domino convenissent, ipsi statim de obedientia sua, & debita subjectione scripsisti. Hujus Concilii Epocha à nullo Veterum notata, sed illud ante initium mensis Maii celebratum videtur.

XXXVI. *Adventus Innocentii II PP. in Galliam.*

Ex Innocentii II in urbem Claromontensem accessu, de quo mox, colligo eum ante mensem Novembrem, & ex statim dicendis paulò ante mensem Augustum in has partes pervenisse. Ernaldus Abbas Bonævallis in agro Carnotensi lib. 2. de Vita Sancti Bernardi Abbatis cap. I. ait: *Interea dominus Papa à multis in Pisis & in Tuscia, & in aliis Provinciis potestativè dispositis, vale faciens Pisanis, & gratias agens, in Provinciam navigio delatus est, & Burgundiam transiens Aurelianum pervenit: ubi occurrentibus Episcopis, a Rege piissimo Francorum Ludovico alacriter & honorifice susceptus est. Inde à Gaufrido Carnotensi Episcopo, magnarum virtutum viro Carnotum deducitur.* Acta verò antiqua à Baronio num. LVI relata habent: *Iterum mare intravit, & per Genuam transiens, ad S. Ægidium prosperè applicuit. Pergens autem per Vivarium & Anicium, Alverniæ fines intravit, & apud Claromontem primum Concilium celebravit.* Petrus Venerabilis lib. 2. de Mirac. cap. 16. *Ad Gallias venit. Ubi primùm ab eodem domino Papa Innocentio Cluniacensi nova & majoris consecrata Ecclesia, ac gemino Concilio, alio Claromonti, alio Remis celebrato,* &c. Ordericus lib. XIII pag. 895. *Gregorius* (idest, Innocentius II ante Pontificatum Gregorius appellatus) *cum Quirinali Clero Gallias expetiit, primòque ab Arelatensibus susceptus, Legatos inde Francis direxit. Porrè Cluniacenses, ut ejus adventum cognoverunt XVI equos seu mulos cum omni apparatu congruo Papæ & Cardinalibus Clericis destinaverunt, & usque ad suam Basilicam favorabiliter conduxerunt. Tunc ibidem XI diebus Papam cum suis detinuerunt, Ecclesiamque novam in honore S. Petri Apostolorum Principis ab eodem cum ingenti tripudio populique frequentia dedicari fecerunt.* Anselmus Gemblacensis in Chron. ad annum MCXXX: *Emenso mari, tandem apud Sanctum Ægidium appulit. Postea venit in Burgundiam, & à Cluniaco excipitur.* Denique Sugerius in Vita Ludovici VI: *Cùm & susceptionis & servitii primitias Cluniaci per nos ei delegasset* (sc. Ludovicus Rex), *tanto exhilarati suffragio cum gratia & benedictione domino Regi per nos gratias referentes, ad propria remiserunt. Ut autem usque S. Benedictum super Ligerim descendit* (idest, usque Floriacum prope Aurelianum situm) *dominus Rex cum Regina & filiis ei occurrens nobilem & diademate sæpius coronatum verticem tanquam ad sepulchrum Petri inclinans, pedibus ejus procumbit,* &c.

Cùm mensis, & ferè dies quibus *Urbanus* II majus altare Ecclesiæ Cluniacensis, dum in Galliis esset, consecravit, à nobis detecti fuerint, ut anno MXCV jam diximus, in detegendis mense & die, quibus Innocentius II Ecclesiam Cluniacensem dicavit, & in explicandis quæ de hac profectione Gallica Innocentii II à variis Scriptoribus tradita sunt, minus cæcutiemus. Ipsemet enim Innocentius II in Diplomate Valentiæ VIII Idus Martii anno MCXXXII dato, & in Biblioth. Cluniac. pag. 1381. recitato ait: *Nos monasterium ipsum, quod specialiter ad jus B. Petri, & S. Rom. spectat Ecclesiæ, per nos ipses visitavimus. Et eodem die, quo revolutis multorum annorum spatiis, prædecessor noster fel. memoriæ Papa Urbanus ibidem majus altare consecraverat, cum Archiepiscopis & Episcopis, qui nobiscum convenerant, cooperante Spiritus Sancti gratia, idem monasterium solemniter dedicavimus,* ideoque XV Kalend. Novemb. seu die XVIII Octob. aut aliquo ex vicinioribus, quo aliàs Urbanus II majus altare consecraverat. Baronius in Addendis & Corrigendis ad annum MCXXXII, refert aliud Innocentii II Diploma, in quo idem legitur, ac in mox laudato, de consecratione monasterii Cluniacensis. Verùm hallucinatur Cardinalis eruditissimus, dum eam ad præfatum annum revocat; cùm illius anni initio *Innocentius* II iter in Italiam direxerit, ut ibidem videbimus. Neque ea etiam in annum MCXXXI differri potest; cùm toto ferè mense Octobri aut Suessione aut Remis Pontifex versatus fuerit. Quare nonnisi mense Octobri præsentis Christi anni Innocentius II Ecclesiam Cluniacensem dedicavit, & quidem paulò post suum in Galliam adventum, & ante Concilii Claromontani celebrationem, ut mox ex Petro Venerabili insinuavimus. Perperàm itaque in Chron. Cluniacensi pag. 1639. & alibi scriptum, Ecclesiam Cluniacensem anno MCXXXI dedicatam esse; quem tamen errorem in lucem proferre non potuissem, nisi antea tempus, quo Urbanus II majus altare ejusdem Ecclesiæ dicavit, è tenebris eruissem.

XXXVII. *Consecrat Ecclesiam Cluniacensem.*

XXXVIII. *Concilium Claromontanum celebrat.*

Antequam Ludovicus Rex ad Innocentium II venisset, Concilium Claromontanum in Alvernia celebrarat. De eo Bernardus Guidonis in libello de Conciliis scribit: *Anno Domini MCXXX, indictione VIII, mense Novembri, apud Clarum montem, præsidente ibidem Innocentio Papa II, cum Cardinalibus & Archiepiscopis & Episcopis, & religiosis viris, cum multitudine sapientum & literatorum virorum, celebrata est Synodus, in qua de fide Catholica & animarum ædificatione, ac morum honestate, & malorum eradicatione, tractatum est, & obedientia eidem Papæ Innocentio adstanti ab universis est gratanter promissa. In eadem quoque Synodo concessum est Privilegium Clericis, quod habetur in Decretis. XVII. q. 4. cap.* Si quis suadente. Ita Bernardus. Otto Frisingensis lib. 7. cap. 18. de hoc Concilio habet: *In civitate apud Claromontem Concilium celebrans* (sc. Innocentius II), *nuncios Lotharii* (Imperatoris) *Conradum Juvavensem, Eribertum Monasteriensem, Episcopos, obvios habuit.* Denique in Appendice ad Marcam Hispanicam num. CCCLXXX refertur confirmatio Privilegiorum Monasterii Cuxanensis ab Innocentio II facta cum hac subscriptione: *Dat. apud Clarummontem,* &c. *IV. Kal. Decemb. indict. VIII, Incarnat. Dom. anno*

MCXXX, *Pontific. verò Domini Innocentii II Papæ primo*, sed cùm in bulla nulla sit mentio Concilii, post illud celebratum datam puto. Sigonius lib. XI de Rego. Ital. Concilium *per Decembrem mensem* habitum perpetam scribit.

XXXIX. *Concilium Anicii habitum.*

Per urbem quidem Aniciensem transivit *Innocentius* II, ut mox vidimus, sed cùm Petrus Venerabilis, suprà citatus asserat, eum geminum Concilium, nempe Claromontense & Remense congregasse, manifestum est, Innocentium II non præfuisse Aniciensi, cujus meminit Guigo hujus temporis Scriptor in Vita Sancti Hugonis Gratianopolitani Episcopi, qui præsentiam Papæ non tacuisset, qui tamen tantum ait: *morbis licet, & ætate consumptus* (sc. S. Hugo) *zelo tamen domus Dei, cujus diligebat decorem, perrexit Anicium, ut eumdem cum aliis Episcopis excommunicaret Schismaticum*, nempe Anacletum Antipapam.

XL. *Innocentius II à Regibus Franciæ & Angliæ salutatur.*

Innocentius II ante Concilium Claromontanum per Provinciam in Burgundiam delatus jam *Cluniacum* attigerat, & Majorem Ecclesiam celeberrimi hujus per hæc tempora Monasterii dedicarat, ut ex dictis num. XXXVI & seq. intelligitur. Eum *Ludovicus* Franciæ Rex cum *Philippo* filio Rege designato apud Floriacense Cœnobium septem leucis ab Aurelia urbe dissitum honorificentissimè excepit, eumque ut Christi & Petri Vicarium lætus & hilaris veneratus est. Paulò pòst Ordericus loco citato scribit: *Apud Carnotum Henricus Rex Anglorum ad pedes ejus humiliter corruit, illique reverentiam Papæ debitam Idus Januarii sponte exhibuit.* Hæc urbs XVIII circiter leucis Gallicis ab Aurelianensi distat.

XLI. *Gerardus Engolism. Regem Angliæ in favorem Antipapæ sollicitat.*

De Henrico Angliæ Rege Arnulphus Gerardum Engolismensem alloquens cap. VI scribit: *De circumveniendo Rege Anglorum Henrico præcipuè laborabas; & quia cauteriatam conscientiam habens, Principi Catholico & sapienti de suscipiendo Petro Leonis manifestè suggerere non audebas, ut neutrum susciperet mirabili solertia suggerebas (ita tamen ut in Petrum tua aliquanto proclivior oratio videretur): rem stare sub dubio, multos utrinsque partis esse fautores, festinasse quosdam, quos jam multa pœnitentia ducerentur: Petri Leonis in civitate inexpugnabilem esse potentiam, præsertim qui munitionibus maximis, qui pecunia plurima. qui denique parentum multitudine maxima fulciretur. Asseverare multos ipsum non justitia, sed potius invidia reprobatum, eò quod perspicax ejus ingenium & amplitudinem animi, & irrefragabilem potentiam reliqui vererentur: neminem tamen esse qui posset eum urbis privare dominio, penes quam caput Ecclesiæ semper fuisse, sed & denique reversurum fore nullus ambigeret. Ipsum, & eos qui cum ipso erant, sufficientes ex proprio, & omnes ad Apostolatum pertinentes civiles reditus obtinere: non oportere ipsum ad alienas inspicere facultates, nec ad invertendum quidlibet rei familiaris inopia compellendum. Si susciperet alterum, onerosum sibi, & suo regno fore, & quod Regi est etiam damno deterius, dedecus affuturum, si pars altera prævaleret. Nihil esse impertabilius indigente Romano, sub cujus sis arbitrio constitutus. Dissimularet igitur, & rerum exitus potius expectaret, quam seru præcipitem sententiam pœnitentia subsequatur. Utilius enim esse sine dispendio* declinare pericula, quàm cum gravi dispendio ipsis ultrò periculis obviare.

XLII. *Ab eo rejicitur.*

Agnovit Rex sapiens latentem in sermone serpentis astutiam, & venenum sub melle reconditum, quia scilicet ipsa non bona fide consulentis animo mandaveras, sed fallentis, ut dominus Papa prius qualibet arte fraudulenter excluso, ad loquendum pro Petro tibi commodior aditus appareret. Facilius enim ad favendum parti nostræ vacuos vendicamus affectus, quàm favore jam partis alterius occupatos. Ille verò non dissimulandum, sed laborantis Ecclesiæ necessitatibus adjutor ultraneus credidit occurrendum, ne persuasione tua proburetur acephalus, & ab uberibus matris tua fieret alienus. Quæ fusiùs prosequitur Arnulphus.

XLIII. *Guillelmus VIII Comes Pictaviensis à Guillelmo IX distinguendus.*

Ad num. LXV & seq. Baronius *Guillelmum* VIII Pictaviensem Comitem & Aquitaniæ Ducem cum *Guillelmo* IX confundit; quod mirum videri non debet, cùm, ut observat Castanæus à Rochepozæo Pictavorum Episcopus in Notis ad Litanias Pictonicas, quæ Tom. II Biblioth. Labbei recitantur, Joannes Beslius, Regius apud Fonteniacum Consiliarius, qui à paucis annis mortuus est, primus subductis temporum rationibus, Pictonum Comites, eosdemque Aquitaniæ Duces inter se distinxerit, & in ordinem digesserit. *Guillelmus* VIII, teste Chronographo Malleacensi anno MLXXXVI patri in Principatum successit, annoque MCXXVII naturæ debitum solvit, teste eodem Chronographo, qui annum à Paschate incipiens de eo & Guillelmo IX ejus filio, de quo hîc nobis agendum anno MCXXVI scribit: *Obiit Willelmus Dux Aquitanorum IV Idus Febr. & Pictavis civitate apud Novum Monasterium sepultus est. Hic virtute secularis militiæ super omnes mundi Principes mirabiliter claruit: cui successit in Principatu Guillelmus filius ejus, qui obiit peregrinus apud Sanctum Jacobum in Hispania.* Dux igitur Aquitaniæ, qui Anacleti partes tritus est, & Ecclesiam in illis partibus afflixit, non Guillelmus VIII, sed Guillelmus IX fuit; & Malmesburiensis à Baronio citatus, qui lib. 5. de Gest. Reg. Angl. ait, Guillelmum Comitem Pictavorum excommunicatum fuisse à *Girardo* Engolismorum Episcopo, jussumque illicitam venerem abjicere, de *Guillelmo* VIII, non verò de *Guillelmo* IX, ut putavit Baronius, verba facit. Ordericus lib. XII ait, uxorem Guillelmi (sc. VIII) Pictonum Ducis questam esse in Concilio Remensi anno MCXIX habito, & *Callistum* II, qui eidem Concilio præerat, certum terminum constituisse, ut Guillelmus legitimam uxorem reciperet. Denique Petrus Pictaviensis Episcopus magna amicitia cum B. Roberto de Arbrissellis conjunctus eumdem Comitem jamdiu ob adulterium sacris arcuerat, & in exilio obierat, anno MCXV, teste eodem Chronographo Malleacensi.

XLIV. *Guillelmus IX à partibus Anacleti stat.*

Baronius non tantum adulterium, quod Malmesburiensis narrat, *Guillelmo* IX attribuit; sed etiam ait eum ingentem militum copiam in Terram Sanctam secum duxisse, quod tamen idem Malmesburiensis de Guillelmo VIII refert. Ea expeditio à Guillelmo VIII anno MCI suscepta, ut ad eum Christi annum tradit Chronographus Malleacensis. Missus est ad Guillelmum IX Sanctus Bernardus, ut eum ad partes Ecclesiæ Catholicæ pertraheret, sed nihil ab eo obtinuit, nisi in iterata Legatione post quinquennium peracta, de qua suo loco sermo erit. Arnulphus suprà citatus converso ad *Girardum* Engolismensem sermone ait: *Cùm, Girarde, Regibus Hispanorum, Britannorumque Principibus eadem suggerendo mandasses* (nempe quæ Henrico Angliæ Regi), *& speratos fructus con-*

cinnata

cinnata tibi mendacia non referrent, capisti dementiore vesania infra domesticos parietes debacchari. Pictaviensem Comitem nactus erroris socium, & schismatis adjutorem; quem etiam Pictaviensis Episcops Catholics senis (nempe Guillelmi Adelelmi, cujus depositionem perebat Guillelmus Dux hujus nominis IX) *negata deposisio & contra sacratissimos Canones non exaudita petitio, indignatum pariter à Catholica repulit unitate.*

XLV. *Gesta in Regno Hierosolymitano.*

Ad num. LXVII. *Balduinus* II Hierosolymorum Rex, ut narrat Tyrius lib. 3. cap. 26. & seq. *Boamundus* Princeps Antiochiæ, Comes Tripolitanus, & Comes Edessenus fines Damascenorum ingressi sunt; sed confusi exercitûs parte amissâ *mense Decembri* ad propria redire coacti sunt. Mortuus est interim *Stephanus Patriarcha* Hierosolymorum, cui successit *Willelmus* Prior Ecclesiæ Dominici Sepulchri *de eo loco, qui dicitur Messine*, sed loco, *Messine*, legendum, *Mecline*, cùm ipsemet Tyrius ibidem asserat, eum Flandrum natione fuisse & Mechlinia in Flandria sita sit. Ordericus lib. XIII ad annum MCXXXVII Hierosolymitanum Præsulem *Radulfum* appellat, sed manifesto errore, cùm certò constet, post illum Christi annum Guillelmum Hierosolymorum Patriarcham in vivis fuisse. Sumsit igitur Ordericus Radulfum Patriarcham Antiochenorum circa hoc tempus, ut habet Tyrius lib. XIV num. X electum pro Patriarcha Hierosolymorum, aut manifestè falsus est. Post eam expeditionem Boamundus Balduini Regis gener, *hostium irruente subitò multitudine, suis eum destituentibus, gladiis confossus interiit. Magnus Princeps, & Deo si vixisset amabilis, nisi mors immatura & mors invida humanis eum rebus subtraxisset*, inquit Tyrius, qui subdit, cum nullos reliquisset liberos, Balduinum Regem Antiochenum Principatum iniisse, & filiæ suæ Boamundi uxori *Laodiceam*, & *Gabulum* urbes maritimas concessisse.

XLVI. *Moritur B. Joannes Episc. Morinorum.*

Joannes de Colle-medio Archidiaconus Morinensis in Vita Beati Joannis Morinorum Episcopi, à Bollando ad diem XXVII mensis Januarii recitata, cap. 9. dicit se Epitaphium ejus condidisse, in quo inter cetera ait: *Anno Verbi Incarnati MCXXX, indictione octava, VI Kalend. Februarii, obiit Vir venerabilis, totius amator religionis D. Joannes Episcopus, qui Romæ in generali Concilio, Urbano II Pontifice præsidente & approbante, in Episcopum hujus Morinensis Ecclesiæ, pridie Nonas Junii Presbyter, XVI Kal. Aug. Episcopus consecratus est.* Monasteria Regularium Clericorum, sive Monachorum octo fundavit, & Morinensium Episcoporum tricesimus fuit. In ejus Vita Auctor testatur, eum fuisse Canonicum Regularem in monasterio, *quod dicitur in monte Sancti Eligii*, paucis milliaribus à civitate Atrebatensi semoto, ac discipulum extitisse *Ivonis*, postea Episcopi Carnotensis. In ea ejus virtutes fusè enarrantur: Sed in loco mox ex ejus Epitaphio relato aliqua verba desiderantur. Anno enim MXCVIII ex eodem Joanne de Colle-medio monstravimus, eum in Belgio Presbyterum & Episcopum anno MXCIX ordinatum fuisse.

XLVII. *Mediolanenses Anacletum sequuntur.*

Mediolanenses cum *Anselmo* Archiepiscopo suo nulla habita ratione excommunicationis, de qua anno MCXXVIII locuti sumus, Anacleti Antipapæ partibus adhæsêre, ut refert Landulfus Junior apud Puricellum in Monum. Basil. Ambros. num. CCCL: *Honorio defuncto, Anacletus Papa Romanorum secundus huic Mediolanensi* (nempe Anselmo; hic autem Auctor Anacletum Papam vocat, quia Mediolanenses Innocentium II Papam non agnoscebant) *Stolam* (idest, Pallium) *per suos idoneos Nuncios Joannem Palestrinum Episcopum* (quem Anacletus in locum Guillelmi Cardinalis Prænestini Innocentio II addictissimi subrogarat, quod in isto Schismate in aliis Episcopatibus etiam actum), *& Beltramum Subdiaconum Romanum, mandavit. Quam Stolam ipse Anselmus Pontifex* (qui eam ab Honorio II non impetrarat), *Clero & populo Mediolanensi circumstante & collaudante* [*assumsit, &*] *Anacletum Papam, ejusque Legatos & legationem reverenter suscepit: pars verò sibi adverso inde magis detrahere sibi cœpit. At plenitudo Cleri & populi ad eum quoque concurrebat, timorem quoque & reverentiam Regi Conrado & Papæ Anacleto ex dilectione portabat.* Ex quibus apparet, Conradum & Anacletum inter se concordes fuisse; quæ concordia usque ad Concilium Pisanum anno MCXXXIV celebratum duravit.

XLVIII. *Anselmus Archiep. Mediolanensis contra se rixas suscitat.*

Pergit Landulfus Junior: *Et dum hic spes fuit in plenitudine Ecclesiæ & civitatis Mediolani, & venditiones & Privilegia, quæ egregii Capitanei de Besana & de Porta Orientali atque homagium, & Gregorius Papa VII & Urbanus Papa II Presbytero Liprando fecerunt, vim suam obtinuerunt, & oculis omnium latuerunt* (idest, licet laterent) *nulla guerra Mediolanenses ignominiavit, sed Papiensibus, Cremonensibus, Novariensibus, cunctisque suis inimicis latè & splendidè ipsi Mediolanenses præstiterunt.* Porrò Mediolanenses ideo Cremenses defendebant, quia hi Cremonensi Ecclesiæ contributi se se Mediolanensibus applicuerant, ut refert Sigonius lib. 11. Hist. de Reg. Ital. ubi & rectè narrat bellum à Mediolanensibus hoc anno & duobus sequentibus adversus Papienses feliciter gestum; sed felicitas hæc cessavit culpâ Anselmi Archiepiscopi Mediolanensis, uti tradit Landulfus Junior cap. 41. apud Puricellum laudatum num. CCCLI: *At ubi Anselmus Archiepiscopus contra ipsas venditiones & Privilegia voluit & fecit* (quod accidit anno MCXXXIII cùm anno anteriori adversus Innocentium II & Lotharium Imp. adhuc starent Mediolanenses), *& multitudo Cleri & populi ipsas venditiones & Privilegia legere voluit; contigit quod quidam manipulus militum Mediolanensium captus sit à Cremonensibus*, &c.

XLIX. *S. Bernardus Episc. Parmensis Conradum Ducem excommunicat.*

Puricellus citatus num. CCCLII perperam credidit Sanctum *Bernardum Parmensem Episcopum*, & Presbyterum Cardinalem Legatum fuisse Innocentii II, & Mediolanenses excommunicasse, quòd secuti essent partes Conradi Regis hoc & duobus sequentibus annis; & his nonobstantibus eum communicasse cum Anselmo Archiepiscopo Mediolanensi, & ab eo petiisse, ut sibi videre liceret corpus Sancti Ambrosii; quia, inquit Puricellus, *tunc non adeo constabat, Innocentiusne, an potius Anacletus esset legitimus Pontifex.* Fundatur Vir doctissimus in Vita ejusdem Sancti Bernardi Parmensis ab Auctore coætaneo, vel ferè coætaneo scripta, neque advertit eum ordinem temporum non servare. Hic enim Anonymus cap. 46. ait: *Aliquando cùm Mediolani pro hujusmodi negotiis* (nempe pro pace Ecclesiæ & Imperii, ubi neque annum, quo hoc contigit,

designat, neque Pontificem Romanum, qui tunc sedebat) *per dies aliquot moraretur: Archiepiscopum rogavit, ut sibi beati Ambrosii Reliquias videre permitteret*, quas nocte sequenti vidit. Idem Anonymus cap. 40. refert gesta ab eodem Sancto adversus rebellionem Mediolanensium, eorumque schisma, & ait: *Unde cùm Mediolanenses contra Romanæ Ecclesiæ inhibitionem Corradum in Regem cum suis fautoribus elegissent, vir Dei non formidans terreni imperii Principatum, præfatum Corradum, ejusque sequaces excommunicatos publicè nunciavit.* Hæc duo Puricelli fundamenta.

L. *Illa excommunicatio anno MCXXVII lata.* Verùm hoc accidit anno MCXXVII, ideoque ante *Conradi* Coronationem, eoque tempore quo Mediolanenses & *Anselmus* eorum Archiepiscopus averti erant ab Honorio II, non verò ab Innocentio II; tunc enim *S. Bernardus Parmensis* Mediolanum profectus est, & Reliquias S. Ambrosii videre voluit, & deinde *Conradum* jam Regem coronatum, & ejus sequaces excommunicavit. Certè nuo magnum egisset *Bernardus*, si excommunicationem illam vibrasset post Decretum Concilii Papiensis anno MCXXVIII congregati, quod vult Puricellus; sed contrà maximopere laudandus, quòd primus *Conradum* Regem excommunicarit. Quare Auctor Vitæ sancti hujus Præsulis in ea narratione temporis rationem non habet.

LI. *Martyrium S. Canuti Innocentis.* Hoc anno *Sanctus Kanutus* Rex Obotritorum ac Dux Sleswicensis, Erici Boni Daniæ Regis filius, à *Magno* Nicolai Daniæ Regis filio proditoriè occisus est, uti narrant Helmoldus in Chron. Slavorum lib. 1. cap. 50. & seqq. Krantzius lib. 3. Vandaliæ cap. 23. & seq. ac Grammaticus Saxo lib. 13. qui tamen nefariæ hujus cædis annum non designant; sed Hieronymus Cypræus citatus ab Adolpho Cypræo in Annal. Episc. Sleswicensium cap. 21. & 23. Molanus in Addit. ad Usuardum, Stephanus Stephanius in Not. ad lib. XI Saxonis Gramm. & Henricus Wolterus in Chronica Bremensi ab Henrico Meibomio Juniore Tom. II Rerum Germanicarum publicata, hoc Martyrium cum præsenti anno rectè illigasse videntur, licet Bollandus ad diem VII mensis Januarii, quo Sanctus Kanutus colitur, illud circa annum MCXXXIII distulerit; ex dicendis enim eo Christi anno patebit; cædem illam citius contigisse. *Ericus Bonus* Daniæ Rex proficiscens ad bellum Hierosolymitanum *Nicolao* fratri Regnum cum filio *Kanuto* commendavit, *accepto juramento, ut si non rediret, filio suo, postquam adolevisset, regnum contraderet*, inquit Helmoldus. Mortuo Erico Rege dum Hierosolymâ rediret, Nicolaus Regnum obtinuit, *eo quod Kanutus adhuc esset infantulus.* Erat Nicolao Regi filius nomine *Magnus*, cujus insidias *Kanutus*, ubi adolere cœpit, veritus, Regnum Obotriturum à Lothario Imperatore emit, seque ejus beneficiarium dixit. Verum post aliquot annos *Magnus* per insidias Principem innocentem peremit.

LII. *Fuit Rex Obotritorum & Dux Slevicensium.* Duo fuere *Kanuti* Reges in Sanctorum numerum relati, & Martyrii gloria coronati. De priori egimus anno MLXXXI, diximusque posteriorem, de quo hic Sermo, illius ex fratre nepotem fuisse, non verò filium, uti scripsit Baronius ad annum MCLXIV num. L ubi de Canonizatione Sancti Kanuti Obotritorum Regis verba facit. Porrò *Obotriti* Mecklenburgicam ditionem, ac Wagriam tenuerunt. *Slevicensis* verò Ducatus est Juriæ Meridionalis Provincia, quæ Holsatiæ Ducibus paret, qui etiamnum à Daniæ Regibus Ducatum Slevici in feudum accipiunt. Krantzius lib. 3. cap. 30. ait, Lotharium Imp. Sancto Kanuto coronam Regiam decrevisse ac Regem appellasse Obotritorum: *Ea enim Provincia in ejus erat procuratione*; hac præsertim ratione, *ut illustraret Romanum imperium, quod tum videretur illustrius, si Regibus imperaret.* Addit Krantzius existimare se nostri seculi Danorum Reges inde deduxisse titulum Regum Danorum & Vandalorum, *nam moriens Kanutus Regium titulum transmisit ad posteros*, subdit idem Historicus.

LIII. *Flores Honorius Augustodunensis.* Honorius Augostodunensis Ecclesiæ Presbyter & Scholasticus, qui scripsit librum *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, variaque alia Opuscula, quæ extant Tom. XX Biblioth. Patrum Edit. Lugdun. & Tom. XII Edit. Coloniens. hoc anno composuit Seriem Romanorum Pontificum, hæc eum his verbis clauditur: *Innocentius II, qui fuit Pontifex ordine CLXV Christi anno MCXXX.* Honorium aliosque Scriptores Ecclesiasticos continuavit Miræus in sua Bibliotheca Ecclesiastica usque ad anoum circiter MDCXL.

LIV. *Interitus Thomæ de Marla.* Anno *MCXXX Thomas de Marla, dominus de Conciaco, persecutor Ecclesiæ pessimus interficitur*, inquit Auctor Chronici Sancti Medardi Suessionensis apud Dacherium Tom. II Spicilegii. Fusiùs hæc mors ad hunc annum narratur in Chron. Roberti de Monte juxta editionem Francofurti curatam. Sugerius tamen in Vita Ludovici VI Franciæ Regis pag. 316. vocat eum *Thomam de Marna*, atque Dominum fuisse *Cociaci*, & cùm in Diœcesi Laudunensi habitaret, Cociacum, *castrum omnino inaccessibile*, captum & ad mortem sauciatum fuisse à Comite Viromandensi Radulpho, qui unà cum Episcopis & Regni Optimatibus Ludovico VII Franciæ Regi persuasit, ut Laudunum *ad ulciscendum* adventaret. Loquitur postea Sugerius de miserabili morte ejus, quam & eodem modo refert Henricus Huntindoniensis in Epistola ad Walterum *de Mundi Contemtu*, recitata à Wartono in fine Tomi II Angliæ Sacræ, qui in Præfatione ejusdem Tomi dicit, eam anno MCXLV scriptam esse: *Thomas*, inquit Huntindoniensis, *Princeps magnus juxta Laudunum in Gallia principans, magnus erat nomine, quia summus erat scelere. Ecclesiis igitur circumjacentibus hostilis, omnes in fiscum suum redegerat. Si aliquem vi vel dolo in captione sua tenebat; non falsò dicere poterat*; "dolores inferni circumdederunt me (Psalmo 116.)." *Cædes humana, voluptas ejus & gloria. Comitissam contra solitum in carcere posuit; cui crudelis & spurcus, compedes & supplicia diebus, ut pecuniam extorqueret, stuprum noctibus inferebat, ut eam derideret. A carcere in lectum* (Thomæ) *homines crudelissimi quaqua nocte ferebant; a lecto quaqua die in carcerem referebant. Pacificè loquens proximum, in corde non sine risu gladio transpungebat. Unde gladium sæpiùs sub chlamyde nudum ferebat, quàm vaginatum. Hunc igitur homines timebant, venerabantur, adorabant. Fama omnis Galliæ circa illum. Crescebat in dies ejus possessio; crescebat thesaurus; crescebat servitus. Audire finem scelerati desideras? Gladio lethaliter percussus, pœnitentiam recusans, & à Corpore domini collum*

retorquens,

retorqueas, sic periit, ut benè dici posset: Conveniens vita mors fuit ista tua.

LV. *Obitus Tarasiæ Portugalliæ Reginæ.* Erâ MCLXVIII, inquit Sandovalius fol. 147. juxta documentum à Duarto Licentiato in Chronico reformato Portugalliæ, pag. 26. relato, obiit Regina *Tarasia*, mater Regis Alphonsi Henrici Portugalliæ Comitis. Ea *Regina* appellabatur, quia filia erat Alphonsi VI Castellæ & Legionis Regis, Imperatoris nuncupati, & nupserat *Henrico* Comiti Portugalliæ. Lusitaniam per sex & decem annos rexit, & duobus ante mortem Alphonso filio eam tradidit, seu sponte cedens, ut multi volunt, seu bello victa, ut alii in literas misêre. Ait Sandovalius *Alphonsum Henricum* Tarasiæ filium quandam donationem fecisse; in Charta originali exhiberi signura vel notam singularem, intus hanc vocem scriptam, *Portugallia*, & hoc tempore nondum gentilitia scuti symbola in usum vocata fuisse. Extat in summa Chronici Gothorum memoria obitûs Tarasiæ ad annum MCXXX his verbis designati: *Erâ MCLXVIII obiit Regina Tarasia mater Alphonsi, Kalendas Novembris, anno secundo Regni ejus*, nempe Alphonsi, qui tameo nondum Rex appellabatur.

LVI. *Alphonsus Castellæ Rex primùm in Mauros movet.* *Alphonsus* Castellæ Rex, ut tradunt Garibajus lib. XII. cap. 2. Sandovalius io Alphooso VII fol. 145. & seq. & antiqua Historia Toleti ab eodem Sandovalio exscripta, primam suam adversùs *Mauros* expeditionem suscepit, iovitatus à quodam Principe Mauro ditionibus suis spoliato. Hunc *Alphonsus* Rex honorificè excepit, & arce magni momenti *Rueda* appellata ab eo accepta, ut par pari redderet, in Legionis, Castellæ & Toleti Regois eidem terras assignavit. *Alphonsus* Rex ingenti conflato exercitu io hostiles terras ingressus vastavit *Illarcon*, vulgò *Alarcos* Castellæ novæ oppidum, *Almodavarum* Campi, aliaque oppida. Regem in hac expeditione comitati sunt Magnates Regni, *Raimundus* Archiepiscopus Toletanus, & magna Episcoporum pars, qui hoc tempore tenebantur Regem ad bellum procedeotem sequi.

LVII. *Obitus S. Isidori Madritensis.* Hoc circiter anno mortuus est *Sanctus Isidorus* Madritensis, qui fuit simplex agricola, & vitam sanctissimam in matrimonio duxit. Ejus Vita seculo decimo tertio à Joanne Diacono scripta, & io Actis SS. Bollandiaois ad diem XV mensis Maii recitata Gregorius XV anno MDCXXII Philippi IV Hispaniarum Regis efflagitatu eum in Sanctorum oumerum retulit.

LVIII. *Concilium Herbipolense.* In Germania Lotharius Imp. Wirceburgi seu Herbipoli Concilium convocavit, de quo Chronicoo Magdeburgense adhuc ineditum ad hunc annum habet: *Concilium XVI Episcoporum mense Octob. à Rege Wirceburg congregatur, cui affuit Archiepiscopus Ravennæ, Apostolicæ Sedis Legatus: ubi Gregorius, qui & Innocentius, qui Petro Leonis in electione prævaluit, à Lothario Rege & omnibus ibi congregatis, eligitur, & confirmatur.* Gualterius enim, qui Ravennatensis Archiepiscopus erat, Innocentii II partes cum suis Ravenoatensibus perpetuò secutus est, ut habet Rubeus lib. 5. Hist. Ravenn. qui tamen sicuti & Labbeus Tom. X Coocil. hujus Syoodi mentionem non facit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6624.

☉ 10. D. ☽ 11. P. 19. April. Indict. 9.

JESU CHRISTI 1131.

INNOCENTII II PAPÆ 2.

LOTHARII REG. 7.

JOANNIS COMNENI IMP. 14.

Anno Eræ Hispan. MCLXIX. Anno Hegiræ DXXVI. Inchoato die 28 Novembr. fer 2.

I. *Innocentius II Mauriniacum obiit.* ANnum I ad XV. Profectionem Gallicam Urbani II, Paschalis II, Gelasii II & Callisti II Pontificum Romanorum suis locis supplevimus, annoque præcedenti de Innocentii II in idem Regnum adventum narravimus. Nunc quæ hoc anno à Baronio omissa è variis Scriptoribus eruere conabimur. Henricus itaque Aogliæ Rex, qui è Normannia, ubi nunc morabatur, Carnotum properavit, die XIII mensis Januarii hujus anni Iooocentium II iovisit. *Statutum est in Curia*, inquit Chronographus Mauriniacensis, *hinc ad Patricium Romanorum Teutonicorum Regem* (nempe Lotharium II) *iter dirigere, & de Carnoto statione prima Mauriniacum hospitari.* Mauriniacum verò est in suburbio Autissiodori; à Monasterio Mauriniacensi aberat Abbas, ad quem velociter à Monachis nuncius missus. Abbas & Prior *accurrunt velociter, & jam pene ingredientem Mauriniacum Dominum Papam suscipiunt gaudenter, procurant solemniter. Altera vero die (nam biduo apud nos mansit) Papam, Curiamque Abbas supplex adiit, quatinus altare quod erat ante Crucifixum consecraret, humiliter postulavit, & impetravit. Anno igitur Incarnati Verbi MCXXX* (anno scilicet à Paschate inchoato), *XIII vero Kal. Februarii à Domino Papa Innocentio II in Ecclesia Mauriniacensis Cœnobii consecratum est altare ante Crucifixum, in honore S. Laurentii, & omnium Martyrum Christi. Inter eas venerabiles personas, quæ huic sanctæ consecrationi adfuerunt, venerabiliores fuerunt, Episcopi Cardinales, Guillelmus Prænestinus, Matthæus Albanensis*, (qui anno superiori Legatus in Franciam missus non fuerat, ut putavit Baroodius, ut vel hic locus ostendit) *Joannes Ostiensis, Guido Tiburtinus.* Nominantur postea ibi Cardinales Presbyteri, & Diacooi qui adfuêre, tum *Bernardus Abbas Clararum vallium, qui tum temporis in Gallia divini verbi famosissimus prædicator erat, Petrus Abailardus Monachus & Abbas* (nempe Ruyensis in minori Britannia) *& ipse vir religiosus, excellentissimarum Rector Scholarum, ad quas penè de tota Latinitate viri literati confluebant*, &c. *Gaufridus autem Carnotensis Episcopus ad populum sermonem fecit. His ita cum maximo tripudio peractis, luce tertia domnus Papa cum suo comitatu lætus discessit, ac maximas gratias pro hospitalitate reddens, ad suum colloquium, quod apud Leodium fuit, profectus est.* Quibus ex verbis, perspicuum fit, *Gaufridum* Carnotensem Episc. nondum Sedis Apostolicæ in Gallia Legatum fuisse; ideoque & errasse Eruditos, qui Martyriom Sancti Thomæ Prioris monasterii Parisiensis Sancti Victoris eòdem hoc vel superiori anno coonexuêre; cùm certum sit, illud cootigisse Gaufrido Episc. Carnotensi Legatione Apostolica in Galliis fungente.

II. *Concilium Leodiense.* Pergit Chronographus: *Ubi Lotharius Rex Ala-*

SÆC. XII. An. C. 1131.

Alamannorum, Patricius ac Imperator Romanorum, &c. cum omnibus Archiepiscopis, Episcopis & Proceribus Regni sui Innocentium Papam patremque recognoscit, & se, cum eo Romam iturum, & in sedem propriam restituturum sacramento spopondit. Agebatur tunc de canonizatione Sancti Godehardi Episcopi Hildensheimensis anno MXXXVIII demortui, uti seculo præcedenti diximus, & Auctor Anonymus testis oculatus eorum, quæ narrat in Appendice de Miraculis à Sancto Præsule in vita patratis, quæ extat in Actis SS. Bollandianis ad diem IV mensis Maii, quo colitur, cap. 1. ait: *In Leodiensem civitatem Curia indicta est, ubi Innocentius Papa cum Romana Ecclesia, & magna parte Galliæ cum Lothario Rege & ferè universis Episcopis Theotonicæ regionis, convenerunt; ut de violentia Romanæ Ecclesiæ per Petrum Leonis perpetrata, qui tum temporis Papatum sibi violenter usurpavit, pertractarent; & qualiter illud idolum, in templo domini positum, destraerent, elaborarent. Factum igitur est, ut ad Dominicam Lætare Hierusalem* (Dominicam nempe IV Quadragesimæ, quæ hoc anno in diem XXIX mensis Martii cadebat), *ad prædictam civitatem multi Catholici viri, tam cum Apostolico, quam cum Rege convenirent, & de communi statu Ecclesiæ pertractarent. Inter quos Præses noster Bernardus* (Episcopus Hildensheimensis) *cum Majoribus nostræ Ecclesiæ assistens, videns opportunitatem ultrò sibi collatam, ipsum Apostolicum cum omni Curia Romana aggreditur; Vitaque Pastoris nostri coram ipsis recitatur; & ut per eum in Ecclesia Dei canonizetur, devotissimè preces funduntur. Sed cùm consuetudo sit Romanæ Ecclesiæ in generali Concilio Sanctos Dei canonizare, quod tunc temporis in Remensem civitatem in festo S. Lucæ indictum fuerat; accepto consilio, petitionem Ecclesiæ nostræ usque in prædictum locum distulit, ibique definiturum certissimè promisit.*

III. In eo Lotharius II Imperator coronatur.

Ægidius Aureæ vallis monasterii Cisterciensis Monachus, qui testatur se Historiam Pontificum Leodiensium desiisse scribere anno Domini MCCLI, cap. 27. De adventu Innocentii Papæ in urbem Leodiensem hæc habet: *Anno Domini MCXXXI, Gregorius, qui Innocentius dictus est secundus, multo comitatu Episcoporum & Abbatum à Francia in Lotharingiam transit, & Dominica IV Quadragesimæ,* (legendum, Dominica III, ut sequentia indicant) *quæ est XI Kalend. Aprilis, Leodium venit. Ibi a Lothario Rege Alemanniæ, & à Domino Alexandro Leodiensi Episcopo, & aliis multis Episcopis, & Abbatibus tam Lotharingis quàm Transrhenensibus, muneribus honoratur, tota civitas in obsequio fervet, & Dominica in medio Quadragesimæ* (Quarta scilicet) *ab Ecclesia Sancti Martini in publico monte usque ad Ecclesiam Sancti Lamberti publicam & solemnem exhibuit processionem; Missam celebravit; ibi Regem & Reginam coronavit. Æstimati sunt à quibusdam XXXII Episcopi & Abbates affuisse, inter quos fuit unus Sanctus Abbas Bernardus Claravallis. Rediens Papa à Leodio Claram vallem divertit,* quæ est Abbatia celeberrima, ubi Sanctus Bernardus Abbas erat, sita in Campania provincia ad Albulam Fl. tribus leucis à confinio Burgundiæ distans. Anselmus Gemblacensis in Chron. notat Innocentium II dum Leodii esset, *conjugatos Presbyteros* excommunicasse.

SÆC. XII. An. C. 1131. IV. Innocentius II Parisios venit.

Chronographus verò Mauriniacensis præcedentibus ex eo suprà in medium allatis subjungit: *Exinde* (sc. ex urbe Leodiensi) *rediens Innocentius in Galliam, denique Autissiodoro commoratus, cùm tempus convocati Concilii, quod in festivitate Beati Lucæ Evangelistæ celebraturus erat, appropinquaret, conciliato prius apud Turonum Gaufrido Martello nobilissimo & strenuissimæ indolis adolescente, Comite Andegavensium, Turonorum atque Cenomanensium, rursùs per Aurelianensem, Stampensemque rediens Provinciam, sua præsentiâ Parisius illustravit. Ingredienti tota civitas obviam ivit. Sic homo ille & comitate vultus & affabilitate sermonis, intuentium merebatur benivolentiam. A Rege Ludovico filioque ejus Philippo faverabiliter excipitur, & egrediens ab urbe honorabiliter educitur.*

V. Cœnam Domini in monasterio S. Dionysii celebrat.

Huc revoco quæ Scribit Sugerius in Vita Ludovici Regis VI pag. 318. *Pace Imperii & Ecclesiæ confœderata* (in urbe nempe Leodiensi) *instantem Sancti Paschæ diem* (nempe XIX mensis Aprilis) *apud nos in Ecclesia B. Dionysii* (duabus leucis ab urbe Parisiensi distante) *tanquam specialis filia affectat celebrare. Nos autem ob timorem Dei & Ecclesiæ, matris & filiæ, gratanter pridie Cœnæ Domini suscipientes, celeberrimam Deo & hominibus proferentes processionem, adventum ejus odis exultationis collatantes amplexati sumus. Cœna ergo domini apud nos more Romano, & sumptuoso donativo, quod Presbyterium nominatur* (est donativum, quod Summi Pontifices distribuere solent, maximè cùm inaugurantur, ut multis exemplis ostenditur in Glossario Ducangii in voce *Presbyterium*) *celebrata, venerandam domini crucifixionem venerando prosecutus, sanctissimæ Resurrectionis vigilias honore debito pernoctavit. Summo mane verò extrinseca via ad Ecclesiam Martyrum in strata cum multo collateralium collegio quasi secretò commeavit, ibique more Romano se ipsos præparantes, multo & mirabili ornatu circumdantes, capiti ejus Frigium* (seu Phrygium præcipuum capitis Summi Pontificis ornamentum, de quo vide dicta anno MCVII num. II) *ornamentum Imperiale instar galeæ circulo aureo circinatum imponunt, albo & palliato equo insidentem educunt, ipsi etiam palliati equos albis operturis variatos equitantes, odas personando festivè geminati procedunt. Barones verò Ecclesiæ nostræ feodati, & Castellani nobiles, stratores humillimi peditus eum equitantem freno deducebant. Quidam etiam præviè copiosam monetam, ut turbam impedientem removerent, jactitabant. Via autem Regia, & salicibus & fixis stipitibus pretiosis palliis rutilabat.*

VI. Pascha ibidem celebrat.

Cùm autem & militia cunei & populi multi concursus ei honoratissimè occurreret, nec etiam ipsa Judæorum Parisiensium excæcata defuit Synagoga, quæ Legis literam, rotulam scilicet velatam (vide quæ anno superiori num. XXVII de rotulo, qui idem est ac rotula, diximus) " *offerens, ab ore ejus hanc misericordiæ & pie*-" *tatis obtinet supplicationem;* Auferat Deus Om-" nipotens velamen à cordibus vestris. *Perveniens ergo ad Sanctorum Basilicam coronis aureis rutilantem, argenti & plus centies auri pretiosarum gemmarum & margaritarum splendore fulgurantem, divina divinè celebrans, agni veri Paschalis victimas sacratissimas nobis cooperando immolavit. Finita verò Missa, erectis in claustro palliis strato mensis, materialem agnum tanquam thoris accubitati*

accubitati sumunt; cetera nobilis mensa fercula consueto more suscipiunt. Sed & sequente die eamdem ab Ecclesia Sancti Remigii ad principalem reciprocant processionem. Transactis itaque tribus post Pascha diebus, cum gratiarum actione, & auxilii & concilii promissione Parisium transmeavit. Exinde Gallicarum Ecclesias visitando, & de earum copia inopia suæ defectum supplendo, cùm per terram aliquantisper deambulasset, Compendii demorari elegit, quod oppidum est XVIII leucis à Parisiis in boream distans. Recitat hunc Sugerii locum Baronius, sed ad intelligentiam eorum quæ in medium adducimus, hic omittendus non fuit.

VII. *Ignem morbus Parisiis miraculosè sanatur.*

Anno superiori igneus morbus, seu sacer quidam ignis populum Parisiensem invaserat; cui sanando medicorum remedia inutilia fuêre. *Stephanus* urbis Parisiensis Episcopus constituit Processionum dies, quibus Sanctorum Reliquiæ ad Ecclesiam Cathedralem Beatissimæ Dei Genitrici dicatam deportarentur. Tandem ad eamdem Basilicam delatæ *Sanctæ Genovefæ* Parisiorum Patronæ Reliquiæ, statim atque eam ingressi sunt, qui ejus thecam ferebant, omnes tribus exceptis sanati sunt, nec ultra id tempus morbus sævit. Auctor Anonymus, qui quæ viderat, refert, apud Bollandum ad diem III Januarii, quo Sancta *Genovefa* colitur pag. 152. ait: *Venit sequenti anno ad partes istas, felicis memoriæ Innocentius Papa, qui audito miraculo, & Virgini* (nempe Genovefæ) *gratias egit, ipsumque miraculum tanquam indeficienti laude dignum anniversaria laude donavit. Nulli autem in dubium veniant quæ scribimus, quia non audita sed conspecta narramus.* Instituta tunc *Excellentia Sanctæ Genovefæ*, seu *festum miraculorum*, cujus ad diem XXVI Novembris in multis Martyrologiis mentio, ut videre est apud Bollandum citatum. Ad perpetuam hujus rei memoriam ædificata Parisiis est Ecclesia juxta antiquam Basilicam, dicataque Deo sub honore & nomine B. Genovefæ *de Miraculo Ardentium.*

VIII. *Ignis sacer hoc & præcedenti seculo in Gallia sævit.*

Hoc morbo igneo diu vexata est Gallia. Nam Gaufredus Prior Vosiensis scribit ad annum MXCIV, *Aquitaniam* tunc temporis eo atrocissimè arsisse: & ex omni parte ad S. Martialem Lemovicensem confluxisse populorum ac Principum turmas, ejus interventu levamen mali quæ[r]entes: tumque *Sanctum Pardulfum* innumeris coruscasse miraculis. Seculo superiori exeunte *Sancti Antonii Abbatis* Congregatio hujus morbi occasione in Delphinatu instituta, annoque MCXXVIII idem ignis sacer extinctus est Suessione precibus Deiparæ Virginis, qua de re Magister *Hugo Farsitus* scripsit libellum, quem Picardus Canonicus Regularis Sancti Victoris, in Notis ad Epistolam xxxv Divi Bernardi, testatur inveniri MS. in Biblioth. Victorina, cujus aliud exemplar MS. dicit se vidisse Oudinus in Supplem. de Script. Eccles. in Hugone Farsito. Editus est libellus iste ad calcem Historiæ Gallicæ B. Mariæ Suessionensis à paucis annis Parisiis. Scripsit ad Hugonem Abbatem incerti loci Epistolas duas Sanctus Bernardus. Plures tamen per hæc tempora fuisse Hugones Farsitos, ostendit Mabillonius in Nota ad Epist. XXXV Divi Bernardi, ideoque incertum, an Hugo iste idem sit cum eo, de quo loquimur. Denique Anselmus Gemblacensis in Chron. ait anno MCXXIX hanc plagam ignis divini Carnotum, Parisios, Suessionem, Cameracum, Attrebatum, & alia multa loca pervasisse, & ope genitricis Dei Mariæ extinctam fuisse, quod pluribus narrat.

IX. *Innocentius II varias urbes perlustrat.*

Parisiis Rotomagum, indeque Bellovacum Innocentius II profectus est. Nam in Biblioth. Clun. pag. 1393. refertur Rescriptum *datum Belvaci per manum Aimerici S. R. E. Diaconi Cardin. & Cancellarii XIII Kal. Junii, indict. VIIII Incarnat. Dom. anno MCXXXI, Pontificatus vero Domini Innocentii Papa II anno II.* Eo Rescripto confirmat Innocentius donationem centum marcarum monasterio Cluniacensi factam ab Henrico Angliæ Rege; aitque Pontifex: *Hæc donatio apud Rotomagum ab eodem filio nostro Henrico Rege Incarnat. Dominica an. MCXXXI indict. IX mense Maio, die dominica in nostra & fratrum nostrorum præsentia facta est.* Tum nomina VIII Cardinalium præsentium, & aliquot Episcoporum ac Abbatum referuntur, & nomina Oldegarii Terraconensis Archiepiscopi, Gaufridi Carnotensis Episcopi, Bernardi Clarevallis Abbatis, & Sugerii Sancti Dionysii Abbatis.

X. *Suessione Ecclesiam S. Medardi consecrat.*

In Chronico S. Medardi Suession. quod extat Tom. II Spicilegii, ad annum MCXXXI legitur: *Ecclesia B. Medardi Suessionis dedicatur à Domno Innocentio Papa II prædicto, Pontificatus sui anno secundo, in honore B. Mariæ semper Virginis, & Sanctorum Apostolorum & Martyrum, & in honore B. Medardi Episcopi & Confessoris idus Octobris. Prædictus siquidem Papa ante dicationem Ecclesiæ prædictæ Odonem Abbatem B. Medardi, nolente, sed contradicente Episcopo Suessionensi Aureliano benedixit pridie Kalendas Octobris.* Hujus Dedicationis ab Innocentio II peractæ meminere & alii.

XI. *Concilium Remense.*

Dominum Papam Remum proficiscentem, Episcoporum, Abbatum, Literatorum, Nobiliumque Clericorum grandis numerus sequebatur, inquit Chronographus Mauriniacensis. Loquitur de hoc Concilio Baronius num. II & duobus sequentibus, illudque habitum *XIV Kalend. Novembris*, teste Dodechino in Chron. In eo Innocentius II Anacletum & *suos fautores excommunicavit, sicque in partibus Germaniæ usque ad septimum annum permansit*, inquit Urspergensis in Chron. sed quoad septennalem Innocentii II in Germania moram, certum est eum falli, septennio enim, quo Româ abfuit, nonnisi in Gallia & in Italia mansit. *Illic affuerunt XIII Archiepiscopi & CCLXIII Episcopi, & Abbatum ac Monachorum & Clericorum magna multitudo. Illuc Rex & Regina, & tota Nobilitas Franciæ confluxerunt*, inquit Ordericus lib. XIII pag. 895. Hujus Concilii Acta periere, sed septemdecim Canones in eo conditi leguntur Tom. X Concil. In quarto, officio atque Ecclesiastico beneficio privantur, *qui a Subdiaconatu & suprà uxores duxerint, aut concubinas habuerint*, in quinto præcipitur, *ut nullus Missas eorum audiat, quos uxores vel concubinas indubitanter habere cognoverit*; & in undecimo *treuga Dei* tempore ibi expresso observari præcipitur. Obiter observa morem Conciliorum, feriâ secundâ inchoandorum.

XII. *Innocentius Ludovicum filium Ludovici VI Franciæ Regis consecrat.*

Philippus puer (major natu Ludovici VI Franciæ Regis) *nuper in Regem unctus, dum in civitate Parisiis equo vehitur, porcus equi pedibus se fortè submittens, equum super ipsum præcipitem dedit, & de ejus subita & miseranda morte Fran-*

cis luctum induxit tertio Idus Octobris, inquiunt Ordericus pag. 895. & pseudo-Robertus de Monte in Chron. Ludovici novi Regis consecrationem Ludovico VI suasit Sugerius, ut ipsemet in Vita Ludovici VI scribit, qui addit, eum cum Adelaide Regina, Philippo filio, & Regni Proceribus Remos venisse, & Concilio interfuisse. *Igitur eo die solito clarior Sol illuxit*, ait Chronographus Mauriniacensis, *& rebus agendis suum obsequium præsentare visus est. Papa mane summo de Palatio Pontificis egrediens cum suis Curialibus & Archiepiscopis, Episcopis & Abbatibus ad Ecclesiam B. Remigii, ubi Rex cum filio hospitatus erat, perrexit, & cum magna devotione atque processione Monachorum decentissime suscipitur. Ibique Romani Pontificis omnibus insignibus indutus, ac, ut sibi consuetudinis est, in sacris magnisque festivitatibus, Frigio* (seu Phrigio quod præcipuum est capitis Summi Pontificis ornamentum, ut anno MCVII diximus) *innumera Ecclesiastici atque militaris Ordinis, plebisque multitudine constipatus, ad Ecclesiam matricem, quæ in honore B. Mariæ consecrata est, cum puero consecrando pervenit &c.* Facta ea consecratio *à Papa Innocentio, octavo Kalendas Novembris*, ut habent pseudo-Robertus de Monte laudatus ac Ordericus lib. XIII pag. 895. & quidem accuratè; Chronographus enim Mauriniacensis jam scripserat factum id fuisse *dominica die*, quæ hoc anno in diem XXV Octobris incidit. Iste Ludovicus post Ludovicum VI patrem in Gallia regnavit.

XIII. *Ei Imperator & varii Reges obedientiam præstant.* *Domino Papa*, inquit Chronographus Mauriniacensis, *in Concilio residenti per quemdam Magdeburgensem Archiepiscopum* (nempe Sanctum Norbertum) *præsentatæ sunt literæ à Lothario Rege Alamannorum, in quibus rursùs & obedientia promittitur. & quòd se ad expeditionem* (nempe Italicam) *cum juribus* (legendum, viribus) *omnibus regni sui prepararet, intimatur. Similiter etiam Rex Anglorum Henricus per Hugonem Archiepiscopum Rotomagensem, & ornatissimas literas misit, & fidelem obedientiam promisit. Reges quoque citerioris Hispaniæ, senior Idelfonsus* (nempe Alphonsus VI Aragoniæ & Navarræ Rex), *& interioris junior Ildefonsus* (nempe Alphonsus VII Castellæ Rex) *missis per Episcopos suarum provinciarum Epistolis Papam salutant, se se filios & obedientes denunciant, auxilium contra Christiani nominis inimicos, & regionum illarum invasores Morabites suppliciter efflagitant. Fuerunt siquidem & lætitiæ & admirationi ad id negotium pertinentes excellentissimorum Heremitarum Cartusiensium literæ. quæ per quemdam venerabilem Abbatem de Ordine Cistellensi* (idest Cisterciensi) *delatæ, & in Concilio per Gaufridum Carnotensem Episcopum recitatæ sunt.* Refert postea Cartusianorum literas, quas dicunt, se mittere *per Abbatem Pontiniacensem*. qui erat *Hugo* primus hujus Monasterii Abbas, postea Episcopus Autissiodorensis, vir magnæ Sanctitatis, de quo fusè agit Manricus in Annal. Cisterciens. variis locis, qui tamen hujus rei mentionem non facit, quia quando Annales suos composuit, Chronicon Mauriniacense nondum lucem viderat.

XIV. *Canonizatio S. Godehardi Episcopi Hildesheimensis.* In Coocilio Remensi *Godehardus* Episcopus Hildesheimensis Sanctorum honoribus donatus fuit. Bernardus enim ejusdem urbis Episcopus qui hoc petierat ab Innocentio II in Concilio Leodiensi, uti suprà narravimus ex Auctore Anonymo Historiæ canonizationis & miraculorum Sancti Godehardi, remissus fuerat ab eo ad Concilium Nationale, *quod tunc temporis in Remensem civitatem in festo sancti Lucæ indictum fuerat*, inquit Anonymus. Festum Sancti Lucæ incidit in feriam I seu in XV Kalend. Novemb. sed Dodechinus Abbas ait, Concilium *XIV Kal. Novemb.* habitum esse, quia scilicet postridie Festi Sancti Lucæ seu feria secunda de more prima sessio coacta, & negotiorum tractatio inchoata. Bernardus Episc. Hildesheimensis unà cum *Sancto Norberto* Metropolitano suo ad urbem Remensem venit, *dum jam Synodus aliquot dies esset celebrata*, inquit idem Anonymus, qui paulò pòst subdit: *Episcopus Tarraconensis, vir religiosus & literali scientia eruditus, quo ordine Translatio fieri deberet, exposuit.* Erat is Beatus *Oldegarius* Barcinonensis Episcopus & Tarraconensis Archiepiscopus. Henschenius ad diem IV mensis Maii Vitam Sancti Godehardi illustrans, pag. 525. Anonymum explicat de *Michaele*, post expulsos Saracenos Episcopo Tarraconensi, ut tradunt Surita & alii; verum manifesto errore; *Michael* enim Episcopus erat Tarraconæ in Regno Aragoniæ, non verò Tarragonæ aut Tarraconæ in Principatu Catalaunensi seu Barcinonensi. *Oldegarium* verò Archiepiscopum Curiam Innocentii II secutum esse, jam suprà indicavimus. In canonizatione Sancti Godehardi *coadunata Synodus terminatur*, inquit Aoonymus, qui statim refert literas Innocentii II *Clero & populo Hildenesheimensi*, datas *Remis IV Kalend. Novembris*, quibus significat, se Godehardum in Sanctorum numerum retulisse. Ex quibus intelligimus, Synodum Remensem die vicesima nona Octobris finitam fuisse.

XV. *Concilium Remense post Leodiense celebratum.* Baronius num. VII videns *Bernardum*, seu veriùs *Ernaldum Bonævallis Abbatem* scribere post Concilium Remense celebratum esse Leodiense quodnam ex illis prius enactum fuerit, sub dubio reliquit; sed vel solus Anonymus non semel hoc anno à nobis citatus, qui hoc tempore vixit Auctorem Vitæ Sancti Bernardi ea in re hallucinatum esse certò nos edoceret, quando alia testimonia deessent. Rectè autem Baronius num. VIII redarguit *Petrum Diaconum* Casinensem, qui lib. 4. cap. 99. scribit, Innocentium II Lothario Imperatori Investituras, quas enixè petebat, concessisse; hoc enim prorsùs à veritate alienum esse ostendit Epistola CL divi Bernardi ad Innocentium II, quâ ejus zelum adversus ambitionem *Philippi*, qui Sedem Turonensem invadere tentabat, excitare cupiens, laudat eum ex variis rectè factis, & de congressu ejus cum Lothario Imp. Leodii habito, aitque: *Sed nec Leodii cervicibus imminens mucro barbaricus compulit acquiescere importunis, improbisque postulationibus iracundi atque irascentis Regis.* Sugerius in Vita Ludovici VI Regis, narrata unctione Ludovici novi Regis, Remis peracta ab Innocentio II, subdit: *Dominus Papa soluto Concilio Autissiodoro elegit demorari.*

XVI. *Innocentius II Noviomi receptus.* Baronios num. XII ait, Innocentium II *Noviomi* à civibus receptum non fuisse, eamque in rem citat pseudo-Robertum de Monte Sigeberti Continuatorem. Verùm hic Historicus hæc tantum dicit: *Ecclesia penè sancta Mariæ in Episcopatu, totaque penè civitas Noviomensis incendio conflagravit, justo, (ut fertur) infortunio, quia*

Summum

Summum Pontificem Innocentium verbis irrisoriis multi illorum exhonoraverunt. Porrò cùm Noviomum paucis locis à Bellovaco distet, illuc mense Maio Innocentius II profectus est, ut ex dictis sequitur.

XVII. *Floret S. Aybertus Monachus Reclusus.*

Ad num. XV. Florebat hoc tempore *Sanctus Aybertus* Presbyter, Reclusus Ordinis Sancti Benedicti, quem cùm Raynerus Abbas Crispinii, monasterii inter Valencianas & Gisnenopolim Hannoniæ civitates positi, itineris Romani comitem assumsisset, ea illa profectione redux factus est Monachus Crispiniensis. Miro modo in claustro *annis viginti quinque* vixit, ut narrat Robertus Archidiaconus Ostrevandensis in Belgio, Auctor coævus in ejus Vita qui asserit se *eum viventem & mortuum* dilexisse, additque Aybertum postea reclusum in eremo *sub imperio* Crispiniensis Abbatis *viginti & quinque annis* vixisse. Ad honorem Sacerdotii *promotus est, ut populis ad se venientibus melius consulere & familiarius secreta confessionum audiret. Factus autem Presbyter duas in die celebrabat Missas, unam pro vivis, alteram pro defunctis*, inquit idem Robertus. Molanus ad diem II mensis Maii, & Arnoldus Raissius Canonicus Duacensis, qui Vitam Sancti Ayberti edidit primæva phrasi, quæ nunc legitur in Actis SS. Bollandianis ad diem VII April. plura referunt exempla eorum, qui plures Missas eadem die celebrarunt. Peractis *quinquaginta annis*, ex quo factus fuit Monachus, *ipso sacratissimo die Sancti Pascha quod tunc VII Idus Aprilis accidit celebrandum*, feliciter obdormivit in Domino, ideoque vel anno MCXXXV, vel anno MCXL quo utroque anno Pascha incidit in diem septimum Idus Aprilis, seu diem septimum ejusdem mensis. Henschenius in Notis ad eos Vitam, refert Rescriptum Innocentii II Ayberto *Monacho & Recluso* concessum *Remis XII Kalend. Novemb.* quo confirmat facultatem à Paschali & Honorio ei factam audiendi confessiones, & *ostiis apertis* Missas celebrandi.

XVIII. *Floret S. Leopoldus Marchio Austriæ.*

Florebat etiam *Sanctus Leopoldus*, cognomine *Pius*, quartus ejus nominis Marchio Austriæ. Lambecius Tom. II Biblioth. Cæs. pag. 916. testatur in ea Bibliotheca extare *Chronicon Austriacum Florianense*, sive in Monasterio Sancti Floriani supra Anisum Fl. posito, perductum usque ad annum Christi MCCCX, quo Auctor Anonymus, qui illud edidit, scribit se vixisse. Leopoldus juxta illud Chronicon fundator extitit monasteriorum in Austria *Neunburg*, & *Sancta Crucis*, duxitque uxorem Agnetem nomine, *filiam Heinrici Imperatoris quarti, per quam habuit decem & octo pueros, quorum septem* ut scribit alius Anonymus, cujus fragmentum recitat ibidem Lambecius pag. 631. *tempore infantia de medio sublati sunt, undecim verò, qui supervixerunt, scilicet sex filii & quinque filiæ ad honores rerum temporalium non modicos promoti sunt omnes.* Subdit Leopoldum *anno MCXXXVI decima septima Kal. Decemb.* de hac luce subtractum fuisse. Anno MCCCCLXXXV, ut eo anno apud Spondanum num. I videre est, Innocentius VIII Leopoldum innumeris miraculis clarum, Friderici III Imperatoris & Principum Germaniæ precibus inter Sanctos retulit.

XIX. *Moritur Balduinus II*

Ad num. XVI. Mortuus est hoc anno, vicesima prima die mensis Augusti *Balduinus II* Hierosolymorum Rex, cui successit *Fulco gener ejus, Comes Turonensium, Genomanensium & Andegavensium, cui prædictus Dominus Rex filiam suam primogenitam Milisendem nomine dederat uxorem*, inquit Tyrius lib. XIII cap. ult. & lib. XIV cap. I. *Fulco*, ut subdit Tyrius, uxore defuncta Hierosolymam venerat, & Balduini II gratiam & universorum Principum familiaritatem acquisierat; cùmque ad propria regressus fuisset, Hierosolymam vocatus fuit à Rege, qui ei primogenitam suam matrimonio copulavit; & ad Regni Hierosolymitani successionem eum destinavit.

Hierosolymorum Rex.

XX. *Obitus Stephani II Hungariæ Regis.*

Stephanus Hungariæ Rex hujus nominis II filius Colomani Regis, cùm esset in articulo mortis, *Monachalem habitum relicto regno suscepit: anno regni sui XVIII & sepultus est Waradini. Migravit autem ab humanis anno domini MCXXXI*, inquit Joannes de Thwrocz in Chron. Hungarorum cap. 73. Regnavit post eum *Bela* cæcus, filius Ducis *Almi* cæci, qui fuit Princeps optimus.

XXI. *Moritur Raimundus III Comes Barcinonis & Provinciæ.*

Raimundus Berengarius hujus nominis III Comes Barcinonensis & Provinciæ Princeps *armis opinatissimus*: hoc etiam anno obiit, ut tradit Auctor de Gestis Comit. Barcinon. qui subdit: *Rexit Comitatus supradictos L annis, dimisitque duos filios quos instituit post se heredes, Raimundum Berengarii videlicet in Barchinona, Bisulduni & Cerritaniæ Comitatibus, Berengarium namque Raimundi in Provincia Comitatu.* Dominatus est per annos quinquaginta Comitatui Barcinonensi, sed Provinciæ per annos viginti tantum inchoatos. Fuit *vir mente pius, militia strenuus, pacis amator, in bellis inclytissimus triumphator*, inquit idem Anonymus, qui tradit etiam Raimundum Berengarii ejus filium, hujus nominis quartum *mira probitate, scientiâ, & ingenio* claruisse. Verùm in eo fallitur, quod scribit, Raimundum III in fine vitæ se ipsum *Deo & Hierosolymitanæ* militiæ obtulisse. Constat enim ex Actis publicis à Diago lib. 2. Hist. Com. Barcinon. cap. 114. & seqq. memoratis, lectisque, eum habitum *Templariorum* induisse, idque mense Julio paucis ante mortem diebus. Contendit quidem Diagus eum anno superiori demortuum; sed præterquamquod Auctore Chronici Sancti Victoris Massiliensis, & omnes Scriptores Hispanicos contrarios habet, Baluzius lib. 4. Marcæ Hispanicæ eum deceptum fuisse ostendit. Ejus testamentum refert idem Baluzius in Append. ad Marc. Hisp. num. CCCLXXXI.

XXII. *Concilium Moguntinum.*

Dodechinus Abbas ad hunc Christi annum meminit Concilii Moguntiæ habiti, *præsente Lothario Rege, præsidente Matthæo Albanensi cum Maguntinensi Archiepiscopo*, in quo Bruno Argentinensis Episcopus super sua intrusione impetitus, *in manus Archiepiscopi & Cardinalis Argentinensem resignavit Episcopatum.* Mentionem hujus Concilii facit etiam Trithemius in Chron. Hirsaug. ad hunc Christi annum, atque Innocentium II, qui in Concilio Leodiensi verus Papa declaratus fuerat, iterum in Concilio Moguntino verum Pontificem agnitum esse, & *Matthæum Albanensem* Episcopum Card. Apostolicæ Sedis *in Germania* Legatum huic Concilio præsedisse. Nominat præter duos Archiepiscopos Moguntinum & Trevirensem, Episcopos octo Germaniæ; qui eidem interfuêre, inter quos sanctus *Otto* Episc. Bambergensis, dicitque se aliorum multorum nomina ignorare. Ex quo potest, Baronium anno superiori perperam existimasse

SÆC. XII. An. C. 1131.

stimasse *Matthæum Albanensem* Legatum Apostolicæ Sedis in Galliam missum esse. Fallitur & Trithemius, quando ait *Matthæum* jam per triennium in Germania Legatum præsedisse, cùm, ut suo loco ostendimus, anno MCXXVII & duobus subsequentibus legatus in Galliis fuerit.

XXIII. *Moritur Hildebertus Archiep. Turonensis.*

Hoc anno mortuus est *Hildebertus* Cenomanensis Episcopus, & post obitum Gilleberti Archiepiscopi Turonensis, ad eam Metropolim anno MCXXV translatus. Ordericus lib. 4. pag. 531. testatur, illam translationem peractam esse anno MCXXV *indictione IV*, & lib. 12. pag. 882. dicit, id factum *indictione III*, indeque in priori loco corrigenda indictio IV. Ordericus enim indictionem cum anno Incarnationis exorditur. In posteriori loco scribit, *eadem septimana, qua Callistus Papa*, hominem exuit, Gislebertum Turonensem Archiep. *qui pro Ecclesiasticis negotiis Romam perrexerat*, illic obiisse, & Turonenses Hildebertum sibi Præsulem adscivisse, *& Honorii Papa permissu gaudentes in Turonica Metropolis cathedram transtulisse*. Verùm summopere fallitur, in eo quod utrobique Callisti II mortem cum anno MCXXV connectit, cùm certum & indubitatum sit Callistum medio circiter mense Decembri anni antecedentis vivere desiisse. Subdit in posteriori loco Ordericus: *Ibi ferè VII annis honorificè vixit, & subjectis profecit*; in priori verò, *ibi laudabilibus studiis & actibus adhuc insistit*. Ex quibus duo eruimus. Primum Hildebertum anno MCXXXI vitam cum morte commutasse; nam Mabillonius Tom. III Analect. refert gesta Episcoporum Cenomanensium, in quibus dicitur, *Hildebertum* rexisse Ecclesiam Turonensem *sex annis & mensibus sex*, & fuisse vitam ejus *quasi LXXX annorum*. Quare currenti anno Hildeberti mors accidit; cùm Anonymus ille & Ordericus de duratione Sedis ejus in Ecclesia Turonensi conveniant, & perspicuum sit, tam Labbeum in lib. de Script. Eccles. quàm Sammarthanos mortem ejus in annum MCXXXVI malè distulisse, eo, ut videtur, fundamento, quòd *Hugonis de Stampis* Hildeberti successoris ante illum Christi annum in Actis publicis mentio non occurrat. Intelligimus secundò Ordericum librum suum quartum, ante annum currentem composuisse, cùm de *Hildeberto* adhuc vivente loquatur, & deceptos esse Viros doctissimos, qui quod viderent colligi ex libro XIII, qui ultimus est, Ordericum anno MCXXXV libri illius elucubrationi incubuisse, scripsêre eum Historiam suam anno MCXXXV composuisse; id enim tantum de parte libri XIII dicendum, non verò de universo ejus Opere. Præter *Hildeberti* Opera à Labbeo enumerata, plures ejus Epistolæ Tom. VI & XIII Spicilegii Dacheriani, & una Tom. I Analect. editæ sunt. Porrò Hildeberto demortuo Canonici Turonenses in partes divisi sunt; quidam enim quemdam Philippum elegêre, *qui non intrans per ostium in ovile ovium* Petrum Leonis adiit, & sacramento ab eo suscepto *festinanter rediens, sedem Turonensem occupavit*, inquit Auctor citatus de Gestis Episc. Cenomann. Ad hanc invasionem retrahenda quæ anno MCXXXVII num. XVII Baronii ordinem sequentes diximus.

XXIV. *Innocentius*

Innocentius II, quem suprà diximus post Concilium Remense *Antissiodori* resedisse, in eadem urbe ad petitionem *Heloissæ* uxoris quondam Petri Abaëlardi, tunc Priorissæ Monasterii Paraclerensis in diœcesi Trecensi siti, ejusdem monasterii possessiones, inpræsentiarum adeptas, aut in futurum eidem concedendas, sub Apostolicæ Sedis protectione suscipit, idque, ut videtur, Petri Abaëlardi rogatu & meritis. Refert eas literas Bulæus Tom. II Hist. Universit. Paris. pag. 127. quarum hæc clausula est: *Datum Antissiodori per manum Alderici* (legendum, Aymerici) *S. R. E. Diaconi Cardinalis, & Cancellarii IV Kal. Decemb. indict. X Incarnat. Domini an. MCXXXI, Pontificatus verò D. Innocentii Papa II anno II.* Abaëlardus, qui in Oratorio Paracletensi manserat, antequam illud in Heloissam & Moniales ejus transferret, in Hist. suarum calamitatum cap. 13. ait: *Et plus (sciat Deus), ut arbitror, uno anno in terrenis commodis sunt multiplicata, quàm ego per centum, si ibi permansissem. Quippe quò fœminarum sexus est infirmior, tanto earum inopia miserabilior facilè humanos commovet affectus, & earum virtus tam Deo quàm hominibus est gratior. Tantam autem gratiam in oculis omnium illi sorori nostra, quæ cæteris præerat, Dominus annuit; ut eam Episcopi quasi filiam, Abbates quasi sororem, Laici quasi matrem diligerent*, &c.

SÆC. XII. An. C. 1131. *II Monasterio Paraclatensi favet.*

XXV. *Anacletus Beneventi auctoritatem suam communit.*

Anacletus Antipapa anno superiori exeunte vel currentis initio *Beneventi* versabatur, & Roberto Principe Capuano operam suam conferente, auctoritatem suam ibidem communit; mense enim Februario unum è factiosis Ralpolrum nomine è carcere liberavit, qui, ut narrat Falco in Chron. *Sacramento firmavit, jam amplius communitatem illam* (Beneventanam), *vel aliam nunquam tenendam. Alios verò ejus sequaces sacramentis ligatos de civitate projecit, ut sine ipsius Anacleti voluntate, vel sui Rectoris, non ingrediantur civitatem; quibus omnibus ita pacatis, prædictus Anacletus die Kalendarum Martiarum Salernum ivit, deinde consilio accepto Romam redeundi disposuit.*

XXVI. *Beneventani seditionem affecti.*

Salerno Anacletus Capuam venit, uti refert Falco, tuncque Beneventana civitas turbata fuit seditione, à Rectore seu Præfecto Crescentio compressa. Id post Kalendas Martias & discessum Anacleti à Beneventana urbe accidit, *diebus non multis evolutis, octavo die intrante mensis Maii* (legendum, mensis Martii, ut sequentia ostendunt. Nam *interea* duo judices Beneventani, qui in exilium missi fuerant, *Roffridus & Persicus cognoscentes prædictum Anacletum Capuanam civitatem applicuisse, ut Romam reverteretur* (scilicet mense Martio currentis anni) *civitatem Capuanam ingrediuntur. Inde Robertum Principem tunc Anacleti fidelem suppliciter precantur, ut ejus intercessione amorem Anacleti invenire mereantur. Robertus itaque Princeps absque mora Anacletum adiit.... Petitionibus Principis Anacletus favens, literis datis licentiam redeundi & securè habitandi in civitate eis largitur. Ii verò ad portam S. Laurentii pervenerunt, disponentes ad propria, fronte libera, sicut ab Anacleto acceperant, reverti* (Beneventani enim Anacleto in omnibus subditi esse nolebant, sed consueta agendi licentia uti volebant). *Sed turba inimicorum copiosa simul cum prædicto Crescentio* (Beneventano præfecto) *insurgens crudeliter; ne introirent, minatur. Ipsi verò potentiam eorum & minarum copiam sentientes salutis consilium arripiunt, & ad prædictum sunt reversi Anacletum*

cletum

SÆC. XII. An.Ch. 1132. *cletum, qui adhuc Capua morabatur, continuò pedibus ejus prostrati, omnia, quæ dicta, quæque facta super se fuerant, è vestigio retulerunt. Anacletus igitur super hoc iratus cœpit contra Beneventanos mirabiliter minari. Tandem ex consilio Principis eos ad civitatem remisit, dans eis Cardinalem suum, ut eo viso & audito fidem darent, eosque pacifico ad propria eorum reverti permitterent. Venerunt igitur cum prædicto Cardinali, quo medio, omnique deposito furore cum civibus cives ipsi permanserunt.*

Anno Eræ Hispan. MCLXX. Anno Hegiræ DXXVII, inchoato die 11. Novemb. fer. 7.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6625.

☉ 21. C B. ☽ 12. P. 10. April. Indict. 10.

JESU CHRISTI 1132.

INNOCENTII II PAPÆ 3.

LOTHARII REG. 8.

JOANNIS COMNENI IMP. 15.

I. *Innocentius II in Italiam redit.*

AD num. I. Innocentius II toto anno superiori *Franciam peragravit, & immensam gravedinem Ecclesiis Galliarum ingessit, utpote qui Romanos officiales cum multis clientibus secum habuit, & de redditibus Apostolicæ Sedis in Italia nihil adipisci potuit*, inquit Ordericus lib. XIII pag. 895. Hoc verò anno, ut ait idem Ordericus pag. 896. *postquàm à Gallis, in quibus obedientiam, & ingentem amicitiam repererat, recessit, Italiam expetiit.* Cluniacum pervenit *Kalendis Februarii*, ut ipsemet scripsit ad Ludovicum VI Francorum Regem, literis, *Cluniaci IV Nonas Februarii* datis, & Tom. X Concil. pag. 955. recitatis. Adhuc Cluniaci versabatur die X ejusdem mensis, quo literas dedit *Stephano* Cisterciensium Abbati, quibus prohibet ne aliquis Episcopus vel Archiepiscopus eum vel Successores ejus, seu aliquem Abbatem Cisterciensis Ordinis, *nisi pro fide, ad Concilium vel Synodum venire compellat.* Literæ datæ sunt *Cluniaci IV Idus Febr. indict. X, Incarnat. Dom. anno MCXXXII, Pontificatus verò domini Innocentii secundo.* Referuntur eæ literæ à Manrico in Annal. Cisterc. hoc anno cap. 1. E Monasterio Cluniacensi *Lugdunum* venit, ubi Rescriptum emisit in Biblioth. Cluniac. pag. 1394. recitatum, cui subscribit *Matthæus Albanensis Episcopus* cum aliis, & in ejus fine legitur: *Actum est Lugduni anno incarnat. Dom. MCXXXII, Pontificatûs verò Domini Innocentii Papæ II anno secundo*, ideoque ante diem XVI mensis Februarii, quo tertium Pontificatûs annum ingressus est. Ex his literis colligere est, *Matthæum Albanensem*, qui anno superiori Legatus in Germania erat, Innocentium II in Italiam pergentem comitatum esse, quod & colligitur ex Epistola CCCLII inter Bernardinas, qua Innocentius Papa Divo Bernardo atque Ordini Cisterciensi amplissima concedit Privilegia ob præclara ejus in Sedem Apostolicam merita, literis subscribunt Innocentius Papa, *Matthæus Albanensis Episcopus*, aliique, & in earum fine habetur: *Dat. Lugduni per manum Aimerici S. R. E. Diac. Card. & Cancellarii, XIII Kal. Martii Indict. X Incarnat. Dom. anno MCXXXI Pontific. Domini Innocentii Papæ II anno tertio*, ubi Innocentius II annum Incarnat. à die vicesima quinta Martii exorditur, ut indictio & annus Pontificatus ejus demonstrant, ideoque ea Epistola hoc anno scripta, non verò superiori, ut perperàm in margine Mabillonius notavit.

Inde *Valentiam* profectus est, ubi controversiam quamdam, quæ inter Cluniacum & Abbatem Sancti Ægidii exorta erat, composuit, literis Tom. X Concil. pag. 964. recitatis, datisque *Valentiæ per manum Aimerici S. R. E. Diaconi Card. & Cancell. VIII Kal. Martii, Incarnat. Dom. anno MCXXXII, Pontificatus verò Domini Innocentii II Papæ anno III.* Hæ literæ à Matthæo Albanensi Episc. etiam subscriptæ. Valentiæ adhuc morabatur, *XVII Kal. Aprilis*, quo Trenorciensibus Privilegium concessit à Chiffletio in Probat. ad Hist. Trenorciensem pag. 418. recitatum. Ex Urbe Valentina ad Fanum Sancti Ægidii se contulit, ut narrat Baronius num. I ex Scriptore Anonymo hujus temporis: *Recedens Galliâ*, inquit Anonymus, *Venturus Romam, transiens per sanctum Aegidium, & per montem Genua* (legendum, Genevæ,) *fines Longobardiæ intravit, & apud Astam solemnitate Resurrectionis Dominicæ celebrata, Placentiam venit. Ibi convocatis Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, tam de Longobardia, quàm de Ravennatensi Provincia, & Marchia inferioris partis, tertium Concilium celebravit.* II. *Asta Pasch. celebrat.*

III. *E Gallia discedens Gaufridum Carnotensem Episc. Legatum suum creavit.*

Placentiæ adhuc erat *Nonis Novembris*, quo die dedit literas ad Gaufredum Carnotensem Episcopum Apostolicæ Sedis Legatum, & ad Stephanum Parisiensem Episcopum, quibus mandat, ut Aurelianensi Subdecano ac sociis honores & bona ablata restitui satagant; ut enim scribit Arnulphus Sagiensis Archidiaconus in Præfatione ad Tractatum *de Schismate orto post Honorii Papæ decessum*, Gaufrido Carnotensi Episcopo & Romanæ Ecclesiæ Legato dicata: *cùm ad resistendum Petro-Leonis in Italia Præsul Romanus indefe[...] assistat; ad resistendum Girardo* (Engolismen. Episcopo, qui se Anacleti Legatum dicebat) *vos reliquit in Gallia, ut sit capiti caput oppositum, & dextera dexteræ conferatur. Sicut enim Petrus schismatis hujus princeps & auctor est; sic Girardus ejus inter omnia principalius est instrumentum.*

IV. *Lotharius in Longobardiam ad Innocentium II venit.*

Ad num. II. Chronographus Hildesheimensis, qui hoc tempore vivebat, ad hunc annum ait: *Translatio Sancti Godehardi facta est* (quarto scilicet Nonas Maij, ut narrat Auctor canonizationis & miraculorum ejus in Actis SS. Bollandianis ad diem IV Maij, ubi & referuntur complura miracula in ea Translatione patrata). *Circa Assumptionem Sanctæ Mariæ profectio Regis* (sc. Lotharii) *in Italiam pro consecratione sua ab Apostolico apud Romam in Cæsarem. In quo itinere cùm ad urbem Augustanam venisset, eam pacificè ingressus est; sed quorumdam civium factione seditio contra Regis homines exorta est: & hac de causa repentino igne, ut in tali tumultu fieri solet, civitas ferè tota conflagravit, & multi tam gladiis quàm flammis perierunt. Rex Natalem Domini in Longobardia apud villam Medicinam dictam celebrat*, quem Natalem cum anno MCXXXIII alligat, quia ab eo die annum exorditur. In Longobardia Innocentius II cum Lothario colloquium habuit, à Baronio narratum; indeque *Pisas* reversus est, ubi Genuensem Episcopum Metropolitanum constituit, & Archiepiscopo Pisano aliquot suffraganeos tam in Sardinia, quàm in Corsica attribuit, uti refert Baronius ex Actis

adhuc

adhuc ineditis. Pisanum autem Episcopum jam anno MCXVIII à Gelasio II Archiepiscopum creatum fuisse, eo anno demonstravimus. Erravit itaque Manricus in Annal. Cisterc. hoc anno cap. VII, qui ex Actis à Baronio relatis deducit civitatem Pisanam hoc anno factám esse Metropolim.

V. *Rogerius Siciliæ Rex totam Apuliam sibi subjicit.*

Ad num. III & seq. Alexander Abbas narrat Rogerium Siciliæ Regem Barium expugnasse, ejusque Principem Grimoaldum cum Tancredo de Conversano Comite sibi subjecisse, quæ quia fusiùs ab eo tractata, apud eumdem legenda. Anonymus verò Casinensis ait: *Anno MCXXXI* (nobis MCXXXII) *Rogerius Rex expugnavit Barium, & cum Principe & Comite pugnans apud Nuceriam superatur, maxima strage utrorumque. Rex Lotharius Italiam ingressus est.* Denique Falco in Chronico: *Hoc anno prædictus Anacletus venit Salernum, sedem rebellem sibi & resistentem; consilio habito exercitum congregavit, & super castrum Brundisii ejusdem Tancredi festinavit, & illud terra marique obsedit, sicque mirabiliter expugnatum sua illud obtinuit potestati, & his actis super civitatem Barensem exercitu convocato festinavit. Nec mora, civitatem illam diversis cœpit expugnare machinationibus; per quindecim verò dies civitas illa obsessa & expugnata est. Tandem civium Barensium traditione manifestata, civitas ipsa ad Regis potestatem tradita est; & civitate ipsa sic comprehensa Grimoaldus Princeps, vir valde mirabilis & bellicosi spiritus, à quibusdam concivibus captus est, & ad Regis potestatem perductus, quem Rex ipse confestim captivum cum uxore sua, ad Siciliam mandavit. Sicque totam Apuliam suæ subegit potestati.* Falco ait, prælium ad Nuceriam commissum esse in vigiliis B. Jacobi Apostoli.

VI. *Proceres hortatur ut in sua permaneant fidelitate.*

Baronius summarium rerum à Falcone hoc anno memoratarum refert, quibus adde Crescentium Cardinalem Anacletistam Beneventum in sua potestate habuisse, eumque Beneventanos expulisse, quòd civitatem Rogerio Regi tradere voluisset. Præter hæc Falco pag. 274. & seqq. inquit: *Hoc anno duodecimo die intrante mensis Augusti obiit Landulphus Beneventanus Archiepiscopus. Prædictus Rex Rogerius consilio communicato in Apuliam descendit, & apud civitatem Melphitanam diebus non multis moratus est. Continuò, quosdam ex Baronibus suis vocari mandavit, quos valde præcipiendo admonuit, quatenus in ejus permanerent fidelitate & dilectione,* &c. *Quibus peractis Salernum repedavit, ibique Procerum suorum frequentia magnificatus de inimicitiis Principis Capuani & Comitis Rainulphi*, qui Mathildem Rogerii sororem uxorem habebat.

VII. *Sergius Magister militum Neapolis ab eo deficit.*

Rogerius post Amalphim anno superiori captam Salernum rediit, *& dum ibi moraretur*, inquit Alexander Abbas lib. 2. *Magister militum Neapolis Sergius nomine, cernens in Rogerio tantam virtutem exercuisse potentiam* (anno superiori) *non quidem belli rigore, sed solum ipsius* (nempe Rogerii) *timore conterritus ivit ad illum, ejusque subjicitur dominatui, quæ videlicet civitas, mirabile dictu, post Romanum Imperium* (idest, post Justinianum) *vix unquam à quoquam ferro subdita fuit: nunc verò Rogerio solo verbo præmisso subditur.* Exeunte anno MCXXIX Sergius Rogerio tanquam magno Principi se se modo merè honorario summisit, hoc verò anno ejus clientelam agnovit. Sed cùm sibi arcem reservarit, non multò pòst adversus eum rebellavit, se seque Roberto Capuano Principi & Rainulpho Comiti, qui quòd pessimè haberentur à Rogerio defecêre, hoc anno fœdere junxit.

VIII. *Mathildis uxor Rainulphi illum deserit.*

Baronius num. IV ait, Rogerium Rainulphi, uxorem captivam in Siciliam abduxisse; sed ea in parte ejus narratio nutat; ut enim prodit Alexander Abbas, *Comitissa Mathildis audiens Rogerium fratrem suum Salernum advenisse de Alefis, absente & ignorante marito suo Rainulpho, Comite, ad eum* (sc. Rogerium) *profecta est, profitens se nulla ratione ad ejus torum ulterius redituram,* &c. *Rex,* &c. *eam apud se pro suo velle manere permisit.* Quod Falco etiam insinuat, cùm hoc anno scribit: *Rex deprehendens Comitem Rainulphum convitia multa & afflictiones Mathildi uxori suæ inferre, ejusdem Regis sorori, quam ultra quam credi potest, diligebat* (nempe Rogerius) *consilio habito ipsam suam sororem mandavit, quam honestè accipiens eam dulcibus colloquiis consolatur, & eam in Siciliam mandavit.*

IX. *Post pugnam ad Nuceriam Rogerius Salernum reversus est.*

Secundò, Baronius ibidem prælio ad Nuceriam habito narrato, ait: *Rex fugit Salernum, ubi moratus est usque ad octavum diem mensis Decembris.* Sed cùm hoc Falco non dicat, apographum Falconis Benevento Romam ad eum transmissum parum hac in parte accuratum fuisse oportet. Alexander enim habet: *Porrò Regi inter hæc Salerni moranti, nunciatur, quod Barenses cives ab eo se aversuros jam præpararent,* &c. *præ munitis oppidis suis quæ circa Beneventum erant Barum petiit. Qui pro eo quod Tancredi seu ceterorum hostilitas immineret, Barensem ad præsens exacerbare populum, quibusdam eorum petitionibus, prudenti consilio usus, consensit: sicque eos pro tempore quietos dimisit. Post hæc autem Rex omnibus dispositis contra Tancredum, ejusque conspirationis complices præliaturus, ejusdem omnibus in Apulia urbibus, oppidisque præmunitis, Salernum iterum revertitur.* Falco verò pag. 274. eodem prælio narrato, de Rogerio scribit: *Apud civitatem Melphitanam diebus non multis moratus est, continuò quosdam ex Baronibus suis vocari mandavit, quos valde præcipiendo admonuit, quatenus in ejus permanerent fidelitate & dilectione,* &c. *Quibus peractis*, & cetera num. V. recitata. Neuter itaque Historicus Rogerium fugisse asserit.

X. *Willelmus Prænestinus Card. Legatus S. Sedis in Germania.*

Ad num. V. Dodechinus Abbas in Chron. refert, *Fridericum* Archiepiscopum Coloniensem anno superiori è vivis excessisse, & *Brunonem* in ejus locum subrogatum, consecratum fuisse à *Willelmo Prænestino, Apostolici Legato.* Matthæus enim Albanensis Cardinalis, qui anno superiori Legatione Germanica functus est, currenti in comitatu Innocentii II in Italiam perrexit, uti jam insinuavimus. Magna fuit Brunonis cum Sancto Bernardo familiaritas, ut ostendunt tres Epistolæ sancti hujus Abbatis ad eum datæ post Concilium Remense, in quo eam Bernardus Epist. VI contractam fuisse dicit, quæ ideo exeunte anno superiori, vel præsentis initio scripta, non verò anno MCXXV, ut perperàm notavit in margine Mabillonius. Dedit & ad eumdem aliam ordine VIII, cùm jam *Bruno* Coloniensis Archiepiscopus electus esset, in qua cùm consultus ab eo fuisset, an sibi acceptandus esset Episcopatus, respondit: *Habetis Dominum Norbertum* (Archiepiscopum Magdeburgensem), *quem melius præsentem præsens de talibus interrogare potestis.* Scripsit & Epistolam IX ad Brunonem recens creatum Archiepiscopum

SÆC. XII. An. C. 1132.

pum Coloniensem, qua eum ad timorem inducit, atque amici officium esse terrere *salubriter*.

XI. *Moritur S. Hugo Episc. Gratianopolit.*

Ad num. VI. Mortem *Sancti Hugonis* Episcopi Gratianopolitani accuratè collocat hoc anno Baronius ex Guigone quinto Priore Cartusianorum hoc tempore vivente, qui ejus Vitam in Actis SS. Bollandianis ad diem primam Aprilis, qua obiit, recitatam scripsit. Excepit Hugo Sanctum Brunonem Cartusianorum fundatorem in sua diœcesi, eumque in suo Ordine condendo strennè adjuvit, & *successorem substitutum jam sibi Cartusiensem* (*sicut diu multumque desideraverat antè*) reliquit. Fuit is alter *Hugo*, indeque duplex error ortus; aliqui enim utrumque Hugonem confundentes Sanctum Hugonem Cartusiensem fuisse scripsêre; alii ferè plerique, inter quos Henschenius, qui Vitam S. Hugonis Noris illustravit, tradunt eum uno aut altero ante mortem anno scripsisse ad Concilium *Jotrense*, quando B. *Thomas* Prior Abbatiæ Sancti Victoris Parisiensis crudeliter ab impiis pro justitia occisus est, ac periisse, ut immane illud scelus vindicaretur; cùm tamen Sanctus Martyr anno tantum sequenti peremptus fuerit, & non Sanctus Hugo, sed *alter Hugo* Ordinis Cartusianorum successor ejus de cæde illa vindictam petierit, ut anno MCXXXV Baronii ordinem sequentes monstrabimus. Hugonem autem, qui S. Hugoni successit, fuisse Cartusianum, ostendunt San-Marthani in Episcopis Gratianopolitanis.

XII. *Fundator fuit Monasterii Calisiensis.*

Sanctus Hugo, qui deposito Episcopatu Gratianopolitano Monachus Cluniacensis in monasterio Casæ Dei in Arvernia sito factus fuerat, post annum jubente Gregorio VII Episcopatum resumsit, & monasterium Calisiense, vulgò *Chalais*, una circiter leuca à Majori Cartusia distans, sub Sancti Benedicti Regula fundavit, ut discimus ex literis *Guillelmi VI* Comitis Forcalquerii *anno MCCVII mensis Maij die prima* datis, & à San-Marthanis ex schedis Peireskii Tom. IV Gall. Christ. pag. 583. recitatis, quibus confirmat Donationem à se aliàs factam loci *de Lara* diœcesis Sistarciensis *ad ædificandam ibidem Ecclesiam in honore Domini nostri Jesu Christi, & gloriosæ Virg. Mariæ, & ad instituendam ibi Abbatiam secundùm ordinem Calisiensium à Sancto Hugone Gratianopolitano Episcopo quondam institutum.* Antea idem vitæ institutum Monachi Boscaudunenses in diœcesi Ebredunensi amplexi fuerant, & temporis progressu Abbatia Boscaudunensis caput extitit duarum aliarum. Mentio est Monachorum Calisiensium in Vita Sancti Hugonis Episc. Gratianopol. cap. VII, diciturque Sancto Præsuli in ultima ejus infirmitate *tam ex sociis propriis*, quàm ex Cartusiensi & *Calisiensi*, *nec non & Excubiensi domibus, octo vel novem, & interdum etiam decem* inserviisse. Tandem Abbatia Calisiensis in Prioratum redacta, isque à Benedicto XIII *anno MCCCCVII literis die XVIII mensis Augusti* datis Majori Cartusiæ unitus. Fundationis Monasterii Calisiensis non meminit Henschenius in Notis ad Vitam S. Hugonis, sed præter San-Marthanos laudatos aliqua de ea habet Boucheus Tom. II Hist. Provinciæ pag. 118. 168. & 191.

XIII. *Floret Hugo Metellus Canonicus Regularis.*

Floruit sub Innocentio II *Hugo Metellus*, qui cùm jam provectæ esset ætatis, factus est Canonicus Regularis Sancti Augustini in Abbatia Sancti Leonis, diœcesis Tullensis, ut ostendit Tom. IV.

SÆC. XII. An. C. 1132.

Epistola ejus XVIII *ad Guillelmum* Abbatem. Natus apud Tullum Leucorum auditor fuit Anselmi Laudunensis, variasque literas scripsit adhuc ineditas, nempe ad Innocentium Papam II, *Alberonem* Trevirorum, *Stephanum* Metensium, *Guillencum* Lingonum, *Henricum* Leucorum, *Embriconem* Herbipolensem Episcopos, ac ad Petrum *Abaelardum* & *Helvidem* seu Heloissam Paracliti Abbatissam. Refert hæc Mabillonius Tom. III Analect. occasione Epistolæ Hugonis Metelli ad *Gerlandum*, qui de Eucharistiæ Sacramento non bene sentiebat, additque LV ejus Epistolas adhuc MSS. asservari Parisiis in Biblioth. Claromontana. Porrò Heloissam *Helvidem* etiam appellatam, anno MCXLII demonstrabimus.

XIV. *Moritur Goffridus Abbas Vindocinensis.*

Goffridus Abbas Vindocinensis & Cardinalis B. Priscæ, Patriâ Andegavensis, cujus Epistolæ à Sirmondo observationibus locupletatæ, hoc anno ad cœlestia migravit *VII Kalend. Aprilis*, ut disertè habet Chronicon Andegavense, quod & Vindocinense appellatur, à Labbeo Tom. I Biblioth. promulgatum. Pergratus fuit Urbano II & Paschali II, quos in Francia hospitio excepit, & Callisto II intimus, ut Epistolæ mutuò datæ fidem faciunt. Aliquot etiam Opuscula sermonesque XI composuit, & quod ejus Opera ostendunt, in sacris studiis & canonibus valdè exercitatus fuit.

XV. *Annus emortualis Algeri Leodiensis Scholastici incompertus.*

Ad hunc circiter annum pervenit *Algerus*, ex Leodiensis Ecclesiæ Scholastico Cluniacensis Monachus, qui libros tres adversus *hæresim Berengarii de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini* scripsit, & in eo argumento superavit Lanfrancum & Guitmundum, qui ei in eodem stadio præiverant, inquit Petrus Venerabilis, initio libri *de Sacrificio*. Edidit etiam insignes Epistolas ad diversas personas & Ecclesias datas, quæ periêre, solumque, præter laudatum Opus, superest liber ejus *de Misericordia & Justitia*, cujus editionem pollicetur Mabillonius Tom. I Analect. ubi & refert ejus Elogium à Nicolao Leodiensi Canonico, ejus æquali compositum. *Annis ferè viginti*, inquit Nicolaus, Scholasticus fuit in Ecclesia Sancti Lamberti, *usque ad obitum felicis memoriæ Friderici Episcopi* Leodiensis pro defensione fidei Catholicæ anno MCXXI perempti, ut eo anno narravimus. Post Sancti Martyris obitum, cùm *firmo corpore valeret*, vitam sub Sancti Benedicti Regula *aggressus est in Cluniacensi cœnobio*, subdit idem Nicolaus. Annus mortis ejus incompertus. Porrò Nicolaus Canonicus Leodiensis, quem ex Elogio Algeri constat tempora Friderici Martyris Episcopi Leodiensis prætergressum esse, scripsit etiam gesta *Sancti Lamberti* Episcopi Leodiensis & Martyris, quæ extant Tom. I Chapeavilli.

XVI. *Arnaldus Archiep. Narbonensis S. Sedis Legatione in parte Galliæ fungitur.*

Hoc anno *indictione undecima, quinto Nonas Decembris* factus est Conventus apud villam Creissanam in territorio Narbonensi, *Episcoporum, Clericorum quoque & laicorum non minus multitudinis nobilium, quàm ignobilium sub potestate Domini Arnaldi Narbonæ Archiepiscopi & Sedis Apostolicæ Legati, ad celebrandam ejusdem loci Ecclesiæ dedicationem in honorem B. Martini*, ut legitur in Instrumento Dedicationis Tom. X Concil. recitato, ex quo liquet præter Gaufridum Episc. Carnotensem, qui super Bituricensem, Burdegalensem, Dolensem, & Turonensem provincias, ut dicitur in Martyrologio Carnotensi, Legatione Apostolica functus est, in

Sf alia

alia Galliæ parte *Arnaldum* Archiep. Narbonensem eamdem dignitatem gessisse.

XVII. *Petrus Venerabilis Cluniacensibus austeras leges imponit.*

Petrus Venerabilis Cluniacensis Abbas *omnes Cellarum Priores de Anglia & Italia, regnisque aliis accersiit, jubens, ut dominico Quadragesimæ tertio Cluniaci adessent, ut præcepta monastica conversationis austeriora, quam hactenus tenuerant, audirent*, ioquit Ordericus, qui eidem Cooventui interfuit, lib. XIII pag. 896. Duceoti Priores Cluniacum cooveneruot, ac MCC & XII Fratres ibi adfuerunt. Petrus Venerabilis subjectis *auxit jejunia, abstulit colloquia, & infirmi corporis quadam subsidia, quæ illis moderata Patrum hactenus permiserat reverendorum elementia.* Quidam tamen ei reptætentarunt, Hugonem, Majolum & Odilonem arctam vitæ viam tenuisse, & sufficere debere per vestigia eorum io via mandatorum Dei dilatato corde currere. Petrus *rudibus ausis institit*; postmodum tamen emollitus, *memorque discretionis, quæ virtutum mater est, invalidisque compatiens subvenit, perplura de gravibus institutis, quæ proposuerat, intermisit*, inquit Ordericus.

XVIII. *Gesta anno superiori in Hispania ab utroque Alphonso Rege.*

Anno superiori, ut refert Sandovalius, *Alphonsus* VII Legioois & Castellæ Rex in regiooes Maurorum excurrit, & usque ad Hispalis & Cordubæ portas omnia vastavit. *Alphonsus* verò Aragoniæ Rex *Baionam* permunitum Aquitaniæ oppidum rursùs obsidione cinxit. Durante obsidione testamentum condidit mense Octobri, & pleraque oppida & dominia sua in Regois Navarræ, Naiaræ & Castellæ parte posita inter Hispaniarum Ecclesias divisit. Ejus summarium refert Surita lib. 1. cap. 52. & Josephus Moretus in Investigationibus Navarricis pag. 646. testatur se illod legisse io archivis Ecclesiæ cathedralis Pampelonensis, & in eo haberi: *Facta charta in era MCLXVIIII mense Octobri, in obsidione Baiona*, anno scilicet superiori.

XIX. *Gesta hoc anno in Hispania.*

Hoc verò anno *Alphonsus* Castellæ Rex bellum adversus Maoros contiouare non potuit, quia bellum civile, quod superiori cœptum fuerat, præsenti ac iosequenti, quo illud finitum, totum regnum conturbavit. Victi tamen rebelles & *Gonçales Pelayz* factiosorum ductor coactus in Portugalliam fugere, ibi mœrore extinctus est, uti Sandovalius fusè narrat fol. 150. & seq. juxta antiquas Historias à se visas. Antiqua tamen alia monumenta urbis Toletanæ, ut habet idem Sandovalius citatus, asseruot, *Petrum Gonçalem Gironum* Comitem cum magoo exercitu in conspectum civitatis Hispalensis venisse, adversùs Mauros pugnasse, eosque oeciso Omaro eorum Rege aut Præfecto superasse. Versa postea fortuna; in iisdem enim monumentis legitur, fusos fugatosque fuisse Christianos ad locum Masakigos dictum, *mense Julio, eràque MCLXX.*

Anno Eræ Hispan. MCLXXI. Anno Hegiræ DXXVIII. inchoato die 1. Novemb. fer. 4.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6626

☉ 22. A. ☽ 13. P. 26. Mart. Indict. 11.

JESU CHRISTI 1133.

INNOCENTII II PAPÆ 4.

LOTHARII REG. 9. IMP. 1.

JOANNIS COMNENI IMP. 16.

I. *Lotharius Romæ Coronatur Imperator.*

ANnum I ad IV diem & meosem, quibus Lotharius II ab Inoocentio II Romæ Jmperator coronatus fuit, nobis conservavit Chronographus Hildensheimeosis, qui à Nativitate Christi annum exordiens, ait: *MCXXXIII Rex Natalem Domini in Longobardia apud villam Mediemam dictam celebrat. Per Italiam pleraque loca munita sibi resistentia capit* (Conradus enim Sueviæ Dux Modoetiæ & Mediolaoi, ut suprà ostendimus, coronatus fuerat, eique fortiter obsistebat). *Tandem II Kalend. Martias Romam cum multo favore ingreditur, ibique II Non Junii, quô tunc dies dominica extitit, Laterani in Basilica S. Joannis Baptistæ à Domino Apostolico Innocentio in Imperatorem consecratur. Bernhardus Patherbonensis Episcopus, qui tunc cum Rege aderat, usum Rationalis in celebrationibus Missarum constitutis temporibus & dedicationibus Ecclesiarum, seu ordinationibus Ecclesiasticorum graduum, in proprio tantum Episcopatu, sibi, suisque successoribus à prædicto Papa Innocentio promeruit.* Ubi Chronographus *Rationalis* nomine Pallium intelligit, ut ex Glossario Ducangii in voce *Rationale* eruitur. Trithemius io Chroo. Hirsaug. & Onuphrius in Chroo. eumdem diem coronationi Lotharii assignant. Dum Romæ esset Innocentius II Epistolam dedit ad Petrum Veoerabilem Abbatem Cluniacensem, in qua ait: Deus *in faciem suam respexit Ecclesiæ, atque nos sanos & incolumes ad sedem propriam revocavit.* Jn fine verò legitur: *quæ ad liberationem Ecclesiæ pertinent, Deo gratias salubriter operamur. Data Laterani X Kal. Junii.*

II. *In Germaniam redit.*

Pergit Chronographus: *Post hæc Imperator in reditu, cùm ad locum quemdam venisset, qui propter situs angustiam Clus, quasi præclusus vocatur: quippe ex una parte excelsissimo monte adjacente, ex altera parte profundissimo flumine currente, via in medio, quatuor seu quinque itinerantium simul spatio patente. Et cùm ibidem transitus Imperatori ab incolis negaretur, ipse miro eventu, & perspicuo Dei auxilio, eumdem locum celeriter irrumpendo, fugatis hostibus cum suis pertransiit; & urbem in supercilio ipsius excelsissimi montis positam repentino assultu cepit, & Principem ejusdem urbis captivum secum adduxit.*

III. *Promittit Innocentio II se illum in propriam Sedem restituturum.*

Lotharius Imp. Jnoceotium II anno MCXXXI Papam, Patremque recognovit, *& secum eo Romam iturum, & in Sedem propriam restituturum sacramento spopondit*, inquit Chronographus Mauriniacensis pag. 377. Idem narrat Sugerius in Vita Ludovici VI Francorum Regis pag. 319. sed locus corruptus est; Sugerius enim de Inoocentio II in Gallia morante verba faciens, scribit: *Opportunitatem repatriandi nanciscens de Imperatoris Ludovici* (legendum, *Lotharii*, observandumque librarios aliquando oomina pervertere & in alia mutare, ut oon semel in hac Critica vidimus) *comitatu* (*quia eum in manu forti Romam perducere, & Petrum Leonis deponere spoponderat*) *illuc cum eo devenit: Sed cùm eum Augustum Imperatorem constituisset* (hoc nempe anno), *Romanis resistentibus, pacem obtinere Petro Leonis* (seu Anacleto Antipapa) *vivente non potuit.*

IV. *Innocentius II Pisis usque ad mortem Anacleti moratus est.*

De eadem profectione Romana Inoocentii & Lotharii rursus loquitur Chronographus Mauriniacensis pag. 383. aitque de Iooocentio: *à partibus Galliarum secedens, Romam unde venerat intravit. Sed quia Petrus* (idest Anacletus Antipapa) *injustus convicariis maximam partem sibi sociaverat civitatis, in illo temporis puncto plenitudinem debiti sibi honoris adipisci non potuit.*

Imò

Imò quodam modo bipertito Apostolicæ dignitatis culmine, Innocentius Ecclesiam Beati Petri, in qua divinæ Sacerdotii dignitas pendebat, solus per se obtinuit; Petrus verò Lateranensis Palatii Sedem, ad quam Imperialis Celsitudo pertinet, occupavit. Exinde capta venenata illius dissensionis jam manifestior ubique amaritudo diffundi, & tota civitas evidentioribus odiosi schismatis rivulis dissipari. Jam nunc verum videbatur illud rusticanum proverbium: Difficile est, ut unius habitaculi circulus lupum simul & agnum contineat. Porrò quia illa discissio: nisi citò finem susciperet, populo, Urbi, dignitati, maximi damni occasio fieret, Innocentius violentiæ locum prabens, saniori consilio accepto, Pisam se contulit. Paulò pòst: *Innocentius tamdiu Pisis demoratus est, quoadusque Petrus Apostolicæ Sedis dignitatem morte terminante reliquit*, anno scilicet MCXXXVIII.

V. *Initio Octobris adhuc in territorio Romano versabatur.* Innocentius II exeunte Septembri nondum Pisas redierat. Brouverus enim lib. 14. Annal. Trevirensium ad annum MCXXXIV refert fragmentum Epistolæ ab eo ad Alberonem Archiep. Trevirensem scriptæ, in quo legitur: *Data in territorio Romano anno MCXXXIV, Kalend. Octob.* ubi annus ille Pisanus est, non Dionysianus, ideoque respondet anno nostro MCXXXIII. Innocentium enim Era Pisana aliquando usum ex dicendis anno MCXXXV num. XXXIV perspicuum fiet. Tum ad annum MCXXXV recitat Brouverus alias ejusdem Papæ literas, quibus Alberonem Legatum suum constituit *per Trevirensem, Moguntinam, Coloniensem, Saltzburgensem, Bremensem, & Magdeburgensem provincias*, in quarum fine legitur: *datum in territorio Romano sexto Nonas Octobris*, hoc scilicet Christi anno. Fallitur autem Brouverus quando ad annum MCXXXVI arbitratur Alberonem eo anno Apostolicæ Sedis Legatum adhuc fuisse, quod in inscriptione ab eo relata dicatur, eum VIII Idus Aug. illius anni dedicasse Basilicam Sprinckatsbachcensem, dum adhuc Sedis Apostolicæ Legatione fungeretur; hæc enim inscriptio, aliæque plures hujusmodi à posterioribus positæ; quod de ista negari non potest, cùm loco laudato visuri simus Innocentium II Alberoni in suis literis eo anno datis titulum Legati non tribuere. Præterea Baronius anno MCXXXV num. XI & seq. Chartam refert ab Adalberto Archiep. Moguntino datam, his verbis inchoatam: *Adalbertus Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopus, & Apostolicæ Sedis Legatus*; sed ea non eo anno ut putavit Baronius, verùm anno MCXXXIV data, ut anno MCXXXV videbimus. Quare Alberonis Legatio anno MCXXXIV absoluta. Ad Alberonem inscripta Epistola VI Hugonis Merelli, in qua ait: *Legatio B. Petri tibi commissa quæ aliquid dignitatis & potestatis addit tibi*; sed ea legatio brevis fuit, cùm Adalbertus anno MCXXXIV eum exceperit.

VI. *Plures Præsules Innocentium II Romam euntem comitati sunt.* Divus Bernardus, ut anno sequenti demonstrabimus, pluresque magni nominis Episcopi Innocentium Romam proficiscentem comitati sunt. Hîc loquar tantum de Sancto Norberto, cujus mentio apud Baronium num. I obscurior: *Octavo ordinationis suæ anno*, inquit Chronographus Magdeburgensis à Meibomio editus, *cum Rege Lothario, reliquisque Principibus in Italiam profectus, & officio Cancellarii nulla expeditione functus* (legendum, *in illa expeditione functus*; Librarius enim locum illum corrupit, uti ex se patet), *utpote vir magnæ auctoritatis, consilio providus, apud Romanorum quoque primos clarus, cum plurima illic de ordinatione ipsius Imperatoris, & ceteris regni negotiis composuisset, de Polonorum quoque Episcopis ex ordinatione Privilegiorum Ecclesiæ hujus scilicet Magdeburgensis scriptis subjectionem illi debentibus justitiam exposcens, iteratò suscepisset, altero anno* (sc. MCXXXIV) *in reversione paulatim infirmam* (legendum, infirmari) *cœpit & nihilominus circiter sex menses cum eodem Imperatore pro utilitate Ecclesiæ per diversas Curias in Germania commoratus. Tandem languore prævalente Magdeburgum devectus ibidem magnificè ab omnibus in Quadragesima est susceptus.*

VII. *Litera encyclica Lotharii Imp. de iis, quæ Romæ gessit.* Ordericus lib. XIII pag. 897. malè edoctus de gestis in hac profectione Romana Innocentii II & Lotharii II Imp. ut passim de aliis hoc ipso tempore, quo in Normannia vivebat, peractis, ait Innocentium II à Lothario, dum Romæ versaretur, ad Placitum vocatum venire recusasse, subditque: *Imperator autem ut hæc audivit, contra Gregorium* (seu Innocentium II) *indignatus, quæque possidebat, dimisit, & negotio imperfecto post hebdomadas septem recessit.* Verùm Ordericum refellit ipsemet Lotharius in sua Epistola Tom. II Spicilegii Dacheriani pag. 480. relata, quam piaculum esset integram hîc non exhibere: *Lotharius Dei gratiâ Romanorum Rex, Regibus, Archiepiscopis, Principibus, & universis Dei fidelibus, ad quos litera ista pervenerint, salutem. Majestatis suæ dispensatione & consilio placuit nos Patronum & Defensorem S. Ecclesiæ Rom. statuere. Ideoque necesse habuimus pro ipsius liberatione propensiùs laborare. Cùm igitur ascitis nobis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Principibus, Ducibus, Comitibus, & Marchionibus regni nostri; Episcopos etiam, Comites, & alios Barones Italiæ nobiscum ducentes, bellico apparatu stipati ad Urbem proficisceremur, Nuncios schismatici illius Petri Leonis frequenter habuimus. Qui nimirum ex parte illius justitiam prætendentes, ipsi in jus ire parato non debere audientiam denegari, nec hostilibus impugnationibus molestari, publicis clamoribus asserebant. Diutinis ergo eorum interpellationibus provocati, id ipsum Episcopis & Cardinalibus, qui cum Domno Papa Innocentio erant, significare coacti sumus. Ipsi verò tanquam canonicarum sanctionum, & institutionum Ecclesiasticarum non ignari, universam Dei Ecclesiam jam super hoc promulgasse sententiam, Petrum Leonis ac complices suos damnasse asserentes, quod erat universitatis non debere privatum fieri responderunt.*

VIII. *Sectatores Anacleti reos Regiæ Majestatis, declarat.* *Nos autem id ipsum cum patientia supportantes, & Patrem nostrum Papam Innocentium ad Urbem cum gloria duximus, & Lateranensi cathedræ restituimus, atque in monte Aventino castrametati sumus. Ibique Petrus Leonis aures nostras, & Principum nostrorum, per Petrum olim Portuensem Episcopum, & per alios fautores suos prætendendo justitiam sollicitare non destitit. Qui etiam munitiones, & obsides, se nobis daturos ad sufficientiam pro servando judicio, & viva voce, & literis promiserunt. Pacem igitur sine effusione sanguinis reformare in Dei Ecclesia cupientes, quæ nobis illi dixerant, Fratribus, qui cum Domno Papa Innocentio erant, per nos ipsos significavimus. Ceterùm ipsi, ut pacis amatores, de justitia confidentes, tam personas suas, quàm Leonis, & filiorum suorum, nec non Cen. Pet. Fratapanis, &*

SÆC. XII. An. C. 1133. *Petri Latronis, & munitiones in manu nostra liberè obtulerunt. Adversa verò pars dies redimere cupiens, sub velamine fraudulentarum promissionum nos aliquanto tempore à nostra intentione retraxit. Tandem quia ipsi sæpe commoniti implere quod promiserant, noluerunt, tanquam fallaces & perfidi, & tam Divinæ, quàm Regiæ majestatis rei, cum Petro Leonis, ejusque complicibus damnati, & hostes à Principibus nostræ Curiæ judicati. Videlicet Nerberto Magdeburgensi Cancellario nostro, & A.* (nempe Adalberone) *Bremensi Archiepiscopo, & P. Osemburgensi* (sc. Philippo Comite de Cadsenelenbogen Episcopo Osnabrugensi;) *P. Adelbronnensi* (legendum, *B. Paderbronnensi*, sc. Bernardo Episcopo Paderbonnensi, qui à Papa Pallium, uti Archiepiscopi, obtinuit, ut videre est apud Krantzium in sua Metropoli, ubi duorum horum Præsulum mentionem facit), *An. Brandeneburgensi* (seriem integram Episcoporum Brandeburgensium invenire non potui, sed non dubito quin legendum sit, Anselmo), *O. Astensi* (idest, Ottone Episcopo Astensi, de quo Ughellus Tom. IV.) *O. Cremonensi* (Oberto seu Uberto, de quo Ughellus in Episc. Cremonens.) *& B. Parmensi* (nempe Bernardo, de cujus morte paulò pòst verba faciemus) *G. Jpponensi* (Dacherius in margine corrigit *Vibonensi*, id est, Jpponis Vibonenæ, sed magno errore; Episcopatus enim ille in Calabria situs jamdiu extinctus fuerat, & omnes Calabriæ Episcopi Anacletistæ erant. Manifestum est itaque legendum esse, *Jpporiensi*. Eporedia vulgo *Yvrée*, Jpporia appellabatur, & ejus Episcopus erat Guido, aut Wido, cujus mentio apud Ughellum in Jtalia Sacra, ubi Chartæ de more exhibent nomen *Ipporiensis*) *Episcopis, & Abbatibus, Henrico Fuldensi, Alberone Noemburgensi, & Luneburgensi: Proceribus Alberone, & Henrico Marchionibus. Othone Sagifredo vexillifero, Hermanno, Willelmo de Lomello, Gothone de Marchungo, Hidebrando, & Tancredo de Prato Comitibus, & Alberto de Castello.*

IX. *Magnates Apuliæ Innocentio II adhærentes petunt auxilium à Lothario Imp.* A num. IV ad VIII. Tancredus de Conversano junctus Comiti Ramnulpho, & Baronibus Apuliæ hujus anni initio civitatem Venusiam obsidione cinxit: *Populus itaque civitatis libertatem optatam expectans sub Tancredi de Conversano fidelitate colla submisit; deinde alias civitates Apuliæ suæ obtinuit potestati*, inquit Falco in Chron. Beneven. qui deinde refert adventum Jnnocentii II & Lotharii Imp. ad Urbem Romanam, quos Robertus Capuæ Princeps cum Gerardo Cardinali Præfecto Beneventi, & ejusdem urbis Legatis convenit, uti narrat Baronius num. IV. Cujus narrationi addendum quod Falco pag. 280. de semetipso loquens tradit, nempe Cardinalem statuisse *consilio cum Rolpotone Comestabulo accepto & aliis civitatis Sapientibus, Falconem Notarium, Scribam sacri Palatii istius opusculi factorem, sicut in principio legitur, Judicem civitatis ordinavit*; & infrà asserit Jnnocentium II monus illud ei confirmasse; *Privilegio signato misit civitati Beneventanæ per Gregorium Beneventanum Electum* (Landulfi successorem), *qui Romam ierat, se Falconem præfatum Judicem confirmasse Beneventanum.* Sed Robertus Capuæ Princeps quod sperabat Romæ non obtinuit, *Princeps itaque & Comes* (nempe Ramnulphus) *Romam euntes non sicut voluerunt ab Imperatore consecuti sunt. Et eis illic morantibus ex improviso*, Rex Rogerius advenit, & omnia igne ferroque consummavit, ut narrat Baronius num. V ex Falcone. Alexander Abbas profectionis Principis Capuani & Comitis Ramnulphi verba faciens ait, licet à Lothario honorificè suscepti fuissent, adjutorium tamen ejus, *quod speraverant, contra Regem Rogerium* obtinere non potuisse: *qui dum Romæ adhuc apud Regem commorarentur* (nempe apud Lotharium), *audientes Regem Rogerium cum immenso militari pedestrique exercitu fretum Pharense jam transmeasse, petita à Rege atque accepta, quamquam non grata licentia, quantociùs ad propria redeunt.*

X. *Rogerius Rex sævit in conjuratos.* Idem Historicus prætermissa Venusiæ expugnatione confirmat quod narrat Falco de crudelitatibus à Rogerio Rege tunc exercitis in Apulia: *Rex Rogerius eò quod supradictorum adversum se Principum* (Roberti ac Ramnulphi) *compererat cum perjurio factam conspirationem, tanta quidem rapitur indignatione, tantoque mentis erupit furere, ut non Comiti, non Magnati, non etiam cuilibet militi, qui ita perjurantes in eum colla erexerant, penitus parceret.* Subjungit eum vicisse Alexandrum Comitem, ejusque filios cepisse, Gofridum in oppido Matera & Robertum in oppido Armento, *Gofridum pro suo velle subjiciens sibi, ipsum etiam cuperet oppidum*, scilicet Materam. In Falcone habetur: *Ibique Giffredum filium Giffredi Comitis dominum civitatis* (Materæ) *alligavit.* Verùm vel Falco memoria labitur, vel ejus Chronicon hac in parte à Librariis corruptum; quia non Giffredus aut Gofridus Comes, sed Comes Alexander dominus erat Materæ ac pater Goffredi, qui ei præerat: *Devicta Matera*, inquit Alexander Abbas, *Rex super Armentum munitissimum oppidum, quo Robertus frater prædicti Goffredi inerat, venit: cui Robertus Regia compulsus obsidione statim se & castrum Regi subegit. Dein cùm obsidem qualem Rex poscebat, pro se dare renuisset, Siciliam vinculis mancipandus dirigitur. Post hæc verò Rex castra movens super quoddam arduum & munitissimum castrum nomine Ansum* (vel Ansam), *quo Goffridus, Comes aderat* (Comes nempe Giffredus, diversus à Godefrido aut Giffredo Alexandri filio) *acceleravit: illudque tamdiu obsidione sævissima circumsedit, quousque comprehensus in Siciliam, exilii retrusionis pœnâ, perjurii culpam luiturus destinatur.* Contra verò in Falconis Chronico hoc oppidum Alexandro Comiti attribuitur, illudque cum Armento confunditur.

XI. *Varia oppida expugnat.* *Quibus ita peractis* (post captam Materam) *civitatem aliam nomine Ansam suæ obtinuit potestati revera thesaurum auri & argenti Alexandri Comitis invenit.* Addit Rainulfum Comitem postquam spoliatus fuit *misere* mortuum esse, quod verum est, sed antea in Dalmatiam trajecerat, & conatus fuerat ad Imperatorem fugere. Ut enim de isto Comite Alexander Abbas prodit *in Dalmatiam profugus iens non solum exhæredatur; verùm etiam patria extorris cogitur manere: qui non longè post, ut ad Imperatorem pergeret, recedens, cùm ad quemdam nemorosum locum pervenisset incidens in latrones omninò cum suis omnibus deprædatus est, qui dein Avellone* (Abellini ad Rainulphum pertinentis) *potitus, ubi eis, qui hæc ipsa ab eo audita nobis nunciaverunt, egenus valde pauper visus est manere.*

XII. *Aliqua funditus evertit.* His oppidis expugnatis Rogerius Rex Montem Pelusium in quo Tancredus Comes se se inclu-

inclusерat, obsedit, illumque vi cepit, uti unanimi consensu scribunt Alexander & Falco, qui addunt, *Rogeоnum de Planco*, præcipuum ducem, strangulatum fuisse, *Tancredum* in Siciliam missum perpetuo carceri mancipandum, ac *Montem Pelusium* funditus eversum. Alexander de Trojæ Apuliæ oppidi excidio, quod Falco fusè narrat, succinctè loquitur. Baronius verò qui Alexaodrum non viderat, hanc cladem num. V ex Falcone refert, sed singularem circunstantiam omittit, Rogerium oempe Trojam, licet tunc sibi fidelem, diruisse: *Rainulphus*, inquit Falco pag. 281. *misit Legatos ad Trojanam civitatem, ut sacramenta, quæ Comiti & Principi promiserant, adimplerent. Trojanus verò populus timore prædicti Regis coactus, & verbis Regis dolosè pacificis fidem attribuens, Comitis voluntati favere penitus recusavit. Insuper etiam Episcopus civitatis populum omnem suaserat, ut Regis fidelitatem non dimitteret.* Asserit Falco *Rogerium* Regem Tranium ante Montem Pelusium cepisse; sed Alexander Abbas, qui anno MCXXXVI in gratiam Rogerii Regis Historiam suam scribebat, hæc antea gesta esse affirmat, præterea Rogerium Regem *Barium* venisse, ejus muros evertisse, ac castellum reædificasse. Iode Trojam profectus est, *quam videlicet civitatem, eo quod ipsa munitissima rebellior es exciterat, magna ex parte in plures dispertitam casales communit* (legendum videtur, *comminuit*). *Et Comes Rainulphus audiens tam propinquum Regis adventum, suspicans illum super se venturum, ad muniendum se acriùs accenditur: quamobrem Neapolim ociùs pergit, ibique Magistrum militum* (nempe Sergium), *civesque allocutus, in adjutorium sui cunctos sollicitavit.* Inter Falconem & Alexandrum convenit, Rogerium Regem post Trojæ excidiom *Melphim* occupasse; Falco verò ait, eum inde *apud Barensem civitatem* repedasse, forsàn versus Barensem, quia secundùm Alexandrum Rogerius ultra Gravinam non processit: *Verùm Rex Melphia discedens Gravinam urbem petiit, ibique aliquatenus commoratus Salernum pòst remeavit.*

XIII. *Princeps Capuæ Pisanorum auxilium adversus Rogerium Regem implorat.*

Dum Rogerius Rex Apuliam subigebat & devastabat, Robertus Capuæ Princeps Pisanorum auxilium imploravit, uti habet Falco pag. 284. *Princeps Regis Rogerii ferocitatem, & minas ejus, & terrores illatos è vestigio exponens, precatur suppliciter, ut civitas Pisana auxilii manum, & consilii ei largiretur pactis eorum intervenientibus,* &c. *Octavo quidem Kalendas Julii Princeps ipse mare ingressus est, & Pisas transfretavit*, ut etiam refert Barooius num. V, sed ex exemplari parum correcto sibi Romam transmisso, quia ejus tempore Chronicon Falconis nondum typis datum fuerat. Fusè refert Falco quomodo Beneventanis obstinato animo Rogerium Regem agnoscere nolentibus, is eorum agros depopulatus est, à Crescentio Cardinali Anacletista impulsus. Durante hoc bello & æstate exeunte Robertus Capuæ Princeps, postquam cum Rebuspublicis Italiæ de suis commodis egit, Romam perrexit: *Audivimus quoque*, inquit Falco pag. 288. *Ducem Venetiarum ad ejus auxilium manum dedisse, ideoque Princeps ipse Romam revertitur, & omnia quæcumque cum Pisano & Januensi populo tractavit, domino Papæ Innocentio è vestigio patefecit; sicque cum eodem Pontifice ad pactum illud firmandum Pisas festinavêre.* Rogerius Rex post has expeditiones maritimo itinere in Siciliam reversus est: *Post hæc*, inquit Alexander Abbas, *antequam hyemis importunitas submtraret, navigio transvectus Siciliam repetit.* Falco diem notavit: *Siciliam transfretavit XII Kal. Novembris.*

XIV. *Floret S. Atto Episc. Pistoriensis.*

Ad num. VIII Refert Baronius Diploma ab Innocentio II Attooi Episcopo Pistoriensi sanctitate illustri concessum, quo ejus Ecclesiæ Privilegia confirmat, in cujus fine legitur: *Datum Pisis per manum Aimerici S. R. E. Diaconi Card. & Cancellarii, XII. Kal. Januar. indict. XII. Incarnat. Dominicæ MCXXXIII, Pontificatus verò D. Innocentii Papæ II anno quarto.* Extat eadem immunitas Ecclesiæ Pistoriensis cum eadem inscriptione Tom. X, Concil. pag. 947. Papebrocius ad diem XXII mensis Maii, quo Sanctus Atto seu Atho ex Abbate generali Vallumbrosano factus Episcopus Pistoriensis in Hetruria colitur, de illo Diplomate pluribus disserit, sicut & de Sancti Attonis regimine; in eo tamen fallitur, quod existimet temporis characteres in illa subscriptione expressos inter se non convenire, ut examinanti patebit. Cetera quæ mover dubia ad rem nostram non faciunt. Hujus Sancti Præsulis mortem cum anno MCLV connectit. Nomen ejus anno MDCLXXIII Romano Martyrologio inscriptum fuit.

XV. *Seditio adversus Anselmum Archiep. Mediolani excitata.*

Hoc anno cœptum Mediolani inimicissimè agi cum Anselmo Archiepiscopo ob pessimam ejus administrationem, ut refert Landulphus Junior cap. 41. apud Puricellum in Mooument. Basil. Ambros. num. CCCLI, ubi ait, quod Cleto, populoque adversus eum commoto, *contigit, quod quidam manipulus militum Mediolanensium captus est à Cremonensibus; & plures de Ordinariis ac Decumanis caperunt, nescio quo spiritu super causa Regis Conradi ridere, & causam Anacleti latenter spernere. Hinc Anselmus Archiepiscopus multos sustinens stimulos, tandem Presbyterum Azonem, Magistrum puerorum canentium principaliter in Missa Sacerdotum celebrantium Corporis & Sanguinis Christi Sacrificia, & quosdam alios, qui fuerunt dolosi in celebratione coronæ Regis Conradi, excommunicavit. Ex cujus excommunicationis radice circumcisi* (nempe Judæi Mediolani habitantes) *istum filium Virginis ignorant, & maxima pars Quiritum & Longobardorum auctorem divinæ legis minimè amant* (est auctor legis, aut Deus veteris Testamenti, qui rejiciebatur à Manichæis, qui tunc in illis partibus multiplicabantur) *sine quibus auctoribus* (Dei scilicet & Christi) *cœli vel terræ pace frui non possumus. En etiam nunc dissensio multa & perniciosa nimirum orta est in Mediolanensi populo sub excommunicationis titulo. Quia si Archiepiscopus excommunicavit hunc Presbyterum, & alios in pulpito Sanctæ Theclæ, & Episcopi comprovinciales & suffraganei* (sicut suprà dictum est) *excommunicaverant illum Papiæ* (ut anno MCXXVIII num. XIV vidimus.)

XVI. *Ab illis, quos excommunicarat.*

Ordinarii itaque & Decumani Sacerdotes, & ceteri faventes Papæ Innocentio II, & insidias præparantes hujusmodi Archiepiscopo, suas pecunias effuderunt, & ipsas Legis & Morum peritis atque bellatoribus viris tribuerunt. Unde ipse Archiepiscopus compulsus est intrare popularem concionem, ut ibi decertaret cum suis excommunicatis de excommunicatione (hoc valde singulare, ut populus Judex sit excommunicationis). *Cùmque ille expectaret sagittas de justa aut de injusta* excom-

SÆC. XII. An. C. 1133.

excommunicatione; Nazarius Primicerius miræ calliditatis homo per prolixum sermonem cunctæ concioni fastidium induxit (erat is contrarius Anselmi factioni). *Archipresbyter autem Stephanus, qui cognominatur de Guandeca, videns Primicerium suum fastidiosè fore locutum, vocem suam exaltavit, & contra Archiepiscopum sic ait. Tu es hæreticus, perjurus, sacrilegus, & aliis criminibus, quæ non sunt hic notanda, es reus. His auditis ex improviso, Archiepiscopus obstupuit. Archipresbyter verò ille habens textum Evangeliorum ad manum, continuò juravit, quod ipse de istius rebus, quas dixerat esse in isto Anselmo, qui dicitur de Pusterla, in judicio Episcopi Novariensis & Albensis, qui sunt de suffraganeis Ecclesiæ Mediolanensis, staret. Consules itaque Mediolani in concordia utriusque partis, statuerunt, ut ipsi* (nempe duo hi Episcopi) *& alii suffraganei venirent.*

XVII. Fugit in domum paternam.

In statuta itaque die, non solùm suffraganei, sed quamplures, pure induti rudi & inculta lana, & rasi insolita rasura, concurrerunt. Cùmque Archiepiscopus iste Anselmus vidisset eos constare, & populo (videri) quasi fuissent Angeli de cœlis; ad ipsum populum ait: Omnes isti, quos videtis cum illis cappis albis & grisois hæretici (sunt). Inde simplices & compositi (idest omne hominum, præsertimque Clericorum genus) *ad expellendum & deponendum (eum) bellum commoverunt* (id est, seditionem excitarunt): *veruntamen gladio Anselmi in illa die resistere non potuerunt. Sed mediante nocte, per expensam pecuniam manus Primiceri & Archipresbyteri Stephani fortissima (convenit, quæ) in summo diluculo ipsum Anselmum à sede compulit: qui cùm non inveniret quò declinaret, paternam suam domum intravit.*

XVIII. Cogitur urbe excedere.

Factoque mane die altera idem Anselmus, coram humili sua plebe in Ecclesia S. Ambrosii, congregata, se præsente jurare fecit Camerarium suum, ne iste Dominus suus effugeret judicium Suffraganeorum, & coram eis responderet Stephano Guandeca dicto Archipresbytero, de his rebus, quas sibi objecerat, remota causa Regis Conradi. Joannes autem de Rhode, unus ex Consulibus Mediolani reversus ad alteram partem, quæ eum miserat de juramento isto Anselmi nihil retulit; sed ait: Dominus ille, ad quem me misistis ad nullam rationem faciendam nobis venire promittit (quod falsum erat, indeque apparet multa utrimque injustè gesta esse). *Tunc qui in concione illa aderant, clamaverunt: Et ipse deinceps sit remotus à nobis. At sic quisque suffraganeus ad sedem suam rediit, nisi Robaldus Albensis, qui in Chrismate & ceteris Episcopalibus officiis Ecclesiæ subvenit. Anselmus autem ille, quasi à cuncto Clero & populo abjectus & expulsus, ad solita Castella Archiepiscopatus exivit: in quibus qualemcumque requiem suscepit.* Puricellus ad hæc Landulphi verba ait: *Quorum quidem postrema, sicut ex contextu postmodum à nobis recitando constabit, usque ad XXXIV annum pertingunt*, ita ut in ejus sententia Anselmus anno tantum sequenti Archiepiscopatu depositus fuerit. Verùm ex dicendis anno sequenti nihil simile constabit, eamque depositionem, non anno superiori, ut arbitratur Papebrocius in Exegesi de Episc. Mediolanensibus, Tom. VII SS. mensis Maii præfixa, sed currenti factam, quæ ibi dicentur, ostendent.

XIX. Obitus S. Bernardi Episc. Parmensis.

Sanctus Bernardus Parmensis Episcopus, qui anno MXCVII ab Urbano II factus est Cardinalis, annoque MCVI Parmensi Sede donatus est, mense Junio Romæ erat cum Innocentio II & Lothario Imp. ut hujus Imperatoris Epistola encyclica hoc anno à nobis recitata demonstrat. Quare summopere deceptus est Ughellus Tom. II Ital. Sacræ, qui levibus quibusdam ratiunculis & conjecturis fretus autumavit, eum Paschali II Ecclesiam Romanam regente ad Deum migrasse. Inscriptio verò laminæ plumbeæ ejus tumulo superposita, quàm exhibet, non annum ejus Translationis, ut ipse putat, sed annum ejus emortualem declarat. Ea hæc est.

VENERABILIS PATER
D. Lanfrancus Parmen. Episcopus
in arca ista plumbea
posuit corpus.
S. Bernardi Parmensis Episcopi
Anno MCXXXIII die III
Decemb.

Inscriptio tamen arcæ plumbeæ à Lanfranco ejus successore insculpta non fuit; cum die III mensis Decemb. quo ex ejus Vita cap. 49. eum è vivis abiisse liquet, *Lanfrancus* nondum Episcopus fuerit, qui aliunde Bernardum *Sanctum* non appellasset. In ea Vita à Scriptore Anonymo, & fortè coævo, edita annus mortis ejus tacetur, sed verosimile non est posteros, quorum jussu ea inscriptio posita, illum ignorasse. Præterquamquod certum est, illum ad hunc annum pervenisse, & nulla post eum ejus mentio occurrit. Fuit *Bernardus* septimus Abbas generalis congregationis Vallumbrosanæ, & factus Episcopus Parmensis successorem nactus est *Sanctum Attonem* seu Arthonem, qui & ipse etiam ad Pistoriensem Sedem postea evectus est. *Bernardi* meminit Baronius anno MCI num. XXII, & alibi.

XX. Episcopi Daniæ & Sueciæ Archiepiscopo Hamburgensi subjiciuntur.

Adalbero Hamburgensis Archiepiscopus sæpe questus fuerat apud Callistum II & Honorium II quod *Acerus*, ut habet Saxo Grammaticus lib. XIII, (non verò *Acetus*, ut legitur Tom. X Concil. mox citando) Lundensis Episcopus, aliique Daniæ Præsules sibi obedientiam tanquam eorum Metropolitano debitam denegarent, contra Privilegia sibi à pluribus Pontificibus Romanis concessa. Callistus verò & Honorius, & postea Innocentius II eis mandarat, ut aut ad Hamburgensis Ecclesiæ obedientiam redirent; *aut, si quam super hoc se confiderent justitiam habere, ad Sedem Apostolicam venirent præparati.* Sed cùm ipsi Apostolici mandatis non obedirent, idem Innocentius II precibus Lotharii Imp. cujus Hamburgum Metropolis erat, eidem Archiepiscopo restituit Lundensem, ceterosque *Episcopatus Daniæ, Sueciæ, Norwegiæ, Farriæ, Gronlondiæ, Halsingaldiæ, Islandiæ, Scridevingiæ, & Sclavorum.* In fine literarum Innocentii II Tom. X Concil. recitatarum legitur: *Dat. Romæ apud Montem Aventinum, per manum Aimerici S.R.E. Diac. Card. & Cancellarii VI Kal. Junii, indict. XI Incarnat. Dom. anno MCXXXIII Pontificatus verò Domni Innocentii PP. II anno IV.* Eodem die eamdem in rem scripsit ad Nicolaum Danorum Regem & ad Suedorum Regem, quibus rogando mandavit, ut Episcopos Regnorum suorum ad obedientiam redire, diligenter satagerent adimplere. Ex quibus intelligis, primò *Adalberonem*, quem Lotharius Imp. in suis literis

SÆC. XII. An. C. 1133.

teris encyclicis supra recitatis vocat *Archiepiscopum Bremensem*, ab Innocentio II vocari *Archiepiscopum Hamburgensem*, quia jamdiu uterque Archiepiscopatus unitus fuerat. Secundò, diem coronationis Lotharii vix antiquis Historicis observatum, nempe *II Nonas Junii* accuratè à Chronographo Hildensheimensi notatum fuisse.

XXI. *S. Canuti Obotritorum Regis Martyrium.*

Sanctus *Kanutus* Obotritorum Rex, & Slevicensis Dux Martyrium fecit, non *Friderico* Archiepiscopatum Bremensem administrante, ut perperam tradit Henricus Wolterus in Chron. Bremensi, sed Sedente Adalberone, qui teste Chronico Hildesheimensi jam ab anno MCXXIII Bremensis Archiepiscopus erat. Post S. Kanuti Martyrium contigit quod Chronographus Hildensheimensis, qui hoc tempore vixisse videtur, in Chron. ad annum MCXXXIII habet: *Rex Danorum pluribus advenis Teutonicis terram suam incolentibus truncationes membrorum facit. Hac de causa Imperator super eum expeditionem movere intendit.* Tum ad annum MCXXXIV: *Imperator Pascha Halverstad* (idest, Halberstadii) *peragit. Ibi Rex Danorum veniens se se in potestatem Imperatoris tradit, obsidesque dat, juramentum facit se, successoresque suos nonnisi permissu Imperatoris, successorumque suorum regnum adepturum: & pulchro spectaculo nullis retrò temporibus audito, ipso secundo die Paschæ idem Rex Danorum Regio more coronatus, coram coronato de more Imperatore gladium ipsius portat: & sic in gratia Imperatoris repatriavit.* Idem legitur ad annum MCXXXIV tam in Chron. Bremensi citato, quàm in Chron. Magdeburgensi à Meibomio editis, & utrobique Rex ille Danorum appellatur *Magnus*, quem uterque Auctor manifestè insinuat Sanctum Kanutum ante hunc annum occidisse, de qua cæde vide dicta anno MCXXX.

XXII. *Mequinencia ab Alfonso VI Reg. Aragonia capta, & Fraga obsessa.*

Anno ab Incarnat. Domini MCXXXIII, Indict. XI Hildefonsus Aragonum Rex exercitum contra Paganos aggregavit, & munitissimum, ditissimumque castellum Meschinaz (seu Mequinenciam, vulgò *Mequinenza*, oppidum Aragoniæ ad Secorim Fl.) *obsedit, & oppidanis turgentibus, qui divitiis & ciborum abundantia, inaccessibilique, ut rebantur, firmitate gloriabantur; præcepit, ut se indemnes dederent, & in pace omnibus secum rebus suis sublatis recederent*, inquit Ordericus lib. 13. pag. 893. qui subdit, Alfonsum VI, cùm illi acriter resisterent, & promissa ejus parvipenderent, validos assultus in oppidum dedisse, eoque capto, & cunctis Saracenis capitibus detruncatis, magnum terrorem vicinis intulisse. Surita in Annal. lib. 1. cap. 52. notat Mequinenciam *mense Junio* in potestatem Regis venisse. Ait postea Ordericus: *Victor Rex inde in civitatem Fragam* (oppidum Aragoniæ ad Cincam Fl. in limite Cataloniæ, vulgò *Fraga*) *exercitum duxit, & annua ipsam obsidione circumvallavit*, annoque sequenti ibidem in prælio occisus, uti videbimus.

SÆC. XII. An. C. 1134. Anno Eræ Hispan. MCLXXII. Anno Hegiræ DXXIX inchoato die 21. Octob. fer. 1.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6637.

☉ 23. G. ☽ 14. P. 15. April. Indict. 12.

JESU CHRISTI 1134.

INNOCENTII II PAPÆ 5.

LOTHARII REG. 10. IMP. 2.

JOANNIS COMNENI IMP. 17.

I. *Epocha Concilii Pisani.*

Anum. I ad IX. Nullus Antiquorum, quem viderim, definivit tempus, quo Concilium Generale Pisanum ab Innocentio II hoc anno congregatum fuit, præter Auctorem Annonymum, eumque antiquissimum Chronicorum Pisanorum, quæ Florentinius in Comment. de Rebus ad Comitissam Mathildem spectantibus lib. 2. pag. 347. asserit apud se MSS. esse. Ait enim in his legi: *A. D. MCXXXVI* (legendum, MCXXXV juxta Pisanos, qui æram vulgarem anno uno præveniunt; præsertim cùm idem Florentinius asserat id colligi ex iis, quæ sequentibus annis in iisdem Chronicis habentur) *III Kal. Junii Pisis est celebratum generale Concilium per Papam Innocentium, & alios Prælatos, in quo Concilio Ingilbertus de Marchia Tuscia investitus est, qui postea defensus à Pisanis, & à Lucensibus ubique offensus, & victus apud Ficecchium in campo Pisas cum lachrymis fugiens à Pisanis vindicatus est.* Florentinius nactus erat exemplar corruptum Chronici Pisani. Ughellus enim Tom. III Italiæ Sacræ Col. 865. Idem Chronicon MS. ad Carolum Strozzam Florentinum pertinens laudat; in quo disertè legitur: *A. D. MCXXXV tertio Kalendas Junii*, &c. loco, *alios Prælatos*, legit, *alios Prælatos seculi*. Loco, *Ingilbertus*, legit, *Ingilbertus*. Loco, *defensus à Pisanis*, legit, *defensus est à Pisanis*, & postea habet, *& a Lucanis ubique offensus, & apud Ticecchium ab ipsis Lucanis anno sequenti devictus in campo & Pisam fugiens, lachrymasque plures effundens à Pisanis vindicatus est.* Ingilbertus itaque Marchionatum Tusciæ obtinere non potuit; cùm Urspergensis ad annum MCXXXV de Henrico Bavariæ Duce, genero Lotharii Imp. scribat: *Henricus per Tusciam exercitum duxit, quam & ab Imperatore in Beneficio obtinuit.* Baronius anno MCXXXIII num. III refert Diploma Innocentii II, quo concedit Lothario Imp. *Allodium Comitissæ Mathildis*, & per eum Henrico Bavariæ Duci genero ejus sub certis conditionibus, quia, ut exponit Florentinius, Mathildis Alodium non solùm locis frugiferis; sed etiam locis & arcibus munitis compositum erat.

II. *Causa ejus Convocationis.*

Sed redeo ad Concilium Pisanum, quod *III Kal. Junii*, seu die XXX mensis Maii celebratum esse indicant literæ canonizationis *Sancti Hugonis* Episcopi Gratianopolitani, à Baronio num. II recitatæ, quæ dicuntur *datæ Pisis X Kalendas Maii*, die nempe XXII mensis Aprilis. Sanctorum enim canonizationes, vel in Conciliis Generalibus, vel circa tempus, quo ea celebrabantur, sæpe fiebant. Causam celebrati Concilii his verbis docet Bernardus Abbas Bonævallis in Vita Sancti Bernardi lib. 2. cap. 2. *Actiones Concilii longum est prosequi: summa tamen in excommunicatione Petri* (seu Anacleti Anti-Papæ), *& irregrasibili fautorum ejus dejectione constitit.*

constituit. Ordericus verò lib. XIII pag. 900. licet in anno celebrati Concilii, & in expressione loci peccet, hîc tamen audiendus: *Anno ab Incarnat. Domini MCXXXV* (loco, MCXXXIV) *Indict. XIII* (pro XII) *Innocentius Papa maximam Synodum apud Picenum* (loco, apud Pisas) *tenuit, & de utilitatibus Ecclesiasticis multùm tractavit: sed infortuniis praepedientibus omnia pro voto complere nequivit. Hugo Rotomagensis Archiep. ipsum summopere adjuvit, & in eodem honoratus Primatum super multos Pontifices suscepit. Curis itaque Apostolicæ servitutis occupatus, curas proprii Præsulatûs aliquandiu intermisit, & diutius in Ausonia* (idest, Italiæ) *partibus demoratus, aliorum negotia solerter expedivit, quod Regi vehementer displicuit*, sc. Henrico Angliæ Regi, cui Normannia parebat. Fuit Hugo unus ex illustribus hujus seculi Præsulibus, qui scripsit *Opus de Officiis & Ministris Ecclesiæ*, à Dacherio post Opera Guiberti de Novingento evulgatum, & alia quædam à San-Marthanis in Archiep. Rotomagensibus memorata, qui tradunt, eum pervenisse usque ad annum MCLXIV. Porrò Ordericus citatus pag. 908. loquens de rebus anno MCXXXVI gestis, in errore perseverat, atque Henricum Electum Cantuariensem Archiep. Legatos *Picenum ad Innocentium Papam* misisse, cùm *Pisas* dicere debuisset.

III. *Ludovicus Franciæ Rex de Concilio impediendo cogitavit.*

Inter Innocentium II & Ludovicum VI Francorum Regem aliquod intercedebat dissidium; indeque Sanctus Bernardus Epistolam CCLV ad Ludovicum Regem dedit, monuitque, ne Concilium hoc tempore Ecclesiæ & Regno tam necessarium, ipsiusque Regis honori cessurum, impediret: *At calor, inquiunt, nimius est. Quasi nos glacialia corpora habeamus*, inquit Bernardus. Quibus ex verbis intelligimus, verum esse quod dicitur in Chronicis Pisanis, Concilium III Kal. Junii congregatum fuisse. Paulò pòst subdit Bernardus: *Tamen si quid ex Apostolicæ auctoritatis rigore processit, unde se merito esse turbatam Celsitudinis vestræ Serenitas arbitretur; qualiter hoc ipsum revocetur, aut temperetur, prout oportet ad honorem vestrum, fideles vestri qui aderunt, totis viribus enitentur. Inter quos nos quoque, si quid possumus, non dissimulabimus.*

IV. *In illo Henricus hæreticus damnatus.*

In Concilio Pisano Henricus hæreticus, qui jam à tempore Paschalis II Ecclesiam Gallicanam turbabat, uti anno MCXVI fusè exposuimus, damnatus est, ut docent Acta Episcoporum Cenomanensium à Mabillonio Tom. III Analect. recitata. Ibi enim pag. 341. postquam narratum fuit incendium, quo universa civitas Cenomanensis hoc anno conflagravit, de quo infrà, dicitur: *Eo tempere Pseudo-eremita, de quo scripsimus superiùs* (& nos cum illo prænotato Christi anno) *denuò in remotis partibus virus suæ hæresis cæpit propagare, & Ecclesiam Dei nequitia sua attramento corrumpere. Aurem suam tantum Historiæ & litteræ Prophetarum accommodans, dogmatizabat perversum dogma; quod fidelis Christianus nec retractare debet, nec erudire. Sed misericordiâ Dei, qui semper respicit in orationem humilium, & non sprevit precem eorum, ille Henricus ab Aratensi* (legendum, Arelatensi) *Archiepiscopo captus est, & Domino Papæ Innocentio Pisis in authentico Concilio præsentatus, ibique iterùm convictus, & generaliter Hæreticus appellatus, ac postremùm carcere mancipatur, cui postquam permissio concessa est abeundi ad aliam Provinciam, nova secta, novo cursu, novum iter assumsit delinquendi, quam protinus ita turbavit, quod minimè Christiani Ecclesiarum adirent limina; sed Divinum contemnentes mysterium Sacerdotibus oblationes, primitias, decimas, infirmorum visitationes, & solitam denegabant reverentiam.* De isto Hæretico rursùs infrà.

V. *Mediolanenses monent S. Bernardum se Innocentium II Papam agnoscere.*

Quia Innocentius II Sanctum Bernardum ad Concilium vocavit, Mediolanenses, qui Anacletum sequebantur, ad hunc Sanctum in Longobardiam venientem Legatos misêre, qui eum certiorem facerent, se Innocentium II verum Pontificem agnoscere, ac rogarent, ut eorum pacificationi incumberet, sicut videre est apud Baronium num. V, ubi divi Bernardi Epistolam CXXXII *ad Clerum*, & Epistolam CXXXIII *ad Mediolanenses* datas recitat. In Epistola CXXXII ait: *Benedicti vos à Domino, quorum studio & industria civitas vestra liberata est ab errore, & relicto Schismate ad Catholicam rediit unitatem*; in Epistola verò CXXXIII: *Amplector oblatam gratiam, & obviis manibus gloriosæ civitatis devotionem devotus accipio: præsertim hoc tempore, quo abjecto errore Schismaticorum ad sinum matris Ecclesiæ cum gaudio totius Orbis reversa est.* Denique Bernardus in Epistola CXXXIV nomina Legatorum ad se missorum his verbis designat: *Et ego, fratres, tanta lætitia provocatus, sed & vocatus à vobis per charissimos fratres Ottonem & Ambrosium, quos ad hoc ipsum direxistis, decreveram simul cum ipsis venire ad vos.*

VI. *Depositio Archiepiscopi Mediolanensis firmatur, & Conradi coronatio abrogatur.*

Landulphus Junior cap. 41. apud Puricellum in Monument. Basilicæ Ambrosianæ num. CCCLX mentionem facit reconciliationis Mediolanensium cum Innocentio II, atque: *Innocentius Papa Pisis Synodum celebravit, in qua Robaldo Episcopo* (Albensi) *repræsentante Thealdus de Landriano Archipresbyter Ecclesiæ Mediolanensis* (videtur is successor Stephani de Guandeca, qui anno superiori Anselmum Archiepiscopum Mediolanensem valde vexavit, ut ibidem diximus) *Amizo della Sala Archidiaconus, Anselmus de Rhode Levita, & alii plures ejusdem Ecclesiæ Ordinarii, & cum Primicerio Decumani Sacerdote, contra solitum decus Mediolani & ejus Ecclesiæ Innocentio Papæ fidelitatem juraverunt* (Mediolanenses enim, qui hactenus antiquam libertatem retinuerant, juramentum fidelitatis à Gregorio VII decretum, quod hodie à Præsulibus exigitur, decoro Ecclesiæ suæ adversari sibi persuadebant). *Cremonenses verò propter hanc fidelitatem, nequaquam milites Mediolanenses, quos captos habebant, dimiserunt. Sed Papa Innocentius depositionem & expulsionem sæpe dicti Anselmi de Pusterla* (ab Episcopatu Mediolanensi) *firmavit. Attamen prænominati, qui fidelitatem juraverant, timentes hoc casus urbis & Ecclesiæ Mediolanensis, differebant redire Mediolanum, nisi haberent protectorem, qui coram populo Mediolanensi confirmaret Anselmi expulsionem, & ad nihilum reduceret Conradi coronationem* (anno MCXXVIII factam), *& populum tantæ urbis convocaret, & confirmaret ad Lotharii Imperatoris amorem, & ad ipsius Innocentii unitatem. Ad hæc peragenda Papa à Deo idoneum Angelum habuit, sicut Bernardus Abbas Claravallensis fuit.*

VII. *Gofredus Carnotensis*

Interea Princeps Conradus altiori consilio potitus, Imperatoris Lotharii Vexillifer est factus: & prænominatus

Episc. cum S. Bernardo Mediolanum legatur.

prænominatus Abbas iste (Sanctus Bernardus) *nihil moratus cum Carnotensi Episcopo* (Goffrido de Lieues appellato), *& Robaldo Albensi* (in Monte Ferrato) *Mediolanum intravit: quam civitatem nimirum, prout voluit, firmavit. Ad nutum quidem hujus Abbatis omnia ornamenta Ecclesiastica, quæ auro & argento, palliisque in Ecclesia ipsius civitatis videbantur, quasi ab ipso Abbate despecta, in scrinius reclusa sunt: & non solum masculi, sed etiam mulieres tonsæ sunt: & cilicus & lanis vilissimis induti ad qualibet religiosa convertuntur. Aqua in vinum mutatur; Dæmones fugantur, contracti eriguntur, etiam quacumque infirmitate infirmi similiter sanantur: & quoscumque captivos infirmos Mediolanenses habebant de inimicis suis in custodia Abbas ipse solvit, & liberos dimisit: & tantum populum ad amorem Imperatoris Lotharii, atque ad obedientiam Innocentii Papæ per sacramentum pacis, quod Abbas porrexit, confirmavit.*

VIII. *S. Bernardus oblatum sibi Archiepiscopatum Mediolanensem recusat.*

Landulphus Junior ibidem apud Puricellum num. CCCLXVIII refert electionem *Sancti Bernardi* in Archiepiscopum Mediolanensem: *Tandem idem populus, ut haberet Abbatem illum in Archiepiscopum, ad Ecclesiam S. Laurentii, in qua erat hospitatus, cum hymnis & laudibus, & solito suo Kyrie eleison concurrit. Quod Abbas ille non tulit, sed ait; Ego in crastinum ascendam palafredum meum; & si me extra vos portaverit, non ero vobis quod petitis; ac sic Mediolano recessit.* Ad quæ verba Puricellus ait: " Quo quidem responso Sanctus Abbas Papiam & ipse, " Ticinumque tendere hinc cupiens nobis ad " illud non obscurè videtur allusisse, quod S. " Ambrosio contigerat, cùm regimen Ecclesiæ " Mediolanensis sibi oblatum recusans, ab ipsa " etiam urbe tandem aufugit: egressusque noctis medio civitatem (ut refert Paulinus in " ejus Vita) cùm Ticinum se pergere putaret; " manè ad Portam civitatis Mediolanensis, quæ " Romana dicitur, invenitur. Ita Puricellus. Landulphus Junior, qui Mediolani erat, invictè refellit Sigonium lib. X de Reg. Ital. ubi ait, anno MCXXIII Mediolanensi Antistite mortuo, eam dignitatem ad Sanctum Bernardum delatam esse; eo verò repudiante ad Anselmum de Pusterla. Puricellus in Monum. Basilicæ Ambrosianæ num. CCCXXIX Georgium Merulam lib. . De Antiquitatibus Vicecomitum Mediolanensium, Corium in Historia Mediolanensi, & Tristanum Calchum fusè confutat, qui volunt Sanctum Bernardum Abbatem anno MCXIX Mediolanum venisse; sed hæc apud eum legenda; præsertim cùm se ipsis corruant.

IX. *Legatus ad Cremonenses & Papienses pacificandos.*

Mediolano Sanctus Bernardus *Papiam*, indeque *Cremonam* se contulit Innocentii II jussu ad ipsas civitates inter se pacificandas; sed à Cremonensibus nihil obtinere potuit, ut produnt Sigonius lib. XI de Reg. Ital. & Ludovicus Cavitellius in Annal. Cremonensibus. Ipsemet Sanctus Bernardus in Epistola CCCXVIII ad Innocentium II data, quæ in editione Mabilloniana est CCCXIV, id ipsum testatur: *Quod tantis Dei miserationibus, tantis vestris, vestrorumque laboribus in populo isto noviter ædificatum est, heu! quàm leviter destrui potest*, ubi intelligit Guidonem Pisanum ac Matthæum Albanensem, qui ad Mediolanenses ab Innocentio Legati sunt cum Bernardo; ex hujus Epistola CXXXI, à Baronio num. IX recitata, qui num. VI de utroque Legato loquitur. Divus Bernardus, ut habet Bernardus Abbas Bonævallis in ejus Vita lib. 2. cap. 4. *secundo Mediolanum eodem anno* redit, & ad Richizam Imperatricem Lotharii Imp. conjugem Epistolam CXXXVII dedit, eamque rogavit, ut bene haberet Mediolanenses, sicut ex eadem Epistola Baronius num. VIII observat: *Non ante sanè Mediolanenses*, inquit Bernardus, *in gratiam Domini Papæ & Ecclesiæ unitatem recepti sunt, quo usque palam Conrado refutato, & abnegato, dominum nostrum Lotharium in suum Regem & dominum receperunt.*

X. *Cisterciensiū Mediolanum introduxit.*

Baronius num. V ait jam Mediolani religionem Cisterciensem fœtu fœcundo propagatam fuisse, & ad illam coalescere incipientem Sanctum Bernardum dedisse Epistolam CXXXIV, cujus titulus: *Charissimis fratribus de Mediolano, nuper conversis ad Deum.* Quibus ex verbis Baronius deduxit, jam ante Bernardi adventum fuisse Mediolani aliquod Cisterciensis familiæ monasterium, cui se Novitii isti mancipassent. Verùm Mabillonius in Nota ad illam Epistolam observat ex Ughello Tom. IV Italiæ Sacræ, primum Cisterciensium in illa urbe Cœnobium esse *Cara-vallem*, quam secundo ab urbe lapide non ante annum MCXXXV conditam probat Ughellus, proindeque hac in Epistola *Novitiorum* nomine intelligendos esse eos, qui Bernardi operâ ad Pisanum Concilium pergentis recèns conversi, ejus se magisterio ex animo jam devovissent. Hæc epocha de condito Monasterii, deducitur ex veteri Inscriptione, & ex primis monasterii Instrumentis, in quibus constanter *Cara-vallis* non *Clara-vallis* appellatur. Quod verò jam Cisterciensis familia Mediolani plantata fuisset, pu illi viri anticipato *Novitiorum* nomine appellati, quia anticipata fuit illorum obedientia; alioquin neque consilium, nec auxilium à Bernardo peterent, exequendo proposito concepto, uti rectè scribit Manricus Tom. I Annal. Cisterc. ad annum MCXXXIV cap. I.

XI. *Robaldus eligitur Archiep. Mediolanensis.*

Divus Bernardus in Galliam rediens quosdam ex discipulis suis Mediolani reliquit, uti refert Landulphus Junior cap. 42. apud Puricellum citatum num. CCCLXXIII: *Sed quidam de discipulis ejus, qui remanserunt, per civitatem euntes collectam multam de auro & argento, & rebus multis sibi fecerunt, & factum.* Subdit Mediolanenses, post repulsam divi Bernardi de novo Archiepiscopo eligendo cogitasse: *Mediolanenses verò Ordinarii, qui Papæ Innocentio fidelitatem juraverant, confortati de hac Mediolanensium conversione, fecerunt Litifredum Novariensem, Vidonem Iporediensem, & alios suffraganeos venire Mediolanum: qui in consilio suo sublimaverunt Robaldum Albensem Episcopum in Mediolanensem Archiepiscopum; habita securitate retinendi, prout dicitur, Albensem Episcopatum. Isto sublimato Mediolanum super Cremonenses exercitum suum admovit. De quo exercitu ipsi Cremonenses apprehenderunt CXXX milites in nocte errantes. Anselmus autem de Pusterla* (depositus ab Archiepiscopatu Mediolanensi) *audiens & intelligens horum militum captionem, nullam suscepit consolationem contra Robaldi sublimationem: neque secundùm consilium Alberti de Landriano, & amicorum ejus ambulavit; sed credulus Hugoni suo Naso voluit cognoscere, qualiter cum Anacleto Papa Romanorum posset protedere.*

dere. Attamen ipse cum isto suo Capellano ambulans Romam in flumine Padi juxta Ferrariam à Goyso de Martinengo captus est, & ad Innocentium Papam transmissus. Qui Papa in mense Augusti à Pisis illum captum Romam misit : ibique (prout fama est) Anselmus ille in eodem mense, in manu Petri Latri, qui procurator est Innocentii, vitam finivit.

XII. *Obitus Anselmi Archiep. Mediolanensis.* Anselmus itaque de Pusterla Archiep. Mediolanensis mense Augusto currentis anni vivere desiit, & dubitandum non videtur, quin eum præteritæ vitæ pœnituerit; cùm in Ecclesia Sancti Joannis Lateranensis, juxta Catalogum Episc. Mediolanensium à Mabillonio & Papebrocio editum, aliosque antiquissimos, ac juxta Auctores Mediolanenses sepultus fuerit. Archiepiscopatum Mediolanensem adeptus erat æstate anni MCXXIII, ante primum diem mensis Septembris, ut suo loco monstravimus; anno verò superiori, non verò currenti, ut perperam credidit Puricellus, dignitate motus est. Fundatur Puricellus in eo quod Robaldus Episcopus Albensis & Legati Ecclesiæ Mediolanensis hoc anno ad Concilium Pisanum venêre, & ejus depositionis confirmationem ab Innocentio II obtinuêre. Verùm hæc Landulphi Junioris verba anno superiori num. XVIII à nobis relata, *sit remotus à nobis*, & ista, *quasi à cuncto Clero & populo abjectus & expulsus ad sola castella Archiepiscopatûs exivit*, necessariam inter se connexionem habent & separari non possunt, ideoque loquitur Landulphus de re quæ eodem tempore, anno sc. antecedenti, contigerit; præterquam quod Landulphus statim subdit, *in quibus* (nempe castellis) *qualemcumque requiem suscepit*, & tamen à mense Julio currentis anni ex illis exivit. Quare anno superiori è Sede & urbe Mediolanensi expulsus fuit. In laudato quidem Catalogo à Mabillonio & Papebrocio edito legitur : *Ab electione domni Anselmi de Pusterula, usque ad electionem domni Ribaldi, qui tunc erat Albensis Episcopus, sunt anni VIIII & dies XXVIIII.* Quo pacto Robaldus seu Ribaldus anno MCXXXII Archiepiscopus Mediolanensis electus esset. Verùm recenti manu illic substitutum est, ut testantur idem Mabillonius & Papebrocius, *Anselmus de Pasterula sedit annos X mensem I, dies XIIII Ob. XIX Kal. Octob.* ideoque anno MCXXXIII dignitate motus est, non verò hoc anno, aut anno MCXXXII, ut arbitratur Papebrocius. Sed vel Anselmus mortuus non est mense Septembri, in quo solum numerantur dies XVIII ante Kalendas, non autem dies XIX, vel Landulphus quando scribit, eum mense Augusto demortuum famâ deceptus fuit; ait enim, *prout fama est.*

XIII. *Ab hoc anno removeri non potest.* Nihilominus Puricellus observat, duos antiquissimos Catalogos, alterum Archipresbyteri Metropolitani, alterumque Secretarii civitatis Mediolanensis, & Historicos omnes inter se convenire, *Anselmum* hoc anno die XIV mensis Augusti vitam cum morte commutasse, ideoque in Catalogum à Mabillonio editum, in quo legitur, eum obiisse. *XIX Kalend. Octob.* error irrepsit, vel ab exscriptoribus, vel à Typographis admissus. In eodem Catalogo à Mabillonio publicato deprehenduntur aliquot exscriptorum errores, uti quando dicitur, *Robaldum* sedisse annis X, mensibus IV, & diebus XXVI, obiisse autem V Kal. Januarii, anno scilicet MCXLIV; alioquin die tantum tertia Augusti currentis anni electus fuisset Archiepiscopus, quod ut dicamus, Landulphi narratio non patitur. Qui error Papebrocio observatur. Eadem Landulphi narratio refellit Joannem Franciscum Besutium in Hist. Pontif. Mediolanensium, ubi contendit, *Anselmum* pœnitentiam egisse, schisma coram Innocentio II ejurasse, & ab eo absolutionem accepisse. Sed contrarium ex dictis sequitur, & mortuum esse in carcere, & apud summi Pontificis Procuratorem.

XIV. *S. Bernardus fundat Tertium Ordinem Humiliatorum.* Quo tempore Bernardus Mediolani versabatur, Tertio ordini *Humiliatorum* Regulam dedit. Hi quidem jam ab anno MCXIX juxta Tristanum Chalcum huic Ordini initia dederant, sed ante divum Bernardum Religiosi non erant. Puricellus citatus num. CCCLXXV asserit eos vocatos fuisse *Fratres de Convento*, quod & Chalcus etiam in literas misit, additque Puricellus, *ejusmodi Ordo Fratrum de Convento in hanc usque diem appellatur, quive in suo ipsius stemmate tutelarem gestat hunc sanctum Abbatem.* Subdit Puricellus in Bibliotheca Basilicæ Mediolanensis asservari Codicem MS. continentem Humiliatorum Privilegia, cujus initio habetur : " S. Bernardus venit Mediolanum, & " ibi multis miraculis claruit, & monasterium " construxit (Caram-vallem nempe, anno " MCXXXV operâ discipulorum, quos Mediolani reliquerat). A quo (nempe Bernardo) " quidam Magnates & Nobiles cives Mediolani " divino spiritu inebriati, formam vivendi in " habitu Religioso cum suis familiis habitando (hoc tunc illorum institutum fuit) sumserunt. Fuit ergo S. Bernardus Ordinis hujus " primus fundator. Unde Fratres Tertii Ordinis hujus vocantur hodie alicubi *Fratres Sancti Bernardi*. Manserunt autem sic Fratres Ordinis hujus per se in habitu Religioso per annos LIV, priusquam concessa eis esset Regula ab Ecclesia Romana. Anno autem " MCXCIX penultimo die Maii data fuit eis " Regula à domino Papa Innocentio III. Quare sciendum est, quod Fratres Tertii Ordinis " hujus fuerunt fundatores primi & secundi " Ordinis Humiliatorum.

XV. *Antea Humiliati, nec Regulam nec habitum Religiosum habebant.* Galvaneus Flamma cap. 255. magnæ suæ Chronicæ apud Puricellum laudatum num. CCCLXXV scribit : *Nobilis vir Guido & Capitaneus porta Orientalis fuit specialis adjutor beati Bernardi in fundando monasterio de Charavalle juxta Mediolanum, de divitiis ejus anno Domini MCXXXV*, &c. *Et iste Guido Tertium Ordinem Fratrum de Convento Sancti Bernardi in porta Orientali construxit in die S. Vincentii: quem Innocentius III confirmavit, & ab Innocentio III dictus est Ordo Tertius. Isti Fratres de Convento fundaverunt Ordinem Fratrum Humiliatorum, & ipsum visitabant.* Quod idem Galvaneus, qui Seculo XIV vixit, confirmat in libro cui titulus, *Manipulus florum* cap. 171. apud Puricellum ibidem. Licet autem Sanctus Bernardus & Guido fundatores sint Humiliatorum, qui ante utrumque nec Regulam nec habitum Religiosum habebant, hæc tamen Societas jam ante inceperat, uti Puricellus probat testimonio Sancti Antonini part. 2. Chron. tit. 15. cap. 23. Raphaele Volaterrano lib. 21. Tristano Chalco & aliis. Fallitur itaque Sigonius, qui hujus Ordinis initium cum anno MXLVI alligat, ut videre est in Hist. ejus de Reg. Ital. ad annum MXLVI.

Ad num.

SÆC. XII. An. C. 1134.

XVI. *Robaldus Electus Mediolanensis Pallium noluit recipere.*

Ad num. IX. *Robaldus* Episcopus Albensis cupiens ex illo Episcopatu ad Mediolanensem Archiepiscopatum transferri, & tamen primum Episcopatum non dimittere, Innocentium II Pisis convenit apod quem sacramentum præstitit contra usum Ecclesiæ Mediolanensis, ut refert Landulphus Junior cap. 43. apud Puricellum citatum num. CCCLXVI: *Instantibus igitur eis infortuniis* (Mediolanensibus enim bellum adversus Cremonenses infaustè procedebat), *& Anselmo, prout dictum est, mortuo* (mense Augusto hujus anni) *Robaldus ejusdem civitatis Archiepiscopus Pisis Innocentio Papa juravit, & jurando libertatem Ecclesiæ Mediolanensis* (quam illi scilicet prætendebat) *in contrarium convertit.* Restabat præcipua controversia, quæ circa Pallium versabatur. Robaldus Anselmo Decessori suo auctor fuerat, ut huic novæ legi se se nunquam submitteret, & de semetipso loquens dicebat, *quod priùs sustineret nasum suum scindi usque ad oculos*, quàm novam illam servitutem subire. Quare Puricellus negat *Robaldum* à priori proposito descivisse, affirmatque hunc Præsulem eam ob rem simultatem cum Innocentio II suscepisse. Sine pallio itaque recessit, ostendens in se præstitum non esse, quod sibi debitum credebat; quod *Innocentium* II valde exulceravit; parum enim abfuit, quin quæ Sanctus *Bernardus* ad Mediolanensium Schisma dissipandum tantis laboribus egerat, pessimo exitu clauderentur, & quin Robaldus, qui populi indignationem metuebat, eum rursùs commoverit.

XVII. *Eum excusat S. Bernardus.*

Sanctus itaque Abbas, apud quem Innocentius II de Robaldi cunctatione questus erat, tam ad Pontificem placandum, quàm ad populum ad constantiam retinendam incitandum, scripsit ad Innocentium II Epistolam CCCXIV, quæ aliàs erat CCCXVIII, cujus Baronius mentionem non facit. In ea Bernardus Robaldum excusat, & culpam omnem in Mediolanenses rejicit: *O infelicem illum Episcopum, qui in Hur Chaldæorum, de quodam quasi paradiso translatus, frater factus est Draconum, & socius struthionum. Quid faciet? Obedire vult, & ecce bestiæ Ephesi frendent in eum dentibus. Dissimulare vult prudenter pro tempore, & omni feritate formidolosiorem vestram indignationem incurrit. Angustiæ sunt ei undique, nisi quod tolerabilius judicat sibi esse sine populo, quàm sine domino: pluris habens, ut dignum est, Apostolicam gratiam, quàm Mediolanensem Cathedram*, &c. *Parce, Pater benigne, Parce fideli tuo*, &c. *Parce denique populo acquisitionis tuæ*, &c. Ait postea Christum Lucæ cap. 13. per tres annos spectasse, ut ficulnea fructum ferret, antequam ei malediceret. *Tu verò*, subdit Bernardus, *vix tres expectasti menses, & jam securim paras.* Robaldus mense Augusto post Anselmi Decessoris sui mortem Mediolanum rediit, ideoque hæc Epistola post medium circiter mensem Decembrem data, post tertium nempe à discessu Robaldi mensem. In suis literis optat S. Bernardus, ut per hunc annum Innocentius II iram suam inhibeat: *Dimitte & hoc anno, si quo modo fortè circumfussa humo ligone pœnitentiæ, sterilitati Mediolanensi huic, cui eam credidisti, consulere, & fructum elicere queas.*

XVIII. *Hortatur Mediolanenses ad constantiam.*

“ Ad hæc verba Puricellus ait: Quibus qui-
“ dem postremis verbis S. Bernardus Innocentio
“ suasisse videtur, ut exitum potius exspectaret
“ opere, quam Robaldus impenderat: cui uta-
“ que non tantum crediderat juranti sibi fidelitatem;
“ tatem; sed ipsum etiam regimen Ecclesiæ Me-
“ diolanensis crediderat. Ita Puricellus. Postquam *Sanctus Bernardus* responsum ab *Innocentio* II accepit, dedit ad Mediolanenses Epistolam CXXXI, à Baronio hîc relatam, verum non hoc anno, uti autumabat Card. doctissimus, sed sequentis initio, sicut vidit Puricellus citatus num. CCCLXXX. Ea enim tunc data cùm Mediolanenses Innocentio reconciliari, in officio & obedientia titubare videbantur, quos ideo Bernardus ad retinendam constantiam incitat, & recentia Romanæ Ecclesiæ erga illos beneficia memorat: *Si postulastis*, inquit, *confirmari quod unanimitas vestra de venerabilis Patris vestri* (nempe Robaldi) *electione firmaverat; factum est. Si voluistis licuisse vobis quod illicitum, nisi pro magna quidem necessitate, Sacri Canones judicant, translationem Episcopi in Archiepiscopatum* (nempe restitutionem dignitatis Archiepiscopalis, quæ ob schisma ab Innocentio II abrogata fuerat), *concessum est*, & cetera apud Baronium legenda, ex quibus facile intelligetur, hanc Epistolam ad annum sequentem referendam, quo & eam Mabillonius in margine consignavit.

XIX. *Secunda Lotharii Imp. coronatio fictitia.*

Puricellus in Monument. Basilic. Ambrosianæ num. CCCLXXXII vult, *Lotharium* Imperatorem Mediolani & Modoœtiæ *à Roboaldo Archiepiscopo* coronatum fuisse; *tametsi è manu Pontificis Innocentii diadema Imperatorium in urbe Roma jam ante suscepisset*, quia, inquit, post ejus coronationem Romæ factam Mediolanenses *Lotharium* nondum Imperatorem agnoscebant, & Scriptores ac Historici Mediolanenses unanimi consensu tradunt, eum Modoœtiæ & Mediolani ab *Anselmo* Archiepiscopo Roboaldi decessore coronatum esse, quod quidem ipsemet Puricellus falsum & absurdum reputat, sed coronationem verè factam, & quidem à Roboaldo; contendit. At Landulphus Junior, qui adhuc in vivis erat, & ultimam manum Operi suo adhibebat eo tempore, quo *Lotharius* in Italia versabatur, inter tot circunstantias à se de profectione Italica hujus Imperatoris notatas, istam adeo singularem non prætermisisset. Ad hæc veteres & recentiores Rerum Italicarum Scriptores coronationem hanc à Roboaldo peractam tacent, ideoque idem de hac coronatione judicium ferendum, ac de *Conradi* coronatione, quam commentitiam esse suo loco ostendemus. Utraque enim à solis Scriptoribus Mediolanensibus memorata.

XX. *Tres profectiones Italicæ S. Bernardi distinguendæ.*

Ad num. X. Divum Bernardum ter in Italiam profectum esse, non verò tantum hoc anno, annoque MCXXXVII, ut potavit Baronius, ipsemet Bernardus testatur in Epistola CXLIV ad suos Claravallenses data, quando tertiò illic versabatur: *Ecce hoc tertio, nisi fallor, avulsa sunt à me viscera mea*, &c. *Bonum mihi, domine magis mori, quàm vivere est, non tamen nisi inter fratres, inter domesticos, inter charissimos.* Quare hoc anno, non primùm, sed iterùm illam peregrinationem suscepit, annoque superiori jam illuc profectus fuerat, quod liquet ex Epistola CLI ad Philippum Turonensis Ecclesiæ invasorem scripta: *Sumus* inquit, *Viterbii, & te morari in Urbe audivimus.* Mortuo enim Hildeberto Turonensi Archiepiscopo anno MCXXXI Philippus Gisleberti ejus decessoris nepos Sedem favente Anacleto invasit,

eaque

SÆC. XII. An. C. 1134. eaque occasione eas literas Bernardus ad eum dedit, animi sui dolorem ei significans propter Præsulatum illum modis indebitis quæsitum. Ex quibus & intelligimus, Hugonem, qui postea à saniori parte Clericorum canonicè electus fuit, anno MCXXXIII nondum pacificam possessionem ejusdem dignitatis iniisse. Denique eodem anno divus Bernardus Epistolam CXXXVIII ad Henricum Regem Angliæ dedit, in qua ait: *In ingressu Urbis sumus, salus est in januis, justitia nobiscum est: sed Romanis militibus cibus iste non sapit. Itaque justitiâ placamus Deum, militiâ terremus hostes*, quia Bernardus illuc profectus est cum Lothario Imp. Nec refert quod in ejusdem Imperatoris Epistola encyclica anno antecedenti à nobis recitata nomen Bernardi non memoretur, licet aliqui Episcopi & Abbates in eadem nominentur; nam in Curia Imperatorum & Regum Episcopi & Abbates præsentes non subscribebant omnes Diplomatis, ideoque nec omnes in iis memorabantur. Quare Manricus in Annal. Cisterc. triplicem ejus profectionem Italicam rectè distinxit. Baronius ait, primùm hoc anno cum Pisas ad Concilium venit primùm etiam in Italiam venisse, & secundo paulò pòst eodem anno juxta Ernaldum in ejus Vita lib. 2. cap. 4. in qua ait: *cùm secundò per Mediolanum eodem anno Pater sanctus transiret*. Et tertiò anno MCXXXVII. Verùm cùm hoc anno Bernardus Mediolano redux in Italiam non redierit, non potest dici eum hoc anno bis in Italiam profectum esse. Denique eum anno superiori in Italiam profectum jamdiu viderunt pseudo-Robertus de Monte in Chron. & Trithemius in Chron. Hirsaug. neque hoc in dubium revocandum. Tertia profectio Italica Divi Bernardi non anno MCXXXVII, sed anno MCXXXVI contigit, ut infrà demonstrabimus. Observandum etiam, Baronium anno MCXXXVII num. IV laudatam divi Bernardi Epistolam ad Philippum ad eum Christi annum malè revocare; cùm, ut mox vidimus, anno MCXXXIII data fuerit.

XXI. *Princeps Capuanus auxilium à Pisanis & Genuensibus impetrat.*

Ad num. XI. Robertus Capuæ Princeps, qui anno superiori cum Pisanis & Genuensibus, ut auxilium ab eis impetraret, egerat, currenti in Apuliam rediit, ut scribit Falco pag. 288. *Cum Consulibus & sapientibus viris civitatis suis abundeque tractavit, ut auxilium navalis exercitus ei largirentur, qui tamen sine populo Januensi hoc promittere noluerunt. Tandem definito consilio* (ab anno nempe antecedenti) *sacramentis intervenientibus pactum stabilivêre, ut circa mensem Martium futurum* (hujus nempe anni) *cum centum navigiis paratis armatorum super nefandum Regem Rogerium festinent*. Utraque Respublica promissis stetit; ut enim inquit Falco: *Anno MCXXXIV, mense Martio, indict. XII hoc anno præfatus Princeps Robertus cum duobus Consulibus Pisanorum Alzoparde videlicet & Cane, viris sapientibus, & cum aliis ferè mille Pisanis ad Principatum suum Capuanum revertitur IV Kal. Martii* (sed Exscriptor hìc manifestè peccavit; Falco enim affirmat Principem & Pisanos adventasse mense Martio, idque currenti anno, quem à Kalendis Martii auspicatur, & tamen dies IV Kal. Martii pertinet ad mensem Februarium, ideoque loco, *IV Kal.* legendum, *IV Nonas*, aut, *IV Idus*, quod postremum probabilius videtur. Similis error sæpe à librariis admissus). *Qui diligenter à Magistro militum Neapolis & Rainulpho Comite susceptus, omnia quæ cum Pisanis & Januensibus firmaverunt, eorum Papa Innocentio prædicto patefecit, & qualiter tria millia librarum argenti Pisanis in auxilium suum venientibus, sacramento mediante, dare debent.* SÆC. XII. An. C. 1134.

XXII. *Rogerius Rex Neapolitim debellare tentat.*

Prædictus autem Magister militum, & Comes Rainulphus has audientes gaudio magno gavisi sunt, factisque omnibus à Principe recitatis fidem attribuerunt. Nec mora per Ecclesias Neapolitanæ civitatis & Capuanæ discursum est, & pecuniam illam argenti cursu celeri congregavêre. Quid plura? Thesaurum ipsum argenti ad Pisanos transmiserunt rogantes, ut cum festinatione ad eorum auxilium subvenirent: in quorum comitatu Gregorium Beneventanum Electum cum quibusdam Sacerdotibus suis mandaverunt, quatenus afflictionem Beneventanæ civitatis Domino Papæ, qui illic aderat, & Pisanis intimaret. Quibus ita peractis Rex Rogerius memoratus navigiis galearum ferè sexaginta paratis Salernum pervenit. Continuò galeas illas ad civitatem Neapolitanam debellandam mandavit, & eis applicantibus usque ad portum Neapolis expugnatum est. Cives Neapolitani armis acceptis, viriliter galeas illas pepulerunt, deinde castella Neapolitanorum sibi contigua deprædati sunt, sicque ad Regem remeaverunt.

XXIII. *Capuæ Princeps se ei submittit.*

Referunt postea Falco & Alexander Abbas eodem ferè modo, Rogerium Regem cùm fortiter irruisset in ditiones Principis Capuæ & Rainulphi Comitis, occupasse Noceram, Sarnum & pleraque eorum oppida, adeo ut Capuæ Princeps *Neapolim properans Pisas transfretarit*, inquit Falco; Alexander verò; *Cernens* (nempe Princeps) *Pisanorum auxilium, quod sibi sperabat citò adesse, diu differri, iterum puppim ingressus Pisam festinus rediit, eos ad præsidium sui quantocyùs secum minaturus* (id est, adducturus) *quos jam multarum millium marcarum argenti emolumentis, quas illis promiserat, sibi acciverat*. Cùm Barones & Vassalli Rainulphi Rogerii Regis partes amplecterentur, *Comes Rainulphus*, inquit Falco, *Baronum suorum nequitiam comprehendens, & quia tanto Regi obsistere non poterat, sacramento interveniente sub Regis potestate colla submisit.*

XXIV. *Beneventum Rogerius Rex occupat.*

Baronius ait, *Beneventi* expugnationem à Rogerio factam, Rainulphum, ut se dederet, coegisse. Verùm contrà tractatus Rainulphi cum Rogerio Rege Beneventanos ad desperationem adduxit: *Audiens autem*, ait Falco, *Ropolto Beneventanus Comestabulus Comitem illum Rainulphum ad Regis imperium pervenisse, animo consternatus die Kalendarum Julii de civitate Beneventana exiens, Neapolim ingressus est, quem Comestabulum mille, & eò amplius Beneventanorum secuti sunt. Triduo autem post Comestabulus ipse Ropolto timore perculsus, navigio parato, ne in manus Regis traderetur, cum quibusdam fidelibus suis, & duobus filiis festinavit, & eis navigantibus, judicio Dei superveniente, navis illa confringitur; & sic ipse cum uno filio suo, & duobus fidelibus suis, inter procellas maris mortui sunt: alter verò filius evasit*. Nec dissimilia Alexander scribit: *Veniens ad eum* (nempe Rainulphus ad Rogerium) *genibus flexis pedes ejus osculari voluit: quem cùm ille propriis manibus ab osculatione pedum sublevasset, orisque sui osculo vellet suscipere, Comes prius precatur, ut ex corde indignationem funditus abjiceret. Cui Rex: Ex corde, inquit, abjicio. Et ille; Volo iterum, ut*

sicut

sicut deinceps tibi famulatus fuero, ita me diligas. Cui ille; & ego concedo. Iterum ait, Istarum sponsionum, quas alternatim fecimus, volo ut testis sit Deus inter me & inter te. At ille, Ita, inquit, fiat. Quibus dictis Rex eum statim osculo suscepit, diuque in amplexu ipsius delectari visus est; ita ut ex oculis quorundam circumstantium ut præ gaudio lachrymæ effundi viderentur. Principem verò (nempe Capuanum) *in sua pace hoc tenore suscipiendum pepigit* (sc. Rogerius), *ut videlicet, ut si ad dimidium mensis Augusti* (pax hæc Rainulphi exeunte Junio constituta) *reditum faceret, sue non privaretur honore. Si tamen juxta quod in capitulari scripto statutum erat, subditus vellet parere retentis siquidem sub proprio Dominio quæcumque vi guerra obtinuisset. Si autem ei fortè animus redeundi deesset, ejus filio parvulo, nomine Roberto Principatum concederet, eo tamen interposito pacto, ut ipse ejus tamdiu regimen teneret, quousque legitimam ipse consecutus ætatem exercere militiam posset. Quod si & ipse præfatum absentatione sui, terminum prateriret, Rex deinceps Principatu Capuano, cunctorumque heroum hominio inculpabiliter sub proprio potiretur dominio.*

XXV. *Capuam, aliaque oppida sibi subjicit.*

Pergit Falco: *Cùm ergo civitatem ipsam* (nempe Capuam) *jam sibi subditam Rex introiturus esset, à præordinata Clericorum, totiusque populi processione honorificè, prout decebat, suscipitur, atque ad Archiepiscopium usque cum hymnis & laudibus perducitur.* Postea Rogerius Rex Sergium Magistrum militiæ Neapolitanæ sibi subjecit; *qui genibus flexis, manusque suas manibus immittens suum ei hominium subdidit, fidelitatemque juravit*, initio scilicet Julii currentis anni. Anonymus Casinensis à Caraciolo editus pleraque ex his confirmat, additque Rogerium cum Principatu Rainulpho reddidisse *Comitissam*, sororem nempe suam & Rainulphi uxorem. Asserit Falco Regem captis Capua, Aversa, & toto Principatu Salernum adiisse, & Alexander absolvit secundum suum librum expugnatione Beneventi à Rogerio Rege facta: *Ibi extra urbem defixis tentoriis cives ejus fideles juramento, salva Apostolici fidelitate, instituit.* Baronius refert ex Falcone Anacletum Rogerii Regis nomine Beneventum occupasse. Sed hic Historicus hoc non asserit, & nonnisi post discessum Rogerii, qui, ut prodit Falco circa finem anni in Siciliam repedavit, Beneventum profectus non est: *Pontifex autem*, inquit Falco, *sub Anacleti nomine coloratus cursu rapido* (post discessum Regis) *Beneventum venit, & civitatem illam ipsius Regis virtute sua obtinuit voluntati, & domos quorundam Beneventanorum destrui præcepit.* Certè anno MCXXXVI Beneventi existens Anacletus locum Paradisum dictum Ecclesiæ Beneventanæ, & Roscemanno Archiepiscopo à se creato dedit, uti docet Diploma ab Ughello Tom. VIII Ital. sacræ citatum, datum *Beneventi per manum Matthæi S. R. E. Presb. Card. & Cancell. XII Kal. Novemb. indict. XV anno Dom. Inc. MCXXXVI, Pontificatus autem Domni Anacleti II PP. septimo.*

XXVI. *Obitus S. Norberti Archiep. Magdeburg.*

Ad num. XII. *Sanctus Norbertus* Ordinis Præmonstratensis fundator, & Archiepiscopus Magdeburgensis hoc anno, *octavo Idus Junii* beato fine quievit, ut narrat Baronius ex Hugone in Vita ejus à Surio ad diem VI Junii recitata; & de hac epocha inter omnes convenit. Cùm verò Chronographus Magdeburgensis apud Meibomium scribat, Eum *post annos VII & menses X & dies XX* defunctum, manifestum est, fuisse Magdeburgi inthronizatum die XVIII mensis Julii anno MCXXVI, perperamque Baronium inthronizationem ejus usque in annum MCXXVII distulisse.

XXVII. *Obsidio Fragæ ab Alfonso Aragone continuata.*

. Cùm anno superiori Alfonsus VI Aragoniæ & Navarræ Rex Fragam annua obsidione circumvallasset, cives, ut refert Ordericus lib. 13. pag. 893. *Legatos in Africam statim miserunt, & Alis Regi Africa* (cui Reguli sectæ Saracenicæ in Hispania parebant), ut illi succurreret, mandaverunt. At ille Amoraviorum decem millia trans fretum eis destinavit. Protinus Alfonsus Rex Sanctas Reliquias sibi de Capella sua deferri præcepit, & coram omnibus juravit, quod obsidionem non dimitteret, nisi civitas sibi redderetur. Tandem Saraceni prostrati, & eorum multi capti & perempti. Cives urbis Fragæ, quam Rex obsidebat, pacem ab eo petierunt, *& subjectionem et secundùm consideratas conditiones spoponderunt.* Rex verò *annuum vectigal ab eis recipere sprevit, se seque illos obsidione obtenturum fore minitatus, jurejurando confirmavit. Quod audientes Saraceni dira desperatione acriores extiterunt, ad Alim Regem Africa denuò Legatos miserunt, & ab aliis Regibus Principibusque gentium in tanto discrimine sibi subsidium summoperè procuraverunt.*

XXVIII. *Prælio vincitur à Saracenis Alfonsus VI Aragoniæ Rex.*

Hoc verò anno, ut prodit idem Ordericus, *Buchar Alis filius Regis Maroch* (hic Buchar idem est ac Techefin, dictus etiam Abenali) *plures undique bellatorum copias collegit, & in Hispanias contra Christianos pugnare venit.* Ad Fragam inter duo flumina *pugnatum est in mense Julio.* Postquam multi Christiani occisi fuêre, Rex cum residuis diutiùs dimicavit, & *ad mortem usque pro Christo confligere proposuit*, neque recessisset nisi Episcopus Urgellensis hoc semel & iterum præcepisset: *Ex auctoritate*, inquit, *Dei Omnipotentis tibi præcipio, ut confestim recedas de hoc campo, ne te cadente tota paganis subdatur Christianorum regio, & cunctis in hac provincia consistentibus Christianis incumbat publica interfectio.* Rex cum decem commilitonibus vix evasit, Præsulemque, qui postea peremptus est, reliquit. Alfonsus Rex Paulò pòst ægrotavit, & *post octo dies animam exhalavit*, inquit Ordericus, cujus narrationem Acta publica confirmant. Moretus in Investigat. Rerum Navarricarum pag. 645. exhibet Chartam authenticam in Archivis Cathedralis Ecclesiæ Calahorræ servatam, in qua legitur: *Facta & roborata scriptura de isto cambio erâ MCLXXII, feriâ V mediantis Augusti* (sc. die XVI Augusti hujus anni littera Dominicali G. signati) *altera die Assumptionis S. Mariæ post illam multam & malam mactationem Christianorum in Fraga, in qua ferè omnes gladio ceciderunt; perpauci verò vix inermes per fugam evaserunt cum Rege, feriâ tertiâ, die Sanctarum Justa & Rufina*; quod festum hoc anno in feriam tertiam incidebat, cum ut habet Moretus die XVII mensis Julii celebretur.

XXIX. *Dies ejus emortualis.*

Alphonsi Aragoniæ & Navarræ Regis testamentum in Archivis Sancti Joannis Pennatensis asservatur, in eoque legitur: *Facta Charta in era MCLXXII in mense Septembris, die Martis ante Nativitatem Sancta Maria apud castrum & populationem, quod vocitatur in Sarignena. Signum Adefonsi Regis*; ideoque conditum illud die

die quarta Septembris, Rexque post sex septimanas à commisso prælio Fragensi nondum obierat. In antiquo Alphonsi VII Imperatoris dicti Chronico ab Auctore fere coætaneo edito dicitur Regem victum fuisse *sexto decimo Kal. Augusti* ideoque die SS. Justæ & Rufinæ; in Kalendario verò veteris Abbatiæ Legerensis ad diem VII Idus Septembris habetur: *VII Idus Septembris obiit Aldefonsus Rex MCLXXII*, & in libro Fororum Navarræ: *Anno millesimo centesimo trigesimo quarto VI Idus Septembris obiit strenuissimæ memoriæ Aldefonsus*, &c. Hæsit ad hæc verba Moretus, atque loco, *VI Idus Septembris*, legendum, *VII Idus Septembris*. Antequam priorem Criticæ meæ Tomum, publicarem, in quo anno LXVII num. XX ostendi Scriptores quando in emortuali die assignando, uno tantum inter se die dissident, alios respicere ad mortem, alios ad sepulturam, seu ad diem sepulturæ, quem etiam diem obitualem appellant, idque tanquam principium Chronologicum proposui, Viri doctissimi passim alterutrum diem corrigebant, & aut mendosè descriptum fuisse, aut Auctores errasse persuasum habebant. Verùm tot exemplis principium illud in hoc Opere comprobavi, ut hujusmodi loquendi modus nemini imposterum negotium facessere debeat.

XXX. *Laudatur.* Rodericus lib. 7. cap. 3. succinctè de prælio Fragensi & Alphonsi VI Regis morte loquitur, sed Ordericus, qui paucis post hunc annis è vita excessit, quique amplè, accuratèque de his egit, defectum ejus supplet. Alphonsus VI ob prælia XXIX cum Saracenis gesta *Prœliator* cognominatus fuit, & Hermannus Sancti Vincentii Laudunensis Monachus postea Abbas Sancti Martini Tornacensis, qui paucis etiam post præsentem annis mortuus est, in Historia Restaurationis Monasterii S. Martini Tornacensis Tom. XII Spicilegii Dacheriani recitata hæc de Alphonso in literas misit: *Fortissimas urbes & castella Paganis fortiter prœliando abstulit, Christianis reddidit; Cæsaraugustam scilicet B. Vincentii Martyris Archidiaconatu famosam, Terrassonam quoque & Tudelam, Barbastam & Burgiam, cum aliis multis, totaque penè Hispania sibi subjugata, adeo nominis sui opinionem dilatavit, ut ab aliis alter Julius, secundus ab aliis Carolus vocaretur, ob memoriam illius præclari Caroli Francorum Regis, qui quondam Hispaniam victor subegit.*

XXXI. *Ramirus Monachus fit Rex Aragoniæ.* Ordericus Alphonsi VI Regis morte relata subdit: *quo defuncto, quia filium non habuit, turbatio de successore subjectos inter bellicos strepitus aliquandiu detinuit. Denique Aragones Remigium* (legendum, Ramirum) *Sacerdotem & Monachum, qui frater Regis erat, elegerunt, & Regem sibi constituerunt. Navares autem Garsionem Satrapam sibi Regem præposuerunt.* Quia Ramirus, seu Ranimirus *in monasterio Sancti Pontii de Thomaris* (idest, Thomeriensi cœnobio in pago Narbonensi sito) *fuit Monachus & Sacerdos*, inquit Rodericus lib. 6. cap. 1. imò quadraginta & amplius annos in illo monasterio Monachus vixerat, Regnum post Alphonsi mortem non potuit tumultibus non turbari. Aragonenses, ut habet ibidem Rodericus cap. 2. quemdam nobilem, qui dicebatur Petrus Tarasiæ (legendum, Atberasiæ) volebant Regi mortuo subrogare; verum duo Magnates volentes fidelitatem naturali Domino custodire, *plurimorum animos à primo proposito revocarunt, & ut Ranimirum Monachum à Monasterio evocarent, vigilanti studio procurarunt.* Porrò non tantum Auctores contemporanei tradunt Ranimirum Monachum & Sacerdotem extitisse; sed etiam ipsemet in diplomate originali à Suritâ viso, ut ipse affirmat lib. 1. Annal. cap. 53. id disertè docet; cùm in eo subscribatur *Rex & Sacerdos*.

XXXII. *Ranimirus nec Abbas nec Episcopus fuit.* Recentes Scriptores Hispani volunt, eum fuisse Episcopum Rodæ & Balbastri, uti Joannes Briz in Hist. Pennatensi, qui sequens Monachum Pennatensem in Historia ejus MS. id asserit; verum Marca in Historia Bearnensi hunc Monachum sæpius falli demonstrat, & Surita laudatus jure merito Episcopatum illum in dubium revocat. Certè Antiqui de illo tacent, & Rodericus citatus opinionem illam evertit verbis suis mox recitatis, & istis cap. 2. relatis, *statim Rex Monachus fuit suo Monasterio restitutus. Qui tamen dum in regno existeret, Monasterium suum Ecclesiis & possessionibus multis ditavit.* Adhæc Rodericus ibidem de Aragonensibus ait: *Cumque in Montione iterum convenissent potiorum consilium hoc firmavit, ut Ranimirum Monachum fratri mortuo subrogarent: & eductum de Monasterio apud Oscam in regni solio collocarunt.* Quare cùm *Ranimirus* eductus fuerit è Monasterio, ut Rex fieret, & postea in illud restitutus, quando post susceptam filiam eumque nuptui datam, regnum deposuit, malè posteriores Scriptores fabulas secuti tradidêre, eum fuisse Abbatem Monasterii Sancti Facundi, postea Episcopum Burgensem & Pampilonensem, & regnante Alphonso VI Rodensem & Balbastrensem; has enim dignitates successivè gessisse fabulatores voluere. *Auctor* de Gestis Comitum Barcinonensium, qui sub finem seculi XIII vixisse videtur, nihil simile habet, sed tantum quæ Rodericus in litteras misit, iterat. Ad hæc qui maturè attenderit ad ea, quæ Marca lib. 2. Hist. Bearn. cap. 10. de laudato Pennatensi Monacho scribit, his similibusve commentis fidem non adhibebit. Præterea Ordericus in fine libri I ait, se Historiam Ecclesiasticam usque in hodiernum diem perduxisse, *quo Joannes Augustus Alexis filius præest Constantinopoli, Lotharius verò dominatur Alemannis, Ludovicus Francis, Stephanus Anglis, & Remigius* (legendum, Ramirus) *Monachus Hispanis.* Ideoque liber ille ab Orderico ante finem anni MCXXXVII elucubratus, ut ex morte Lotharii Imp. & initio Stephani Angliæ Regis certò constat. Quare cùm *Ramirum*, non Episcopum sed Monachum appellet, tam Abbatia illi attributa, quàm Episcopatus in eo accumulati merè commentitii. Jam diximus, Ordericum alibi scribere Aragonenses Regem elegisse Ranimirum *Sacerdotem & Monachum*. Denique idem eruitur ex Gaufredo Priore Vosiensi hujus temporis Auctore, in Chron. cap. 48. sed is malè de rebus extra Galliam, ubi scribebat, gestis edoctus *Garsiam Ramirum* pro Ramiro Monacho sumit, atque de Raimundo Berengario hujus nominis IV Petronillæ Ranimiri Regis & Monachi filiæ conjuge, *qui genuit Adelphonsum. Iste Rex efficitur, eo quod mater illius* (nempe Petronilla) *fuerit filia unica Garsiæ Reymer* (legendum, Ranimiri) *Monachi, qui Adelphonso fratre occiso in Aragonensi regno successit.* Alphonsus itaque seu Adelphonsus, non Episcopum, sed Monachum successorem na-

ctus

SÆC. XII. An. C. 1134.

ctus est. Natalis Alexander Sec. XII pluribus contendit matrimonium Ranimiri Monachi & Regis commentitium esse, & Baronius oullam ejus mentionem facit.

XXXIII. *Sed Monachus.* Quare juvat quæcumque *Ranimiri* Monachi matrimonium spectant, testimooio Auctoris gravissimi & supparis confirmare. Est is Guillelmus Neubrigensis, qui in Præfatione suorum quioque Rerum Aoglicarum librorum affirmat, se anno primo Stephani Anglorum Regis in lucem prodiisse. Is lib. 2. cap. 10. ait: *Illustris quidem* (legendum, quidam) *Rex Aragonum* (oempe Alphonsus V I) *paulò ante nostram memoriam, cùm haberet liberos, unum eorum pia devotionis instinctu Christo dicatum in Monasterio tonsuravit* (in Monasterio Saocti Pontii in Septimania sito), *reliquos pro tempore successores designans. Verùm præmortuis, qui successore* (legendum, successuri) *sperabantur, contigit patrem humanis novissimum rebus excedere. Veriti autem Optimates, & populus de successione nepotibus contendentibus, ne regnum discerperetur, properè convenientes, & veniente periculo occurrentes, Regis filium* (nempe Ranimirum) *claustro festinanter extractum, sublimaverunt in Regem, regnoque disposito, ad procreandos, qui succederent liberos uxorem compulerunt ducere, necessitatis obtentu excusantes excessum, & necessitatem legi non esse subjectam allegantes. Denique nata est ei unica filia* (Petronilla appellata); *cumque regnum laudabili moderamine administrasset usque ad annos filiæ nubiles* (fallitur in hac circunstantia Neubrigensis, ut infrà visuri sumus); *convocatis nobilibus, & coram se solemniter apparentibus cum universa penè militia ditionis suæ taliter eos est allocutus.*

XXXIV. *Invitis Proceribus in Monasterium rediit.* *Parcat mihi & nobis* (legendum, vobis) *Omnipotens Deus, charissimi, factus sum enim insipiens, vos me coegistis; sed nunquid qui cecidit non adjiciet, ut resurgat? Nunquid quod usurpavit infelix necessitas, quam esse dixistis exlegem, eadem cessante, ratum esse debebit, quod usurpatum est contra legem? En ex me natam habetis regni heredem. Provideantur huic puellæ honerabiles nuptiæ: & regno erit consultum. Redeat ergo Monachus iterum ad Regulam, & sanciam de cetero sanet conscientiam. Reclamatum est ab omnibus; sed cùm pium, felixque propositum dissuaderi non posset, de consilio Procerum juveni clarissimo Barcinonensis Comitis filio* (Raimundo Berengarii Barcinonensi Comiti, hujus nominis IV) *filiam despondit, regnoque illi cum filia tradito; vir memorabilis, præcipuusque mundi contemptor pungentes conscientiæ stimulos ultra non passus, posita purpurâ cucullam reinduit, & regnum claustro mutavit.*

XXXV. *Filiam Willelmi VIII Comitis Pictav. uxorem ducit.* Scriptores Aragonenses aiunt, Pontificem Romanum cum *Ranimiro* dispensasse, ut uxorem accipere posset, sed alii id tribuunt Innocentio II; alii Anacleto Antipapæ. Sandovalius verò in Alphonso VII pag. 152. scribit: "Dicunt hunc Monachum *Ramirum* cum dispensatione Papæ uxorem accepisse; nescio an illo tempore dispensationes peterentur, & concederentur; cùm jam viderimus Gregorium VII dispensationem largitum non esse Alphonso VI, & hunc eam non petiisse eo tempore, quo conjugio illigatus erat cum parente prioris uxoris, & Pontifices Romani amplius non egêre, nisi ot separarentur, & eodem modo se cum Regibus posterioribus gessere. Ita Sandovalius. Sed ipsemet nescio, an disciplina in Hispania usurpata hoc tulerit, at illod penes me certum, Pootifices Romanos hoc & præcedenti seculo de impedimentis matrimonii dispensasse, & *Ivonem* Carnotensem, aliosque Galliarum Præsules à Paschali II petiisse, ot erga *Philippum* Franciæ Regem, qui Bertradam cognatam dimittere nolebat, dispensatione uteretur. Legendæ Epistolæ C L I V, & CXC Ivonis Carnotensis. Ad hæc Robertus de Monte, qui hoc tempore vivebat, in Chron. ad annum MCLIX ait, Aragoneoses *Remelum* (pro Ramiro) *Monachum etiam jam senem, licentiâ Romani Pontificis, à Monasterio abstractum Regem fecerunt, & ut heredem haberet, Mathildem matrem Willelmi Vicecomitis Toarcii illi associaverunt, ex qua genuit unam filiam, quam Reymundus prædictus Comes* (nempe Barcinonensis hujus nominis IV) *duxit*. Ubi hæc verba, *licentiâ Romani Pontificis*, oon ad abstractionem Ramiri è mooasterio, sed ad ejus matrimonium cum Mathilde referuntur, quia statim ac Ramirus monasterium reliquit, Oscam venit, & Rex coronatus fuit, antequam id Romanus Pontifex rescire potuerit. Quo etiam testimonio refelluntur Scriptores Hispani, à quibus uxor *Ramiri* vocatur *Inez* aut *Agnes*, & confirmatur quod scripsit Rodericus lib. 6. cap. 2. Ranimiri conjugem sororem fuisse Comitis Pictaviensis, *Willelmi* nempe IX Willelmi VIII filii, ultimique Aquitaniæ Ducis. *Mathildis* primis ouptiis juncta fuerat Aymerico Vicecomiti Toarcii, cui peperit Godefridum, ut videre est apud Beslium in Hist. Comit. Pictaviensium cap. 34. Addit Robertus de Monte: *Ex qua* (sc. Mathilde) *genuit unicam filiam* (nomine Petronillam), *quam Raimundus prædictus Comes duxit, de qua nata est ista puella, quam filio Regis* (sc. Richardo filio Henrici Angliæ Regis) *diximus copulandam*. Exemplum conjugii Ranimiri in medium allatum est seculo superiori post mortem *Sebastiani* Portugalliæ Regis, quando de Henrico Cardioali Presbytero, & Archiep Eborensi legitimo successore maritando ad Regnum in familia conservandum, actum est, ut insinuat Spondanus anno MDLXXVIII num. XIV, & à quibusdam Historicis fusè narratur.

XXXVI. *Navarrei Garsiam Ranimiro Regem eligunt.* Ex Charta à *Ranimiro* in castello Balbastri data *mense Octobri era MCLXXII*, constat eum non multò post Alphonsi VI Aragoniæ & Navarræ Regis mortem in Aragonia regnasse. Navarrei enim, qui ab anno MLXXVI, ut ibidem diximus Aragoniæ Regi parebant, paulò post Alphonsi VI obitum *Garsiam Ramirem* sibi Regem præfecerunt; cùm in Chronico Alphoosi VIII ab Auctore coætaneo scripto apud Moretum in Iovestigat. Regni Navarrici pag. 645. post narratam cladem Christiaoorum ad Fragam era MCLXXII, noratumque pugoam incœpisse *summo diluculo, hoc est XVI Kal. Augusti*, subdatur: *Ad ultimum vero fugit Rex & cum eo decem milites, & unus ex ipsius militibus erat Garsias Ranimiri*, &c. *Et elegerunt* (nempe Navarrei) *super se Regem nomine Garsiam Ranimiri, ille qui fugit cum Rege de Fragano prælio*. Garsias eoim Ramires legitimus hæres Regni erat, utpote qui originem ducebat à Garsia Sanctio filio natu majori Sanctii Majoris de cujus morte anno MXXXII verba fecimus. Surita & Garibaius geous ejus à Sanctio

SÆC. XII. An. C. 1134.

Rege, qui *Penalenus* dictus est, repetunt; verùm tam ii, quàm sectatores hallucinantur; præterquam enim quod uterque hujus Regis filius *Garsia* appellati fuêre, & in Castella, antequam uxorem duxissent, sine posteritate obiêre, Oihenartus lib. 2. Notitiæ Vasconiæ cap. 14. pag. 324. solide demonstrat ex relatione Legatorum Sanctii Regis cognomento Sapientis Garsiam Ramiri originem ducere à Garsia Sanctio ad Attaportam occiso, & ex verbis eorumdem Oratorum refellit, qui *Garsiam Ramirem* Regni Navarrici restauratorem filium credidêre Ramiri Infantis, & Garsiæ Sanctii nepotem, quo in errore versatur Marca in Hist. Bearniæ lib. 5. cap. 28. num. I.

XXXVII. *Garsias Ramiri à Sanctio Majore genus ducebat.*

Neutri opinioni ullus ex Antiquis suffragatur, & disertè contradicit Rodericus, qui hoc seculo exeunte vixit, lib. 5. cap. 24. ubi de Garsia Sanctii Majoris filio scribit: *Rex Garsias habuit duos filios, Regem Sanctium, quem sibi ordinaverat successorem, sed fuit occisus in Pœnaleni, & alium, qui Sanctius similiter est vocatus, apud Rodam fuit proditionaliter interfectus. Hic habuit filium Ranimirum Infantem, qui Ranimirus duxit uxorem filiam Roderici Didaci, cùm Valentia morabatur, & suscepit ex ea filium Garsiam Ranimiri, qui primus regnavit in Navarra.* Quæ genealogia planè conformis relationi Oratorum Sanctii filii Garsiæ, quæ extat apud Hovedenum in posteriori suorum Annalium parte pag. 564. In eo tantum peccat Rodericus, quod *Sanctium* Sanctii Penalenii fratrem appellat; is enim Infans posterior natu *Ramirus* vocatus fuit, ut ex plurimis, quæ adhuc in Hispania supersunt, Chartis innotescit. Moretus, qui Oihenartum sequitur, aliquas lib. 3. Investigat. exhibet. Illud planè certum, *Garsiam Ramirem* Regni Navarrici restauratorem originem traxisse ab Infante apud Rodam occiso, quem liquet non *Sanctium*, sed *Ramirum* dictum fuisse, ut Historici Arabes à Marmolo in sua Africæ descriptione citati & visi, testantur. Neque *Sanctius Infans* fratri supervixit; cùm post hujus mortem in nulla, quæ supersit, charta ejus mentio sit; cùm contrà *Ramirus* in quamplurimis memoretur usque ad annum eræ MCXXI, Christi scilicet MLXXXIII, quô eum occisum constat. Ita planè Rodericus corrigendus, qui tantum in Infantis nomine peccat, *Sanctium* pro *Ramiro* usurpans.

XXXVIII. *Alphonsus VII Castellæ Rex Navarram & Aragoniam ad se pertinere contendit.*

Alphonsus VII Castellæ Rex Aragoniam & Navarram ad se hæreditario jure devolutas prædicabat, & *Ramirum* nonnisi vitio Aragoniæ Regem creatum. Ita contractis copiis irrupit in partem veteris Castellæ à Regno Navarreo pendentem, eamque sibi facile subjecit cum Najara ejus capite, & omni regione ultra Ebrum Fl. posita. Recentes Hispaniæ Scriptores aiunt, eum *Victoriam* obsidione cinxisse, quod verum esse non potest; cùm nonnisi diu post ea urbs constructa fuerit. Tum Alphonsus VII exercitum ad Cæsaraugustam duxit, eamque nullo negotio occupavit. *Ranimirus* in Montes confugit, firmo se se aggere munivit, ibique per aliquod tempus substitit, ut ex Actis publicis Surita, Joannes Brizius & Moretus ostendunt. Inter has bellorum tempestates *Garsia Ramires* piam quamdam donationem fecit à Moreto lib. 3. Investigat. cap. 6. pag. 647. relatam, in qua ait: *Ego Garsia Dei gratia Pampilonensium Rex*, &c. Alphonsus VII Regnum Najeræ seu Navarræ ultra Ebrum sitæ ante mensem Novembrem hujus anni, ut ostendit Sandovalius fol. 152. sibi subdidit, & die decima ejusdem mensis cum *Berengera* Regina erat in Monasterio Sancti Æmiliani, ubi quamdam donationem fecêre, anno, ut aiunt, quo Alphonsus Aragoniæ Rex mortuus est, & quo Alphonsus VII Toleti Imperator erat. SÆC. XII. An. C. 1134.

XXXIX. *Obitus Roberti Normanniæ Ducis.*

Mortuus est hoc anno in Anglia *Robertus* Dux Normanniæ, quem Henricus Rex jam à XXVIII annis in custodia detinebat. *Decessit autem IV Idus Februarii anno ab Incarnat. Dom. MCXXXIV*, inquit Gemmeticensis lib. 8. cap. 16. cui Ordericus lib. XIII, & Scriptores Britannici consentiunt.

XL. *Incendium Cenomanense.*

Anno Domini mill. CXXXIV, III Nonas Septembris, tota Cenomannensis civitas, cum omnibus Ecclesiis, quæ intra muros continebantur, evanuit in favillas, &c. *Sanè ex quo eadem civitas primitùs fundata fuit, nec scripto, nec senum relatione me illius tantum recolo infortunium didicisse, quantum in illa die videtur recepisse*, inquit Auctor de Gestis Episcoporum Cenomanensium in Guidone Episcopo Cenomanensi cap. 36. qui ideo coævus fuit.

XLI. *Floret Hugo de Folieto.*

Claruit his temporibus *Hugo* Corbeiensis in Gallia Monachus, de Folieto dictus S. R. E. Cardinalis qui multa, eaque optima scripsit, quæ inter Opera Hugonis Victorini, quasi ejus essent, recensentur. Oudinus in Supplem. Script. Eccles. ex codicibus MSS. à se visis demonstrat, libros IV *de Claustro Animæ*, lib. *de Medicina Animæ*, aliosque quosdam Hugoni Victorino perperàm attributos ejus fœtum esse, & editores ultimos Operum Hugonis Victorini omisisse censuram istorum Operum, quam præcedentes prudenter adhibuerant. Loquitur Trithemius de Hugone de Folieto in Chron. Hirsaug. ad annum superiorem, & aliqua ejus Opera recenset, inter quæ duo laudata Hugoni Victorino adscripta.

XLII. *Obitus Joannis Chalcedonii Episc. CP.*

Usque ad hunc annum pervenit Joannes Hieromnemon, cognomento Chalcedonii, Patriarcha Constantinopolitanus, qui jam ab anno MCXI Ecclesiam Constantinopolitanam regebat. In serie enim Episcoporum Byzantii lib. 4. Juris Græco-Romani recitata ei tribuuntur anni XXIII. *Hieromnemon* verò dignitas erat in Ecclesia Græcanica, duodecima à Codino cap. 1. recensita, ubi & munus ejus describit. Eam obiit postea Georgius Pachymeres. De hac voce ἱερομνήμων plura habet Ducangius in Glossario mediæ & infimæ Græcitatis. Joanni Chalcedonio successit *Leo Styppita*, cujus Baronius meminit anno MCXLIII, qui tamen Joannem ejus decessorem prætermisit; sed Onuphrius in Chron. utriusque mentionem fecit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6628. Anno Æræ Hispan. MCLXXIII. Anno Hegiræ DXXX inchoato die 11. Octob. fer. 6.

☉ 24. F. ☽ 15. P. 7. April. Indict. 13.

JESU CHRISTI 1135.

INNOCENTII II PAPÆ 6.

LOTHARII REG. 11. IMP. 3.

JOANNIS COMNENI IMP. 18.

I. *Gosfridus Episc. Carnotensis*

ANNUM. I ad VIII. Gaufridus Carnotensis Episcopus S. Sedis Legatus videns Aquitaniæ rebus non satis per literas providere

comite

SÆC. XII. An. C. 1135.

S. Bernardus Comitem Pictavorum à Schismate retrahunt.

comite S. Bernardo in eam profectus est: *Simul Abbas & Legatus ingrediuntur Aquitaniam*, inquit Ernaldus in Vita S. Bernardi lib. 2. cap. 6. *Interim Gerardus* (Engolismensis Episcopus, qui se Anacleti Antipapæ Legatum dicebat), *assensu* (*Comitis* sc. Guillelmi IX) *Burdegalensem Archiepiscopatum occupaverat, & simul Burdegalensem & Engolismensem detinebat Ecclesiam. Sed effluentibus pecuniis, quas in assentatorum manus injecerat, & magis ac magis cognita veritate, jam destituebant ab eo subsidia Principum, & perfidiæ ejus timebant existere defensores. Morabatur itaque in locis illis, in quibus securiorem se putabat, nec jam facile publicis se se Conventibus præsentabat.* Hinc Gerardo absente facilior ad Principem aditus fuit.

II. *Obitus Gerardi Engolism. Legati Antipapæ.*

Legatus & Abbas rationibus & exemplis usi sunt, quibus duritiam Guillelmi IX Pictavorum Comitis domuere: *Pace itaque*, subdit Ernaldus, *omni Aquitania Ecclesia reddita, solus Gerardus perseverat in malis: sed non multo pòst, adveniente die iræ, in domo sua miserabiliter extinctus est.* Auctor tamen de Gestis Pontif. Engolismensium apud Labbeum Tom. II Bibboth. de Gerardo scribit: *Die proxima mortis suæ accepimus, quod in confessione sua Sacerdotibus dixerit, si partem Petri Leonis contra voluntatem Dei ignerans manu tenuerit, se confiteri & pœnitere*, &c. *Sequente die dominica migravit à seculo MCXXXV anno ab Incarnat. Domini.* Verùm valde dubium, ne per assentationem hæc ab illo Anonymo Schismatico dicta sint.

III. *Thomas Prior S. Victoris Parisiensis nefariè trucidatur.*

A num. VIII ad XL *Noterius* Archidiaconus Ecclesiæ Parisiensis ob res cuidam Canonico per Archidiaconatum suum iter facienti raptas, totum Archidiaconatum interdicto supposuit; sed *Stephanus* Episcopus Parisiensis ea de re non admonitus, licet tunc in Archidiaconatu illo esset, læsam putans jurisdictionem Episcopalem, interdictum relaxavit. Archidiaconus autem putans Episcopum Magistri *Thomæ* Prioris Domus Sancti Victoris Parisiensis consilio in agendis uti, ipsum destinavit ad necem, tandemque occidi jussit. Cædem, & diem, quo ea patrata, Stephanus Episc. Parisiensis Gotfrido *Carnotensium Episcopo & Apostolicæ Sedis Legato* significavit literis, quarum initium: *Calamitatis nova pondus*, in quibus ait Stephanus: *Juxta Domini Stephani castrum, quod Gornacum dicitur subitò ab ejus hominibus, scilicet nepotibus Theobaldi* (qui & Noterius dictus) *Archidiaconi, insidias mihi in via præstruentibus, assultum passus sum. Cumque nos inermes, ut potè die Dominico, & pacem ferentes incederemus: subitò evaginatis gladiis irruunt super nos, & nec Deo, nec diei sacræ nec mihi, nec his, qui mecum erant, religiosis viris, honorem dantes, inter manus nostras innocentem trucidaverunt.* Divus Bernardus in Epistola CLIX ad Innocentium II in persona Stephani Parisiensis Episcopi scripta idem habet: *Vir religiosus, Prior Sancti Victoris, Magister Thomas in obsequio caritatis, in itinere quod indixerat pietas, in opere sancto, in Sanctorum comitatu, in dominico die, certè in sinu meo, & inter manus meas crudeliter ab impiis pro justitia excerebratus est.*

IV. *Concilium Jotrense ad parricidarum punitionem coactum.*

Gotfridus Sanctæ Sedis Legatus præfatis literis acceptis ad Claramvallem convolavit, mandavitque Remensi, Rotomagensi, Turonensi & Senonensi Archiepiscopis, eorumque Suffraganeis, uti certa die apud Jotrum (Gallicè,

Tom. IV.

Jovare) diœcesis Meldensis, quod cœnobium est Sanctimonialium, frequentes convenirent. Quibus congregatis acceptæ sunt ab *Hugone* Gratianopolitano Episcopo, atque à *Guigone* Priore Cartusiensium & à tota ejus familia literæ, quibus rogabant, ut in sacrilegos homicidas Ecclesiastici rigoris intrepidè gladium producerent. Celebrata Synodo Innocentius II Sancti Bernardi literis invitatus confirmat quæ in ea decreta fuerant, atque: *Quod ergo à vestra dilectione apud Jotrum nuper judicatum est, Apostolica auctoritate statuimus esse firmatum. Sed quia nimis remissa videtur esse vestra sententia, addendo censemus, ut in quibuscumque locis præfati sanguinarii præsentes fuerint divina ibi non celebrentur officia; & si quis sacrilegos illos Clericidas, ac cœlestis Collegii perturbatores, & effusores Dominici Sanguinis in seculo remanentes manutenere & confovere tentaverit, anathematis sententia percellatur.* Denique Petrus Venerabilis Cluniacensis Abbas Epistolâ XVII libri primi ad Innocentium II data post Concilium Jotrense, ait: *Nuper in partibus nostris, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, ac multorum religiosorum & sapientum persona congregata sunt, & Concilio habito in hujusmodi sacrilegos severitatis sententiam protulerunt. Confirmet ergo, si placet, Apostolica auctoritas, quod ab eis bene actum est: suppleat si quid minus severè decretum est, ut & impii debita ultione puniantur, & ab eorum imitatione ceteri deterreantur.*

V. *Cædes Thomæ & Concilium pertinent ad annum MCXXXIII.*

Nunc hujus cædis, & Concilii *Jotrensis* annus variis sedibus jactatus sedulò inquirendus. Joannes Picardus in Notis ad Epistolam Divi Bernardi CLVIII & ex eo Labbeus Tom. X Concil. Manricus in Annal. Cisterc. ac Henschenius ad diem primum mensis Aprilis in Comment. prævio ad vitam S. Hugonis Episcopi Gratianopolitani hæc anno MCXXX contigisse persuasum habuere. Bulæus Tom. II Hist. Universitat. Parisiensis pag. 121. & Mabillonius in Chronologia Bernardina illa ad annum MCXXXI differunt. Mabillonius tamen in Notis fusioribus ad Epistolam CLVIII Divi Bernardi eadem cum anno MCXXXIII, Baronius verò cum præsenti connectunt. Verùm tam cædem S. *Thomæ* quàm Concilium Jotrense ad annum MCXXXIII pertinere, mihi pene certa stat sententia. Primò, quia *Gotfridus* Carnotensis Episcopus anno tantum MCXXXII Legatus Sedis Apostolicæ ab Innocentio II ante suum è Gallia discessum constitutus fuit; neque enim præsente Summo Pontifice Legato opus erat, ut suo loco ostendimus. Secundò, quia Concilium Remense anno MCXXXI tempore Quadragesimæ ad festum Sancti Lucæ ab Innocentio II indictum fuit, & cædes hæc, ut statim videbimus, mense Augusto peracta. Quare alio Concilio opus non fuisset. Tertiò, ex citatis Petri Venerabilis verbis manifestè liquet, tempore, quo hæc accidêre, Innocentium II in Galliis non fuisse, sed in Italia; alioquin non diceret Sanctus Abbas, *nuper in partibus nostris.*

VI. *Hac Epocha magis confirmatur.*

Denique in Necrologio Victoriano ad diem XX mensis Augusti legitur: *Anniversarium Magistri Thomæ Prioris hujus Ecclesiæ, qui pro defensione justitiæ ab inimicis justitiæ crudeliter interfectus, & vivens, & moriens, honestatis & patientiæ dignam, atque laudabilem sequentibus suis vitæ formulam dereliquit, tertio decimo Kalendas*

lendas Septembris, qui dies anno MCXXXIII in Dominicam incidit, certòque constat, Sanctum virum non alia die à Dominicali trucidatum fuisse. Verum quidem est, similes annotationes sæpe à posterioribus additas fuisse Martyrologiis ac Nectologiis, ipsosque Victorinos istam parum curasse, cùm ab aliquot annis ejus sepulchro inscripserint, eum anno MCXXXI peremptum esse, licet eo anno dies XX Augusti in feriam quartam ceciderit; sed cùm eadem annotatio in Nectologio Sancti Guinaili Corboliensis etiam legatur, & Sancti *Thomæ* Martyrium in nullum ex præcedentibus annis competere possit, perspicuum est in utroque Nectologio dici, quo contigit, affixum fuisse.

VII. *Innocentius II jubet Thomam honorificentiùs sepeliri.*

Antequam Synodus Jotrensis congregaretur, Innocentius II postquam de commisso scelere certior factus est, scripsit *R. Remensi*, *H. Senonensi & eorum Episcopis*, Rainaldo scilicet & Henrico Archiepiscopis, literas Tom. V Spicilegii recitatas, quibus eos acriter ursit, ut parricidis illos & hujus criminis conscios plecterent: *Si quid enim*, inquit, *à vobis dissimulatum vel omissum fuerit, cognoscetis id ad animarum vestrarum & officii periculum pertinere. Sanè quidquid super his Prudentia vestra decreverit, B. Petri & nostra erit firmitate subnixum. Sanctorum siquidem Patrum decreta, & novissima & antiqua Conciliorum statuta vos instruunt, quid oporteat in hujusmodi casu decerni. Ad hæc mandamus, ut corpus præfati boni viri, qui coram Judice superno modo de sua justitia & innocentia testimonium perhibet, & sub obedientia vivens in obsequio proprii est interfectus Episcopi, in sua Ecclesia honorificè tumuletur. Data Pisis XXI Decembris.* His literis acceptis corpus Thomæ in Basilicam elatum ad dexteram summi altaris, idque VII Idus Martii, ad quem diem in Ecclesia Sancti Victoris recitatur rei gestæ summa in hanc sententiam: *Commemoratio Domini Thomæ Prioris hujus Ecclesiæ, quando corpus ejus præcepto Domini Papæ Innocentii de claustro translatum, & in Ecclesia sepultum est.* Joannes Picardus citatus, qui hanc annotationem exhibet, ait Innocentium II sub initium anni MCXXXI Lutetiam ingressum, mox Sancti Victoris adiisse cœnobium, & præcepisse corpus Sancti Viri in honorificentiori, quàm fuerat loco collocari. Verùm Innocentius II eo Christi anno mense Martio Leodii fuit, non verò Lutetiæ, ut suo loco probatum est.

VIII. *Illud anno MCXXXIII ab Innocentio II præceptum.*

Bulæus etiam laudatus putavit, prædictas literas ad utrumque Archiepiscopum datas, quia paulò tardiores fuerunt in exequenda sententia ad se ab eo missa, indeque Innocentium II aliis literis eis significasse, quàm molestè tarditatem istam, ignaviamque ferret. At ex posteriorum harum literarum lectione manifestissimè apparet eas Pontificis sententiam non subsecutas esse, sed præcessisse. Sed cùm Bulæus mortem *Thomæ* cum anno MCXXXI malè copulasset, non potuit in harum posteriorum literarum Epocha non errare, quia *Innocentius* II toto anno MCXXXI Pisis abfuit. Porrò nulla ratio afferri potest, quæ *Thomæ* cædem post annum MCXXXIII differri debere indicet. Quare non video mortis *Thomæ* & Concilii *Jotrensis* Epocham amplius in dubium revocari posse; eo enim anno Gotfridus Carnotensis Episcopus Apostolicæ Sedis Legatus in Gallia erat, ut fidem facit Gauterius Monachus Cluniacensis in libello *de Miraculis B. Virginis Mariæ*, Tom. I Biblioth. Labbei pag. 650. relato, in quo is Auctor dicit se eo anno primum miraculum, quod in medium adducit, cognovisse *ab uno venerabili Goffrido Carnotensi Episcopo, & Apostolicæ Sedis Legato in conventu nobilium personarum referente.* Ex quibus tandem omnibus consequens est, *Hugonem* Gratianopolitanum Episcopum, qui cum Guigone Priori Cartusientium ad Concilium Jotrense adversùs parricidas Thomæ scripsit, non esse Sanctum *Hugonem* anno MCXXXII mense Aprili demortuum, ut duarum priorum sententiarum à nobis confutatarum sectatores autumarunt, sed alterum *Hugonem* Ordinis Cartusiani ejus in Episcopatum successorem, ut tam Baronius, quàm Mabillonius rectè viderunt.

IX. *Archembaldus Subdecanus Aurelian. eodem quo Thomas anno occisus.*

Non solum Divus Bernardus anno MCXXXIII scripsit Epistolas CLVIII, CLIX, & CLX occasione cædis *Magistri Thomæ* Prioris Sancti Victoris; sed etiam Epistolam CLXI occasione cædis *Archembaldi Subdecani Aurelianensis*, quam utramque hoc anno patratam esse credebat Baronius, qui num. VIII in margine easdem citat. Verùm utrumque facinus anno MCXXXIII commissum; nam Ordericus lib. XIII pag. 896. ad annum MCXXXI varia, quæ diversis annis accidere, referens, scribit Hugonem Decanum Aurelianensem à temerariis hominibus in via percussum fuisse, additque: *Tunc etiam Thomas Sancti Victoris Canonicus vir magnæ auctoritatis interemptus est, cujus interfectionem Stephanus Parisiensis Episcopus adstans cum ingenti mærore contemplatus est.* Errat tamen Ordericus, licet hoc tempore in Normannia vixerit, dum loco Archembaldi Subdecani Aurelianensis, habet Hugonem Decanum; divus enim Bernardus in Epist. CLXI ad Innocentium II, aliique Clericum tunc occisum *Archembaldum Subdecanum* Aurelianensem appellant. Porrò utramque cædem eodem fere tempore factam indicat etiam Bernardus in ea ad Innocentium II Epistola: *Vox sanguinis*, inquit, *Archembaldi Subdecani Aurelianensis invaluit. Nam ecce, prò dolor! juxta Prophetam*, sanguis sanguinem tangit, & simul juncti *fortiùs clamant ad vos de Francia. Clamat, inquam, & vociferatur uterque sanguis*, &c. *Si, inquam, vigor Ecclesiasticus pepercerit istis. Joanni dico* (interfectori Archembaldi), *& Theobaldo Noterio*, Thomæ interfectori. Quo ex loco obiter observabis, quantum hallucinati fuerint Viri docti, qui *Thomæ* cædem cum anno MCXXX, vel cum anno MCXXXI connexuêre; cùm duobus illis annis mense Augusto, quo eam contigisse diximus, Innocentius II fuerit in Francia, & tamen teste Bernardo, extra eam agebat hujus carnificinæ tempore. Perperàm etiam Mabillonius in Notis fusioribus ad Epist. CCXLV S. Bernardi ex laudato Orderici loco deducit Hugonem Decanum in Joannis Aurelianensis Episc. locum subrogatum fuisse, & id malè ab Historicis Ecclesiæ Aurelianensis prætermissum; cùm Ordericus eo loco non sequendus, sed corrigendus sit.

X. *Breve inter utramque cædem intervallum fuit.*

Idem Mabillonius in brevi nota ad Epistolam Sancti Bernardi CLXI ait, Bernardum contrarium esse Petro Venerabili à Baronio num. VIII citato, in lib. I Epist. XVII, ubi dicit Petrum insinuare Archembaldum de medio

dio

SÆC. XII. An. C. 1135.

dio sublatum ante Thomam Victorinum, his verbis: *Quorum impunitas sceleris arma ministrat furoris: ut sicut post Aurelianensem Subdecanum ad Dominum Thomam Parisiensem, quia prior inultus remanserat, persecutorum gladius se convertit.* At Bernardus indicat tantùm spatium, quod inter utramque cædem intercessit, breve fuisse. In Concilio Jotrensi tam de cæde Archembaldi, quàm de cæde Thomæ Victorini actum, ut docet Epistola Innocentii II Tom. X Concil. pag. 997. in qua prius Thomæ, quàm Archembaldi cædes memoratur. Mabillonius in Notis fusioribus ad Epistolam Divi Bernardi CL refert Epistolam Innocentii II *Gaufrido Carnotensi Apostolicæ Sedis Legato & Stephano Parisiensi Episcopis* datam, qua mandat, ut interfectores Aurelianensi Ecclesiæ, quam graviter læsêre, satisfaciant. Epistola data *Pisis VI Idus Januarii*, anni sc. præsentis, vel saltem antecedentis, cùm ex dictis utrumque flagitium ab anno MCXXXIII removeri non possit.

XI. *Adalbertus S. Sedis in Germania Legatus.*

Ad num. XI & seq. Florebat hoc tempore in Germania Adalbertus Mogontinensis Archiepiscopus post biduum, ut legitur apud Dodechinum Abbatem in Chron. & Serarium in Episc. Mogunt. demortuus, cujus Baronius hoc & præcedentibus annis meminit. Verum Charta à Baronio, & à Serario in Episc. Moguntinensibus relata, qua Adalbertus se gratum Moguntinensibus ostendit, quod sibi olim ab Imperatore captivo favissent, in subscriptione mendosa est. His enim verbis clauditur: *facta sunt hæc Dom. Incarnat. MCXXXV indict. XII, & confirmata Regnante Domino Lothario Imp. ejusdem nominis III anno Regni ejus IX, Imperii verò II feliciter*; loco enim, *MCXXXV*, legendum, *MCXXXIV*, ut tam indictio XII, quàm annus Regni IX & Imperii II demonstrant. Cùm verò in ea Adalbertus se Sedis Apostolicæ Legatum appellet, intelligimus Legationem Alberonis Archiep. Trevirensis anno superiori finitam fuisse. *Adalberto* in eam Legationem successit *Theduinus* S. Rufinæ Cardinalis, ut ex mox dicendis liquebit.

XII. *Principes Imperii cum Lothario Imp. pacem jurant.*

Gesta vero in Germania Chronographus Hildesheimensis ad annum MCXXXV his verbis narrat: *Dominica ante mediam quadragesimam scilicet XVI Kalendas Aprilis frequens Principum ferè totius Regni Conventus fit apud Bavenberg Imperatore præsente. Ibi Dei gratia aspirante, Fridericus Dux Suevorum* (qui cum Conrado fratre ad Imperium aspiraverat) *comitantibus Principibus in concordiam cum Imperatore sociatur. In festo Pentecostes apud Magadeburgum primùm Principes Regni coram Imperatore firmissimam pacem domi forisque ad decem annos juraverunt. In festo Sancti Michaelis, in loco, qui dicitur Mulenhusen, Conradus frater Friderici Ducis Imperatori reconciliatur.* Jam anno MCXXXIII Conradus cum eo in gratiam redierat, sed aliquod postea dissidium inter utrumque exortum esse oportet. Trithemius in Chron. Hirsaug. Principes, qui præfato Conventui interfuêre, nominat, & *Conradi* cum Imperatore reconciliationem paulò distinctiùs refert.

XIII. *Rogerius Siciliæ Rex plures uxores habuit.*

A num. XIII ad XVI. *Cùm Rex Rogerius eodem anno, inquit* Alexander Abbas initio lib. 3. *non multò pòst corporis langore corripitur* (scilicet in Sicilia, ubi hujus anni initio erat), *sed cùm Deo tribuente citiùs convaluisset, Alberia Regina conjux ipsius mox infirmitatis tacta incommodo ad extrema pervenit: quæ videlicet mulier, dum vixit, Religionis gratia atque eleemosynarum largitione fertur plurimùm claruisse.* Hæc Regina *Elvira* appellata, Alphonsi VI Castellæ & Legionis Regis filia erat. Aliqui eam *Isabellam* dictam, & è sanguine Regum Franciæ prognatam volunt; sed Sandovalius fol. 96. ait id nullo antiquo monumento probari. Illud certum, *Elviram* Isabellæ Alphonsi Regis quartæ uxoris filiam extitisse; cùm id Pelagius Ovetensis testetur. Cùm verò *Elvira* trium Rogerii Siciliæ Regis filiorum mater extiterit, iique jam militarent, non multùm juvenis esse debuit. Pyrrhus in Historia Siciliæ graviter peccavit, cùm *Anacleti Antipapæ* sororem priorem Rogerii Regis uxorem, secundam verò, quæ parvo tempore vixit, *Ayroldam*, & tertiam, quam anno MCXLV demortuam vult, *Elviram* dictam scripsit. Hæc enim omnia absurda. *Ayroldam* conjugem ejus fuisse probat tantum ex libro Ducis Gardiæ, cujus utpote recentioris auctoritas fidem non facit; neque hujus Reginæ alibi mentio extat. Rogerium tamen Anacleti sororem duxisse, Ordericus lib. XIII pag. 898. nos dubitare non patitur, licet nomen ejus taceat, quod nec alibi legitur: *Filiam Petri Leonis*, inquit, *sororem Anacleti Pontificis uxorem duxit, & ab eodem coronatus Regium stemma* (idest, Diadema) *nunc gerit*, hoc scilicet anno, vel aliquo ex sequentibus, quibus jam diximus, eum librum illum XIII composuisse.

XIV. *Falsus rumor de morte Rogerii magnorum motuum causa.*

Reginâ mortuâ, ut subdit Alexander Abbas, *Rex ipse ita mæroris contritus est amaritudine, ut multis se diebus intra cameram recludens, exceptis ejus privatis obsecutoribus non apparuerit; unde accidit, ut fama paulatim diffusa, non solum iis qui longe; verum etiam qui propè erant, verè obiisse existimaretur. Quo videlicet rumore Princeps Robertus, qui Pisam aufugerat, sollicitatus cum immensa belligerorum Pisanorum manu navigio advectus in Neapolis urbe excipitur, favente sibi Sergio ejusdem civitatis Magistro militum: qui jam cum eo præmissis alterutrum nuncis conspiraverat.* Falco verò scribit: *Anno MCXXXV Dom. Incarnat. & sexto anno Pontificatus Domni Innocentii, mense Martio, indict. XII. Hoc anno Princeps ipse septimo die stante mensis Aprilis* (idest, die XXIV mensis Aprilis juxta ejus supputandi modum) *cum viginti naviguis Neapolim venit, & comprehendit Aversam & Cuculum, quibus comprehensis Neapolim Princeps ipse revertitur, & ibi moratus est cum Pisanis ipsis. Eodem anno præfatus Comes Rainulphus venit Neapolim cum quadringentis militibus, & civitates suas & oppida dimisit.* Fusiùs hæc refert Alexander, atque, vulgato falso Rogerii Regis mortis rumore Rainulphum bellum renovasse: *Comes autem Rainulfus, & ipse eodem rumore deceptus Regis obitum vere contigisse credebat. Qui cùm Principem cum ingenti armatorum multitudine reversum comperisset, corde respirans lætabatur valde, quod Rege defuncto tempus jam accidisse opportunum videretur; quò & idem Princeps Capuam Principatus amissi honorem, & ipse* (sc. Rainulphus) *terras, quibus deminutus fuerat, recuperare possent. Perjurium itaque contra Regem Rogerium perpetrare non timens, sine ulla dierum dilatione donativo suo milites circiter quadringentos collegit: atque cum eisdem ipsis non longè extra muros Capuæ*

progressus est, expectans si fortè quoquo modo civitas ipsa Principi restituenda ab iis, qui amplius ejusdem amore connecti videbantur, sibi redderetur: cujus quoque proditionem, cùm non ad effectum evenisse comperisset, immenso animi mœrore contritus est.

XV. *Bellum in Regno Neapolitano renovatur.*

Deinde aurora illucescente, per campos passim discurrens, copiosam animalium, diversarumque rerum rapinam in suburbanis ejus exercens. sicque Capaciam munitissimum ejus oppidum, quo iter assumserat, timido corde regreditur. Guerra itaque hoc modo adversùs Regem incœpta est, &c. *Eodem namque tempore Cancellarius Regis Warinus nomine, vir quidem literis apprimè eruditus, & in secularibus negotiis prudentissimus, & Joannes Ammiratus cunctam Terram Laboris tunc temporis procurantes custodiebant*, &c. *Erat autem in eadem Terra Laboris civitas quadam nomine Aversa, quam Normanni, cùm Apuliam aggrederentur, primitus condiderunt*, &c. *ad quam cùm Joannes Ammiratus & Warinus Cancellarius venissent coperunt*, &c. *cohabitantes diligenter pramonere, quatenus nullo unquam amore seu timore concussi Regiam fidelitatem relinquerent*, &c. *Igitur Princeps Robertus de Regis obitu adhuc incertus non desinebat intra mentis sua volvere arcanum, quomodo, qualiterve principalem & demptum apicem resumere posset. Misit itaque ad Ranulphum Comitem, uti ad se quantocyùs festinaret*, &c. *Cùm ille de Regis morte, ut jam dictum est, nequaquam cunctaretur, mox cum ipsa militari, quam collegerat acie, ad illum Neapolim sitienter properavit, cujus quoque adventu Princeps ipse, Sergiusque Magister militum ad majorem resumendum audaciam vehementer sunt vegetati, putantes per eum, eò quod vir bellicosissimus esset ad effectum res quam desiderabant feliciter pertingere.*

XVI. *Aversa à Rogerio Rege deficit.*

Firmata itaque ad invicem conspiratione, hoc tandem apud se firmiter proposuerunt, ut & Princeps & Comes sua ablata ad integrum sibi restituerentur, & Magister militum Neapolim, & cetera, qua jure sibi suppetebant securiter possideret. At Rex sicut & prius, ita & tunc extinctus credebatur, de cujus quoque vita nonnulli fidelium etiam suorum hasitabant, prasertim cùm instantibus hostibus plus solito venire moraretur; sed & si quis veniens eum vivere vel venire assereret, jam audiri contemnebatur: cum multis aliis ante venientibus atque id ipsum asserentibus, &c. *Jam enim Madius mensis cursus sui metam attingebat.* Aversæ cives à Rogerio deficientes se se Ranulpho dedidêre; sed Cancellarius & Ammiratus Rogerio Regi Capuam, aliasque arces conservarunt, ut prodit Alexander, qui addit, Principem irrito conatu Capuam insidiis ingredi tentasse, eique adhærentes detentos fuisse à Cancellario, qui eos *Salernum*, ut ibi custodirentur, misit. Parte alia Ammiratus ita prudenter se gessit, ut soli defensioni intentus hostes cibariis deficientes recedere coacti fuerint. Princeps & Magister militiæ Neapolim profecti sunt, & Ranulfus Comes *ad Custodiendam Aversam* delegatur.

XVII. *Rogerius Rex summo gaudio excipitur in Apulia.*

Interea, uti habet Falco pag. 297. Rex *medio mense Junio venit Salernum.* Quod Alexander testis oculatus clariùs narrat: *Dum ergo res ita haberentur, ecce subitò Rex Rogerius, quem omnes sui sitienter expectabant, quemque inimici ejus non vivum credebant, aquoreis undis advectus quinto die intrante Junio Salernum ingreditur: cui cùm de navi exeunti universus civitatis populus unanimes occurrissent, tanto excepti sunt gaudio, ut pro eo Deo gratias omnes exclamarent: cujus adventum & Beneventani audientes ita ipsi immenso sunt exhilarati tripudio, ut in urbe eo ipso prasente, & audiente Ecclesiarum signa simul pulsarentur, & ab Archiepiscopo ad monasterium usque S. Sophia cum hymnis & laudibus Clericalis Ordo processerit.* Notat Alexander Regem protestatum esse se neque Rainulpho Comiti, neque Sergio militiæ Magistro ob eorum perfidiam & perjurium parcere velle, sed Principi Capuano veniam obtulisse, quia *iram ejus magis delitescendo fugerat*, &c. *Si tamen ab inimicis videlicet Magistro militum, & Comite Rannulpho discedere vellet*, sed hunc oblatam conditionem respuisse.

XVIII. *Aversam capit evertitque.*

Cùm ergo Princeps hoc, quod mandatum ab eo fuerat, contemnendum elegisset, Rex illicò coacta in unum, quam collegerat militum, peditumque innumera expeditione, qua major nulla alia antea ab eo habita est, ad aggrediendum Aversam, qua Comes Rannlfus ad custodiendum remanserat, toto animo tendit, cujus aggressionem asperrimam Aversani formidantes, cœperunt omnes, quicumque citiùs poterant, fugam arripere, atque Neapolim ad se ibi tuendum properare. Comes autem cernens se ita fugiendo, ab omnibus pra timore derelinqui, bellum sine dubio Regi inferendum sape comminatus fuerat, vix tandem cum paucissimis fuga ab eo elapsus est, atque Neapolitanis mœnibus, quibus tunc Princeps, Magisterque militum adhaserant, se nimis confusus recepit, &c. *Cùm ergo Rex super Aversam irruens Comitem fuga evasisse comperisset, doluit valde, quòd captionis sua retia evadens ultionem ipsius meritam non fuerit expertus: qui deinde tanto mentis furore accenditur, ut tota Urbs priùs omninò depopulata ignis pòst incendio eraderetur.* Addit postea de Aversa: *Frumento & vino carnisque edulio ita feracior extiterat, ut ferè nullus in ea habitantium in victu egeret; unde contigit, ut pene omnes in ea effrænatiùs turpi libidini subderentur: ob cujus piaculum, quo se moderari neglexerunt, Deus magis offensus, sic eam, ut astimo, per Rogerium delere decrevit.*

XIX. *Agrum & suburbana Neapolis depopulatur.*

Postquam Aversa deleta fuisset, Rex postmodum suburbana ipsius concremari jussit. Deinde appropinquans Neapolim, inter oppidum, quod dicitur Cucullum, patriaque lacum castra defixit: ibique tandiu moratur quousque & cuncta suburbana Neapolis in partibus illis ignis incendium consumeret, segetesque universa à frumentatoribus sua expeditionis depopularentur. At Princeps Robertus, Comesque Raanlfus, Sergiusque Magister militum ita pra formidine ipsius intra Urbem includuntur, ut nec de porta bellaturi exire auderent. Cumque omnia ibi consumpta fuissent, iterum Rex Aversam destructum repetit: qui etiam illic diligenter jubet, ut si quid inter Aversam, Neapolimque, quod comburendum esset, incombustum remansisset, omninò combureretur: ubi quippe moram tandiu fecit, donec & rebus agrorum, qua superfuerant, universis consumptis, solum telluris omninò vacuum dimitteretur.

XX. *Neapolim incassum obsidet.*

Aversæ excidium Falco, qui à Rogerio Rege abhorrebat, & Innocentii II partes tuebatur, pag. 297. etiam narrat: *Cùm Rex stragem illam fecisset, super Neapolim venit, & diebus novem eam obsedit; sed populus civitatis, & Princeps* (nempe Capuanus) *nihil ex eo trepidabant. Rex autem civitatem illam capere non posse aspiciens, eum dimisit, & Aversam perrexit: & eam readificari pracepit.* Verùm Rogerius Aversæ reædificationem

ficationem non præcepit, nisi postquam hoc anno circa exeuntem Augustum iterum ad Neapolim castra metatus est. Rogerius Rex postquam Neapoli recessit, ut refert Alexander Abbas, Fanum sanctæ Agathæ, & dein Cajacium, duo oppida munitissima, aggressus est, & capto Alifio Neapolim obsidione cinxit. *Post hæc coacto in unum exercitu, quem secus fluenta Vulturni reliquerat, Neapolim, qui hostes eius contra se suscepti rebellabant, obsessurus properat*; sed milites eius *dierum æstum Canicularium non ferentes* cœptam circumvallationem dimisit, indeque elicio Falconem, prætermissa Rogerii priori expeditione adversùs Neapolim, de posteriori tantum locutum esse, quia nonnisi post hanc Aversam reædificari præcepit: *Quibus ita dispositis*, inquit Alexander, *perrexit Cucuhum, quod dum ipse in Sicilia moram redeundi faceret, à Pisanis quos secum Princeps duxerat incassum, eò quod Neapolitanis jubente ipso adversaretur, ex parte etiam fuerat subversum. Deinde prævidens magis Aversæ restitutione, rebellis Neapolis posse restringi superbiam, pervenit illuc: atque eodem, quo prius fuerat, jussit restaurari situ; atque ad eam inhabitandam, cunctos, qui prius illam inhabitaverant, redire permisit*, &c.

XXI. *Pisani Amalphiam depopulantur.* *Cùm ergo prædicti Principes civitatis conclusione ita coercerentur, hoc tantum ab eorum solertia providetur consilium, ut ocyùs Pisam dirigentes, ut* &c. *quatenus cives*, &c. *eis celerrimum in extremo jam positis opitulationis succursum impenderent.* Hujus ad Pisanos delegationis non meminit Falco, sed tantùm hæc habet: *His ita decursis populus Pisanorum cum aliis viginti navigiis, quæ supervenerunt, civitatem Amalphitanam pergunt, & eam comprehendunt, & ejus universa bona diripiunt; sicque divitiis multis locupletati Pisas redeunt simul cum Principe*, nempe Capoano; sed tacet Falco Pisanos Amalphiæ malè fuisse habitos, quod Alexander non prætermisit: *Cùm ergo*, inquit, *immensa acies ab eis directa cum ratibus æquora sulcando Neapolim tendissent, hujusmodi præfirmantur consilio, ut urbem Amalfiam, inchoante aurora ortu, subitò aggredientes, aut prædarentur, aut Regi eriperent. Erat autem tunc Amalfia omnibus pene evacuata belligeris viris*, &c. *Venientes itaque ipsi Pisani subito inchoante aurora luce invaserunt urbem, nulloque resistente eam funditùs impièque depopulantur. Cumque urbe tota depopulata, universa ad classem spolia transportata fuissent, mox scala oppido ceterisque Amalphiæ munitionibus invasis, novissimèque quoddam munimen, quod dicitur Fracta, expugnare nituntur.*

XXII. *In Pisanos Rogerius irruit, & eos malè habet.* *Dum ergo Rex Rogerius, ad reparandam Aversam bellica constipatus expeditione sedulus intenderet, intimatum est sibi, quod navalis prælantium manus Pisâ adveniens Amalphiam procul dubio invaserat. At ille cognito hoc concitus ipsam Aversæ restitutionem pro tempore dimittens castra movit, Amalfiam violenter de manu excussurus. Quid multa? Dum ergo præfatum munimen.* (Fracta) *sicut jam dictum est, expugnaretur, ecce Regis exercitus ex improviso irrumpens, partem ipsorum cæde prosternunt, partem verò captionis violentia subdunt: quorum videlicet numerus inter necatos & captos, mille quingenti fuisse referuntur. Ex Consulibus autem ipsorum duo capti sunt: tertius verò percussus interiit: qui autem ad puppes remanserant, vel timore coacti ad eas fuerant reversi innumeris, quibus onustati fuerant, spoliis fugam arripiendo evaserunt. Liburnarum verò numerum quidam asserunt fuisse quadraginta tres, alii plures; captivorum autem multitudinem per diversa Rex dispertiens loca vinculis mancipandos direxit. Ceterùm pyratæ ipsi Neapolim redeuntes cum Pisanis, quos Princeps secum duxerat, relictis ibi ad custodiam nonnullis ipsorum, simulque etiam cum eodem Principe Pisam ingressi sunt, Veris tempore in adjutorium Neapolitanorum denuò reversuri. Verùm Sergius Magister militum, Comesque Ranulfus cum filio suo Roberto in urbe defensionis eius causâ remanserunt*, &c.

XXIII. *Alia gesta militaria Rogerii.* *Rex denique in unum rursus collecto immenso exercitu Neapolitanorum vitiferas arbores, inquantum propius accedere potuit, omnes succisurus regreditur. Succisione itaque eadem circumquaque perpetrata Aversam, quam pro tempore, ut jam dictum est, reædificatione inconsummata dimiserat, consumaturus revertitur.* Expeditionis navalis a Rogerio susceptæ Alexander non meminit, sed eam Falco narrat. *Rex Pisanorum exercitum reversi comprehendens iterum Neapolim obsedit, cumque die quodam in festivitate nativitatis Sanctæ Mariæ Rex ipse navale bellum cum Neapolitanis incipere vellet, en subitò tempestas affuit, & omnes naves illas dimisit, ita quod in profundum mergi putarent. & sic ad portum Puteolanum revertuntur. Tunc videns, neque mari neque terra contra civitatem agere, navigia illa reverti præcepit, & ipse Salernum repedavit. Deinde Siciliam ingressus est.* Verùm Alexander regressûs Rogerii in Siciliam mentionem non facit, sed ait: *Videns* (nempe Rex) *se imminente jam hyeme non ultra diu secum posse retinere exercitum, sibique quantocyùs repetendi Siciliam necessarium fore, eius mox dispositu, quæ fienda erat, restitutione, ordinatisque usquequaque per oppida ad tuitionem pedestribus ac militaribus excubiis, Beneventum regreditur, figens castra subtus Padulum oppidum non longe à flumine Caloris* (in provincia Principatûs Ulterioris hodierni): *ad quem mox pro parte omnium civium nonnulli ex Primoribus Beneventanæ urbis cum Archiepiscopo* (Roscemanno Anacletista) *exeuntes, benigno ac familiari famine ab eo commoniti sunt, ut de eius penitus amoris nihil hæsitarent æquitate; diligenter pacis vinculo connecti studerent; ita ut nullum dissensionis civilis adinventorem sine justa animadversionis censura dimitterent, simulque fidelitatem ipsius, salva Apostolica fidelitate, devotissimè contra omnes custodirent.* Omnes delegati isti se nunquam ab Anacleto defecturos polliciti sunt.

XXIV. *Rogerius Alfonsum filium Capuæ Principem designat.* *Postera die Rex Rogerius filium suum nomine Anfusum* (idest, Alfonsum) *bonæ indolis puerulum cum favore Optimatum militumque omnium, Capuani per vexillum sublimavit Principatûs honorem.* Anonymus Casinensis juxta Caracioli editionem locat hæc ad annum MCXXXV, qui nobis est MCXXXVI, qui ultimus annus notatus reperitur cod. 199. ut ait Peregrinius, qui de hoc hujus Anonymi errore in suis Notis pag. 122. hæc habet: „Quod autem ad consignatum eiusce rei „gestæ annum spectat, in cod. 199. notatur in„stitutum Principem *Anfusum*, Imperatorem-

„que

SÆC. XII. An. C. 1135.

„ que *Lotharium* in Liguriam advenisse uno
„ eodemque anno MCXXXVI. De Lo-
„ tharii adventu postea videbimus. *Anfusum*
„ verò Principis dignitate à patre decoratum,
„ statim post orbem Neapolim ab eodem Re-
„ ge terra marique, sed frustra oppugnatam, id
„ io anno contigit MCXXXV, mense Se-
„ ptembri, Auctore Falcone, qui tamen nil
„ de Anfuso; atque antequam idem Rogerius
„ *mare ingressus* Siciliam cum immensa expe-
„ ditione veris tempore ad expugnandum rur-
„ sùs Neapolim reversurus, repetisset, cre-
„ dendum oculato est testi Alexandro Telesino
„ libro prædicto cap. 27. & seqq. Nostri itaque
„ Anonymi textus hac parte luxatus censendus
„ certè est, novique Campani Principis inau-
„ guratio ad jam dictum annum MCXXXV
„ fienda Kalendis octob. vel circa. Quod etiam
„ ex observata in antiquis Chartulis serie anno-
„ rum eius Principatus clarissimè aperitur. Ita
„ Peregrinius.

V. *De aliis Rogerii Regis filiis.* Rogerius præter Alphonsum, inquit Alexander, *habebat & alios duos Liberos adolescentiores, formâ speciosissimos; morumque honestate præclarissimos, nec non ad suscipiendum militiæ cingulum jam utrosque adultos, quorum unum, qui erat primogenitus omnium fratrum Rogerium nomine jam Ducali honore, alium autem Principatu Barensi provexerat. Erant autem & ei duo filii minimi, qui sub tenera adhuc pueritiæ ætate degentes sic in Regia aula manebant.* Ex duobus Principibus illis unus erat *Guillelmus* filius eius legitimus ex Elvira Regina, qui postea ei in Regnum successit. Quoad alterum, asserere ausim fuisse. *Henricum*, filium Rogerii ex Elvira Regina, cujus Romualdus Salernitanus in Chron. meminit, neque enim eum fuisse *Simonem* spurium Rogerii Regis filium mihi persuadere possum. Alexander per *Liberos*, filios intelligit legitimos, & perspicuum est, eos, quorum mentionem facit, æquales natalibus, & ætate tantum diversos fuisse. Pyrrhus Capacium & Beltramnum reprehendit, qui in suis de Regno Neapolitano tractatibus *Tancredum* secundum Rogerii Regis filium fuisse tradunt. Verùm quidem est, Falcandum & Romualdum Salernitanum eius non meminisse, sed Alexander Abbas; testis oculatus & gravis, affirmat *Tancredum* secundum Rogerii Regis filium Principem Barensem dictum esse; & Peregrinius in Notis ad Anonymum Casinensem. pag. 122. lo-
„ quens de evectione *Tancredi* ad Principatum
„ Barensem, & *Alphonsi* ad Capuanum, inquit:
„ Campanos (id est, Capuanus) itaque Prin-
„ cipatus post Barensem acquisitus, juniori ob-
„ tigit filio Anfuso, cui Ducatus paulò pòst
„ Neapolitanus est etiam à patre contribu-
„ tus.

XXVI. *Alexander Abbas Historia sua finem imponit.* Rogerius Rex, sicut refert Alexander, Regni arces invisens venit ad monasterium ejus, *dum iter ageret Dominum oraturus ad monasterium Sancti Salvatoris Celesini divertitur.* Sed juxta Peregrinium in Castigat. ad Falconem Benevent. pag. 180. & seq. loco *Celesini*, legendum, *Telesini*, quia in pluribus nominibus T mutatum reperitur in C, qui error procedit ex eo quod *Normanni, inductâ super majusculam C transversâ quâdam lineolâ, facile Lectorem fallebant, qui ipsam ab T ob consimillimam formam non distinguebant; unde ipse etiam Alexander, cùm esset Abbas Telesini cœnobii, reputatus est, & dictus Abbas Celesinus.* Alexander Abbas ait, se honorificè à Rege in monasterium suum, Ecclesiamque veniente exceptum fuisse, *qui cùm genibus positis ante altare orationem consummasset, ad Capitulum ipsorum* (nempe fratrum) *pergens brevi tunc allocutione, Abbatem omnesque Fratres familiariter ibidem excepit. Post hac filius ejus præfatus Anfusus sanctam eorumdem fraternitatem per manus ipsius Abbatis præsente Rege accepit, quam Rex ipse, ut suprà memoratum est, altera vice veniens, susceperat.* Non multò pòst Alexander Abbas Historiæ suæ finem imponit exhortatione quadam ad Rogerium Regem, indeque manifestum est, eum initio anni MCXXXVI libros suos quatuor, quibus res gestas Rogerii Regis exponit, absolvisse. Opus ejus Tom. III Hispaniæ Illustratæ insertum. Hæc ad supplendos Annales Ecclesiasticos. Sigonius lib. XI de Reg. Ital. ad hunc Christi annum nihil de Rebus Neapolitanis habet.

XXVII. *Innocentius II Lotharium Imp. in Italiam vocat.* Interim operam suam Innocentius II in hoc conferebat, ut Germanos ad amicorum auxilium in Italiam evocaret. Ut enim scribit Falco pag. 298. *Cùm Robertus Princeps Pisas reverteretur, consilio Domini Papæ Innocentii, simul cum Domino Girardo Cardinali, & Ricardo Comitis Rainulfi germano* (Roberti Rogerio fidelis patre) *ad gloriosum Lotharium Imp. festinavit, qui honorificè ab ipso Imperatore suscipiuntur, & ei qualiter Principatum suum perdidisset, lachrymis multis intimavit. Precatur enim, & pro amore Domini Papæ sibi succurreret, & quod injustè perdiderat, redintegraret. Imperator itaque muneribus multis ei datis promisit se ipso anno venturum ad Romanæ Sedis libertatem, & ejusdem Principis* (Capuani) *restitutionem: & sic Princeps ipse reversus Domino Papæ Innocentio cuncta narravit.* Lotharius tamen nonnisi anno sequenti in Italiam perrexit, aliis fortè in Germania negotiis detentus.

XXVIII. *Epistola CXXXI S. Bernardi ad Mediolanenses data explicatur.* Sanctus Bernardus hoc anno, ut notat Puricellus in Monument. Basilic. Ambros. num. CCCLIX Epistolam CXXXI ad Mediolanenses suos dedit, & falsi sunt, qui credidêre eam ab eo ante Pisanum Concilium scriptam, ut Puricellus ostendit, qui & ait, Bernardum eam inscripsisse *suis Mediolanensibus*, quia Ecclesiæ hujus Pontificatus eidem fuerat antè delatus. Quibus gratiis à Sancta Sede affecti fuissent, ipsis in memoriam revocat: *Si voluistis*, inquit Bernardus, *licuisse vobis quod libuerat, nisi pro magna quidem necessitate Sacri Canones judicant, translationem Episcopi scilicet in Archiepiscopum* (nempe Roboaldi Episcopi Albensis, qui ad Mediolanensem Ecclesiam translatus fuit cum hac prærogativa, ut Episcopatum Albensem conservaret) *concessum est.* Mabillonius in editione Operum S. Bernardi legit, *translationem Episcopis scilicet in Archiepiscopatum*, & in breviori nota ait, Bernardum intelligere *restitutionem dignitatis Archiepiscopalis, quæ isti Ecclesiæ ob schisma à Pontifice abrogata fuerat.* Qua in re sequitur Horstium, qui tamen hallucinatus est. Licet enim Honorius Anselmum Mediolanensem Archiep. & Mediolanenses excommunicarit, Ecclesiæ tamen Mediolanensi Metropoliticam dignitatem, quà à tot seculis exornata erat, non abstulit; neque erectio Episcopatus Genuensis in Archiepiscopatum huic interpretationi favet. Mediolanensis quidem Archiepiscopus, durante schismate, plures ex suf-

fraganeis

fraganeis subditos non habuit, sed hoc personam Archiepiscopi schismatici, non verò suæ Ecclesiæ jura respiciebat.

XXIX. *In ea non agitur de restitutione Archiepiscopatus Mediolanensis in priorem statum.*

Tenor Epistolæ Sancti Bernardi ostendit in ea nonnisi de translatione *Robaldi* ad Archiepiscopatum Mediolanensem sermonem esse, & hujus temporis documenta demonstrant, Suffraganeos hujus Ecclesiæ, excepto Genuensi ad Archiepiscopalem dignitatem evecto, sedente Anselmo semper agnovisse se Mediolanensis Ecclesiæ Suffraganeos esse, quamvis Innocentio II adhærerent, & in quantum ejus Suffraganei erant, Anselmum judicasse, & dignitate deposuisse, ut suo loco visum. Certè Sacri Canones prohibebant quidem translationem in alium Episcopatum, sed non restitutionem Episcopatus extincti in priorem statum. Verosimile autem est, questos Mediolanenses de novi Archiepiscopatus Genuensis & Episcopatus Bobiensis erectione, sicuti de necessitate Archiepiscopis Mediolanensibus imposita, ut Pallium è summi Pontificis manibus acciperent. Bernardus enim eos his verbis hortatur: *En ad complementum Pallium præsto est, plenitudo honoris.* Et infrà: *Plenitudo potestatis super universas Orbis Ecclesias, singulari prærogativâ Apostolicæ sedi donata est. Potest, si utile judicaverit novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerunt* (quod ratione Bobii ab eo dictum), *de Episcopis creare Archiepiscopos* (ubi ad Archiepiscopatum Genuensem respicit.) *Potest à finibus terræ sublimes quascumque personas Ecclesiasticas evocare, & cogere ad suam præsentiam, non semel aut bis, sed quoties expedire videbit.* Ad quæ verba Puricellus ait: *Ut quid ista sapientissimus ac prudentissimus hic Doctor? Si Robaldum reluctantem Innocentius ad se non evocaverat, & nominatim ad pallium ex ipsius manibus suscipiendum.*

XXX. *Mediolanenses in Gratiam Innocentii II rediêre.*

Verosimile etiam est, *Bernardum* à dilectis suis Mediolanensibus, quæ petebat, obtinuisse, cùm in gratiam Innocentii II redierint, & postrema hæc dissensio, in cujus causam Baronius penetrare non potuit, penè sopita fuerit. Quare *Innocentius* II apud *Lotharium* Imperatorem eorum patrocinium suscepit. Et licet Landulphus Junior de Pallio nihil in literas miserit, satis tamen indicat Privilegia omnia Ecclesiæ Mediolanensis abolita fuisse. Quibus calamitatibus adventus Lotharii Imp. successit, qui Mediolanensibus, quidem adversùs Cremonenses auxilio fuit, sed cujus exercitus, ut conjicere licet, agros eorum vastavit & depopulatus est.

XXXI. *Cara-vallis Monasterium prope Mediolanum fundatur.*

Hoc anno celeberrimum monasterium Caravallis appellatum prope Mediolanum fundatum, cujus mentio apud Landulphum Juniorem, quodve discipuli à Sancto Bernardo in sua profectione Mediolanensi relicti inhabitarunt. In antiquo MS. hujus monasterii apud Ughellum Tom. IV Italiæ Sacræ, & Puricellum citatum num. CCCLXXXIV, de eo legitur: *Mediolanenses cum vidissent beatum Bernardum, tum sermone & verbo Dei potentem, tum signis coruscantem, ultrò polliciti sunt cœnobium de Ordine illius in territorio suo à fundamentis erigere. Qua de re missi ab eo ad eamdem urbem nonnulli ex ejus Monachis, & ibidem per aliquot dies moram facientes in monasterio Sancti Ambrosii se locaverunt. Cernentes autem quod Mediolanenses, frigescente charitate, à promissis deficiebant, arripuerunt iter ad propria. Quod in Primatibus Mediolani in Broluto existentibus factum innotuit* (Broleti nomine intelligitur parvum septum, aut locus muris clausus, Brolium verò vocabatur locus, ubi ad negotia tractanda Conventus fiebant, unde natum verbum Venetum Brolio, fat Brolio) *hoc in suam infamiam vergere dubitantes, celerrimè missis nunciis prædictos Monachos, qui jam Novariam versùs advolarant, revocavêre; iisdem Mediolanum reversis, certatim se illis enixè auxilium præstituros spoponderunt, emeruntque quædam mapalia, quæ nostri vocant cassinas, quod tunc Navagianum appellabatur: ubi constructum est monasterium, quod Clarevallis nuncupavêre,* &c. *Acta sunt hæc redemptionis nostræ anno MCXXXV.* Puricellus num. CCCLXXXIII notat, in antiqua tabula marmorea parieti insita eumdem annum perantiquo charactere notari, & subjungi fundationem factam esse, *tempore S. Bernardi Abbatis Clarevallis XI Kal. Februarii.* Abbates usque ad annum MCCCCCLXXV perpetui fuêre, & tunc Abbatia annualis seu triennalis effecta, & Congregationi Etruscæ unita.

XXXII. *Epistola S. Bernardi CXXIX anno MCXXXIII data.*

A num. XVI ad XX. Epistola divi Bernardi CXXIX *Januensibus* data, & à Baronio recitata, neque ad hunc annum, neque ad annum MCXXXII, cui eam affixit Manricus in Annal. Cisterc. eo anno cap. VI, sed ad annum MCXXXIII, ut Mabillonius in margine notavit, pertinet. Longa dissidia Januenses & Pisanos turbabant, annoque MCXXX, quo Innocentius II in Galliam venit, non pacem, sed inducias inter illos constituit, ut habet Augustinus Justinianus in suis Annalibus, sicque intelligendus est Auctor Vitæ Innocentii II eo anno à Baronio num. LVI laudatus. Sed cùm induciæ illæ servatæ non fuissent, idem Pontifex anno MCXXXII aliis propositis conditionibus harum gentium inter se discordantium animos conciliavit, usus operâ Sancti Bernardi, qui eò avidiùs à cunctis audiebatur, quò ferventiùs animarum saluti incumbebat. Is anno MCXXXIII ad eos scripsit: *Servate vos pacem fratribus vestris Pisanis, fidem Domino Papæ, fidelitatem Regi* (nempe Lothario) *vobis honorem.* Hanc autem Epistolam eo anno scriptam priora hæc ejus verba demonstrant: *Quod adventus noster ad vos* ANNO PRÆTERITO *non fuerit otiosus, Ecclesia paulò pòst in sua necessitate probavit, à qua & missi fueramus.*

XXXIII. *Ejusdem Epistola CLXXVI currenti anno scripta.*

Epistolam verò divi Bernardi CLXXVI *ad Innocentium Papam* scriptam, & à Baronio num. XVIII relatam, Manricus & Mabillonius citati cum præsenti anno etiam connectunt & hæc sententia mihi certa videtur. In ea enim, quam ex persona Alberonis Treverensis Archiepiscopi scribit, summo erga Innocentium, & citramontanæ Ecclesiæ studium & obedientiam declarat, aitque: *Nequaquam nos Beneventi, non Capua, non ipsius Romæ terret, Deo sic judicante, amissio; scientes Ecclesiæ statum non armis æstimare, sed meritis.* Paucis interpositis: *Hoc quoque addo, Dominum Regem, Deo eum confortante, fervere & accingi ad liberationem Ecclesiæ, & parare sibi exercitum multum nimis.* Anno autem superiori exeunte Beneventum à Rogerio Siciliæ Rege captum, & currenti *Lotharius* Imp. Innocentii II precibus motus sese ad expeditionem Italicam paravit, annoque sequenti, ut ibi videbimus, eam suscepit.

XXXIV. *Sicuti & Epistola CLXXVIII*

Denique Epistola CLXXVIII ad Innocentium II, à Bernardo in persona *Alberonis* Archiepiscopi

SÆC. XII An. C. 1135. Archiepiſcopi Trevirenſis exarata, qua queritur, perverſos quoſdam & Eccleſiæ pernicioſos homines in exequendis pravis conſiliis Pontificia auctoritate muniri; alios interim Præſules, zelum Dei habentes, deſtitui, & contemni, à Brovvero in Annal. Trevirenſibus in annum MCXXXIX, & à Mabillonio in ejus margine cum eo dilata. Verùm ea ſeriùs quàm præſenti non data; ait enim Bernardus: *Plorans plorat deſolationem ſuam apud Tullum Eccleſia S. Gengulfi; nec eſt qui conſoletur eam. Quis enim ſe opponat brachio excelſo, torrentis impetui, ſumma arbitrio poteſtatis?* Inſignis Eccleſia Collegiata S. Gengulfi, vulgò S. Jangoulf apud Tullum, jam annis ſuperioribus injuſtè opprimebatur, ut liquet ex Epiſtola Divi Bernardi CXXXIX *ad Lotharium* Imp. ſcripta. Tandem facta eſt concordia inter *Henricum* Tullenſem Epiſcopum & *Fredericum* Comitem Tullenſem, quam Innocentius II Epiſtolâ hoc anno eidem Henrico inſcriptâ, & Tom. X Concil. pag. 1846. relatâ confirmavit. Ea *data Piſis per manum Almerici* (legendum, Aimerici) *S. R. E. Diac. Card. & Cancel. VII Idus Junii, indict. XIII Incarnat. Dom. anno MCXXXVI* (Piſano, ut tam indict. XIII, quàm annus Pontificatûs demonſtrant) *Pontificatûs Domini Innocentii Papa ſecundi anno VI.* Ait Innocentius ſe *pacem & concordiam, qua poſt multas guerras & labores, atque expenſas*, inter utrumque facta eſt, in præſentia *Tiomni Epiſc. S. Rufina tunc Apoſtolica Sedis Legati, Alberonis Trevirenſis Archiep. & ſuffraganeorum ſuorum confirmare.* Ita ut *de hoſpitalitate, ſeu de conſuetudine, quam prafatus Comes Fredericus in prebenda Fratrum Tullenſis Eccleſia ſibi uſurpare contra juſtitiam nitebatur, nihil ſibi deinceps ex debito audeat vindicare.* Ita literæ D. Bernardi inutiles non fuêre.

XXXV. *Moritur Henricus Rex Angliæ.* Ad num. XX & ſeq. Henricus Rex Anglorum, dum hoc anno in Normannia eſſet, *poſt confeſſionem, abſolutionem & pœnitentiam à Sacerdotibus accepit, oleique ſacri unctione delinitus, & Sancta Euchariſtia refectus, Deo ſe commendavit, ſicque Kalend. Decemb. Dominico, incipiente nocte, hominem exceſſit*, inquit Ordericus lib. XIII pag. 901. ſed loco, *exceſſit*, legendum, *exuit*. Idem habent ceteri Anglorum Scriptores niſi quod Gemmeticenſis lib. 8. cap. 33. & quidam alii ex eo quod mors hæc contigit nocte inter Kalendas Decemb. & IV Nonas ejuſdem menſis interjecta, eam in hunc poſteriorem diem differunt, quod non raro etiam ab Hiſtoricis factum exiſtimandum, cùm inter ſe in alicujus morte referenda uno tantum die inter ſe diſcrepant, quod obſervare juvabit. Subdit Ordericus, cadaver Regis Cadomum perductum fuiſſe, illicque ſervatum, *donec poſt natale Domini miſſit illuc Monachis impoſitum navi & tranſvectum eſt, atque a ſucceſſore regni, & Epiſcopis ac Principibus terra in Radingenſi Baſilica honorificè ſepultum eſt.*

XXXVI. *Stephanus Comes Bononia ei ſuccedit.* Paulò pòſt ait Ordericus: *Stephanus Bolonienſis Comes, audita morte avunculi ſui* (filius enim erat Adelæ Henrici Regis ſine prole maſcula demortui ſororis), *protinus transfretavit, à Guilelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo, aliiſque Praſulibus & Principibus terra ſuſceptus, regale faſtigium aſcendit, & XVIII Kal. Januarii coronatus Rex quartus de ſtirpe Normannorum regnavit.* Sed loco, *XVIII Kal. Januarii*, Legendum VIII *Kal. Januarii.* Contra verò Malmesburienſis lib. I Hiſt. Novellæ pag. 178. ſcribit: *Coronatus eſt in Regem Anglia Stephanus undecimo Kalendas Januarii, Dominica, viceſima ſecunda die poſt exceſſum avunculi.* Eumdem diem notant Gervaſius Dorobernenſis in Chron. & Mailroſenſis in Chron. Matthæus verò Pariſienſis in Chron. ubi Henrici Regis mortem cum die prima Decemb. conjungit, ait eum Regem conſecratum *vigeſimo ſecundo die poſt mortem avunculi ſui*, ſed ſubdit eum coronatum *in die Sancti Stephani.* Eumdem S. Stephani diem ejus coronationi attribuit Hovedenus pag. 481. At rectè Huntindonienſis lib. 7. ait: *Diadematus Curiam ſuam tenuit ad Natale apud Londoniam*, quod & Ricardus Prior Haguſtaldenſis in Hiſt. *de Geſtis Regis Stephani & bello Standardii* etiam habet. Novus Chronographus Saxo, qui ſub ejus ſucceſſore Opus ſuum ſcripſit, ait: *Accerſerunt Willelmum Curbuil Archiep. qui conſecravit illum in Regem die Natalium.* Denique Joannes Monachus Majoris Monaſterii in Agro Turonenſi, qui Ludovici Junioris Galliæ Regis tempore vixit, idem teſtatur in Vita Gaufredi Ducis Normannorum & Comitis Andegavorum quæ extat in fine Operum Gregorii Turonenſis.

Auctor Anonymus & coævus *de Geſtis Stephani Regis Anglorum*, à Ducheſnio poſt Hiſtoriam Orderici editus, diem ejus coronationis non notavit, ſed Concilium Londonienſe ſequentis anni initio celebratum, quod Tom. X Conciliorum prætermiſſum fuit, hoc modo narrat pag. 932. *omnibus Summatibus regni fide & jurejurando cum Rege conſtrictis, Edicto per Angliam promulgato, ſummos Eccleſiarum doctores cum primis populi ad Concilium Londoniae conſcivit. Illis quoque quaſi in unam Sentinam illuc confluentibus, Eccleſiarumque columnis ſedendi ordine diſpoſitis, vulgo etiam confuſè & permixtim, ut ſolet, ubique ſe ingerente, plura Regno & Eccleſia profutura fuerunt, & utiliter oſtenſa, & ſalubriter pertractata. De Eccleſia ſiquidem ſtatu meliùs componendo, de ejuſdem libertate multiplicius reſtauranda, ſplendidè nonnulla in ipſa Regis præſentia peroraruut, aſſerentes in Regis Henrici præcipuè temporibus Eccleſiam vacillaſſe, ancillam fuiſſe dejectam & conculcatam, plurimoque dedecoris injuriis affectam. Paſtores etenim ejus, ſpirituales ſcilicet Divini Verbi expenſores, qui Dei menſa conjunctiùs aſſiſtebant, placitis & legibus implicare, cujuslibet angaria violenta exactione degravare, munuſcula annuaria vice tributi ab eis exigere, oſtium Eccleſiæ Simonis frequentiùs, quàm Petri clave claudere vel aperire. Quod Deus acceptavit conjugii bonum perfacili occaſione diſſolvere, adulterina lenocinia ſicut ipſe committere, ita & in aliis tolerare, terras Eccleſiarum Paſtoribus defunctis in proprios uſus redigere, altarium nonnunquam oblationes in Prapoſitorum laicorum manus contradere, vel recompenſa ſibi mercede, quibus jure cedebant, injuſtè concedere. Si quis autem ex adverſo aſcendens ſe murum pro domo Iſrael vellet objicere, nefandiſque hujuſmodi commentis Eccleſiaſtico rigore occurrere, terrore illius protinus repreſſus injurius impeti, inſecutione valida à ſe ſuiſque commiſtris tribulari, nec ante in poſtulatione qualibet vel querimonia exaudiri, quàm manu ejus innocta reum ſe præſumptionis in publico proclamaret.*

XXXVII. *Concilium Londinenſe.*

Super hac igitur inverecunda Eccleſia depreſſione, alteraque, ut veriùs dicam, Pharaonis graſſatione, in facie Regis vehementer conqueſti, ob- XXXVIII. *Celebratum initio anni ſequentis.*

nexè

SÆC. XII. An. C. 1135.

nixè eum imploraverunt, quatinus suæ Ecclesiam libertati redderet, suis eam juris compotem efficeret, illius instituta legibus secularium præponi, illius Decreta nulla ratione prævalente pateretur remitti. His autem Rex patienter auditis, quæcumque postularant gratuitò eis indulgens, Ecclesiæ libertatem fixam & inviolabilem esse, illius statuta rata & inconcussa, ejusque ministros cujuscumque professionis essent vel ordinis, omni reverentia honorandos esse præcepit, fecissetque præceptioni suæ satis, nisi & Consiliatores perversi, qui bonum quandoque pervertunt animum, & ipsa indigentia necessitas, quæ nullam legem vel rationem admittit, ad hæc infringenda, sicut in consequentibus declarabimus, eum impulissent. Et istis quidem tali modo peroratis, in una omnium pace & concordia Concilium est solutum.

XXXIX. *Stephanus Rex jurat in eo Decreta se se servaturum.* Ricardus Prior Hagustaldensis in Hist. de Gestis Regis Stephani pag. 314. Juramentum à Stephano Rege factum quod Baronius mutilatum ex Malmesburiensi citato refert, exhibet cum nominibus Prælatorum multorum, qui eidem Concilio interfuêre & illud emissum non Londonii, sed *apud Oxenfort anno sc. ab Incarnat. Domini MCXXXVI, sed regni mei primo*, inquit Rex. Antequam Regis Juramentum Ricardus describat, ait : *His & aliis modis in regno Angliæ confirmatus, Episcopos & Proceres sui regni regali Edicto in unum convenire præcepit ; cum quibus hoc generale Concilium celebravit. Ego Stephanus Dei gratia assensu Cleri & populi in Regem Angliæ electus, & à Willelmo Cantuariensi Archiep. & S. R. E. Legato consecratus, & ab Innocentio S. Romanæ Sedis Pontifice confirmatus*, &c. Cùm verò Innocentius II Pisis urbe non parum ab Anglia dissita moram ageret, & Prælati convocandi fuerint, Concilium illud nonnisi initio sequentis anni apud Londonium congregari potuit, & aliquot post dies Oxonii à Rege Juramentum illud obtineri. Quare Radulphus de Diceto pag. 506. sub anno MCXXXVI rectè scripsit : *Stephanus Rex in Paschalibus apud Westmonasterium Concilium congregavit, fidelitates exegit, Regis Henrici thesauris in nullo pepercit, in munerum largitione nimis effusus.* Addit Radulphus in eo Concilio Anselmum Abbatem Sancti Edmundi à quibusdam Canonicis electum fuisse Episcopum Londoniensem præter consensum Willelmi Decani Londoniensis, & tam Concilium, quàm Regem id ægrè tulisse. Tum anno MCXXXVIII ait, Anselmum ab Innocentio II ad suam Abbatiam abire jussum. Erat *Anselmus* nepos S. Anselmi Archiep. Cantuariensis, ut prodit Dunelmensis ad annum MCXXIII. De ejus Legatione Anglica suo loco egimus. Porrò Ricardus Regis Juramentum *Concilium* perperàm appellat ; cùm illud [illegible] celebrato, apud Oxonium quinquaginta circiter milliaribus à Londinio distans, à Rege præstitum fuerit. Baronius num. XXI ait, Juramentum illud tempore coronationis factæ *XI Kal. Januarii* à Rege emissum esse. Verùm manifesto errore ; cùm *Stephanus* in eo dicat electionem suam jam ab Innocentio II confirmatam fuisse. Neque Malmesburiensis, ex quo Juramentum illud Baronius accepit, hoc affirmat, sed tantum Regem *XI Kal. Januarii* coronatum, qui rectiùs dixisset, electionem ejus eo die factam, coronationem verò die nativitatis Christi.

XL. *Innocentius II electionem Stephani Regis gratam habet.* Ricardus citatus pag. 313. recitat literas Innocentii II ad Stephanum Angliæ Regem transmissas, *quibus eum Apostolica auctoritate in regno Angliæ confirmavit*, ut ipse ait, & post eas loquitur de Concilio & Regis Juramentum refert, quia utrumque præcessit Innocentii II Epistola. In ea Innocentius ait : *Ipso sublato de medio* (nempe Henrico Rege) *prout accepimus, turbata est religio in regno Angliæ, & nullum mandatum pacis seu justitia in Adjutorio Regali vigebat, atque atrocitatem tantorum scelerum comitabatur impunitas. Ne autem diutius grassando in populum Dei debacchari posset dira feralitas, inclinata est ad preces religiosorum virorum divinæ miseratio pietatis, & tantis flagitiis potenter occurrens, quemadmodum venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscoporum, Episcoporum earumdem regionum, & amatorum S. R. E. gloriosi Francorum Regis, & illustris viri Comitis Theodbaldi* (Stephani Regis Fratris) *scripta testantur, & industrium virorum nobis indicavit assertio, communi voto & unanimi assensu tam Procerum, quàm etiam populi, te in Regem eligere, & à Præsulibus regni consecrari providit. Nos cognoscentes vota tantorum virorum in personam tuam, præeunte divina gratia, convenisse. pro spe etiam certa & B. Petro in ipsa consecratione tua die obedientiam & reverentiam promisisse, & quia de præfati Regis prosapia prope posito gradu originem traxisse dinosceris, quod de te factum est, gratum habentes, te in specialem B. Petri & S. R. E. filium affectione paterna recipimus.* Literæ sunt sine die & mense, & prætermissæ fuêre in ultima Conciliorum editione.

XLI. *Pax inter Hispaniarum Reges constituta.* In Hispania ante festa Paschalia plures Præsules ac Magnates ad Reges in concordiam adducendos industriam suam interposuêre. *Garsias Ramires* Navarræ Rex, pace cum Alphonso VII Castellæ Rege facta, se ejus beneficiarium dixit, eique, quas expugnaverat urbes, cessit. Plures recentes Historici tradunt *Ramirum* Monachum Aragoniæ Regem pacem cum eodem Alphonso Rege iniisse, huncque quæ in Aragonia, uti Cæsaraugustam, aliasque urbes citra Ebrum Fl. sitas occupaverat, ei restituisse ea conditione ut se supremum dominum agnosceret. Sandovalius tamen fol. 152. Hoc in dubium revocat, quod nullum Instrumentum legerit, in quo *Ramirus* Alphonsi Imperatoris vassallus dicatur, ut in variis de Navarræ Rege & Barcinonensi Comite legitur. Verum quidem est superesse quædam Privilegia in quibus Alphonsus dicitur Cæsaraugustæ & in Aragonia regnare ; sed accidere potuit, subdit Sandovalius, ut Barcinonensis Comes ei tantum subjectus fuerit ratione Principatus Aragonensis quem acquisivit matrimonio cum *Petronilla* Ramiri Regis unica filia & hærede contracto. Hanc Præsulis doctissimi conjecturam confirmant Chartæ in Catalaunia tam à Raimundo Comite, quàm à Præsulibus & Magnatibus subscriptæ in quibus Regum Francorum anni non memorantur ; ex eo enim intelligitur, illos se eorum feudatarios amplius non dixisse, licet à trecentis annis, à Ludovico nempe Pio & Carolo Calvo jus illud Francorum nunquam contentiosum fuisset. Denique verum non est Alphonsum Regem Cæsaraugustam Ramiro Regi restituisse ; cum hanc urbem Garsiæ Ramiro Navarræ Regi ejus beneficiario effecto tradiderit, qua urbe jam hoc ipso anno Garsias potiebatur. Porrò *Garsiam Ramirem* hoc anno

SÆC. XII An. C. 1135. cum Alphonso Castellæ Rege pacem constituisse demonstrat Charta à Moreto in Investig. Regni Navarrici pag. 651. recitata, quam testatur Alphonsus se concedere *in mense Maio era MCLXXIII, quando fecit pleito* (idest, litem diremit peritiorum arbitrio, & verosimile est) *in Nagera cum Rege D. Garsia.*

XLII. *Alphonsus VII Castellæ Rex coronatur Imperator.* *Alphonsus* hoc anno Legione Imperator Hispaniarum magna solemnitate coronatus fuit, & more Imperatorum Occidentalium unctus à *Raimundo* Archiepiscopo Toletano. Quæ in ea coronatione singulariter contigêre distinctè persequitur Sandovalius fol. 156. & seq. juxta antiquam Historiam Toletanam, in qua dicitur, eam peractam *IV N. Junii in die Sancti Spi-* " *ritus era MCLXXIII,* quod esse non po- " test, inquit Sandovalius, quia hoc anno litte- " ra Dominicalis erat F. & Pentecoste in diem " XXVI Maii cadebat. Vidi in Abbatia Ar- " lanceæ Privilegium authenticum, in quo Im- " perator & Imperatrix Berengera confirmant " donationes à præcedentibus Regibus factas " *era MCLXXIII, VII Kalendas Junii die* " *Pentecostes, quo Rex supradictum Legione coronam sumsit.* Indeque Sandovalius infert, Historiam Toletanam hac in parte mendosam esse. Verùm hic error Librariis adscribendus, non verò Archiepiscopo, qui tam diem Pentecostes quàm etiam rectè notavit. Librarios quandoque K pro N ex vice versa scripsisse, varia exempla ostendunt. Porrò ex Historia illa Toletana refelluntur, qui scripsêre *Alphonsum* Toleti coronatum fuisse Imperatorem. Civitas Legionensis urbs primaria fuit post Hispaniam amissam, & Reges Christiani in ea Sedem locarunt, indeque ea *civitas Regia* dicta.

XLIII. *Congregat Conventum Episcoporum & Procerum* Postridie coronationis, ut in eadem Historia Toletana habetur, *Alphonsi* Imperatoris jussu congregatus Conventus Procerum & Episcoporum, in eoque inter alia statutum, ut quæcumque à nobilibus, aliisque Monasteriis, & Ecclesiis erepta fuissent, eisdem restituerentur; loca omnia durantibus bellis depopulata incolis iterum frequentarentur; Judicibus mandatum, ut rebus fidei invigilarent, & violentias, abusus, superstitiones & sortilegia impedirent. Denique Imperator *ut à Deo illuminatus voluit in reformatione regni imitari D. Alphonsum V & D. Fernandum Magnum & D. Alphonsum VI, qui regna sine legibus, sine Rege & sine Deo invenientes ea reformarunt sanctè & Catholicè justitiam in diebus suis servantes. Mandavit Præfecto aut Alcaidi Toletano, omnibusque, qui limitibus Maurorum præerant, ut eis semper bellum facerent, in eorum regiones excurrentes, & quæcumque possent capientes, omnique diligentia huic rei incumberent. Sanctis his pluribusque aliis legibus decretis solutus est Conventus. Huic coronationi interfuêre omnes Principes & Magnates Hispaniæ, Gasconiæ ac Occitaniæ, & inter alios Rex Navarræ, Comites Barcinonensis & Tolosanus,* &c.

XLIV. *Imperator Hispaniarum communi consensu agnitus.* His addit Sandovalius externos Principes, ipsumque Pontificem Romanum titulum *Imperatoris* ab Alphonso sumtum assensu suo comprobasse. Hinc Petrus Venerabilis Epist. VIII ad Innocentium II datâ de hoc Rege verba faciens ait, *Imperator Hispaniæ, magnus Christiani nominis Princeps*, & Divus Bernardus Epistolam CCCI scribit *Sanctæ sorori Imperatoris Hispaniæ.* Denique Sandovalius ex illa Historia Toletana eruit, *Garsiam* Navarræ Regem in hujus coronationis ceremonia sedisse à latere throni Alphonsi, & in sumptuoso convivio Episcopis & Proceribus tunc exhibito, *Regem Navarræ manducasse solum cum Imperatore Alphonso*, tanquam primum ejus vassallum. Neque Aragoniæ Rex, neque Portugalliæ Princeps huic interfuêre, quia ab Alphonso aversi erant, & verosimile est, eos neque supremum dominium, neque novum *Alphonsi* titulum agnoscere voluisse. SÆC. XII. An. C. 1136.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6629. Anno Eræ Hispan. MCLXXIV. Anno Hegiræ DXXXI inchoato de 29. Septemb. int. 1

☉ 25. E D. ☽ 16. P. 22. Mart. Indict. 14.

JESU CHRISTI 1136.

INNOCENTII II PAPÆ 7.

LOTHARII REG. 12. IMP. 4.

JOANNIS COMNENI IMP. 19.

ANNum. I ad XIV. Supplendi hîc Annales Ecclesiastici narratione rerum in Regno Neapolitano hoc anno gestarum. Cœpit annus à reditu *Sergii* Præfecti militum in urbem Neapolitanam, quem Falco in Chron. qui annum à Kalendis Martii exorditur, cum præcedenti copulat; sed Alexander Abbas discessûs Sergii mentionem faciens, & reditum ejus in urbem Neapolitanam tacens, ostendit eum post mensem Januarium currentis anni reversum esse. Falco itaque de auxilio à Pisanis Sergio Præfecto militiæ promisso ait: *Quorundam inimicorum consilio auxilium inferre, illud promissum destructum est. Unde Magister ipse militum vehementer turbatus Neapolim revertitur, & civitatem suam viriliter tenuit.* Lotharium autem Imperatorem hoc anno in Italiam descendisse, docet his verbis Chronographus Hildensheimensis, qui ad annum MCXXXVI ait: *Circa Assumptionem Sanctæ Mariæ expeditio Imperatoris in Italiam*; quod & Falco in Chron. etiam refert. Ad ejus narrationem Peregrinius hæc notat: *Lotharii in Liguriam atque in Italiam adventus rectissimè quidem in cod.* 199. (nempe Anonymi Casinensis), *sed ad annum notatur MCXXXVI.* In codice verò, quem secutus est Caracciolus, notatur annus MCXXXV propter perpetuum prochronismum unius anni usque ad mortem Rogerii; quippe mense Novembri, indictione XV, vergente scilicet præfato anno, positus apud Roncalias; (planus ac patens est campus, non longè à Placentia super Padum Othoni Frisingensi in Friderico lib. 2. cap. 12. & Gunthero lib. [illegible]) legem condidit *de feudo non alienando*, descriptam lib. 2. feudorum tit. 52. nec non, sub alio tamen titulo, lib. 3. legum Langobard. tit. ult. Falco etiam disertè pro ista stat sententia. I. *Expeditio Italica Lotharii Imp.*

Anno, inquit, *MCXXXVI Dom. Incar. & septimo Papæ Innocentii præfatus Imperator Apostolico Innocentio mandavit, ut eum præstolaretur, qui Domino favente, sicut promiserat, in festivitate S. Jacobi venire despondebat*; ubi Peregrinius legendum censet, *disponebat.* Mox infrà: *Princeps Robertus audiens civitatem Neapolim famis periculo urgeri, cum quinque navigiis ad eamdem civitatem venit, & Imperatoris adventum* II. *Eum illuc crebris literis vocavit Innocentius II.*

SÆC. XII. An. C. 1136.

tum firmiter propalavit, & cursu celeri Pisas revertitur, continuò ad Imperatorem festinans; invenit eum montes descendisse, & super civitatem Cremonam castra sua posuisse, &c. Lotharius itaque hoc anno in Subalpinam pervenit Italiam, sive in Galliam Transpadanam; est namque trans Padum Cremona, quam Anonymus Casinensis more aliis tum suæ, tum aliquanto antiquioris ætatis frequenter usurpato nomine appellavit *Liguriam*; & si hæc olim ultra Padum non porrigebatur. Petrus quidem Diaconus hujus temporis Scriptor lib. 4. Chron. Casin. cap. 99. ait: *ab Innocentio remorante Pisis, crebris literis monitus* (nempe Lotharius), *ut Romanum Imperium ab hostium jugo defenderet, Ecclesiamque concussam & laceratam, & ad unitatem, concordiamque revocaret, Cæsar Clementissimus anno Dom. Incarnat. MCXXXV, coacto ex omni orbe Romano immenso exercitu, cum uxore Augusta* (Richiza appellata) *intravit Italiam. Ingens tunc pavor invasit hostes Ecclesiæ: & quid facto opus esset, inter se tractabant.* Verùm vel Petrum Diaconum, vel Exscriptores in anno consignando errasse certum esse debet. Tom. II Bullarii Cassinensis pag. 149. refertur donatio *Lotharii Imp.* facta monasterio S. Benedicti de Padalyrone data *anno Incarnat. Dom. MCXXXV, tertio Nonas Decemb. indict. XIII* (legendum, indict. XIV) *regni Regis Lotharii XI, imperii III. Actum Golariæ in Christi nomine*, sed loco, *Golariæ*, legendum, *Goslariæ*, quæ urbs est Saxoniæ inferioris. Quare toto anno superiori Lotharius Imp. in Germania versatus est.

III. *Vocavit etiam Divum Bernardum.*

Porrò sicut anno MCXXXIII Innocentius II non solum Lotharium Imp. sibi, Ecclesiæque opitulaturum in Italiam accersivit, sed etiam Sanctum Bernardum Claravalle agentem; ita & hoc anno eumdem Sanctum iterum in Italiam vocavit. Baronius quidem, Manricus in Annal. Cisterc. omnesque recentes Scriptores, qui de hac tertia profectione Italica divi Bernardi verba faciunt, eam in annum sequentem conferunt, sed Herbertus Turrium Sardiniæ Archiepiscopus, inter Sancti Bernardi discipulos educatus in Claravalle, in libris de Miraculis Sancti Bernardi à Chiffletio editis illam opinionem planè evertit; libro enim 2. cap. 14. ait: *Isdem quoque venerabilis Abbas* (nempe divus Bernardus) *cùm aliquando per annos tres moratus fuisset in urbe Roma, atque in partibus Italicis pro sedando schismate Petri Leonis (in quo videlicet opere eumdem famulum suum Christus magnificè honestavit), tandem reversus Claramvallem, statim post factam orationem Capitulum Fratrum introivit: & quia fatigatus ex itinere, diu loqui non poterat, brevem quidem sermonem, sed plenum consolatione protulit eis dicens: Benedictus Deus, qui vos mihi reddidit, & me vobis. Et ego quidem filioli quamvis per triennium hoc visus fuerim longè remotus à vobis, non tamen putetis me semper absentem fuisse.* Quare cùm certum sit, Bernardum anno MCXXXVIII relictâ Italiâ Claramvallem rediisse, ita & indubitatum currenti Claravalle in Italiam venisse. Quid ibi egerit duobus consequentibus annis, cum Baronio referemus.

IV. *Neapolis à Rogerio Rege circumclusa.*

Nihil singularius hoc anno gestum occurrit, quàm urbis Neapolitanæ circumseptio his verbis à Falcone pag. 298. narrata: *Princeps* (nempe Capuanus) *ipse audiens civitatem Neapolis famis periculo urgeri*, &c. *illicò pedibus advolvitur, lachrymis rogans, ut sibi exhæredate subveniret* (nempe Imperator). *Interea ad tantam famis asperitatem civitas pervenit Neapolitana, quod infantes multi, pueri, adolescentes, juvenes, senes etiam utriusque sexus per civitatis plateas, & Domos spiritum exhalabant; sed Magister militum & ejus fideles, qui libertati invigilabant civitatis, quique antiquorum suorum sequebantur honestatem, mori potius famis morte malebant, quàm sub nefandi Regis potestate colla submittere. Hæc inter præfatus Imperator literas suas signatas propriis Legatis suis Magistro militum, & civibus destinavit, consolationis verba describens, ut fidelitatis propositum teneat, quia favente Domino in proximo ad ejus liberationem festinaret. Legati verò illi coram omnibus juraverunt, Imperatorem illum ad civitatem Spoletum dimisisse. Diebus autem non multis excursis, en adest Legatus alius ipsius Imperatoris literas ferens consolationis similiter verba continentes, qui eum dimisisse apud fluvium Piscariam affirmavit. Item in subsequentibus diebus alias transmisit Imperator literas, continentes se in proximo venturum in Apuliam, & Italiam à tanta perditione redempturum. Archiepiscopus præterea Marinus civitatis Neapolitanæ, & Philippus de Acerra, civis Neapolitanus, vir prudentis ingenii & Rainulphus Comes, qui obviam Imperatori dudum exierant; similiter literas suas consolationis Magistro militum delegavit. Literis itaque talibus accepti coacti Imperatoris tamen illius expectabant adventum.* Ubi Falco adventum Imperatoris ad fluvium Piscariam & in Apuliam, quem certum est ad sequentem annum pertinere, uno tenore describit, ut ex dicendis anno sequenti perspicuum fiet.

V. *Bellum Mediolanenses inter & Cremonenses ardet.*

Landulphus Junior in Chron. cap. 43. apud Puricellum in Monum. Basil. Ambros. num. CCCLXXXI de Lotharii Imp. in Italiam adventu hæc habet: *Addito quoque isto infortunio* (nempe amissione libertatum Ecclesiæ Mediolanensis) *Imperator Lotharius cum Principibus cujuscumque dignitatis venit in Longobardiam. In cujus castris iste* (nempe Roboaldus Archiep. Mediolanensis) *Mediolani cum suis Suffraganeis ad nutum Imperatoris circumferebatur, & circumferendo excommunicavit Cremonenses; quia non reddiderant Imperatori Mediolanenses, Cremonensium vincula & captionem sustinentes.* Bartholomæus Zucchius in Hist. Modoetiæ & Coronæ ferreæ refert Privilegium à Lothario Imp. datum, quo Canonicos Modoetienses in suum suscipit patrocinium: *Anno Incarnat. Dom. MCXXXVI, indict. XIII* (legendum, XIV) *anno verò Regis Lotharii XI, imperii quarto. Actum apud castrum Sancti Bassiani.* Quare Lotharius jam mense Augusto in Longobardia versabatur.

VI. *Lotharius Imp Papienses in suam gratiam recipit.*

Subjungit Landulphus: *Mediolanensium igitur exercitus confortatus præsentia Imperatoris & vinculo excommunicationis, Soncinam, Sanctumque Bassanum, & alia multa castella Cremonensium destruxerunt. Quibus destructis multitudo Mediolanensium ad civitatem rediit. Archiepiscopus, & quædam pars inclyta militiæ Mediolanensium cum Imperatore in Roncaliis supra Padum castra metati sunt; ibique per plures dies & hebdomadas Imperator Curiam potestativè habuit.* His addit Puricellus: quocirca idemmet Landulphus Historicus ibidem per tres dies præconis suam ipsius de Sancti Pauli in Compito Ecclesia

causam peroravit ; sed non eo exito, quem speraverat. Deinde hæc ex Landulpho cap. 45. recitat : *Lotharius postmodum Imperator, in quarta die, qua fuit dies sabbati, post meam querelam, secus Papiam est castra metatus ad locum, qui dicitur Lardiracus, super flumen Oronam positus. Cumque Imperator ibi pernoctasset, & diem Dominicam quasi dimidiasset, militia ejus cucurrit ad Papienses, qui armati exierant. In prælio illo fortissima manus Principis Conradi* (qui titulum Regis abdicarat, & postea Lothario successit) *quamplures de Papiensibus ejecit & apprehendit : neque à prælio se subtraxit, donec Papienses ferò ad muros civitatis conculcavit & appropinquavit. Tunc Papienses valde conterriti, & metuentes hostilem exercitum Mediolanensium concurrentium ad Imperatoris triumphum, in primo diluculo secunda feria cum maxima devotione reddiderunt Imperatori quotquot habebant de Mediolanensibus in sua captione. Imperator commotus maxima pietate, Papienses eadem die à sua custodia solvit, & liberos dimisit : & die altera sua castra amovit, & ad locum, qui dicitur Abbiateerassum* (Abbiagrasse) *pervenit : & omnis multitudo Mediolanensium, cum suis militibus à captione Papiensium liberans, redit Mediolanum. De cetero Imperator Ticinum atque Padum ad suum commodum transivit.*

VII. *Bellum Mediolanenses inter & Cremonenses continuatur.* Inoocentius II duritiam Robaldi Archiepiscopi adversùs Cremoneoses improbavit, & excommunicationem ab illo latam relaxavit : *At Innocentius Papa*, inquit Landulphus Junior cap. 46. quod ultimum est ejus Historiæ, *Cremonenses ab excommunicatione Robaldi Archiepiscopi solvit. Verumtamen Mediolanensis exercitus Cremonensibus, nec eorum Episcopo pepercit; quia post absolutionem* (sc. Innocentii II) *Juvenalem castellum eorum, & alia apprehendit ; & Episcopum eorum loricatum, & hortantem suos ad pugnam, proficientem homicidium de ipso castello pertraxit, & plures menses in custodia tenuit,* usque ad annum MCXXXVII. De Uberto Episcopo Cremoneosi, qui ad annum MCLXIX pervenit, plura Ughellus Tom. IV Ital. Sacræ. Addit Landulphus, hunc Præsulem io carcere mansisse *donec Herlembaldus de Bresorio custos illius custodia, contaminatus veneno, prout dicitur, subito in mortem corruit. Et in ipsa nocte, qua ipse custos subito occidit, Episcopus de ipsa Domo, qua claudebatur, effugit : & liberatus Papiam, deinde Cremonam pervenit. Hic fortassis Episcopus reminiscitur amaritudinis, qua potatus fuit Mediolani in die sua ordinationis ; sed prout quibusdam placet, non bene. Quia si Jordanus Archiepiscopus, ejusque Ecclesia amovit Ugonem de Nocero, nobilem virum, & Parmensis Ecclesia quasi Archidiaconum ab Episcopatu Cremonensi, in quo Cremonenses per suam electionem, & Henricus Rex eorum per investituram sua laudationis & confirmationis ipsum posuerant & susceperant per plures annos reverenter, & diu foris & intus tenuerant. Quid mirum, si populus Mediolanensis compulit istum Ubertum, egregium virum, jurare fidelitatem Ecclesia Mediolanensi & Archiepiscopo Jordano, quando ipsum Ubertum Episcopum consecravit. Quod si forte quis dixerit : Amotio Ugonis fuit justa, sed compulsio Uberti fuit iniqua : nec dicat cujus mortalis auctoritate principaliter est regenda Cremona, ejusque Ecclesia ; si non dixerit, utrumque fuit malum, & iniquum. Surgat igitur Deus exercituum, qui Mediolanum & Cremonam corrigat, & me Acholytum oppressum & expoliatum, quemadmodum in hac mea copia continente, probos & pravos legitur, in hac gubernet & protegat. Deo gratias. Amen.* Ita finit Historia Laodulphi Junioris, in cujus calce librarius quispiam addidit eam complecti, quæ ab anno MXCIV gesta soot osque ad annum MCXXXIII *tempore Robaldi Archiepiscopi* ; sed imperitè, cùm hæc Historia pertingat usque ad annum MCXXXVII, quo ea elocubrata fuit. Ex ea, si tandem lucem videat, Historia Ecclesiastica magnam lucem accipere poterit. Sigonius, qui lib. XI gesta hoc anno in Italia à Lothario accuratè scribit, eum non viderat, ut ex ejus lectione intelligere est.

VIII. *Ecclesia Lugdunensis Festum conceptionis B. Virginis instituit.* Ad num. XIV & seq. Cùm Ecclesia Lugdunensis festum immaculatæ *Conceptionis Beatissimæ Virginis* hoc circiter tempore instituisset, divus Bernardus Epistolâ CLXXIV Lugdooenses redarguit, quòd eam novitatem in Ecclesiam ioduxissent, inconsulto Pontifice Romano. Sed non tantum *divus Bernardus* ; verum etiam *Potho* Monachus & Presbyter Prumiensis, cujus Opuscula Tom. XXI Biblioth. Patrum edit. Lugdunensis recitata, pietatem spirant, lib. 3. de Domo Dei versùs finem, in eamdem novitatem invehitur : *sciendum sanè*, inquit, *quod Romani Pontifices semper magis antiqua exequi & observare, quam nova instituere, nisi aliqua rationabilis causa perurgeret, consueverunt.* Tum multis interpositis librum illum his verbis claudit : *Ecce vita Monastica, qua erat columna & firmamentum religionis, in qua videlicet viguit disciplina censura, morum gravitas, maturitas consiliorum, auctoritatis pondus, antiquitatis insigne, in Ecclesiasticis Officiis repentinis visa est novitatibus acquiescere, & quadam juvenili passa est decolorari levitate. Miramur ergo satis quod visum fuerit hoc tempore quibusdam Monasteriis mutare colorem optimum, novas quasdam inducendo celebritates. Nunquid Patribus doctiores aut devotiores sumus ! Superba mente præsumimus, quidquid ipsorum in talibus prudentia præterivit. Neque verò nos in hujusmodi aliquid invenire possumus, quod illorum quæverit diligentiam præteriisse. Qua igitur ratio hac festa celebranda nobis induxit ? Festum videlicet Sanctæ Trinitatis, festum Transfigurationis Domini. Additur his à quibusdam, quod magis absurdum videtur* (quia festa Trinitatis & Transfigurationis in quibusdam Ecclesiis jam à multis annis celebrabantur, à paucioribus verò annis in Gallia, ubi Potho scribebat, tantùm in Ecclesia Lugdunensi) *, Festum quoque Conceptionis Sanctæ Mariæ. Nos in his omnibus devotioni fidelium minimè derogamus, dum rationem quærimus, qua rationabile obsequium nostrum offerre Domino debemus, ne fortè à via recta aberrantes, præsumptionis spiritu seducamur.* Verùm Conceptionis festum, ut nihil de duobus aliis hîc dicam, ubivis receptum est seculo XV auctoritate Concilii Basileensis & Sixti IV, & hodie cum Octava celebratur in universa Ecclesia, sicuti festum Assumptionis ejusdem beatissimæ Virginis, de quo etiam diu inter Viros doctos contentio fuit. Baronius nom. XV dicit Bernardum ita scripsisse, *licet diversa senserit, ut res ipsa accuratiùs examinaretur, atque differretur ad judicium Apostolica Sedis.* Verùm incredibile Sanctum Doctorem in re tanti momenti contra propriam mentem tam asseveranter locutum esse.

Ad

SÆC. XII. An. C. 1136.

IX. *Moritur Ludovicus VI. Franciæ Rex.*

Ad num. XXI & seq. Tam *Ludovici* VI cognomento *Grossi* Francorum Regis, & *Guillelmi* IX Aquitaniæ Ducis obitus, quàm matrimonium *Alienoræ* cum Ludovico Regis filio, qui ei successit, ad annum sequentem pertinent, ut legitur in variis Rerum Gallicarum Chronicis veteribus, in Orderico lib. XIII, aliisque. Neque hæc in dubium revocari possunt; cùm Sugerius in Vita Ludovici Grossi, pag. 320. de eo ægrotante verba faciens scribat, venisse nuncios Guillelmi Ducis Aquitaniæ, *denunciantes eumdem Ducem ad Sanctum Jacobum peregrè profectum in via demigrasse: sed antequam iter aggrederetur, & etiam in itinere, moriens filiam nobilissimam puellam nomine Alienor desponsandam, totamque terram suam eidem retinendam, & deliberasse & dimisisse.* Subdit Sugerius Regem misisse filium suum Ludovicum in Aquitaniam, ut matrimonium illud cum Alienore contraheret, seque in ejus comitatu fuisse. Tum Regis mortem, quæ Parisiis contigit, narrat, aitque: *XXX regni administrationis, ætatis verò ferè LX anno, Kalend. Augusti spiritum emisit.* Gemmeticensis Historiam suam absolvit narratione mortis hujus Regis, asseritque eam accidisse *Kal. Augusti*, anno ab Incarnat. Domini MCXXXVII. Quare erravit Continuator Aimoini lib. 5. cap. 52. ubi scribit: *Trigesimo unctionis suæ anno, ætatis verò LX, Incarnat. autem Dominica MCXXXVI Parisiis feliciter obiit.* Qui error illi natus, quòd Philippi Regis mortem biennio prævertisset, quod non animadvertens Baronius, mortem Philippi Regis eum anno MCVI, mortem verò Ludovici VI filii cum præsenti copulavit. Ordericus pag. 911. Ludovici VI obitum cum die *II nonas Augusti* perperàm conjunxit, sed rectè cum anno MCXXXVII, addiditque: *Sequenti autem Dominico* (die nempe VIII mensis Augusti) *Ludovicus puer* (qui natus erat annos XVIII) *Pictavis coronatus est, & sic regnum Francorum & Aquitaniæ ducatum, quem nullus patrum suorum habuit, adeptus est.* Ludovicus VI novo exemplo in suis Diplomatis tam Regni sui, quàm uxoris annos aliquando numeravit, ut in subscriptione anno MCXX num. XIX recitata, aliisque videre est; Ludovicus verò VII ejus filius *Juvenis* cognominatus novo alio exemplo annos nativitatis *Philippi* cognominari *Augusti*, qui ei successit, quandoque memoravit, ut patet ex Diplomate à Guichenone in Bibliotheca Sebusiana cap. 36. recitato, in quo dicitur: *Actum publicè apud Fontembliaudi anno Verbi incarnati MCLXIX, regni verò nostri XXXIII, Philippi filii nostri nativitate V.*

X. *Reges Francorum strumosos sanant*

Jam ante Ludovicum VI Francorum Reges strumosos sanabant. Guibertus enim Abbas de Novingento anno MCXXIV demortuus, in libris de Pignoribus Sanctorum scribit: *In promptu est in ortu præpotentum Principum, ut puta Alexandri, Julii Cæsaris, Octaviani, sed & aliorum signa præmissa; & in mortibus habuisse Karolum & Ludovicum filium ejus prognostica. Unde & nostro tempore & Lotharingorum seu Anglicorum Regum occasibus, & innovatione regnorum sæpius Cometes emersisse conspeximus. Quid quod dominum nostrum Ludovicum Regem consuetudinario uti videmus prodigio? Hos planè, qui scrophas circa jugulum aut uspiam in corpore patiuntur, ad tactum ejus superaddito Crucis signo vidi catervatim, me ei cohærente, & etiam prohibente, concurrere. Quos tamen ille ingenita liberalitate sereva ad se manu obuncans, humillimè consignabat. Cujus gloriam miraculi cùm Philippus pater ejus alacriter exerceret, nescio quibus incidentibus culpis amisit. Super aliis Regibus, qualiter se in hac re gerant, supersedeo. Regem tamen Anglicum neutiquam in talibus audere comperio;* Non dubito, quin hæc gratia gratis data primitus à Deo collata fuerit Roberto piissimo Francorum Regi Ludovici VI atavo; cùm Helgaldus circa finem ejus Vitæ dicat: *Tantam gratiam in medendis corporibus perfecto viro contulit divina virtus, ut sua piissima manu infirmis locum tangens vulneris & illis imprimens signum sanctæ Crucis, omnem auferret ab eis dolorem infirmitatis.* Idem donum *S. Edvardo* Anglorum Regi collatum, sed ejus Successores nonnisi post annum MCXXIV strumosos sanarunt, ut ex laudato Guiberto loco intelligere est.

XI. *Moritur Guillelmus IX Aquitaniæ Dux.*

A num. XXIII ad XXVI. Quamvis ex Sugerio laudato constet, Guillelmum IX Aquitaniæ & Pictonum Ducem, eodem quo Ludovicus VI Franciæ Rex, anno, sequenti scilicet, mortem oppetiisse, huic tamen jungendus Ordericus, qui diem & mensem lib. XIII notavit. Is itaque ad annum MCXXXVII ait: *Anno ab Incarnat. Domini MCXXXVII indict. XV, ingens in toto Orbe siccitas fuit, quantam nemo nostris temporibus vidit.* Paucis interpositis: *Eodem tempore Guillelmus Pictaviensium Dux memor malorum, quæ nuper in Normannia operatus est, pœnitentia motus, ad Sanctum Jacobum peregrè profectus est. Deinde ferià VI parasceve, V Idus Aprilis, sacra communione munitus est, & ante aram beati Apostoli venerabiliter defunctus est. Filiam verò suam Ludovico juveni Francorum Regi in conjugem dari præcepit, ipsumque Regem totius juris sui hæredem constituit. Quod ita postea factum est.* Ita etiam habent varii hujus temporis Scriptores. Gaufredus Prior Vosiensis pag. 304. de Willelmi IX morte, & de conjugio filiæ ejus cum Ludovico Rege verba faciens ait, Ludovicum Lemovicas adventasse die XXX mensis Junii, sed nuptias cum *Eleonora* postea Burdigalæ celebratas.

XII. *Guillelmus iste cum Sancto Guillelmo Eremita malè confusus.*

Sed quia hoc ipso tempore vivebat *Sanctus Guillelmus* nobilissimis parentibus in Pictavia ortus, bellator acerrimus, qui post conversionem suam spreta nobili prosapia, pœnitentiæ austerrimæ se dedidit, processu temporis varii Auctores utrumque Guillelmum in unum confudêre, & non solum gesta ab uno alteri adscripsere, sed etiam utriusque Vitam variis fabulis deturparunt. Sanctus *Guillelmus* consilio Eugenii Papæ III Hierosolymam profectus est, & cœlesti voce monitus venit in Tusciam, ubi sanctè vixit, & mortuus est anno millesimo centesimo quinquagesimo septimo, teste Alberto discipulo ejus, qui Vitam Sancti Guillelmi Eremitæ cognomento *Magni* scripsit. Ejus mentio in Martyrologio Romano ad diem X mensis Februarii his verbis: *In Stabulo Rodis* (quod nomen ejus Monasterii fuit) *in territorio Senensi Sancti Guillelmi Eremitæ.* Henschenius ad diem X Februarii in Commentario prævio ad Vitam Sancti Guillelmi Magni Eremitæ §. VI ait, nullum Auctorem, de cujus ætate aliquid certò constet, reperiri, excepto forsàn Theobaldo, cui hujus Sancti Vita adscribitur, qui intra trecentos circiter ab obitu illius annos, aliquid in medium adduxerit, ex quo colligi possit, unum eumdemque

SÆC. XII. An. C. 1136.

virum esse & *Guillelmum* IX ultimum Aquitaniæ Ducem à Sancto Bernardo conversum, & *Sanctum Guillelmum* Ordinis Guillelmitarum parentem, qui post Eremiticam vitam in Stabulo-Rodis in Etruria sanctè actam, sacro in Ecclesia cultu honoratur.

XIII. *Idque à trecentis circiter annis.*

His non obstantibus opposita opinio, qua illi duo unus idemque censentur, adeò vulgò invaluit, ut visi sint nuper aliter sentientes, temerè atque injuriosè de Sanctis loqui. Quare non mirum Baronium in eam sententiam abiisse, quia ejus tempore ea commonissima erat; sed Joannes Beslius in Historia Comitum Pictavensium & Ducum Aquitaniæ parte 2. integrum tractatum habet de mendaciis, falsitatibus, & anachronismis Operi Joannis Haii inspersis; qui seculo præterito Commentarium Historicum edidit, hanc fabulam pluribus exponentem, & propugnantem. Beslius part. I cap. 37. asserit testamentum Guillelmi ultimi Ducis Aquitaniæ quod & à Baronio integrum recitatur, in eisdem Haii Commentariis editum, *esse falsum & confictum, uti reliqua ejusdem libri.* Baronius tamen quamvis illud fuisse confictum nesciret, motus anctoritate Sugerii & pseudo-Roberti de Monte ac reliquorum Scriptorum judicavit, Ducem Willelmum in sua ad Sanctum Jacobum peregrinatione defunctum esse, ac plures Guillelmos à recentioribus per errorem in unum conflatos. Sed post ea quæ Henschenius laudatus in medium affert nulli dubium esse debet, quin *Theobaldus* Vitam Sancti Guillelmi ab Alberto ejus discipulo scriptam interpolarit, corruperitque, multaque falsò Sancto Guillelmo annexerit. Prolixam illam Vitam à Theobaldo editam recitat ibidem Henschenius, & vera à falsis discernere conatur, & de Ordine Eremitarum à Sancto Guillelmo instituto pluribus dixerit, quæ apud eum legenda.

XIV. *David Scotia Rex Mathildis Imperatricis defensionem suscepit.*

Anno superiori *Mathildes* Imperatrix, filia Henrici Angliæ Regis, quæ secundis nuptiis duxerat *Godefridum* Andegavensem Comitem ex Anglia aberat, quando *Henricus* pater naturæ debitum solvit, & de jure suo secura coronam sibi melius cessuram putabat, si ad illam Procerum votis & suffragiis vocaretur. *Stephanus* verò Bononiæ Comes post suam ad Regiam dignitatem evectionem duo imprimis formidabat, *Davidem* nempe Scotiæ Regem, qui *Mathildi* fidem dederat, se illam, non alium pro Principe agniturum. Secundò, *Robertum* Glocestriæ Comitem, Henrici Regis filium naturalem, virum prudentiæ singularis, qui in Normannia cum Mathilde sorore præsumptam tyrannidem non æquo animo laturus credebatur. Audiendus Auctor Anonymus coævus, qui gesta Stephani Regis literis mandavit: *Erat Rex in Scotia*, inquit: *quæ confinis est Angliæ, fluvio quodam certis limitibus duo regna determinante* (legendum, distermintante), *Rex pectoris mansueto, progenitoribusque religiosis exortus, & ipse justo vivendi tramite illos coæquans. Iste cùm in præsentia Regis Henrici, cum ceteris regni Summatibus, imò omnium primus jurejurando se constrinxisset, nullum illo expirante, nisi aut filiam Regis, aut ejus heredem in regno suscepturum, vehementer indoluit Stephanum ad Regni Anglorum gubernaculum successisse. Sed quia illud sine suo consultu ab ipsis Baronibus provisum fuit & ultum extremum rerum sapienter metiens, ad quem finem capta devenirent, tempore aliquanto tacitus expectabat. Tandem cum Regis Henrici filia literis ad eum missis intimaret, se patrio testamento alienatam, regno sibi sponso & jurato privatam, leges solutas, justitiam calcatam, fidem Baronum Angliæ fœdusque juratum raptum ex toto; & nihili pensum, ideoque suppliciter illum & lachrymosè deprecari, quatenus ut cognatus destituta subveniret, ut sibi adjuratus miserandæ subsidium impenderet: Rex altè ingemuit, zeloque justitiæ succensus, tum pro communis sanguinis cognatione, tum pro fide mulieri repromissa & debita, regnum Angliæ turbare disposuit: ut undique in Regem dissensione commotu, quod injustè, ut sibi videbatur, occupaverat; justiori se cooperante Deo, linquere cogeretur.*

XV. *Bellum infert Stephano Angliæ Regi.*

Habebat Rex secum, qui eum admonitionis calcare ad turbationem concitandam stimulabant, hinc filium Roberti de Bathentona, ejusque collaterales, qui ex Anglia, ut dictum est, exulati sub specie recuperandæ patriæ ad illum confugerant, inde filium Joannis Eustachium Regis Henrici summum & popularem amicum, aliosque quamplures, qui vel quæstus gratiâ, vel justitiæ, ut sibi videbatur, defendendæ occasione discordiam ambiebant. Rex igitur David, sic enim vocabatur, perpenso per Scotiam Edicto, omnes in arma commovit, laxatisque permissionis suæ frenis, quidquid in Anglos truculentius, quidquid excogitare possent inhumanius, remota pietate peragere præcepit. Est autem Scotia, quæ & Albania dicitur, regio locis palustribus circumsepta, sylvarum fertilium, lactis & armentorum copiosa, portubus salubribus, insulis opulentis circumcincta: sed incolas barbaros habens & impuros, nec nimio frigore fractos, nec aspera fame detritos, citis pedibus, levique armatura confidentes: anxium amaræ mortis exitum pro nihilo ducentes inter suos domesticos, sed inter sibi extraneos omnes crudelitate excedentes. Hujus igitur gentis rebellem multitudinem à citerioribus Scotiæ partibus in exercitum inopinabilem adunans, penes Angliam direxit, regnique utrinsque transitis interfiniis, in provinciam Nordhumbriæ, quæ lata erat & populosa, omniumque necessariorum copiis referta, suit castra metatus. Porrò gesta hoc anno in hoc bello legenda apud Joannem Priorem Hagustaldensem in Hist. sua.

XVI. *Concilium Burgense.*

Hoc anno mense Octobri *Guido* Cardinalis Legatus Apostolicus *Burgis* Concilium celebravit, ut refert Sandovalius in Alphonso VII fol. 161. qui ait, hujus Legati in Hispaniam adventùs causam notatam non fuisse à Scriptoribus Hispanicis, sed ipse rectè conjicit, præter cultum Divinum seu ritum Romanum in Hispaniarum Ecclesias introducendum, eum venisse ad Reges Navarræ, Aragoniæ & Alphonsum Castellæ Regem invicem prælantes conciliandos. Hujus Concilii mentionem facit idem Alphonsus in Privilegio Ecclesiæ Astorgæ concessu & tam à se, quam à *Berenguela* uxore subscripto die secunda mensis Octobris *era MCLXXIV, anno II, quo coronam imperii primitùs in Legione suscepit.* Subscribunt & *Sancia* soror ejusdem Imperatoris, quinque Præsules, & multi ex Proceribus. Cùm verò eodem tempore Cardinales duo Guidonis nomine appellati vixerint, existimo hunc *Guidonem* esse *Guidonem de Via*, postea Cancellarium Eugenio III sedente; ex variis enim Innocentii II Rescriptis, quibus alter Guido subscripsit, apparet hunc sub eodem Pontificatu à Curia nunquam abfuisse.

ANNO

SÆC. XII. An. C. 1137. Anno Eræ Hispan. MCLXXV. Anno Hegiræ DXXXII inchoato die 19 Septemb. fer. 1.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6630.

☉ 16. C. ☽ 17. P. 11. April. Indict. 15.

JESU CHRISTI 1137.

INNOCENTII II PAPÆ 8.

LOTHARII REG. 13. IMP. 5.

JOANNIS COMNENI IMP. 20.

I. Secunda profectio Romana Lotharii Imp. & Innocentii II

ANnum I ad XIII. *In anno octavo Pontificatus Domini Innocentii*, inquit Falco in Chron. *mense Martio XV indict. præfatus Apostolicus Innocentius, qui tunc Pisis morabatur, consilio communicato, de civitate Pisana exivit, & apud civitatem Biterbum* (idest, Viterbium), *advenit præfatum Imperatorem* (sc. Lotharium) *allocuturus. Imperator igitur Henricum generum suum cum tribus millibus Equitum ad Pontificem destinavit Innocentium, addens se facturum, ut Romanos fines teneat, & Principi Roberto* (Capuano) *Principatum suum restituat. Ipse verò Marcas adire disposuit* (per Marchiam Anconitanam). *Apostolicus autem continuò Romanos fines advenit, & civitatem Albanum, & provinciam totam Campaniæ suæ obtinuit fidelitati. Romam quidem ingredi noluit, ne in Romanorum negotiis impediretur* (quia nempe Anacletus & ejus parentes ibi prævalebant). *Præfatus autem Imperator flumen Piscariæ adveniens, Pascha domini ibi celebravit. Inde flumen illud transiens, civitatem Termulensem, & illius provinciæ Comites obtinuit, & inde amoto exercitu Apuliam ingreditur, & civitatem Sipontum, & Montem Sancti Angeli octavo die intrante mensis Maii comprehendit. Tantus itaque timor totam invasit Apuliam, quod universus populus usque ad civitatem Barum ad ejus imperium alligatus est.*

II. Innocentius II Beneventum venit.

Ex his actis Apostolicus ipse ad civitatem Sancti Germani (prope Montem Casinensem) *pervenit, quam suæ submisit ditioni. Inde Capuam veniens Roberto Principi eam restituit, & his actis Beneventum venit prædictus Apostolicus X Kalendas Junii.* &c. *Cumque in planitie Sancti Petri castra Apostolici & Ducis* (nempe Henrici) *ponerent*, &c. *Roscemannus, qui tunc præerat, Romanæ sedis adversarius cives ferè universos submovit, ut contra Apostolicum venientem insurgerent, & ad eorum posse resisterent*, &c. *Præterea ad horam ferè nonam quidam Beneventanorum exeuntes cum Teutonicis pugnare cœperunt*, &c. *Dux verò illorum Henricus audiens Beneventanos ita super se insilire, armari suos omnes occultè præcepit*, &c. *Et ex improviso leonum more frendentes Teutonici insiliunt, & Beneventanos illos, qui contra eos pugnabant, usque ad Pontem Majorem in fugam convertunt*, &c. *Nocte insecuta cives, qui capti fuerant, vinculis districti sunt & alligati. Mane autem facto die dominico ad dominum Papam veniunt quidam de civibus Beneventanis, viri sapientes & discreti, qui omnia, quæ Apostolicus exquisierat, assecuti sunt: continuò captivos cives Beneventanos, quos Teutonici comprehenderant, dominus Apostolicus absolvi jussit, & ad propria reverti. Et sic sacramentis firmata fidelitatem domino Papæ, complures civium, qui ad ipsum Pontificem exierant, juraverunt.*

III. Beneventani fidelitatem jurant.

Cumque taliter sacramenta illa perficerentur, vir quidam Tagantus (Jequintus) *nomine civis Beneventanus, qui per triennium exulaverat, ultionem reddere de acceptis excogitans, Teutonicos omnes submovit, ut civitatem ingredientes, quod possent caperent, & bona eorum auferrent; qui cursu rapido armis arreptis insiliunt*, &c. *Jaquintus per Clavicam, quæ Sancti Renati vocatur, ingrediens, cum quibusdam consociis suis ad sacrum Palatium Curiæ perrexit, & Crescentium Cardinalem Pontificis Innocentii adversarium, qui tunc ibi occultabatur, comprehendit. Nec mora per plateam illum ducentes ad Dominum Papam captivum illum transmiserunt.* Narrat postea Falco, ut Jaquintus vulneratus fuerit, perieritque cùm Bernardum Comitem Palatii Innocentii II hostem detinere vellet: *Dominus autem Apostolicus sic illum vulneratum & mortuum, suaque sponte taliter fuisse perductum, audiens, ut erat sapientis animi, & pacifici cordis, nullam cum Beneventanis, qui eum interfecerant, excitavit quæstionem. Roscemannus autem, qui tunc contra voluntatem ipsius Apostolici Episcopus fuerat, & qui civitatem violento nomine tenuerat, noctis silentio timore coactus fugit. Quibus omnibus ita peractis ita prædictus Falco* (loquitur Auctor de semetipso) *& Roffridus Judex*, &c. *qui per triennium exules fueramus, cum aliis Beneventanis similiter exulibus licentia prædicti Pontificis ad propria reversi sumus*, &c. *Præfatus autem Apostolicus supra nominatum Girardum Cardinalem ad civitatem mandavit, ut à civibus universis fidelitatem acciperet, quod & factum est. His omnibus ita evolutis Pontifex Innocentius sacramentis fidelitatis acceptis, consilio habito, iter arripuit VIII Kalendas Junii, ut ad Imperatorem nominatum festinaret. Veniens autem ad portam Summam, invenit ibi populum*, & cetera apud Baronium num. IX legenda.

IV. Progressus Innocentii II & Imperatoris in Apulia.

Cardinalis igitur jussu prædicti Apostolici in Beneventana civitate moratus est, &c. *Prius verò quam Apostolicus de civitate discederet, Octavianum Subdiaconum virum prudentem & sapientis animi Rectorem Beneventi ordinavit, qui simul cum Domino Girardo statum civitatis & pacis firmamentum studiosè regebat.* Hæc Falco pag. 303. & duabus seqq. Deinde pag. 305. *Cumque Pontifex ipse ad Imperatorem pervenisset cum præfato Henrico* (genero Lotharii, Bavariæ & Saxoniæ Duce, Superbo cognominato) *honore mirabili & gaudio ab Imperatore suscipitur. Deinde Barensis populus castellum civitatis, quod pro eorum afflictione Rex Rogerius fabricari jusserat, valde terribile & munitum expugnaverunt, siquidem per quadraginta dies illud obsidentes cum Teutonicorum auxilio, virtute multa Castellum illud comprehenderunt, & terratenus prostraverunt. Custodes autem Castelli, quia jam amplius illud defendere non poterant, capti & trucidati, & in mare præcipitati sunt* (pag. 306.). *Inde maritima omnia usque ad Tarentum & Calabriam ad Imperatoris fidelitatem alligari satagebat. Cumque Castellum illud Barense taliter comprehensum est, super civitatem Melfiam Apostolicus & Imperator venerunt, & eam viriliter obsidentes, diebus non multis elapsis, comprehenderunt, & suæ obtinuerunt fidelitati. Hæc inter Pisanorum exercitus, sicut juraverat, centum navigiis armatus ad civitatem pervenit Neapolitanam. Nec mora jussu prædicti Imperatoris super civitatem Amalphitanam festinat, excogitans igne ferroque eam depopulari. Cives autem Amalphitani, consilio salutis invento, pecunia data, ad Imperatoris & Pisanorum permansit fidelitatem*, &c.

SÆC. XII. An. C. 1137. V. Salernum se se utrique dedit.

Interim præfatus Imperator, & Apostolicus civitatem dimisit Melfiam & civitatis Potentia fines descendit, ibique juxta fluenta de lacu Pesele per dies ferè triginta moratur. Inde universa Apulia oppida & civitates ad suum Imperium alligavit. Et his actis mandavit Imperator, ut Pisanorum exercitus Salernum obsideat; præcepit quoque Roberto Principi, & Magistro militum Neapolitanorum, ut viribus totis & armis simul cum Pisanis eamdem Salernitanam obsiderent civitatem, quod & factum est XV Kalendas Augusti. Quin etiam Rainulphum Comitem, quem affectione multa secum detinebat, mille Teutonicorum viris datis super civitatem ipsam Salernum destinavit, quibus ita convenientibus prope muros obsederunt. Falco pag. 307. refert Salernitanos Rogerio Regi fideles urbem fortiter propugnasse, & deinde ait: *Audiens autem Imperator civitatis Salernitana constantiam, & quia igne ferroque Pisani eam obsidebant, consilio invento, simul cum Domino Apostolico ad eamdem civitatem celeriter festinavit. Sequenti igitur die Sapientes civitatis ad ipsum Imperatorem venêre; & pactis interveniențibus civitatem ipsam suo Imperio submiserunt. Quidam verò militum illorum securitate accepta, licentiam exeundi impetrarunt; quidam verò & prædicti Rogerii Proceres ad turrem Majorem, qua super civitatem erat, confugerunt. Sicque civitas ipsa in gaudium conversa sub tali, tantoque Imperio exultabat.*

VI. Discordia inter Innocentium II & Lotharium II citò sopita.

Audiens autem populus Pisanorum civitatem Salerni sine eorum consilio & voluntate ab Imperatore captam fuisse, mirabiliter contristati sunt, & furore arrepto machinam lignorum factam combusserunt, & paratis naviguis Pisas regredi disponebant; sed Apostolici Innocentii precibus & promissionibus coacti ad Imperatoris voluntatem reversi sunt; sicque castrum illud turris Majoris pro eorum vecordia dimissum est. (Hujus castri operâ Rogerius postea Salernum & quæcumque hoc anno amiserat, recuperavit). *His ita peractis præfatus Imperator & Apostolicus castra inde* (idest, Salerno) *amoventes Abellinum venerunt* (circa initium Augusti, aut sub finem Julii, quia eo in loco per mensem ferè castra metatus est, & nonnisi die XXX Augusti inde discessit). *Deinde Beneventum & juxta fluvium Caloris ex hac parte ad Ecclesiam Sancti Stephani castra metati sunt, secundo die stante mensis Augusti* (idest, die XXX illius mensis). *Cùm autem Abellinum venisset Apostolicus ipse Innocentius Ducem ad defensionem Apuliæ ordinare nomine suo satagebat. Imperator verò nomine suo contra voluntatem Apostolici ordinare volebat. Unde factum est, ut per triginta ferè dies* (per quos Abellini castra metati sunt) *ad invicem discordatum sit, sed Sapientum consilio communicato discordia talis destructa est. Quid multa? Divina favente clementia, & ipso Imperatore favente, omnibusque suis Apostolicus nomine suo ad B. Petri fidelitatem Comitem Rainulphum, virum utique prudentem & discretum* (qui Mathildem sororem Rogerii uxorem duxerat) *in Ducem elegit, & eo electo vexillum ad honorem Ducatûs Apostolicus & Imperator in conspectu omnium ei tradiderunt, & confirmaverunt.*

VII. Gregorius ab Innocentio II consecratur Episcopus Beneventanus.

Abellino ad civitatem Beneventanam die XXX Augusti ventum: *Cumque*, inquit Falco, *taliter in prædicto loco castra metati sunt, triduo post, die videlicet Kalendarum Septembris Imperatrix nomine Florida militibus ferè centum assumtis ad Ecclesiam B. Bartholomæi Apostoli venit, portam Auream ingrediens.* Imperatrix magnifica munera Ecclesiæ illi dedit. Postea *per Portam Summam exiens ad exercitum suum remeavit. Triduo autem post Imperatoris adventum præfatus Apostolicus Beneventanam civitatem intravit, & à Clero & populo universo honorificè susceptus est. Altera autem die adveniente in sacro Beneventano Palatio sedens in conspectu Cleri & populi Beneventani clamavit, ut si quis contra personam, sive electionem Gregorii Beneventani Electi canonicè & rationabiliter opponere vellet, libera fronte opponeret: sed clementia divina opitulante, & quia Electus vitam suam religiosè custodierat, nemo civium contra ejus electionem objecit. Apostolicus itaque hoc aspiciens gratias Deo egit, & ipse de persona & vita Electi testificatus est honestè & religiosè, & eidem Electo præcepit, ut de peccatis suis confiteatur, & die dominico adveniente, Spiritu Sancto cooperante, consecrationem acciperet. Quid multis? die adveniente dominico Apostolicus ipse Ecclesiam Episcopii descendit quinto die videlicet intrante mensis Septembris Electum ipsum consecravit; ad cujus consecrationem Patriarcha interfuit Aquileia, & complures alii Archiepiscopi, Episcopi & Abbates Teutonicorum viri religiosi,* &c.

VIII. Discessus Lotharii & Innocentii ex Apulia.

Quibus ita peractis præfatus Imperator de prædicto loco castra movens viam Romam redeundi arripuit, qui ante portam Summam cum toto suo exercitu transivit, & prædictus Apostolicus cum illo festinavit nono die intrantis mensis Septembris. Tunc ipse Imperator castra metatus est ubi tres Sancti nominatur. Deinde Capuam petens Romam transierunt. Quid multa? Imperii sui altitudinem & Palatia Imperator ille repedavit; Apostolicus autem Innocentius Palatium Lateranense audivit. (legendum, *adivit* sic partem Urbis Innocentius II, partem aliam Anacletus tenebat). In Chronico Magdeburgensi à Meibomio edito, de Contado XIV Archiep. Magdeburgensi nepote Lotharii Imp. dicitur: *Imperator Italiam circumeundo Pertransiens, Apuliam intravit, & ad Barum civitatem devenit, ubi in die Sancto Pentecostes Dominus Apostolicus præsente Imperatore Missam cum magna gloria celebravit, & in ipsa Hebdomada in Sabbato quatuor temporum ipse Domino Apostolico præcipiente, in ejus præsentia idem Archiepiscopus de Clero multitudinem maximam ad Sacros Ordines promovit. Sed redeo ad Falconem.*

IX. Rogerius Rex amissa recuperat.

Audiens Rex Rogerius Imperatorem illum viam redeundi arripuisse, exercitu convocato Salernum venit; continuò super Nuceriam veniens, illud sua obtinuit potestati, deinde castra amovens terram Rainulphi Comitis (idest, ditiones ad se tanquam Comitem pertinentes, non verò novum suum Apuliæ Ducatum) *obtinuit. Inde procedens Capuam furore multo & tempestate comprehendit, & eam igne ferroque depopulatur; universa siquidem civitatis illius spolia & divitias partim igne, partimque virtute consumi præcepit; Ecclesias siquidem & earum ornamenta diripuit; mulieres quoque & Sanctimoniales in opprobrium conversa sunt, & his taliter evolutes Abellinum & usque ad confinia Benevente obtinuit. Confestim Magister militum Sergius civitatis Neapolitana ad suam convertitur fidelitatem: deinde Judices Beneventana civitatis cum aliis civibus Regem*

ipsum

SÆC. XII. An. C. 1137.

ipsum adeuntes ad Anacleti fidelitatem & ipsius Regis amorem civitatem submittunt Beneventanam, Innocentio Papa fidelitatem parvipendentes, &c. Ita Falco.

X. *Sedando schismati Divus Bernardus incumbit.*

Dux igitur Rainulphus audiens Regem illum ob ejus confusionem Apuliam fuisse ingressam, & ejus desolationem ubique tractare, Barensem populum, & Tranensem, & Troianum, & Melphensem & mille quingentos milites congregavit affirmans prius velle morti succumbere, quam vitam ducere infelicem, & taliter Dux ille paratus prope Regis exercitum adivit. Interea Abbas de Claravalle (nempe Sanctus Bernardus) *vir valde mirabilis & discretus, qui ad Regem illum venerat pro tanti dissidii infestatione sedanda, inter Regem illum & Ducem pacis fœdera alligare conatur; sed pro multis, variisque negotiis, quæ inter eos quærebantur apud Salvatoris Dei potentiam nondum complacuit concordia alligari.* Ita Falco pag. 313. qui pag. 317. Resumens de more quæ omiserat, ait: *Cùm præfatus Abbas de Claravalle, vir mirabilis & discretus, de fœdere pacis & Ecclesiæ unitate cum nominato Rege confabularetur, assiduè Rex ipse cum Abbate ipso stabilivit, ut tres Cardinales ex parte Innocentii Papæ, qui ejus interfuissent electioni ad Regem ipsum venirent, & tres ex parte Anacleti, & ordinem electionis utriusque Regi insinuarent. Deinde Rex ipse ordine audito utriusque partis, sanctiorem & justiorem eligeret electionem, & sic Spiritu Sancto favente ad pacis perveniret, cum totius sui regni magnitudine firmamentum, quantum in sui arbitrio & sententia contineret. Cognoverat enim, firmiterque crediderat totius mundi Christicolas parti favere Innocentii, & ejus Pontificatum venerari. Ipse verò solus cum regni sui latitudine discordabat. Continuò ad Innocentium Papam & Anacletum delegatum est, & cursu rapido Regis positio destinatur.*

XI. *Rogerius Rex à Rainulpho Duce victus.*

Post primum istum Rogerii Regis, & Sancti Bernardi congressum, processit ille adversus hostem, sed parum feliciter; nam uti narrat Falco pag 313. & seq. *Illico acies Regis prosternitur. Rex autem, qui cum aliis aciebus suis armatis erat, Dei adveniente judicio, timore perculsus ipse primùm terga vertens in fugam conversus est; sicque universa Regis congregatio cursu præcipiti confugit, dimissis omnibus divitiarum apparatibus, & tentoriis, auri argentique magnitudine infinita, quorum numerare copia non est humana scientia. Quid multa? Dux ille victor effectus de Regis exercitu comprehendit & occidit, omnemque illam magnitudinem, divitiasque tam ipse quam populus Barensis & Tranensis, ceterique quos rogaverat, ad propria locupletati detulerunt. Tria millia, sicut audivimus, hominum in bello mortua sunt. Ibi Sergius Magister militum Neapolitanæ civitatis mortuus est*, &c. (Sergius enim, qui post Imperatoris discessum Rogerii partes amplexus fuerat, pro eo præliabatur). *Rex itaque nominatus taliter cum sequacibus suis confugiens noctis tempore, altera quidem die ad castrum Paludis pervenit, deinde Salernum festinavit; diebus autem non multis evolutis Roscemannus Beneventanus Antistes* (qui statim in sedem suam restitutus fuerat) *consilio accepto cum Judicibus civitatis & Sapientibus quibusdam ad Regem ipsum consolandum & servitia Civitatis offerenda festinavit. Precatur insuper, ut libertatem possessionum Beneventanorum, quam supradictus Imperator concesserat, populo Beneventano ipse largiretur. Rex igitur precibus eorum acceptis pro totius civitatis amore inveniendo Privilegio facto & signato omnes fidantias & exactiones, quas soliti fuimus persolvere, condonavit.* Falco ejus Diploma, & ex eo Ughellus Tom. VIII Ital. Sacræ refert, ejusque hoc initium est: *In nomine Domini Dei Salvatoris æterni Jesu Christi Dom. Incarnat. anno MCXXXVII, mense Novembri, prima indictionis Ego Rogerius Dei gratiâ Siciliæ & Italiæ Rex, Christianorum adjutor & Clypeus, Rogerii primi Comitis filius*, &c. Hæc verò ejus conclusio: *Hujus concessionis initium per manus Henrici Notarii nostri scribi præcepimus, & bulla aurea insigniri anno Regni nostri septimo.*

SÆC. XII. An. C. 1137.

XII. *Victoriam prosequitur Rogerius.*

Pergit Falco: *Cumque Privilegium hoc coram Beneventanorum cætu lectum esset, Deo Salvatori omnium præfatoque Regi, & jam dicto Antistiti gratias egimus, quia quod avi, & patres nostri videre non potuerunt, libertatis & securitatis donum nobis dignatus est*, &c. *offerre.* Quibus ex verbis apparet, Falconem & socios ad Rogerii & Anacleti partes tandem divertisse. Rainulphus, inquit idem Falco, ex sua victoria commodum capiens civitatem Troianam sibi subdidit, & Rogerium Comitem Ariani subjugavit, dum Rogerius Rex in urbe Salernitana morabatur. Tunc enim *Dux ipse prope castellum Paludis suorum virtute stipatus castra metatur die quidem Kalendarum Decembris. Mirabatur interea populus Beneventanus de Ducis illius eminentia* (id est, quod hæreret in plano) *& in prædicti Regis amore & fidelitate, & Anacleti servitio die noctuque simul cum Domino Roscemanno Antistite invigilabat &c.* Rogerius Rex Salernum redux civium fidelitatem remuneraturus Privilegium ab Ughello Tom. VII Italiæ Sacræ relatum eis concessit: *Anno Incarnat. MCXXXVII, mense Novembri, indictione I*, &c. *Salernitanos fideles nostros honorare & exaltare, decrevimus, qui Roberto Guiscardo bonæ memoriæ, & Rogerio & Willelmo Ducibus prædecessoribus nostris semper fideles fuerunt: nobis quoque maximè hoc tempore, quod Lotharius cùm Teutonicis per prædictorum nostrorum perfidiam in Apuliam intraret; & cùm jam tota ferè terra infidelitatis macula contaminaretur, sola Italiæ Salerni civitas fidelitatem intemeratam conservavit. Hujus rei gratiâ magnificentia nostra munera in prædictam civitatem & ejus populum extendere volentes, donamus, concedimus*, &c. *Datum Salerni X Kal. Decemb. per manum Henrici venerabilis Messanensis Electi anno regni nostri septimo.*

XIII. *Irrita de pace Ecclesiæ tractatio.*

Dum Rogerius Rex Salerni versaretur, Innocentii II & Anacleti Legati ad eum venêre, ut narrat Falco pag. 317. & seq. *Ex parte Innocentii Americus Cancellarius & Girardus Cardinalis, vir valde venerabilis, cum prædicto Abbate de Claravalle Salernum super hujusmodi electione ventilanda advenerunt. Ex parte verò Anacleti Matthæus Cancellarius, & Petrus Pisanus Cardinalis, & Cardinalis alius nomine Georgius similiter acceleravêre. Quibus ita congregatis, Rex ille, ut erat sagacis animi, providique consilii, prius partem Innocentii quatriduo usque ad occasum mirabiliter & ultra quam credi potest, examinavit; sequenter autem Anacleti partem quatriduo similiter perscrutatus est. Studiosè igitur & diligenter partibus utriusque electionis auditis, Rex ipse Clerum omnem & populum civitatis Salernitanæ congregari mandavit, & Episcopos & Ab-*

bates

bates Monasteriorum qui convenerant, & cetera num. XXIX & seqq. recitata, sed hæc tractatio pacis irrita fuit.

XIV. *Mors Lotharii Imp. & S. Bernardi in Urbe.*

Hæc ad supplendos Annales Ecclesiasticos. Præterea huc revocanda mors *Lotharii Imp.* quæ initio mensis Decembris bujus anni contigit, ut anno sequenti, ad quem eam Baronius distulit, demonstrabimus. Insuper idem doctissimus Cardinalis num. V ait, *Sanctum Bernardum* diu Romæ moram protraxisse cum magno Catholicorum proventu. Verùm Manricus in Annal. Cisterc. hoc anno cap. I. animadvertit, Petrum Diaconum hujus temporis Scriptorem in Chron. Casinensi lib. 4. cap. 106. tradere eum mense Julio in Campaniam rediisse, ac ad Montem Casinum Legatum, cùm Pontifex & Imperator ibidem consisterent; præterquam quod mox vidimus, *Bernardum* ad Rogerium Regem missum fuisse. Quare Bernardi mora Romæ non potuit non esse brevis.

XV. *Priores in Cantica Sermones à S. Bernardo absoluti.*

Adhæc Baronius num. III ait, *S. Bernardum* ab Innocentio II ad se literis hoc anno accersitum, reliquisse *Sermones super Cantica* absolutos viginti tres, ut apparet ex sequenti Sermone XXIV, eosque statim descriptos misisse ad *Bernardum de Portis* Cartusianum, quod dicit testari S. Bernardi ad eum Epistolam CLIV. Sed, ut observat Manricus citatus anno MCXXXV cap. VI, Ernaldus Abbas Bonævallis in Vita S. Bernardi lib. 2. in fine capitis V ait, Sanctum Abbatem post suum ex Aquitania reditum, quem anno MCXXXV contigisse vidimus, *solis meditationibus divinis vacare* disposuisse; per quam quietem & otium Sermones in Cantica Canticorum exorsus est: idque ad instantiam *Bernardi de Portis* Cartusiani sanctissimi, ut eruitur ex Vita Sancti Stephani Diensis, non multò pòst scripta, in qua de eodem *Bernardo de Portis* dicitur, *cujus hortatu S. Bernardus Abbas Clarevallensis exposuit Cantica Canticorum.* Priores Sermones mox ac dictatos, à Bernardo ad Bernardum transmissos, antequam ederentur, liquidò constat ex Epistola CLIII, & Epistola CLIV ejusdem Sancti Abbatis. In priori enim dicit: *Sermones paucos in principio Canticorum Salomonis recèns dictatos, en facio transcribi, & tibi, cùm necdum ediderim, quantò citiùs mitto.* In sequenti verò: *Sermones super principia Canticorum, quos tu petiisti, & ego promiseram, transmitto tibi.* Quare utraque Epistola non hoc anno, sed anno MCXXXV, quo & eam collocavit Mabillonius, scripta. San-Marthani in Episc. Bellicensibus notant *tres extitisse Bernardos Priores in domo Portarum.* Bernardus primus regimen abdicavit, successorem sortitus alterum Bernardum itidem Portarum Priorem, post abdicatum Bellicensem Episcopatum, ut censet Petrus Franciscus Chiffletius in Præfat. ad *Manuale Solitariorum*, qui huic Bernardo II utramque Epistolam laudatam directam putat. Addit Chifflerius tertium per hoc tempus fuisse *Bernardum* Portarum etiam *Priorem*, postea Episcopum Diensem; sed is ad rem nostram non facit. Utramque autem Epistolam Bernardo II tum nondum Priori datam esse rectè deducit Mabillonius ex prioris Epistolæ numero II, ubi Sanctus Bernardus *Domnum Priorem* salutat, hoc est, Bernardum primum tunc Priorem Portarum, qui locus est in Baugesio Diœcesis Lugdunensis prope Rhodanum, tribus leucis à Bellicio urbe Episcopali dissitus. Sed legendi San-Marthani laudati, & Guichenonis in Historia Baugesii, ubi de tribus istis Cartusianis verba faciunt.

XVI. *Hortatu Bernardi Cartusiani.*

Baronius ibidem citat Epistolam CLV divi Bernardi ad Innocentium Papam, datam *pro eodem quando electus est*, ut dicitur in inscriptione, idest pro eodem Bernardo II, quando electus est Episcopus pro Longobardia. In ea Sanctus Bernardus ait, *Bernardum de Portis* in Lombardia destinatum Episcopum, dignum quidem eo honore, sed tali loco minus idoneum, ideoque alteri convenientius reservandum. Innocentius II detulit Sancti Bernardi consilio, & *Bernardus Portarum* electus est in Episcopum Bellicensem, isque anno MCXLII Sede Bellicensi relicta, rediit in Cartusiam Portarum, ibidem ante annum MCXLVII Bernardo Priori primo se abdicanti suffectus. Ea Epistola CLV anno incerto data, nisi quis velit cum Mabillonio eamdem referre ad annum MCXXXV, quo duæ præcedentes exaratæ.

XVII. *Epocha Epistolæ CLI. divi Bernardi.*

Denique Baronius num. IV mentionem facit Epistolæ CLI Bernardi ad *Philippum Turonensis Ecclesiæ invasorem*, quem in rectam viam reducere conabatur, significatque se esse *in proximo*, ubi eum videre posset, si vellet: *Sumus enim*, inquit, *Viterbii, & te morari in Urbe audivimus.* Quare quia Bernardus Sermone XXV in Cant. hoc anno composito memorat suam apud Viterbium moram, Baronius hanc Epistolam ad præsentem annum retulit. Verùm duplex Bernardi mora in urbe Viterbiensi distinguenda. Prima accidit anno MCXXXIII, quo *Lotharium* Romam, ubi coronandus erat Imperator, comitatus est, uti suo loco diximus, alteraque hoc anno. Sed ea Epistola in priori ejus profectione scripta; nam *Hildeberto* Archiepiscopo Turonensi anno MCXXXI demortuo, ut eo anno ostendimus, *Philippus* nepos Gisleberti malis artibus Sedem, quam Gislebertus tenuerat, invasit, jamque eam fere à triennio occupabat, quando Bernardus hanc Epistolam ad Philippum dedit. In altera enim ordine CL ad Innocentium II missa, ait: *Quanta dominandi cupiditate & iste juvenis inardescat, indicat matris suæ Ecclesiæ diuturnus & miserabilis cruciatus, quo pene eam eviscerat miser, ut se parturiat in honorem. Est tamen auctore Deo ejus tergiversationibus finis tandem impositus; si tamen, quod dictante justitia, & compellente malitia, & pace provocante in eum actum est, Apostolica auctoritatis ratum habere placuerit.* Manricus anno MCXXXVII Epistolam CLI divi Bernardi cum Baronio in hunc annum rejiciens ex ea deduxit, *Hildebertum* Archiep. Turonensem anno præcedenti seu anno Christi MCXXXVI demortuum, quæ & multorum sententia fuit. Verùm cùm nunc constet, eam mortem pertinere ad annum MCXXXI, nulla amplius dubitatio esse potest de hujus Epistolæ epocha, sicuti nec de prima profectione Romana S. Bernardi, quam eo etiam anno ab eo susceptam monstravimus.

XVIII. *Balduinus Abbas Reatinus diversus à Balduino Cardinali.*

Ad num. XXXII & seq. Baronius refert partem Epistolæ CXLIV à divo Bernardo suis Clarevallensibus datæ, in qua molestiam longioris absentiæ suæ à dilecta Clarevalle exprimit, atque: *Cum lachrymis & singultibus ista dictavi, teste charissimo fratre nostro Balduino, qui stylo ea excepit: quem Ecclesia vocavit ad illud officium, & aliam dignitatem*; quam Epistolam

currenti

currenti anno datam esse; ipsa ejus lectio evincit. Verùm Baronius *Balduinum* istum Cardinalem primum ex Ordine Cisterciensi creatum ab Innocentio II anno MCXXX in Concilio Claromontano, & postea Archiepiscopum Pisanum, qui dignabatur esse scriba divi Bernardi, perperam confundit cum altero *Balduino* Reatini Cœnobii primo Abbate, itidemque Bernardi discipulo, ad quem est Epistola divi Bernardi CCI, cùm Reatinum monasterium regeret. Illud autem monasterium, duplex, alterum Sancti Matthæi, alterum Sancti Pastoris, & huic Balduinus iste Præfectus erat, quo tempore alter *Balduinus* Cardinalitiam dignitatem obtinebat. Balduinus Abbas ex monumentis Ecclesiæ Reatinæ ab Ughello his verbis celebratur: *Multis operibus, & miraculis clarus obiit anno MCXL, & in Cathedrali Reatina humatus est, ibique summa cum veneratione Augusti XI die colitur.* Alter Balduinus sanctitate etiam clarus fuit, Purgatoriis tamen flammis post mortem expiatus, quod, ut habet Herbertus lib. 3. de Miraculis cap. 31. civilibus discordiis se immiscens, bello Pisanorum cum Lucensibus occasionem dedisset. Porro facile fuit, utrumque *Balduinum* in unum conflare, cùm uterque Italus, uterque ex Claravalle, atque uterque Bernardi discipulus fuerit. Fallitur enim Ciaconius in Innocentio II, qui Balduinum Cardinalem Gallum facit, cùm Ernaldus Abbas Bonævallis in Vita S. Bernardi lib. 2. cap. VIII eum *Pisis in Tuscia* natum asserat. Herbertus autem laudatus cum Ordinem Clarevallensem ingressus fuisset, anno MCLXXVIII *librum Miraculorum* conscripsit, & postea ad Archiepiscopatum Turritanum seu Turrium in Sardinia evectus fuit, ut dicitur in Chron. Clarevallensi à Chiffletio cum tribus libris Herberti de Miraculis publicato. Balduinum S. Bernardi discipulum diversum esse à Balduino Cardinali observavit Manricus in Annal. Cisterc. anno MCXXX cap. VI.

XIX. *Sanctus Malachias fit Archiep. Armachanus.*

Ad num. XXXIV & seqq. Sanctus *Malachias*, quem suo loco ostendimus, anno MCXXIV Connecteтensem Episcopum in Hibernia renunciatum fuisse, occasione bellorum sede sua pulsus aliò se contulit *cum centum & viginti fratribus*, & monasterium Ibracense ædificavit, ut refert Sanctus Bernardus in ejus Vita cap. IX, *Ubi*, subdit Bernardus, *velut de novo inchoans, legem & disciplinam, quam aliis imponebat, magis ipse portabat Episcopus & Magister. Ipse in Ordine vici sua coquinæ ministerio inserviebat, ipse Fratribus cùm recumberent, ministrabat*, &c. Interim Celsus Archiepiscopus Armachanus in Ultonia Provincia *moriens misit baculum suum Malachiæ, tanquam sibi successuro*, ait Bernardus cap. X, qui jam dixerat: *Jam octo extiterant ante Celsum viri uxorati & absque Ordinibus, literati tamen. Inde tota illa per universam Hiberniam, de qua superiùs diximus, dissolutio Ecclesiasticæ disciplinæ, censuræ enervatio, religionis evacuatio: inde illa ubique, pro mansuetudine Christiana sæva subintroducta barbaries, imo Paganismus quidam inductus sub nomine Christiano.* Mortuo Celso Malachias Archiepiscopus possessionem inire non potuit, quia quidam potentes non *patiebantur Episcopari, nisi qui essent de tribu & familia sua.* Tandem, ut narrat Bernardus cap. XII, *anno ætatis suæ tricesimo octavo pauper Malachias, pulso incubatore, intravit Ardmacha Pontifex & Metropolitanus totius Hiberniæ*, ideoque anno Christi MCXXXII, cùm ejus Nativitas in annum MXCIV inciderit.

XX. *Romam petiit anno MCXXXIX aut insequenti.*

Malachias intra triennium reddita retributione superbis, & libertate Ecclesiæ restituta, pulsa barbarie, & reformatis ubique moribus Christianæ religionis, videns omnia in pace esse, cœpit cogitare & de sua pace. Cùm verò duos Episcopatus in unum ambitio conflasset, nempe Connerensem & Dunensem, eos iterum divisit Dunensi contentus. *Erat & altera Metropolica Sedes, quam de novo constituerat Celsus, primæ tamen Sedi & illius Archiepiscopo subdita, tanquam Primati: & huic quoque optabat nihilominus Pallium Malachias, confirmarique auctoritate Sedis Apostolicæ prærogativam, quam beneficio Celsi adipisci meruerat.* Quare Romam profectus est, non quidem hoc anno, ut putavit Baronius, sed anno millesimo centesimo tricesimo nono aut insequenti, ut notavit Manricus in Annal. Cisterc. anno MCXXXIX cap. V. Bernardus enim cap. XV asserit, Malachiam *novem annos* postea supervixisse; mortuus est autem anno MCXLVIII. *Mensem integrum* Romæ moratus est, & *paranti jam repatriare commisit vices suas, per universam Hiberniam Legatum illum constituens*, nempe Innocentius II, inquit Bernardus cap. XVI, qui subjungit, Innocentium II Pallii concessionem distulisse, donec celebrato generali Concilio in Hibernia illud à se peteretur. Dum Romam pergeret, Claramvallem venit, & petiit licere sibi vivere, & mori in Claravalle, quod à Pontifice non obtinuit, *quòd virum Apostolicus lucris potius uberioribus occupandum decerneret.* Frequens & receptum erat istis temporibus, ut Episcopi Monachos induerent, dignitate retenta, non secus ac retento Monachatu, Monachi ad infulas protrahebantur.

XXI. *Moriuntur Ludovicus VI Rex Franciæ & Guillelmus IX Dux Aquitaniæ.*

Hoc anno *die prima mensis Augusti* mortuus est *Ludovicus* VI cognomento *Grossus* Francorum Rex, & *die nona* mensis Aprilis *Guillelmus* IX, ultimus Aquitaniæ Dux, ut anno superiori ostendimus. *Guillelmus* mortem sibi imminere conspiciens, Optimates Principatûs sui juramento constrinxit, ut *Eleonoram* filiam Ludovico Regis Ludovici filio copularent, uti narrat Chronographus Mauriniacensis initio lib. 3. Ad eam mittuntur à Ludovico Rege aliqui Magnates, & inter eos Gaufridus Carnotensis Episc. qui Burdegalam veniunt, ubi *universis Aquitaniæ Pontificibus cum Archiepiscopo suo Gaufrido astantibus, Ludovicus est puella nomine Ænorda legali vinculo sociatus*; sed in medio convivii Legatus pernici cursu delatus Ludovicum Regem vitam Parisiis finisse denuntiat. Ludovicus filius hujus nominis VII ei in Regnum succedens festinatò in Galliam venit, Eleonoræ Reginæ curâ Gaufrido Carnotensi Episc. commissâ. Ita Aquitania Galliæ Regno hoc anno adjuncta. Quas ditiones contineret, Ernaldus Abbas Bonævallis in Vita S. Bernardi lib. 2. cap. 6. indicat, scribens *Potentatus Ducis Guillelmi subditas fuisse Provincias Burdegalensem, Auxiensem* (sc. in Aquitania II & III) *& Turonicam, & quidquid à collibus Iberorum usque ad Ligerim complectitur & claudit Oceanus, paruisse ejus Imperio.* Turonica tamen Provincia ultra dexteram Ligeris ripam latè distenta, quæ continet Britanniam Armoricam & novem in ea Episcopatus, parebat tunc Britanniæ Comiti.

Guigo

SÆC. XII. An. C. 1137.

XXII. *Obitus Guigonis Prioris Cartusiæ.*

Guigo quintus Prior Majoris Cartusiæ Valentiæ in Delphinatu natus *anno à nativitate sua quinquagesimo circiter quarto, à conversione ejus tricesimo, & a Prioratu vicesimo septimo, cùm ab exordio Cartusiensis eremi, annus quinquagesimus tertius ageretur, sexto Kalendas Augusti* sanctum Deo Spiritum commendavit, ut dicitur in Institutionibus Ordinis Cartusiensis Tom. I Bibliotb. Labbei recitatis, ideoque hoc anno; cùm Cartusianorum Ordo anno MLXXXIV, ut suo loco ostendimus, fundatus fuerit. Scripsit Guigo Vitam *Sancti Hugonis Gratianopolitani Episcopi*, aliaque Opuscula ab Oudino in Supplement. de Script. Eccles. enumerata, ubi tamen malè ait, Sanctum Hugonem fuisse primum Cartusianorum fundatorem.

XXIII. *Obitus B. Oldegarii Archiep. Tarracon. & Episc. Barcinon.*

Obiit & Beatus *Oldegarius* Archiepiscopus Tarraconensis & Episcopus Barcinonensis in Hispania, *pridie Nonas Martii*, ut testatur Diagus in Hist. Comitum Barcinonensium, & ex eo, aliisque Bollandus in Actis SS. ad diem VI mensis Martii, qui mox à peractis solemniter exequiis miracula quamplurima cœpit patrare; quibus prodigiis Cleri populique Barcinonensis aucta erga Beatum veneratio anno XIX & XX Ludovici VII Franciæ Regis perennes census constituti sunt fovendis, quæ ad tumulum Sancti arderent, lampadibus, & post aliquot annos semel & iterum canonizatio ejus à sancta Sede petita. Ante Episcopatum fuerat Abbas Sancti Rufi juxta Avenionem, cui successêre *Willelmus, Pontius, Severus*, de quibus anno MCXVI egimus, & *Guillelmus* II, qui hoc anno Sancti Rufi Abbatiam adhuc regebat. Baluzius enim in Appendice ad Marcam Hispanicam num. 391. refert Chartam Raimundi Comitis Barcinonensis datam anno MCXXXVII *tertio Nonas Aprilis*, qua Comes quandam Ecclesiam largitur *Ecclesia Sancti Rufi & domino Guillelmo Abbati, & omnibus successoribus ejus.*

XXIV. *Concilium Vallisoletanum.*

Hoc anno *Cardinalis Guido*, qui superiori Concilium in Civitate Burgensi congregarat, aliud *Vallisoleti* celebravit, quod Sandovalius in Alfonso VII fol. 163. eruit ex Charta Alfonsi VII Castellæ Regis & Imperatoris, datæ in gratiam Monasterii Vallis-Paradisi inter Zamoram & Salmanticam die quarta Octobris, erâ MCLXXV, ex qua etiam deducit, eumdem Alfonsum cum Alfonso Portugalliæ colloquium habuisse. In ea enim dicitur, *tempore quo Guido Romana Ecclesia Cardinalis Concilium in Vallesoleti celebravit, & ad Colloquium Regis Portugallia cum Imperatore venit.* Tharasia Alphonsi Portugalliæ Comitis mater semper se se Lusitaniæ Reginam appellavit, & in laudata Charta Regis titulus Alphonso honoris causâ tributus; eum tamen nondum hoc nomen sumsisse, Chartæ ab eo datæ demonstrant. Hispani omnibus Principibus *Regis* titulum sæpe tribuebant, quamvis ipsimet in Actis publicis hunc titulum non usurparent.

XXV. *Ranimirus dimisso Aragonia regno redit ad suum monasterium.*

Ranimirus Monachus Aragoniæ Rex Raimundo IV Barcinonensi Comiti filiam suam duobus aut ad summum tribus annis natam in uxorem dedit *cum totius regni integritate.* Baluzius in Appendice ad Marcam Hisp. num. 394. Instrumentum exhibet, *quod est actum III Idus Augusti anno Incarnat. Dom. CXXXVII post millesimum, erâ MCLXXV, prefato Rege Ranimiro regnante.* Paulò pòst IV Kal. Septemb. Ranimirus Rex Instrumento ibidem relato irritum declarat quidquid hactenus alicui dedisset vel concessisset, ad *quod ab hodierno die in ante* daret absque consilio & bona voluntate Comitis, dicens se id facere propter multas fraudes, quas à multis passus esset. Denique *Idibus Novembris* cùm Cæsaraugustæ esset, Regnum planè abdicavit in favorem Raimundi generi sui. Instrumentum ibidem refertur num. 396. Cùm verò *Ranimirus* Rex de deserendo mundo seriò cogitaret, & morte Beati Oldegarii Ecclesiæ Barcinonensis & Tarraconensis vacarent, earum Episcopus electus fuit, ut eruitur ex Instrumento ibidem num. 290. recitato, quod Ranimirus his verbis confirmat: *Ego Ranimirus Dei gratiâ Rex & Electus Tarraconensis & Barcinonensis concedo, & confirmo hoc quod superiùs scriptum est.* Hæc tamen electio confirmata non fuit, Ranimirus enim Rex in Monasterio suo vitam clausit, & *Gregorius* Archiepiscopus Tarraconensis anno MCXLIII. jam electus erat, ut certum facit Instrumentum ibidem à Baluzio num. 402. relatum, *quod est actum quinto Kalendas Decembris apud Gerundam, Domino Guidone S. R. E. Cardinali Diacono & Legato celebrante Conventum in præsentia omnium subscriptorum testium anno Dom. Incarnat. MCXLIII.* Et paulò pòst inter testium nomina legitur: *S. Gregorii Electi Tarraconensis Archiepiscopi.* Idem Instrumentum recitat Diagus in Hist. Comit. Barcinon. Auctor de Gestis Comitum Barcinon. cap. XVII unionem Regni Aragoniæ cum Comitatu Barcinonensi hoc etiam anno consignavit, de Raimundo IV Comite Barcinonensi scribens. *Adhuc valde juvenis regnum Aragonia acquisivit cum Urracha, filia Regis Aragonia Ranimiri anno Christi MCXXXVII*, ubi Petronillam Urracam appellat, quia teste Roderico lib. 6. cap. a. ea postea ita appellata. Ranimirum verò in suo monasterio demortuum tradit Auctor de Gest. Comit. Barcinon. cap. XXI. *Suscepit filiam nomine Urracam, qua Raimundo Barcinonensi Comiti fuit nupta. Post hac Ranimirus fuit monasterio restitutus, & recuperato habitu, finivit ibidem in Domino dies suos.* Huic Auctori Consentit Rodericus Toletanus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6631.

☉ 27. B. ☽ 18. P. 3. April. Indict. 1.

JESU CHRISTI 1138.

INNOCENTII II. PAPÆ 9.

CONRADI III REG. I.

JOANNIS COMNENI IMP. 21.

SÆC. XII. An. C. 1137.

Anno Eræ Hispan. MCLXXVI. Anno Hegiræ DXXXIII. inchoato die 8 Septemb. fer. 4.

I. *Obitus Anacleti Antipapæ.*

ANNum. I ad XII Falco, qui annum à Kalendis Martii exorditur, ad annum MCXXXVII ait: *Hoc anno Anacletus, qui sub nomine Pontificatus vixit, septimo die stante mensis Januarii mortuus est.* Baronius num. I, Mabillonius in Notis fusioribus ad Epistolam CXXVI divi Bernardi, Papebrocius in Conatu Chronico-Hist. aliique passim Viri docti diem illum à Falcone memoratum diem septimum mensis Januarii interpretantur. Verùm Peregrinius in Notis ad Falconem rectè hunc loquendi modum à Falcone usurpatum explicat de Januario exeunte, docetque mensem *stantem*, seu *instantem*, seu *astantem* esse mensem finientem

SÆC. XII. An. C. 1138.

tem, quod postea Ducangius in Gloss. Mediæ & Inf. Latinit. ad vocem *mensis stans* variis exemplis probavit, Peregrinio nequidem nominato, quod illi non raro accidit, sed non sine laboris aliorum præjudicio. *Anacletus* igitur mortuus est die vicesima quinta mensis Januarii, qui septimus est à die ultimo ejusdem mensis, à quo Falco, & qui eo loquendi modo usi sunt, diem primum stantis alicujus mensis inchoant. Hanc Peregrinii explicationem confirmat Ordericus lib. XIII. pag. 915. dicens: *Petrus Anacletus, qui Sedem Apostolicam ferè VII annis usurpaverat, in Cathedra sedens VIII Kal. Februarii* (seu die XXV Januarii) *subita morte decessit: atque, ut fertur, à fratribus suis, filiis videlicet Petri Leonis, quorum in urbe Roma maxima potestas est, ita occultatus, ut ubi cadaver ejus sepultum sit, ignoretur*, quod ultimum alii etiam tradidêre. Durationem invasionis ejus, quam Ordericus numero rotundo exprimit, & septem circiter annorum fuisse dicit, Falco definierat, sed Librarii numeros corrupêre; ait enim: *Qui sedit annis septem, & mensibus undecim, & diebus XXII*, loco enim, *diebus XXII*, legendum, *diebus XII*, si Anacletus anno MCXXX die XIV Februarii electus fuerit, vel *diebus XI*, si ejus electio uno die tardius facta; nonnisi enim de unico die controversia esse potest.

II. *Victor Antipapa creatus abdicat.*

Falco pag. 318. narrata Anacleti morte subdit: *Innocentius Pontifex continuò viribus sumtis, & amicorum virtute accepta, contra inimicos viriliter insilivit. Roseemannus igitur Episcopus totius civitatis tintinabula Beneventana pulsare præcepit, mortem ipsius Anacleti significans. Anno MCXXXVIII* (à Kalend. Martii inchoato) *nono anno Pontificatus Domini Innocentii II Summi Pontificis, mense Martio prima indictionis, cùm prædictus Anacletus mortuus esset, Cardinales sui consilio accepto à fratribus ipsius Anacleti ad Regem miserunt Rogerium, ipsius Anacleti mortem significantes, ut si ei placeret, pacem constituerent. Rex itaque ut Domini Papæ Innocentii partem impediret, voluntati eorum assensit, & Papam eligendi potestatem dedit; qui Romam reversi fautoribus eorum congregatis medio mense Martio, Gregorium Cardinalem Papam sibi, & invasorem constituunt. Victoremque eum vocaverunt; sed Dei misericordia auxiliante, hæresis illa & invasio pauco tempore regnavit*; ut enim Baronius num. III ex eodem Falcone refert, intra paucos dies *Victor* mitram deposuit, & universa Ecclesia ad unitatem rediit.

III. *Rogerius Rex Innocentium II. Pontificem agnoscit.*

Baronius num. XII alium Falconis locum recitat circa profectionem, quam Innocentius suscipere cogitabat ad Rainulphum Ducem contra Rogerium, sed Innocentius *infirmitate percussus venire non potuit*, inquit Falco, ad cujus verba Baronius hæc de suo addit: *Porro Rogerius neque extincto Anacleto, & submoto Victore, recognoscere adhuc voluit Innocentium Summum Pontificem.* Sed Baronius vel memoria lapsus, vel ab Exscriptore deceptus fuit. *Hæc enim Falconis verba: Interea Rex Rogerius congregato exercitu in finibus venit Apuliæ, cogitans sibi civitates ab Imperatore ablatas suæ submittere potestati. Dux igitur Rainulphus Regis illius sentiens adventum, totius Apuliæ partes submovit, ut contra ejus rabiem unanimiter insistant. Nec mora cursu rapido ad Ducem festinant nominatum, & sic contra illius ferociam mensibus fere duobus resistunt. Hæc inter, sicut est nobis relatum, prædictus Rex Dominum Papam, Innocentium in Patrem & Dominum accepit: & civitati Beneventanæ, & per totius regni sui partes mandavit, eum Patrem & Dominum accepisse. Nos autem* (sc. Beneventani) *Dominum illum ac Patrem vocavimus.* Refert postea Rogerium Beneventanos sibi demeruisse, eos à prædatoribus liberasse, & quæ eis incommodo erant propugnacula, funditus evertisse.

IV. *Gesta militaria Rogerii Regis.*

Non multò pòst castellum *Apicis*, quod Rainulpho Duci parebat, obsidione cingens, *Beneventanos precatur, ut in ejus auxilio unanimiter festinarent. Roseemannus igitur, qui tunc Præsul aderat, amore Regis coactus cives universos rogavit, & in ejus mandavit auxilio.* Postea scribit Falco, non obstante eo auxilio, Regem obsidionem solvisse, & ad alia conversum plura minoris momenti propugnacula incendio delevisse, ipsam etiam *Aliphum* urbem, cujus, sicuti & *Venafri*, direptionem describit. *Quibus actis Rex inde revertens Beneventum venit, & ad Paludis castellum castra metatur duodecimo die mensis Septembris intrante. Dux interea Rainulphus, qui tanto Regi resistere non poterat, dolere cordis concussus circa Aliphanos fines morabatur.* Rogerius Rex Melphim aggressus est, sed postea ab eo consilio destitit, ut *Toccum* castellum sibi subderet, quod ei deditum fuit *tertio Kal. Octob.* post dierum octo obsidionem. Inde Rex ad Beneventum castra metatus est, ubi per tres dies ob pluvias & tempus nimis importunum moram fecit. *Rex interea nominatus civitatem intravit Beneventanam quarto die intrante mensis Octobris, & Ecclesias, & civitatis Palatia, & Curiam Apostolici studiose perquisivit, & exercitu refocillato castra à civitate amovit.*

V. *Summarium rerum hoc anno gestarum.*

Rainulphus Dux, uti postea narrat Falco, ditiones & vassallos *Rogerii* Comitis Ariani adversus *Rogerium* Regem ab injuriis vindicavit, Melphim tuitus est, & ita se se gessit, ut Rex Salernum secedere, quò in Siciliam transfretavit, coactus fuerit: *At Dux* (nempe Rainulphus) *nominatus Barum descendit, & marinos fines visitavit, populum omnem hortando, ut tempore opportuno, viribus suis & armis contra Regem obsistant, qui unanimiter & corde devoto paratos fore clamitabant.* Anonymus Casinensis ad annum MCXXXVII, qui nobis est MCXXXVIII, gesta hæc omnia paucis perstringit. *Conradus fit Imperator. Obiit Petrus Leonis, qui & Anacletus. Sed post duos menses fratres ejus cum suis elegerunt quemdam Gregorium hæresiarchum, qui post tres menses à Papa Innocentio deponitur. Rex Rogerius venit super Rainulphum Ducem Apuliæ, & exhæredavit Alexandrum de Claromonte, Aliphas redegit in cinerem, sicque in Siciliam reversus est.* Porrò divus Bernardus in Epistola CCCXVII, non verò CCCXX, ut errore Librarii legitur apud Baronium num. V ubi eam integram recitat, confirmat quod scribit Anonymus Casinensis de duratione schismatis post Anacleti interitum. Ait enim *in Octavis Pentecostes ipsa die* unitatem Ecclesiæ redditam fuisse, eaque die filios Petri Leonis omnes *Innocentio* Papæ fidelitatem jurasse; dies autem octava Pentecostes hoc anno in diem XXIX mensis Maii incidit, & à morte *Anacleti* ad diem illum

SÆC. XII. An. C. 1138.

fluxerunt menses quinque utrimque incompleti, ut numeranti patebit. Addit divus Bernardus, qui tantam operam in hoc schismate profligando insumsit, se *feriâ sextâ* Urbem relicturum, & Claramuallem venturum. Quare sanctus Abbas die tertia mensis Junii se se viæ dedit.

VI. *Annus emortualis Lotharii Imp.* Ad num. XII & seq. Baronius mortem *Lotharii* Imp. usque ad mensem Decembrem currentis anni, & electionem *Conradi* ejus successoris usque ad annum insequentem differt. Verùm *Lotharium* superiori anno demortuum, præsentique *Conradum* electum extra omnem controversiam esse debet. Robertus enim de Monte, Dodechinus Abbas, Continuator Lamberti Schafnaburgensis, Chronographus Hildensheimensis, & alii passim *Lotharium* anno præcedenti demortuum produnt, & *Conradum* currenti ei successisse ejus Diplomata invictè demonstrant. Fundamentum Baronio anno sequenti evertemus. Falco in Chron. ad annum MCXXXVII ait: *Hoc anno prædictus Imperator, cùm ad imperium suum revertebatur, mortuus est in partibus Tusciæ & eo defuncto Corradus ad imperium unanimi voto sublimatus est*, sed non eodem anno, verùm currenti, uti suo loco ostenderur. Verùm non in Tuscia Lotharius mortuus est, sed, ut tradit Otto Frisingensis, cùm apud Tridentum morbo correptus fuisset, in ipsis montibus diem obiit; ita apud Baronium num. XII. Chronographus Magdeburgensis postquam de ejus expeditione Italica egit, ait: *Imperator ab inde reversus apud Trientinam veniens festum S. Martini celebravit gaudens; & ibidem infirmari cœpit, dumque quotidie languor ingravesceret, nec ob hoc iter suum intermisisset, tandem prævalente mortali ægritudine apud Breduwanvillam in faucibus Alpium constitutam* mortuus est. Porro perperam ibidem scribit sine ullo teste Baronius, corpus Lotharii delatum Moguntiam; ut enim docent Urspergensis, Dodechinus, Continuator Lamberti Schafnaburgensis, & alii in Saxoniam relatum per suos in Monasterio Lutterensi, quod ipse, in Saxonia construxerat, honorificè sepultum est. *Henricus Bavariæ Dux, qui socero morienti astabat, insignia Imperialia, hoc est coronam, sceptrum, gladium & crucem, quæ Caroli Imperatoris Magni fuisse traduntur, sibi cum imperio usurpare nitebatur*, inquit Trithemius in Chron. Hirsaug. ad annum MCXXXVII, aliique confirmant.

VII. *Dies emortualis ejusdem Imp.* Dies ejus emortualis in controversiam vocatus; Dodechinus enim Abbas ait, Lotharium *III Kal. Decemb.* defunctum esse, sed standum Alberto Stadensi in Chron. Chronographo Magdeburgensi & Sigonio lib. XI Hist. Reg. Ital. qui eum *III Nonas Decemb.* diem obiisse scribunt; præsertim cùm Chronographus Hildensheimensis qui ad annum MCXXXVII Chronicon suum absolvit, referat eum *II Nonas mensis Decemb.* id est die quarta mensis Decembris è vivis excessisse, quod & Trithemius laudatus habet; ex hoc enim unius diei discrimine intelligimus, *Lotharium* nocte inter III & II Nonas Decembris media vivere desiisse. Et sine dubio Dodechinus Abbas *III Nonas Decemb.* scripserat, sed Librarii per oscitantiam Nonas in Kalendas verterunt, cujus erroris non desunt exempla. *Erat*, inquit Urspergensis de Lothario loquens, *strenuus belli ductor, præcipuus in armis, providus in consilio, terribilis inimicis Dei & sanctæ Ecclesiæ, qui quandiu vixit totum Romanum imperium titubare non potuit.* Porrò non tantùm Chronographus Hildensheimensis, cujus Opus trium esse Auctorum suprà indicavimus; sed etiam Anselmus Gemblacensis Chronica sua usque ad annum MCXXXVII perduxêre, sed hic præsentem annum excludit, & Monachus anonymus ferè æqualis, qui Opus ejus continuavit, à morte Lotharii incipiens ait: *Rex Lotharius anno uno & dimidio in Italia commoratus est cum expeditione militari.*

VIII. *Nefanda patrata ab exercitu Davidis Scotiæ Regis.* Ad num. XV. Meminit Baronius Concilii Londonensis; sed quia quæ illud præcessêre, connexionem cum eo habent, suntque necessaria sunt, hîc quanta poterimus brevitate ex Ricardo Priore Hagustaldensi in Hist. de Gest. Reg. Stephani non necessariis resectis ea narrabimus. David Scotiæ Rex ad Northymbriam devastandam cum toto suo exercitu properavit. *Igitur ille detestandus exercitus omni Paganorum genere atrocior, nec Deo, nec hominibus reverentiam deferens, totâ Provinciâ deprædatâ, utriusque sexus cujusque ætatis & conditionis homines passim trucidavit, villas, Ecclesias, domos destruxit, spoliavit, accendit. Namque languentes in grabatis, ac mulieres prægnantes & parturientes, & in cunis infantes, & alios innocentes inter ubera & in sinibus matrum suarum cum ipsis matribus, & decrepitos senes, & defectas anus, & ceteros qualibet occasione debiles, ubicumque inveniebant, in ore gladii trucidaverunt, vel lanceis suis confixerunt. Et quanto miserabiliore mortis genere illos disperdere poterant, tanto plus gratulabantur*, &c. *Conducitus autem erat iste nefandus exercitus de Normannis, Germanis, Anglis, de Northymbranis & Cumbris, de Teswetadala, & Lodonea, de Pictis, qui vulgò Galleweienses dicuntur, & Scotis, nec erat qui eorum numerum sciret. Infinitis enim absque omni mandato aut deprædandi amore, aut occasione ulciscendi, aut sola voluntate nocendi, qualibet regio illa abundabat, se supradictis commiscuerunt. Igitur per Provinciam discurrentes, & nemini parcentes, exceptis oppidis & maritima regione, quæ in Orientali parte est, ferè totam Northymbriam usque ad Tinam fluvium hac vice ferro & flamma vastaverunt. Illam autem in reditu suo destruere proposuerant.*

IX. *Prælium ad Standardum habitum.* Ventum tandem ad prælium decretorium, cui *Stephanus* Angliæ, & *David* Scotiæ Reges interfuêre. Vocatur bellum istud *bellum Standardi*, quia Angli in medio cujusdam machinæ, unius navis malum erexerunt, quod *Standard* appellaverunt, in cujus summitate quamdam argenteam pixidem cum Corpore Christi & SS. Petri Apostoli, & Joannis Beverlacensis, & Wilfridi vexilla suspenderunt, *ut Jesus Christus per præsentiam sui Corporis eis dux belli esset, quod pro ejus Ecclesia ac sua patria defendenda susceperant. Igitur in Octavis Assumptionis Sanctæ Mariæ XI Kal. Septemb. feriâ II inter primam & tertiam hujus prælii conflictus initus & finitus est. Nam statim in primo congressu innumeris Pictis interfectis ceteri projectis armis turpem fugam inierunt. Campus cadaveribus repletus, quam plurimi capiuntur, Rex & alii omnes terga dederunt. Denique de exercitu, omnes aut cæsi sunt, aut capti, aut sicut oves perculso Pasto-*

re

re dispersi. Mirumque in modum quasi sensu alienati non minus in circumjacentes regiones hostium suorum à patria sua elongando, quàm adversus patriam suam revertendo fugerunt. Sed ubicumque sunt reperti, tanquam oves occisionis sunt interfecti. Justoque Dei judicio, qui multos miserabiliter interemerant, ac insepultos reliquerant, ipsi multò miserabilius trucidati, nec patrio, nec peregrino more sepulchri usi, canibus, avibus, ac feris expositi, aut lacerati & discerpti sunt, aut sub divo contabuerunt & computruerunt.

X. *In eo Scoti internecione deleti.*

Rex quoque, qui paulò ante præ nimia mentis elatione & exercitus sui numerositate cœli sydera vertice tangere videbatur, & ideo vel totam, vel maximam partem Angliæ in exterminium ducere minabatur, mox inglorius, ac paucis comitatus cum summa confusione & ignominia vix vivus evasit. Itaque divinæ ultionis virtus in hoc quoque manifestissimè claruit, quod victorum exercitus inæstimabiliter major erat, quàm vincentium. Nec interfectorum numerus ab aliquo æstimari potest. Nam, sicut plures testantur, de illo exercitu, qui de sola Scotia exiit, plus quam decem millia defuisse à reversis recensiti sunt. Nam per diversa loca Deirorum, Berniciorum, Northanymbrorum, Cumbrorum, & aliarum provinciarum post bellum multò plures sunt interempti, quàm in bello sunt interfecti. At Anglorum exercitus paucis de suis amissis, Deo auxiliante, victoria expeditè potitus, sumtâ prædâ, quæ satis copiosa ibi reperta est, brevi fere totus dissolvitur, & unusquisque ad propria revertens, vexilla quæ acceperant, cum gaudio & gratiarum actione Ecclesiis Sanctorum reconsignant. Quippe cum cultioribus vestibus, & omnibus divitiis suis ad hoc bellum quasi ad Regales nuptias processerant. De memorabili hoc prælio Historici ferè omnes Angliæ mentionem fecerunt, Malmesburiensis, Huntindoniensis, aliique; & Ethelredus Abbas Rievallensis peculiari libello à Seldeno in decem Scriptoribus Historiæ Anglicanæ publicato, descripsit bellum *inter Regem Scotiæ & Barones Angliæ apud Standardum juxta Alvertinam* gestum. De Standardo legendum Glossarium Ducangii.

XI. *Albericus Cardinalis Ostiensis Legatione Angliæ & Scotiæ.*

Circa idem tempus quidam Albericus Ostiensis Episcopus in illas partes venit, quem Innocentius Romanæ Sedis Apostolicus, ut Legationis officio in Anglia & Scotia fungeretur, miserat. Erat autem vir iste natione Gallicus, professione Monachus, observatione Cluniacus, divina ac seculari Eruditione perspicuus, in Ecclesiasticis negotiis optimè exercitatus, facundia præclarus, consilio providus, eo quod his omnibus majus est in habitu & vultu, denique in omni conversatione & actione sua magnæ mansuetudinis ac religionis documentum præferebat, &c. Iste igitur in Angliam veniens, de statu Sanctæ Romanæ matris Ecclesiæ omnibus ejus fidelibus filiis magnum gaudium attulit. Namque Dominus Papa supra nominatus universis Catholicæ Ecclesiæ filiis chartam suam per illum direxit. In hac autem referebat, quomodo dum navis Sancti Petri diutissimè ac gravissimè fluctibus inimicorum occupata & operta præcipitaretur, atque scopulis Schismaticorum conquassata ac dilacerata pessumdaretur, de salutis suæ reparatione jam penè desperare cogebatur, quia ineffabilis desolatio atque detestabilis abominatio quæ à primogenito Satanæ, scilicet Petro Leone, & ejus fautoribus, miserabiliter afflicta est, VIII annis continuis duravit, &c. Porro omnium inimicorum suorum superbiam & gloriam in conculcationem & ignominiam convertit, & omnium sibi adversantium colla suæ potestatis Imperio subjecit, &c.

XII. *Apud Londonium Concilium convocat.*

Exceptis autem his literis alias literas Regibus Angliæ & Scotiæ, & Turstino Archiepiscopo Eboracensi (quippe tunc temporis Cantuariensis Metropolis proprio Pastore carebat) *& Episcopis atque Abbatibus, ac prælatis sanctæ Ecclesiæ utriusque Regni, à prædicto Papa directas, de auctoritate suæ Legationis attulit. Igitur ab his omnibus honorifice susceptus est, &c. Deinde per Northymbriam, & Cumberland IV dies ante festum Sancti Michaelis ad Castel pervenit, ibique Regem Scotiæ cum Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Baronibus suæ terræ reperit. Illi verò diu à Cisalpina, imò ferè ab universa Ecclesia discordantes exosa memoria Petroleoni, & apostasia ejus nimium favisse videbantur. Tunc vero divina gratia inspirati, mandata Innocentii Papæ, & Legatum ejus omnes unanimiter cum magna veneratione susceperunt, &c. Convenit quoque Regem de reformanda pace inter eum & Regem Angliæ, & hujus rei gratiâ ad pedes ejus cecidit, scilicet ut sanctæ Ecclesiæ, & sui ipsius & suorum misereretur, quibus tot & tanta mala fecerat. Sed vix inducias impetravit, quod nullum exercitum, & nullum malum, excepta obsidione quæ circa Carrum erat, ante festum sancti Martini in terram Regis Angliæ induceret, &c. Supranominatus verò Legatus, ut prædictum est, per Episcopatus ac Monasteria ad Curiam Regis Angliæ reversus quemdam alium Legatum, qui nuperrimè à domno Papa Innocentio venerat, ibidem reperit. Igitur Turstinum Eboracensem Archiep. & omnes Episcopos atque Abbates, ac Priores Canonicorum per totam Angliam summoneri fecerunt, ut ad festum S. Nicolai in civitate Lundonia ad generale Concilium convenirent.*

XIII. *Illud Idibus Decemb. celebratum.*

Gervasius tamen in Chron. pag. 1344. ubi de eadem Alberici Card. Legatione, & de eodem Concilio Londoniensi verba facit, in aliquibus à Ricardo discrepat. Ait enim: *Lectis literis coram Rege, & Primoribus Angliæ, licet non imprimis, vix tandem pro reverentia Domini Papæ susceptus est. Doluit enim Rex fratrem suum Wintoniensem Episcopum* (Henricum appellatum) *Legatione posita privari, qua vacante Sede Cantuariensi admodum gloriabatur.* Recitat postea literas citatorias de eligendo Cantuariensi Archiepiscopo missas, atque se Episcopos & Abbates convocasse ad colloquium, *quod Lundoniæ habere disposuerat apud Westmonasterium Dominica Adventûs Domini, quâ cantabitur, Gaudete in Domino.* Præcipit etiam, ut V aut VI feriâ ante prædictum terminum Lundoniam veniant. Tum ait, *Idibus Decembr.* celebratam esse Synodum *apud Westmonasterium*, præside Alberico Ostiensi Episcopo, & Innocentii II in Angliam & Scotiam Legato, cum Episcopis numero XVII, Abbatibus ferè XXX, & Cleri & populi multitudine numerosa. Deinde exhibet capitula XVI in hoc Concilio statuta, scribitque, soluto Concilio Jeremiam Priorem Cantuariensis Ecclesiæ elegisse *Theodbaldum* Abbatem Beccensem ad regimen Cantuariensis Ecclesiæ *proximo Sabbato ante Natale.* His addit Ricardus laudatus Albericum Legatum invitasse omnes Episcopos & Abbates plurimos Angliæ *ad generale Concilium*, quod Innocentius

SÆC. XII. An. C. 1138.

tius II *ad medium Quadragesimæ Romæ celebraturus erat. Dum autem hæc agerentur, de pace reformanda inter duos Reges sæpissimè ac diligentissimè cum pluribus, & maximè cum Regina Angliæ tractavit*, quam anno sequenti ad exitum perduxit, ut ibidem narrabimus. Hujus Concilii Canones legendi Tom. X Concil. ubi numerantur XVII, quia unus ibidem in duos dispertitus fuit.

XIV. *Expeditio Alphonsi, Castellæ Regis in Mauros.*

Erâ MCLXXVI (Christi nempe MCXXXVIII) *mense Maio*, ut dicitur in Historia Toletana apud Sandovalium fol. 164. & seq. Alphonsus Imperator cum ingenti exercitu Toleto digressus est, & hostiles agros usque ad Betim fluvium devastavit. Christianorum pars inconsulto Imperatore fluvium trajecit, & in Maurorum ditiones penetravit, omnia prædando & depopulando. Sed tantus imber depluit, ut fluvius accreverit, & amplius vadosus non fuerit. Quare cùm milites Christiani ad suos redire non possent, Mauri, qui magno numero unum in locum coierant, hos temerarios internecione delevêre, ipso Alphonso Imperatore vidente, qui cum eis auxilium ferre nequiret, Toletum mœstus secessit.

XV. *Donatio Alphonsi Lusitaniæ Comitis.*

Hoc anno Alphonsus Infans, *nepos Alphonsi Imperatoris Hispaniarum, filius Consulis* (idest, Comitis) *Domini Henrici & Reginæ Tharasiæ, Princeps Provinciæ Portugalliæ* (non verò Rex) Chartam emisit in gratiam Episcopi Petri de Rabaldi & successorum ejus, recitatam à Roderico de Cunha Episcopo Portuensi, & deinde Archiepiscopo Bracarensi, in Catalogo Episcoporum Portuensium anno MDCXXIII linguâ Lusitanicâ impresso apud Portum. Ait Rodericus eam confirmatam à *Monio Episcopo Salmanticensi*; sed non dubito, quin Chartam malè legerit, cùm eo tempore nihil Salmanticæ cum Lusitania commune esset, & Ecclesia Salmanticensis pacificè regeretur à *Berengario* Imperatoris Alphonsi Cancellario, anno MCXXXVII ordinato, postquam Innocentius II *Petrum* Episcopum tanquam parùm idoneum deposuit, & Epistola CCXXII Divi Bernardi in ejus gratiam ad Innocentium II scripta ei inutilis fuit. In Charta itaque Portuensi *Munionis* Lamacensis Episcopi nomen scriptum fuit, *Lameca* enim, & *Portus* parum inter se distant.

Anno Eræ Hispan. MCLXXVII. Anno Hegiræ DXXXIV inchoato die 28. Aug. fer. 2.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6632.

☉ 28. A. ☽ 19. P. 23. April. Indict. 2.

JESU CHRISTI 1139.

INNOCENTII II PAPÆ 10.

CONRADI III REG. 2.

JOANNIS COMNENI IMP. 22.

I. *Conradus anno superiori Rex Rom. electus.*

ANum. I ad IV. *Conradus* Henrici Imp. hujus nominis V nepos ex Agnere sorore, qui Imperante Lothario se se Imperatorem dixerat, ut suo loco vidimus, non hoc anno, ut habet Baronius, sed superiori Romanorum Rex renunciatus est, ut Otto Frisingensis, cujus verba recitat Baronius, declarat; ait enim: *Anno ab Incarnat. Dom. MCXXXVIII (defuncto sine filiis Imperatore Lothario) Conventus generalis Principum Moguntiæ in proxima Pentecoste indicitur.* Tum ait, *circa mediam Quadragesimam Confluentiæ* à quibusdam Principibus, præsidente Theduino Cardinali ac S. Sedis Legato, Conradum electum fuisse Romanorum Regem. Idem habet Trithemius in Chron. Hirsaug. & longè ante eum Dodechinus in Chron. qui ad annum MCXXXVIII ait: *Conventus Principum apud Confluentiam urbem factus est in cathedra Sancti Petri, ubi Conradum Henrici Imp. ex sorore nepotem Regem constituunt. Qui deinde media Quadragesima, Dominico die, à Dietwino* (legendum, Theduino) *Cardinale Aquisgrani civitate constitutus est*, sed legendum, *coronatus est*. Porro, ut statim ostendo, Dodechinus Abbas in die Conventus habiti errat. Baronius citata Ottonis Frisingensis verba legens, existimavit, eum asserere *Lotharium* anno MCXXXVIII fato functum esse; cùm tamen annum MCXXXVIII, non ad Lothari mortem, sed ad Conventum Moguntinum Otto referat, supponatque Lotharium sub finem anni MCXXXVII è vivis abiisse, & ejus hac de re verba inter duas parentheses, ut à nobis factum, includenda sint.

II. *Refellitur opinio contraria.*

Posset objici locus Orderici lib. 13. pag. 915. qui ait, Anacleto mense Januario anno MCXXXVIII demortuo, *sequenti mense famam personuisse, quòd Rogerius Apuliæ Dux defunctus esset, quem præfatus schismaticus* (scilicet Anacletus) *Regem consecraverat, dataque sorore sua sibi ad perturbandum Ecclesiæ jus asciverat. Porrò Lotharius Imp. ut Rogerii occasum audivit, in Apuliam festinavit.* At Ordericus dupliciter errat. Primò cùm vult *Lotharium* mortuo Anacleto in Apuliam ingressum esse; certum enim est, id ante hujus Papæ mortem accidisse. Secundò, cùm asserit, rumorem de morte Rogerii Regis mense Februario anni MCXXXVIII sparsum esse; cùm jam anno MCXXXV id contigisse demonstraverimus. Quare Ordericus, dum de rebus sua ætate gestis verba facit, cum magna cautela legendus.

III. *Conradus in Cathedra S. Petri anno superiori Rex electus.*

Conradum anno superiori, non verò præsenti Romanorum Regem electum esse, ideoque & *Lotharium* anno MCXXXVII donatum, varia Conradi Diplomata certum indubitatumq; reddunt; in illis enim primus Conradi Regni annus non à præsenti, sed ab antecedenti deducitur. Contentus hîc ero duo memorare. Unum quod extat lib. 2. Hist. Metropolis Remensis cap. 44. cui subscribit: *Theduinus sanctæ Rufinæ Cardin. & Apostolicæ Sedis Legatus.* Tum legitur: *Signum Domini Conradi invictissimi Regis Arnulphus Cancellarius vice summi Cancellarii Moguntini scrips. & subscrip. Coloniæ III Idus Aprilis anno MCXXXVIII.* Ex eo enim necessario sequitur, exeunte anno MCXXXVII vivere desiisse, & *Conradum* anno MCXXXVIII Regem Romanorum electum fuisse. Alterum Diploma profert Trithemius in Chron. Hirsaug. datum ab Embricone Herbipolensi Episcopo, in cujus fine legitur: *Acta sunt hæc anno Incarnat. Dom. MCXXXIX, indict. secunda regnante Conrado anno primo regni ejus. Data Wirseburg. per manum Gebhardi IV Kalend. Martii*, idest die XXVI mensis Februarii. Quibus ex verbis duo eruo. Primùm, *Conradum* anno superiori Re-

gem

SÆC. XII. An. C. 1139.

gem renunciatum esse; cùm hoc anno ante Quadragesimam die VIII Martii inchoatam jam regnaret, & juxta Ottonem Frisinginsem *circa mediam Quadragesimam* Rex dictus fuerit. Secundùm, errasse Dodechinum Abbatem, quando scripsit, eum *in Cathedra Sancti Petri*, seu die XXII Februarii anni MCXXXVIII electum, quia hoc anno die XXVI ejusdem mensis annum primum Regni sui adhuc numerabat. Ceterùm *Conradus* in Diplomatis modo dicitur *Conradus III*, modò verò *Conradus II*, quia tertius hujus nominis fuit inter Reges Germaniæ & secundus inter Reges Romanorum; quo pacto etiam *Henricus* aliquando quartus, & aliquando quintus appellatus reperitur.

IV. *Concilium Lateranense II. Oecumenicum.*

A num. IV ad X. Celebratum hoc anno *Concilium Lateranense II*, quod inter Oecumenica decimum numerarunt, cui mille circiter Patres interfuere, ut Otto Frisingensis à Baronio laudatus, & Abbas Urspergensis testantur. De anno inter omnes convenit; diem verò notavit Falco in Chron. Benevent. qui ait, illud habitum *octavo die intrante mensis Aprilis*. Sed ex Ottone Frisingensi, Urspergensi Abbate, & Orderico elicio, loco, *octavo die*, legendum esse, secundo die. Scriptores enim laudati tradunt, illud habitum *proxima media Quadragesima*, ut Otto, vel *mediante quadragesima*, ut Urspergensis, vel in *medio Quadragesima*, ut Ordericus; dies verò octavus Aprilis incidit hoc anno in Sabbatum ante Dominicam de Passione, & Concilium de more feriâ secundâ inchoatum die præcedenti, nempe secunda Aprilis, præviis ad Deum precibus destinato. Verba Orderici infrà recitabo.

V. *Pauci Episcopi & Abbates Angliæ Concilio interfuere.*

Ricardus Prior Hagustaldensis in Hist. de Gestis Regis Stephani, postquam de Legatione Alberici Ostiensis Episcopi anno superiori ab Innocentio in Angliam missi, locutus est, de Concilio Lateranensi hæc habet: *Anno MCXXXIX perfectis negotiis suis in Anglia sæpe dictus Legatus, mox post octabas Epiphaniæ cum suis ad mare reversus transfretavit. Nam ad prædictum Concilium Domini Papæ tempore congruo pervenire properavit. Theobaldus quoque Cantuariensis Archiepiscopus, & Earnulphus Roffensis, & Simon Wigerniensis, Rogerus Coventrensis, Robertus Excestruensis. Isti quinque Episcopi, & cum illis quatuor Abbates, pro omnibus Episcopis & Abbatibus Angliæ ad idem Concilium iverunt. Namque Rex Stephanus propter turbationem regni sui, quæ gravis tunc imminebat, plures illuc mittere noluit. Præterea bonæ memoriæ Turstinus Eboracensis Archiepiscopus, & propter Concilium, & propter quædam alia privata negotia, quæ per illum facere disponebat, Ricardum Abbatem de Fontibus eximiæ virtutis virum, de quo superiùs mentionem fecimus, illuc direxit. Namque sicut vulgò dicebatur, de sede sua se ipsum deponere, & germanum fratrem suum Andoenum nomine Ebroicensem Episcopum pro se Archiepiscopum Eboraci substituere cogitaverat. Sed interim dum hæc parabantur, & nuncius ejus infectis negotiis Romæ defunctus est, & frater ipsius sumto ante mortem suam religioso habitu Canonicorum apud Meretum de hac vita migravit. Verùm Cantuariensis Archiepiscopus cum suo Pallio, & prædicti Episcopi & Abbates, finito Concilio & confectis negotiis suis, sani & incolumes redierunt.*

VI. *Laudatur*

Jam autem *Ricardus ad annum* MCXXXVII Albericum Legatum in Angliam proficiscentem, Abbatem Molesmimi cœnobii cum pluribus Monachis, & *Ricardum* Monasterii ad Fontes Abbatem, *magnæ religionis & auctoritatis virum* secum duxisse scripserat.

SÆC. XII. An. C. 1139. *Ricardus Abbas Fontanen[s]is qui Concilio interfuit.*

Agit de monasterio *ad Fontes*, & de Ricardo primo ejus Abbate Manricus in Annal. Cisterc. ad annum MCXXXII cap. VIII, sed quia ejus tempore Seldenus nondum in lucem emiserat decem Historicos Anglicos, inter quos Ricardus Prior Hagustaldensis comprehenditur, mox narrata scire non potuit. Monasterium illud in agro Eboracensi situm erat, & *Ricardus* cum quibusdam aliis Eboracensibus Monachis studio majoris perfectionis ad Cisterciense institutum commigrarat anno MCXXXII. Divus Bernardus Epistolâ XCV ad *Turstinum* Archiep. Eboracensem eo anno data charitatem & beneficentiam ejus erga præfatos Religiosos laudat, & in Epistola XCVI eodem tempore *ad Richardum Fontanensem Abbatem, & socios ejus, qui de alio Ordine ad Cisterciensem transierant*, scripta laudat eos ob renovationem religiosæ disciplinæ, & denique Tom. I Monastici Anglic. pag. 733. & seqq. horum Monachorum fervor ex coætaneo Auctore describitur, & summoperè laudatur. Quæ obiter dicta sunto.

VII. *Ordinationes ab Anacleto factæ rescinduntur.*

In Concilio Lateranensi quatuor præcipuè agitata. Primum, Acta Petri Leonis rescissa sunt, & ordinationes ejus annullatæ Canone XXX, cujus hæc sunt verba: *Adhæc, Ordinationes factas à Petro Leonis, & aliis schismaticis & hæreticis, evacuamus, & irritas esse censemus.* Qui Canon quomodo intelligendus sit, docet Chronographus Mauriniacensis pag. 383. & seq. qui postquam recitavit Orationem ab Innocentio II in Synodo Oecumenica habitam subdit: *His & hujusmodi assertionibus Dominus Apostolicus ceteris Prælatis divini sermonis favos impertiens, omnibus propatula ratione ostendit, quod Petrus Leonis non aliorum assensatione, imò rapina se Apostoli Petri Vicario fecisset æqualem. Cunctisque religiosis viris, quibus illud detestabile schisma displicuerat, verbis ejus cum magna laude unanimiter adclamantibus respondit:* "Unde quia inordinatæ personæ inordinata sunt decreta, quodcumque ille statuerat, destruimus, quoscunque exaltaverat, degradamus, & quotquot consecraverat, exordinamus & deponimus. Et quicumque per *Girardum* Engolismensem ad altaris officium accesserunt, Apostolica auctoritate interdicimus, ne ipsum impleant, & in illo Ordinis gradu perenniter demorantes ad superiorem non ascendant. *His dictis, singulos, quos reos cognoverat, propriis nominibus exprimens, eisque cum indignatione & jurgio exprobrans, Pastorales baculos de manibus violenter arripuit, & Pontificalia Pallia, in quibus summa dignitas consistit, de humeris verecundesè abstraxit. Ipsos quoque annulos, in quibus ad ipsos pertinens Ecclesiæ desponsatio exprimitur, sine respectu misericordiæ abstulit.*

VIII. *Rogerius Rex excommunicatur.*

Secundò, in hoc Concilio Lateranensi *vinculis excommunicationis alligavit Rogerium prædictus Apostolicus Innocentius in præsentia omnium Catholicorum virorum, qui convenerunt, & omnes ejus sequaces*, ut inquit Falco in Chron.

IX. *Arnaldus & Sectatores damnantur.*

Tertio, *Petrus de Bruis*, & *Arnaldus de Brixia* discipulus ejus, qui errores ipsius instauravit & propa-

propagavit, damnati sunt Canone Concilii Lateranensis XXIII: *Eos, qui religiositatis speciem simulantes, Domini Corporis & Sanguinis sacramentum, Baptisma puerorum, Sacerdotium, & ceteros Ecclesiasticos ordines, & legitima damnant fœdera nuptiarum, tanquam Hæreticos ab Ecclesia Dei pellimus, & damnamus, & per Potestates exteras coerceri præcipimus. Defensores quoque ipsorum ejusdem damnationis vinculo innodamus.*

X. *Damnantur ei Petrobusiani.* Portò cùm Canon iste Lateranensis XXIII idem sit cum tertio Concilii Tolosani anno MCXIX præside Callisto II coacti adversus *Petrobusianos*, apparet eosdem iterum in Concilio Oecumenico Lateranensi II proscriptos fuisse cum Arnaldistis. Baronius anno MCXXVI num. XIII & seq. refert capita hæreticon *Petrobusianorum* à Petro Venerabili notata, & hujus hæresis originem ad eum Christi annum refert, verùm cùm Concilium Tolosanum septennio antea celebratum fuerit, & errores quos memorat Petrus Venerabilis, & Petrobusianis tribuit, iidem sint cum iis, qui in Concilio Tolosano proscripo fuerant, verosimile est, Petrobusianos in Concilio Tolosano, & postea in Lateranensi II Oecumenico fuisse damnatos.

XI. *Canones XXVIII editi ad disciplinam Ecclesiasticam restituendam.* Quartò, quia diuturni schismatis occasione collapsa erat disciplina Ecclesiastica, & omnium Ordinum mores dissoluti, Synodus hæc Lateranensis Canonibus octo supra viginti his malis mederi curavit; alii enim duo nonnisi hæreticorum & schismaticorum damnationem respiciunt. Inter Canones notabilis est duodecimus, qui est de *treuga & pace*, seu de induciis à bellis privatis, quæ ratione Clericorum omnium, peregrinorum, mercatorum, agricolarum cum bobus aratoriis, dominarum cum sociis suis inermibus, mulierum omnium, rerum ad Clericos, Monachosque pertinentium, & molendinorum omni tempore indulta esset; ratione tamen ceterorum treuga tantum, idest, induciæ aliquot dierum ab omnibus servandæ erant; & excommunicatione mulctabantur pacis & treugæ violatores, & ad resarciendum damnum læso cogebantur. Cùm enim Ecclesia privatorum furorem sistere non posset, quædam veluti repagula & obices ad ea suspendenda posuit: Quo tempore *treuga* hæc primùm in usum vocata, seculo superiori demonstravimus, & ad eam hæc Ivonis Carnotensis Episc. verba in Epist. XC ad Daimbertum Senonensem Archiep. data, referenda. *Treuia Dei non est communi lege sancita, pro communi tamen utilitate hominum, ex placito & pacto civitatis ac patriæ Episcoporum & Ecclesiarum, ut nostis, est auctoritate firmata. Unde judicia violatæ pacis modificari oportet secundùm pacta & definitiones, quas unaquæque Ecclesia consensu Parochianorum instituit, & per scripturam, vel bonorum hominum testimonium memoriæ commendavit.* Bella ista privata à Sancto Ludovico Franciæ Rege vetita fuere; sed cùm revixissent, Philippus IV Franciæ Rex constitutione sua Tolosæ edita in perpetuum ea prohibuit anno millesimo trecentesimo tertio.

XII. *Canones illi observati non fuere.* Ordericus lib. XIII pag. 919. Capitula in hoc Concilio statuta parum profuisse declarat, ais enim: *Innocentius Papa II Romæ in media Quadragesima ingens Concilium tenuit, & multitudine Prælatorum statuta Sanctorum Patrum inviolabiliter teneri præcepit. De multis regionibus exciti ad Synodum convenerant, & hæc de causa brumali tempore periculosum iter inierant; sicque cum multis suarum dispendiis rerum Romana mœnia viderant. Multa illic Papa de priscis codicibus propalavit, insignemque sacrorum Decretorum textum congessit. Sed nimis abundans per universum Orbem nequitia terrigenarum corda contra Ecclesiastica scita obduravit, unde remeantibus ad sua Magistris Apostolica decreta passim per regna divulgata sunt: sed nihil, ut manifestè patet, oppressis & opem desiderantibus profuerunt: quoniam à Principibus & Optimatibus regnorum cum subjectis plebibus parvi pensa sunt.*

XIII. *Duo Sedis Apostolicæ in Gallia Legati.* Celebrato Concilio: *Gaufridus Carnotensis Episcopus, ut suprà dictum est, totius Aquitaniæ Legatus, accepta Domni Papæ præceptione, omnem Galliæ regionem, ipsius quoque Aquitaniæ, studiosè circuiens, omnia Sanctarum Ecclesiarum altaria, quæ vel Girardus ille seditionis auctor & obtentor* (nempe Gerardus Episc. Engolismensis) *vel Gilo Tusculanensis Episcopus, aut eorum complices, chrismalis unctionis benedictione, in illius odiosi schismatis tempore consecraverant, propriis manibus dissipavit, nec relinquens lapidem super lapidem, quæ non destrueret, solo funditus adæquavit. Et ratione dictame, alia eorum loco restaurare curavit*, inquit Chronographus Mauriniacensis. Existimo Guillelmum Auscienscm Archiepiscopum, quem Diploma ab eo datum & à Sammarthanis in Archiep. Auscieosibus relatum docet, treugam ac pacem Domini promulgasse, dum *Sedis Apostolicæ Legatus esset*, hoc circiter anno ea Legatione exornatum fuisse. Ait enim: *Cùm ex officii nostri debito teneamur universis fidelibus cura nostra commissis salubri dispositione providere, nunc præsertim urgente Apostolici mandati auctoritate, ad quem spectat totius populi profectibus invigilare, oportet nos bono pacis ac treugæ Dei subditis nostris propensiorem curam impendere. Inde est quod juxta statuta Generalis Concilii Romæ nuper celebrati, pacem ac treugam Dei in Provincia nostra ex parte Dei, & Domini Papæ, & nostra ab omnibus inconcussè & inviolabiliter præcipimus observari, &c.*

XIV. *Innocentius II à Rogerio Rege captus.* Ad num. X & seqq. Baronius narrata *Rainulphi* Ducis Apuliæ morte, ait ex Falcone in Chron. Innocentium II ea audita egressum esse ab Urbe compositurum ses cum Rogerio, qui cùm nuncios pacis ad eum legasset, eumdem *Rogerium* clam filium misisse, qui Pontificem à tergo invaderet, eumque captum ductum esse ad Rogerium *die decima mensis Julii*. Tum pace facta, *Rex ipse & Dux filius ejus, & Princeps XVII die stante mensis Julii* misericordiam petunt, & Pontifex Regi Rogerio *statim Siciliæ regnum per vexillum donavit*. Ita Baronius ex Falcone, qui ex eodem addis, pacem cum Rege firmatam esse *die in qua B. Jacobi Apostoli festivitas celebratur VIII Kalendis Augusti*. Tum refert Baronius Diploma Pontificis hoc anno *sexto Kalendas Augusti* ab eo emissum, quo titulus Regis eidem Rogerio tribuitur. Denique *prædictus Apostolicus*, inquit Falco, *à Romanis sæpe vocatus, secundo die stante mensis Septembris, Romam repedavit*. Ita apud Baronium num. XIV.

XV. *Id contigit die XXII mensis Julii.* Verùm cùm Cardinalis doctissimus non advertisset, Falconem *mensem stantem* à die, quem numeramus ultimum inchoare, & apud eum *mensem stantem* idem esse ac mensem finientem, ut nos docuit Peregrinius in Notis ad idem Chronicon, & jam suprà variis exemplis confirmavimus,

firmavimus, Chronologiam pervertit. Num. enim X cùm scribere debuisset eum Falcone, *decimo autem die stante mensis Julii Pontifex ipse Innocentius captus est*, absolutè posuit, *decimo die mensis Julii*, ac perinde censuit id contigisse *VI Idus Julii*, seu die X mensis Julii. Verum ut accuratè Peregrinius pag. 182. Castigat. in Falconem, Innocentius captus est à Rogerio *XI Kal. Augusti decem tantum diebus Julii restantibus*, die scilicet vicesima secunda mensis Julii; nam *quarto die*, inquit Anonymus Casinensis, *pace facta confirmavit illi totam terram*, die nempe XXV prædicti mensis, à quo Falco non discrepat, licet Peregrinius die uno ab eo differre credat, idque ex eodem Peregrinio confirmatur, qui subdit apud Falconem hæc verba ita legenda esse: *Rex ipse & Dux filius ejus, & Princeps septimo die stante mensis Julii ante ipsius Apostolici præsentiam veniunt*, non verò, ut Baronius num. XI legit, *decimo septimo die stante mensis Julii*. Si enim die XXV mensis Julii Sancto Jacobo Apostolo sacra ante Pontificem venêre, id contigit *quarta die* post Pontificem captum.

XVI. *Innocentius II Rogerio Siciliæ Rege declarato Romam revertitur.*

Baronius num. XIV quædam à Falcone hoc anno narrata omittit: *Hoc anno*, inquit Falco, *Gregorius Beneventanus Antistes, à Domino Papa Innocentio consecratus* (post expulsum nempe Roscemannum Anacletistam) *Beneventum intravit secundo die intrante mensis Septembris, & Dominus Papa Guidonem Diaconum Cardinalem Rectorem Beneventi ordinavit. Audiens autem populus Romanus Domini Papa Innocentii adventum catervatim obviam exivit, & illum gaudio magno & honore suscepit; deinde eum hortabatur, ut pacem quam cum Rege Rogerio posuerat, consilio eorum confringeret. Apostolicus autem nullo modo petitionibus eorum consentire voluit; dicebat quidem sic domino placuisse, quod per ejus captionem pax hujusmodi facta fuisset. Cùmque, ut suprà dictum est, præfatus Rex civitatem obsedisset Barensem, Innocentius Papa, cùm intra civitatem esset Beneventanam, Episcopum Ostiensem virum valde venerabilem ad civitatem Barensem delegavit, populum civitatis monendo, ut ad Regis fidelitatem colla submittant, & ejus voluntati famulentur. Populus autem Barensis, ut erat superbia animi & elatione suppositus, Episcopum illum, ut civitatem ingrederetur, nullatenus est passus, dictis quoque ejus nullo modo credere pertemavit. Quid multa? Episcopus ille revertens Barensis populi ferociam & elationem domino intimabat Apostolico; inde, ut dictum est, Dominus Papa Romam reversus est.*

XVII. *Rogerius Rex vindictâ de inimicis sumptâ Panormum transfretavit.*

Rex igitur Rogerius populi illius Barensis aspiciens superbiam consilio habito machinas lignorum & turres triginta ferè ordinari præcepit, ut Civitatis muros & munitiones prosternat, quibus peractis prope civitatis murum machinas illas appropinquari virtute multa mandavit, & continuò turres & muri civitatis prostrati frangebantur; Palatia etiam civitatis, quæ prope civitatis murum, intrinsecus erant, fracta ruebant; sicque duorum mensium spatio, Augusti videlicet & Septembris ruinam illam & timorem passi sunt, famis etiam asperitatem & sitis sustinentes. Quare cives civitatem certis conditionibus dedere coacti sunt. Paulò pòst: *His ita gestis, consilio accepto, Rex ipse exercitum dividens Salernum advenit quinto die stante mensis Octobris*, die scilicet vicesima septima ejusdem mensis. Paucis interpositis: *Inimicis suis terras omnes eorum abstulit, & sacramento eos perstrinxit, ut ultra montes festinarent; quod & factum est. Comitem vero Rogerium de Ariano ejus adversarium simul cum uxore sua navigio parato, in partes Siciliæ captivum mandavit; sicque vindictam perficiens super inimicis quinto die intrante mensis Novembris navigio armato Panormum transfretavit.*

XVIII. *Neapolitani se se Rogerio Regi dedunt.*

Narrat Baronius num. XIV ex Falcone cives Neapolitanos Beneventum venisse, *& civitatem Neapolitanam ad fidelitatem Domini Regis tradentes, Ducem filium ejus duxerunt, & ejus fidelitati colla submiserunt*, ex quibus perspicuum fit, falsum esse quod Pyrrhus in Hist. Siciliæ, aliique recentiores Historici rerum Sicularum & Neapolitanarum tradidêre, *Rogerium* scilicet filium suum *Alphonsum* secundo genitum Neapolitanum Ducem constituisse; cùm Falco asserat, Neapolitanos *Ducem* agnovisse, sine dubio Rogerium, non verò Alphonsum, quem Falco *Principem* jam appellarat.

XIX. *Pax inter Reges Angliæ & Scotiæ sancita.*

Ricardus Prior Hagulstaldensis laudatus, postquam retulit Albericum Cardinalem Sanctæ Sedis in Anglia Legatum Romam ad Concilium Lateranense profectum esse, subjungit: Postquam sæpe nominatus Legatus ab Anglia discessit, intercurrentibus nunciis inter duos Reges pax facta est hoc modo. *Stephanus Rex Angliæ, cum omnibus terris suis, quas antea habebat, Henrico filio David Regis Scotiæ Comitatum Northumbriæ*, exceptis duobus oppidis, concessit. *Rex autem Scotiæ, & Henricus filius ejus cum omnibus suis, ex tunc quandiu viverent, Stephano Regi Angliæ per omnia pacifici & fidelissimi existere debebant.* Et hic Ricardus Historiam suam *de bello Standardi* absolvit.

XX. *Adventus Mathildis Imperatricis in Angliam causa magnorum motuum.*

Verùm pax illa inutilis fuit, quia *Mathildis* Imperatrix uxor Comitis Andegavensis, quæ sibi regnum debitum contendebat, hoc ipso anno in Angliam venit cum fratre suo Roberto Comite Glocestriæ, filio notho Henrici Angliæ Regis. *In autumno*, inquit Ordericus lib. XIII pag. 920. *Mathildis Andegavorum Comitissa cum Rodberto de Cadomo fratre suo, & Guidone de Sablolio, aliisque pluribus in Angliam transfretavit, & Arendello suscepta, permissu Regis ad oppida, quæ suæ parti favebant, cum pace perrexit. In hac nimirum permissione magna Regis simplicitas sive socordia notari potest: & ipse à prudentibus, quod suæ salutis, regnique sui securitatis immemor fuerit, lugendus est. Ingens enim nimia malitiæ fomentum facile tunc extinguere potuisset, si calliditatem Sapientum imitatus, lupum ab introitu ovilis statim expulisset: si salvatis ovibus malignantium nequitiam in ipso initio præfocasset, & vires lethiferas in capitibus eorum, qui rapinas & cædes hominum, patriæque depopulationem quærebant, gladio justitiæ more patrum præsecuisset.* Anonymus à Duchesnio editus in Vita Stephani Angliæ Regis in eamdem rem scribit pag. 946. *Concussa protinus Anglia, & eximio pavore tremefacta, modis diversis agitabatur, quia quicumque clanculò vel apertè illi favebant, solito erant atriores, & ad Regem perturbandum accensiores: qui verò Regi obtemperabant, quasi horrendo oppressi tonitruo humiliabantur.*

XXI. *Concilium Wintoniense.*

Parte alia, ut narrat idem Anonymus pag. 943. quidam Episcopi potam & simplicem Christianæ religionis conversationem neglectui habentes, militiæ prorsus & pompæ secularis studium adeo accommodabant, ut quotiens ex condictu Curiæ

interessent,

SÆC. XII. An. C. 1139.

interessent, propter miram, quâ undique stipabantur, militantium secum frequentiam, admirabiles & ipsi cunctis probarentur. Verùm complures, qui Regi arctiùs & privatiùs adhærebant, hanc magnificam Episcoporum gloriam ægrè ferentes, conceptamque malitiæ suæ flammam minimè suffocantes, *multis eos & indignis accusandi vituperiis apud Regem criminabantur*, consulebantque, ut manus in illos injiceret, cogeretque, ut castella, & quæcumque alia erant discordiæ & bellorum materia, sibi dimitterent. *Fuit pòst habitum in Anglia, & firmè statutum Concilium, ut quæcumque in quorumlibet Episcoporum manus belli essent ac tumultus receptacula tanquam propria Regis Regi permitterentur: ubi etiam Rex de temeraria, quam in Episcopos commisit, invasione publicè accusatus, ratione valida, ut putavit, & efficaci, se & suos excusavit. Sed quia ab omni Clero justè & provisum & discretè fuit dijudicatum, nulla ratione in Christos Domini manus posse immittere, Ecclesiastici rigoris duritiam humilitatis subjectione mollivit, habitumque Regalem exutus, gemensque animo, & contritum spiritu, commissi sententiam humiliter suscepit.* Historia hujus Concilii *III Kal. Septemb.* Wintoniæ celebrati recitatur Tom. X Concil. pag. 1014. & seqq. ex Malmesburiensi lib. 2. Hist. Novellæ, diciturque lectum fuisse in Concilio Decretum Innocentii, quo Henrico Wintoniensi Episcopo legationem Anglicam committebat. Is Stephani Regis frater erat, sed fraterna necessitudo eum à vero exorbitare non coegit, inquit Malmesburiensis.

XXII. *Multi viri illustres in Gallia florent.*

Florebat hoc tempore Gallicana Ecclesia, inquit Robertus de Monte in Chron. *per viros religione ac sapientia illustres, Milonem Morinensem Episcopum, humilitatis virtute præcipuum, Alvisum Attrebatensem liberalitate, atque consilio & facundia clarum, Godefridum Lingonensem, Hugonem Antissiodorensem, Josleuum Suessionensem, Gaffridum Carnotensem, Albericum Bituricensem Archiepiscopum, scientia literarum atque consilio & prudentia clarissimum: inter hos etiam alios multos tunc claros scientia viros Bernardus Abbas Clarevallensis, vir opinatissimæ religionis, eminentissimè clarebat.*

XXIII. *Alphonsus Henricus primus Portugalliæ Rex.*

Baronius anno MCLXXIX num. XVI de institutione Regni Portugalliæ in gratiam *Alphonsi Henrici* Ducis sermonem habet, quod ante Alexandrum III Pontifices Romani Regis nomine eum appellare noluerint. Quod quidem verum est; sed Garibayus lib. 34. Compendii Historialis Hispaniæ cap. 11. Faria in Europa Portugallensi Tom. II part. I cap. 3. Mariana lib. 10. cap. 17. Sandovalius, ceterique passim Historici hujus Regni conditum à currenti anno, quo certum est Alphonso à subditis Regis nomen attributum, arcescunt. Præterea *Alphonsus* non tantum à subditis; sed à vicinis etiam Principibus *Regis* nomine cohonestatus fuit, ipseque divus Bernardus, anno MCLIII demortuus, Epistolam CCCVIII *Ad Alphonsum Portugalliæ Regem* dedit. Alphonsus itaque Portugalliæ Dux non minus belli, quam pacis artibus clarus contractis undique ex tota ditione copiis in Maurorum fines populabundus penetravit; Tagoque superato *Ismarem* Maurorum Regem, qui ea loca obtinebat, aggressus est; sed is quàm maximos potest totâ provinciâ delectus habet, quatuor alios Maurorum Regulos in auxilium evocat, & numerosum exercitum conflat. *Alphonsus* videns milites ad pugnam ineundam alacres, eos ad eam instruxit. Vicina planities, cui Utichii nomen, ad pugnam delecta. Altero ante pugnam die, VIII Kalend. Augusti, Divi Jacobi memoriæ sacra milites *Alphonsum* in castris magna lætitiæ significatione Regem proclamarunt; Portugallia enim à quadraginta septem aut circiter annis titulo tantum Comitatus potiebatur. Pugnatur utrimque acriter, pro gloria, pro salute, & pro imperio, sed Mauri magno numero trucidati, plerique capti, & quinque Regulorum signa Mauris erepta, indeque Regum Lusitaniæ insignia in clypeo cæruleo quinque alia scuta minora esse cœperunt. Post celebrem hanc victoriam Lusitaniæ Reges brevi in magnam potentiam crevêre.

SÆC. XII. An. C. 1139.

XXIV. *Ex ea innovatione bella civilia in Hispania exorta.*

Faria laudatus observat, *Alphonsum Henricum* ante hunc annum supremum Principem non fuisse, sed tantum *primum inter pares*, uti Venetiarum Dux, qui solo Principis titulo gaudet, & antea Magnates Comiti Portugalliæ in omnibus pares extitisse; Comes enim hoc eis denegare non potuerat. Addit Faria pactiones tunc inter eum & Proceres transactas ad nos pervenisse. Hæc innovatio Alphonsum Castellæ Regem, Hispaniarum Imperatorem appellatum, summopere perculit, statimque Romam misit, qui Innocentium II sollicitarent, ut Alphonsum & Lusitanos excommunicationis vinculis innodaret. Interim *Alphonsus Henricus*, ut novam suam dignitatem tueretur, cum *Garsia Ramire* Navarræ Rege, qui ab Alphonso Imperatore dissidebat, fœdus iniit, & bella inter Reges Christianos Hispaniæ hujus innovationis occasione incboata, toto anno sequenti continuata sunt. Quibus durantibus Mauri variis in locis Christianos aggressi ex eorum dissensionibus fructum capere conati sunt.

XXV. *Techefinus Almorabitarum Imp. ex Africa in Hispaniam transit.*

Ex annis, quibus in Hispania bella civilia in Christianos arsêre, qui in dubium revocari non possunt, eruitur bella à *Techefino* Almorabitarum Imperatore in Hispaniis gesta ad hunc & sequentem Christi annum pertinere; licet enim in antiqua Historia Toletana, in qua ea narrantur, anni non memorentur, ut docet Sandovalius in Alphonso VII fol. 173. nihilominus cùm in illa dicatur ea contigisse, dum Principes Christiani bellis civilibus occuparentur, ad hanc epocham figendam hæc notitia sufficit; præterquamquod infrà visuri sumus, *Techefinum* ipso initio anni MCXLI, non in Hispaniis, sed in Africa versatum esse. Refert itaque Sandovalius fol. 170. & seq. *Techefinum* Imperatorem ingenti congregato exercitu clanculùm & magna celeritate Toletum versùs, ut illud ex insidiis caperet, properasse. Interea equites mille magnificè instructi cum quibusdam peditibus in urbibus Abulæ & Segoviæ collectis *Cordubam* versùs, hostium consilium ignorantes, progressi sunt, & cùm Maurorum castra detexissent, media nocte in illa, tanta felicitate, irruptionem fecêre, ut directò in *Techefini* Imperatoris tentorium penetrarint. Is tamen evasit, & conscenso equo validè hostes repulit; sed in coxendice ictu lanceæ vulneratus, fugere coactus fuit, ejusque copiæ dissipatæ Cordubam secessit, ubi ejus vulnus feliciter quidem curatum, sed ex eo, quoad vixit, claudicavit. Impedimenta & Maurorum spolia Christianorum præda fuêre.

XXVI. *Variâ fortunâ bellum*

Non multò pòst cives Salmanticenses collectis copiis *Bagoxum* seu *Pacem Augustam* usque progressi

SÆC. XII. An. C. 1139. *adversus Christianos gerit.* progressi agros ejus devastarunt, sed cùm disciplinam militarem non observarent, & duce destituerentur, Techesinus Imperator eos facilè oppressit. Interim Rodericus Fernandes de Castro novus Toleti Præfectus in Mauros excurrit, maximasque prædas fecit. Techesinus, ut illatæ sibi injuriæ pœnas repeteret, magnas copias ex Africa evocavit, & in Toletanas ditiones veniens, locum *Almontium* dictum occupavit; sed Rodericus magno hostium numero minimè territus urbe cum suis egreditur, consertoque prælio hostes in fugam conjicit, & opimis spoliis onustus Toletum regreditur. Ita vetus Historia Toletana.

XXVII *Obitus Boleslai III Poloniæ Ducis.* Obiit hoc anno *Boleslaus* III cognomento *Crevoustus* Poloniæ Dux, qui omnem ferè Principatum suum bella gerendo exegit; post cujus mortem Poloniæ Principatus inter quatuor filios divisus, & bellis civilibus laceratus, de quibus legendus Cromerus lib. VI de Gest. Polonorum. Otto Frisingensis lib. 1. cap. 33. loquens de Concilio Remensi anno MCXLVIII ab Eugenio III celebrato, ait; *Venerunt ad prædictum Concilium cum Bulla Aurea Nuncii juniorum Romanorum Regis Henrici tam de sublimatione sua ad imperium Romano Pontifici significantes, quam de tribus fratribus Poloniæ, qui ejecto quarto & seniore, Ducatum inter se diviserant, ac de Episcopis illius Provinciæ, qui super hoc patri ipsorum juramentum præstiterant, querimoniam facientes.* Quid ea de re Concilium definierit, nullus ex Antiquis posteritati mandavit; nos verò necessatis tantùm intenti, neque de Henrico Rege ante Conradum patrem demortuo, neque de successione horum Poloniæ Ducum imposterum verba faciemus.

Anno Eræ Hisp. MCLXXVIII. Anno Hegiræ DXXXV. inchoato die 17. Aug. Fer. 7.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6633.
☉ 1. GF. ☽ 1. P. 7. April. Indict. 3.
JESU CHRISTI 1140.
INNOCENTII II PAPÆ 11.
CONRADI III REG. 3.
JOANNIS COMNENI IMP. 23.

I. *Arnoldus de Brixia in Germaniam & Galliam fugit.* AD num. I & seq. *Arnoldus* hæreticus anno superiori in Concilio Lateranensi II damnatus cùm omnium Clericorum & Monachorum insidiis appeteretur, Romam Italiamq, deseruit, & in Galliam primùm, dein in Germaniam se contulit, ac aliquandiu apud Episcopum Constantiensem demoratus est. Quod cùm accepisset Sanctus Bernardus statim Epistolam CXCV ad Episcopum Constantiensem dedit, rogavitque, ne apud se aut in sua Diœcesi pestem ejusmodi, jam ex Gallia & Italia pulsam, fugatamque delitescere pateretur: *Execratus quippe*, inquit Bernardus, *à Petro Apostolo adhæseras Petro Abaelardo, cujus omnes errores ab Ecclesia jam deprehensos atque damnatos cum illo etiam & pro illo defendere acriter & pertinaciter conabatur.* Fuerat Arnoldus, seu Arnaldus de Brixia, discipulus Petri Abaelardi in Ruiendi Cœnobio, cujus is Abbas erat. Quæ quidem duorum hominum in fide suspectorum conjunctio & conversatio tam suspecta & odiosa fuit omnibus bonis & verè Catholicis, ut utrumque exterminare conati fuerint. Præcipuus eorum adversarius *Bernardus* egit apud *Innocentium* II, & apud *Guidonem de Castello* Cardinalem S. Sedis in Gallia Legatum, ut suprema in eos supplicia decernerentur. Baronius num. II recitat Epistolam S. Bernardi *ad Guidonem Legatum*, quæ ordine est CXCVI. Innocentius II Bernardi literis acceptis scripsit *Samsoni* Remensi, *Henrico* Senonensi Archiepiscopis, & *Bernardo* Claravallis Abbati, injunxitque, ut Petrum Abaelardum & Arnaldum de Brixia separatim includi facesent, & libros erroris eorum igne comburi. Literæ datæ sunt *Laterani XVII Kalend. Aug.* & referuntur à Baronio num. X.

Verùm id ubi præsensit *Arnoldus* è Gallia clam se subduxit, & in Germaniam ad Episcopum Constantiensem fugit, ut mox diximus. Licet autem Ecclesiasticis præsertim viris odiosus esset *Arnoldus*, non omnibus tamen bonis ejus doctrina improbabatur, quòd carperet Sacerdotum & Prælatorum mores tunc valde dissolutos. Sed, ut mos est hæreticorum cùm reprimuntur, fræna laxavit impudentiæ & mediocritatis atque moderationis terminos transgressus est, ut patet ex iis, quæ Baronius anno superiori num. VIII & seq. in medium adducit. II. *Ecclesiasticorum inimicus.*

A num. III ad XIII. Cùm *Abaelardus*, ejusque sectatores censuram deriderent, quæ in Concilio Suessionensi facta olim fuerat nonnullarum ejus propositionum, ulteriùs progressus est, & plurima effutiisse dicebatur dogmata, Catholicæ fidei parum consona. Cumque clam & palam de *Bernardo* detraheret, suaque dogmata liberiùs spargeret inter conciones & colloquia, rursus sanctum Abbatem adeo irritavit, ut non ante quiescere compulerit, quàm ipse damnatus sit. Abaelardus sophisticis captionibus confidens, petiit ab Henrico Senonensi, ut sibi cum Bernardo publicè congredi liceret, efficitque ut ad definiendas ejusmodi lites *Senonense* Concilium *in Octavis Pentecostes*, ut liquet ex Epistola CCCXXXVII Bernardi ad Innocentium II, celebraretur. Ei interfuit *Henricus* Metropolitanus & Suffraganei, *Samson* Remensis, *Joslenus* Suessionensis, & *Gaufridus* Catalaunensis; *Ludovicus* Rex cum multis Regni Proceribus, Abbates plurimi, & non pauci Magistri scholarum ex Bernardo Epist. CLXXXIX. Baronius in Addendis ad annum MCXL refert literas citatas ab Episcopis ad Innocentium II post Concilium Senonense datas, & inter eos numeratur *Willelmus Catalaunensis*, uti etiam in iisdem literis Tom. X Concil. recitatis. Verùm *Willelmus de Campellis* cognominatus jam ab anno MCXXI è vivis excesserat, & hoc anno *Gaufridus* Ecclesiam Catalaunensem regebat. Qui error inde profluxit, quod Episcoporum nomina sæpe unica littera exprimerentur, & postea Librarii hujusmodi Epistolas describentes nomen integrum ponerent, & sæpe unum in aliud transformarent, quod hîc contigisse oportet; cùm certum sit *Gaufridum* hoc tempore Ecclesiæ Catalaunensi præfuisse, & ejus nomen, non verò *Guillelmi* in eadem Epistola, quæ inter Bernardinas refertur, legatur. III. *Concilium Senonense adversus Abaelardum congregatum.*

Dies dicta est *Abaelardo*, dicta quoque *Bernardo*; at is abnuit adesse, præsertim quod de damnatis erroribus quæstio renovaretur. Quia tamen magna Prælatorum & nobilium virorum multitudo cum Ludovico VII Franciæ Rege concurreret, Bernardus se se præsentem exhibuit, & excerpta ex *Abaelardi* libris capitula proposuit. Sed *Abaelardus* videns se ab amicis, IV. *Abaelardus ad Innocentium II appellat.*

quos

quos advocarat, deseri, Sedem Apostolicam appellavit. Cui appellationi ob sanctæ Sedis reverentiam Episcopi deserentes, errorum ejus quædam capita ad *Innocentium* transmisêre; eorumque censuram obtinuêre, ut refert Baronius tam hîc quàm in Appendice ad hunc annum ex Ottone Frisingensi lib. I. cap. 48. quod tamen exactius enarravit *Gaufridus* Clarevallensis Monachus Abaëlardi olim discipulus lib. 3. Vitæ S. Bernardi cap. 5. ubi inter alia scribit, Synodum damnasse quidem capitula prout jacebant, & ab Auctoris nomine, qui videbatur incertus, abstinuisse: *Ecclesia quæ convenerat*, inquit Goffridus citatus, *dimisit hominem, mulctavit abominationem, à persona abstinens, sed dogmata prava condemnans.* Interim dum hæc agerentur, *Berengarius Pictavensis*, unus ex omnibus Abaëlardi discipulis, ausus est ejus *Apologiam* publicam, facere plenam acrimoniæ adversus S. Bernardum. Quam ob rem reprehensus à multis, quòd tam gravem, sanctumque virum lascivientis styli acumine pupugisset, excusavit se, idque joco potius quàm serio factum affirmavit. *Petrus* verò *Abaelardus*, ut vidit se ab omnibus tanquam hæreticum deseri, Cluniacum se contulit, Apologeticumque, & fidei Confessionem scripsit.

V. *Abaëlardus Cluniacum secedit.*

Eodem tempore *Petrus Venerabilis* Abbas Cluniacensis scripsit ad Innocentium II se *Abaelardum*, ignarum quò se verteret, Cluniaci retinuisse, & de pace egisse inter *Bernardum* & eumdem, atque eò rem adduxisse, ut ambo tandem convenerint, dissidiaque sua pacificè composuerint: ceterum *Petrum* dimissis Scholis perpetuam sibi Sedem elegisse apud Cluniacum, si domino Papæ ita placeret, ne deinceps occasionem ulli daret de sua conquerendi doctrina. *Petri Venerabilis* literas recitat Baronius num. XI; *Berengarius* verò Apologeticum pro Magistro contra Bernardum Clarevallensem, Capitula hæreseon Petro Abaelardo attributarum, Apologiam seu Confessionem ejusdem *Abaelardi*, variasque Epistolas ad eamdem rem facientes refert Bulæus Tom. II Hist. Universit. Parisiensis ad hunc Christi annum. Porrò *Petrum Abaelardum*, præsertim post fidei suæ expositionem, & errorum emendationem, hæreticus immeritò ab aliquibus dicitur, ut ostendit Natalis Alexander in parte III Sec. XI & XII Dissert. VII art. XI; quod enim errores suos emendarit, Petrus Venerabilis in sua Epistola à Baronio memorata, & Otto Frisingensis lib. I. de Gest. Frederici cap. 49. locupleres testes sunt, & ipsemet testis locupletior, qui in suo Apologetico, seu Confessione fidei ait: *Quod si usquam per multiloquium excessi, ut scriptum est.* "In multiloquio, non effugies peccatum, *nunquam importuna defensio me effecit hæreticum, paratus semper ad satisfactionem de malis meis corrigendis, sive delendis, in quo certe proposito usque in finem perseverabo*, &c. Deinde sigillatim Catholica dogmata Capitulis erroneis à se assertis vel sibi objectis contraria profitetur. De pia ejus morte anno MCXLII agemus.

VI. *Epocha Concilii Senonensis.*

Sed redeo ad Concilium Senonense, quod *in Octavis Pentecostes* celebratum fuisse diximus, quodque Henschenius ad diem XX mensis Februarii illustrans Vitam Sancti Eleutherii Episcopi Tornacensis in Belgio pag. 196. ait, non hoc anno, *ut passim alii referunt*, sed sequenti congregatum fuisse, in cujus rei testimonium refert Historiam Revelationis corporis Sancti Eleutherii Henrico Canonico Tornacensi factæ, ab oculato teste scriptam, qui ait se visionem suam scriptam transmisisse Patribus Concilii Senonensis *in Octava Pentecostes* eo anno habiti. In ea enim Historia revelatio illa dicitur contigisse *feriâ secundâ, XI Kal. Maii*, idest, die XXI. mensis Aprilis, qui anno sequenti in feriam secundam incidit. Ita Henschenius. Verùm loco, *XI. Kal. Maii*, legendum *X. Kal. Maii*, qui dies hoc anno cum feria secunda concurrit. Concilium enim Senonense hoc anno coactum fuisse testantur non solum, pseudo-Robertus de Monte in Chron. & Vincentius Bellovacensis, qui seculo sequenti vixit, in Spec. Hist. part. 3. cap. 83. Sed etiam Hugo Autissiodorensis Monachus Præmonstratensis, qui Chronicon suum Roberto Monacho etiam Sancti Mariani Autissiodorensis perperam attributum perduxit ad annum usque MCCIII. Hugoni enim, non Roberto illud attribuendum esse probat ex Codice MS. Chiffletius in Appendice ad Diatribam de Illustri Genere Sancti Bernardi cap. 20. additque postmodum appendicem adjecisse *Robertum* usque ad annum MCCX; inde Anonymum quæ supersunt usque ad finem, & annum MCCXVII. Hæc Hugonis Autissiodorensis verba: *Anno Domini MCXL, Senonis, præsente Rege Ludovico, Episcoporum & Abbatum, & Religiosorum fit Conventus contra Petrum Abailardum. Hic ingenio subtilissimus, mirabilisque Philosophus, qui construxerat Cœnobium in territorio Tricassino in Prato quodam, ubi legere solitus fuerat, in quo Sanctimoniales plurimas Episcopali auctoritate congregavit, quod Paracletum nominavit, quibus Sanctimonialibus Heloissam quondam uxorem suam Religiosam fœminam & literis tam Hebraicis quam Latinis apprimè eruditam præfecit Abbatissam. Quæ vere ipsius amica magnam ei post mortem in assiduis precibus fidem conservavit.* Collectanea hujus Chronici publicavit Nicolaus Camuzatus, sed optandum esset, ut integrum Opus in publicum prodiret.

VII. *In eo examinata visio Henrici Tornacensis Canonici.*

Visio *Henrici* Tornacensis Canonici in Concilio Senonensi examinata fuit, inter alia autem Henricus *palam prædixit, quod Ecclesia Tornacensis infrà non multum tempus proprium esset Episcopum habitura, & pristinam dignitatem receptura*, ut in eadem Historia legitur. Quod revera anno MCXLVI contigisse videbimus; eo enim anno Sedes Episcopalis Tornacensis in pristinum statum restituta fuit.

VIII. *Floret Richardus de Sancto Victore.*

Ad num. XII & seq. *Richardus de S. Victore* natione Scotus Canonicus Regularis Ordinis S. Augustini in Cœnobio S. Victoris Parisiensi, discipulus Hugonis à S. Victore, post hoc tempus claruit. Trithemius in Chron. Hirsaug. ad annum MCLVII ejus mentionem facit, numeratque ejus Opera. Divus Bernardus eum in gravioribus Theologiæ difficultatibus consulere solitus erat, extatque ejus Tractatus de tribus appropriatis personis in Trinitate ad divum Bernardum Scriptus. Extat & alius de Incarnato Verbo *ad divum Bernardum Abbatem Clarevallensem*, aliusque sub hoc titulo: *Declarationes nonnullarum difficultatum Scripturæ ad Bernardum Clarevallensem.* Trithemius laudatus anni ejus emortualis non meminit, quem tamen nobis exhibent San-Marthani in Catalogo Abbatum Sancti Victoris Parisiensis, ubi asserunt eum ejusdem Monasterii Priorem fuisse sub *Guarino Abbate*. & vita functum anno millesimo centesimo septuagesimo

gesimo tertio, sexto Idus Martii. De ejus Operibus jam locuti sumus cùm de *Hugone de Folieto* verba fecimus. De iis legendus etiam Labbeus de Script. Eccles.

IX. *Patria & annus emortualis Hugonis a Sancto Victore.* Quoad *Hugonem de Sancto Victore* Canonicum Regularem Sancti Victoris Parisiensis, virum in divinis Scripturis eruditissimum, & in secolari Philosophia nulli priscorum inferiorem, ut ait Trithemius, nonc tandem certum eum anno millesimo centesimo quadragesimo secundo vitam cum morte commutasse. Verus enim Robertus de Monte, seu Robertus de Torineio, Abbas in monte Sancti Michaelis de Periculo maris, in Tractatu de Immutatione Ordinis Monachorum cap. 5. agens de Parisiensi Monasterio Sancti Victoris, scribit, multos Clericos nobiles in illum locum convenisse: *inter quos*, inquit, *Magister Hugo Lothariensis, & scientia literarum, & humili religione maxime floruit.* In veteri verò Codice MS. Aquicinctensi non tantùm annus ejus emortualis, sed etiam dies disertè exprimuntur: *Anno ab Incarnat. Domini MCXLII obiit Dominus Hugo Canonicus S. Victoris, III Idus Febr. qui ex Iprensi territorio ortus, à puero exulavit, & hæc & plura alia sui ingenii monumenta reliquit.* Hoc testimonium Mabilonius Tom. I Analect. pag. 327. ex citato MS. eruit, indeque rectè deduxit, vulgarem sententiam, quæ hunc virum celeberrimum *Saxonem* facit, falsam esse. Verùm in hoc ei adhærere non possum, quod dicit, Robertum de Monte Lotharii Regnum latè usurpasse, eique territorium Iprense, quod conterminum erat, attribuisse, ut ipsemet postea suam sententiam explicavit in fine Tom. II Analect. Nam *Flandria*, ubi *Aquicinctum*, ad Scarpam fluvium, haud procul ab urbe *Duaco* monasterium sub Regula S. Benedicti conditum, nunquam in Austrasia vel in Lotharingia comprehensa fuit; neque *Patiatus Flandria* Lotharingiam aliquando continuit. *Hugo* itaque dictus *Lothariensis* à Roberto de Monte propter longam in Lotharingia moram, sicuti propter eamdem rationem dicitur *Parisiensis* à Pseudo-Roberto de Monte in Chron. ad annum MCXL, quo mortem ejus collocat. Meibomius in Differt. novæ suæ Collectioni subjuncta contendens antiquam de Hugonis à Sancto Victore patria opinionem retinendam esse, ait, neque Robertum de Monte, neque ullum Antiquum, aut Hugonis de Sancto Victore ætati proximum hujus patriæ mentionem fecisse; sed non viderat Vir doctissimus Chronicon verum & sincerum Roberti de Monte, à Dacherio cum Operibus Guiberti Abbatis de Novigenio in lucem emissum. Neque opinio, quam tuetur, amplius defendi potest, cùm nullum antiquiorem Scriptorem *Theodoro Engelhusio*, qui anno MCCCCXX florebat, Anonymo Aquicinctensi, & vero Roberto de Monte opponat, & alios plures isto Theodoro juniores; licet in Critica non numerus Auctorum, sed pondus & antiquitas eorumdem attendi debeant.

X. *Dissidium inter Innocentium II & Rogerium Regem.* Ad num. XIV. Falco in Chron. ubi annum à primo die mensis Martii exorditur, sub finem anni MCXXXIX ait, *Guidonem* Cardinalem Diaconum *Rectorem Beneventi* constitutum, *usque ad Kalendas Martias* permansisse. *Deinde Apostolicus alium misit Rectorem Joannem nomine consanguineum suum, & Guido ille* (quem superiùs virum *valde discretum & moribus ornatum* appellarat, quique post sub Celestini II nomine Ecclesiam Romanam rexit) *Romam repedavit.* Baronius Falcone laudato ait, Alphonsum Principem Capuanum Rogerii Regis filium suapte sponte ditiones Ecclesiæ invasisse, Rogerio Rege inscio. Verùm hoc Falco non asserit, sed ait: *Prædictus Rex Rogerius Amphusum filium suum Principem Capuanorum magno cum exercitu militum & peditum trans civitatem Piscariam misit, ut provinciam* (hodie Abrutium ulterius appellatam) *suæ subjugaret potestati; qui verò Princeps exercitu illo accepto, sicut Rex pater ejus jusserat, labore multo peregit, & Piscariam transiens castella copiosa ibi contigua, & vicos comprehendit, & spolia illorum prædatus est: & quædam eorum igne consumpsit. Diebus autem non multis interjectis præfatus Rex Rogerium Ducem filium suum mille cum militibus, & peditum manu copiosa in auxilium præfati Principis delegavit. Dux itaque cum Principe fratre suo simul alligati provinciam illam prope Romanos fines adjacentem timore multo ad eorum imperium submiserunt. Unde prædictus Apostolicus Innocentius turbatus consilio accepto Romanorum ad eos per Cardinales direxit, ne aliena invaderent, & Romanis fines non usurparent; qui Apostolico rescribentes responderunt, non aliena petere, sed solummodo terras ad Principatum pertinentes velle redintegrare.*

XI. *Componitur.* *Dum hæc & alia geruntur, nominatus Rex medio mense Julio navigiis paratis Salernum fecit, ut filiorum Ducis & Principis facta, quos, ut suprà dixi, cum exercitibus miserat, insuper cum Domino Apostolico Innocentio alloqui, & simul esse excogitabat. Continuò Rex ille consilio habito Salernum exivit, & ducentis militibus aggregatis, propè civitatem venit Beneventanam, & cum Joanne subdiacono Romanæ Sedis tunc Beneventano Rectore, & aliis Beneventanis de pace & civitatis utilitatibus, & Domini Apostolici fidelitate tenenda, satis abundè locutus est, & inde procedens Capuam ingressus est, ibique diebus non multis commorans de quibusdam suis negotiis tractavit; deinde apud Sanctum Germanum festinavit. Illicò habito consilio Legatos Duci & Principi filiis suis mandavit, ut ad eum reverterentur; audierat enim Rex ipse Apostolicum Innocentium de provincia illius invasione valde turbatum esse, & contristatum. Dux autem & Princeps nunciis acceptis ad patrem eorum reversi sunt.* Fanum Sancti Germani ad Montis Casinensis pedem positum, Rexque ad illud monasterium profectus, ut dissidia, quæ inter se & Monachos versabantur, dirimeret, ut asserit Anonymus Casinensis ad annum MCXXXIX, qui nobis est MCXL: *Idem Rex ad hoc Monasterium venit III Kal. Aprilis* (legendum, *Augusti*, cùm Rex hoc anno nonnisi medio mense Julio Salernum pervenerit) *cui per chartulam Rocca de Bantra traditur pro ponte Curvo, quem dicebat injustè à nobis detineri.*

XII. *Aliud dissidium ex monetarum immutatione ortum.* Baronius summariè refert quæ Falco de monetarum immutatione à Rogerio Rege facta narrat. Is autem ita narrationem suam concludit: *His omnibus ita peractis ipse Salernum properavit, & ibi diebus non multis moratur quarto die intrante mensis Octobris, navigio parato mare ingressus est. Deinde Panormum festinavit, Dux verò filius ejus in Apulia partibus remansit, & Princeps alter ejus filius apud civitatem Capuam mansitavit. Cùmque, ut prædiximus, prædictus Rex Rogerius monetas illas superiùs dictas introduceret, Domino Joanne Subdiacono Sanctæ Roma-*

na

næ sedis, Beneventano Rectori, & civibus Beneventanis delegavit, ut monetas illas infra civitatem suscipiat: quod prædictus Rector audiens mirabiliter contristatur. Aiebat quidem Rector ipse, quoniam sine Domini Papæ licentia monetas illas recipere non posset, præcipuè cum ad totius Italiæ mortem monetarum illarum introductio spectaret. Tandem communicato consilio Rector præfatus prædicto Pontifici Regis Edicta mandavit, ut quid super his negotiis esset agendum, mittere dignaretur. Pontifex itaque Innocentius his auditis ultra quàm credi potest condoluit, & super Regis Rogerii execrandis actibus mirabatur. Confestim Beneventanis mandavit literas suas ita continentes: Facta Regis & monetarum suarum inventiones, & à vobis accepimus, & ab aliis nobis in veritate referentibus; unde mandamus, ut non terreamini, neque jam mentes vestras moveatis, quoniam transitura sunt, & citò possunt emendari. Nos autem circa utilitates vestras quotidie invigilamus. Literis talibus acceptis & lectis gratiarum egimus actiones, & aliquantulum roborati aspiravimus. Et his actis præfatus Pontifex Innocentius ad Regem transmisit Rogerium, significando qualiter totus populus Italiæ & extra, de introductione monetarum istarum doluisset, & quomodo ad famis afflictionem devenisset.

XIII. *Finis Chronicorum Falconis, & Petri Casinensis.*

Hîc desiuit Chronicon. MS. *Falconis* non minus in fine quàm in principio mutilum. Seculo præterito antiquius exemplar linguâ Langobardicâ scriptum, ex quo novum descriptum fuit, tam in fine, quàm in principio uno folio mutilatum erat. Baronius hîc ait, Falconem Chronicon suum ab anno MCXII exorsum esse; verum illum ab anno MCII ejus initium repetere, & priores hujus Chronici annos Baronium non vidisse, jam anno MCXIII num. I observavimus. Imposterum rerum Sicularum & Neapolitanarum tractatio jejunior erit; præsertim cùm *Petrus Diaconus*, qui Historiam Monasterii Casinensis à Leone Marsicano editam continuavit, hoc ipso anno, non verò superiori, ut quidam tradidêre, Continuationem suam absolvat. Nam cap. 139. refert *Rogerium* Regem pacem cum Monachis Casinensibus iniisse, quod ex Falcone & ex Anonymo Casinensi hoc anno contigisse mox narravimus. Præter illud Opus, aliaque quædam, scripsit Petrus librum *de Viris Illustribus cœnobii Casinensis*, qui extat Tom. XX Biblioth. Patrum edit. Lugdun. Annus mortis ejus incompertus.

XIV. *Moritur Turstinus Archiep. Eboracensis.*

Ad num. XV. Baronius in Appendice ad annum MCXL retractat quæ in Annalibus de *Willelmo Electo* Archiepiscopo Eboracensi scripserat, fateturque divum Bernardum, qui in suis literis eum non semel *intrusum* vocavit, falsâ deceptum fuisse insinuatione eorum, quorum existimatio apud se haud dubiæ fidei esset. Cumque hæc controversia usque ad annum MCLIII perdurarit, majoris claritatis gratia eam in suos annos distribuemus. Hoc itaque anno Turstinus Archiep. Eboracensis multis laboribus, senioque confractus, dimisso sponte Archiepiscopatu, Monachum induit, & *Nonas Februarii* in Domino obdormivit, ita non solùm Thomas Stubbs in Actis Pontif. Eboracensium; sed etiam alii Historici Angliæ. Addit Vigorniensis eum plurimorum monasteriorum fundatorem extitisse, & corpus ejus post annos & menses quinque sepulturæ suæ integrum & odoriferum repertum esse.

Quo defuncto (nempe Turstino) *statim fit schisma in Eboracensi Ecclesia de electione Pontificis. Quidam enim elegerunt Willelmum Eboracensis Ecclesiæ Thesaurarium, quem Henricus Wintoniensis Ecclesiæ Episcopus, Romanæ Sedis Legatus consecravit. Ceteri verò Canonicorum elegerunt sibi Archiepiscopum Henricum Murdach, qui prævaluit, & Archiepiscopatum tenuit quamdiu vixit*, inquit Rogerius Hovedenus in Stephano Rege ad hunc Christi annum pag. 485. Baronius hunc locum referens ait, *contra quem legitimè electus fuit Henricus Murdach*; Verùm Hovedenus ait tantùm contra Willelmum electum fuisse Henricum Murdach, nec litem dirimit. Præterea Hovedenus uno tenore refert quæ variis annis contigêre; Henricus enim nonnisi sub Eugenio III prævaluit, ut infrà videbimus. Audiendus Guillelmus Neubrigensis lib. 1. cap. 17. *Venerabili Turstino defuncto, Eboracensis Ecclesiæ Pontificatum suscepit Willelmus, ejusdem Ecclesiæ Thesaurarius, vir planè secundùm carnem nobilis, & morum ingenita lenitate amabilis. Qui cùm ad Sedem Apostolicam Responsales idoneos, pro petendo solemniter Pallio direxisset, emergentibus adversariis, & multa contra eum proponentibus, negatum est.* Willelmus natus erat ex Emma Stephani Angliæ Regis sorore. Henricus verò Murdach præclaris Doctrinæ & pietatis dotibus instructus salutaria monita S. Bernardi secutus, Fontanense Monasterium Ordinis Cisterciensium ingressus, ibi Abbatiam gessit.

XV. *Willelmus & Henricus de Murdach Archiepiscopi Eboracenses Electi.*

XVI. *Innocentius II & Cœlestinus II Willelmo Pallium dare nolu̇ere.*

Joannes Prior Hagustaldensis in Hist. ad annum MCXLIII, qui nobis est MCXLII, scribit: *His diebus Willelmi Electi Eboracensis causa audita est in Consistorio Papæ Innocentii. Affuit & Magister Walterus Londoniensis Archidiaconus, præ manibus scriptas gerens allegationes Abbatum, & Priorum in eum. Tandem datum est præceptum, ut in Dominica III Quadragesimæ sequentis anno super quæstione hac, & qui affuerant tunc, & qui abfuerant illuc concurrerent.* Tum anno MCXLIII Joannes Hagustaldensis scribit: *Secundùm tenorem præcepti Apostolici Willelmus Abbas Rievallis, Ricardus Abbas II de Fontibus*, &c. *convenerunt, cum quibus Walterus Londoniensis Archidiaconus & Willelmus Cantor Eboracensis. Adstitit & Willelmus Electus cum suis coadjutoribus. Adversus quem coram Apostolico processerunt in causam hi qui eum appellaverant. Summa verò querela coram eo hoc nisi videbatur, quod Willelmus Comes Eboracensis in Capitulo Eboracensi præcepit ex ore Regis, ut si Decanus Eboracensis Willelmus juraret, hoc Regis præceptum, ad Capitulum per Comitem nequaquam perlatum, hunc ad consecrationem solemniter posse admitti, si tamen & ipse pro se fidem daret, datione pecuniæ hunc honorem se non appetisse.* Ex Epistola autem Divi Bernardi ad Cœlestinum Papam CCXXXIV, & ex ejus Epistola CCXXXV data ad Cardinales Curiæ discimus, *Willelmum Decanum* jurare noluisse, indeque Sanctus Bernardus infert, Willelmi in Archiepiscopum Eboracensem consecrationem fuisse sacrilegam, eumque *intrusum* appellat.

XVII. *Willelmus usque ad Eugenium III præfuit Ecclesiæ Eborac.*

Loquitur & de isto schismate Serlo Monachus Cisterciensis æqualis in Historia Fontanensis cœnobii Tom. I Monastici Anglic. pag. 733. recitata, & pag. 745. Turstini morte relata habet: *Convenientibus Clericis ad electionem faciendam, pars major numero Willhelmum Thesaurarium in Archiepiscopum elegit, pars verò sanior*

appellatione

appellatione interposita reclamavit, &c. *ipse tamen Willelmus ad tempus obtinuit, amicitiu functus Potentum, fretus Regia potestate, favente Episcopo Wintoniensi Henrico, qui ei manus imposuit, & in Episcopum consecravit, Pallium tamen, procurante adversa parte, impetrare non potuit.* Dein pag. 747. inquit Willelmum Cathedræ præsedisse usque ad Pontificatum Eugenii III. Ex quibus liquet primò erraisseThomam Stubbs in Actis Pontif. Eborac. ubi ait, Willelmum remansisse cum Episcopo Wintoniensi, usque ad obitum Henrici Murdach, seu usque ad Pontificatum Eugenii III, qui Henricum Archiep. Eboracensem declaravit. Secundò, Willelmi causam sopertorem fuisse; cùm primus, & à majori parte Capituli in Archiep. Eboracensem electus fuerit. Bernardum verò falsis declarationibus inimicorum Willelmi deceptum fuisse ostendit Alfordus anno MCXLIII num. VI & seq.

XVIII. *Anglia ob intestina bella in miserum statum redacta.* Malmesburiensis in Hist. Novella lib. 2. pag. 185. quo in statu hoc anno Aoglia fuerit, hoc modo narrat: *Totus annus ille asperitate guerræ inhorruit. Castella erant crebra per totam Angliam, quæque suas partes defendentia, imò, ut verius dicam, depopulantia. Milites castellorum abducebant ab agris & pecora & pecudes, nec Ecclesiis, nec cœmeteriis parcentes. Domibus miserorum ruricolarum usque ad stratum expilatis ipsos vinctos incarcerabant: nec nisi omnibus quacumque habebant, & quacumque quocumque modo acquirere poterant, in redemptionem consumptis dimittebant. Plures in ipsis tormentis, quibus ad se redimendum constringebantur, dulces efflabant animas, quod solum poterant Deo miserias suas applorante*, &c.

XIX. *Irrito conatu de pace actum.* Hæc fusè prosequitur Malmesburiensis, & postea subjungit: *Eodem anno in Pentecoste resedit Rex Lundoniæ in turri, Episcopo tantummodo Sagiensi præsente: ceteri verò vel fastidierunt, vel timuerunt venire. Aliquanto post mediante Legato* (sc. Henrico Episc. Wintoniensi) *colloquium indictum est inter Imperatricem* (Mathildem filiam Henrici Angliæ Regis) & *Regem* (sc. Stephanum), *si fortè Deo inspirante pax reformari posset. Conventum juxta Bathoniam misso ex parte Imperatricis, Roberto fratre, & ceteris suis: ex parte Regis Legato & Archiepiscopo* (nempe Theobaldo Cantuariensi) *simul & Regina* (nempe Mathilde, de qua mox): *sed inaniter, inquam, triverant, & verba, & tempora, infectaque pace discessum. Nec fuit ambarum partium æquum dissidium, dum Imperatrix ad bonum pronior, Ecclesiasticum non se revereri judicium mandasset, & Rex illud quam maximè caveret, consiliis illorum malè credulus, qui nihil minus quam pacem vellent. Dum ei dominari ad utilitates suas valerent. Postremo Septembri Legatus, qui nosset officii sui potissimum interesse, ut pax conveniret, pro ea restituenda laborem itineris transmarini aggressus, in Galliam navigare maturavit. Ibi à Rege Francia* (Ludovico VII), *& Comite Theobaldo* (fratre Stephani Angliæ Regis), *multisque religiosi ordinis personis, magno & sollicito tractatu de pace Angliæ habito, reversus est in fine pene Novembris salubria patriæ mandata referens, si esset, qui verba factis apponeret. Et plane Imperatrix & Comes* (nempe Henricus filius ejus, qui postmodum Rex fuit) *confestim assensere, Rex verò de die in diem producere, postremo in summa frustrari. Tum demum Legatus se intra se continuit, rerum exitum, ut ceteri, speculaturus.*

Mathildis Regina Angliæ anno MCXXXVIII de pace cum *Davide* Scotiæ Rege sancienda *Stephanum* Regem conjugem suum plurimùm orserat, nec per eam stetit, quin ea effectum sortita sit, sed plures Barones, qui belli occasione gravia damna passi erant, *Regis Stephani* animum ab ejus consilio avocarunt, uti refert Ricardus Prior Hagustaldensis in Hist. de Gest. Regis Stephani. Huic piæ Reginæ magna erat cum Sancto Bernardo necessitudo, ut ostendit Epistola CCCXV ejusdem Sancti *ad Mathildem Reginam Anglorum* data, in qua ait, se, dum *Bolonia* esset, gratiam aliquam ab ea petiisse, additque: *Bene servate mihi filium, quem nunc peperistis, quia & ego quoque (si Regi non displicet) in eo mihi vindico portionem.* Mabillonius in Nota ad eam Epistolam, eam *Mathildem* interpretatur filiam Malcolmi III Scotiæ Regis, quam dicit Henrici V Imp. dein Henrici I Angliæ Regis uxorem, additque illam ex eo genuisse Henricum II, *de quo Bernardus in fine Epistolæ, qua ante annum MCXXXV Henrici I mortalem, scripta est.* Verùm animus ejus, quod magnis non raro Viris accidit, quando hæc scripsit, peregrinabatur. Neque enim Henricus II Angliæ Rex filius fuit Henrici I, sed *Godefridi* Andegavensis Comitis, & Mathildis Imperatricis, filiæ; non verò uxoris Henrici I, qui nupserat Mathildi filiæ Malcolmi III, & sorori Mariæ, quæ uxor data fuit ab Henrico I Rege Angliæ Eustachio III. Bononiæ Comiti. Quo ex matrimonio nata unica filia *Mathildis* Boloniæ Comitissa. Hæc verò conjugio copulata fuit cum *Stephano* Moritonii Comite, dein Moritoniæ & Boloniæ, tandemque Rege Angliæ, ut unanimi consensu Scriptores Belgici & Anglici docent. Ad hanc itaque *Mathildem* Sanctus Bernardus scripsit; neque enim Mathildis Imperatrix vivente Henrico I patre *Regina* appellata, multò minus *Godefridus* conjux ejus *Regis* titulo cohonestatus. Quare ea Epistola post annum MCXXXV à Sancto Bernardo data; cùm ultimis diebus illius anni Stephanus Angliæ *Rex* & Mathildis *Regina* appellati fuerint. Alfordus in Annal. anno MCXXXIII num. XX suspicatus fuerat, Mathildem, ad quam est Epistola Divi Bernardi, fuisse Mathildem Imperatricem; verùm postea hoc anno num. III eam opinionem jure merito retractavit, & in viam rediit. Ad Majorem hujus S. Bernardi Epistolæ intelligentiam legendus Gaufridus lib. IV Vitæ ejus cap. 1.

XX. *Laudatur Mathildis Regina Angliæ.*

XXI. *Dedicatio Ecclesiæ S. Dionysii præsente Ludovico Rege facta.* In Gallia anno MCXL *dedicatum est novum opus Ecclesiæ beati Dionysii anteriori parte à Domno Hugone Rotomagensi Archiepiscopo XIX anno administrationis domni Sugerii Abbatis, qui idem opus construxit*, ut legitur in brevi Chronico Sancti Dionysii ab Auctore Anonymo illius Abbatiæ Monacho scripto, & Tom. II Spicilegii Dacheriani recitato, qui rectè, licet subobscurius, tradit anteriorem partem hujus Ecclesiæ duntaxat dedicatam fuisse ab Hugone Archiep. quia dedicatio principalis partis ejusdem Ecclesiæ anno MCXLIV peracta est, ut ibidem videbimus. *Sugerius* Abbas Sancti Dionysii, qui illam Ecclesiam ædificavit, libellum edidit de ejus Consecratione & Translatione corporum Sancti Dionysii ac sociorum ejus tunc facta, aitque se *pridie Idus Julii die Dominica*, hoc scilicet anno, solemnem ordinasse processionem, cui *Ludovicus* VII Franciæ Rex, & multi Episcopi ac Abbates interfuere, & Regem propriis manibus

SÆC. XII. An. C. 1140.

nibus primum lapidem posuisse capitalis Ecclesiæ partis, nonnisi post quadriennium absolutæ. Cùm verò Chronographus asserat, hunc annum esse XIX administrationis Sugerii Abbatis, qui & Administer Ludovici VII Regis erat, manifestè apparet, *Sugerium* anno MCXXII, non verò anno insequenti, Abbatem renunciatum fuisse; neque hoc imposterum in dubium revocandum.

XXII. *Alphonsus VII Castellæ Rex bellum infert Garsiæ Ramiro Navarræ Regi.*

Hoc anno *Alphonsus* VII Castellæ Rex & Hispaniarum Imperator *Garsia Ramiro* Navarræ Regi bellum intulit. Sandovalius in Alphonso VII testatur, se legisse fœdus tunc Imperatorem inter & Raymundum IV Comitem Barcinonensem initum *Carions, erâ MCLXXVIII*, hoc scilicet Christi anno, non verò, ut quidam Historici Hispani scripsêre, erâ MCLXXVI *pridie Idus Junii*. Eo tractatu Imperator cedit *Raimundo* Comiti & Principi Aragonensi Cæsaraugustam, Tarraconam, aliaque vicina oppida, quæ jam in potestate Castellanorum erant, ea conditione ut Raimundus supremum jus ejus agnoscat, eique hominium præstet. Statim Imperator Pampilonem obsidione cinxit, sed *Garsias Ramires*, qui se se in ea non incluserat, ex melioribus suis copiis exercitu congregato irruit in Aragonios, & gloriosam de illis victoriam reportavit in loco inter Gallum & Cortem posito, ut dicitur in antiqua Historia à Sandovalio fol. 169. memorata, idque *Dominica in Albis* hujus anni. Quare cùm prælium hoc die XIV mensis Aprilis habitum fuerit, fœdus ad Carionem sancitum, non *pridie Idus Junii*, sed *pridie Idus Januarii*. Alphonsus Imperator medio mense Maio in Navarram irrumpere proposuerat, & Garsias Ramirus Ludovici VII Galliæ Regis & Aquitaniæ Ducis ac amicorum auxilia expectabat, cùm *Alphonsus Jordanus* Tolosæ Comer ad Sanctum Jacobum devotionis gratiâ proficiscens per Naierensem urbem, ubi Imperator copias suas congregabat, transiens Navarreos & Castellanos ad armorum suspensionem adduxit.

XXIII. *Alphonsus Portugalliæ Rex Regnum suum Rom. Ecclesiæ vectigale reddit.*

Verùm *Alphonsus Imperator* eodem ferè tempore aliam expeditionem adversus Alphonsum, qui se Portugalliæ Regem vocabat, suscepit. Innocentius II Legatum in Hispaniam miserat, qui hunc Principem excommunicatione percelleret, nisi Alphonsum Imperatorem agnosceret, sed Lusitanus maluit excommunicari, quàm *Alphonso Imperatori* subjici. Faria tamen, aliique tradunt promisisse postea Lusitanum Legato se singulis annis marcas duas auri Ecclesiæ Romanæ loco census persoluturum, si Innocentius II eum in dignitate Regia confirmaret: quod cùm pollicitus esset Legatus, Lusitanum Legatos misisse, qui Sancto Bernardo apud Pontificem agente, anno sequenti Regni Portugalliæ investituram ab eo obtinuêre. Postea sub *Lucio II* Alphonsus Lusitaniam Romanæ Ecclesiæ vectigalem annuo censu unciarum auri quatuor constituit, ea conditione ut defensionem ac solatium Apostolicæ Sedis haberet, & nullam potestatem alicujus Ecclesiastici vel secularis Domini, nisi tantùm Apostolicæ Sedis vel ipsius Legatorum, in Regno suo reciperet. *Innocentio II* jam hominium fecerat *Alphonsus*, qui in suis ad Lucium literis se quidem Regem inscribit, sed à Pontifice *Dux* tantum salutatur, ut videre est apud Baluzium lib. II Miscell. pag. 220. & seq. ubi Alphonsi & Lucii II Epistolas in lucem emisit. Rodericus de Cunha in suo Episcoporum Portuensium Catalogo part. 2. cap. 3. Diploma Alphonsi hoc anno datum repræsentat, in quo is se Portugalliæ Regem dicit.

SÆC. XII. An. C. 1140.

XXIV. *Pax inter Alphonsum VII Castellæ & Garsiam Navarræ Regem sancita.*

Interim *Sanctius* Episcopus Calahorræ, *Michael* Episcopus Tarassonensis, & *Prior* Monasterii Sanctæ Mariæ Regalis de Naiara omnem diligentiam adhibebant, ut *Garsiam Ramirum* Navarræ Regem cum Alphonso Imperatore pacificarent. Hi ad limites utriusque Regni venerant, se seque ad decretorium prælium parabant, sed major apparatus terrorque, quàm belli exitus fuit. Pax enim inter utramque gentem ad Iberi ripam, *Calagurrim* inter & *Alfarum* constituta; ad colloquium ventum, cui Berengaria Alphonsi Imp. uxor, tres Præsules memorati, multique Proceres interfuêre. Neque tantum concordia in eo colloquio sancita; sed etiam pactis nuptiis firmata, *Sanctio* Alphonsi natu majore filio & *Blanca* Garsiæ Regis filia matrimonio junctis. Sandovalius laudatus, & Mariana lib. X de Reb. Hisp. cap. 18. fidem faciunt, fœdus illud *mense Octobri* initum, sed Mariana diem XXIV illius mensis, Sandovalius verò diem XXV, & Brizius Abbas diem quintum ejusdem mensis notarunt; quod dierum discrimen Librariis potius, quàm Auctoribus attribuendum.

XXV. *Synodus adversus Chrysomalum à Patriarcha Constantinop. coacta.*

Hoc etiam anno *Constantini Chrysomali* Scripta omnia in judicium vocata, & examinata; cumque continerent multa Enthusiastarum, & Bogomilorum dictis absurdiora, coacta Synodo à *Leone Styoppita* Patriarcha Constantinopolitano proscripta, condemnataque fuêre. Sententiam Synodi Allatius lib. 2. de Eccles. Occident. & Orient. Consensione cap. XI publicavit, quam resectis minus necessariis hîc referemus: *Mense Maio, indictione III, præsidente Sanctissimo nostro Domino & Oecumenico Patriarcha Domino Leone, in dextris cathecumeniis S. Alexii, assidentibus & sanctissimis Præsulibus, Ancyrano, Cyziceno, Amasiensi, Melitinensi, Laodicensi, Cretensi, Antiocheno Pisidiæ, Traianopolitano, Philippensi, Amastriano, Mesembriensi, & Deo amantibus Archiepiscopis Paravisiensi & Gothiensi, nec non adstantibus & illustribus Principibus. Curæ corporum incumbere*, &c. *Propterea nos, cùm multos adscribendum, instituendumque alios, sua sponte, & voluntate ex se se animatos, refrenantes*, &c. *Quorumdam Monachorum adventu, qui in sacro Domini Nicolai monasterio exercentur, edocti, Commentaria quadam Constantini Chrysomali, qui olim obiit, ibidem reperiri; quæ cùm ipsi percurrissent, non parum scandalizatos fuisse propter multas in illis contentas nugas atque ineptias, ut tradebant & jam multis communicari, tanquam omnium utilissima, aptissimaque ad vitam exquisitiorem alios manuducere: rem maxima considerationis esse ratus, ab illis qui ea possederant Commentaria, libris recuperatis; namque, disquisitione facta*, &c. *Quæ in illis continebantur, & privatim considerantes, & coacta Synodo examinantes, non tantum nugarum, ineptiarum, & stultiloquiorum; sed & compertarum hæreseon plena reperimus, & dictis Enthusiastarum & Bogomilorum absurdiora.*

XXVI. *Absurdæ Chrysomali hæreses.*

Ut enim alia prætereamus, quæ præter Ecclesiasticos mores & traditiones ex ventre eructavit, & ex infelici sua mente confinxit, &c. *dicens Satanæ eos cultum præbere, qui cuicumque Principi*

capi

cipi honorem & venerationem exhibent, dum nihilominus dicit, omnem Christianum, in infantia, uti moris est, baptizatum, absque eo quod cathechizatus sit, ut ipse ait, baptizari illum quidem, sed revera Christianum non esse, licet ita vocetur; &, licet virtutes aliquas affecutus sit, eum non aliter ac Paganum & Ethnicum affectum fuisse, nec oportere ipsum percurrere doctrinæ Evangelicæ Sermones, sed prius catechizari & initiari, & transelementari, hoc est, secedere à potestate Satanæ. Item quicumque, licet ita nuncupentur Christiani, non percipiunt suam ex divino Baptismate transelementationem, nec ad Archieraticum gradum pervenerunt, etsi universam divinitus inspiratam Scripturam ex ore recitent, & instruant, cognitione eos inflante gloriantes nullam inde utilitatem cepisse, nisi rursum catechizati, transelementationis participes facti sint, & animorum suorum habituum formationis, per mysticam meditationem, & manuum impositionem, cæterum dispensatorum magni hujus mysterii, & sacrosancta cognitionis gnarorum.

XXVII. *Alia Chrysomali dogmata.* In alio item capite addit, quicumque intellectuali sensu intellectualiter non persentit Deum in eo operantem voluntatem suam per Jesum Christum, incassum laborat: & Christiano nondum catechizato, si pœniteat & confiteatur peccata, quæ post sacrum Baptisma commisit, nihil prodesse vincula & medicamenta auxiliaria, sed requiri doctrinam divinam, & initiationem, & fidem. Rursumque si Christianus Baptismate ablutus, non est ab infirmitate corroboratus, & à propensione in peccatum, & adeat eum, qui antea corroboratus est per fidem, & manuum impositionem dispensatorum divina gratia, quæ ex fide datur, non ex operibus. Præterea veros apud illum Christianos non subjici legi; quemadmodum postquam pervenerunt ad mensuram ætatis Christi, non amplius posse esse sub lege, sed pro viribus, quæ legis sunt, facienda. Item tanquam dogma sancit animas post sanctum Baptismum, habitationis cogitationibus vexatas, non posse ab illis liberari, nisi per Interpolatores fatuè adhortentur, neque in Ecclesiam ingredi, neque canere, neque Christum compellare, neque quidpiam Christianum opus efficere; alibi etiam, neque aliquam virtutem consectari, antequam per bonam illam immutationem immutentur, quod Deus ab eis se avertat, illaque odio prosequatur: namque Dæmonibus similes sunt, qui similia peragunt, affirmantque se per Deum peragere; inconsultè verò, ut ait, illa efficiunt.

XXVIII. *Alia ejus dogmata.* Et, ut pleraque summatim dicamus, in diversis ille capitibus affirmat nullum commodum Christianos percipere, licet omnem virtutem expleverint, & ab improbitate omni declinarint, etiamsi illa per Deum operentur, nisi intellectualem sensum divini Spiritus accipiant, naturaliter & sine dolore in illis bonum efficientis, & immobiles omnino facientis ad malum. Decernit etiam nisi tutelam in sensu acceperint illuminationem qui regenerantur, ut, dum canunt, inconcussam atque immobilem habeant mentem, & percipiant eorum, quæ canuntur, sententiam universam, neque psallere eos omninò, neque orare, imò neque ut fideles in Ecclesiam ingredi, donec per eam, quæ ab illo affertur, catechesi rursus & initiatione, unguentorumque unctione transelementati, divini Spiritus in semetipsis roboris ac efficaciæ sensum perceperint. Imò eadem affirmat de tonsura, eum nempe qui tondetur, sine ulla utilitate tonderi, nisi in intellectuali sensu, & non in fide donatus eidem sensibilis Spiritus gratia, & per eam transmutationis & transelementationis, imposterum neque velit, neque possit peccare.

XXIX. *Libri, in quibus ejus dogmata continentur, flammis addicti.* Præter autem multa alia, illud quoque intonuit, singulos Christianos duas habere animas, quarum una sit impeccabilis, alia peccatis obnoxia: quod si unam habuerit animam, Christianus nondum factus est. An non ista jam indicatarum hæreseon propria sunt? Namque intellectualem sensum, rursumque sensilem intellectionem aut solum sensum, ut in aliis tradit, & illuminationem, & revelationem, & cognitionem ab eo requiri in baptizatis; si minus, inutile iisdem asserere Baptisma, licet omne bonum consequi studeant; Enthusiastarum omnino hæresis est, qui revelationes divinas pravorum Dæmonum fraudibus sibi infundi imaginantur: post divinum porrò Baptismum baptizatos, quod absque catechesi, ut ipse ait, regenerati sunt, hoc est, non omnes Christianos, etiam Magistros, & Sacerdotes, & ipsos Hierarchas indigere rursum ab initio catechesi, initiatione, & transelementatione, per ceremonias ab eo intrusas, & manuum impositionem, sapientum dispensatorum mysticæ hujus gratia, quos summis conatibus perquirendos esse tradit; rarò enim inveniuntur ii, qui soli possunt ad se accedentes renovare, ea divinæ gratiæ participes facere; Bogomilorum hæreseos indubitabile est signum, qui, tanquam imperfectum, nostrum Baptismum redarguunt, & secundum importunt, suum proprium, quod perfectum faciat hominem, & divini Spiritus participem. Illud etiam aut duas animas Christianum habere, ut tradit, aut non esse Christianum, ipsissimis verbis inter Massalianorum aut Bogomilorum detestanda secta dogmata reperitur. Decernit postea Synodus libros illos, in quibus innumera alia hujusmodi disseminantur, igne exurendos esse, prohibetque ne quispiam audeat novas doctrinas edere, antequam à Catholica Ecclesia prius judicatæ & approbatæ fuerint. Ait deinde vocatos fuisse penes quos libri *Chrysomali* inventi sunt, qui proprio ore dixêre se nihil tenere, nisi quæ hodie in Synodo decreta: & veniam poscere quod bona præsumptione virum prosecuti fuerint; seque ejus Commentaria perpetuo anathemati subjicere.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6634. Anno Eræ Hispan. MCLXXIX.

☉ 2. E. ☽ 2. P. 30. Mart. Indict. 4. Anno Hegiræ DXXXVI

JESU CHRISTI 1141. inchoato die VI Aug.

INNOCENTII II PAPÆ 12. fer. 4.

CONRADI III REG. 4.

JOANNIS COMNENI IMP. 24.

I. *Tiburtes in Innocentium II rebelles.* AD num. I & seq. Hoc anno *Rogerius* Siciliæ Rex nullum bellum movit, sed *Tiburtes*, Prænestini, Tusculani, & Albani, qui superiori dissidio depravati solemne *Innocentio* obsequium denegaverant, in contumacia perstabant. Hos tamen Innocentius II Sacrorum interdicto percutere opportunum non judicavit, uti narrat Baronius ex Ottone Frisingensi lib. 7. cap. 27. Quare perperam scripsit Sigonius lib. XI Hist. de Reg. Ital. Pontificem eos excommunicasse.

II. *In Sicilia plures Sara-* In Sicilia *Saraceni* non pauci Christianam fidem amplectebantur, & ex iis aliqui magnas donatio-

cons fune Christiani.

donationes Ecclesiis faciebant. Rochus Pirthus Chartam cujusdam *Rogerii Chameti* hoc anno datam refert, quam adhuc superesse testatur. In ea Chametus unica donatione casalia tria, seu tertas tres Ecclesiæ Panormitanæ largitur, aitque: *Respiciendo te venerabilem Electum Archiepiscopatûs civitatis Panormi dominum Rogerium Tresera, idoneum hominem pacificum, virtuosum & justum, & Deo ex toto se datum, & jugo suo, rectum in fide, & omnibus verbum recitatis prædicantem, ut sis in præceptis Dei & regalis culminis & suus specialis orator*, &c. *pro salute animæ mei spiritualis patris & receptoris quondam Comitis & Siciliæ Calabriæ Domini Rogerii*, &c. *offero* &c. *& inter vivos donationem facio sanctissimo Templo Dei Genitricis Virginis Mariæ Archiepiscopatûs civitatis Panormi, & tibi prædicto amico meo Electo ipsius Archiepiscopatus*, &c. *tria conjuncta casalia*, &c. *cum nostra bulla plumbea plumbavi anno ab initio mundi 6649. mense Februario, indictione IV, dominante & regnante sanctissimo à Deo coronato pio Rogerio, magno Rege & Christianorum Adjutore. Amen.* Est is annus mundanus Periodi Constantinopolitanæ, à Kalendis Septemb. superioris Christi anni inchoatus. Quæ Era Constantinopolitana in Regno Siciliæ & Neapolis diu usurpata.

III.
Dissidium inter Innocentium II & Ludovicum VII Regem Franciæ.

Ad num. III. Albericum Bituricensem Archiep. anno MCXXXIX demortuum esse, & Sedem vacasse *per annum & menses tres* docet Anctor Patriarchii Bituricensis cap. LXIII. Quid verò post ejus mortem contigerit, narrat Baronius ex pseudo-Roberto de Monte in Chron. ad hunc annum. Sed præstat audire Chronographum Mauriniacensem, qui hoc ipso tempore vivebat. Is lib. 3. pag. 386. ait: *Tunc temporis etiam Ecclesia Bituricensis sui Pastoris defunctione non mediocriter desolata, gravis & importuni schismatis morbo insolente concussa est. In tantum verò discordiæ hujus malum processit, ut usque ad Apostolicum & Franciæ Regem perveniret. Quidam enim prædictæ Ecclesiæ Clerici assentiente Rege Cadurcum quemdam sibi volebant præficere. Altera pars illorum Petro, Hamerici Romani Cancellarii consobrino, prærogativam illius honoris affectabant. Papa verò Cancellarium diligens, contribulem quoque suum pro ipso dirigebat. Unde & ipsi consecrato in Archiepiscopum, suum integrè auxilium impendebat. Et licet contra Regis voluntatem ipse præficiendus esset, ipsum misit Bituriges, Cadurcum verò omni Ecclesiastico honore privavit. Videns Rex voluntatem suam ad efficaciam non potuisse pertingere, non modico fremitu iracundiæ concussus est, & quasi in auctoritatem Apostolici volens indignationem conceptam retorquere, Petro totius terræ suæ introitum interdixit. Innocentius verò gladium Ecclesiasticum in ultionem exerens, per omne Regis dominium divini celebrationem officii interdixit. Hujus autem discordiæ malum omnibus diebus vitæ suæ integrè dulcorari non potuit.*

IV.
Franciæ Regnum ab Innocentio II interdicto suppositum.

Loquitur etiam de hoc dissidio Guillelmus Nangius in Chron. ad annum MCXLII, & de Petro *de Castro* cognominato, ut ipse asserit, scribit: *Rex Archiepiscopum exclusit redeuntem. Sed eum Comes Campaniæ Theobaldus* (Stephani Angliæ Regis frater) *recepit in terra sua, & ei omnes Ecclesiæ obediebant. Indignatus ob hoc Rex, concitavit omnes ferè Proceres suos, ut unà cum eo guerram inferrent Comiti Theobaldo. Tum ad annum MCXLIII; cepit Rex Vitriacum, oppidum Comitis Theobaldi, ubi admoto igne incensa est Ecclesia, & in ea MCCC homines diversi sexûs & ætatis periere.* In Chronicis tamen Gemblacensi & Catalaunensi Vitriacum anno MCXLII dicitur incensum fuisse. His addit Radulphus de Diceto in Abbreviat. Chron. pag. 509. *Per triennium persona Regis interdicto subjacuit. In quamcumque civitatem, castellum, vel vicum intrabat, celebratio divinorum suspendebatur.* Herimannus verò Monachus Tornacensis, aut ejus Continuator ait, Papam in Bituricensem Archiep. consecrasse Petrum, *quod quia Rex concedere noluit, Christianitate privatus est.*

V.
Ludovicus VII Tolosam obsidet.

Ordericus lib. XIII Hist. ad annum MCXLI de Ludovico VII Francorum Rege scribit: *Ludovicus Juvenis Francorum Rex ingentem exercitum congregavit, ac ad festivitatem Sancti Joannis Baptistæ Tolosam obsidere perrexit, & in Consulem* (idest, Comitem) *Audefonsum Raimundi* (Comitis Sancti Ægidii appellati) *filium præliari contendit.* Paulò pòst: *En Stephanus Rex Anglorum in carcere gemens detinetur; & Ludovicus Rex Francorum expeditionem agens contra Gothos & Gascones pluribus curis crebrò anxiatur.* Catellus lib. 2. Hist. Comitum Tolosæ cap. 4. existimat hujus belli caussam provenisse ex *Eleonora* filia Philippiæ, Guillelmi Comitis Tolosani hæredis. Ea enim de causa *Ludovicus* Rex ejus maritus aliquod sibi jus in Comitatum illum asserebat. Hoc tamen bellum extinctum matrimonio *Constantiæ* Ludovici Regis sororis cum Raimundo V Comite Tolosano.

VI.
Prælium inter Stephanum Angliæ Regem ejusque adversarios.

Hoc etiam anno idem Ordericus narrat, *Ramnulphum* Comitem Cestræ multos in Anglia contra Stephanum Regem excitasse, & imprimis Mathildem Andegavorum Comitissam vulgò Impeśatticem dictam, nec quievisse donec Rex captus fuerit: *Quotidie*, inquit Ordericus, *de adventu inimicorum rumores audiens Rex parvi pendebat, nec eos tales esse, & tantos ausus præsumerent, credebat, sed illos qui in arce* (Lincolniensi) *clementiam ejus obsecrabant, apparatis expugnari machinis cogebat. Denique Dominico Sexagesimæ, dum sacra solemnitas Hyppapanti Domini celebraretur* (idest, Purificationis Beatæ Virginis, ideoque hoc anno, quo festum illud in Dominicam Sexagesimæ incidit), *& ipse Rex hostium phalanges jam adesse intueretur, Proceres advocavit, consiliumque quid agerent, ab eis inquisivit. Quidam igitur persuaserunt, ut ingentem familiam cum devotis civibus ad tuendam urbem constitueret, & ipse ad congregandum exercitum de cunctis Angliæ regionibus honestè discederet, & rursùs opportuno tempore, si hostes ibidem permansissent, ad expugnandos illos Regali severitate remearet. Admonebant etiam alii, ut debita sacræ Purificationi S. Dei Genitricis Mariæ reverentia exhiberetur, & tempus prælii nunciis pacis intercurrentibus commodè protelaretur, ut procrastinatione interposita neutra pars confunderetur, nec humanus sanguis ad multorum dolorem funderetur. Obstinatus autem Princeps persuasioni prudentium obaudire contempsit, & prælium pro aliqua ratione induciari indignum duxit: sed protinus suos ad bellum armari præcepit. Acies igitur pugnatorum prope urbem convenerunt, & ordinatis utrimque turmis bellum commiserunt.*

VII.
Stephanus Rex captus & incarceratus.

Paulò pòst subdit Ordericus: *Rex fortium actuum antecessorum suorum memor fortiter dimicavit, & quandiu tres secum pugiles habuit* (scilicet Galerannum Comitem, Guillelmum de Guarenna

Guarenna fratrem ejus, & Gislebertum de Clara), *enso vel securi norica, quam quidam illi juvenis ibi administraverat, pugnare non cessavit. Tandem fessus & ab omnibus derelictus, Roberto Comiti consobrino suo se commisit, & captus est, & ab eodem paulo post Mathildi Comitissa oblatus est*, &c. *& miser proh dolor incarceratus est.* Narrat postea Ordericus mala occasione hujus captivitatis hoc anno in Anglia perpetrata, & Historiam suam Ecclesiasticam libris XIII comprehensam absolvit, LXVII ætatis suæ annum agens, ut ipsemet affirmat. Ex ea multa ad supplendos Annales Ecclesiasticos mutuati sumus; nam licet hic Auctor non rarò in Chronologiam peccet, multa tamen scitu dignissima in medium profert, & sincerè narrat. Existimo eum ante mortem Opus suum revisisse; librum enim primum finiens, ait tunc *Lotharium* dominari Alemannis, *Ludovicum* Francis, *Stephanum* Anglis & *Ranimirum* Monachum Hispanis, & tamen *Lotharius* Imp. anno MCXXXVII obiit, eodemque anno *Ranimirus* regnum Aragoniæ dimisit, & in suum Monasterium reversus est. Præterea librum suum XIII in Stephani Regis captivitate absolvit. Nullum neque in Bibliotheca Regia, neque in aliis Parisiensibus hujus Historiæ exemplar MS. superest, cujus ope errores aliqui, qui in eam irrepsêre, emendari possent, & interpolationes, si quæ fortè sint, dignosci.

VIII. *Observanda in legendis Malmesburiensi & Joanne Hagustaldensi.*

Quæ post Regem captum in Anglia contigerint, narrat Malmesburiensis complurium testis oculatus, in lib. 2. Hist. Novel. pag. 187. & seqq. quæ tamen Librariorum errore cum anno MCXLII conjuncta sunt. In Historia Joannis Prioris Hagustaldensis, alio modo ab Exscriptoribus peccatum; annus enim MCXL in duos dividitur, in annum nempe MCXL & MCXLI, & deinde sub anno MCXLII, quæ præsenti accidêre, narrantur, & sic deinceps. Sed feriæ, aliæque temporum notæ in Malmesburiensi, & in Joanne Hagustaldensi sæpe expressæ, ne in errorem trahamur, impedient. Ad hanc textus Malmesburiensis depravationem cùm omnium non advertisset Labbeus, Tom. X Concil. pag. 1024. Concilium Wintoniense hoc anno indictum citato Malmesburiensi in sequentem distulit. Porrò Malmesburiensis narrationem ejus verbis repræsentabo, omissis tamen quibuscumque ad rem nostram non facientibus, & characteribus temporariis, aliisque id genus ad majorem explicationem additis.

IX. *Mathildis Imperatrix agnoscitur Regina Angliæ à Legato S. Sedis.*

Mathildis Imperatrix & *Robertus* Comes Glocestriæ apud Henricum Wintoniensem Episc. S. Sedis Legatum, & Stephani Regis fratrem nunciis egerunt, ut ipsam tanquam Henrici Regis filiam, & cui omnis Anglia & Normannia jurata esset, incunctanter in Ecclesiam & Regnum reciperet. *XIV Kalend. Martii eo anno prima Dominica Quadragesimæ fuit*, ideoque hoc anno, non verò insequenti. Ita mediantibus utrobique nunciis ad hoc res expedita, ut ad colloquium conveniretur. Juravit Imperatrix Episcopo, quod omnia negotia majora in Anglia ejus nutum spectarent, si eam ipse in dominam reciperet. Idem juraverunt cum ea *Robertus* frater ejus Comes Glocestriæ, & nonnulli alii. Nec dubitavit Episcopus Imperatricem in dominam Angliæ recipere, quod quandiu ipsa pactum non infringeret, ipse quoque fidem ei custodiret. Non multò pòst *Theobaldus* Cantuariæ Archiep. & plerique Præsules cum aliquantis laicis in sententiam Legati cessêre. Pascha quod tunc fuit III Kalend. Aprilis, ideoque hoc Christi anno, Imperatrix apud *Oxeneford* egit.

X. *Et à Præsulibus in Concilio Wintoniensi.*

Feria II post Octavas Paschæ Concilium Archiepiscopi Cantuariæ *Theobaldi*, & omnium Episcoporum Angliæ, multorumque Abbatum, Legato præsidente, Wintoniæ ingenti apparatu inceptum. Malmesburiensis ait, se huic interfuisse. Feriâ tertiâ Legatus dixit, se Concilium congregasse, ut de pace patriæ consuleretur in medium: *Henricum* Angliæ Regem jurare fecisse, ut omnes Imperatricem filiam tanquam dominam Angliæ, & Ducatûs Normanniæ post mortem suam agnoscerent: eoque mortuo, quia Imperatrix in Normannia residebat, provisum esse paci patriæ, regnare permissu fratre suo; sed eum nullam justitiam exercuisse, Episcopos captos, Abbatias venditas, Ecclesiam thesauris depilatam: hesterno die ventilatam esse secretò causam coram omni majori parte Cleri Angliæ, seque Imperatricem in Angliæ, Normanniæque dominam eligere; denique Londinenses nuncus suis convenisse, ut tutò veniant, se seque confidere eos non ultra hunc diem moraturos. Feriâ quartâ venerunt deputati à Londinensibus, & dixêre Londinenses omnes rogare, ut Rex de captione liberaretur. Responsum est à Legato, non decere, ut Londonienses, qui præcipui habebantur in Anglia, partes illorum foverent, qui dominum suum in bello reliquerant, quorum consilio idem sanctam Ecclesiam exhonoraverat. Feriâ quintâ solutum est Concilium, excommunicatis ante multis, qui Regiarum erant partium. Pleraque tunc pars Angliæ dominatum Imperatricis suscipiebat.

XI. *Legatus S. Sedis Mathildem deserit & Stephanus Rex è carcere exit.*

Sed dum ipsa putaretur omni Anglia statim posse potiri, mutata sunt omnia. Londonienses in aperti odii vocem eruperunt, & insidiis etiam eam, ejusque comites appetiverunt. Quare hi urbe cesserunt, & Imperatricem comitati sunt, Legatus, Rex Scotiæ, & frater ejus Robertus. *Londinenses* verò quidquid rerum pro festinatione reliquerant, furati sunt. Nec multis post diebus exorta simultas inter Legatum & Imperatricem, & Legatus offensus multis diebus ab Imperatricis Curia abstinuit, & omnes illius partis, quos in Concilio excommunicaverat, inconsultis Episcopis absolvit, ferebantur etiam per Angliam ejus querelæ in Imperatricem, quod eum capere voluerit. Post hæc tumultibus omnia in Anglia turbata, *Robertus* Imperatricis frater, dum ejus partes armis tuetur, die sanctæ Crucis Exaltationis, quæ tunc habebatur in Dominica, ideoque hoc Christi anno, captus fuit, tandemque die festo omnium Sanctorum inter partes conventum, ut & Rex & ipse absolveretur, nullo pacto alio interveniente, nisi ut quisque partes suas pro posse, sicut prius tutaretur. Sic ea die Rex eluctatus est captionem.

XII. *Concilium Westmonasterienfe fit.*

Interea Legatus immodici animi Pontifex qui quod semel proposuisset, non ineffectum relinquere vellet, Concilium apud *Westmonasterium* die Octavarum Sancti Andreæ coegit. Lectæ in eo literæ Innocentii II, quibus modestè Legatum arguebat; quod liberare fratrem suum dissimulasset. Ait Malmesburiensis se huic Concilio non adfuisse, sed hoc famâ accepisse, sicuti & Regem ipsum in Concilium introisse & questum esse, quòd homines sui eum ceperint: ipsum Legatum dixisse se Imperatricem

SÆC. XII. An. C. 1141.

non voluntate, sed necessitate recepisse: quin etiam certis auctoribus ad se delatum, eam & suos vitæ struxisse insidias: itaque jubere se, ut Regem voluntate populi, & assensu Sedis Apostolicæ inunctum, quantis possent viribus juvarent. Fuit ergo hic annus, ut subdit Malmesburiensis, penè perniciosus Angliæ.

XIII. *Robertus de Sigillo fit Episc. Londoniensis.*

Anno MCXXXV diximus, *Anselmum* Abbatem Sancti Edmundi à parte tantùm Capituli Londinensis electum fuisse Episcopum ejusdem urbis in Concilio apud *Westmonasterium* anno MCXXXVI celebrato, & *Innocentium* II electionem illam rescidisse. Hoc verò anno, ut refert Joannes Prior Hagustaldensis in sua Historia, Rodbertus de Sigillo, *qui fuit Cancellarius Regis Henrici, tunc Monachus de Redingas, vir bonus, ad regimen illius sedis accitus est*, idque ab Imperatrice, ut habet etiam Gervasius in Chron. qui hanc electionem eum currenti anno rectè connectit, uti & præstiterat Joannes Hagustaldensis, sed, uti jam monui numeros annorum Librarii corrupêre. Idem etiam scribit Radulphus de Diceto in Abbreviat. Chron. pag. 508. Robertum autem initio Sedis suæ vexatum fuisse etiam ex Epistola CCXI divi Bernardi ad Innocentium II, qua ei Roberti causam commendat: *Ille antiquus amicus, fidelis servus, devotus filius (Robertum loquor Londonensem Episcopum) clamat ad vos, quod occupator ille, qui eum prævenit in sedem, quam Deo auctore ipse sortitus est, ipsius Ecclesiæ vadia, terrasque distraxerit, & distractas restituere nolit.* Mabillonius in margine notat hanc Epistolam anno MCXXXIX datam; verùm eam ad annum MCXLIII pertinere ex ipsamet deducitur. In ea enim Bernardus de Theobaldo Cantuariensi Archiep. ait: *Injustè in causam trahitur:* excusatque eum quod ob tempestatem bellorum ad præsentiam ejus, ubi causa terminanda fuerat venire non possit. Gervasius autem in Chron. ad annum MCXLIII ait Jeremiam Priorem Cantuariensem, cum videret se à Theobaldo Archiep. proximè deponendum ad Sedem Apostolicam appellasse; cumque Theobaldus appellationi non detulisset, & illum à Prioratu amovisset, Jeremiam Romam profectum obtinuisse literas ab Innocentio II, quarum virtute Româ redux, ab Henrico Wintoniensi Episc. & S. Sedis Legato in pristinum gradum restitutus est. Quare eo Christi anno Sanctus Bernardus Epistolam CCXI, qua tam Theobaldum, quàm Robertum commendat, ad Innocentium II dedit. Vide quæ anno sequenti de eadem Epistola dicemus.

XIV. *Templarii jus suum cedunt in regnum Aragoniæ.*

Alphonsus VI Aragoniæ Rex Hispaniarum Imperator appellatus testamento suo sanxerat, ut si sine liberis vita fungeretur, Regnum ejus in partes tres scinderetur, quarum una S. Sepulchro Hierosolymitano, altera Hospitali in eadem urbe instituto, tertiaque Templariis Hierosolymitanis cederet; sed cùm *Ramirus* Monachus *Petronillam* ex legitimo matrimonio suscepisset, hæcque *Raimundo* Berengarii IV Comiti Barcinonensi uxor desponsata fuisset, hæredes isti jus omne quod habere poterant in Regnum Aragoniæ, die XXIX mensis Augusti currentis anni in Raimundum transtulêre, ut narrat Diagus lib. 2. Hist. Barcinon. cap. 144. juxta Instrumentum in Archivis Barcinonensibus asservatum, & à se lectum.

XV. *Moritur Bela II Hungariæ Rex.*

Hoc anno Thwroczius in Chron. Hungar. cap. 74. refert, *Belam cæcum* Regem Hungariæ hujus nominis II, qui filius erat Ducis *Almo cæcus* migrasse ad Dominum, Idibus Februarii, *feriâ quinta*, eique in Regnum successisse *Geysam* II filium ejus primogenitum, qui adhuc in puerilibus annis agebat.

SÆC. XII. An. C. 1142.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6635.

☉ 3. D. ☽ 3. P. 19. April. Indict. 5.

JESU CHRISTI 1142.

INNOCENTII II. PAPÆ 13.

CONRADI III REG. 5.

JOANNIS COMNENI IMP. 25.

Anno Æræ Hispan. MCLXXX. Anno Hegiræ DXXXVII inchoato die 26. Julii fer. 6.

I. *Radulphus Comes Veromanduorum uxorem repudiat.*

ANNUM. I ad VI. Divus Bernardus hoc anno scripsit Epistolam CCXVI ad Innocentium II adversùs *Radulphum* Veromanduorum Comitem, qui repudiata uxore, aliam duxerat. Factum narrat Herimannus Monachus Tornacensis, aut ejus Continuator Tom. XII Spicilegii pag. 480. in quo de Radulpho legitur: *Volens in matrimonium sibi copulari germanam Alienora Reginæ Francorum*, nomine Petronillam, *uxorem suam legitimam*, quæ Theobaldi Campaniæ Comitis neptis erat, consanguinitatis specie repudiavit, tribus Episcopis, divortium illud probantibus, nempe Simone Tornacensi ejus fratre, Bartholomeo Laudunensi, & Petro Silvanectensi.

II. *Laudatur Theobaldus Campaniæ Comes qui divortium illud improbat.*

Scripsit etiam divus Bernardus Epistolam CCXVII ad Innocentium II in gratiam *Theobaldi* Campaniæ Comitis, quem ait causâ justitiæ & fidelitatis erga Sedem Apostolicam à Ludovico Rege malè haberi, & Epistolam CCXX ad eundem *Ludovicum* Francorum Regem, in qua iniquam ejus postulationem in gratiam *Radulphi* factam rejicit. Ad *Ludovicum* Regem etiam dedit Epistolam CCXXI, graviter eum arguens, quòd pravis consiliis adhærescens, pacis inter eum & *Theobaldum* faciendæ consilia respuat. Ad hæc Epistolam CCXXII dedit ad *Joslenum* Suessionensem Episcopum, & *Sugerium* Abbatem S. Dionysii, querens apud eos, uti Regis Consiliarios, de ejus contra *Theobaldum* molitionibus, contra pactum & pacem initum. De hac Bernardi ad Joslenum Episc. Epistola mentio est in Vita Sancti Bernardi lib. 4. cap. 7. num. 25. ubi de admirabili ejus patientia sermo est: *Scripserat*, inquit Gaufridus, *aliquando Dei famulus ad Episcopum aliquem de Curia & Consilio Regis, monens eum super quibusdam verbis Regi suadere & consulere meliora. At ille vehementer exacerbatus, amarissimam ei reddidit Epistolam* (quæ ordine est CCXXIII, & à Baronio num. III recitatur) *dicens in ipsa salutatione prima*, Salutem & non spiritum blasphemiæ, *tanquam videlicet vir sanctus (quod horror est dicere) ex blasphemiæ spiritu illa scripsisset. Ad quod verbum mansuetissimus Christi servus memor Dominicæ responsionis*: Ego dæmonium non habeo (*sicut hodieque extans ejus Epistola continet*) *nimirum quidem, aut spiritum blasphemiæ habere me credo, sed nec maledixisse cuiquam, aut maledicere velle me scio, præsertim Principi populi mei. Nec minus postea charum, nec minus familiarem eumdem Episcopum habuit, sed elogium illud prædictum apud eum sic fuit, quasi non dictum.*

Ad

III *Moritur Fulco Rex Hierosolymorum.* Ad num. VI. Hoc anno *Idibus Novembris* mortuus est *Fulco* Hierosolymorum Rex, duobus superstitibus liberis adhuc impuberibus relictis, *Balduino* videlicet primogenito annorum XIII, & *Amalrico* annorum VII, resedítque Regni potestas penes *Milisendem* Reginam, cui jure hæreditario competebat, inquit Tyrius in fine lib. XV, qui initio libri insequentis ait, Fulconi successisse *Balduinum* præfatum, hujus nominis III, juvenem formæ admirabilis, cui mentis quoque bene constitutæ respondebat habitus. Coronatus fuit cum matre, subsecuto dominici Natalis die, non præsidente Ecclesiæ Romanæ *Eugenio* Papa, ut perperàm dicit Tyrius, sed Innocentio II. Tyrius fatetur, ut alibi diximus, se gesta Hierosolymis ante annum MCLIV nonnisi ex aliorum relatione didicisse, ideoque non mirum, si quandoque de illis malè edoctus fuerit. Divus Bernardus quatuor Epistolas ad *Milisendem* Hierosolymorum Reginam, filiam Balduini II Regis & Fulconis uxorem scripsit, nempe Epistolam CCCLIV, quâ eam monet, qualiter mortuo viro suo se se gerere debeat, Epistolam CCCLV, qua *Præmonstratenses* Hierusolymam peregrinantes commendat, & pluribus laudat, Epistolam CCVI, qua eam hortatur ita vivere, ut perpetuò regnet, & Epistolam CCLXXXIX.

IV. *Litera S. Bernardi ad Milisendem Hierosolymæ Reginam.* Jam à multo tempore *Bernardus* nullas à *Melisinde* acceperat literas, audieratque illam apud aliquos infamia laborare, quasi muliebri impotentia distraheretur: *Audivimus, fateor, nescio quæ sinistra: quæ etsi non pro certò credimus, dolemus tamen sive veritate, sive mendacio tuam aliquatenus decolorari opinionem.* Subdit Bernardus, *Andream* tamen avunculum suum, qui Templi miles erat, sibi significasse, quod sapientum consilio se se regeret. Cùm verò Godefridus ejus Notarius in S. Bernardi Vita scribat, Sanctum Abbatem morti proximum ad avunculum suum scripsisse Epistolam, in qua inter cetera ait: *Ego enim jam delibor, nec puto me longum facere super terram,* ideoque & ea Epistola ad Andream, quæ ordine est CCLXXXVIII, anno MCLIII data sit, manifestum est, Epistolam CCLXXXIX ad *Milisendem* Reginam eodem anno scriptam fuisse, & Manricum in Annal. Cisterc. anno MCLIII cap. I Epistolam ad Andream cum eo Christi anno rectè connexuisse, Epistolam verò ad *Milisendem* Reginam, in qua Andreæ mentio, anno MCXLII cap. X ad eum annum malè retraxisse. Quare Mabillonius utramque ad annum MCLIII pertinere in margine rectè notavit. Porrò *Amalricum* Milisendæ Reginæ filium minorem natu, *Balduino* III in Regnum successisse, suo loco videbimus.

V. *Ivo Card. & Gaufridus Carnotensis Episc. S. Sedis in Gallia Legati.* Hoc anno in Galliis Legatione Sedis Apostolicæ functi sunt, *Ivo*, qui ex Canonico Regulari Sancti Victoris Parisiensis anno incerto ab Honorio II Cardinalis Sancti Laurentii in Damaso creatus fuit, & *Gaufridus* Carnotensis Episcopus. *Ivonis* Legationis mentionem facit Baronius num. I, Legationis verò *Gaufridi* Helias Aurelianorum Episcopus in quadam donatione à se facta Monachis Sancti Martini de Campis, recitata à Duchesnio in Notis ad Epistolam XI Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis lib. I. Ait enim *Helias* se illam facere precibus Regis Francorum Ludovici, & Gaufridi venerabilis Carnotensis Episcopi Apostolicæ Sedis Legati. In fine Chartæ legitur: *Actum Aurelianis anno ab Incarnat. Domini MCXLII, Ludovico juniore, anno ejus quinto.* Hujus Chartæ & anni, quo ea scripta, meminêre San-Marthani in Episc. Aurelianensibus cùm de Helia agunt. Quare in Episcopis Carnotensibus Gaufridi mortem cum anno MCXXXVIII perperàm postea illigarunt. Annum Gaufrid. Carnot. emortualem infrà notabimus. Porrò duas in Gallia Legationes fuisse non semel monuimus; & *Ivonem* Legatum Treviris hoc anno obiisse scribit Brouverus in Annal. Trevirens. lib. 14. ubi refert vetus Epitaphium, in quo dicitur mortuus, *Sole duodenas Julii vergente Kalendas.*

VI. *Obitus Petri Abaelardi.* In Chronico Sancti Petri Vivi Tom. II Spicilegii Dacheriani recitato legitur: *Anno MCXLII Magister Petrus Abaelardus moritur.* Is in Epistola ordine III ad *Heloissam* data rogat, ut quocumque modo vel loco eum ex hac vita migrare contingat, ejus corpus ad Paracletense Cœnobium deferatur: *Quod si me dominus,* inquit, *in manibus inimicorum tradiderit, scilicet ut ipsi prævalentes me interficiant, aut quocumque casu viam universæ carnis absens à vobis ingrediar: cadaver, obsecro, nostrum ubicumque vel sepultum vel expositum jacuerit ad Cimiterium vestrum deferri faciatis, ubi filiæ nostræ, imò in Christo sorores, sepulchrum nostrum sæpius videntes, ad preces pro me domino fundendas amplius invitentur.* Morbo lento correptus à Petro Venerabili Abbate suo Cabillonem missus est, ubi cùm è vita excessisset, Monachi illius monasterii istud ei Epitaphium posuêre: *Hoc Magister Petrus sine dies suos consummavit: & qui singulari scientia magisterio toti pene Orbi terrarum notus, & ubique famosus erat, in illius Discipulatu qui dixit,* "discite à me, quia mitis sum & humilis corde, *mitis & humilis corde perseverans, ad ipsum, ut dignum est credere, sic transivit.* Qua de re statim Petrus Venerabilis Epistolâ suâ XXI libri IV scripsit ad *Heloissam* ejus quondam uxorem, tunc verò Abbatissam monasterii Paraclerensis, ut eam de pio *Abaelardi* obitu consolaretur, jussitque ejus corpus ad illud Cœnobium transferri, misso Epitaphio à se in honorem ipsius composito, in quo dicitur *Abaelardum XI Kalend.* Maii animam Deo reddidisse. Postea ipsemet inclytam *Heloissam* invisit, quia famâ tantùm eam noverat. Baronius anno MCXL num. XI & seq. Epistolam laudatam Petri Cluniacensis ad eam datam, & *Abaelardi* Epitaphium recitat. Ejus Opera Andreas Duchesnius Parisiis publicavit, & Notis illustravit. De his legendus Oudinus in Supplem. Script. Eccles. ubi quæ adhuc inedita sunt, enumerat. *Heloissa* toto tempore, quo *Abaelardo* supervixit, vitæ sanctimoniæ incubuit, & XVI Kalendis Junii anni MCLXIV sancto fine quievit, ut videre est apud San-Marthanos in Abbatia Paracletensi, ubi tamen perperam dicitur Abaëlardus juxta Chronicon Senonense anno MCXLIII demortuus; quod Lectorem non monerem, nisi vidissem Bulæum Tom. II Hist. Universit. Parisiensis aliosque quosdam mendosa illa citatione deceptos *Abaelardi* mortem in eum Christi annum distulisse.

VII. *Corrigitur Catalogus Abbatissarum Paracleti.* *Heloissæ* in Abbatiam Paraclerensem successit *Ermengardis*, cujus meminit Kalendarium Paracliticum, ut videre est apud San-Marthanos Tom. IV Gall. Christ. in Abbatissis Paraclitensibus, & in Notis Andreæ Duchesnii ad Hist.

Calamit. Petri Abaëlardi pag. 1188. in Elencho Abbatissarum ejusdem monasterii. Helvildis enim, quam uterque secundam Paracleti Abbatissam proponit, eadem est cum Heloissa, quæ binominis erat, ut vel ex loco, quem uterque Auctor ad suam sententiam probandam profert, perspicuum est. Aiunt enim inter Helvildem Paracleti Abbatissam, & Norpaldum Abbatem Vallis Lucentis controversiam quandam pacificatam esse apud Triangulum, quod castrum est in Tricassina Diœcesi situm, vulgò *Treynel*, ut ostendit Valesius in Notitia Gall. voce *Triangulum*; sed cùm utrumque lateret Helvildem diversam non esse ab Heloissa, annum quo publicum illud Instrumentum notatur, consulto prætermisêre, illum mendosè descriptum existimantes. Verùm San-Marthani in Abbatibus Abbatiæ Vallislucentis Ordinis Cisterciensis in Diœcesi Senonensi positæ, hallucinationem suam manifestè aperiunt, cùm de Norpaldo ejusdem Abbatiæ Abbate primo loquentes pag. 896. scribunt: *Transegit cum Heloissa Abbatissa Paracleti MCXLII* anno. Neque dici potest sermonem ibi esse de transactione diversa ab ea, quam Norpaldus cum Helvilde fecit, cùm in Chronico Sancti Petri Vivi ad annum MCXXIX habeatur: *Ecclesia Vallis Lucentis fundata est, cujus primus Abbas Domnus Herpaldus* (seu Norpaldus) *fuit, sedens annis XXX*, & ad annum MCXLIII ibidem legatur: *Ecclesia Vallis Lucentis primò dedicata est.*

VIII. *Heloissa binominis fuit.* Præterea San-Marthani Norpaldi mortem cum anno MCLIX connectunt, licet Chronicon Sancti Petri Vivi non vidissent, quia revera eo Christi anno, tricesimus annus Sedis Norpaldi in finem vergebat, ideoque *Norpaldus* non post *Heloissam*, ut San-Marthani supponunt, sed ante eam è vivis excessit. Inclyta itaque hæc Abbatissa, *Heloissa & Helvildis* appellata anno qui dedicationem Ecclesiæ Vallislucentis præcessit controversiam quam cum Norpaldo Abbate habebat, diremit, & postea usque ad annum MCLXIV supervixit. In Necrologio monasterii Paracletensis ideo nulla Helvildis mentio, quia eadem est cum Heloissa. Loquitur de Abbatia Vallislucentis divus Bernardus in Epist. LXXV ad Artaldum Pruliacensem Abbatem, Vallislucentis conditorem, ut eum interpretatur Manricus in Annal. Cisterc. ad annum MCXXIX cap. VII num. III. Mabillonius qui ad hanc Duchesnii & San-Marthanorum hallucinationem animum non adverterat, in brevi tamen nota ad Epistolam CCLXXVIII divi Bernardi ad Eugenium III rectè observat Hugonem Metellum Helvildis nomine Epistolas duas ad Heloissam scripsisse: *Helwidi venerabili Abbatissæ Paracliti. Fœmineum sexum vos excessisse fama nobis notificavit. Quomodo dictando, versificando & (quod excellentius omnibus est) muliebrem mollitiem exsuperasti*, &c. Quibus etiam ex verbis intelligimus, *Heloissam* Poëtriam fuisse, & jure meritò Petrum Venerabilem in laudata ad eam Epistolam scripsisse: *Tu illo efferendo studio tuo & mulieres omnes evicisti, & pene viros universos superasti*, ubi tamen Petrus Venerabilis de literatoriæ scientiæ, & secularis sapientiæ studio verba facit.

IX. *Gesta in Anglia.* Gesta hoc anno in Anglia Malmesburiensis lib. 2. Hist. Novell. antequam scribendi finem faciat summatiè narrat, quæ ejus verbis utens magis abbreviabo. Superveniens Quadragesima omnibus vacationem bellorum indixit, qua mediante *Imperatrix* cum suis deliberavit vocare *Godefridum* Comitem Andegavensem maritum suum, qui filiorum hæreditatem in Anglia tuiturus veniret. Nuncii ex Andegavis redeuntes retulêre Comitem Andegavensem respondisse, si *Robertus* Comes Glocestrensis, cujus prudentiam jam olim probatam habuisset, ad se veniret, voluntati ejus se pro posse non defuturum. *Robertus* ergo cum expeditis militibus ad vicum *Warham* profectus est, indeque *Cadomum* Comitem Andegavensem accersivit, qui veniens varia prætexuit, ut adventum suum in Angliam excusaret. Dedit tamen filium suum ex Imperatrice progenitum, *Henricum* appellatum, cujus intuitu Proceres ad justi hæredis partes propugnandas animarentur. Interim *Stephanus Rex* Oxonium civitatem concremavit, & castellum, in quo Imperatrix erat, obsedit. Nunciatum postea Imperatricem egressam ab obsesso Castello, & apud *Wallingenford* tutò manere, & hic Malmesburiensis Historiam suam claudit.

X. *Malmesburiensis Historiam suam absolvit.* Cùm verò Huntindoniensis lib. 8. scribat, *Stephanum Regem* obsessisse Imperatricem apud Oxonium post festum Sancti Michaelis usque ad adventum Domini, & non procul à Natali Christi eam fugisse ad Castellum de *Wallinford*, & sic Oxonium tandem Regi redditum esse, perspicuum est, Malmesburiensem res anno sequenti gestas non attigisse, perperamque. Usserium lib. de Antiquit. Britannic. Ecclesiorum cap. VI tradidisse eum principia gestorum anni MCXLIII in Novella sua Historia exposuisse, ac verum esse quod habet Matthæus Parisiensis, & cum eo Balæus lib. de Script. Britann. Centur. 2. cap. 73. *Guillelmum Bibliothecarium Malmesburiensem* anno MCXLII Anglorum Historiam terminasse. An verò tunc etiam vivere desierit, ut habet idem Balæus, prorsùs incompertum. Vidit Malmesburiensis, ut Pitsius in Malmesbur. scribit, in vetustis Codicibus multa Antiquitatis monumenta, quæ ab interitu liberavit. Nec satis officio factum putavit, si solum vetera, & aliena conservaret, nisi etiam nova & sua adjiceret, & adeò accuratè Historias Anglicas tractavit, *ut vix quisquam in illo genere sit illi conferendus, nemo anteferendus.*

XI. *Miser status Ecclesiæ.* Westmonasteriensis ad hunc Christi annum scribit: *Captus est Robertus Londoniensis Episcopus apud Fullentsam à Galfrido de Mandevilla, nono Kalendas Julii.* Post mortem *Gilberti* Episcopi Londinensis, *Universalis* appellati ob multiplicem literaturam, quæ teste Radulpho de Diceto in Abbreviat. Chron. anno MCXXXIV accidit, Ecclesia Londinensis diu vacavit & Alfordus hoc anno num. I & seq. conjicit *Galfridum* Ecclesiarum prædatorem Londinensem invasisse, ut turrim Londinensem sibi, suisque muniret; cùm Huntindoniensis hoc anno testetur, *Stephanum Regem* eum in Curia sua detinuisse, & *Galfridum*, ut à Rege liberaretur, reddidisse ei turrim Lundoniæ & aliqua castella, sed postea invasisse Abbatiam Ramesiensem, & Ecclesiam Dei speloncam fecisse latronum. Ex quibus infert, Epistolam divi Bernardi CCXI ad Innocentium datam, in qua loquitur de occupatore Sedis Londoniensis, indicatque Innocentio II illud corrigendum esse, intelligendam de præfato Galfrido. Verùm ex laudatis à nobis anno superiori num. XIII Bernardi verbis evidenter apparet, *Bernardum*

verba

verba facere de viro in Sedem Episcopalem intrusio, qui in ea *Robertum* præcesserit, quod dici non potest de *Galfrido* viro militari, pro quo coercendo non Pontifex Romanus, sed Rex adeundus erat; præsertim cùm populator iste Ecclesiarum nihil faceret excommunicationes, ut perspicuum est ex iis, quæ narrat Gervasius in Chron. anno MCXLIV. Occupator itaque Sedis Londinensis alius non est quàm Anselmus, cujus electio in Episcopum Londinensem rescissa fuit ab Innocentio II, ut loco laudato diximus.

XII. *Floret Robertus Pullus postea Cardinalis.* Hoc anno *Ascelinus* Prior Doveriæ factus est Roffensis Episcopus sob Archiep. Cantuariensi, ut prodit Edmundus de Hadenham Monachus Roffensis in Annal. Ecclesiæ Roffensis ad annum Christi MCCCVII ab eo perductis, & à Whartono in Anglia Sacra part. I publicatis. Hoc confirmat Gervasius in Chron. qui annum à Natali Christi incipiens ad annum Christi MCXLVII ait, *Ascelinum* obiisse eo Christi anno, *Episcopatus sui sexto, IX Kal. Februarii*, qui ideo currenti ad eam Sedem evectus fuerat, & Gervasius annos Julianos enumerat. Ad Ascelinum scripsit Sanctus Bernardus Epistolam CCV, rogavitque, ut pateretur *Magistrum Robertum Pullum aliquantum temporis facere Parisius, ob sanam Doctrinam, quæ apud illum esse dignoscitur.* Alfordus in Annal. hanc Epistolam recitat anno MCXXXVII, quo *Ascelinum* Episcopum dictum putavit; Mabillonius verò in ejus margine, & in Notis fusioribus ait eam circa annum MCXL scriptam, licet in Ascelini Episcopatus initio consignando ab Alfordo non discrepet; sed ea citiùs quàm currenti anno data non fuit. Porrò *Robertus Pullus* in Anglia natus, studiorum causâ Galliam petiit, & Parisiis scientias, tum sacras, tum profanas edidicit, & ex parte docuit, ut habet Pitsius in Roberto Pullano. *Ab ineunte ætate Philosophiæ deditus, ejusque obtentu Episcopalem honorem ab Henrico Rege* (hujus sc. nominis I) *oblatum respuens, victum & vestitum habens, his contentus fuit*, inquit Joannes Prior Hagustaldensis in Hist. ad annum MCXLVII. Romam ab Innocentio II vocatus, à Lucio II ejus successore Cardinalis, & ab Eugenio III S.R.E. Cancellarius renunciatus est. *Octo sententiarum libros* ab eo editos publicavit Hugo Mathoudus Monachus Congregationis Sancti Mauri.

XIII. *Romani erga Innocentium II magis insolescunt.* Romani, qui ut anno MCXLI num. II habet Baronius, adversus Innocentium II rebellarant, & Senatum restituerant, currenti, ut ibidem ex Ottone Frisingensi lib. 7. cap. 27. Baronius narrat, audaciores fuêre: *Invalescente populo, dum proficere non posset* (nempe Innocentius II) *lecto cubans juxta quosdam, de futuris visione sibi monstrata, in pace quievit.* Quæ tamen mors nonnisi anno sequenti contigit.

Anno Eræ Hisp. MCLXXXI Anno Hegiræ DXXXVIII inchoato die 56 Julii fer. 6.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6636.

☉ 4. C. ☽ 4. P. 4. April. Indict. 6.

JESU CHRISTI 1143.

CÆLESTINI II PAPÆ 1.

CONRADI III REG. 6.

MANUELIS COMNENI IMP. 1.

I. *Miser status Ecclesiæ Gallicanæ.* A Num. I ad X. Luctuosam Ecclesiæ Gallicanæ faciem sub Ludovico VII Franciæ Rege his verbis describit Otto Frisingensis testis oculatus lib. 7. Chron. cap. 21. ubi ait: *Francia Occidentalis, Rege suo amisso, sub illius filio Ludovico, qui adhuc superstes est, ob ipsius ac Theobaldi Blesensis Comitis guerram tot præliis ac incendiis perpessa est discrimina, quod nisi Religiosorum, qui ibidem morabantur, meritis, orationibus & consilio nuper pacata fuisset, absque ad internecionem deleta putaretur.* Id satis ostendunt Epistolæ Divi Bernardi hoc anno à Baronio recitatæ. Basilica tamen castri *Vitriaci* non hoc anno, ut refert Baronius num. VI ex Pseudo-Roberto de Monte, sed anno MCXLII incensa, ut anno MCXLI ostendimus.

II. *Moritur Innocentius II. PP.* A Num. X ad XIV. Cùm *Innocentius II* anno MCXXX die decima quinta mensis Februarii Pontifex Romanus electus fuerit, & ab eo die sui Pontificatus annos deduxerit, ut ibidem ostendimus, sedit *annos tredecim, menses septem, dies novem*, emortuali excluso. Eum enim currenti anno *octavo Kalendas Octobris*, se die XXIV mensis Septembris è vivis excessisse, certum & indubitatum. Joannes quidem Ceccanus in Chron. Fossæ Novæ Tom. I Italiæ Sacræ ab Ughello editi scribit, mortem ejus contigisse *IV Idus Septembris*, aliique ferè omnes cum Baronio & Onuphrio *VIII Kalend. Octob.* sed nullo ad id probandum testimonio in medium adducto; Verum mox unum proferam, de quo nullus ambigere poterit.

III. *Ejus sepultura & beneficia in Ecclesiam Lateranensem.* *In navi Ecclesiæ*, inquit Joannes Diaconus junior Basilicæ Salvatoris Patriarchii Lateranensis Canonicus in libro de Ecclesia Lateranensi apud Mabillonium Tom. II Musei Ital. *jacet Innocentius Papa II in concha porphyretica, quæ fuit Adriani Imperatoris sepultura. Hic renovavit tectum hujus Basilicæ, propriis expensis, novis trabibus, quas gloriosus & potens Rogerius Siciliæ Rex precibus suis eidem Ecclesiæ transmisit: quod videlicet tectum suo tempore cecidit, suoque tempore restauratum est. Turrim etiam ante Ecclesiam, quæ ruinæ vicina videbatur, renovari jussit: atque quamplurima, dum vixit, Ecclesiæ dona ad ornamentum altaris obtulit, cycladem videlicet auro textam*, & alia ibi sigillatim memorata.

IV. *Cælestinus II ei succedit.* Innocentio II successit *Guido*, natione Tuscus, antea Presbyter Cardinalis Sancti Marci, qui *Cælestinus II* in Pontificatu appellatus fuit, electus die vigesima sexta Septembris, &, ut in morte ejus videbimus, eodem die inthronizatus. Ipsemet Cælestinus de sua electione certiores fecit Cluniacenses Epistolâ datâ *Laterani VIII Idus Novemb.* Tom. IV Spicilegii Dacheriani recitata, & inde in Tom. X Concil. translata, in qua ait: *Notum facimus dilectioni vestræ, quod Domino nostro bonæ memoriæ Papa Innocentio, VIII Kal. Octob. defuncto, & in Lateranensi Ecclesia cum maxima Cleri ac populi Romani frequentia tumulato, Cardinales, Presbyteri & Diaconi, unà cum fratribus nostris Episcopis & Subdiaconis, Clero ac populo Romano acclamante, partim & expetente, tertia die in ipsa Ecclesia unanimi voto & pari consensu, me indignum, & prorsùs tanti officii imparem, nescio quo Dei judicio, in Romanum Pontificem concorditer elegerunt.* Vides Cælestinum II tertia die à morte Innocentii II electum fuisse Pontificem Rom. ideoque Baronium, passimque alios non bene initium ejus repetere à die XXV mensis Septembris. Nam licet num. XII. non satis claré mentem suam explicet, cùm tamen anno sequenti asse-

ras,

SÆC. XII. An. C. 1143.

rat, *Cælestinum* die octava Martii post Sedem mensium quinque, & dierum XIII è vivis abiisse, necessariò supponit, eum die XXV Septembris hujus anni creatum, quæ & sententia Onuphrii fuerat. *Innocentium* verò Secundum VIII Kalend. Octob. demortuum fuisse præter Spicilegium Dacherianum nos docet vetus Monasterii Casinensis Necrologium.

V. *Litera gratulatoria Arnulphi Episc. Luxoviens. ad Cælestinum II.*

Arnulphus, qui ex Archidiacono Sagiensi Luxoviensis Episcopus à Clero & populo creatus fuit, ut testatur Petrus Venerabilis lib. 4. Epist. VII ad Innocentium II datâ (idque anno MCXLI; cùm eo anno Ordericus lib. XIII in fine Operis sui Joannem tunc ejus decessorem obiisse prodat), & à Rotomagensi Episcopo consecrationem accepit, ubi audivit *Cælestinum*, à quo plurimùm amabatur, ad Sedem Romanam evectum fuisse, ad eum scripsit Epistolam congratulatoriam, quæ extat Tom. II Spicilegii Dacheriani. In ea Innocentium II Ecclesiam Romanam egregiè rexisse asserit: *quod sanè*, inquit, *tam regularis Disciplinæ, quàm religionis monasticæ provectus ostendit; cùm civitates & castella passim pro secularibus Regulares Clericos habeant, & deserta plus hodie Monachorum, quàm ferarum habuerant quondam bestiarum.* Subdit, se ad Pontificem venturum fuisse, nisi circa *confirmandam sibi recentem novi Principis gratiam* graviùs occuparetur. Petrus Venerabilis in laudata Epistola petit ab Innocentio II, ut *Arnulphi* electio à Sede Apostolica confirmetur, & Comes Andegavensis nullatenus audiatur, scilicet Gaufridus, *& ne tyrannus, ut dicitur, appellatione Apostolica, non tyrannis, sed indigentibus debita, abutatur, permittat prudentia vestra.* de Arnulpho rursus infrà. Novus Princeps, de quo Arnulphus loquitur, alius non est quam Gaufridus præfatus, de quo Matthæus Paris. in Hist. ad hunc annum: *Gaufridus Comes Andegavensis à civibus Rotomagensibus solemniter susceptus est, & exinde Dux Normanniæ appellatus est.* Idem ac Matthæus Paris. habet Radulphus de Diceto in Abbreviat. Chron. pag. 508. Arnulphus itaque non multo ante Cælestini II electionem pacem cum Gaufrido inierat, à quo antea vexatus fuerat, ut ipsemet in Epistola ad Lucium III Papam data, & Tom. II Spicilegii pag. 482. recitata testatur his verbis: *XVII marcas in initio meæ promotionis assumpsi, quia bona omnia Episcopalia redimere de manu Comitis Andegavensis angebar, quæ ipse mihi per duos annos & tres menses abstulerat.*

VI. *Pax inter Cælestinum II & Ludovicum VII Galliæ Regem constituta.*

Chronographus Mauriniacensis narrata morte Innocentii II, ait: *Cujus honori subrogatus est Cælestinus, qui alio nomine Magister Guido de Castellis nominatus est. Hic verò prælatione illa dignissimus erat, quoniam ea eria, quæ inter homines penè habentur præcipua, simul confluxerant, celebremque Magistrum reddiderant. Nobilitas scilicet generis, mentis industria in omni statu æqualis, literarum quoque, quarum doctrina intentissimus fuit, scientia multiformis. Ad hunc Rex noster* (Ludovicus VII Galliarum Rex) *Legatos pro pace ineunda misit, quam ita dulcissima impetratione obtinuerunt, ut in conspectu illorum, multorumque nobilium, quorum frequentiâ Roma fremere solet, benignè adsurgeret, manuque elevata signum benedictionis contra regionem hanc faciens, ipsam à sententia interdictionis absolveret.* Quare pseudo-Robertus de Monte in Chron. accuratè hoc anno scribit: *Pax reformatur inter Papam & Regem Ludovicum*, rectèque etiam Radulphus de Diceto in Abbreviat. Chron. pag. 509. ait *per triennium* interdictum durasse.

SÆC. XII. An. C. 1143.

VII. *Pax alia inter eumdem Ludovicum & Theobaldum Campaniæ Comitem.*

Verum pax inter *Ludovicum* Regem & *Theobaldum* Comitem Campaniæ, quem Rex ita malè habuerat, anno tantum sequenti constituta. Pseudo-Robertus enim de Monte ad eum Christi annum scribit: *Mediante Abbate Claravallis* (sc. divo Bernardo) *simultas, quæ inter Regem Ludovicum & Comitem Theobaldum incanduerat, sopitur.* Porrò pax hæc adeo firma fuit, ut *Ludovicus* Rex, post divortium cum Eleonora, & post Constantiam secundam uxorem vita functam, *Adelam* Theobaldi filiam matrimonio sibi junxerit, ex qua *Philippus* cognomento *Augustus*, qui patri in Regnum successit, natus est. de dissensione inter Ludovicum Regem & Theobaldum vide dicta anno MCXLI. num. IV, & anno MCXLII num. I & seq.

VIII. *Pallium Willelmo Archiep. Eboracensi negatur.*

Sanctus *Bernardus*, ut videre est apud Baronium num. XIII, scripsit hoc anno Epistolam CCXXXV, aliàs CCXXXIV, *ad Cælestinum* II, & Epistolam CCXXXVI, aliàs CCXXXV, ad *totam Curiam Romanam*, adversùs Willelmum Eboracensem Archiepiscopum Electum, quem *intrusum* appellat. Jam anno MCXL de utraque Epistola verba fecimus, diximusque, *Willelmi* causam usque ad Pontificatum *Eugenii* III indecisam mansisse, interimque *Willelmum* Ecclesiæ Eboracensi præfuisse; ac præterea Baronium, quæ hîc breviter adversùs Willelmum scribit, postea retractasse.

IX. *Obitus Joannis Comneni Imp.*

Ad num. XV. De anno emortuali *Joannis Comneni* Græcorum Imperatoris Scriptores inter se non conveniunt. Tyrius enim lib. XV cap. XXIII mortuum scribit anno MCXXXVII, mense Aprili, Imperii XXVII, & pseudo-Robertus de Monte in Chron. anno MCXLI. Verùm cùm pleríque è Græcis, uti Nicetas in Joanne Comneno cap. XI & Joel in Synopsi scribant regnasse *Joannem* annos XXIV, menses VIII, consequens est Ottonem Frisingensem lib. 7. cap. 28. & Albericum in Chron. accuratè ejus obitum cum præsenti anno copulasse; præsertim cùm Codinus, sive quisquis Auctor est Chronici eidem subjuncti, prodat eum denatum *anno mundi*, scilicet Constantinopolitano, 6651. qui Kalend. Septemb. superioris Christi anni inchoatur, & Joannes Comnenus mense Aprili mortuus sit, cùm imperasset, inquit Codinus, *annos XXIV, menses VII, dies XXIII.* Sic enim legendum, ut ait Ducangius in Familiis Aug. Byzantinis, Characterismus annorum Manuelis ab eodem Codino observatus demonstrat; cùm perperàm dies XVII tantum pro XXIII ibidem exarati legantur. Uxorem duxerat superstite adhoc parente, *Irenem* Hungariæ Regis filiam, Ladislai nempe, teste Zonara pag. 240.

X. *Manuel filius ei succedit.*

Cinnamus in fine libri I hæc de morte ejus habet: *Moritur in Cilicia Imperator, imperiumque adipiscitur Manuel, qui erat ætatis posterior, sed patri gratior.* Subdit Cinnamus: *Manuel, qui singulari præ ceteris in parentem amore flagrabat, naturæ leges reveritus, demissis oculis, pronoque in pectus capite, profusis lachrymis pavimentum rigavit* (quando nempe pater ejus accersitis Magnatibus eum sibi successorem designavit), *chlamydem tamen induens, sumtoque diademate, ab universo exercitu Imperator proclamatur. Joannes verò paucis pòst diebus moritur, cùm totos vigiati*

ginti quinque annos, mensesque septem Romanis imperasset, octavo die mensis, quem Xanthicum Græci, Romani Aprilem vocant. Sed loco, *annos XXV*, legendum, *annos XXIV*, ut ex dictis Imperii ejus initio sequitur. Obiter observabis, quod jam non semel monuimus, *Tyrium* de rebus ante annum MCLIV in Oriente gestis sæpe malè edoctum fuisse; cùm Joannis Comneni Ang. mortem sexennio prævertat.

XI. *Michael Oxites fit Patriarcha Constantinop.*

Ad num. XVI Cùm *Leo Styppita* annos octo & menses octo Ecclesiam Constantinopolitanam administrarit, ut habet Catalogus Episcoporum Byzantinorum lib. IV Juris Græco-Romani relatus, annoque MCXXXIV ad eam Sedem promotus fuerit, obitus ejus optimè à Baronio, & antea ab Onuphrio in Chron. Eccles. hoc anno consignatus fuit. *Cùm vacaret Patriarchalis sedes Constantinopoli,* inquit Cinnamus in Historia sua lib. 2. pag. 18. *Michaelem illi imponit* (nempe Manuel Imp.) *monasterio in insula, quam Oxiam ex situ vocant, antea Præfectum, virum liberalibus disciplinis, humanioribusque literis leviter quidem imbutum, ac morum elegantia, rerumque divinarum scientia nemine inferiorem, unumque adeo ex iis, quorum ea ætate virtus erat maximè conspicua. Hujus vicissim manibus cùm in Ecclesia Imperatorio diademate fuisset insignitus, deposito in sacra mensa auri centenario, inde excessit, omnibus uno ore liberalitatem illius & magnificentiam prædicantibus. Clero etiam annuam ex palatio duorum centenariorum pensionem assignavit. Id numismatis vulgò Secundum nuncupant. Ejusmodi fuêre Manuelis imperii exordia.* Quibus ex verbis Manuelem hoc anno Imperium iniisse etiam intelligimus. Porrò *Oxia* monasterium erat in insula & monte ejusdem nominis, Chalcedoni proximum, qui mons etiam Auxentii appellationem sumsit.

XII. *Concilium cogit adversùs quosdam Bogomilos.*

Cinnamus lib. 2. num. 10. loquens de rebus imperante Manuele gestis ait: *Sub idem tempus Cosmas* (Patriarcha Constantinop.) *qui ea tempestate res Ecclesiasticas moderabatur, vir vitæ integritate & gravitate sermonis illustris, à Sede hanc ob causam depulsus est. Monachus quidam Niphon nomine, qui liberales disciplinas, humanasque scientias ne summis quidem labris degustaverat, etsi sacris à pueritia literis imbutus, cum Michaele viro pio, virtuteque insigni Ecclesiasticam dignitatem regente, haud sana circa Christianam religionem sentire visus esset, ideoque judicio Synodali fuisset condemnatus, barbà ad talos usque protensà, derasà, carceri mancipatur.* Refert hanc Synodum Allatius lib. 2. de Consens. Eccles. Orient. & Occident. cap. 12. ex qua discimus, cùm rursus Bogomilorum hæresis repullulascere in Niphone Monacho deprehensa esset, Synodo celebrata, *Niphonem* ipsum, nec non pseudo-Episcopos *Clementem* & *Leontium* condemnatos esse à Michaele Oxita, & quod majus est, *Cosmam Atticum* patriâ Æginetam, post Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum; quòd eumdem Niphonem protegeret. Illi *Bogomili* deprehensi sunt, *mensis Augusti XX, feriâ VI, indict. VI.* Sententia verò lata *mensis Octobris I feriâ sextâ, indictione VII.*

XIII. *Institutio novi Ordinis militaris facta à Raimundo IV Barcinonis Comite.*

Hoc anno V Kal. Decemb. congregatus est insignis & celebris Conventus apud *Gerundam*, in quo à *Raimundo* hujus nominis IV Comite Barcinonensi, & dominatore Regni Aragonensis constituta est nova militia ad defendendam Occidentalem Ecclesiam, quæ erat in Hispaniis, ita tamen ut ea semper esset in subjectione & obedientia militiæ Templi Hierosolymitani, ad cujus formam ista constituebatur. Eam ob rem *Raimundus* Roberto Magistro militiæ Templi, & Successoribus ejus quædam castra tradidit, enumerata in literis fundationis recitatis à Baluzio in Appendice ad Marcam Hispanicam num. 402. Literis subscriptus est inter alios Gregorius Electus Tarraconensis Archiepiscopus, & Raimundus in iis dicitur tantum *gratiâ Dei regni dominator Aragonensis*; ex quibus patet, *Ranimirum* Exregem Archiepiscopatui Tarraconensi renunciasse, & Raimundum Regis titulum sibi nunquam sumsisse, cum in nullis aliis Diplomatis illum usurparit, licet Petronilla ubique Aragoniæ Regina dicta reperiatur.

XIV. *Raimundus IV Regis Aragoniæ nomen nunquam assumere voluit.*

Verè itaque Guillelmus Neubrigensis lib. 2. cap. 10. post narratam Ranimiri Monachi abdicationem à dignitate Regia, subdit: *Quibus actis suasum inveni, ut regni insignia, idest, coronam & purpuram solemniter sumeret* (nempe Raimundus IV), *cùm regnum haberet. Negavit se ille hoc facturum, ita allegans. Cùm nullus progenitorum meorum super Comitem fuerit, naturâ sum Comes, qua contentus, sicut non sum melior, ita nec excellentior esse volo, quàm patres mei. Ut ergo in me fortuna naturam non superet, nomen & insignia Regis omitto. Porrò ut in me etiam servias fortunæ natura, retento Comitis nomine regni amplitudinem & potestatem non respuo. Huc accedit, quod Regia dignitate assumta non multis Regibus, in divitiis & gloria cederem. At cùm mihi regni sint opes, cum potestate Regia: Barcinonensi Comiti nullus in mundo Comes potest æquari. Proinde malo esse Comitum primus, quam Regum nec septimus. Sic itaque vir mirabilis, nobili quodam Regis honoris contemptu vel allegabat, vel jocabatur, cùm ab amicis excellentiam induere Regiam moneretur. Nec unquam vel Rex, vel Dux: sed Comes tantum Barcinonensis appellari voluit, licet Ducatum Provinciæ, idest, illius regionis, quæ sic dicitur, & à Rhodano usque ad Italiæ fines extenditur, cum regno Aragonum possideret. Porrò ejus filius post decessum patris, juxta maternæ prærogativam generis à Romano Pontifice in Regem est solemniter consecratus.*

XV. *Alcoranum curâ Petri Venerabilis in linguam Latinam versum.*

Anno Domini MCXLIII per industriam Abbatis Petri Cluniacensis, liber qui dicitur Alchoranus cum tota secta impii & pseudo Prophetæ Machumet de Arabico in Latinum translatus est, &c. *& hic erat annus Alhigeræ* (idest, Hegiræ) *DXXXVII*, inquit Auctor Magni Chronici Belgici pag. 163. Fusè de hac versione loquitur Petrus Venerabilis in Epistola ad Sanctum Bernardum data, quæ libri IV decima tertia est: *Misi*, inquit, *& novum translationem nostram contra pessimam nequam Mahumet hæresim disputantem, quæ dum nuper in Hispaniis morarer, meo studio de lingua Arabica versa est in Latinam*, &c. *Fuit autem in transferendo hæc mea intentio, ut morem illum Patrum sequerer quo nullam unquam suorum temporum vel levissimam, ut sic dicam, hæresim silentio præterirent, quin ei totis fidei viribus resisterent, & scriptis ac disputationibus esse detestandam ac damnabilem demonstrarent. Hoc ego de hoc præcipuo errore errorum, de hac fæce universarum hæresum: in quam omnium diabolicarum sectarum, quæ ab ipso Salvatoris adventu ortæ sunt, reliquiæ confluxerunt, facere volui: ut sicut lethali ejus peste dimidius pene Orbis infectus agnoscitur, ita quam sit exsecrandus & conculcandus,*

conculcandus, detecta ejus stultitia & turpitudine, à nescientibus agnoscatur. Agnosceris ipse legendo, & sicut arbitror, ut dignum est deflebitis: per tam nefarias & abjectissimas sordes tantam humani generis partem deceptam, & à conditore suo per spurcissimi hominis sectam, etiam post Redemptoris gratiam, tam leviter aversam, &c. Petrus Cluniacensis usus est *Roberto Retenensi*, natione Anglo, Pampelonæ Archidiacono, qui & Alcoranum in epitomen redegit, quique in Asia inter Saracenos diu versatus fuerat, ut narrat Nicolaus Cusanus in Cribtatione Alchorani lib. 1. Roberti versio cum opusculis aliorum *Alchoranum* refutantibus edita fuit seculo elapso Norimbergæ & Basileæ, ut notavit Miræus in Auct. de Script. Eccles. Expectamus in dies novam & accuratissimam versionem ejusdem *Alchorani*, quæ ab aliquot annis sub prælo sudare dicitur.

Anno Eræ Hisp. MCLXXXII Anno Hegiræ DXXXIX. inchoato die 4. Julii fer. 3.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6637.

☉ 5. B A. ☽ 5. P. 26. Mart. Indict. 7.

JESU CHRISTI 1144.

LUCII II PAPÆ 1.

CONRADI III REG. 7.

MANUELIS COMNENI IMP. 2.

I. *Obitus Cælestini II PP.*

AD num. I. & seq. *Cælestinus* II hoc anno, postquam *sedisset mensibus quinque, & diebus decem & tribus, obiit VIII Idus Martii*, inquit Baronius ex Vaticano Codice de Vitis Pontific. Sed cùm certum sit, eum die vicesima sexta mensis Septemb. anni superioris Pontificem creatum, manifestum est, errorem irrepsisse vel in dies, quibus supra menses quinque sedit, vel in diem ejus emortualem, uti numerant patet. Quare Sigonius in Hist. de Regn. Ital. lib. XI & Onuphrius in Chron. Eccles. quos verosimile est, Codicem illum Vaticanum legisse, loco, *VIII Idus Martii*, rectè habent, *VII Idus Martii*; sic enim Cælestinus mortuus die nona mensis Martii Ecclesiam Romanam rexit menses quinque & dies tredecim, quod & Martinus Polonus Urspergensis in Chron. Auctor magni Chronici Belgici pag. 168. & VIII Catalogus noster tradunt. Ceccanus in Chron. & Catalogus noster VII, qui habent dies *quatuordecim*, diem sepulturæ seu diem X Martii, in summam conferunt.

II. *Lucius II ei succedit.*

Post triduum Cardinales convocati *Gerardum Caccianimicum*, civem Bononiensem, quem *Honorius* II ex Canonico Regulari Cardinalem crearat, sublegêre, eoque consecrato *Lucium secundum* appellarunt, inquit Sigonius citatus, quod & Onuphrius etiam habet, asserens eum renunciatum Pontificem *quarto Idus Martii*, & consecratum proxima Dominica; sed cùm dies XII mensis Martii hoc anno in Dominicam inciderit, ejus electionem & consecrationem eadem die peractas existimandum. Mabillonius in Itinere Italico pag. 199. loquens de Abbatia Sancti Salvatoris in urbe Bononiensi sita, quæ caput est Congregationis Canonicorum Regularium S. Augustini, ait quatuor à Bononia passuum millibus extare ejusdem Congregationis Abbatiam Beatæ Mariæ de Rheno, ex qua, "inquit, Lucius II ad Pontificatum assumtus "fuit, antea *Gerardus* dictus: cujus mentio est "in Necrologio loci, tum ad XI Kal. Octob. "quo die coronatus est anno MCXLIV, tum "ad VIII Kal. Septemb. qui dies ejus supremus fuit anno sequenti. Verùm jam sæpius monuimus hujusmodi annotationes Martyrologiis & Necrologiis non raro insertas esse; quod de ista negari non potest, ut tam ex mox dictis, quàm ex infrà dicendis perspicuum fit; cùm enim nonnisi de uno aut altero die quoad diem emortualem Cælestini II dissidium sit inter Auctores, coronatio *Lucii* II ejus successoris in mensem Septembrem differri non potuit.

III. *Pontifex magnis dotibus praeditus*

Chronographus Mauriniacensis pag. 387. de Cælestini II morte, & Lucii II initio ait: *Mors nemini parcens tantum Pontificem VII infulationis suæ mense* (utrimque scilicet incompleto & paucis diebus constante, quod passim variis exemplis indicavimus) *seculo prematura abstractione eripuit; quo ergastulo carnis exuto, substitutus est in Papam Lucius, Girardus de Sancta Cruce, qui & ipse strenuissimus erat; sed & morte citiùs præoccupatus est. Hic diversarum Ecclesiarum status consulere volens, duos Legatos a latere suo mittere curavit, Albericum Ostiensem in Franciam, Haimerum Tusculanensem in Angliam.* Haimerus, seu, ut rectiùs alii, Igmarus vel Ymarus, ex Monacho Cluniacensi S. Martini à Campis Prior Caritatis ad Ligerim, dein Abbas monasterii novi apud Pictavos, ac demum Cardinalis ab Innocentio II creatus & Tusculanensis Ecclesiæ titulo decoratus memoratur & laudatur in Chron. Cluniacensi, ubi sermo est de Pontio I Abbate Cluniacensi, ac de eo inter alia dicitur, sub Lucio Papa Legatione functum esse in Anglia, & ad subvertendum judicium nullis potuisse pecuniis expugnari. De eo legendus Baronius in ipso fine Appendicis ad Tomum XII, & quæ de Imari morte anno MCLXXXV dicemus; hunc enim sub Lucio III Legationem illam obiisse credidit Cardinalis doctissimus.

IV. *Ymarus Card. Legatus S. Sedis in Galliam mittitur.*

Lucium II sub hujus anni finem *Ymarum* è Legatione Anglicana ad Gallicanam transtulisse eruo ex Tomo III Spicilegii Dacheriani lib. I Historiæ Vezeliacensis pag. 473. & seqq. Scribit Lucius ad Pontium Abbatem Vizeliacensem, ejusque fratres, Paschalem II Episcopis Galliæ mandasse, ut interfectores Artaldi Abbatis sui in exilium detruderent, & impedirent ne hujusmodi homicidæ in monasterio Vezeliacensi habitarent. Epistola data est *Lateran. VI Idus April.* Tum alias literas dedit ad S. Bernardum Clarevallensem Abbatem, dicens se accepisse Guillelmum Nivernensem Comitem contra Sedis Apostolicæ auctoritatem à Pontio Abbate Vezeliacensi exigere, ut de qualibet querimonia cum hominibus suis in Curia sua respondeat. *Ideoque*, subdit, *per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus eumdem Comitem ex nostra parte diligenter commoneas, ut* &c. *ab hujusmodi exactione desistat, aut in præsentia Venerabilium fratrum nostrorum A. Ostiensis & I Tuscul. Episcoporum, Apostolicæ Sedis Legatorum, juxta tenorem Sedis Apostolicæ Privilegiorum, quod justitia dictaverit, ab eodem Abbate recipiat*, &c. *datum Lateran. XIII Kal. Decemb.* Ex literæ leguntur nunc Tom. X Concil. in Lucio II, ex iisque evidenter deducitur, electionem aut coronationem Lucii II rectè à nobis fuisse consignatas. Secundò, *Ymarum* mense Novembri hujus anni Sanctæ Sedis Legatum in

Francia

Francia extitisse; & cùm omnia in Anglia turbata essent, suspicor eum citò ex ea reversum. Tertiò, Willelmum illum secundum ordine fuisse; cùm *Willelmus* III ejus filius Principatum Nivernensem nonnisi post triennium ex infrà dicendis inierit.

Lucius II annum Incarnat. à die XXV Martii exorsus est.

V. Ad num. III. Tom. X Concil. referuntur aliquæ Epistolæ Lucii II hoc anno datæ, quarum in Annalibus mentio non est. Hîc tantum aliquid dicendum de Epistola ordine VI ad Petrum Venerabilem Cluniacensem Abbatem, cujus Baronius meminit, subscriptio enim observatu digna; cùm ex ea, qua Incarnationis Era Lucius II usus sit, nobis innotescat: *Datum Romæ per manum Baronis S. R. E. Subdiaconi XVI Kal. Februarii, indict. VIII Incarnat. Dominicæ anno MCXLIV Pontificatus verò Domini Lucii II Papæ, anno primo.* Ea Epistola non hoc anno, quo eam Baronius memoravit, sed sequenti scripta, ut indictio VIII Kalendis tantum Septemb. hujus anni inchoata demonstrat. Quare *Lucius* II annum Incarnationis à die XXV mensis Martii inchoavit, quod & postea in usu fuit. In ea Epistola *Lucius* II scribit, in monasterio Sancti Sabæ à Gregorio M. Romæ fundato religionem lapsam esse, mores corruptos & possessiones distractas, seque illud eidem & successoribus in perpetuum committere. Quoad literas *Alphonsi* Portugalliæ Principis, quibus Romanæ Ecclesiæ Ducatum suum vectigalem reddit, anno MCXL eas à Baluzio V. Cl. è tenebris erutas fuisse diximus; Baronii enim tempore non extabant.

Lucius II à Romanis rebellibus vexatur.

VI. A num. IV ad IX. Cùm *Lucius* II à Romanis persecutionem pateretur, *Conradum* Romanorum Regem adversùs eos interpellavit. Scripsêre & ad Conradum Regem *Arnaldistæ*, seu rebelles adversùs Pontificem Romani, eumque Romam vocarunt. Sed Conradus eorum Legationem despexit, quæ à Baronio ex Ottone Frisingensi lib. 7. cap. 31. narrantur. Addunt Arnaldistæ se accepisse concordiam factam *inter Siculum & Papam.* Ad horum majorem intelligentiam, & majorem Annalium Ecclesiast. illustrationem hæc addam. Anonymus Casinensis in Chron. ad annum MCXLII, qui nobis est MCXLIII de Rogerio scribit: *Rex iterum ad hunc locum venit* (nempe ad Montem Casinum). *Terra Marsorum* (est circa Celanum & lacum Fucinum) *se ei tradidit.* Joannes verò Ceccanus in Chron. *Rex Siciliæ venit Arcim & insisit in suo jure .... filii Regis ceperunt totam terram Marsorum.* Laudatus Anonymus Casinensis queritur de Rogerio Rege, aitque: *Thesaurum hujus loci omnem cum tabulis ante altare tollit, præter Crucem majorem cum ciborio & tribus tabulis altaris.* Hæc anno superiori gesta.

Gesta à Rogerio Rege in Regno Neapol.

VII. Hoc etiam anno Joannes Ceccanus habet: *Venit Rex Siciliæ in mense Junio Ceperanum, & Dux filius ejus intravit in terram Sancti Petri, & cepit eam;* & in Anonymo Casinensi legitur de Rogerio Rege: *Iterum ad hunc locum veniens cum Papa loquitur, & discordans Papa recedit. Rex partem Campaniæ cum Tarracina cepit; Berculas obsedit, deinde quodam pacto facto, quæ ceperat, reddidit; Siciliam abiit. Obiit Alfusus Princeps, & frater ejus Guillelmus fit Princeps.* Ubi Principis nomine intelligit Capuæ Principem, cùm Guillelmus jam Princeps Tarenti esset, & eam dignitatem à Rogerio Rege patre obtinuisset, uti asserit Hugo Falcandus in sua Historia. Peregrinius in Notis ad Anonymum Casinensem ait, in MS. Montis Casini hæc verba legi: *Rex iterum ad hunc locum veniens, Ceperanum abiit, ubi cum Papa loquitur, & discordantes Papa recedit,* &c. & hæc notat: Cælestini Pontificis obitus in annum incidit MCXLIV, & mensem Martium. "Quo quidem anno, sicut hoc etiam loco Anonymus "tradit, Ansusum Capuæ Principem diem "obiisse, eique à patre ac Rege Rogerio suffe"ctum, tum in eodem Principatu, tum in Du"catu Neapolis alterum filium, nomine Guil"lelmum, ex antiquis manifestum est Chartulis. Ita ille qui debuisset aliquam ex Chartis illis citare; cùm Falco Beneventanus in Chron. affirmet Neapolitanos se se *Rogerio Regi* & Rogerio Duci, non verò Principi Alphonso subdidisse. Si chartæ illæ clarè in favorem *Guillelmi* se exprimant, *Rogerium* Ducem jus suum in Neapolim Guillelmo fratri cessisse oportet, & forsàn ut ab eo Tarentum acciperet.

Jordanus à rebellibus creatus Patricius Romanus.

VIII. "Subjungit Peregrinius: Hugo itaque Falcan"dus certè est memoria lapsus, *Guillelmum* hunc "ex Tarenti Principe in Regni collegam & "successorem à patre dicens postea adscitum, "quem rectiùs Romualdus Salernitanus, non "tamen sine novo errore, ex Capuæ Principe "in Regem evectum notat; dudum enim ante "*Ansusi* mortem in fata etiam concesserat *Tancredus* Tarentinus, qui Barensis quoque di"ctus est Princeps; Duxque Apuliæ *Rogerius* in "anno MCXLVIII post *Ansusum* è vivis & "ipse abierat, solusque patri remanserat præ"sens *Guillelmus*. Ita Peregrinius. Verùm Falcandus de solo Tarenti Principatu loquitur, quia hic primus Guillelmi titulus fuit, & Romualdus de solo Principatu Capuano, quia is contermimus, & Salerno, cujus Romualdus Archiepiscopus erat, vicinus. Præter hæc Anonymus Casinensis hoc anno habet: *Jordanus filius Petri Leonis cum Senatoribus & parte totius populi minoris contra Papam rebellat.* Quibus lucem accipiunt quæ Baronius num. I ex Ottone Frisingensi lib. 7. cap. 31. narrat, nempe ab hoc anno Romanos tempus restituti Senatus numerare consuevisse, ipsorum publica monumenta docere. Sigonius verò lib. XI Hist. de Regn. Ital. refert Romanos instituisse hoc anno *Patricium*, & eam dignitatem detulisse ad *Jordanem* Petri Leonis filium, eique vectigalia omnia Pontifici erepta attribuisse.

Miser status Angliæ.

IX. Ad num. IX & seq. Guillelmus Neoburgensis, qui hoc tempore vivebat, lib. 1. cap. 22. miserum Angliæ statum hoc modo repræsentat: *In diebus illis non erat Rex in Israel, sed unusquisque quod rectum sibi videbatur, faciebat. At in Anglia sub Rege Stephano, pejus fiebat; nam quia tunc impotens erat Rex, & per Regis impotentiam languida lex; quibusdam quod rectum sibi videbatur, agentibus; multi, quod insita ratione malum esse sciebant, sublato legis & Regis metu, proclivius faciebant. Et primò quidem videbatur Regnum Angliæ scissum esse in duo: quibusdam Regi, quibusdam Imperatrici faventibus. Non quod vel Rex, vel Imperatrix, suæ parti potenter imperaret: sed quod suorum bellicis quisque studiis pro tempore mitteretur. Neuter enim in suos imperiosè agere, & disciplinæ vigorem exercere poterat; sed uterque suos, ne à se deficerent, nihil negando mulcebat. Sanè inter partes diu multumque certatum est, alternante fortuna.*

SÆC. XII. An. C. 1144.

X. *De eodem.*

Processu verò temporis inter eos jam sapiùs fortuna infidelitatem expertos, remissiores motus esse cæperunt. Quod tum Anglia non cessit in bonum; illis quippe diutina concertationis pertæsis, & molliùs agentibus; provinciales discordantium Procerum motus efferbuêre. Castella quippe per singulas provincias, studio partium, crebra surrexerant: erantque in Anglia tot Reges, vel potius Tyranni, quot Domini Castellorum, habentes singuli percussuram proprii numismatis, & potestatem subditis, Regio more, dicendi juris. Cumque ita singuli excellere quærerent; ut quidam superiorem, quidam vel parem sustinere non possent; feralibus inter se odiis disceptantes, rapinis atque incendiis regiones clarissimas corruperunt. Et uberrima olim patria, ferè omne robur panis assumsère.

XI. *S. Bernardus scribit adversùs Willelmum Archiep. Eboracensem.*

Willelmus Eboracensis Archiep. illam quidem Ecclesiam regebat, sed propter ea quæ perperàm de eo jactabantur mala, quæ divus Bernardus vera esse putabat, Pallium hactenus obtinere non potuerat. Verùm hoc anno, ut scribit Joannes Prior Hagustaldensis in Hist. ad annum MCXLVI, (duplici tamen errore Chronologico), *Hicmarus* (vel rectiùs Ymarus) *Episcopus Cardinalis directus ab Apostolico Lucio Legatus venit in Angliam, habens Pallium Willelmo Archiepiscopo destinatum. Moram autem fecit per negligentiam idem Willelmus occurrere ei, circa alia minus necessaria occupatus, ut consuetudinem habuit.* Hoc autem ad præsentem annum pertinere ostendunt obitus Lucii, qui statim ibi narratur, & Ymari Legatio, quæ hoc anno cœpta, absolutaque, *Willelmus* Abbas Rievallensis, vir magnæ sanctitatis, aliique sedente Innocentio II Romam venerant, ut impedirent, ne Willelmus à Pontifice confirmaretur, & Pallium obtineret, quod cùm hoc anno consecutus fuisset, divus Bernardus *ad Willemum Abbatem de Rievalle* scripsit Epistolam CCCLX, aliàs CCCLXXX, qua eum denuò hortatur ad patientiam & æquanimitatem: *Laboravimus*, inquit Bernardus, *quantum potuimus, adversùs pestem communem* (idest, Willelmum Electum Eboracensem), *& si quo minus impetravimus quod optavimus, manet tamen nobis fructus laboris nostri apud Deum, apud quem nullum bonum irremuneratum est.* Post aliqua interposita subdit: *Nos tamen, quod potuimus, suggessimus Domino Tusculano Episcopo* (nempe Ymaro in Anglia Legato), *cui injunctum est, ut legatione fungatur in partibus illis: & omnino promisit nobis, se, nisi aliquid melius fecerit nobis, id saltem omnimodis observaturum, ne tradat ei Pallium quod portat, si non juraverit Decanus ille* (nempe Eboracensis, de quo suprà agimus) *nunc verò Episcopus* (nempe Dunelmensis), *in cujus juramento causa pendebat: sed causam referat ad Dominum Papam.* Mabillonius in illius Epistolæ margine notat annum MCXLIII, sed eo anno nec *Lucius* II adhuc Pontifex Rom. erat, nec *Ymarus* Angliæ Legatus. Willelmum ab Eugenio III dignitate motum fuisse, & ab Anastasio IV cognita ejus innocentia in eamdem restitutum infrà visuri sumus.

XII. *Translatio Reliquiarum S. Dyonysii & sociorum.*

In Chronico brevi Sancti Dionysii Tom. II Spicilegii Dacheriani habetur: *MCXLIII* (legendum, MCXLIV, ut mox certò constabit) *dedicatio capitalis partis Ecclesiæ* (Sancti Dionysii), *& Translatio B. Dionysii & sociorum ejus in eamdem partem capitalem, aliorumque sanctorum, quorum ibidem corpora continentur, XXIII anno administrationis Domini Sugerii Abbatis.* Et postea anni MCXLIV & MCXLV vacui sunt. Cùm verò idem Chronographus disertè affirmet, Sugerium anno MCXXII Abbatem ordinatum esse, annus præsens XXIII est ordinationis ejus, sed Librarii, ut non raro fit, hanc dedicationem in annum præcedentem retraxêre. Ipsemet Sugerius libellum edidit *de consecratione Ecclesiæ à se ædificatæ*, aitque se ad eam Translationem faciendam elegisse secundam Junii dominicam, *videlicet III Idus, quod est Barnabæ Apostoli.* Quare eam ad currentem annum pertinere certò constat. Ea solemnissima fuit; interfuêre enim Ludovicus VII Franciæ Rex, Eleonora conjux ejus, Adelais mater, Regni Optimates, & varii Archiepiscopi & Episcopi, inter quos Guido Senonum Archiepisc. *Gaufredus Carnoti Episc. & Guido Catalaunis Episc.*

XIII. *Aliqui Librariorum errores correcti.*

Extat libellus Sugerii de Consecratione Ecclesiæ suæ Tom. IV Duchesnii, qui cùm eum mutilum reperisset, Mabillonius Tom. I Analect. pag. 328. supplevit quod deerat ex codice Victorino, & in eo supplemento nomina trium Præsulum memoratorum iterantur, sed in eo Catalaunensis Episcopus Werdo, & Senonensis Archiep. Werdo nominantur, manifesto Librariorum errore, qui *Widonem* in *Werdonem*, *Hugonem* etiam in *Werdonem*, & *Guidonem* mutarunt. Hoc enim anno Hugonem cognominatum de Touciaco, vel Tuciacensem Henrico Archiepiscopo Senonensi successisse docet Chronographus Sancti Petri Vivi, & Guidonem Catalaunensi Ecclesiæ præfuisse videre est in San-Marthanis. *Gaufredus Carnotensis*, neque in libello neque in supplemento, neque in Chronico Mauriniacensi Sanctæ Sedis Legatus dicitur, ideoque hoc anno eo munere functus non est. Chronographus Mauriniacensis pag. 387. De electione Abbatis sui loquens ait: *Hanc electionem, cùm Rex* (Ludovicus VII) *& prædicti Episcopi confirmassent, domnus Thoinus Senonas profectus, & à Gaufredo Carnotensi Episcopo, qui Archiepiscopo absente ejus in officiis executione Vicarius esse solet, benedictione solemni sublimatus est.* Ubi multa observanda. Primò, Gaufredum Carnotensem non appellari Legatum S. Sedis. Secundò, Episcopos Carnotenses peculiari prærogativa primos suffraganeos esse Archiepiscopi Senonensis. Tertiò, Episcopos qui electionem Abbatis Mauriniacensis confirmarunt, fuisse *Albericum* Ostiensem, & *Haimerum* seu melius *Imarum* Tusculanensem, quos jam dixerat Chronographus Legatos missos, illum in Galliam, istum in Angliam. Quare confirmatur quod suprà diximus, *Imarum* nempe hoc anno Legatum in Francia fuisse. Quartò, ex Sugerii verbis deducitur, *Hugonem* ante diem XI mensis Junii jam Archiepiscopum Senonensem fuisse. Denique corrigendus error, qui irrepsit in Chronicon Mauriniacense, ubi dicitur *domnus Thoinus Senonas profectus*; loco enim vocis *Thoinus*, legendum, *Taciacus*, vel *Taciacensis*. Corrigendus & error, qui extat in inscriptione Epistolæ ab Ecclesia Senonensi ad Gaufredum Carnotensem datæ, quem rogant, ut Archiepiscopo Electo benedictionis manus imponat. In Catalogo enim Archiep. Senonensium à Mathoudo composito pag. 118. ea dicitur data *ad Gostenum Carnot. Episc.* cùm tamen *Goslenus* ibidem perperàm *Gostenus* appellatus non-

dum

dum Episcopus Carnotensis esset. Sed Librarius litteram G. Quæ sola erat in exemplari, insulsè interpretatus est. Hîc non prætermittendum, *Amedeum* Archiep. Lugdunensem Apostolicæ Sedis Legatum in Francia fuisse anni hujus initio, cùm San-Marthani in Archiep. Lugdunensibus mentionem faciant Rescripti Cœlestini II, dati *Laterani XIII Kal. Martii*, in quo Amedeus dicitur Legatus Sanctæ Sedis.

XIV. *Edessa à Turcis capta.*

Edessa celeberrimæ Mesopotamiæ civitatis captæ, desolatæque epocha à Chronologis variè constituta, quia enim plerique Antiquorum annos Incarnationis hoc tempore à die Natali Christi exordiebantur, varii inde errores enati. Civitas nocte Nativitatis Christi à Turcis capta, Dodechino in Chron. Hovedeno, aliisque testibus. Præterea Villelmus Tytius magnam hanc Christianorum jacturam lib. XVI num. III copulat cum anno MCXLII, & Eugenii III Pontificatu, & cùm ipse testis irrefragabilis videatur in narratione rerum hoc tempore in Oriente gestarum, non defuêre qui piaculum duxerint ab ejus sententia discedere, cùm tamen ipsemet fateatur, se in rebus quæ ante annum MCLIV in sacris bellis contigêre, auritum testem esse, non verò oculatum. Verùm *Edessam* nocte Nativitatis Christi anni Eræ vulgaris MCXLIV in Turcorum potestatem venisse certum impostėrum esse debet. Dodechinus enim, qui annum à Natali Christi auspicatur, ad annum MCXLV scribit: *Hoc anno Rohas* (ita Edessa à Turcis, aliisque Orientalibus appellata) *à Saracenis capitur in sacra nocte Nativitatis Domini: quorum Rex extitit quidam Sanguin nomine.* Signantiùs Urspergensis Abbas, qui annum etiam à Natali Christi inchoat, habet: *Anno Dom. MCXLV incipiente, in ipsa sacrosancta Nativitatis Christi solemnitate, lugubre & miserabile ex peccato Christiani populi accidit in Oriente piaculum. Sanguinus enim Halapensis Syria ac Mesopotamia, excepta Antiochia & Damasco Princeps, Persarum verò & Medorum Regis, seu Soltani* (nempe Bagadensis) *subditus, Edissam quæ nunc Rohas dicitur, anicum Hierosolymitanæ Ecclesiæ pro magnitudine ac abundantia sui refugium, cum infinita Saracenorum multitudine circumdedit, ac in ipsa, ut dixi, Nativitate Domini irrupit, cunctis ibidem cum urbe Christianis in ore gladii occisis, vel miserabili captivitate in servitutem redactis, Ecclesias Christi, & præcipuè Beatæ Mariæ semper Virginis Basilicam, & eam in qua Thomæ Apostoli corpus reconditum est, ad Salvatoris nostri ignominiam intrò ferens, ea quæ non licebat* (legendum, licebant) *fœde polluit, nostrisque penitus exterminatis, Saracenos sibi ad habitandum collocavit.* Falsam tamen esse traditionem, quæ fert corpus Sancti Thomæ Apostoli apud Edessam extitisse, alibi ostendimus. Denique Otto Frising. hujus temporis Scriptor. lib. 7. cap. 30. eumdem diem ac annum designavit.

XV. *Quam magna fuerit hæc jactura*

Quomodo nobilis hæc Civitas propugnatrix non tantum murorum, sed etiam finium suorum in medio hostium innumerabilium per tot secula invicta, hostium præda facta fuerit, refert his verbis Neubrigensis lib. 1. de Reb. Angl. cap. 18. *Armenius quidam, civis Edissenus, habitans in turri muro contigua, ob filiam suam à Principe civitatis corruptam, coquens animo vindictam, invitatos pactis intestinis Turcos ipsa nocte Nativit. Dominica intromisit in urbem: qui irruentes in populum securè in Ecclesia excubantem, & Archiepiscopum quidem altari assistentem mactarant; populum verò non resistentem, sed subiti casus stupore rigentem gladiis trucidarunt. Sic capta & in potestatem spurcissimæ gentis redacta est Edissa, tantis retrò temporibus semper invicta, & antiqua fidei Christianæ alumna. Latissimis quoque finibus ejus pertinaci hostium furore pervasis, & in eorum possessionem cedentibus, Christianæ religionis cultus trans Euphratem funditus deletus est.* Sed quia tantæ cladis fama anno sequenti ad Occidentem pervenit, aliqui Historici eo etiam anno hoc infortunium collocarunt, & ibidem eam Baronius memorat.

XVI *Dissidium Canonicorum & Monachorum Mediolanensium.*

Anno superiori Canonicis Ecclesiæ Mediolanensis & Monachis ejusdem Ecclesiæ de jure campanarum pulsandarum inter se se dissidentibus, urbs Mediolanensis rursùs perturbata. Consules urbis dissidii judices electi partes in Palatio Archiepiscopali, *Robaldo* Archiepiscopo præsente audiêre, & utrisque aliquid concessêre. Robaldus Consulum efflagitatu *jussit & præcepit prædicto Abbati & Monachis, atque Præposito & Canonicis, ut ita attenderent & adimplerent, sicut ipsi Consules eis præciperent.* Instrumentum à Puricello in Monum. Eccles. Ambr. num. CCCXCI relatum, datum dicitur *anno Inc. MCXLIII, medio mense Junii, indictione VI.* Hoc verò anno dissidium illud non solùm renovatum, sed etiam auctum. *Robaldus* Archiep. de eo cognovit, ut liquet ex Instrumento à Puricello num. CCCXCVIII recitato, & hoc anno *mense Novembris indictione octava* dato. *Galdinus*, his verbis ei subscripsit. *Ego Galdinus Subdiaconus & Cancellarius à me dictata subscripsi.* Is postea Archiep. Mediolanensis fuit, & in numerum Sanctorum relatus, ut suo loco videbimus.

XVII. *Moritur Robaldus Archiep. Mediolanensis,*

Non multò post *Robaldus* è vivis excessit. Ejus obitus à Puricello num. CCCXCIX his verbis notatur: Clarissimi viri *Aloysii ab Ecclesia* Catalogus expressè habet, *Obiit prædictus Robaldus secundo die ante Kalendas Januarii anno Dom. MCXLIV.* In Catalogo tam à Mabillonio, quàm à Papebrocio publicato legitur: *Obiit III Kal. Jan.* quod idem prorsus est cùm dies XXX Decembris secundus sit ante Kalendas Januarii, & III Kal. Januarii. Obertus seu Ubertus *venit ad sedem secunda Februarii die anno Domini MCXLIV*, *ut* legitur in præfato Aloysii Catalogo, cujus Auctor annum usque ad diem XXV Martii sequentis anni Dionysiani continuat. In Catalogo Archipresbyteri Metropolitani Mediol. apud Puricellum post narratam Robaldi mortem habetur: *Vacat tum sedes diebus XXIII. Obertus venit ad sedem XXI Januarii anno Dom. MCXLV* à primo die Januarii inchoato. Verum est in Catalogo à Mabillonio edito legi: *Fuerunt autem ab ipsius obitu usque ad electionem domini Oberti dies XXVI*, sed legendum, *dies XXIII*, ut habet Papebrocius, qui eumdem Catalogum etiam edidit. Verùm non bene hic Vir doctissimus *Robaldi* mortem usque ad diem XXX mensis Decembris sequentis Christi anni distulit.

SÆC. XII. An. C. 1145. Anno Eræ Hispan. MCLXXXIII. Anno Hegiræ, DXL inchoato die 23. Iunii fer. 7.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6638.

☉ 6. G. ☽ 6. P. 15. April. Indict. 8.

JESU CHRISTI 1145.

EUGENII III PAPÆ 1.

CONRADI III REG. 8.

MANUELIS COMNENI Imp. 3.

I. *Moritur Lucius II. PP.* AD num. I Gotfridus Viterbiensis in Chron. pag. 512. *Lucius secundus*, inquit, *intendens Senatum extinguere, cum ingenti militia Capitolium Romæ conscendit, ut sedentes ibi tunc Senatores cum dedecore removeret. Senatus autem, populusque Romanus ad arma conversus, Papam cum suis omnibus à Capitolio in momento repellunt, ubi Papa (sicut tunc audivimus) lapidibus magnis percussus, usque ad obitus sui diem, qui proximè secutus est, non sedit in sede. Cui tunc successit Eugenius Abbas S. Anastasii Romæ.* De lapidis ictu idem refert Baronius num. I ex Codice Vaticano, aitque nihil de illo habere Ottonem Frisingensem ejus temporis Auctorem, sed tantum eum quotidianis cruciatibus effectum diem obiisse; verùm cùm Viterbiensis hujus etiam temporis Scriptor sit, & consentientem habeat codicis Vaticani Scriptorem, non video quod Viterbiensis de illo ictu refert, in dubium revocandum esse. Obiit Lucius II *quinto Kal. Martii*, idest, die XXV Februarii, ut traduot Baronius, Onuphrius in Chron. & Sigonius lib. XI. Hist. de Regn. Ital. seditque *menses undecim & dies quatuordecim*, ut Baronius & Onuphrius habent, & Sigonius supponit non verò dies IV supra menses XI ut perperam legitur in Martino Polono. Matthæus Parisiensis, qui in Chron. dies tantum XIII numerat, diem emortualem excludit.

II. *Fuerat Canonicus Regularis Ord. S. Augustini.* Joannes Diaconus junior Basilicæ Salvatoris Patriarchii Lateranensis Canonicus in libro de Ecclesia Lateranensi apud Mabillonium Tom. II, Musei Ital. verba faciens de Lucio II ait: *Retro sub absida est altare Sanctorum Chrysanti & Dariæ, in quo recondita olim fuerant eorum pretiosa corpora*, &c. *In eadem parte sunt sepultura Apostolicorum, in quibus Sanctæ recordationis Lucius Papa II. Hic vixit in Canonicali proposito longo tempore in Ecclesia ista, atque hinc assumptus Presbyter Cardinalis ordinatus est in Ecclesia Sanctæ Crucis in Jerusalem, quam de ruinis à fundamento præclaro & admirando opere renovavit, atque ad normam religionis secundum beati Augustini regulam informatam, ante Apostolatum multis possessionibus ditavit. Sed & istam Ecclesiam, assumptionis suæ memor, & pristinæ conversationis, per omnia dilexit, magnisque beneficiis honoravit*, quæ ibidem postea sigillatim enumerantur. Fuerat itaque Lucius II Canonicus Regularis Ordinis Sancti Augustini.

III. *Lucio II. succedit Eugenius III.* A num. II ad XI. Onuphrius & Sigonius rectè inquiunt Bernardum S. Anastasii Abbatem, S. Bernardi Clarævallensis discipulum maximo animorum consensu *tertio Kalendas Martii* Pontificem electum esse, & *Eugenium* III appellatum. Baronius existimat, Eugenium die XXVI Februarii Pontificem dictum, quòd divus Bernardus in Epistola ad Cardinales & Episcopos de Curia post hanc electionem data, & à se num. VIII integra recitata scribat: *Num idcirco Pisam deseruit, ut reciperet Romam? Quid igitur rationis sui consilii habuit, defuncto Summo Pontifice, repente irruere in hominem rusticanum, latenti injicere manus, & excussa è manibus securi & ascia, vel ligone in Palatium trahere, levare in Cathedram, induere purpura & bysso?* &c. Verum Bernardus in Epistola illa theoricatur, tantumque indicat, Eugenium III citò electum, secundo nempe à prædecessoris obitu die. Has voces, *statim*, *mox*, *repentè*, & alias hujusmodi tempus significantes magnam latitudinem habere passim in hoc Opere significavimus, quia eas hallucinationum seminarium fuisse deprehendimus.

IV. *Ordinatur die quarta Martii.* Anonymus Casinensis Lucii Papæ morte relata subdit: *Qui tertio die suæ electionis nocte* (inter primum & secundum Martii diem, feriamque V & VI) *cum omnibus Cardinalibus & Episcopis Româ egressus fugit, & apud Farnensem Abbatiam Pontifex consecratur, & apud Biterbum* (idest, Viterbium) *Pascha celebrans, ibique per octo menses remoratus, demum cum Romanis paciscens Romam reversus est.* De Farsa insigni Ordinis Benedictini Monasterio, in territorio Sabinensi sito, quod Roma tantum distat XXV passuum millibus, Anonymus loquitur, indicatque Eugenium III in Farfensi Monasterio die quarta mensis Martii, quæ in dominicam cadebat, Romanum Pontificem consecratum fuisse. Disertiùs illud narrat Otto Frisingensis, qui hoc ipso anno Romæ versabatur. Is lib. 7. Chron. cap. 31. de Eugenio ait: *Hic in principio dignitatis susceptæ, eo quod auctore Arnaldo, Populus ad tradenda Urbis Regalia, sicut antecessores suos, ita ipsum sollicitare vellet, cum Episcopis & Cardinalibus Urbe cedit, ac proxima Dominica in Monasterio Farfensi, consecratione Pontificali ob persecutionis immanitatem morem mutans, sublimatur.* Quare accuratè in Annalibus Waverleiensibus nuper in Anglia publicatis, hoc anno traditur: *Fuit ordinatus prima hebdomade mensis Martii, & vocatus est Eugenius Papa CLXXI.* Prima autem Martii hebdomada die quarta Martii inchoatur. Quæ verba etiam sine ulla immutatione extant in Chron. Normanniæ in fine Historiæ Orderici à Duchesnio edito. Hic obiter notabo Monasterii Waverleii Ordinis Cisterciensis Annales extare Tom. II Collectionis Oxoniensis.

V. *Ejus ordinatio tardiùs differri non debet.* Baronius num. III refert Ordinationem Eugenii III ex Codice Vaticano, in quo dicitur, *cùm proxima die dominica* consecrari debuisset, *præcognito Senatorum perverso consilio, noctis silentio Urbem cum paucis Fratribus* exiisse, & *ad arcem Monticelli se in tutum* recepisse. Coongregatis verò alia die cunctis Patribus, processisse ad Farfense monasterium, & *consecrationis gratiam in sequente dominica* suscepisse. Quibus ex verbis consequi videtur, *Eugenium* III Dominica secunda mensis Martii consecratum esse. Verùm Anonymus ille de unica Dominica loquitur, eamque modò proximam, modò sequentem Dominicam vocat. Castrum enim Monticelli, ut vel ex chartis Saosonis apparet, in Sabinis finium, & Farfensi monasterio vicinum.

VI. *Anno sequenti Eugenius III iterùm fugere ex Urbe fuit.* A num. XI ad XXII. Epistola CCXLII divi Bernardi, nunc CCXLIII, ad Romanos data, & Epistola CCXLIII *ad Conradum* Romanorum Regem, quæ novo ordine est CCXLIV, pertinent ad annum sequentem, &

ad

ad secundam *Eugenii* III fugam, ut rectè vidit Sigonius lib. XI de Regn. Ital. quo etiam anno à Mabillonio in margine notantur. Suprà diximus ex Anonymo Casinensi *Eugenium* III Viterbii *per octo menses* remoratum esse, & postea cum Romanis paciscentem Romam reversum; sed cùm Romani seditionem redintegrantes rursùm ab eo, ut *Tibur* everteret, postulassent, & ni quod peterent, impetrarent, vim adhibituros ostenderent, *Eugenius* III consilio cum Cardinalibus habito, rursùs Urbe cum eis cedere statuit, Tiburque contendit. Quod cùm accepisset *Divus Bernardus*, anno sequenti laudatas ad Romanos & ad Conradum Epistolas dedit. Asperè, sed justè Romanos in priori increpat, quòd tam iniqui in Pontificem essent, atque eos Dei vindictam non evasuros, nisi mox resipiscant. Romanos impellebat *Arnaldus* hæreticus, dum antiquæ Reipublicæ ac libertatis formam restituere nitebantur, solâ sacrorum curâ Pontifici relictâ, & vectigalia Pontificum sibi vindicabant, volentes Pontificem decimis, & oblationibus tantum more prisco contentum vivere. *Arnaldistæ* dicuntur hæretici à *Bonacurso*, qui Henricianos, se se *Catharos*, idest, solos mundos jactitantes, confutavit; quoniam errores eorum Mediolani, dum eorum Magister esset, in apertam lucem posuerat. Libellum ejus publicavit Dacherius Tom. XIII Spicilegii. Bonacursus eos *Passagus* & *Catharis* adjungit, quorum illi Mosaicæ legis ritus omnes observandos esse docebant, Filii & Spiritus Sancti æqualitatem negabant, & Ecclesiæ universæ Doctores omnes, Romanæque imprimis auctoritatem abjiciebant; Arnaldistæ verò asserebant per malos ministros Sacramenta irrita esse.

VII. *Legatio Orientalium ad Papam.*

A num. XXII ad XXVII. Dum adhuc Viterbii *Eugenius* commoraretur, missa ad eum ex Armenia atque Syria Legatio, quam Baronius recitat ex Ottone Frisingensi, qui Romæ erat: *Audivimus eum* (nempè Syriæ Legatum) *periculum transmarinæ Ecclesiæ post captam Edessam lacbrymabiliter conquerentem, & ob hoc Alpes transcendere ad Regem Romanorum & Francorum pro flagitando auxilio volentem.* Edessam autem die Natali Christi superioris anni à Turcis captam ibidem demonstravimus. Quare non nisi currenti tantæ cladis nuncium in Italiam, Galliamque proferri potuit.

VIII. *Legatio Armenorum ad Papam.*

Combefisius in Auctario Biblioth. Patrum Tom. II Invectivas duas *Isaacu Catholici* contra Armenios à se Notis illustratos publicavit, illumque non longè ab anno isto quo Armeniorum Legationem ad Romanum Pontificem Baronius narrat, omnibus Armeniæ Episcopis Primatis jure præsedisse ex eo colligit, quòd *Constantinum* ante octingentos annos à suo tempore baptizatum tradat. Armenii Legationem hoc anno ad Pontificem Romanum misêre, eumque super iis in quibus à Græcis dissentiebant, Judicem postularunt. Otto Frisingensis pauca quædam duntaxat ad sacrificii ritum ac cæremonias commemorat, quæ ut Armenii sola exposuerint, majoribus aliis ac spectantibus ad fidem suppressis, sicque Ecclesiæ Romanæ communionem furati sint, eorum gentis astutiæ fuerit, quam Auctor in eis insectatur, quamque olim Gregorius Nazianzenus in Armeniis detexit. Legendæ Combefisii in utramque Orationem Notæ, & observandum Ottonem Frisingensem apud Baronium num. XXIII à Legato deceptum fuisse quando scribit: *Inter ipsos* (idest, Armenios) *& Græcos, quædam de sacrificii ritu habitudo est in quibusdam, in aliis verò discrepantia. Ponunt enim fermentatum panem, sicut & illi: aquam autem vino non admiscent, sicut nos & illi.* Constantissimum enim est, inquit Combefisius, ante *Sanctum Niconem* Armenia oriundum azyma apud Armenios viguisse, nec postmodum abjecta fuisse inducto fermento.

IX *Presbyter Joannes in Asia regnat.*

Narrabat etiam (inquit Otto Frisingensis lib. 7. cap. 33. loquens de Gabulensi Episcopo à Syria misso) *quod ante non multos annos Joannes quidam (qui ultra Persidem & Armeniam, in extremo Oriente habitans, Rex & Sacerdos cum gente sua Christianus est, sed Nestorianus) Persarum & Medorum Reges fratres, Samiardos dictos, bello petierit, atque Ecbatani sedem regni eorum expugnaverit. Cui dum præfati Reges cum Persarum, Medorum & Assyriorum copiis occurrerent, triduo utrisque magis mori quàm fugere volentibus, dimicatum est, Presbyter Joannes* (*sic enim eum nominare solent*) *tandem versis in fugam Persis, cruentissima cæde victor extitit. Post hanc victoriam dicebat, prædictum Joannem ad auxilium Jerosolymitanæ Ecclesiæ procinctum movisse, sed dum ad Tygrim venisset, ibique nullo vehiculo traducere exercitum potuisset, ad Septentrionalem plagam, ubi eumdem amnem hyemali glacie congelari didicerat, iter flexisse. Ibi dum per aliquot annos moratus, gelu expectaret, sed minimè hoc impediente aeris temperie, obtineret, multos ex insueto cælo de exercitu amittens, ad propria redire compulsus est.* Baronius num. XXV dicit Presbyterum Joannem Æthiopiæ Regem fuisse; verùm hunc Regem hoc seculo nominatissimum, in Asia, non verò in Africa regnasse, nunc extra omnem controversiam esse debet, ut vel locus laudatus demonstrat. De isto Rege, ejusque Regno anno MCLXXVII sermo erit.

X. *S. Bernardus scribit ad Robertum Pullum Card. & Cancell. S. R. E.*

Ad num. XXVII. Epistola divi Bernardi, aliàs CCCXXXIV, nunc verò CCCLXII à Baronio num. XXVII recitata, non ad Rolandum ut ex codicibus editis Baronius habet, sed ad Robertum Pullum Cardinalem & Cancellarium scripta, ut deducit Mabillonius in Notis ad eam ex Codice MS. Cisterciensi, & quia is, de quo in illa agitur antiquus Bernardi amicus erat, literis & eruditione clarus, ac demum Cancellarius, *præmissus* ad Eugenii adjutorium quod præter alia, Roberto Pullo signanter convenit. Robertus Pullus usque ad annum III Eugenii teste Onuphrio Cancellarii munus gessit: Rolandus verò illud adeptus non est ante VIII ejusdem Pontificis annum. Recens autem electus erat Eugenius, cùm Sanctus Bernardus hanc Epistolam scripsit. Fallitur enim Ciaconius in Eugenio III ubi enumerans Cancellarios S. R. E. sub hoc Pontifice, ait Robertum ab anno Pontificatus ejus primo usque ad quintum dignitatem illam obtinuisse; cum anno MCXLVII num. IX & seq. visuri simus eo officio tunc functum fuisse Guidonem Card.

XI. *Non verò ad Rolandum Card. & Cancell.*

Robertum verò Pullum ipso Pontificatus Eugenii III principio Cancellarium extitisse demonstrat Diploma ejusdem Pontificis quod extat in fine Tractatus de Gestis Episc. Turonens. & Abbatum Majoris Monast. pag. 130. & seqq. *Datum apud civitatem Castellanam per manum Roberti S. R. E. Presbyteri Card. & Cancellarii,*

V Idus April. indict. VIII incarnat. Domini a anno MCXLV, Pontificatus verò Domini Eugenii III Papa anno primo. Denique Robertum anno MCXLVI Cancellariæ Romanæ adhuc præfuisse docet Eugenii III Diploma Tom. X Concil. pag. 1849. productum. Quare Joannes Prior Hagustaldensis in Hist. ad annum MCXLVII qui juxta rectam Chronologiam est anni MCXLVI accuratè scripsit: *Præminuit his diebus in Clero Rodbertus Pullanus Cancellarius Apostolicæ Sedis, vir omni sapientia & doctrina experientissimus Britannia oriundus.* Ciaconius itaque citatus rectè ait, Guidonem Cardinalem SS. Cosmæ & Damiani Cancellarium fuisse post Robertum, illoque mortuo *Rolandum*, qui postea fuit Alexander Papa III, Cancellarii munus anno Pontificatus Eugenii VIII, consecutum esse, & denique in prima creatione Cardinalium hoc anno ab Eugenio peracta Rolandum dictum esse Card. Presbyterum SS. Cosmæ & Damiani.

XII. *Conventus Bituricensis.* A num. XXVIII ad XXXIV. Eugenius III, dum *Kalend. Decemb. Vetralla, quod* oppidum non longè à civitate Viterbiensi situm, ageret, literis ad Ludovicum VII Franciæ Regem datis, & à Baronio num. XXX recitatis, sollicitavit eum ad profectionem in Terram Sanctam suscipiendam. Odo de Diogilo Monachus Sancti Dionysii, & in Abbatiam ejusdem Monasterii Sugerii successor, septem libellos edidit de Ludovici VII Francorum Regis profectione in Orientem, à Petro Francisco Chiffletio in *Asserto Genere Illustri* Sancti Bernardi à tenebris erutos, quibus Historia Ecclesiastica locupletari potest. In priori libello hæc habet: *Anno Verbi incarnati MCXLVI* (à die Natali Christi inchoato) *gloriosus Rex Francorum*, &c. *ut dignus esset Christo, Vezeliaco in Pascha* (sequentis Christi anni) *bajulando Crucem suam aggressus est eum sequi. In Natali Domini præcedenti* (hujus anni secundum æram vulgarem) *cùm idem pius Rex Bituricas Curiam celebrasset, Episcopis & Optimatibus sui regni ad coronam suam generaliùs solito de industria convocatis, secretum cordis sui primitus revelavit. Tunc religiosus vir* (Godefridus) *Episcopus Lingonensis, de Rohes, quæ antiquo nomine vocatur Edessa, depopulatione, & oppressione Christianorum, & insolentia Paganorum, satis Episcopaliter peroravit, & de flebili materia fletum plurimum excitavit, monens omnes, ut cum Rege suo, ad subveniendum Christianis, Regi omnium militarent. Ardebat & lucebat in Rege zelus fidei, contemptus voluptatis & gloria temporalis, exemplum omni sermone præstantius. Tamen quod serebant, verbo Episcopus, Rex exemplo, non illicò messuerunt. Statutus est ergo dies alius Verzeliaco in Pascha* (sequentis Christi anni), *quo in Passione domini omnes unanimiter convenirent; & in Resurrectione, quibus foret cælitus inspiratum, Crucis gloriam exaltarent. Rex interim pervigil in incœpto, Romam Eugenio Papa super hac re nuncios mittit.* Est Verzeliacum, seu melius Vezeliacum, urbs in Autissiodorensi tractu posita.

XIII. *Profectionem Orientalem ex voto suscepit Ludovicus VII.* Chronographus Mauriniacensis, qui annum à die Natali Christi exorditur, hæc in rem nostram habet: *Eodem quoque anno Edessa civitas ab inimicis Crucis Christi, nostrorum dormitante providentia capta, Sarracenorum dominationi repente accessit. Unde & eos, qui in regione Hierusalem adiacente manebant, doloris immoderata angustia usque ad intima perculit. Venerunt ergo ab Antiochia & Hierusalem in nostram regionem* (nempe in Galliam) *Legati a Primoribus partium illarum missi suppliciter exorantibus, ut Francorum invincibilis probitas periculum, quod evenerat, emendaret, & futura repelleret.* Subdit Chronographus, Regem *Celsiores regni sui* in Pascha apud Viziliacum convocasse, & omnes suos allocutum esse. Inter alia in eius oratione memorata hæc observanda: *Magnam super hoc scitote jam mihi devotionem incumbere. Unde & vos obnixè deprecer, ut meam studeatis voluntatem vestro comitatu & auxilio roborare.* Legitur in Chron. Cisterciensi MS. à Chiffletio in Præfatione ad libellos Odonis de Diogilo citato, & apud Robertum de Monte, compluresque alios, ad Sanctum Sepulchrum peregrinationem illam susceptam ex voto à Ludovico Rege, compuncto ob incensam castri Vitriaci Basilicam, cum mille & trecentis promiscuæ multitudinis, quæ in eam confugerant, capitibus in ea inclusis. *Vitriacum*, quod *Victoriacum* aliàs appellabatur, Vitriacum Incensum, Gallicè, *Vitri le Brulè*, postea appellatum fuit, propterea quod à Ludovico VII igne consumptum est. Cujus in locum Franciscus I Franciæ Rex illud ad fluminis Matronæ ripas extruxit, quod ab ipso *Victoriacum Francisci* cognominatum est, *Vitri le François*, ut notat Hadrianus Valesius in Not. Galliarum.

Anno superiori *Mauri* Hispaniam habitantes ab *Almohadibus* validè oppugnabantur, & *Tessephinus* eorum Imperator eis auxilium ferre non poterat. Ingentem exercitum adversus *Abdelmunem* congregarat, uti narrat Nowerius; verùm is bello exercitatus se se intra montes continuit, interimque *Tessephini* exercitus in cænosa planitie, ubi castra posita fuerant, fame & morbis periit; eoque dissipato Tessephinus *Oranum*, celebre oppidum ad mare situm, fugit. Cumque aliud azylum quæsisset, rursumque eum *Abdelmunen* persecutus esset, equo decidit, interiitque exeunte anno Hegiræ DXXXIX, ideoque currentis anni hyeme. *Tessephinus* illustribus quibusdam facinoribus magnum sibi nomen collegit, sed cùm ei fortuna minus arrisisset, à suis contemptus fuit, ut videre est in Historia Arabum à Roderico scripta, & ex ejusdem nationis Auctoribus collecta, ubi cap. ultimo, inquit: *Quia viderunt à Regalibus actibus alienum, in eum nihilhot insurgebant, & ubique, & quilibet rebellabant, & guerris indesinentibus infestabant, & ferè perdidit totum regnum, & hoc fuit anno Arabum quingentesimo trigesimo nono* (præsenti Christi anno absoluto): *& regnum Vandaliæ* (Hispaniæ nempe, quam multoties monuimus *Vandaliam* dictam fuisse, indeque Criticos, qui illud non animadvertêre, sæpius in errorem incidisse) *quinquaginta tribus annis possederant citra mare.* XIV. *Obitus Tessephini Almorabitarum Imperatoris.*

Jussephus seu *Jussetus* Marochii Rex, & Almorabitarum seu Almoravidum Imperator regnare cœperat anno Christi MXCI, ut ibidem narravimus: *Totam terram Vandaliæ*, inquit Rodericus citatus cap. 48. *occupavit, & fuit Monarcha ultramarinus, & cismarinus, & duravit sibi* (ubi Alim filium eius, & Tessephinum nepotem comprehendit) *hujusmodi* XV. *Post ejus mortem magna turba inter suos excitata.*

... *Monarchia*

SÆC. XII. An. C. 1145. *Monarchia annis quinquaginta quinque, ab anno Arabum quadringentesimo octuogesimo quarto* (anno Christi MXCI inchoato), *usque ad quingentesimum tricesimum nonum annum* (hoc Christi anno finitum), *quando per Almohades dominium perdiderunt*, seu, ut capite superiori dixerat, *donec venientes Almohades ab Africa & Vandalia, Amoravides exterparunt*. Hoc itaque anno maxima Maurorum Hispaniensium pars à Mauris Africanis discessêre, & quilibet quæ potuit in Hispania Saracenica occupavit. *Almoravides*, seu quod idem est *Almorabita*, qui *Marochium* incolebant, obi Imperatoris sui mortem accepêre, fratrem ejus ad thronum Regium evexêre, ut inquit Noweirius, interimque *Abdelmumen*, de quo suo loco locuti sumus, *Orannm & Fezzam* majores Africæ civitates occupavit. Mauri Hispaniæ, Valentiam, Mursiam, Tortosam & Ilerdam incolentes omnium Africanorum cædem fecêre, & *Safadaula* Rex Cordubæ populos Bœticam inhabitantes ducens non minori crudelitate in Cordubam, Granatam, Giennam & Anduxarlam sævit. *Abengamia* Pro-Rex, vir fortis & magnanimus Cordubæ arcem conservavit; sed qui ei adhærebant, nullum ex Africa subsidium expectare poterant, quia ibi Musmudes & Cæteres Almorahidini omnia igne & cædibus miscebant. Nunquam in Hispania tantum turbarum extitit; sicut enim in Africa, ita & in Hispania Mauri inter se depugnabant. *Alphonsus* VII Castellæ Rex & Imperator copias ad *Safadaulam* Regem, Christianorum amicum misit, sed parum profecit, quia Mahumetani valde à Safadaula abhorrebant, eumque tanquam infidelem & Christianorum fautorem habebant. Porro cum fine Monarchiæ Almotabitarum Historiam suam Saracenicam Rodericus Toletanus absolvit.

Anno Eræ Hisp. MCLXXXIV. Anno Hegiræ DXLI inchoato die 13. Junii fer. 5.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6639.

☉ 7. F. ☽ 7. P. 31. Mart. Indict. 9.

JESU CHRISTI 1146.

EUGENII III PAPÆ 2.

CONRADI III REG. 9.

MANUELIS COMNENI IMP. 4.

I. *Secunda Eugenii III fuga ex urbe Romana.*

AD num. I Tiburtes jam à multis annis Romanis infensi erant, indeque Romani Eugenium III pro excidio *Tiburtinorum* sollicitabant, sed Pontifex *improbitatem eorum non sustinens* ad Transtyberanam regionem migravit, ut narrat Baronius ex Ottone Frisingensi lib. 7. cap. 34. Durante secunda hac Romanæ urbis seditione *divus Bernardus* literis Romanos increpavit, & *Conradum* Romanorum Regem hortatus est, ut si fortè obstinati perseverarent, armis compescerentur. Baronius quidem utramque Bernardi Epistolam anno præcedenti recitat, sed eas ad præsentem spectare Sigonius lib. XI. Hist. de Regn. Ital. & post illum Manricus in Annal. Cisterc. hoc anno cap. 3. aliique observarunt. Quæ refert Otto Frisingensis, confirmantur ab Anonymo Casinensi, & Joanne Ceccano in Chron. à quibus & aliqua singularia notantur. Prior ad annum MCXLV, qui nobis est MCXLVI, scribit: *Eugenius Papa per Transtiberim exiens, Viterbum* (idest, Viterbium) *devenit, & pacem* (Peregrinius observat in MSS. legi, pactum) *reformans muros Tiburtinæ civitatis destrui præcepit, & apud civitatem Lucensem abiit.* Ceccanus verò ad hunc annum: *Romani venerunt super Tiburim, & multos ex eis decollaverunt.*

SÆC. XII. An. C. 1145.

Eugenius III in his rerum angustiis Prædecessorum suorum exemplo in Franciam ire constituit. Iter terrâ ingressus Senis Diaconos duos *Gilberti Porretani* Pictaviensis Episcopi offendit, qui Episcopum suum de fide Trinitatis malè sentientem deferebant, quibus se in Francia dixit ex Concilii sententia responsurum. *Pisas* inde, ac trajecto Apennino per mensem Augustum *Brixiam* venit, unde X Kalend. Septemb. literas ad *Gerardum* Episcopum Bononiæ dedit, quibus eum docuit, se Regiensibus & Parmensibus præcepisse, ac Mutinensibus adversùs Abbatem Nonantulanum adessent. Inde in Franciam progressus à *Ludovico Rege* ingenti honore exceptus est, inquit Sigonius ad annum MCXLVI, quo etiam Brouverus lib. 14. Annal. Trevir. Tom. II. pag. 47. accessum *Eugenii* III in Franciam collocat. Verùm utrumque falli & Eugenium III initio tantum sequentis Christi anni per Burgundiam Galliam intrasse ibidem videbimus. II. *In Franciam venit anni sequentis initio.*

A num. II ad XI Anno superiori diximus ex Odone de Diogilo libell. I Ludovicum VII Franciæ Regem Proceres Vezeliacum convocasse ad Pascha præsentis anni, nunciosque hac de re ad Eugenium Papam misisse; hoc verò anno hæc Odo narrat: *Qui lætanter suscepti sunt* (sc. ab Eugenio III), *lætantesque remissi, referentes omni favo literas dulciores, Regi obedientiam, armis modum & vestibus imponentes; jugum Christi suave suscipientibus, peccatorum omnium remissionem, parvulisque eorum & uxoribus patrocinium promittentes; & quædam alia, quæ Summi Pontificis sancta cura & prudentia visa sunt utilia continentes. Optabat ipse tam sancto operi manum primam præsens imponere, sed tyrannide Romanorum præpeditus non potuit; sancto verò Claravallensi Abbati Bernardo curam istam delegavit. Tandem dies affuit Regi optatus. Abbas etiam Apostolica auctoritate, & propria sanctitate munitus, & convocatorum maxima multitudo, loco & termino pariter affuerunt. Suscepit ergo Rex à Summo Pontifice sibi missum Crucis insigne, & Proceres multi cum eo. Et quoniam in castro locus non erat, qui tantam multitudinem capere posset, extrà in campo fixa est Abbati lignea machina, ut de eminenti circumstantibus loqueretur. Hanc ascendit cum Rege Cruce ornato. Cumque cæleste organum more suo divini verbi rorem fudisset, cœperunt undique conclamando, Cruces, Cruces expetere. Et cùm earum fascem præparatum seminasset potius quam dedisset, coactus est vestes suas in Cruces scindere & seminare. In hoc laboravit quandiu fuit in villa* (Vezeliacensi), &c. III. *Conventus Vezeliacensis.*

Tandem Edicto quod post annum progrederentur, omnes ad sua cum gaudio repedarunt. Abbas verò sub tenui corpore & pene præmortuo robustum tegens spiritum, ubique circumvolat prædicando, & multiplicati sunt super numerum in parvo tempore, Crucem portantes. Rex quasi jam nactus gaudium suum fidei propaganda, de spe IV. *Crux passim pro expeditione Terræ Sanctæ suscepta.*

tat, *Cælestinum* die octava Martii post Sedem mensium quinque, & dierum XIII è vivis abiisse, necessariò supponit, eum die XXV Septembris hujus anni creatum, quæ & sententia Onuphrii fuerat. *Innocentium* verò Secundum VIII Kalend. Octob. demortuum fuisse præter Spicilegium Dachetianum nos docet vetus Monasterii Casinensis Necrologium.

V. *Litera gratulatoria Arnulphi Episc. Luxoviens. ad Cælestinum II.*

Arnulphus, qui ex Archidiacono Sagiensi Luxoviensis Episcopus à Clero & populo creatus fuit, ut testatur Petrus Venerabilis lib. 4. Epist. VII ad Innocentium II datâ (idque anno MCXLI; cùm eo anno Ordericus lib. XIII in fine Operis sui Joannem tunc ejus decessorem obiisse prodat), & à Rotomagensi Episcopo consecrationem accepit, ubi audivit *Cælestinum*, à quo plurimùm amabatur, ad Sedem Romanam evectum fuisse, ad eum scripsit Epistolam congratulatoriam, quæ extat Tom. II Spicilegii Dacheriani. In ea Innocentium II Ecclesiam Romanam egregiè rexisse asserit: *quod sanè*, inquit, *tam regularis Disciplina, quàm religionis monasticæ provectus ostendit; cùm civitates & castella passim pro secularibus Regulares Clericos habeant, & deserta plus hodie Monachorum, quàm ferarum habuerant quondam bestiarum.* Subdit, se ad Pontificem venturum fuisse, nisi circa *confirmandam sibi recentem novi Principis gratiam* graviùs occuparetur. Petrus Venerabilis in laudata Epistola petit ab Innocentio II, ut *Arnulphi* electio à Sede Apostolica confirmetur, & Comes Andegavensis nullatenus audiatur, scilicet Gaufridus, & *ne tyrannus, ut dicitur, appellatione Apostolica, non tyrannis, sed indigentibus debita, abutatur, permittat prudentia vestra.* de Arnulpho rursus infrà. Novus Princeps, de quo Arnulphus loquitur, alius non est quam Gaufridus præfatus, de quo Matthæus Paris. in Hist. ad hunc annum: *Gaufridus Comes Andegavensis à civibus Rotomagensibus solemniter susceptus est, & exinde Dux Normannia appellatus est.* Idem ac Matthæus Paris. habet Radulphus de Diceto in Abbreviat. Chron. pag. 508. Arnulphus itaque non multo ante Cælestini II electionem pacem cum Gaufrido inierat, à quo antea vexatus fuerat, ut ipsemet in Epistola ad Lucium III Papam data, & Tom. II Spicilegii pag. 482. recitata testatur his verbis: *XVII marcas in initio meæ promotionis assumpsi, quia bona omnia Episcopalia redimere de manu Comitis Andegavensis angebar, quæ ipse mihi per duos annos & tres menses abstulerat.*

VI. *Pax inter Cælestinum II & Ludovicum VII Galliæ Regem constituta.*

Chronographus Mauriniacensis narrata morte Innocentii II, ait: *Cujus honori subrogatus est Cælestinus, qui alio nomine Magister Guido de Castellis nominatus est. Hic verò prælatione illa dignissimus erat, quoniam ei tria, quæ inter homines penè habentur præcipua, simul confluxerant, celebremque Magistrum reddiderant. Nobilitas scilicet generis, mentis industria in omni statu æqualis, literarum quoque, quarum doctrinæ intentissimus fuit, scientia multiformis. Ad hunc Rex noster* (Ludovicus VII Galliarum Rex) *Legatos pro pace ineunda misit, quam ita dulcissima imperatione obtinuerunt, ut in conspectu illorum, multorumque nobilium, quorum frequentiâ Roma fremere solet, benignè adsurgeret, manuque elevata signum benedictionis contra regionem hanc faciens, ipsam à sententia interdictionis absolveret.* Quare pseudo-Robertus de Monte in Chron. accuratè hoc anno scribit: *Pax reformatur inter Papam & Regem Ludovicum*, rectèque etiam Radulphus de Diceto in Abbreviat. Chron. pag. 509. ait *per triennium* interdictum durasse.

VII. *Pax alia inter eumdem Ludovicum & Theobaldum Campaniæ Comitem.*

Verùm pax inter *Ludovicum* Regem & *Theobaldum* Comitem Campaniæ, quem Rex ita malè habuerat, anno tantum sequenti constituta. Pseudo-Robertus enim de Monte ad eum Christi annum scribit: *Mediante Abbate Claravallis* (sc. divo Bernardo) *simultas, quæ inter Regem Ludovicum & Comitem Theobaldum incanduerat, sopitur.* Porrò pax hæc adeo firma fuit, ut *Ludovicus* Rex, post divortium cum Eleonora, & post Constantiam secundam uxorem vita functam, *Adelam* Theobaldi filiam matrimonio sibi junxerit, ex qua *Philippus* cognomento *Augustus*, qui patri in Regnum successit, natus est. de dissensione inter Ludovicum Regem & Theobaldum vide dicta anno MCXLI. num. IV, & anno MCXLII num. I & seq.

VIII. *Pallium Willelmo Archiep. Eboracensi denegatur.*

Sanctus *Bernardus*, ut videre est apud Baronium num. XIII, scripsit hoc anno Epistolam CCXXXV, aliàs CCXXXIV, *ad Cælestinum* II, & Epistolam CCXXXVI, aliàs CCXXXV, ad *totam Curiam Romanam*, adversùs Willelmum Eboracensem Archiepiscopum Electum, quem *intrusum* appellat. Jam anno MCXL de utraque Epistola verba fecimus, diximusque, *Willelmi* causam usque ad Pontificatum *Eugenii* III indecisam mansisse, interimque *Willelmum* Ecclesiæ Eboracensi præfuisse; ac præterea Baronium, quæ hîc breviter adversùs Willelmum scribit, postea retractasse.

IX. *Obitus Joannis Comneni Imp.*

Ad num. XV. De anno emortuali *Joannis Comneni* Græcorum Imperatoris Scriptores inter se non conveniunt. Tyrius enim lib. XV cap. XXIII mortuum scribit anno MCXXXVII, mense Aprili, Imperii XXVII, & pseudo-Robertus de Monte in Chron. anno MCXLI. Verùm cùm plerique è Græcis, uti Nicetas in Joanne Comneno cap. XI & Joel in Synopsi scribant regnasse *Joannem* annos XXIV, menses VIII, consequens est Ottonem Frisingensem lib. 7. cap. 28. & Albericum in Chron. accuratè ejus obitum cum præsenti anno copulasse; præsertim cùm Codinus, sive quisquis Auctor est Chronici eidem subjuncti, prodat eum denatum *anno mundi*, scilicet Constantinopolitano, 6651. qui Kalend. Septemb. superioris Christi anni inchoatur, & Joannes Comnenus mense Aprili mortuus sit, cùm imperasset, inquit Codinus, *annos XXIV, menses VII, dies XXIII*. Sic enim legendum, ut ait Ducangius in Familiis Aug. Byzantinis, Characterismus annorum Manuelis ab eodem Codino observatus demonstrat; cùm perperàm dies XVII tantum pro XXIII ibidem exarati legantur. Uxorem duxerat superstite adhuc parente, *Irenem* Hungariæ Regis filiam, Ladislai nempe, teste Zonara pag. 240.

X. *Manuel filius ejus II, succedit.*

Cinnamus in fine libri I hæc de morte ejus habet: *Moritur in Cilicia Imperator, imperiumque adipiscitur Manuel, qui erat ætate posterior, sed patri gratior.* Subdit Cinnamus: *Manuel, qui singulari præ ceteris in parentem amore flagrabat, naturæ leges reveritus, demissis oculis, pronoque in pectus capite, profusis lachrymis pavimentum rigavit* (quando nempe pater ejus accersitis Magnatibus eum sibi successorem designavit), *chlamydem tamen induens, sumtoque diademate, ab universo exercitu Imperator proclamatur. Joannes verò paucis pòst diebus moritur, cùm totos viginti*

ginti quinque annos, mensesque septem Romanis imperasset, octavo die mensis, quem Xanthicum Græci, Romani Aprilem vocant. Sed loco, *annos XXV*, legendum, *annos XXIV*, ut ex dictis Imperii ejus initio sequitur. Obiter observabis, quod jam non semel monuimus, *Tyrium* de rebus ante annum MCLIV in Oriente gestis sæpe malè edoctum fuisse; cùm Joannis Comneni Aug. mortem sexcennio prævertat.

XI. *Michael Oxites fit Patriarcha Constantinop.*

Ad num. XVI Cùm *Leo Styppiota* annos octo & menses octo Ecclesiam Constantinopolitanam administrarit, ut habet Catalogus Episcoporum Byzantinorum lib. IV Juris Græco-Romani relatus, annoque MCXXXIV ad eam Sedem promotus fuerit, obitus ejus optimè à Baronio, & antea ab Onuphrio in Chron. Eccles. hoc anno consignatus fuit. *Cùm vacaret Patriarchalis sedes Constantinopoli*, inquit Cinnamus in Historia sua lib. 2. pag. 18. *Michaelem illi imponit* (nempe Manuel Imp.) *monasterio in insula, quam Oxiam ex situ vocant, antea Præfectum, virum liberalibus disciplinis, humanioribusque literis leviter quidem imbutum, ac morum elegantia, rerumque divinarum scientia nemine inferiorem, unumque adeo ex iis, quorum ea ætate virtus erat maximè conspicua. Hujus vicissim manibus cùm in Ecclesia Imperatorio diademate fuisset insignitus, deposito in sacra mensa auri centenario, inde excessit, omnibus uno ore liberalitatem illius & magnificentiam prædicantibus. Clero etiam annuam ex palatio duorum centenariorum pensionem assignavit. Id numismatis vulgò Secundam nuncupant. Ejusmodi fuêre Manuelis imperii exordia.* Quibus ex verbis Manuelem hoc anno Imperium iniisse etiam intelligimus. Porrò *Oxia* monasterium erat in insula & monte ejusdem nominis, Chalcedoni proximum, qui mons etiam Auxentii appellationem sumsit.

XII. *Concilium cogit adversùs quosdam Bogomilos.*

Cinnamus lib. 2. num. 10. loquens de rebus imperante Manuele gestis ait: *Sub idem tempus Cosmas* (Patriarcha Constantinop.) *qui ea tempestate res Ecclesiasticas moderabatur, vir vita integritate & gravitate sermonis illustris, à Sede hanc ob causam depulsus est. Monachus quidam Niphon nomine, qui liberales disciplinas, humanasque scientias ne summis quidem labris degustaverat, etsi sacris à pueritia literis imbutus, cum Michaele viro pio, virtuteque insigni Ecclesiasticam dignitatem regente, haud sana circa Christianam religionem sentire visus esset, ideoque judicio Synodali fuisset condemnatus, barbâ ad talos usque protensâ, derasa, carceri mancipatur.* Refert hanc Synodum Allatius lib. 2. de Consens. Eccles. Orient. & Occident. cap. 12. ex qua discimus, cùm rursus Bogomilorum hæresis repullulascere in Niphone Monacho deprehensa esset, Synodo celebrata, *Niphonem* ipsum, nec non pseudo-Episcopos *Clementem* & *Leontium* condemnatos esse à Michaele Oxita, & quod majus est, *Cosmam Atticum* patriâ Æginetam, post Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum; quòd eumdem Niphonem protegeret. Illi *Bogomili* deprehensi sunt, *mensis Augusti XX, feriâ VI, indict. VI.* Sententia verò lata *mensis Octobris I feriâ sextâ, indictione VII.*

XIII. *Institutio novi Ordinis militaris facta à Raimundo IV Barcinonis Comite.*

Hoc anno V Kal. Decemb. congregatus est insignis & celebris Conventus apud *Gerundam*, in quo à *Raimundo* hujus nominis IV Comite Barcinonensi, & dominatore Regni Aragonensis constituta est nova militia ad defendendam Occidentalem Ecclesiam, quæ erat in Hispaniis, ita tamen ut ea semper esset in subjectione & obedientia militiæ Templi Hierosolymitani, ad cujus formam ista constituebatur. Eam ob rem *Raimundus* Roberto Magistro militiæ Templi, & Successoribus ejus quædam castra tradidit, enumerata in literis fundationis recitatis à Baluzio in Appendice ad Marcam Hispanicam num. 402. Literis subscriptus est inter alios Gregorius Electus Tarraconensis Archiepiscopus, & Raimundus in iis dicitur tantum *gratiâ Dei regni dominator Aragonensis*; ex quibus patet, *Ranimirum* Exregem Archiepiscopatui Tarraconensi renunciasse, & Raimundum Regis titulum sibi nunquam sumsisse, cum in nullis aliis Diplomatis illum usurparit, licet Petronilla ubique Aragoniæ Regina dicta reperiatur.

XIV. *Raimundus IV Regis Aragoniæ nomen nunquam assumere voluit.*

Verè itaque Guillelmus Neubrigensis lib. 2. cap. 10. post narratam Ranimiri Monachi abdicationem à dignitate Regia, subdit: *Quibus actis suasum inveni, ut regni insignia, idest, coronam & purpuram solemniter sumeret* (nempe Raimundus IV), *cùm regnum haberet. Negavit se ille hoc facturum, ita allegans. Cùm nullus progenitorum meorum super Comitem fuerit, naturâ sum Comes, qua contentus, sicut non sum melior, ita nec excellentior esse volo, quàm patres mei. Ut ergo in me fortuna naturam non superet, nomen & insignia Regiæ omitto. Porrò ut in me etiam serviat fortuna naturæ, retento Comitis nomine regni amplitudinem & potestatem non respuo. Huc accedit, quod Regia dignitate assumta non multis Regibus, in divitiis & gloria cederem. At cùm mihi regni sint opes, cum potestate Regia: Barcinonensi Comiti nullus in mundo Comes potest æquari. Proinde malo esse Comitum primus, quàm Regum nec septimus. Sic itaque vir mirabilis, nobili quodam Regii honoris contemptu vel allegabat, vel jocabatur, cùm ab amicis excellentiam induere Regiam moneretur. Nec unquam vel Rex, vel Dux: sed Comes tantum Barcinonensis appellari voluit, licet Ducatum Provinciæ, idest, illius regionis, quæ sic dicitur, & à Rhodano usque ad Italiæ fines extenditur, cum regno Aragonum possideret. Porrò ejus filius post decessum patris, juxta materni prærogativam generis à Romano Pontifice in Regem est solemniter consecratus.*

XV. *Alcoranum curâ Petri Venerabilis in linguam Latinam versum.*

Anno Domini MCXLIII per industriam Abbatis Petri Cluniacensis, liber qui dicitur Alchoranus cum tota secta impii & pseudo Prophetæ Machumet de Arabico in Latinum translatus est, &c. *& hic erat annus alligera* (idest, Hegiræ) *DXXXVII*, inquit Auctor Magni Chronici Belgici pag. 163. Fusè de hac versione loquitur Petrus Venerabilis in Epistola ad Sanctum Bernardum data, quæ libri IV decima tertia est: *Misi*, inquit, *& novam translationem nostram contra pessimam nequam Mahumet hæresim disputantem, quæ dum nuper in Hispaniis morarer, meo studio de lingua Arabica versa est in Latinam,* &c. *Fuit autem in transferendo hæc mea intentio, ut morem illum Patrum sequerer quo nullam unquam suorum temporum vel levissimam, ut sic dicam, hæresim silentio præterirent; quin ei totis fidei viribus resisterent, & scriptis ac disputationibus esse detestandam ac damnabilem demonstrarent. Hoc ego de hoc præcipuo errore errorum, de hac fæce universarum hæresum: in quam omnium diabolicarum sectarum, quæ ab ipso Salvatoris adventu ortæ sunt, reliquiæ confluxerunt, facere volui: ut sicut lethali ejus peste dimidius pene Orbis infectus agnoscitur, ita quam sit execranda &*

conculcanda,

conculcandus, detecta ejus stultitia & turpitudine, à nescientibus agnoscatur. Agnosceteie ipse legendo, & sicut arbitrer, ut dignum est deflebitis: per tam nefarias & abjectissimas sordes tantam humani generis partem deceptam, & à conditore suo per spurcissimi hominis sectam, etiam post Redemptoris gratiam, tam leviter aversam, &c. Petrus Cluniacensis usus est *Roberto Retenensi*, natione Anglo, Pampelonæ Archidiacono, qui & Alcoranum in epitomen redegit, quique in Asia inter Saracenos diu versatus fuerat, ut narrat Nicolaus Cusanus in Cribratione Alchorani lib. I. Roberti versio cum opusculis aliorum *Alchoranum* refutantibus edita fuit seculo elapso Norimbergæ & Basileæ, ut notavit Miræus in Auct. de Script. Eccles. Expectamus in dies novam & accuratissimam versionem ejusdem *Alchorani*, quæ ab aliquot annis sub prælo sudare dicitur.

Anno Æræ Hisp. MCLXXXII. Anno Hegiræ DXXXIX. inchoato die 4. Julii fer. 5.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6637.

☉ 5. B A. ☽ 5. P. 26. Mart. Indict. 7.

JESU CHRISTI 1144.

LUCII II PAPÆ 1.

CONRADI III REG. 7.

MANUELIS COMNENI IMP. 2.

I. *Obitus Cælestini II PP.* AD num. I. & seq. *Cælestinus* II hoc anno, postquam *sedisset mensibus quinque, & diebus decem & tribus, obiit VIII Idus Martii*, inquit Baronius ex Vaticano Codice de Vitis Pontific. Sed cùm certum sit, eum die vicesima sexta mensis Septemb. anni superioris Pontificem creatum, manifestum est, errorem irrepsisse vel in dies, quibus supra menses quinque sedit, vel in diem ejus emortualem, uti numeranti patet. Quare Sigonius in Hist. de Regn. Ital. lib. XI & Onuphrius in Chron. Eccles. quos verosimile est, Codicem illum Vaticanum legisse, loco, *VIII Idus Martii*, rectè habent, *VII Idus Martii*; sic enim Cælestinus mortuus die nona mensis Martii Ecclesiam Romanam rexit menses quinque & dies tredecim, quod & Martinus Polonus Urspergensis in Chron. Auctor magni Chronici Belgici pag. 168. & VIII Catalogus noster tradunt. Ceccanus in Chron. & Catalogus noster VII, qui habent dies *quatuordecim*, diem sepulturæ seu diem X Martii, in summam conferunt.

II. *Lucius II ei succedit.* Post triduum Cardinales convocati *Gerardum Caccianimicum*, civem Bononiensem, quem *Honorius* II ex Canonico Regulari Cardinalem crearat, sublegêre, eoque consecrato *Lucium secundum* appellarunt, inquit Sigonius citatus, quod & Onuphrius etiam habet, asserens eum renunciatum Pontificem *quarto Idus Martii*, & consecratum proxima Dominica; sed cùm dies XII mensis Martii hoc anno in Dominicam inciderit, ejus electionem & consecrationem eadem die peractas existimandum. Mabillonius in Itinere Italico pag. 199. loquens de Abbatia Sancti Salvatoris in urbe Bononiensi sita, quæ caput est Congregationis Canonicorum Regularium S. Augustini, ait quatuor à Bononia passuum millibus extare ejusdem Congregationis Abbatiam Beatæ Mariæ de Rheno, ex qua, " inquit, Lucius II ad Pontificatum assumtus " fuit, antea *Gerardus* dictus: cujus mentio est " in Necrologio loci, tum ad XI Kal. Octob. " quo die coronatus est anno MCXLIV, tum " ad VIII Kal. Septemb. qui dies ejus supre- " mus fuit anno sequenti. Verùm jam sæpius monuimus hujusmodi annotationes Martyrologiis & Necrologiis non rarò insertas esse; quod de ista negari non potest, ut tam ex mox dictis, quàm ex infrà dicendis perspicuum fit; cùm enim nonnisi de uno aut altero die quoad diem emortualem Cælestini II dissidium sit inter Auctores, coronatio *Lucii* II ejus successoris in mensem Septembrem differri non potuit.

III. *Pontifex magnis dotibus præditus.* Chronographus Mauriniacensis pag. 387. de Cælestini II morte, & Lucii II initio ait: *Mors nemini parcens tantum Pontificem VII insulationis suæ mense* (utrimque scilicet incompleto & paucis diebus constante, quod passim variis exemplis indicavimus) *seculo prematura abstractione eripuit; quo ergastulo carnis exuto, substitutus est in Papam Lucius, Girardus de Sancta Cruce, qui & ipse strenuissimus erat; sed & morte citiùs præoccupatus est. Hic diversarum Ecclesiarum status consulere volens, duos Legatos à latere suo mittere curavit, Albericum Ostiensem in Franciam, Haimerum Tusculanensem in Angliam.* Haimerus, seu, ut rectiùs alii, Igmarus vel Ymarus, ex Monacho Cluniacensi S. Martini à Campis Prior Caritatis ad Ligerim, dein Abbas monasterii novi apud Pictavos, ac demum Cardinalis ab Innocentio II creatus & Tusculanensis Ecclesiæ titulo decoratus memoratur & laudatur in Chron. Cluniacensi, ubi sermo est de Pontio I Abbate Cluniacensi, ac de eo inter alia dicitur, sub Lucio Papa Legatione functum esse in Anglia, & ad subvertendum judicium nullis potuisse pecuniis expugnari. De eo legendus Baronius in ipso fine Appendicis ad Tomum XII, & quæ de Imari morte anno MCLXXXV diximus; hunc enim sub Lucio III Legationem illam obiisse credidit Cardinalis doctissimus.

IV. *Ymarus Card. legatus S. Sedis in Galliam mittitur.* *Lucium* II sub hujus anni finem *Ymarum* è Legatione Anglicana ad Gallicanam transtulisse eruo ex Tomo III Spicilegii Dacheriani lib. I Historiæ Vezeliacensis pag. 475. & seqq. Scribit Lucius ad Pontium Abbatem Vizeliacensem, ejusque fratres, Paschalem II Episcopis Galliæ mandasse, ut interfectores Artaldi Abbatis sui in exilium detruderent, & impedirent ne hujusmodi homicidæ in monasterio Vezeliacensi habitarent. Epistola data est *Lateran. VI Idus April.* Tum alias literas dedit ad S. Bernardum Claravallensem Abbatem, dicens se accepisse Guillelmum Nivernensem Comitem contra Sedis Apostolicæ auctoritatem à Pontio Abbate Vezeliacensi exigere, ut de qualibet querimonia cum hominibus suis in Curia sua respondeat. *Ideoque*, subdit, *per Apostolica tibi scripta mandamus, quatinus eumdem Comitem ex nostra parte diligenter commoneas, ut* &c. *ab hujusmodi exactione desistat, aut in præsentia Venerabilium fratrum nostrorum A. Ostiensis & I Tuscul. Episcoporum, Apostolicæ Sedis Legatorum, juxta tenorem Sedis Apostolicæ Privilegiorum, quod justitia dictaverit, ab eodem Abbate recipiat*, &c. *datum Lateran. XIII Kal. Decemb.* Ex literæ leguntur nunc Tom. X Concil. in Lucio II, ex iisque evidenter deducitur, electionem aut coronationem Lucii II rectè à nobis fuisse consignatas. Secundò, *Ymarum* mense Novembri hujus anni Sanctæ Sedis Legatum in

Francia

Francia extitisse; & cùm omnia in Anglia turbata essent, suspicor eum citò ex ea reversum. Tertiò, Willelmum illum secundum ordine fuisse; cùm *Willelmus* III ejus filius Principatum Nivernensem nonnisi post triennium ex infrà dicendis inierit.

V. *Lucius II annum Incarnat. à die XXV Martii exorsus est.*

Ad num. III. Tom. X Concil. referuntur aliquæ Epistolæ Lucii II hoc anno datæ, quarum in Annalibus mentio non est. Hîc tantum aliquid dicendum de Epistola ordine VI ad Petrum Venerabilem Cluniacensem Abbatem, cujus Baronius meminit, subscriptio enim observatu digna; cùm ex ea, qua Incarnationis Era Lucius II usus sit, nobis innotescat: *Datum Romæ per manum Baronis S. R. E. Subdiaconi XVI Kal. Februarii, indict. VIII Incarnat. Dominica anno MCXLIV Pontificatus verò Domini Lucii II Papæ, anno primo.* Ea Epistola non hoc anno, quo eam Baronius memoravit, sed sequenti scripta, ut indictio VIII Kalendis tantum Septemb. hujus anni inchoata demonstrat. Quare *Lucius* II annum Incarnationis à die XXV mensis Martii inchoavit, quod & postea in usu fuit. In ea Epistola *Lucius* II scribit, in monasterio Sancti Sabæ à Gregorio M. Romæ fundato religionem lapsam esse, mores corruptos & possessiones distractas, seque illud eidem & successoribus in perpetuum committere. Quoad literas *Alphonsi* Portugalliæ Principis, quibus Romanæ Ecclesiæ Ducatum suum vectigalem reddit, anno MCXL eas à Baluzio V. Cl. è tenebris erutas fuisse diximus; Baronii enim tempore non extabant.

VI. *Lucius II à Romanis rebellibus vexatur.*

A num. IV ad IX. Cùm *Lucius* II à Romanis persecutionem pateretur, *Conradum* Romanorum Regem adversùs eos interpellavit. Scripsêre & ad Conradum Regem *Arnaldistæ*, seu rebelles adversùs Pontificem Romani, eumque Romam vocarunt. Sed Conradus eorum Legationem despexit, quæ à Baronio ex Ottone Frisingensi lib. 7. cap. 31. narrantur. Addunt Arnaldistæ se accepisse concordiam factam *inter Siculum & Papam.* Ad horum majorem intelligentiam, & majorem Annalium Ecclesiast. illustrationem hæc addam. Anonymus Casinensis in Chron. ad annum MCXLII, qui nobis est MCXLIII de Rogerio scribit: *Rex iterum ad hunc locum venit* (nempe ad Montem Casinum). *Terra Marsorum* (est circa Celanum & lacum Fucinum) *se ei tradidit.* Joannes verò Ceccanus in Chron. *Rex Siciliæ venit Arcim & misit in suo jure .... filii Regis ceperunt totam terram Marsorum.* Laudatus Anonymus Casinensis queritur de Rogerio Rege, aitque: *Thesaurum hujus loci omnem cum tabulis ante altare tollit, præter Crucem majorem cum ciborio & tribus tabulis altaris.* Hæc anno superiori gesta.

VII. *Gesta à Rogerio Rege in Regno Neapol.*

Hoc etiam anno Joannes Ceccanus habet: *Venit Rex Siciliæ in mense Junio Ceperanum, & Dux filius ejus intravit in terram Sancti Petri, & cepit eam*; & in Anonymo Casinensi legitur de Rogerio Rege: *Iterum ad hunc locum veniens cum Papa loquitur, & discordans Papa recedit. Rex partem Campaniæ cum Terracina cepit; Borculas obsedit, deinde quodam pacto facto, quæ ceperat, reddidit; Siciliam abiit. Obiit Alfusus Princeps, & frater ejus Guillelmus fit Princeps.* Ubi Principis nomine intelligit Capuæ Principem, cùm Guillelmus jam Princeps Tarenti esset, & eam dignitatem à Rogerio Rege patre obtinuisset, uti asserit Hugo Falcandus in sua Historia. Peregrinius in Notis ad Anonymum Casinensem ait, in MS. Montis Casini hæc verba legi: *Rex iterum ad hunc locum veniens; Ceperanum abiit, ubi cum Papa loquitur, & discordantes Papa recedit,* &c. & hæc notat: Cælestini Pontificis obitus in annum incidit MCXLIV, & mensem Martium. "Quo quidem anno, sicut hoc etiam loco Anonymus "tradit, Anfusum Capuæ Principem diem "obiisse, eique à patre ac Rege Rogerio suffe- "ctum, tum in eodem Principatu, tum in Du- "catu Neapolis alterum filium, nomine Guil- "lelmum, ex antiquis manifestum est Chartulis. Ita ille qui debuisset aliquam ex Chartis illis citare; cùm Falco Beneventanus in Chron. affirmet Neapolitanos se se *Rogerio Regi* & Rogerio Duci, non verò Principi Alphonso subdidisse. Si chartæ illæ claré in favorem *Guillelmi* se exprimant, *Rogerium* Ducem jus suum in Neapolim Guillelmo fratri cessisse oportet, & forsàn ut ab eo Tarentum acciperet.)

VIII. *Jordanus à rebellibus creatus Patritius Romanus.*

"Subjungit Peregrinius: Hugo itaque Falcan- "dus certè est memoria lapsus, *Guillelmum* hunc "ex Tarenti Principe in Regni collegam & "successorem à patre dicens postea adscitum, "quem rectiùs Romualdus Salernitanus, non "tamen sine novo errore, ex Capuæ Principe "in Regem evectum notat; dudum enim ante "*Anfusi* mortem in fata etiam concesserat *Tancredus* Tarentinus, qui Barensis quoque di- "ctus est Princeps; Duxque Apuliæ *Rogerius* in "anno MCXLVIII post *Anfusum* è vivis & "ipse abierat, solusque patri remanserat præ- "sens *Guillelmus*. Ita Peregrinius. Verùm Falcandus de solo Tarenti Principatu loquitur, quia hic primus Guillelmi titulus fuit, & Romualdus de solo Principatu Capuano, quia is contermminus, & Salerno, cujus Romualdus Archiepiscopus erat, vicinus. Præter hæc Anonymus Casinensis hoc anno habet: *Jordanus filius Petri Leonis cum Senatoribus & parte totius populi minoris contra Papam rebellat.* Quibus lucem accipiunt quæ Baronius num. I ex Ottone Frisingensi lib. 7. cap. 31. narrat, nempe ab hoc anno Romanos tempus restituti Senatus numerare consuevisse, ipsorum publica monumenta docere. Sigonius verò lib. XI Hist. de Regn. Ital. refert Romanos instituisse hoc anno *Patricium*, & eam dignitatem detulisse ad *Jordanem* Petri Leonis filium, eique vectigalia omnia Pontifici erepta attribuisse.

IX. *Miser status Angliæ.*

Ad num. IX & seq. Guillelmus Neoburgensis, qui hoc tempore vivebat, lib. 1. cap. 22. miserum Angliæ statum hoc modo repræsentat: *In diebus illis non erat Rex in Israel, sed unusquisque quod rectum sibi videbatur, faciebat. At in Anglia sub Rege Stephano, pejus fiebat; nam quia tunc impotens erat Rex, & per Regis impotentiam languida lex; quibusdam quod rectum sibi videbatur, agentibus; malis, quod insita ratione malum esse sciebant, sublato legis & Regis metu, proclivius faciebant. Et primò quidem videbatur Regnum Angliæ scissum esse in duo: quibusdam Regi, quibusdam Imperatrici faventibus. Non quod vel Rex, vel Imperatrix, sua parti potenter imperaret: sed quod suorum bellicis quisque studiis pro tempore mitteretur. Neuter enim in suos imperiosè agere, & disciplinæ vigorem exercere poterat; sed uterque suos, ne à se deficerent, nihil negando mulcebat. Sanè inter partes diu multumque certatum est, alternante fortuna.*

X. *De eodem.*

Processu verò temporis inter eos jam sæpiùs fortunæ infidelitatem expertos, remissiores motus esse cœperunt. Quod tum Anglia non cessit in bonum; illis quippe diutina concertationis pertæsis, & molliùs agentibus; provinciales discordantium Procerum motus efferbuêre. Castella quippe per singulas provincias, studio partium, crebra surrexerant: erantque in Anglia tot Reges, vel potius Tyranni, quot Domini Castellorum, habentes singuli percussuram proprii numismatis, & potestatem subditis, Regio more, dicendi juris. Cumque ita singuli excellere quærerent; ut quidam superiorem, quidam vel parem sustinere non possent; feralibus inter se odiis disceptantes, rapinis atque incendiis regiones clarissimas corruperunt. Et infertilissima olim patria, ferè omne robur panis assumsère.

XI. *S. Bernardus scribit adversùs Willelmum Archiep. Eboracensem.*

Willelmus Eboracensis Archiep. illam quidem Ecclesiam regebat, sed propter ea quæ perperàm de eo jactabantur mala, quæ divus Bernardus vera esse putabat, Pallium hactenus obtinere non potuerat. Verùm hoc anno, ut scribit Joannes Prior Hagustaldensis in Hist. ad annum MCXLVI, (duplici tamen errore Chronologico), *Hicmaras* (vel rectiùs Ymarus) *Episcopus Cardinalis directus ab Apostolico Lucio Legatus venit in Angliam, habens Pallium Willelmo Archiepiscopo destinatum. Moram autem fecit per negligentiam idem Willelmus occurrere ei, circa alia minus necessaria occupatus, ut consuetudinem habuit.* Hoc autem ad præsentem annum pertinere ostendunt obitus Lucii, qui statim ibi narratur, & Ymari Legatio, quæ hoc anno cœpta, absolutaque, *Willelmus* Abbas Rievallensis, vir magnæ sanctitatis, aliique sedente Innocentio II Romam venerant, ut impedirent, ne Willelmus à Pontifice confirmaretur, & Pallium obtineret, quod cùm hoc anno consecutus fuisset, divus Bernardus *ad Willemum Abbatem de Rievalle* scripsit Epistolam CCCLX, aliàs CCCLXXX, qua eum denuò hortatur ad patientiam & æquanimitatem: *Laboravimus*, inquit Bernardus, *quantum potuimus, adversùs pestem communem* (idest, Willelmum Electum Eboracensem), *& si quo minus impetravimus quod optavimus, manet tamen nobis fructus laboris nostri apud Deum, apud quem nullum bonum irremuneratum est.* Post aliqua interposita subdit: *Nos tamen, quod potuimus, suggessimus Domino Tusculano Episcopo* (nempe Ymaro in Anglia Legato), *cui injunctum est, ut legatione fungatur in partibus illis: & omnino promisit nobis, se, nisi aliquid melius fecerit nobis, id saltem omnimodis observaturum, ne tradat ei Pallium quod portat, si non juraverit Decanus ille* (nempe Eboracensis, de quo suprà agimus) *nunc verò Episcopus* (nempe Dunelmensis), *in cujus juramento causa pendebat: sed causam referat ad Dominum Papam.* Mabillonius in illius Epistolæ margine notat annum MCXLIII, sed eo anno nec *Lucius* II adhuc Pontifex Rom. erat, nec *Ymarus* Angliæ Legatus. Willelmum ab Eugenio III dignitate motum fuisse, & ab Anastasio IV cognita ejus innocentia in eamdem restitutum infrà visuri sumus.

XII. *Translatio Reliquiarum S. Dionysii & sociorum.*

In Chronico brevi Sancti Dionysii Tom. II Spicilegii Dacheriani habetur: *MCXLIII* (legendum, MCXLIV, ut mox certò constabit) *dedicatio capitalis partis Ecclesiæ* (Sancti Dionysii), *& Translatio B. Dionysii & sociorum ejus in eamdem partem capitalem, aliorumque sanctorum, quorum ibidem corpora continentur, XXIII anno administrationis Domini Sugerii Abbatis.* Et postea anni MCXLIV & MCXLV vacui sunt. Cùm verò idem Chronographus disertè affirmet, Sugerium anno MCXXII Abbatem ordinatum esse, annus præsens XXIII est ordinationis ejus, sed Librarii, ut non rarò fit, hanc dedicationem in annum præcedentem retraxêre. Ipsemet Sugerius libellum edidit *de consecratione Ecclesiæ à se ædificatæ*, aitque se ad eam Translationem faciendam elegisse secundam Junii dominicam, *videlicet III Idus, quod est Barnabæ Apostoli.* Quare eam ad currentem annum pertinere certò constat. Ea solemnissima fuit; interfuêre enim Ludovicus VII Franciæ Rex, Eleonora conjux ejus, Adelais mater, Regni Optimates, & varii Archiepiscopi & Episcopi, inter quos Guido Senonum Archiepisc. *Gaufredus Carnoti Episc. & Guido Catalaunis Episc.*

XIII. *Aliqui Librariorum errores correcti.*

Extat libellus Sugerii de Consecratione Ecclesiæ suæ Tom. IV Duchesnii, qui cùm eum mutilum reperisset, Mabillonius Tom. I Analect. pag. 328. supplevit quod deerat ex codice Victorino, & in eo supplemento nomina trium Præsulum memoratorum iterantur, sed in eo Catalaunensis Episcopus Werdo, & Senonensis Archiep. Werdo nominantur, manifesto Librariorum errore, qui *Widonem* in *Werdonem*, *Hugonem* etiam in *Werdonem*, & *Guidonem* mutarunt. Hoc enim anno Hugonem cognominatum de Touciaco, vel Tuciacensem Henrico Archiepiscopo Senonensi successisse docet Chronographus Sancti Petri Vivi, & Guidonem Catalaunensi Ecclesiæ præfuisse videre est in San-Marthanis. *Gaufredus Carnotensis*, neque in libello neque in supplemento, neque in Chronico Mauriniacensi Sanctæ Sedis Legatus dicitur, ideoque hoc anno eo munere functus non est. Chronographus Mauriniacensis pag. 387. De electione Abbatis sui loquens ait: *Hanc electionem, cùm Rex* (Ludovicus VII) *& prædicti Episcopi confirmassent, domnus Thomas Senonas profectus, & à Gaufredo Carnotensi Episcopo, qui Archiepiscopo absente ejus in officii executione Vicarius esse solet, benedictione solemni sublimatus est.* Ubi multa observanda. Primò, Gaufredum Carnotensem non appellari Legatum S. Sedis. Secundò, Episcopos Carnotenses peculiari prærogativa primos suffraganeos esse Archiepiscopi Senonensis. Tertiò, Episcopos qui electionem Abbatis Mauriniacensis confirmarunt, fuisse *Albericum* Ostiensem, & *Haimerum* seu melius *Imarum* Tusculanensem, quos jam dixerat Chronographus Legatos missos, illum in Galliam, istum in Angliam. Quare confirmatur quod suprà diximus, *Imarum* nempe hoc anno Legatum in Francia fuisse. Quartò, ex Sugerii verbis deducitur, *Hugonem* ante diem XI mensis Junii jam Archiepiscopum Senonensem fuisse. Denique corrigendus error, qui irrepsit in Chronicon Mauriniacense, ubi dicitur *domnus Thomas Senonas profectus*; loco enim vocis *Thomas*, legendum, *Tuciacus*, vel *Tuciacensis*. Corrigendus & error, qui extat in inscriptione Epistolæ ab Ecclesia Senonensi ad Gaufredum Carnotensem datæ, quem rogant, ut Archiepiscopo Electo benedictionis manus imponat. In Catalogo enim Archiep. Senonensium à Mathoudo composito pag. 118. ea dicitur data *ad Gostenum Carnot. Episc.* cùm tamen *Goslenus* ibidem perperam *Gostenus* appellatus non-

dum

dum Episcopus Carnotensis esset. Sed Librarius litteram G. Quæ sola erat in exemplari, insulsè interpretatus est. Hîc non prætermittendum, *Amedeum* Archiep. Lugdunensem Apostolicæ Sedis Legatum in Francia fuisse anni hujus initio, cùm San-Marthani in Archiep. Lugdunensibus mentionem faciant Rescripti Cœlestini II, dati *Laterani XIII Kal. Martii*, in quo Amedeus dicitur Legatus Sanctæ Sedis.

XIV. *Edessa à Turcis capta.* *Edessæ* celeberrimæ Mesopotamiæ civitatis captæ, desolatæque epocha à Chronologis variè constituta, quia enim plerique Antiquorum annos Incarnationis hoc tempore à die Natali Christi exordiebantur, varii inde errores enati. Civitas nocte Nativitatis Christi à Turcis capta, Dodechino in Chron. Hovedeno, aliisque testibus. Præterea Villelmus Tyrius magnam hanc Christianorum jacturam lib. XVI num. III copulat cum anno MCXLII, & Eugenii III Pontificatu, & cùm ipse testis irrefragabilis videatur in narratione rerum hoc tempore in Oriente gestarum, non defuêre qui piaculum duxerint ab ejus sententia discedere, cùm tamen ipsemet fateatur, se in rebus quæ ante annum MCLIV in sacris bellis contigêre, auritum testem esse, non verò oculatum. Verùm *Edessam* nocte Nativitatis Christi anni Æræ vulgaris MCXLIV in Turcorum potestatem venisse certum impostetum esse debet. Dodechinus enim, qui annum à Natali Christi auspicatur, ad annum MCXLV scribit: *Hoc anno Rohas* (ita Edessa à Turcis, aliisque Orientalibus appellata) *à Saracenis capitur in sacra nocte Nativitatis Domini: quorum Rex extitit quidam Sanguin nomine.* Signantiùs Urspergensis Abbas, qui annum etiam à Natali Christi inchoat, habet: *Anno Dom. MCXLV incipiente, in ipsa sacrosancta Nativitatis Christi solemnitate, lugubre & miserabile ex peccato Christiani populi accidit in Oriente piaculum. Sanguinus enim Halapensis Syria ac Mesopotamia, excepta Antiochia & Damasco Princeps, Persarum verò & Medorum Regis, seu Soldani* (nempe Bagadensis) *subditus, Edissam qua nunc Rohas dicitur, unicum Hierosolymitana Ecclesia pro magnitudine ac abundantia sui refugium, cum infinita Saracenorum multitudine circumdedit, ac in ipsa, ut dixi, Nativitate Domini irrupit, cunctis ibidem cum urbe Christianis in ore gladii occisis, vel miserabili captivitate in servitutem redactis, Ecclesias Christi, & præcipuè Beata Maria semper Virginis Basilicam, & eam in qua Thoma Apostoli corpus reconditum est, ad Salvatoris nostri ignominiam intrò ferens, ea qua non licebat* (legendum, licebant) *fœde polluit, nostrisque penitus exterminatis, Saracenos ibi ad habitandum collocavit.* Falsam tamen esse traditionem, quæ fert corpus Sancti Thomæ Apostoli apud Edessam extitisse, alibi ostendimus. Denique Otto Frising. hujus temporis Scriptor. lib. 7. cap. 30. eumdem diem ac annum designavit.

XV. *Quam magna fuerit hæc jactura* Quomodo nobilis hæc Civitas propugnatrix non tantum murorum, sed etiam finium suorum in medio hostium innumerabilium per tot secula invicta, hostium præda facta fuerit, refert his verbis Neubrigensis lib. 1. de Reb. Angl. cap. 18. *Armenius quidam, civis Edissenus, habitans in turri muro contigua, ob filiam suam à Principe civitatis corruptam, coquens animo vindictam, invitatos pactis intestinis Turcos ipsa nocte Nativit. Dominica intromisit in urbem: qui irruentes in populum securè in Ecclesia excubantem, & Archiepiscopum quidem altari assistentem mactarunt; populum verò non resistentem, sed subitis casibus stupore rigentem gladiis trucidarunt. Sic capta & in potestatem spurcissima gentis redacta est Edissa, tantis retrò temporibus semper invicta, & antiqua fidei Christiana alumna. Latissimis quoque finibus ejus pertinaci hostium furore pervasis, & in eorum possessionem cedentibus, Christiana religionis cultus trans Euphratem funditus deletus est.* Sed quia tantæ cladis fama anno sequenti ad Occidentem pervenit, aliqui Historici eo etiam anno hoc infortunium collocarunt, & ibidem eam Baronius memorat.

XVI *Dissidium Canonicorum & Monachorum Mediolanensium.* Anno superiori Canonicis Ecclesiæ Mediolanensis & Monachis ejusdem Ecclesiæ de jure campanarum pulsandarum inter se se dissidentibus, urbs Mediolanensis rursùs perturbata. Consules urbis dissidii judices electi partes in Palatio Archiepiscopali, *Robaldo* Archiepiscopo præsente audiêre, & utrisque aliquid concessêre. Robaldus Consulum efflagitatu *jussit & precepit prædicto Abbati & Monachis, atque Præposito & Canonicis, ut ita adtenderent & adimplerent, sicut ipsi Consules eis præceperent.* Instrumentum à Puricello in Monum. Eccles. Ambr. num. CCCXCI relatum, datum dicitur *anno Inc. MCXLIII, medio mense Junii, indictione VI.* Hoc verò anno dissidium illud non solùm renovatum, sed etiam auctum. *Robaldus* Archiep. de eo cognovit, ut liquet ex Instrumento à Puricello num. CCCXCVIII recitato, & hoc anno *mense Novembris indictione octava* dato. *Galdinus*, his verbis ei subscripsit. *Ego Galdinus Subdiaconus & Cancellarius à me dictata subscripsi.* Is postea Archiep. Mediolanensis fuit, & in numerum Sanctorum relatus, ut suo loco videbimus.

XVII. *Moritur Robaldus Archiep. Mediolanensis.* Non multò post *Robaldus* è vivis excessit. Ejus obitus à Puricello num. CCCXCIX his verbis notatur: Clarissimi viri *Aloysii ab Ecclesia* Catalogus expressè habet, *Obiit prædictus Robaldus secundo die ante Kalendas Januarii anno Dom. MCXLIV.* In Catalogo tam à Mabillonio, quàm à Papebrocio publicato legitur: *Obiit III Kal. Jan.* quod idem prorsus est cùm dies XXX Decembris secundus sit ante Kalendas Januarii, & III Kal. Januarii. Obertus seu Ubertus *venit ad sedem secunda Februarii die anno Domini MCXLIV*, ut legitur in præfato Aloysii Catalogo, cujus Auctor annum usque ad diem XXV Martii sequentis anni Dionysiani continuat. In Catalogo Archipresbyteri Metropolitani Mediol. apud Puricellum post narratam Robaldi mortem habetur: *Vacat tum sedes diebus XXIII. Obertus venit ad sedem XXI Januarii anno Dom. MCXLV* à primo die Januarii inchoato. Verùm est in Catalogo à Mabillonio edito legi: *Fuerunt autem ab ipsius obitu usque ad electionem domini Oberti dies XXVI*, sed legendum, *dies XXIII*, ut habet Papebrocius, qui eumdem Catalogum etiam edidit. Verùm non bene hic Vir doctissimus *Robaldi* mortem usque ad diem XXX mensis Decembris sequentis Christi anni distulit.

Anno Eræ Hispan. MCLXXXIII. Anno Hegiræ DXL inchoato die 23. Iunii fer 7.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6638.

⊙ 6. G. ☽ 6. P. 15. April. Indict. 8.

JESU CHRISTI 1145.

EUGENII III PAPÆ 1.

CONRADI III REG. 8.

MANUELIS COMNENI Imp. 3.

I. *Moritur Lucius II. PP.*

AD num. I Gotfridus Viterbiensis in Chron. pag. 512. *Lucius secundus*, inquit, *intendens Senatum extinguere, cum ingenti militia Capitolium Romæ conscendit, ut sedentes ibi tunc Senatores cum dedecore removeret. Senatus autem, populusque Romanus ad arma conversus, Papam cum suis omnibus à Capitolio in momento repellunt, ubi Papa (sicut tunc audivimus) lapidibus magnis percussus, usque ad obitus sui diem, qui proximè secutus est, non sedit in sede. Cui tunc successit Eugenius Abbas S. Anastasii Romæ.* De lapidis ictu idem refert Baronius num. I ex Codice Vaticano, atque nihil de illo habere Ottonem Frisingensem ejus temporis Auctorem, sed tantum eum quotidianis cruciatibus effectum diem obiisse; verùm cùm Viterbiensis hujus etiam temporis Scriptor sit, & consentientem habeat codicis Vaticani Scriptorem, non video quod Viterbiensis de illo ictu refert, in dubium revocandum esse. Obiit Lucius II *quinto Kal. Martii*, idest, die XXV Februarii, ut tradunt Baronius, Onuphrius in Chron. & Sigonius lib. XI. Hist. de Regn. Ital. seditque *menses undecim & dies quatuordecim*, ut Baronius & Onuphrius habent, & Sigonius supponit non verò dies IV supra menses XI ut perperam legitur in Martino Polono. Matthæus Parisiensis, qui in Chron. dies tantum XIII numerat, diem emortualem excludit.

II. *Fuerat Canonicus Regularis Ord. S. Augustini.*

Joannes Diaconus junior Basilicæ Salvatoris Patriarchii Lateranensis Canonicus in libro de Ecclesia Lateranensi apud Mabillonium Tom. II. Musei Ital. verba faciens de Lucio II ait: *Retro sub absida est altare Sanctorum Chrysanti & Dariæ, in quo recondita olim fuerant eorum pretiosa corpora*, &c. *In eadem parte sunt sepultura Apostolicorum, in quibus Sanctæ recordationis Lucius Papa II. Hic vixit in Canonicali proposito longo tempore in Ecclesia ista, atque hinc assumptus Presbyter Cardinalis ordinatus est in Ecclesia Sanctæ Crucis in Jerusalem, quam de ruinis à fundamento præclaro & admirando opere renovavit, atque ad normam religionis secundum beati Augustini regulam informatam, ante Apostolatum multis possessionibus ditavit. Sed & istam Ecclesiam, assumptionis suæ memor, & pristinæ conversationis, per omnia dilexit, magnisque beneficiis honoravit*, quæ ibidem postea sigillatim enumerantur. Fuerat itaque Lucius II Canonicus Regularis Ordinis Sancti Augustini.

III. *Lucio II. succedit Eugenius III.*

A num. II ad XI. Onuphrius & Sigonius rectè inquiunt Bernardum S. Anastasii Abbatem, S. Bernardi Claravallensis discipulum maximo animorum consensu *tertio Kalendas Martii* Pontificem electum esse, & *Eugenium* III appellatum. Baronius existimat, Eugenium die XXVI Februarii Pontificem dictum, quòd divus Bernardus in Epistola ad Cardinales & Episcopos de Curia post hanc electionem data, & à se num. VIII integra recitata scribat: *Num idcirco Pisam deseruit, ut reciperet Romam? Quid igitur rationis sui consilii habuit, defuncto Summo Pontifice, repente irruere in hominem rusticanum, latenti injicere manus, & excussa è manibus securi & ascia, vel ligone in Palatium trahere, levare in Cathedram, induere purpura & bysso?* &c. Verum Bernardus in Epistola illa rhetoricatur, tantumque indicat, Eugenium III citò electum, secundo nempe à prædecessoris obitu die. Has voces, *statim*, *mox*, *repentè*, & alias hujusmodi tempus significantes magnam latitudinem habere passim in hoc Opere significavimus, quia eas hallucinationum seminarium fuisse deprehendimus.

IV. *Ordinatur die quarta Martii.*

Anonymus Casinensis Lucii Papæ morte relata subdit: *Qui tertio die suæ electionis nocte* (inter primum & secundum Martii diem, feriamque V & VI) *cum omnibus Cardinalibus & Episcopis Româ egressus fugit, & apud Farnensem Abbatiam Pontifex consecratur, & apud Biterbum* (idest, Viterbium) *Pascha celebrans, ibique per octo menses remoratus, demum cum Romanis paciscens Romam reversus est.* De Farfa insigni Ordinis Benedictini Monasterio, in territorio Sabinensi sito, quod Româ tantum distat XXV passuum millibus, Anonymus loquitur, indicatque Eugenium III in Farfensi Monasterio die quarta mensis Martii, quæ in dominicam cadebat, Romanum Pontificem consecratum fuisse. Disertiùs illud narrat Otto Frisingensis, qui hoc ipso anno Romæ versabatur. Is lib. 7. Chron. cap. 31. de Eugenio ait: *Hic in principio dignitatis susceptæ, eo quod auctore Arnaldo, Populus ad reddenda Urbi Regalia, sicut antecessores suos, ita ipsum sollicitare vellet, cum Episcopis & Cardinalibus Urbe cedit, ac proxima Dominica in Monasterio Farfensi, consecratione Pontificali ob persecutionis imminentis timorem mutari, sublimatur.* Quare accuratè in Annalibus Waverleiensibus nuper in Anglia publicatis, hoc anno traditur: *Fuit ordinatus prima hebdomade mensis Martii, & vocatus est Eugenius Papa CLXXI.* Prima autem Martii hebdomada die quarta Martii inchoatur. Quæ verba etiam sine ulla immutatione extant in Chron. Normanniæ in fine Historiæ Orderici à Duchesnio edito. Hic obiter notabo Monasterii Waverleii Ordinis Cisterciensis Annales extare Tom. II Collectionis Oxoniensis.

V. *Ejus ordinatio tardiùs differri non debet.*

Baronius num. III refert Ordinationem Eugenii III ex Codice Vaticano, in quo dicitur, *cum proxima die dominica* consecrari debuisset, *præcognito Senatorum perverso consilio, noctis silentio Urbem cum paucis Fratribus* exiisse, & *ad arcem Monticelli se intutum* recepisse. Congregatis verò alia die cunctis Patribus, processisse ad Farfense monasterium, *& consecrationis gratiam in sequente dominica* suscepisse. Quibus ex verbis consequi videtur, *Eugenium* III Dominica secunda mensis Martii consecratum esse. Verùm Anonymus ille de unica Dominica loquitur, eamque modò proximam, modò sequentem Dominicam vocat. Castrum enim Monticelli, ut vel ex chartis Sansonis apparet, in Sabinis situm, & Farfensi monasterio vicinum.

VI. *Anno sequente Eugenius III iterùm fugere coactus fuit.*

A num. XI ad XXII. Epistola CCXLII divi Bernardi, nunc CCXLIII, ad Romanos data, & Epistola CCXLIII *ad Conradum* Romanorum Regem, quæ novo ordine est CCXLIV, pertinent ad annum sequentem, & ad

SÆC. XII. An. C. 1145. ad secundam *Eugenii* III fugam, ut rectè vidit Sigonius lib. XI de Regn. Ital. quo etiam anno à Mabillonio in margine notantur. Suprà diximus ex Anonymo Casinensi *Eugenium* III Viterbii *per octo menses* remoratum esse, & postea cum Romanis paciscentem Romam reversum; sed cùm Romani seditionem redintegrantes rursùm ab eo, ut *Tibur* everteret, postulassent, & ni quod peterent, impetrarent, vim adhibituros ostenderent, *Eugenius* III consilio cum Cardinalibus habito, rursùs Urbe cum eis cedere statuit, Tiburque contendit. Quod cùm accepisset *Divus Bernardus*, anno sequenti laudatas ad Romanos & ad Conradum Epistolas dedit. Asperè, sed justè Romanos in priori increpat, quòd tam iniqui in Pontificem essent, atque eos Dei vindictam non evasuros, nisi mox resipiscant. Romanos impellebat *Arnaldus* hæreticus, dum antiquæ Reipublicæ ac libertatis formam restituere nitebantur, solâ sacrorum curâ Pontifici relictâ, & vectigalia Pontificum sibi vindicabant, volentes Pontificem decimis, & oblationibus tantum more prisco contentum vivere. *Arnaldistæ* dicuntur hæretici à *Bonacurso*, qui Henricianos, se se *Catharos*, idest, solos mundos jactitantes, confutavit; quoniam errores eorum Mediolani, dum eorum Magister esset, in apertam lucem posuerat. Libellum ejus publicavit Dacherius Tom. XIII Spicilegii. Bonacursus eos *Passagios* & *Catharis* adjungit, quorum illi Mosaicæ legis ritus omnes observandos esse docebant, Filii & Spiritus Sancti æqualitatem negabant, & Ecclesiæ universæ Doctores omnes, Romanæque imprimis auctoritatem abjiciebant; Arnaldistæ verò asserebant per malos ministros Sacramenta irrita esse.

VII. *Legatio Orientalium ad Papam.* A num. XXII ad XXVII. Dum adhuc Viterbii *Eugenius* commoraretur, missa ad eum ex Armenia atque Syria Legatio, quam Baronius recitat ex Ottone Frisingensi, qui Romæ erat: *Audivimus eum* (nempè Syriæ Legatum) *periculum transmarinæ Ecclesiæ post captam Edessam lachrymabiliter conquerentem, & ob hoc Alpes transcendere ad Regem Romanorum & Francorum pro flagitando auxilio volentem.* Edessam autem die Natali Christi superioris anni à Turcis captam ibidem demonstravimus. Quare nonnisi currenti tantæ cladis nuncium in Italiam, Galliamque proferri potuit.

VIII. *Legatio Armenorum ad Papam.* Combefisius in Auctario Biblioth. Patrum Tom. II Invectivas duas *Isaacii Catholici* contra Armenios à se Notis illustratos publicavit, illumque non longè ab anno isto quo Armenio rum Legationem ad Romanum Pontificem Baronius narrat, omnibus Armeniæ Episcopis Primatis jure præsedisse ex eo colligit, quòd *Constantinum* ante octingentos annos à suo tempore baptizatum tradat. Armenii Legationem hoc anno ad Pontificem Romanum misêre, eumque super iis in quibus à Græcis dissentiebant, Judicem postularunt. Otto Frisingensis pauca quædam duntaxat ad sacrificii ritum ac cæremonias commemorat, quæ ut Armenii sola exposuerint, majoribus aliis ac spectantibus ad fidem suppressis, sicque Ecclesiæ Romanæ communionem furati sint, eorum gentis astutiæ fuerit, quam Auctor in eis insectatur, quamque olim Gregorius Nazianzenus in Armeniis detexit. Legendæ Combefisii in utramque Orationem Notæ, & observandum Ottonem Frisingensem apud Baronium num. XXIII à Legato deceptum fuisse quando scribit: *Inter ipsos* (idest, Armenios) *& Græcos, quædam de sacrificii ritu habitudo est in quibusdam, in aliis verò discrepantia. Ponunt enim fermentatum panem, sicut & illi. aquam autem vino non admiscent, sicut nos & illi.* Constantissimum enim est, inquit Combefisius, ante *Sanctum Niconem* Armenia oriundum azyma apud Armenios viguisse, nec postmodum abjecta fuisse inducto fermento.

IX. *Presbyter Joannes in Asia regnat.* *Narrabat etiam* (inquit Otto Frisingensis lib. 7. cap. 33. loquens de Gabulensi Episcopo à Syria misso) *quod ante non multos annos Joannes quidam (qui ultra Persidem & Armeniam, in extremo Oriente habitans, Rex & Sacerdos cum gente sua Christianus est, sed Nestorianus) Persarum & Medorum Reges fratres, Samiardos dictos, bello petierit, atque Ecbatanis sedem regni eorum expugnaverit. Cui dum præfati Reges cum Persarum, Medorum & Assyriorum copiis occurrerent, triduo utrisque magis mori quàm fugere volentibus, dimicatum est, Presbyter Joannes (sic enim eum nominare solent) tandem versis in fugam Persis, cruentissima cæde victor extitit. Post hanc victoriam dicebat, prædictum Joannem ad auxilium Jerosolymitanæ Ecclesiæ procinctum movisse, sed dum ad Tygrim venisset, sibique nullo vehiculo traducere exercitum potuisset, ad Septentrionalem plagam, ubi eumdem amnem hyemali glacie congelari didicerat, iter flexisse. Ibi dum per aliquot annos moratus, gelu expectaret, sed minimè hoc impediente aeris temperie, obtineret, multos ex insueto cœlo de exercitu amittens, ad propria redire compulsus est.* Baronius num. XXV dicit Presbyterum Joannem Æthiopiæ Regem fuisse; verùm hunc Regem hoc seculo nominatissimum, in Asia, non ver › in Africa regnasse, nunc extra omnem controversiam esse debet, ut vel locus laudatus demonstrat. De isto Rege, ejusque Regno anno MCLXXVII sermo erit.

X. *S. Bernardus scribit ad Robertum Pullum Card. & Cancell. S. R. E.* Ad num. XXVII. Epistola divi Bernardi, aliàs CCCXXXIV, nunc verò CCCLXII à Baronio num. XXVII recitata, non ad Rolandum ut ex codicibus editis Baronius habet, sed ad Robertum Pullum Cardinalem & Cancellarium scripta, ut deducit Mabillonius in Notis ad eam ex Codice MS. Cisterciensi, & quia is, de quo in illa agitur antiquus Bernardi amicus erat, literis & eruditione clarus, ac demum Cancellarius, *præmissus* ad Eugenii adjutorium quod præter alia, Roberto Pullo signanter convenit. Robertus Pullus usque ad annum III Eugenii teste Onuphrio Cancellarii munus gessit: Rolandus verò illud adeptus non est ante VIII ejusdem Pontificis annum. Recens autem electus erat Eugenius, cùm Sanctus Bernardus hanc Epistolam scripsit. Fallitur enim Ciaconius in Eugenio III ubi enumerans Cancellarios S. R. E. sub hoc Pontifice, ait Robertum ab anno Pontificatus ejus primo usque ad quintum dignitatem illam obtinuisse; cum anno MCXLVII num. IX & seq. visuri sumus eo officio tunc functum fuisse Guidonem Card.

XI. *Non verò ad Rolandum Card. & Cancell.* Robertum verò Pullum ipso Pontificatus Eugenii III principio Cancellarium extitisse demonstrat Diploma ejusdem Pontificis quod extat in fine Tractatus de Gestis Episc. Turonens. & Abbatum Majoris Monast. pag. 130. & seqq. *Datum apud civitatem Castellanam per manum Roberti S. R. E. Presbyteri Card. & Cancellarii,*

V Idus April. anno Incarnat. VIII Incarnat. Dominicæ anno MCXLV, Pontificatus verò Domini Eugenii III Papæ anno primo. Denique Robertum anno MCXLVI Cancellariæ Romanæ adhuc præfuisse docet Eugenii III Diploma Tom. X Concil. pag. 1849. productum. Quare Joannes Prior Haguitaldensis in Hist. ad annum MCXLVII qui juxta rectam Chronologiam est annus MCXLVI accuratè scripsit: *Præminuit his diebus in Clero Rodbertus Pullanus Cancellarius Apostolicæ Sedis, in omni sapientia & doctrina experientissimus Britannia oriundus.* Ciaconius itaque citatus rectè ait, Guidonem Cardinalem SS. Cosmæ & Damiani Cancellarium fuisse post Robertum, illoque mortuo *Rolandum*, qui postea fuit Alexander Papa III, Cancellarii munus anno Pontificatus Eugenii VIII, consecutum esse, & denique in prima creatione Cardinalium hoc anno ab Eugenio peracta Rolandum dictum esse Card. Presbyterum SS. Cosmæ & Damiani.

XII. *Conventus Bituricensis.* A num. XXVIII ad XXXIV. Eugenius III, dum *Kalend. Decemb. Vetrallæ, quod* oppidum non longè à civitate Viterbiensi situm, ageret, literis ad Ludovicum VII Franciæ Regem datis, & à Baronio num. XXX recitatis, sollicitavit eum ad profectionem in Terram Sanctam suscipiendam. Odo de Diogilo Monachus Sancti Dionysii, & in Abbatiam ejusdem Monasterii Sugerii successor, septem libellos edidit de Ludovici VII Francorum Regis profectione in Orientem, à Petro Francisco Chiffletio in *Asserto Genere Illustri* Sancti Bernardi à tenebris erutos, quibus Historia Ecclesiastica locupletari potest. In priori libello hæc habet: *Anno Verbi incarnati MCXLVI* (à die Natali Christi inchoato) *gloriosus Rex Francorum*, &c. *ut dignus esset Christo, Vezaliaco in Pascha* (sequentis Christi anni) *bajulando Crucem suam aggressus est eum sequi. In Natali Domini præcedenti* (hujus anni secundum æram vulgarem) *cùm idem pius Rex Bituricas Curiam celebrasset, Episcopis & Optimatibus sui regni ad coronam suam generaliùs solito de industria convocatis, secretum cordis sui primitus revelavit. Tunc religiosus vir* (Godefridus) *Episcopus Lingonensis, de Robes, quæ antiquo nomine vocatur Edessa, depopulatione, & oppressione Christianorum, & insolentia Paganorum, satis Episcopaliter peroravit, & de flebili materia fletum plurimum excitavit, monens omnes, ut cum Rege suo, ad subveniendum Christianis, Regi omnium militarent. Ardebat & lucebat in Rege zelus fidei, contemptus voluptatis & gloriæ temporalis, exemplum omni sermone præstantius. Tamen quod serebant, verbo Episcopus, Rex exemplo, non illicò messuerunt. Statutus est ergo dies alius Verzeliaco in Pascha* (sequentis Christi anni), *quo in Passione domini omnes unanimiter convenirent; & in Resurrectione, quibus foret cælitus inspiratum, Crucis gloriam exaltarent. Rex interim pervigil in incœpto, Romam Eugenio Papæ super hac re nuncios misit.* Est Verzeliacum, seu melius Vezeliacum, urbs in Autissiodorensi tractu posita.

XIII. *Profectionem Orientalem ex voto suscepit Ludovicus VII.* Chronographus Mauriniacensis, qui annum à die Natali Christi exorditur, hæc in rem nostram habet: *Eodem quoque anno Edessa civitas ab inimicis Crucis Christi, nostrorum dormitante providentia capta, Sarracenorum dominationi repente accessit. Unde & eos, qui in regione Hierusalem adjacente manebant, doloris immoderata angustia usque ad intima perculit. Venerunt ergo ab Antiochia & Hierusalem in nostram regionem* (nempe in Galliam) *Legati a Primoribus partium illarum missi suppliciter exorantibus, ut Francorum invincibilis probitas periculum, quod evenerat, emendaret, & futura repelleret.* Subdit Chronographus, Regem *Celsiores regni sui* in Pascha apud Viziliacum convocasse, & omnes suos allocutum esse. Inter alia in ejus oratione memorata hæc observanda: *Magnam super hoc scitote jam mihi devotionem incumbere. Unde & vos obnixè deprecor, ut meam studeatis voluntatem vestro comitatu & auxilio roborare.* Legitur in Chron. Cisterciensi MS. à Chiffletio in Præfatione ad libellos Odonis de Diogilo citato, & apud Robertum de Monte, compluresque alios, ad Sanctum Sepulchrum peregrinationem illam susceptam ex voto à Ludovico Rege, compuncto ob incensam castri Vitriaci Basilicam, cum mille & trecentis promiscuæ multitudinis, quæ in eam confugerant, capitibus in ea inclusis. *Vitriacum*, quod *Victoriacum* aliàs appellabatur, Vitriacum Incensum, Gallicè, *Vitri le Brulè*, postea appellatum fuit, propterea quod à Ludovico VII igne consumptum est. Cujus in locum Franciscus I Franciæ Rex illud ad fluminis Matronæ ripas extruxit, quod ab ipso *Victoriacum Francisci* cognominatum est, *Vitri le François*, ut notat Hadrianus Valesius in Not. Galliarum.

Anno superiori *Mauri* Hispaniam habitantes ab *Almohadibus* validè oppugnabantur, & *Tessephinus* eorum Imperator eis auxilium ferre non poterat. Ingentem exercitum adversus *Abdelmunem* congregarat, uti narrat Noweirius; verùm is bello exercitatus se se intra montes continuit, interimque *Tessephini* exercitus in cænosa planitie, ubi castra posita fuerant, fame & morbis periit; eoque dissipato Tessephinus *Oranum*, celebre oppidum ad mare situm, fugit. Cumque aliud azylum quæsisset, rursumque eum *Abdelmumen* persecutus esset, equo decidit, interiitque exeunte anno Hegiræ DXXXIX, ideoque currentis anni hyeme. *Tessephinus* illustribus quibusdam facinoribus magnum sibi nomen collegit, sed cùm ei fortuna minus arrisisset, à suis contemptus fuit, ut videre est in Historia Arabum à Roderico scripta, & ex ejusdem nationis Auctoribus collecta, ubi cap. ultimo, inquit: *Quia viderunt à Regalibus actibus alienum, in eum ubilibet insurgebant, & ubique, & quilibet rebellabant, & guerris indesinentibus infestabant, & ferè perdidit totum regnum, & hoc fuit anno Arabum quingentesimo trigesimo nono* (præsenti Christi anno absoluto): *& regnum Vandaliæ* (Hispaniæ nempe, quam multoties monuimus *Vandaliam* dictam fuisse, indeque Criticos, qui illud non animadvertêre, sæpius in errorem incidisse) *quinquaginta tribus annis possederant citra mare.* XIV. *Obitus Tessephini Almorabitarum Imperatoris.*

XV. *Post ejus mortem magna turba inter suos excitata.* *Jussephus* seu *Jussefus* Marochii Rex, & Almorabitarum seu Almoravidum Imperator regnare cœperat anno Christi MXCI, ut ibidem narravimus: *Totam terram Vandaliæ*, inquit Rodericus citatus cap. 48. occupavit, *& fuit Monarcha ultramarinus, & cismarinus, & duravit sibi* (ubi Alim filium ejus, & Tessephinum nepotem comprehendit) *hujusmodi*

Monarchia

Monarchia annis quinquaginta quinque, ab anno Arabum quadringentesimo octuogesimo quarto (anno Christi MXCI inchoato), *usque ad quingentesimum tricesimum nonum annum* (hoc Christi anno finitum), *quando per Almohades dominium perdiderunt*, seu, ut capite superiori dixerat, *donec venientes Almohades ab Africa & Vandalia, Amoravides exterparunt.* Hoc itaque anno maxima Maurorum Hispaniensium pars à Mauris Africanis discessêre, & quilibet quæ potuit in Hispania Saracenica occupavit. *Almoravides*, seu quod idem est *Almorabita*, qui *Marochium* incolebant, ubi Imperatoris sui mortem accepêre, fratrem eius ad thronum Regium evexêre, ut inquit Noweirius, interimque *Abdelmumen*, de quo suo loco locuti sumus, *Oranum & Fezzam* majores Africæ civitates occupavit. Mauri Hispaniæ, Valentiam, Mursiam, Tortosam & Ilerdam incolentes omnium Africanorum cædem fecêre, & *Safadaula* Rex Cordubæ populos Bœticam inhabitantes ducens non minori crudelitate in Cordubam, Granatam, Giennam & Anduxarsam sævìit. *Abengamia* Pro-Rex, vir fortis & magnanimos Cordubæ arcem conservavit; sed qui ei adhærebant, nullum ex Africa subsidium expectare poterant, quia ibi Musmodes & Caiteres Almorahidini omnia igne & cædibus miscebant. Nunquam in Hispania tantum turbarum extitit; sicut enim in Africa, ita & in Hispania Mauri inter se depugnabant. *Alphonsus* VII Castellæ Rex & Imperator copias ad *Safadaulam* Regem, Christianorum amicum misit, sed parum profecit, qoia Mahumetani valde à Safadaula abhorrebaot, eumque tanquam infidelem & Christianorum fautorem habebant. Porro cum fine Monarchiæ Almorabitarum Historiam suam Saracenicam Rodericus Toletanus absolvit.

Anno Eræ Hisp. MCLXXXIV. Anno Hegiræ DXLI inchoato die 15. Junii fer. 5.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6639.

☉ 7. F. ☽ 7. P. 31. Mart. Indict. 9.

JESU CHRISTI 1146.

EUGENII III PAPÆ 2.

CONRADI III REG. 9.

MANUELIS COMNENI IMP. 4.

I. *Secunda Eugenii III fuga ex urbe Romana.*

AD num. I Tiburtes jam à multis annis Romanis infensi erant, indeque Romani Eugenium III pro excidio *Tiburtinorum* sollicitabant, sed Pontifex *improbitatem eorum non sustinens* ad Transtyberanam regionem migravit, ut narrat Baronius ex Ottone Frisingensi lib. 7. cap. 34. Durante secunda hac Romanæ urbis seditione *divus Bernardus* literis Romanos increpavit, & *Conradum* Romanorum Regem hortatus est, ut si fortè obstinati perseverarent, armis compescerentur. Baronius quidem utramque Bernardi Epistolam anno præcedenti recitat, sed eas ad præsentem spectare Sigonius lib. XI. Hist. de Regn. Ital. & post illum Manricus in Annal. Cisterc. hoc anno cap. 3. aliique observarunt. Quæ refert Otto Frisingensis, confirmantur ab Anonymo Casinensi, & Joanne Ceccano in Chron. à quibus & aliqua singularia notantur. Prior ad annum MCXLV, qui nobis est MCXLVI, scribit: *Eugenius Papa per Transtiberim exiens, Viterbum* (idest, Viterbium) *devenit, & pacem* (Peregrinius observat in MSS. legi, pactum) *reformans mures Tiburtina civitatis destrui praecepit, & apud civitatem Lucensem abiit.* Ceccanus verò ad hunc annum: *Romani venerunt super Tiburim, & multos ex eis decollaverunt.*

II. *In Franciam venit anni sequentis initio.*

Eugenius III in his rerum angustiis Prædecessorum suorum exemplo in Franciam ire constituit. Iter terrâ ingressus Senis Diaconos duos *Gilberti Porretani* Pictaviensis Episcopi offendit, qui Episcopum suum de fide Trinitatis malè sentientem deferebant, quibus se in Francia dixit ex Concilii sententia responsurum. *Pisas* inde, ac trajecto Apennino per mensem Augustum *Brixiam* venit, unde X Kalend. Septemb. literas ad *Gerardum* Episcopum Bonooiæ dedit, quibus eum docuit, se Regiensibus & Parmensibus præcepisse, oe Mutinensibus adversùs Abbatem Nonantulanum adessent. Inde in Franciam progressus à *Ludovico Rege* ingenti honore exceptus est, inquit Sigonius ad annum MCXLVI, quo etiam Brouverus lib. 14. Annal. Trevir. Tom. II. pag. 47. accessum *Eugenii* III in Franciam collocat. Verùm utrumque falli & Eugenium III initio tantum sequentis Christi anni per Burgundiam Galliam intrasse ibidem videbimus.

III. *Conventus Vezeliacensis.*

A num. II ad XI Anno superiori diximus ex Odone de Diogilo libell. I Ludovicum VII Franciæ Regem Proceres Vezeliacum convocasse ad Pascha præsentis anni, nunciosque hac de re ad Eugenium Papam misisse; hoc verò anoo hæc Odo narrat: *Qui lætanter suscepti sunt* (sc. ab Eugenio III), *lætantesque remissi, referentes omni favo literas dulciores, Regi obedientiam, armis modum & vestibus imponentes; jugum Christi suave suscipientibus, peccatorum omnium remissionem, parvulisque eorum & uxoribus patrocinium promittentes; & quædam alia, quæ Summi Pontificis sanctæ curæ & prudenti visa sunt utilia continentes. Optabat ipse tam sancto operi manum primam præsens imponere, sed tyrannide Romanorum præpeditus non potuit; sancto verò Claravallensi Abbati Bernardo curam istam delegavit. Tandem dies affuit Regi optatus. Abbas etiam Apostolica auctoritate, & propria sanctitate munitus, & convocatorum maxima multitudo, loco & termino pariter affuerunt. Suscepit ergo Rex à Summo Pontifice sibi missum Crucis insigne, & Proceres multi cum eo. Et quoniam in castro locus non erat, qui tantam multitudinem capere posset, extrà in campo fixa est Abbati lignea machina, ut de eminenti circumstantibus loqueretur. Hanc ascendit cum Rege Cruce ornato. Cumque cœleste organum more suo divini verbi rorem fudisset, cœperunt undique conclamando, Cruces, Cruces expetere. Et cùm earum fascem præparatum seminasset potius quam dedisset, coactus est vestes suas in Cruces scindere & seminare. In hoc laboravit quandiu fuit in villa* (Vezeliacensi), &c.

IV. *Crux passim pro expeditione Terræ Sanctæ suscepta.*

Tandem Edicto quod post annum progrederentur, omnes ad sua cum gaudio repedarunt. Abbas verò sub tenui corpore & pene præmortuo robustum gerens spiritum, ubique circumvolat prædicando, & multiplicati sunt super numerum in parvo tempore, Crucem portantes. Rex quasi jam nactus gaudium suum fidei propaganda, de spe

futuri exercitus copiosi, Apuliam Regi Rogerio nuncios mittit. Qui de omnibus rescripsit ad libitum. Insuper viros remisit nobiles, qui regnum suum in victualibus, & navigio, & omni necessitate, & se vel suum filium itineris socium promittebat. Misit etiam alios Constantinopolitano Imperatori (nempe Manueli), *cujus nomen ignoro, quia non est scriptum in libro Vitæ. Hic in longo rotulo prolixam adulationem depinxit, & Regem nostrum nominando sanctum, amicum, & fratrem, promisit plurima, quæ opere non implevit. Sed hæc aliàs. Alemannorum & Hungarorum etiam Reges* (nempe Conradum & Geysam II) *de foro* (idest de commeatu, seu cibariis ad alimoniam exercitûs) *& transitu requisivit; quorum nuncios, & literas ad suam voluntatem recepit. Harum quoque regionum Duces multi & Comites, ejus exemplo provocati, de itineris illi societate scribebant. Sic ad nutum omnia procedebant. Interea fama volat, Angliam transfretat, & aliarum recessus penetrat insularum. Parant naves maritimi cum Rege navigio processuri. Ceterum dum Rex lustrans omnia statum regni ordinat, dum subditis imposterum pacem firmat, omnes undique nuncii Parisius convenerunt. Revertenti omnes pariter affuerunt: Imperatorum Sacras & Ducum chartas offerunt, verboque & literis quidquid poposcerat pollicentur. Habet Rex optionem, cui fidem habeat, in quo compendium credat. Sed illi mot erat, ut socii essent consilii, qui forent & laboris.*

V. *Insigniores ex Crucesignatis.* Baronius num. X exhibet quæ Otto Frisingensis de Conventu Vezeliacensi die XXXI Martii, quo Pascha celebratum, habito refert; sed Otto neque tempus Conventus celebrati, neque Episcopos qui Crucem suscepêre memorat. Chronographus Mauriniacensis in fine sui Operis insigniores recenset: *Famosiores inter omnes, qui cum Rege hujus itineris angustiam subierunt, fuerunt hi. Alamannorum Imperator Henricus* (legendum, Conradus) *Robertus frater Regis, Meldensis Comes Henricus, Comes Flandriæ Gaufridus* (legendum, Theodoricus) *Aluinus Episcopus Attrabatensis, Girandus* (legendum, Godefridus) *Episcopus Lingonensis. Gaucherius de Monte-Gaii, Comes de Warena, Rainaldus Tornodorensis, Manassee de Bulis, Euraldus de Bretolio.* Continuator Aimoini lib. 5. cap. 53. aliquos alios Episcopos, Abbates, & Proceres plures, qui Crucem accepere in medium adducit.

VI. *Conventus Laudunensis & Carnotensis.* Præter Conventum Vezeliacensem Carnotensis hoc anno coactus, cui Ludovicus Rex interfuit, multique Archiepiscopi, Episcopi & Proceres; celebratus est tertia dominica post Pascha, ut liquet ex Epistola XVII Petri Venerabilis lib. VI, & ibidem recitatur Epistola XIX ejusdem libri Petro Venerabili à Sugero Sancti Dionysii Abbate data in qua ait: *Inde est quod Archiepiscopi, & Episcopi, quinetiam Dominus Rex, & regni Optimates, & nos super hoc* (nempe expeditionem in Terram Sanctam) *Lauduni convenimus: & usque adeo res processit, quod XV dies post Octavas Paschæ Carnoti generaliter Conventum celebrare super hac causa*, &c. *& omnimodam operam adhibere disposuimus.*

VII. *Conventus Bituricensis anno superiori habitus.* Meminit alterius Conventus sanctus Bernardus in Epist. CCXLVII ad Eugenium scripta. Mos horum temporum ferebat, ut Francorum Reges in præcipuis Festis coronam solemni ritu acciperent, quod cùm Samson Archiepiscopus Remensis, Petro Bituricensi Archiep. Romæ existente, *temerè usurpasset*, ut legitur in Patriarchio Bituricensi, Eugenius III ob hanc causam usum Pallii eidem Remensi interdixit, ut liquet ex ejusdem Papæ Epistola ad Samsonem data, & in Patriarchio Bituricensi recitata sub *datum Sutrii VII Kal. April.* seu die XXVI mensis Martii. Verùm Conventus Bituricensis die Natali Christi superioris Christi anno congregatus, ut ibidem num. XII Odo de Diogilo disertè scribit. Quare sicut Carnotensem Laudunensis, ita & Vezeliacensem Bituricensis Conventus præcessit, neque Laudunensis & Bituricensis in futura Conciliorum editione omitti debent; cùm in eam Conventus Vezeliacensis & Carnotensis jam inserti fuerint. Divus Bernardus, ut legere est in Epistola ejus CCXLVII ad Eugenium III data, qui Samsonis amicissimus erat, graviter conquestus est, tam severè animadversum ab eo, præsertim cùm nihil præter jus & Privilegii tenorem usurparit, Principumque Conventus pro expeditione Hierosolymitana id prorsùs ab eo extorquere videretur: *Quid in arcto illo fieri oportebat? Dies celebris, solemnis Curia, juvenis Rex: & quod his majus est, Dei negotium, de Hierosolymitana scilicet expeditione, propter quod omnes convenerant. Prorsus hæc omnia Missarum & corona Regia solemnis, debitique honoris frustrationem nullatenus admittebant. Sed nec ipsi Bituricensi Archiep. omnino expediebat, ut honor Regis per eum impediretur.* Quibus ex verbis perspicuum fit Petrum Archiep. Bituricensem anno superiori, quo ea Coronatio facta, à sua diœcesi absentem fuisse.

VIII. *Pueri Christiani diversis temporibus à Judæis necati.* A num. XI ad XXII. Pseudo-Robertus de Monte in Chron. narrat, Judæos hoc anno puerum, nomine *Willelmum*, Christianum apud Norvvicum Angliæ civitatem crucifixisse, quod tamen Westmonasteriensis in Chron. ad annum præcedentem, Bromptonus verò in suo Chron. ad Regis Stephani annum nonum, qui Christi fuit MCXLIV rertahunt. Bromptono suffragatur Chronicon Fiscannense Tom. I Biblioth. Labbei. In eodem Bromptoni Chronico extat aliud exemplum pueri anno MCLX Henrici Regis anno VI à Judæis crucifixi prope Gloverniam, ut videre est pag. 1050. Neque hic finis crudelitatis; rursùs enim anno MCLXXXI *martyrizatus est ad Pascha apud Sanctum Edmundum à Judæis puer quidam Robertus nomine: qui in proximo in Ecclesia S. Edmundi honorificè sepultus, multis, ut fama fuit, clarus miraculis*, inquit Gervasius Monachus in Chron. Denique Henricus de Knygton Leicestrensis Abbatiæ Canonicus lib. 2. de Eventibus Anglorum cap. 15. affirmat, quod *anno MCCLV Judæi crucifixerint, Hugonem, novennem puerum Lincolniæ Kal. Augusti.* Quare videntur Judæi multiplicatis ante annos sexaginta suorum cædibus, suppliciis non fractos, sed exasperatos magis, & frequentiùs in Christianorum innocentium sanguinem sævisse, quam ab Historicis libuerit referre in Chronica. Similia hujus crudelitatis exempla refert Bollandus ad diem XXV Martii, dum verba facit de Sancto Willelmo puero Norwici in Anglia martyrium passo, cujus meminit Baronius num. XIX.

SÆC. XII. An. C. 1146.

IX. *S. Bernardi profectio Germanica.* Baronius num. XX ait, sanctum Bernardum, *ubi ad finem præsens inclinaret annus*, se in Germaniam contulisse. Verùm, uti observat Manricus in Annal. Cister. hoc anno cap. VIII motus ad id videtur Baronius ex Historia miraculorum ejus in procemio, ubi à prima Dominica Adventus eorum exordium sumitur; cùm tamen longè probabilius sit, hunc Auctorem non à primo Bernardi in Germaniam ingressu, sed ab ejus ad Constantiam accessu eorum exordium deduxisse. Sed quidquid hac de re sit, Sanctus vir in Germaniam venit, ut & Christianos ad Crucem sumendam impelleret, & à Judæis necandis retraheret. Inter alios enim Eremita quidam, *Radulphus* nomine, seu nimio zelo, seu captandæ plebis avidus, quasi à *Bernardo* missus, Crucem contra Saracenos, & internecionem contra Domesticos *Judæos* concionabatur, uti refert Otto Frisingensis in Friderico lib. I. cap. 37. Doluêre Episcopi se ipsis inconsultis, imò renitentibus, ex injuncto Bernardi, totam ferè Germaniam perturbari. Quare Sanctus Abbas purgandæ huic Calumniæ, & reprimendo serpenti malo, primò ad *Henricum* Moguntinum Præsulem, mox ad omnes Germaniæ Episcopos scripsit. Epistola ad Moguntinum Præsulem, quæ aliàs CCCXXIII, nunc est CCCLXV, & Epistola ad Orientalis Franciæ Clerum & populum, aliàs CCCXXII nunc est CCCLXIII. In priori in *Radulphum* Monachum invehitur, atque tria in eo reprehensione esse dignissima, usurpationem prædicationis, contemptum Episcoporum, homicidii approbati libertatem. In posteriori verò non solum arma contra Infideles pro Orientalis Ecclesiæ defensione suscipienda hortatur; sed etiam Judæos non esse persequendos, nec dum occidendos scribit. Prior legenda apud Baronium num. XVIII, & posterior apud eumdem num. XI & seqq.

X. *Floret S. Hildegardis.* Bernardus sub mensis Octobris finem ad *Wormatiam* urbem commoratus, multos ad sacrum bellum Crucesignavit. De eo enim sub initium Januarii anni sequentis, eamdem urbem rursus adeunte, Philippus tunc Archidiaconus, postea Monachus, qui præsens fuit, in lib. de miraculis Sancti Bernardi cap. XI scribit: *Transierat per Wormatiam ante duos menses, & sermone habito, innumerabilem ibi signaverat populum signaculo militia Christiana.* Dein *Francofurti* convenit Conradum Regem Romanorum, sed virum, quamvis sui reverentissimum, facilem in hoc negotio non invenit, nec persuasibilem, ut ad illud adduceretur, uti refert laudatus Philippus cap. VII Sanctum Abbatem Francofurtu discedentem *Bingium*, quod oppidum ad Rhenum positum, navigio pervenisse refert Trithemius in Chron. Hirsaug. ad annum MCXLVII. Ibi *Sancta Hildegardis* cui antea per literas verba sanctæ admonitionis transmiserat, Sanctimonialibus præsidebat, & voluminibus ab ipsa Virgine conscriptis, diligenter revisis, ad circumstantes dixit: *Hæc scripta non sunt humanitus adinventa, sed per Sanctum Spiritum divinitus inspirata.* Cumque Capellanus Sanctæ Virginis multos ea tanquam *somnia muliebria, & destructi cerebri deliramenta* traducere asseruisset, Bernardus ad Hildegardem dixit: *Tu filia charissima, non metuas opprobria hominum, Deum habens defensorem.* De ea Chronographus Autissiodorensis ad hunc annum habet: *per idem tempus in Alemannia partibus habebatur admirabilis Virgo quædam provecta ætatis, cui tantam gratiam virtus Divina contulerat, ut cùm ipsa laica & illiterata esset, mirabiliter tamen ab hoc mundo raperetur frequentiùs, & in summis disceret, non solum quod postea in imis diceret, sed potiùs (quod satis mirabile est inauditum) etiam scribendo Latinè dictaret, & dictando libros Catholicæ Doctrinæ conficeret.* Annus tamen hujus colloquii Bernardi cum Hildegarde non satis certus. Vincentius Bellovac. in Spec. Hist. lib. 27. cap. 83. refert laudata verba ex auctore Anonymo, atque se ea existimare eum spectare ad Hildegardem prædictionibus claram.

XI. *Conradus Imp. Crucem accipit.* Philippus citatus cap. 3. narrat miracula, quæ Sanctus Abbas per singulos dies patrabat, atque mense Novembri exeunte *Constantiam* venisse rogatu Hermanni Constantiensis Episcopi, qui eum primùm *Basileam*, mox *Argentinam* deduxit. Conradus Germaniæ Rex generalem Curiam Spiræ, cui Bernardus adesset, in die Natali Christi congregavit: *Ibi enim diem festum celebravit Rex Conradus, ibi coronatus est, ibi adfuit Episcoporum, Principumque Conventus. Illuc Sanctus advenit inter Principes quosdam pacem cupiens reformare, quorum inimicitiis exercitus Christi detinebatur*, inquit Philippus cap. 7. Videt in Germania, sicuti & in Gallia, Reges sæpiùs coronatos fuisse. Conradus primum iter transmarinum aversatus est, nec facile ad illud adductus. Tandem Bernardo dixit: *Paratus sum servire ei, quandoquidem ex parte ejus moneor*, ut tradit idem Philippus, qui paulò pòst addit: *Continuo signatus est Rex, & vexillum ab altari per manum Patris nostri, quod ipse in exercitu Domini manu propria deportaret, accepit. Signatus cum eo nepos ejus Dux Fredericus junior* (qui postea imperavit): *signati illic Principes, quorum non est numerus.* Agit de hac Sancti Bernardi profectione Germanica Baronius num. XX.

XII. *Conversio Nicolai Claravallensis.* A num. XXII ad XXV. *Nicolaus*, qui ex Monacho Arremarensi factus est Cisterciensis, & Sancti Bernardi Amanuensis sive Notarius, Petro Venerabili propter ejus ingenium & eloquentiam in deliciis fuit, (ut ejusdem Petri Epistolæ XXXIII, XXXIV, & XXXV libri sexti demonstrant) & reliquis in admiratione. Verùm sigillo *Sancti Bernardi* non semel abusus, & deprehensus falsarius præclaras animi sui dotes obscuravit. Vir versipellis videns Sanctum *Bernardum* in summa omnium existimatione, & Claravallenses ubicumque in honore, *Theobaldo* Arremarensi Priori persuasit, ut ad ejus Ordinem majoris perfectionis prætextu simul transirent. *Theobaldus* cedente imbelli senecta sarcinæ graviori ex Ordine Claravallensi exivit, sed *Nicolaus* perseveravit. Probi in speciem mores ejus, ingenium acre, & stylus dulcis illum valde Bernardo commendabant, ideoque ejus calamo, atque ipsius exemplo, etiam alii, uti voluit, & *Nicolaus*, quod adeo concupierat, celebre nomen in brevi sibi comparavit. Porrò Arremarense monasterium, Gallicè, *Montier-Ramey*, positum est in diœcesi Trecensi.

XIII. *In annum præcedentem retrahenda.* *Nicolai* fraudulenta conversio in superiorem Christi annum incidit, quod colligit Manricus anno MCXLV cap. IX num. IV ex Epistola VII Nicolai Claravallensibus data pro sua receptione in eorum Ordinem. In ea enim mentionem Nicolaus facit Eugenii jam summi Pontificis, indeque rectè deducit, Baronium perperàm scripsisse *Nicolaum* currenti anno defectum, at-

que

que delatum ad Eugenium Papam; præsertim cùm id multò posterius accidisse, tota historiæ series palam faciat. Opinionem suam Baronius num. XXII ex his Bernardi verbis in Epistola CCCLXIII, aliàs CCCXXII ad Episcopos Orientalis Franciæ data, eruit, in qua Sanctus Abbas ait: *Illud admonitos vos esse necesse est, fratres dilectissimi, ut si quis forsè amans Primatum gerere inter vos, expeditione sua regni voluerit exercitum prævenire, nullatenus audeat, & si à nobis missum se simulat, non est verum: aut si ostendat literas tanquam à nobis datas, omninò falsas, ne dicam furtivas, esse dicatis.* Verum loquitur Bernardus de *Radulpho* Eremita sub ejus nomine prædicante, quæ fuit querela *Henrici* Moguntini Præsulis, ut patet ex divi Bernardi Epistola ad hunc Præsulem data, & à Baronio num. XVIII recitata. Neque credibile *Nicolaum* tam citò falsarium à Sancto Bernardo deprehensum, & tamen non statim à suo obsequio dimissum.

XIV. *Nicolaus Claravallensis Lapsus.*

Nicolaus itaque Franci, vel, ut ab aliis appellatur, Claravallensis lapsus contigit anno millesimo centesimo quinquagesimo primo, ut docet Epistola Bernardi CCXCVIII, veteri ordine CCLXXXIV, cujus locum affert Baronius num. XXII, & elicitur etiam ex Epistola CCCLXXXVIII, quæ est Petri Venerabilis de electione Gratianopolitana eodem anno peracta; qua in Epistola *Nicolaus* uti Bernardo & Petro adhuc charus ac fidelis amborum internuncius, laudatur. Hanc epocham rectè statuunt Manricus citatus ad eum Christi annum cap. IX, & Mabillonius Præfatione in Tomum tertium Operum Sancti Bernardi num. XLVIII & seq. Nicolaus post varios hinc inde discursus, constitit tandem in suo Arremarensi monasterio, ut liquet ex Epistola LIX Arnulphi Lexoviensis Episcopi ad ipsum Nicolaum, tum ex ipsius Nicolai Epistola ad Guillelmum Remorum Antistitem scripta, à Baluzio Tom. II Miscell. vulgata, quæ ideo ante annum MCLXXVI, quo Guillelmus Remensis Archiepiscopus dictus, data non fuit. In ea Nicolaus Guillelmum laudat, quod se receperit intra *sacrarium* suæ familiaritatis, & quod susurroni & detractori (hos quippe timebat Nicolaus) locum non daret, & deinde se excusat, quod ab ejus conspectu tamdiu abstinuerit. Nicolaum Henrico Campaniæ seu Trecentium Comiti addictissimum fuisse ostendunt duæ ejus ad eum Epistolæ. Sed de Nicolao plura Mabillonius in laudata Præfatione. Scripsit librum Epistolarum tam in editione Patrum Coloniensi quam Lugdunensi relatum, & librum Sermonum *dicatum Henrico Campaniæ Comiti*, recitatum in Biblioth. Script. Ordinis Cisterciensis Tom. III. Annus ejus mortis incertus.

XV. *Obitus Guillelmi Patriarchæ Hierosolymitani.*

Ad num. XXV. Tyrius lib. XIV in fine, & initio libri XV narrat, quomodo per Willelmi Patriarchæ Hierosolymitani manus anno MCXLII Fulco Hierosolymorum Rex tumulatus fuerit, & de eodem Patriarcha cap. XVII scribit: *Obiit V Kal. Octob. Pontificatus ejus anno XV, cui postmodum, subsequente Januario substitutus est Dominus Fulcherus Tyrensis Archiepiscopus.* Si itaque Tyrius annos completos numeret, Willelmus anno superiori mortalitatem explevit, & *Fulcherus* mense Januario præsentis anni in ejus locum subrogatus est. Quod si anni illi XV incompleti fuerint, *Willelmi* mors in annum MCXLIV retrahenda.

XVI. *Michael Oxita abdicat Patriarchatum Constantinop.*

Ad num. XXVI. Cùm *Michael Oxita* Patriarcha CP. anno MCXLIII Patriarchatum Constantinopolitanum consecutus fuerit, & ut legitur in Catalogo Græco Episcoporum Constantinop. annos duos & menses octo sederit, hoc anno Patriarchatum abdicavit, uti rectè Baronius habet. In eodem Catalogo refertur *Cosmam Atticum* ejus successorem Pontificatum menses decem administrasse, posteaque ex eo dejectum; Ecclesiamque viduam mansisse *menses X.* Quare *Cosmas* anno sequenti ob hæresim Bogomilorum Sede pulsus fuit. Allarius lib. 2. de Consens. Eccles. Occident. & Orient. cap. XII pag. 686. refert Sententiam adversus Cosmam latam: *Sententia Depositionis Patriarchæ Constantinopolitani, Cosmæ Attici, qui unà cum Bogomilo Niphone sentire compertus est, extracta, &, ut moris est corroborata, editaque anno VIMDCLII, mense & indictione sententia præfixis. Mensis Februarii XXVI die* (idest feria) *IV, indictione X, præsidente in palatio Blachernarum potentissimo & à Deo coronato, sancto nostro Rege & Imperatore Domino Manuele Comneno,* &c. sed annus mundi secundùm eram Constantinop. à Septembri incipientem corruptus est, legendumque, *anno VIMDCLV*, qui mense Februario sequentis anni concurrit cum indictione X, quo feria IV incidit in diem XXVI Februarii. Nicetas Choniata lib. 2. ait Cosmæ æmulos eum apud Manuelem Imp. calumniatos esse, & in vindictam injustæ dejectionis Imperatricem nullos mares peperisse, ut ei Cosmas imprecatus fuerat.

XVII. *Hæretici prope Coloniam exorti.*

Hoc circiter anno *Everuinus* Steinfeldensis prope Coloniam Præpositus scripsit Epistolam ad Sanctum Bernardum Abbatem contra quosdam hæreticos nuper exortos. Eam refert Mabillonius Tom. III Analect. pag. 452. & rursus ante Sermones LXV & LXVI in Cantica Canticorum, hoc circiter anno editos, quia in iis Sanctus Abbas hos hæreticos refellit. Pauca hîc ex eadem Epistola & Mabillonii in eam Notis referemus, quia extra consilii nostri limites egredi non possumus. Varia fuêre per hæc tempora hæreticorum genera, in quibus *Petrobusiani* seu Henriciani in partibus Tolosanis; *Cathari*, quorum antesignanus & detector Bonacursus Mediolani, ut jam insinuavimus; *Boni-homines* (ita se se appellabant) cum Oliverio sectæ auctore damnati anno MCLXXV in Concilio Lumberiensi; *Patareni & Passageni*; qui omnes occasionem dederunt Albigensibus hæreticis, de quibus infrà. Isti, quos retexit Everuinus, nullo nomine censebantur, & nullo sectæ auctore insignes erant: *quo nomine istos, titulove censebis?* inquit Bernardus in Sermone laudato LXVI, *Nullo; quoniam non est ab homine illorum hæresis, neque per hominem illam acceperunt.* Viguêre maximè circa Coloniam, ut docet Everuinus in sua ad Bernardum Epistola: *Nuper apud nos juxta Coloniam quidam hæretici detecti sunt, quorum quidam cum satisfactione ad Ecclesiam redierunt. Duo ex eis, scilicet qui dicebatur Episcopus eorum cum socio suo, nobis restiterunt in Conventu Clericorum & Laicorum, præsente ipso Domino Archiepiscopo cum magnis viris nobilibus, hæresim suam defendentes ex verbis Christi & Apostoli*; Sed nonnulli ex illis, qui illam sectam profitebantur à furente turba igni traditi sunt.

XVIII. *In duas classes divisi.*

Colonienses isti hæretici duas in classes ab *Everuino* distinguuntur. Uni dicebant, Ecclesiam

SÆC. XII. An.C. 1146.

siam apud se tantum esse, quasi ipsi soli Christi vestigiis inhærerent. In sacramentis suis velo se tegebant, & quotidie cibum & potum suum in Christi corpus & sanguinem se consecrare, ceteros verò in sacramentis procul à veritate abesse asserebant. Præter baptismum aquæ, alium admittebant in igne & spiritu per solam manuum impositionem. Baptismum nostrum cum nuptiis respuebant, aiebantque quemlibet è suis Electum seu baptizatum habere potestatem alios, qui digni fuissent, baptizandi; & in mensa sua Corpus Christi & Sanguinem conficiendi. Alii autem Sacerdotibus Ecclesiæ, utpote seculari more viventibus, consecrandi potestatem abjudicabant, aliaque sacramenta conferendi, excepto baptismo, quem solis adultis, non parvulis conferebant. Omne conjugium, præter illud, quod inter virgines masculum & fœminam contrahitur, fornicationem reputabant. Postremò suffragia Sanctorum, jejunia, ceterasque corporis macerationes respuebant, uti & Purgatorium, & suffragia pro mortuis. Itaque Henricianis & Coloniensibus hæreticis communis fuit genius, odium in Ecclesiæ ministros, sacramenta, baptismum parvulorum, & nuptias: pauca peculiaria, quæ non sectæ genus, sed quandam tantum capitum diversitatem arguunt. Uno verbo divisi fuerunt rami, sed ex eadem radice prodeuntes, inquit Mabillonios in Præfat. generali ad Opera S. Bernardi § VI, ubi & ostēdit hos hæreticos in multis ab Henricianis discrepasse. S. Bernardus sub currentem annum ad singula hæreticorum Coloniensium capita respondet, sed quasi unius, ejusdemque sectæ fuissent omnes.

XIX. *Tornacenses jugum Episcopi Noviomensis excutere tentant.*

Sancto Eleutherio Episcopo Tornacensi demortuo, uti jam diximus anno DXXXII, *Sanctus Medardus* jam Noviomensia Episcopus, Tornacensis etiam creatus est. Verùm Tornacenses Noviomensis Episcopi jugum excutere, & proprium Episcopum adipisci sæpe tentarunt. Ivo Carnotensis Episcopus cùm suo tempore de utriusque Episcopatus divisione ageretur, veritus, ne inde schisma in Regno Franciæ oriretur, scripsit ad Paschalem II Epistolam CXXXVIII, eumque rogavit, ut statum duarum illarum Ecclesiarum inconcussum manere concederet, *ne hac occasione schisma, quod est in Germanico regno adversus Sedem Apostolicam, in Galliarum regno* suscitetur. Paulò pòst: *Præterea cùm dignitas Episcopalis paupertatem his diebus honestè ferre non valeat, providendum est, ne ista divisione uterque Episcopus fiat pauper.* Paschali secundo vivis exempto Tornacenses majori studio insudarunt apud Callistum II, qui tamen rogatu Ludovici VI Francorum Regis Rescriptum dedit pro confirmatione unionis duarum Ecclesiarum, à Marloto lib. 2. Hist. Metropolis Remensis cap. 31. relatum, in quo ait: *Noviomensis & Tornacensis Ecclesiarum & Parochiarum unitatem, à nostris prædecessoribus inconvulsam, usque ad hæc tempora conservatam, præsentis Decreti pagina confirmamus, & ratam in perpetuum permanere decrevimus.*

XX. *Episcopatus Tornacensis restituitur.*

Eugenio III ad Summum Pontificatum promoto, intermissum diu negotium Romæ totis viribus Tornacenses redintegrarunt, à quo, intercessore præsertim Sancto Bernardo, voti compotes effecti obtinuêre, ut Anselmus lectus ab eis Episcopus suis manibus Romæ consecraretur, idque currenti Christi anno, non verò præcedenti, ut aliqui putarunt. Hermannus enim Monachus *de Miraculis Sanctæ Mariæ Laudunensis*, lib. 3. cap. 22. de eodem Anselmo scribit: *à domino Papa Eugenio invitus consecratur anno MCXLV, Dominica, Lætare Jerusalem*, Dominicâ scilicet quartâ Quadragesimæ. Hermannus autem annos Incarnationis à die XXV mensis Martii, vel à Paschate exorditur, ut vel hic locus demonstrat. Ipsemet enim Eugenius in Epistola ad Anselmum Tornacensem Episcopum data testatur se ipsum propriis manibus in Episcopum consecrasse, seque illum Tornacum transmittere ad regendum populum illi commissum. In fine legitur: *Datum Viterbii IX Kalend. Augusti indict. IX Incarnat. Dom. anno MCXLVI, Pontificatus verò domini Eugenii III Papæ anno II.* Denique Herimannus in Narratione Restaurationis Abbatiæ Sancti Martini Tornacensis num. CXIII & seqq. fusè disserit de restitutione Episcopatus Tornacensis, aitque Anselmum Abbatem Sancti Vincentii Laudunensis invitum Papæ consecrandum præsentatum esse, *qui obedientiæ vinculo coactum Dominica Lætare Jerusalem solemniter consecrat.* Paulò pòst: *Acta est consecratio domini Anselmi Episcopi Romæ anno Incarnat. Verbi Dei MCXLVI, quo anno fames fuit gravissima, ita ut Tornaci venderetur sextarius tritici LVI solidis. Sicut ergo per Sanctum Medardum dignitatem proprii Episcopi perdidimus, dum ipse curam Episcopii Tornacensis sibi injunctam à Clero & Metropolitano tenuit; ita etiam per eumdem libertatem nostram recepimus, dum Deus proprium nobis Pastorem restituens, Monachum Sancti Medardi in Episcopum dedit*, Anselmum nempe.

XXI. *Flores Nicolaus Canonicus Regularis postea Papa Hadrianus IV dictus.*

Anno superiori in prima creatione Cardinalium ab Eugenio facta, *Rolandus Paparo* Senensis, Presbyter Cardinalis tituli Sancti Marci dictus est; hoc verò anno in secunda eorumdem creatione *Nicolaus de Brekspere*, seu Brekspear Anglus Episcopus Cardinalis Albanus renunciatus, uti habet Ciaconius in Hist. Card. Uterque postea Romanus Pontifex Electus, ille sub Alexandri III, iste sub Hadriani IV nomine, Nicolaus per plures annos Canonicus Regularis fuit, & per aliquot Abbas monasterii Sancti Rufi prope Avenionem, de cujus varia fortuna Guillelmus Neubrigensis lib. 2. de Reb. Angl. cap. 6. scribit: *Is natione Anglicus patrem habuit Clericum quemdam non multæ facultatis, qui relicto cum seculo filio impubere apud Sanctum Albanum factus est Monachus* (Robertus nempe Nicolai pater). *Ille verò adolescentiam ingressus cùm propter inopiam scholis vacare non posset, idem monasterium quotidianæ stipis gratiâ frequentabat. Unde pater erubuit, verbisque mordacibus socordiam ejus increpitans, omni solatio destitutum cum gravi indignatione abegit.* tum de Nicolao subdit: *Ille verò sibi relictus, & fortè necessitate aliquid audere coactus Gallicanas adiit regiones, ingenuè erubescens, in Anglia vel fodere vel mendicare. Cumque in Francia minus prosperaretur, ad remotiora progrediens trans Rhodanum peregrinatus est, in regione quæ Provincia dicitur. Est autem in illa regione monasterium nobile Clericorum Regularium, quod dicitur Sancti Rufi* (extra civitatem Avenionensem positum, Valentiam postea translatum, ut videre est anno MCLI.), *ad quem locum ille veniens & subsistendi occasionem ibidem inveniens, quibus potuit obsequiis iisdem se Fratribus* (Canonici enim Regulares modò Fratres, modò Monachi appellati) *commendare curavit.*

Et

SÆC. XII. An. C. 1146.

XXII. *Fit Abbas S. Ruffi.*

Et quoniam erat corpere elegans, vultu jucundus, prudens in verbis, ad injuncta impiger, placuit omnibus, rogatusque Canonico ordinis suscepere habitum, annis plurimis ibidem resedit regularis imprimis disciplinæ æmulator. Cumque esset acris ingenii, & linguæ expeditæ frequenti & studiosa lectione ad scientiam atque eloquentiam multum profecit. Unde factum est, ut Abbate defuncto (Willelmo nempe, ut anno MCXXXVII insinuavimus), *Fratres eum concorditer atque solemniter in patrem eligerent. Quibus cum aliquandiu præfuisset* (scilicet usque ad præcedentem vel curreotem annum), *pœnitentia ducti atque indignati, quod hominem peregrinum levassent super capita sua, facti sunt ei de cetero infidi atque infesti. Odiis itaque paulatim crudescentibus, ut jam graviter aspicerent in quo sibi paulò ante bene complacuerat, tandem confictis & propositis contra eum capitulis ad Sedem Apostolicam provocarunt. Piæ autem memoriæ Eugenius, qui tunc arcem Pontificii tenebat, cùm rebellium filiorum contra patrem querelas audisset, & ejus pro se allegantis prudentiam modestiamque animadverteret, pacis inter eos reformandæ efficacem operam dedit, multumque imperans & sæpius inculcans utrique parti, ut partes esse desinerent, & unitatem spiritus in vinculo pacis servarent, reconciliatos ad propria remisit.*

XXIII. *Postea Cardinalis creatur.*

At non diu quievit nescia quietis malitia, gravinsque intonuit rediviva tempestas. Interpellatus est iterum idem venerabilis Pontifex, cujus jam aures Fratrum illorum querelis & susurris tinniebant. Utrique ergo parti piè & prudenter prospiciens, "Scio, *inquit*, Fratres ubi sedes sit "Sathanæ, scio quid in vobis suscitet procel"lam istam: ite, colligite vobis cum quo pacem "habere possitis, vel potius velitis: iste non erit vobis ulteriùs oneri. *Itaque dimissis Fratribus Abbatem in B. Petri obsequio retinens, Albanensem ordinavit Episcopum.* Ita Neubrigensis Anglus ipse, & hoc tempore vivens. Idem refert Matthæus Parisius io Vitis Abbatum San-Albanensium in Roberto Abbate.

XXIV. *Alter Nicolaus ei in Abbatiam S. Rufi succedit.*

Nicolao Brekspear successit io Abbatiam Sancti Rufi alter *Nicolaus*. Baluzius enim lib. 4. Marcæ Hisp. pag. 501. ex Iostrumento publico refert, anno MCXLIX *captionis Dertosæ primo* Guillelmum Episcopum Barcinonensem cum consensu & voluntate Canooicorum suorum dedisse Ecclesiæ Sancti Rufi, cujus tum Abbas erat *Nicolaus*, Ecclesiam Sancti Michaelis castri Marmellariensis in agro Pœnitensi (pago sito inter Tarraconem & Barcinonem, hodie *Panades* dicto) cum tota Parochia & cœmeterio suo & ceteris ad eam pertineotibus, *salva sibi*, inquit, *nostra Sedis Canonica obedientia & reverentia.* Decretum est autem ab Episcopo, ot *in eadem Ecclesia reverendi Sancti Rufi Fratres religionem Canonicam secundùm Regulam B. Augustini constituant perpetuum permanendi, & disponant eam sicut alias obedientias Sancti Rufi.* Erant obedientiæ Cellæ, Præposituræ & Grangiæ à monasteriis dependentes, ot videre est in Glossario Ducangii. Nicolaus iste prætermissus à San-Marthanis Tom. IV Gall. Christ. in Catalogo Abbatum Sancti Rufi.

XXV. *Rogerius Rex Africam minorem sibi subjicit.*

Hoc anno *Rogerius* Siciliæ & Neapolis Rex Africam Minorem, cujus incolæ Siciliam aliàs sibi subdiderant, eamque cum universo fermè Neapolis Regno diu captivam tenuerant, debellaodam suscepit, principio à Tripoli Barbariæ oppido facto. De hac expeditione loquitur verus Robertus de Monte à Dachetio editus, aitque: *Rex Rogerius Siciliæ Tripolitanam Provinciam in Africa super Paganos cepit. In hac expeditione fuit, & multum profuit Ricardus de Lunghenc, Miles optimus, qui nuper de Baiocensi Comitatu illuc perrexerat, & a Rege Rogerio Comitatum Andri insula, quem nuper idem Rex super Imperatorem Constantinopolitanum ceperat, dono acceperat.* Hîc tamen Robertus enormiter peccat; expugnationem enim Tripolis cum anno MCXLV copulat; cùm tameo ad præsentem pertineat. Præterea anno MCXLV loquitur de eclipsi Solari, quæ *V Kal. Novemb.* contigerit, cùm tamen ea acciderit die XXVI mensis Octobris feriâ primâ, annoque Christi MCXLVII, ut videre est apud Calvisium, qui eam supputavit in Opere Chrooologico. Apud vulgatum Robertum de Monte eclipsis rectè cum anno MCXLVII cooocctitur, sed erratum à Librariis in die, ideoque loco, *VIII Kalendas Novembris*, legendum, *VII Kalendas Novembris.*

SÆC. XII. An. C. 1146.

XXVI. *Alphonsus Hispaniæ Imperator Cordubam occupat.*

Safadaula Cordubæ Rege & Christianorum amico ab *Aben Haudi* era MCLXXXIV mense Februario occiso, ut antiqua Toletana monumenta habent, *Abengamia*, qui Almeriæ regnabat, Cordubam ingressus est, & *Aben Haudi* fugiens Alphonsi Hispaniarum Imperatoris auxilium imploravit. Postea idem Imperator Cordubam occupavit eamque *Abengamia* dedit, quia is promiserat se ei hominium præstiturum. Hujus Cordubensis expugnationis meotio est in Tumbo Nigro in era MCLXXXIV. Verùm Abengamia Imperatorem ludificavit, quia Mauri non minus post illam expugnationem quam ante eam Cordubæ dominati sunt.

XXVII. *Ejus de Saracenis victoria.*

Videns Imperator se Principum Christianorum auxilio iodigere Conventum generalem mense Novembri indixit, ut *Garsiam Ramirem* Navarræ Regem, & *Raimundum* Berengarii hujus oominis IV Comitem Barcinonensem inter se dissidentes conciliaret, sed cùm pax iniri oon posset, factæ induciæ, quibus durantibus tres isti Reges adversùs Mauros pugnarent. *Garsia* Rex statim cum suis Navarreis perquàm alacribus & expeditis adversùs hostem progressus est, jamque mense Januario sequentis Christi anni *Cordubam*, quæ in Christianos rebellarat, pervenerat. Ea eodem mense capta, uti in mooumentis Toletanis apud Saodovalium fol. 189. erâ MCLXXXV legitur. Quare in illis monumentis duæ civitatis Cordubensis expugnationes rectè distinctæ, prior quæ mense Maio era MCLXXXIV, posterior quæ aono insequenti mense Januario contigerit. Cepit etiam Imperator *Calatravam*, ut apparet ex Charta monasterii Arlancensis datam *anno videlicet, quo Eldefonsus Hispaniarum Cordubam & Calatravam vi cepit, & Abengamiam Regem Moabitarum* (qui caput erat Almorabitarum) *sibi subjugavit.* Harum induciarum, & fœderis inter Castellanum & Navarreum Reges ac Comitem Barcinoneosem pacti sermo est in Historia Catalauniæ à Diago scripta lib. 2. cap. 149.

ANNO

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6640.

Anno Eræ Hispan. MCLXXXV. Anno Hegiræ DXLII. inchoato die 2. Junii fer. 2.

☉ 8. E. ☽ 8. P. 20. April. Indict. 10.

JESU CHRISTI 1147.

EUGENII III PAPÆ 3.

CONRADI III REG. 10.

MANUELIS COMNENI IMP. 5.

I. *Ludovicus Rex curæ Regni in sua absentia consulit.*

A Num. I ad V. Odo de Diogilo libros VII publicavit de profectione Ludovici VII Francorum Regis in Orientem, à Chifletio editos, ex quibus quæ ad præsentem annum pertinet, prætermissis nostro instituto non necessariis referemus. Ludovicus Rex, ut narrat Odo sub finem libelli I. *omnes ad Circumdederunt me* (idest, ad Dominicam Septuagesimæ, quæ hoc anno in diem XVI mensis Februarii incidit (*Stampas vocat, ut pariter eligerent, quod pariter tolerarent:* Congregato Episcoporum & Nobilium magno numero, Sanctus Bernardus de Alemannia redux præsentiam suam obtulit, & concionem habuit. Interfuere qui dicerent Græcos fraudulentos esse, sed Rex fraudes non timuit. Prælati Ecclesiæ & Regni Optimates juxta facultatem sibi à Rege factam elegêre *Sugerium Abbatem* Sancti Dionysii, & Guillelmum Nivernensem Comitem hujus nominis II ad Regnum in Regis absentia regendum. Sed Guillelmus se *Cartosæ devoverat: quòd citò post effectui mancipavit.* Post discessum Regis ab Ecclesia Sancti Dionysii, ut refert Odo libello 2. Sugerio in Regni cura dedit socium Remensem Archiepiscopum (nempe Samsonem), & Radulphus Comes (nempe Veromanduorum) *ne deesset gladius secularis, tertius additus est.* Indicitur dies in Pentecosteo profecturis, & civitas Metensis ad Conventum habendum eligitur.

II. *Ipse & Conradus Imp. in Orientem proficiscuntur.*

Romanus Pontifex Eugenius venit, & Pascha in Ecclesia B. Dionysii celebravit. *Illo anno in quarta feria Pentecostes edictum accidit. Dum à B. Dionysio vexillum & abeundi licentiam petit (qui mos semper victoriosis Regibus fuit)* Rex planctum maximum excitavit. Postmodum veniens, Papam & Abbatem, & Ecclesiæ Monachos invenit congregatos. Deinde sumpsit vexillum desuper altari, & Peram & benedictionem à Summo Pontifice. Ait postea Odo libello 2. Regem Metas venisse. Eum præcessit *Conradus Imperator.* Hic enim in Pentecosten, ille in Pascha processit; *Ludovicus* de Beato Dionysio movit pedem, Conradus de Ratispona. Perventum est *Vormatiam* festo die Apostolorum Petri & Pauli, nempe die XXIX Junii; per Hungariam diebus quindecim transitum est, indeque occurrit in aditu Belgariæ *Bellagrava Bogarensis*, sic nuncupari solita. Constantinopoli Ludovicus Rex festum Sancti Dionysii cum Græcis celebravit. Indeque in Romaniam post exercitum suum progressus est, & Sol media sui parte defectionem passus est, die Dominica, VII Kalendas Novembris. Quam eclypsim illustrem fecit Basilica Sancti Stephani Catalaunensis cum primario altari, eo ipso die & hora ab Eugenio Papa III, aliisque tum Episcopis, tum Cardinalibus ritu solemni consecrata, ut antiquæ ejusdem Ecclesiæ tabulæ docent.

III. *Utriusque itinerarium.*

Interim Alemannorum exercitu (qui à Constantinopoli Antiochiam versùs *brevissimum per Iconium, sed periculosissimum iter* arripuerat) Græcorum dolis, Turcorumque armis penè confecto, eorum Imperator Conradus triginta millibus militum suorum amissis, venit ad Regem Ludovicum, opem ab eo & solatium quæsiturus: & cùm eo ad Lacum Nicænum apud castrum Lupar colloquium habuit sub initium Novembris. Post festum Sancti Martini Rex ad castrum Esseron venit; hinc Demetriam; tum denique Ephesum, Smyrna & Pergamo ad sinistram relictis. Hinc itum Laodicæam, unde in montana eductus Francorum exercitus, Turcorum pariter & Græcorum circumseptus insidiis, mense Januario sequentis Christi anni magnam partem disperiit. Hæc summariè excerpta ex sex prioribus Odonis libellis.

IV. *Guillelmus II Comes Nivernensis fit Cartusianus.*

Nunc Odo ex aliis Historicis supplendus. Guillelmus secundus Comes Nivernensis, Princeps pius & religiosus his verbis laudatur ab Hugone Monacho Autissiodorensi in Chron. *Anno MCXLVII Guillelmus Nivernensis Comes, relicto seculi Principatu & omni honore calcato, Cartusiam petit, ibique Deo in humillima paupertate conversans, infra annum conversionis suæ felicem terminat cursum vitæ.* Ei successit Guillelmus hujus nominis III filius ejus, qui cum Renaldo fratre *Hierosolymitanum iter cum Ludovico Rege Francorum & Duce Aquitanorum* arripuit, inquit Anonymus, qui scripsit Originem & Historiam brevem Nivernensium Comitum, recitatam à Labbeo Tom. I Biblioth. pag. 399.

V. *Eugenius PP. hoc anno in Franciam venit.*

Baronius num. III & seq. verba facit de adventu Eugenii III in Galliam, ad quem referenda, quæ habet Chronicon Divionense Tom. I Biblioth. Labbei relatum; *MCXLVII Eugenius Papa & Ludovicus Rex Dominica media Quadragesima fuerunt pariter Divioni, & in crastino, secundâ videlicet feriâ, consecrata est Ecclesia Divionensis ab eodem Papa.* Baronius ibidem ait, Ludovicum Regem eum Parisiis expectasse & excepisse, innixus Vita Sancti Willelmi Abbatis Roschildensis in Dania, à Surio ad diem VI April. relata. At præterquamquod eamdem Surius, ut ipsemet fatetur, interpolavit, seu plerumque phrasim mutavit, discipulus hujus Sancti Abbatis, qui eamdem conscripsit, minus distinctam rerum quæ in Gallia gessit cognitionem habuit. In Actis Sanctorum Bullandianis ad diem sextam Aprilis stylo primogenio ea exhibetur, & cap. I num. X. de adventu Papæ Parisios dicitur: *Secessit in partes Galliæ, cui Parisius appropinquanti Rex Ludovicus & Episcopus ejusdem civitatis, cum multitudine Clericorum & laicorum, occurrunt.* Verùm paulò pòst iste Anonymus dupliciter errat, ut me Parisiis agentem monuit Vir. Cl. Claudius du Moliner Canonicus Regularis Monasterii Parisiensis Sanctæ Genovefæ. Nam ibidem num. XII ait, apud Regem & Pontificem adhuc Parisius agentes actum fuisse de Canonicis Regularibus ad Sanctæ Genovefæ Ecclesiam introducendis. Secundò, id factum fuisse ad instantissimas preces Odonis Abbatis Sancti Victoris Parisiensis; cùm tamen id contigerit anno sequenti, & Rege, jam è Gallia absente.

VI. *Reformatio in Ecclesiam Parisiensem S. Genovefæ inducta.*

Ipsemet enim Eugenius in Epistola ad Sugerium Abbatem data, quæ est XXVII inter Epistolas Sugerii Tom. IV Duchesnii, ait: *Inde est, sicut tua novit dilectio, quod cum charissimo filio nostro Ludovico Francorum Rege contulimus* (hoc anno, *ut in Ecclesia S. Genovefæ religiosos Fratres*

SÆC. XII. An. C. 1147.

ad Dei servitium poneremus. Quod brevitate temporis prohibente, secundùm ipsius & nostrum propositum, nequivimus effectui mancipare. Verum quia vices Regias in Galliarum partibus dinosceris exercere, &c. *Per tua præsentia tibi scripta mandamus, quatenus Priorem Abbatis villa in Abbatem liberum & absolutum ibi statuere, & octo Fratres Ecclesiæ Sancti Martini de Campis ejus societati studeas deputare.* Quibus ex verbis liquet primò, reformationem in Ecclesiam Sanctæ Genovefæ, quæ semper fuerat Canonicorum Secularium, anno tantum sequenti Sugerio jam Regni administratore, inductam esse. Secundò, id factum non esse ad preces Abbatis Sancti Victoris Parisiensis, qui erat Ordinis Canonicorum Regularium, sed juxta jussionem Papæ & Regis. Eugenii literæ datæ *Linconis III Kalend. Maii*, ubi ideo Eugenius III eo die in Italiam pergens versabatur. Eodem die & in eadem urbe idem Pontifex scripsit Epistolam XXVIII *Canonicis Sanctæ Genovefæ*, inter Sugerianas, qua mandat ut honestè recipiant Fratres Sancti Martini de Campis ad eos à Sugerio se mandante mittendos.

VII. *A Sugerio, sed jussu Eugenii III.*

Denique Sugerius dedit ad Eugenium Papam Epistolam XL, ex qua apparet Canonicos San-Genovefianos Eugenii III voluntati acquiescentes, aut saltem acquiescere simulantes eum convenisse, & hoc solummodo rogasse, ut si placeret Regulares viros in Ecclesia Sanctæ Genovefæ excipi, &, San-Victorinos Canonicos juberet admitti, cum quibus tolerabilior esse posset conversatio propter Instituti cognationem, quam cum Monachis Benedictinis cum quibus nulla ipsis erat, aut esse poterat communis agendi ratio. Quibus rationibus pensitatis, aliisque ab ipsis productis, *Eugenius* III mandat *Sugerio*, ut Canonicos Regulares Sancti Victoris, non verò Monachos introducat. Ea Eugenii III ad Sugerium Epistola inter Sugerianas ordine est XXXII, *data Vercellis XVI Kal. Julii* sequenti etiam Christi anno. Ad eam respondet Sugerius dicta Epistola XL se magna cura executum esse quod sibi præceperat, Priorem Sancti Victoris in *Festo Sancti Bartholomæi* ad Ecclesiam Sanctæ Genovefæ cum duodecim Canonicis Regularibus solemniter induxisse, & eadem die Abbatem benedici curasse. Quare hæc reformatio, literæque laudatæ ad annum sequentem revocandæ. Hoc Sugerii factum valdè placuit Divo Bernardo, qui Epistolâ suâ novo ordine CCCLXIX, gratulatus est Sugerio de ea reformatione feliciter instituta, & Epistola CCCLXX ad eumdem Ecclesiam de Monte scilicet Sanctæ Genovefæ in monte positam & Odonem novum Abbatem commendat.

VIII. *Eugenius III non anno superiori, sed præsenti in Galliam venit.*

Eugenium III hoc anno, non verò superiori, ut male aliqui Historici & Critici tradidêre, in Galliam venisse testantur Joannes de Ceccano in Chron. & Anonymus Cassinensis, qui anno MCXLVI, qui nobis est MCXLVII, inquit: *Idem Papa Burgundiam ingressus à Ludovico Rege Francorum apud Divionem honorificè susceptus est, cum quo Pascha apud Parisius celebravit, ejusque tutela regno Francorum dimisso* (idest, commendato), *idem Rex cum magno exercitu Hierosolymam perrexit. Quo etiam anno Conradus Rex secundus Alamanniæ cum ingenti exercitu per Ungariam Hierosolymam profecturus Constantinopolim devenit, ibique Ludovico sociatus, & ab Imperatore Emmanuele cognato suo honorificè suscepti per Iconium desertum ingressi sunt, & quàm plures de exercitu fame perierunt; alii à Turcis occisi sunt. Sol obscuratus est IV. Kal. Novemb.* (legendum, *VII Kal. Novemb.* isque error Librariis vel Exscriptoribus attribuendus). *Eugenius Papa Antisiodorum veniens Monasterium Sancti Mauri sub obedientia Monasterii Casinensis manere confirmavit, Abbate prius ab obedientia Episcopi Andegavensis soluto. Indeque Treverim veniens ab Archiepiscopis & Proceribus Alamanniæ honorificè susceptus est.*

IX. *Ejus itinerarium.*

Ubi in Burgundia Pontifex fuit, Cluniacum invisit & Privilegium dedit Abbatiæ Bonævallis quo eam sub patrocinio Sancti Petri posuit, & exemptionem à decimis confirmavit sub *Datum Cluniaci per manum Guidonis S. R. E. Diaconi Card. & Cancellarii VII Kalend. April. indict. X Incarnat. Dom. anno MCXLVII Pontific. verò Domini Eugenii III Papæ, anno tertio.* Recitatur illud à Manrieu hoc anno cap. XV. Inde Divionem profectus est, ibique à Rege exceptus, uti jam diximus; Divione Antisiodorum venit, ut paulò pòst ostendemus, & Antisiodoru Parisios, ubi Pascha cum Rege celebravit. Meldis versabatur VI Kalendas Julii ut discimus ex Ejus Epistola ad Stephanum Angliæ Regem data, & Tom. X Concil. pag. 1070. relata, indeque nondum discesserat III Kalendas Julii, quo die Theobaldo Cantuariensi Archiepiscopo festivitatem Sancti Lucæ anni sequentis præfixit, ut dirimeret controversiam, quæ inter eum & Bernardum Episcopum Sancti Davidis de jure Metropolico erat, literæ ea de re ab Eugenio III datæ referuntur Tom. X Concil. pag. 1048. Meldis Autisiodorum iterum venit, ut demonstrat Charta ab eo emissa & in Biblioth. Cluniac. pag. 1411. recitata, cujus hæc est clausula: *Dat. Altisiodori per manum Guidonis S.R.E. Diac. Card. & Cancell. VIII Kal. Septemb. indict. X Incarnat. Dom. anno MCXLVII Pontific. Domni Eugenii III Papa anno tertio.*

X. *Ejusdem itinerarii continuatio.*

Autisiodoro primùm *Cistercium* venit. Manricus quidem semel tantum eum Cistercii fuisse scribit, nec alii ab eo dissentiunt, eamque profectionem cum anno sequenti, quo certum est illud perrexisse, connectit; verum hoc etiam anno *Eugenium* Cistercium invisisse demonstrat Diploma ab eo XV Kal. Octob. concessum Monasterio Yerguæ, postea Fiterium translato (situm illud in Navarræ & Castellæ confinio); die enim illo, sequenti anno Eugenius in Gallia amplius non versabatur. Diploma illud à Cardinalibus octo subscriptum, & ab Oihenarto in Notitia utriusque Vasconiæ lib. 5. cap. 3. recitatum dicitur *Datum apud Cistercium per manum Hugonis Presbyteri Cardinalis agentis vicem Domini Guidonis S. R. E. Diac. Cardin. & Cancellarii XV Kal. Octob. indict. X Incarnat. Domin. anno MCXLVII Pontificatus verò Domini Eugenii Papæ III, anno III.* Sed loco, *indict.* X, quæ hoc anno cum mense Augusto absolvitur, legendum, *indict. XI*, ut tam annus Christi, quàm annus Pontificatûs Eugenii manifestum faciunt. Cistercio Autisiodorum rediit, ibique scripsit Epistolam ordine XII Tom. X Concil. pag. 1058. relatam, & Sugerio Abbati inscriptam, in qua ait, se locum *ad celebrandum Concilium* jam designasse. Ubi loquitur de Concilio Remensi, quod constat die XXII mensis Martii habitum fuisse. Ea Epistola ab Eugenio

genio scripta *Autisiodori II Nonas Octob.* Ex quo validè confutatur eorum error, qui Concilium Remense præsenti anno affigunt.

XI. *Virduni transtulit Reliquias S. Vitoni.*

Autisiodoro Catalaunum profectus est, ut patet ex dictis num. II, indeque ad civitatem Virdunensem. Monachus enim Anonymus Sancti Vitoni Virdunensis in Continuatione Hist. Virdunensium Episc. scriptæ à Laurentio Leodiensi Tom. XII Dacheriani Spicilegii, ait: *Anno Incarnat. Dom. MCXLVII, quo expeditio Christianorum contra Paganos à toto Romano imperio processit*, &c. *Dominus Papa Eugenius in Franciam venit* (errant itaque, qui hanc profectionem in annum præcedentem retraxere), *& ad consecrandum B. Virginis principalem Ecclesiam, à Domino Præsule Virdunensi Alberone nomine multa prece evocatus.* Subdit postea Eugenium Papam *Nonis Novembris* eam urbem ingressum, *quinto Idus ejusdem mensis* solemniter transtulisse corpus Sancti Vitoni.

XII. *Crucesignati à Turcis malè habiti.*

Ad num. V & seq. Guillelmus Tyrius lib. XVI cap. XIX. & seqq. narrat, Ludovicum Regem & Conradum Imperatorem anno MCXLVI *mense Maio* Hierosolymitanam expeditionem suscepisse, viæque se dedisse, & dum Conradus in Licaoniam, *cujus Metropolis est, Iconium* pertransiret, congregata maxima Turcorum multitudine, Soldanum Iconiensem conturbasse legiones, & in eas irruisse. *Evasit tamen*, inquit Tyrius, *D. Imp. cum paucis ex Principibus suis, & cum residuo suorum, licet cum difficultate nimia post dies aliquos in partes Nicea se contulit.* Subdit Tyrius: *Accidit anno ab Incarnat. Domini MCXLVI, mense Novembri.* Verùm discessum Ludovici Regis & Conradi Imperatoris ex Occidente, & cladem Iconiensem ad præsentem annum pertinere demonstravit Baronius, & ex iis, quæ jam diximus, certò constat. Fallitur tamen Cardinalis doctissimus, cùm ait Tyrium, quæ de anno cladis illius habet, accepisse à Sugerio Abbate in Vita Ludovici VII; is enim Ludovici tantum VI cognominati *Grossi* Vitam elucubravit, & duo Historici à Duchesnio Tom. IV publicati, qui aliquot annos Vitæ Ludovici VII in literas misêre, non rarò in Chronologiam peccant. Tyrius verò licet in Præfatione libri XVI testetur, se sequentia partim fide oculata conspexisse, partim ab iis qui gestis interfuêre, didicisse, eum tamen malè quandoque edoctum fuisse, tam ex narratione præfatæ cladis, & ex prava connexione profectionis Ludovici Regis & Conradi Imp. cum anno MCXLVI, quàm ex variis ejus erroribus Chronologicis in dubium postbac revocari non debet.

XIII. *Synodus Parisiensis.*

A num. VII ad XII. M. *Gislebertus* Porretanus ex Canonico & Theologiæ Professore clarissimo creatus est Episcopus Pictaviensis, postquam ab adolescentia usque ad ultimam senectutem in diversis Galliæ locis Philosophiæ studium coluisset, & re ac nomine Magistri officium administrasset, uti babet Otto Frising. lib. 1. cap. 50. qui de eo ibidem apud Baronium num. X adjicit: *Is itaque primò Antisiodorum, post Parisios vocatus est. Erant inter cetera quæ illi objiciebantur de divina Majestate quatuor capitula* apud Baronium legenda. Existimat is tam Autisiodori, quàm Parisiis Eugenium III conventus celebrasse; verum Conventus Autisiodorensis nullus meminit; Conventus verò Parisiensis, in quo Gislebertus auditus boc anno Festis Paschalibus habitus est, & generale Concilium in annum sequentem indictum, ut Gilberti causæ finis imponeretur. Ex quibus manifestum fit, Eugenium III, qui Pascha, quod boc anno in diem XX mensis Aprilis incidit, Parisiis celebravit, multos ante festum illud dies Gallias intrasse.

XIV. *In eo S. Willelmus Eboracensi Præsulatu depositus.*

Gervasius in Chron. magno errore *Concilium Remense* in hunc annum retrahit, & depositionem S. Willelmi Archiepiscopi Eboracensis in Concilio Parisiensi, ut ipsemet asserit, factam ei malè attribuit, scribit enim: *Astiterunt in hoc Concilio, Clerici Eboracensis Ecclesiæ unà cum Henrico Murdac tunc temporis Abbate de Fontibus, accusantes Willelmum Eboracensem Archiepiscopum, & dicentes, Eum neque canonicè electum, neque legitimè consecratum, sed auctoritate Regia intrusum. Tandem præfatus Willelmus convictus & depositus est Alberico Hostiensi Episcopo pronunciante sententiam, & dicente. Decernimus auctoritate Apostolica Willelmum Eboracensem Archiep. à Pontificatu deponendum, eo quod Stephanus Rex Angliæ ante canonicam electionem eum nominavit. Cùm igitur Dominus Papa Eugenius beatum Willelmum Eboracensem Archiep.* PARISIIS (non verò Remis, ut antea dixerat) *minori parte Cardinalium sibi consentiente, propria voluntate, ut prædictum est, deposuisset, Capitulum Eboracensis Ecclesiæ ad ejus mandatum in unum convenientes, elegerunt Archiepiscopum, pars Capituli major dominum Hilarium Cicestriensem Episcopum, pars altera Henricum Murdac Abbatem de Fontibus. Prædictus autem Papa Eugenius, cùm utraque electio sequenti hieme ei fuisset Antisiodori præsentata, electionem prædicti Henrici Murdac confirmavit, & alteram cum plurima tamen electa persona commendatione cassavit, & ipsum Henricum propriis manibus consecravit. Willelmus autem hoc modo depositus rediens in Angliam mansit apud Wintoniam cum Henrico ejusdem civitatis Episcopo, usque ad obitum Eugenii Papæ, & prædicti Henrici Episcopi per omnia consiliis inhærebat.* Depositionem autem S. Willelmi ad hunc annum pertinere testantur Annales Wintonienses parte I Angliæ Sacræ pag. 300.

XV. *Henricus Murdac in ejus locum subrogatus.*

Joannes Prior Hagustaldensis in Chron. ad annum MCXLVII, qui illi est MCXLVIII, eadem de Willelmo & de Henrico narrat; sed locum Concilii tacet, atque: *Eugenius Papa in Gallis* (legeodum, Galliis) *Concilio præsidens Willelmum Eboracensem generali edicto ab Archiepiscopatus Eboracensis officio & beneficio amovendum censuit.* Aliquibus interpositis. *Litem hanc eorum diremit Apostolicus consecrans Henricum Archiepiscopum Eboracensem apud civitatem Treveris in octabis Sancti Andreæ dominica II Adventus Domini.* Hoc vero anno Octava S. Andreæ in Dominicam II Adventus incidit. Denique Chronographus Mailrosensis ad bunc annum scribit: *Henricus Murdac Abbas de Fontibus electus est in Archiepiscopum Eboracensem, & consecratus est à Papa Eugenio Treveris Dominicâ secundâ Adventûs Domini.* Quare lapsus est Alfordus in Annal. Angl. ubi anno "MCXLV Henrici Murdac consecrationem refert, qui tamen num. IX eam improbans, cum "Baronio in Appendice prudenter ait: Ita tamen "ut nihil derogatum velimus Sanctitati Bernardi, qui favit causæ, quam putavit esse justissimam: falsâ deceptus insinuatione eorum, quo"rum existimatio apud eum haud dubiæ fidei esset.

esset. Interdum enim contigisse se decipi, falsa relatiooe Potentium, suis ipse testatur Epistolis.

XVI. *Eugenius III Treverim venit.*

Brouverus lib. XIV Annal. Trevir. num. LXIII prodit, *Baldricum* è castello Flotinensi Leodiensis diœcesis ortum, constitutum fuisse Magistrum Scholarum civitatis Treverensis ab *Alberone* Archiepiscopo, & postea tes ab inclyto isto Præsule gestas memoriæ literisque sacrasse. Præcipitabar annus, inquit Brouverus ex hoc Historico, cùm *Eugenius* Virduno digressus, Belgicam adiit, & pridie ejus diei, quæ præcedit dominicam adventûs, urbem propius accessit. Nominat Baldricus Cardinales & Præsules qui Papam Treverim ineuntem comitati suot, & inter alios *Henricum* Eboracensem Archiepiscopum. Cùm autem feriæ Christi Natales illuxêre à Clero in urbem deductus est ad Basilicam Paulinianam, quàm *pridie Kalendas Februarias anni ineuntis* dedicavit. Eugenii III itinerarium ad varios Scriptorum errores profligandos nobis diligenter describendum fuit.

XVII. *Profectio Tolosana divi Bernardi*

A num. XII ad XXIII. Henricos hæreticus, qui jam anno MCXVI errores suos spargebat, ut fusè ibidem ostendimus, hoc tempore in suscepto consilio persistebat. Nam Divus Bernardus in Epist. CCXLI ad *Idelfonsum* seu Alphonsum, hujus nominis primum Comitem Sancti Ægidii ac Tolosanum currenti anno scripta, ot talem virum in sua ditione impune grassari non sineret, ait: *Inquire, si placet, vir nobilis, quomodo de Lausana civitate exierit: quomodo de Cenomannis, quomodo de Pictavis: quomodo de Burdegalis: nec patet ei uspiam reversionis aditus, ut pote qui fœda post se ubique reliquerit vestigia.* Addit Sanctus Abbas se, cum Episcoporum manu, præcipuèque cum Ostiensi Episcopo ab Apostolica Sede ad hoc ipsum illuc directo proficisci. Loquitur de Alberico Cluniacensi Monacho ab Innocentio II Cardinali creato. Cùm verò Continuator Aimoini in fine sui Operis, aliique doceant, *Alphonsum* Comitem Tolosanum secutum esse Ludovicum VII Franciæ Regem initio mensis Jonii in Orientem proficiscentem, ubi anno insequenti obiit, teste vulgato Roberto de Monte, perspicoum est Sanctum Beroardum eam Epistolam dedisse, & sacram expeduionem suscepisse ante Alphoosi Comitis è Gallia discessum, sed obscurum, an ante vel post Cooventum Stampensem, cui Sanctus Vir interfuit.

XVIII. *Laudatur Gaufridus Carnotensis Episc.*

Bernardus *Gaufridum* Episcopum Carnotensem celeberrimum in partem sollicitudinis vocavit, ut testatur Godefridus in ejus Vita lib. 3. cap. 3. cujus verba apud Baronium oum. XVIII legenda, quibus manifestus fit error San-Marthanorum in Episc. Carnotensibus, & doctorum Virorum, qui cos secuti sunt, mortem Gaufridi Carnotensis collocantium aono MCXXXVIII. Mabillonius Tom. II Analect. pag. 559. refert ejus elogium, in quo dicitur eum *IX Kal. Februaris* egressum esse de ergastulo carnis, eiqoe successisse *Goslinum*, qui nepos ejus erat, uti ex Actis publicis liquet. Pervenit itaqoe *Gaufridus* usque ad sequeotem Christi annum. De Legationibus ei à Sede Apostolica commissis suis locis egimus. Ioter Epistolas Nicolai Clarævalleosis, dum Sancti Bernardi Notarius erat, refertur quæ ab anno superiori in persona ejusdem Sancti Bernardi scripta *Comiti & Baronibus Britanniæ pro negotiis Crucis*, ordine XIV, in qua Nicolaus ait: *Venit ad vos homo Dei dominus Carnotensis, qui pleniùs vos doceat, quæ dicta & facta sunt, & ostendat largissimam veniam, quæ in literis Domini Papæ super eos, qui cruces susceperunt, continetur.* Ex quibus vides illustrem hunc Præsulem usque ad vitæ finem pro Ecclesia laborasse.

XIX. *Nicolaus Muzalo fit Patriarcha CP.*

Ad num. XXIII. Interpontificium Patriarchatus Constantinopolitani, juxta anno superiori narrata, duravit osque ad diem XXVI mensis Decembris præsentis anni, & postea *Nicolaus* Monachus, *Muzalo* dictus, antea Archiepiscopus Cypri, ad thronum Constantinopolis evectus fuit, ut habet Catalogus Episc. Byzantinorum. Cinnamus lib. 2. num. 18. postquam locutus est de Conrado Imp. Constantinopoli à Manuele Imp. excepto, ait: *Interea dum hæc geruntur, Imperator Nicolaum quemdam Muzalonem ad Patriarchalem Sedem provehit, qui in Ecclesiasticis primùm dignitatibus versatus, Ecclesiamque Cypriorum adeptus, ultrò postmodum inde recesserat. Verùm ut res administrare capit, omnium statim ora in eum commota sunt, injustè occupatum ab illò thronum clamitantium, ut qui cum Ecclesia, quam nactus fuerat, Sacerdotium quoque deposuisset.* Hæc oarratio fidem adstruit Catalogo Episc. Constantinopolitanorum citato, & ostendit, Baronium Nicolai Muzalonis mortem cum aono MCXVII malè copulasse, eumque cum Nicolao Grammatico confudisse. Præterea non benè scripsisse *Charitonem* Cosmæ Attico successisse. Suspicor eum incidisse in Catalogum Episc. Constaotinopolitanorum depravatum. Hic itaque *Nicolaus* est hujus nominis III.

XX. *Gesta in Hispania à Cruce signatis.*

Redeo ad Bellum Sacrum. *Non est recognitum vicinis temporibus, nec auditum à diebus seculi, tantum convenisse exercitum, exercitum, inquam, grandem nimis. Fuerantque signati titulo Crucis, in vestibus & armatura. Visum autem fuit auctoribus expeditionis partem exercitûs unam destinari in partes Orientis, alteram in Hispaniam, tertiam verò ad Slavos, qui juxta nos habitant*, inquit Helmoldus, qui Lubecensis erat, in Chronico Slavorum cap. 60. Narrat capitibus sequentibus primum exercitum, qui & maximus erat, abiisse terrestri itinere cum Rege Alemanniæ *Conrado*, & Rege Franciæ *Ludovico*, ac præcipuis utriusque Regni Principibus: secundum verò navalem exercitum navigare cœpisse Oceani spatia, quousque venirent in Britanniam, ubi torsêre vela versus Hispaniam, applicueruntque ad Portugalensem Galiciæ urbem, adoraturi apud Sanctum Jacobum: & *hoc solum prosperè cessisse de universo opere, quod peregrinus patravit exercitus.* De hoc navali exercitu Hovedenus part. 1. pag. 489. hæc scribit: *Interea quidam exercitus virorum non Potentum, nec alicui magno Duci innixus, nisi Deo omni potenti, quia humiliter profecti sunt, gratiam Dei meruerunt, & magnam probitatem ostenderunt. Civitatem namque in Hispania famosam, quæ vocatur Ulixisbona* (de ejus expugnatione loquitur etiam Helmoldus), *& aliam, quæ vocatur Almade* (seu Almeria) *& regiones adjacentes à multis pauci, Deo cooperante, bellantes obtinuerant*, &c.

XXI. *Alphonsus VI Castellæ & Garsias*

Gesta in expeditione Hispanica accuratiùs retulêre Historici Hispani. Hæc narratio versibus barbaris scripta fuit ab Auctore Anonymo ejusdem

Ramires Navarra Reges bello interfunt.

ejuſdem temporis, quam edidit Sandovalius in Alphonſo VII, licet barbariſmis plenam, propter facinora ad fidei exaltationem tunc patrata.

Conveaêre Duces Hiſpani, Francigenique
Per mare per terras Maurorum bella requirunt.
Pontifices omaes Toleti ſive Legionis,
Exempto gladio divino, corporeoque.
Orant major s invitant atque minores,
Ut veniant cunctis fortes ad prælia tati.
Plebs Hiſpanorum ſic prælia Saracenorum
Exoptans, ... Vox Almariæ cunctis eſt agnita dira.

Hiſpani expugnationem *Almoria* piratarum receptaculum præſertim intendebant. Gallæci menſe Maio in hoſtem movêre:

Maius & menſis procedit Gallicienſis
Præcepta Jacobi primò dulcediae ſancti.

Deio de Navarræ Rege & expugnatione Anduzari in Andaluſia iſti verba facit:

Ad bellum properat, Regalia ſignaque portat
Lætatis locis charus genus Imperatoris
Nomine Garſia, ſed Pampiloniæ tota
Jungitur Alaba, Navarria fulget & enſe,
Omnibus his fultus gaudet certamine tatus
Ramiri natus, Regis ſi (corrigo, ſeu), *poſtea virtus.*

XXII. *Oppida expugnata.*

Paulò pòſt: *Talibus auxiliis ac tantis Hiſpania fulta columnis * Erectis ſignis Anduxeris occupat oras * Primitus anduxas deguſtans bina doloris Auguſti juſſa circumdatur Imperatoris, ſumitur hoc caſtrum * Sed & Urgi cernitur ipſum* (Urgi oppidum maritimum ab Antiquis celebratum, & ab Arabibus *Biran* vocatum, ex quo Hiſpani fecêre *Veram*, inter Almeriam & Cartagenam poſitam). *Sic per tres menſes admittunt ordine meſſes. Ammetunt cuncta furrant, quæ parta labore. * Viribus exhauſtis conſumtas omnis eſcis, obſi ibuſque datis jam pacis fœdera quærunt * Vivere cum requirunt Regi ſua, ſe quoque dederunt * Redditur ac Baiios caſtellum nobile quoddam. * Inclyto Batona*, vel Baieua, ſed Baena octo leucis à Corduba diſſita) *Redditur invictis vexillis Imperatoris * Nobilis urbs alta, quæ fertur, voce Beza* (Baeſa vel Byaca celebris Bæticæ urbs) ** Viſis tot ſignis magno concuſſa tremore, * depoſito priſco, collum ſubmiſit honore. * Et gaudet reddi cùm non valet eſſe rebellis. * Cætera caſtella Mauri, quæ ſunt ea circa * omnia cum redduntur, vitam pro munere poſcant,* &c. *Urbibus his cunctis ſtrenuus præponitur armis * Conſul. Manrique* (poſt iſta facinora pleraque exercitûs pars à ſignis diſceſſit, paucique cum Alphonſo Imperatore remansêre); *omnibus expletis, quæ diximus, atque peractis * Tempore conſumpto, priſcorum more parentum * cum palma redeunt cives ad mœnia patrum, * Exceptis paucis, tenet hos ſolertia Regis.*

XXIII. *Almeria capta.*

Interim deputati à Francis in magno numero maritimo itinere veniunt, &c. *Francorum pulchra juventus * Expanſis velis vos clara voce ſalutat. * Ad maris & ripas armato milite ſperat * veſter connatus* (ideſt cognatus) *vis promiſit Raimundus. * At hoſtis adverſum properat nimium furibundus. * Et gens Piſana venit ſimul & genuana. * Dux Peſſalanus* (Guillemus Monſpelii Comes) *Guillelmus in ordine magnus...., mille rates ducunt, tres tantum jam fore dicunt,* &c. *Nuncia dixerunt, at talia ſic tacuerunt. * Talibus auditis redit mens Imperatoris; * Sed trepidant fortes ſub tali voce cohortes* (quia ſcilicet bello fatigatæ). *Proximus ad ſocium lachrymans ſic fatur amicum; * Uſque modo bella bellis ſuas undique mixta. * Nuncia ſunt chara Regi* (Alphonſo nempe pugnandi avido), *nobis* (bello feſſis) *ſed amara. * Undique ſunt hoſtes in itinere quaſi poſtes. * Et via longa nobis diverſis conſita ſpinis. * Potus ſive cibus in ſaxis non manet ullus. * Et carnes noſtras volucres cœli lacerabunt.* (Interim Arnoldus Epiſcopus Aſturicenſis eos ſubſidiis corroboravit). *Inter Pontifices præſentes Aſtoricenſis * Hoc cernens Præſul, cujus micat inclytus enſis, * Plus quam conſortes confortans voce cohortes * Alloquitur gentem jam prorſus deficientem.* Pollicetur Em. Cardinalis Daguierre ſe verſus iſtos magis correctos editurum. Tandem ab omnibus pugnatum, *Almoria* vi capta, & viginti millia Maurorum, qui in caſtellum confugerant, vitam pecuniâ redemêre. In antiquis Documentis Toletanis legitur, Chriſtianos Genuenſes cepiſſe Almeriam *menſe Octobri Era MCLXXXV.* Omnes Hiſtorici fidem faciunt Garſiam Ramirem Navarræ Regem in hac expeditione Alphonſo Imperatori nunquam defuiſſe, & Juſtinianus in Anoal. Genuæ lib. 2. ait: *Haud alia claſſis potentior Genuâ ſolverat, ex quo qui in vivis erant recordabantur.* Mariana lib. 10. cap. 18. ait Almeriam, antiquis Abderam ſeu portum magnum dictam, ea tempeſtate firmiſſimam, ad Mediterranei maris littus ſitam in poteſtatem Chriſtianorum veniſſe XVI Kalend. Novemb. currentis anni.

XXIV. *Victoria Alphonſi Portugalliæ Regis.*

Hiſtorici Luſitani referunt hoc anno *Alphonſum* Portugalliæ Regem *Scalabim* oppidum ampliſſimum Luſitaniæ, ad Tagum fluvium tredecim leucis ab Ulyſſipone in ortum diſſitum, *Samarenum* vulgò nuncupatum, ſcalis admotis expugnaſſe, & ipſammet *Ulyſſiponem* poſt obſidionem quinque menſium ſibi ſubjeciſſe. Addunt, eam captam non fuiſſe, niſi ingens claſſis Francorum, Anglorum, Flandrorum, Alemannorum, aliorumque Septentrionalium in Terram ſanctam adversùs Saracenos proficiſcentium tempeſtate ad oſtia Tagi abrepta fuiſſet, & Chriſtianis Luſitaniæ operam ſuam commodaſſet. Urbs expugnata hoſteſque internecione deleti hoc anno *die XXV Octobris* Sanctu Criſpino ſacra. Hoſtium ducenta millia in magna illa urbe occiſi. Verùm Franci illi, aliique ii ſunt, quorum Helmoldus mentionem facit, quoſque aſſerit Ulyſſiponem expugnaſſe; Helmoldus autem hoc tempore vivebat. Vivebant & Continuator Anſelmi Gemblacenſis, Rubertus de Monte & Dodechinus Abbas, qui in Chronicis, ad hunc annum hanc Ulyſiponenſis urbis obſidionem, & Saracenorum ex ea expulſionem egregiè deſcribunt. Ait Dodechinus, ducentas ferè naves Anglicas & Flandricas huic expeditioni interfuiſſe, & Chriſtianos in *feſto Virginum undecim millium* illos prælio fudiſſe, die nempe XXI menſis Octobris. Robertus verò de Crucelignatis ait, *Cum hymnis Eccleſiam dedicantes, Epiſcopum ibi & Clericos ordinaverunt*, currenti nempè anno.

XXV. *Peſſimus ſtatus Almorabitarum in Hiſpania & Africa.*

Ideo Mauri tot jacturas paſſi, quia Chriſtiani conjunctis viribus adversùs eos pugnabant, ipſique nullum ab Africanis auxilium accipiebant, quia hi bellis civilibus & externis lacerabantur. *Abdelmumea* victorias ſuas proſequens Salam, vulgò *Salè*, Mauritaniæ Tingitanæ urbem, in ora Oceani Atlantici Regnoque Fezzæ ſitam, obſidione cinxit anno Hegiræ DXLI; ſed tanta erat tunc Almorabitarum debilitas, ut

SÆC. XII An. C. 1147.

suis auxilium ferre non potuerint. Hinc magis animatus *Abdelmumen* Septam, Hispanis *Centam*, urbem tunc Mauritaniæ Tingitanæ, nunc Regni Fezzæ, & quasi Africæ & Hispaniæ clavem, obsedit, eamque exeunte anno Hegiræ D X L I seu currenti Christi anno juxta Noveirium sibi subdidit.

XXVI. *Victoria de Mauris reportata à Rogerio Siciliæ Rege.*

Parte alia *Rogerius* Siciliæ & Neapolis Rex ingenti classe militum, qui excensionem facerent, instructa, parvam Africam, cui dominabatur *Albasanus* è familia Ziridum, qui *Ali* patri anno Hegiræ D X V successerat, aggressus est. Jam *Rogerius* Melitam, alia que vicinas insulas occuparat, sed restabat *Girba* hodie in Regno Tripolitano, & vix uno milliari à continenti Africæ, à Gallis dicta, *L'isle de Gerbes*: eam hoc anno occupavit Rogerius teste Noveirio, à quo perfugium piratarum appellatur. Adhæc Anonymus Casinensis ait: *Anno M C X L V I Rogerius cepit Tripolim*, annoque M C X L V I I scribit: *Sol obscuratus est IV Kal. Novemb.* & addit: *Rex Rogerius cepit Africam* incolis *Mahadiam* dictam, quæ præcipua Sedes fuerat Ziridum Africæ propriè dictæ. Ita legi in optimis MSS. Montis Casini asserit Peregrinus in Notis ad illum Anonymum, Codex enim impressus, quem secutus est Cataciolus, annum unum minus numerat usque ad annum Christi M C L I I; verùm Eclipsis Solaris, quæ mense Octobri contigit, currentem annum necessariò designat. Anonymus tamen Montis Casini, seu potius ejus Librarius in die erravit, & loco, *IV Kal. Novemb.* legendum, *VII Kal. Novemb.* ut rectè Auctarium Gemblacense à Miræo editum habet.

XXVII. *Alia Rogerii de Mauris victoria.*

Rogerius Rex, teste eodem Noveirio, Tripolim in suam ditionem redegit, &, ut habet Geographus Nubiensis pag 88. *Tripolis est urbs fertis, saxeo muro vallata, sita prope litus maris*, &c. *Hanc expugnavit Rogerius anno* (nempe Hegiræ) *D X L, qui mulieribus captivis ductis viros incolas peremit.* Tum anno Hegiræ D X L I movit exercitum ad *Mahadiam* Aphrodisium aliàs vocatam, nuncque à Gallis, ut jam diximus, *Afrique*. Ea est hodie in ora Regni Tunetani, & viginti leucis ab Adrumeto in ortum distat. *Albasanus* Rex eâ derelictâ ad *Abdulmumen* ejus auxilium imploraturus venit, sed nihil ab eo obtinere potuit. Quare ea Rogerio Regi vere hujus anni dedita, sicuti & Safacos, Capsis, & ejusdem oræ reliqua oppida. Arabes in ea regione habitantes se ejus dominio subdidere, & Africani ei tributum penderunt. Eo in statu erat Africa, quando Christiani hoc anno in Hispania narratas victorias retulere. *Almowehidini*, seu Almoades, toti ad exterminium *Almorabitarum* intenti erant, eodemque tempore, seu anno Hegiræ D X L I I Abdelmumen Marochium ubi versabatur Imperator Ishac Ebnali suis copiis, exercituque sepivit. Fortissimum tamen illud oppidum nonnisi anno sequenti expugnatum, teste Noveirio.

XXVIII. *Crucesignati in Slavos pugnant.*

Helmoldus cap. 63. postquam de duobus prioribus Crucesignatorum exercitibus locutus est, subdit: *Tertius Signatorum exercitus devotaverunt se ad gentem Slavorum, Obotritos scilicet & Lutetios* (de quibus videnda quæ diximus cùm de missione Sancti Ottonis Bambergensis Episcopi egimus), *nobis* (sc. Lubecensibus) *confines, ulturi mortes & exterminia, quæ intulerunt Christicolis, præcipue verò Danis. Hujus verò expeditionis Capitanei erant Albero Hammemburgensis, & universi Saxoniæ Episcopi* & Magnates ibidem nominati. Slavi cum classe sua ad ostium Travenæ (seu Travæ Fl. ad quod posita Lubeca in Wagria Holsatiæ tractu) venerunt, & *die quâ Sanctorum Joannis & Pauli passio veneranda celebratur*, in Lubecanos multa potatione ebrios irruerunt, multos interfecerunt, & *duæ equitum turmæ omnem Wagirensium terram pervagantes, quidquid in suburbio Sigeberg repererunt, demoliti sunt*; Lubeca enim posita in Wagria seu Wagaria, sicuti & Segeberga. Quare magnus adhuc numerus Infidelium erat in illis partibus.

SÆC. XII. An. C. 1148.

XXIX *Tessera militaris Saxonum Crucesignatorum.*

Saxo Grammaticus, qui hoc tempore vivebat, lib. X I V Hist. Danicæ pag. 254. de his Crucesignatis varia notavit. Eugenius III, datis per Europam Epistolis, universis Catholicorum provinciis præcepit confinem sibi barbariem incessere: Quia verò Canutus & Sueno defuncto Erico de jure Regni Danici contendebant, pacem pro tempore statuunt, & Sclaviam petunt, Germanis ex condicto diversam eius invadentibus plagam. *Ascerus* Roschildensis Episcopus, qui classis à Rege curam acceperat, officio suo non bene functus est, sed gesta ab aliis loco laudam legenda. Hic tamen non prætermittendum, Ottonem Frisingensem, unum ex Crucesignatis lib. 1. cap. 40. scribere, iis qui huic expeditioni, tam Orientali, quàm Septentrionali nomina sua dabant, diversas pro tessera militati Sanctæ Crucis imagines datas fuisse: *Saxones vero*, inquit, *quia quasdam gentes spurcitiis idolorum deditas, vicinas habent, ad orientem proficisci abnuentes, cruces itidem, easdem gentes bello attentaturi, assumserunt, nostris in hoc distantes, quod non simpliciter vestibus assuta essent, sed à rota subter posita in altum protendebantur.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6641.

☉ 9. D C. ☽ 9. P. 21. April. Indict. 11.

JESU CHRISTI 1148.

EUGENII III PAPÆ 4.

CONRADI III REG. 11.

MANUELIS COMNENI IMP. 6.

Anno Eræ Hispan MCLXXXVI. Anno Hegiræ DXLIII inchoato die 22 Maii. fer. 7.

I. *Expeditio Hierosolymitana parum fausta.*

AD num. I. Postquam Crucesignatorum exercitus Laodicæam pervenit, in montana eductus, Turcorum pariter & Græcorum circumseptus insidiis, mense Januario currentis anni magna parte dispetiit. Acta est apud Satelliam à copiarum reliquiis Purificatio Beatæ Mariæ, quæ urbs antiquis Atalia, memoratur Act. 14. v. 24. Capto deinde consilio de petenda Antiochia itinere maritimo, per quinque hebdomadas expectati sunt venti ferentes: tum hebdomadis tribus iter confectum, appulsumque Antiochiam feriâ sextâ post mediam Quadragesimam, die mensis Martii X I X. Hinc datæ literæ, & Regis, & Odonis de Diogilo ad Sugerium Abbatem. Epistola Regis ad Sugerium est ordine X X X I X inter eiusdem Sugerii Epistolas, in qua narrata referuntur. Robertus de Monte vulgatus in Chron. hæc habet: *Obsessa per triduum Damasco à*

SÆC. XII. An. C. 1148. *eo a Francis, Germanis, Hierosolymitanis, captis jam muris exterioribus, qui hortos ambiebant, cùm in brevi civitas capienda putaretur, dolo (ut aiunt) Principum Palæstinorum obsidio removetur. Factaque discessione, Rex Francorum & Imperator iterum condicto die ad obsidendam Ascalonem cum suis Joppe conveniunt, sed Hierosolymitis minime juxta condictum occurrentibus, Imperator Constantinopolim navibus evehitur, Rex, suis repatriantibus, cum paucis Hierosolymis per annum moratur.*

II. *Eugenius III Templum S. Matthiæ Treviris dedicat.* A num. II ad XXXVII. In Actis SS. Bollandianis ad diem XXIV mensis Februarii, quo Sanctus Matthias Apostolus colitur, referuntur acta Inventionis corporis Sancti Matthiæ, & miraculorum ex Lamberto Monacho Trevirensi, & cap. 4. legitur: *anno Dom. Incarnat. millesimo centesimo quadragesimo octavo, decennovali anno IX, indict. XI, præsidente Apostolico Eugenio III Romanæ Ecclesiæ summo Pontifice, anno Papatûs sui III, imperii Conradi III Regis gloriosi secundo regni undecimo, venerabilis autem Adalberonis hujus civitatis Archiepiscopi anno XVI, dedicatum est hoc monasterium ab eodem venerabili Apostolico, & ab Adalberone Archipræsule Idibus Januarii*, &c. Memorantur ibidem Cardinales XIII, qui præsentes fuêre.

III *Scripta S. Hildegardis in Concilio Trevirensi examinata.* Ante Concilium Remense aliud *Treveris* Eugenius III celebravit, in quo scripta sanctæ *Hildegardis*, quæ monasterium apud Bingium ad Rhenum Fl. quatuor leucis à Moguntia dissitum, construxerat, discussa sunt. Rem narrat Baronius num. XXXII & seq. sed nulla Concilii mentione facta, & cum Theodoro Abbate in Vita Sanctæ Hildegardis apud Surium ad diem XVII Septemb. existimat hoc examen post Concilium Remense peractum. Verùm ex dicendis liquebit, Theodorum & Recentiores, qui eum hac in re secuti sunt, hallucinatum. *Hildegardis* unctione Magistra edocta multa docebat, & non deerant, qui mulierem illusam aut illudentem publicarent, variusque ille rumor, diversæque sententiæ Eugenium III adegêre, ut eam Concilio examinaret, ut refert Tritbemius in Chron. Hirsaug. ad annum MCL, loco scilicet non suo: *Synodum*, inquit, *tam Episcoporum quam Cardinalium & Abbatum ibidem celebravit* (nempe Treviris) *ubi Henricus Archiep. Moguntiaus, & sanctus Abbas Clarevallis Bernardus ipsi Summo Pontifici mirabilia, quæ Deus operabatur in famula sua Hildegarde, montis sancti Ruperti Confessoris Abbatissa retulerant. Quibus auditis Papa attonitus, & rem diligentius investigare volens, Virdunensem Episcopum Aldebertum cum aliis viris fide dignis misit ad sanctam Hildegardem, ut cum humilitate & mansuetudine, sine strepitu vel curiositate, quid rerum esset, ab ipsa sciscitarentur. Qui cùm ad monasterium, in quo degebat Sancta Virgo, devenissent, & juxta commissionem Apostolicam veritatem ab ipsa humiliter inquirerent, illa simpliciter, quæ de se erant, aperuit, & Legatos cum scriptis, & libris revelatis sibi divinitas, dimisit.* Ita Trithemius ex Theodorico laudato. Eugenius III licentiam ei concessit proferendi quæcumque per Spiritum sanctum cognovisset, & eam ad scribendum animavit. Ipsamet Hildegardis in una ex suis Epistolis ait: *Scripta mea Eugenio Papa, cum Treberi esset, allata sunt, qui ea gratanter coram pluribus legi fecit, ac per se ipsum legit; multùmque de gratia Dei confidens, benedictionemque cum literis mihi mittens, præcepit, ut ea quæ in visione viderem, vel audirem, scriptis attentiùs commendarem.* Ex Eugenii ad Hildegardem literæ recitantur Tom. X Concil. pag. 1128. sed post Concilium Remense.

IV. *In eo Abbas Fuldensis depositus.* Brouverus lib. XIV Annal. Trevir. num. LXX refert ex MS. Fuldensi, & Conradi Imp. Diplomate, in hac Synodo Monasterii Fuldensis congregationem Henrici Abbatis sui nomen detulisse, & apud Eugenium eum accusasse, quod minus rectè & salubriter Ecclesiam illam administraret. Causa ab Eugenio cognita, placuit *Henricum* suo munere defungi, successore obveniente Marquardo, qui summa gloria monasterium illud rexit. Pontifex per tres menses Treviris moratus est, uti notarunt Brouverus & Trithemius citati, ac Sigonius lib. XI de Reg. Ital. ideoque ab initio circiter mensis Decembris anni elapsi usque ad Martium præsentis anni.

V. *Epocha Concilii Remensis.* *Concilium* enim *Remense* hoc anno ab eo celebratum esse, testantur Otto Frisingensis in Friderico lib. 1. cap. 55. Chronographus Catalaunensis Tom. I Biblioth. Labbei, & Chronographus Remensis ibidem, quibus adde Chronographum Sancti Medardi Suessionensis Tom. II. Spicilegii & Robertum de Monte vulgatum. Verum quidem est, Bulæum Tom. II Universit. Paris. pag. 232. & Gervasium in Chron. Concilium illud cum anno superiori alligasse; sed fundamenta, quibus innituntur frivola, & ex iis, quæ hoc & præcedenti anno in medium adduximus, planè eversa. Chronographus Mailrosensis annum à Paschate incipiens ait, anno MCXLVII Eugenium Papam *magnum Concilium Remis* tenuisse *ad* Lætare Jerusalem, seu Dominica quarta Quadragesimæ, quæ hoc anno in diem XII Kalend. April. seu diem XXI Martii incidit. Huic Chronographo consentit Chronographus Remensis citatus. Robertus verò de Monte vulgatus, & Chronographus Catalaunensis laudatus, qui illud *XI Kalend. April* collocant, à prioribus non discrepant, sed alii à die dominica, qua mos erat preces Deo fundere, alii à feria secunda insequenti, qua prima sessio fieri solita erat, illud exordiuntur. Illud Concilium, ut ex literis Eugenii liquet, non omninò generale fuit, sed Cisalpinæ tantum Ecclesiæ, licet passim Generale appelletur. Ex die porrò, quo Concilium Remense inchoatum, colligitur illud ad præsentem annum omninò pertinere, cùm superiori die XXIII Martii *Eugenius* III Divione fuerit, ut suo loco ostensum.

VI. *Canones in eo sanciti.* Canones XVIII in hoc Synodo sanciti, in quorum ultimo dicitur: *Præsentis decreti auctoritate præcipimus, ut nullus omninò hominum hæresiarchas, & eorum sequaces, qui in partibus Gasconiæ, aut Provinciæ, vel alibi commorantur, manuteneat, vel defendat: nec aliquis eis in terra sua receptaculum præbeat.* Iste Canon apud Baronium num. X. dicitur decimus septimus, quia in exemplari Vaticano, quo usus est, Canones XVII & XVIII in unum confunduntur. Hæretici illi alii non erant, quàm Henricus, Eudo, sive Eon, & Apostolici, de quibus mox.

VII. *Et intersunt Episcopi Hispaniæ.*

Episcopos Hispaniarum Concilio Remensi interfuisse, docet Sandovalius in Alphonso VII fol. 196. atque hunc Hispaniarum Imperatorem *Concilium Palentinum* cum Episcopis & Proceribus suis celebrasse erâ MCLXXXVI, anno scilicet Christi præsenti, & imprimis lectum fuisse Eugenii III Papæ Edictum, quo præcipiebatur, ut se se in Gallias ad celebrandum Concilium Generale Remis indictum, & examinandas ibidem quatuor theses exoticas *Gilberti Porretani* Episcopi, conferrent, prolato de iis judicio, ut vel per se ipsos, vel interventu gravium & doctorum hominum illud postea Remis operirent. Adhæc in Epistola LXXIV ad Alphonsum Hispaniarum Regem scripta, sub *datum in territorio Lingonensi V Kal. Maii*, se die XXVII mensis Aprilis, ait Eugenius: *Quia Episcopos & Abbates regni tui ad vocationem nostram, tanquam devotus & humilis filius, Remensi interesse Concilio voluisti: benevolentiæ tuæ gratias exhibentes, precum tuarum consideratione devicti, eos qui non venerunt, à suspensionis sententia relaxamus.* Quare plures Hispaniarum Episcopi & Abbates ad Concilium Remense venêre. De præsentia Episcoporum Hispaniæ in Concilio Remensi legendus Baronius num. XXXI.

VIII. *Theobaldus Archiep. Cantuarie malè habitus.*

Gervasius in Chron. ad annum MCXLVII refert, Eugenium III Theobaldum Cantuariensem Archiep. scriptis & nunciis cum ceteris Episcopis Angliæ vocasse, at ministros Regis portus maris observasse, ne Archiepiscopus transfretaret. *Sed Archiepiscopus Deum magis quam Regem metuens; clanculò mare adiit, & vix tandem in cimba fracta transvectus vix terram tetigit, & Domino Papæ se præsentavit.* Nam, ut sanctus Thomas Cantuariensis Archiep. in Epistola CXXXVI ad Bosonem Cardinalem scribit, *Theobaldus* ad Concilium Remense venit, *ceteris Episcopis domi contra obedientiam remanentibus, exceptis tribus, qui de mandato Regis venerunt, ut aliorum absentiam excusarent.* Theobaldus soluto Concilio Cantuariam prosperè pervenit; sed Stephanus Rex eum Angliâ celeriter exire coegit. Quare Theobaldus in Franciam secessit. De hac istius præsulis vexatione loquitur Baronius num. XXXVI, jamque numero anteriori narrarat, Eugenium III controversiam obortam inter Theobaldum & Bernardum Episcopum sancti Davidis ejus obedientiam refugientem componere laborasse, quod probat Baronius ex ejusdem Papæ Epistola, data *Meldis tertiò Kalendas Julii*, in qua ait: *B. Lucæ festivitate proximi sequentis anni, tibi & ipsi* (nempe Bernardo Menevensi seu sancti Davidis Episcopo) *diem præfiximus, ut tunc præsentibus partibus, de dignitate Ecclesiæ sancti David, & libertate sua, rei veritatem cognoscamus.* Hanc Epistolam ad hunc etiam annum revocant Alfordus num. X & seq. & passim alii. Sed non dubito, quin hallucinati fuerint, & quin ea anno superiori, ut ibi diximus, data sit, cùm certò constet, *Eugenium* III hoc anno die XXIX mensis Junii, quo ea ad Theobaldum Archiep. Epistola Meldis in Gallia scripta, jam in Italia fuisse. Ceterùm controversia illa inter Ecclesiam Cantuariensem & Menevensem durabat adhuc sub Pontificatu Innocentii III; Bernardus enim *ante diem à Papa Eugenio præfixum diem clausit supremum*, inquit Canonicus Menevensis coætaneus (ut existimat Wathonus in Anglia Sacra part. II pag. 652.) in Vita Davidis II Episcopi Menevensis. Bernardus autem, ut videre est apud Godvinum de Præsulibus Angliæ, hoc anno obiit.

IX. *Eon hæreticus damnatus.*

In Concilio Remensi damnatus insanus hæreticus de Britannia Armorica adductus, *homo illiteratus & idiota, Ludificatione Dæmonum ita dementatus, ut cùm sermone Gallico Eon diceretur, ad suam personam pertinere crederet, quod in Ecclesiasticis exorcismis dicitur, scilicet* "per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos,& seculum per ignem,, ut inquit Wilhelmus Neubrigensis lib. I cap. 19. de quo hæretico Baronius à num. II ad VIII pluribus disserit, & Auctarium Gemblacense ad annos MCXLVI, & MCXLVIII.

X. *Gilbertus Porretanus doctrina reprobata.*

Damnatus & *Gilbertus Porretanus* Episcopus Pictaviensis, cujus causa in Concilio Parisiensi ad Remense, ut anno superiori insinuavimus, remissa fuerat. De ea & de Gilberto Baronius à num. XIII ad XXXII plura in medium adducit, quæ apud eum legenda. Auditi præterea nuncii junioris Germaniæ Regis Henrici circa dissensionem Ducum Poloniæ, uti anno MCXXXIX num. ult. videre est.

XI. *Itinerarium Eugenii III. post Concilium Remense.*

Statutum etiam in hoc Concilio, ut omnes, qui essent de Ordine Saviniacensi, habitum Ordinis Cisterciensis, *sine mora, accepto mandato, sumerent & conservarent*, ut refert Serlo piissimus Abbas Saviniacensis in sua Charta recitata Tom. I. Monastici Anglicani pag. 871. & seq. Absoluto Concilio Remensi Eugenius III adhuc per aliquot dies ea in urbe moratus est. Marlotus enim lib. 2. Hist. Metropolis Remensis cap. 52. recitat Privilegium monasterio sancti Theoderici in ea urbe sui concessum, quod dicitur *dat. Remis per manum Guidonis S. R. E. Diac. Cardin. & Cancellarii XIV Kal. Maii indict. II* (legendum, XI) *Incarnat. Dom. anno MCXLVIII Pontific. Eugenii anno III* (legendum, anno IV.) Inde Catalaunum paucis leucis Remis dissitum profectus est, ubi Odoni Abbati monasterii sancti Remigii Remis positi Privilegium largitus est, *datum Catalauni per manum Guidonis*, &c. *XII Kal. Maii, indict. II* (legendum, indict. XI) *Incarnat Dom. anno MCXLVIII Pontific. verò domini Eugenii III Papæ anno quarto.* Exhibet illud ibidem Marlotus cap. 53. Catalauno Lingonas venit, ubi *III Kal. Maii* scripsit ad Sugerium Abbatem, & ad Canonicos sanctæ Genovefæ Epistolas ordine XIII & XIV Tom. X. Concil. relatas, quæ sunt de reformatione Canonicorum sanctæ Genovefæ ad finem perducenda.

XII. *Eugenius Cistercium & Claravallem invisit.*

Instabat tempus Capituli generalis Ordinis Cisterciensis: *Igitur*, inquit Godefridus, qui præsens fuit, in Vita Sancti Bernardi lib. 4. cap. 7. *eodem anno apud Cistercium* (paucis leucis Lingonis distans) *juxta morem, Abbatibus congregatis, prædictus Papa venerabilis adfuit, non tam auctoritate Apostolica præsidens, quàm fraterna charitate residens inter eos, quasi unus ex eis.* In eo Serlo Abbas Saviniacensis se & triginta suas Abbatias Cistercio subdidit, ut refert Manricus hoc anno cap. VII, ubi Abbatias illas enumerat. Is non legerat Chronicon Saviniacense à Baluzio lib. 2. Miscell. pag. 310. & seqq. postea editum, in quo quædam alia hanc in rem referuntur. Antequam Lingonas & Ci-

stercium

stercium veniret, suos Claravallenses invisit: *Interim*, ait Arnaldus Abbas Bonævallis lib. 2. Vitæ S. Bernardi cap. 8. *celebrato Remis Concilio Claramvallem humiliter visitat, & gloriam Pontificatus Romani pauperum præsentat affectibus. Mirabantur omnes in tanta altitudine humilitatem immobilem, & in tam excellenti culmine propositi Sancti permanere virtutem; ut altitudine sociata humilitas, pro officio exterius splendeat, & pro virtute nequaquam interius evanescat. Adhærebat carni ejus lanea tunica, diebus & noctibus cucullo vestitus: sic ibat, sic cubabat. Intus Monachi habitum retinens, extra se Pontificem & vestibus & moribus exhibebat; rem difficilem agens, diversarum in uno homine proprietates exprimens personarum, segmentata ei circumferebantur pulvinaria. Lectus palliis opertus, cortina ambiebatur purpura, sed si revolveres operimenta, invenires superjectis laneis, complosa stramina, & paleas conglobatas. Homo in facie, Deus videt in corde: ipse verò bona coram Deo, & hominibus providebat. Alloquitur fratres, non sine lachrymis, miscens sermones avulsa à corde suspiria; hortatur & consolatur, & se inter eos fratrem & socium, non Dominum exhibet, vel Magistrum. Cumque eum ibi morari diutiùs non pateretur magna eum prosequens comitantium multitudo, salutatis fratribus, iter in Italiam dirigens, abscessit*, sed non post aliquot menses, ut perperam scribit Manricus hoc anno cap. VI num. 3. verum post aliquot dies, ut ex dictis, dicendisque perspicuum est. Ex quibus tandem omnibus manifestum, eumdem Manricum, aliosque non bene scripsisse Eugenium III Concilium Treverense post Remense celebrasse, & *Theodoricum* Abbatem Benedictinum, qui initio sequentis seculi floruisse creditor, deceptum esse in Vita Sanctæ Hildegardis, ubi id literis mandavit; quod mirum videri non debet, cùm variis exemplis passim monstraverimus, Scriptores coætaneos in suoilibus quandoqoe errare.

XIII. *E Galliis discedit.* A num. XXXVII ad XL. *Eugenius* III è Gallia discessit ante diem decimum sextum mensis Junii, cùm Tom. X Concil. pag. 1059. recitetur ejus ad Sugerium Abbatem Epistola, qua ei significat, se mutato consilio non jam Monachos ad Sanctæ Genovefæ Parisiensis mitti velle, sed Canonicos Regulares, quod & Sugerius executioni mandavit; Epistola enim data est *Vercellis XVI Kal. Julii*. Quâ etiam Epistolâ luculenter probatur, Epistolam ejusdem Pontificis *Meldis III Kalend. Julii*, die scilicet XXIX Junii ad Theobaldum Cantuariensem Archiep. missam, de qua mox egimus, non mense Junio currentis, sed antecedentis anni scriptam esse; cùm hoc anno die illo amplius in Gallia *Eugenius* non fuerit, & ex aliis ejus Epistolis constet, eum mense Julio & subseqoentibus io Italia egisse. Interim *Arnaldus hæreticus*, qui Romæ populum in Clerum hacteous armarat, Clerum adversus se ipsum commovebat, & Capellanos Ministros Ecclesiarum, qoæ Cardinalibus cesserant in titulum ab eorum obedientia retrahebat, eosque inter se factiosè dividebat, ut patet ex Epistolis Eugenii à Baronio recitatis.

XIV. *Moritur S. Malachias Archiep. Armachanus.* Post Eugenii è Gallia discessum *Sanctus Malachias* Archiepiscopus Armachanus in Hibernia in Galliam venit Pallium ab eo petiturus, sed Pontifex jam in Italiam perrexerat, ipseque Malachias Claravalle mortuus est, *anno ab Incarnatione domini millesimo centesimo quadragesimo octavo, quarto Nonas Novembris*, ut inquit Divus Bernardus in ejus Vita cap. ult. Godefridus in Vita Sancti Bernardi lib. 4. cap. 4. qui morti Sancti Malachiæ præsens fuit, ait Sanctum Abbatem pro ejus transitu hostiam salutarem offerentem, cùm ejus mors sibi revelata fuisset, formam mutasse orationis, & *collectam*, inquit, *intulit, quæ ad Sanctorum Pontificum celebritates, non ad commendationes defunctorum pertinet, ita dicens: Deus qui beatum Malachiam Pontificem Sanctorum tuorum meritis coæquasti*; visionem tamen illam nemini aperuisse. Quod exemplum magis mirandum, quam imitandum. *Anno MCXCII. Canonizatio Beati Malachiæ*, inquit Auctor Chronici Clarevallensis à Chiffletio editus, qui ab anno MCXLVII parvum suum sed, egregium Chronicon auspicatur, illudque ad annum MCXCII perducit. Illud tamen ab eo elucubratum post annum MCCXXIII Philippi Augusti Galliarum Regis emortualem; cum anno MCLXXIX de ejus coronatione, vivente patre facta, loqueos, dicat: *XLIV circiter annis regnavit*. Indeque patet quantum hallucinentur ii qoi arbitrantur Chronographos & Historicos annis quibus desinont Opera sua publicasse.

XV. *Metropoles in Norvegia & Suecia erectæ.* Ad oum. XL. Nicolaus Anglicus Cardinalis Albanensis, postea Hadrianus Papa IV, Legatus in Norvegiam missus, primùm ibi Archiepiscoparum erexit, Nidrosiâ Sede Archiepiscopali, sive Metropolitana, constituta. Quod etiam eum hoc anno, testatur Joanoes Magnus lib. 18. Hist. Gotthicæ cap. 18. apud Sueones fecisse, *ordinato Sancto Henrico Episcopo Upsalensi*. Extat Vita Sancti Henrici Martyris Episcopi Upsalensis in Actis SS. Bollandianis ad diem XIX meosis Januarii. Fuit hic Sanctus VII Upsalensis Ecclesiæ Episcopus, totiusque *Finlandiæ* Apostolus & patronus. Upsala Regum quoodam Sedes, postea Stocholmiam baud procul inde dissitam translata.

XVI. *Victoria Rogerii Regis de Græcis.* A num. XLI ad XLV. Otto Frisingensis lib. I. de gestis Friderici cap. 33. hoc anno habet: *Circa idem tempus Rogerius Siculus, aptatis in Apulia, Calabria, & Sicilia triremibus, quas modo galeas seu sagittas vulgò dicere solent, aliisque navibus bellicis onerariis, classem in Græciam destinat, Profectis eis ducibus strenuis, & in navali prælio gnaris.* Cursolium fortissimum Græciæ castrum expugnant. *Inde ad interiora Græciæ progressi, Corinthum, Thebas, Athenas, antiqua nobilitate celebres expugnant, ac maxima ibidem præda direpta, opifices etiam, qui sericos pannos texere solent, ob ignominiam Imperatoris captivos deducunt.* De his legendus Robertus de Monte vulgatus ad huoc Christi annum.

XVII. *Series Patriarcharum Constantinop. corrigitur.* Ad oum. XLV & seqq. Baronius hoc anno *Charitonis* Patriarchæ Constantinop. mortem consignat. Verùm certum est, non Charitonem, sed *Nicolaum III*, *Muzalonem* dictum, Ecclesiam Constantinopolitanam rexisse, de cujus morte, sicuti & de Charitonis initio, suo loco sermo erit.

XVIII. *Tortosa Saracenis erepta.* Hoc anno *Raimundus Berengarius* Barcinonensis Comes hujus nominis IV, & supremus Aragoonum Princeps *Dertosam* seu *Tortosam* juxta Iberum fluvium sitam, magni momenti oppidum, quo in universam Catalauoiam Mauri ingredi poterant, die tricesima mensis Decembris cepit, ut Justinianus in Annal. Genuensibus & Sandovalius in Alphonso VII narrant. Tertia ejus portio *Genuensibus* ob præclara eorum faci-

nora

SÆC XII. An. C. 1148.

nota in eo bello patrata, tertia *Willelmo Raimundo Moncada* Seneschalco seu Dapifero attributa, aliaque tertia *Willelmo domino Monspelii*, qui in eam jus habebat ob donationem sibi ab eodem Raimundo Comite ab anno MCXXXVI factam, attributa fuit, ut docet Charta in castris ante Tortosam locatis data, & recitata ab Ughello Tom. IV Italiæ Sacræ col. 1190. & seq. *Ego Raimundus Dei gratiâ Comes Barcinonensis & Princeps Aragonensis & Marchio, ob insignem fidem & sinceram amicitiam strenuissimi populi Januensis dono & offero majestati Dei & Ecclesiæ beati Laurentii duas partes insulæ, quæ sita est ante civitatem Tortosæ in flumine Iberi, per consensum Domini Guillelmi Montis pessulani, atque Guillelmi Raimundi Dapiferi, ut prædicta Ecclesia habeat & provideat jure hæreditario supradictam insulam liberè* &c. *& sine contradictione Domini Willelmi Montis pessulani & filiorum ejus* (hæc pro tertia portione ad Dominos Monspelii pertinente) *& sine contradictione Guillelmi Raimundi Dapiferi*, & hæc pro secunda alia portione. *Dat. in obsidione Tortosæ mense Novemb. anno Dom. Incarnat. MCXLVIII indict. XI*, à mense Januario incœpta. Raimundus Barcinonensis Comes supremum Tortosæ dominium sibi reservavit, indeque in Charta populationis Tortosæ in Appendice Marcæ Hispanicæ pag. 1303. relata, annoque sequenti die festo Sancti Andreæ data, ait: *Ego Raimundus Berengarii G. D. Comes Barcinonæ, Princeps Aragonum, atque Ilerdæ & Tortosæ Marchio.* In Gestis Comit. Barcinon. cap. 17. dicitur, Raimundum Berengarii Tortosæ Sedem Episcopalem instituisse, cujus primus Episcopus fuit Gaufredus, ut infrà videbimus.

XIX. *Abdelmumen Rex Almohadum Regnum Almoravitarum evertit.*

Hoc etiam anno, ut refert Sandovalius in Alphonso VII fol. 147. ex veteribus documentis, *Aldemon* Rex, ab aliis *Abalmon* appellatus, qui alius non est ab Abdelmumen, Marochium sibi subjecit, & *destruxit Almorabitas.* Noverius ait, Abdelmumen anno Hegiræ DXLIII post undecim mensium obsidionem *Marochium* expugnasse, & non solum *Ishac* Regem occidisse, sed etiam stragem innumerabilium personarum edidisse. Germanus quidem Robertus de Monte *Almeriæ* expugnationem anno MCXLVII collocat, Almeriæ verò, Santareni, & Tortosæ *anno præterito*, idest, anno MCXLVI, sed unius anni prochronismo, quod in narratione rerum per hæc tempora gestarum sæpe huic Chronographo accidit. Indeque addit, *Alphonsum* Portugalliæ Regem fretum auxilio Anglorum & Normannorum *Ulissiponem* cepisse, quod tamen anno superiori contigit.

XX. *Rex Cordubensis adversùs Alphonsum VII rebellat.*

Porrò *Abengamia* Cordubensis Rex, qui se Alphonso Imperatori Hispaniarum dederat, & quem is Cordubæ Dominum sub Præfecto Christiano, cui tributa solvebantur, constituerat, hoc anno rebellavit, uti narrat Sandovalius in Alphonso VII fol. 147. ex antiqua Historia. Persuadere conatus est proditor Imperatori se eum in possessionem Gientui, vulgò *Jaen*, muniti oppidi Vandalitiæ aliquot leucis à Corduba distantis immissurum, si veniret. Verùm passi non sunt Magnates, ut se se Imperator in discrimen conjiceret, & Comes *Manrique de Lara*, qui se se periculo exponere voluit, vix urbem ingressus est cum suis, ut carceri omnes mancipati fuerint, ubi dura servitute pressi usque ad *Abengamiæ* mortem permansêre. Sandovalius fol. 198. supponit hæc contigisse ante Conventum Palentinum hujus anni initio coactum. SÆC. XII. An. C. 1149.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6642.

☉ 10. B. ☽ 10. P. 5. April. Indict. 12.

JESU CHRISTI 1149.

EUGENII III PAPÆ 5.

CONRADI III REG. 12.

MANUELIS COMNENI IMP. 7.

Anno Eræ Hispan. MCLXXXVII. Anno Hegiræ DXLIV. inchoato die II. Maii fer. 4.

I. *Expeditio Hierosolymitana Ludovici VII & Conradi Imp. infausta fuit.*

AD Num. I ad XI Ludovicus VII Franciæ Rex & Conradus Imp. hoc anno ex Hierosolymitana expeditione rediêre. Gaufredus Prior Vosiensis in Chron. apud Labbeum Tom. II Biblioth. de magno eorum exercitu, ait: *Exercitus ille nihil omnino proficit, quia indisciplinatè habuerunt; quapropter multi defecerunt, innumerabilesque perierunt propter iniquitatem suam; thesauros Ecclesiarum falsa promittentes vadimonia ante iter auferebant, & infirmam plebem diris exactionibus affligebant, pompaticè secuti sunt & superbi humilem Christum, & erraverunt frustra a justo humillimo. Hi omnes vix quandam cepêre civitatem, cùm foret, excepto Rege & Imperatore, Principum provincialium numerus innumerus.* Legendus Baronius in Appendice ad hunc Christi annum.

II. *Eugenius III Romam revertitur.*

In Chronico Joannis Ceccani hoc anno habetur: *Indictione XII Ceccanus crematus est Id. Septemb. feriâ tertiâ Rex Franciæ revertitur à transmarinis partibus*, sed interpunctio ante illa verba *Id Septemb.* ponenda, legendumque: *Indict. XII Ceccanus crematus est. Idus Septemb. feria III Rex*, &c. Addit Ceccanus de Ludovico Rege: *Cùm esset Florentini Gregorius Fummonensis ivit invisere eum, & captus est à Papa, & abstulit ei Fummonem.* Anonymus verò Casinensis anno MCXLVIII, qui est annus MCXLIX, ait: *Eugenius Papa Tusculanum ingressus fultus auxilio Rogerii Regis Romanos sibi rebelles expugnat. Ludovicus Rex à partibus Hierosolymitanis reversus, & à Rege Rogerio apud Potentiam cum honore susceptus, quarto Nonas Octobris ad hoc monasterium* (nempe Casinense) *venit, susceptusque honorificè, post diem recedens tertium, & apud Tusculanum cum Apostolico colloquens, Franciam rediit. Eugenius Papa pacem* (in MS. ut asserit Peregrinius pag. 128. habetur pactum) *cum Romanis reformans, Romam reversus est.*

III. *Henricus Monachus Claravallensis fit Episc. Belvacensis.*

Ad num. XI & seq. Ludovicus VI Galliæ Rex *Henricum* è filiis ab eo ex Adelaide à Sabaudia susceptum unum, & fratrem Ludovici VII, qui Patri successit in Regno, ad dignitates Ecclesiasticas promovit, eductumque è domo regnatrice plurima in eum beneficia Ecclesiastica congessit; in Privilegio enim Sancti Victoris Parisiensis dicitur *Sancti Martini Archiclavus, Abbas quarundam Regalium Ecclesiarum, videlicet S. Mariæ de Stampis, S. Mariæ de Corbolio, S. Mariæ de Medunta, S. Mariæ de Pisciaco, S. Melonis de Pontisara*, &c; sed Evangelicam paupertatem aulæ deliciis, & opibus anteponendam duxit. Godefridus Cisterciensis apud Duchesnium in Hist. Drocensi miram hanc mutationem, colloquio, quod ei contigit habere cum Sancto Bernardo, tribuit, ubi cùm pro seculari negotio

negotio eum consulturus convenisset, seque Fratrum collegium visitans eorum precibus commendasset, prædixit vir Dei hunc è statu seculari ad Regularem brevi transiturum, & experturum quanti pretii essent humilium preces apud Deum pro sua conversione, quod statim evenit. Emisso post triennii spatium voto à Clero & populo Belvacensi postulatur in Episcopum, hoc scilicet anno, ut colligitur ex Roberto de Monte vulgato, à Baronio laudato ad annum MCXLIX, ubi tamen hæc uno tenore recitat. Sedem Belvacensem annos circiter duodecim tenuit, in qua ad jura Cleri tuenda strenuum & utilem se semper exhibuit, ob idque Ludovicum VII Germanum suum sæpe expertus est adversarium, ut testatur Sanctus Bernardus Epistolis ad Eugenium III scriptis, ordine CCXXVIII & CCCV. Fortiter etiam se se Octaviano pseudo-Papæ opposuit, & ad Archiepiscopatum Remensem mortuo Samsone Archiep. translatus fuit anno MCLXII Chronographo Clarevallensi à Chiffletio in lucem edito, Alberico & Vincentio Bellovacensi testibus. Chronographus S. Petri Vivi Henrici Præsulatum in annum sequentem perperam confert.

IV. *Floret Herveus Monachus Burgidolensis.* Cùm *Herveus* Dolensis Cœnobii in Diœcesi Bituricensi siti Monachus, *patriâ Cenomanensis*, in eo *circiter quinquaginta annis in prædicanda morum probitate* vixerit, & *Gerberto* Abbatiam regente floruerit, ut docet Epistola encyclica Monachorum Dolensium seu Burgidolensium, vulgò *Bourdeaus*, qua mortem ejus Fratribus suis annunciant, recitata Tom. II Spicilegii Dacheriani, ad hoc circiter tempus in vivis fuit, quia *Girbertus* Abbas mortuus est anno MCLIII, ut habet Chronicon Dolense Tom. I Biblioth. Labbei. Multa volumina in Scripturam sacram composuit Herveus in præfata Epistola memorata, ex quibus tantum in lucem prodière *commentarii in omnes Epistolas Sancti Pauli Apostoli*, impressi tamen cum Operibus Sancti Anselmi Cantuariensis, ipsique perperàm attributi, ut fidem faciunt Codices MSS. quos se vidisse testatur Oudinus in Supplem. de Script. Eccles. in Herveo, qui & asserit, asservari in aliquibus Bibliothecis Galliæ Hervei Commentarios *in Isaiam Prophetam* amplissimos, & Postillas breves *in Deuteronomium*. An verò alia Hervei Opera, in Epistola Monachorum Burgidolensium enumerata perierint, vel adhuc supersint, mihi incompertum.

V. *Anglia bello civili afflicta.* Hoc anno, ut legitur in Chron. Gervasii *Henricus filius Imperatricis* (nempe Mathildis uxoris Gaufridi Comitis Andegavensis) *mense Maio mediante cum grandi comitatu militum electorum & peditum rediit in Angliam, & in adventu suo multorum animos contra Regem Stephanum excitavit; nolebant enim Comites Angliæ & Proceres contra Regem Stephanum aliquam excitare seditionem, eo quod Robertus & Milo Comites universæ carnis viam ingressi fuerunt, & Imperatrix transfretaverat, nisi ipse quem omnia de jure contingebant, in Angliam rediret. Hac igitur occasione, ut prædictum est, rediit in Angliam, postpositisque literarum studiis, exercitia cæpit militaria frequentare. Assumto itaque secum nobili Ranulfo Cestrensi Comite, & Rogerio Comite Herefordensi, aliisque nonnullis præter illos, quos secum duxerat de Normannia militibus famosis, adiit Regem Scotiæ David consanguineum suum, à quo cum summa lætitia & honore susceptus, militari quoque balteo cum nonnullis coætaneis suis in sacra solemnitate Pentecostes accinctus est. Ab illo ergo die cæpit Henricus mentem Regis Stephani, filiique sui Eustachii multis ex causis adversum se excitare.* Paulò pòst: *Eustachius autem Regis Stephani miles factus, multa mala exercuit in terris Procerum & Comitum, qui Henrici partibus favebant.* Henricus postea sub Henrici II nomine Rex Angliæ fuit, ejusque sæpe infrà mentio occurret.

VI. *Fraga & Ilerda Saracenis eripiuntur.* Hoc etiam anno *Ilerda* & *Fraga* nobiles civitates *VIII Kalend. Novemb.* deduntur Raimundo Comiti Barcinonensi hujus nominis IV, qui Ilerdam honorario jure & fidei sacramento Ermengaudo Urgellitano Comiti dedit, potestate & supremo dominatu sibi reservato. Sedem & Episcopalem dignitatem Ilerdensem instauravit, & in *Guillelmum Peresium* Rotensem Episcopum contulit. Hæc Surita lib. I. Indic. ad hunc Christi annum, cui consentit Auctor Anonymus de Gestis Comitum Barcinon. qui addit utramque urbem eodem die captam fuisse. Baluzius in Appendice ad Marcam Hispanicam num. CCCCIX refert Chartam populationis Ilerdæ à Raimundo Comite Barcinonensi, & Ermengaudo Comite Urgellitano datam, continentem privilegia populo Ilerdensi ab utroque Principe concessa; sed ea non hoc anno, ut existimat Baluzius in margine, & ipsa indicare videtur, verum sequenti scripta, quia in Comitatu Barcinonensi annus à Paschate more Gallicano incboabatur, & in ea legitur: *facta ista Charta mense Januarii anno Dom. Incarnationis MCXLIX.*

VII. *Finis dominationis Almorabitarum.* Bellum civile, quod Ecclesiæ Africanæ exitiosum fuit, hoc tandem anno extinctum. Ut enim narrat Noveirius *Almorabitæ* qui in quandam Provinciam & Marochianum Regnum convenerant, ingentesque copias collegerant, prælio fusi sunt ab Abdelmumeno *Almohadum* Imperatore anno Hegiræ DXLIV, & ab eo tempore *Almorabitæ* ita fusi profligatique, ut de eis nulla apud Historicos mentio postea facta sit.

VIII. *Religio Christiana in Africa & in Hispania Saracenica extincta.* Extincta & antiqua *Ecclesia Africana*, quæ hactenus, uti *Mozarabes* in Hispania, inter Saracenos substiterat; *Almohadum* enim secta nulli neque Ecclesiæ neque Christiano in Africa pepercit, illas omnes solo æquavit, Christianos verò sine exceptione trucidavit; ita ut ex omnibus Mozarabibus nulli superfuerint præterquam qui in terras Christianorum Hispaniæ se se fuga recipere potuêre: nec potior Mozarabum conditio in Hispania Saracenica fuit, cùm quicumque à fide Christiana deficere recusarunt, morti traditi fuerint. Quod si aliqui servi bello capti aut latebris occultati *Almohadum* manus evaserint eis suam religionem profiteri non licuit in locis in quibus neque Episcopi, neque Presbyteri, neque Monachi amplius remanebant. Inter eos *Mozarabas*, qui ad loca à Christianis Hispaniæ inhabitata aufugientes vitæ consuluêre, memoratur *Clemens* ultimus Archiepiscopus Mozarabum Hispalensium: & cùm civitas hæc, Corduba, Gienna, Mursia & Valentia, Sancto Ludovico in Gallia regnante, à Christianis Hispaniæ receptæ sunt, nulli alii Christiani præter captivos Hispali reperti.

IX. *Qui postea in illis partibus Episcopi* Jacobus de Vitriaco in suis de Ecclesia Orientali libris, ubi de Ecclesiis *Mozarabum* tanquam sua ætate, seu seculo decimo tertio adhuc in

SÆC. XII. An. C. 1150. *Visi titulares tantum fuère.*

in Africa & Hispania subsistentibus sermonem facit manifestè indicat se quæ in medium adducit, ex antiquis libris excerpsisse, parumque de conversionibus & commutationibus quæ jamdiu contigerant, curasse; indeque non mirum si de rebus quæ amplius non erant, tanquam si adhuc superessent, locutus fuerit, easque prætermiserit, quarum ampla mentio facienda erat. Sic licet profiteatur se de Ordinibus Religiosis post sacrum bellum in Oriente stabilitis verba facturum, Ordinis tamen Sancti Dominici tunc in Oriente florentis non meminit, licet Historiam suam in partibus Orientalibus constitutus scripserit. Hæc ejus verba in Hist. Hierosolymitana cap. 80. *Illi verò Christiani, qui in Africa & Hispania inter Occidentales Saracenos commorantur, Mozarabes nuncupati, Latinam habent litteram, & Latino sermone in scripturis utuntur, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ sicut alii Latini cum omni humilitate & devotione obediunt, ab articulis fidei vel sacramentis in nullo deviantes.* Quibus similibusve locis innixi Joannes Baptista Grammayus in libris de Africa illustrata, Schelestratius Dissert. IV de Ecclesia Africana cap. 7. & Odoricus Raynaldus Tom. XIII & XIV Annal. Ecclesiast. Episcopos titulares sub hujus seculi finem vel sequenti in Hispaniam vel in Africam missos pro reliquiis Ecclesiæ Africanæ & Mozarabum Hispaniæ habent, ne quidem suspicantes Jacobum de Vitriaco de statu, in quo tam Ecclesia Orientalis quàm Occidentalis versabantur, parum edoctum fuisse, & antequam Episcopi titulares à Pontificibus Romanis in Africam & Hispaniam mitterentur, antiquos utriusque regionis Christianos defecisse. At tantum abest, ut ex Episcopis titularibus in partes illas directis inferendum fuerit, aliquos adhuc Christianos in illis regionibus reliquos fuisse, ut contrà inde deducendum erat ante illa tempora Mozarabes penitus exterminatos. Tentarunt quidem Romani Pontifices, sectâ Almohadum ad interitum incumbente, novam Christianitatem in illis partibus instituere; sed sanctum illud consilium felicem exitum sortitum non fuit. Grammayus citatus lib. 2. cap. 5. ait: *Anno MCXCIII Archiepiscopi III & Episcopi X in Barbaria nominantur, omnes Alexandrino Patriarchæ vicino parentes.* Quem locum ex Grammayo Schelestratius profert, sed hujusmodi commenta referre refellere est, cùm post hæc tempora nonnisi Episcopi titulares à Summo Pontifice pendentes in illis partibus visi fuerint.

Anno Eræ Hispan. MCLXXXVIII. Anno Hegiræ DXLV. inchoato die 30. April. fer. 1.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6643.

☉ 11. A. ☽ 11. P. 16. April. Indict. 13.

JESU CHRISTI 1150.

EUGENII III PAPÆ 6.

CONRADI III REG. 13.

MANUELIS COMNENI IMP. 8.

I. *Roma adhuc turbata.*

AD Num. I ad IV. Anonymus Casinensis, qui res anno uno citiùs narrare solet, ad annum MCXLIX præter ea, quæ Baronius ex illo refert, ait: *Eugenius Papa Urbe egressus Campaniæ moratus est. Luna obscurata est Idibus Martii.* Calvisius in Opere Chronologico hanc eclypsim Lunarem supputavit, reperitque eam contigisse die decima quinta mensis Martii, feriâ quartâ, horis tribus post mediam noctem.

SÆC. XII. An. C. 1150. II. *Profectio Romana Petri Venerabilis.*

Petrus Venerabilis ad Eugenium Papam iturus, *Bernardum* prius, & Claramvallem visitavit literis apud Pontificem juvandus. Deinde Galliam deserens Pontificem adivit sua cum eo negotia tractaturus, ut ipsemet Epistolâ XLVI libri VI ad Bernardum data, & à Baronio recitatâ narrat, significans totum iter sibi felix, faustumque fuisse, & Eugenium III se se amantissimè suscepisse: *Præferebar omnibus etiam majoribus gradu, nec Patriarchalis dignitas, cùm etiam Ravennas adesset, præire me ipsum plerumque impellente sinebatur. Senatus Romanorum, Episcoporum, vel Cardinalium, non tantùm adjungebar, sed & quandoque adjungi cogebar. Excludebantur universi, non Romani, à Romanis consiliis: solus, aut penè solus ad mysteria jurata vocabar. Ista in publico. Jam secretiora, & remotiora ab aliis colloquia, quis explicet?* &c. Quæ negotia Petrum Venerabilem in Italiam traxerint, in dubio est. Baronius putat id colligendum ex Petri Venerabilis Epistola XLV ejusdem libri ad Eugenium III data, in qua conqueritur de *Hugone Discalceato* ob arcem contra Cluniacense monasterium ædificatam, qui non cessabat ab opere, etiam ab Eugenio Papa jussus, atque dito anathemati subjectus, nisi cessaret. Manricus in Annal. Cisterc. ad annum MCLI cap. VIII num. VIII existimat, Epistolam Petri Venerabilis ad Bernardum magis domestica negotia innuere, atque aliquorum Fratrum rebellionem, in quos Sanctus Abbas mitiùs agendum scripserat.

III. *Castellum Cluniaco vicinum terræ motu absorptum.*

Sed quidquid sit de causa itineris Petri Venerabilis, arbitror tam Baronium, quàm Manricum falli, cùm scribunt, tanquam certum turrim illam intra quinquennium terræ motu absorptam fuisse, & loco illius lacum profundissimum in exemplum divinæ justitiæ successisse, quod vulgatus Robertus de Monte, cujus locum integrum refert Baronius num. III, tradat, anno MCLVI, *XV Kal. Martii* quoddam castellum, haud procul à *Cluniaco* simul absorptum fuisse terræ motu, & in abyssum ivisse. Nam Castellum illud non potest esse idem cum eo quod *Hugo discalceatus* construxerat; cùm Petrus Venerabilis in laudata Epistola XLV asserat, de concordia partium solo æquatum fuisse. Hæc Petri Venerabilis de Hugone discalceam verba: *Dejecit ipse castro constructor, & dirutis ab ipsis fundamentis, suis vel suorum manibus castrum: seque nunquam deinceps aliquid ibidem ædificii facturum juramento confirmat. Dat insuper & montem ipsum Ecclesiæ,* &c. *Nos autem his de causis, dedimus ei ducentas & viginti libras.*

IV. *Uxores Rogerii Regis.*

Ad num. IV & seqq. Anonymus Casinensis ad annum MCL, qui nobis est MCLI, ait: *obiit Sibylla Regina.* Romualdus Salernitanus in Chron. de Rogerio Rege ait: *Quia solum Willelmum Capuanorum Principem habebat superstitem, veritus ne eumdem conditione humana fragilitatis amitteret, Sibiliam sororem Ducis Burgundiæ duxit uxorem, quæ non multò post Salerni mortua, & apud Cavense monasterium sepulta est.* Dux iste Burgundiæ Sibyllæ Reginæ frater erat Odo II, quorum Pater Hugo II Burgundiæ Dux. Anonymus Casinensis ad annum MCL, qui nobis est MCLI, inquit: *Rex Rogerius constituit Guillelmum Ducem filium suum Apuliæ Regem.* Baronius num. IV hæc cum præsenti anno alligat, eamque in rem Romualdum Salernitanum

nitanum landat. Verum hac in re fallitur Cardinalis doctissimus; Romualdus enim tantum ait, Rogerium Ducem anno MCXLIX è vivis abiisse, sed inde non sequitur Elvitam Reginam, quam Alviriam appellat, & ejus filios iis annis demortuos. Hæc Baronii ad hunc annum verba: *Hoc eodem anno, ut auctor est, Romualdus Salernitanus, Rogerius Willelmum, &c. coronari voluit Regem Siciliæ* (sed hoc neque verum, neque à Romualdo dictum). *Quod cùm biennio ante ipsius Rogerii obitum contigisse tradat, utique hoc anno id factum oportuit.* At malè Baronius supponit Rogerium Regem anno MCLII vita functum esse, cùm eo Christi anno visuri simus eum usque ad annum MCLIV vitam prorogasse.

V. *Ejus filii.* Baronius tradit etiam Romualdum mentionem facere obitus Albiriæ seu Elviræ *anno superiori*, seu anno MCXLIX. At Historicus iste, qui hoc tempore florebat, Reginam illam, ejusque filios anno MCXLIX è vivis excessisse scribere non potuit, cùm Elvira Regina initio anni MCXXXV vivere desierit. Quare hæc Regina, inquit Romualdus *primò mortua est & filia ejus* (cujus nomen ignoratur) *post hæc alii filii, nempe Tarentinus Princeps* (Tancredus mortuus anno MCXXXVIII aut MCXXXIX, hicque Bari & Tarenti Princeps fuerat), *& Anfusus Capuanorum Princeps* (anno MCXLIV demortuus), *& Henricus mortui sunt.* Henricus nullo titulo cohonestatus, & ultimus natu paulò pòst Alphonsum fratrem mori debuit. Ait Romualdus: *Novissimè Rogerius Dux Apuliæ primogenitus ejus mortuus est anno millesimo centesimo quadragesimo nono.* Sed de his plus satis.

VI. *Henricus Normanniæ Dux Hominium facit Ludovico VII Franciæ Regi.* *Anno Domini MCL*, inquit Matthæus Parisius, *Rex Francorum Lodowicus & Eustachius filius Regis* (Angliæ) *Stephani cum militia copiosa venerunt ante turrem de Archis, ob discordiam memoratam* (anno superiori) *ubi etiam adfuit Dux Normanniæ Henricus, & pater ejus Comes Andegavensis Gaufridus, cum ingenti exercitu Andegavensium, Britonum & Normannorum; sed videntes utriusque partis Principes, quod legiones illuc nequibant sine magna effusione sanguinis hostiliter convenire, cœperunt de pace tractare, & interveniendibus utrorumque amicis, Rex Francorum cepit homagium Ducis Henrici de Normannia, & sic pacifici recesserunt. Dux igitur Henricus dum tractaret cum Optimatibus suis de itinere suo in Angliam, pater ejus apud castrum Leri graviter infirmatus, septimo Idus Septembris ab hac vita migravit, & sic Henricus filius ejus factus est Comes Andegavensium, & Dux Normannorum.* Verùm Matthæum in anno emortuali Gaufridi Comitis hallucinatum eruitur ex utroque Chronico Andegavensi, Radulpho de Diceto pag. 510. Gervasio, Huntindoniensi, Roberto de Monte vulgato in Chron. ac Vincentio Bellovacensi, qui eum in annum sequentem differunt.

VII. *Mauri Africæ in auxilium Maurorum Hispaniæ veniunt.* Hoc anno *Musmudum* natio & *Almohades*, seu Almobawedini Hispaniam ingressi sunt. Scribit Novairius Musulmannos Hispaniæ valde viribus fractos, ad Africanos confugisse, & *Abdelmumenen*, Almorabitarum Imperatorem validum exercitum ad eos destinasse, non verò ipsummet in Hispaniam transfretasse, ut falsò Scriptores Hispanici in literas misêre. In hoc omnes conveniunt, Cordubenses, aliosque Vandalitios *Musmudum* nationi se se subjecisse. Alphonsus Hispaniarum Imperator cum ingentibus copiis contra hos infideles movit, Cordubam obsidione cinxit, & Musmudum seu Almohadum exercitum fudit, quod elicitur ex donatione ab hoc Imperatore cuidam è suis Nobilibus *Cantivo* seu *Captivo* appellato facta ob egregiam sibi hoc in bello adversùs Mauros præstitam operam. *Cantivus* enim eadem postea bona Ecclesiæ Cathedrali Astorgæ dedit, ut refert Sandovalius in Alphonso VII fol. 198. ubi Chartam refert, in qua legitur: *Quando Imperator tenebat Cordubam circumdatam, & pugnabat super eam cum triginta millia Musmudis, & cum aliis Vandalicis* (idest, Mauris Hispanicis) *& devicit eos.* Ex ea apparet, *Cantivum* in castris fuisse cum Imperatore, quem etiam sequebantur Ramundus Comes Barcinonensis & Aragoniæ Princeps, & Garsias Ramires Navarræ Rex. Die decima nona mensis Augusti Alphonsus Imp. è sua expeditione militari redux gratiam quandam Martino Diaz, ob ejus erga se in hoc bello merita, largitus est erâ MCLXXXVIII, qua *prænominatus Imperator Principem Maurorum Abingamiam sibi vassallum fecit, & quandam partem Corduba depradavit cum Mezquita majori.* Hæc tamen expeditio magis honorifica, quàm utilis fuit; Abengamia enim & Mauri Cordubenses post Alphonsi discessum ab eo defecêre. Imò Noveirius citatus affirmat, Abdelmumenen, cùm eum Cordubam obsedisse accepit, magnum exercitum adversùs eum misisse, & non multò post Alphonsum in suum Regnum rediisse.

VIII. *Moritur Garsias Ramires Navarræ Rex.* *Garsias Ramires* Navarræ Rex bellator strenuissimus redux ex expeditione militari, quam susceperat cum Alphonso Imperatore, cujus filiam naturalem *Urracam* dictam secundis nuptiis duxerat, ut ostendit Oienhartus in Notitia Vasconiæ pag. 327. vitam cum morte commutavit, Moretus in Investigat. Rerum Navarricarum pag. 660. citat librum Fororum Navarræ, in quo traditur Garsiam supremum diem obiisse era MCLXXXVIII in vigilia Sanctæ Cæciliæ, & Regnasse annos quindecim. Certum tamen, eum annos sexdecim integros Navarræ dominatum esse, sed annus & dies emortualis ibi expressi in dubium revocari non possunt. Habuit præter filium *Sanctium*, qui ei in Regnum successit, ac præter filiam *Sanctiam*, Sanctio Castellæ, & Margaritam Siciliæ Regibus nuptas, filium ex concubina nomine *Rodericum*, cujus meminit Falcandus in lib. de Siciliæ Calamitate. *Sanctii* Regis cognomento Sapientis uxorem *Beatiam* nuncupat Rodericus lib. 5. cap. 24. horum temporum proximus, quam tamen vetera monumenta ab Oienharto laudato in medium adducta *Sanctiam* vocant.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6644. — Anno Eræ Hispan. MCLXXXIX. Anno Hegiræ DXLVI inchoato die 20. April. fer. 6.

☉ 12. G. ☽ 12. P. 8. April. Indict. 14.

JESU CHRISTI 1151.

EUGENII III PAPÆ 7.

CONRADI III. REG. 14.

MANUELIS COMNENI IMP. 9.

I. *Eugenius III confirmat* AD Num. I & seq. Coloniensis & Moguntinus Archiepiscopi *Eugenium* III adiêre, alter

SÆC. XII. An. C. 1151. *Privilegia Ecclesiæ Coloniensis.*

alter ut Privilegiorum suæ Ecclesiæ confirmationem obtineret, alter ut molestissimo negotio, de quo infrà, se se expediret, & plurimum ei argenti detulerunt. Sed Sanctus Pontifex illorum munera sprevit, ut narrat Baronius ex Divo Bernardo in lib. 3. de Consideratione. Tum anno sequenti Eugenius scripsit *Arnoldo* Coloniensi Archiepiscopo Epistolam ordine X Tom. X Concil. qua ei & successoribus concedit, quod nulli deinde Primati, nisi solo Romano Pontifici subsit: quod solus Reges infra terminos suæ Provinciæ coronet: quod primus in quocumque ejus Concilio post Papam, seu Legatum resideat: demum quod S. Petri Coloniensis Ecclesia summa septem gaudeat Presbyteris Cardinalibus, cum totidem Diaconibus & Subdiaconibus, quibus mitra, dalmaticis & sandaliis in Missarum solemniis uti liceat. Præterea *Pallii quoque usum, & vivifica Crucis vexillum atque naccum, insigne videlicet festivi equi, quæ prædecessoribus tuis à nostris prædecessoribus concessa sunt, suo tempore, suoque loco ferenda, nos tam tibi, quam tuis successoribus confirmamus*, inquit Eugenius. Ubi loco *naccum*, legendum, *nactum*; nactus autem ab aliis *coopertorium*, ab aliis *nido* appellatur, ita ut nactus fuerit stragulum, quo totus equus insternitur. Hinc Jacobus Stephanescus Cardinalis lib. I de Coronatione Bonifacii VIII cap. 9.

Post ipsum quadratus equus, detextus ad ante,
Velatusque rubro scarleti tergora nacto
Cygneus ad dextram vehitur.

Et infrà.

Cornipedemque sedens niveum sub tegmine nacti.

Vide alia exempla apud Ducangium in Glossario voce *Nactum*, vel *Nactus*.

II. *Duplex eju modus annos Christi numerandi.*

In fine Epistolæ ab Eugenio III & pluribus Cardinalibus subscriptæ legitur: *Datum Signiæ per manus Bosonis S. R. E. Scriptoris VI Idus Januarii, indict. XV, Incarnat. Dom. MCLI Pontificatûs vero Domini Eugenii III Papæ anno VII.* Manricus in Annal. Cisterc. hoc anno cap. IV annum illum Incarnationis præsentem interpretatur. Verùm ex indictione XV annoque Pontificatus VII apparet, hanc Epistolam anno sequenti datam, & *Eugenium* in ea annum usque ad diem XXV mensis Martii prorogare. Certum tamen eum etiam usum esse anno Incarnationis Pisano, Tom. enim X Concil. extat Epistola Eugenii III ordine LXVI *ad Moysem Ravennatem* Archiep. scripta, qua statuit, ut Electi Placentini Episcopi, ab ipso, & successoribus consecrationem accipiant: *Dat. Pisis per manum Guidonis Diac. Card. & Cancell. IV Idus Novemb. indict. XII incarnat. Dom. anno MCLIX* (legendum, anno MCXLIX) *Pontificatûs verò D. Eugenii Papæ III anno IV*, qui characteres annum MCXLVIII exhibent.

III. *Concilium Balgentiacense.*

Ad num. III. Non tantum Baronius & Labbeus Tom. X Concil. sed etiam non pauci alii divortium Ludovici VII Galliæ Regis cum Eleonora uxore huic anno affigunt; verùm illud sequenti tantum anno factum, ideoque & Concilium Balgentiacense, in quo illud decretum, eo anno collocandum certum esse debet. Duchesnius enim Tom. IV pag. 443. refert ex Scriptore Anonymo in Bibliotheca Monasterii Sancti Victoris Parisiensis MS. asservato fragmentum, in quo de Ludovico VII & Eleonora legitur: *Post multos labores & tribulationum sudores reversus* (scilicet ex Oriente) *licet ex illa duas filias se suscepisse gauderet; tamen regni sui anno XXI assensu, & auctoritate Eugenii Papæ repudiatam dimisit.* Ubi Ludovici VII Regis anni deducuntur ab anno MCXXXI, quo ab Innocentio, dum pater adhuc viveret, coronatus fuit. Verus Robertus de Monte, qui hoc divortium cum hoc anno alligare videtur, corrigendus est juxta dicta, unitate sc. singulis annis per hæc tempora addita, quia librarius unius anni prochronismo peccat, & cùm unum tantum hujus Auctoris exemplar MS. extet, illa methodus observanda. His adde Robertum de Monte vulgatum, Gervasium Dorobernensem in Chron. & Nangium in Chron cujus hæc sunt verba ad annum MCLII:

IV. *In eo conjugium Ludovici VII cum Eleonora dissolutum.*

Ludovicus Rex Francorum Zelotypiæ spiritu inflammatus cum Alienorde uxore sua in Aquitaniam vadit, munitiones removet, & gentes suas inde reduxit. Qui dum regrederetur apud Baugentiacum castrum (ubi Concilium celebratum) *jurata consanguinitate, uxorem suam repudiat*; &c. *dum in terram nativitatis suæ regrederetur, Henricus Dux Normanniæ & Comes Andegavis ei occurrens eam desponsavit*, &c. *genuitque*, &c. *Henricum, Richardum, & Joannem postea Reges Angliæ, atque Gaufridum Comitem Britanniæ. Item quatuor filias quarum una data est uxor Regi Castellæ, unde orta est Blanca Regina Franciæ, mater Sancti Ludovici Regis: altera verò Constantinopolitano Imperatori nomine Alexi; tertia, quam Saxoniæ Duci, unde natus est Otho postmodum Imperator Romanus; quarta verò Tolosano Comiti, unde natus est Raimundus, cujus filiam postmodum Alphonsus Comes Pictavensis frater Sancti Ludovici Regis Francorum accepit uxorem.* Continuator Aimoini lib. 5. *Rex Ludovicus*, inquit, *duas filias, quas de Alienora susceperat, maritis desponsavit: primam, scilicet Mariam, Henrico Comiti Palatino Trecensi; juniorem videlicet Aaliz, fratri ejus Theobaldo Comiti Blesensi.*

V. *Sugerius nullam Vitam Ludovici VII composuit.*

Baronius legens Gesta Ludovici VII Regis filii Ludovici Grossi, quæ modo referuntur Tom. IV Duchesnii pag. 391. in quibus dicitur: *quoniam terra* (nempe Aquitania) *sine virili hærede remanserat, Rex Ducatum in manu sua tenuit, & primogenitam sororum Alienordam filio matrimoniali lege desponsavit, sicut superiùs est expressum in Historia patris sui*, existimavit Sugerium Abbatem scripsisse Vitam Ludovici VII, & eo in loco ad Vitam Ludovici VI à se editam respicere. In eadem etiam sententia plures Viri docti fuêre. Verùm cùm Sugerius Abbas hoc anno è vivis excesserit, ut statim demonstrabo, illa sententia non potest non esse à veritate aliena. Historia itaque illa Ludovici VI alia non est, quam quæ à Sugerio Abbate scripta fuit, in qua paulò ante finem sermo est de matrimonio Eleonoræ cum Ludovico VII, cui subjungenda erant ista Gesta Ludovici VII. Quod si quis contendat, sermonem ibi esse de alia Vita Ludovici VI ab eodem Anonymo scripta, dicendum est ipsam periisse, & pro certo tenendum *Sugerium* Abbatem non posse esse auctorem Vitæ Ludovici VII, de qua agitur, cùm in ea mentio sit de rebus post Sugerii mortem gestis.

VI. *Annus & dies emortuales Sugerii Abbatis.*

Sugerium verò Abbatem currenti anno die decima tertia mensis Januarii, postquam annos viginti novem Abbatiam gloriosissimè rexisset, ad feliciorem vitam transiisse, indubitatum tan-

dem

dem esse debet. In brevi enim Chronico Sancti Dionysii Tom. II Spicilegii Dacheriani publicato, in quo ejus initium rectè consignatur, ad annum MCLI habetur: *Sugerius Abbas obiit. Ordinatio Domini Odonis Abbatis.* Est is *Odo de Diogilo* Auctor Narrationis de *Profectione Ludovici Regis VII in Orientem* Tom. IV Duchesnii pag. 180. dicitur ex codice MS. Ecclesiæ Sancti Dionysii: *Transiit idem venerabilis pater inter verba orationis & Symboli, die Idus mensis Januarii* (die nempe XIII ejusdem mensis): *anno verò Domini MCLII, LXX ætatis suæ: à susceptione autem monastici habitus ferè LX, Prælationis verò suæ XXIX: cujus sepulturæ & exequiis interfuerunt sex Episcopi cum multis Abbatibus, Christianissimoque Rege Franciæ Ludovico: ubi & pietatis memor, & immemor Regiæ Celsitudinis, dum sepeliretur amarissimè flevit; flevitque omnis Regia Domus, sed & populus, qui eum tanquam prudentissimum Consiliarium, totiusque regni Gubernatorem & administratorem planxerunt sapientissimum.* Sed Monachus Dionysianus, qui hanc annotationem posuit, in anno erravit; Sugerius enim præfuit quidem Abbatiæ San-Dionysianæ annos XXIX, sed illi absolvuntur die XIII mensis Januarii currentis Christi anni, quo die is Auctor Sugerii mortem consignat, & quidem rectè cum Chiffletius in Asserto Sancti Bernardi genere illustri pag. 92. exhibeat illustrium aliquot virorum epitaphia, inter quæ extat epitaphium Sugerii à *Magistro Symone cognomento Capra Aurea* Canonico Sancti Victoris Parisiensis hoc tempore vivente compositum, quod duobus his versibus clauditur:

Cui rapuit lucem lux septima Theophaniæ,
Veram vera viro Theophania dedit.

Octava autem festi Epiphaniæ in diem XIII mensis Januarii incidit. Cùm ergo *Sugerius* annos XXIX Abbatiæ Sancti Dionysii præfuerit, & ad eam die XII mensis Martii anni MCXXII sublimatus fuerit, frustrà quis amplius initium ejus & finem in controversiam vocabit. Certus etiam numerus Operum ab eo publicatorum, & à Duchesnio citato recensitorum.

VII. *Quatuor Archiepiscopatus in Hibernia instituit.*

Ad num. IV & seq. Joannes Prior Hagustaldensis in Continuatione Historiæ Simeonis Dunelmensis ad annum MCLII, qui juxta dicta est MCLI, de quatuor Palliis primùm in Hiberniam missis hæc habet: *His diebus appulit ad Tynamutha in Northymbria Joannes Presbyter Cardinalis directus Apostolicæ Sedis Legatus cum Palliis Hiberniensibus directis.* Paulò post: *Scripsit autem David Regi Scotiæ significans de se & de causa adventus sui, expetens adventum ejus in Hiberniam*, &c. *Auditis literis Domini Cardinalis, Rex festinanter occurrit apud Karlel, præmittens ad eum Cancellarium suum apud Hagustaldensem Ecclesiam; in eam enim idem Cardinalis excellenter susceptus est, & cum eo quidam Episcopus Hiberniæ: Venientem itaque ad se Cardinalem circa festum Sancti Michaelis, Rex & filius ejus Henricus Comes officiosè susceperunt; ejusque favorem expensis & obsequiis devotis emeruerunt. Profectus inde in Hiberniam quatuor Pallia certis sedibus distribuit, gentemque in ea legi nuptiarum non assuetam plurimùm correxit. Venerat autem idem Cardinalis Presbyter in præcedenti anno ad Regem Angliæ, cui non acquievit Rex conductum præstare, nisi fidem daret se in hac profectione regno Anglorum nullum damnum quærere. Reversus est ob hunc sermonem Cardinalis ad Apostolicum indignans; fuitque super hoc Romana Curia ingrata Regi.* Loquuntur etiam de hac quatuor Archiepiscoporum in Hibernia institutione Chronographus Mailrosensis ad hunc annum, Hovedenus citatus à Baronio, aliique. Antea Episcopi in Hibernia se se mutuò consecrabant, ut refert Giraldus Cambrensis in Topographia Hiberniæ cap. 17. Legatus ille *Joannes Paparonus* seu Papyrio dictus, quem valde laudat divus Bernardus in Epist. CCXC ad Cardinalem Ostiensem data, in qua econtra narrat quàm fœda ubique reliquerit vestigia *Jordanus de Ursinis* in Germaniam hoc anno ad Conradum Imperatorem ab Eugenio missus, de qua Legatione Baronius num. IV, qui & recitat integram Sancti Bernardi Epistolam.

VIII. *Martyrium S. Henrici Archiep. Upsalensis.*

Ad num. VI. *Sanctus Henricus* Archiepiscopus Upsalensis in Suecia, cujus suprà meminimus, dum ædificationi & confirmationi Ecclesiæ Finlandensis prudenter & fideliter insudaret, quidam homicida, quem ob ipsius facinoris enormitatem disciplina Ecclesiastica corrigere volebat, in suæ salutis Zelatorem funestus insiliit, ipsumque crudeliter trucidavit, & quidem hoc anno, ut asserit Joannes Magnus in Gothorum, Sueonumque Hist. lib. 19. cap. 3. qui dicit se id probasse in sua Metropoli Upsalensi. In ejus Vita à Bollando ad diem XIX Januarii recitata, & ab Auctore Anonymo scripta annus martyrii ejus tacetur, diciturque eum rexisse Ecclesiam Upsalensem regnante *Sancto Erico* in Suecia, & hunc Principem cum veri amoris complexum esse affectu, & speciali familiaritatis gratia eum honorasse.

IX. *Martyrium S. Erici Sueciæ Regis.*

Martyrium quoque passus est *Sanctus Ericus* memoratus Sueciæ Rex, cujus Vita in Actis SS. Bollandianis ad diem XVIII Maij collecta ex Actis ab Israele Canonico Upsalensi scriptis repræsentatur. *Sanctus Ericus* Upsalensem Ecclesiam à suis progenitoribus fundatam, & aliquantulum ædificatam, primo & præ ceteris aggrediens, ac Ministros divini cultus inibi ponens opere magnifico consummare studuit. Postea regnum suum circuiens, pacem inter discordes faciens, oppressos à Potentioribus liberans, & impios de terra exterminans, coadunato exercitu versùs *Finlandos* expeditionem dirigit, anno decimo Regni sui à quibusdam Magnatibus ad regnum aspirantibus occisus est, anno Incarnationis MCLX, ut in Actis citatis dicitur, non currenti, ut Baronius in Notis ad Martyrologium Rom. die XVIII Maii & Henschenius arbitrati sunt; in Historia enim Gothorum, Sueonumque à Joanne Magno Archiep. Upsalensi edita, lib. XIX disertè legitur, Sanctum *Ericum* anno MCL à Proceribus populisque Regni Sueciæ ad Regale solium evectum fuisse: tum cap. 5. dicitur Ericum *ipso die, quo dominica Ascensio celebratur, ex improviso, nulloque hostilitatis indicio præmisso insidiosè* peremptum esse; *anno a Christo nato MCLX, postquam ferè decem annis Sueonum regnum innocenter, & summa cum laude administrasset.* Quod cùm legisset Israel citatus, vidissetque Sanctum Ericum die XVIII Maii coli eum diem in Sancti hujus legendam inseruit, non animadvertens anno MCLX Ascensionis festum in diem illum non incidisse, sed in diem quintum ejusdem mensis. Ipsemet *Israel* errorem suum manifestat, quando

ait, S. Ericum *Alexandro Papa III Romana Ecclesia præsidente* passum esse, ideoque non ante annum MCLX. Henschenius in brevi nota ad locum illum pro Alexandro Papa reponit Anastasium IV, qui tamen anno tantum MCLIII sedere cœpit. Porrò Sanctos aliis diebus, quàm quibus martyrium pertulerint, aut animam Deo reddiderint, tam in Ecclesia Romana, quàm in aliis particularibus sæpe coli innumera exempla ostendunt. Ante hæc tempora in historia Suecorum seu Sueonum omnia incerta & fabulis plena, indeque nihil ex ea in medium attulimus.

X. *Floret Gratianus.*

Eugenius III primus omnium Pontificum Romanorum jussit in tribunalibus Ecclesiasticis judicari secundùm compilationem *Gratiani*, de quo Sigonius lib. 2. de Episcopis Bononiensibus scribit: *Anno MCLI Gratianus Monachus in monasterio Sancti Felicis* (in urbe Bononiensi, non verò Monachus Classensis in Tuscia, ut perperàm ab aliquibus dictum) *Decretum, idest, Juris Pontificii volumen insigne, quod extat, composuit: ad quod lapis olim in claustra positus indicavit his verbis*, &c. Eugenius veritus ne Jus Canonicum vilesceret, quia omnes studiosi ad Civile recèns digestum se conferebant, suggerente *Gratiano* Gradus quosdam Academicos excogitavit, non tam annorum, quàm profectûs, scilicet Baccalaureatûs, Licentiatûs & Doctoratûs, ut hocce specioso titulo studiosos ad Jus Canonicum amplectendum excitaret, & Privilegiis accenderet. Hanc enim graduum scholasticorum institutionem omnes ferè qui de illis scripserunt, ad Gratianum & Lombardum retulerunt. Neque ante *Petrum Lombardum* eorumdem graduum in Scriptoribus mentio, indeque communiter dicitur eum illos, Gratiani imitatione, Parisiis in Theologica Disciplina instituisse. Sed hac de re legendus Bulæus Seculo IV Hist. Universit. Parisiensis. Porrò Gratianum & Petrum Lombardum postea Episcopum Parisiensem fratres extitisse, merum commentum. In *Pannormia* nulla Gratiani mentio; hæc tamen antiqua, & eodem circiter tempore ac Gratiani Decretum lucem vidit.

XI. *Concilium Londoniense.*

Anno XVI Stephani Angliæ Regis *Tedbaldus Cantuariensis Archiepiscopus, & Apostolicæ Sedis Legatus tenuit Concilium generale apud Londoniam in media Quadragesima, ubi Rex Stephanus, & filius suus Eustachius, & Angliæ Proceres interfuerunt, totumque illud Concilium novis appellationibus infrenduit. In Anglia namque appellationes in usu non erant, donec eas Henricus Wintoniensis, dum Legatus esset, malo suo crudeliter intrusit. In eodem namque Concilio ad Romani Pontificis audientiam ter appellatus est*, inquit Huntindoniensis lib. 8.

XII. *Abbatia S. Rufi Avenione Valentiam transfertur.*

Nicolao Abbate Sancti Rufi Avenionensis, de quo anno MCXLVI verba fecimus, vel demortuo, vel ad aliam dignitatem translato ei anno circiter superiori successit *Gaufredus*. Baluzius enim lib. 4. Marcæ Hisp. ad annum MCXLVIII testatur penes se habere Catalogum autographum Episcoporum Dertusensium ab Hieronymo Puyadesio ex veteribus illius Ecclesiæ scripturis collectum, in quo dicitur Jaufridum seu Gaufredum tum Abbatem Sancti Rufi fuisse primum Episcopum Dertusensem post urbem receptam, & hoc anno consecratum apud Tarraconam quinto Idus Augusti, & consecrationem ejus peregisse Bernardum Archiepiscopum Tarraconensem, Guillelmum Episcopum Barcinonensem, aliosque Episcopos in eo Catalogo memoratos; quod iterat Baluzius ad annum MCLI. Gaufredum excepit *Raimundus*, ad quem extat Epistola Hadriani IV Tusculi data qua confirmat venditionem Insulæ Esparueriæ prope Valentiam eidem factæ ab Odone Episcopo Valentino, anno millesimo centesimo quinquagesimo octavo. Hujus insulæ venditionis mentionem faciunt San-Marthani in Abbatibus Sancti Rufi, Columbius in Episcopis Valentinis, & Chorierus in Historia Delphinatus lib. 2. § XI. *Esparueria* insula dicitur, quia per fontanos rivos à reliquo agro distinguitur, quà Rhodanus non alluit. Raimundus Abbas magnificum monasterium in ea construxit, & postea Canonicis Regularibus prope Avenionem habitantibus persuasit, ut in eam insulam Sedem Abbatialem transferrent. Ibi permansit usque ad annum MDLXII, quo ardentibus bellis civilibus omnia ædificia eversa, & Sedes Ordinis translata in Priotatum ejusdem Ordinis intra urbem Valentinam longè antea ædificatum. Quare ante Raimundum nullus Abbas San-Rufensis Valentiæ resedit. San-Marthani quidem translationem monasterii San-Rufensis in insulam Esparueriam anno MCCX factam scribunt; sed præterquam quod id gratis asserunt, longè verosimilius quod habet Chorierus citatus Raimundum qui *Esparueriam* insulam emit, primum Ordinis Abbatem fuisse, ex quo Sedes Abbatialis in diœcesim Valentinam translata fuit. Ad quam translationem cùm posteriores Scriptores animum non advertissent non rarò scripsêre, priores Sancti Rufi Abbates Valentiæ domicilium suum habuisse; cùm tamen id tam varia Instrumenta publica, quàm varii Auctores horum vel proximorum temporum falsum esse demonstrent.

XIII. *Gesta ab Alphonso VII contra Saracenos.*

In Hispania *Alphonsus Imperator* die XIII mensis Martii donationem fecit Monasterio Sancti Isidori Duegnacensi, in qua ait se hoc anno *Muzmides* ante Cordubam vicisse. Jam exeunte mense Januario fundaverat idem Imperator in finibus Castellæ monasterium *Herta*, seu Sanctæ Mariæ de *Cantavos* dictum, in gratiam Ordinis Cisterciensis, Chartâ à Manrico hoc anno cap. X recitata, in qua dicitur: *Facta charta in Calafurra III Kalend. Februarii, quando Sanctius filius Imperatoris accepit uxorem filiam Regis* (nempe Navarræ) *Garciæ; eodem anno, quò Imperator pugnavit cum illis Mazamutis super Cordubam, & devicit eos erâ MLXXXIX* (legendum, erâ MCLXXXIX), *imperante ipso Alphonso Imperatore Toleti, Legione, & in Gallæcia, Castellaque, in Nagera, Saragocia, Baezia, & Almaria, Comes Barcilonia, & Sanctius filius Regis Garcia tunc temporis vassalli Imperatoris.* Hoc etiam anno, ut referunt antiqua Documenta Toletana, Imperator erâ MCLXXXIX adversus *Giennam* movit, sed ante discessum conjunctim cum duobus suis filiis donationem quandam fecit monasterio *Sobradi* in Gallæcia, in qua dicitur, *quando Imperator ibat ad Jaen à VIII de Abril MCLXXXIX*, quam urbem tunc occupasse disco ex Continuatore Anonymo Pelagii Ovetensis manuscripto in Bibliotheca Mazarina, in quo de Alphonso legitur: *Multas civitates in forti manu & divino favore acquisivit, quarum nomina hæc sunt Baesia, Calatrava, Jaen, Cauria, Corduba, Almaria, & alias multas,*

tas, quas longum est dinumerare. Ceterum victoria illa de Muzmudis reportata alia non est, quàm ea de qua anno elapso à nobis actum; nam, ut observat Sandovalius in Alphonso VII fol. 202. Notarius in illa donatione, non ad eram MCLXXXIX respexit, sed ad diem relatæ de Muzmudis victoriæ; quam numerandi rationem quandoque in Actis publicis Hispani hoc tempore usurpabant.

XIV. *Almohades Mauritaniam Sitifensem aggrediuntur.*

Inter hæc *Abdelmumen* Almohadum Imperatur ingentem classem adornavit, & cum formidandis copiis *Septam*, oppidum aliàs Mauritaniæ Tingitanæ, nunc regni Fezzæ, anno Hegiræ DXLVI, quasi in Hispaniam trajiciendi ei animus esset, accessit; sed antequam in illa parte aliquid tentaret, *Africam* sibi subjicere decrevit, & in Orientem progrediens ingressus est Mauritaniam Sitifensem. Ibi regnabant posteri *Hammadi* è Ziridum familia orti, quorum ultimus fuit Alahzibilla pronepos Aunasati qui, Gregorio VII & Urbano II sedentibus, Christianis favit. Muzmudum & Almohadum exercitus viribus & numero Maurorum & Arabum nativorum exercitui longè præstabat, indeque Mauros valde afflixit.

XV. *Theodotus fit Patriarcha Constantinopolitanus.*

Nicolaus III *Musalo* cognominatus, quem Manuel Imperator ad thronum Ecclesiæ Cpolitanæ evexerat, ut res administrare cœpit, *omnium statim ora in eum commota sunt, injustè occupatum ab illo thronum clamitantium, ut qui cum Ecclesia, quam nactus fuerat, Sacerdotium quoque deposuisset. Sed is obstinatus primò, throno se deturbari haud quaquam passus: ubi autem re ad Imperatoris examen delata, malè sibi cessurum agnovit, judicium nolens denuò experiri, abdicata ultrò dignitate, ad vitam rursùs privatam redit. Theodotus ei sufficitur, vir Monachicis institutis apprimè instructus*, inquit Cinnamus lib. 2. num. 18. Nicolai Musalonis à Baronio prætermissi meminit etiam Theodorus Balsamon in Epist. Basil. ad Amphilochium cap. 69. & in Catalogo Episcoporum Byzantii dicitur exegisse in Patriarchatu *annos tres & menses quatuor*. Quare cùm anno MCXLVII, die XXVI mensis Decembris Episcopus Constantinop. renunciatus fuerit, *Theodotus* Monachus ei circa mẽsis Aprilis successit. Onuphrius in Chron. Nicolai depositionem & Theodoti initium anno suo reddidit; sed quia antequam Joannes Leunclavius Jus Græco-Romanum in lucem emitteret, è vita migravit, & nactus erat codicem Catalogi Episcoporum Byzantii parum in aliquibus correctum, loco *Theodoti* posuit *Theodosium* manifestu errore, ut liquet ex Cinnamo citato, sed qui Librario attribuendus videtur.

Anno Eræ Hisp. MCXC. Anno Hegiræ DXLVII. inchoato die 8. April. fer. 3.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6645.

☉ 13. F E. ☽ 13. P. 30. Mart. Indict. 15.

JESU CHRISTI 1152.

EUGENII III PAPÆ 8.

FREDERICI ÆNOBARBI REG. 1.

MANUELIS COMNENI IMP. 10.

I. *Pax Eugenium inter & Romanos facta.*

AD num. I. & seq. *Eugenius Papa*, ut scribit Robertus de Monte vulgatus ad annum MCLII, *cum Romanis pace facta Urbem ingreditur, ibique cum eis hoc anno primitus commoratur*; antea enim subinde illuc profectus fuerat, sed postea discesserat. De die tamen ejus Romam adventûs non consentiunt Chronologi; Anonymus Casinensis ad annum MCLI, qui nobis est MCLII: *Eugenius Papa cum Romanis pacificans Romam reversus est V Idus Octob.* Joannes verò de Ceccano in Chron. *Eugenius Papa reversus est Romam VIII Idus Septembris.* Sic completa Hildegardis prophetia, quæ pacem Eugenio, sed sub finem Pontificatus antea prædixerat.

II. *S. Bernardus diversis temporibus scripsit libros de Consideratione.*

Loquitur hoc anno Baronius de quinque libris *de Consideratione* ad Eugenium Papam à divo Bernardo elucubratis, quæ inter ejus Opera præstant, sed sanctus Doctor non eos uno tenore absolvit, ut putavit Baronius, verum diversis intervallis scriptos ad Eugenium transmisit, uti observat Mabillonius in Præfatione ad Tomum II Operum sancti Bernardi. Et *primum* quidem anno MCXLIX edidit, cum Nicolaus Claraevallensis Monachus ejusdem S. Bernardi Notarius, ante suam discessionem scribens Petro Venerabili dicat: *mitto vobis librum domni Abbatis Claraevallis ad Dominum Papam* quæ Epistola septima est lib. VI; Nicolaus autem paulò pòst recessit à sancto Doctore, uti suo loco diximus. Præterea Bernardus *secundum librum* direxit *Eugenio* anno MCL post infelicem expeditionis Hierosolymitanæ exitum, de quo ab ipso libri exordio apologiam præmittit. *Tertium* hoc anno post obitum *Hugonis* Autisiodorensis scripsit; cap. enim 2. num. XI de eo loquens inquit, *defuncto sancto Episcopo*; quem quidem librum num. XX declarat à se editum anno quarto à Concilio Remensi. Ejus verba Baronius citat. Denique *quartum & quintum librum* paulò pòst, si non cum tertio, absolvit.

III. *Moritur Conradus Rex Germaniæ.*

A num. III ad X. *Conradus* Germaniæ Rex, qui vulgo Imperator dictus fuit, licet coronam imperialem non acceperit, ejus tempore Italiâ, ipsâque Româ bellis civilibus turbatâ, hoc anno Bambergæ *anno regni sui XIV* mortalitatem explevit, idque *XV Kalendas Martii*, ut Dodechinus Abbas, aliique notarunt. Cùm decumberet de futuro successore cum imperii Principibus deliberans, præterito filio suo Friderico, suasit, ut *Fridericum* fratris filium virum industrium, & ad regendum Imperium Romanum aptissimum eligerent, quod & factum est; nam die quarta Martii Francofurti electus, die nona ejusdem mensis, quæ in Dominicam cadebat, coronatus est, dictus *Ænobarbus*, sive *Barbarossa* à barba rufa. Ex ejus electione numerus septenarius Electorum sacri Imperii à Gregorio V institutus commentitius ostenditur; cùm Guntherus clarissimus Poëta hujus temporis, *Ligurinus* dictus, in suo Opere de Rebus gestis Friderici primi Aug. lib. 1. de ejus electione scribat:

Acturi sacræ de successore coronæ
Conveniunt Proceres, totius viscera regni;
Sede satis nota, rapido quæ proxima Mogo, &c.

Ubi describit Francofurtum, seu Franconefurtum, qua in urbe Imperii Proceres *Conrado* demortuo convenère.

IV. *Concordia inter Eugenium III & Fridericum Conradi successorem.*

Fridericus peractis omnibus, *vocatisque prudentioribus, seu majoribus ex numero Principum, de statu Republica consultans Legatos ad Romanum Pontificem Eugenium, Urbem ac totam Italiam*

SÆC. XII. An. C. 1152.

tiam destinandos disponit, de promotione sua in regnum significaturos. Mittuntur itaque Hillinus Treverensis Electus, & Everhardus Bambergensis Episcopus, viri prudentes & literati, inquit Otto Frising. frater uterinus Conradi lib. 2. Frideric. cap. 4. Hi cùm ad Eugenium profecti fuissent, sex viros designavit, qui concordiæ capitula sancirent; quinque selecti ex collegio Cardinalium, Gregorius, Humbaldus, Bernardus, Octavianus, Rolandus, & unus ex Abbatibus Cistercii, nempe Bruno de Caravalle, vulgò Clara-Valle, quæ est insignis Abbatia Ordinis Cisterciensis prope Mediolanum, de qua suo loco egimus. *Fridericus* quinque tantum pro se deputavit, duos Episcopos, Hamburgensem, & Constantiensem, ac tres Comites. Baronius conventionis Diploma inter Eugenium & Fridericum profert ex Bibliotheca Vaticana num. V, sed ubi in ea legitur, *mediantibus Gregorio, &c. & Brunone Abbate de Claravalle ex parte Domini Papa*, in margine pro *Brunone* reponit *Bernardum*, quasi sanctus Bernardus additus fuerit quinque Cardinalibus pro Eugenio tractaturus.

V. *Turbatur.*

Verùm, ut rectè vidit Manricus hoc anno cap. 1. num. VII hic congressus non in Italia, aut in Germania habitus, quò tamen *sanctus Bernardus* hoc anno non adiit, fractus jam viribus, & vix intra Alpes valens peregrinari, nedum transire. Et aliunde constat, *Brunonem* fuisse Abbatem Claravallensem, seu melius Caravallensem ad Mediolanum, qui citra Alpes in Italia degens, facile aut interesse aut mitti potuit, capitulis paciscendis interfuturus. Extat Bernardi Epistola ordine CCLXXXI *ad Brunonem Abbatem Caravallensem* incerto anno data. Sed concordia tunc inita paulò pòst turbata fuit, ut enim refert Baronius num. VII ex Ottone Frisingensi lib. 2. Frideric. cap. 6. cùm Ecclesia Magdeburgensis Pastore suo viduata fuisset, & Electores inter se non convenirent, Regem adiêre, qui ut partes in concordiam adduceret, eis proposuit *Guicmannum* Cicensem Episcopum, eique Regalia ejusdem Ecclesiæ concessit. Verùm Eugenius quidquid de hoc jure esset, certum habebat non esse in facultate alicujus Regis aut Imperatoris, à sede ad sedem absque causa, Sede Apostolica inconsulta, Episcopum transferre, ut ibidem Baronius inquit.

VI. *S. Henricus Imp. canonizatur.*

Baronius num. III refert hæc verba Ottonis Frisingensis de sepultura Conradi Regis loquentis: *In Ecclesia Babergensi juxta tumulum Imperatoris Henrici ejus loci fundatoris, qui nuper auctoritate Romanæ Ecclesiæ in loca sancta levatus, pro Sancto habetur, Regio cultu eum sepelivit. Erant tum in Germania apud Conradum duo Legati Cardinales Jordanus & Octavianus, quos nuper idem Conradus exceperat.* Sed ex his verbis tantum colligitur, sanctum Henricum à paucis annis in Sanctorum numerum relatum fuisse; nec certus canonizationis annus ex literis canonizationis à Baronio num. IV recitatis erui potest, cùm in iis tantum legatur: *Datum trans Tiberim secundo Idus Martii.*

VII. *Obitus Rogerii Regis.*

Ad num. X. *Rogerium* Siciliæ & Neapolis Regem, cujus mortem Baronius huic anno affixit, vitam usque ad annum MCLIV propagasse, extra controversiam imposterum esse debere ex ibi dicendis constabit.

VIII. *Floret Theophanes Ceramens Episcop. Tauromenitanus.*

Eo regnante floruit in Sicilia *Theophanes* Cerameus Tauromenii in ea insula Episcopus, cujus homilias plures Franciscus Scorsus Societatis Jesu Theologus è lingua Græca in Latinam vertit, & cum annotationibus suis Parisiis anno MDCXLIV publicavit. Is quidem putavit eum vixisse sub Leone Imperatore Basilii filio, nono scilicet seculo, dum adhuc Græcis *Tauromenium* cum Sicilia pareret. Verùm Leo Allatius in Diatriba de Simeonum Scriptis pag. 61. & seqq. solide eam opinionem confutavit. In Homilia dicta die Dominico Palmarum hæc inscriptio ἐλέχθη δὲ ἐνώπιον τοῦ Ῥηγὸς Ῥογερίου, id est, *dicta est præsente Rege Rogerio*, quamvis à duobus codicibus Gallicanis absit, recipitur tamen ab innumeris MSS. tanquam antiqua & genuina, licet in aliquibus ita descripta sit, ut nomen Rogerii per compendium signet: namque exprimitur in linea ῥογ, supra Lineolam expansam apertissimè *u* agnoscitur, quod indicat inter primas litteras in linea & alias supra in spatio medio aliquid deesse, ideoque facili negotio suppleri, si extentè Ῥογερίου nomen proferas: nam si ῥόγα enuncias, miram scriptoris ineptiam deprehendes, qui nullo fructu, & nullo litterarum fœnore nomen illud ea ratione decurtavit, quod poterat faciliùs eâdem lineâ integrum exprimere. Tum enim nomina ita decurtantur, ut litteræ alias in linea pari exprimendæ, quodammodo interceptæ in indice superioris lineolæ, & litterarum integræ habeantur: quod fit à Scriptoribus vel cum inopia papyri urget, vel tempus breve moras sollicitat: sæpius etiam ad scripturæ concinnitatem & elegantiam, & potissimum Græcæ, quæ similibus litterarum tractibus, & decurtatis syllabis venustatur.

IX. *Refelluntur qui eum seculo IX vixisse volunt.*

Scorsus laudatus titulum Homiliæ memoratæ corruptum esse suspicatur, & non convenire cum iis, quæ in ea dicuntur; ibi enim *Rogerius* Βασιλεὺς appellatur, seu *Imperator*, quod nomen Rogerio convenire non potuit, cùm solum Imperatores à Michaelis III temporibus usque ad Concilium Florentinum trecentis post Rogerium annis celebratum eo appellentur, censetque eam Homiliam non in Sicilia, sed in aula Constantinopolitana habitam; & cùm eo die Imperatores olim ac Patriarchæ ῥόγας, hoc est munera & dona distribuerent, reponit ἐλέχθη δὲ ἐν τῇ ῥόγᾳ, re ipsa & distributione munerum pro conventu consessuque sumpta, quod ab ignorantibus quid sibi velint illa verba, & hariolantibus nomen illud esse concisè scriptum pro Ῥογερίου, & titulum ipsum τοῦ ῥηγὸς additum. At subtilis ista Rogerii in ῥόγῃ vel ῥόγας immutatio minimè admittenda; cùm hoc ipso *Rogerii* tempore ferè per universam Siciliam & urbes illius præcipuas Græcos Episcopos à Patriarchis Constantinopolitanis ordinatos jurisdictionem & potestatem in eos populos exercuisse ostendat Allatius ex Auctore illius ævi Nilo Doxopatrio; qui de quinque thronis Patriarchalibus rogatus à Rogerio ad eum scripsit, dixitque in Præfatione: *Commentarius concinnatus à Nilo Doxopatrio Archimandrita, jussu nobilissimi magni Regis Rogerii de quinque Patriarchalibus Thronis, & illis subjectis Archiepiscopatibus, & Metropolitatibus, & qui Metropolitatibus subdantur, Episcopis & diœcesibus uniuscujusque sedis Patriarchalis. Quare frustra Scorsus scribit*, Rogerii ævo nullum fuisse Tauromenitanum Episcopum, cùm perspicuum sit tunc in Sicilia

in

SÆC. XII. An. C. 1151. in aliis Sedibus Episcopos fuisse. Si enim tunc nulli Episcopi Græci in Sicilia extitissent, frustra de quinque Patriarchalibus Thronis, & eorum subiectis Episcopis Rex ille quæsivisset. Et revera *Nilus* inter viginti & unum Episcopos subjectos Syracusano Metropolitæ secundo loco ponit Tauromenitanum.

X. *Rogerius Rex honorum cupidus fuit.* Theophanes autem *Rogerium Regem* præter Græcorum morem appellavit, quia is honorum similium ac dignitatum per quam cupidus fuit, nomenque *Imperatoris* summopere captavit. Cinnamus enim lib. 3. Hist. pag. 53. refert, Legatis Constantinopolim missis, petiisse à *Joanne* primùm, & postea à *Manuele* Imperatoribus ex Imperatorio genere mulierem, quam filio suo locaret: *Hinc Basilius quidam cognomento Xerus Siciliam venit de his cum Rogerio tractaturus: sed auro à Rogerio seductus, absurda quædam ex se, atque immania concedebat, quorum caput erat in pari dignitatis gradu imposterum cum Imperatore Rogerium futurum. Hinc ingentia bella exorta sunt.* Hinc quantum fieri debeat correctio illa de ῥῆγα & ῥῆγας prudens lector judicet, inquit Allatius. Porro Rocchus Pyrrhus Episcoporum Siculorum Catalogum texens Græcos non memoravit, vel quia ordinarios non existimavit, vel quia pauci ei occurrerunt, cùm tamen dubitandum non sit, quin fuerint in magno numero. Combefisius in recensione Auctorum à se in Bibliotheca Patrum Concionatoria memoratorum disserit *de Homiliis Gregorii Cerames*, & Theophanis Cerami Tauromenitanorum Episcoporum in Bibliotheca Regia asservatis, neque ab Scorso neque ab Allatio visis.

XI. *Floret Potho Presbyter.* *Potho* Presbyter Prumiensis hoc anno inchoavit Opus *de Domo Dei* in quinque libros divisum, ut videre est apud Baronium.

XII. *Concilium Hibernicum.* Jam *Joannes Paparo* Cardinalis Legatus prosperè in Hiberniam trajecerat, & Lesmoricensi Episcopo Christiano, qui & Legatum agebat illius insulæ, mandante Eugenio se se conjunxerat; hoc verò anno, ut maturiùs religionis negotiis consulerent, Concilium Provinciale indixêre, cui Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, imò Reges insulæ, Duces, Baronesque interessent; illi nimirum, ut jura & leges darent, hi, ut susciperent: utrique, ut convenientias rerum discuterent, & altius providerent, ac mutuis auxiliis expeditiùs exequerentur. Locus Concilii designatus *Mellifons* fuit, Cisterciense cœnobium perillustre. De hoc Concilio in Collectione Labbeana omisso, in Anonymo Autissiodorensi antiquo ad hunc annum legitur: *Joannes Paparo Cardinalis ab Eugenio III Pontifice Romano missus, cum Christiano Episcopo Lismoriensi* (hic Cisterciensis fuit) *totius Hibernia Legato, in Hiberniam venit. Idem Christianus in Mells sive Mellifontis monasterio Cisterciensi, Concilium celebravit, cui interfuerunt Episcopi, Abbates, Reges, Duces, & majores natu Hiberniæ, quorum consensu Archiepiscopatus constituti sunt quatuor, Armachanus, Dublinensis, Caselensis, Tuamensis: quibus præfuerunt eo tempore Gelasius, Gregorius, Donatus, Edanus.* Plura de eorum Metropolitanorum institutione Manricus hoc anno cap. V. Sic Malachias quod vivens non potuit, mortuus per suos perfecit, idque cum fœnore, quia duo tantum Pallia Hiberniæ dum viveret concupierat, & post obitum quatuor impetravit. Pallia illa anno præcedenti missa fuerant, ut ibidem diximus.

SÆC. XII. An. C. 1152. XIII. *Floret Eskyllus Daniæ Primas & Legatus.* Hoc tempore *Eskyllus* Lundensis Archiepiscopus, Danorum Primas & Apostolicæ Sedis per totam Daniam Legatus, seu tædio gentis duræ & pervicacis, se deponendi honoris, simul & oneris, quod secretum divo Bernardo revelarat, seu tandem charitate in virum Dei, quem supra cunctos mortales venerabatur, Claramvallem venit. Eskylli adventum ad Claramvallem Godefridus Bernardi Notarius, qui præsens fuit, his verbis describit lib. 4. ejus Vitæ cap. 4. *Sanctum Bernardum Claravallis Abbatem Reverendissimum, licet longiùs à se remotum, unico venerabatur affectu, unicaque devotione colebat. Nec contentus est in filiis eum videre, cùm novum cœnobium extruxisset, & impetrasset ab eo desideratum sacræ Congregationis examen, prævaluit apud eum desiderium vehemens, ut homo tantæ auctoritatis & in insulis illis, tam Ecclesiastica, quàm seculari auctoritate singulariter potens, expositis suis omnibus, etiam semetipsum periculis multis traderet & labori.* Hæc verba exscripsit ex Godefrido Auctor Magni Exordii lib. 3. cap. 25. Voluisset Eskyllus relicto Episcopatu in Claravalle privatam vitam agere; sed Bernardus, qui Paganos adhuc in Dania superesse sciebat, eumque eis convertendis sedulum insistere, censuit ad propria redire debere. Quam profectionem hoc circiter tempore contigisse indicat idem Auctor Anonymus, qui de ea verba facit paulò antequam Sancti Bernardi mortem memoret. *Eskyllus*, uti narrat Godefridus citatus, duo monasteria Ordinis Cisterciensis fundavit in Dania, alterum in Diœcesi Lundensi, alterum in Roskildensi, ejusque rogatu Petrus Cellensis Cartusienses in Daniam direxit, ut liquet ex lib. I. Epist. XXIII, ubi Eskyllum laudat, quod *non solum in herbam, sed in spicas Cisterciensis sive Claravallis Ordo ibi multiplicatione Fratrum excrevit, nihilominus & Religio Præmonstratensis.* Epistola Divi Bernardi CCCXC scripta est *ad Eskylum Lundensem Archiepiscopum, Sedis Apostolicæ in Dacia & Suecia Legatum*, in eaque Bernardus summum suum ei amorem testatur. Eskyllus post aliquot annos Claramvallem ingressus est, ut suo loco dicemus.

XIV. *Moritur Theobaldus Campaniæ Comes.* Licet obitum *Theobaldi* hujus nominis IV Campaniæ, Carnoti & Blesarum Comitis Vincentius Bellovacensis lib. 28. cap. 127. & Robertus de Monte vulgatus in Chron. quos plures recentiores secuti sunt, anno præcedenti affigant, cum tamen ad præsentem retrahendum esse Auctores coævi, aliique testantur. Continuator enim Chronici Sancti Petri Vivi, Joannes Hagustaldensis in Continuatione Simeonis Dunelmensis, correcto tamen ejus prochronismo, Chronographi tres Tom. I Bibliotb. Labbei recitati, nempe Catalaunensis, Vezeliacensis, & Auctor brevis Appendicis ad Sigeberti Chronicon ab anno MCXIII ad MCLXII, Albericus in Chron. aliique *Theobaldi* mortem hoc anno consignant. Elinandus in Chron. eum *VI Idus Januarii* vita functum dicit, & Chiffletius in Asserto genere illustri Sancti Bernardi pag. 539. exhibet Necrologium Sancti Eugendi Jurensis, in quo *V Idus Januarii Theobaldus* Comes Blesensis obiisse dicitur. Denique Magister Simeon cognomento *Capra aurea* Canonicus Sancti Victoris Parisiensis ejus Epitaphium precibus Comitis Henrici Theobaldi

filii versibus composuit, ibidem à Chiffletio pag. 93. recitatum, in quo dicitur:

Ergo dies decimus Jani, fuit ultimus illi.

Ex quibus inter se collatis habemus, *Theobaldum* nocte inter diem octavum & nonum Januarii è vivis abiisse, & die decima ejusdem mensis sepulturæ mandatum, & quidem in monasterio Latiniacensi Ordinis Sancti Benedicti ad Matronam fluvium, cujus fuit Advocatus, ut tradit Elinandus laudatus, & ubi tumulus ipsius porphyrogeticus etiamnum visitur, vel forsàn in monasterio Pontiniacensi, ut aliqui Antiqui scripsêre. Nangius in Chron. ad annum MCLI dicit, eum sepultum Liuriaco, sed errore Librarii, qui *Latiniacum* in *Luriacum* insulsè mutavit.

XV. *Ejus filii & virtutes.* Præter filias sex, ex quibus *Adela* Francorum Regina fuit, Theobaldus quatuor filios habuit, *Henricum Comitem Trecensem Palatinum, Largitate & liberalitate famosum, Theobaldum Comitem Blesensem & Carnoti, Stephanum Comitem de Sancerra, & Guillelmum Archiepiscopum Senonensem, & postea Remensem*, inquit Albericus citatus. Sed præstat audire Genuinum Robertum de Monte, cujus tamen unius anni Prochronismus per hæc tempora unius unitatis additione corrigendus; is enim non solum annum ejus emortualem, sed etiam familiam & virtutes paucis perstringit: *MCLI obiit venerabilis Comes Theobaldus Blesensis, nepos Henrici Regis* (nempe Angliæ) *& frater Stephani Anglorum Regis, Princeps magnæ sanctitatis & integritatis in pauperes. Huic successerunt tres filii sui, Henricus primogenitus habuit Comitatum Tricassinum & Campanensem, & quidquid pater ejus habebat trans Sequanam; Theobaldus filius secundus Comitatum Carnotensem, Blesensem, Pagum Dunensem* (ita vocatur ager castelli Duni seu castri Dunensis, vulgò *le Dunois*; est autem castellum Dunum locus in Carnutino agro ad flumen Lidericum, ut videre est apud Hadrianum Valesium in Not. Gall.) *Stephanus tertius filius honorem Sanceris in pago Bituricensi* (Sincerium seu Sancerium, vulgò *Sancerre*, nobile est oppidum in Biturigibus Comitatûs titulo vetere illustre, quod & *Sacrum Cæsaris* appellatur, ut apud eumdem in voce *Sacrum Cæsaris* dicitur). *Eodem anno obiit Conradus Imperator Romanus.* Ex quibus & intelligis, *Conradum* Germaniæ Regem, licet nunquam Romæ coronatus fuerit, vulgo Imperatorem appellatum, & ejus ac Theobaldi mortem in unum & eumdem annum incidisse.

XVI. *Victoria Almohadum in Africa.* *Hoc anno Abdelmumen* Imperator Maurorum Africæ & Hispaniæ *Bugiam* expugnavit, quæ caput erat Hammamidum, aliàs ab *Annusero* Rege conditam, Anonymus Casinensis, qui unius anni Prochronismo peccat, juxta pravam suam methodum Eugenii Papæ mortem cum anno MCLII conjungit; *Bugiæ* autem expugnatio juxta eundem anno uno eam præcessit. *Naassamonites*, inquit Anonymus Casinensis ad annum MCLI, qui alibi eos Maxemutes appellat, *gens Mauritaniæ Regem suum ejusdem Provinciæ* (nempe Isac) *laqueo suspenderunt* (nempe ante triennium). *Deinde iter agentes nobilissimam urbem Buceam* (seu Bugiam), *& multas alias civitates* ceperunt. Sanhagiani bellicosi Africæ populi cum aliis Mauris confœderati formidandum exercitum conflarunt, ut victoris Principis impetus retardarent, sed in decretorio prælio fusi fugatique, & *Caluat Hammat* Sedes Regia Hammamidum eversa, destructaque, uti Nowerius fusè narrat.

XVII. *Alphonsus Imperator Ricæ nubit.* In Hispania verò *Alphonsus Imperator* duobus suis filiis, *Sanctio* nempe & *Fernando* jam Regibus designatis, illo Castellæ, & isto Legionis, Sanctium Vallisoleti, militem declaravit, uti refert Sandovalius in Alphonso VII fol.203. Quod eruit è variis privilegiis tunc ab eo concessis. Quinto die Martii unum largitus est monasterio Sancti Facundi, in quo nulla Imperatricis nempe Ricæ, mentio facta, quia nondum in Hispaniam advenerat, data Charta Erâ MCXC *in Valledeolit, quando ibi Rex Sanctius filius Imperatoris fuit armatus, eodem anno quo Imperator tenuit circumdatum Jaen*, anno nempe numerato à die, quo urbs obsideri cœpta. Refert Sandovalius actum esse hoc anno de matrimonio Alphonsi Imp. uxore orbati cum *Rica* seu *Riquilda* filia Uladislai Poloniæ Ducis. Hæc tamen in Hispaniam die tantum XXI mensis Decembris Erâ MCXC, Christi scilicet præsenti venit, ut Chartæ à Sandovalio relatæ demonstrant.

XVIII. *Floret Algerus Monachus.* Ad hunc circiter annum pervenit *Algerus*, primùm Leodiensis Canonicus, indeque spreto sæculo Cluniacensis Monachus, quo nemo melius, clariùs & eloquentiùs materiam de Eucharistia tractavit. Mabillonius Tom.I Analect. pag.303. Pollicetur se aliquando Tractatum ejus *de Misericordia & Justitia* in lucem emissurum. Nicolaus enim Leodiensis Canonicus Algero æqualis in ejus elogio ait, eum inter cetera ingenii sui monimenta, in Clericatu adhuc positum Tractatus duos edidisse, cui primum titulum fecit *de Misericordia & Justitia*, aliumque *tanto nobiliorem*, inquit *Nicolaus*, *quanto sublimiorem, utpote de re mirifica & necessaria, de sacramento scilicet Corporis & Sanguinis Domini, de quo varii errores, variæque proveniebant hæreses.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6646.

☉ 14. D. ☽ 14. P. 19. April. Indict. 1.

JESU CHRISTI 1153.

ANASTASII IV PAPÆ 1.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 2.

MANUELIS COMNENI IMP. 11.

Anno Æræ Hisp. MCXCI. Anno Hegiræ DXLVIII, inchoato die 28 Martii fer. 7.

I. *Henricus Archiep. Moguntinus deponitur.* ANNUM. I ad X. Decreta est Legatio ab Eugenio Papa in Germaniam ad judicandum *Henricum* Archiepiscopum Moguntinum, *virum pro distractione Ecclesiæ frequenter correptum, nec correctum*, inquit Otto Frising. in Friderico lib. 2. cap. 9. Qui subdit, Bernardum Presbyterum & Gregorium Diaconum Cardinales Legatos deputatos eum deposuisse, & *Arnoldum* Cancellarium Friderici Regis in ejus locum subrogatum. Justè an injustè hæc depositio facta fuerit, diversa est diversorum assertio; Otto noxium asserit, & Sanctus Bernardus ejus simplicitatem excusandam censet; Conradus verò Episcopus Moguntinus, qui post annos centum Chronicon Moguntiacum scripsit, omnem culpam rejicit in *Arnoldum* ejusdem Archiepiscopi proditorem, atque in Legatos

Apostolicæ

Apostolicæ Sedis pecuniâ corruptos. *Post annum ferè & dimidium venerabilis Henricus Præsul defunctus, Deo ad quem appellaverat, totum processum lachrymabiliter assignavit*, subdit Chronographus, qui ait se referre rem omnibus illius seculi notissimam, Sed Baronius Conradi narrationem suspectam, falsamque habet, ut apud ipsum videre est.

II. *Moritur Eugenius III PP.*

Ad num. X & seq. Baronius refert mortem *Eugenii* III ex veteri Codice Biblioth. Vatic. in quo legitur: *Defunctus est apud Tibur. die octava Julii, & inde per stratam publicam, & mediam Urbem atque in Vaticanum cum totius Cleri & populi Romani frequentissima turba, maximo luctu, communique omnium immensa tristitia deportatus est, & in ipsa B. Petri Ecclesia coram majori Altari tumulatus.* Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium exhibet Epistolam Hugonis Episcopi Ostiensis ex MS. Morimundensi descriptam, qua mortem Eugenii III Abbatibus & Capitulo Cisterciensi significavit, in qua ait: *Pater noster ac defensor felicis memoriæ Papa Eugenius, trabea carnis exutus, octavo Idus Julii, carne immaculatus migravit ad Christum .... Cujus exequiæ præter spem omnium (jam enim ferè Senatum annihilaverat) præter morem consuetum, ita per biduum sunt à Clero & populo celebratæ, ut jam crederetur regnantem in cœlis, qui mortuus in terris colebatur.* Sed cùm Joannes Ceccanus in Chron. dicat, eum mortuum Tiburi *Nonis Julii*, seu die Septima mensis Julii, apparet Eugenii obitum contigisse nocte interjecta inter Nonas Julii & VIII Idus ejusdem mensis, seu inter diem VII & VIII Julii, indeque Ceccanum eum priori diei, Hugonem verò Episcopum Ostiensem posteriori affixisse, & exequias actas diebus VIII & IX Julii. Romanus Canonicus S.Petri, qui ait: *Recondidimus venerabile corpus B. Eugenii Papæ III octavo Idus Julii, & fecimus ei sepulchrum ex diversis lapidibus*, indicat corpus Eugenii post aliquot secula die ejus emortuali fuisse translatum.

III. *Sedis ejus duratio.*

Pontificatum inierat *Eugenius* die vicesima septima mensis Februarii anni MCXLV, quare sedit annos octo, menses quatuor, & dies aliquot, de quibus solis controversia esse potest. Urspergensis & Parisius habent dies viginti unum; Ceccanus laudatus, Vernerus, Trithemius, Martinus Polonus & Auctor Magni Chronici Belgici dies viginti; Viterbiensis verò dies decem; & quidem rectè; cùm dies ejus mortis certus sit; ideoque sedit *annos VIII, menses IV, dies X*, excluso die septimo Julii, in cujus nocte obiit, vel dies undecim eo incluso. Ceccanus Vernerus, Trithemius, Martinus Polonus & Auctor Magni Chronici Belgici scripserant *dies X*, Urspergensis verò & Parisius *dies XI*, sed Librarii utrobique numerum denarium geminarunt. Baronius, qui biduo *Eugenii* electionem anticipavit, non potuit ei non assignare dies XIII supra annos & menses, nec Papebrocius in Conatu Chron-Hist. minus quàm dies XXV; quia Lucii II Eugenii decessoris mortem citiùs, quàm par erat, collocavit.

IV. *Miraculis clarus fuit.*

Eugenius III statim à morte miraculis refulsit. Chrysostomus Henriquez in suo Fasciculo parvum Tractatum *de miraculis Eugenii* ex Codice MS. vulgavit Auctore Anonimo, sed oculari & synchrono, qui miracula septem ad sepulturam ejus patrata notavit, præfixa semper ad Eugenii nomen appellatione *Beati*. Edidit etiam illum Pabebrocius in Conatu Chronico-Hist. ex antiquo Codice Monasterii Ursicampi in Picardia, & in Abbatia Ordinis Cisterciensis, cui titulus *Misericordia Dei*, in Diœcesi Pictaviensi sita, ubi illud exemplar MS. asservatur. In Præfatione Auctor indicat se eo tempore vixisse, & in miraculo VII se Officialem fuisse in Ecclesia Sancti Petri; loquens enim de quodam Romano *Stabili* appellato, qui Eugenii III intercessione sanitatem acceperat, ait: *Cum jaceret in choro nostro, apparuit ei Dominus Eugenius.* Denique Continuator Chronici Sancti Petri Vivi, qui hoc tempore vivebat, hoc anno ejus morte narrata, ait: *Miraculis gloriosis illius sepulchrum illustratum est.*

V. *Anastasius IV fit Papa.*

Post ejus mortem Sedes vacavit *dies duos*, ut habent Martinus Polonus, Auctor magni Chronici Belgici, Sigonius & Catalogus noster VIII; cumque per biduum corpus ejus expositum fuerit, sepulturæ traditum est die nona mensis Julii, seu VII Idus ejusdem mensis; & Hugo Cardinalis laudatus per diem octavum Iduum Juliarum diem ejus mortis, non verò diem ejus sepulturæ intellexit; Auctor verò antiqui Chronici Normanniæ pag. 988. qui ait, *mense Julio, VII Idus ejusdem mensis* eum viam universæ carnis ingressum esse, diem sepulturæ intelligit, ideoque eodem quo Eugenius sepultus est die, *successit ei Conradus Sabinensis Episcopus, Apostolicæ Sedis in urbe duntaxat in agendis Episcopalibus, dum Papa deest, ex antiqua consuetudine, pro dignitate loci sui Vicarius, qui erat natione Romanus, vir grandævus, & apud Romanos auctoritate præclarus, exinde vocatus Anastasius IV*, inquit idem Chronographus, quod exscripsit ex Germano Roberto de Monte in Chronico à Dacherio edito, qui cum ipso tempore vixerit; manifestum est errasse Ciaconium, qui Anastasio IV ait eum Abbatem fuisse Sancti Rufi, & Aurelianensis diœcesis in Galliis. De ejus Abbatia mox disseremus.

VI. *Non fuit Abbas vel Monachus S. Rufi in Gallia.*

Platina de Vitis Pontif. scribit, *Anastasium* IV ante Pontificatum Abbatem fuisse Sancti Rufi Veliternæ diœcesis, quod & legitur in Supplem. Chronicorum, Thrithemio lib. 4. cap. 16. Hieronimo Plata de Bono statu religionis lib. 2. cap. 28. & Onuphrio in editione prima Chron. Ecclesiast. ubi de eo dicit, *Natione Italus, patriâ Romanus de regione Suburra, ex patre Benedicto, Monachus Ordinis Sancti Benedicti, Abbas Sancti Rufi Veliternæ diœceseos.* Onophrius tamen nulla mutatæ sententiæ ratione prolata, in secundâ editione in 4°. Venetiis anno MDLVII curata, eum quidem Romanum facit, sed subjungit, *Canonicus Regularis, & Abbas Sancti Rufi prope Valentiam in Galliis.* Verùm illud manifestè falsum, Abbatia enim Sancti Rufi caput Canonicorum Regularium sita erat in Provincia prope Avenionem, indeque nonnisi post hujus Pontificis mortem Valentiam translata. Quare quicumque literis mandarunt *Anastasium* IV ante Pontificatum extitisse Canonicum Regularem Monasterii Sancti Rufi in Gallia, vel ejusdem Abbatem, in errorem lapsi sunt.

VII. *Neque etiam Monachus Ordinis S. Benedicti.*

Difficultas itaque tantùm esse potest, an *Anastasius* IV Monachus fuerit Ordinis Sancti Benedicti, vel Abbas Sancti Rufi in Veliternensi diœcesi; sed utrumque falsum esse existimo; nullus enim ante Trithemium in Chron. Hirsaug. qui anno MDXVI è vivis excessit, eum Benedictinum fecit, quod & de Hadriano IV

ejus

SÆC. XII. An. C. 1153.

ejus successore etiam scripsit, cùm tamen hunc Abbatiæ Sancti Rufi in Gallia præsedisse extra omne dubium sit. Nec etiam dici potest, *Anastasium* IV, fuisse Abbatem Sancti Rufi io Veliternensi diœcesi; cum nullo certo monumento probari possit, extra Galliam fuisse aliquam Abbatiam Sancti Rufi titulo insignitam. Ordo enim Canonicorum Regularium medio circiter seculo undecimo juxta Avenionem fundatus, à quo varia Monasteria in Gallia, Hispania & Italiâ posita pendebant, quæ à Prioribus, non verò ab Abbatibus, regebantur. Post aliquot annos fundatæ eodem seculo aliquæ Abbatiæ Canonicorum Regularium, quarum aliquæ alia monasteria subjecta habebant, aliæ verò nulla. Si ergo in Veliterna diœcesi Monasterium Canonicorum Regularium extitit: quod negari non posse videtur, illud erat tantum Prioratus ab Abbatia Avenionensi pendens, qui postea ad Abbatiæ dignitatem evectus, vulgò à populo dici potuit *Abbatia Sancti Rufi.*

VIII. *Sed Canonicus Regularis, & Prior.*

"At, inquit Ughellus in Notis ad Ciaco-"nium, dum de *Conrado de Suburra* Cardinali "verba facit; Quod ex Veliternensi Sancti Ru-"fi exierit monasterio, tum antiqua monumen-"ta Veliternensia, vetustaque incolarum me-"moria, usque hodie & lapides etiam satis su-"perque declarant. Extat adhuc Velitris Sancti "Rufi Abbatia, quam postea Conventuales San-"cti Francisci obtinuerunt, & Sancti Francis-"ci titulo insigniverunt. Ita Ughellus cujus verba, mutilata tamen, exscripsit Oldoinus in Vita Anastasii IV. Verùm non negamus, *Conradum de Suburra*, in Pontificatu dictum *Anastasium* IV, exusse è Veliternensi Sancti Rufi monasterio, sed negamus illud propriè dictum fuisse Abbatiam Sancti Rufi, licet ad statum sæcularem redactum aliud nomen non tulerit. Inscriptiones, io quibus mentio Abbatiæ Sancti Rufi à posteris positæ, & verosimiliter eo tempore, quo jam Monachismus extinctus fuerat. Et norunt Viri docti hujusmodi inscriptiones sæpè à viris rei Historicæ & Chronologicæ imperitis compositas fuisse.

IX. *Obitus S. Bernardi.*

Ad num. XIII & seq. *Sanctus Bernardus* Claræallensis Abbas felicem animam Deo reddidit intra octavam Assumptionis Beatæ Virginis, ætatis suæ anno sexagesimo tertio, vigesima die mensis Augusti, cùm annos XL in Ordine, & in Præfectura Cœnobii Claræallis XXXVIII expletos peregisset. Ejus miracula, sepulturam, diversas ad diversos appaririones, monasteria fundata, scripta, filios, & alia hujusmodi apud Manricum in Annal. Cisterc. legenda. Epitaphium ejus composuit Adamus Canonicus Sancti Victoris Parisiensis, cujus aliqua opuscula adhuc inedita asservantur in Bibliotheca Victorina Parisiensi. Refert inter alia Manricus hoc anno cap. 3. *Laurentium* Conversum Claræallis, virum sanctissimum, in Siciliam à Philippo Priore missum Sede vacante, priusquam *Robertus* in locum Sancti Bernardi substitueretur, & cùm summa tristitia ob acceptam Rogerii Siciliæ Regis mortem afficeretur, sanctum Abbatem ei apparuisse, eique promisisse prospera cuncta evenrura, *post transitum B. Bernardi*, inquit Auctor Magni Exordii lib. 4. cap. 33. *contigit, ut isdem frater à Domino Philippo, venerabilis Claravallis Priore, ad Regem Siciliæ Rogerium mitteretur pro negotio ejusdem Ecclesiæ. Qui cùm Romam fuisset ingressus, comperto quod isdem Rex nuper mortuus fuisset, consternatus est animo, & recordatus Sancti Patris sui Bernardi, sub quo pro diversis negotiis frequenter missus, prosperè ibat & redibat: cum gemitu & lacrymis multis, conversus ad orationem, eumdem Sanctum Dei invocabat*, &c. Tandem ingressus ad Regem Siciliæ, *Rex apertis thesauris suis ad ædificationem novæ Ecclesiæ Clarevallis non modicam summam auri per eumdem fratrem magna devotione transmisit.* Quibus ex verbis intelligimus, Rogerium anno præcedenti, quod tamen multi cum Baronio sentiunt, mortuum non esse, sed hoc saltem anno superstitem fuisse. Neque enim potuit *Rogerii* mors vel Romæ vel Claræallis unum vel alterum annum ignorari.

X. *Obitus Davidis Scotiæ Regis.*

Joannes Prior Hagustaldensis, qui hoc anno Continuationem Historiæ Simeonis Dunelmensis absolvit, res in Anglia & Scotia gestas hoc modo narrat: *David Rex Scotiæ apud Karlel pressus infirmitate IX Kal. Junii obiit, cujus memoria per omnes generationes in benedictione est. Similis illius Princeps in diebus nostris non fuit; divinis devotus officiis, singulis diebus omnes Canonicas horas etiam vigilias defunctorum audire non prætermittens. Prædicabile quidem in eo, quod in spiritu consilii & fortitudinis barbaræ gentis suæ feritatem sapienter moderatus est: quod in abluendis pauperum pedibus frequens, alendisque eis & vestiendis misericors fuit: Quod Cœnobia Saltebon, Mailros, Neubothle, Holmcoltran, Jeddwersh, Crag, & hæc quidem cis mare Scotiæ sita, terris & redditibus ad sufficientiam locupletata ipse construxit; præterea quæ in Scotia, & in aliis locis bona operatus est. Qui etiam apud exteras nationes, peregrinos, Religiosos & seculares suis munificentiis donavit. Gloriosius dixerim, quod frugalitate quotidiana victus & vestitus, sanctitate honestæ conversationis, disciplina morum etiam viris cœnobialibus se imitabilem præbuit. Regnavit autem XXIX annis, corpusque ejus ad Dunfermelin delatum in sepulchro Regum Scotiæ sepultum est, ubi & sancta Margareta Regina mater ejus requiescit*, &c. *Tollens igitur omnis populus terræ Melcholmum filium Henrici Comitis filii ipsius David Regis* (demortui) *apud Scotiam, sicut consuetudo illius nationis est, puerum admodum duodennem constituerunt Regem pro David* "*avo suo. De quo veraciter dici potest*; Cùm se-"mine eorum permanent bona, hæreditas San-"cta nepotes eorum. *Northymbria verò subjecta fuit Willelmo fratri ejus.* Plura habet de Davide Aeltedus Abbas Rievallensis io Epistola ad Henricum Ducem & postmodum Anglorum Regem, edita à Seldeno in decem Scriptoribus Hist. Angl. *Malcolmus* verò quartus est hujus nominis inter Scotiæ Reges.

XI. *Bellum civile in Anglia extinctum.*

Pergit Joannes Prior Hagustaldensis; *Obiit Eustachius filius Regis* (Anglorum) *Stephani, & Henricus Episcopus Wintoniæ instantius promotiones Henrici Ducis excoluit. Quo mediante frater ejus Stephanus Rex & Henricus Dux* (nempe Normanniæ) *datis acceptisque sacramentis ab invicem convenerunt in fœdus sub vinculo pacis. Confirmatumque est inter eos, quod Henricus Dux* (Normanniæ) *negotia Regni* (nempe Angliæ) *disponeret, hæresque regni post Regem Stephanum haberetur, idemque Henrico Episcopo Wintoniæ, ut patri acquiesceret de causis agendis in regno. Qui & Willelmo filio Regis Stephani cum Comitatu de Waren conservavit ei, quæ ex*

hæreditario

hæreditario jure ei competebant, scilicet Comitatus duo in Anglia Principatum super negotia regni ei contraderet. Consenserunt in hoc omnes Principes regni, humiliatique sunt sub manu Regis Stephani, qui adversati sunt ei. Continuò exiit Edictum ab eis per omnes provincias violentias comprimi, direptiones interdici, milites conductitios & sagittarios exterarum nationum à regno ejici, munitionesque quas quisque in sua possessione post mortem Henrici Regis (Angliæ hujus nominis primi) *construxerat, dirui. Justitia ergo & pax ubique in regno revocata est.* Pax Theobaldi Cantuariensis Archiepiscopi, & Henrici Wintoniæ Episcopi operâ sancita, & toti Insulæ tot annos civili bello ardẽti reddita. Exinde Rex *Henricum* Ducẽ Londinium secum duxit, & concordia ante Natale Domini confirmata. *Werra, quæ XVII annis sævierat hoc fine quievit*, inquit Matth. Parisius.

XII. *Finis Historia Ioannis Prioris Hagustaldensis.* Ad hunc Christi annum Joannes Prior Hagustaldensis absolvit Historiam suam viginti quinque annorum, ab anno MCXXX inchoatam, sed uti anno MCXLI observavimus, ab eo Christi anno ad præsentem hic Historicus unius anni metachronismo semper peccat, indeque annus MCLIII illi est MCLIV, & ipse vel potius Librarius dicit eum composuisse Historiam XXV annorum; cum tamen ab anno MCXXX adcurrentem, utroque extremo numerata; sint tantum anni XXIV. Ceterum Auctor iste res suo tempore gestas narrat; neque mirum si aliquando in errorem labatur; cùm id non rarò aliis Scriptoribus æqualibus accidat; uti passim monuimus.

XIII. *Obitus Henrici de Murdac Archiep. Eborac.* *Henricus de Murdac* Eboracensis Archiepiscopus post Sedem annorum septem, Eugenio & Bernardo vita functis, vitam pariter cum morte commutavit, uti refert Guillelmus Neubrigensis Auctor æqualis lib. 1. cap. 26. *Tres viri memorabiles*, inquit, *& in vita sua amicissimi tempore illo decedentes, in morte quoque brevibus intervallis separati sunt, scilicet Eugenius Papa Romanus Bernardus Claravallis Abbas, & Henricus Eboracensis Archiepiscopus; è quibus Eugenio & Bernardo prius assumptis Henricus è vestigio secutus est. Vulgato autem duorum transitu* (sc. Eugenii & Bernardi) *tertio adhuc superstite* (sc. Henrici) *Guillelmus olim Eboracensis, qui Vintoniæ morabatur, spe recuperationis concepta (nam prior eum deposuerat, secundus, ut deponeretur egerat, tertius deposito successerat) Sedem Apostolicam celeriter adiit, judicium non accusans, misericordiam humiliter postulavit. Et ecce certus de transitu, ex Anglia Eboracensis Episcopi* (sc. Henrici) *nuntius superveniens, verecundissimas ejus* (nempe Guillelmi) *preces multum adjuvit.*

XIV. *Sanctus Guillelmus in Archiepiscopatum restitutus.* *Et quidem Dunelmensis Electus, qui prior illuc venerat, à Domino Papa* (nempe Anastasio IV, *solemniter consecratus: illius* (nempe Guillelmi), *qui posterior advenerat, pendente adhuc fortuna, discessit. Sed tandem prioris judicii rigore sublato Apostolicæ mansuetudinis clementiam expertus: miserante ejus canos Papa, cum Cardinalibus; & satagente circa ejus negotium maximè quodam Gregorio, magni nominis Cardinali, homine facundissimo, & profundissima astutia atque animi verè Romani. Itaque in integrum restitutus, & Pallio quod nunquam catenus impetrare potuerat, insignitus, sabbato sancto Wintoniam rediit*, anno nempe sequenti, ut ibi videbimus. Hæc Neubrigensis.

XV. *Siurana* *Raimundus Berengarius* bujus nominis IV Comes Barcinonensis & Aragonum Princeps totus erat in Mauris profligandis; Auctor enim de Gestis Comit. Barcinon. cap. XVII Ilerdæ & Fragæ expugnatione narrata; ait: *Post hæc Miravetum opinatissimum castrum anno Christi MCLIII, non dicam munitissimum castrum Siuranam, sed montana fortissima, & alia plurimum castra circa littus Iberi amnis à Tortosa usque Cæsaraugustam cepit, & Christi nomen usque ad trecentas, & eo amplius Ecclesias dilatavit.* Diagus lib. 2. Hist. Comit. Barcinon. cap. 162. de munitissimi castri Siuranæ dicti expugnatione agit, notatque eam contigisse die vicesima nona mensis Aprilis bujus Christi anni. Idem Auctor scribit *Raimundum Comitem* condidisse tunc celebre monasterium apud *Populetum* locum in Diœcesi Tarraconensi situm, in quod introducti sunt Monachi Cistercienses, & ubi postea sepultus est Idelphonsus Rex Aragonum, & ceteri fermè Reges, qui post eum fuêre, donec Aragoniæ Regnum Castellæ Regno accessit; Manricus hoc anno cap. XVIII notat, si attendatur dominium temporale, post Duces Cardonæ, immediatos Abbates Populeti, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, atque Episcopis etiam præferendos.

 Mauris eripitur à Raimundo Comite Barcinonensi.

XVI. *Victoria Rogerii Regis de Saracenis Africæ.* *Rogerius* verò Siciliæ Rex Saracenos in Africa persequens *per Amiralios suos cepit Tonitam* (seu Tunetum) *urbem maximam in Africa*, inquit verus Robertus de Monte ad annum MCLII, qui ideo tam hic quàm passim, sed non semper sequentibus annis unitate addita corrigendus. Anonymus verò Casinensis ad annum MCLII, cui etiam unitas addenda, scribit: *Rex Rogerius cepit civitatem, quæ quondam Hippone Regium vocabatur.* Hujus urbis, quæ *Bona* etiam appellata, expugnationis annus confirmatur ex Geographo Nubiensi pag. 88. ubi ait: *Fuit expugnata Bona anno DXLVIII*, nempe Hegiræ, die vicesima octava Martii inchoato. Pertinuerat hæc civitas ad Hammadides, iisque in ea regnantibus à pluribus Christianis Mozarabibus & Africanis naturalibus inhabitabatur. Idem Geographus pag. 90. addit, Rogerium cepisse insulam *Carconam* in mari ad Orientem ac prope Almahdiam sitam. *Capta autem fuit hæc insula à Rogerio anno DLVIII*, inquit idem Geographus, qui Hegiræ annos usurpat. Cùm ad hunc numerum hærerem, monuit Vir doctissimus, corrigendum esse errorem typographi, & loco *DLVIII*, legendum, ut textus Arabicus habet, *DXLVIII*. Quæ diligenter examinare visum, ut tandem constet, *Rogerium* Regem usque ad sequentem Christi annum vitam produxisse.

XVII. *Adventus Ricæ conjugis Alphonsi Imp. in Hispaniam.* *Alphonsus* Hispaniæ Imperator, qui exeunte anno superiori *Ricam* Ducis Poloniæ filiam uxorem sibi copulavit, nullum bellum suscepit. Sandovalius in Alphonso VII hujus Reginæ in Hispaniam adventum deducit ex donatione facta era MCXCI Monasterio Najarensi à quadam nobili fœmina Toda dicta, *anno quo Imperator accepit uxorem suam Ricam, regnante ipso Imperatore cum filio suo Rege Sancio, in tota Hispania.* Refert & aliam Chartam fol. 202. exeunte Aprili era MCXCI datam, in qua legitur, eam scriptam Alphonso Imperatore, & Regina Imperatrice Germana regnantibus, quia Poloni Germani habebantur quòd eorum Principes Regni Germanici Electores essent, uti Reges Bohemiæ & Moraviæ juxta Matthæum Parisium in Chron.

Hoc

XVIII. *Fridericus Rex protectionem Laudensium adversus Mediolanenses suscipit.*

Hoc anno *Laudensis* urbis à Mediolanensibus sub jugum missæ cives duo convenerunt *Fridericum* Regem, Conventum Constantiæ celebrantem, ut ei exponerent, quas à Mediolaneosibus calamitates perferrent, sicut narrant Otto Morena, & Acerbus Morena eius filius, hujus temporis Scriptores. Tristanus Chalcus lib. 7. scripturas ad rem istam facientes accuratè compilavit, aitque: *Fortè apud Hermannum Constantiensem Episcopum duo Laudenses cives privatam ob rem in Germania negotiantes Abernandus cognomento Alamanus & Homobonus de Magistris: qui dum in aula spectant novam heroum speciem, hominum frequentiam & rerum majestatem; animadverterunt crebris tenuiorum querelis deferri ad Cæsarem injurias, oppressionesque Potentiorum, & Cæsarem æqua omnibus & justa præstari jubere ..... patria publicam causam agere instituerunt ..... Fridericus dari locum jubet, ut accedant. Interrogati, qui essent, vel quid peterent ... Abernandus lingua Germanica peritus; Laudenses, inquit, sumus, omnium qui vivunt miserrimi, & qui à Mediolanensibus ea patimur, quæ ne barbari quidem pati hostem cogerent.* Eorum Conventus misertus est; *ex aula Cæsaris deligitur Sicherius, diligens & impiger juvenis, cui etiam injungitur, ut quantum posset, viva oratione causam Laudentium commendaret.* Ubi Sicherius in Italiam adveotavit, nonnisi lachrymis Laudæ excipitur, & conantur cives eum impedire, ne Mediolanum perat. Sed frustrà, is io eam urbem proficiscitur, *ubi Senatui literas Regias exhibet; & mandata in commendationem rei Laudensis exponit, quæ haud secus accepta sunt, ac Laudenses prædixerant. Nam absque ulla Cæsaris reverentia perciti ira & quodam furore Consules tabulas ipsas in terram elisêre, & pedibus conculcantes, ceras quibus obsignata erant, fregerunt, imaginique Cæsaris insignem contumeliam fecerunt. Quod videns Sicherius, & sibi deteriora metuens, inter obstrepentem multitudinem effugium invenit, & noctu Laudem repetit; quid egerit, viderit, quove in periculo fuerit, enarrat. Inde in Germaniam contendit. Laudenses verò trepidavêre, & sanè sæva consilia adversùs eos Mediolani tractabantur; sed sive pœnitentia facinoris, ne bis in Cæsarem peccarent, sive bellum quo cum Papiensibus detinebantur, ab ea cogitatione averterit, in incerto est.* Natum inde bellum Italicum; sed prima Friderici Regis in Italiam expeditio ad annum sequentem pertinet. Porrò Fridericus Constantiæ *X. Kal. Aprilis* Constitutionem dedit Tom. II Bullarii Casinensis pag. 151. recitatam.

XIX. *Ascalona à Crucesignatis capta.*

Joannes de Ceccano in Chron. ad currentem annum, narrata Anastasii Papæ electione, ait: *Ascalona capta est à Christianis XIV Kal. Septembris.* Idem habet Anonymus Casinensis ad hunc Christi annum: *Rex Hierosolymitanus cepit civitatem Ascalonam*; quod & legitur in Auctario Affligemensis ad Sigeberti Chronicon & io Urspergensi ac Nangio. Quare Tyrius, qui cùm res ab aliis acceptas, noo verò à se visas narrat, sæpe fallitur, hanc *Balduini* III Hierosolymorum Regis victoriam lib. XVII cap. XXI & seqq. perperàm in annum seqoentem differt. Eam tamen ejus verbis referemus. Cùm visum esset Hierosolymitanæ urbis pomeria civitati adjacentia, unde civibus multa erat commoditas, dilatare, anno MCLII Ascalona in littore maris sita obsidione cincta. Interfuête *Fulcherius* Patriarcha Hierosolymorum, & alii nonnulli Episcopi ac Abbates & Principes laici. *Frequentibus etiam nunciis Calipham Ægyptium sollicitant* (nempe Ascalooenses) *quatenus maturè procuderet subsidium, alioquin in proximo se defecturos significant.* Capta tandem civitas, sed non anno MCLIV die duodecima mensis Augusti, ut scribit Tyrius; verum hoc anno die decima nona mensis Augusti, uti jam diximus. Balduinus Rex *matris consilio* Urbem *fratri suo adolescenti, domino Amalrico Joppensi Comiti liberaliter concessit*, inquit Tyrius. Tempus verò captæ Ascalonæ rectè à Joanne Ceccano notatum fuisse ostendit Prior Vosiensis in Chron. cap. 55. ubi ait: *Ea tempestate capta est à Rege Balduino Ascalona infra octavas Assumptionis Dei genitricis ab Incarnat. Domini MCLVIII, sed* legendum, MCLIII, ut ipsemet Vosiensis ostendit, cùm subdit: *Anastasius successor Eugenii anno illo consecratur.* Scriptor Auctarii Affligemensis ad annum MCLIII ait, Regem Hierosolymorum diebus S. Dei genitricis Purificationi proximis procinctum movisse, & diurno bello incessanter perdurasse *usque in festum Assumptionis ejusdem sacratissimæ Virginis*, ac proxima die illius festi turrim cum suis machinamentis muro admovisse, & tertia die ad murum accessisse. Quæ postquam fusè retulit, subdit: *Vir ille, qui præsens fuit, & omni* tempore obsidionis in exercitu duravit, quod vidit, nobis narravit.

XX. *Moritur Theodotus Patriarcha Constantinop.*

Mortuus est hoc anno *Theodotus* Patriarcha Constantinopolitanus, qui juxta Seriem Episcoporum Byzanoï lib. 4. Juris Græco-Romani Nicolao III Musaloni dicto successit, & quem excepit *Neophytus inclusus ex mansione Evergetidis.* Utrumque prætermisit Baronius, & Onuphrius in Chron. qui legerat Seriem illam tunc ineditam, pro *Theodoto* perperàm Theodosium habet, & *Neophytum inclusum* prætermittit, quia exemplar mancum nactus fuerat.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6647.

☉ 15. C. ☽ 15. P. 4. April. Iodict. 2.

JESU CHRISTI 1154.

HADRIANI IV PAPÆ 1.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 3.

MANUELIS COMNENI IMP. 12.

Anno Eræ Hispan. MCXCII. Anno Hegiræ DXLIX inchoato die 18 Martii fer. 5.

I. *Moritur Anastasius IV PP.*

ANnum. I ad V. *Anastasii* IV Pootificatus brevis fuit, cùm anoo superiori die nona mensis Julii ad culmen Apostolicum evectus fuerit, &, ut habent Codex Vaticanus, cujus verba recitat Barooius, Onuphrius in Chron. & Sigonius in Hist. de Regn. Italiæ currenti *IV Nonas Decembris* seu die secunda illius meosis vivere desierit. Quare sedit tantùm annum unum, menses quatuor, dies viginti quatoor, ut tradont Bromptonus io Chron. pag. 1042. Auctor Fasciculi Temporum, Matthæus Parisius, Martinus Polonus & Scriptor Magni Chronici Belgici pag. 174. Io Necrologio Casinensi à Caraciolo edito, & in Chron. Joannis Ceccani, ubi eius obitus cum die III Nonas Decembris connectitur, dies ejus sepulturæ notatur.

II. *Beneficus fuit erga*

Joannes Diaconus junior in lib. de Ecclesia Lateranensi, cujus erat Canonicus, de Anastasio

IV

SÆC. XII. An. C. 1154. *Ecclesiam Lateranensem.* IV scribit: *A sinistro latere Basilica est altare beata Maria de Reposo. Ibi juxta jacet Anastasius Papa IV, qui fuit Sabinus Episcopus, in mausoleo perphyritico praclaro opere sculpto, in quo olim jacuit Helena mater Constantini Imperatoris: quod videlicet mausoleum de Ecclesia, quam idem Imperator ad honorem ipsius matris extra urbem fabricaverat, idem Papa reportari fecerat. Hic unicè ac devotissime dilexit pra omnibus istam Ecclesiam antea dum esset Episcopus, atque in Apostolatu sublimatus, postea plurimis beneficiis honoravit. Nam duo privilegia Canonicis prefato Basilica solemniter condidit*, plurimaque in ejus gratiam fecit ibidem sigillatim memorata.

III. *Hadrianus IV. ei succedit.* Nicolaus Cardinalis Albanensis postridie, ut habet idem Codex Vaticanus, inthronizatus est, rectèque scribit Vossiensis Tom. II Biblioth. Labbei pag. 308. *Huic* (nempe Anastasio IV) *successit Hadrianus Papa, qui extitit Canonicus de Sancto Rufo, & coronatus feriâ sextâ*; dies enim tertius mensis Decembris hoc anno in feriam sextam incidit. In Codice Vaticano citato hæc verba leguntur: *Transeunte modico temporis intervallo obiit Anastasius Papa. In secundo die* (tertia scilicet Decembris) *convenientibus in unum pro eligendo sibi Pastore cunctis Episcopis & Cardinalibus apud Ecclesiam B. Petri, non sine divina dispensatione consilio factum est, ut in ejus personam unanimiter concordarent, & Papam Hadrianum à Deo electum tam Clerici quam Laici pariter conclamantes, eum invitum & renitentem in Sedem B. Petri intronizarent, Deo auctore, quarto Nonas* (legendum cum Baronio in margine, tertio Nonas) *Decembris Dominica Incarnat. anno MCLIV indict. III.* Baronius num. III jam ex eodem codice scripserat: *Fuit natione Anglicus de Castro Sancti Albani, Nicolaus nomine, qui pubertatis suo tempore, ut in studiis literorum proficeret, egrediens de terra sua & cognatione sua, pervenit ad Arunlatam* (legendum, Arelatum seu Arelatem, septem tantum leucis ab Urbe Avenionensi, juxta cujus muros erat monasterium Sancti Rufi, in quo Hadrianus primùm Canonicus Regularis, & postea Abbas factus est, dissitam) *ubi cùm in scholis literis vacaret, à domino factum est, ut ad Ecclesiam beati Rufi accederet, & in ea religionis habitum, facta Canonica professione susciperet*, uti anno MCXLVI fusè narravimus; nam Trithemium in Chron. qui eum facit Abbatem Ordinis Sancti Benedicti, & quicumque eum hac in re secuti sunt, planè errasse certum esse debet.

IV. *Moritur Rogerius Siciliæ Rex.* Baronius num. IV refert ex Romualdo in Chron. Willelmum Siciliæ Regem, qui Rogerio patri successerat, noluisse recipere literas Hadriani Papæ, quia *eum non regem, sed Willelmum dominum Sicilia nominabat.* Jam verò Baronius anno MCLII num. X dixerat, *Rogerium*, teste Romualdo, eo anno vita functum, ibique polliciti sumus nos hîc eum ad præsentem annum pervenisse demonstraturos, & anno superiori testimonia attulimus, quibus eum eo anno adhuc in vivis fuisse constat; sed hoc caput magis discutiendum, ut huic controversiæ ei tandem longus dies ponatur. Anonymus Casinensis, qui in editione Caracioli hoc anno rectæ Chronologiæ insistit, in Chron. scribit: *Obiit Rex Rogerius mense Februarii die ultimo. Obiit Anastasius Papa, & Hadrianus Papa eligitur*, quæ ideo tria ad unum eumdemque annum pertinent. In veteri Necrologio Casinensi, à Caraciolo edito, ad III Kal. Martii legitur, *Rogerius Rex Sicilia.* Tum *X Kal. Rogerius Comes Sicilia.* Antea ad VI. Idus Februarii; *Halbiria Regina uxor magni Regis Rogerii.* Ex quibus eruitur, Rogerium die XXVII mensis Februarii vita functum, & postridie terræ mandatum. Ad hæc mortis Rogerii Regis epocha unanimi consensu Auctorum & antiquorum Scriptorum nativorum confirmatur, & nonnisi à quibusdam Scriptoribus modernis rejicitur. Peregrinius in Notis ad Anonymum Casinensem pag. 131. ad hunc locum ait: *Regis Rogerii annum & diem obitûs ritè hic consignari antiquo chartula & Auctores consentiunt omnes, quin nec secus ejus tumulus capiendus est, ut dicam ad annum MCLXXII* (vult Peregrinius aliquos Siculos eram Incarnationis biennio anticipasse; verùm hæ inscriptiones plures post Rogerii Regis mortem annos positæ, sicut plura Epitaphia sepulchris à posteris inscripta fuêre) *nec ipse negat Romualdus Salernitanus, qui in aliam ab hac sententia à summo laudatur viro* (nempe à Baronio loco jam citato) *Guillelmum enim verbis paulò ante relatis coronatum prodidit* (nempe Romualdus) *in Regem biennio ante Rogerii patris mortem: nempe rotundo usus ibi annorum numero; sed dein Rogerii designans obitum, non sic inquiens:* Defuncto Rogerio, Willelmus filius, qui
" cum patre duobus annis, & mensibus decem
" regnaverat, illi in Regni administrationem suc-
" cessit. Pergit Peregrinius: *Willelmus itaque Rex coronatus in anno MCLI mense Maii usque in exitu mensis Februarii anno MCLIV annos duos & menses sui regni decem numerabat. Porrò eodem anno MCLIV mense Decembris defunctum quoque Papam Anastasium, electumque in Papam Hadrianum est Scriptorum omnium constans assertio.*

Radulphus de Diceto Scriptor æqualis in Imagine Historiarum pag. 677. de Rogerio loquens ait: *cùm ageret in extremis, reliquit filium & filiam Willelmum & Constantiam; annus vulgaris centesimus quinquagesimus quartus tunc temporis effluebat.* V. *Annus ejus mortis magis probatur.* In Chronico Clarevallensi exarato ab Anonymo Clarevallensi, & ab anno MCXLVII usque ad annum MCXCII perducto, ac à Chiffletio publicato Rogerii Regis mors cum hoc anno etiam alligatur, falliturque verus Robertus de Monte in Chron. dum Rogerii obitum cum anno MCLIII, *IV Kalend. Martii*, & Anastasii mortem cum currenti alligat, secundus quidem error levis, & loco *IV Kal.* legendum, *II Kal.* vel III Kal. sed primus eo minus excusandus quod Robertus iste de Torinneio Auctor Chronici à Dacherio in lucem emissi, Robertus de Monte vulgò appellatus, hoc anno Abbas Sancti Michaelis in periculo maris creatus fuerit, ut testatur Chronicon Sancti Michaelis à Labbeo Tom. I Biblioth. vulgatum. Licet autem Robertus annum à Kalendis Januarii incipiat, pluribus tamen in locis res inter primum Januarii & diem Paschatis transactas ad præcedentem refert. Quare vereor, ne utrumque annos numerandi modum usurpet in variis Chronicis exscribendis; præsertim cùm de rebus extra Galliam gestis sermonem habet.

VI. *Rogerius inter illustriores Principes numerandus.* Peregrinius in prima parte pag. 260. refert antiquum indiculum Principum Beneventanorum, in quo legitur: *Rogerius Rex magnificus Africo*

& Siciliæ in Ducatu regnavit annos III & menses VI; Rex annis XXII (sed Libratius annum unum plus dicit) *& cum filio annis III* (qui anni incompleti numerandi). *Guillelmus filius ejus Rex annis XII.* Quare cùm certum sit Guillelmum anno MCLXVI è vivis excessisse, ante præsentem annum Rogerio Patri non successit. Is ultimis vitæ annis multarum gentium manubiis locupletatus in extrema *Panormi* parte mirifico opere arcem jam vetustate collabentem instauravit, quam suam & futurorum omnium Siciliæ Regum Sedem constituit. Licet enim ipse & Successores Neapolitano Regno potirentur, ut tamen tenaciores rebellibus in Sicilia Saracenis frænos imponerent, & ne nova, qui reliqui supererant, vel qui vicinam Africam incolebant, Saraceni molirentur, in Urbe Panormo Regia longo tempore resedêre. Pacis ac belli vicissitudinem ita alternavit, ut nullum Regum aut Principum sua ætate parem habuerit. Ingentes thesauros ad Regni munitionem, posteritati consulens coacervavit, & ædes plures sacras insigni opere erexit. Denique cùm *Rogerius* & *Anfusus*, duo majores ejus natu filii, in quibus verissima Paternæ virtutis effulgebat effigies, mortui fuissent, Guillelmo quia alius legitimus & hæres nullus supererat, Regni diadema imposuit, eumque sibi Regni consortem ascivit.

VII. *Guillelmus filius & successor ei valde dissimilis.* *Guillelmus Rex*, inquit Falcandus in Hist. de Siciliæ Calamitatibus pag. 642. *cùm patriæ solum potestatis, non etiam virtutis hæres existeret, in tantam est primùm efferatus amentiam, ut optimi Patris acta contemneret, suâque industriâ Curiæ statum in melius reformatum pessum ire permitteret. Unde & quos familiares Pater habuerat, eos partim condemnavit exilio, partim carcerum conclusit angustiis.*

VIII. *Moritur Stephanus Angliæ Rex.* Ad num. V Hoc anno *Rex Anglorum Stephanus, miles egregius & mente piissimus octavo Kalendas Novembris diem clausit extremum*, inquit Matthæus Parisius in Chron. Henricus verò hujus nominis II, qui ei successit, hoc vel sequenti anno Hadrianum Papam de more Christianorum Principum, literis & legatione veneratus est. Extat inter Petri Blesensis Epistolas una, quam ejus nomine ad Hadrianum Papam scriptam Baronius qui eam refert, affirmat, & ejus lectio indicat; licet ea alia Epigraphe non insigniatur quàm ista: *Ad N. Pontificem Romanum*, & infrà, *Talis Papa, talis Rex.*

IX *Ei succedit Henricus II.* Baronius ait, *Henricum* II anno sequenti è Normannia in Angliam venisse, & in Regem ab omnibus receptum fuisse, quam in rem laudat Robertum de Monte vulgatum, quod & in genuino etiam habetur; hic enim, ut notat Dacherius, qui illum publicavit, post recitatam mortem *Gisleberti* Episcopi Pictaviensis alia non refert, quàm quæ jam in vulgato sub ejus nomine Chronico legebantur. Verùm sive verus Robertus de Monte id scripterit, sive Librarii Chronicon ejus corruperint, certum est, *Henricum* currenti anno in Angliam venisse ibique XIV Kal. Januarii, sive Dominica ante Nativitatem Christi coronatum esse Londoniæ; id enim Novus Chronographus Saxo Guillelmus Neubrigensis lib. 2. cap. 1. Gervasius in Chron. Hovedenus, Matthæus Parisius, Chronographus Andegavensis, aliique prodidêre. Addit Neubrigensis: *à Normannia in Angliam veniens, hæreditarium regnum suscepit, conclamatus ab omnibus & consecratus mystica unctione in Regem, concrepantibus in Anglia turbis: Vivat Rex. Prioris quippe regni sub quo tot mala pullulaverant, infelicitatem experti, de novo Principe meliora sperabant. Præsertim cum præclara illi prudentia, atque constantia cum zelo inesse viderentur: & magni jam Principis, in ipsis suis primordiis præferret imaginem. Denique Edicto præcepit, ut illi qui è gentibus exteris in Angliam sub Rege Stephano, prædarum gratia, tanquam ad militandum confluxerant: & maximè Flandrenses: quorum magna tunc Angliæ incubabat multitudo, propriis regionibus redderentur, fatalem eis diem constituens: quem in Anglia sustinere certi foret discriminis.* Paulò pòst: *Publica quoque disciplina imprimis sollicitudinem habuit; & ut legum vigor in Anglia revivisceret, qui sub Rege Stephano extinctus, sepultusque videbatur, cura propensiore satagit.* Usque ad hunc annum novus Chronographus Saxo Opus suum perduxit, qui cùm narrat mortem Guillelmi Primi Angliæ Regis, ait, se *nonnunquam in ejus Curia* fuisse.

X. *Obitus S. Guillelmi Archiep. Eboracensis.* S. *Willelmus* Eboracensis Archiepiscopus hoc anno sabbato sancto Wintoniam rediit, ex urbe scilicet Romana, ubi Pallio ab Anastasio IV insignitus fuerat, ut anno superiori ex Guillelmo Neubrigensi lib. 1. cap. 26. diximus. Pergit Neubrigensis: *Porro Guillelmus receptam non multò post Albas Paschales Ecclesiam, decenti moderamine regens, & ingenita lenitate, nulli onerosus existens: paucis post Pentecosten evolutis diebus, febre corripitur, & rapitur ex hac vita, ingenti tam Clericis, quàm laicis, ex mitissimi Pastoris occasu luctu relicto.* Post mortem inter Sanctos ob miraculorum celebritatem relatus est, eumque Eboracensis Ecclesia VIII die Junii, quo obiit, venerata est, & hodie Anglicano Martyrologio inscribitur. Nam post mortem ejus crebrescentibus signis *Honorius III*, ut videre est apud Raynaldum anno MCCXXIII num. XLVIII, commisit Episcopum Eliensem, duosque Cisterciensis familiæ Abbates, qui de eis inquirerent, ut Sanctis annumerari posset. Cum verò nonnulla in informatione desiderarentur, anno insequenti literis *Lateran. III Idus April.* datis rursùs ad eosdem scripsit Honorius III, jussitque, ut inquisitionem solemnem iterùm facientes, iterùm quæ singuli testium deposuissent, rescriberent, eâdemque sententiâ ad Archiepiscopum Eboracensem, & Capitulum Apostolicas literas misit, quarum priores recitat Raynaldus eo anno num. XLVII & seqq. & posteriores tantùm memorat. Tandem anno MCCXXVI literis *Lateran. XV Kal. April.* datis, & à Raynaldo ibidem num. XLIX relatis *Willelmum* Sanctorum catalogo Confessorum adscripsit, statuens *ut in anniversario ejus annuatim festum solemniter celebretur.*

XI. *Post canonizationem ejus Reliquiæ translatæ.* Dein *Sanctus Willelmus* pariter Archiepiscopus Eboracensis hujus nominis II, anno millesimo ducentesimo octogesimo quarto ossa ejus sublimi loco, & in pretiosa theca reponi jussit: *Cujus venerabilis ministerio*, inquit Thomas Stubbs in Actis Pontificum Eboracensium, *cooperantibus undecim Episcopis, qui convenerant, Translatio sanctissimi Confessoris Willelmi quondam Eboracensis Archiepiscopi solemniter in Ecclesia Eboracensi facta est die Dominico V Idus Januarii, anno Domini MCCLXXXIII, Pontificatus verò ipsius Patris Willelmi IV, regni autem Edwardi filii Regis Henrici tertii XI. Et notandum*

SÆC. XII. An. C. 1154. *dum quod annus iste, in quo Translatio Sancti Willelmi facta fuisse memoratur, extitit bissextilis*, ideoque annus à Paschate inchoatus, qui illi MCCLXXXIII, nobis est MCCLXXXIV, quo quintus Idus Januarii in Dominicam incidit. In Breviario Eboracensi ad diem VIII Januarii dicitur, *Eduardum* Regem & *Guillelmum* II Archiepiscopum Eboracensem capsam Sanctarum Reliquiarum humeris ad locum Sancto assignatum baiulasse. Thomas verò Stubbs citatus refert, Antonium de Bex Electum ad regimen Episcopatus Dunelmensis omnes expensas solvisse, & *eodem die Translationis Sancti Confessoris Willelmi Eboracensis Archiepiscopi, præsente Domino Rege Edwardo & Regina Elianora, & majori parte Magnatum totius Angliæ, qui Translationi interfuerant, per manus Sancti Patris Willelmi Eboracensis Archiepiscopi in Ecclesia B. Petri Eboraci* Episcopum Dunelmensem consecratum esse. Alfordus in Annal. Eccles. Angl. refert hanc Translationem ad annum MCLXXXIII laudato Capgravio in Vita Sancti Willelmi, qui tamen eam non aliter narrat ac Thomas Stubbs, indeque existimat Alfordus expungendum esse Eboracensis Episcopi nomen, & Regis nomen mutandum. Verùm vel Vir doctissimus non bene Capgravium legit, vel fortè in hoc Auctore errore Typographi loco, *anno MCCLXXXIII*, habetur, *MCLXXXIII*, neque enim Capgravius hæc ignorare potuit, & Opus ejus nunc mihi ad manus non est. Vide dicta anno MCXL num. XV & seqq. & Baronium in Appendice ad eum annum. Ceterùm si Manricus in Annal. Cisterc. & Mabillonius in brevibus Notis ad Epistolas S. Bernardi in causa Willelmi Eboracensis scriptas, & in Fusiori ad Epistolam ejusdem Sancti CCXXXV, ad Willelmi Sanctitatem, & ad pietatem Henrici Wintoniensis Episcopi Apostolicæ Sedis Legati, qui electionem ejus probavit; Electo manus imposuit, & semper contra adversariorum ictus consecratum defendit, animum diligentiùs advertissent, non ita pro Sancto Bernardo pugnassent, sed eum in *Willelmi* causa deceptum fuisse, cum Baronio, qui quæcumque contra Sanctum Præsulem dixerat, retractavit, ni mea me valdè fallit opinio, fassi essent.

XII. *Fridericus Rex in Italiam venit.* Ad num. VI. Hoc anno *Fridericus* Germaniæ Rex in Italiam descendit. Sigonius lib. XII de Regn. Ital. ait, eum cùm Mediolanum accessisset, extra urbem ab *Uberto* Archiepiscopo Mediolanensi coronatum esse, quod accepit à Galvanco Flamma in Chronico Majore cap. 258. hæc enim ejus apud Puricellum in Monumentis Ambrosianis num. 400. verba: *Interim Marchio Montisferrati, & Papienses, & Cremonenses iverunt in Alamaniam, & Imperatori omnia mala de superbia Mediolanensium dixerunt.* At non Marchio Montisferrati, neque ullus Papiensis aut Cremonensis in Alemanniam deputatos misêre; sed Laudenses, uti Otto Morena, qui præsens erat, asserit, qui tamen quod *Friderico* schismatico addictus esset, non rarò errat. Ad Fridericum etiam Legatos misêre Apulienses de *Rogerii* Siciliæ Regis crudelitatibus questuros, ut scribit Otto Frisingensis lib. 2. cap. 5. Neque ullum inter Marchionem Montisferrati & Mediolanenses dissidium erat, sed inter Marchionem & Cairenses, ut affirmat Otto Frisingensis lib. 2. cap. 12. Pergit Galvancus Flamma: *Imperator dissimulabat omnia hæc talia verba, propter coronam, quam in civitate Mediolani recipere eum oportebat.* Sed hoc à veritate alienum; Morena enim tradit, Fridericum palàm, apertèque Mediolanensibus adversatum, quòd suum Legatum pro negotio Laudensium missum malè habuissent. SÆC. XII. An. C. 1154.

XIII. *Gesta a Friderico à Scriptoribus Mediolanensibus fabulis admixta.* Subjungit Galvancus: *Imperator per Taurinum transiens, Mediolanum pervenit in millesimo centesimo quinquagesimo quarto*, sed hoc etiam falsum, & ab Ottone Frisingensi lib. 2. cap. 11. confutatum, qui de Friderico ait: *per Brixianam, & vallem Tridentinam transiens emensis Alpium angustiis in campestribus Veronensium juxta stagnum Gardæ castra metatur.* Dein cap. 12: *Inde castra movens in castro Roncaliæ super Padum non longè à Placentia mense Novembri resedit. Subdit Galvancus: Attamen civitatem intrare non potuit. Archiepiscopus Ubertus de Pirovano dominandi ambitione succensus, cogitavit privatim cum Imperatore tractare, quomodo posset dominium Comitum Engleriæ de civitate Mediolani exstirpare.* Verùm falsum hoc tempore Engleriæ Comites civitatis Mediolani Dominium habuisse; hæc enim civitas, uti aliæ Italicæ, populari Dominio regebatur. Otto Frisingensis lib. 2. cap. 13. de illis verba faciens, inquit: *Libertatem tantopere affectant, ut potestatis insolentiam fugiendo Consulum potius quam imperantium regerentur arbitrio*, &c. *vixque aliquis nobilis, vel vir magnus tam magno ambitu inveniri queat, qui civitatis suæ non sequatur imperium*, &c. *Inter ceteras civitates Mediolanum Primatum obtinet*; & infrà de Marchione Montisferrati scribit: *Penè solus ex Italiæ Baronibus civitatum effugere potuit imperium.* Ad hæc variæ scripturæ apud Puricellum citatum, & alios democratiam tunc Mediolani obtinuisse docent: *Unde convocans Fulchum de Landriano, Andream de Scabarotiis, Simonem de Curte, Albertum de Gambaris dixit Imperatori, quod Comes Galvaneus de Engleria, prohibuerat, ne intraret civitatem: & si volebat facere Archiepiscopum Dominum civitatis, quod illum Comitem traderet in manus ejus. Placuit Imperatori, & Roanpinus Sironus Notarius, & propter istam proditionem finaliter civitas Mediolani destructa fuit.* Ita Galvancus.

XIV. *Refutantur Scriptores Mediolanenses.* At hæc Mediolani exitii causa commentitia est; juxta enim Galvancum *Fridericus* urbem non introiit, & prætensa illa Archiepiscopi conspiratio in fumum abiit: *Engleriæ* Comes traditus non fuit, & nullam post eam Archiepiscopus temporalem potestatem habuit in urbem Mediolanensem, neque aliam ob causam urbi Mediolanensi & Friderico adversatus est, quam ob Victorem Antipapam à *Friderico* constitutum. Quare cùm neuter Morena, nec Calchus, nec Corius, nec Sigonius hujus calumniæ mentionem faciant, Puricellus num. 432. concludit hæc per calumniam dicta esse, additque; *quod item inter alia tam præcisè & luculenter asserebatur* (à Galuanco Flamma) *Mediolani Dominium per hæc tempora fuisse penes Gualvagnum Engleriæ Comitem istius profectò, quod tanquam unicum structuræ proditionis* (per Archiepiscopum Ubertum) *fundamentum supponebatur, Otto & Acerbus Morena* (Auctores Historiæ Laudensis) *non potuissent non expressam facere mentionem, apud quos tamen ne gry quidem unquam indicatum extat.*

XV. *Fridericus hoc anno* Tristanus Calchus planè negat hunc *Engleriæ* Comitem unquam dominium Mediolani obtinuisse.

SÆC. XII. An C. 1154. *Mediolani coronatus non fuit.*

tinuisse. Quæ tamen fabula fundamentum est coronationis Friderici in Ecclesia Mediolanensi Sancti Ambrosii; his enim verbis Flamma cap. 251. apud Puricellum num. 410. narrationem suam concludit: *Tunc extra civitatem in Ecclesia Sancti Ambrosii fuit Imperator per Ubertum de Pirovano coronatus per manus Comitis Galvanci*, idest, Comitis Engleriæ. Hæc contradictio risu digna; duabus antea lineis fingitur Archiepiscopum promisisse tradere Comitem Friderico inimico capitali, & statim hic Comes ad Fridericum coronandum eligitur, cùm tamen absurdum sit asserere *Fridericum* Comitis manibus per *Ubertum* coronatum esse. Quare Sigonius & Puricellus, quibus fabulæ à Flamma confictæ de Archiepiscopo Oberto & Comite Engleriæ notæ fuêre, huic coronationi Mediolani peractæ fidem adhibere non debuêre. Ea quidem in cap. 141. Chronici, cui titulus; *Flos florum*, legitur, sed cum iisdem, quibus apud Galvancum absurditatibus, descripta. Falsum itaque Fridericum in Ecclesia Mediolanensi Sancti Ambrosii currenti anno coronatum esse; sed ea coronatio sequenti tantum anno facta, idque Papiæ, ut ibidem videbimus. Porrò nondum hoc anno Mediolanenses omnem reverentiam erga Fridericum exuerant; cùm Puricellus laudatus num. 411. referat permutationem quandam bonorum monasterii Sancti Ambrosii facta à Joanne Abbate, in qua legatur: *Anno Dom. Incarnat. MCLIV quinta die mensis Januarii, indictione secunda*, &c. *Ego Musso Judex ac missus domini Regis interfui ac rogatus scripsi.*

XVI. *Moritur S. Vicelinus Aldenburgensis Episc.*

Ad num. VII. Cùm *Hartwicus* Hamburgensis Archiepiscopus Sedes Episcopales reædificasset, quas barbaricus furor olim destruxerat, in Slavia scilicet, Aldenburgensem, Racesburgensem, Mikilenburgensem, religio Christiana in partibus illis valde propagata fuit, præsertimque per Sanctum *Vicelinum* Aldenburgensem Episcopum qui, ut refert Helmoldus in Chron. Slavorum cap. 79. cùm *Fridericus* in Italiam pro corona Imperiali accipienda profectus esset, diem clausit extremum hoc anno *secundo Idus Decembris*, postquam sedisset in Episcopatu *annos* quinque. Manserat *Vicelinus* in Holsatia annos triginta, & plurimos ad Christianam fidem adduxerat, ut tam apud Helmoldum citatum, quàm apud Krantzium lib. 4. Vandaliæ, & alibi legi poterit. Inter monasteria à Vicelino erecta, fuit *Falstera* in agro Holsatico posteris *Neomonasterium*, & incolis, vicinisque *Newmunster* dictum. Sanctus *Thethmarus* Presbyter ejus discipulus jam à biennio, anno scilicet MCLII, die XVII mensis Maij obierat; sed alter discipulus *Helmoldus* Presbyter Bosoviensis Auctor Chronici Slavorum vixit usque ad annum MCLXX. Denique Henschenius ad diem XVII mensis Maij varia collegit de Sancto Thethmaro, & inter alia hæc ex codice MS. à Continuatore Helmoldi seculo XV confecto: *Sanctus Vicelinus fuit in Ecclesia Bremensi Scholasticus, & in Theologia disertus, qui multas habuit divinas revelationes tempore juventutis suæ. Hic semper æstuabat barbaris Slavis, prope Holsatiam demorantibus, fidem Christi prædicare. Nam illis diebus in tota terra Wagriorum....fides Christi nullibi habebatur, & si aliquando habita fuerit, tamen quasi per octoginta annos. omnes à fide Christi declinarant. Hic Sanctus Vicelinus vestem religiosam, quam Canonici Bremenses cum Regula Sancti Augustini abjecerant, derelinquere nolens, cum Sancto viro Tehthmaro Cantore Bremensis Ecclesiæ, partes Holsatiæ adiit.* Subdit, Vicelino villam aliàs Falderam, & postea Niemunster dictam datam, quæ *capella quasi prima fuit in tota Holsatia*, & multos Ecclesiasticos, & Clericos se ei in Regula, habitu, & sancta vita copulasse.

XVII. *Obitus S. Lamberti Episc. Venciensis.*

Mortuus est etiam in Provincia Sanctus *Lambertus* Episcopus Venciensis, cujus Vita ab Auctore coævo scripta refertur ab Henschenio ad diem XXVI mensis Maij, quòd in ea legatur Sanctum Præsulem *VII Kalendas Junii*, seu die XXVI mensis Maij, & in eadem Ecclesia sepultum esse. Apud Baronium legitur Sanctum Lambertum *VI Kalendas Julii*, seu die XXVI mensis Junii ex hac vita in cœlum migrasse; Sed incertum, an dies ille ad mortem referendus sit vel ad sepulturam.

XVIII. *Ludovicus VII Franciæ Rex Constantiam accipit uxorem.*

San-Marthani in Genealogia Francica conjugium *Ludovici* VII Franciæ Regis cum *Constantia* Alphonsi Imperatoris Hispaniarum filia ad annum MCLII referunt, nec Scriptores Hispanici de eo accuratiùs loquuntur. Verùm illud currenti anno peractum Aurelianis, & ibidem *Constantiam* ab Hugone Senonensi Archiep. Reginam inunctam notavit Nangius in Chron. et ceteri Scriptores Gallici confirmant. Hugo Autisiodorensis in Chron. idem prorsùs habet ac Nangius, & Anonymus in Bibliotheca Sancti Victoris Parisina asservatus, Tom. IV Duchesnii relatus ait, *Ludovico* Regi Regni sui anno XXIV filiam Regis Hispaniæ matrimonio copulatam esse, ubi Regni ejus annos à die quo primùm vivente adhuc patre coronatus fuit, desumit. Eumdem annum signat Vincentius Bellovacensis, sicuti & Auctor Vitæ Ludovici VII cap. 29. Alius Chronologus apud Duchesnium ibidem pag. 415. & Guillelmus Neubrigensis Scriptor Anglicus hoc tempore vivens, hanc Reginam *Constantiam* appellant, uti & Anonymus coævus, qui exemplar Historiæ Pelagii Ovetensis in Bibliotheca Mazarina asservatum aliquibus illustrationibus auxit: *Imperator*, inquit, *duas habuit uxores, primùm Berengariam*, &c. *duas habuit filias, unam Constantiam nomine, quæ fuit Regina Francorum, uxor Ludovici Regis.*

XIX. *Gesta inter Saracenos.*

Hoc circiter tempore *Omarus* successor Abdelmumeni in Imperium *Almohadum* designatus, juri suo sponte cessit, quod translatum fuit in *Mahometem* filium majorem natu Abdelmumeni. Mahometes per aliquot annos de filiis in Africa stabiliendis cogitavit, & Magnatibus è secta Almohadum solerter à supremo Dominio remotis, illud filiis tradidit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6648.

☉ 16. B. ☽ 16. P. 27. Mart. Indict. 3.

JESU CHRISTI 1155.

HADRIANI IV PAPÆ 2.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 4. Imp. 1.

MANUELIS COMNENI Imp. 13.

Anno Eræ Hisp. MCXCIII. Anno Hegiræ DL inchoato die 4. Martii fer. 2.

I. *Fridericus Longobardiæ Rex coronatur.*

AD Num. I ad XXI. *Fridericus* Germaniæ Rex *decimo quarto Kal. Julii* Romæ coronatus est Imperator, ut fusè narrat Baronius ex Ottone Frisingensi in Frideric. lib. 2. cap. 22. & ex Codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ. Sed cùm nihil habeat de priori ejus coronatione in Regem

gem Longobardiæ hoc anno Papiæ facta, hîc Annales ejus supplebimus. Otto Frisingensis citatus cap. 12. affirmat, Fridericum, cùm Roncaliæ esset, duos secum Consules Mediolanenses habuisse Obertum de Orto & Gerardum Nigrum, & cap. 13. de Friderico ait: *Indignatione motus, jussis primò, ut ad propria redirent Consulibus, in Mediolanenses arma convertit.* Tum cap. 14. refert equitatum Friderici quingentos equites Mediolanenses vicisse, & Rosatum occupasse; Mediolanenses verò timore perculsos Gerardum Consulem ad Fridericum misisse, sed *Princeps hujus rei nihil pensi habens ad Ticinum usque amnem procedit.* Quare verum non est, uti jam anno elapso diximus, Fridericum Mediolani moratum, ut ibi coronaretur. Addit Otto Frisingensis: *facta est hæc victoria mense Decembri, Natalèque Domini celebratur*, anno scilicet superiori. Postea cap. 15. ait, Fridericum post Ticinum amnem trajectum, Vercellas, & inde Taurinum processisse, ac *Hastam* & *Carram* evertisse. Dein capp. 16. 17. 18. & 19. narrat obsidionem & deprædationem Dertonæ, quæ hoc anno destructa fuit, ut legitur cap. 20. *tertia post Pascha hebdomada, mense Aprili.* Tum eodem capite: *Peractà victorià Rex à Papiensibus ea dominica, qua* Jubilate *canitur, in Ecclesia Sancti Michaelis, ubi antiquum Regum Longobardorum Palatium fuit, coronatur*, ideoque die decima mensis Aprilis præsentis anni, & quidem à Petro Toscano Episcopo Sanctæ Sedi immediatè subdito, qui Pallio à Pontificibus Romanis ornatus fuerat.

II. *Non verò superiori.* Spelta in Historia Episcoporum Papiensium refert Rescripta Pontificum Romanorum, qui à non multis annis horum Episcoporum Privilegia confirmarant, ut etiam videre est apud Ughellum Tom. I Italiæ Sacræ. Quare planè falsum est, *Fridericum* anno superiori in Ecclesia Mediolanensi Sancti Ambrosii ab Oberto coronatum esse, & tam Sigonius lib. XII Hist. de Reg. Ital. quàm Puricellus in Monument. Eccles. Ambros. aliquam veritatis speciem in fabulis à Galuaneo Flamma, & Auctore Chronici, cui titulus, *Flos florum*, aliisque Chronographis publicatis, malè quæsiêre.

III. *Fridericus Romæ Imperator coronatur.* Guntherus Poëta Ligurinus lib. 3. & 4. utramque Friderici coronationem describit, & de ea, quæ die X mensis Aprilis Papiæ peracta, canit:

Comiter exceptum Sancti Michaelis ad ædem,
Qua veterum fulgent antiqua Palatia Regum,
Producunt, nitidumque caput gemmante corona
Cingitur, & sceptro decoratur dextera sacro.

Tum lib. 4. de ea, quæ hoc anno Romæ facta, & à Baronio accuratè narrata, ait:

Hos Regi titulos hoc clari nomen honoris,
Quartus ab ingressu regnorum contulit annus,
Plusque ferè medio juvenum se mensis agebat,
Ut quarto decimo prodiret Julius ortu,
Postea gemmiferam læta cervice coronam
Ipse ferens, insedit equo, &c.

Anonymus Casinensis hoc anno de ea habet: *Exercitus Regis Siciliæ cum Asclentino Cancellario Campaniam ingreditur, & combussit Ceperanum, & Babucum & loca vicina* (bellum enim inter Hadrianum IV Papam & Guillelmum Siciliæ Regē ardebat, ut statim visuri sumus) *deinde rediens mœnia Aquini & Pontecurvi, & aliorum oppidorum dirui fecit, & omnes Monachos de Ecclesia* (Casinensi scilicet, quæ vox in editione Caracioli omissa, legitur in MS. ut asserit Peregrinius in Notis ad Chronicon Anonymi Casinensis pag. 132.) *Foras expulit, exceptis duodecim. Imperator Teutonicus* (sc. Fridericus) *Romam venit, & clam coronatus* (quia non minus ei quàm Pontifici Romani adversabantur) *recessit.*

IV. *Bellum Neapolitanum inter Papam & Guillelmum Siciliæ Regem.* A num. XXI ad XXV. Agit Baronius de bello inter Hadrianum IV & Guillelmum Siciliæ Regem gesto, de quo Anonymus Casinensis hæc prodit: *Robertus Comes Lorotelli regnum cæpit invadere. Comes Richardus de Aquila cepit Suessam & Theanum. Audita morte Regis Rogerii* (legendum, *Guillelmi*, ut omnia MSS. testante Peregrinio habent. Duo hæc nomina à Caraciolo in sua hujus Anonymi editione malè mutata. Robertus enim de Monte, Hugo Falcandus, & Guntherus lib. 5. Fidem faciunt Guillelmum Regem valde ægrotasse, & eum diem obiisse famam tulisse) *Comes Andreas cepit Comitatum Alifiæ, Robertus de Surrento cepit omnem Principatum Capuæ usque Neapolim & Salernum. Adrianus Papa adiit Beneventum. Robertus Comes Lorotelli cepit totam marinam, & castrum Bari diruit.* Omnes hi Proceres sub Hadriano Papa militabant, qui tamen citò animum despondit. Guillelmus Tyrius lib. 18. cap. 2. Eum hujus belli auctorem facit: *Exules autem, quos tam ipse* (nempe Guillelmus Siciliæ Rex), *quàm pater ejus de regno ejiciens de regno bonis fecerat exterres paternis, viros inclytos & armis potentes, Dominum videlicet Robertum de Surrento Principem Campanum* (vel Capuæ) *Comitem quoque Andream de Rupecanina, & alios multos exhortationibus suis provocaverat* (nempe Hadrianus IV), *ut in regnum venirent.* Guntherus lib. 5. perperam confundit Comitem Andream de Rupecanina cum Domino Capuæ: *Hic Comes*, inquit *Andreas Capuæ*; hic enim nihil in urbe Capuana possidebat, ejusque dominium pertinebat ad Robertum, ut tradunt Anonymus Casinensis, Guillelmus Tyrius, Hugo Falcandus, & Romualdus Salernitanus citatus à Peregrinio fol. 134. & Robertus iste cognominatus de Surrento, est Princeps Capuæ, qui per tot annos Rogerio Regi adversatus fuerat, & cujus Falco Beneventanus fusè mentionem facit, ut rectè probat Peregrinius laudatus.

V. *Robertus de Surrento in duos non distinguendus.* "Hæc Peregrinii verba: Hic itaque Robertus in anno XXVIII ex quo primùm Capuæ Princeps fuerat salutatus, nempe in anno "Christi MCLV, mense Decembrio, indictione IV, ex antiquis Chartulis hæc est temporis designatio, quas omnium primus palam "dedit amicus vir Michael Monachus in suo "Sanctuario; avitum Principatum tertia vice "detinebat, quem in antecedente Septembri "recuperarat: quamvis plerique Recentiores, "quorum antesignanus ac Princeps extitit "Thomas Fasellus in Decade posteriore rerum "Sicularum lib. 7. cap. 4. hunc Robertum nuncupatum de Surrento alterum ac diversum ab "Roberto illo secundo statuerunt, patriàque "putarunt Surrentinum; sed hunc commentitium coacti simul sunt asserere, Regi *Guillelmo* uno eodemque prorsus tempore cum "duplici *Roberto* pro Campano retinendo Principatum rem fuisse, quod dicto nil absurdius, "nec ab antiquiorum narratione dissonantius. "Verumtamen qua occasione Campanus Princeps *Robertus* hanc novam acceperit denomi-

" nationem, comperti nil ego vix habeam,
" &c. Infrà subdit: In antiqua Chartula à supe-
" rius dicto Michaele Monacho relata *Philippus*
" quidam præsentis Principis Roberti II avun-
" culus, idemque cognomine appellatus legitur
" de Surrento; quippe qui filius fuerat *Sergii*
" Principis Surrentini, ejusdemque Sergii filia,
" Philippi soror conjugio copulata Principi Ca-
" puæ Jordano II *secundum* hunc genuit *Rober-*
" *tum*, quod ex vetusto Diplomate descripto
" in Latina Historia Neapolitana pag. 515. At-
" tentè idem amicus & doctus vir observavit.
" Noster igitur Robertus vitam ducens exu-
" lem ex ignota nunc occasione maternæ Patriæ
" cognomen videtur usurpasse, qui cùm filius
" fuisset Jordani II, nepos Jordani I ac pro-
" nepos Richardi I Campanorum Principum
" Normannorum jure sibi hæreditario debitum,
" ut Tyrius loquitur, Campani Principatus
" possessionem reposcebat, quod etiam affirmat
" Falcandus: *Robertus*, inquit, *Surrentinus à*
" *Capuanis suscipitur, & hæreditario ad se jure*
" *pertinentem occupat Capuæ Principatum.* Quæ
" jura minimè ex materno, sed ex paterno ei ge-
" nere competere potuisse, est satis superque
" manifestum. Hæc Peregrinius. Michael iste Monachus tantopere à Peregrinio laudatus Canonicus erat Ecclesiæ Metropolitanæ Capuanæ, & Auctor libri, cui titulus: *Sanctuarium Capuanum*, Neapoli apud Octavium Belcanum anno MDCXXX in 4°. impressum.

VI.
Belli Neapolitani aliqua circumstantia.

Aliquas hujus belli circunstantias notavit Ceccanus in Chron. *MCLV indict. III hoc anno Cancellarius Guillelmi Regis Siciliæ cum maxima gente infra mensem Maii venit Ceperanum, & in tertio Kalendas Junii crematum est. In Kal. Junii in terra Sancti Petri exivit ad montem Sancti Joannis, & ibi III Nonas Junii cremavit castrum Babuci. Postea venit Frusinonem, & cremavit Tuderiam, & sic reversi sunt. Deinde venit Rex* (nempe Fridericus) *Romam, & coronatus est à Papa Hadriano in festivitate Sancti Petri, & reversus est Spoleti, & cremavit illum, & reversus est in terram suam. Et duodecimo Kalendas Septembris Marsburellus cremavit arcem* (Spoletanam). *Postea venit Apostolicus cum Cardinalibus in VII Idus Octob. ad civitatem Soranam, & dedicavit, ibi Ecclesiam Sancta Maria, & Dominus Apostolicus unà cum Principe recepit Capuam, & aliam terram.*

VII.
Privilegium Equitibus Hierosolymitanis à Papa concessum.

A num. XXV ad XXX. Anastasius Papa anno superiori *Raymundo de Podio* Magistro Hospitalis Hierosolymitani, & Fratribus seu Equitibus ejus anno superiori Rescriptum Apostolicum direxit, quo statuit, ut quascumque possessiones, quæcumque bona ad sustentandam peregrinorum & pauperum necessitatem Xenodochio offerri contingeret, vel jam concessa essent, quieta semper & integra possiderent. *Quia vero*, subdit, *omnia vestra sustentationibus peregrinorum & pauperum debent cedere, ac per hoc nullatenus aliis usibus ea convenit applicari, constituimus, ut de laboribus, quos vestris sumptibus colitis, nullus omnino Clericus vel laicus decimas à vobis exigere præsumat, statuimus, ut nulli Episcopo in Ecclesiis vobis subditis interdicti vel suspensionis excommunicationis sententiam liceat promulgare.* Concedit & aliqua alia Privilegia ibidem expressa, & jam à præcedentibus Pontificibus Romanis data confirmat. In fine legitur: *Datum Lateran. XII Kal. Novemb. indict. IV, incarnat. Dom. anno MCLIV Pontificatus Domini Anastasii IV Papa anno secundo*, sed loco, *indictione IV*, legendum, *indictione III.* mense Septembri superioris Christi anni cœpta. Referuntur eæ literæ inter Privilegia Equitum Hierosolymitanorum.

VIII.
Natum inde dissidium inter eosdem & Clerum Hierosolymitanum.

Guillelmus Tyrius, qui postea Tyrensis Archiepiscopus fuit, & Historiam Hierosolymitanam scripsit, lib. 18. cap. 5. queritur, Equites Hierosolymitanos tam Fulcherio Patriarchæ, quàm ceteris Ecclesiarum Orientalium prælatis, *multas tam super parochiali jure, quàm super jure decimationum cœpisse inferre molestias: ante Sanctæ Resurrectionis Ecclesiæ januas in ipsius* (Patriarchæ) *contemptum, & contumeliam Ecclesiæ, ædificia cœperunt erigere multò sumptuosiora & sublimiora plurimùm, quàm illa habet Ecclesia, quæ Domini Salvatoris in Cruce dependentis pretioso dedicata est sanguine*, subdit Tyrius. Quotiescumque de more Patriarcha in Ecclesia ad populum loquebatur, aliquod præstabant Equites impedimentum pulsantes campanas, ita ut Patriarchæ vox audiri non posset: *usque ad eam temeritatem, ausu Diabolico & spiritu furoris concepto pervenerunt, ut armis correptis, tanquam in domum alicujus gregarii irrumperent in prædictam Deo amabilem Ecclesiam, & sagittas tanquam in speluncam latronum jacularentur multas: quas postmodum collectas & redactas in manipulum, ante locum Calvariæ, ubi crucifixus est Dominus, sunt dependentes, & nos ipsi vidimus, ut alii viderunt infiniti.* Deinde capitibus sequentibus narrat Tyrius institutionem eorum Ordinis dicens eos sibi elegisse Patronum Sanctum Joannem Eleemosynarium Alexandrinum Patriarcham, *cujus eleemosynas in perpetuum narrabit omnis Ecclesia Sanctorum*: sed eos deinde, multiplicatis in immensum divitiis, per Ecclesiam Romanam à manu & potestate Patriarchæ fuisse emancipatos. Hinc, inquit, *Fulcherius* Patriarcha variique Prælati, quos memorat, venerunt cum eo in Italiam ad Pontificem Romanum, ut ab eo peterent rescissionem literarum ab Anastasio IV eisdem concessarum; sed Hadrianus IV, qui ei successerat, nihil in eis innovare voluit.

IX.
Guillelmus Tyrius Equitibus Hierosolymitanis parum æquus.

Tyrius cap. 8. Suddit quosdam dixisse Hadrianum Papam *muneribus infinitis corruptum in partem Hospitalariorum* se dedisse proclivem, *qui jam ad eum multò ante prævenerant.* Post aliqua interposita subjungit: *De tanta autem Cardinalium turba, vix reperti sunt duo vel tres, Dominus scilicet Octavianus, Dominus Joannes de Sancto Martino, qui ejusdem Domini Patriarchæ, dum esset Tyrensis Archiepiscopus, Archidiaconus fuerat, qui Christum sequentes, ejus ministrum in causa sua piè vellent vovere. Alii omnes abeuntes post munera secuti sunt vias Balaham, filii Bosor.* Ex his perspicuum est *Guillelmum Tyrium* adeo fuisse adversùs Equites Hierosolymitanos commotum, ut ipsum etiam Hadrianum IV Pontificem, quem constat à muneribus alienissimum, summaque integritate prædictum extitisse, in crimen vocet, meliores Cardinales vituperet, & nonnisi *Octavianum*, qui postea sub nomine Victoris IV Antipapa fuit, & *Joannem* Cardinalem de Sancto Martino qui cum solo Guidone Cremensi, postea Antipapa sub nomine Paschalis III Octavianum elegit, laudibus ad cœlum efferat: qua in re eò magis reprehensione dignus, quò hæc

scripserit

scripserit Victore IV Antipapa demortuo, & Alexandro III tam ab Ecclesia Occidentali quàm Orientali Pastore universali agnito. Fides itaque *Tyrio* adversùs Cardinales illos, & Hierosolymitanos Equites loquenti non adhibenda, explodendumque commentum, quod ipse tot viris doctis persuasit Sc. Hierosolymitanos Equites, postquam divitiis abundarunt, erubuisse Patronum suum Sanctum *Joannem Eleemosynarium*, & *Sanctum Joannem Baptistam* in ejus locum adoptasse.

X. *Profectio Hispanica Ludovici VII Franciæ Regis.*

Hujus anni initio paulò postquam *Anduxarem* Mauri recuperassent, *Alphonsus Imperator*, ut referunt antiqua monumenta apud Sandovalium fol. 208. Erâ MCXCIII *Metercosam*, vulgo *Pedrazza*, Hispaniæ Tarraconensis oppidum occupavit. Interim *Hyacynthus* Cardinalis Sanctæ Sedis Legatus *Vallisoleti* Concilium, quod dicitur generale, idest nationale, celebravit, ut discimus ex Charta ab Infanta Sancia, die XXV Januarii Erâ MCXCIII dita. Adhæc exeunte hoc anno, & ultimis ejus diebus *Ludovicus* VII Galliæ Rex cum Constantia uxore ad aulam Imperatoris venit, ut testantur Rodericus lib. VII cap. IX, & Lucas Tudensis, Scriptores horum temporum proximi. Plerique quidem Francorum Scriptores hanc profectionem Hispanicam tacent, & Sandovalus de ea valde dubitat, quòd Hispaniæ Notarii eventus singulares in Chartis plerumque notarent, qui tamen istius non meminêre. Verùm non mirum si in Chronicis in Francia scriptis hujus peregrinationis nulla mentio fit, cùm quæ res ultimis annis Ludovici VII Regis gestas referunt, valde contracta sint, præsertimque triginta ultimis Regni ejus annis. Præterea ipsemet Sandovalus hujus rei nobis probationem suppeditat; exhibet enim donationem factam ab Alphonso Imperatore *Moreruela*, quæ prima in Hispania Ordinem Cisterciensem suscepit, quæque sita est in Zamorensi diœcesi ac in regione Legionis, ex qua liquet Constantiam Reginam, quæ anno MCLIV Ludovico VII Francorum Regi nupserat, hoc anno exeunte in Hispania fuisse. Data ea die prima mensis Januarii Erâ *MCXCIV*, in eaque hæc verba leguntur: *Ego Aldefonsus Imperator Felix, inclytus, triumphator ac semper invictus, totius Hispaniæ divina providentia famosissimus Imperator, una cum uxore mea Imperatrice domna Rica, cum filiis meis Sanctio & Ferdinando Regibus, simul etiam cum filiabus meis Constantia inclyta Francorum Regina, & Sanctia nobili Regina Navarra, facio Chartam donationis*, &c. Incredibile autem Constantiam ipso nuptiarum suarum initio sine marito in Hispaniam venisse, ibique usque ad initium mensis Octobris, sequentis Christi anni, ideoque plus novem mensibus, ibi mansisse. Id enim probat insignis Charta Asturicensis Ecclesiæ, ibidem à Sandovalio relata, in qua Alphonsus Imperator & Rica Imperatrix cum Sanctio & Ferdinando filiis nominantur, *simul cum filiabus meis*, inquit Alphonsus, *scilicet Constantia inclyta Francorum Regina, etiam Sanctia nobili Navarra Regina Era MCXCIV, VI Octob.* Interim habes in his Chartis totam Alphonsi Imperatoris familiam.

XI. *Suscepta orationes gratiâ ad S. Iacobum.*

Ad hæc Robertus de Monte hujus temporis Auctor hanc profectionem memorat in suo Chronico: *Ludovicus Rex Francorum gratiâ Orationis perrexit ad Sanctum Jacobum de Gallicia, & ab Imperatore Hispaniarum socero suo favorabiliter susceptus est in Hispania.* Fallitur tamen dum hæc refert ad annum MCLIV, sicut hallucinatus est in anno ejus matrimonii, ad annum MCLIII scribens: *Ludovicus Rex Francorum duxit uxorem filiam Alphonsi Regis Hispaniarum, quem quia principatur Regulis Aragonum* (nempe Raimundo Berengario Aragoniæ, & Sanctio Navarræ) *Imperatorem Hispaniarum appellant.* Narrant Rodericus & Lucas Tudensis Alphonsum Imperatorem magnificè Regem excepisse, eum usque ad sanctum Jacobum perduxisse, indeque redeuntem Toleti Curiam celebrasse tam Christianorum quàm Arabum, suo imperio subjectorum. Fallitur tamen Rodericus cum Reginam Franciæ *Isabellam* appellat, & Lucas Tudensis, cùm ait Ludovicum Regem in Hispaniam perrexisse, ut certò sciret, an verum esset, quod aliqui dixerant, *Constantiam* nempe ex vilissima concubina ortam. Hoc enim absurdum.

XII. *Series Patriarcharum Constantinop.*

Neophyto incluso Patriarchæ CP. incerto anno demortuo successit *Constantinus Chliarenus*, Diaconus & sacelli Præfectus, & huic *Lucas Chrysoberges*, ut patet ex Serie Episcoporum Byzantii, à Leunclavio edita, in qua cùm anni Sedis horum Patriarcharum injuriâ temporis deleti fuerint, scire tantum possumus *Lucam* currenti anno Pontificatum iniisse, quod colligimus ex duratione Sedis Patriarcharum, qui usque ad hujus seculi finem sedere. Baronius prætermisit *Neophytum*, & *Constantinum Chliarenum*, & præterea Lucæ Chrisoberges initium non bene cum anno MCXLVIII alligat; sed Onuphrius in Chron. hoc anno & sequentibus hujus seculi horum Pontificum Chronologiam exactè digessit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6649.
☉ 17. A G. ☽ 17. P. 15. April. Indict. 4.
JESU CHRISTI 1156.
HADRIANI IV. PAPÆ 3.
FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 5. IMP. 2.
MANUELIS COMNENI IMP. 24.

Anno Eræ Hispan. MCXCIV. Anno Hegiræ DLI inchoato die 23 Febr. fer. 6.

I. *Gesta inter Papam & Guillelmum Siciliæ Regem.*

ANnum. I ad X. Joannes de Ceccano in Chron. Gesta hoc anno in Italia seu in Regno Neapolitano hoc modo refert, *Indict. IV hac siquidem anno Guillelmus Rex Siciliæ pugnavit cum Græcis apud Brundusium, & devicit eum. Dein venit Barim, & destruxit eum, & fecit ex eo villas. Inter hæc Robertus Princeps* (nempe Capuæ) *fugit, & captus est à Comite Richardo cum suo filio & filia in Trajectu, & datus est in manus prædicti Regis. Deinde venit Beneventum, ubi erat Hadrianus Papa cum Comite Roberto de Rotello* (vel de Loritello), *& cum Comite Andrea* (de Rupecanina), *& cum multis aliis, & ejecit eos inde, & fecit finem cum domino Papa, & fecit ei jurandum, & dominus Papa concessit ei totam terram quam in se tenebat. Mense Madio Simon Soranus interfectus est à suis hominibus; filius ejus Simon fecit vindictam pro eo; fecit cremare, & prædare totam civitatem. Post hæc ascendit in arcem Surelle & rebellavit se Regi. Tunc Rex fecit obsidere eam per totum annum, & eo amplius, & non potuit eam acquirere, & Papa reversus est Romam.*

II. *Pax sancitur inter Hadrianum Papam & Siciliæ Regem.*

Narrat Signnius lib. XII Hist. de Regn. Ital. *Guillelmum* Siciliæ Regem pacem ab Hadriano IV postulasse, & spopondisse si se beneficiarium Ecclesiæ confirmaret, Romanorum adversus eum contumaciam compressurum: quam conditionem cùm *Hadrianus* Papa repudiasset cum ingentibus copiis è Sicilia in Apuliam transiit Guillelmus, Græcos prælio vicit, *Barum* in potestatem adductum planè evertit, & Hadrianum Papam in tantas difficultates adduxit ut de pace componenda cogitarit. Hanc in rem Guillelmum ad pedes procidentem in gratiam recepit, & ligium de more homagium facientem, Regem Siciliæ declaravit. Quæ summatiè narramus, ut quæ Baronius habet ex Auctoribus illius temporis melius intelligantur. Nunc audiendus Anonymus Casinensis in Chron. ad hunc Christi annum: *Willelmus Rex Siciliæ venit Brandusium, & cepit illud mense Maii, die vigesimo octavo, & destruxit Barum; deinde venit Beneventum ad Papam Hadrianum, cum quo paciscens securè permisit exire regnum, Comitem Lorotelli, & Comitem Andriæ* (sed loco, Andriæ legendum, *Andream*, juxta MSS. à Peregrinio visa. Est is porrò Comes Andreas de Rupecanina), *& alios socios eorum prece ipse ipsius Papæ. Quo audito Robertus de Surrento fugit, sed captus apud Cajetam* (in MSS. à Peregrinio visis loco Cajetæ habetur Garilianum.) *in carcerem est ad Siciliam deportatus, & non post multum temporis obiit.*

III. *Aliqui à pace exclusi.*

Peregrinius in Notis ad Anonymum Casinensem pag. 135. & seqq. contendit eum malè scripsisse *Hadrianum* IV obtinuisse liberi commeatus tesseram pro Comitibus Lorotelli, & Andrea de Rupecanina, aliisque qui Beneventi erant; quod probare conatur ex Falcando in Hist. de Calamitatibus Siciliæ, & Tyrio lib. 18. cap. 8. cujus verba Baronius num. I & seq. recitat. Sed neuter Anonymo Casinensi contradicit; hic enim tantum asserit, *Hadrianum* IV in eorum gratiam obtinuisse à Guillelmo Rege, ut de regno exire possent, desertendo scilicet bona sua. Falcandus verò & Tyrius tantum tradunt, hos Proceres exclusos *omnes à fœdere*, scilicet pacis. Profectò qui patriam deserere cogitur, ac bona sine ulla recuperationis spe non potest dici in fœdere pacis comprehensus. Hi itaque Auctores Anonymo Casinensi non adversantur, sicuti nec Romualdo Salernitano Archiep. qui idem asserit ac Anonymus, ut ipsemet Peregrinius fatetur. *Romualdus* autem non solum hoc tempore in Apulia vivebat, sed & rerum quæ gerebantur, pars erat.

IV. *Obitus Roberti de Surrento Capuæ Principis.*

Quod spectat ad Robertum Capuanum Principem, qui Benevento aberat, nullus scripsit Hadrianum IV ei salvum conductum obtinuisse, isque captus fuit à Comite Fundano, ut prodit Romualdus Salernitanus: *Jam Garilianum fluvium pertransiens, Richardus de Aquila Comes Fundanus, qui homo ejusdem Principis erat* (nempe vassallus) *positis insidiis ipsum cepit.* "Peregrinius citatus rectè suam de Roberto isto narrationem concludit. Et Roberti quidem secundi hic fuit vitæ finis, postquam tertia tandem vice Principatum Capuæ detinuisset, à mense Septembri anni MCLV, ad Junium anni sequentis, mensibus ferè novem, annumque numerare cùm cœpisset, ut Chartulæ antiquæ non unæ sunt documento, vigesimum nonum ab suscepto post patrem *Jordanum* II Principatu, hoc est ab Januario anni MCXXVII. Quocirca ex Campanorum Principum albo expungendus, qui nunquam in vivis fuit, nullisque priscis Auctoribus est cognitus, tertius exterusque Princeps *Robertus*, ex patria, sive urbe, sive gente falsò recentioribus reputatus *de Surrento*.

V. *Wallenses reliquiæ sunt antiquorum Britonum.*

Antiqui Britanni Wallenses dicti, sub Henrico II novo Principe Anglorum jugum excutere tentarunt, uti narrat Willelmus Neoburgensis lib. II cap. V qui licet annum rei gestæ non memoret, quia tamen id subsequenti anno contigisse alii Historici Angliæ indicant, & Neoburgensis narratio Historiam Angliæ mirè illustrat, eam hîc referre juvat: *Inter Regem & Wallenses gentem inquietam & barbaram discordia oritur: dum vel ille aliquid insolitum per potentiam ab eis exigeret: vel illi silvis, montibus, vallibusque suis plus justò confisi, tanto Principi per insolentiam, solita denegarent. Sive etiam propter inquietudinem & clandestinos, in vicinos Anglorum fines, excursus. Rex verò immensis ex tota Anglia copiis congregatis, regionem Wallarum, qua facilior aditus videbatur, ingredi statuit. Porrò illi convenientes, excubabant in terminis & in planum progredi, vel aperto bello, cum loricatis congredi levis armaturæ homines declinantes delitescebant in silvis, & viarum angustias observabant. Sanè Wallenses, reliquiæ Britonum esse noscuntur: qui hujus Insulæ (quæ nunc Anglia dicitur, olim Britannia dicebatur) incolæ primi fuerunt, ejusdemque nationis ac linguæ esse probantur, cujus & Britones transmarini. Cùm autem gens Britonum à supervenientibus Anglorum populis exterminium pateretur: qui evadere potuerunt refugerant in Wallias contra irruptionem hostium, naturæ beneficio tutas, ubique hæc natio perseverat usque in præsentem diem.*

VI. *Hominium præstant Henrico II Angliæ Regi.*

Pergit Neoburgensis: *Regio quippe illa tractu propensiori ad prospectum Hiberniæ super mare Occidentale jacens, alio latere regionibus Anglicis jungitur: & fere tota, vel Oceano vel vivis saltibus, absque difficultatibus cingitur: ideoque difficillimos habet accessus, sive ingressus. Introrsus autem inextricabiles quosdam noscitur habere recessus: ita ut quam periculosum est potenti cuilibet eam cum exercitu ingredi; tam impossibile sit, eam cum exercitu pervagari. Gignit autem pro sui natura homines moribus barbaros, audaces & infidos, alieni sanguinis avidos, & proprii prodigos, rapinis semper inhiantes, & tanquam transfuso à natura odio, genti Anglorum infestos. Habet quidem pro eo quod saltuosa est, uberrima alendis pecoribus pascua, sed plani parum habens, & frugum infœcunda, alendis propriis non sufficit filiis, sine invecto ex intimis Angliæ provinciis commeatu. Quem nimirum quoniam sine beneficio vel permissu Regis Anglorum habere non potest, ejus cogitur ditioni subjacere. Et si fortè per latrocinales excursus à quibus propter infrænatam barbariem vix temperat, eum irritaverit, iram ejus diu non sustinens cogitur eum placare. Igitur Rex fines hostium, cum naturæ & malitia locorum multum luctando ingrediens, infausta negotii initia habuit.* Narrat postea partem exercitus exceptam insidiis periclitatam esse; signum Regium, cujus conspectu exercitus animandus erat, amissum, sed tandem Regulos munitiones suas Henrico Regi tradidisse, & hominium illi præstitisse. Quando *Wallia* Coronæ Angliæ accesserit infrà referemus.

VII. *Obitus Petri*

Hoc anno mortuus est *Petrus Venerabilis* Clu-

niacensis

SÆC. XII. An. C. 1156. *Venerabilis Abbatis Cluniacensis.*

niacensis Abbas, natione Arvernus, sanctitate & doctrina celeberrimus, qui in Martyrologio Benedictino inscribitur ad VIII Kal. Januarii, quo animam Deo reddidit, ut fidem facit Radulphus Monachus ejus discipulus, qui vitam & mortem ejus descripsit, apud Duchesnium in Notis ad lib. I Epistolarum ejus pag. 103. *Recessit sanctus iste illa hora de corpore, qua credimus Dei Verbum natum de virgine matre: & bene hanc, ut ascenderet, horam elegit, qui nato descendenti humiliter semper servivit. Nascente ergo Christo Virgine de Virgine matre in terris, Petrus Virgo assumitur in cœlis, ut qui gaudium singulis nativitatis devotè celebraverat cum peregrinis quandiu vixerat, modo & hora ejus Nativitatis reciperet fructum devotionis in sede æternitatis.* Portò hîc observandum in Biblioth. Cluniacensi in Vita Petri Venerabilis pag. 601. dici Radulfum Vitam Sancti patris & mortem descripsisse, & hæc verba ex illo afferuntur: *Anno Dom. Incarnat. MCLVII prima ipsius anni die, reverendus & cum multo honore recolendus Dominus Petrus Abbas viam universæ carnis ingressus est; & illa hora sancta anima ejus discessit, qua credimus verbum Dei*, &c. Turbavit Auctorem Chronici Cluniacensis & Andream Duchesnium, qui Epistolas Petri Venerabilis notis illustravit, annus ille Incarnationis MCLVII, & Criticos in duas sententias distraxit, aliis hanc mortem cum anno MCLVI, aliis cum anno MCLVII alligantibus. Verùm cùm Radulphus Monachus diem Nativitatis Christi primum anni diem appellet, certum est, eum annum à Natali Christi inchoasse, ideoque & explicandum de anno eræ nostræ vulgaris MCLVI. Infrà videbimus erratum etiam fuisse à variis doctis mortem Sancti Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis cum anno MCLXXI connectentibus, quod Historici Angli, qui eam narrarunt, quique à natali Christi annum incœpêre, scripserint Sanctum Martyrem passum die XXIX Decembris anni MCLXXI, quo tamen die adhuc in cursu erat annus eræ vulgaris MCLXX.

VIII. *Matrimonium Frederici Imp cum Beatrice.*

Fredericus Imperator, relicta uxore sua, duxit Agnetem filiam Comitis Burgundionum, Rainaldi nomine, ultra Saunam; quam patruus suus Comes Willelmus, arcta turris custodia diu clausam tenuerat; sed de manibus ejus liberata, Imperatori copulata est, inquit Scriptor Auctarii Affligemensis, qui tamen perperam Agnetem vocat, quam alii passim Beatricem vocant. Hoc matrimonio Comitatus Burgundiæ ditionibus Frederici Imp. accessit. Vehementer tamen argutus fuit ab Hadriano Papa, *pro uxoris suæ prima divortio. Quod ille ægrè ferens, Cardinalibus Romanis introitum civitatum & Ecclesiarum regni sui interdixit. Henricus Marchio Austriæ creatur primus Dux Austriæ à Frederico Imp. Ratisponæ*, ut legitur in Additamento Auctarii Affligemensis ad hunc annum, & ab aliis confirmatur.

Anno Eræ Hispan. MCXCV. Anno Hegiræ DLII inchoato die 13 Febr. fer 4.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6650.
☉ 18. F. ☽ 18. P. 31. Matt. Indict. 5.
JESU CHRISTI 1157.
HADRIANI IV PAPÆ 4.
FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 6. IMP. 3.
MANUELIS COMNENI IMP. 15.

I. *Initium dissidii inter Hadrianum IV & Fridericum Imp. exorti.* SÆC. XII. An. C. 1157.

A num. I ad XVI. Baronius num. I & seq. investigat annum, quo inter *Hadrianum* Papam & *Fridericum* Imperatorem dissidium exortum est, atque Radevicum rectè scripsisse illud hoc anno contigisse; Ottonem verò à Sancto Blazio in Appendice ad Ottonem Frisingentem non bene illud ad præcedentem retulisse. Sed unus alteri non adversatur; cùm Otto dissidium ad annum, quo duo Legati ab Hadriano IV ad Fridericum Imp. missi sunt, referat; Radevicus verò ad præsentem, quo malè uterque Legatus ab Imperatore exceptus fuit. Anno superiori *Hadrianus* IV cernens se à *Willelmo* Siciliæ Rege male haberi, pacem cum eo iniit, inscio & inconsulto Imperatore, qui tunc Willelmum ex Italia penitus expellere meditabatur, huncque Siciliæ & Apuliæ Regem declaravit & confirmavit. Quod cùm accepisset Imperator, graviter offensus inhibuit, ne ullus Episcopus, Archiepiscopus aut quivis Sacerdos ullam à Pontifice Romano Beneficiorum collationem expeteret, aut ulla de causa Curiam Romanam adiret. Huic edicto paruere multi, & inter alios *Albertus* de Marcy, qui eo anno renunciatus Episcopus Virdunensis impetravit à Friderico Imp. confirmationem Comitatus Virdunensis Ecclesiæ suæ, codicillis eo anno die XVI Kalendas Septembris datis, & ab eo solo investituram Episcopatûs sui petiit. Hæc jam non occulta simultas Pontificem commovit, qui ad eum Cardinales duos *Rolandum* Cancellarium, & *Bernardum* Sancti Clementis Presbyterum cum literis misit acrimoniæ plenis, in quibus hæc verba inter cetera continebantur: *Debes, gloriosissime fili, ante oculos mentis reducere quàm gratanter, & quàm jucundè alio anno* (vel ut legit Baronius num. IX anno superiori) *mater tua sacrosancta Rom. Ecclesia te susceperit, quanta cordis affectione tractaverit, quantam tibi Dignitatis plenitudinem contulerit, & honoris, & qualiter Imperialis insigne coronæ libentissimè conferens, benignissimo gremio suo tuæ sublimitatis apicem studuerit confovere, nihil prorsus efficiens quod Regiæ voluntati vel in minimo cognosceret obviare.*

II. *Gravia mala ex illo nata.*

Quibus ex verbis liquet, *Hadrianum* IV, non hoc anno, sed superiori has literas cum Legatis ad Imperatorem destinasse, anno postquam Imperatorem coronavit. Illis supra modum commotus est Imperator, quod videretur diadema debere Pontifici; commoti quoque Proceres Germanici, parumque abfuit, quin manus in Legatos injicerent, injecissentque nisi tumultum Imperator præsentiâ suâ sedasset. Illi Romam præsenti anno reversi, quanto in periculo fuissent, exponunt, & verbis etiam augent. Literas quoque ab Imperatore dant *Hadriano* IV satis duras, in quibus *Fridericus* nomen suum Pontificio præposuerat. Hinc plebs Romana in duas partes scinditur; alii Imperatori faventes Legatorum temeritatem accusant; alii & præcipuè Cardinales Papam ad ultionem injuriæ accendunt. Lis tamen stetit intra verba, & hinc inde acres tantum Epistolæ missæ. Richardus Vasseburgus lib. 4. Antiquit. Belg. duas ex archivis Ecclesiæ Virdunensis publicavit, alteram ab Hadriano IV ad Fridericum, alteram à Friderico ad Hadrianum scriptam. Prior legitur nunc Tom. X Concil. pag. 1149. & utraque apud Baronium ann. MCLIX num. V & seq. Hoc dissidium totam Ecclesiam duas in partes divisit, & ex eo gravissima odia atque mala in universum populum Christianum redundarunt,

dundatuor, tandemque *Hadriano* IV vita functo *Fridericus* contra Alexandrum III legitimum eius successorem quatuor falsos Pontifices sibi mutuò succedentes subrogavit.

III. *Queritur Hadrianus PP. quod Fridericus ultus non fuerit injuriam factam Archiep. Lundensi.*

Accidit etiam aoon sopetiori quod narrat Hadrianus Papa in suis ad Fridericum Imp. literis per Legatos missis apud Baronium num. II. Queritur in iis Hadrianus IV, quod dum *E. Londonensis Archiep.* à Sede Apostolica remearet, in Teutonicis partibus captus fuerit, & adhuc in custodia teneatur, ad cujus facinoris ultionem Fridericus exurgere debuisset: *Tu verò*, inquit Hadrianus, *id ipsum ita dissimulasse diceris, sævitiam neglexisse, quod eosdem non est quare poeniteat commisisse reatum, quin impunitatem sacrilegii quod gesserunt, jam jam sentiunt invenisse.* Quod Hadrianus Papa inter causas numerat, quibus motus fuerit ad duos Cardinales Legatos ad Imperatorem mittendos. Verùm loco, *E. Londonensis Archiepiscopus*, legendum, *E. Lundensis Archiepiscopus*, & intelligendus Eskyllus, quem ex illis verbis emimus anno superiori peregrinationem instituisse ad Hadrianum Papam, qui illum Legatum suum in Dania constituerat, *ut quicunque maximi Sueonum Pontifices creandi essent, Pallio à Curia dato per Lundensem insignirentur Antistitem; eamque sedem pro patrio venerarentur obsequio*, sicut ait Saxo Grammaticus lib. 14. Hinc Sirmondus in Notis ad Epist. XXIII lib. 1 Petri Cellensis de Eskyllo rectè scribit: qui cùm ex Urbe in Daniam rediret, captus, spoliatusque fuit in Germania. „Quæ res, dum injuriam, missis ad *Fridericum* „Imp. Legatis acriùs persequitur *Hadrianus* IV „Pontifex, cui *Eskyllus* privato etiam nomine „charus erat, exacerbatis hinc inde animis ansam præbuit schismati, quod inter illos erupit, ut inquit Radevicus lib. 1. de Gest. Friderici cap. 8. & seqq. sed apud Radevicum, *Londonensis* vitiosè scriptum est; fœdiùs etiam apud „Innocentium III Epist. CCCXXI *Lugdunensis*, pro Lundensi. Ita Sirmondus. Quæ conjectura eò certior, quò nullus hoc seculo E. Episcopus Londinensi Ecclesiæ præfuerit. Præterquam quod *Londonia* Sedes est Episcopalis, non verò Archiepiscopalis.

IV. *Fridericus decernit bellum contrà Mediolanenses.*

Anno MCLVII, inquit Dodechinus Abbas in Chron. *Imperator Pascha Wormatia celebravit, ubi penè omnes Principes Teutonici regni convenerunt, & in Longobardiam sequenti anno cum Rege se ituros juraverunt.* Interea vehementer ira incensus Imperator expeditionem contra Mediolanenses in annum currentem indixerat, tametsi eam postea distulerit in annum MCLVIII, ut adversùs Polonos procederet.

V. *Apulia bello flagrat.*

Bellum in Apulia continuabatur, Anonymus enim Casinensis hoc anno scribit: *Mense Novembris Comes Andeus* (idest, Andreas juxta MSS.) *cepit terram Fundanam & Aquinum, & terram sancti Benedicti* (territorium Montis Casini), *deinde cepit Cominum.* Erant hi inimici Guillelmi Siciliæ Regis qui Monachos Casinenses adoriebantur, quòd Abbas Rainaldus anno præcedenti recuperavit gratiam Regis Guillelmi apud Salernum. Joannes de Ceccano in Chron. ad annum MCLVII hæc confirmat: *Indictione quinta venit Comes Andreas cum Romanis & Græcis & aliis multis, acquisivit totam terram Fundanam, & cremavit Trajectum pro vindicta Principis* (nempe Capuani ibi per proditionem capti) *acquisivit terram sancti Benedicti, post hac intravit Cominum, & cremavit portam, & perrexit usque Atinum, & reversus ad Aquinum.*

VI. *Moritur S. Guillelmus Eremitarum fundator.*

Sanctus *Guillelmus* cognomento *Magnus*, Eremita in Stabulo-Rodis, in Etruria hoc anno ad cœlestem patriam migravit. Theobaldus enim in eius Vita in Actis SS. Bollandianis ad diem X Februarii recitata, post varia eius miracula in medium adducta, ait: *Igitur anno Verbi incarnati millesimo centesimo quinquagesimo sexto* (à Paschate inchoato) *quarto Idus Februarii mortuus est, & sepultus in Stabulo Rodis vir Dei Willelmus, Dux & Comes illustris & magnificus, Domino coronante in cælis spiritum, & ornante in terris corporis sepulchrum sequentibus signis.* De ordine Eremitarum sancti Guillelmi, & fabulis de Guillelmo confictis legendus Henschenius in Notis ad eius Vitam.

VII. *Obitus Alphonsi VII Castellæ Regis.*

Alphonsus VII Hispaniarum Imperator expeditionem in Mauros suscepit, quam Rodericus lib. cap. 9. confundit cum ea, in qua Beatia & Almeria captæ; sed hunc errorem corrigit Tudensis, cùm scribit: *Imperator Adelphonsus cùm in santa consisteret gloria, & corporis ægritudine laboraret, fœdifragus populus Barbaros contra illum erexit, sed Imperator, ut erat magnanimus, dissimulans ægritudinem cum manu Gothorum* (ita Proceres Hispanos appellat) *maxima contra Mauros perrexit. Qui ut viderunt eum cum magno exercitu, colla ei illicò submiserunt; sed crescente ægritudine, dum ad propria rediret, juxta portum, qui vocatur Muradal in loco, qui dicitur Fresneda, Domino, ut credimus, spiritum tradidit anno quadragesimo nono, ex quo regnare cœpit*, ubi Tudensis Regni eius initium reperit ab anno MCIX, quo Alphonsus VI Castellæ & Legionis Rex obiit. Rodericus laudatus eius mortem referens, ait: *Cùm venisset ad ilicem quandam frondibus densam & ramis, ibidem infirmitate vexatus vitam finivit*, sed existimo eum falli, & locum *Fresnedam* dictum pro arbore ilice dicta sumsisse. Priusquam moreretur divisit imperium duobus filiis suis, Sanctio scilicet & Fernando; illi Castellam, huic verò Legionem dedit.

VIII. *Patriarchatus Gradensis ampliatur.*

Hadrianus IV literis Romæ *VIII Kal. Maii* Pontificatus sui anno primo datis, ut dignitatem Gradensis Ecclesiæ ampliaret, utque Jadertinis magis consuleret, Henricum Gradensem Patriarcham Primatem eis præposuit. Hoc autem anno confirmavit Constitutiones Pelagii, Alexandri, & Urbani II Pontificum Rom. quibus Patriarchalis dignitas Gradensi Archiepiscopo conceditur, literis datis *Laterani, Idibus Junii, indict. V Incarnat. Dominica anno MCLVII*, Pontificatus sui anno III. Tum eodem die ei permittit, ut Constantinopoli, & in aliis urbibus Imperii Constantinopolitani, in quibus Veneti plures habent Ecclesias, Episcopos ordinare & consecrare possit: *Tibi & successoribus tuis, auctoritate Apostolica duximus concedendum, ut in Constantinopolitana urbe, & in aliis civitatibus, in Constantinopolitano duntaxat imperio constitutis, in quibus Veneti plures habent Ecclesias, ubi videlicet eorum multitudo consuevit assiduè convenire, liceat vobis Episcopum ordinare, & absque alicujus contradictione munus ei consecrationis impendere.* Referuntur ex Hadriani IV literæ Tom. X. Concil.

SÆC. XII. An. C. 1158. cil. pag. 170. & seqq. ex iisque liquet, hoc tempore, imperante scilicet Manuele Comneno, inter Latinos & Græcos aliquam concordiam viguisse.

IX. *Expeditio Hierosolymitana Theoderici Flandriæ Comitis.* *Theodoricus* Comes Flandriæ, uti refertur in Auctario Affligemensi, jam tertiò Hierosolymam profectus, cum quibusdam Principibus terræ suæ, uxore sua *Sybilla* & copioso belli apparatu, Comitatum suum Philippo filio reliquit. Hierosolymam *Theodoricus* in tanta perturbatione invenit, ut jam timerent Crucesignati finibus suis expelli. *Noradinus* enim Sanguinii filius rupto pacis fœdere quosdam Regis milites cepit, Regem *Amalricum* in fugam conjecit, terramque usque maritima progrediens, multa cæde vastavit. Sed Theodoricus Comes adjuncto sibi Rege *Noradinum* cum suis superavit, & ad poscendam pacem compulit. Inde circa Natale Domini *Antiochiam* veniens, quæcumque Princeps ipsius *Raimundus* amiserat, cum maxima parte exercitus sui occisus, ipse Theodoricus recuperavit. Deinde *Cæsaream Cappadociæ* obsessam quartu die cepit, & quia retinere non potuit; evertit, biennio Hierosolymis ante discessum commoratus. *Sybilla* uxor Bethaniæ religionis habitum suscepit. Quæ fusiùs in eodem Auctario, in Annalibus Meyeri, & in Historia Tyrii lib. 18. cap. 16. & seqq. narrantur. *Sybilla* autem anno MCLXV, ut videre est in Auctario Aquicinctino, obiit, *postquam X annis Hierosolymis apud sanctum Lazarum servierat.*

Anno Eræ Hispan. MCXCVI. Anno Hegiræ DLIII. inchoato die 2 Febr. fer. 1.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6651.

☉ 19. E. ☽ 19. P. 20. April. Indict. 6.

JESU CHRISTI 1158.

HADRIANI IV PAPÆ 5.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 7. IMP. 4.

MANUELIS COMNENI IMP. 16.

I. *Italia bellis turbata.* AD num. 1 & seqq. Baronius de pace inter Hadrianum IV & Fridericum Imp. sancita, & de gestis in Italia tantùm sermonem habet, quibus sequentia addemus & alibi gesta ab eo omissa supplebimus. In Anonymo Casinensi ad hunc annum legitur: *Comes Andria* (corrige, Andreas) *sexto die mense Januario cepit sanctum Germanum, & Raynaldus Casinensis Abbas, & Alfanus Capuanus Archiepiscopus, & quàmplures alii Cassinum conscenderant. Temam autem* (corrige, terra) *sancti Benedicti reddidit se præfato Comiti Andrea, qui sequenti die ascendit Cassinum, & acriter pugnavit, sed nihil profecit; postmodum exivit de regno. Imperator Constantinopolitanus fecit pacem cum Rege Siciliæ* (scilicet Guillelmo) *usque ad triginta annos. Teutonicus Imperator in Lombardiam veniens Mediolanum obsedit, & Cremam, quam tandem igne combussit*, sed anno MCLX ut ibidem dicetur.

II. *Bellum Neapolitanum.* Præterea idem Joannes Ceccanus ad hunc annum hæc prodit: *Indictione VI hoc anno in festivitate Innocentum feriâ quartâ post Epiphaniam* (nota festum Innocentium post Epiphaniam hoc tempore in Campania celebratum fuisse) *perrexit Comes Andreas super civitatem sancti Germani, & pugnavit cum militibus Regis, & devicit eos. Apprehendit ex illis plusquam ducentos, & omnia spolia eorum. Alii fugerunt ad monasterium sancti Benedicti, & Comes misit civitatem in suo jure, & ascendit in montem, & possedit* (idest juxta loquendi modum ab hoc Auctore usurpatum, obsedit, ut ex infrà dicendis liquebit) *monasterium usque in festo quadraginta Martyrum. Dimisit omnem terram, & exivit Anconam, deinde ivit ad Imperatorem qui obsidebat Mediolanum.*

III. *Bellum Mediolanense.* Fridericum autem hoc anno in Italiam descendisse, & primùm Mediolanum obsidione cinxisse certum est. Principium fecit ab obsidione castelli, quod *Arcus Romanus* vocabatur. Hæc de ea Galuaneus Flamma cap. 270. apud Puricellum in Monument. Ambros. num. 416. *Imperator habito consilio Principum, dixit Duci Bohemiensi: Si poteris Arcum triumphalem expugnare, ego faciam te ex Duce Regem, & feuda Imperialia, quibus obligaris, relaxabo. Erat autem Arcus triumphalis quadam turris ex lapidibus vivis, politis opere mirifico. in cujus pede erant quatuor arcus: & erat situata in loco, ubi est Hospitale leprosorum, ante Portam Romanam. Dux Bohemiæ inanimatus totam suam gentem in quatuor partes divisit. Prima cohors pugnabat contra Arcum triumphalem à prima usque ad nonam, cohors à nona usque ad noctem, tertia cohors à sero usque ad noctem mediam, quarta cohors à nocte media usque ad diem. Cumque continuatis bellis nostros cives usque ad noctem mortem diu noctuque expugnaret, Arcum obtinuit; & tota civitas obriguit. Et tunc Imperator ipsum Ducem Bohemiæ in Regem ejusdem regni coronavit in Ecclesia sancti Ambrosii extra civitatem, & omnia gravia onera, quibus Imperio erat obligatus, relaxavit.* At hæc magna ex parte falsa; Fridericus enim antequam Mediolanum venit, *Uladislaum* Bohemiæ Ducem Ratisbonæ Regem renunciarat, uti discimus ex Radevico Ottonis Frisingensis Continuatore, lib. 1. cap. 12. *in eadem Curia* (Ratisponæ habita) *Dux Bohemorum Ladezlaus ... qui nuper in expeditione Polonica claruerat* (anno scilicet præcedenti), *adeo ut ob merita charus effectus ab Imperatore ac imperii primis ex Duce Rex creatur anno ab Inc. Dom. MCLVIII. Suscepto itaque Privilegio de usu diadematis, aliisque regni insignibus lætus revertitur, & ad Italicam expeditionem Rex pariter cum Imperatore fastu Regali profecturus accingitur.*

IV. *Bohemiæ Dux fit Rex.* Thomas Joannes Pessina Episcopus Samandriensis & Decanus Ecclesiæ Metropolitanæ Pragensis in Marte Moravico Pragæ anno MDCLXXVII evulgato, lib. 3. cap. 5 contendit, *Uladislaum* Bohemiæ Ducem hoc anno nomen ac coronam Regiam consecutum non esse, sed tantum anno MCLXII post primum bellum Mediolanense confectum. Verum eum hoc anno honore illo donatum certum & indubitatum esse debet; Radevico enim citato Ligurinus, aliique Antiqui consentiunt. Hæc Ligurinus qui hoc tempore vivebat lib. 6. pag. 72. loquens de rebus hoc anno in Conventu Ratisponensi gestis:

Hoc quoque Conventu Procerum Dux ille Bohemus
Famâ Labeslaum, quem nominat, ob sua gesta
Fortiter, & bello nuper spectata Polono,
Ex duce Rex fieri meruit, gessitque potenti
Sceptra manu, cinxitque novo diademate crines.

Pessinam,

Pessinam, aliosque decepêre verba, quibus conceptum est Privilegium tunc Uladislao Regi creato concessum; eo enim circulum ei concedit Imperator, eumque Ducem appellat. Recitat illud integrum Pessina, ex quo pauca hæc descripsi: Noverit posteritas, qualiter nos Wladislao Duci Bohemiæ *ob insignia servitii & devotionis, tam ejus, quam omnium Bohemorum meritu, honoris insigne, quo avus & ceteri ejus progenitores Duces Bohemiæ beneficio Imperialis Excellentia, ceteris Ducibus præeminebant, circulum videlicet gestandum concessimus, & per eum omnibus successoribus suis in perpetuum decernimus*, &c. *Datum Ratispona XV Kal. Febr. indict. V anno MCLVIII, regni nostri anno VI, imperii III.* Uratislaus Bohemiæ Dux seculo superiori ab Henrico Imp. Bohemiæ Rex dictus fuerat, & hanc dignitatem Fridericus Imp. hoc anno Uladislao restituit. Circulum autem aureum Regibus absque corona tribui ostendunt exempla à Ducangio recitata in voce *circulus aureus*. Sed hæc longioris discussionis sunt, quam ut possint in tam brevi Opere pro dignitate explicari.

V. *Mediolanenses se Friderico Imp. dedunt.*

Redeo ad Mediolanenses, quos Otto Morena in sua Laudæ civitatis Historia testatur sese Friderico Imp. dedidisse: *Mediolanenses itaque videntes totam eorum terram destrui, scientes etiam se non posse defendere; timentesque insuper ne Imperator ab obsidione non discederet, donec ipsos caperet, cum ipso Imperatore pepigerunt; ac se in ejus manibus ponentes, et de suis præceptis observandis plures ducentis obsidibus tradiderunt. Post hæc itaque ab obsidione discedens, ibique de suis relinquens, qui fidelitatem à Mediolanensibus exigerent, & reciperent, Modoetiam perrexit; ibique militibus de Martesana & de Seprio convenientibus, & pactum cum ipso ineuntibus, omnibusque sibi fidelitatem facientibus, eos in sua tuitione accepit.* Fridericus Mediolanum ingressus non est, sed die VI Idus Septembris Mediolanenses ad suos pedes prostratos excepit, & *à Mediolano castra movens apud Modoicum* (vulgò Monza) *sedem regni coronatur*, inquit Radevicus cap. 43.

VI. *Inter Franciæ & Angliæ Reges pax summa viget.*

A rebus Italicis ad Anglicas transeo. Gervasius in Chron. ad hunc Christi annum scribit: *Rex Henricus transfretavit, & Parisius profectus à Rege Franciæ Lodovico in magna gloria & honore susceptus est, filiam ejus,* (Margaritam appellatam) *filio suo Henrico petiit & accepit. Eo tempore per industriam Thomæ Cancellarii* (postea Archiepiscopi Cantuatiensis ac Martyris) *à Lodovico Rege Francorum Christianissimo, viro tamen nimis simplici obtinuit, ut quasi Senescallus Regis Francorum intraret Britanniam, & quosdam ibidem inter se inquietos & funebre bellum exercentes coram se convocaret & pacificaret, & quem inveniret rebellem, violenter coerceret. Hic fuit primus ingressus ejus super Britones edomandos, & sic civitatem de Nantes ad jus dominationis suæ inflexit. Dehinc expugnato Toarco, Regem Franciæ à Cenomannica urbe ad Montem Sancti Michaelis, & exinde per Bajocas, Cadomum, Rotomagum, non impari quam ille eum per Franciam gloria & honoris magnificentiâ in Franciam deduxit.*

VII. *Actum de matrimonio inter filiam Regis Franciæ & filium Regis Angliæ.*

Sed hæc magis explicanda. Henricus II Angliæ Rex anno MCLVII Thomam Cantuariensem Archidiaconum, prece & consilio *Theobaldi* Cantuariensis Archiepiscopi Cancellarium Regni sui constituit, uti narrat Hovedenus ad eum annum. Tum eum in Galliam hoc anno misit *Margaritam* Regis Francorum filiam, Henrico filio suo in conjugem accepturus, uti refert Matthæus Parisius; sed licet matrimonii tractatus hoc anno cœptus fuerit, matrimonium tamen nonnisi post sequentem annum conclusum. Interim Gaufridus Henrici Angliæ Regis frater obiit, & *idem Rex transiens Nanneticam civitatem jus suum recepit*, inquit Matthæus Parisius hoc anno. Robertus verò de Monte in Chron. ad hunc annum testatur, Henricum Regem evocatum à Rege Francorum cum paucis Parisios venisse, & inæstimabili honore exceptum esse. Subdit: *Inde rediens filiam Regis Francorum secum adduxit, & eam ad custodiendum & nutriendum Roberto de Novoburgo fideli suo tradidit*; quod ideo factum, quia inter matrimonii futuri leges una erat (multæ postea discordiæ seminarium); ut dotis nomine *Gisortium* Normanniæ oppidum, quod Galli occupabant, in Anglorum Regis jura transiret, cùm *Margareta*, quæ tantum triennis erat, Henrico Regi nuberet, interim in sequestrorum manibus esset, & Margarita in soceri potestate. Quæ ad dicendorum intelligentiam præmittenda fuêre.

VIII. *Obitus Sanctii III Castellæ Regis.*

Sanctii Castellæ Regis dominatio brevis fuit, cùm inter Hispaniarum Historicos, conveniat, eum anno superiori Regem creatum, & currenti ultimo die mensis Augusti vita functum. Rodericus lib. 7. cap. 9. ait Sanctium regnasse *annum unum*, quod & legitur in Additamento ad Pelagium Ovetensem; *Regem Sanctium, qui post mortem patris per unum solummodo annum regnavit; alterum Regem Fernandum regnantem* (eo itaque adhuc vivente Auctor Additamenti vixit) *in Legione, & in terra beati Jacobi Apostoli*, id est, in Gallæcia. Tudensis Sanctio assignat annum unum & dies duodecim, verùm secundùm librum, cui titulus *Tumbus Niger S. Jacobi*, supra annum dies tantum septem regnavit, in eo enim legitur Alphonsum Imp. *era MCXCV, VIII Kal. Septemb.* Demortuum, & omnes tradunt Sanctium die XXXI Augusti eræ MCXCVI naturæ debitum soluisse. Moretus in Investigat. Regni Navarrici pag. 664. & seq. refert se legisse antiquam inscriptionem marmori in Ecclesia Sanctæ Mariæ Fuselensis insculptam, in qua dicitur: *Erà MCLXXXXVI Rex Sanctius dompni Aldephonsi Imperatoris Hispaniarum filius dedicavit cantum* (idest, *angulum*, ut explicat Ducangius in voce cantus) *Ecclesiæ Fuselensis, Raimundo Gilberti existente Abbate ejusdem Ecclesiæ, & eadem era prædictus Rex domnus Sanctius obiit ultimo die Augusti.*

IX. *Ei succedit Alphonsus VIII filius.*

Alphonsus adhuc puerulus *Sanctio* patri in Regnum Castellæ successit, magno Castellanorum damno. Sandovalius fol. 213. ait multas Chartas superesse datas erâ MCXCVI Alphonso puerulo Toleti regnante & Fernando ejus patruo Legione. Inter Castellæ Proceres magnæ dissensiones fuêre occasione tutelæ Regis pueruli, adeo ut Fernandus partem Castellæ Regni occuparit: *Mortuo ejus fratre Sancio*, inquit Tudensis ad eram MCXCVI, *maximam partem regni Castellæ obtinuit. Nutriebat quidem ipse fratris Adephonsum puerulum, quem dedit Comiti Manrico* (vulgò de Haro) *ad custodiendum. Tunc regnavit Fernandus Rex in toto imperio patris sui, unde Rex Hispaniarum fuit vocatus; sed concordantibus Comite Manrico & fratre ejus Comite Nunno cum omnibus, qui ad regnum Castellæ pertinebant,*

Adephonsum

SÆC XII. An. C. 1158.

Adephonsum filium domini sui Regis Sanctii sibi Regem constituerunt. Ferdinandus autem Rex, ut erat pius & hilaris, acceptavit quod fecerant Castellani. Per pueritiam Alphonsi VIII non solum Aragoniæ & Navarræ Reges jugum sibi ab Alphonso Imperatore impositum excussère, sed etiam Sanctius Sapiens Navarræ Rex ab eo tempore quæ Prædecessores & ipsemet ultra Ebrum fluvium amiserant, aut saltem maximam partem recuperavit.

X. *Calatrava traditur Raimundo Fiteriis Abbati.*

Hujus anni initio rumor fuit, Mauros Africæ quamptimum in regiones Sanctii Castellæ Regis hujus nominis III cum ingentibus copiis irruptionem facturos. *Fratres autem militiæ Templi*, inquit Rodericus lib. 7. cap. 14. *qui arcem Calatrava tenebant, timentes quod non possent Arabum violentiæ obviare, ad Regem Sanctium accesserunt supplicantes, ut & arcem & villam Calatrava acciperet, quia non erat eis facultas Arabibus resistendi, nec inventus fuit aliquis de potentioribus, qui vellet defensionis periculum expectare.* Quare Raimundus Abbas Fiteriis Ordinis Cisterciensis sollicitatus à Didaco Velasqui, quondam strenuo in officio militari, & à juventute cum Rege Sanctio enutrito accedens ad Regem petiit Calatravam. Abbas cum Didaco Monacho venerunt statim ad Joannem Primatem Ecclesiæ Toletanæ, qui fecit *publicè prædicari, ut omnes euntes in auxilium Calatravæ omnium peccatorum veniam mererentur.* Res adeo feliciter successit, *ut vix esset, qui aut in propria persona non iret, aut equos, aut arma, aut pecunias in subsidium largiretur.* Rex Sanctius dedit Abbati in possessionem perpetuam, villam & præsidium Calatravæ, sicque *Agarenorum exercitus, de quo rumor increverat, non advenit.* Literæ donationis Calatravæ referuntur in Prologo libri de Origine & constitutionibus Ordinis Calatravæ, & datæ dicuntur *era MCXCVI mense Januario anno quo Dominus Aldephonsus famosissimus Hispaniarum Imperator obiit.* Sanctius Navarræ Rex uti testis aut confirmator subscripsit primus cum Proceribus, & post hos Joannes Archiepiscopus Toletanus cum aliis Episcopis. Licet autem Alphonsus Imperator anno superiori obierit, Hispani tamen sæpe in literis Regiis non ad annum Julianum, aut eræ currentis, sed ad eum cujus nondum duodecim menses effluxère, respiciunt.

XI. *Instituitur Militia Calatravæ.*

Raimundus Abbas Calatravæ Militiam instituit, quæ amplexa est Regulam Cisterciensium, *temperato habitu, ut militaris agilitas exposcebat*, inquit Rodericus laudatus. Primus Ordinis Magister fuit frater Garsia, qui ea dignitate jam potiebatur *octavo Kalendas Octobris, indict. XIII* anno MCLXIV, quo Alexander III confirmavit institutionem hujus Ordinis Literis suis in citato libro de Origine & constitutionibus Ordinis Calatravæ recitatis. In iis Pontifex jubet, ut Abbati Cistereiensi fratres omnes subdantur, qui tamen postea subjecti fuère immediatæ jurisdictioni Abbatis Morimundi in Francia.

XII. *Instituitur Militia S. Juliani.*

Eodem circiter tempore *Ordo militaris Sancti Juliani de Perrero* in Regno Legionensi initium sumsit. Manricus in Annalibus Cisterc. hoc anno cap. 1. postquam de utroque Ordine locutus est, ait ex Religionibus militiæ sacræ deditis, quibus floret Hispania, non aliam antiquiorem inveniri quam Calatravæ, quippe talis à primo sui exordio, ad cujus normam aliæ surrexère. Nam ceteræ, aut sub ipsa militarunt, scilicet *Christus, Avis, Montesia*, aut militare ab ipsa didicerunt: San-Julianea, eisdem susceptis legibus, cùm sub nullis vixisset duobus annis. Divi Jacobi anterior Congregatio, sed non Religio, & Congregatio adeo depravata (verba sunt Prologi ad ipsius Regulam) ut ex atrocitate flagitiorum magis, quàm ex fidelium propugnatione designaretur. Itaque ante Ferdinandi Regis tempora (nam in regno Legionis initium sumsit) militum potius indulgentium mundanæ gloriæ, & terrenis affectibus, quam infestantium inimicos Crucis Christi Conventus fuit. At postquam Calatravæ novos milites, atque Sancti Juliani Cisterciensium viderunt adscriptos Regulæ, sanctum eorum zelum æmulati Canonicos Regulares elegerunt, quibus se sociarent, & quorum instituta profiterentur.

SÆC. XII. An. C. 1159.

XIII. *Leges Manuelis imp. in favorem Ecclesiæ.*

Manuel Græcorum Imperator *Anno imperii sui decimo quinto decrevit, ut nemo deinceps sacris apud Byzantium monasteriis negotium facesseret de iis prædiis, quæ quocumque in loco illa possiderent. Hancque donationem confirmavit libello, qui, quod aureo sigillo munitur, Aurea Bulla vocari vulgò solet. Unde nullum hactenus Monachum Judicum fores pulsantem videre est, utpote cùm nihil adsit, de quo lis intentari iis queat. Et hac quidem sic se habet Constitutio. Cùm verò omnium plerique dierum lege exciperentur, quibus nimirum vel Dominica à Christianis mysteria peragebantur, vel magni alicujus viri agebatur memoria, fiebat ut judicia in Republica in immensum prolatata, nunquam ad exitum perducerentur. Exinde vidi ego homines in litibus senescentes, imo & immorientes iisdem. Sed pessima lex ista novo Decreto in Republica abolita est. Quippe Imperatoris Edictum, neque dies festos omnino ut profestos haberi statuit, neque tamen dilationibus hujusmodi trahi in infinitum judicia; sed religiosos & rerum forensium immunes illos esse decrevit, in quibus aliquando Deus singulare in homines beneficium contulisset: ceterùm alios totos festos esse, alios intercisos, ita ut nimirum horis matutinis lege agere non liceret, post meridiana autem integra partibus admittendis vacarent*, inquit Cinnamus lib. VI num. VIII. Prioris Constitutionis meminit Baronius anno MCXLVIII num. XLIV; posteriorem verò recitat anno MCLXVI num. ult. de utraque Novella Cinnamus hîc uno tenore locutus est.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6652. — Anno Eræ Hispan. MCXCVII. Anno Hegiræ DLIV inchoato die 23. Januar. fer. 6.

☉ 20. D. ☽ 1. P. 12. April. Indict. 7.

JESU CHRISTI 1159.

ALEXANDRI III PAPÆ 1.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 8. IMP. 5.

MANUELIS COMNENI IMP. 17.

I. *Fridericus frustrà tentat sibi subjicere Mediolanenses.*

Ad Num. I ad XVIII. Fusè narrat Baronius gesta inter Hadrianum Papam & Fridericum Imp. ut concordia inter Sacerdotium & Imperium restitueretur, & omittit quæ pertinent ad dissidium, quod inter eumdem Imperatorem & Mediolanenses versabatur, quæ ideo nobis hîc supplenda. Hoc anno juxta tractatum habitum cum Mediolanensibus *mense Januario Fridericus binos è suis Proceribus Mediolanum misit Legatos, qui novos Consules creent;*

seu iidem furenter à Mediolanensibus repelluntur, ut habet Otto Morena à Puricello in Monument. Basilic. Ambr. num. 419. citatus. Radevicus lib. 2. cap. 21. ait, duos illos Proceres fuisse Ottonem Comitem Palatinum, & Rainaldum Cancellarium. Hic postea Archiepiscopus Coloniensis creatus & *Archicancellarius* Imperii in Italia nuncupatus, quæ dignitas penes ejus successores usque ad nostra tempora fuit, licet nullum ei nunc munus attribuatur; sed Rainaldus hoc & superiori anno nondum Archicancellarius Italiæ erat; ea enim dignitate potiebatur Fridericus Coloniensis Archiepiscopus, ut patet ex Charta ab eo in gratiam monasterii Sancti Dionysii Mediolanensis emissa, apud Puricellum in Dissert. Nazariana cap. 104. num. 12. dataque *anno MCLVIII in Roncalia XV Kal. Decembris*, aliaque scripta IV die Aprilis anno MCLIX recitata à Petro Maria Campi in Historia Ecclesiæ Placentinæ part. II pag. 358. in qua Rainaldus dicitur tantum Cancellarius. Archicancellarius juxta Ottonem Morenam electus fuit anno MCLXI, quô Fridericus Imp. in Italia agens postremam Mediolanensem obsidionem suscepit, *Rainaldus quoque Cancellarius, & tunc electus Archicancellarius Coloniæ*. Post hæc Archicancellarius nominatur.

II. *Mediolanenses Legatos ejus ex urbe expellunt.* Hæc optimè à Tristano Chalco lib. IX narrata. *Fridericus*, inquit, *in Montem Ferratum hibernatum abiit ..... deinde mense Januario anni MCLIX agens Occimiani Montis ferrati oppido Fridericus, menteque agitans varios in se Italorum populorum affectus, iis, quibus majores opes esse audiebat, atrocia minabatur. Placentinis signanter imperatum, ut turres eminentiores ad viginti brachiorum altitudinem deprimerent, & fossas urbis implerent*, &c. *Eodem tempore Mediolanum venêre Rainaldus Coloniensis Archiepiscopus, & Otto Comes Palatii, qui hospitium in Cœnobio Ambrosiano honorificè sortiti vocatis præsidibus consilii civitatis suadere eis nixi sunt, ut ipsi quoque potestatem Cæsaream, quemadmodum aliæ urbes fecerant, acciperent. Id verò novum erat, & manifestè contra conventa proximæ pacis. Quare studiosi libertatis Actius Bultafrius, Castellinus Ermenulfus, & Martinus Malopera ingenti animo se se opponentes, multitudini suaserunt, ne omnino huic jugo colla submitterent, manifestaque servituti se se addicerent. Quorum oratione adeo incensi, inflammatique sunt odio peregrini Magistratus civium animi, ut ad ejiciendos ab urbe Legatos concurrerint, & tumultu ipso illi penè oberitis fuerint. Hi ad Fridericum reversi illatam injuriam retulerunt, nec mediocriter conceptam in Mediolanenses indignationem auxerunt.*

III. *Idem à Cremensibus passi sunt.* Fridericus statim Legatos ad Cremenses misit, quos malè acceptos fuisse tradit Otto Morena, *ut muros & fossata castri Cremæ ab eo die usque ad Sanctam Mariam, quæ dicitur Cerealis* (intelligit Purificationem Beatæ Virginis à cereis sic appellatam) *destruerent. Ipsi verò Cremenses hoc audientes, & in magnum dedecus accipientes, super ipsos Legatos fortiter irruerunt, & interficere volebant; sed ipsi fugientes & se abscondentes, vix evadere potuerunt. Quod cùm evenisset, valde tristes ad Imperatorem redierunt, renunciantes ea, quæ sibi Cremenses fecerant.* Hac rebellione bellum vehementiùs in Italia inflammatur; Fridericus enim vindictam de hac injuria sibi à Mediolanensibus illata sumere, ipsique se se fortiter defendere decrevêre, ut refert Guillelmus Neubrigensis lib. 2. cap. 8. Jam tamen anno superiori Mediolanenses se se ad vim repellendam parantes suburbana civitatis everterant, teste Roberto de Monte, qui hoc tempore vivebat, & qui ad annum MCLVIII ait: *Eodem anno inventa sunt trium Magorum corpora, qui salvatorem nostrum infantem adoraverunt in Bethleem, in quadam veteri capella juxta urbem Mediolanum, & præ timore Friderici Imperatoris Alemannorum, qui eamdem urbem veniebat obsidere, levata, & in civitate posita.*

IV. *Moritur Hadrianus IV PP.* A num. XVIII ad XXVIII. *Anno MCLIX, dum esset Imperator in obsidione Cremæ, dominus Papa Hadrianus defunctus est apud Anagniam* inquit Auctor Chronici Reicherspergensis. Eum verò *Anagniæ* demortuum alii etiam produnt, uti Joannes de Ceccano, qui diem & feriam, quibus morte sublatus est, notavit: *Indictione VII hoc anno Hadrianus Papa venit Anagnim, & ibi defunctus est Kalendis Septembris feriâ tertiâ, & divisa est Ecclesia.* Kalendis Septembris eum vita functum non tantum Alexander III in Epistola ad Bononienses data & à Baronio num. XXXV & seqq. relata affirmat; sed etiam Fridericus Imp. in Epistola Herimanno Brixiensi Episcopo missa, quæ extat apud Baronium num. LII & seq. Alexander III in dicta Epistola num. XXXVI ait, Hadrianum post mortem Romam adductum, & *pridie Nonas Septembris in Ecclesia B. Petri* tumulatum, die scilicet quarta mensis Septembris. Quare vel hallucinatus est Auctor Chronici Reicherspergensis, qui tradit, Hadrianum defunctum *II Kal. Septemb.* ac corpus ejus Romam allatum, & *IV Nonas Septembris* humatum, vel quod verosimilius, numeri mendosè descripti sunt. Magis peccatum in Necrologio Casinensi à Caraciolo edito, in quo dicitur, Hadrianum IV Papam *III Kal. Septemb.* obiisse; cùm id neque de die sepulturæ, neque de die mortis interpretari possit.

V. *Duratio Sedis ejus.* Erratum etiam in diebus, quibus supra annos quatuor & menses octo Ecclesiam Romanam rexit; cùm enim anno MCLIV die tertia mensis Decembris consecratus fuerit, supra annos & menses sedit dies XXIX, die emortuali excluso; & tamen Ceccanus habet dies XXVII, & Auctor magni Chronici Belgici dies XIV. Baronius num. XXI & seq. refert *Hadriani* Papæ Epistolam Anglorum Regi scriptam, sine die & mense, in qua laudat eum, quod velit in *Hiberniam* intrare, & eam dominio Sancti Petri subjicere. Eamdem Epistolam recitat Radulphus de Diceto in Imaginibus Historiarum pag. 529. & eam cum anno MCLIV copulat. Verùm cùm *Henricus* II Rex Angliæ coronatus sit exeunte Decembri ejusdem Christi anni, non potuit eo anno literas ab Hadriano IV recipere, ideoque Matthæus Parisius eas accuratè cum anno MCLV connectit. Præterea Baronius num. XXIII ait, *Hadrianum* anno incerto Primatum *Eskyllo* Lundensi Archiepiscopo super Regnum Sueciæ tribuisse. Verum jam anno MCLVII ostendimus, Eskyllum anno MCLVI Hadrianum Papam visitasse, & ab eo creatum esse Primatem.

VI. *Alexander III Papa eligitur & consecratur.* A num. XXVIII ad XLIX. Sepulto Hadriano Papa Episcopi & Cardinales *pridie nonas Septembris* convenerunt, & *per trium dierum spatium adinvicem de ipsa electione pertractantes*, tandem omnes præter Octavianum tituli Sanctæ Cæciliæ, Joannem tituli Sancti Martini, & Guidonem

nem tituli Sancti Callysti Presbyteros Cardinales convenerunt in personam *Rolandi Cancellarii*, quem Alexandrum Papam III nominarunt, & elegerunt, ut refert Baronius ex Codice Vaticano num. XXIX. Addit Baronius ex eodem Codice Vaticano num. XXXII Cardinales & Episcopos *in vigilia B. Matthæi Apostoli ad Nymphas pervenisse*, & Alexandrum III *ipsa Dominica die*, in quam vigilia illa incidebat, consecratum fuisse à Cardinali Ostiensi. Ipsemet Alexander apud Baronium num. XXXVIII ait, se apud Nympham *die Dominico* ordinatum, ideoque vigesima die à morte decessoris; indeque apparet, Bromptonum in Chron. non malè scripsisse Sedem vacasse *dies viginti*, licet pressiùs loquendo dies tantùm sex vacaverit; cùm Alexander III die septima mensis Septemb. Pontifex electus sit.

VII *Electio Victoris IV Antipapæ.* Octavianus Cardinalis, qui ad Apostolicam jamdiu Cathedram aspiraverat, ubi vidit Alexandrum III electum, Pontificatum invasit: *Octavianus Presbyter Card. Sanctæ Cæciliæ*, inquit Auctor Chronici Reicherspergensis, *qui à duobus tantum Cardinalibus fuit electus, Joanne videlicet de Sancto Martino & Guidone Cremensi, & in prima Dominica mensis Octobris est consecratus a Tusculano Episcopo Imaro Cardinale, non legitimo tamen ordinatore qui & dictus est Victor.* De hoc schismate Auctor Anonymus Casinensis scribit: *Omnes Cardinales elegerunt Cancellarium in Papam Alexandrum. Guido de Crema, & Ramundus & Episcopus Tusculanus* (Imarus nempe, qui fuerat Monachus Cluniacensis) *elegerunt Octavianum Cardinalem in Papam Victorium, & sacratus est Pharphum* (idest, in Abbatia Farfensi non longè à civitate Rumana sita), *& Alexander prius sacratus est Nymphæ. Hoc anno crematus est Piperrius & Fummone. Ubaldus Episcopus Ferentinus ivit cum Vicario ad Imperatorem.* Hic Ubaldus Vicarius fuerat Hadriani IV, &, uti habet Ughellus Tom. I Italiæ Sacræ, *Octavianum* Antipapam consecravit. Ciaconius addit Octavianum, cùm in parte sua nonnisi unum Episcopum Cardinalem haberet, *Imarum* tamdiu consecrationem protraxisse, quoad alios duos Episcopos, Ferentinatem sc. & Melphitensem invenit, à quibus Dominica prima Octobris inauguratus est. Victor Antipapa *Victor IV* à suis appellatus fuit.

VIII. *Hadrianus IV, non Benedictinus, sed Canonicus Regularis fuit.* Ceterùm malè aliqui Scriptores Benedictini tam *Hadrianum* IV, quàm *Alexandrum* III suo Ordini adjudicant. Id jam ostendimus de Hadriano IV anno MCXLVI, ubi vidimus eum Canonicum Regularem Sancti Rufi apud Avenionem extitisse, ac ejusdem Monasterii Abbatem, quod probavimus ex Guillelmo Neubrigensi hujus temporis Scriptore. At, inquit Vion, idem Historicus docet, *Hadrianum* IV & Robertum patrem ejus vitam monasticam professos esse in monasterio Sancti Albani. Verùm qui Neubrigensis verba à nobis ibidem recitata attentè legerit, inveniet Hadrianum IV nunquam Monachum in eo monasterio fuisse, sed *solum idem monasterium quotidianæ stipis gratiâ frequentabat, unde pater erubuit, verbisque mordacibus socordiam ejus increpitans, omni solatio destitutum, cum gravi indignatione abegit.* Vionem decepit modus loquendi variorum Scriptorum, qui Hadrianum IV professione Monachum fuisse tradidêre, Canonici enim Regulares *Monachi* & *Fratres* appellabantur, quia

eorum vita parùm à vita Monachorum distabat. Id quidem Vion negat, sed contra innumera Veterum testimonia. Thomas à Kempis Canonicus Regularis in libris à se pro suis Canonicis Regularibus editis, eos semper *Monachos* appellat, quia vitam communem servabant, uti Monachi in Monasteriis. *Hadrianus* IV Catecheses ad populos Norvegiæ & Sueciæ scripsit, Homilias quasdam, librum de Legatione sua, & alterum de Conceptione beatissimæ Virginis, ut videre est apud Oldoinum in Additionibus ad Ciaconium.

IX. *Alexander III, non Monachus Cisterciensis sed Canonicus Pisanus fuit.* Quoad Alexandrum III, Henriquez in Menologio Ordinis Cisterciensis ait, eum vitam monasticam professum in monasterio *Chiaravalle*, quod Puricellu in Monum. Eccles. Ambros. num. 424. valde probatur. Verùm hæc opinio planè evertitur verbis, quæ recitantur in Actis electionis Alexandri III ex codice Vaticano à Baronio relatis, ubi de eo legitur: *Cùm esset in Ecclesia Pisana Canonicus Clericus magni nominis ad hanc Sanctam Romanam Ecclesiam à beato Eugenio est vocatus.* Clariùs enim is Auctor loqui non potuit, ut ostenderet, Rolandum (ita vocabatur Alexander III ante Pontificatum) actu Ecclesiæ Pisanæ Canonicum fuisse, cum in Ecclesiam Romanam insertus est. Quare verum non est, eum vitam clericalem in monasticam mutasse, ut persuadere vult Henriquez, solidè ab Oldoino citato confutatus, perperamque Puricellus amore patriæ suæ obcæcatus scripsit; Tantus igitur Pontifex ad hæc nostra mo-„ numenta eo quoque titulo peculiariter perti-„ nebit, quod in ejusmodi monasterio (nempe „ Chiaravalle prope Mediolanum sito) Mona-„ chus vixerit.

X. *Fridericus Antipapæ favens indicit conventum in annum sequentem.* Anum. XLIX ad LXXIII. Post creationem Pontificis & Antipapæ, *Imperator indixit generalem Curiam Papiæ celebrandam omnibus imperii Principibus, tam Teutonicis quam Longobardis, ad quam etiam ambos electos Pontifices invitavit, ut ibi ex sententia & consilio Orthodoxorum inter eos lis & contentio decideretur* inquit Chronographus Reicherspergensis ad hunc Christi annum, cujus nomen latuit Christophorum Geuvoldum qui ejus chronicon anno MDCXI Monachii publicavit. Verùm Lambecius lib. VIII Biblioth. Cæs. pag. 77. ostendit eum fuisse Hermannum Abbatem Monasterii Reicherspergensis in diœcesi Pataviensi siti. De hoc Conventu Neubrigensis lib. 2. cap. 9. habet: *Et quidem pars major, saniorque in Rolandum ejusdem Ecclesiæ Cancellarium, virum religiosum & literatum concordans, eumdem ritu canonico consecravit. Pars verò nonnulla & ferè nulla in Octavianum nobilem virum conveniens, eumdem, divinum non verita judicium, execrationis elogio maculavit. Uterque in alterum excommunicationis & damnationis sententiam promulgavit. Uterque partem suam Ecclesiarum, & nobilium personarum favoribus munire curavit. Ille Alexander dictus juxta causæ meritum victor futurus. Iste nudo nomine & fallaci omine Victor dictus est, victi dedecus habiturus. Poterat sanè scissura illa citò resarciri, poterat multitudini paucitas cedere atque uniri, nisi Fredericus. Imperator veteri odio Rolandi Alexandrum non ferens, partem Octavianam tuendam, fovendamque modis omnibus suscepisset. Denique suæ ditionis Episcopos, scilicet Italicos & Teutonicos, præcepit Papiam communire* (legendum, convenire) *tan-*

quam ad discussionem & examen, cujussuam partis merita præponderarent; re autem vera, ut Alexandri parte depressa, partem alteram approbantes dicti Victoris præmaturam victoriam celebrarent. Partibus quoque mandavit, ut adessent Concilii suscepturæ decretum.

XI. *Ecclesia Orientalis Alexandrum III. Pastorem universalem agnoscit.*

Ad num. LXXIII & seq. Alexander III in Concilio Nazareno Pontifex agnitus est ab Orientalibus Ecclesiis, uti refert Baronius ex Guillelmo Tyrio lib. 18. cap. 29. Verùm cùm Alexander III die tantum vigesima mensis Septembris consecratus fuerit, & postea Joannem Cardinalem tituli Sanctorum Joannis & Pauli Legatum ad partes orientales miserit, Concilium Nazarenum nonnisi anno sequenti celebrari potuit. Hujus Concilii Synodica Epistola ad Alexandrum III, quam Baronius non viderat, refertur Tom. X Concil. pag. 1404. Vestram, inquiunt Amalricus Patriarcha & ejus suffraganei, *Epistolam in præsentia omnium Tyrensis & Nazareni, & reliquorum Fratrum & filiorum nostrorum, legimus diligenter & relegimus. Audita verò contumaci & temeraria perversitate, & perversa temeritate, Octaviani scilicet, & pseudofratrum suorum I. & G.* (idest, Joannis & Guidonis) *pertimuimus: & quia ab unitate sanctæ Matris Ecclesiæ recesserant, doluimus: Attamen intellecta postmodum venerabilium fratrum & dominorum nostrorum Episcoporum, & ceterorum Cardinalium concordi & sana unanimi voluntate, cognito etiam assentientis Cleri & acclamantis populi assensu & desiderio super electione & consecratione vestra tam sancta & canonica,* &c. *ipsam eamdem Sacrosanctam & ordinariam electionem & consecrationem vestram,* &c. *approbavimus communiter & concorditer approbamus; & excommunicatis schismaticis, Octaviano, I. & G. cum suis fautoribus, quantum in nobis vos in dominum temporalem & patrem spiritualem elegimus unanimiter, & voluntariè recepimus.*

XII. *Annus mortis Ottonis Frisingensis in controversiam vocatur.*

Otto Frisingensis Episcopus, non hoc anno, ut putavit Baronius, quem plerique secuti sunt, sed antecedenti ad Deum migravit, ut jamdiu aliqui viri Docti scripsere, sed quod solus, quem viderim, probavit Puricellus in Monument. Basilicæ Ambrosianæ num. 600. & nos magis declarabimus. Difficultas inde orta quod Radevicus Capellanus ejus, qui & ipsius Historiam continuavit, lib. 2. cap. XI dicat: *Anno ab Incarnat. Domini MCLIX, indictione VII, regnante serenissimo Imperatore Friderico, anno imperii ejus III, regni V, memoratus Antistes Otto, ab hac luce, Deo vocante migravit.* Capite autem insequenti Radevicus asserit mortuum eum *X Kalendas Octobris.* Quæ temporariæ notæ cùm inter se incompossibiles sint, Baronius & sectatores ejus solum annum Incarnationis retinendum censuêre, & reliquos characteres emendarunt. Verùm tam annum Incarnationis, quàm alias notas temporarias corrigendas, legendumque, *anno ab Incarnat. Domini MCLVIII, indict. VI, anno imperii ejus quarto, regni septimo,* penes me certum. Radevicus enim è cujus præsertim testimonio tota hæc quæstio pendet, de morte ejus locututus ait: *Supradicto Principe Friderico patruo suo in Italicam expeditionem iter agente* (anno nempe MCLVIII, ut ibidem narravimus) *cùm & ipse* (scilicet Otto nepos ejus) *sicut necessarius, & pernutilis imperii negotiis, ire debuisset; nutu divino contigit iter ipsum detrectare, ut vir religiosus inter manus fratrum erantium, potius quam inter strepitum prælantium expirans, dicere posset: Domine suscipe me, ut cum fratribus meis sim,* &c. *Accepta autem de hac probabili petitione fideli laudamento, ad propria reversus est.* Refert postea Radevicus voluisse eum mori inter Fratres Morimundenses, subditque: *Deinde multa prius cordis contritione, & humili confessione reatum suum recognoscens, sumtis sacrosanctis mysteriis, in medio multitudinis sanctorum tam Episcoporum, quàm Abbatum Domino spiritum reddidit,* die scilicet XXII mensis Septemb. ideoque anno MCLVIII, quo Fridericus in Italiam profectus est.

XIII. *Ejus mors anno superiori certò contigit.*

Radevicum de eo Christi anno, non verò de currenti interpretandum, ipsemet docet lib. 2. cap. XII cùm dicit: *Ottone Episcopo X Kalendas Octobris, quod est circa solstitium brumale* (quæ ultima verba videntur addita ab aliquo imperito, qui æquinoctium autumnale cum solstitio hyberno confudit) *defuncto, paucis pòst mensibus, Nonis Aprilis, quæ tunc fuit Dominica Palmarum, & est circa Solstitium æstivale, hora matutina, civitas Frisingensis penitus & penitus incendio conflagravit.* Hoc verò anno dominica Palmarum incidit in Nonas Apriles, seu in diem quintum ejusdem mensis. Quare Otto Frisingensis anno superiori obierat; cùm præsenti civitas Frisingensis die quinta Aprilis conflagrarit. Radevicus, postquam lib. 2. cap. XI & XII de Ottonis Frisingensis morte sermonem habuit, mox cap. XXI seditionem Mediolanensem, quæ occasione Legatorum à Friderico missorum excitata est, memorat; hanc autem Otto Morena testis ocularis scribit motam *mense Januario anni* MCLIX, ideoque Ottone Frisingensi demortuo. His junge quæ Radevicus cap. XXIII refert: *Fridericus in villa, quæ vocatur Antimiacum, festivitatem Luminum* (Purificationem Beatæ Virginis) *celebrans* Conventum habuit Germanorum adversùs Mediolanenses: *erant ibi*, inquit Radevicus, *absque laicis Optimatibus Episcopi Eberhardus Babembergensis, Albertus Frisingensis*, &c. Quamobrem Albertus in festo Purificationis anni MCLIX Ottoni jam successerat. Puricellus alia argumenta ex Historia Radevici deprompta ad annum emortualem Ottonis Frisingensis magis confirmandum in medium adducit, & fusè ostendit numeros, quibus Radevicus ejus mortem consignat, mendosè descriptos fuisse, sed perperam credit indictionem VII mutandam non esse, non advertens Germanos indictiones à die vigesima quinta mensis Septembris exorsos esse, ideoque anno MCLVIII, die XXII mensis Septembris indictionem septimam nondum in cursu fuisse.

XIV. *Magis confirmatur.*

Porrò cum Guntherus Poëta Historiam Ottonis Frisingensis & Radevici ejus Continuatoris in synopsim redigat, ex ejus poemate certò eruitur, *Ottonem Frisingensem* jam anno superiori vitam cum morte commutasse. Is lib. IX pag. 418. refert Legationem *Rainaldi* & *Ottonis*, quos Fridericus Imp. ad Mediolanenses mense Januario præsentis anni misit, ut suprà num. I probavimus, sed paulò antea in eodem libro pag. 416. Ottonis Frisingensis mortem his versibus retulerat:

Inter successus lætos & prospera rerum
Magna repentino Regem jactura dolore
Perculit, & placida turbavit gaudia mentis.
Nam Procerum multo, seu qui sub Principe claro
Castra

SÆC. XII. An. C. 1159.

Castra sequebantur, seu qui sub pace quieta
Teutonicas urbes, natalia que arva tenebant,
Extremum clausère diem: quo tempore Præsul
Ille FRISINGUS *Otto, majoris causa doloris*
Extitit, ingenuo comperta morte nepoti.
Hic patruus Regis, studiis in utrisque peritus,
Regia signa sequi semper consueverat: at nunc
Credo equidem, revocante Deo, langore gravatus
Manserat, &c.

Nullum itaque dubium superesse potest, quin Radevicus, quem Guntherus abbreviat, Ottonis Frisingensis mortem cum anno MCLVIII alligarit; cùm legationem ad Mediolanenses à *Friderico* post eam mortem missam ad currentis anni initium revocet. Plura hujusmodi ex collatione Radevici cum Gunthero exhibet Paricellus, ex quibus luce meridiana clariùs apparet, utrumque docuisse *Ottonis Frisingensis* mortem malè à viris doctis in hunc annum dilatam fuisse.

XV. *Genus & virtutes Ottonis Frisingensis.*

Erat *Otto* filius Sancti Leopoldi Marchionis Austriæ & Agnetis sororis Henrici V Imperatoris, quæ primis nuptiis Friderico Suevorum Duci juncta fuit, ex eoque *Fridericum* patrem Friderici Imperatoris, & *Conradum* Germaniæ Regem genuit. Quare nepos extitit Henrici IV, Henrici V sororius, Conradi Regis frater uterinus, & Friderici Imperatoris patruus. Ordini Cisterciensi nomen dedit, Abbasque Morimundensis in Burgundia, ac demum Frisingensis Episcopus creatus fuit. Sub illius regimine Abbatia Morimundensis & Episcopatus Frisingensis mirum in modum crevêre. Sepulchrum pussimi Præsulis in veneratione statim à morte ejus fuisse affirmat Radevicus. Hugo Menardus eum Martyrologio Monastico ad diem XXII mensis Septembris inscripsit, & Henriquez Menologio Cisterciensi ad diem VII ejusdem mensis.

XVI. *Amalricus Fulcherio succedit in Patriarchatum Hierosolymorum.*

Fulcherio Patriarcha Hierosolymitano anno duodecimo Sedis suæ viam universæ carnis ingresso, ideoque ante hunc annum juxta dicta anno MCXLVI, electus est *Amalricus* Ecclesiæ Dominici Sepulchri Prior, natione Francus, de ejus promotione appellantibus Cæsareensi Archiepiscopo & Episcopo Bethlemita, quem Hadrianus Papa confirmavit, uti narrat Tyrius lib. 18. cap. 20. Inter Epistolas Principum, quæ in Opere de *Gestis Dei* per Francos referuntur, quinta & sexta ab eo scriptæ sunt Ludovico VII Galliarum Regi, ad quem etiam dedit Epistolam XIX ibidem recitatam. Eædem Epistolæ ordine V & VI extant etiam Tom. IV Duchesnii pag. 690. & seq. Referuntur ibidem & aliæ ejusdem Patriarchæ literæ.

XVII. *Tolosa ab Henrico II Angliæ Rege obsessa.*

Hoc anno *Henricus* II Angliæ Rex *Tolosam* obsidione cinxit, uti testantur Gervasius in Chron. Hovedenus part. I, Matthæus Parisius in Chron. Radulphus de Diceto in Imag. Hist. imò & Robertus de Monte, licet in perturbato ejus Chronico cum anno sequenti hæc obsidio connectatur. Hanc sententiam confirmat quod ait Catellus lib. 2. Hist. Comitum Tolosæ cap. 5. ubi hanc subscriptionem ex antiquo Instrumento à Guillelmo Crucio in Episcopis Cadurcensibus extracto exhibet: *Anno Domini MCLVIII, Ludovico Rege cum exercitu suo super Raimundo Comite* (Tolosano hujus nominis V) *instante, & apud Castrum novum de Stricßif-fontibus manente*. Ex his apparet hoc bellum anno superiori inchoatum, & currenti continuatum esse. Matthæus verò Parisius hoc anno ait, Henricum Angliæ Regem duxisse exercitum versùs Tolosam, & cepisse castella fortia vicina ejus. Robertus de Monte scribit, hujus belli causam fuisse, quod Raimundus Comes Sancti Ægidii, seu Tolosæ nollet Henrico reddere *Tolosam*, quam is tanquam ad *Eleonoram* uxorem suam pertinentem poscebat. Divortium Ludovici VII cum Eleonora, hujusque cum Henrico II Angliæ Rege conjugium seminarium fuêre variorum bellorum, de quibus legendi Scriptores Gallici & Angli; hoc enim hîc indicare sufficit ad majorem dicendorum claritatem.

XVIII. *Abdelmumen Tunetum sibi subjicit.*

Post mortem *Sanctii* III Castellæ Regis turbidus fuit publicæ rei status; sed ex turbis illis *Abdelmumen* Almohadum Imperator nullum emolumentum cepit, quia consilium ejus erat totam sibi Africam subjicere, & ex ea Christianos universos ejicere; neque sibi à *Guillelmo* Siciliæ Rege, qui Rogerio patri successerat, metuebat, quia præterquamquod à subditis odio habebatur, & contemnebatur, in magna existimatione non erat. Inter hæc cives urbis *Zawila* à Christianis valde aversi, à quibus etiam multa mala perpessi erant, Legatos ad Abdelmumen qui ejus auxilium implorarent misêre, & quod petebant obtinuêre. Is Marochio digressus cum centum millibus militum rectà *Tunetum* movit, illudque obsidione cinxit. Hanc urbem Rogerius Siciliæ Rex vectigalem fecerat, sed *Guillelmus* Rex ejus filius bellis civilibus implicitus & parum à subditis amatus urbis securitati non consulebat, quia *Maio* primus ejus Administer eum prodebat. Quare *Abdelmumen* Tunetum ad deditionem coegit, & dein ad *Almahdiam*, à Christianis *Africam* appellatam, copias duxit, sed quia oppidum illud inexpugnabile videbatur, contentus fuit illud terra marique circumcludere anno Hegiræ DLIV, Christi verò anno MCLIX.

XIX. *Alia Abdelmumen in Africa victoria.*

Dum Almahdia obsidetur, *Abdelmumen* Tripolim, Safacos, Susam, & generatim omnia oppida, & castra in ora illa posita occupavit, Arabesque ac Africanos, tam in montibus quàm in plano habitantes, sub hujus anni finem devicit. Cumque *Almahdia* præsidium cibariis deficeret, promisit se se urbem intra certum tempus deditarum, nisi subsidiis & annona juvaretur. Classis quidem sicula subsidio profecta est, sed ea planè deleta dissipataque, ut refert Novairius; qui addit Christianos urbem dedidisse anno Hegiræ DLV in festo quodam à Mahumetanis decimo die Moharani celebrari solito, qui incidit in diem vigesimum primum Januarii sequentis Christi anni. Fasellus lib. 7. posterioris decadis pag. 415. & Falcandus pag. 649. rem fusè narrant, sed rei gestæ annum tacent. Adhæc *Abdelmumen* Arabes superavit & jugum subire coëgit, sed anno tantum sequenti, ad quem in Anonymo Casinensi legitur: *Anno MCLX Masemuti ceperunt Africam.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6653.

☉ 21. C B. ☽ 2. P. 27. Mart. Indict. 8.

JESU CHRISTI 1160.

ALEXANDRI III PAPÆ 2.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 9. IMP. 6.

MANUELIS COMNENI IMP. 18.

Anno Eræ Hispan. MCXCVIII. Anno Hegiræ DLV inchoato die 11. Januar. fer. 3. Anno Hegiræ DLVI inchoato die 31. Decemb. fer. 7.

I. *Conciliabulum Papiense.*

ANum. I ad XXX. In Chronico Reicherspergensi de Conciliabulo in urbe Papensi Friderici

Friderici Imp. jussu congregato, ad annum MCLX habetur: *Crema capta, destructa & cremata est. Quo facto Imperator statim Papiam venit cum Episcopis & Principibus, qui congregati erant, & in Nonis Februarii Curia & colloquii initium habetur, & per sex dies in hoc demorantur: fuitque dissensio aliqua inter ipsos, quibusdam hunc, quibusdam illum Papam confirmare volentibus. Tertia itaque Idus Februarii, quia nec Alexander venerat, nec Legati ejus, nec aliquis pro parte ejus firmiter stabat, Imperator omnes Episcopos convocans in hunc eum consensum deduxit, ut omnes Victorem Papam susciperent, & statim sequenti die II Kal. Febr.* (legendum, II Idus Febr. ut ex jam ab ipso narratis deducitur) *ab ipso Imperatore & Episcopis suscipitur, & intronizatur in monasterio Sancti Syri, Imperatore frenum, equi & stivam cella illius tenente, & eum de equo suscipiente, & ad altare unà cum Patriarcha Aquilegiensi Pilegrimo inter manus eum deducente.* Quibus similia refert Baronius num. XVI & seqq. ex Radevico lib. 2. cap. 70.

II. Fridericus Imp savit in sectatores Alexandri III.

Imperator voti compos effectus, & Sede Petri tandem subjugata, in atrocia Edicta prorupit, multosque Præsules Ecclesiis suis expulit. Helmoldus, qui hoc tempore vivebat, lib. 1. Chron. Slavorum cap. 91. hæc ad rem nostram scribit: *Cùm Cæsar expugnaret Mediolanum, venit ad eum Victor in castra, quæ erant apud Papiam, & recepit eum. Adunatoque Concilio* (in urbe scilicet Papiensi hoc anno) *receperunt eum Rainoldus Coloniensis, & Conradus Moguntinus Electi, & omnes quos Imperialis aut timor aut favor agebat. Porrò Alexandrum recepit Hierosolymitana Ecclesia, & Antiochena, præterea omnis Francia, Anglia, Hispania, Dania, & omnia regna quæ sunt ubique terrarum. Insuper Cisterciensis Ordo eidem universus accesserat, in quo sunt Archiepiscopi, & Episcopi complures, & Abbates amplius quam septingenti, & Monachorum inæstimabilis numerus. Hi singulis annis celebrant Concilium apud Cistercium, & decernunt ea, quæ utilia sunt. Horum invincibilis sententia vel maximas vires addidit Alexandro. Quamobrem iratus Cæsar proposuit Edictum, ut omnes Monachi Cisterciensis Ordinis qui consistebant in regno suo, aut Victori subscriberent, aut regno pellerentur. Itaque difficile relatu est, quot patres, quanti Monachorum greges, relictis sedibus suis, transfugere in Franciam. Pontifices etiam quamplures, sanctitate insignes in Longobardia, & in universo regno, Principis violentia sedibus suis pulsi, & alii superpositi sunt in locum illorum.*

III. S. Ailredus declamat in Antipapam.

Sanctus Ailredus Rievallensis Abbas hujus temporis Scriptor in Sermone CCXXXI hæc inter alia in rem nostram scribit: *Papiæ astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Alexandrum Christum ejus, ubi circumdederunt eum canes multi, Concilium malignantium obsedit eum: ibi insurrexerunt in eum testes iniqui, Joannes & Guido; sed mentita est iniquitas sibi. Infelices & miseri, qui descendentes ab Jerusalem in Jericho inciderunt in latrones; ipse est scelestissimus Octavianus, qui instar latronis, multo tempore in insidiis latitans; Papatum, prædam, spolia, Ecclesiam æstimavit. Infelix, qui ascendit cubile patris sui, & maculavit stratum ejus.* Inferiùs utriusque electionis processum fere enarrat, & justitiam Alexandri Pontificatus ex ipsa narratione deducit: *Ecce defuncto Hadriano legitimo Petri successore, statim Cardinalibus cæterorum Apostolorum legitima successio. Cogitate nunc constitutos in medio eorum Rolandum & Octavianum, sic interim nominemus eos, quasi in utero matris suæ Ecclesiæ jam laborantes in partu. Rogo, fratres mei, numne partus iste similis est partui Rebeccæ? Ecce ecce infelix Esau rufus, & hispidus, quomodo ipsa viscera materna contorquet; & simplicem illum Jacob, quem totus ille invadit.*

IV. Electionem ejus vitiosam esse ostendit.

Audistis enim quomodo de collo sanctissimi viri, infelix ille mantum, dæmone plenus, extraxit. Et cùm ei non pro voto cessisset, cum summo matris dolore egressus ab utero, cupiditatis & ambitionis suæ pilis, summum cernentibus horrorem incussit. Secuti sunt eum duo, qui, ut ipse, alienati sunt à vulva, erraverunt à ventre, cæteris omnibus Alexandrum eligentibus, Alexandro adhærentibus, Alexandrum sequentibus. Cernite nunc Joannem, nunc Vidonem in parte una, & inter eos Octavianum, cernite & reliquam Curiam ex parte altera, & Alexandrum inter eos. Rogo, cujus vox ista est? Exierunt à nobis, sed non fuerunt ex nobis? Certè aut in illis tribus Curia Romana est, aut in his omnibus? Aut periit de terra, & inaniter fusa est illa Salvatoris oratio, de qua dicit; Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Quod dementis est opinari. Quis enim ita desipiat, ut tot Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Cardinalibus exclusis, Romana vim Curia in his duobus æstimet resedisse?

V. Alexandri verò omni ex parte legitimam.

Sic nunc Fratres, sic loquor de istis, quasi adhuc in Ecclesia Beati Petri, ubi electionem fecerant, constitutis, & ab invicem separatis. Certè Ecclesia Romana non periit; certè cæteris reprobatis ut in illis tribus remanserit, nulla ratio, nullus sensus humanus admittit. Restat proinde, ut in illa multitudine, quæ Alexandrum elegit, vim Apostolicæ dignitatis reservaverit. Absit enim, ut dicamus quinque Cardinales Episcopos, & quindecim, vel eo amplius Cardinales Presbyteros sive Diaconos, à tribus illis exiisse, & non potius illos ab istis, quorum fama celebratior, vita sanctior, sensus profundior, multitudo numerosior, auctoritas sublimior. Cùm igitur constet Ecclesiam esse Romanam, quæ Alexandrum elegit, de qua certum est illos exiisse, quicumque postea illis adhæsit, sive ipsissimus Imarus, sive alius, non ad Christianos, sed ad hæreticos; non ad Catholicos, sed ad schismaticos: non ad Ecclesiam, sed ad Synagogam sathanæ, & ipse hæreticus, schismaticusque ut cessit. Dicant inimici quidquid volunt, mentiantur, quantum volunt; fingant quæcumque volunt, ubi Ecclesiam esse Romanam oculis cernitur ratione probatur, confirmatur auctoritate ibi cor meum, ibi animus meus; ibi affectus meus. Ab ejus fide, quæ Christo orante, non deficiet, ab ejus unitate, quam schismaticorum pravitas, Christo conservante non dividet; ab ejus subjectione, cujus mihi Princeps cœlum aperiet, me neque mors, neque vita, neque alia creatura, Dei adjuvante gratia separabit. Baronius in Appendice ad hunc annum ostendit Sanctos *Eberhardum* Archiep. Saltzburgensem & *Hartmannum* Brixinensem Antistitem stetisse muros firmissimos pro domno Domini adversùs Antipapam, quod monendum duco, quia video, quæ Baronius in Appendice habet, à paucis legi. Porrò Hartmannus *Brixiensis Episcopus* ibidem à Baronio appellatur; sed is error Librariis adscribendus. De utroque sancto Præsule infrà sermo erit.

VI. Arnoldus Archiep.

A num. XXX ad XXXVIII. Radevicus, qui libros duos ad Ottonem Frisingensem appendices

Moguntia occiditur.

pendices elucubravit, & Ligurinus Poeta hoc anno Opera sua absolvere, quia cùm uterque Friderici laudes cecinisset, videtur noluisse post ejus excommunicationem amplius eum laudare. Hoc autem anno Imperatorem ab *Alexandro* III excommunicatum fuisse, Baronius num. XXXI ex Actis ejusdem Alexandri III demonstrat. Hanc excommunicationem eumdem Pontificem postea innovasse, anno MCLXVIII videbimus. Interim *Arnoldus* Archiep. Moguntinus Schismaticus *in nativitate Divi Joannis Baptistæ à Moguntinis* occisus est, uti refert Baronius à num. XXXII ad XXXIV ex Roberto de Monte & Conrado Episc. in Chron. Rerum Moguntiacarum.

VII. *Conradus frater Ottonis Palatini fit Archiep. Mogunt.*

Tum Baronius num. XXXIV ait, *Rudolphum*, & ipsum sicut Arnoldus sacrilegum, electum fuisse Moguntinensem Archiepiscopum, & tandem *Conradum* consanguineum Imperatoris à Clero legitimè creatum esse, quem addit ad Alexandrum III se contulisse ejusque partibus semper quoad vixit, licet sede sua exclusum adhæsisse. At Rudolphus quidem à sceleris auctoribus Arnoldo occiso subrogatus; verùm ut tradit Dodechinus in Chron. anno MCLXI Imperator Rudolphi munera sprevit, *quia Conradus Palatinus alium nomine Christianum Episcopum levavit.* Tum anno MCLXII: *Imperator in Longobardia res publicas agens, Christiano Priore Electo interim neglecto &c. Episcopum constituit Moguntinæ Sedi Conradum fratrem Ottonis Palatini*, de quo sæpius infrà sermo erit, quia fortiter pro Alexandro III stetit, & Sedem suam deserere coactus fuit.

VIII. *Willelmus Albimanus Archiep. Senonensis Alexandri partes tuetur.*

A num. XXXVIII ad XLVIII. Baronius refert literas *Arnulpho* Lexoviensi Episcopo datas ab Alexandro III, qui et gesta in Conciliabulo Papiensi significat; egregiam enim operam Arnulphus adversus Antipapam navavit. In Appendice verò ad huoc annum monet, inter Gallicanos Episcopos, qui electionem Alexandri III tuiti sunt, præcipuum fuisse *Willelmum* Archiepiscopum Senonensem, ad quem extat Epist. XXVIII Petri Blesensis. At id quidem verum, sed *Willelmus* Archiep. Senonensis cognominatus *ad albas manus*, seu Albimanus (vulgò, *aux blanches mains*) Philippi II Francorum Regis avunculus nonnisi anno MCLXVIII *undecimo Kalend. Januarias* Senonensis Archiepiscopus dictus, ut videre est apud Mathoudum in Catalogo Archiep. Senonensium, qui cùm postea translatus fuerit ad Archiepiscopatum Remensem, commodiùs infrà de eo agemus.

IX. *Ludovicus VII Franciæ Rex Adelam sibi copulat.*

Continuator Chronici Sancti Petri Vivi ad hunc annum habet: *Ipso anno mortua est Regina Franciæ* (Constantia appellata) *filia Imperatoris Hispaniæ* (Alphonsi scilicet VII Castellæ Regis): *Rex verò Ludovicus* (Francorum Rex) *accepit in conjugem filiam bonæ memoriæ venerabilis Comitis Theobandi* (Comitis nempe Blesensis & Campaniæ, cujus filia Adela Regina Francorum fuit), *quam postmodum prædictus Hugo Senonensis Archiepiscopus Parisiis in Reginam unxit, ipsamque cum domino suo Rege ipso die, præsentibus duobus Cardinalibus* (Nangius in Chron. dicit *tribus*, sed longè major fides hujus Continuatoris hoc tempore viventis *Ottone videlicet atque Henrico Pisano in Ecclesia B. Mariæ coronavit: & in eadem Ecclesia, ipsis Cardinalibus & multis aliis præsentibus Missæ officium solemniter celebravit. Quod factum valde displicuit Remensi Archiepiscopo, & ejus Episcopis.* Continuator Aimoini cap. 54. ait, Adelam, quam Alam vocat, fuisse inter quinque filias Theobaldi natu minimam, & Hugonem Senonensem Archiep. eam ad Festum Sancti Briccii Parisiis iounxisse; ideoque die XIII mensis Novembris quo Sanctus Briccius colitur. Quare cùm Radulphus de Diceto in Imag. Hist. tradat, Constantiam hoc anno partu filiæ mortuam esse, *incolumi filia*, & Ludovicum Regem Alam seu Adelam, *infra quintum decimum diem* duxisse uxorem apparet *Constantiam* sub exitum mensis Octobris è Vita decessisse.

X. *Moritur S. Ubaldus Episc. Eugubinus.*

Sanctus Ubaldus ex Priore Canonicorum Regularium Episcopus Eugubinus in Umbria *sequenti nocte, quam sancti Pentecostes dies dominicus præcesserat migravit ad Dominum* inquit Tebaldus ejus successor in ejus Vita, & confirmant marginales Additiones adscriptæ vetustissimo exemplari ejusdem Vitæ, in quibus dicitur, migravit *anno Domini millesimo centesimo sexagesimo, anno Episcopatus sui trigesimo primo*, quod optimè convenit cum charactere expresso per Tebaldum, quia, ut inquit Papebrocius ad diem XVI mensis Maii ubi Sancti Ubaldi Vitam recitat, *Eugubini* ab omni retro memoria diem XVI Maii, ut Sancti sui protectoris natalem observant, & hoc anno festum Pentecostes celebratum est die XV mensis Maii. Cùm in pueritia patre orbatus enutritus fuisset sub disciplina Ecclesiastici Ordinis, & processu temporis Prior in cathedrali renunciatus, videretque depravatos Canonicorum mores, tribus sibi Clericis adjunctis perrexit ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ *in Portu*, seu Portuensem, in agro Ravennate sitam, ubi Petrus de Honestis Canonicos Regulares instituit, ut anno MCXIX ostendimus. Ibi *tribus mensibus sub disciplina Fratrum illorum regulariter vixit*, & Eugubium rediens Canonici Ordinis Regulam obtulit, effecitque ut *Canonicum Ordinem omnes devotè custodirent.* Perusino Episcopatu recusato, Eugubium admittere coactus fuit, ubi in vita & post mortem miraculis claruit. Eugubium Regularium Congregationis Lateranensis monasterio est ornatum à tempore Julii II & Leonis X Pontificum Romanorum. *Ubaldum* Cælestinus III Sanctorum catalogo adscripsit Diplomate à Baronio anno MCXCII num. I relato.

XI. *Gesta in regno Siciliæ.*

Anonymus Casinensis in Chron. *Comes Robertus de Loritello*, inquit, *& Comes Andreas intraverunt in regnum. Musemuds ceperunt Africam* (ut ostendimus anno superiori). *Matthæus Borrellus*, (legendum, Bonallus juxta MSS. à Peregrinio visa) *interfecit Majorem* (legendum *Majonem*, justa eadem MSS.) *Ammiratum apud Panormum.* Falcandus in Hist. de Siciliæ Calamitatibus pag. 850. & seqq. fusè loquitur de Majone Ammirato Siciliæ, qui omnia apud Guilelmum Regem poterat, qui cùm eum è throno deturbare cogitaret, Saracenis favebat & clam cum illis conveniebat. Cumque pluribus Procetibus *Majonis* potentia suspecta esset, de eo interficiendo consilium iniere; & multas civitates in suam societatem pertraxere. Sed de his legeodus Falcandus, & Baronius anno sequenti num. VII.

XII. *Gesta ab Alexandro III in Campania.*

Hoc anno *indictione VIII* juxta Ceccanum in Chron. *Alexander tertius .... venit Anagniam & acquisivit totam Campaniam, & misit in suo jure. Hoc anno ordinavit Flamundum* (aut Fromondum)

SÆC. XII. An. C. 1160. mondum) *Monachum de Monasterio Casamerii. In Verulana Ecclesia VI Nonas Octobris ordinavit Rodulphum Presbyterum, & consecravit eum Episcopum in Ferentinensi Ecclesia. In eodem mense accepit filiam Comitis Berardi de Albe Andreas Comes*, &c. *Sex die intrante mense Madio apparuerunt tres Soles. Idibus Octobris fuit terræ motus magnus. Hoc anno* (ante Rodulphi promotionem) *Episcopus Narnia* (Petrus appellatus qui Alexandri partes sequebantur) *ivit per Episcopatum Ferentinensem, & chrismavit pueros*, quia Ubaldus Episcopus Ferentinensis schismaticus erat, & à civitate aberat.

XIII. *Fridericus Imp. Cremam evertit & Mediolanenses affligit.* Mediolanenses mense Martio currentis anni Alexandri Papæ partes amplexi sunt. Eodemque anno juxta Ottonem Morenam Fridericus Imp. *cum Cremonensibus & Papiensibus, aliisque civitatibus Lombardiæ ad Comitatum Mediolanensem devastandum perrexit: & ibi multa devastavit.* Deinde refert die, Sancto Bartholomæo sacra *maximum detrimentum* accidisse *Mediolanensibus, & maxime illis de porta Romana, scilicet quod bene tertia pars Mediolani combusta est, nec fuit aliqua Porta in tota Mediolano, quæ aliquo latere non combureretur. Et magna aura tunc ventilante, multæ domus optimæ, in quibus valdè confidebant, combustæ sunt. Et idcirco ad inopiam & summam necessitatem pervenerunt, amissis in igne omnibus victualibus tam hominum quam jumentorum, & vestibus.* Portæ autem nomine Otto Morena, & Mediolanenses ac Itali intelligunt tribum vel urbis regionem, ut videre est apud Ducangium in voce *Porta*. His adde quod Joannes de Ceccano in Chron. ad hunc annum scribit: *Indictione VIII in hoc anno Fridericus Imperator destruxit Cremam; & totam fecit cremare.* Legendus Sigonius lib. XIII de Regn. Ital. ubi fusè refert gesta hoc anno à Friderico Imp.

XIV. *Hæretici Valdenses veniunt in Angliam.* Hoc anno Concilium Oxoniense habitum contra Waldensium sive Publicanorum dogma de quo fusè Neubrigiensis lib. 2. cap. 13. ut legere est Tom. X Concil. Neubrigensis de rebus per hæc tempora gestis verba faciens ait: *Iisdem diebus Errones quidam venerunt in Angliam ex eorum (ut creditur) genere quos vulgo Publicanos vocant. Hi nimirum olim ex Gasconia incerto auctore habentes originem, regionibus plurimis virus suæ perfidiæ infuderunt. Quippe in latissimis Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, Germaniæque provinciis tam multi hac peste infecti esse dicuntur, ut secundum Prophetam multiplicati esse super numerum arenæ videantur*, & cetera ibidem legenda, quæ Walterus Hemingford Gisburnensis Cœnobii in agro Eboracensi Canonicus Regularis Ord. Augustin. qui floruit anno MCCCXXX hoc modo in summam contraxit in suo Chronico Tom. II Collectionis Oxoniensis publicato: *Eodem quasi tempore quidam Hæretici Angliam ingressi sunt in universo quasi XXX homines & fœmina linguæ Theutonica, quendam Gerardum nomine aliqualiter literatum, tanquam præceptorem & principem impoliti & idiotæ sequentes.*

XV. *Congregatur adversus eos Concilium Oxon.* Rex verò (nempe Henricus II) *deprehensos in custodia posuit & indiscussos punire vel dimittere nolens, Episcoporum Concilium apud Oxoniam celebrari præcepit: ubi de fidei articulis interrogati, ille literatus pro omnibus una voce respondit, Christianos se esse, & doctrinam Apostolicam se velle venerari: sacramentum verò, Baptisma, Eucharistiam & conjugium detestantes,* SÆC. XII. An. C. 1161.
ausu nefario unanimiter restiterunt. Cumque divinis urgerentur testimoniis prædicta credere, se quidem ut instructi erant credere, de fide verò sua disputare nolle responderunt. Moniti ut pœnitentiam agerent, & in corpore Ecclesiæ unirentur, omnem consilii salubritatem spreverunt: minas quoque comminatas deriserunt, verbo illo Dominico abutentes, Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, &c. *Tunc Episcopi, ne virus hæreticum latius serperet præcaventes, eosdem publicè pronunciatos hæreticos, corporali disciplinæ subdendos Catholico Principi tradiderunt. Qui præcepit hæreticæ infamiæ characterem frontibus eorum inuri, & (spectante populo) virgis coercitos ab urbe expelli: districtè prohibens, ne quis eos vel hospitio recipere, vel aliquo solatio confovere præsumeret. Ad pœnam ergo ducti, gaudentes properabant, præeunte eorum magistro, & canente*, Beati eritis cum vos oderunt homines, &c. *Unam tamen mulierculam* Anglicam *deceperant: & illa metu pene discedens ab eis errorem confessa est, & reconciliationem meruit.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6654. Anno Æræ Hispan. MCXCIX.
☉ 22. A. ☽ 3. P. 16. April. Indict. 9. Anno Hegiræ DLVII inchoato die 21 Decemb. fer. 5.
JESU CHRISTI 1161.
ALEXANDRI III PAPÆ 3.
FREDERICI ÆNOBARBI REG. 10. IMP. 7.
MANUELIS COMNENI IMP. 17.

I. *Galliæ & Angliæ Reges Alexandrum III Pontificem agnoscunt.* Anum. I ad V. Ubi certò innotuit, Alexandrum III verum esse Pontificem Romanum, Henricus II Angliæ Rex eum legitimum Pontificem agnovit, annitentibus inter ceteros *Philippo* Bonæ Spei Abbate, & *Arnulpho* Lexoviensi Episcopo, qui Regis Henrici animum fluctuantem ad ipsius partes demum adduxêre. Extant hac de re utriusque ad Alexandrum III Epistolæ anno superiori datæ. Literæ Philippi referuntur Tom. II Spicilegii Dacheriani pag. 453. eisque Philippus recentem dignitatem gratulatus significat, à se conventos Henricum Angliæ & Ludovicum Franciæ Reges, & partibus ejus conciliatos. Ait Philippus se magno gaudio literas ejus accepisse, & de ejus promotione carmen Deo retulisse. De reliquo, inquit, literas vestras *D. Henrico Anglorum Regi cum reverentia præsentavi, quas ipse benignè suscipiens, habita cum suis & vobiscum* (legendum nobiscum) deliberatione, *vos in Patrem spiritualem, Summumque Pontificem cum omni alacritate susceptum obsequium & obedientiam suam per nos humiliter repræsentat. Missurus enim ad Vos est in brevi nuncios suos.* Paulò pòst: *Continuato labore accessi ad devotum filium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ D. Regem Francorum, cujus sicut Catholicum Principem decet, fideles affectus, & prompta devotio personam vestram & opem vestrum certa dilectione prosequitur, & sui sententiam jam operis exhibitione firmasset, nisi gravia eum impedimenta, & causæ multiplices perturbassent. Dirigitur Vobis nostro ministerio & suo spiritu dictata salutatio, sed signaculo providentiæ conscientia sua liber tegitur involutus, donec opportunum tempus occurrat, quo Vobis tanquam Patri & sincere dilecto, imò & diligenter Electo, & commodè Vobis convenientes utrque*

que

SÆC. XII. An. C. 1161.

que militer obedientiam suam & servitium suum debita charitate cum triumpho jucunditatis exhibent. Sed hoc ipsum per Dei misericordiam in januis est, quia inter ipsum & Regem Angliæ de reformatione pacis agitur, & in brevi credimus terminari.

II. *Arnulphus Episc. Lexoviensis Alexandro III addictissimus.*

Similiter Arnulphus Episcopus Lexoviensis in Normannia Henrico Regi subdita, magnæ tunc quoque apud Henricum auctoritatis ad Alexandrum III scripsit: *Properassem jam ad pedes Beatitudinis Vestræ amplectendos, ut ariditatem meam quasi copiosior de proximo benedictionis vestræ rigaret ubertas, nisi me zelus utilitatis vestræ maximè tenuisset. Ex quo etenim promotionis vestræ auribus nostris veritas, & oppositæ præsumptionis error innotuit, festinavi ad notitiam Principis id perferre, ut vacantem animum ejus favore vestro, quibus debebam persuasionibus occuparem, ne nos qualibet occasione malignitatis astutia præveniret. Facilius etenim est animos occupare vacantes, quam ipsos à conceptis affectibus revocare. Hæsit ille aliquandiu, sed statim operante Spiritus S. Gratia confirmatus nullum se alium quam Vos suscepturum hilari constantia, constantique simul hilaritate promisit. In quo cùm proximè de differenda vestra susceptione Imperatoris literas accepisset, cui discurrentibus invicem literis & Legatis plurima videtur charitate conjunctus, ne preces ejus sprevisse, & in præjudicium ejus festinasse videretur, generale quidem suppressit Edictum, sed nequaquam avarus, aut linguam à literarum nominisque vestri veneratione continuit, neque quemquam nostrum voluit continere. Arbitratus est siquidem minus valituram pro vobis Edicti jactantiam, quam operis veritatem: firma apud eum est & indubitata vestri Apostolatus auctoritas, atque in quamcumque partem cor prædicti Principis fuerit inclinatum, isto procul dubio non sequitur errantem. Mei autem studii erit omnes circa eum quasi vigilias observare, ne ora loquentium iniqua prævaleant, sed ipse in vestra, sicut semel in cœpit, obedientia perseveret.*

III. *Alexander III narrat quàm malè affectus sit Fridericus Ecclesiæ Rom.*

Ex his literis intelligimus, *Henricum* II Angliæ Regem in Alexandri III partes quidem propendisse, sed noluisse Edicto publico eum verum Pontificem agnoscere, ne Imperatoris sibi aliàs amici animum offenderet; arbitratus temporis morâ Alexandri causam convalituram: non vetuisse verò ne subditi sui ad eum scriberent, aut ab eo literas acciperent. Alexander III ad has Arnulphi literas respondit *Anagniæ Kal. Aprilis*; eo enim die responsum ejus scriptum: *Qualiter*, inquit, *Fridericus Romanorum Imp. avorum suorum sceleratissima vestigia subsecutus circa sacrosanctum Ecclesiam Rom. in præsenti se habeat, & olim habuerit, & qualem circa eam animum gerat, qui utique specialis ejus patronus deberet & defensor existere, multis rerum indiciis à longis retrò temporibus ad notitiam tuam non ambigimus pervenisse. A tempore siquidem Antecessoris nostri piæ recordationis Hadriani Papæ, & ab exordio dignitatis suæ cœpit S. Rom. Ecclesiam tanquam tyrannus opprimere & non mediocriter infestare. Archiepiscopos nempe & Episcopos à Sede Apostolica redeuntes in ignominiam & detrimentum Ecclesiæ plerumque capi turpiter & inhonestè præcepit, eosque fecit carceris custodiæ mancipari. Nos quoque in minori officio constitutos, qui cum venerabili fratre nostro B. nunc Portuensi Episcopo ad eum fuimus delegati, qualiter apud Bisontium ipse tractaverit, & quam indignè receperit, non est opus nos in præsenti referre, quia credimus te id ipsum plenariè cognovisse. Vivente etiam prædicto Antecessore nostro Patrimonium B. Petri violenter invasit, & eamdem Rom. Ecclesiam visus est modis omnibus conculcare, ita quod à pluribus dicebatur, & quasi fama communis habebat, quoniam eo superstite Octavianum, qui semper fuit domesticus Ecclesiæ inimicus, ordinare Apostaticum imò Apostolicum, si opportunitatem acciperet, intendebat.*

IV. *Antipapæ intrusionem ipsi adscribit.*

Post aliqua interposita subjungit: *Unde ad confirmationem ipsius, imò ut omnem videretur in Ecclesia Dei auctoritatem habere, Archiepiscopos, & alios Ecclesiarum Prælatos apud Papiam contra sacrorum instituta canonum, prout ei placuit, convocavit. Ille autem sicut homo, qui nec in Deo nec in justitia confidebat, in ipsius Imperatoris præsentia per aliquot dies velut pro certo accipiens, insignia Pontificatûs abjecit, sicut etiam in nostro & fratrum nostrorum conspectu, dum Romæ olim nos teneret inclusos, suam malitiam recognoscens facere voluit, ea quidem conditione servata, ut nos ei postmodum reddere deberemus. Cumque nos ea recipere sub hac conditione noluissemus, ipse in sua pertinacia & damnabili præsumptione permansit. Ceterùm ut prædictus Imperator Ecclesiam Dei suæ videretur subjugare & supponere ditioni; & eam in supremam redigere servitutem, memorato apostatico, sicut dictum est, Pontificalia insignia reddidit, & eum de Papatu, quod est à seculis inauditum, per annulum, ut dicitur, investivit. Quosdam etiam Episcopos aliis discretioribus & honestioribus occultè de illo Conciliabulo fugientibus, & reverentiam exhibere laicali violentia tyrannica oppressione coegit. Sic enim Reges & Principes diversarum partium sibi intendit, tum spirituali, tum materiali gladio subjugare, si in hac parte, quod absit, nefandissimum ejus propositum prævaleret.* Hæc verò, uti jam diximus, & trium ipsarum literarum lectio manifestum facit, anno superiori contigêre.

V. *Laudatur Henricus II quod primus agnoverit verum Pontificem.*

Antequam Alexandri III fortuna stabilis esset, diu Reges vacillasse, ex Historiis hujus temporis eruit Bulæus Tom. II Universitat. Parisiensis post narratam Hadriani IV Papæ mortem. Radevicus enim lib. 4. cap. 74. sub finem ait, *Henricum Regem Anglorum, per literas & Legatos suos consensisse*, ut Octavianus Pontifex haberetur. Scribit tamen Petrus Blesensis ab Henrico II Anglorum Rege Ludovicum Franciæ Regem ad Alexandri partes adductum, & vacillantem ab eo confirmatum; sic enim ille in Epistola CXLIV ad Cœlestinum III Papam: *Cùm prænominatus Fridericus fautor schismaticæ dissensionis & auctor contra Alexandrum III canonicè, sicut scitis, electum in partem Apostatæ Octaviani conjurasset, atque sub illa schismatis concussione generaliter ubique terrarum Ecclesia laboraret, Reges Franciæ & Angliæ variis ex utraque legatoribus tentabantur; cumque sententia Regis Francorum, consiliorum varietate, cui faveret Parti, fluctuans & dubia vacillaret, Rex Henricus dolens Christi ensicam dimtius scindi, primus Alexandro Papæ consensit, multâque cautelâ trahens Regem Francorum pariter ad consensum Apostolicum suis munivit consiliis, & firmavit auxiliis; & sic navem Petri sub certo discrimine naufragantem in secura littoris statione locavit.*

SÆC. XII. An. C. 1161.

cavit. Hæc apud Castrum Radulfi vidimus.

VI. *Idem honor attribuitur Ludovico VII Franciæ Regi.*

Contrarium tamen scribit Theobaldus Cantuatiensis Archiepiscopus ad eumdem Henricum apud Saresburiensem in Epist. XLVIII. Ille enim utitur exemplo Ecclesiæ Gallicanæ, quæ jam agnoverat Alexandrum, ut ad eum similiter pro vero Pontifice habendum, Regem suum impellat: *Ecclesia Gallicana*, inquit, *sicut nobis veridica relatione innotuit, recepit Alexandrum, ab Octaviano recessit. Quod autem ad humanum spectat examen, meliori & saniori parti videtur adhæsisse; cùm omnibus constet, quod persona Alexandri honestior est, prudentior, literatior, eloquentior. Causa ejus ab omnibus indè venientibus sincerior, justior prædicatur. Et quamvis neutrius illius adhuc nuncium vel scriptum viderimus, scimus omnes quia omnes Nostrates, si vester consensus affuerit, promtiores sunt in partem Alexandri. Audivimus autem quod Imperator vos in partem Octaviani trahere conatur; sed absit, ut in tanto periculo Ecclesiæ pro amore & honore hominis faciatis, nisi quod crederetis Domino placiturum. Nec decet Majestatem vestram si placet ut in tota Ecclesia Regni vestri superponatis hominem, qui sine electione, ut publicè dicitur, sine gratia Domini per favorem unius Imperatoris tantum honorem ausus est occupare. Nam tota ferè Ecclesia Rom. in parte Alexandri est. Incredibile autem est quod pars illa possit obtinere prævalereve per hominem, cui justitia deest, cui Dominus adversatur. Eos verò in humili casa prævaluisse crebra revolimus lectione, quos Gallicana recepit & fovit Ecclesia, & infelicem exitum eorum, quos tentationis impetus introduxit. Sic obtinuerunt temporibus nostris Innocentius adversùs Petrum, Callistus adversùs Burdinum, Urbanus adversùs Wibertum, Paschalis adversus tres, Albertum, Maginulfum, Theodoricum; & multi similiter in diebus Patrum. Nobis ergo provideat dignatio vestra, vestrumque in partem illam Deus declinet assensum, quæ justitia veritatis innititur.*

VII. *Pax inter Franciæ & Angliæ Reges constituta.*

A num. V ad XVII. *Ludovicus Rex Francorum, & Henricus Rex Angliæ, copiis armatorum undique congregatis, cùm jam campestre prelium inter eos imminere putaretur, prope Fretevallem amici facti sunt*, inquiunt Matthæus Parisius in Chron. & Radulphus de Diceto in Imag. Hist. pag. 533. Eodem anno pacem istam collocavit Guillelmus Neubrigensis lib. 2. cap. 12. ait enim: *Igitur Rex Anglorum Henricus II ab expeditione Tolosana reversus* (anno nempe superiori quo usque duravit expeditio ab eo anno MCLVIII suscepta) *brevi quievit. Sequenti enim anno, qui fuit Regni ejus octavus* (deductus ab anno MCLIII, quo Henricus II à Stephano Rege adoptatus, & successor ejus declaratus) *ira inter ipsum & Regem Francorum, tempore ejusdem expeditionis conceptis causis ingravescentibus, tandem quasi putrida erupit, & subditarum quietem provinciarum motibus turbulentis corrupit. Denique immensis hinc inde exercitibus congregatis, in terrarum confiniis castris è regione dispositis uterque Princeps cum suis copiis consistebat*, &c. Addit Neubrigensis viros pacificos pacem inter eos conciliasse, & populos rediisse in sua. Subjungit statim: *Sanè eodem anno Theobaldus Cantuariensis Archiepiscopus decessit*, nempe XIV Kal. Maii, ut habet Gervasius in Chron. qui ait corpus ejus post decem & novem annos sepulturæ suæ, integrum & rigidum inventum esse. Quare in dubium revocari non potest, quin ista pax hoc anno constituta fuerit.

SÆC. XII. An. C. 1161.

VIII. *Franci & Angli pace factâ Alexandrum III Papam recipiunt.*

At neque Robertus de Monte, neque ullus Rerum Francicarum, aut Britannicarum Historicus asserit Sanctum Petrum Archiepiscopum Tarantasiensem ad hanc pacem sanciendam ab Alexandro Papa missum fuisse, quod tamen vult Baronius, quod legisset in hujus Sancti Vita cap. V eum *juxta Calvum Montem in confinio Franciæ & Normanniæ* (quod est in Vexino Franciæ inter Bellovacum & Meduntam, sex leucis ab utraque distans) pacem inter utrumque Regem tractasse. Gaufridus enim Abbas Altæcumbe in Sancti Petri Tarantasiensis Vita sermonem habet de alia pace quæ inter Reges Franciæ & Angliæ anno MCLXXIV tractata fuit, de qua eo anno, annoque MCLXXIII aliquid obiter dicemus. Sed ut tantum de pace hoc anno conciliata verba faciam, Robertus de Monte in Chron. cujus verba Baronius num. VII recitat, scribit eam *Maio mense* factam esse, additque: *Mense Julio Henricus Rex Anglorum congregavit omnes Episcopos Normanniæ, & Abbates, & Barones apud Novum Mercatum. Et Ludovicus Rex Francorum adunavit suos Bellovaci.* Novus Mercatus Gallicè, *le Neuf Marché* oppidum est Normanniæ sex leucis à Bellovaco dissitum.

IX. *Concilium Tolosanum.*

Non prætermittendum hîc Concilium Tolosanum, cujus disertam mentionem facit Gerhohus Reicherspergensis in Bavaria Abbas, qui hoc tempore vivebat, lib. 1. *de Investigatione Anti-Christi.* Ait Gerhohus in civitate Tolosana *celebratum esse Concilium, cui centum Patres inter Episcopos & Abbates interfuerant, unà cum Regibus Franciæ & Angliæ, quorum studio iidem Patres convocati convenerunt. Vbi & Octaviani, quem Victorem dicunt, simul & Alexandri Papæ, atque Imperatoris Augusti Friderici, nec non & Regis Hispaniæ Legati aderant.* Addit Gerhohus in eo Concilio Alexandrum tandem receptum, & Octavianum excommunicatum, indicatque Concilium illud Papiense secutum esse. Ejus meminit Labbeus Tom. X Concil. pag. 1406. & ad illud quod refert Neubrigensis lib. 2. cap. 9. habet: *Illustres*, inquit Neubrigensis, *Francorum & Anglorum Reges modis omnibus sollicitare curavit Fridericus Imp. ut ad perpetuandam amicitiam, sibi hac in parte concordes existerent, in acceptando videlicet Octaviano in Rom. Pontificem, exploso penitus Alexandro. Illi verò inflexi sententia cautè suspensa, donec rei eam scrupulosa penitus veritatem agnoscerent: celebrem & ipsi ex utroque regno Episcoporum & nobilium, loco & tempore congruo, Conventum fecerunt*, & cetera à Baronio num. VIII recitata, qui tamen Concilii Tolosani non meminit.

X. *Tolosano Concilio Reges interfuere.*

Rectores Romanæ Fraternitatis postquam accepêre Ludovicum VII in pleno Concilio Alexandrum III Summum Pontificem agnovisse, ad eum scripsêre Epistolam ordine CCCCXXXI inter eas, quas refert Duchesnius de rebus Francicis Tom. IV in qua eum laudant, quod orthodoxæ fidei religionem defendat & exaltet: *Quod licet* inquiunt, *à primordio regni vestri cum summa diligentia feceritis, hoc tamen tempestuoso tempore, quo per Octavianum & ipsius complices filios superbiæ, vasa iræ apta in interitum, noviter exorta est, tantò clariùs enituit, quantò inspirante Sancti Spiritus gratia, schismaticam pravitatem confutantes inter primos Orbis terrarum Reges & Principes* PRIMUS *audito nomine Domini Papæ Alexandri verè beati Petri successo-*

ris

ris & Vicarii, eum in Patrem summum & universalem Pontificem elegeritis, & ad tantum bonum per Gallicanas confirmandum regiones, sicut ex literis Legatorum, qui ad eas partes transmissi fuerant, recognovimus. Regia præstita auctoritate Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & Religiosarum personarum, undique est Concilium convocatum. In quo cùm diutiùs sub vestra præsentia à Catholicis & Schismaticis de canonica Domini Papæ Alexandri electione, & heresiei Octaviani intrusione nuncus disputatum fuisset, & schismaticæ partis nequitia, & simoniaca ambitio declarata esset ab omnibus Orthodoxis, sicut Serenitati vestræ notissimum est; Dominus Papa Alexander in Summum Pontificem & verè Apostolicum approbatus est atque susceptus. Idem ad Ludovicum Regem scripsêre O. & C. *Fraiapanes Romanorum Consules*, quorum Epistolam refert ibidem Duchesnius pag. 715.

XL. *Ubi eo Alexander III Papa agnoscitur.* Hoc itaque tantum anno *Alexander* III solemniter & universim tam in Gallia, quàm in Anglia Romanus Pontifex agnitus; & Octavianus repudiatus in Concilio Tolosano; Concilia enim Bellovaci & apud Novum Mercatum coacta fuêre tantum privata colloquia, quibus pauci Episcopi adfuerunt ex Gallia, & ex Regno Angliæ Soli Episcopi, Barones, & Abbates Normanniæ, ut postea Episcopi utriusque Regni Congregati unanimi consensu quid agendum esset, determinarent.

XII. *S. Willelmus Abbas Roschildensis floret in Dania.* Ad num. XVII & seq. Baronius loquitur de *Sancto Willelmo* Ordinis Canonicorum Regularium sancti Victoris, qui, ut in eius Vita à quodam eius discipulo scripta, & in Actis SS. Bollandianis ad diem VI mensis Aprilis recitata, dicitur cap. 3. ab *Absolone* Episcopo Roschildensi, Paganorum maximo persecutore & Ordinis Clericalis ornamento, creatus est hoc anno Abbas Roschildensis; de cujus virtutibus & Canonicorum collapsa disciplina, in integrum ab eo in Dania restituta legendus citatus Anonymus Auctor eius Vitæ.

XIII. *Manuel Imp. Alexandrum III Pontificem Rom. agnoscit.* Manuel Orientis Imperator, ubi accepit Alexandrum III à Ludovico Galliæ Rege Pontificem agnitum esse, scripsit ad Ludovicum Epistolam XLVIII, relatam à Duchesnio Tom. IV pag. 579. inter Epistolas diversorum *de Rebus Francicis*: *Quoniam*, inquit, *divina providentiæ placuit, tam longinquam atque vetustam effectam parentelam nostram & amicitiam, per aliam propinquiorem consanguinitatem renovare, & veluti quodammodo repubescentem reddere, in eo quod de nobilissima prole vestra Imperium nostrum consortem ducere decrevit, filiam videlicet R. nobilissimi Principis Antiocheni, unius quippe ex honoratissimis Imperii nostri Principibus, quam Imperiali diademate magnificè insignivimus; justum est deinceps nos & scriptis & internuncius invicem frequentiùs visitari. Quamobrem literas nobilitatis vestræ suscipientes, in quibus continebatur, quoniam coadunatione Ecclesiarum, ceterarumque nobilium personarum à vobis tractatum, confirmatumque est, quasi justum Papam sanctissimum Alexandrum suscipiendum esse, quem vos utique quasi Patrem, Summumque Pontificem suscepistis, & ideo nostro Imperio scripsistis, quatenus ei condecentem honorem, & amorem, utpote tali tantoque viro exhiberet, hoc nostrum vobis Imperium rescribit. Antea quidem addiscebat Imperium nostrum de statu sapientiæ, sobrietatisque ipsius; nunc verò tale de sanctitate eius dem testimonium suscipiens scripto tanti viri, qualis vos estis, tum præclara corona insignitis, tum fide & veritate decoratis, & consanguinitatis propinquitate & amicitia Imperio nostro obligatis, credibile & receptibile testimonium vestrum decernimus, & condignam reverentiam ipsius Sanctitati exhibemus, & orationem eius participes fieri optamus*, &c.

XIV. *Non minus in Ecclesiam Rom. propensus quam Ioannes decessor.* Cupiebat *Manuel Imp.* revocare Græcos ad instituta & subjectionem Romanæ Ecclesiæ, uti ante eum jam in votis habuerat Joannes eius decessor. Extant enim Petri Venerabilis Epistolæ XXXIX, & XL libri secundi, quarum prior *Joanni Imp.* & posterior *Patriarchæ* Constantinop. scripta, & utraque à Baronio anno MCXIX num. XVIII & seqq. recitatæ, pro restitutione cœnobii Cluniacensium, quod erat Constantinopoli, & in priori Petrus Cluniacensis Abbas Joannem Imp. suscipit in confratrem, & comparticipem omnium spiritualium beneficiorum Congregationis Cluniacensis, quemadmodum & alii Catholici Principes jam suscepti erant. Constantinopoli etenim, quemadmodum & in reliqua Græcia Basilicæ erant, & varia Latinorum Religiosorum monasteria, quibus Romanis moribus & ritu Latino vivere, reliquaque sacra ad Pontificum normam celebrare permittebatur, quod neutiquam concessum fuisset, si eorum mores & dogmata, velut hæretica improbassent, ut inquit Allatius lib. 2. de Consens. Eccles. Occident. & Orient. cap. 11. num. 2.

XV. *Sicilia dissensionibus turbata.* Anonymus Casinensis in Chron. ad hunc annum habet: *Incarcerati de Sicilia per vim liberati sunt. Buteria rebellata est, sed Rex eum capiens destruxit. Mense Augusti luna duodecima obscurata est*; luna duodecimâ juxta calculum Ecclesiasticum, non verò juxta motus cælestes, quæ eclypsis à Calvisio in Opere Chron. secundùm calculum mathematicum computata. Ceccanus in Chron. ad hunc Christi annum & indictionem IX, ait: *XVII Kal. Februarii in aurora fuit ingens terræ motus. Comes Robertus intravit terram usque Tarentum. Comes Andreas relictâ terrâ ivit Constantinopolim, & multi Comites conjunxerunt se Comiti Roberto*; de Loritello cognominato. De bellis intra Siciliam; post *Majonem* Ammiratum anno superiori interfectum gestis legendi Fasellus lib. 7. posterioris decadis pag. 418. & seqq. Falcandus in Hist. de Siciliæ Calamit. ac Sumontius lib. 2. Historiæ Neapolitanæ.

XVI. *Fredericus Imp. Mediolanum iterùm aggreditur.* Germani, qui anno superiori in Conventu Papiæ congregato Mediolanenses rebelles declaratant, præsenti omnem operam in iis debellandis posuere. Interim *gens Teutonica*, inquit Otto Morena, *maximè fremens, quod Imperator adeo cum paucis Teutonicis relictus erat in Lombardia, quod plenariè non valebat expugnare Mediolanum, ad eius auxilium obatxè se præparavit. Inter quos fuit Landgravius cognatus Imperatoris* (qui uxorem duxerat Juditham Suevam, Friderici Imp. patruelem, filiam scilicet Conradi Romanorum Regis) *& Conradus Comes Palatinus de Rheno frater Imperatoris, atque Fredericus frater Regis Conradi, qui fuit patruus Imperatoris; Dux de Rotemburgo, qui duxerat secum ultra sexcentum milites bene armatos. Rainaldus quoque Cancellarius, & tunc electus Archiepiscopus* Coloniæ, *duxit se cum ultra quingentos milites. Filius quoque Regis Bo-*

hemiæ

SÆC. XII. An. C. 1161.

bemiæ unà cum Duce Bohemiæ patruo suo (erant tunc duo Bohemiæ Principes quorum major natu Rex, & junior Dux appellabatur, sed hic Dux supremus Princeps regionis non erat) *ultra trecentos equites duxit. Alii etiam multi Episcopi, Marchiones, Comites & alii Nobiles in Lombardiam ad Imperatoris auxilium venerunt.* Bohemiæ Rex in Italiam non venit, sed tantum se se per literas excusavit, ut Morena, & post eum Tristanus Chalcus asserunt. Dein *Imperator*, uti narrat Morena, *die Lunæ, qui fuit tertio Kalendas sequentis mensis Junii, in festo sancti Maximi, cum dictis Principibus & maxima quantitate Lombardorum supra Mediolanum tendit, ad eorum segetes devastandas. Et devastaverunt ipsas segetes usque ad sanctum Caremolum & ad Ecclesiam omnium Sanctorum, quæ est in capite Broli, & Ecclesiam sancti Barnabæ, & monasterium sancti Dionysii, fixeruntque ea die castra à cassina Guadzina de Aliete usque Morsengiam: ubique per biduum stantes omnes segetes ac partem Mediolani devastaverunt.*

XVII. *Ecclesiæ suburbanæ ante annum sequentem non eversæ.*

In sequenti verò die Mercurii castra metantes ad sanctum Dionysium hospitati sunt. Hinc apparet, ante secundam Mediolani obsidionem suburbia eversa non fuisse, aut saltem Ecclesias in iis sitas, sicuti neque in prima obsidione, quæ anno MCLVIII. facta, quod & Morena narrat: *Postea*, inquit, *sequenti die Mercurii, qui fuit anno MCLVIII, indictione VI & qua fuit tunc sexta die mensis Augusti, ecstavit dominus Fridericus Imperator una cum Rege Bohemiæ & Cremonensibus atque Papiensibus, nec non & Laudensibus, aliorumque Principum maxima multitudine, ac super Mediolanum castra metatus fuit. Itaque ipso die Mercurii ipsemet dominus Imperator apud Ecclesiam, quæ dicitur Omnes Sancti, quæ est Ecclesia Templi & extat ipsa Ecclesia in capite Broli. Rex verò Bohemiæ intra monasterium sancti Dionysii hospitatus est. Ceteri autem Principes ab ipso sancto Dionysio usque ad pusterlam sanctæ Euphemiæ hospitati sunt.* Omnes itaque istæ Ecclesiæ annis MCLVIII & MCLXI adhuc subsistebant juxta testimonium Morenæ, qui visa à se scribit. Adhæc Morena Bohemiæ Principi titulum Regis ab ipso primæ Mediolanensis obsidionis initio tribuens invictè refellit eos, qui asservêre Bohemiam in Regnum erectam non esse ante annum sequentem.

XVIII. *Obitus Geysæ II Hungariæ Regis.*

Geysa II filius Belæ Regis Cæci, ac Hungariæ Rex *migravit ad Dominum anno Domini MCLXI, pridie Kalendas Junii, feriâ quartâ*, inquit Thwroczius in Chron. Hungarorum cap. LXV, qui addit eum regnasse annos XX, & aliquot menses. Ei successit *Stephanus* III filius. Geysa Rex paulò antequam moreretur, misit Obertum Nuncium suum ad Ludovicum VII Franciæ Regem cum literis Tom. IV Duchesnii pag. 578. ad eum directis, in quibus ait; *Alexandrum, quem universalis Ecclesia & Vestra Regia dignatis auctoritas confirmavit, & confirmatum recepit, sicut per Nuncios meos mandastis, confirmavi, recepi & ab hoc nullo modo dissentire proposui*, &c. *Notum itaque vestra fraternitatis amicitia firmiter facio, quatinus si prædictus Imperator vobis aut regno vestro aliquid mali machinari voluerit, ego regnum eius in manu forti devastando aggrediar. Hoc idem à vobis tanquam ab amico confidenter expectans.* Porrò licet in Auctario Aquicinctino mors Geysæ in annum MCLXIII perperàm differatur, de Stephano tamen eius filio ac successore accuratè traditur: *Habens uxorem filiam Henrici Austrasiorum Marchionis, qui fuit frater Conradi Imperatoris.*

XIX. *Abdelmumen excursionem in Hispaniam facit.*

Anno Hegiræ DLVI, uti narrat Noweirius, *Abdelmumen* Almohadum Imperator primùm in propria persona in Hispaniam transfretavit, & ad montem Calpe dictum, hodie *Gebaltarek* excensionem fecit, ibidemque oppidum ædificavit, dictum hodiè *Gibraltar*. Mauri, qui Hispanias incolebant, magna ex parte se se ei nullo negotio subjecêre, & Granata, quæ obsistere volebat, jugum subire coacta fuit. *Abdelmumen* Christianos ex oppidis ab illis in Hispania occupatis ejecit, & *Almeriam* in suam iterum potestatem redegit, inquit idem Noweirius.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6655.

☉ 23. G. ☽ 4. P. 8. Apul. Indict. 10.

JESU CHRISTI 1162.

ALEXANDRI III PAPÆ 4.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 11. IMP. 8.

MANUELIS COMNENI IMP. 19.

Anno Æræ Hisp. MCC. Anno Hegiræ DLVIII. inchoato die 10 Decemb. fer. 2.

I. *Alexander III in Galliam venit.*

AD Num. I ad V. Duchesnius Tom. IV pag. 412. refert Historiam Ludovici VII Franciæ Regis ab anno MCXXXVII usque ad annum MCLXV perductam, in qua pag. 416. dicitur: *Venerabilis Papa Alexander ad Gallicanas partes proficiscens, apud Montem Pessulanum transmeavit. Cujus adventum postquam ad aures domini Ludovici Regis fama detulit, consilio quid super hoc faceret, exquisito, memorandus Rex dominum Theobaldum Abbatem sancti Germani Parisiensis ad ipsum destinavit.* Paulò pòst: *Eisdem diebus Ludovicus Rex Alexandrum Papam in Pastorem cum omni regno Franciæ suscepit. Cujus rei fama circumquaque regiones pervolante, Constantinopolitanus & Hispanus Imperatores, Rex Angliæ, Rex Hierosolymitanus, Rex Siciliæ, Rex Hungariæ, omnesque Reges Christianorum, sequentes Regis Ludovici exemplum, cum debita reverentia eundem susceperunt.* Baronius loca per quæ transivit, ex Codice Vaticano notavit. Ait eum in festo Sanctæ Agathis *apud Genuam* applicuisse, ab ea urbe exivisse in Dominica Passionis, & tandem pervenisse *ad Ecclesiam Magalonam.* Post multa interposita ait: *Exivit Pontifex à Monte pessulano in proximo mensis Junii, & per Alexiacum* (legendum, Alestum) *atque Mimacum* (legendum Mimatum) *& Anicanovum* (legendum, Anicium) *transitum faciens Alverniæ partes instravit, & in vigilia Assumptionis B. Mariæ apud Claramontem cum omni prosperitate, Domino auctore pervenit.*

II. *Fridericus frustra laborat ut à Rege non recipiatur.*

Fridericus Imp. ubi accepit, Alexandrum III decessorum suorum exemplo Galliam petiisse, hanc ad Regis Franciæ Cancellarium Epistolam dedit, quæ extat inter Epistolas diversorum de Rebus Francicis Tom. IV Duchesnii pag. 579. *Fridericus Dei gratiâ Romanorum Imp. & semper Augustus, dilecto amico suo Hugoni venerabili Episc. Suessionensi & Regis Francorum Cancellario salutem cum intima & sincera dilectione. In veritate audivimus, quod Rolandus quondam Cancellarius* (in Pontificatu Alexander III dictus),

SÆC. XII. An. C. 1161.

ctus), *qui propter fideles nostros circa Romam non habet, nec invenit, ubi caput suum reclinet, periculis maris se ipsum cum suis pseudo-sequacibus commiserit, ut terram Francigenarum intret, eamque schismatica pravitatis errore, utpote manifestus Dei & Ecclesiæ & Imperii inimicus, commaculet & spoliet: ut etiam quomodocumque corradat viginti mille libras & amplius, unde creditoribus suis debita persolvat, quia sub alieno ære valde graviter ipse laborat. Rogantes itaque tuam dilectionem intimo & pleno affectu monemus, quatinus prædictum schismaticum, nostrum & totius imperii atrocem inimicum, nullo modo recipias, nec recipi ab aliquo permittas: Regique Francorum bona fide consulas, ne ipsum, vel aliquem de suis pseudo-Cardinalibus vel Nunciis recipiat. Tantum enim ac tale odium inter nostrum imperium & suum regnum exinde posset oriri, quod non de facili compescere possemus aut sedare.*

III. *Fridericus tentat creare alium Papam & duos jam creatos dejicere.* A num. V ad XII Fridericus Imp. uti refert Baronius ex Codice Vaticano, videns orthodoxos Principes Alexandro III tanquam Romano Pontifici reverentiam exhibere, decrevit tam Alexandrum III, quàm Victorem idolum suum dejicere, & personam tertiam in Romanum Pontificem ordinare. Quamobrem adscivit *Henricum* Comitem Trecensem, cui maximè confidebat; Comes autem ab eo informatus venit ad Ludovicum Franciæ Regem, & fraudulenter suggessit ei bonum simulatum de reformanda pace Romanæ Ecclesiæ in Conventu ea de re celebrando. Appropinquante autem statuta die *Fridericus* accessit ad locum designatum, sicuti Antipapa ac Rex Francorum, qui Alexandrum III apud *Silviniacum*, non verò apud *Salvianum*, ut habetur apud Baronium num. VI, habuit obviam, ibique *per biduum eractaverunt.* Visum fuit ut mitterentur illuc, qui ostenderent electionem Octaviani nullius fuisse momenti. Illis abeuntibus Pontifex ivit *ad monasterium Dolense*, & Rex processit usque ad montem *Saeuus*, qui Teutonicos à Francis dirimebat. Cùm tam Pontifex, quam Francorum Rex valde turbati essent, quia videbatur maxima Imperatoris potentia, ex insperato in eorum auxilium venit Anglorum Rex, & famis inedia, quæ tunc contigit, cœgit exercitum ad propria remeare. Subdit idem Anonymus apud Baronium num. XI Regem Anglorum Alexandrum Papam visitasse *in Bobiensi monasterio commorantem*; sed locus corruptus; monasterium enim illud situm in Italia, & jam idem Anonymus scripserat Papam secessisse ad monasterium Dolense, quare loco, *in Bobiensi Monasterio*, legendum, *in Dolensi Monasterio.*

IV. *Alexander III monet Ludovicum Regem, ne intersit Conventui à Friderico indicto.* Nunc hæc ex aliis confirmanda. Duchesnius Tom. IV in Epistolis de Rebus Francicis pag. 595. unam refert Hugoni Suessionensi Episcopo ab Alexandro III *Mimata IX Kal. Augusti* datam, in qua prudentiam tuam, inquit, *exhortamur in Domino, quatinus charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum illustrem Francorum Regem cum omni studeas diligentia commonere, ut in fide & devotione quam semper circa Ecclesiam Dei, & præsertim hoc tempore demonstravit, & firmus existat, & exaltationem sanctæ matris Ecclesiæ ac nostram, tanquam Princeps Catholicus, & Rex Christianissimus, vigilanter intendat. Specialiter autem super eo quod disposuit cum Friderico dicto Imperatore se colloquium habiturum, eum diligentiùs ammonere non differas, ut quia credimus & timemus colloquium illud tam Ecclesiæ Dei ac nobis ipsis, quàm etiam eidem Regi ac regno suo multipliciter fieri posse damnorum, ab eo abstineat, & tale penitùs propositum derelinquat.* Porrò loco. *Salvianum*, legendum esse, *Silviniacum*, demonstrat Præceptum à Ludovico VII Rege datum, & in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti Sec. IV part. I pag. 90. memoratum, cujus hæc clausula est: *Actum publicè Silviniaci, præsente in eadem villa domino Papa Alexandro, anno Incarnati Verbi MCLXII, regni nostri XXVI* De Silviniaco legendus Hadrianus Valesius in Not. Galliarum. Conventum verò illum ad hunc annum pertinere præter citatam clausulam docet Radulphus de Diceto in Imag. Hist. pag. 533. qui ad annum MCLXII ait: *Fredericus Imperator Romanus, Ludovicus Rex Francorum prope Chrysopolim* (seu Bisantium) *convenerunt, ut Ecclesiæ Romana schisma sedarent, & quis esset præferendus, decernerent.* Adhæc Chronographus Affligemensis ad hunc annum ait: *Imperator Fridericus à Rege Francorum invitatus, ut sublato schismate Romana Ecclesia pax firma redderetur, Concilium in territorio Vesuntionum in Dola villa super Saonam fluvium in Decollationem S. Joannis Baptistæ convocavit* (Dola sita non est ad Saonam, sed Conventus celebrandus erat ad illum amnem, Imperii & Franciæ limitem, ac Dolæ vicinum) *sed Rege Franciæ ab Imperatore averso quique sine effectu, eadem & adhuc graviore permanente discordia in sua redierunt.* Corruptus est Morenæ locus, in quo ait: *æstatis verò prædicta mense Augusto statutum est maximum colloquium in Lombardia apud Besenzonum*: loco enim *in Lombardia*, legendum, *in Burgundia*; imperitus enim Librarius *Besenzonum* seu Vesuntionem sumens pro *Belinzona* oppido Lombardiæ Burgundiam in Lombardiam mutavit, uti notat Puricellus num. 448. cujus conjectura eò certior, quo Morena hoc tempore in Lombardia scribens tam enormiter peccare non potuit.

V. *Latona Locus electus, in quo Conventus celebraretur.* Duchesnius in eodem Tomo pag. 424. fusè refert ex Historia Vizeliacensis monasterii, quæ ad hanc Historiam spectant: *Henricus Comes Trecensis*, inquit Hugo Pictavinus Scriptor illius Historiæ, *partibus favebat Imperatoris. Porrò Ludovicus Rex Galliæ misit in occursum Alexandri Papæ Catholicos Legatos suos, Theobaldum Abbatem Sancti Germani de pratis, & Cadurcum clericum suum. Quorum legationem cum minùs optatò Alexander suscepisset, reversi Vezeliacum venerunt. Et decidit in lectum ægritudinis Theobaldus Abbas, & mortuus est IX Kal. Augusti*, &c. *Et ut cognovit Ludovicus Rex repulsam Legatorum suorum, iratus pœnituit se suscepisse Alexandrum, contempto Victore: & scripsit per Manassem Episc. Aurelianensem super hoc verbo. Comiti Henrico Trecensi, qui eo tempore ad Germanicum Imperatorem properabat. At ille gratulabundus pro opportunitate reperta, subjecit Imperatori, ut finiret colloquium cum Rege, adunatis utriusque regni Optimatibus & Ecclesiasticis viris, contestatus jure jurando quod Rex, audita utriusque Apostolici electionis examinatione juxta discretionem personarum utriusque regni, staret consilio suo, videlicet Henrici Comitis. Et indictum est colloquium apud Lovigennam vicum citra Ararim fluvium in fine regni Franciæ. Et statutum est, ut Alexander Catholicus & Victor schismaticus*

SÆC. XII. An. C. 1162. *colloquio adessent, & de sua electione in conspectu totius Ecclesiæ conferrent.*

VI. *Alexander III Conventui noluit interesse.* *Quod ut cognovit Alexander, misit ad Ludovicum Regem Legatos, scilicet Bernardum Portuensem Episcopum, & Hyacinthum diaconem suum, qui Regis iram lenirent, & familiare colloquium inirent. Convenerunt ergo Alexander & Ludovicus apud Silviniacum, qui est vicus Monachorum Cluniacensium (* vulgò dictum *Souvigny*, situm inter Burbonem Erchembaldi & Molinas in pago Burbonensi, ut videre est in Notitia Galliarum Hadriani Valesii, in voce Silviniacum *). Rex autem Ludovicus rogabat Alexandrum, ut ad constitutum veniret colloquium: aut si præsentiam Imperatoris abhorreret, saltem ad partes illas accederet usque ad Vergiacum castrum, quod erat inexpugnabile. Cui cùm Alexander nollet acquiescere: Ego, ait Rex, & te, & universum comitatum tuum salvum ducam, & reducam salvum sicut corpus meum. Et cùm nec sic acquiesceret Alexander, veritus dolos Imperatoris, respondit Rex: Mirum est, quod conscius justitiæ suæ subterfugit testimonium innocentiæ suæ, seu audientiam. Et abiit Rex ad indictum cum Imperatore colloquium. Nondum autem cognoverat conditiones, quas ex parte sua Comes Henricus fecerat cum Imperatore.*

VII. *Pactiones illicitæ Regi Franciæ propositæ.* *Cùm ergo venisset Rex ad castrum Divionem, occurrit ei Comes Henricus: & tunc primum aperuit ei pactiones, quas cum Imperatore fecerat, dicens: Majestatis tuæ reverentia, & regni tui consulens utilitati, domine mi Rex, inii colloquium super Ararim fluvium, quò tu Domine mi Rex, & Imperator Fredericus cum Pontificibus & Abbatibus atque Optimatibus regni utriusque convenerant, præsente tuo & Imperatoris Apostolico, ut ex utraque parte eligerentur viri probatissimi tam Ecclesiastici, quàm militares, qui electionem utriusque Apostolici dijudicabunt: & si Rolandi electio fuerit sanior comprobata, Octaviani electio cassabitur, & Imperator procidet ad pedes Rolandi. Si autem Victoris electio prævaluerit, Rolandi annullabitur. Tu verò, Domine Rex ad pedes Octaviani venies. Quod si victorem Octavianum deesse contigerit, Imperator ab eo deficiens Alexandro tuo obediet. Si autem econverso Alexander defuerit, identidem decidet, & Rex Victori favebit. At verò si tua Majestas noluerit, nec prædictis pactionibus acquiescere, nec arbitrio Judicum assensum præbere; ego jure jurando juravi, quod ad partes illius transibo, & quidquid de fisco Regis in feodum habeo, Imperatori tradens, ab illo deinceps tenebo. Stupefactus Rex Ludovicus ad hæc respondit: Miror, unde tibi fiducia, quod me inscio, meque inconsulto talia cum Imperatore conduxisti. Respondit Henricus; Hanc fiduciam, tu Rex, per Manassem Aurelianorum Episcopum mihi dedisti. Interrogatus super hoc verbo Episcopus, timore Regis dissimulare cœpit occultas machinationes, quibus Henricum ad hoc induxerat. Tunc Henricus protulit Epistolam Regis, qua continebatur, quod nuncii Regis repulsi fuissent ab Alexandro. Ob quam rem indignatus Rex mandabat Henrico quatenus licenter procederet, & colloquium utriusque audientia iniret: certus quod Rex per omnia consilio illius staret.*

VIII. *Conventus indecorè solvitur.* *Fridericus autem, Imperator ædificaverat sibi Palatium miræ amplitudinis in loco, qui dicitur Dola, in finibus imperii sui. Et cognoverunt Franci, quod schismaticus Victor non esset cum Imperatore, & læti sunt super illius absentia. Quo agnito Teutonici seu Germani currentes, adduxerunt eum cum festinatione maxima eodem die. Quem assumptum Imperator duxit eum supra pontis medium: statimque quasi pactionibus satisfecisset, recessit. Rex autem Ludovicus quasi venatum pergens transiit per nemus ad locum colloquii. Misitque Jocium Turonensem Archiepiscopum, & Mauricium Parisiensem Episcopum; Guillelmum quoque Vizeliaci Abbatem cum aliis Optimatibus suis ad Nuncios Imperatoris, qui ibidem convenientes verbum Regis expectabant. Inter quos erat etiam Comes Henricus, qui propter affinitatem cognationis partibus omnino favebat Victoris schismatici. Petierunt itaque Missi Regis ex ore ejus competentes inducias, eo quod pactiones hujus colloquii hactenus usque perendie Regi fuissent incognitæ: præsertim cùm Imperator compulerit Henricum Comitem jurare, ne prædictas ante diem constitutis colloquii ullo modo manifestaret Regi: indecens autem fore tam temere de tanto negotio definire. Cumque Imperatoris Friderici prolocutores petitas inducias negarent, reversus est Rex apud Divionem. Cardinales verò, quos illuc Alexander Papa miserat, sperantes solutum esse colloquium, Vezeliacum redierunt. Rex autem constituit, qui custodirent fines regni sui.*

SÆC. XII. An. C. 1162.

IX. *Ludovicus Rex in laqueos sibi paratos incidit.* *Et sequenti summo mane venit Comes Henricus ad Regem in Palatium Ducis Burgundiæ, allegans Regem nequaquam esse à captionibus liberum: ideoque se necessariò discessurum ab eo, & se traditurum in manus Imperatoris, ita ut totam terram quam de feodo Regis hactenus tenuerat, amodo Imperatoris traditam ab eo reciperet, & hominium illi faceret. Attamen ob gratiam Regis obtinuisse se dixit ab Imperatore trium hebdomadarum inducias, ea conditione, quod Rex datis obsidibus polliceretur Imperatori ad diem se venturum, & Alexandrum adducturum, atque ibidem causam utriusque auditurum, & judicio proborum virorum imperii & regni pariturum: aut certè se ipsum tradere vinctum Imperatori apud Chrysopolim, quæ est urbs nobilis Bisuntinorum. Et acquievit Rex, & deficit spiritus ejus, & tædiatus est animo: pactusque est, ita se facturum, datis obsidibus Duce Burgundiæ, Comite Flandriæ, & Guillelmo Comite Nivernensi. Omnis autem Ecclesiasticus ordo, audito hoc verbo, quod fecerat Rex, doluit valdè, & corde clamaverunt ad Dominum, ut misereretur Ecclesiæ suæ Sanctæ, & liberaret Regem à fraude circumvenientium eum.*

X. *Sed ex illis evadit.* *Abiit ergo Rex ad prædictum locum Lovigennæ* (seu Latonæ in finibus Linguonum ad Oscaræ & Araris confluentem, vulgò, *Saint Jean de Laône*) *ubi Regi debebat occurrere Imperator. Sed fefellit Imperator Henricum, misitque præcipuum fautorem schismatis Rainaldum Cancellarium suum, Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopum. Cumque coram eo replicarentur pactiones, quas Comes Henricus ex ore Imperatoris proposuerat Regi: subitò Divina virtus adfuit Ecclesiæ suæ, & piæ simplicitati Regiæ Majestatis. Respondit enim Rainaldus profani erroris fautor, nequaquam Imperatorem talia dixisse: scilicet quod cuiquam permitteret consortium judicandi Romanam Ecclesiam, quæ propriè sui juris existebat. Tunc repletus gaudio Rex quæsivit ab Henrico Comite, utrum se haberent pactiones secundùm formam ab eo propositam. Et ille; Habent. Et Rex, Ecce, ait, quod Imperator, qui juxta verbum tuum adesse debuit, abest. Ecce etiam, quod Missi illius formam pacti, te præsente, te teste, commutant. Verum est, inquit Comes Henricus,*

riilus, Et ait Rex : Nonne ego absolutus sum ab omni pacto? Absolutus, ait Henricus. Et dixit Rex Ludovicus cunctis Optimatibus suis, & Episcopis atque Abbatibus, qui præsentes aderant, audistis, & vidistis, qualiter ego ipse gratis perfecerim omnia, quæ ad me pertinent. Edicite, utrum liber ab his pactionibus videar. Dicunt omnes; Liberasti verbum tuum. Statimque Rex velocissimum equum, cui insidebat, reducens, protinus ire perrexit. Teutonici autem valde confusi, insecuti sunt eum: rogantes, ut rediret ad Imperatorem paratum exequi omnia, quæ Henricus Comes proposuerat. At ille parvi pendens quæ dicebantur, decipulam, quam evaserat, exhorruit, dicens : feci quod meum fuit. Sic soluto Conventu Rex in regnum suum rediit. Alexander autem Catholicus Papa veritus indignationem Regis Ludovici; transiit in Aquitania Metropolim urbem Bituricorum, & in Dolense monasterium, quod est apud Castrum Radulfi (id est, quod proximum est Castro Radulfi Andria interfluente *) ibique hyemavit.* Hæc Hugo Pictavinus Notarius Guillelmi Abbatis Vizeliacensis, qui hoc tempore vivebat.

XI. *Henricus Angliæ Rex efflagitatu Papæ assistit Franciæ Regi.* Hanc narrationem variæ Alexandri III literæ à Duchesnio Tom. IV recitatæ confirmant. Pag. 620. refert Alexandri Papæ literas ad Ludovicum Regem, datas *apud Dolum XV Kal. Octobris*, in quibus ait : *Audito per venerabiles Fratres nostros Archiepiscopos & Episcopos, qui tecum illo colloquio, quod cum Frederico dicto Imperatore constitueras, interfuerunt, quantas molestias & gravamina in colloquio illo sustinueris: cognito etiam post discessum eorum inventa iniquitate & dolositate prædicti F. & Consiliariorum ejus, qui nitebantur fidei tua serenitatem modis omnibus depravare, quantam mentis constantiam, & spiritus fortitudinem indueris, quod malueris & decreveris te murum ferreum, & præsidium inexpugnabile pro domo Domini opponere, & usque ad effusionem sanguinis decertare, quam ab unitate Ecclesiæ recedere, & sancta malitiæ consentire.* Subdit Pontifex, se per Episcopos suos & Nuncios suggessisse Henrico Angliæ Regi, *ut tibi tanquam Domino suo vires & auxilium præstet :* ipsum verò misisse Nuncios ad ejus Excellentiam, *per quos se & terram suam & totas vires quas habet, ad honorem & fidelitatem & exaltationem regni tui exposuit.* Concludit Alexander se pro eo, si necesse fuerit, fidejussorem constituere.

XII. *Conventus in die Decollationis S. Joannis Baptistæ coactus.* Ibidem pag. 583. recitatur Epistola *Victoris* Antipapæ ad Ludovicum Regem, data *Cremonæ III Idus Febr.* in qua Victor narrat se multa, & sæpe de negotio Ecclesiæ & suo scripsisse, *dedisseque jam diu* (inquit) *sicut verè putamus, precibus nostris effectum, nisi pravi homines tuam rectissimam animam à Sanctis Consiliis avertissent.* Pag. 580. exhibetur Frederici Epistola ad quemdam Archiepiscopum missa, in qua dicit Imperator pro illa controversia, quæ inter se & Regem Francorum pro schismate Romanæ Ecclesiæ jam diu agitabatur, *Mediantibus hinc inde Legatis, tandem inter* se convenire : *quod nos videlicet,* inquit Fridericus, *cum Archiepiscopis, Episcopis, & Patribus orthodoxis ac viris religiosis, Baronibus, & universis utriusque regni Principibus, IV Kal. Septemb. in die videlicet Decollationis Sancti Joannis Baptistæ, super fluvium Saonam in Episcopatu Bisuntino Concilium pariter generale celebraturi sumus. In quo Rex Francorum dilectus consanguineus noster, cum universis Archiepiscopis suis, Episcopis, & cum omnibus regni sui Principibus, & tota Gallicana Ecclesia Reverendum Patrem nostrum Dominum Papam* (sc. Victorem, ut infrà disertè dicit) *sicut per sacramenta & firmissimas securitates præordinatum est, in Apostolicum, & universalem Sanctæ Dei Ecclesiæ Pontificem recipiet.*

XIII. *Henricus frater Regis Franciæ fit Archiep. Remensis.* Henricus frater Ludovici Regis Franciæ hujus anni initio, non verò anno MCLXVI, ut perperam Nangius in Chron. ex Episcopatu Belvacensi ad Remensem Archiepiscopatum translatus, audiens Ludovicum Regem aures præbere suggestis incantationibus per Henricum Comitem Trecarum colloquio ad Saonam cum Imperatore habendo, veritus ne in eo aliquid statueretur in dispendium veri successoris Sancti Petri, ad eum scripsit Epistolam Tom. IV Duchesnii relatam pag. 576. *Vehementer admiramur,* inquit, *& vehementius perturbamur in his, quæ significata sunt nobis, Comitem sc. Henricum, sacramenta, firmissimasque securitates ex parte vestra, sicut dicitur, Imperatori dedisse : quod illum Octavianum generaliter cum Ecclesia Gallicana in Apostolicum debeatis recipere : à quo verò nobis hoc sit significatum, nec habemus, nec debemus vobis intimare. Sit in hoc tanta necessitatis articulo circumspecta vestra discretio, ne per filios tenebrarum innocentia vestra tam anima, quàm corporis miserabile patiatur naufragium. Valete.* In eam Epistolam Henricus aliam inserit, in qua monetur de celebratione præfati colloquii ad Saonam habendi. Ad hæc Alexander III Hugoni Suessionensi Episcopo per literas à Duchesnio ibidem pag. 594. recitatas significat, se postquam ad *Montempessulanum* advenerat; statuisse nonnullos è Cardinalibus, qui aderant in suo comitatu, ad Regem destinare, qui suo nomine eum salutarent; mutato tamen consilio provinciam hanc Henrico Remensi Archiepiscopo, Lingonensi & Silvanectensi Episcopis demandasse, Regemque suis literis orasse, ut Ecclesiæ negotii diligenter assisteret. *Datum apud Montempessulanum II Kal. Maii.*

XIV. *Fortiter stat adversus Antipapam.* Ex his literis certò intelligimus, *Henricum* hujus anni initio jam Archiepiscopum Remensem fuisse, & accuratè ab Auctore Chronici Claravallensis, & ab Alberico in Chron. ejus Archiepiscopatus initium cum præsenti anno copulatum. His suffragatur Chronicon Remense, in quo ad annum MCLXI habetur : *Obiit Samson Archiepiscopus Remensis Monachus Igniaci factus, XI Kal. Octobris. Cui successit Henricus XIX Kal. Februarii*, die nempe decima quarta mensis Januarii currentis Christi anni, in quam Dominica incidit, quo die Episcopi & Archiepiscopi inthronizari soliti erant. Marlotus Tom. II Hist. Metropolis Remensis lib. 3. cap. 2. existimat Henricum in Archiepiscopatus honorem anno superiori assumtum esse, quòd in charta à se visa annus MCLXIV tertius ejus Præsulatûs notetur. Verùm annus ille tertius non à superiori, sed à currente inchoatus, ut laudati Scriptores plane indicant. Henricum fortiter Antipapæ obstitisse, insinuat Petrus Cellensis Abbas in Epistola II libri 1. ad eum data : *Hactenus* inquit, *in palestra prælium ignave vires non deposcebat egregias. Satis fidum erat equitare sine lorica, sine lancea, sine gladio. Sed nunc qui habet gladium, tollat similiter & loricam. Ecce tempus, ecce dies, ecce causa, ubi fortissimi Israel gladio accingi debent super femur poten-*

SÆC. XII. An. C. 1162.

potentissime. Nam ecce Philistiim, qui secundùm carnem in baculo arundineo ambulant, de foveis occultæ malignitatis erumpentes, castra innumerabilia, castra fortia, castra fulgurantia posuerunt.

XV. *Ad hoc illum impellit Petrus Cellensis Abbas.*

Octavianus Princeps est militiæ, ne dicam malitiæ hujus: qui sine Deo, ut dicitur, pro Deo vult regnare. Ecce ipse non velum templi, sed tunicam Christi, non saccum mortalitatis, sed soccum Majestatis in Christo, & Ecclesiæ iterum rescindere nititur. Hoc abominabilius reputat unitas Catholicæ fidei, quàm perfossionem lateris, pedum confixionem, & manuum Christi. De perfossione namque redemptio, de confixione comparata est nostra liberatio. Sed quid de scissione, de divisione, de schismate, nisi anathematis vibratio, animarum damnatio, morum depravatio? Ecce aqua contradictionis, ubi jurgati sunt filii Israel. Tu verò, Domine mi, quid? Sta cum Josue, imò cum Jesu, evaginato gladio. Dico omnis transeunti (Josue cap. 5.); *noster es, an adversariorum? Habes Alexandrum, imò Petrum, aut potius Christum, qui habet ministros Petrum & Alexandrum, quis timere poterit cum Alexandro potentissimo? Quis vacillare cum Petro supra Petram fundato? Quis non superabit cum Christo, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra? Novi in te Regiam animositatem, novi contra inflexam iniustitiam inflexibilem cervicem; Novi arderem Zeli. Age ergo pro dignitate officii, pro sublimitate nativi sanguinis, pro religione Ordinis, pro debito Christianæ professionis, quod debes & potes. Multum enim debes, nihilominus & plurimum potes. Satis dictum est sapienti. Sanum & incolumen te custodiat manus dextera Dei. Vale.*

XVI. *Ab hoc Conventu causa Antipapa pejore conditione facta.*

Quantum profuerit Ecclesiæ depressio partis Antipapæ & Frederici Imp. notavit Joannes Saresberiensis in Epist. CLIX ad Exoniensem Episcopum *data: Nonne Teutonicus tyrannus nominis sui famâ nuper Orbem perculerat, & ferè subegerat regna vicina, & etiam Imperium Græcorum terrore concusserat, ut magis deditionem, quam confederationem Legationibus missis videretur offerre? Sed ecce Deo auctore timetur minus, & qui tam vicinos, quàm remotissimos solo metu terrebat, Principes Teutonicos suos ab injuriis cohibere non potest; qui solo verbo pacem Gentibus ad arbitrium indicebat, & bella; nunc à suis & inter suos petitis & acceptis trengis gratulatur. Nam sicut ipsemet conqueritur, ex quo Latonam venit* (quam suprà num. X. *Lovigennam* etiam appellatam vidimus, cujus tamen vocis oulla mentio io Notitia Galliarum Valesii, & Lexicis Geographicis), *ut Regem Francorum & Gallicanam Ecclesiam separaret à fide, & in suam hæresim perverteret, ut adoraret idolum suum, successus eius relapsi sunt, & quæ eum extulerat, in depressionem ipsius cœpit fortuna fluctuare.*

XVII. *Elionora nascitur Henrico Angliæ Regi.*

A num. XII ad XXI. Baronius num. XII. tradit ex Roberto de Monte in Chron. hoc anno Ludovicum Francorum Regem ex Leonora conjuge auctum filia fuisse, eamque baptizatam per Henricum Presbyterum Cardinalem in Galliis Legatum. Verùm, ut observat Alfordus hoc anno num. IV Baronius quoad filiam hoc anno è Regina natam spectat, lapsus est, tam in Reginæ nomine, quàm in Regis conjuge, & Robertum de Monte non bene assecutus est. Cùm enim Robertus ad hunc annum Henrici Regis gesta recensens ita scripsisset: *Henricus Rex Anglorum perrexit in Aquitaniam, & inter alia, quæ strenue gessit, Castellionem supra urbem Agennum, castrum scilicet & natura & artificio munitum obsedit: & infra unam septimanam in festivitate sancti Laurentii, admirantibus & terrentibus Wasconibus cepit*; cùm inquam, Robertus ita dixisset; mox nullis interpositis, addit: *Regina Alienora apud Dommum-frontem filiam peperit: quam Henricus Presbyter Cardinalis & Legatus Romanæ Ecclesiæ baptizavit: & Achardus Episcopus Abrincensis, & Robertus Abbas de Monte sancti Michaelis de Periculo maris cum multis aliis de fonte susceperunt: & vocata est Alienora de nomine matris suæ.* Ita Robertus de Monte susceptor filiæ, sed is non asserit Reginam, Ludovici tunc conjugem fuisse; sed ex præmissis iotelligi vult, eam extitisse Henrici Anglorum Regis conjugem. Elionoram enim hoc anno natam Matthæus etiam Parisiensis his verbis affirmat: *Eodem anno MCLXII Alienor Anglorum Regina apud Rothomagum filiam peperit, & ei nomen suum imposuit.*

SÆC. XII. An. C. 1162.

XVIII. *Reges Septentrionis vocantur ad conventum Laonensem.*

Præterea Baronius num. XIV agit de *Valdemaro* Daniæ Rege, quem Fredericus Imp. in Conventu, de quo locuti sumus, ad partes Victoris Antipapæ pertrahere decreverat, ad quod referendum quod narrat Helmoldus in Chron. Slavorum lib. 1. cap. 91. Fredericus *misit ad Regem Franciæ Ludovicum, ut occurreret sibi ad colloquium apud Laonam, quæ est in terra Burgundionum juxta Ararim fluvium, ad redintegrandum unitatem Ecclesiæ. Et annuit Rex Franciæ. Præterea misit Nuncios ad Regem Daniæ, & ad Regem Ungariæ, & ad Regem Bohemiæ, ut venirent ad constitutum diem: insuper omnibus Archiepiscopis & Episcopis & summis potestatibus regni sui, & Religiosis quibuscumque solemniter adesse mandavit. Grandis ergo expectatio erat universorum ad tam celebrem Curiam, quo uterque Papa, & tanti terrarum Reges conventuri ferebantur. Tunc abierunt simul Valdemarus cum Episcopis Daniæ Hartwichus Archiepiscopus, Geroldus Episcopus, & Comes Adolfus cum multis Saxoniæ nobilibus, ad præfixi colloquii locum. Dux verò positus in Bavaria, aliâ viâ venerat.* Ducis nomine Helmoldus Henricum Bavariæ Ducem intelligit, ut ipse postea indicat. Pergit Helmoldus.

XIX. *Sed Antipapa partes non sequuntur.*

Ludovicus ergo Rex Franciæ, cujus præcipuè expectabatur adventus, ubi intellexit Cæsarem appropriare cum exercitu & armis multis, dubitavit occurrere illi. Sed propter fidem sacramentorum venit ad locum Placiti constituto die, hoc est, in Decollatione Joannis Baptistæ, & exhibuit se in pontis medio ab hora tertia usque ad horam nonam. Porro Cæsar necdum venerat. Quod Rex Franciæ accipiens pro omine, lavit manus suas in flumine ob testimonium, quasi qui fidem pollicitam reddiderit, & digrediens inde abiit ipso vespere Divionem. Veniens ergo noctu Cæsar, intellexit Regem Franciæ discessisse, & misit honorabiles personas denuò accersere eum. Sed ille nulla ratione vacare potuit, gratulans se fidem solvisse, & suspectam Cæsaris manum evasisse. Ferebatur enim à multis, quod Cæsar eum circumvenire voluerit, & propter hoc contra pactionum tenorem armatus advenerit. Sed ars arte delusa est. Francigena enim ingenio alticres, quod armis et viribus impossibile videbatur, consilio evicerunt;

eerunt;

SÆC. XII. An. C. 1162. *cerunt. Tunc Cæsar vehementer irritatus secessit à Curia, intentans francigenis bellum. Alexander Papa confortatus ab eo tempore magis invaluit.* Idem narrat Baronius ex Saxone Gram. lib. 14. sed num. XIV malè facit Valdemarum Regem Daniæ filium sancti Canuti Martyris, ut jam anno MLXXXI. num. XV diximus.

XX. *Concilium Monspelien-se.* Hoc anno Alexandrum III Concilium *Monspelii* celebrasse ostendit Labbeus Tom. X Concil. pag. 1410. ex ejusdem Alexandri Epistola in qua ait Pontifex se in eo excommunicasse Victorem Antipapam, & quidem *in die Ascensionis* Dominicæ quæ hoc anno cadit in diem XVII Maii: *Noverit tua discretionis prudentia*, inquit Alexander Papa in Epistola ad Omnibonum Veronensem Episcopum data, *quod tam nos quàm fratres nostri apud Montempessulanum per Dei gratiam sani & incolumes commoramur*, &c. *Specialiter autem fratrem nostrum Senonensem, Turonensem, Aquensem, & Narbonensem Archiepiscopos, de quibus unum, scilicet Narbonensem, nobis consecravimus, & Antisiodorensem, Maclovienscm, Nivernensem, M rinensem, Magalonensem & Toloni Episcopos recensuimus: cum quibus in die Ascensionis Dominica, publica excommunicationis sententiam in Octavianum schismaticum, atque in omnes suos complices promulgavimus.*

XXI. *Sanctus Thomas fit Archiep. Cantuaria.* Ad num. XXI & seq. Baronius, qui obitum *Theobaldi* Archiepiscopi Cantuatiensis secundâ feriâ Paschæ currentis anni contigisse ait, secutus est Robertum de Monte, Auctorem quidem coævum, sed in Chronologia parum accuratum, nisi errores, qui in ejus Chronico leguntur, Librariis attribuantur. *Theobaldus* itaque anno superiori è vivis excessit, & quidem feriâ tertiâ Paschæ, seu XIV Kal. Maii, ut ibidem diximus, & demonstrat Wartonus part. 1 Angliæ Sacræ pag. 110. Post ejus obitum Ecclesia Cantuatiensis vacavit anno uno, mense uno, diebus quatuordecim, ut scribit Gervasius in Chron. qui postea ad hunc annum scribit, Henricum Angliæ Regem *Thomam* Cancellarium suum, qui post mortem in Sanctorum numerum relatus fuit, ad expediendа regni negotia ex Normannia in Angliam transmisisse, hac præsertim intentione, ut in Archiepiscopum Cantuariensis Ecclesiæ eligeretur. Quam ob rem Wibertus Prior jussus à Rege Londoniam venit, ubi Episcopi congregato Concilio Thomam elegêre: *Convenerunt itaque*, subdit Gervasius, *Cantuaria Præsules & Principes regni, ut tanta assisterent consecrationi. Sabbato igitur octavarum Pentecostes in Presbyteri gradum ordinatus, in crastino in Archiepiscopum consecrandus.* Paulò pòst: *Consecravit eum Henricus Wintoniensis Episcopus Dominicâ octavarum Pentecostes III Non. Junii, quadragesimo circiter ætatis suæ anno*, &c. *Consecratus autem Thomas Cantuariensis Episcopus instituit festivitatem principalem sanctæ Trinitatis singulis annis in perpetuum die octavarum Pentecostes celebrandam; unde & ipse eadem die Missam celebravit.*

XXII. *Ejus Epistola nuper in lucem edita.* Epistolæ sancti Thomæ hoc anno Cantuariensis Archiepiscopus ordinati, à paucis annis à Christiano Lupo in lucem productæ sunt ex MS. Vaticano unà cum ejus Vita jussu Gregorii Papæ XI ex variis collecta. Cap. 6. dicitur, *Henricum* Regem Thomæ significasse suæ voluntatis esse, ut Cantuariensis Præsul foret, & Thomam respondisse: *Quàm Religiosum virum, quàm sanctum in tam sancta sede, & super tam celebrem & tam sanctum Conventum Monachorum constitui desideras? Scio certissimè, quia si Domino disponente acciderit sic, citissimè à me auferes animum, & gratia quæ nunc inter nos tanta est, in atrocissimum odium convertetur. Novi quippe te nonnulla exacturum, & in Ecclesiasticis te jam multa præsumere, quæ ego sustinere non possim. Et ita occasione nacta interponent se invidi, qui extinctâ gratiâ perpetuum inter nos odium suscitabunt.*

XXIII. *Moritur Raimundus IV Comes Barcinonis & Princeps Aragonia.* *Raimundus* Comes Barcinonensis hujus nominis IV & Princeps Aragoniæ, ac *Raimundus* ejus fratris filius Provinciæ Comes, quasdam pactiones hoc anno ineunt, quibus Comitatus Provinciæ & Forkalquerii, & civitas Arelatensis à *Frederico* Imperatore conceduntur in feudum eidem Comiti Provinciæ. Inprimis verò cavetur, uti Comes Provinciæ, patruusque ejus Imperium detrectent *Alexandri* III, & obediant *Victori* III Antipapæ. Acta conventionum tunc habitarum exhibet Baluzius in Appendice ad Marcam Hispanicam num. CCCCXXXVII, in quibus dicitur: *Comes quoque Provincia Dominum Papam Victorem recipiet, & per totam terram suam tanquam Catholicum & universalem Papam recipi faciet, & obediet & ei obediri faciet bona fide absque fraude & malo ingenio, & Legatos suos recipiet*; adeo verum est quod suprà ex Saresberiensi diximus, Fridericum hoc tempore tam vicinos, quam remotos Principes solo metu terruisse. Non multò pòst Berengarius Barcinonensis Comes & Princeps Aragoniæ vivere desiit. *Tandem*, inquit Auctor de Gestis Comitum Barcinonensium cap. 17. *apud Burgum sancti Dalmatii juxta Januensem urbem in Italia plenus gratia & dierum anno Domini MCLXII, VIII Idus Augusti humanis rebus exemptus obiit in Domino, suo relinquens luctum populo, periculum patria, hostibus gaudium, lamentum pauperibus, Religiosis suspiria.* Ei in regnum Aragoniæ & Comitatum Barcinonis successit filius ejus *Ildefonsus*, adhuc puerulus, sub tutela Petronillæ matris, filiæ Ranimiri Regis & Monachi. Hic Ildefonsus secundus est hujus nominis, & Regis nomen tulit, quo Raimundus pater nunquam insigniri voluit. Portò post hanc Comitatus Barcinonensis & Principatus Aragoniæ unionem, duæ hæ ditiones nunquam amplius divisæ, sed semper ab uno eodemque Principe possessæ.

XXIV. *S. Galdinus & Obertus Archiep. Mediolan stant contra Antipapam.* Ineunte Januario cùm nulla ex parte res ad victum necessariæ supportari Mediolanum possent, omnesque *Obertum* Archiepiscopum increparent quasi aut bello temerè tanto causam dedisset, aut paci moram atque impedimentum afferret, ille ad *Alexandrum* Genuam se recepit, inquit Sigonius lib. 13. de Reg. Ital. ubi Sigonius sequi videtur Flammam, & alios qui pessime habuêre *Obertum* Archiepiscopum, qui tamen optimè se se in his tumultibus gessit; & in eo tantùm à *Friderico* dissensit, quod is foveret Antipapam, à quo ipsemet alienissimus erat. Quam ob rem ad Alexandrum III Comite S. *Galdino* venit, uti refert Scriptor Anonymus Vitæ hujus sancti, illorum temporum vicinus: *Beatus Galdinus Mediolanensis civis egregius, nobilium Valvasorum de Sala stirpe progenitus, sacris ab infantia litteris eruditus, Mediolanensis*

primò Ecclesiæ Archidiaconus nec non & Cancellarius ordinatus est. Postea verò tempore schismatis sub Alexandro Papa III & Friderico Imp. facti cum suo domino ac aliis quibusdam urbem suam relinquens, ab eodem Alexandro schismatis rabiem similiter fugiente cum domino suo gratanter & officiosissimè susceptus est.

XXV. *Deserunt urbem Mediolanensem.*

Gualvancus Flamma in magno suo Chronico capp. 277. & 278. apud Puricellum in Monum. Basil. Ambrosianæ num. CCCCXXXI quædam narrat his prorsus contraria; Postquam enim rem absurdam supposuit, eo scilicet tempore Gualvagnum Comitem de Engleria fuisse Dominum Mediolani, asserere non erubescit, Archiepiscopum Imperatorem de angustiis, ad quas urbs redacta esset, monentem eidem urbem tradidisse ea conditione, ut eius dominium sibi tribueretur. Addit, Imperatorem, & Victorem Antipapam in eam ingressos esse, & omnes Engleriæ Comites aut occidisse aut in exilium misisse. Denique cap. 280. scribit: *Imperator Archiepiscopi proditoris Palatium spoliari jussit; & usque Beneventum in exilium misit. Et justo Dei factum fuit judicio, ut qui proditor semper fuerat, proditoris ultionem reciperet.* Flamma cap. 278. fatetur se hæc omnia ex Chronico Danielis exscribere. Puricellus verò citatus num. CCCCLXXX ait se Chronicon illud reperisse in Bibliotheca cujusdam viri privati, nominati Caroli Andreæ, illudque inchoari *ab anno D. J. DCVI, & ad MCCLXXX pertingit; prolixumque præsertim est in rebus Angleriæ Regum & Comitum recensendis.* Non dubitat Puricellus, quin Daniel iste quæ narrat, hauserit ex Chronico Apocripho Viviani Comitis, cujus mentionem facit Auctor Chronici, cui titulus, *Flos Florum*, apud Puricellum in Monum. Basil. Ambr. num. CCCCXLIII fol. 147. Nam postquam dixit, Fridericum Comites Angleriæ LXXXV exilio damnasse, subdit: *Unus solus, scilicet Comes Vivianus evasit, & Bononiam perrexit*, qui postea scripsit Chronicon Comitum Angleriæ. Sed mitto hîc fabulosas narrationes jam à Puricello cõfutatas, quarum nullam rationem Tristanus Chalcus habens, lib. 10. ait, dum de urbis deditione ageretur, *Princeps Sacerdotum Ubertus Archiepiscopus, Milo Caldinus* (est hic sanctus Galdinus) *& Algisius* Galdini successor *seu manifestam patriæ desolationem ruinamque imminentem cernentes, seu iratiorem sibi fore Cæsarem ominati urbe cedunt, seque Genuam, quò, superioribus adnavigasse Alexandrum constabat, conferunt* (quia scilicet ceteris ardentiores fuerant in causa Alexandri contra Victorem defendenda), *seque unam cum eo fortunam habituros* ostendunt.

XXVI. *Mediolanum deditur Friderico Imp.*

Ceterùm Otto & Acerbus Morena testes oculati ea narrant, quæ planè evertunt præfatorum fabulatorum commenta. Acerbus Morena accuratè refert deditionem urbis Mediolanensis, eumque tam Tristanus Chalcus, quàm Corius sequuntur, & Sigonius laudatus elegantiùs rem scribit. Adhæc Freherus in sua Collectione Historicorum Germaniæ in lucem dedit relationem testis oculati, scilicet Burchardi ad Nicolaum Sigebergensem Abbatem *de Victoria Friderici Imperatoris, & excidio Mediolanensi.* Contentus hîc ero referre literas à Friderico Imp. Comiti Suessionensi datas, & Tom. V Spicilegii Dacheriani pag. 568. recitatas, in quibus narrat quæ acta sunt in deditione Mediolani: *In Kalendis*, inquit, *Martii, prima videlicet die mensis, hostes imperii Mediolanenses, summota omni simulatione fraudis, qua in prima deditione dolosè circumvenerant, summa necessitate famis & inediæ coacti ad Curiam nostram apud Laudam venerunt, & nudos gladios in cervicibus suis deferentes, & Majestati nostræ reos se fore profitentes, personas, res, ipsamque civitatem absque ullo tenore, & sine aliqua conditione interposita, in nostram potestatem cum plena deditione reddiderunt. Præterea quarto Nonas ejusdem mensis Mediolanenses cum omni militia & viribus civitatis ad nos redeuntes, vexilla & universa signa bellica, clavesque civitatis, & Consulatûs dignitates Majestati nostræ resignaverunt, refutantes omnia genera armorum, omnemque potestatem, nisi quam cum gratia & permissione nostra possent obtinere. Juraverunt insuper quæcumque eos jurare fecimus, scilicet quod universa mandata nostra bona fide & sine fraude observarent, & de his omnibus observandis quadringentos obsides meliores ac majores de civitate nobis dederunt.*

XXVII. *Solo æquatur.*

Sanè ne quid deesse posset ad complementum Imperialis gloriæ, vel omnimodam deditionem inimicorum, pridie Nonas prædicti mensis universus populus civitatis cum vexillo sancti Ambrosii, quod miro artificio egregiæ molis & altitudinis ferebant in carrocio (id est, in rheda; ita enim appellabant Itali vexillum totius exercitûs præcipuum, qood in curru impositum, à quatuor boum jugis trahebatur, & magna cura in præliis à lectis militibus servabatur, cùm Carrocio exui insignis probri loco per ea tempora haberetur. Plura de Carrocio in Glossario Ducangii), *quem juga boum non pauca trahebant, necnon cum universis vexillis suis, eo ordine quo ad bellum procedere solebant, ad Curiam nostram venerunt, non judicium, vel justitiam postulantes, sed quia crucem meruerant, per crucem quam quisque manu gerebat, misericordiam suppliciter implorabant. Ex indulta ergo Imperialis clementia*, &c. *universos Mediolanenses vita munere donavimus, à vinculo Imperialis banni absolvimus, deputatis in exilium patriam concessimus, rebus omnibus & libertate privatis, alodia quæ justè videbantur contraxisse, restituimus, & universa Regalia nostra, quæ ipsi hactenus per rapinam possederant, fisco nostro applicuimus*, &c. *fossata complanamus, muros subvertimus, turres omnes destruimus, & totam civitatem in ruinam & desolationem ponimus: sicque ad promovenda alia negotia, & ad plenariam imperii reformationem exercitum nostrum, & victrices aquilas feliciter convertemus.* Hanc Epistolam encyclicam fuisse existimo; in Chronico enim Reicherspergensi ad annum MCLXII eadem refertur, sed paucis mutatis, & inscripta Eberhardo Saltzburgensi Archiepiscopo. Aitque Chronographus, Eberhardum solum cum Alexandro Papa stetisse, & venisse Mediolanum, *cùm adhuc ipse Imperator in destructione ejusdem civitatis ibi moraretur*, & honorificè ab eo susceptum esse *cum Episcopo Harthmanno Brixinensi.*

XXVIII. *Cruces aliâ amandantur.*

Hoc anno Acerbus Morena Ottonis filius cœpit scribere quæ propriis oculis vidit, & de Frederico post victoriam Mediolanensem, ait: *Omnibus peditibus tribuit licentiam redeundi domum, præcepitque eis, ut tantum de fossato & muro Mediolani demolirentur per unamquamque*

portam

SÆC. XII. An. C. 1161.

portam (ideſt, urbis regionem, ut nuper interpretati ſumus) *quod cum exercitu ſuo poſſit largiter civitatem introire* (non per muros, ſed per portas). *Elegit quoque Imperator ſex Lombardos, & ſex Teutonicos, qui Mediolanum irent, & prædictos Mediolanenſes prædicto more jurare facerent. Et ego Acerbus Morena filius Ottonis Morena, qui deinceps hanc Hiſtoriam dictavi, qui tunc eram poteſtas Lauda, fui unus de prædictis duodecim, & uſque ad ſabbatum proximum* (diem nempe X Martii) *fecimus jurare quaſi omnes Mediolanenſes, quos invenimus.* Idem Acerbus Morena ſcribit Imperatorem in comitatu Beatricis Imperatricis, Ducis Bohemiæ & aliorum Principum ex urbe Laudenſi Papiam perrexiſſe die Martis XIII Martii, ſecum ducentem obſides Mediolanenſes, ſubditque: *Sequenti Dux die Lunæ præcepit Imperator Conſulibus Mediolani, ut uſque ad octo dies facerent omnes perſonas, tam maſculos quam fœminas exire civitatem Mediolani. Quod equidem, licet luctuosè, plenariè adimpleverunt Mediolanenſes, euntes Papiam, Laudam, Bergomum atque Cumas, & per alias civitates & loca Lombardiæ. Maxima pars tamen ipſorum ſtetit circa civitatem, circa foſſatum Imperatoris miſericordiam expectantes, atque putantes quod Imperator civitatem intrare ſubitò eis concederet, & in ipſa ſolito amore habitare.*

XXIX. Urbe everſa Imperator Papiam redit.

Verùm ipſe Imperator die Lunæ, quæ fuit ſexta dies ante Kalendas Apriles (ideſt, VII Kalendas) *Mediolanum venit cum Principibus ſuis, & cum Cremonenſibus, Papienſibus, Novarienſibus, & Laudenſibus, & cum illis de Seprio & Marthеſana: qui illùc cùm perveniſſent, præcepit Laudenſibus, ut portam Orientalem, quæ vulgò Rentia dicitur, totam deſtruerent, Cremonenſibus verò portam Romanam demoliendam commiſit; Papienſibus portam Ticinenſem; Novarienſibus portam Vercellinam; Cumanis portam Cumanam; illis verò de Seprio & Marthеſana portam novam* (erant hæ omnes urbis regiones). *Qui omnes ad deſtructionem ſic conati ſunt, quod uſque ad proximam diem Olivarum tantum de muro civitatis conſternaverunt, quod ab initio à nemine credebatur in duobus poſſe menſibus diſſipari. Et verè, ut opinio eſt, quinquageſima pars Mediolani non remanſit deſtruenda. Remanſit tamen totus murus civitatem circumdans* (exceptis iis, quæ propter Imperatoris introitum everſa fuerant), *qui adeo bonis & magnis lapidibus confectus fuerat, & quaſi centum turribus decoratus, quod, ut exiſtimo, nunquam tam bonus viſus eſt in Italia, nec deinceps videbitur præter murum fortem Romanum. Remanſit etiam campanile Majoris Eccleſiæ miræ pulchritudinis & magnæ latitudinis atque miranda altitudinis, quale nunquam dicitur fuiſſe, quod poſt paucos dies Imperator in terra deponi fecit, quod tunc ſuper majorem Eccleſiam ruens magnam ipſius Eccleſiæ partem diſſipavit. Laudenſes autem præteritorum & innumerabilium dolorum memores, quos à Mediolanenſibus olim ſuſtinuerant, non ſolum portam Orientalem eis commiſſam ad deſtruendum plenariè demoliti ſunt; verum etiam de porta Romana magnam partem ad terram proſtraverunt. Ipſo die Dominico Olivarum reverſus eſt Imperator Papiam: & quicumque cum Imperatore Mediolani fuerat, domum reverſus eſt.*

XXX. Suburbia Urbis Mediolani non fuêre everſa.

Puricellus in Monum. Baſil. Ambr. num. CCCCXXXVIII optimè refellit Dubravium in Hiſtoria Bohemiæ, in qua paſſim fallitur, & Bohemiæ Regem Uladiſlaum, qui Mediolanenſi excidio non interfuit, confundit cum Bohemiæ Duce fratre ejus, qui Imperatorem comitabatur. Ceterùm non dicit Morena ſuburbia aut Eccleſias in iis ſitas everſas fuiſſe; indeque intelligimus Gualvancum Flammam ex aliquo optimo Auctore accepiſſe, quod refert in Chron. majori cap. 285. apud Puricellum laudatum num. CCCCXLI. *Mandavit inſuper* (nempe Fredericus) *quod ſuburbia civitatis manerent illæſa; quia ſemper ſibi fuerant obedientia. Similiter præcepit quod domus nobilium proditorum, quæ erant in civitate, illæſæ remanerent & Eccleſiæ; attamen turres & campanilia dejecit.* Paulò pòſt de Imperatore ſubdit: *Monaſterium majus, ubi erat porta Vercellina, ſeptem turribus communitum voluit Imperator præſervari propter reverentiam Ottonis Imperatoris* (hujus nominis primi) *qui illud Monaſterium fundaverat, de cujus ſtirpe deſcenderat.* His conſentanea habet Auctarium Affligemenſe ad annum MCLXII: *Deinde juſſit ſuos civitatem ingredi, muros, turres, alta & ſuperba faſtigia & ædificia deſtrui* (tribus tamen pepercit Eccleſiis S. Mariæ, S. Mauricii, & S. Ambroſii cum officinis Clericorum, officialibus ipſorum, domibus etiam indemnitate rerum conceſſa); *ærarium publicum ſibi reſervari.* Cap. 286. apud Puricellum ibidem everſionem civitatis Mediolanenſis eodem quo Morena modo deſcribit, & ruinam Domus ſeu majoris Templi Mediolanenſis malitiæ Papienſium diſertè attribuit: *Tunc unus de Papienſibus nomine Obizo Papienſis accepit ſuper ſe dejicere campanile Eccleſiæ majoris, cujus altitudo fuit ducentorum quadraginta quinque brachiorum, &c. in cujus caſu malitiosè fecit eum deſcendere ſuper Eccleſiam: & deſtructa fuit Eccleſia per majorem partem.*

XXXI. Corpora SS. Ambroſii, Gervaſii & Protaſii intacta fuêre.

Triſtanus Chalcus lib. 10. refert Fridericum in Dominica Olivarum palmam accepiſſe in Eccleſia Sancti Ambroſii, indeque Papiam rediiſſe, quod & Acerbus Morena aſſerit: *Ipſe die Dominico Olivarum reverſus eſt Imperator Papiam: & quicumque cum Imperatore Mediolani fuerat, domum reverſus eſt.* Triſtanus Chalcus habet; *à templo Ambroſiano ſacrilegam manum abſtinuiſſe hoſtes, indicio eſt Angilberti Archiepiſcopi lamina aurea, argenteaque multis ante ſeculis altari circumdata.* Ad quæ verba Puricellus num. CCCCXLII hæc obſervat: *quæ quidem in hanc uſque diem perenniter illi circumdata & aſſervata conſpicitur, quæve propterea nobis argumento eſt, ne tunc quidem inde amota, & alio tranſlata fuiſſe ſanctorum Ambroſii, Protaſii & Gervaſii corpora, quorum in honorem lamina iſta fuit huic altari circumdata.* Tum refellit Puricellus Scriptores illos Germanos, qui tradidêre Sanctorum Gervaſii & Protaſii corpora à Germanis tunc Briſacum tranſlata fuiſſe. Certè Chronographus Affligemenſis, Auctor coætaneus, ne verbum quidem habet de hac tranſlatione, licet de Mediolanenſi deſolatione & Magorum tranſlatione fusè agat.

XXXII. Fridericus Imp. Magiſtratus variis Lombardiæ urbibus præficit.

Acerbus Morena Geſta hoc anno narrare pergit, aitque: *Proximo die verò Paſchæ fuerunt Papiæ ferè omnes Lombardiæ poteſtates,* (id eſt, primi urbium Longobardiæ Magiſtratus) *& quamplures Epiſcopi, & Marchiones, & Comites, aliique multi nobiles Italiæ: fuitque ta*

die Imperator incoronatus Papiæ ad Missam in Ecclesia Majori unà cum serenissima Augusta (scilicet Beatrice) *cum magnis solemnitatibus, maximaque lætitia* (idest, astitit Imperator cum corona in capite, sed ibi coronatus non fuit), *quod Imperator ipse annis retro minimè fecerat* (ab anno nempe MCLIX, quò iterum Mediolanenses rebellarunt; antea enim Fredericus quater coronatus fuerat, primùm Aquisgrani, secundò Romæ, tertiò Papiæ, quartò Monzæ), *proposuerat enim quod ipse nunquam coronam sumeret* (anno scilicet MCLIX) *in capite, donec Mediolanum superasset* (quod hoc anno contigit). *Post Missam verò Imperator dulcissimus fecit invitare ad prandium suum omnes Italicos Episcopos, Marchiones, Comites & civitatum Consules, qui ibi aderant. Inter quos fui ego Acerbus Merena, qui hunc librum composui, qui tunc eram Potestas Laudæ. Comederuntque Imperator & Imperatrix cum coronis in capite: cum quibusdam Episcopis, qui erant in mensa sua à dextris & à sinistris cum mitris in capite, & aliis ornamentis Episcopalibus* (Observa morem Episcoporum cum mitra prandentium), *& fuit ipsum convivium in curia Episcopi Papiensis, ubi Papienses faciunt concionem.* Addit, his omnibus feliciter actis variis civitatibus & castris Magistratus ab Imperatore præpositos fuisse. Corius verò in Historia Mediolanensi ait, Fredericum Comitatum Mediolanensem in sex jurisdictiones divisisse, quibus tot gubernatores præerant, qui omnes Episcopo Leodiensi Henrico, quem corruptè *Alicom* appellat, tanquam Vicario Imperiali paruêre.

Anno Eræ Hispan. MCCI. Anno Hegiræ DLIX inchoato die 29 Novemb. fer. 6.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6656.

☉ 24. F. ☽ 5. P. 24. Mart. Indict. 11.

JESU CHRISTI 1163.

ALEXANDRI III PAPÆ 5.

FRIDERICI ÆNOBARBI Reg. 12. Imp. 9.

MANUELIS COMNENI Imp. 20.

I. *Alexander III Parisios venit.*

AD Num. I ad XIX. Alexander III, *advenient Quadragesima*, uti habet Baronius num. I ex Codice Vaticano, ad Parisiensem civitatem properavit, in ipsa per Quadragesimam mansit, & Paschale in ea festum celebravit. Vasseburgus in Historia sua ait, Alexandrum III tria diversis in locis Concilia celebrasse; primum apud Clarum montem in Arvernia, ubi Fridericus & pseudo-Papa excommunicati, Turonis secundum, & tertium Remis de quibus infrà agetur. Mentionem tamen non facit Concilii Moospeliensis, quod certum est anno superiori in ejus adventu coactum fuisse. Quoad Concilium Claromontanum, alii ut Sigonius in Hist. de Reg. Ital. lib. XIII illud in annum præcedentem, alii in præsentem conferunt, at utrique gratis & sine probatione. Sed graviter errat Trithemius in Chron. Hirsang. illud cum anno MCLX connectens.

II. *Concilium Turonense.*

In Præfatione Concilii Turonensis legitur: *Anno Incarnat. Dom. MCLXIII indict. XI, anno quarto sui Pontificatus, IV Kalendas Junii* (legendum, *XIV Kal. Junii*, ut accuratè habet Continuator Chronici Sancti Petri Vivi, qui ait illud congregatum *in octavis Pentecostes, scilicet XIV Kal. Junii.* Matthæus enim Parisius & Radulphus de Diceto pag. 535. perperam habent XII Kalend. Junii) *sæpe dictus Alexander Papa in Ecclesia Sancti Mauricii Turonis Concilium celebravit; in quo interfuerunt secum Cardinales numero XVII, Episcopi CXXIV, Abbates, CCCCXIV, & aliorum, tam Clericorum, quàm laicorum maxima multitudo.* In hoc Concilio Canones decem conditi quibus Apostolica constituta roborata.

III. *Dogmata Hæreticorum in hoc Concilio damnatorum.*

Quarto Canone præcipitur ut cuncti Albigensium hæreticorum consortium fugiant, & his verbis concipitur: *In partibus Tolosæ damnanda hæresis dudum emersit, quæ paulatim more cancri ad vicina loca se diffundens, per Guasconiam & alias provincias quam plurimas jam infecit. Quæ dum in modum serpentis intra suas evolutiones absconditur, quantò serpit occultiùs, tantò graviùs dominicam vineam in simplicibus demolitur. Unde contra eos, Episcopos omnes Domini Sacerdotes in illis partibus commorantes,* & cetera à Baronio num. XVIII recitata. Ad hos hæreticos referendi illi de quibus in Annalibus Abbatiæ Margani nuper Oxoniæ inter Historiæ Anglicanæ Scriptores quinque editis: *MCLXIII anni hujus in tempore fama vulgata percrebuit, quod quidam pseudo-Propheta surrexerunt, terramque Petragoricæ regionis* (quæ Gasconiæ vicina est) *adierunt, qui vitam Apostolicam ducere, moresque imitari mentiebantur. Erant autem hujusmodi secta cultores; sine intermissione prædicabant, nudipedes incedebant, septies in die genua flectebant, & toties in nocte; pecuniam à nullo accipiebant, carnem non comedebant, vinum non bibebant, cibos datos sobriè accipiebant; eleemosynam nihil valere dicebant, quia unde fieri possit à nemine debet possideri; communionem sacram accipere renuebant; Missam nihil esse dicebant, parati erant mori & cruciari pro lege sua; prodigia quædam facere videbantur; aquam enim in vinum mutabant, vas vacuum suo vino parumper infuso plenum inveniebatur; coram eis cæci visum, surdi recipiebant auditum. Si illiterati ad eos veniebant, infra VIII dies tam prudentes fiebant ut nec literis, nec exemplis superari possent; nullo compedum genere vinciri poterant. Duodecim fuêre magistri, excepto Principe eorum, qui Poncius vocabatur.*

IV. *Variis nominibus appellabantur.*

Mabillonius Tom. III Analect. pag. 467. refert Heriberti Monachi Epistolam *de Hæreticis Petragoricensibus.* Cujus loci Monachus fuerit Heribertus in obscuro est, & annus quo ea Epistola data incompertus; sed in illa hæc iisdem passim verbis recitantur. Verùm ubi in Annalibus citatis habetur, *septies in die genua flectebant*, in Epistola Heriberti legitur, *centies in die genua flectunt*, qui error Librario attribuendus; *septies* enim mutavit in *centies*, ut res ipsa loquitur. De Hæreticis dictis Apostolicis legendus Alphonsus à Castro & Prateolus. Eorum secta antiquissima, sæpiusque extincta revixit. Numerum duodenarium affectabant, ut magis vitam Apostolicam simularent. Prateolus quidem eos Philippo Audace regnante in Francia post Sanctum Ludovicum patrem exortos credidit, sed ea in re hallucinatus est.

V. *Honoret S. Thoma Archiep. Cantuarea dilecti.*

Radulphus de Diceto in Imag. Hist. pag. 535. de Episcopis Angliæ, qui huic Concilio affuerunt, ait: *Ad cujus* (nempe Concilii) *vocationem per Theodinum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum,*

diaconum factam per manum Regis Anglorum venerunt Archiepiscopi, venerunt Episcopi, venerunt Abbates & Priores. Infirmitas tres Episcopos excusavit scilicet Wintoniensem, Lincolniensem & Baconensem. Thomas autem Cantuariensis Archiepiscopus cum suis suffraganeis sedit ad dexteram in Concilio. Cum Dunelmensi, quem unicum habet suffraganeum, Eboracensis Archiepiscopus sedere jussus est ad sinistram. In Vita Sancti Thomæ cap. 14. sermo est de ejus profectione ad Concilium Turonense, diciturque: *Turonis jam appropinquans, tertia ni fallor die ante celebrandum Concilium, civitatem ingressurus, audito ejus adventu, mox universa civitas commovetur, & obviam exeunt universi, non solum cives & indigenæ, sed & personæ Ecclesiasticæ, quæ ad Concilium jam fere omnes convenerant, diversarum nationum Archipræsules & Pontifices, & quod minimè tacendum, præter Romanæ Ecclesiæ morem Domini Patres & Rectores Ecclesiæ Cardinales universi, longè prius quam civitatem ingrederetur, occurrerant, præterquam duo tantum, qui domino Papæ, ne in tam celebri frequentia sine lateribus esset, considebant.*

VI. *Christianus Sedem Moguntinensem invadit.* Baronius num. XVI refert ex Romualdo Archiep. Salernitano hujus ætatis Scriptore, tempore hujus Concilii *Conradum* Imperatoris, consanguineum, Electum Moguntinensem, cum nollet consentire Imperatori, in Franciam festinum advenisse, & Papam postmodum secum eum Romam duxisse, deinde in Cardinalem Episcopum Sabinensem promovisse, & postremò in Moguntinum Archiepiscopum; sed Imperatorem ita commotum; *Christianum* nomine Cancellarium suum in Moguntina Ecclesia eligi fecisse. Verùm is Auctor, licet coætaneus, de rebus extra Italiam gestis quandoque non bene edoctus, Chronographus enim Reicherspergensis, qui hoc tempore in Germania vixit, anno MCLXIII refert *Eberhardum* Archiep. Saltzburgensem occurrisse Imperatori cum *Hartmanno* Brixinensi Episcopo, & ambos honorificè susceptos esse, *& ab ipso Imperatore, & à noviter Electo ejusdem urbis* (nempe Moguntiæ) *domno Chuonrado, fratre Palatini Comitis, Saltzburgensis Ecclesiæ prius Canonico.* Tum ad annum MCLXV idem Chronographus ait: *Electus Moguntiacensis Dominus Chuonradus, qui ante obedientiam fecerat per se Alexandro, dum iret ad limina S. Jacobi solus ferè nocte de Curia fugiens propter juramentum, venit in Franciam ad Alexandrum, & ibi exulabat.* Non itaque ante illum Christi annum Conradus in Galliam ad Alexandrum III venit, nec Christianus hoc anno Moguntinensis Præsul electus, sed anno MCLXI. ut anno MCLX diximus. Cumque anno MCLXV *Conradus* Archiepiscopatum Moguntiæ deserere coactus fuisset, Imperator, qui priorem *Christiani* electionem contemptui habuerat, eum Archiepiscopum esse voluit.

VII. *Et quidem exeunte anno MCLXV.* Porrò Romualdum laudatum errasse extra omne dubium ponit Joannes Saresberiensis in Epist. XXXIII lib. 1. ad Sanctum Thomam Cantuariensem data paulò ante Papæ è Gallia discessum anno MCLXV, in qua ait: *Desidero de eo* (nempe de Papa) *audire prospera, eò magis quò illi ex magna parte, inter quos moror, ei vaticinantur adversa. Dicunt enim quòd Pisani, & Genuenses, ac etiam Arelatenses malè ingressi sunt ex mandato Teutonici Tyranni* (scilicet Friderici) *, ut ei tendant insidias, & pyraticam exerceant; ut sine manuductione eorum nulli omnino liceat navigare in illo mari. Adjiciunt etiam quòd in Ecclesiam Moguntinam velit intrudere illum non Christianum, sed Anti-Christum Apostatam suum qui Reginaldo successit in officio Cancellariæ & persecutione Ecclesiæ & collisione ac strage gentium & eversione civitatum. Dicitur, enim hoc promeruisse in eo, quod Thusciam totam Teutonicis subdidit, & Campaniam, ut Romaniæ nihil relictum sit, nec in agris, nec in olivetis, aut vineis, extra mœnia Urbis. Unde, ut aiunt, inclusus populus, & quasi affectus inedia obtinuit multis precibus, & pecunia data inducias usque ad Festum S. Michaelis. Tunc nisi dominus Papa interim venerit, & subvenerit, recepturi Guidonem Cremensem* (Antipapam) *& in verba Teutonicorum juraturi. Et ne aliquid subtraham, asserunt nescio quas Prophetissas vaticinatas esse, unde furor Teutonicorum potest amplius inflammari, & unde Schismatici animantur.* Rexit Christianus Ecclesiam Moguntinensem usque ad annum MCLXXXIII, quo vita functus est, & toto illo tempore in flagranti Imperatoris gratia fuit, ut ex dicendis perspicuum fiet.

VIII. *Amalricus succedit Balduino III in regnum Hierosolymorum.* Ad num. XXVII. Tyrius lib. 18. cap. ult. postquam narravit *Milisindem* Balduini III Hierosolymorum Regis matrem tertio Idus Septemb. viam universæ carnis ingressam fuisse, ait hunc anno ab Incarnat. Domini MCLXII, regni ejus anno vigesimo, quarto Idus Februarii obiisse, & liberis non extantibus *Amalricum* fratrem regni hæredem instituisse. Tum initio libri 19. scribit ei successisse Amalricum fratrem unicum anno ab Incarnat. Domini MCLXIII præsidente Sanctæ Romanæ Ecclesiæ domino Alexandro, Pontificatus ejus anno tertio. Verùm loco, anno MCLXIII, legendum, anno MCLXII, ut annus tertius Pontificatus Alexandri III demonstrat; præterquam quod Tyrius subdit, *Amalricum* duodecimo Kal. Martii sublimatum esse *die octava post fratris obitum.* His adde anno MCLXII diem decimum octavum mensis Februarii in dominicam incidisse, quo die hujusmodi solemnia de more peracta. Denique quæ Tyrius in Amalrici morte narrat ostendunt, eum quo diximus anno regnum Hierosolymitanum suscepisse. Erravit itaque Chronographus Andegavensis Tom. I Biblioth. Labbei, qui Balduini III mortem in hunc annum differt, recteque illam Nangius in Chron. Auctor magni Chronici Belgici pag. 174. & Auctor Auctarii Affligemensis cum anno MCLXII connectunt. Porrò numeros in Tyrio sæpe corruptos esse vel liber ejus XIX citatus perspicuum facit, cùm præter dicta num. X annus Incarnat. MCLXV copulatur cum anno II Amalrici Regis & quarto Idus Augusti, & paulò pòst annus MCLXVII cum anno secundo Regni ejusdem & XV Kal. Novemb.

IX. *Christiani Syriæ ad summas angustias redacti.* Quàm pessimo loco essent Christianorum res in Syria, docet Epistola Amalrici Regis ad Ludovicum Franciæ Regem data, quæ XIII ordine est inter eas, quas retulit Bongarsius in Gestis Dei pag. 1178. *Lachrymabilem & luctuosum de Domino fratre nostro inclyto Rege B.* (idest, Balduino III) *rumorem heu heu! vobis per præsentia scripta intimamus, denunciantes vobis quoniam in die Scholasticæ Virginis, vocatione divina migravit ad superos,* &c. *Quia verò, Illustrissime, tota Christianitas in Oriente vehementer*

vehementer attrita & gravius solito oppressa, nimium atque animum laborat, tum ex infortunio R. (idest, Rainaldi) *illustris quondam Principis Antiocheni, qui, ut jam vos dudum audisse arbitramur, rediens ab expeditione captus fuit, cæsis aut captis ferè omnibus illis, qui in comitatu ipsius erant; tum & ex terra motu, qui in præterito Augusto, totius Principatûs Antiocheni castella, turres & municipia ferè omnia funditus evertit, soloque coæquavit; rogamus serenitatem Celsitudinis vestræ, ut pro terra illa, quam Dominus sua corporali præsentia visitare, illustrare, & consecrare dignatus est; quum etiam, ut liquido constat, regnum vestrum spurcitiis infidelium potenter eripuit, & cultui divino vendicavit, sollicitus sitis, &c. Data ad Fontem Sephoriæ VI Idus Aprilis.* Captus autem fuerat Rainaldus de Castellione Princeps Antiochenus, dum onustus spoliis fugeret, & cum aliis concaptivis Christianis spectaculum factus fuerat populis Infidelibus, uti narrat Tyrius lib. 18. cap. 28. qui subdit, id accidisse *anno regni domini Balduini XVIII, mense Novembri nono Kal. Decembris,* ideoque anno Christi MCLX. Captus & postea *Boamundus* tertius, qui ei in Principatum Antiochenum successit, uti anno sequenti videbimus. Quare capto Principe populus regionis diebus singulis *animis suspensis* desolationem expectabat, ut subdit Tyrius num. XXX.

X. *Alexander III longam moram Senonis facit.*

Continuator Chronici Sancti Petri Vivi postquam hoc anno narravit Alexandrum III Concilium Turonense celebrasse, ait: *In ipso vero anno venit idem venerabilis Papa Senonis cum multa caterva Episcoporum & Cardinalium S. Rom. Ecclesiæ, in festo Sancti Hieronymi, quod est II Kal. Octob. ubi à prudentissimo Hugone ejusdem urbis Archiepiscopo, & multis Episcopis, Abbatibus, & omnibus vicinarum Ecclesiarum Conventibus, in Ecclesia B. Protomartyris Stephani honorificè est receptus. In ea siquidem urbe per annum & dimidium in Sede Archiepiscopali commeratus, in sequenti anno à præfato Hugone Archiepiscopo, & Clericis ejusdem Ecclesiæ rogatus, consecravit eis altare in honore beatorum Apostolorum Petri & Pauli in Ecclesia nova XIII Kal. Maii, in qua die fuerunt tunc temporis octava Dominicæ Resurrectionis* (anno enim sequenti Pascha in diem XII Aprilis incidit, ideoq; & ejus octava in diem XIX ejusdem mensis.) *Postea verò dedicavit Ecclesiam B. Virginis & Martyris Columbæ VI Kal. Maii, &c. In Ecclesia vero B. Petri Vivi à Girardo venerabili Abbate & Fratribus ejusdem Ecclesiæ, sæpissimè cum honestissimis & jocundis processionibus, & maxima exultatione susceptus, multotiens ibi solemniter Missæ officium celebravit, ipsumque locum, & ejus habitatores sicut bonus & pius pater benedictionem suarum consecratione sæpius munivit.*

XI. *Mansit & in monasterio Dolensi.*

Post Concilium tamen Turonense, non Senonas sed ad monasterium Dolense venit Alexander III; Scriptor enim Historiæ Vezeliacensis lib. 4. pag. 584. de eo ait: *Regressus à Concilio Turonico in Dolensi monasterio degebat,* anteaque pag. 582. de eodem scripserat: *Tempore Quadragesimæ accessit ad Ludovicum Regem in urbe Parisiorum. A quo susceptus honorificè secundum morem Romanæ Ecclesiæ, portavit ipse rosam auream dominica qua cantatur,* Lætare Jerusalem. *Peractisque Paschalibus solemniis consecravit Basilicam Monasterii B. Germani de Pratis, cui præerat Hugo de Moncellis Monachus Ecclesiæ Vizeliacensis.* Radulphus de Diceto in Imag. Hist. pag. 535. loquens de Concilio Turonensi recitat Epistolam Alexandri III Ludovico Francorum Regi scriptam, & cum rosa aurea missam, in qua ait: *Ex antiqua Romanorum Pontificum institutione noscitur processisse, quod media quadragesima ea dominica, qua cantatur,* Lætare Jerusalem, *consueverunt ipsi florem aureum non gratia temporalis delectionis propriis manibus annua semper revolutione gestare.* Et postea quid flos iste aureus mysticè denotet, exponit. Alexander III adhuc in Dolensi monasterio erat VII Kal. Julii indict. XI, ut videre est Tom. III Conciliorum Hispaniæ ab Eminentissimo Card. Daguierre editorum, *Idibus Julii*, ut legere est apud Duchesnium Tom. IV pag. 613. & *XV Kal. Octob.* ut ibidem pag. 621. indeque Senonas venit.

XII. *Corpora trium Magorum Coloniam delata.*

Corpora trium Magorum, inquit Chronographus Affligemensis ad hunc Christi annum, *à Rainaldo Coloniensi Electo de Ecclesia quadam, civitati Mediolanensi contigua, translata sunt, & cum magno gaudio & exaltatione totius provinciæ processione mirabiliter ordinata, Civitati Coloniensi illata, & in Ecclesia sancti Petri reposita sunt. Si quis vult scire, quomodo de partibus suis translata sint Constantinopoli Mediolanum, id in Ecclesia sancti Petri Coloniensis inveniet.* Sed hæc traditio videtur fabulis immixta fuisse. Miræus in margine ait, hæc ab aliis referri ad annum MCLXII; verùm ex eo quod corpora illa anno superiori detecta fuerint, non sequitur, eodem etiam translata fuisse. Neque Chronographus ille hoc tempore & in Coloniæ vicinis vivens hac in re falli potuit. Adhæc Chronographus ClaræVallensis à Petro Francisco Chiffletio publicatus, qui hoc ipso tempore vivebat, ad hunc annum ait: *De tribus Regibus, qualiter venerunt de Mediolano Coloniam, per Archiepiscopum Renaldum, sub Imperatore Frederico.* Neubrigensis lib. 2. cap. 8. ait: *Victor Imperator civitatem evertit; cives, quoniam se dediderant, non disperdidit, sed dispersit. Præclaras illas Magorum Reliquias ibidem reconditas (Longobardis ægre ferentibus) in regnum Teutonicum transtulit, & thesauri hujus custodia civitatem Coloniam insignivit.*

XIII. *Fredericus Imp. in Italiam redit.*

Fredericus, qui anno superiori in Germaniam reversus fuerat, præsenti *Pascha Vormatiæ celebravit*, inquit Dodechinus in Chron. Hoc verò anno mense Octobri, uti narrat Acerbus Morena Laudam in Italiam rediit in comitatu Beatricis uxoris, Rainaldi Archiepiscopi Coloniensis, & plurium ab eo nominatorum. Fuit Papiæ medio mense Novembri, dein Modoetiæ, indeque ad suburbium Viglentinum urbis Mediolanensis. Scribit Tristanus Chalcus Fredericum acceptâ à miseris Mediolanensibus huc illuc dispersis pecuniâ, obsides quos in carcere retinebat eis reddidisse. Denique Ægidius de Aurea valle cap. 45. ait anno MCLXIV post Henrici Episcopi Leodiensis mortem Rainaldum Archiepiscopum Coloniensem obtinuisse corpora sanctorum Martyrum Felicis & Naboris, *qui in eadem urbe Mediolanensi passi fuerant pro Christo.* Sed, ut notat Puricellus in Monument. Basil. Ambros. hic Auctor in non paucis fallitur; Nabor & Felix apud Laudam martyrium fecêre, eorum corpora à piissima fœmina Savina nominata Mediolanum delata sunt. Trium Magorum corpora hoc anno in urbem Coloniensem translata, &

Henricus Episcopus Leodiensis hoc anno adhuc in vivis erat. Nihilominus ante annum MCCXXX in Germania inferiori creditum fuit, horum sanctorum corpora Coloniam fuisse delata. Qua in sententia fuit Corius Mediolanensis Historicus. Carolus tamen à Basilica Petri, vivente Sancto Carolo Borromeo Archiepiscopo Mediolanensi, qui horum sanctorum corpora quæ tunc Mediolani existere credebantur transtulit, conatur refellere Corium, eique adhæret Puricellus innixus traditione contraria & constanti Mediolanensium. Verùm quomodo traditio illa constans esse potuit; cùm Corius, qui res patrias diligenter scripsit, eam negarit. Sed hæc viderint alii.

XIV. *Successio Imperatorum Almohadum.*

Hoc anno, anno verò Hegiræ DLVIII *Abdelmumen* Almohadum Imperator ex Africa in Hispaniam trajecit, cumque *Salam* urbem Mauritaniæ Tingitanæ portu suo celebrem pervenisset, lethali morbo affectus *Mahometem* filium natu majorem, quem successorem declararat, de gradu dejecit, eique substituit *Josephum* filium nato minorem. Rodericus lib. 7. cap. 9. hanc successionem planè perturbat; ait enim mortuo Abdelmumo successisse *Avenajacob* filium, & huic fratrem ejus *Abenjuzef*, sed fallitur; *Jacobus* enim *Almansor Ebn Juzeph* successit patri Josepho, uti Diagus, Escolanus, Marmolus, & alii Historici Hispani rectè notarunt. Noveirius, quem sequor, tradit *Abdelmumen* vita functum anno Hegiræ DLVIII in fine ultimi Giomadi, aut sexti mensis Arabici, qui hoc anno in diem XI Junii incidit. Historia rerum in Hispania & Africa per hæc tempora apud Christianos gestarum tantam connexionem habet cum Historia Arabum, ut sine aliqua hujus notitia intelligi non possit.

Anno Eræ Hispan. MCCII. Anno Hegiræ DLX inchoato die 18. Novemb. fer. 4.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6657.

☉ 25. E D. ☽ 6. P. 12. April. Indict. 12.

JESU CHRISTI 1164.

ALEXANDRI III PAPÆ 6.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 13. IMP. 10.

MANUELIS COMNENI IMP. 21.

I. *Conciliabulum Clarendonense.*

ANNum. I ad XLV. Radulphus de Diceto, qui hoc tempore in Anglia florebat, ea narrat de vexatione divi Thomæ Cantuariensis Archiep. quæ huic Historiæ accuratè à Baronio narratæ lucem aliquam affundere possunt. Ad annum MCLXIII ait: *Rex Angliæ Nuncios ad Dominum Papam confinia schismaticorum in Galliæ declinantem direxit*, *A.* (idest, Arnulphum) *scilicet Luxoviensem Episcopum*, *& R.* (idest, Ricardum) *Pictavensem Archidiaconum. Qui sævitiam maris & fluctuum intra spatium trium mensium experti feroes, dum ad regni consuetudines auctoritate Summi Pontificis roborandas plurimùm elaborassent, nec in aliquo profuissent, in ultimo reditu suo Regis animum adversus plurimos magis ac magis exasperatum mitigare non potuerunt.* Ad annum MCLXIV: *Ex mandato Regis concurrentibus Episcopis & Proceribus apud Clarendune VIII Kal. Februarii post immensos tractatus Rex tandem ad hoc animos Prælatorum inflexit, ut regni consuetudines Archiepiscoporum & Episcoporum auctoritate firmarentur & scripto. Quod Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, dum ad cognitionem summi Pontificis pertulisset, ab obligatione, quam inierat, absolutionem petiit & impetravit.*

II. *S. Thomas Archiep. in causam trahitur.*

Rex Anglorum volens in singulis, ut dicebat, maleficia debita cum severitate punire, & ordinis dignitatem ad iniquum trahi compendium incongruum esse considerans, Clericos à suis Justitiariis in publico flagitio deprehensos Episcopo loci reddendos decreverat, ut quos Episcopos inveniret obnoxios, præsente Justitiario Regis exauctoraret, & post Curiæ traderet puniendos. In contrarium sentiebant Episcopi; quos enim exauctorarent, à manu laicali contendebant protegere; alioquin bis judicaretur in id ipsum. Huic controversiæ præstitit occasionem Philippus de Broc Canonicus de Bedeford, qui tractus in causam propter homicidium, in Justiciarium Regis verbum protulit contumeliosum. Quod cùm coram Archiepiscopo negare non posset, præbenda sua mulctatus est beneficio, pulsus est à regno per biennium. Archiepiscopus Romam profecturus apud Romenel inscio Rege navem ascendit, vento contrario rejectus in Angliam; in quo plurimùm Regis offensam incurrit. Tractus in causam Joanne Marescallo Regi deferente querelam pro quodam manerio Archiepiscopatus, quod à multis temporibus, ut dicebatur, inconcussè possederat Archiepiscopus; tandem post longas fatigationes in quibusdam articulis contrariam reportavit sententiam, & Regi judicatam solvi sufficientissimè cavit, in quingentis libris habita taxatione.

III. *Conciliabulum Northamptonense.*

Thomas Cant. Archiepiscopus super actum quem egerat in Cancellaria tractus in causam præsentiam suam exhibuit apud Norhamtunam III Idus Octob. Convenerunt illuc Episcopi, Comites, Barones totius regni, mandato Regis urgente. Rogerus Eboracensis Archiep. vocatus advenit. Et quoniam Episcopatuum, Abbatiarum tempore suo vacantium bona de jure Cancellariæ suæ fuerant deputata custodiæ, quoniam Regis ulterior familiaritas penès Cancellarium excreverat, eo usque ut Castellaniam de Eya, & Castellaniam de Bercamstede pluribus annis liberè possedisset, & disposuisset pro velle, perceptorum summam in ratiocinium venire consentaneam juri pluribus videbatur, & à capite rationem reddendam ordinarium reputabant; licet ante consecrationem suam Archiepiscopus ab Henrico filio & hærede Regis, & à Justitiario regni liber & absolutus ab omni ratiocinio fuisset assignatus Episcopis. Cùm autem absolutionem factam hoc modo de voluntate Regis & mandato probare non posset, adversus Episcopos, ne eum injustè condemnarent, judicio appellavit, & ab eis eodem appellatus est. Sed Proceres licet adversus eos processerit appellatio, & sub anathemate prohibiti sint in patrem & judicem suum ferre sententiam, nihilominus tamen in eum, nec confessum, nec convictum, sed Privilegium Ecclesiæ protestantem & suum, sententiam intorserunt; sic Archiepiscopus in Arctissimo positus, multis affectus injuriis, & opprobriis lacessitus, & Episcoporum destitutus consilio, crucem quam manu tenebat, in altum erigens discessit à Curia. Nocte sequente, villam latenter egrediens ab aspectibus hominum diebus se subtrahens, & noctibus iter peragens, post dies aliquot ad portum Sandicum pervenit, navicula fragili transvectus in Flandriam.

IV. *Rex Angliæ nuncios ad Papam adversus S. Thomam mittit.*

Domino Papæ directi sunt à Rege Nuncii post Archiepiscopum Senonis in Consistorio sic loquentes: Inter Thomam Archiepiscopum & Regem Anglorum controversia versabatur. De utriusque voluntate

SÆC. XII An. C. 1164 *tate dies præfigitur, ut in ea justitia mediante illorum controversia terminetur. Ad eamdem diem ex præcepto Regio, Archiepiscopi, Episcopi, & ceteri Ecclesiarum Prælati convocantur, ut quantò generalior esset Concilii celebratio, tantò manifestior fieret fraudis & malitiæ denudatio. Constituta die Catholici Principis aspectui se præsentavit regni turbator & Ecclesiæ. Qui de suorum meritorum qualitate non securus, Dominicæ crucis armat se signaculo tanquam ad tyranni præsentiam accessurus. Nec tamen Regia Majestas modo offenditur, sed causa sua judicium Episcoporum fidei committit, ut sic ab omni suspectione liberetur. Restabat, ut Episcopi causam judicio terminarent, ut sic diffidentes in gratiam fœderarent, & dissensionis eorum materiam sepelirent. At obviat adversarius, & objicit quoniam ipsum coram Rege stare judicio, esset Apostolicæ sedis & dignitatis diminutio; ac si nesciat quod & si in illo judicio aliquantulum Ecclesiæ dignitati derogaretur, dissimulandum erat pro tempore, ut pax Ecclesiæ redderetur. Objicit iterum patris sibi nomen ascribens, quod arrogantiam videtur redolere, quod filii in patris damnationem minimè debuerant convenire: sed necessarium erat, ut patris superbiam filiorum humilitas temperaret, ne post patrem in filio patris odium parentaret.*

V. *S. Thomas coram Papo comparet.* *Cùm autem Nuncii Regis prævenissent Archiepiscopum Senonis, de cujus adventu nihil certi fuerat auditum in Curia; quod petebatur ab eis, juri consentaneum & rationi minimè videbatur. Nam cùm præsens non esset Archiepiscopus, in ejus injuriam quidquam statuere, nec canonicum videbatur, nec ordinarium. Thomas Cantuariensis Archiep. in Domini Papæ præsentia constitutus, sic exorsus est: Ad audientiam tuam, pater sanctissime, confugio, ut qui Ecclesiæ libertatem tanto tui discrimine redemisti, eam vel solam, vel maximam meæ persecutionis causam attendas, quod exemplo tuo usus sum*, & cetera apud Baronium num. XXIV & seq. videnda.

VI. *Origo dissidii inter Regem Angliæ & S. Thomam exorti.* Hoc itaque anno, qui primus est exilii S. Thomæ Archiep. aperta *Henricum* inter Angliæ Regem hujus nominis II & *Thomam Cantuariensem* Archiepiscopum exarsit discordia. Ejus initium repetit Gervasius in Chron. ex eo quod postquam Sanctus Præsul è Concilio Turonensi reversus est in Angliam, jura quædam Ecclesiæ suæ in integrum revocare contendit; quo pacto Regis & Magnatum animos in se concitavit. Quare Rex Clericos contra Ecclesiastica privilegia ad secularia judicia vocari præcepit; & quia Sanctus *Thomas* ejus conatibus adversatus est, convocavit Episcopos, coram quibus *Thomas* Clericorum jura fortiter propugnavit. Postulati Episcopi an vellent avitas consuetudines observare, responderunt ex condicto velle se quidem Regis & regni consuetudines observare, sed *salvo ordine suo & jure Ecclesiæ*. Cùm non placeret Regi restrictio obedientiæ, iratus è Concilio discessit. Postridie munitiones, quas *Thomas* à tempore Cancellariatus sui custodiebat, repetiit, & hinc terror omnium animos invasit. Affirmant aliqui Episcopi verbuli unius occasione statum regni convellendum non esse: alii suadent Regiæ voluntati consentiendum; cùm præsertim Rex Cardinalibus promisisset, se nulla in re Ecclesiæ jura labefactaturum. Ergo *Thomas* magnorum virorum gravitate motus, se consensurum, quamvis invitus pollicitus est, & Rex indè hilarior effectus Pontificum & Procerum Concilium indicit apud *Clarendonam*, locum in Wiltoniensi agro situm, in quo quid actum sit, mox ex Radulpho de Diceto teste oculato & fide dignissimo retulimus. Cùm verò hæc fusè hoc in loco tractari non possint, legenda apud Baronium, & apud Alfordum in Annal. Eccles. Angl. hoc Christi anno. SÆC. XII. An. C. 1164.

VII. *Moritur Victor IV Antipapa.* Dum ista geruntur, *Octavianus* Pseudo-Papa moritur, uti narrat Baronius ex Epistola VII Sancti Thomæ Archiep. Cantuariensis num. XXX & seq. in qua dicitur, Octavianum *quartâ feriâ post Octavas Paschæ* obiisse in urbe Lucensi, & sepultum esse in monasterio extra civitatem. Idem habet Gervasius in suo Chronico. Octavianus itaque die XXII mensis Aprilis interiit. Turbat tamen Acerbus Morena, qui hoc ignorare non potuit, cùm ait: *Dominus verò Papa Victor die Lunæ primo mensis Aprilis in civitate Lucæ fati munus implevit.* At vox illa, *primo*, eo in loco corrupta, quia hoc anno prima dies Aprilis in diem Lunæ incidere non potuit, & Octavianus in hebdomada post octavas Paschæ demortuus. Quare loco, *primo*, legendum, *vigesimo*, in quam diem feria secunda incidit. Cùm enim Canonici Majoris Ecclesiæ ei sepulturam negassent, *ad miseros Monachos cadaver illud perlatum est*, ut in eadem Epistola legitur. Quare licet Octavianus die XX Aprilis mortuus sit, sepultus tantum fuit die XXII ejusdem mensis, feriâ quartâ post Octavas Paschæ, ob sepulturam ei negatam.

VIII. *Paschalis III à schismaticis in ejus locum substituitur.* Schismatici eum pro sancto habuêre, indeque Acerbus Morena vir hujus sectæ, ait: *Cujus Sancti meritis dicitur Deum multa fecisse ibi miracula*, ejusque morte narrata subdit: *In locum ipsius domnus Guido Cremensis substituitur à Cardinalibus tunc ibi existentibus, & à Domino Rainaldo Archicancellario, ac Episcopo Landensi, & aliis quibusdam Episcopis in Apostolicæ sedis honorem sublimatus est.* Quæ tamen verba de consecratione Episcopali minimè intelligenda; cùm Rainaldus ante consecrationem obierit, teste eodem Morena, qui ad annum MCLXVII, ait: *Decessit etiam tunc Dux Guelphus, Ducis Guillelmi filius, & Rainaldus Archicancellarius & Coloniæ Electus Archiepiscopus.* Guido itaque Cremensis ab Henrico Episcopo Leodiensi ordinatus, ut inter alios testatur Ægidius de Aurea valle in Episcopis Leodiensibus, qui scribit quod cùm Henricus unanimi consensu electus fuisset Antipapa hanc dignitatem recusavit, &, *multa reluctatione, multisque precibus honorem declinavit. Electum deinde Papam Paschalem, à quo Pulsâ dignitatem invitus lachrymansque accepit; nec non & Regem Sardiniæ nomine Burazam* (vel Barizonem) *ab Imperatore coronatum consecravit*, nempe Episcopus Leodiensis. Chronographus verò Reicherspergensis ad hunc Christi annum ait: *Hunc consecravit Leodicensis Episcopus sine Episcopis Cardinalibus, & sine omnibus legitimis ordinatoribus, quos Romanum Pontificem ordinare conveniebat. Ab ipsis primis temporibus Christianitatis usque ad hæc tempora solus iste novo & insolito more ac ordinatore consecratus est, quem & Paschalem dixerunt. Ipse autem Leodicensis Episcopus ipso anno non longam post moram Dei judicio mortuus est.* His adde quæ Trithemius in Chron. Hirsaug. habet: *Convenientes hi, quos Cardinales creaverat* (nempe Octavianus), *mandato Imperatoris XXII die mensis Aprilis* (quo Octavianus sepulturæ mandatus) *Guidonem Episcopum*

Cremensem

Cremensem in Antipapam elegerunt, qui XXVII die ejusdem mensis ab Henrico Leodiensium Episcopo consecratus fuit. Sed cùm his dies inferiam secundam incidat, legendum, XXVI, loco, XXVII, sicut enim victnt die Dominica consecratus fuerat, ita & Paschalis ordinatio nonnisi ad diem Dominicam expectandam dilata.

IX. *Octavianus pravis moribus imbutus.*

De istis Pseudo-Pontificibus Petrus Blesensis in Epist. XLVIII scribit: *Octavianus ille auctor schismatis toto tempore vitæ suæ congregaverat opes & divitias, ut quietem Ecclesiæ perturbaret. Suis igitur largitionibus ita infascinaverat sapientes hujus seculi, quod Magnatum sibi conciliaverat favorem & gratiam, magnamque partem Curiæ secum traxerat in errorem,* &c. *Erectus fuerat Octavianus in contumeliam Ecclesiæ Christi, & cecidit. Post hunc exaltatus est Guido Cremanus, & corruit. Post ipsum elevatus est Joannes Strumma, & dejectus atque confractus evanuit,* &c. *Adhuc recolo quàm gloriosius erat* (nempe Octavianus) *in oculis suis, quam pomposus in verbis; sui præsens ubi se faciebat tanquam statuam adorari. Nam & ego cum aliis in via ad Rom. Curiam à carnificibus ejus captus & spoliatus & cæsus sum: cumque socii mei conjecti in vincula in compedibus remansissent, ego præveniente Christi misericordia, nec flexi genua mea ante Baal, nec sporta dimissus sum, & sic effugi manus suas. Semper redibit in memoriam iniquitas Patrum, & peccatum Octaviani non delebitur in æternum. Ipse enim erat, qui crudeliùs ceteris Clericos affligebat, persecatus homines inopes & mendaces, & compunctos corde mortificare. O quam cæcus & turbidus est invidiæ oculus! Ubi quæso erant Cardinalium corda, quando filium superbiæ & idolum abominationis in Apostolatus apicem erigebant, ut de vobis taceam, ne videar adulari, quomodo clausis oculis transierunt D. Bernardum Portuensem, Henricum Pisanum, D. Hiacyntum, D. Ubaldum Episcopum Ostiensem? Respuerunt homines patis, & hominem dissensionis & scandali erexerunt.*

X. *Insigniores Cardinales, qui interfuêre electioni Alexandri III.*

Ex Cardinalibus itaque, qui electioni Alexandri III interfuêre à Petro Blesensi hi quatuor Pontificatu dignissimi fuisse censentur *Bernardus* ex Canonico Regulari Congregatinnis Sancti Frigidiani Lucensis, Presbyter Cardinalis ab Eugenio III, & postea Episcopus Cardinalis Portuensis ab Hadriano IV creatns, qui multas legationes obierat; *Henricus Pisanus* Ordinis Cistercienss, Presbyter Cardinalis ab Eugenin III in tertia creatione renunciatus. Superest Epistola divi Bernardi ad eum data, ordine CCXCV, & Tom. III Bihlinth. Cisterciensis pag. 239. refertur ejusdem Henrici Epistola de legitima Alexandri III electione. *Hiacyntus Bobo* Romanus, qui dein Pontifex Romanus fuit sub Celestini III nomine. Denique *Ubaldus* Tuscus ex Cannnico Ecclesiæ Lucensis Presbyter Cardinalis, postea Episcopus Ostiensis, & tandem Papa sub Lucii III nomine.

XI. *Veronenses Frederico Imp. resistunt.*

A num. XLV ad L. Acerbus Morena Paschalis Antipapæ electione narrata subjicit: *Proximo verò mense Junio profectus est Imperator cum militibus civitatum Lombardiæ, & cum paucis Teutonicis usque prope Veronam; & multa Veronensium castra & villas dissipavit. E contra Veronenses cum multo magis peditum & equitum agmine se Imperatori opposuerunt. At Imperator considerans paucos Teutonicos secum fore, & Lombardos tepidè ad ejus auxilium venisse* (his confirmantur quæ Baronius num. XXX habet) *bellumque si tunc committeretur, damnosum sibi futurum pavescens, cum toto suo exercitu reversus est. Quo dolore commotus in Alemanniam causa congregandi maximum Teutonicorum exercitum ire disposuit.* Paulò post: *Sequenti verò mense Septembri Imperator cum Imperatrice causâ colligendi exercitum, ut superius dictum est, in terram Teutonicam cum omnibus ferè qui secum erant ex Teutonicis, perrexit. Suosque Missos & Procuratores per omnes ferè Lombardiæ civitates, qui sua jura, suasque rationes, quas in Lombardia habere debebat, colligerent, dimisit.*

XII. *Canonizatio Sancti Canuti Junioris.*

Ad num. L. Saxo Grammaticus lib. 14. pag. 329. ait: *Per idem tempus Legati Regis* (scilicet Valdemari I Danorum Regis), *quos, ut sibi paternæ animæ sanctitatem sacris honoribus venerari liceret, Romam transmiserat, consentaneas voto literas retulerunt.* Valdemarus filius erat Canuti Daniæ Regis & Martyris, de quo anno MCXXX verba fecimus. Bollandus ad diem VII Januarii, quo colitur, de ejus canonizatione agit, recitatis illis Saxonis Grammatici verbis, sed nullo canonizationis Canuti anno assignato. Rectè tamen animadvertit, lapsum Baronii scribentis Sanctum Canutum, de quo anno MLXXXI locuti sumus, avum fuisse Valdemari Regis. Valdemari enim avus, *Ericus Bonus*, qui frater Sancti Canuti senioris extitit, uti loco laudato jam insinuavimus, diximusque Sanctum Canutum Seniorem, non die septima Januarii, ut hic Baronius perperam scribit, sed die decima mensis Julii coli; qua de re videnda quæ ibi in medium adduximus. Isacius Pontanus in Rerum Danicarum Historia anno MDCXXXI Amstelodami typis edita, lib. VI pag. 252. refert Valdemarum Daniæ Regem anno MCLXVIII Legatos ad Romanum Pontificem misisse, subditque: *Elapso deinde tempore anno circiter supra millesimum centesimo sexagesimo nono Regis Legati, quos Romam transmiserat, in patriam redierunt, literas, inter cetera, referentes à Pontifice, quibus Patris sui* (nempe Sancti Canuti Junioris) *innocentissimos manes sacris honoribus venerari permittebatur. Quocirca Rex omni Danica nobilitate sub Edicto Ringstadium evocata circa solemne divi Joannis, quod in æstivum solstitium incidit, & parenti cœlestes honores & filio Regis celebrare constituit,* &c. *Exhibitum tunc quoque ejusdem Pontificis breve, ut vocant, in quo ille Rugiæ insulam, quod ad Ecclesiasticam jurisdictionem, Diœcesi Roschildensi, cui tum in Dania præerat Episcopus Absolon, in totum subjiciendam decernit.*

XIII. *Annus quo ea facta ex Alexandri III literis eruitur.*

Literæ Absalnni Roschildensi Episcopo ab Alexandro III inscriptæ sunt, in quibus ait: *Ex literis siquidem charissimi filii nostri Valdemari, illustris Danorum Regis, & plurium aliorum manifestè comperimus, quod quædam insula Ryo* (seu Rugia) *nomine dicta, juxta regnum ejus posita tantæ idololatriæ & superstitioni à primitivis Catholicæ fidei fuisset temporibus dedita, ut circumjacentem regionem sibi efficeret censualem, & eidem regno, & universis Christianis circumpositis, damna plurima, & crebra pericula incessanter inferret. Quod idem Rex cœlesti flamine suspiratus, & armis Christi munitus, scuto fidei armatus considerans divino munere profectus, cum brachio forti & exteato duritiem hominum istius insulæ expugnavit, & exprobrationem atque immunitatem*

SÆC XII. An. C. 1164. *manitatem illorum ad fidem & legem Christi tum potenter & validè magnanimiterque revocavit, ut sua quoque subjecerit dominationi. Sanè quia Potentes ac populus terræ angustam insulam habet* (legendum, habent), *ideoque nec possunt proprium Episcopum & Pastorem habere, Rex eorum precibus & supplicatione devictus, necessitate inspecta, nos satis suppliciter & effectuosè rogavit, ut sibi curam & administrationem istius insulæ committeremus, quantum ad spiritualia.* Subdit Alexander III, se ejusdem Regis petitionibus, interventu quoque Eschilli Lundensis Archiepiscopi, Apostolicæ Sedis Legati, & Episcoporum & Principum Regni, etiam instantiâ Upsalensis Archiepiscopi & aliorum ibidem nominatorum, *Magisterium & prælationem ejusdem insulæ in spiritualibus* Absaloni iodolgere in perpetuum. *Datum Beneventi II Nonas Novemb. anno MCLXVIII.* Cùm itaque canonizationis Sancti Canuti literæ cum præfatis ad Absolonem Roschildensem Episcopum anno MCLXVIII emissæ fuerint, eo pariter anno *Sanctus Canutus Junior* in Sanctorum numerum relatus. Cumque Pontanus hujus canonizationis literas non producat, perspicuum est eas usque ad nos non pervenisse.

XIV. *Rugiani idololatræ erant.* Ad num. LI. Pontanus libro laudato pag. 248. & seqq. varias Valdemari Regis expeditiones adversus Vandalos & Slavos anno MCLXVIII susceptas narrat, atque *Rugianos* ob Regis longiorem absentiam rebellasse, Regem verò duobus Pomeranis Principibus in belli societatem adscitis, cùm varias Rugiæ partes esset adortus, præcipuè circa *Arconam* castra locasse, urbemque obsidione aggressum esse. Erat ea gentis, ac penè totius Vandaliæ tum caput, quamvis hodie nuspiam ejus supersint vestigia. Media urbe planities patebat, in qua visebatur delubrum simulachri in eo collocati rumore ac numine venerandum. Hoc simulachrum *Sancti Viti* vocabulo censebatur, olim à *Sancto Ansgario* Insulanis commendati, qui postmodum religionem superstitione commutantes pro Martyre & vero Christi Confessore idolum venerati sunt. Nam, ut illud Helmoldus lib. I. Chron. Slavorum cap. 6. præsertimque Saxo Grammaticus lib. 14. describunt, omnem humani corporis habitum sua mole excedebat, quatuor gerens capita, totidemque cervices, è quibus duo pectus, totidem tergum ad similitudinem scilicet Jani bifrontis respicere videbantur. Helmoldus ait, *Sanctum Vitum, quem nos Martyrem ac servum Christi confitemur, Rugiani pro Deo venerantur, creaturam anteponentes creatori. Non est aliqua sub cœlo barbaries, quæ Christicolas ac Sacerdotes magis exhorreat. Solo nomine S. Viti gloriantur: cui etiam templum ac simulachrum amplissimo cultu dedicaverunt, ei seorsim divinitatem tribuentes. De omnibus quoque Provinciis Slavorum illic responsa petuntur, & sacrificiorum exhibentur annua solutiones. Sed nec mercatores, qui ad illas Sedes appulerint, patet ulla facultas vendendi, vel emendi, nisi prius de mercibus suis Deo ipsorum pretiosa quæque libaverint, & tunc demum mercimonia foro publicantur.*

XV. *Vincuntur à Valdemaro Daniæ Rege.* Saxo Grammaticus lib. 14. hujus temporis Scriptor hanc oppugnationem fusè describit, narratque qua alacritate ac perseverantia Rex eam peregerit, quo ingenio ac labore eam diu concussam suæ potestatis fecerit, quo ardore templum genti sanctissimum subverterit, idolumque, frendentibus Barbaris, confractum cremaverit, populum impositis Sacerdotibus erudiri, ac Sacris Christianis imbui curaverit. SÆC. XII. An. C. 1164. Porrò pacis conditiones fuêre, ut *sancti Viti* simulachro cum omni sacra pecunia tradito, captivos absque redemptione liberos dimitterent, & Christianam religionem ritu, qui apud nos erat usitatus, susciperent. Quinetiam & agros & latifundia, quæ cultui idolorum destinaverant, in usum eorum, qui Verbi Divini præconio erant invigilaturi, converterent; seque quoties res posceret, Danicarum expeditionum comites sisterent, nec unquam vocati Regis militiam detrectarent.

XVI. *Coguntur fidem Christianam amplecti.* Helmoldus lib. 2. cap. 12. *Valdemari* in Vandalos expeditiones enarrans, addit inter cetera, præter Rugianos superatos, idolum ipsorum ab eodem eversum, *Suantevith* sive *Sancevith*, idest, Sanctum Vitum appellatum, tum etiam Jaremarum Rugianorum Principem Christo per baptisma unà cum suis nomen dedisse: *Prosperatum est ergo*, inquit, *opus in manibus Regis Danorum, & obtinuit terram Rugianorum in manu potenti, & dederunt ei pro sui redemptione quidquid Rex imposuisset. Et fecit produci, simulachrum illud antiquissimum Swantevith, quod colebatur ab omni natione Slavorum, & jussit mitti funem in collum ejus, & trahi per medium exercitum in oculis Slavorum, & frustratim concisum in ignem mitti. Et destruxit fanum cum omni religione sua, & ærarium locuples diripuit. Et præcepit, ut decederent ab erroribus suis, in quibus nati fuerant, & assumerent cultum veri Dei. Et dedit sumptus in ædificia Ecclesiarum, & rectæ sunt duodecim Ecclesiæ in terra Rugianorum, & constituti sunt Sacerdotes, qui gererent populi curam in his quæ Dei sunt. Et affuerunt illic Pontifices Absolon de Roschilde & Berno de Magnopoli. Hi adjuverunt manus Regis cum omni diligentia, ut fundaretur cultus Dei nostri in natione prava & perversa.*

XVII. *Epocha conversionis Rugianorum.* *Erat autem tunc temporis Princeps Rugianorum vir nobilis Jaremarus, qui auditâ verâ Dei culturâ & fide Catholica alacriter ad baptisma convolavit, præcipiens etiam omnibus suis secum sacro baptismo renovari. Ipse verò factus Christianus, tam in fide firmus, tam in prædicatione erat stabilis, ut secundùm Paulum jam à Christo vocatum videres, qui fungens vice Apostoli, gentem rudem & belluinu rabie sævientem, partim prædicatione assidua, partim minis ab innata sibi feritate ad nova conversationis religionem convertebat. De omni enim natione Slavorum, quæ dividitur in Provincias, & Principatus, sola Rugianorum gens durior cæteris in tenebris infidelitatis usque ad nostra tempora perduravit, omnibus inaccessibilis propter maris circumjacentia. Tenuis autem fama commemorat, Ludovicum, Caroli filium* (nempe Caroli Magni) *olim terram Rugianorum obtulisse B. Vito in Corbegia, eò quòd ipse fundator extiterit Cœnobii illius. Inde enim prædicatores gentem Rugianorum, sive Ranorum, ad fidem convertisse feruntur, illique oratorium fundasse in honorem Viti Martyris, cujus veneratione Provincia insignita est. Postmodum verò, ubi Rugiani, mutatis rebus, à luce veritatis aberrarunt, factus est error pejor priore; nam sanctum Vitum, quem nos servum Dei confitemur, pro Deo colere cœperunt, fingentes ei simulachrum maximum, & servierunt creaturæ potius quam Creatori. Adeo autem hæc superstitio apud eos invaluit ut Zuantevith Deus terræ Rugianorum inter omnia numina Slavorum primus*

mus obtinuerit, clarus in victoriis, efficax in responsis. Post paucula addit Helmoldus cap. 13. *Anno ergo Incarnati Verbi MCLXVIII fundatum est opus novæ plantationis in terra Rugianorum, & ædificatæ sunt Ecclesiæ, & præsentia Sacerdotum illustratæ. Servieruntque Regi Danorum sub tributo, & accepit filios nobilium obsides, & abduxit eos secum in terram suam. Hæc autem facta sunt tempore, quo Saxones bella civilia gerebant.*

XVIII. *Moritur Petrus Lombardus.* *Petrus Lombardus* Parisiensis Episcopus hoc anno mortuus est juxta Epitaphium, quod legitur in Suburbana Sancti Marcelli Ecclesia Parisiis sita, litteris partim Romanis, partim Gothicis, ut tunc ferebat usus, scriptum, in quo dicitur obitum ejus fuisse diem *XIII Kal. Augusti.* Ex variis tamen instrumentis *Mauricii* ejus in Episcopatum Parisiensem successoris tempore exaratis infertur, Mauricium Archidiaconum Ecclesiæ Parisiensis anno MCLXI jam fuisse Episcopum Parisiensem, quod & Robertus de Monte in Chron. ad illum Christi annum disertè asserit. Adhæc inter Epistolas Alexandri III ad *Ludovicum* Franciæ Regem datas una legitur data *Turonis VI Idus Decemb.* anno MCLXII ante celebrationem Concilii Turonensis, in qua meminit *Mauricii* Episcopi Parisiensis. Denique anno MCLXII num. VIII retulimus verba Hugonis Pictavini hoc tempore viventis, in Historia Vizeliacensi, in qua *Mauricium* Episcopum Parisiensem eo anno fuisse dicit. Potuit quidem error irrepere in Instrumenta publica à nobis mox laudata; sed nec Alexander III, nec Petrus Pictavinus ea in re errare potuêre. Ex quibus sequitur, *Petrum Lombardum* aliquot ante mortem annis Episcopatum abdicasse.

XIX. *Ejus patria.* Ceterùm ut *Gratianus*, (inquit Miræus in Henrico Gandavensi,) Petro Lombardo Coævus, sacros Canones unum in corpus collegit, & Canonistarum quasi Magister fuit; sic *Lombardus* veterum Patrum sententias collegit, & Theologorum Scholasticorum, ac Sententiarum Magister dici meruit. Falluntur tamen qui Gratianum, Petrum Lombardum, & Petrum Comestorem Germanos fratres fuisse asserunt. *Gratianus* enim Etruscus ex oppido Clusio, *Lombardus* Insuber, Novariensis, ut paulò ante diximus; Comestor verò Gallus, patriâ Trecensis. De Operibus à Petro Lombardo & Mauricio ejus successore editis legendus idem Miræus.

XX. *Obitus S. Eberhardi Archiep. Salzburgensis.* Baronius in Appendice ad hunc annum monet, num. L addendam esse canonizationem Sanctæ *Helenæ* Sueviæ ab Alexandro III factam. Præterea memorat mortem Sancti Ebrardi Archiepiscopi Saltzburgensis ex Canisio Tom. II Antiq. Lect. narratque ex eodem Tom. VI mortem beati *Hartmanni* Brixinensis Episcopi, non verò Brixiensis, ut ibidem Librariorum errore dicitur. Quibus ex Chronico Reicherspergensi ad hunc Christi annum hæc adjicio: *Eodem quoque anno sanctæ memoriæ Eberhardus Saltzburgensis Archiepiscopus feliciter migravit ad Dominum apud Rona Cœnobium X Kal. Julii. Corpus ejus ad Episcopalem Sedem delatum cum luctu omnium honorabiliter tamen in monasterio III Kal. ejusdem mensis est humatum. In cujus locum successit dominus Chuonradus Pataviensis Episcopus ab omni Clero & populo unanimiter electus cum gaudio omnium, ea cautione, ut cum Alexandro staret, sicut prædecessor suus.* Subdit Chronographus Conradum profectum esse ad Imperatorem fratruelem suum pro Regalibus ab eo suscipiendis, sed cùm Paschalem Papam agnoscere nollet, *sine Regalibus, cum gratia tamen & pace,* ab Imperatore dimissum esse. Erat Conradus frater Ottonis quondam Frisingensis Episc. scientia & pietate clarus.

XXI. *Puritati Theologiæ prospicit Alexander III.* His addit Chronographus: *Ipso anno, cùm per totam Franciam multæ & variæ sententiæ haberentur de fide inter Magistros Francigenas Alexander Papa, convocatis in unum Scholasticis, & quibusque literatis, in ipsa vigilia Nativitatis Domini usque ad tria, ut fertur, millia vel ultra, cum assentientibus sibi dominis Cardinalibus condemnavit, & omnino interdixit omnes tropos & indisciplinatas quæstiones in Theologia, Parisiensique Episcopo sub obedientia præcepit, ut per totam Franciam eas compesceret. Sententia autem de gloria hominis in Deum assumpti, & in Deum nati approbata est ibi coram Papa ac roborata, conscriptis inde centum quinquaginta & amplius auctoritatibus.*

XXII. *Obitus Hartmanni Episc. Brixinensis.* *In fine ipsius anni felicis memoriæ Hartmannus Brixinensis Episcopus canonica vitæ ex hac vita ad æterna migravit X Kal. Januarii.* Ita Chronographus Recherspergensis.

XXIII. *Alexander III iterum Parisios venit.* *Alexander* III, qui ut anno superiori num. X diximus, *Senonis* hoc anno die XIX mensis Aprilis versabatur, *Parisios*, urbem XXIV duntaxat leucis inde dissitam, ante festa Paschalia venit, ante diem nempe ejusdem mensis duodecimum. San-Marthani enim in Episcopis Parisiensibus, & Bulæus Tom. II Hist. Univers. Paris. pag. 326. hæc iisdem ferè verbis ex quadam membrana archivii Parisiensis referunt. Anno MCLXIV mense Aprili in Palatio Parisiensi Quadragesimali tempore agitata est causa secularis, quæ intercedebat inter *Mauricium* Episcopum & *Odonem* Abbatem Sancti Dionysii, præsente Alexandro Pontifice, ob Ecclesiam Argentolii. Contendebat enim Episcopus Abbatissam ibi cum Virginum Collegio juxta veterem consuetudinem à Sugerio interruptam collocari debere; contrà Odo Monachos ibi rectè à Sugerio prædecessore suo constitutos asserebat, quod non fuissent Moniales illæ satis castigatæ vitæ. Hæc ibi. Alexandro III Parisiis existente *Fastradus* seu Faustradus septimus Abbas Generalis Cistercii animam Deo reddidit, ut refert Auctor Exordii Magni, ut vocant, lib. I cap. 38. *Cùm Parisius pro negotiis Monasterii atque totius Ordinis sui, Domino Papæ Alexandro III adsisteret, & correptus ægritudine, lecto decubuisset, infra quintum diem sancto fine requievit. Huic autem decedenti tota Romana Curia dignitas adstitit; itaut ipse quoque Dominus Papa propriis manibus eum ungens, atque Apostolicu benedictione communiens, magno pietatis affectu morienti compateretur, & mortuo congratularetur. Et non solum vir Apostolicus; verùm etiam piissimus Rex Francorum Ludovicus, cui & ipse præsens erat, cum sua nihilominus Curia planctu magno sanctissimum virum, quasi patrem charissimum planxit, multasque lachrymas super eum fudit.* Ita synchronus Auctor, cui cunctis adfuit, & sanctæ vitæ ac mortis testis fuit.

XXIV. *Obitus Fastradi Abbatis Cisterciensis.* Manricus anno MCLXIII cap. I hæc verba recitat, atque de anno obitûs ejus, quem eo anno collocat, nullam esse controversiam. Verùm communis hæc opinio nullum aliud fundamen-

tum habet, quàm accessum Alexandri III ad urbem Parisiensem, antequam Concilium Turonense celebraret. Eam tamen amplius sustinendam non esse demonstrat Chronographus Claraevallensis, Auctor coaevus, à Petro Francisco Chiffletio in lucem emissus, qui ait: *Anno Domini MCLXIV obiit Parisius in praesentia Papae, Sanctus Abbas Fastraudus Cisterciensis.* Manricus ibidem num. IX existimat, Fastradum die XXI mensis Aprilis demortuum, quia Henriquez in Menologio ac Ignacius Firminus in suis ad Exordium Magnum notis, ex Martyrologio Cisterciensi obitum Fastradi cum die illo copulant. Haec ejusdem Martyrologii verba: *XI Kalend. Maii, anno MCLXIII dodominus Fastradus obiit, septimus Cistercii Abbas.* Quibus innixus Manricus putat, opinionem suam certam, & Hugonem Menardum, qui in suo Martyrologio eam mortem retulit ad diem XIX Maii, deceptum esse, aliosque in errorem induxisse. At piissimum Abbatem ante diem decimum nonum mensis Aprilis demortuum oportet; cùm eo die post suum Parisiis reditum *Alexander* III Senonis hoc anno fuerit, ut mox diximus. Adhaec dies in Martyrologiis notati plerumque diversi sunt à diebus Sanctorum emortualibus, ut millies insinuavi ad vulgarem, quae invaluerat, opinionem penitus profligandam. Denique cùm in Martyrologio Cisterciensi *Fastradi* emortualis annus malè consignetur, ei in Chronologia non multum fidendum.

XXV. *Alexander III Remis Concilium celebravit.*

Post haec arbitror, *Alexandrum* III celebrasse *Concilium Remense*, cujus nulla quidem mentio in Collect. Concil. sed cujus meminit Vasseburgus, asserens illud post Turonense habitum fuisse, Christianorum rebus in arctum redactis in Palaestina, & in coactum de suppetiis ferendis, & collecta per totam Europam facienda, vectigali à Rege Franciae ob id imposito, quo quilibet tam Nobilis, quàm Clericus per quatuor annos ex viginti solidis annui reditus unum pendere tenebatur. Memoratur istud Concilium à Monacho Anonymo Sancti Vitoni Virdunensis, qui continuavit Historiam Virdunensium Episc. à Laurentio Leodiensi ad Sanctum Laurentium Monacho scriptam, Tom. XII Spicilegii Dacheriani recitatam. Ibi enim pag. 337. de Conone Abbate Sancti Vitoni Virdunensis dicitur: *Nec silendum arbitror, quantum honoris dominus Papa ei impenderit, quantumque gratia ipsi accreverit; quia cùm idem dominus Papa* (scilicet Alexander III) *Concilii gratia de more celebrandi Remos advenisset, & omnes tam Abbates, quàm Episcopi in suis sedibus & subselliis resedissent, contigit tandem venerabilem patrem nostrum Abbatem Cononem illo tardius adventare, qui cùm indutus sacris vestibus Concilium introisset, nec haberet sedem in qua potuisset residere, humi resedit. Ad quem cùm dominus Papa oculos inclinasset; Hic est, inquit, qui gratia majoris honorem & reverentia potioris favorem omnibus, ex quo Cisalpinavi, nobis exhibuit: & è vestigio misit ei in argumentum dilectionis curulem, in qua solitus erat residere, qua ille humiliter & cum gratiarum actione recepta, desuper resedit.* Ita Scriptor ille aequalis.

XXVI. *Ejus causa & tempus.*

Concilium illud praesenti anno congregatum oportet. Meyerus enim lib. 5. Annal. Flandriae ad annum MCLXIII scribit: *In Tetrarchia Antiochensi malè à nostris cum Norradino* (Sultano Alepensi) *pugnatum. Capti summi viri Boemundus tertius Antiochensium Princeps, Raimundus Comes Tripolitanus Raimundi filius, Joscelinus III Joscelini, Comitis Edessani filius, Calamus Praeses Siciliae, Hugo Lusinianus, ac tales praeterea alii. Quod praelium factum esse tradit Episcopus Florentinus* (scilicet Sanctus Antoninus) *Idibus Augusti. Rediit & Almericus Rex* (Hierosolymorum) *ex Ægypto Antiochiam, magnâque diligentiâ consilium secutus Theodorici Principis Flandriae, regni negotia administravit, nec multò post Principem Antiochiae liberavit*, quod & Tyrius lib. XIX num. IX & seq. narrat, subditque Proceres illos vinculis tanquam vilis mancipia alligatos, & Alapiam traductos, spectaculum factos esse populis Infidelibus, & carceribus mancipatos, ac castrum *Harenc*, quod Christiani in finibus Antiochenis obtinebant, à Noradino antea obsessum potenter occupatum fuisse. Tum Tyrius ait: *Factum est hoc anno ab Incarnat. Domini MCLXV, regno verò* (legendum, regni verò) *Domini Amalrici anno secundo, quarto Idus Augusti.* Sed locus ille ex Meyero citato corrigendus, legendumque, *anno ab Incarnat. Domini MCLXIII*, quo, mense Augusto annus secundus Amalrici Regis in cursu erat. *Noradinus*, ait Tyrius, *rebus secundis, & casu prosperiore factus sublimior, videns regnum solitis carere solatiis, & majoribus regni Principibus, quos ipse captivos tenebat, destitutum, ad hoc & dominum Regem & militiae robur adesse universum*, obsedit Paneadensem civitatem, à Turcis *Belinas* vocatam, eamque recepit *anno ab Incarnat. Domini MCLXVII, regni verò domini Regis Amalrici anno secundo, XV Kal. Novembris.* Qui locus etiam corruptus; legendum enim, *MCLXIII*, quod & ipsemet Tyrius ostendit, dum cap. XI ait, industriâ Theodorici Comitis Flandriae qui illuc advenit, Boamundum Antiochiae Principem *in eadem aestate, multo tamen interveniente pretio, vix per annum integrum apud hostes detentum, libertati simul & honori pristino* restitutum esse, anno videlicet millesimo centesimo sexagesimo quarto. Porrò Panea olim etiam Caesarea Philippi dicta, & nunc excisa, ad ortum Jordanis Fl. sita erat.

XXVII. *Ejus celebrationis causa magis explicatur.*

Amalricus Hierosolymorum Rex Ludovico Franciae Regi scripsit Epistolam CCCLVIII Tom. IV Duchesnii pag. 696. recitatam, in qua ait: *Per praesentia scripta desolationem omnibus Christianorum, qui in Terra Sancta Jerusalem sunt, erectis Turcorum cornibus, depressionem Sublimitati Vestrae, licet eam jam fortè audieritis, exponere dignum duximus. Nobis apud Ægyptum cum Syracunio dimicantibus, & per virtutem dominicae Crucis, inde eum maximè, si ibi permansisset, universitati Christianitatis nociturum expellentibus, factum est, ut Comes Tripolitanus, & Princeps Antiochenus cum multo exercitu ad liberandum castellum prope Antiochiam situm, nomine Haring, quod Noradinus cum innumera multitudine obsederat, irent, & auxilio divino hostibus eorum adventui cedentibus liberarent. Accidit autem, ut dum praefati, Princeps scilicet & Comes non contenti tanto Dei beneficio superbè hostes ad loca naturaliter munitissima insequerentur, ipsos ab hostibus capi, & omnem fere eorum exercitum partim capi, partim occidi. Additus est praeterea huic dolor dolori. Nam traditorum manu praefato Noradino, cùm adhuc in Ægypto essemus, Panadium, quod vulgo Belinas dicitur, tradiderunt. Sic itaque quasi in angustia pendulo*

sancta

SÆC. XII. An. C.1165. *sancta laborans Terra, vestrum & vestrorum potissimum, quod sibi efficacissimum fore speramus, nobiscum implorat auxilium. Valete. Datum Antiochiæ II Idus Januarii.* Quas literas cùm *Ludovicus* Rex accepisset, & cum Alexandro III communicasset, Concilium Remense ad auxilium Terræ Sanctæ convocatum est.

XXVIII. *Rex Angliæ Terræ Sanctæ succurrit.* Ad Terræ Sanctæ subsidium ooo solum io Francia; sed & in Anglia pecunia collecta, ut discimus, ex Chron. Gervasii ad annum MCLXVI, ubi refertur scriptum Henrico Rege præcipiente compositum, in quo is ait: *Proxima tertia feria post Dominicam, qua cantatur, Misericordia Domini, primò cùm ibi adessent Archiepiscopus Rotomagensis, & tres Episcopi Normanniæ, Et Episcopus Cenomanensis, & quidam Barones mei. Iteratò apud Cenomanniam tertia feria post sequentem Dominicam cùm adessent pariter tres Archiepiscopi Rotomagensis, Turonensis, Burdegalensis, & Episcopi plures, Bajocensis, Luxoviensis, Sagiensis, Cenomanensis, Andegavensis, Vanetensis, Pictavensis, Engolismensis, Petragericensis, Agennensis, Besaconsis*, (vox illa corrupta), *& multi Barones mei de Normannia, de Cenomannia, de Turona, de Andegavia, de Britannia, de Guasconia, consilio & assensu omnium, petitione & precibus Domini Regis Francorum & exemplo suo, qui per terram suam similiter statuit fieri, statui ut ad defensionem & juvamen Ecclesiæ Terræ Orientalis unusquisque de terris suis, de omni mobili quod habet, sive sit aurum sive argentum absque lapidibus, sive animalia, sive nummi, sive quidquid sit absque vestibus, inessis, & de redditibus similiter de hoc anno MCLXVI de unaquaque libra duos denarios. Deinde quatuor sequentibus annis de singulis libris singulos denarios. Hoc quoque fiat de culturis & vineis*, &c. *Condonata est tertia pars pœnitentiæ suæ omnibus, qui fideliter de rebus suis hanc eleemosynam persolverint. Hæc acta sunt anno ab Incarnat. Domini MCLXVI.* Hæc collecta per annos quinque cootiouata, quo in periculo Terra Sancta versaretur, ostendit.

Anno Eræ Hispan. MCCIII. Anno Hegiræ DLXI inchoato die 7. Novemb. fer. 2.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6658.

☉ 26. C. ☽ 7. P: 4. April. Indict. 13.

JESU CHRISTI 1165.

ALEXANDRI III PAPÆ 7.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG.14.IMP.11.

MANUELIS COMNENI IMP. 22.

I. *Henricus II propinquos S. Thomæ Cantuariensis & amicos vexat.* ANnum. I ad IX. *Rex Angliæ Henricus*, inquit Gervasius in Chron. ad hunc Christi annum, *admodum & supra modum iratus, eo quod ipse in Nunciis suis & petitionibus tam à Rege Franciæ, quàm à Domino Papa esset repulsus, jussit furore plenus res & reditus Archiepiscopi* (idest, S. Thomæ Cantuatiensis) *& omnium suorum confiscari, totamque cognationem suam & omnes, qui eum quovis titulo contingebant, exilio damnari. Nulli igitur ætati, fortunæ vel ordini pepercit ista crudelitas. Nam mulieres in puerperio decubantes, pueri quoque vagientes in cunis acti sunt in exilium. Senes cum junioribus propulsi sunt, domibus eorum & rebus in exterminium datis. Adulti quoque coacti sunt jurare quod absque dilatione vel diverticulo Pontiniacum peterent* (præfatum cænobium in Burguodia situm, ubi sanctus Præsul à festo Sancti Andreæ proximo post exilium, per duos ferè anoos in multa humilitate & spiritualibus exercitiis conversatus est, ut scribit idem Gervasius ad anoum MCLXIV), *& Archiepiscopo suo, Regis autem proditori se præsentarent, ut ipse solus tot angustias cordis sustineret, quod causâ sui coexules egentes videret. Processit ulterius furor immanis, nam publice terrore laico prohibitum est, ne quis eum, non dico donis vel scriptis visitaret, sed ne quis pro eo in Anglicana Ecclesia oraret. Exercebantur ista, & ejusmodi enormitates per quemdam filium perditionis Randulfum Delbroc, cui Rex ad custodiendum, imo ad destruendum commendaverat Archiepiscopatum. Hic itaque accepta potestate associatis sibi nequioribus se circumquaque grassabatur. Oderat enim Archiepiscopum ex antiquo, ideo crudelitate non poterat satiari. Res autem & reditus Monachorum Cantuarensium semper servavit illæsas, nullamque rerum suarum eis subtraxit potestatem. Factum est hoc, ut credi potest, nutu Dei & industria prudentia Wiberti Prioris.* Pergit Gervasius;

II. *Expeditio ejus in Walliam infausta.* *Rex autem Henricus, quò faciliùs Domini Papæ, vel etiam Cantuariensis Archiepiscopi, si fortè promulgaretur, declinaret sententiam, coadunato exercitu copioso ad debellandam Walliam profectus est. Illis verò validè resistentibus, parum vel nihil profecit, multos tamen ex suis tam milites quàm pedites perdidit, & reversus est.* Porrò est hic anous secundus exilii S. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis. Idem narrat de hac expeditiooe Neubrigensis lib. 2. cap. 18.

III. *Duæ Epistolæ à S. Thoma Cantuariensi anno sequenti scriptæ.* Rogerius Hovedenus in parte posteriori pag. 503. & seq. refert Epistolam à Divo Thoma Archiep. Cantuariæ ad Henricum II Angliæ Regem scriptam, cujus initium: *Loqui de Deo*, &c. qoa eum hortatur, ne Ecclesiam diu captivam teneat, *ut benefaciat*, inquit, *vobis Deus, & incipiat statim convalescere regnum vestrum, & auferatur opprobrium de generatione vestra, fiatque summa pax in diebus vestris*, &c. Tum recitat aliam Epistolam ejusdem Sancti ad Robertum Herefordiensem Episcopum, cujus initium: *Si litera nostra Fraternitatis*, &c. in qua inter alia ei significat, ut officium suum fortiùs & validiùs exerceat. Extat utraque Epistola apud Barooium à num. III ad VIII, quas dicit se ex Hovedeno exscripsisse. Verùm is utramque cum anno sequenti connectit, subditque: *Eodem anno Henricus Rex Angliæ, post reditum de Gallia, transfretavit de Anglia in Normanniam, & Guillelmus Rex Scotorum secutus est eum.* Sed, ut mox dicemus, Guillelmus hoc tantùm anno in Vigilia Nativitatis Domini io Regem elevatus est. Quare eæ literæ aono sequenti datæ, noo verò currenti. Porrò Hovedenus *Gallia* oomine Walliam intelligit, Galliæ enim loco Gualliæ ibi legitur.

IV. *Epistola Arnulphi Episc. Lexoviensis ad S. Thomam Cantuar.* Extat Tom. II Spicilegii Dacheriaoi pag. 485. Epistola Arnulphi Lexoviensis Episcopi ad S. Thomam Caotuariensem, quando exulabat in Galliis, in cujus fine cùm asserat hostes Henricum II Angliæ Regem ad concordiam impulsuros esse, eam sub hujus anni fioem scriptam existimo. Hæc ejus verba: *Proposuit primò cum Rege Francorum quibusdam conditionibus convenire, ut suo & ipsius terrore convicto, faciliùs possit cetera complanare. Disposuit etiam, sicut aiunt, ut plerisque mitiùs agere, ut in pacem omnia*

 ma dissimulatis revocentur injuriis, & ipse celeri reditu ad reprimendam Galensium revertatur audaciam, priusquam cum eis Scoti, Britonesque conveniant. Paulò antea dixerat Arnulphus: *Consolamini, quia de adventu ejus ad partes istas* (ad Normanniam scilicet) *plurima nobis commoditas incipit apparere, quia præsens efficacius ab his, qui vos diligunt, poterit eorum auctoritati cedere, adquiescere consiliis, precibus inclinari.* Henricus autem Rex hoc anno expeditionem in Walliam suscepit, uti mox ostendimus, & anno sequenti sub initium Quadragesimæ in Normanniam perrexit.

V. *Agit in ea de pace cum Henrico Rege.* In ea Epistola, prolixa & amoris plena, laudatâ Sancti Præsulis constantiâ, qua causam Ecclesiæ tuebatur, admonet ne cùm de pace agetur, minutiis insistat, neve subtiliter & anxiè singula discutiat. In ea inter alia plura hæc habet: *Adversus eum vobis agendum est, cujus astutiam remoti, vicini potentiam, severitatem subditi reformidant: quem adeo crebri successus & fortunæ fecit gratia delicatum, ut quidquid non obsequitur, ducat injuriam: quem quanto moveri facilius, tantò sit difficiliùs mitigari; apud quem temeritatem non fovet impunitas, sed in dilatam dilectis irrogat ultionem. Verum humilitati & patientia præparat se quandoque tractabilem; viribus non sustinet expugnari, sed planè quidquid fecerit, de voluntate videatur, non de impotentia provenisse.* Multis interpositis subdit: *Si quid vobis serenitatis ceperit apparere, occasionem vestra sapientia non repellat, sed oblatam pleno colligatis amplexu. Super quo si quid tractandum inciderit, nolite singulos articulos nimia subtilitate discutere; quia subtilitas contentionem parit, contentio verò sopitos odiorum ignes quasi quibusdam flatibus excitat, & accendit. Non erit vobis ad singularia decurrendum, sed quasi generalibus studiosiùs inhærere, quia salva res est, nisi pactiones specialiter expressa periment libertatem. Si enim nos fidei profitemur, & reverentiæ, & obsequii debiteres, si bona & personas nostras honori & utilitatibus ejus offerimus impendendas, sed Regias dignitates, & antiquas consuetudines, in quibus legi Dei non obviant, promittimus observare, non lædit, quia in his omnibus contra debitum nullatenus obligamur.* Eadem etiam Epistola est ordine LXXXV libri I Epistolarum divi Thomæ.

VI. *Malcolmo IV Scotiæ Regi succedit Willelmus frater.* *Obiit memoriæ piæ Malcolmus Rex Scotiæ* (hujus nominis IV) *apud Gedevonvith V Idus Decembris, quod evenit V feriâ, anno ætatis suæ XXV, regnique ejus anno XII & dimidio,* &c. *Cui successit Willelmus frater ejus, in Vigilia Natalis Domini more Regio elevatus in Regem,* inquit Annalista Mailrosensis ad hunc annum. *Guillelmus nuptiarum bono, cui frater pia, sanctaque præposuit virginitatis optimum: multo quidem tempore ais, vel ad sobolem vel pro remedio incontinentiæ distulit. Tandem verò salubrioris instinctu consilii de Transmarinis cujusdam Primaris filiam duxit uxorem, & de cetero non solum vixit correctiùs, verum etiam regnavit feliciùs,* inquit Neubrigensis lib. 2. cap.21.

VII. *Fridericus Imp. Pontificem in Italia persequitur.* Ad num. IX & seq. Postquam Arnoldus Archiepiscopus Moguntinus à suis Moguntinis trucidatus fuit, *Christianus Cancellarius* (inquit Joannes de Ceccano in Chron. loquens de Christiano Comite è Buche Cancellario Imperatoris, qui anno superiori in Archiepiscopatum Moguntinum intrusus fuerat) *& Comes*

 Gotheolinus ceperunt Maritimam & Campaniam præter Anagniam, quam devastaverunt, & incenderunt, Cisternam & Castrum, & fecerunt jurare totam terram ad fidelitatem Paschalis & Imperatoris, & sic redierunt in Tusciam. Post reversionem illorum Comes Gilibertus & Richardus de Gaia venerunt cum exercitu Regis Siciliæ, & intraverunt in Campaniam, & Verulani se reddiderunt. Postea possederunt (idest, juxta hujus Auctoris loquendi modum, obsidione cinxerunt) *eum Romanis Alatrum, Ceccanum & Arenarium* (hæc oppida Antipapæ partes tuebantur, & sicuti ab Alexandro III stabant), *& non potuerunt illam capere. Et sic intraverunt in vallem Sancti Laurentii, & incenderunt castrum Sancti Stephani & Presses, & unusquisque postea rediit ad propria. Hoc autem Ripe Turrice & castrum Sancti Laurentii, & insula cremata sunt, & Alexander Papa reversus est Romam.*

VIII. *Alexander III in Siciliam venit.* Sed non tantum Joannes de Ceccano narrat, Italos à Germanis afflictos; verùm etiam Acerbus Morena fusè agit de deprædationibus ab illis factis, quæ Longobardorum animos in eos accenderunt. Tristanus Chalcus in Chron. asserit, Marchoaldum Mediolanensium Præfectum eos tributis onerasse, & variis modis vexasse. Quare cùm Itali à Frederico Imp. abhorrerent, Alexander Papa cum *Oberto* Archiepiscopo Mediolanensi navem conscendit, & relictâ Galliâ in Siciliam venit, quarto secessus sui in Franciam anno jam provecto. Hinc Auctor Anonymus Vitæ Sancti Galdini Archiepiscopi Mediolanensis in Actis SS. Bollandianis ad diem XVIII mensis Aprilis ait: *Exilium igitur beatus Galdinus & labores non modicos suo cum Pontifice* (nempe Oberto), *præfatoque Papa* (Alexandro III) *ac aliis quibusdam pariter perpessus, cum per quadriennium circiter in Gallicana exulasset Ecclesia, demum navigio Palermum, postea Beneventum pervenerunt. Non autem multum post temporis à præfato summo Pontifice Romam evocatus; ibi suis suffragantibus meritis sanctæ Sabinæ Cardinalis Presbyter ordinatur.*

IX. *Romam redit.* Ad num. XI & seqq. In Codice Vaticano à Baronio laudato legitur: *Celebrato Pascha exivit Senonis* (nempe Alexander III), *& transiens per Parisios & Bituriges, & Anicium, post festum Apostolorum ad Montempessulanum incolumis per Dei gratiam remeavit.* Addit Auctor iste Anonymus Alexandrum III ibi mansisse usque ad Octavam Assumptionis. Hoc itaque anno tertiùm Alexander III Parisios venit, quam in rem extat ejus Rescriptum datum *Parisius per manum Hermanni S. Rom. Ecclesiæ Subdiaconi & Notarii XII Kal. Maii ad Clementem Decanum & universum Capitulum Parisiense,* cujus meminit Bulæus Tom. II Hist. Universit. Parisiensis pag.334. Inde Monspelium petiit, ubi adhuc agebat *XIV Kal. Septemb.* ut ostendit Epistola en die ab eo data ad Willelmum Carnotensem Electum, recitata Tom.X Concil.pag. 1347. Tandem mari Romam profectus est, quò ubi pervenit, felicem suum adventum Henrico Archiep. Remensi, & suffraganeis ejus per literas significavit, Tom. X Concil. pag. 1370 relatas: *Quia vos prosperitatibus Ecclesiæ,* inquit, *congaudere, & plurimùm congratulari cognoscimus, præsentiam significatione Fraternitas vestra cognoscat, quod nos diversa maris pericula, & graves*

SÆC. XII. An. C. 1165.

& graves hostium & iniquorum incursus divina potentia & Apostolorum meritis evadentes, tandem ad portum salutis pervenimus, & a Senatoribus, populoque Rom. devotissime invitati nono Kal. Decemb urbem intravimus in omni pace & tranquillitate suscepti, & illam nobis & fratribus nostris reverentiam, honorem & devotionem prædicti Senatores, Nobiles civitatis, Clerus, populusque Rom. exhibuerunt, qua nulla major alicui antecessorum nostrorum, sicut omnia ora testantur, aliquando exhibita fuisse probatur.

X. *Nativitas Philippi Augusti Franciæ Regis.*

Anno ab Incarnat. Dom. M C L X V Ludovico Regi (Franciæ hujus nominis septimo) *natus filius, Philippus nomine X I Kal. Septemb.* inquit Continuator Chronici Sancti Petri Vivi, cui varii Francorum Historici suffragantur. Continuator Aimoini lib. 5. qui in nativitate hujus filii Philippi Augusti appellati Historiam suam absolvit, ait eum natum *anno Incarnat. Dominica M C L X V, Sabbato in octava Assumptionis B. Mariæ Virginis, nocte dum matutina Synoxis celebraretur.* Vides hunc Historicum ideo die uno ab illo Chronographo differre, quia puer nocte inter diem X X I & X X I I intejecta in lucem prodiit, qui loquendi modus non observatus erroris causa non semel fuit.

XI. *Moritur S. Elisabetha Schonaugiensis.*

Sancta Elisabetha Abbatissæ Sanctimonialium in Schonaugia, Ordinis Sancti Benedicti in Diœcesi Trevirensi, soror Egberti Schonaugiensis Abbatis scriptis clari, die X V I I I mensis Junii mortua est, uti narrat Trithemius in Chron. Hirsaug. Hæc sancta Virgo cùm esset annorum ætatis trium atque viginti cœpit revelationes & visiones multas habere, quas postea *Egbertus* frater ornatiore stylo, in eam formam, qua hodie leguntur, redegit. Egbertus librum scripsit de Transitu seu Obitu S. *Elisabethæ* sororis suæ, & Tom. X I I Biblioth. Patrum editionis Colon. Extant *Sermones* ejus *X I I I adversùs Catharos hæreticos, & Excerpta ex Sancto Augustino de Manichæis.*

Anno Eræ Hispan. M C C I V. Anno Hegiræ D L X I I inchoato die 28. Octob. fer. 6.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6659.

☉ 27. B. ☽ 8. P. 24. April. Indict. 14.

JESU CHRISTI 1166.

ALEXANDRI III PAPÆ 8.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 15. IMP. 12.

MANUELIS COMNENI IMP. 23.

I. *Conventus Herbipolensis.*

ANum. I ad X V I. Chronographus Reicherspergensis, qui hoc tempore vivebat, ad annum M C L X V hæc narrat, quæ ad præsentem malè revocat Baronius num. I. & seqq. *Mense Maio ejusdem anni, in diebus Pentecostes, quod evenerat tunc in X Kal. Julii* (legendum *X. Kal. Junii*, in quem diem anno MCLXV festum illud incidit) *Imperator Curiam celebravit in civitate Wirzburgensi, quæ etiam Herbipolis dicitur, ubi Episcopi & Electi ferè numero XL de regno Teutonico juraverunt obedientiam Paschali* (Pseudo-Pontifici), *& ejus successoribus, ipso Imperatore primùm & ante omnes jurante id ipsum super Evangelia & Reliquias: postea Episcopis, & inde omnibus regni Principibus, qui præsentes aderant. Postea autem multi Episcopi & Principes, qui ibi non aderant, idem juraverunt. Tenor autem juramenti hic erat, ut videlicet decedente Paschali, nullum in Papam reciperent, nisi unum de ipsius fautoribus aliquem. Et ut obeunte Imperatore, nullus in Regem aut Imperatorem levaretur, nisi qui illam partem defenderet, & manu teneret contra Romanam Ecclesiam. Et ut Episcopi, qui juraverent, idem juramentum ab omnibus suis Prælatis & subditis exigerent: & quicumque non juraret, omni Ecclesiastico honore & beneficio, postremò & omnibus bonis & possessionibus privaretur. Ibi etiam præcipiente Imperatore quidam Electi sub hoc juramento consecrati sunt in Episcopos, & alii in Presbyteros, & alios ordines ordinati ab his, qui etiam juraverunt.* Baronii quidem sententiam Labbeus Tom. X Concil. passimque recentiores amplexi sunt; sed hunc Conventum coactum anno præcedenti Sigonius lib. X I I I de Regn. Ital. & Trithemius in Chron. Hirsaug. etiam videntur.

SÆC. XII. An. C. 1166.

II. *Henricus II Angliæ Rex Legatos ad illum mittit.*

De eo in Vita Sancti Thomæ Cantuariensis, lib. 2. cap. 20. habetur: *Beato Thoma Senonis sic residente, Rex Anglorum indignissimè ferens, quod in petitionibus suis protegeretur Adversarius* (sc. Sanctus Thomas), *Presbyterorum bona, per Diœcesim Cantuariensem decedentium, & vacantes Ecclesias occupavit, & pro voluntate personas instituit, & se ab Alexandro Papa, quem jam Dominus, Romanæ misertus Ecclesiæ, in Sedem suam revocarat, ab alienavit. Unde dolorem suum in fide vindicaturus, Clericos duos, Joannem videlicet de Oxenferdia, & Richardum de Ilvestria, misit ad Imperatorem Alemanniæ Fredericum, qui coacto Concilio* (Herbipoli nempe) *De pace Romanæ Ecclesiæ tractabat, mandans quod si nomen & obedientiam Alexandri Papæ abjuraret, participem se Schismatis haberet cum Episcopis. Ille tùm Schismatis fautores haberet, de consilio Coloniensis Archiepiscopi,* (nempe Reginaldi), *qui Octaviano extincto successorem jam suscitaverat* (sc. Paschalem I I I), *consensit. Jurantibus itaque cum Imperatore Optimatibus & Episcopis, quibusdam obtrectantibus, & usque in lachrymas reatentibus, Nuncii quoque Regis & personæ ipsius consimilem formam juraverunt. Et tanquam si minus adhuc peccavisset, Rex Portas diligentissime custodiri præcepit, feralia in eos statuens Edicta, qui vel Papæ mandata, vel literas in Angliam deferrent, vel delatas reciperent. Præcepit etiam publicè, & compulit per vicos, per castella, per civitates, ab homine sene usque ad puerum duodenem B. Petri successorem Alexandrum abjurare.*

III. *Sed anno præcedenti.*

Anno quidem M C L X V nonnisi mense Novembri *Alexander* I I I in Sedem suam restitutus est, & Conciliabulum *Herbipolense* in festo Pentecostes celebratum; sed quia jam tunc Alexander I I I in Gallia existens suum Romam reditum decreverat; dici potest eum eo tempore jam Sedem suam recuperasse; sed sine errore dici non potest, quod tamen in ea Vita legitur, Angliæ Regem Clericos illos duos ad Fridericum Imp. seu ad Conventum Herbipolensem destinasse, *Beato Thoma Senonis residente*, quia Sanctus Præsul ad festum usque Martini currentis anni Pontiniaci moratus est, indeque Senonas venit. Hic error, ad quem non video aliquem animum advertisse, manifestus est: alioquin Conventus Herbipolensis nonnisi in Festo Pentecostes sequentis Christi anni coactus fuisset, & duo illi Clerici illuc missi, quia tunc revera Sanctus Thomas Senonis residebat, non verò anno currenti, quod ex in-

ſtà dicendis perſpicuum erit. Præterea *Joannes de Oxenferdia* & *Richardus de Jlveſtria* ab Henrico Rege Legati ad illum Conventum miſſi, hoc anno ante feſtum Aſcenſionis Chriſti excommunicati ſunt à Sancto Thoma, quòd cum Schiſmaticis in illo Conciliabulo communicaſſent, ideoque illud in feſto Pentecoſtes præcedenti Chriſti anno habitum fuerat. Utrumque excommunicatum fuiſſe, quod in Conciliabulo Herbipolenſi excommunicatis communicaſſet, docet Sanctus Thomas Epiſt. CXXXVIII Libri primi ad Alexandrum III data: *Nominatim etiam excommunicavi Joannem de Oxeneferd, qui communicavit Schiſmatico & excommunicato illi Reginaldo Colonienſi, quique contra mandatum Domini & veſtrum uſurpavit ſibi Decanatum Sareſberienſis Eccleſiæ, & in Curia Imperatoris, quale ipſe audiſtis, præſtitit juramentum* (anno ſc. elapſo) *ſimiliter etiam Richardum de Welcheſtre, qui eidem Schiſmatico communicavit.*

IV. *Conventus Chinonenſis hoc anno habitus.*

Nec ullus, opinor, qui geſta in eo & poſt illud contulerit cum iis, quæ in Anglia hoc anno contigêre, dubitare poterit, quin Conventus Herbipolenſis per aliquot ſaltem menſes præceſſerit excommunicationes à Sancto Præſule hoc anno & contra duos illos Clericos, & contra multos Præſules Angliæ vibratas. Hoc enim anno, ut infrà contrà communem ſententiam demonſtrabo, duo Conciliabula Henrici Regis juſſo celebrata, unum apud *Chinonem*, ſeu Chinonium in provincia Turonenſi, & verſus Pictavenſem tractum poſitum, alterumque Londoniæ. De priori loquitur Joannes Saliſberienſis in Epiſtola ad Exonienſem Epiſcopum, quæ eſt CXL libri primi Epiſtolarum divi Thomæ, vel juxta Baronium, qui eam anno ſequenti num. XXXVI & ſeq. recitat, Epiſtola CXXXIX. In ea Saliſberienſis ait: *Studioſiùs inquiſivit* (nempe Henricus Rex) *cum promiſſis minis & obteſtatione quamplurima, quonam conſilio ſibi medendum eſſet adverſus Eccleſiam de Cantuarienſi Archiepiſcopo graviſſimè conquerens, non ſine gemitibus & ſuſpiriis multis: & ut tunc præſentes poſtea retulerunt, lachrymatus eſt, dicens quod idem Cantuarienſis ei corpus & animam pariter auferret,* &c. *Erat autem dolor acerbior urgente metu, quem conceperat ex literis, quas dictus Cantuarienſis illi, & matri ſuæ* (nempe Mathildi Imperatrici) *tranſmiſerat. Timebat quidem, & meritò, ne in terram ejus, interdicti, & in perſonam ejus anathematis ſententia ferretur. Cùm igitur his anguſtiis premeretur, Lexovienſis Epiſcopus* (ſcilicet Arnulphus) *unum dixit eſſe remedium, imminentem ſententiam appellationis obſtaculo præpedire,* &c. *Ab illo ergo conſilio egreſſi ſunt à facie Dei, & Regis ſui, Lexovienſis & Sagienſis Epiſcopi, ut appellatione interpoſita uſque ad octavas Paſchæ ſuſpenderent ejus ſententiam.* Paucis interpoſitis: *Sic ergo Domino faciente deluſa eſt ſollicitudo Epiſcoporum Regalium; quia cùm veniſſent Pontiniacum, Archiepiſcopum, quem appellerent, non invenerunt, ſed fruſtrati à propoſito ſuo reverſi ſunt queruli, quod ſua conſumpſerant, laboraverunt & non profecerant.*

V. *In eo ad Alexandrum III appellatum.*

Ideo autem Sanctum Thomam Pontiniaci, ubi toto hoc anno uſque ad feſtum Sancti Martini moratus eſt, non invenerunt, quia Sueſſionas profectus erat. Jam enim dixerat Joannes Saliſberienſis: *Archiepiſcopus verò noſter in procinctu ferendæ ſententiæ conſtitutus, iter arripuerat ad urbem Sueſſionum orationis causâ, ut B. Virginis, cujus ibi memoria celebris eſt, & B. Dranſio* (legendum, Drauſio) *ad quem confugiunt pugnaturi, & B. Gregorio Anglicanæ Eccleſiæ fundatori, qui in eadem urbe requieſcit, agonem ſuum precibus commendaret.* Sanctus Drauſius Epiſcopus Sueſſionenſis medio circiter ſeculo ſeptimo floruit, & Sueſſionenſes dicunt ſtolæ partem S. Gregorii M. poſſidere. In fine Epiſtolæ habetur: *Et Rex, quod ad veſtram notitiam veniſſe non ambigo, virum bonum Magiſtrum G..... de Inſula miſit in Angliam cum literis à Colloquio Chinonenſi, ut Inſulanos ſuper facta appellatione præmuniret, & portus & tranſitus faceret diligentiùs obſervari, & Clerum ab obediendo ſuſpenderet.*

VI. *Conciliabulum Londonienſe hoc anno coactum.*

De Concilio verò Londonienſi in Vita Sancti Thomæ lib. 2. cap. 21. legitur: *Poſt modicum tempus* (à legatione Joannis de Oxenfordia & Richardi de Ilveſtria, de qua ſermo eſt capite antecedenti) *convenientibus ad urbem Londonias ex mandato Regis Epiſcopis & Abbatibus nonnullis, viſum eſt contra Archiepiſcopum appellari. Timebatur enim ne ipſe in enormia, quæ per regnum præſumebantur, manum correctionis extenderet. Appellarunt itaque primi Londonienſis & Saliſberienſis, provocationis & prævaricationis fomites.* Sanctus Thomas hoc anno ſcripſit Rotrodo Rotomagenſi Archiepiſcopo Epiſtolam LXX libri tertii, in qua ait, ſe *ex juſtis & manifeſtis cauſis* aliquos excommunicaſſe, quos faciat à cunctis fidelibus evitari, & ſubjungit: *Sunt & alii ſolemniter citati à nobis, quos auctore Deo, in die Dominica Aſcenſionis excommunicabimus, niſi interim condignè ſatisfacere curaverint Eccleſiæ Dei, quam læſerunt, & nobis: Gaufredus Cantuarienſis Archidiaconus, Robertus Vicarius ejus, Richardus de Welcheſtre, Richardus de Luci, Adam de Cheringis, Willelmus Giffard.* Qui duo Conventus cum hoc anno congregati fuerint ad appellandum contra illas excommunicationes, Herbipolenſis anno MCLXV non poteſt non celebratus fuiſſe.

VII. *Poſt Conventum Herbipolenſem Henricus Rex Legatos ad Papam mittit.*

Baronius hoc anno num. I refert Epiſtolam Henrici Regis Reginaldo Schiſmatico Colonienſi datam, quæ ordine eſt LXIX libri primi, aitque eam anno celebrationis Concilii Herbipolenſis datam, in qua Henricus Rex dicit: *Diu deſideravi juſtam habere occaſionem recedendi à Papa Alexandro, & à perfidis Cardinalibus ejus, qui proditorem meum Thomam, quondam Cantuarienſem Archiep. contra me manutenere præſumunt. Unde cum conſilio omnium Baronum meorum, & cum conſenſu Cleri magnos Viros de regno meo, ſcilicet Eboracenſem, Londonienſem, Archidiaconum Pictavienſem, Joannem de Oxeneford, Richardum de Luci, Romam miſſurus ſum, qui publicè & manifeſtè ex parte mea, & totius regni mei, & omnium aliarum terrarum quas habeo, proponent & denunciabunt Papæ Alexandro & Cardinalibus ejus, ne ulteriùs proditorem meum manuteneant, ſed ita liberent me ab eo, ut alium cum conſilio Cleri in Eccleſia Cantuarienſi poſſim inſtituere.* Sed ex dictis ſequitur hanc Epiſtolam ad annum præcedentem retrahendam eſſe. Gervaſius Dorobernenſis in Chronico ad annum MCLXVIII geſta in hoc Conventu Herbipolenſi perperàm adſcripſit alteri in eadem urbe eo anno congregato, in quem errorem etiam incidit Radulphus de Diceto in Imag. Hiſt. pag. 547. loquens de geſtis anno MCLXVIII. Ea

itaque

itaque rectè Baronius num. VIII & duobus sequentibus ad istum Conventum Herbipolensem retulit.

VIII. *Non duo, sed quinque Legati à Rege Angliæ Romam missi.* Baronius num. II ait, ex Conventu Herbipolensi ad Alexandrum Papam Legatos missos esse ab *Henrico* Angliæ Rege Londoniensem atque Oxenofordensem Episcopos, sed nihil à Pontifice impetrasse. Verùm Alfordus hoc anno num. III rectè advertit, *Oxoniam* seu *Oxenefordiam* civitatem Episcopalem non fuisse ante *Henricum* VIII, & Joannem de Oxenfordia fuisse tantum *Clericum Regis*, (ut eum vocat Joannes Saresberiensis in Epist. CLXIX); sed perperàm scribit alterum Legatum fuisse Bartholomæum Episcopum Exoniensem; plures enim à nobis mox memoratos Episcopos in Urbem direxit. Literas de gestis in Concilio Herbipolensi à Baronio num. III & seqq. recitatas scripsit *Fridericus*, in quibus ait, neminem latere quæ ad pacem revocandam ipse egisset *Papiæ, Mediolani, Laone, atque in diversis imperii finibus.* Loco, *Laone*, Baronius, & Labbeus Tom. X Concil. pag. 1438. in margine legunt, *Laude*; sed non de Lauda in Italia, verùm de *Latona* in diœcesi Bisuntinensi, Gallicè *Saint Jean de Laône*, loquitur Fridericus, qui eo in oppido anno MCLXII Conventum celebravit, ut *Octavianum* Antipapam ab omnibus recipiendum conaretur, de quibus Conventu, & urbe ibidem locuti sumus. Vox itaque *Laone* non correctione, sed explicatione indiget.

IX. *Obitus Guillelmi I Siciliæ Regis.* Ad num. XVI. *Willelmus* Siciliæ Rex, qui Rogerio patri anno MCLIV successerat, hoc anno è vivis excessit; Anonymus enim Casinensis ad hunc Christi annum habet: *Rex Guillelmus obiit decima quarta die mensis Maii, & Guillelmus filius ejus coronatus est mense Julii.* Joannes verò de Ceccano in Chron. ad eumdem annum; *Indict. XIV Guillelmus Rex obiit mense Madio, & filius ejus Guillelmus successit in regnum cum matre sua Margarita Regina.* Necrologium Casinense apud Caraciolum habet, Guillelmum *Idibus Maii*, die sc. XV ejusdem mensis vita functum esse, ex quo apparet eum nocte inter diem XIV & XV Maii mortuum esse. Cùmque in Indiculo Principum Beneventanorum anno MCLIV laudato scriptum sit, *Guillelmum* I annis duodecim regnasse, manifestum est *Rogerii* patris mortem pertinere ad annum MCLIV. de *Margarita* Regina egimus anno MCXIV; Guillelmus autem filius ejus, *Bonus* cognominatus, *jam ferè XIV annum ætatis attigerat*, inquit Falcandus in Hist. de Siciliæ Calamit. pag. 671. & Legatis ad Alexandrum III missis, ejus se majorum suorum exemplo fiduciarium dixit.

X. *Thomas Henricum Regem commonet, & comminatur.* A num. XIX ad XLI. Agit Baronius de reliquis, quæ hoc anno in causa Sancti Thomæ Cantuariensis transacta sunt, quæ ex Gervasio Dorobernensi in Chronico, quod ejus tempore lucem non viderat, magis illustrabo. Gervasius hoc anno scribit: *Degebat interea Thomas Cantuariensis Archiepiscopus & jam Apostolicæ Sedis Legatus, in cœnobio Pontiniacensi* (ab orbe Senonensi paucis leucis dissito) *spiritualibus disciplinis & studiis cœlestibus intentus*, &c. *In se autem reversus, cùm jam ulteriùs tot illatas injurias dissimulare non auderet, secundo exilii sui anno* (ideoque currenti) *per Abbatem Ordinis Cisterciensis Regi Anglorum commonitoriam dulcem & suavem mittit Epistolam, nil correptionis vel amaritudinis habentem. Nuncius verò in brevi reversus, pro mollibus aspera, pro dulcibus amara, pro commonitione duram retulit objurgationem. Quod audiens Archiepiscopus, secundò commonuit Regem per alios viros Religiosos, asperiores eidem dirigens literas: sed & hi nihil penitus præter contumelias reportaverunt. Zelus itaque justitiæ apprehendit eum, ut jam non commonitorias, sed comminatorias proferre decrevisset actiones. Accessit igitur ad Ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ in festivitate ipsius, & post elegantem ad populum sermocinationem, in Regem Angliæ emisit comminatorium.* Priorem Epistolam eam esse non dubito, quæ incipit: *Desiderio desideravi faciem vestram*, &c. quam Hovedenus part. I pag. 496. Matthæus Parisiensis & Radulphus de Diceto pag. 541. hoc anno recitant: *Audiat*, inquit S. Thomas, *si placet, Dominus consilium fidelis sui, commonitionem Episcopi sui*, &c. Aliæ Epistolæ duæ hujus Sancti Præsulis, de quibus anno superiori num. III huc etiam revocandæ.

XI. *Anno præcedenti Legatus S. Sedis dictus fuit.* Literas Legationis ab Alexandro III Sancto Thomæ directas refert Baronius anno MCLXVII num. XVIII, in quibus ait Pontifex: *Nos tibi Legationem totius Angliæ, excepto Episcopatu Eboracensi, benigno favore concedimus*, &c. *Datum Anagniæ septimo Idus Octobris.* Manricus hoc anno cap. I num. VIII hunc Baronii lapsum animadvertit; quia, inquit, anno sequenti appellatum à sententia à divo Thoma vi commissæ sibi Legationis lata, ut saltem usque ad Octavam Paschæ suspenderetur. Præterea Sanctus Thomas eo anno dicitur *Vizeliacum* perrexisse, ut ibi in die Pentecostes in Regem ipsum anathema proferret. Non potuit autem quidquam horum contingere, nisi jam hoc anno Legatio decreta fuerit. Verùm non hoc anno, ut putavit Manricus, sed antecedenti literæ illæ ad divum Thomam missæ, & ab earum executione præsenti anno appellatum; & quæ tam Baronius ac Manricus, quam alii gesta in causa divi Thomæ fuisse anno sequenti referunt, ad currentem pertinent; rectèque Gervasius Dorobernensis, cujus verba mox retulimus, de ea Legatione hoc anno agit, sicuti & Matthæus Parisiensis in Chron. Hovedenus pag. 498. & seqq. & Radulphus de Diceto Auctor hujus temporis pag. 512. ad annum MCLXVI scribens: *Thomas Archiepiscopus venit Vicelïacum die Ascensionis, & observatores consuetudinum, quas avitas appellant in Anglia, solemniter excommunicavit. Suffraganei Cantuarienses scripserunt Archiepiscopo. Thomas Archiepiscopus scripsit Gileberto Londoniensi Episcopo.* Quare hæc omnia Baronius ad annum sequentem malè differt. In iis num. XX & seqq. Sanctus Thomas Londoniensi Episcopo significat se *Consuetudines* illas publicè condemnasse; & num. XXX ac seqq. referuntur etiam literæ suffraganeorum, quibus protestantur se ad summum Pontificem appellare de iis, quæ ab eo adversus Saresberiensem Episcopum & Decanum ejus, in quos suspensionis aut damnationis pœnam intorserat, gesta essent. Quæ tamen hoc anno gesta, ut sequenti certum fiet.

XII. *Non verò currenti aut sequenti anno.* Quare subscriptio Epistolæ memoratæ Alexandri III ad Thomam Cantuariensem Archiep. corrupta est tam in exemplari Vaticano, à Baronio viso, quàm in omnibus impressis, & loco, *septimo Idus Octobris*, legendum, *septimo Idus Decembris*. Quam correctionem certam esse demonstrant Acta Alexandri III anno MCLXV

num.

SÆC. XII. An. C. 1166.

num. XII à Baronio recitata, in quibus dicitur: *Movit ergo à Messana beatus Alexander Papa in mense Novembris, & transiens Salernum & Caietam* Romam venit. Quomodo enim eo anno Alexander III *Septimo Idus Octob.* Anagniæ ab urbe Romana paucis leucis dissitæ literas illas dare potuit, & postea mense Novembri Romam Messanâ venire? Nostra itaque emendatio certa, quam extra omne dubium ponent, quæ duobus annis sequentibus, Baronii ordinem sequentes, in medium adducemus.

XIII. *Varii Episcopi Angliæ appellant ad S. Sedem.*

Sed redeo ad Gervasium Dorobernensem, Auctorem hoc seculo viventem, qui postquam narravit Sanctum Præsulem in festivitate Sanctæ Mariæ Magdalenæ in Regem Angliæ comminatoriam emisisse, pergit: *Unde fama divulgante præmunitus Rex, citissimè misit in Angliam, mandans Ricardo de Luci, qui Præfecturam agebat in Angliâ, ut Episcopos & personas Angliæ, sed & Monachos Cantuariæ contra Archiepiscopum compelleret appellare. Hoc ipsum à domino Rege in Normannia factum est* (convocato scilicet Conventu Chinonensi). *Cùm igitur Episcopi & Abbates Angliæ apud Londoniam convenirent, & appellarent* (de eo Conventu, quem Labbeus Tom. X Concil. pag. 1444. cum anno sequenti malè alligat, neque melius *Anglicanum* appellat, mox egimus) *Cantuarienses Monachi prudenti consilio erepti sunt, petitis & acceptis induciis ad Regis præsentiam veniendi. Hac igitur celebri celebrata & accelerata appellatione, misit Rex, misit & Archiepiscopus Nuncios ad Dominum Papam, a quo tandem hoc à Regis Nunciis impetratum est, ut ad pacem reformandam inter Regem & Archiepiscopum duos à latere mitteret Legatos.*

XIV. *S. Thomas è Pontiniacensi Monasterio expellitur.*

Interea videns & invidens hostis antiquus Thomam de virtute in virtutem in dies procedere, misit in cor Regis per linguas malignantium toxicatas, ut Archiepiscopum de tam grato propelleret hospitio (sc. de Monasterio Pontiniacensi). *Misit igitur literas comminatorias generali Capitulo Cisterciensi, significans quod quemdam de inimicis suis suscepissent, & secum haberent, Thomam videlicet Cantuariensem Archipræsulem; unde & mandavit, quod sicut charam habebant quidquid in terra sua cismarina aut transmarina possidebant, ne eum amplius tenerent secum. Expleto igitur Capitulo venerunt ad Archiepiscopum Abbas ipse Cisterciensis, Episcopus Papiensis, Ordinis illius quondam Monachus* (Willelmus appellatus,) *& ejusdem Ordinis quidam Abbates. Et venerunt festinantes, nomine Capituli nunciantes se tales Regis literas, & tale in eis suscepisse mandatum.* Subdit Gervasius, idem significatum fuisse sancto Præsuli & Francorum Regi Ludovico, qui gavisus est se *ad obsequium tanti viri gratam* invenisse *opportunitatem*, ac misisse quemdam ex Proceribus suis, qui eum à Pontiniaco deduceret in Franciam, & sanctum Archiepiscopum *circa diem festum sancti Martini* Pontiniacensibus vale dixisse: *Profectus itaque Thomas Cantuariensis Archiep. in die sancti Martini secundo exilii sui* (anno MCLXIV cœpti) *anno, à Pontiniaco, cum honore multo, ab Hugone tunc Senonensi Archiepiscopo, Clero quoque & populo Senonis receptus, in cœnobio sanctæ Columbæ per quatuor continuos annos perendinavit.* Idem legitur in Vita Sancti Thomæ. Pergit Gervasius:

XV. *Destinantur à Papa duo*

Post paucos autem dies reversi sunt Nuncii Archiepiscopi dicentes, Cardinales duos ad faciendam pacem, si possent, in proximo esse venturos. Reversus est etiam quidam Regis Clericus Joannes de Oxenefordia nomine, quem Archiepiscopus denunciaverat excommunicatum, eo quod conventione quadam cum Schismaticis facta eorum incurrisset contagium (in Conventu nempe Herbipolensi). *Hic à Romano rediens Pontifice* (ad quem à Rege Angliæ missus fuerat) *prædicabat superbè dominum Papam Legatos misisse ad honorem Regis Angliæ, & Archiepiscopi Cantuariensis confusionem, ipsosque Legatos jam in proximo esse venturos.* Discessum sancti Thomæ à Pontiniaco, & destinationem Willelmi Papiensis ac Ottonis Cardinalium in Normanniam, ubi Rex Angliæ agebat, Baronius, aliique post eum omnes in annum sequentem differunt, sed ex dicendis certò constabit, utrumque ad præsentem pertinere.

SÆC. XII. An. C. 1166. *Legati in Normanniam.*

XVI. *Et quidem hoc anno, non vero sequenti.*

De hac Legatione in tribus prioribus Epistolis libri secundi Epistolarum divi Thomæ sermo est. Prior data ab Alexandro III ad sanctum Thomam, qua ei significat se *Willelmum tituli S. Petri ad vincula Presbyterum, & Ottonem S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem*, ad Regem Angliæ, ut *Legatione in terra sua cismarina fungantur*, & specialiter ut inter eum & eumdem Regem amicam faciant compositionem, misisse. Idem scribit Alexander III in Epistola II ad Regem Angliæ, & in Epistola III Episcopis Angliæ ab eodem Papa *Laterani Kalendis Decembris* data. In hac ultima ait, se accepisse eos ad se appellasse, & proximam Ascensionis Dominicam *appellationi terminum* præfixisse, seque Legatos ad causam istam canonicè terminandam destinare. Porrò Legatos post *Kalendas Januarii* anni sequentis, non verò anni MCLXVIII, ut Baronius, aliique crediderunt, in Normanniam adventasse, infrà planum fiet.

XVII. *Obitus Lucæ Chrysoberges Episc. Constantinop.*

Ad num. XLI. Allatius lib. 2. de Consens. Eccles. Occident. & Orient. cap. 12. num. 4. meminit Synodi, & Principum & Patriarcharum, Metropolitarum, Episcoporum, & aliorum Ecclesiasticorum numero spectatissimæ, anno XXIII Manuelis, ab Orbe condito 6674. præsenti scilicet Christi anno celebratæ, cui interfuêre *Lucas* Chrysoberges Patriarcha Constantinop. *Athanasius* Theopolitanus, aliique, quorum nomina recitat Allatius, qui Synodum illam MS. se se habere asserit. *Lucas* usque ad annum sequentem vixit, eique *Michael III* Diaconus, & Sacelli Præfectus, & summus Philosophorum, ut in Catalago Patriarcharum Constantinop. dicitur, successit, ut alibi dictum.

XVIII. *Novella de feriis à Manuele Imp. data.*

Ad num. XLII. Promulgata hoc anno à *Manuele* Imp. constitutio *de feriis* seu diebus juridicis, quam integram Baronius refert, & de qua videnda, quæ anno MCLVIII ex Cinnamo in medium adduximus. Publicata fuit, ut in ea legitur, *anno mundi 6674. mense Martio, indict. XIV*, ideoque hoc Christi anno, quo mense Martio indictio illa in cursu fuit. Inter dies, in quibus tribunalia vacare debeant, numeratur *Decembris dies IX, in quo scilicet Conceptio sanctissimæ Matris Dei nostri celebratur.* Idem festum legitur in Ordine Divini Officii Gothici, & in Fastis sacris Ecclesiæ Aethiopicæ in Comment. Jobi Ludolfi ad suam Hist. Aethiopicam pag. 402. sed utrobique ad alios dies. Ex iis porrò locis quidam deduxêre Græcos, Mixto-Arabas, & Aethiopas anti-

quitùs

quitùs festum Conceptionis immaculatæ Virginis coluisse, quod alii negaot, quia in Menologio ad diem XXIV Sepremb. habetur: *Conceptio Joannis Baptistæ*, & in citatis Fastis sacris Ecclesiæ Aethiopicæ ad diem XXIII mensis Septemb. legitur: *Conceptio Joannis in utero Elisabethæ*, & constat sanctum Joannem Baptistam in peccato conceptum fuisse.

XIX. *Expeditio Italica Friderici Imp.* *Fridericus Imp.* veritus ne totius Italici Regni possessionem amitteret, expeditionem io Italiam decrevit, ac statim *Ramaldum* Coloniensem, & Christianum Moguntinom Antistites cum ingeotibus copiis in Italiam maturavit. Ipse verò, uti refert Acerbus Morena, *mense Novembri* Italiam profectus Conventum generalem Longobardiæ apud *Roncaliam* coegit, in quo decretum, ut *Paschalis* III Antipapa ab omnibus defenderetur, & *Alexander* III è Pontificatu dejiceretur. Quam malè expeditio hæc ei cesserit, anno sequenti videbimus.

XX. *Toletum ab Alphonso VIII recuperatum.* *Alphonsus* VIII Castellæ Rex Toletum à *Ferdinando* patruo Legionis Rege post *Sancii Desiderati* mortem occupatum, hoc anoo recuperavit, sed post mensem Augustum; cùm enim *Maqueda* propè Matritum ageret, dedit Communitati Hispalensi castellum *Olmos* dictum, ut patet ex Charta, quæ extat apud Colmenarem io Historia Segoviensi cap. 17. num. 8. *In Maqueda in mense Augusti erâ MCCIV. regnante me Aldephonso in Castella, in Extramatura, & in Naxara, & in Asturiis, & citra Serram* (citra montem, quo utraque Castella dividitur) *excepto Toleto*. Cootrà verò in Charta boc anno scripta, & ibidem num. 10. à Colmenare recitata, Alphonsus VIII dicit, se regnare Toleti: *Erâ MCCIV regnante me Rege Aldephonso in Toleto, & in Castella, & in Extramatura*, &c. Hinc apparet *Fernandum* seu *Ferdinandum* Legionis Regem per annos ad summum octo *Toletum* tenuisse; cùm illud non occupaverit ante mortem Sanctii, quæ die XXXI mensis Augusti anoo MCLVIII contigit. Fallitur itaque Rodericus lib. 7. capp. 16. & 18. ubi tradit *Ferdinandum* per annos duodecim *Toletum* obtinuisse.

XXI. *Progressus Josephi Imp. Almohadum.* Hoc anno, seu anno Hegiræ DLXI juxta Noweirium, cum *Humires* Africæ populi adversus *Josephum* Almohadum Imperatorem rebellassent, ab eo sub jugum missi sunt, & gravibus pœnis affecti, quod tantum timorem Africæ populis iocussit, ut universa se se eius dominationi summiserit.

XXII. *Canonizatio S. Caroli Magni.* *Fridericus Imp. Natale Domini in Palatio suo celebravit Aquis, ad cujus Curiam omnes Primates regni, sive Ecclesiastici, seu seculares, ab ipso submoniti convenerunt, & corpus domini Caroli Magni Imp. in Basilica B. Mariæ semper Virginis quiescebat, de tumulo marmoreo levantes, in locello ligneo in medio ejusdem Basilicæ reposuerunt*, inquit Scriptor Auctarii Aquicinctini ad annum MCLXIV, quibus non dissimilia scribit Auctor magni Chronici Belgici ad præsentem annum pag. 45. & pag. 191. licet Bollandus ad diem XXVIII Jaouarii, ubi recitat Vitam sancti Caroli Magni Imp. pag. 888. asserat ultimum locum, de quo solo loqoitur, in magoo Chronico Belgico se oon reperisse. Verùm tam is Auctor, quàm Scriptor Auctarii Aquicinctensis in anno hallucinati sunt. Bollandus enim ibidem refert Diploma Friderici Imp. *de Elevatione & Canonizatione sancti Caroli*, in quo Imperator ait, se petitione Henrici Regis Angliæ inductum, *assensu & auctoritate domini Paschalis, & ex consilio universorum Principum, tam secularium quàm Ecclesiasticorum; pro elevatione & exaltatione sanctissimi corporis eius atque Canonizatione, solemnem Curiam in Natale Domini* celebrasse, & illud *in hymnis & canticis spiritualibus elevasse & exaltasse IV Kalendas Januarii*. In fine Diplomatis legitur: *Datum Aquisgrani anno Dom. Incarnat. MCLXVI, indict. XIV, sexto Idus Januarii, regnante domino Friderico Romanorum Imperatore, anno regni eius XIV, imperii verò XI.* Quare Canonizatio Caroli Magoi anno præcedeoti facta fuerat.

XXIII. *Facta à Paschali III sed ab Ecclesia Rom. tolerata.* Auctor Magni Chronici Belgici priori loco laudato ait: *Eius verò* (oempe sancti Caroli) *dies festi celebres bis in anno habentur, dies scilicet eius natalis IV Kal. Februarii, Translationis verò dies V Kal. Aug. Quem utrumque Clericus, & populus spiritualium gaudiorum tripudio celebrant. Cantantur enim in Ecclesia Aquensi de S. Carolo vicibus alternatis suffragando certa Antiphonæ cum Collectis*, de quibus unam exhibeo. Etiamnum, teste Bollando, Translatio sancti Caroli Magni *V Kal. Augusti* Treviris celebrari solet. Vide quæ de hac Canonizatione anno M num. III jam diximus, ubi solvimus Bollandi dubium, an ante istam canonizationem divini honores Carolo M. delati fuerint, & ibi dictis adde locum Gaufredi Prioris Vosiensis, qui pag. 314. ait: *Fridericus corpus Caroli M. elevans à terra, in capsa aurea infiniti pretii lapidibus decorata collocavit. Ex tunc auctoritate Metropolitani Coloniensis* (nempe Reginaldi) *Aquisgrani solemnitas de eodem Cæsare Augusto orthodoxo, sicut de Sancto, agitur, quæ prius fiebat de fideli defuncto.* Porrò errat Auctor Magni Chronici Belgici, qui ait Fridericum Imp. *assensu & auctoritate D. Papæ Alexandri & Sedis Apostolicæ* adductum solemnem Coriam in Natali Domini apud Aqoisgranum celebrasse; his enim temporibus Fridericus, non Alexandrum III, sed Paschalem Pontificem agnoscebat: „Rectè Spondanus ad anoum DCCCXIV „oum. V de Paschali III & de hac canoni„zatione verba faciens, ait; Sed quod is haud „legitimus fuit Pontifex; ejusmodi Canonizatio „noo est recepta ab Ecclesia Rom. Quòd ta„men reperiantur legitimi Pontifices eam im„pugnasse, res sic tacita permissione sive tole„raotia perseveravit, ut in propria Ecclesia, ubi „sepultus fuit, coleretur. Ita enim Canonum „præcipui Interpretes declararunt. Propagatus „autem postea noscitur ei cultus, io alias Ec„clesias Galliæ, Belgii atque Germaniæ, io qui„bus idem Carolus *Sanctitatis* titulo coli„tur, faventque scripta plurimorum rerum „Francicarum Historicorum.

XXIV. *Moritur Gozuinus Aquicinctensis Abbas.* *Piæ memoriæ domnus Gozuinus, Abbas Aquicinensis septimus* (in Belgio) *charitate illustris, amator pacis & religionis, VII Idus Octob. circa mediam noctem, die Dominica, Luna XI, indict. XIV* (à Natali Christi deducta) *de hoc seculo transiit*, inquit Scriptor Auctarii Aquicinctini ad huoc Christi anoum. De eius virtutibus legendi Molanus in Natal. SS. Belgii & Locrius. Eius Vita septennio post mortem scripta, & à Richardo Gibbono Societatis Jesu sub hoc titulo publicata: *B. Gozuini Vita celeberrimi*

ris Aquicinctensis Monasterii Abbatis VII, à duobus diversis ejusdem cœnobii Monachis separatim exarata, è veteribus manuscriptis nunc primùm edita, curâ R. P. Richardi Gibboni Societatis Jesu Theologi. Duaci ex officina Marci Wian sub signo Phœnicis an. M D C X X. In ea inter alia dicitur, eum Lutetiam ad majores disciplinas addiscendas se se contulisse, & ita in Dialectica profecisse, ut electus fuerit ab eis, *qui Parisius doctrinæ causâ morabantur*, ad disputandum adversus *Petrum Abaelardum*, qui ibi inauditarum erat inventor & assertor novitatum, & aliarum probatarum improbator. Verùm *Magister Joslenus, qui postea Suessionensem rexit Cathedram, eùm nimis eum diligeret, id fieri prohibebat, & congressum hujusmodi dissuadebat.*

XXV.
Moritur S. Aelredus Rievallensis Abbas.

Aelredus Rievallis monasterii in agro seu diæcesi Eboracensi siti Abbas, Ordinis Cisterciensis, sacrarum literarum scientia & morum integritate conspicuus obiit *pridie Idus Januarii, anno ætatis suæ LVII, incarnat. Domini MCLXVI, regnante apud Anglos Henrico secundo*, ut prodit Joannes Pitsæus in Catal. Script. Britanniæ, quod ex Joanne Balæo exscripsit. Hoc etiam anno mortem eius ceteri recentiores Referunt, licet nullum ex Antiquis citent, & Annalista Mailrosensis eam in annum sequentem differat. Bollandus ad diem XII Januarii Vitam eius recitat ex legenda Joannis Capgravii, in qua idem legitur. Dicitur *Aelredus* fuisse alter Bernardus, & ex iis, quæ ipsemet scribit in sermone V in cap. XIII Isaiæ apparet eum filios in religione habuisse piissimos; eorum enim sanctitatem summè commendat. Varios Tractatus in lucem emisit, ex quibus non pauci periêre, aliique referuntur in Biblioth. Patrum & Tom. V Bibliothecæ Cisterciensis. Extat etiam eius Historia *de Bello Stantardii tempore Stephani Regis*; *Genealogia Regum Anglorum*, *Vita & Miracula sancti Edvardi Regis & Confessoris*, ac *Narratio Miraculi* patrati in Sanctimoniali *de Wattun*, quæ inter decem Historicos Angliæ à Seldeno editos legi possunt. Eum aliqui *Beatum*, alii *Sanctum* appellant. De eo etiam videndus Manricus in Annal. Cisterc. hoc anno cap. 3.

Anno Eræ Hisp. MCCV. Anno Hegiræ DLXIII. inchoato die 27. Octob. fer. 3.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6660.

☉ 28. A. ☽ 9. P. 9. April. Indict. 15.

JESU CHRISTI 1167.

ALEXANDRI III PAPÆ 9.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 16. IMP. 13.

MANUALIS COMNENI IMP. 25.

I.
Synopsis rerum in Italia gestarum.

A Num. I ad XVII. Baronius gesta hoc anno à Friderico Imp. ex Actis Alexandri III, Ottone Murena, aliisque accuratè narrat, sed ejus narrationi hæc addenda. Anonymus Casinensis juxta Peregrinii correctiones ex MSS. erutas (quia Caracioli editio valde corrupta erat) ad hunc Christi annum scribit: *Dum Imperator Fredericus oppugnaret Anconam, Raynaldus ejus Cancellarius expugnavit Romanos, ex quibus mille quingenti occisi sunt, vulnerati verò, & capti mille septingenti. Quod audiens Imperator, captâ Anconâ venit Romam, & combussit porticus Sancti Petri. Alexander Papa exiens Urbe, Beneventum venit mense Septembri.* Verùm in mense hallucinatur. Baronius anno sequenti num. XIV refert Epistolam Alexandri Papæ datam *Beneventi undecimo Kalendas Septembris*, quam ad præsentem annum spectare ibidem videbimus. Joannes de Ceccano, qui annum à die Nativitatis Christi auspicatur, ait: *Indictione XV, hoc anno VII Kal. Januarii Arenaria incensa est. Hoc anno mense Madio Cancellarius Imperatoris Frederici venit super Romanos cum grandi exercitu, & pugnavit cum eis III Kal. Junii, in qua pugna fuerunt mortui de Romanis sex millia, & capti multa millia. Deinde prædictus Cancellarius devastavit, & obsedit Romam. Ipso mense Simon de Sorella devenit hominem* (idest, homagium fecit) *Regi Siciliæ* (Wilelmi sc. II, qui partes Alexandri III tuebatur, ut videre est apud Baronium num. III), *cui concessa est tunc Serella, & Sora, & Pesclum, Sodolum & Broccum. Deinde jussit readificare Soram; cœperunt omnes homines, qui fuerunt ex ea, ibidem reverti.*

II.
Obsidio Romæ & fuga Alexandri III.

Imperator Fridericus venit Romam, & obsedit eam; Papa autem Alexander ob metum Imperatoris exivit de Roma, & ivit Beneventum. Romani autem cùm vidissent impetum Imperatoris non posse se sufferre, fecerunt illi fidelitatem, & dederunt illi obsides præter Majores, qui erant in munitionibus suis. Post hæc Imperator discessit à Roma cum omni exercitu suo; quia æstas erat fervida, plurimi de ejus exercitu infirmabantur quod aliquis vix enumerare posset, ita ut cum paucis redierit in Alemanniam.

III.
Fridericus Imp. varias Italiæ urbes affligit.

Acerbus Morena, antequam è vivis excederet, hæc literis mandavit: *Finito colloquio* (Roncaliæ habito, de quo anno elapso), *& transacta sanctissima Dominica Nativitatis festivitate, Imperator cum conjuge sua, & cum toto exercitu suo, die Mercurii, XVI mensis Januarii in anno M C LXVII* (sed loco, *XVI mensis Januarii*, legendum, *XVIII mensis Januarii*, in quem hoc anno dies Mercurii cadit) *Romam versus profectus est. Qui cùm Bononiam pervenisset, à Bononiensibus obsides petiit*, &c. *Bononia verò discedens, cùm apud Imolam pervenisset, ab Imolensibus, quia eos destruere minabatur, & à Faventibus, & ab illis de Forlivi, & à Forli populo multas pecunias exegit; & ibi circumquaque usque ad Quadragesimam, & usque ad festum sancti Petri permansit. Deinde ad civitatem Anconæ perrexit, & eam capere volens, fortiter expugnavit; sed quia ipsa civitas fortis erat valde, & etiam bene murata, cives ipsius eam viriliter defenderunt. Sed tamen quamplurimis ex eis vulneratis, multisque mortuis, & etiam captis, cum Imperatore fœdus inierunt, magnam sibi pecuniam promittentes: pro qua sibi solvenda ei quindecim obsides tradiderunt. Hoc verò fœdere inito Imperator inde recedens versus Romam cepit iter.*

IV.
Præcipuæ Lombardiæ urbes fœdus adversus eum ineunt.

Alexander III nihil prætermisit, ut Fridericus Imp. repelleretur, quod Itali videntes hunc deseruêre & Mediolanenses civitatem suam reædificarunt: *Dum hæc autem Tuscia & Romania ab Imperatore agerentur*, inquit Acerbus Morena, *procuratores ipsius, quos in Lombardia reliquerat, super ipsos Lombardos insquiùs solito sævientes, ipsos tantis, & tam gravibus contumeliis & injuriis affligebant, quod nullo modo sic gravatos se posse vivere existimabant. Quare Mediolanenses, qui duriùs aliis opprimebantur, cum Cremonensibus, Bergamensibus, Brixiensibus, Mantuanis, & Ferrariensibus colloquium statuerunt. In*

quo

quo cùm omnes insimul congregati mala sibi à Nunciis Imperatoris illata ad invicem retulissent, magis mori cum honore, quàm miserabiliter vivere eligentes, hoc pactum ibidem cum juramento inter se firmaverunt. Videlicet unaquaque civitas alteram adjuvaret, si Imperator aut Procuratores ejus de ceteris eis, vel alicui earum aliquam malitiam inferrent, vel eos contra rationem in aliquo molestarent, salva tamen Imperatoris omni fidelitate, quam per hoc pactum infringere nullatenus intendebant. In ipso etiam colloquio certum terminum statuerunt, in quo omnes Mediolanum pergerent, & ipsos Mediolanenses in sua civitate ponerent: & cum eis in ipsa tandiu manerent, & eos ad fossata eorum relevanda adjuvarent, quandiu ipsi Mediolanenses se solo ibi manere securiter posse minimè dubitarent. Quibus sic peractis omnes ab ipso colloquio recedentes cum ingenti gaudio redierunt.

V. *Mediolanum reædificant.* Mediolanenses itaque hoc anno in suam Urbem rediêre, idque exeunte Aprili; in ea enim antiqua legitur inscriptio super portam Romanam, uti refert Puricellus in Monument. Basilic. Ambros. num. 488. quæ sic habet: *Anno Dominicæ Incarnationis MCLXVII, die Jovis, V Kal. Maji Mediolanenses intraverunt civitatem.* Acerbus Morena rem ita refert: *Appropinquante verò ipso termino, prædictæ civitates Mediolanum venientes cum vexillis & armis ipsos Mediolanenses in civitatem Mediolani cum magna lætitia mense Aprilis introduxerunt: & eis omnia quæ promiserant, impleverunt. Quando verò Mediolanenses putaverunt, se ibi posse manere securè, prædictas civitates, maximas gratias referentes, omnes redire domos suas concesserunt.* Subdit iste Historicus: *Hæc omnia cùm ad Imperatorem pervenissent, palam se habere pro nihilo, & quasi de hoc non curare monstravit. Tamen hæc clàm graviter accipiens, doluit vehementer.* Auctor Anonymus Vitæ Sancti Galdini Archiepiscopi Mediolanensis hæc in rem nostram habet: *Modico igitur tempore* (à promotione scilicet hujus sancti ad Archiepiscopatum Mediolanensem) *Lombardi similem ob casum* (nempe desolationem Urbis Mediolanensis) *sibi providentes, memores roboris & fortitudinis memoratæ civitatis clàm inière consilium eam in munimentum ac aliarum civitatum defensionem instaurare statuentes. Ad ipsam autem armata manu accesserunt, ut cives qui in quatuor partes dispersi fuerant, ad civitatis introitum hortarentur, & confirmarent. Primitusque Bergamenses milites decem* (nempe Duces) *cum vexillis decem* (scilicet legionibus aut phalangibus) *venerunt; Brixiensesque & Cremonenses, Mantuani quoque cum Veronensibus, cum iis qui Marchiam incolunt Tarvisianam, Mediolanenses introduxerunt in civitatem, anno Domini MCLXVII, quinto Kalendas Maii. Tunc fuit videre populum de Babylonica captivitate redeuntem, viròs præ gaudio flentes, parvulos & mulieres præ lætitia clamantes. Ferebantur voces in cœlum, festinabat quisque ad propria.*

VI. *Fridericus Imp. à Paschali III Antipapa Romam vocatur.* Refert postea Acerbus Morena, quomodo Mediolanenses Bergomensibus, Brixinensibus & Mantuanis confœderati Laudam die XII Maii obsidione cinxêre, & die XXII ejusdem mensis ad deditionem compulêre. Idem Historicus de Guidone, Paschali III vulgò dicto, Romæ tunc stabilito sic loquitur: *Interea Guido Cremensis, qui Viterbii morans, ab Imperatore, & à multis Archiepiscopis, Abbatibus, Prioribus, aliisque quampluribus mundi hominibus tunc pro Papa habebatur, Imperatoris adventum diu expectans, & affectu nimio desiderans: adeum quasi aliàs sæpiùs misisset, novissimè Legatos suos quamplurimos destinavit: mandans ut quam citius posset absque dilatione Romam veniret, hostes debellaret, & Raynaldum Cancellarium* (vel Rolandum, nempe Alexandrum III), *qui tunc pro Papa in Roma, & in quibusdam aliis partibus multis tenebatur, qui tunc Romæ morabatur, de Roma expelleret, & ipsum Romæ in possessione Papatus poneret & manuteneret. Imperator verò voluntati & consilio dicti domini Guidonis, qui dicebatur Papa Paschalis, annuens, Romamque cum magno gaudio veniens in anno MCLXVII, die Lunæ, nono Kalendas Augusti, indict. XV in Monte* (vulgo, Montemalo) *prope Romam cum suo exercitu castra metatus est.* Alexander III, qui nondum Româ fugerat, per Terracinam & Caietam Beneventum secessit. Acerbus verò Morena his verbis Historiam suam absolvit: *sequenti igitur proximo die Dominico*, & cetera à Baronio num. X recitata.

VII. *Gesta Romæ à Friderico Imp.* Non prætermittenda quæ Chronographus Reicherspergensis, qui hoc tempore vixit, de supra dictis habet: *In diebus mensis Junii Imperator in Longobardia constitutus præmisit Romam quosdam Principes, qui in comitatu suo erant, ad infestandos quoquo modo possent, cives Romanos, qui partibus Alexandri favebant. Qui pergentes non procul ab ipsa civitate cum suis consederunt. Erat autem Dux Eorum Cancellarius Imperatoris nomine Christan, quem ipse Imperator superposuerat Chonrado Moguntiensi Archiepiscopo Catholico. Romani verò paucitatem hostium videntes, & de absentia Imperatoris audaciam capientes, constituerunt diem publicæ congregationis cum eis* (legendum, *congressionis cum eis*). *Constituta itaque die armati egressi, non procul ab Urbe audacter pugnam inierunt cum adversariis, qui tamen multò pauciores erant: sed ita graviter superati sunt, Cancellario signum suum præferente, & acies eorum viriliter irrumpente, ut de magna multitudine, quam habuisse ferebantur, etiam usque ad XL millia paucissimi evaserint, qui non aut occisi aut captivati fuerint. Quod factum ubi Imperator cognovit, qui tunc in obsidione cujusdam castelli erat, per octo ferè dietas statim venit cum omni exercitu; & castra sua juxta civitatem Romanam collocavit, incipiente jam mense Augusto. Accidit autem, ut per quasdam viles personas omnia, quæ erant circa monasterium Sancti Petri concremarentur cum aliquanta parte ejusdem Ecclesiæ, idest, monasterio Sanctæ Mariæ: quod tamen sine jussu Imperatoris factum est, per viles, ut dictum est, personas. Qui cùm ubique discurrerent, & omnia vacua, & sine habitatoribus invenissent, ignem mœnibus apposuerunt. Nullo igitur eis ibi resistente; quia omnes se infra Lateranum, & in aliis munitionibus receperant, monasterium Sancti Petri, quod adhuc à quibusdam custodibus tuebatur, armata manu aggressi, jussu Imperatoris occisis aliquantis, qui desuper illud defendebant, & reliquis in deditionem acceptis, effregerunt.* Idem ferè numerus XL millium legitur in Magno Chronico Belgico pag. 188. Pergit Auctor:

VIII. *Romæ pestilentia sævit.* *Nec mora, vocatur Paschalis qui* (legendum, *qui*) *usque tunc Viterbii constitutus erat. & veniens cum multa ambitione, ab omni exercitu cum infinitis laudibus excipitur & salutatur, & ab Imperatore*

Imperatore cum Episcopis & Principibus, qui aderant, in Ecclesia Sancti Petri inthronizatur: & postea, jubente Imperatore, quosdam Electos in Episcopos consecravit. Reginam quoque conjugem ipsius Imperatoris cum ingenti gaudio & exultatione omnium Imperatricem consecravit XVIII Kal. Septemb. (in festo scilicet Assumptionis B. Virginis). *Sed gaudium eorum conversum est in luctum; nam tertia die post ordinationem Imperatricis inopinatè incubuit eis pestilentia sævissima, ex qua totus exercitus ita graviter capit vexari, ut in brevi spatio, magis ac magis ingravescente pestilentia, totus fere consumptus perierit. Sicque Imperator amisso exercitu cum suo Papa Romà discedere compulsus est. Episcopi nominatissimi ibidem tunc ordinati, Duces, Comites & Principes præcipui, qui in exercitu erant, illa pestilentia perierunt cum magna multitudine nobilium.* Verum manifestè fallitur Chronographus iste licet coætaneus, & aliunde in narratione rerum sub Alexandro III gestarum accuratus, in die nempe coronationis Imperatricis; Acerbus enim Morena, qui cum Imperatore erat, testatur eam *die Martis, in quo fuit festum Sancti Petri ad vincula*, coronatam esse, ut videre est apud Baronium num. X; & parte alia in Actis Alexandri III apud Baronium num. VII habetur, Fridericum *Romà octavo Idus Augusti* recessisse.

IX.
Illa pestilentia viri insignes sublati.

Continuator Acerbi Morenæ hujus ætatis Scriptor ait: *Decessit etiam tunc Dux Guelphus Ducis Guillelmi filius, Raynaldus Archicancellarius & Coloniæ Electus Archiepiscopus, homo maximi ingenii, & cujus scientia & probitate imperium multùm fuerat sublimatum.* Ex quibus liquet, *Rainaldum*, quem Otto Morena testatur electum anno MCLXI, nunquam sacratum fuisse, & nonnisi per anticipationem à Scriptoribus Archiepiscopum dici. Continuator laudatus inter Magnates tunc demortuos numerat Episcopum *Lexensem*, quo nomine Episcopum Leodiensem intelligit, quem Tristanus Chalcus perperàm *Henricum* nuncupat; cùm vocatus fuerit *Alexander* Henrici decessor, uti refert Aegidius de Aurea valle cap. 46. apud Chapeavillam Tom. II. Asserit idem Anonymus Imperatorem permisisse *Acerbo Morena*, febre cùm Romæ esset correptus, Laudam redire. Quare *Acerbus* iter arripuit; sed cùm Senas pervenisset, ibi *IV Kalend. Novemb.* currentis anni naturæ debitum solvit.

X.
Romani Urbem Antipapæ subjicere noluerunt.

Inter Epistolas Sancti Thomæ lib. 2. Epistola CVIII præsenti anno ante Kalendas Novembris à Joanne Saresberiensi data Bartholomæo Exoniensi Archidiacono, hæc habet: *Noveris, quod Hæresiarcha Cremensis* (seu Paschalis III Antipapa), *& cremandus clausus est in Turre Stephani Theobaldi, nec audet egredi, timetque usque ad mortem innovationem Senatorum, qui in Kalendis Novembribus Urbis regimen accepturi sunt. Nam præsentis anni Senatores, ut captivos suos de carcere Imperatoris eriperent, Guidonem Cremensem receperant apud Sanctum Petrum, & in regione Transtyberina, eis juratoria cautione securitatem præstantes. Romam verò nunquam ei subjicere potuerunt, &, ut opinor, nec voluerunt. Novi verò Senatores Domino Papæ Alexandro facient fidelitatem, & ut creditur, auctore Deo, schismati finem dabunt. Hoc enim diutiùs tractatum est, & multis firmatum juramentis.* Hanc verò Epistolam hoc anno scriptam esse demonstrat etiam quod ibi dicitur de discessu Willelmi Papiensis & Ottonis Diaconi Legatorum in causa divi Thomæ missorum. Quare perperàm Baronius anno MCLXVIII num. LXIV hæc refert quasi tunc gesta fuissent.

XI.
S. Galdinus Archiep. Mediolanensis in ea Ecclesia recipitur.

Inter hæc Sanctus Galdinus anno superiori Mediolanensis Archiepiscopus dictus in suam Ecclesiam venit: *Galdinus*, inquit Auctor Vitæ ejus, *civitatis suæ restitutionem audiens, providè suscepta Apostolicæ sedis Legatione, iter ad patriam arripuit, & præcavens inimicorum insidias, quæ in plerisque locis sibi tendebantur, mare navigans, in peregrini habitu Venetias, ingentibus periculis, tamen incolumis pervenit: ac deinde Lombardiam attingens, suscepto Episcopali habitu, insignibusque Pontificalibus, Mediolano factus est propinquior. Occurrunt summa exultatione universi cum toto Clero cives, eumque digna veneratione, ut par erat, suscipientes usque ad Beati Ambrosii Basilicam cum hymnis deduxerunt anno Nativit. Dom. MCLXVII quinto die Septembris.*

XII.
Fridericus ultionem sumit de urbibus Lombardiæ.

Fridericus Imp. decrevit conjurationem civitatum ad rationem revocare, atque eas, quacumque ad præsens ratione posset, ulcisci. Continuator Acerbi Morenæ refert Imperatorem, cùm Pontremulum venisset, ibi à Pontremulensibus transire Apenninum prohibitum fuisse, ita ut per terras Obizonis Marchionis Malespinæ transire coactus fuerit, *ipso Marchione eum ducente iter arripuit, & in die Martis, undecima Septembris, eadem indictione* (nempe XV, ex quo apparet hunc Auctorem, indictionem non à die prima Septemb. sed à die XXIV ejusdem mensis inchoare) *papiam intravit. Postea verò eodem mense Septembris eadem indictione, quadam die Jovis, quæ fuit decima dies ante Kalendas Octobres, in festo Sancti Matthæi Apostoli, in anno MCLXVIII* (sed legendum, MCLXVII, ut Puricellus advertit, qui ex ipsomet Auctore errorem hunc Librariorum corrigit; Continuator enim affirmat acta hæc esse eodem anno, quo *Fredericus* Romam perrexit, & festum S. Matthæi cum die Jovis connectit. Corius in Historia Mediolanensi, quia ad hunc Librariorum lapsum animum non advertit, hæc anno sequenti contigisse credidit) *posuit prædictus Imperator palam in concione omnes civitates Lombardiæ, quæ sibi erant contrariæ, & adversus eum juraverant, in banno, projecto ibi coram omnibus guanto, excepto Laude & Cremona.* Imperator Papia egressus in Placentinum agrum excurrit, sed à Longobardis fœderatis expulsus est.

XIII.
A Mediolanensibus in fugam convertitur.

Inde Mediolanenses aggressus haud meliorem fortunam nactus est. Lib. enim 2. Epistolarum Sancti Thomæ Cantuariensis Epistola XXVI Joanni Pictaviensi Episcopo à Joanne Salisberiensi scripta id, aliaque quædam situ digna, quæ hoc anno contigêre, nos edocet: *Lugdunensis Archiepiscopus Ecclesiam & civitatem suam cum honore & lætitia omnium recepit in festo Sancti Martini* (est is Guichardus, ab Alexandro III inauguratus die dominico ante festum Sancti Laurentii apud Montempessulanum). *Eadem die congressus Fredericus Exangustus cum Mediolanensibus, amissis viginti quinque militibus, in fugam versus est. Dominus Papa receptis Nunciis, qui Constantinopolim profecti fuerant, cum muneribus & honore, & similiter Legatis Regis Siculi* (de qua legatione vide quæ refert Baronius ex Actis Alexandri III num. III) *prosperatur in viis Domini, moram faciens Beneventi.* Baronius

anno

anno MCLXVIII num. LVII de hac Frederici fuga & Epistola Joannis Salisberiensis verba faciens, putavit eam anno illo à Joanne Salisberiensi datam, & Fredericum tunc in fugam conjectum. Præterea lo. c, *amissis viginti quinque militibus*, legit, *amissis viginti quinque millibus*. Verùm Lupus, qui dum Romæ esset, Epistolas Sancti Thomæ Cantuariensis ex Codice Vaticano exscripsit, easque postea Bruxellis publicavit, rectiùs habet, *amissis viginti quinque militibus*. Et Puricellus laudatus num. 497. ait, loco *millibus*, nos *militibus* legendum potius arbitramur, nec tanta illi (sc. Friderico) militum copia in præsenti suppeditabat, quæ conjectura certa videtur. Joannes enim Salisberiensis, non de justo, sed de leviori prælio, ac velitatione aliqua intelligendus. Addit Puricellus ex Salisberiensi, & ante eum Baronius ibidem, *Fridericum intra Papiam clausum tenemus obsessum*. Verùm in editione curata à Christiano Lupo hic ultimus locus non legitur. Ceterùm has literas currenti anno, eoque exeunte, vel ad summum sequentis initio scriptas certum & indubitatum; *Fridericus* enim anno MCLXVIII mense Martio Italiam reliquit, & festum Sancti Martini die XI mensis Novembris celebratur; quare Salisberiensis de festo Sancti Martini currentis anni verba facit. Quanti momenti sit hanc Epistolam anno suo reddidisse, mox liquebit ex iis, quæ dicemus gesta hoc anno fuisse in causa Sancti Thomæ Cantuariensis.

XIV. *S. Thomas multos excommunicat.*

A num. XVII ad XX. In Vita quadripartita D. Thomæ lib. 2. cap 23. legitur: *Obtinuerat à viro Apostolico Apostolicæ sedis Legationem super Angliam, & quidem ad cautelam, ut videlicet firmior & magis authentica Ecclesiastica quævis sententia haberetur, si deinceps ab eo aut in regnum, aut in regni personas ferretur. Et imprimis quosdam de Aulicis Clericis, qui ratione Ordinis seu Beneficii Ecclesiastici obligati sibi fuerant, & obedientiam exhibere tenebantur, districtissimè citavit, ut ad ipsum venire non differrent. Quibusdam etiam in virtute obedientia sub Ordinis sui & Beneficii periculo nonnulla præcepit: sed non venerunt ii, nec paruerunt illi. Unde appellationi* (ab iis interjectæ) *non deferens ipsos publicè anathematizavit, & anathematizatos denunciari fecit. Et non solum de Aulicis Clericis, sed & de Laicis Aulicis; & ob varias causas.* Paulò pòst: *Unde & ferè jam quotquot in Aula erant, aut nominatim excommunicati erant, aut excommunicatis communicando, quos evitare nec poterant, nec licebat, adeo ut vix in Capella Regis esset, qui in Missa pacis illud osculum Sacramentale Regi afferret, nisi excommunicatus ex nomine, vel ex participatione.* Baronius num. XVIII recitat literas Alexandri III Legationem illam continentes, quæ dicuntur datæ *Anagniæ VII Idus Octobris*. Tum num. XIX refert alias literas à *Gileberto* Londoniensi Episcopo ad Henricum Angliæ Regem datas, quibus ei significat, *die beati Pauli* eamdem Legationem Sedis Apostolicæ sibi intimatam fuisse, die nempe XXV mensis Januarii divo Paulo sacro.

XV. *Sed anno elapso non verò præsenti.*

Manricus in Annal. Cisterc. à nobis citatus anno præcedenti num. XI animadvertens Baronium non bene utramque Epistolam huic anno illigasse; cùm prior mense Octobri data sit, & posterior rei mense Januario gestæ mentionem faciat, literas Legationis ad annum superiorem rejecit, & ejus executionem seu ab ea appellationem ad præsentem pertinere cum Baronio credidit. Baronium etiam alii omnes secuti sunt. At certum esse debet, Legationem anno MCLXV, non quidem mense Octobri, ut in ea errore Librariorum legitur, sed mense Decembri Sancto Thomæ missam fuisse, uti anno antecedenti insinuavimus. Ex quo sequitur, has *Gileberti* Londoniensis Episcopi literas anno MCLXVI datas, & quæ referuntur hoc anno in Annalibus de excommunicationibus à Sancto Thoma vibratis, ad eumdem annum retrahenda; ad præsentem verò adventum *Willelmi Papiensis & Ottonis Diaconi Cardinalis* Legatorum à Sancta Sede missorum, de quibus Baronius anno tantum sequenti sermonem habet. Egregium hujus nostræ emendationis argumentum nobis exhibent literæ Ioannis Salisberiensis numero penultimo à nobis memoratæ, quæ, ut probavimus, ipso hujus anni exitu scriptæ sunt; in iis enim de gestis ab utroque Legato plurima mentio, sicuti & de Colloquio inter Angliæ Episcopos & eosdem Legatos inter *Gisortium & Triam* habito, de quo tantum sermo est in Annalibus anno sequenti; cùm tamen currenti contigerit: *Processit Episcopus Londoniensis*, inquit Joannes Salisberiensis, *& cùm in Archiepiscopum suum venem multum evomuisset, obtulit causam suam & aliorum Episcoporum, qui contra memoratum Cantuariensem appellaverant, instans nomine regni & Sacerdotii, ut audiretur & finiretur*, & cetera ibidem legenda.

XVI. *Eodem anno excommunicati Ioannes de Oxenfordia, Richardus de Vilcestre & alii.*

A num. XX ad XXVI. Baronius refert duas divi Thomæ Epistolas, priorem Gilberto Londoniensi, ceterisque Cantiæ provinciæ Episcopis, & posteriorem Alexandro III datas. Prior est XCVI libri primi, posterior CXXXVIII ejusdem libri. In priori ait, se excommunicare Joannem de Oxeneford, *qui in hæresim damnatam incidit, præstando juramentum schismaticis, quo schisma jam ferè emortuum in Alemannia revixit. Communicando etiam illi nominatissimo schismatico Reginaldo Coloniæ.* Paulò pòst: *Similiter & Richardum de Ibes denunciamus excommunicatum, & excommunicavimus*, eo quòd in eamdem hæresim damnatam inciderit, communicando eidem Reginaldo Coloniensi Schismatico. Nominat & aliquot alius à se etiam excommunicatos, quod & in literis ad Alexandrum III etiam habet. Verùm utraque Epistola post mensem Januarium anni superioris, quo mense Legationem suam Episcopo Londoniensi intimavit, data, & præterea in Epistola ad Episcopum Londoniensem loco, *Richardi de Ibes*, in editione Lupi nominati, legendum, ut in Epistola ad Alexandrum III, vel *Richardum de Vilcestre*, vel *Richardum Juccestre*, ut Baronius num. XXII ex Rogerio Hovedeno rectè observat; nomen enim illud variè corruptum fuisse comperimus.

XVII. *Colloquium Chinonense anno præcedenti habitum.*

A num. XXVI ad XXX Epistola Joannis Salisberiensis à Baronio recitata in editione Lupi est ordine CXL libri primi, & in Baronio CXXXIX ejusdem libri; dataque non *ad Episcopum Oxoniensem*, ut legitur apud Baronium, sed *ad Episcopum Exoniensem*, Bartholomæum appellatum, cujus frequens mentio in Epistolis divi Thomæ. Neque, ut videre est apud Godwinum in Præsulibus Angliæ, *Oxonium* ante Henricum VIII Angliæ Regem, civitas Episcopalis fuit. In ea Epistola I. Salisberiensis loquitur de *Colloquio Chinonensi*, in quo

SÆC. XII. An. C. 1167.

Angliæ Rex, veritus à Sancto Thoma excommunicari, ad Papam appellavit, missique Lexoviensis & Sagiensis Episcopi ad Sanctum Thomam, *ut appellatione interposita, usque ad octavas Paschæ suspenderent sententiam ejus.* Verùm Epistola illa anno superiori data, eodemque Conventus Chinonensis, de quo ibidem num. IV & seq. egimus, celebratus. Ad annum etiam superiorem, & ad Conventum Chinonensem pertinet Epistola CLXVII libri primi à Baronio num. XXIX memorata, in qua Joannes Salisberiensis Bartholomæo Exoniensi Episc. scribit, Divum Thomam locutum esse cum Clerico Joannis de Oxeneford apud Pontiniacum, qui *se Regis ad Archiepiscopum verbum habere dixit: appellans ex parte & nomine Regis, & mandato ejus, ut ajebat, eumdem Archiepiscopum ad audientiam Domini Papæ Alexandri, & per eum appellabat, diem præfigens, qua cantabitur.* "Ego sum Pastor bonus." Dominica illa secunda est post Pascha, annoque præcedenti, quo Epistola illa scripta, incidebat in diem octavum mensis Maji.

XVIII. *Concilium Londinense ad annum superiorem pertinet.*

A num. XXX ad XLVIII. Episcopi D. Thomæ Cantuariensis suffraganei Concilio Londoniæ coacto ad Alexandrum III de sententiis à divo Thoma latis appellarunt, datis ad eumdem Sanctum Præsulem literis à Baronio à num. XXXI ad XLIII relatis. Reliqui Angliæ Episcopi appellarunt etiam Romanum Pontificem adversus Sanctum Thomam, quorum literas ad eumdem Papam datas recitat Baronius num. XLIII & seqq. Verùm utraque appellatio ad annum præcedentem retrahenda, quo jam de Concilio Londoniensi egimus.

XIX. *Rex Angliæ obtinet ab Alexandro III Legatos à latere.*

A num. XLVIII ad LIV. Episcopis, qui ad Papam appellaverant, ad certum diem non comparentibus, Alexander III confirmavit, quæ à divo Thoma gesta fuerant. Rex verò metuens ab eodem Sancto Præsule excommunicari, Joannem Oxeneford cum aliis Romam misit, ut Legationem à latere impetraret. Obtinuit Joannes Oxenefordensis Willelmum Cardinalem Papiensem, Regi amicissimum, & ab eo postulatum. Joanni de Oxenfordia adjunctus fuit *alter Diaconus Cardinalis Otto nuncupatus, & plus avaritiæ quàm justitiæ studiosi, & nisi delegarentur à domino Papa, potius relegatione, quam Legatione digni. Acceperant autem plenariam potestatem decidendi quæstiones, quæ vertebantur inter Regem & Archiepiscopum, & debitum eis finem imponendi, remoto appellationis obstaculo. Archiepiscopus verò sciens Regis amicissimum alterum, & instanter ab ipso petitum, alterum autem ex aliis causis suspectum habens, recusavit utrumque,* ut dicitur in ejus Vita lib. 2. cap. 22. fusè narrat hæc Baronius, sed ea omnia ad annum præcedentem revocanda, nisi quod recusatio illa ad hunc annum pertineat; cùm uterque Legatus post mensem Januarii hujus anni in Normanniam pervenerit. Ad hunc etiam annum spectat Epistola Alexandri III ad Episcopos Angliæ missa, & à Baronio num. XLVIII exhibita, quâ Papa eis prohibet, ne se se intromittere præsumant in iis quæ ad Ecclesiam Cantuariensem pertinent, *occasione appellationis.* Cùm enim in ejus fine legatur: *Datum Laterani V Kal. Februarii*, & eo die anno superiori Episcopi nondum ad Papam appellassent, ea Epistola à currenti anno removeri non potest.

XX. *S. Thomas anno superiori Pontiniaco expulsus.*

Verùm expulsio *Sancti Thomæ* à Monasterio Pontiniacensi, in Burgundia, quæ ditionis Imperialis erat, posito, cum anno superiori omninò alliganda, ut ibidem num. XIV ex Gervasio Dorobernensi narravimus, cui suffragantur Matthæus Paris in Chron. Hovedenus in parte posteriori ad annum MCLXVI pag. 500. & Radulphus de Diceto pag. 547. Neque Acta Sancti Thomæ juxta accuratam Chronologiam digerere potuissem, nisi obstinato studio detexissem, Legationem *Sancto Thoma* Anagniâ anno MCLXV directam fuisse, hunccque anno insequenti seu anno MCLXVI è Monasterio Pontiniacensi ejectum; his enim duobus fundamentis, quæ certa sunt, universa hæc chronotaxis innixa.

XXI. *Unica Legatio à Rege Angliæ Romam missa.*

A num. LIV ad LIX. *Henricus* Angliæ Rex, ut sententiam excommunicationis eluderet, juxta Baronium novam Legationem adornavit, qua falsis adhibitis juramentis Alexandrum III deciperet, & auro ac muneribus Cardinales, quos posset, corrumperet. Delectus ad hoc scelus *Joannes de Oxeneford*, qui obtinuit *Willelmum* Papiensem Presbyterum Cardinalem, cui Alexander III *Ottonem Diaconum* Cardinalem Sancti Nicolai in carcere Tulliano adjunxit. Quæ Baronius fusè prosequitur. Verùm Cardinalis eruditissimus unicam Regis Angliæ ad Papam Legationem in duas dispertitur. Cùm enim *Sanctus Thomas*, non hoc anno, sed præcedenti Legationem suam executioni mandare cœperit, Episcopi qui excommunicati fuerant, vel excommunicari metuebant, eodem anno ad Papam appellarunt, & paulò pòst *Henricus* Rex *Joannem de Oxenefordia* Clericum suum Legatum Romam misit, qui postquam *duos* præfatos Legatos ab Alexandro III impetravit, ipso anno in Normanniam, ubi Rex versabatur, rediit; neque postea aliam Legationem obivit, cùm initio currentis anni *Willelmus* Papiensis & *Otto* Cardinales Legati in Normanniam adventarint, & ad finem ferè currentis anni morati fuerint. Quare hanc in eam unica Legatio ab Angliæ Rege Romam directa.

XXII. *Lombardus domesticus S. Thomæ diversus à Petro Lombardo.*

A num. LIX ad LXII. Refert Baronius Epistolam *Lombardi* Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi ad Alexandrum III datam, quæ secundùm eum est ordine CLXV libri primi, & juxta editionem Lupi CLXVI ejusdem libri. In ea ait Lombardus Joannem Oxenefordiensem se se jactare, quòd cum Decanatus honore & gratiæ Papæ plenitudine Româ redierit; addere quoque, *Legatos à Rege specialiter postulatos destinari, qui appellationis remedio sublato, audiant & definiant quidquid Regi adversus dominum Archiepiscopum* proponere placuerit. Ait Lombardus: *Illud unum, Pater sanctissime, verissimè scio, quod tamen absque lachrymis non scribo, quia vestri nominis odor ex aliqua parte offuscatur,* quia nempe vehementior Sancti Præsulis persecutio ex hac Legatione timebatur. Baronius num. LXI sententiæ tamen dubius existimat, *Lombardum* hunc diversum non esse à *Petro Lombardo*, qui Parisiis floruit. At hic Petrus Lombardus, non Subdiaconus, sed Episcopus Parisiensis fuit, annoque MCLXIV vitam cum morte commutavit. Lombardus itaque, qui eam Epistolam scripsit, fuit Sancti Thomæ domesticus, de quo in Catalogo Eruditorum Sancti Thomæ, qui in calce Vitæ ejus à Lupo editæ extat pag. 157. legitur: *Herbertus Bosianensis inter Eruditos Thomæ eruditissimus,*

SÆC. XII. An. C. 1167. *mus, præclarus quidam fuit, natione & nomine Lombardus, de præclara civitate Placentiæ oriundus*, &c. *Hic discipulus tempore, quo vacabat, quetis & otii* (legendum, quieti & otio) *Magistrum in exilio Canones edocuit; qui etiam semper comes erat individuus, quousque tandem ob præclara ipsius merita ad Romanam Ecclesiam ab exilio vocatus, & S. Rom. Ecclesiæ Cardinalis effectus, demum per Romanum Pontificem in Beneventanum promotus est*; Cardinalis quidem ab Alexandro III, à Lucio verò III Archiepiscopus, & varia Opera composuit, ut prodit Oldoinus in Hist. Card. qui tamen malè eum Anglum facit, quia sc. laudatum Catalogum non viderat. Baronius anno MCLXXII num. XIII de isto Lombardo postea Cardinali ex præfato Catalogo agit, supponitque eum diversum fuisse ab eo de quo agimus, cùm tamen unus & idem sit.

XXIII. *Legati in Angliam missi suspecti divo Thomæ.* A num. LXII ad LXX. Baronius pluribus diluit calomnias in Alexandrum Papam per Joannem Oxenofordensem in Anglia jactatas, & quòd *Willelmus Papiensis*. Sancti Thomæ inimicus esset, ac munerum & Regis gratiæ appetentissimus, à pluribus creditas. Ipse Sanctus Præsul, ubi accepit sibi talem Judicem datum, scripsit Epistolam XIV libri II ad Hiacynthum Cardinalem, in qua ait: *Non credebamus, nec penes Curiam Romanam hoc promeruimus, ut ipsius subjiceremur arbitrii judicio, quem Curiæ Universitas nobiscum pariter bene novit nostrum esse inimicum & Ecclesiæ nostræ, nec non & hostem plusquam manifestum.* Ostendit Baronius Alexandrum III in hac delegatione culpa vacasse, deceptum fuisse, ac Legatorum dein potestatem limitasse.

XXIV. *Vituperabilis Legatio Ioannis Neapolitani.* Ad num. LXX & seq. Joannes Neapolitanus Cardinalis, cujus cognomen ac titulus ignorantur, Legatus Sanctæ Sedis in Sicilia erat anno superiori, ut eruitur ex Falcando in Hist. de Siciliæ Calamit. pag. 673. & 677. qui postea etiam de eo verba facit pag. 678. dum loquitur de Gestis, *emenso post mortem Regis* (sc. Willelmi primi) *annuo ferè spatio.* Primo itaque Willelmi II Siciliæ Regis anno, quidam è Proceribus in hunc Cardinalem invectus ait: *Si Guillelmus senior viveret, neque Romam redires ita suffarcinatus auro Siciliæ, neque Panormum toties recurreres, ut contentiones & rixas in Curia suscitares.* Quare jure meritò Baronius eum inter Legatos, qui auctoritate sibi commissa abusi sunt, numerat.

XXV. *Floret Petrus Blesensis.* Ad num. LXXII & seq. Cùm *Petrus Blesensis*, Vir eruditissimus, sacrarum literarum & Juris Canonici peritissimus anno secundo Willelmi II Siciliæ Regis in Siciliam missus fuisset futurus Magister Regis, videos æmulus quærere se è medio tollere, petiit à Rege licentiam recedendi, recessitque anno, quo *Catana* submersa est, quove Guillelmus Cancellarius natione Francus, penes quem rerum summa erat, ob atroces in se conjurationes Siciliam relinquere coactus fuit. Narrat hæc Baronius ex Epistolis XC & XLVI Petri Blesensis, rectèque concludit, *Petrum Blesensem* à natali solo ita cognominatum, (à castro nempe Blesensi, hodie civitate Episcopali) in Galliam & Angliam venisse anno MCLXIX, quo excidium Catanense accidit, ut eo anno videbimus. Porrò *Petrus Blesensis*, qui Guillelmi II Siciliæ Regis Præceptor ac Sigillatius fuerat, ut ipsemet testatur in Epist. CXXXI, in Angliam ab Henrico II vocatus, ab eo ad Regem Francorum ob gravia negotia non semel missus fuit. Recusatis Archiepiscopatu Neapolitano & Roffensi Episcopatu, Bathoniensi Archidiaconatu, & deinde Londinensi, exiguis nempe reditibus contentus fuit, vixitque usque ad initium seculi sequentis, anno incerto demortuus. De ejus Operibus legendus Oudinus in Supplem. Script. Eccles.

XXVI. *Obitus Mathildis Imperatricis.* Hoc anno obiit *Mathildis* quondàm Romanorum Imperatrix, mater Henrici II Angliæ Regis, ut Hovedenus pag. 505. aliique Angliæ Historici docent. Diem ejus emortualem notavit Arnulphus Lexoviensis Episcopus, decimum nempe Septembris, quem epitaphio ejus inscripsit. *Sæpe nominata Mathildis Imperatrix*, inquit Gemmeticensis lib. 7. cap. 27. *dum quadam vice apud Rotomagum infirmaretur, sufficiens argumentum suæ prudentiæ & religionis, tam præsentibus, quàm futuris ostendit. Gazas enim non solùm Imperatorias, quas secum de Italia incomparabiles attulerat; verum etiam quas Regalis, imo paterna munificentia, de inexhaustis Anglorum thesauris sibi contulerat, tam devota manu Ecclesiis diversarum provinciarum & utriusque sexus religiosis pauperibus, viduis, orphanis distribuit: at nec à culcitra serica, super quam in ipsa infirmitate decumbebat, abstineret: quin ipsa distracta, pretium ejus leprosis erogari juberet.*

XXVII. *Civitas Remensis ab Henrico Archiep. durè habita.* Joannes Saresberiensis in Epist. XLVIII libri secundi demonstrat tumultus, quibus sub *Henrico* Remorum Archiepiscopo, Ludovici VII Francorum Regis fratre, civitas Remensis concussa fuit, hoc anno finem accepisse; ait enim: *Obierunt Consiliarii Imperatoris, Reginaldus Coloniensis Archiepiscopus & Moguntinus, itidemque Leodiensis*, &c. *Est & relevationis* (idest, Solatii) *argumentum, quod seditio Remensis pacificata est, & Urbis soluta obsidio. Hanc enim sibi germanitatem, ut aiunt, hæ duæ exhibent civitates, ut eisdem subjaceant fatis, & simul patientes gaudeant simul.* Quare cùm certum sit, Reginaldum Coloniensem, & Alexandrum Leodiensem currenti anno mortalitatem explesse, uti jam probavimus, ac *Fridericum* Imp. ab urbe Romana, quam ceperat, recessisse, certum pariter hoc anno tumultus Remenses cessasse, & Philippum Comitem Flandriæ, qui Remos obsidione cinxerat, ad petitionem Archiepiscopi, ut refert idem Saresberiensis Epist. XXXI lib. II, ab eadem recessisse. Marlotus Tom. II Metrop. Remensis lib. 3. cap. 3. literas horum tumultuum occasione ab *Alexandro Papa* Henrico Archiepiscopo, & Ludovico VII Francorum Regi datas recitat, quibus utrumque hortatur, ne ita durè Canonicos Remenses tractent; sed malè tam illas literas, quàm tumultus ad annum MCLXIV revocat.

XXVIII. *Poplicani hæretici in Burgundia grassantur.* Guillelmus Nivernensis Comes hujus nominis IV *accepit apud Caritatem* (Abbatiam haud procul ab urbe Nivernensi positam) *signum vivificæ Crucis gratiâ Jerosolymitanæ peregrinationis ab Hugone Senonensi Archiepiscopo*, inquit Hugo Pictavinus, Guillelmi Abbatis Vizeliacensis Notarius, in Historia Vizeliacensi ab anno MCLVI inchoata, & currenti absoluta, ac Tomo III Spicilegii relata, in cujus calce post laudata verba subdit: *Eo tempore deprehensi sunt apud Vizeliacum quidam hæretici, qui dicuntur Deonarii seu Poplicani & adducti in*

quæstionem per ambages & circuitus verborum tentabant velare fœdissimam sectam hæresis suæ. Separatos itaque Abbas (nempe Guillelmus) *jussit recludi, donec à supervenientibus Episcopis, honestisque personis convincerentur*, &c. *Tandem cùm frustra multo tempore laboratum fuisset, mediantibus Archiepiscopis, videlicet Lugdunensi & Narbonensi, cum Episcopo Nivernensi, & Abbatibus, aliisque peritissimis viris quampluribus, convicti sunt quòd solum divinitatis efficaciam ore confitentes, omnia penitùs Ecclesiæ Catholicæ sacramenta evacuarent, Baptismum sc. parvulorum, Eucharistiam, vivificæ Crucis impressionem, exorcizatæ aquæ aspersionem, Basilicarum ædificia, decimarum & oblationum remedia, conjugatorum connubia, Monachorum instituta, Clericorum & Sacerdotum omnia officia. Et, cùm instaret Paschalis solemnitas, adducti sunt in medium maxima multitudinis, quæ totum Claustrum occupabat, stante Guichardo Lugdunensi Archiep. & Bernardo Nivernensium Episc. Magistro quoque Galterio Laudunensi Episc. cum Willelmo Vizeliacensi Abbate. Itaque requisiti de fide per singula capita, sic se credere dixerunt; sicut Catholica credit Ecclesia.* Subjungit eos, qui in sua perseverarunt obstinatione, igni traditos fuisse. Quæ hoc anno contigisse testatur etiam Chronographus Vizeliacensis Tom. I Biblioth. Labbei pag. 397.

XXIX. *Sed magis in Flandria.* Eadem hæreticorum secta hoc tempore in Flandria grassabatur; extat enim Tom. IV Duchesnii pag. 729. Epistola Ludovici VII Francorum Regis ad Alexandrum III data, in qua ait: *Archiepiscopus Remensis H.* (nempe Henricus) *frater meus nuper in Flandriarum Terram profectus, ibi invenit homines depravatos, erroris pessimi sectatores, in Manichæorum lapsos hæresim, qui vulgò Populicani vocantur, & per quasdam observationes, quas habent, meliores apparent, quàm sint. Et si fortè prosperati fuerint, dispendium magnum erit nostræ fidei, præsertim in partibus illis, ubi iniquitas pullulavit, & radices altius fixit. Si voluisset Archiepiscopus solummodo, ut parceret iniquis istis, & toleraret pravitatem hanc, pro hujusmodi redemptione habuisset pecuniam magnam nominatam, videlicet sexcentas argenti marcas. Quia apud eum non patebat illis refugium, proclamaverunt ad audientiam vestram. Sed rem tam venenosam, tam perniciosam attendat diligentiùs vestra sapientia, & velitis ut tanta pestis potius evellatur, quàm pullulet.*

XXX. *Alexander III Conradum Electum Moguntinensem beneficiis cumulat.* Joannes de Ceccano in Chron. ad hunc annum ait: *Hoc anno Episcopatus Soræ concessus est Conrado, qui fuerat Archiepiscopus Moguntinæ civitatis.* Hæc urbs vulgò *Sora*, aliàs Episcopalis, & in Campaniæ confinio sita, nunc est in provincia Terræ Laboris, & Ducatûs titulo insignitur. Quoad *Conradum Moguntinum* Episcopum, is cognominatus fuit de *Witelsbach*, è qua familia hodierni Bavariæ Duces, & Palatini Rheni Comites originem ducunt, de quo duo notanda. Primum quod cùm anno MCLXV Moguntiam deserere coactus fuisset, quòd ab Alexandri partibus staret, venit in Galliam ad eumdem *Alexandrum* III, qui eum Presbyterum Cardinalem tit. S. Marcelli creavit. Quare primus fuit, qui ex Archiepiscopo Presbyter Cardinalis dictus sit. Secundum, quod non multò pòst idem Papa eum Episcopum Sabinensem, retento Archiepiscopatus Moguntinensis titulo instituit. Tum idem Pontifex eidem etiam Episcopatum Soranum concessit, absque eo quod unquam Episcopatum Sabinensem reliquerit. Et tandem post *Christiani* in Archiepiscopatum Moguntinensem intrusi mortem, in eumdem Archiepiscopatum restitutus fuit, retentis nihilominus Episcopatibus Sabinensi & Sorano, ita ut fuerit primus Cardinalis plurium Episcopatuum titularis, quod postea Pontifices Romani Cardinalibus sæpe concessêre. Trithemius ait se vidisse MS. Moguntinum, in quo legitur eumdem *Conradum* fuisse etiam Archiepiscopum Saltzburgensem; & id postea retractans, scribit, loco *Saltzburgensis*, legendum esse *Sabinensem*, quod Serarius in Hist. Præsulum Moguntiæ qui id pag. 822. refert, in medio relinquit, & alii plerique rem obscuram obscuriorem reddunt. At eum fuisse etiam Archiep. Saltzburgensem, ex iis, quæ de Archiepiscopis Saltzburgensibus suis locis dicemus, certò constabit.

XXXI. *Moritur Conradus Archiep. Saltzburgensis.* Audiendus itaque Chronographus Reichersbergensis, qui ad annum MCLXVIII scribit: *Chuonradus Saltzburgensis Archiep. post multa gravamina quæ passus est à fratruele suo Imp. Friderico ob defensionem S. Ecclesiæ, & post plurimas infestationes iniquorum hominum contra eum & Ecclesiam suam pro jussu & voluntate Imperatoris sævientium, tandem adjutorio Dei, ejusque nobili providentia ac industria, sopitis omnibus majoribus & minoribus, qui adversus eum arma tulerant, & in gratiam receptis, ab excommunicatione quoque, qua eos alligaverat, absolutis, ipse dolore calculi laborans, feliciter obiit IV Kal. Octob.* &c. *Tum communi electione Cleri, & ministerialium, totiusque plebis electus est in locum ejus sororius ejusdem Episcopi filius Regis Bohemorum Adalbertus nomine, Diaconus adolescens, & in die festivitatis omnium Sanctorum in cathedrali Ecclesia, cum gaudio omnium inthronizatus est.* Quid postea contigerit, anno MCLXIX referemus. Porrò Conradus filius fuit Sancti Leopoldi hujus nominis IV Marchionis Austriæ, ac frater Ottonis Frisingensis Episcopi, cui doctrina & pietate persimilis fuit.

XXXII. *Rex Jerosolymitanus Alexandriam capit.* Willelmus Tyrius lib. XIX cap. XXIV & seqq. pluribus refert, *Amalricum* III Jerosolymorum Regem *Alexandriam* obsidione cinxisse, tandemque *Soldano in sua administratione confirmato* eam occupasse hoc anno ante *XII Kal. Septemb.* Robertus de Monte in Chron. rem paucis narrat ad annum MCLXVIII, quia plerumque in Chronologiam peccat. Hæc ejus verba: *Amalricus Rex Jerusalem evocatus ab Amiralio Babyloniæ* (seu Procuratore & Præfecto, Siracono à Tyrio appellato), *cui confœderatus erat, obsedit Alexandriam, quæ caput est Ægypti, & cepit & reddidit eam Amiralio, qui pepigit ei singulis annis tributum de eadem civitate quinquaginta septem millibus, quos habet de Babylone. Idem etiam Rex duxit uxorem neptem Manuel Imperatoris Constantinopolitam cum infinitis thesauris*, ubi post hæc verba, *quinquaginta septem millibus*, videtur deesse, *aureis Byzantiis*, & fortè legendum esse, *centum & septem millibus aureis Byzantiis.* Ita Amalaricus Turcos iterum Regno Babylonico expulit, inquit Neubrigensis lib. 2. cap. 24.

XXXIII. *Induciæ decennales inter Reges Castellæ & Navarræ.* Hovedenus pag. 562. & seq. refert pacta & conventiones, quæ factæ sunt inter *Alphonsum* VIII Regem Castellæ & *Sanctium* Regem Navarræ. Prior Charta ab Hovedeno recitata continet conventionem inter utrumque Regem factam, qua querelas, *quas inter se habebant*,

judicio

judicio Regis Angliæ committunt. Tum recitat Chartam pacis & concordiæ inter utrumque Regem, in qua dicitur: *Placuit utrique Regum, ut fieret pax & concordia, inter eos per decem annos, quæ facta est*, &c. *Facta Charta Gra.* (legendum, Era) *MCCV mense Octobri.* De his inducias legendus etiam Moretus in Investig. Navarricis pag. 665.

Anno Eræ Hispan. MCCVI. Anno Hegiræ DLXIV, inchoato die 5 Octob. fer. 7.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6661.

☉ 1. G F. ☽ 10. P. 31. Mart. Indict. 1.

JESU CHRISTI 1168.

ALEXANDRI III PAPÆ 10.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 17. IMP. 14.

MANUELIS COMNENI IMP. 26.

I. *Legatio in causa S. Thomæ missa à Papa.*

A Num I ad XIII. Baronius, qui anno superiori quæ ad antecedentem pertinebant, narravit, hîc refert quæ ad annum MCLXVII gesta sunt in causa Sancti Thomæ Cantuariensis *Willelmus Papiensis* & *Otto* Diaconus Cardinales Legati missi sunt in Normanniam & Angliam, ut pacem inter Henricum II Angliæ Regem & *Sanctum Thomam* Cantuariensem sancirent. *Die Purificationis Beatæ Mariæ* Legati nondum in Galliam adventarant, ut liquet ex Epistola Joannis Pictaviensis Episc. Sancto Thomæ data, quæ secundùm Baronium est CLXIII, & secundùm Lupum CLXIV Libri primi. In ea enim Joannes Pictaviensis ait, se eo die literas ejus accepisse, additque: *Hi siquidem duo Urbem egressi sunt in Kalendis Januarii ad partes nostras properantes*, in eam scilicet Galliæ partem, quæ Regi Angliæ parebat.

II. *Legati finita æstate in Franciam perveniunt.*

A num. XIII ad XX. Nihil boni ex hac Legatione sperabat divus Thomas, ut ex ejus Epistola *ad Odonem Cardinalem* data, & à Baronio relata, aliisque pluribus liquet. Legatis injunxerat Alexander III, uti Anglorum & Francorum Reges, qui in bello erant, inter se reconciliare conarentur; quod quia ei plurimùm cordi erat, ad eisdem Legatos eam in rem literas dedit à Baronio num. XIV recitatas, datasque *Beneventi XI Kalendas Septembris*; ex quibus discimus, jam eo die, anno elapso, Alexandrum III Beneventum pervenisse. Hæc enim ad eum annum pertinere non semel monuimus, & demonstrant literæ Joannis Saresberiensis *ad Joannem Pictaviensem Episc.* scriptæ, quarum meminit Baronius num. XIII, & extant inter Epistolas D. Thomæ lib. 1. Epist. 31. In iis Saresberiensis ait: *Ad partes vestras accepimus venisse Legatos, de quibus adhuc incertum est, quid nobis sperare oporteat, quid timere. Hoc autem certissimè constat, quod Dominus Cantuariensis judicium Cardinalis ad Vincula non subire dispoſuit, multis, ut puto, & justis suspicionibus motus, quia manifestus adversarius ejus hactenus extitit.* In iisdem jam locutus fuerat de bello Remensi & pace insecuta, quæ anno superiori contigêre, ut ibidem diximus, scripseratque: *Bellici namque tumultus æstate ferè tota ferventes, intermeandi facultatem literarum portitoribus præcluserunt, & in urbe Remensi orta seditio sic turbavit provinciam*, &c. Quare non solum in festo Purificationis B. Mariæ Legati nondum adventarant, ut mox probavimus, sed nec æstate, nisi ea jam multum provecta aut veriùs finita.

III. *De pace inter Regem Angliæ & S. Thomam agunt.*

Rupta est pax & concordia, inquit Gervasius Dorobernensis in Chron. ad annum MCLXVII, *& bella reparata sunt inter Ludovicum Regem Franciæ & Henricum Regem Angliæ propter Tolosam civitatem, & varias hinc inde causas, & maximè, ut credi potest, propter Thomam Cantuariensem Archiep. unde præter alia mala Comitatus Augensis, & pagus Vilcassinus* (vulgò, *le pays d'Auge* & *le Vexin*, regiunculæ Normanniæ) *rapinis & incendiis maximè vastati sunt, Rege Francorum quatriduo in Vilcassino cum exercitu suo demorante. Matthæus etiam Comes Boloniæ, frater verò Philippi Comitis Flandriæ sexcentas naves, ut fama fuit, Flandrensibus armavit, juratus in Angliam venire, unde metus magnus in Anglia factus est*, &c. *Interea venerunt in Franciam præfati Legati Willelmus & Otto, & cum Archiepiscopo Senonis de reformanda pace locuti sunt. Inde ad Regem euntes, eumque in proposito suo pertinacem nimis reperientes, in Octavis Sancti Martini* (ad diem nempe XVIII mensis Novembris) *colloquium indixerunt.*

IV. *Sed frustra.*

A num. XX ad LIII. Fusè recitat Baronius literas, quæ ad præfatum colloquium & ad causam divi Thomæ spectant; sed quas certum est anno MCLXVII datas esse. Subdit quippe Gervasius citatus Auctor æqualis: *Suggesserat enim eisdem Legatis Rex, quod hæc omnia mala de consilio & suggestione Cantuariensis Archiepiscopi processerant, asserens eum in propria persona ad loca guerrarum accessisse, & tam Regem Franciæ, quam Comitem Flandriæ, nil rancoris habentem pro viribus suis in ipsum animasse. Sed Rex Franciæ prædictos Legatos ad suum admittens colloquium, Archiepiscopi purgavit innocentiam, etiam cum juramento dicens, quod ei semper consilium dederat, ut pax servaretur, salvo honore utriusque Regis. Ipsi autem ne nil egisse viderentur, inter Gisortium* (oppidum Normanniæ ad Eptam Fl.) *& Triam* (in Vexino, seu Vilcassino Gallico castrum positum) *in Octavis Sancti Martini cum Archiepiscopo loquentes, quæstionibus plurimis ipsius animum scrutari cœperunt. Sed immobilem reperientes, & ejus invincibiles rationes attendentes, de quibus audierant, contulerunt, & sic demum omni penitus infecto negotio Romam redierunt. Eadem autem nocte, cujus in crastino conveniendus erat, vidit Archiepiscopus ipse somnium, quod ei calice aureo propinaretur ei venenum. Et quidem sic accidit; illi etenim verba Regis composita eidem offerebant: quæ palliatione proterva audientium subverterent intellectum, & faciendæ concordiæ facerent dilationem. Sed Legati, Sagacis Archiepiscopi* (*Regis animum noscentis & mores*) *auditâ prudentiâ, redierunt ad Curiam. Videntes autem fautores Regis, quod in omnibus defecisset eorum versutia, iterum generalem innovaverunt appellationem*, anno scilicet illo MCLXVII.

V. *Romam redeunt.*

Recitat Baronius num. XLV & seqq. Relationem cujusdam familiaris *Sancti Thomæ*, quam eidem Sancto Præsuli misit, quæ tam apud eum, quam apud Lupum est Epistola VI Libri secundi, sed apud utrumque characteres temporum quibusdam in locis corrupti. Ea summariè continet, quæ gesta sunt à *proxima quinta feria*

SÆC. XII An. C. 1168. *post Octavam Sancti Martini*, usque ad discessum Cardinalium à Rege, *tertiâ feriâ post*, *Ad te levavi*, seu post Dominicam primam Adventûs. Legati itaque mense Decembri Romam rediêre, & quidem anno MCLXVII.

VI. *Fridericus Imp. à Papa excommunicatur.* Ad num. LIII & seq. Baronius hîc & Labbeus Tom. X Concil. ut ostendant Concilium Romanum, vel Lateranense, in quo Fridericus Imp. exauctoratus, *& omnes, qui ei ex causa Imperii & Regni religione jurejurando tenebantur adstricti*, *à fidelitate ejus* absoluti, hoc anno celebratum fuisse, producunt Epistolam Joannis Saresberiensis Willelmo Suppriori Cantiæ datam, quæ juxta Baronium est LXXXIV Libri II, & juxta Lupum LXXXIX ejusdem libri, ex qua memorata verba descripta. Verùm ex aliis ejusdem Epistolæ verbis perspicuum fit, eam anno superiori scriptam, ideoque & ad eum Concilium istud retrahendum esse. Hæc ibi Joannes Saresberiensis: *Abstulit ei etiam Regiam dignitatem: ipsumque anathemate condemnavit*, &c. *In quo secutus est exemplum Gregorii VII, qui nostra ætate Henricum Imp. Ecclesiæ Privilegia convellentem, deponens in Concilio Romano, simili sententia condemnavit. Et quidem illa sententia effectum sortita est, & hanc de privilegio Petri latam videtur ipse dominus confirmasse. Hoc enim Itali animati, ab eo discedentes readificaverunt Mediolanum, Schismaticos expulerunt, Catholicos reduxerunt Episcopos, & Apostolica Sedi unanimiter adhaeserunt.* Quare cùm Mediolanenses anno superiori die vicesima septima mensis Aprilis Mediolanum ingressi fuerint, ut ibidem monstravimus, eo anno ante eum diem Concilium Romanum congregatum fuit. Adhæc ex iis, quæ paolò infrà in medium proferemus, liquet Alexandrum III hoc anno Romam, quo antecedenti egressus fuerat, redire non potuisse.

VII. *S. Galdinus S. Sedis Legatus creatus.* Arbitratus est Baronius ex hoc Concilio Romano creditam esse Legationem *Sancto Galdino* Mediolanensi Archiepiscopo, ut Catholicos Episcopos à suis Ecclesiis pulsos restitueret. Idem scribit Labbeus citatus, & uterque ad id probandum refert verba Historiæ seu Chronici rerum Laudensium per Ottonem Motenam & Acerbum ejus filium conscripti. At verba illa non in eo Chronico, sed in ejus Continuatore Anonymo extant, & uterque Historicus ante præsentem annum demortuus, ut suis locis insinuavimus. Sanctus autem *Galdinus* in hoc Concilio Romano Legatus Sanctæ Sedis creari non potuit; cùm illud ante urbis Mediolanensis reædificationem seu Mediolanensium reditum ad patriam coactum fuerit, ut statim dixi, & Sanctus *Galdinus* de reditu ad Sedem suam Mediolanensem cogitare non potuerit ante urbis reædificationem. Quare hæc Legatio anno superiori Sancto Præsuli data post mensem Aprilem, & postquam accepit orbis suæ restitutionem, ut ibidem ex Auctore Anonymo ejus Vitæ ostendimus.

VIII. *Gesta Mediolani & Papiæ à S. Galdino.* Ad num. LV & seq. Refert Baronius ex Continuatore Acerbi Morenæ, quæ gessit hoc anno *Sanctus Galdinus* Legatus Apostolicus, ut Laudenses Schisma deponerent & Episcopum Catholicum eligerent, qui *quarto Kal. April. indict. I MCLVIII anno* Albertum Presbyterum in Laudensem Episcopum elegêre. Gesta tunc Laudæ illustrari possunt ex iis, quæ Puricellus in Monum. Basilicæ Ambrosianæ num. 441 ex Chronico, cui titulus, *Flos Florum*, in medium adducit: *Beatus Galdinus*, inquit Chronographus, *fecit fieri Palatium Archiepiscopatus à fundamentis: & quantùm Legatus Ecclesia* (Romanæ) *civitatem Papia interdicto supposuit Ecclesiastico, donec satisfaceret de Turri Ecclesiæ Majoris Mediolani, quam Papienses dejecerant. Quod ipsi fecerunt* (sed anno tantùm MCLXXV), *quia restituerunt XVII* (legendum cum Galvanco Flamma in Chron. XVIII) *mille libras grossæ monetæ.* Imperator enim quod ab *Oberto* Archiep. Mediolanensi abhorreret, Palatium Episcopale evertendum jusserat. SÆC. XII. An. C. 1168.

IX. *Fridericus Imp. ex Italia fugit.* A num. LVII ad LXII. *Imperator itaque in Lombardia, quandoque in partibus Papiæ, quandoque Novariæ & Vercellarum aut Montisferrati, vel Astensibus ferè per totam hyemem stetit; sequenti vero mense Martii privatim, ita quod nec ipsi Lombardi, qui cum eo fuerant, nisi forte paucissimi sciverunt. Per terram Comitis Uberti de Saxonia, filii quondam Comitis Amodei, qui dicitur Comes de Moriena, iter arripiens in Alemanniam est profectus*, inquit Continuator Acerbi Morenæ. Ubertus ille de Saxonia diversus non est ab Humberto Comite Morienæ & Sabaudiæ, ideoque, quod notatu dignum, constans hæc apud omnes opinio hoc tempore erat, hos clarissimos Principes è familia Saxonica originem ducere. Idem Comes Humbertus hucusque Friderico Imp. confœderatus fuerat, neque is de ejus amicitia dubitabat, cùm paucis comitantibus se se apud eum recepere. Verùm hoc in transitu Imperator cum eo simultates suscepit. Cùm enim quemdam nobilem Brixiensem obsidem suspendisset, aliosque obsides secum Segusium oppidum Galliæ Subalpinæ, *Seentiam* à Joanne Satisberiensi appellatum, duxisset, cives ne eos in Germaniam abduceret, impediêre, & neminem egredi permisêre, uti refert Baronius num. LX ex Epistola LXII Libri secundi Epistolarum divi Thomæ, quæ in editione Lupi est ordine LXVI ejusdem libri, dataque Bartholomæo Exoniensi Archidiacono à Joanne Satisberiensi, qui narrata hac injuria Imperatori facta, subdit: *Imperator autem assumto habitu servientis, quasi ut alicujus magni viri procuraret hospitium, cum aliis quinque servientibus noctu egressus est, latus quod ei conerfferant Italiam perdere, quam demeruerat diutius retinere. Inde transiens Chrysopolim, suam turbavit Burgundiam, precibus intentans minas. Et progrediens Alemanniam & Saxoniam supra modum turbatas reperit.*

X. *Post ejus fugam fœdus Lombardorum corroboratur.* Baronios num. LVII ex eadem Sarisberiensis Epistola narrat Imperatorem militum præsidio destitutum Papiâ fugere coactum fuisse. Verùm malè ad hunc annum ibidem ex Satisberiensi lib. 2. Epist. XXVI revocat congressum *Friderici* cum Mediolanensibus; cùm is hoc anno die Sancti Martini, quo congressus ille habitus, non in Italia, sed in Germania fuerit, ut ex dictis numero superiori patet. Porrò Continuator Acerbi Morenæ asserit, *Lombardorum* fœdus post Imperatoris ex Italia discessum valde corroboratum fuisse. Ipso initio illud amplexi sunt Cremonenses, Brixiani, Bergomates, Parmenses, Placentini, Mediolanenses & Laudenses: *post cujus* (nempe Friderici Imp.) *recessum civitates, quæ simul juraverant, imprimis cum Novariensibus & Vercellensibus, postea cum*

Creme-

Cremonensibus, & illis de Belforte, & cum Seprensibus convenerunt: & pacem omnes inter se facientes, unum corpus sunt effecti. Cùm verò Cremonenses inter primos fœdus Lombardicum jurarint, incredibile est eos inter ultimos fuisse, qui eidem adhæserint. Quare licet tam apud Chalcum & Corium in Hist. Mediolan. quam in duobus MSS. Bibliothecæ Ambrosianæ, legatur, *postea cum Cremonensibus*, rectè tamen Puricellus in Monument. Ambros. num. 503. legendum censet, *cum Comensibus*, loco, *Cremonensibus.*

XI. *Rex Angliæ & S. Thomas Nuncios ad Papam mittunt.* Ad num. LXII & seq. Baronius Epistolam LXVI libri secundi à Joanne Salisberiensi ad Bartholomæum Exoniensem Archidiaconum datam, quæ juxta eum est ordine LXI ejusdem libri, exactè cum hoc anno connexuit, ut ex iis, quæ in ea narrantur, extra omne dubium ponitur. Quare *Guido Cremensis*, seu Paschalis III Antipapa anno MCLXVII mortuus non est, uti Otto à Sancto Blasio, qui scribere desiit anno MCCX, & Papebrocius in Conatu Chron. Hist. perperàm credidêre; Salisberiensis enim laudatus ait: *Hæresiarcha Cremensis Romæ est apud S. Petrum*, & cetera à Baronio recitata. Refert postea Salisberiensis Nuncios Regis Angliæ & Nuncios Sancti Thomæ Cantuariensis coram Alexandro III *Beneventi* convenisse; cumque nihil adversùs justitiam priores obtinere possent, Nuncios alios in Siciliam misisse, uti habet Baronius.

XII. *Manuel Imp. Legatos ad Papam mittit.* Ad num. LXIV. Epistolæ duæ à Baronio memoratæ, quarum prior est ordine CVIII libri secundi, dataque Bartholomæo Exoniensi Archidiacono, & posterior ordine XXVI ejusdem libri, dataque Joanni Pictaviensi Episcopo, & utraque à Joanne Salisberiensi missa retrahi debent ad annum superiorem, uti ibidem num. X de priori, & num. XIII de posteriori demonstravimus. Huc verò retrahendum, quod Baronius anno MCLXX à num. LIV ad LXI narrat ex Actis Alexandri III, Legationem nempe Emmanuelis Imp. ad eumdem Papam; secundò mortem Guidonis Antipapæ, & tertiò Legationem aliam dolosè à Friderico Imp. ad eumdem Pontificem missam. Cùm enim Acta illa tradant, *eodem tempore* quo hæc fiebant, *Guidonem* Antipapam interiisse, & dubitari non possit, quin mors illa currenti anno acciderit, certum pariter utramque Legationem huc retrahendam esse. *Manuel* Imp. Legatos Beneventum ad Alexandrum III misit, promittens se Ecclesiam Græcam cum Romana juncturum, atque ipsum præsenti molestia *Friderici* liberaturum, si se corona Imperii Occidentalis donaret. Quam postulationem Alexander, inquit Sigonius hoc anno in Hist. de Regn. Ital. lib. XIV, ut parùm Reipublicæ utilem ex Cardinalium sententia reprobavit.

XIII. *Moritur Paschalis III pseudo-Pontifex.* Guidonem verò Cremensem, seu Paschalem III Antipapam hoc anno extinctum esse, disertè tradit Joannes de Ceccano in Chron. qui ad hunc Christi annum scribit: *Mense Septembris die vigesima obiit in heresi Paschasius Papa, & pars ejus elegit Electum de Albano in Papam Callistum*, quem Callistum III appellavit. Errarunt itaque qui scripsêre, istum Antipapam, nempe Joannem Abbatem Strumiensem, ante pseudo-Pontificatum à Paschali III Episcopum Tusculanum dictum fuisse. Joanni de Ceccano quoad annum emortualem Paschalis III suffragantur Gervasius Dorobernensis in Chron. Hovedenus pag. 511. Radulphus de Diceto ad annum MCLXVIII, & Annalista Mailrosensis ad eumdem Christi annum. Neque Baronius Paschalis III interitum usque ad annum MCLXX distulisset, nisi persuasum habuisset, quæ Acta Alexandri III narrant de Legatione Manuelis Imp. ad Alexandrum III, ad illum Christi annum pertinere. Cùm verò *Paschalis III* die XX mensis Septemb. perierit, Salisberiensis scripsit Epistolam LXVI libri secundi ante ultimos hujus anni menses, antequam mors illa ei nunciata fuisset; indeque de pace inter Galliæ Reges tanquam nondum conclusa sermonem habet.

Ad num. LXV. *Alexandria* civitas hoc anno ædificata *ipsis Kalendis Maii*, uti refert Baronius ex Actis Alexandri III. Ea civitas in honorem Alexandri III Alexandria vocata, sed ab Imperialis partis studiosis ad firmitudinem ejus elevandam *palearis* dicta, quo nomine in hunc usque diem appellatur. Neubrigensis lib. 2. cap. 17. de Longobardis loquens ait: *Urbem quoque Alexandriam, ex nomine domini Papæ, cui se devotos esse gaudebant, sic vocatam, apto loco ad excipiendos primos Alemannorum Italiam ingredientium impetus condiderunt. Quam dum Imperator in ipsis ejus primordiis obsidione cinxisset, expugnare non potuit: sed exercitu frustrà fatigato discedens, hostium contra se fiduciam auxit.* Romualdus Salernitanus hoc anno hujus urbis conditum fusè narrat, indeque apparet Acta Alexandri III sincerè scripta fuisse. XIV. *Conditur Alexandria.*

A num. LXVI ad LXXIV. Sanctus Thomas prioribus hujus anni mensibus post discessum Willelmi Papiensis & Ottonis Diaconi Sanctæ Sedis Cardinalium Legatorum, ad Alexandrum III misit Nuncios suos Alexandrum & Joannem, rogavitque, ut petitiones Regis Anglorum rejiceret: *His duobus articulis Coronationis filii sui, & Consecrationibus Episcoporum insistit Rex Anglorum, & valde arctabitur ad pacem nostram faciendam, si constantiam domini Papa viderit*, inquit divus Thomas in Epist. LXVII libri tertii ad Nuncios suos data, quam ideo Baronius anno suo reddidit. XV. *S. Thomas alios Nuncios ad Papam mittit.*

Congressum verò Regis Angliæ cum Sancto Thoma Cantuariensi coram Ludovico VII Francorum Rege habitum, quem fusè narrat Baronius ex quadripartita lib. 2. cap. 25. & seq. ad annum sequentem pertinere, discimus ex Gervasio Dorobernensi in Chron. ubi illum pluribus refert. Neque currenti anno Reges congressum illum habere potuêre; cùm nonnisi sub ejus finem in concordiam redierint. Hæc Gervasii verba ad annum MCLXVIII: *Circa Natale Domini discurrerunt inter Reges adhuc in immensum discordes, viri religiosi utriusque fideles, verba pacis & concordiæ ad alterutrum deferentes. Pax itaque tandem utcumque formata est, quæ quò melius firmaretur, in Epiphania Domini mutuò sibi indixerunt colloquium.* Salisberiensis in Epist. LXVI libri secundi memorata, &, uti mox diximus, hoc anno exeunte data, varia ad hanc tractationem pacis pertinentia habet, quæ legere juvabit. XVI. *Agitur de pace inter Franciæ & Angliæ Reges.*

Tum Gervasius ad annum MCLXIX subdit: *Convenerunt Reges & Principes die Epiphania apud Montem mirabilem* (seu Monmiralium, Gallicè *Monmirail*, oppidum in ipso Cenomanensis Provinciæ limite situm) *de pace jam formata* XVII. *Eo anno tantum sequenti perdita.*

formata collocuturi, ubi post alias confirmandæ pacis allegationes Rex Angliæ Henricus Ludovico Regi Franciæ ita fertur dixisse. Hac die, domine mi Rex, qua tres Reges Regi Regum munera obtulerunt, me ipsum, natos meos, & terram vestræ commendo custodiæ. Cui respondit Rex Franciæ; quia vobis hoc inspiravit Rex, qui Regum munera suscepit, exhibeant nati vestri præsentiam suam, ut à mansuetudinis nostræ titulo terras suas possideant. Accessit itaque Henricus Regis primogenitus, &c. Paulò pòst: *Interea persuasum est Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo à quibusdam nobilissimis viris & religiosis, ab his etiam quos dominus Papa ad pacem destinaverat reformandam, ut ipse Archiepiscopus Regis animum aliqua humilitate coram Optimatibus utriusque regni, in præsentia quoque Regis Franciæ mitigaret, litisque decisionem Regis penitus committeret arbitrio omni tacita conditione*, & cetera fusè ibidem narrata, quæ diversa non sunt ab iis, quæ hîc Baronius habet, hanc scilicet pacis tractationem felicem exitum non habuisse.

XVIII. *Tusculi mœnia & Albanum evertuntur.* Ad num. LXXIV. Narrat hoc anno Romualdus Archiep. Salernitanus, & ex eo Baronius, Alexandrum III relictâ Anagniâ in Tusculanam civitatem venisse, & Romanos ei promisisse se ejus mandatis libenter morem gesturos, *si prædicta civitatis muros destrui pateretur. Quo facto, Romani voto suo potiti, quod Papæ promiserant, adimplere noluerunt.* Papa verò à Romanis se circumventum videns, *Anagniam rediit, & ibi est multo tempore demoratus.* Quare Pontificem hoc anno Romæ non fuisse, & ibidem *Fridericum* Imp. non excommunicasse, uti jam suprà probavimus, certum & indubitatum. Porrò huc retrahendum quod anno sequenti de eversione *Albani* in medium afferemus; cùm præsenti gestum sit.

XIX. *Moritur Guillelmus IV Comes Nivernensis.* *Tanta pestis in Jerosolymis fuit*, inquit Nangius in Chron. ad hunc annum, *quod ferè omnes peregrini mortui sunt: ibique Guillelmus Comes Nivernensis* (hujus nominis IV, filius Guillelmi III anno MCLXI demortui, ut habent idem Nangius & Chronicon Vizeliacense) *sine herede defunctus est, cui successit Guido frater ejus. In Sicilia tunc erat quidam Francigena Regis Guillelmi* (hujus nominis II) *Cancellarius, quem quidam Potentes Siculi odientes, in odium ipsius literas per Apuliam & Calabriam direxerunt, ut quotquot Franci invenirentur, capitaliter punirentur, quod & factum est; sed Rex Siciliæ hoc agnoscens, auctores illius seditionis pari sententia condemnavit.* De hac lamentabili strage fusiùs agit Monachus Autissiodorensis apud Bulæum Tom. II Universitat. Paris. pag. 358. Tyrius lib. 20. cap. 3. ait, Guillelmum IV *in primo gratissimæ juventutis flore, cum multis animum suspiriis & gemitibus vitam finisse*, in libro tamen ultimo Historiæ Vizeliacensis dicitur, eum per satellites suos monasterium Vezeliacense diripuisse, Monachos crudeliter ab eo vexatos aufugisse, & Hugonem Archiepiscopum Senonensem coactum fuisse eum excommunicare.

XX. *Ausciensium præsulum series.* Florebat hoc tempore *Guillelmus* Archiepiscopus Ausciensis, de quo Oihenartus in Notitia Vasconiæ pag. 452. ex veteri membrana, hujus Præsulis tempore scripta hæc refert: *Intra fines Gasconiæ tam Cisterciensis, quàm Præmonstratensis Ordinis decem Monasteria, & Sanctimonialium nonnulla de Ordine Fontis-Ebraldi in honore Omnipotentis Dei fundavit & plantavit.* Suscepit sacram contra Mauros expeditionem, eique Idelfonsus Aragoniæ & Navarræ Rex *propter multa & innumerabilia servitia pericula & labores*, quos Bernardus ejus in Præsulatu decessor sustinuit, insignem donationem fecit, & post ejus mortem successoribus Archiepiscopis, quam ibidem recitat Oihenartus, in qua legitur, *facta Charta erâ MCLXVIII in mense Augusto*, anno sc. Christi MCXXX. Ejus in Actis publicis usque ad præsentem annum mentionem haberi tradunt San-Marthani in Archiep. Ausciensibus.

XXI. *Victoria Almohadum Christianis infensorum.* In Hispania *Mahometes*, vulgò *Lupus* Rex appellatus, non desistebat à *Josepho* Almohadum Imperatore lacessendo, & *Musmudes*, qui etiam adversus hunc in armis erant, ea deponere nolebant. Quare *Josephus* ingentem exercitum, cui præerat *Omar*, adversus eum collegit, uti narrat Noveirius. Docent Historici Hispanici *Mahometem*, cui præsto erant Christiani ab Almohadibus ubique vexati, fortiter se se Imperatori opposuisse, & *Petro Ruyzio* nobili Navarræo Stellæ domino in præmium navatæ sibi operæ *urbem Sanctæ Mariæ* dedisse. Nomen illud à Christianis sine dubio urbi impositum, & à Mauris, quando illam occuparunt, non mutatum. Geographus enim Nubiensis, qui ante aliquot annos sub Rogerio Siciliæ Rege floruit, hanc urbem *Sanctam Mariam* semper appellat. Martinus Carillo in Episcopis Aragonensibus ait se vidisse Catalogum Episcoporum ejusdem civitatis valde antiquum, in quo primus Episcopus dicitur fuisse D. Martinus. Aliqui scripsêre urbem hanc diversam non esse à Lobero nunc civitate Episcopali, vulgò *Albarazin* dicta. Illud certum, *Loberum* fuisse oppidum Lobetaniarum Celtiberis vicinum. Non multò pòst Valentiæ & Mursiæ Regnum Christianis confœderatum eversum fuit, & juxta Noveirium *Josephus Imperator* anno Hegiræ DLXVI, qui Christi est MCLXX, in Hispaniam transfretavit, varias de hostibus victorias reportavit, & Christianorum finibus devastatis Marochium anno MCLXXII reversus est.

XXII. *Conversio Ruganorum & finis Chronici Helmoldi.* *Rugiani Sclavorum populi, ab Erico Danorum Rege, & Finlandi ab Erico Suecorum Rege victi, Christum agnoscunt. Helmoldus Presbyter & Canonicus Butronensis, Historiam conversionis Henetorum sive Sclavorum ad Christum, à temporibus Caroli Magni usque ad hæc tempora perduxit*, ut legitur hoc anno in additione ad Auctarium Aquicinctinum. Anno MCLXIV de conversione Rugianorum & canonizatione Sancti Canuti Junioris, quæ ad hunc annum pertinent, verba fecimus. Chronicon Helmoldi adhuc extat.

XXIII. *Minorem Britanniam Rex Angliæ acquirit.* *Conanus Britanniæ* (seu Armoricæ) *Comes jure successorio Comitatum utrumque Britanniæ recipiens, ex sorore Willelmi Regis Scotorum filiam reliquit heredem*, inquit Radulphus de Diceto ad hunc Christi annum pag. 513. Idem habet Matthæus Parisius in Chron. qui addit sororem Regis Scotorum *Constantiam* dictam fuisse, & ejus filiam Henricum Angliæ Regem *Gaufrido* filio suo uxorem accepisse, sicque tota Britannia potitum esse.

Willelmus de Campania Archiep. Senonensis consecratus fuit, ut in fine anni sequentis probabimus.

ANNO

SÆC. XII. An.C. 1169. Anno Eræ Hispan. MCCVII. Anno Hegiræ DLXV. inchoato die 25. Septemb. fer. 5.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6662.

☉ 2. E. ☽ 11. P. 20. April. Indict. 2.

JESU CHRISTI 1169.

ALEXANDRI III PAPÆ 11.

FRIDERICI ÆNOBARBI Reg. 18. Imp. 15.

MANUELIS COMNENI Imp. 27.

I. *Reconciliatio Regis Angliæ cum S. Thoma frustrà tentata.*

ANNum. I ad XXXIX. Quæ hujus anni initio in causa Sancti Thomæ Cantuariensis gesta sunt coram Ludovico VII Francorum Rege Baronius anno superiori num. LXVIII & seqq. narrat, ut ibidem insinuavimus. Hic verò pergit exponere nova Henrici Regis in Sanctum Thomam machinamenta, & Legationem Gratiani Subdiaconi ac Notarii Alexandri III, Eugenii III Papæ nepotis, & Viviani Cardinalium ab Alexandro III in Galliam, ubi Henricus Rex agebat, missorum, quæ apud Baronium legenda: Radulphus de Diceto Decanus Sancti Pauli Londinensis, qui hoc tempore vivebat, in Imaginibus Historiarum pag. 513. Gesta hoc anno in ea causa summariè his verbis refert: *Alexander Papa Regi Anglorum*, quam paternè, &c. *Thomas Cantuariensis Archiepiscopus Gileberto Londoniensi Episcopo*, Excessus vestros, &c. *Alexander Papa Regi Angliæ*, Serenitatem tuam, &c. *Inter Angliæ Regem & Archiepiscopum pacis reformandæ multi multoties operas impenderunt. Ad ultimum Vivianus & Gratianus Cardinales. Rex Anglorum & Archiepiscopus in quali quali concordia convenissent, nisi quia Rex Archiepiscopo signum pacis in osculo dare penitus abnegasset.*

II. *Alexandri III litera de hoc dissidio scripta.*

Prior Epistola, cujus initium, *quam paternè*, recitatur à Baronio num. XXXI, eâque Alexander III Henricum Regem hortatur, *ut potius flecti velit, quam contra Deum & salutem suam in tanta obstinationis proposito diutius permanere.* Epistola verò, cujus initium, *Excessus vestros*, est XXXIX libri tertii, eâque Gilberto Episcopo Londoniensi significat Sanctus Thomas se eum *ex justis & manifestis causis* excommunicasse, præcipitque, *ut ab omni communione fidelium* abstineat. Denique Epistolâ cujus initium, *Serenitatem tuam*, Alexander Papa Henricum Regem hortatur, *ut Thomam Archiepiscopum pro Deo & Ecclesia sua, & honore* suo, *nec non & totius regni* sui *in gratiam & amorem* suum *omni indignatione & rancore deposito, clementer* recipiat.

III. *Gesta in Italia inter Pontificios & Cæsareos.*

Ad num. XXXIX. Refert Baronius ex Actis Alexandri III *Guidonem Cremensem* Antipapam incurabili morbo percussum quandiu vixit pede claudicasse. Narrat etiam Romanos cùm *Albanum* cepissent, funditus destruxisse, sed de Tusculanis idem facere tentantes, Ecclesiam eis non consensisse. Verùm cùm Guido seu Paschalis III Antipapa anno superiori, ut ibidem ostendimus, interierit, ante præsentem annum ea pœna affectus fuit. Quoad Albanum hæc de eo Joannes de Ceccano in Chron. ad annum MCLXVIII: *Indictione prima mense Aprilis Romani cum Cancellario Imperatoris* (nempe Christiano in sedem Moguntinensem intruso) *& cum Præfecto Romæ perrexerunt super civitatem Albanensem, & destruxerunt illam à fundamentis, & non sinebant eam readificare. Prædictus Conradus Archiepiscopus* (nempe Moguntiæ) *voluit intrare in Campaniam cum exercitu Alexandri Papæ, ut subjugaret illam, sed non valuit, quia Comites de Ceccano resistebant ei fortiter.* Huc referendum quod hoc anno in Auctario Aquicinctino legitur: *Nova iterum Romanis consurgit ruina: quia cum Tusculanis bellum civile ineuntes, pene usque ad internecionem Romani deleti sunt. Hac de causa discordia magna inter Alexandrum Papam & Romanos orta est. Alexander Papa auxilia militum undecumque contrahens, cum Tusculanis Romanos, & Imperatori adhærentes debellabat. Fridericus autem Imp. Christianum Archiepiscopum Moguntinum Cancellarium suum cum valido exercitu in Italiam misit; qui Imperatoris hostes invadens, munitiones eorum destruxit, & civitates cepit, magnamque partem Italiæ Imperatori subegit.* Ubi Chronographus iste hæc omnia uno tenore refert.

IV. *Inimici Friderici favent Mediolanensibus.*

Mediolanenses in urbe sua reædificanda, & munitionibus magis firmanda magnam hoc anno operam posuêre; neque defuêre qui eis auxilia subministrarint, uti Henricus II Angliæ Rex, quemadmodum videre est apud Baronium num. t, & Manuel Græcorum Imperator Friderici infensus hostis. Nicetas Choniata lib. 7. de gestis ab hoc Imperatore ait, eum Italos contra Fridericum sæpe concitasse, & per Legatos hortatum, ut fortes viros se præberent, subditque: *Quodam tempore Mediolani mœnia sunt ab Alemannis diruta; sed cives jurejurando adstricti, se nunquam ea instauraturos, ita victores eluserunt, ut urbem principio profunda fossa munirent, se pacta & conventa violare negantes. Deinde Imperatoris auxilio freti ipsa mœnia reposuerunt.* Fallitur tamen Nicetas in eo quod ait, Mediolanenses jurasse se nunquam urbi suæ mœnia instauraturos; Puricellus enim Morenæ testis oculati verba refert, qui tantum asserit Mediolanenses jurasse, *quod parerent omnibus præceptis ejus*, nempe Friderici. Sed qui non dicat, eos in particulari jurasse se urbis suæ mœnia non reædificaturos.

V. *Pietas matronarum Mediolanensium.*

Hoc etiam anno, uti habet Galvaneus Flamma in Magno Chronico cap. 293. apud Puricellum in Monument. Basilic. Ambros. num. 441. *nobiles matronæ ex devotione ad beatam Virginem, quæ ipsas in suam civitatem reduxerat, Ecclesiam B. Mariæ Virginis Majorem, venditis annulis & ornamentis readificari fecerunt:*

Muneribusque datis, collectis undique turbis
Emicat aula Dei Genitricis janua cœli.

Idem legitur in Chronico, cui titulus, *Flos florum*, ad annum MCLXX, quia quod à matronis Mediolanensibus hoc anno inchoatum, videtur sequenti continuatum fuisse.

VI. *Henricus Friderici filius coronatur.*

Non hinc discedam, quin quæ Chronographus Reicherspergensis hoc anno de Friderico narrat, repræsentem: *Imperator celebravit Curiam generalem, & valde celebrem apud Babenberg. in diebus Pentecostes, quod evenerat tunc in VI Idus Junii, cui interfuerunt Legati, quos dixerunt* (legendum, direxerunt) *Cardinales illius* (nempe Callisti III,) *quem post mortem Guidonis Cremensis illa pars sibi quasi in Papam elegerant. Ubi ex consensu & collaudatione omnium Principum, qui aderant, filium suum* (nempe Henricum hujus nominis VI) *in Regem electum & coronatum post se regnare firmavit.* Errarunt itaque Chronographus Aquicinctinus & Sigonius lib. XIV de Regn. Ital. qui volunt Henricum

SÆC. XII. An. C. 1169.

ticum apud Aquisgranum coronatum fuisse. Pergit ReichersPergensis.

VII. *Fridericus Archiepiscopatum Saltzburgensem usurpat.*

Archiepiscopus Saltzburgensis antea ab Imperatore vocatus, cùm venisset illuc cum patre suo Rege Bohemorum, & præsentiam Imperatoris, & audientiam Curiæ expostulasset, admissus non est. Jam enim imperator firmaverat faciem suam adversum Ecclesiam Saltzburgensem; & ut exequeretur, quod dudum mente conceperat, venit in partes Bavariæ, & sic Saltzburg in principio mensis Augusti; propositum habens vastare & dissipare totam Episcopatum, si quis restitisset. Archiepiscopus autem persuasus à Principibus, maximè vero à Duce Austriæ avunculo suo, ut pro tempore cederet, quia dies mali essent, pensantes nimirum periculum & damnum, quod immineret claustris & aliis Ecclesiis, si Imperator in incœpto persisteret. Tunc dedit se in gratiam Imperatoris, & resignavit ipsum Episcopatum & omnia Regalia in gratiam ejus, præsentibus Principibus, sicque Imperator toto Episcopio Saltzburgensi pro velle suo potitus est. Loquitur Chronographus de Adalberto Saltzburgensi Electo, quem jam dixerat *Idibus Martii* hujus anni consecratum fuisse in Presbyterum & Archiepiscopum. De eo non semel infrà sermo recurrat.

VIII. *Excidium urbis Catanensis.*

Ad num. XLIX & seqq. *In Sicilia*, inquit Nangius in Chron. ad hunc Christi annum, *urbs Cathina* (seu Catana) *terræ motu subvertitur, ubi Episcopus, Clerus & Abbas de Mileto cum quadraginta Monachis, & ferè quindecim millia hominum perierunt.* Hanc cladem etiam huic anno illigat Continuator Sancti Petri Vivi; eam fusè narrat Baronius ex Hugone Falcando, qui in ea Historiam suam *de Calamitatibus Siciliæ* claudit, atque eam contigisse *quarto die Februarii in Vigiliis Sanctæ Agathæ.* Legenda quæ de hac clade Sicula habet Petrus Blesensis in Epist. XLVI ad Richardum Syracusanum Episcopum data, qua ei rationem reddit, cur in Siciliam redire nolit, quam post hunc terræ motum reliquit, & in Galliam Angliamque venit.

IX. *Willelmus filius Theobaldi III Archiep. Senonensis anno superiori dictus.*

Addit Nangius: *Obiit Hugo Senonensis Archiep. cui successit Guillelmus Theobaldi Comitis Campaniæ defuncti filius, frater Reginæ Franciæ Adelæ, qui erat Carnotensis Electus, sed nondum Episcopus consecratus. Hunc Senonis consecravit Mauricius venerabilis Parisiorum Episcopus.* Idem habet Vincentius Bellovacensis in Spec. Hist. cap. 17. quem San-Marthani in Archiep. Senonentibus, aliique passim secuti sunt. Verùm Continuator Chronici Sancti Petri Vivi hoc tempore vivens hunc errorem correxit, scribens: *Anno MCLXVIII mortuus est Hugo Archiep. Senonensis, cui successit Willelmus, XI Kal. Januarii consecratus.* Cùm enim eo Christi anno XI Kal. Januarii seu dies XXII mensis Decembris in Dominicam, quo die Episcoporum consecrationes de more fieri solitæ, incideret, nullum apud me dubium, quin ea consecratio ad superiorem Christi annum pertineat. Joannes Saresberiensis in Epistola LXV libri secundi Joanni Pictaviensi Episcopo data, &, uti ex ea eruitur, initio anni MCLXIX scripta, quantus vir fuerit Guillelmus his verbis insinuat: *Dominus Willelmus Papiensis interfuit ordinationi Carnotensis Electi, viri quidem magnæ spei, & famæ clarissimæ, & magnæ auctoritatis, & virium multarum in regno Francorum, qui Domino Cantuariensi & suis patrocinium, consilium & auxilium singulariter præstat. Vobis autem desiderat esse familiaris, & utinam quandoque, Deo propitiante, amicitiam ulteriùs ineatis. Non est enim in Clero Francorum, ut ex animi sententia loquar, qui eum prudentia & eloquentia antecedat.* Crebra Guillelmi in Annal. Ecclesiast. mentio.

SÆC. XII. An. C. 1170.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6663.
☉ 3. D. ☽ 12. P. 5. April. Indict. 3.
JESU CHRISTI 1170.
ALEXANDRI III PAPÆ 12.
FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 19. IMP. 16.
MANUELIS COMNENI IMP. 28.

Anno Æræ Hispan. MCCVIII. Anno Hegiræ DLXVI inchoato die 14. Septemb. fer. 2.

I. *Coronatio filii Angliæ Regis per Eboracensem Archiep.*

A Num. I ad LIV. Gervasius Dorobernensis quæ mortem Sancti Thomæ Cantuariensis Archiep. præcessêre, & secuta sunt, in Chronico suo accuratè explicat, cui magna fides habenda, cùm ipsemet ad annum sequentem scribat: *mihi Monachatum concessit eo anno, quo ipse fuit in Archiepiscopum sacratus* (anno nempe MCLXII). *Et ei professionem feci, & ipse me ad Sacros Ordines promovit.* Rex itaque Henricus hoc anno V Nonas Martii è Gallia in Angliam venit; quod cùm accepisset Alexander III, *renovavit mandatum ad Rotomagensem & Nivernensem, præcipiens, ut si necesse esset, in Angliam transfretarent omnibus modis Regem de pace commonituri.* Convenerunt interim die statuto ex mandato Regis ad Londoniam totius Angliæ Episcopi, Abbates, Comites, Barones, aliique, ipsaque die Rex Henricum filium suum in Regem ungi præcepit & coronari per Rogerium Eboracensem Archiep. quamvis Regum Angliæ coronatio ab antiquo tempore solius sit Cantuariensis Archiepiscopi. Facta illa consecratio *imminente solemnitate Sancti Joannis Baptistæ*, ut refert Baronius num. VII ex Quadripartita, seu, ut habet Annalista Mailrosensis, *XI Kalendas Junii in die dominica*, sed legendum, *XI Kalendas Julii*, qui in Dominicam incidit, post quem diem celebratum est festum Sancti Joannis Baptistæ VIII Kalendas Julii.

II. *S. Thomas Archiep. Cantuar. occiditur.*

Interim ex permissu Regis Angliæ Sanctus Thomas in Angliam reversus est, ubi *Kal. Decemb. cum multo honore & lætitia, & dulcissimis lachrymis à Clero & populo, & Conventu Cantuariensi susceptus est.* Ipsi suspensi & excommunicati pedibus Regis provoluti malo suo pacem factam esse dixerunt, asserentes quod ipsi & omnes, qui coronationi filii sui interfuerant, per Dom. Thomam Archiep. à Dom. Papa essent excommunicati. *His auditis, Rex plus quam suam deceret Majestatem iratus, & ferè jam extra se positus capit se miserum conclamare, asserens se ignobiles & ignavos homines nutrivisse, quorum nec ullus tot sibi illatas injurias voluerit vindicare. His igitur & ejusmodi Regis lamentationibus milites quatuor irritati, in ipsa nocte Dominicæ Nativitatis, quæ feria sexta fuit, juramento se constrinxerunt, & sic à Curia latenter in ipsa festivitate recesserunt.* Subdit Gervasius Sanctum Præsulem ab illis quatuor nobilibus, & Regi admodum familiaribus occisum fuisse. Diem mortis ejus notat Baronius num. XLIX ex Rogerio Hovedeno, qui ait, *quinta die Natalis Domini, id est, in crastino Innocentum ipse innocens occubuit*, quarto sc. Kal. Januarii currentis Christi anni. Scriptores enim Anglici, qui hoc Martyrium

SÆC. XII. An. C. 1170. tium anno MCLXXI contigiſſe tradunt, annum à die Natali Christi exordiuntur, ideoque die XXIX Decembris hujus anni jam numerant annum MCLXXI. Ad quod Æræ Christianæ apud Anglos initium varii recentes Scriptores animum non advertentes Martyrium hoc anno uno diſtulêre.

III. Martyrium S. Thomæ S. Godrico revelatum. Addit Hovedenus apud Baronium ibidem: *Eodem die paſſio B. Thomæ revelata eſt B. Godrico Anachoretæ per Spiritum Sanctum.* Sed Hovedeni hallucinationem non vidit Baronius. In Vita enim Sancti Godrici Eremitæ Finchalæ in Anglia à Galfrido Monacho coævo elucubrata, & ad diem XXI menſis Maii in Actis SS. Bollandianis recitata, num. LXIII dicitur ſanctum Thomam exequias Sancti Godrici celebraſſe, & num. ſequenti Sanctum Thomam ante mortem Sancti Godrici ad eum nuncium direxiſſe, apud ipſum exquiſiturum, *quem denique dolorum finem immanitas malorum inveniret*, ac Godricum reſpondiſſe: *Lætitiam et & triſtitiam annuncio: lætitiam quidem, quia Regiam in proximo amicitiam conſequetur, & cum honore plurimo Eccleſiæ ſuæ & ſuis reſtituetur, & majora naſcentur omnibus Anglis in ejus reditu gaudia, quam olim in exaltatis egreſſu reſonabant lamenta. Triſtitiam autem, quia ficta ſerenitas illa, mandita iniquitatis & crudelitatis repente obducetur nebula: & tunc Godricus non erit in carne victurus. Replica etiam & ſæpius repete, quia infra novem menſium terminum finis cum eo finietur ex omni parte.* Tum in fine Vitæ Godrici Galfridus ait: *Tranſiit vir domini Godricus anno Dom. Incarnat. MCLXX, converſationis ſuæ in vita eremitica anno LX, duodecimo Kalendas Junii, feria quinta, octava die Aſcenſionis Domini.* Guillelmus Neubrigenſis lib. 2. cap. 20. dicit ſe ſanctum Godricum vidiſſe, & allocutum eſſe *in Oratorio ſuo juxta ſacrum altare jugiter decumbentem*, narrataque ejus morte, ſubdit: *Idem loci ſpatium ejus nunc corpus occupat, quo vel orans procumbere, vel ægrotus decumbere conſueverat.*

IV. Goſtainlitata. A num. LIV ad LXII. Jam anno MCLXVIII diximus Legationem Manuelis Imperatoris ad Alexandrum III, qua offerebat unionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina, ſi Imperium Occidentale ſibi conferre vellet, ad eum Christi annum pertinere. Acta enim Alexandri III, in quibus hujus Legationis mentio, ſubdunt, *eodem tempore*, ut legere eſt apud Baronium num. LVI, Guidonem Cremenſem ſeu Paſchalem III Antipapam infelicem ſpiritum exhalaſſe; quam mortem eo Christi anno accidiſſe extra controverſiam eſſe debet. Quod verò Baronius num. LXI de donatione Tuſculanæ civitatis Eccleſiæ Romanæ facta habet, confirmatur ex Anonymo Caſinenſi, qui ad hunc Christi annum ſcribit: *Alexander Papa rediens à Benevento recepit Tuſculanum ad proprietatem Romanæ Eccleſiæ.* Spectant & ad hunc annum quæ narrat Joannes de Ceccano in Chron. *Indict. III menſe Martio die XV Kal. Aprilis venit Alexander Papa Verulas* (oppidum eſt Latii medium ferè inter Anagniam & Soram) *ordinavit ibi Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, & alios Ordines. Hoc autem anno miſit Imperator Conſtantinopolitanus neptem ſuam cum Epiſcopis Græcis & cum Comitibus, & cum multis militibus, & cum magna pecunia ad Alexandrum Papam, ut daret eam in conjugio Odoni Frazapanis de Roma, qui apud Verulas eam conjugavit, & tunc ipſe Odo cum ea reverſus eſt Romam. Poſt hæc prædictus Papa Alexander fecit fabricare Eccleſiam apud Verulas ex ſua pecunia pro elephantioſis, in qua obtulit multa dona. Quinto Idus Martii Papa Alexander venit ad Eccleſiam ſanct. Petri e Canneto, & profectus eſt ad Verulas. Septimo Idus Madii tam vehemens fuit terræ motus, quod pleroſque muros civitatis deſtruxit, quod per ſe etiam ſonaverunt campanæ.*

V. Armeni cum Eccleſia Conſtantinopolitana uniuntur. Ad num. LXII. Florebat hoc tempore *Theorianus* ſub Manuele Græcorum Imperatore, à quo in Armeniam miſſus eſt hoc anno, ut Armenes ad veram fidem & Græcæ Eccleſiæ ritum revocaret. Scripſit Dialogum *Orthodoxi cum Catholico*, id eſt cum Patriarcha Armenorum, & *Geſta Legationis ſuæ*, in quibus egregiè diſſerit adverſùs hæreſim Eutychianam. Extat luculentum illud Opus Tom. I Biblioth. Patrum Græco-Lat. Cùm enim Armeniorum natio ſuis Ducibus & Epiſcopis deſtituta hæreſes ſuas in adjacentes nationes diſſeminaret, & periculum fidelibus immineret, *Theorianus* anno mundi 6678. qui Christi eſt MCLXX, juſſus eſt Legationem illam obire. Tunc Armenii aſſerebant unam in Christo naturam, verba Cyrilli non bene intellecta ad ſui dogmatis probationem adducentes, quæ ille ad Neſtorium ſcripſerat, *Unam eſſe naturam Verbi incarnati.* Verebantur enim, ne ſi dicerent duas in Christo naturas, in Neſtorii hæreſim inciderent, per duas naturas duas perſonas introducentes, & Quaternionem pro Trinitate adorarent, propter naturæ alterius acceſſionem. Conficiebant Chriſma ex oleo ſeſamino, non olivatum; cauſam afferentes, quòd in Armeniorum regione propter frigus non eſſent oliveta; ideoque ita cogente neceſſitate, oleum quod in ipſa regione reperiebatur, ad uſum Chriſmatis uſurpabant. Tantummodò Miſſam intra templum celebrabant, ingrediente ſolo Pontifice; reliquo populo, etiam Sacerdotibus foris ſtantibus; cetera officia extra templum: neque enim fas erat coinquinatis in illud ingredi. His & ſimilibus cùm *Armeni* infecti eſſent, Theorianus variis diſceptationibus cum eorum Catholico & aliis id effecit, ut erroribus propulſatis veritatem amplecterentur, & unirentur cum Eccleſia Conſtantinopolitana, ut fusè proſequitur ipſe Theorianus.

VI. Alexandrini urbem ſuam Eccleſiæ Rom. tradunt. Populus novæ Alexandriæ nuper à Longobardis ædificatæ ſe ſe Alexandro III & Eccleſiæ Romanæ tradidit, ut eruit Ughellus in Italia Sacra Tom. IV ex Regiſtro MS. Innocentii III. In Inſtrumento hoc Christi anno & *XI anno Pontificatus Domini Alexandri III, menſe Januarii, tertia indictione* ſcripto leguntur nomina ſexdecim Cardinalium ſubſcriptorum, eoque Conſules & populus Alexandrinus offerunt Alexandro III & ſucceſſoribus ejus in perpetuum *terram ſcilicet proprii juris noſtri*, inquiunt, *quæ eſt infra prædicta civitate, quam populus ipſius civitatis ad conſtruendam ibidem Eccleſiam emit, & per eamdem inveſtituram volumus terram ipſam omni tempore Romanæ Eccleſiæ jure precario pertinere*, &c. *Ego Falco Notarius & Scriba ſacri Palatii Beneventani*, quia tunc Curia Romana, ipſeque Pontifex in ea urbe erant.

VII. Corpus S. Ambroſii nunquam Puricellus in Monument. Baſilic. Ambroſ. num. 510. hoc anno Chartam exhibet ex archivis Eccleſiæ Sancti Ambroſii eductam, ſcriptam-

SÆC. XII. An. C. 1170. *Mediolanensibus ereptum fuit.*

que *anno Dom. Incarnat. MCLXX, XI die mensis Novembris indict. IV* qua Amizo Abbas Ecclesiæ & monasterii beati Ambrosii, *ubi eius sanctum requiescit corpus, constructis foris non multum longè à civitate Mediolani* quemdam massarium seu custodem constituit. Qua ex Charta corpus sancti Ambrosii anno quo Mediolanensis civitas destructa, in aliam regionem translatum non fuisse apparet. Amizo enim jam ab anno MCLVI, ut demonstrat Puricellus num. 414. Abbas erat præfati monasterii, & præsens fuerat obsidioni & desolationi patriæ suæ, & tamen testatur hoc ipso tempore sancti Ambrosii corpus in præfato monasterio quiescere.

VIII. *Oriens magno terræ motu concutitur.*

In festivitate Apostolorum Petri & Pauli subito terra motus ingens & horridus in Oriente ultra mare Græcia urbes plurimas & Castella cum suis habitatoribus subversas obruit, Tripolim, Gibellum, Laodiciam, Antiochiam & castella quamplurima; sed & terra Gentilium eodem terræmotu miserabilius cum eorum innumerositate periit, inquit Annalista Mailrosensis ad hunc Christi annum, cui suffragantur Continuator Chronici sancti Petri Vivi, Chronographus Vezeliacensis, Nangius in Chron. & Tyrius lib. XX cap. XIX, qui licet annum non exprimat, fusius tamen aliis de eo terræ motu agit.

Anno Eræ Hispan. MCCIX. Anno Hegiræ DLXVII inchoato die 8 Septemb. fer. 3.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6664.

☉ 4. C. ☽ 13. P. 28. Mart. Indict. 4.

JESU CHRISTI 1171.

ALEXANDRI III PAPÆ 13.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 20. IMP. 17.

MANUELIS COMNENI IMP. 29.

I. *S. Thomas post mortem miraculis coruscat.*

ANNO. I ad XII Radulphus de Diceto in Imag. Hist. pag. 555. postquam mortem sancti Thomæ Archiep. Cantuariæ narravit, ad annum MCLXXI, quem à die Natalis domini exorditur, ait: *Corpus Archiepiscopi, quod à dextris altaris sancti Benedicti decubuerat in pavimento, ante majus altare sub ipso dies crepusculo deportatum est. Ubi quod ad notitiam Cubicularis solius devenerat, astantibus venit in lucem. Licet enim Archiepiscopus habitum Monachalem, quem à tempore multo satis occultè susceperat, Canonicali habitu suppressisset, carnem attritam cilicio femeralibus cilicinis edomare curabat.* Post aliqua interposita subdit: *Circa Pascha dominus Jesus Christus, qui in Sanctis suis semper est, & ubique mirabilis, Gloriosissimi Martyris sui Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi vitam laudabilem, & insuperabilem in morte constantiam crebris cæpit irradiare miraculis, ut qui pro tuenda libertate periclitantis Ecclesiæ suam, & suorum proscriptionem tot annis sustinuit* (nempe utrimque incompletis) *dignum cognoscatur ab omnibus reportasse triumphum.*

II. *Henricus Angliæ Rex Hiberniam expugnare jamdiu decreverat.*

Ad num. XII Baronius anno MCLIX num. XXI & seq. refert Diploma Hadriani Papæ datum ad Henricum II Angliæ Regem, quo testatur se pium eius desiderium *Hiberniam* ingrediendi, & dilatandi Ecclesiæ terminos, plurimùm laudare, sed quia ante præsentem annum Henricus II expeditionem illam non suscepit, Alfordus hoc anno num. XXXVI & seq. de sinceritate illius Diplomatis dubitat, quòd, inquit, Matthæus Parisiensis & aliqui antiqui rerum Anglicarum Historici illius non meminerint. Verùm jam anno MCLIX Matthæum Parisiensem & Radulphum de Diceto, qui hoc seculo vixit, citavi, & utrique nunc addo Giraldum Cambrensem, qui hoc etiam tempore vivebat. Is lib. 2. de Rebus à se gestis cap. 10. loquens de Joanne ab Henrico II patre cum magno apparatu in Hiberniam misso ait, nihil profecisse, *quòd Deo & Ecclesiæ nullum in partibus honorem facere disponebat. Quamquam propter hoc præcipuè ut Ecclesiam Hibernicam extolleret, & exaltaret, & denarium sancti Petri sicut in Anglia, sic in Hibernia dari faceret, pater ipsius intrandi in Angliam, sibique subjugandi ab Ecclesia Romana licentiam impetravit; quemadmodum ex Privilegio Hadriani Papæ super hoc obtento apertè declaratur.* Tum cap. sequenti integrum illud Diploma recitat, quod & jam in libro *Expugnationis Hibernicæ* etiam retulerat. Quare Diploma illud omni ex parte sincerum & genuinum.

SÆC. XII. An. C. 1171.

III. *Eum hoc anno subjugavit.*

Expeditionem Hibernicam, quam hoc anno Henricus II suscepit, plures descripsêre, inter quos Gervasius in Chron. qui ad hunc Christi annum ait, Henricum Regem III Nonas Augusti exercitu non modico congregato in Hiberniam navigasse, subditque: *Tribus autem, ut fertur, de causis Hiberniam adiit. Nam Comes Ricardus nepos Hervei de Monte Mauricii iram Regis ante annos tres incurrerat, adeo ut neque per se, neque per suffectas personas Regem placare valeret, nec ea quæ sui juris fuerant, in pace possidere valeret. Unde prædictus Comes tristis effectus licentiam abeundi petiit & obtinuit. Assumtis itaque secum paucis commilitonibus & armigeris, avunculum suum Herveium, qui terram prius exploraverat, in Hiberniam navigavit* (deest aliquod verbum). *Consilio itaque dato & accepto consideraverunt terram spatiosam simul & speciosam, sed cultore vacuam, ceperunt prædari, & homines simplices & seminudos depopulari. Sicque paulatim in dies crescens terram non modicam, sed incultam, circa litus maris obtinuit. Tandem Dubliniam civitatem egregiam adeptus, Hibernienses cœpit acriùs infestare. Unde Reges & incolæ terræ irritati, crebris insultibus pro modulo suo eos propellere gestierunt. Sed cùm eis paucioribus quidem numero, sed prudentioribus consilio, sequo fortioribus prævalere non possent, Legatos miserunt ad Regem Angliæ, ut in Hiberniam veniret, eisque contra importunitatem Ricardi Comitis succurreret, sibique Dominium Hiberniæ assumeret. Comes autem Ricardus metuens, ne sibi Rex quod acquisierat, subtraheret, missis nunciis quod acquisierat Regi obtulit, sic tamen ut illud de Rege teneret.*

IV. *Reguli & Præsules ei fidelitatem jurant.*

Hæ sunt duæ causæ quare Rex Hiberniam petiit, vocatio scilicet Hiberniensium, ut contra Ricardum defenderentur, & vocatio Ricardi ne contrà eum protegerentur. Tertia verò summa, ut existimo, erat & præcipua, videlicet ut sententiam interdicti, si fortè daretur, faciliùs declinaret, vel occultiùs observaret. Quæcumque autem sui adventus occasio fuerit, ipse cum CCCC, ut fertur, navibus in Hibernia circa festum Callisti Papæ applicuit. Summo igitur cum honore, subdit Gervasius, ab incolis terræ Anglis, & aliis receptus ei fidelitatem sicut domino juraverunt Reges Corcensis, Limeticensis, & Reges de Osseria & de Mida. Rex Cognagensis

Regi

SÆC. XII. An. C. 1171. Regi Angliæ nec occurrere, nec fidelitatem præstare dignatus est. *Dicebat enim totam Hiberniam de jure suam esse, ceterosque Reges terra illius sua ditioni subjugari debere. Quo in suo jure juste vel injuste pertinaciter persistente, cum Regibus ceteris juraverunt* Archiepiscopus Armachanus & Hiberniæ Primas, Archiepiscopus Cassellensis, Archiepiscopus Dubelinensis, & Archiepiscopus Guaimensis, & omnes horum suffraganei, à Gervasio ibidem nominati, & Angliæ Rex eodem anno cum gaudio in Angliam remeavit. Neubrigensis lib. 2. cap. 26. in aliqua circunstantia à Gervasio discrepat, observatque quod licet Britannia toties externam dominationem incurrerit, Hibernia tamen *Romanis etiam Orchadum insularum dominium tenentibus, inaccessa*, nunquam externæ subiacuerit ditioni *usque ad annum MCLXXI.*

V. *Expeditio illa ab hoc anno removeri non potest.* Quare Neubrigensis, sicuti Gervasius, Henrici II Angliæ Regis expeditionem in anoum currentem confert; neque id in dubium revocari potest; cùm Hovedenus in part. II pag. 527. referat Regem cum exercitu suo naves ascendisse *in portu de Milford sabbato XVII Kal. Novemb.* & *in crastino* applicuisse *in Hibernia.* Paulò pòst: *In crastino adventûs Regis Angliæ in Hiberniam, scilicet XV Kal. Novemb. feriâ II festo sancti Lucæ Evangelistæ, ipse & omnes exercitus eius profecti sunt usque Waterferd civitatem Episcopalem*, & ibi moram fecit per XV dies, ubi ab omnibus Archiepiscopis, Episcopis & Abbatibus totius Hiberniæ receptus est in Regem & Dominum Hiberniæ, ideoque hoc anno, ut illæ temporariæ notæ certò demonstrant. Addit Hovedenus Angliæ Regem misisse Nicolaum Capellanum & Radulphum Archidiaconum *unà cum Archiepiscopis & Episcopis Hiberniæ usque ad Cassellensem civitatem ad celebrandum Concilium*, cujus aliqua decreta summariè refert. *His ita apud Waterford factis, Rex Angliæ perrexit inde usque Divelino* (idest, Dublinum, ut alibi demonstravimus), *& ibi moram fecit à festo sancti Martini, usque ad caput Jejunii.* Paulò pòst: *Cum Regibus & Principibus Hiberniæ festum solemne tenuit die Natalis Domini*, præsentis sc. anni, cùm ex iis, quæ Baronius anno sequenti num. VI refert, constet, eo anno, exeunte Septembri; Angliæ Regem versatum esse in Normannia.

VI. *Sicut & Concilium Casiliense.* Concilium itaque *Casiliense*, de quo Hovedenus citatus, & Giraldus Cambrensis in Hibernia Expugnata lib. 1. cap. 33. quod integrum refert Labbeus Tom. X. Concil. præsenti anno congregatum, non verò in sequenti, ut perperam ab eo collocatur in eodem Tom. Concil. quasi id tam Hovedenus, quàm Giraldus Cambrensis assererent. Hovedenus enim potius contrarium insinuat, & Giraldus Cambrensis tam in anno Concilii quàm in anno expeditionis Hibernicæ Henrici Regis, quem sequentem fuisse tradit, hallucinatus est. Audiendus Bromtonus in Chron. ad annum MCLXXI: *Rex circa festum Sancti Leonardi* (quod die sexta mensis Novemb. celebratur, ut videre est in Martyrologio Rom.) *misit Nicolaum Capellanum suum & Radulphum Archidiaconum de Landaf Clericum suum, qui cum Archiepiscopis & Episcopis Hiberniæ apud Casselensem civitatem vocante Papa magnum Concilium celebrarunt.* Durante Concilio *Rex circa festum sancti Martini usque Dublinniam interea venit*, &c. *& in Natali Domini Regale tenuit festum*, quibus verbis Bromtonus claudit narrationem suam de gestis hoc anno in Hibernia. Quare hujus Concilii epocha certa.

VII. *Moritur Henricus Episc. Vintoniensis.* Obiit hoc anno *Henricus* Vintoniensis Episcopus Henrici Angliæ Regis hujus nominis primi ex Adela sorore nepos, & Stephani Angliæ Regis frater, qui non minor animo & virtutibus, quàm natalibus fuit. Ordinem Cluniacensem ingressus monasterii Glastoniensis Abbas creatus est, & evolutis tribus annis in Episcopum Vintoniensem promotus anno MCXXIX. *Sanctum Guillelmum* hujus nominis I nepotem suum, & *sanctum Thomam* Archiepiscopos consecravit, illum Eboracensem, hunc Cantuariensem, ac utrumque in adversis, in quantum potuit, sublevavit & adjuvit. *Utinam*, inquit Giraldus Cambrensis lib. de Jure Menevensis Ecclesiæ part. II distinct. VII, *cuidam Episcopo nostri temporis Vintoniensi*, sc. Henrico, *tam animis quàm atavis nobilitate conspicuo, similes essent Episcopi nostri; qui in senectute bona & sancta constitutus, biennio ante obitum suum integro, nihil omninò proprium penès se retinens, cunctas propemodum possessiones suas in charitatis opera largiendo dispersierat; quotidianam tantum refectionem suam tenuem admodum & exilem vix sibi cum paucis cubicularis Monachis ac Clericis suis sive Ministris suscipiendo; terras tamen Ecclesiæ suæ atque maneria cuncta, tanquam bonus & fidelis dispensator, posteris exemplum præbens, plena bonis & usque ad summum instaurata reliquit. Et sic in orationibus continuis, disciplinis quotidianis & crebris, ac confessionibus & pœnitentiis vitam hanc terminans, Cantuariensem* (nempe sanctum Thomam), *qui paulò antè præcesserat, rubeis indutum, roseisque coronis, puniceis, coccineisque decenter ornatibus purpuratum, nivè nitidior, longèque lacte candidior, liliorum sertis undique septus, Vintoniensis feliciter est secutus*, hoc nempe anno uti Radulphus de Diceto pag. 557. et Annales Ecclesiæ Vintoniensis Tom. I Angl. Sacræ fidem faciunt.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6665.

☉ 5. B A. ☽ 14. P. 16. April. Indict. 5.

JESU CHRISTI 1172.

ALEXANDRI III PAPÆ 14.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 21. IMP. 18.

MANUELIS COMNENI IMP. 30.

Anno Æræ Hispan. MCCX. Anno Hegiræ DLXVIII inchoato die 23. Aug. fer. 4.

I. *Angliæ Rex à cæde S. Thomæ absolvitur.* ANum. I ad XIII. Neubrigensis lib. 2. cap. 25. narrata Sancti Thomæ Cantuariensis morte de Henrico II Rege Angliæ ait: *Tum Rex, dum ferè omnes in eum beati viri necem refunderent, & Francorum maximè Principes, qui felicitatis ejus æmuli semper extiterant, adversus eum, tanquam in verum, certumque tantæ enormitatis auctorem, Sedem Apostolicam instigarent, Responsales Romam direxit, ut precum verecundia ferventem invidiam temperaret. Qui cum Romam venissent* (anoo sc. superiori), *cunctis Regem Anglorum execrantibus ægrè admissi sunt. Constanter verò allegantes, quod domini sui mandato, sive consensu tantum facinus non fuisset commissum; tandem impetraverunt, ut à latere domini Papæ Legati in Gallias, cum plenitudine potestatis mitterentur: qui re diligenter inquisita &*

Tom. IV. Hbh 2 cognita,

nomine Gregorii VIII), *& Theodinus, in Gallias venerunt, factoque in terra Regis Anglorum celebri Conventu Ecclesiasticorum virorum atque nobilium* (apud Abrincam civitatem currenti anno) *ejusdem Principis humiliter ibidem apparentis, & constanter asserentis, quod sua neque voluntate, neque jussione illud, quo fama ejus gravabatur, contigerit, & quod de nulla re unquam magis doluerit, purgationem solemniter susceperunt.* Quod fusiùs Baronius narrat.

II. *D. Thomæ Cantuariensis coexules & discipuli.*

Ad num. XIII Meminit Baronius Catalogi Eruditorum beati Thomæ Martyris, quem Lupus Tom. I Epistolarum divi Thomæ pag. 156 & seqq. ex Bibliotheca Vaticana publicavit. Illorum plerique *Sanctum Thomam* exulem secuti sunt, & ex his unus Catalogum illum composuit; cùm in elogio Joannis Sarisberiensis Auctor Catalogi scribat: *qui ob præclara, non ut reputabat, sua, sed potius Martyris merita, gloriosè citò post Domini nostri Martyrium à patria sua Dei vocatione evocatus, in Senonensi provincia, in qua Nobiscum exulaverat, in Carnotensem Episcopum promotus est*, & quidem anno MCLXXVI, ut ibi dicemus. A Baronio numeratur ibidem inter Eruditos divi Thomæ *Hugo natione Romanus, idemque in Episcopatu successor Gerardi* Episcopi Coventrensis, cui ipse Hugo successit. Verùm loco, *Romanus*, legendum, *Normannus*; Giraldus enim Cambrensis, Scriptor coætaneus ac Britannus, in Hugonis Nonant Episcopi Coventrensis Vita, quam Wartonus Tom. II Angliæ Sacræ pag. 351. principio mutilam recitat, cap. XXIV de ejus obitu loquens ait: *Cùm in natali suo Normanniæ solo vir ille venerabilis gravi correptus morbo decubuisset.* In editione Lupi idem ac in editione Baronii legitur, quia verosimile est utrumque eodem manoscripto, forsàn unico, usum esse. In eadem Lupi editione *Hugo Nonant*, vel *de Nunant*, ut ab omnibus Historicis Anglis vocatur, dicitur *Hugo cognomento Teminant*, sed in ea voce, sicut in voce *Romanus*, ab exscriptore etiam peccatum. De *Hugone Nonant* loquitur Baronius anno MCLXXXIV num. II alibique, eumque *Hugonem de Nunant* rectè appellat. Quæ duæ emendationes certæ.

III. *Adelbertus frustra petit restitui in Archiepiscopatum Salzburgensem.*

In Chronico Reicherspergensi hoc anno legitur: *Imperator celebravit Curiam in civitate Saltzburg in hebdomada Quinquagesimæ, qua evenerat tunc in XI Kal. Martii* legendum, *IV Kal. Martii*; hic enim annus bissextilis fuit). *Illuc quoque Archiepiscopus, licet non vocatus ab Imperatore, repente tamen, dum Curia haberetur, cum paucissimis supervenit; sed gratiam Imperatoris non obtinuit, Adalbertus* sc. Saltzburgensis Archiepiscopus, quem suprà diximus coactum fuisse resignare Archiepiscopatum suum, quòd Imperator eum admittere nollet. Quid postea acciderit, anno MCLXXIV referemus.

IV. *Pax inter Alexandrum III & Romanos pacta.*

Joannes de Ceccano in Chron. hoc anno scribit: *Indictione quinta Alexander Papa fecit finem* (idest, in concordiam rediit) *cum Romanis. Destruxerunt muros civitatis Tusculanæ mense Novembri.* Sigonius tamen lib. XIV de Regn. Ital. ad hunc Christi annum ait, Romanos prævalente Imperialium factione noluisse polliceri

... glia natum, qui successu temporis factus est Monachus Cisterciensis, & continuavit Sermones Sancti Bernardi in Cantica Canticorum, eo Christi anno vivere desiisse. Verùm in Chronico Clarævallensi à Petro Francisco Chiffletio, post illorum Annalium editionem promulgato, Gilberti seu Gileberti emortualis annus disertè his verbis narratur: *Anno Domini MCLXXII Gislebertus quondam Abbas de Hoillandia in Anglia, qui fecit Sermones super Cantica Canticorum in modum beati Bernardi apud Ripatorium obiit*, ideoque in Gallia; Ripatorium enim, vulgò *la Rivour*, Abbatia est Ordinis Cisterciensis in diœcesi Trecensi sita.

Obitus Gilberti de Hollandia.

VI. *Obitus Stephani III Hungariæ Regis.*

Obiit etiam hoc anno Stephanus III Hungariæ Rex, *Kalendis Februarii feriâ primâ*, ut legitur in Chron. Thwroczii, sed loco, *Kalendis Februarii*, legendum, *III Kal. Februarii*, ut feria prima demonstrat. Post Stephanum III Stephanus IV frater ejus paucis mensibus coronam usurpavit, sed postea regnavit *Bela* hujus nominis III, qui frater ejus etiam fuit, vixitque usque ad annum MCXC.

VII. *Saladini Principatus exordium.*

Salahadinus primitus quidem leno gentilis apud Damascum, post ab Eufrido de Torone illustri Palæstinæ Principe Christiano Miles factus, cùm apud Ægyptum militaret, Molanum Regem Ægypti proditiosè perimens totius Ægypti obtinuit Principatum, inquit Nangius in Chron. qui addit, eum toti ferè Orienti postea imperasse. Salahadinus Ægypti Imperium restituit Habbasidis, *postquam illud amiserant plusquam ducentorum annorum spatio*, ut inquit Auctor Chronici Orientalis. Quantum Christianorum res *Salahadinus* in Oriente depresserit, suis locis videbitur.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6666.

☉ 6. G. ☽ 15. P. 8. April. Indict. 6.

JESU CHRISTI 1173.

ALEXANDRI III PAPÆ 15.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 22. IMP. 19.

MANUELIS COMNENI IMP. 31.

Anno Æræ Hispan. MCCXI. Anno Hegiræ DLXIX inchoato in XII Aug. fer. 6.

I. *Angliæ bellum intestinum & exitus ejus.*

AD num. VIII & seqq. Hoc anno tantum erupit in Anglia incendium, ut omnes *Henrici* II Angliæ Regis ditiones crudelissima clade obruisset, nisi anno sequenti pax coaluisset. Ex una parte conjuraverant adversus eum *Henricus* filius, & fratres *Richardus & Joannes* cum *Eleonora* matre, & ad easdem partes accessére *Ludovicus* VII Francorum Rex, ac plurimi Optimates, Duces & Principes. Nec dubitatum, quin hoc ei malum ob necem Sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, hoc anno in Sanctorum numerum relati, uti refert Baronius num. I & seqq. acciderit. *Henricus* Rex pater videns se undecumque urgeri, & ab iis qui eorum fautores erant, *Ludovico* Franciæ, *Gulielmo* Scotiæ Regibus, *Philippo* Flandriæ Comite, aliisque ad Alexandrum Papam confugit, ejusque auxilium tam contra eos, quàm contra filios imploravit. Epistola tunc ab eo scripta nunc

Petri

SÆC. XII. An. C. 1173. Petri Blesensis ejus Secretarii, quæ ordine est CXXXVI, recitatur à Baronio num. IX & seqq. Hujus dissidii initium his verbis notavit Continuator Chronici S. Petri Vivi ad hunc Christi annum : Mense *Martio discordia inter patrem & filium Reges, scilicet Anglorum, nata est.* Duravit hæc rerum confusio usque ad annum sequentem exeuntem, quo finem accepit. Gervasius enim in Chron. ad annum MCLXXIV de Henrico Rege loquens, ait : *In crastino post festum Sancti Michaelis filios suos in gratiam recepit. Sicque pace Regis undique firmata*, &c.

II. *Translatio S. Vincentii Martyris.* Corpus *Sancti Vincentii* Levitæ & Martyris hoc anno ad Ulyssiponensem Ecclesiam translatum, ut legitur in Historia hujus Translationis apud Bollandum ad diem XXII mensis Januarii, quo Sanctus Vincentius colitur. Stephanus Præcentor Ulyssiponensis qui eam scripsit, plurimum laudat Alphonsum Portugalliæ Regem hujus nominis primum, Translationis auctorem, atque : *In his laudum præconiis Regis Alphonsi strenuitas admodum affulsit, qui suam potentiam ad Ecclesiæ dilatationem adeo frequentibus bellis exercuit, ut nunc cùm sit ætate maturus & senex, non solum vicinis, sed etiam ceteris fodeat Regibus formidabilis; hostesque malint cum eo pacem aut amicitiam experiri, quam bellum. Lusitaniam quoque terminis adeo auxit, quod potissima pars ejus ab hostibus fides libera populisque repleta fidelibus, uberes domino gratias & sacrificia laudis exsolvit. Si loca quis diligens contemplator inspexerit, quæ Rex illustris aut divinis cultibus contulit & religioni, aut quæ mœnibus & populis ad regni firmitatem & hostium infirmationem seu ampliavit, seu denuò construxit, profectò fatebitur, quantum humano licebit judicio; ipsi divinam gratiam contigisse felicem.* Narrat postea Stephanus factam iracula in hac Translatione, atque eam hoc Christi anno, Alphonsi Regis XLV, XVII Kal. Octob. factam esse ad totius regni, maximeque populi Ulyssiponensis felicitatem. Verùm cum hoc anno dies XV mensis Septemb. seu dies XVII ante Kalendas Octob. in feriam septimam inciderit & hic annus XLV regni Alphonsi esse non possit, ut ex dictis liquet, errorem in numeros irrepsisse existimandum. Andreas Resendius, qui seculo XVI floruit, Doctam de ea Translatione & de anno, quo ea facta, Epistolam scripsit, sed nonnisi aliqua ejus fragmenta videre licuit. Nicolaus Antonius præfatum Stephanum in Biblioth. Hispanica omisit.

III. *Rupta inducia inter Alphonsum Castellæ, & Sancium Navarræ Reges.* *Alphonsus* VIII Castellæ Rex inducias nuper cum *Sancio* Navarræ Rege sancitas rupit, qua de re queruntur *Sancii* Legati apud Henricum II Angliæ Regem, offeruntque se illud probaturos ex tractatu induciarum, qui apud Hovedenum part. priori pag. 562. & seqq. recitatur; quos jure merito questos esse ostendit Moretus in Investigat. Navarr. pag. 665. quia erâ MCCV, qui Christi est MCLXVII, induciæ in decem annos constitutæ fuerant, & tamen in sexto Alphonsus VIII terras Rioiæ jam annis invaserat; & in archivis Calahorræ servatur scriptum, in quo legitur: *In era MCCXI quando Rex Alphonsus Castellanus obsedit Granio, & cepit eum fame de manu Regis Navarra, Alvaro Vacchio tenente.* Granio oppidum est in Rioiæ confiniis positum Burgos inter & Naiaram. Præterea Alphonsus VIII cùm die ultimo Martii sequentis Christi anni Segoviæ versaretur, Chartam dedit cum Leonora Regina Henrici II Angliæ Regis filia, quam anno MCLXX uxorem duxerat, in qua legimus: *Facta charta Segoviæ erâ MCCXII, secundo Kal. Aprilis anno sequenti, quo serenissimus Rex Aldephonsus Sancium Navarrorum Regem devicit, & Pampilonam usque pervenit.* SÆC. XII. An. C. 1173.

IV. *Moritur Noradinus Turcorum Princeps.* *Noradinus*, inquit Tyrius lib. XX cap. XXXIII *maximus nominis & fidei Christianæ persecutor, Princeps tamen justus, vafer & providus, & secundum gentis suæ traditiones religiosus, regni ejus anno vicesimo nono, mense Maio defunctus est. Hujus defectum Rex audiens* (nempe Amalricus III, qui Jerosolymis regnabat), *confestim sine dilatione universas convocans regni vires, urbem obsidet Paneadensem. Quod audiens prædicti uxor Principis* (sc. Noradini) *vires transcendens fœmineas, missa Legatione ad Dominum Regem, ut ab ea obsidione discedat, eique pacem concedat temporalem, certam pecuniæ in multa quantitate summam promittit: quam Rex, ut ampliorem extorqueret, prima fronte visus est respuisse, obsidionem nihilominus continuans. Cumque ibi per dies quasi quindecim, vigili opera & studio diligenti obsessos impugnasset, & tam machinis quam modis aliis multiplices eis molestias intulisset, videns eos ad resistendum, singulis diebus animosiores, & plenius cognosceas quod non proficeret, & prædicta nobilis matrona Legatis pro pace impetranda instarent vehementius, suscepta pacta pecunia, & viginti captivis equitibus de nostro populo libertati restitutis, animo majora concipiens, soluta obsidione reversus est.* Nangius in Chron. tam Amalrici III Jerosolymorum Regis, quàm Noradini Turcorum Regis, qui apud Damascum regnabat, mortem in annum sequentem perperam differt, ut ex mox dicendis liquebit, rectè tamen subdit: *Cujus uxorem Saladinus occupator Ægypti sibi matrimonio copulans, cum ipsa regni regimen, fugatis heredibus, occupavit; deinde terra Roasia & Gesira occupata, circùm jacentia regna usque ad intima citerioris Indiæ nunc dolis nunc armis expugnans, de sceptris pluribus Monarchiam efficit, Babyloniæ & Damasci sibi vendicans Principatum.*

V. *Ejus regnum arripit Saladinus.* Audiendus Neubrigensis lib. 3. cap. 10. ut Annales Ecclesiastici hac in parte magis suppleantur: *Mortuo Noradino Rege Syriæ & Mesopotamiæ, qui populo Christiano post patrem Sanguinum, virga furoris Domini fuerat: surrexit pro eo Saladinus, non jam virga, sed malleus. Hic Saraconis nepos, qui Saraco (ut superius dictum est) Princeps militiæ Noradini extiterat; illi defuncto in eodem Principatu successit, homo astutia singularis, & mille nocendi artibus instructus. Mortuo autem Noradino, uxoris ejus connubium appetivit, eaque tradente Damascum, & fines ejus accepit. Cumque esset militia Turcorum gratissimus, vires artibus, & artes viribus juvans exheredato Noradini filio amplissimum regnum ejus obtinuit. Mox in Ægyptum arma transferens, assumptis terræ illius Principibus locupletissimum arripuit regnum Babylonis* (non illius Babylonis, de qua Scriptura Sacra loquitur, sed cujusdam Ægyptiæ civitatis, cui, ut legitur, Cambyse Rex Persarum subacta Ægypto à se conditæ nomen indidit Babylonis, ut habet idem Neubrigensis lib. 2. cap. 23.). *Lybia quoque atque Arabia potitus, nactus est nomen grande, super nomen alterum Magnorum, qui sunt in terra. Denique* (ut dicitur) *octo regnis ditissimis præsidens, parum tamen à se actum putabat, dum Christiani magno, idest Mediterraneo mari ab Orbe reliquo Christiano seclusi, Jerosolymam*

escam panis, & trophæum Crucis Christi avellere à partibus Orientis, ubi prius erectum est, ut quæ infra narrabimus evidenter demonstrabunt.

VI. *Moritur Amalricus III Jerosolymorum Rex.* Tyrius loco laudato narrata *Noradini* morte ait, post expeditionem adversus urbem Paneadensem susceptum Amalricum III Jerosolymorum Regem cœpisse febre vehementissimè laborare, & ingravescente valetudine in fata concessisse: *Mortuus est autem*, inquit, *anno ab Incarnat. Domini MCLXXIII, quinto Idus Julii, regni verò duodecimo, mense quinto* (anni nempe duodecimi): *ætatis verò tricesimo octavo.* Quare verum est quod anno MCLXIII diximus, Amalricum III anno MCLXII mense Februario Regnum iniisse, & *Noradinum*, ut mox narravimus, qui duobus circiter mensibus ante Amalricum III vita functus est, hoc anno interiisse. Amalrico III successit *Balduinus* quartus filius, vix annorum tredecim, qui *Idibus Julii quarta die post patris obitum, inunctus est & coronatus*, inquit Tyrius lib. XXI cap. II, & quidem accuratè; hoc enim anno dies Iduum Julii, seu dies XV ejusdem mensis in dominicam incidit. Regni procuratio, populo acclamante, tradita fuit Comiti Tripolitano, quia Regis adhuc infra pubertatis annos degentis, tutela ei jure agnationis debebatur, ut ibi Tyrius habet.

Anno Eræ Hispan. MCCXII. Anno Hegiræ DLXX inchoato die 1. Aug. fer. 5.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6667.

☉ 7. F. ☽ 16. P. 24. Mart. Indict. 7.

JESU CHRISTI 1174.

ALEXANDRI III PAPÆ 16.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 23. IMP. 20.

MANUELIS COMNENI IMP. 32.

I. *Fridericus Imp. Ratisponæ Comitia celebrat.* ANum. I & seq. Chronographus Reicherspergensis gesta hoc anno in Germania à Friderico Imp. antequam in Italiam proficisceretur, quorum nulla in Annal. Ecclesiast. mentio, hoc modo refert: *Imperator celebravit Curiam in civitate Ratisbona VII Kal. Junii, tam celeberrimam, quod nulla memoria est unquam talem habitam in partibus Bavvariæ. Omnes enim ferè Principes ex regno Teutonico ibi aderant cum magna ambitione. Omnes quoque suffraganei Episcopi ex Episcopatu Saltzburgensi, uno Frisingensi excepto, & omnes penè ejusdem Saltzburgensis Ecclesiæ Prælati simul cum ministerialibus præcipuis jussu Imperatorio convocati, illuc convenerant, tractaturi de ordinatione Archiepiscopatus Saltzburgensis, & definitionem accepturi sententiæ ex judicio Curiæ. Et hæc erat tertia Curia pro hac causa determinanda in partibus Bavvariæ ab Imperatore indicta, & solemniter habita. Archiepiscopus etiam Saltzburgensis* (sc. Adalbertus) *cum avunculo suo Duce Austriæ Henrico veniens constanter affuit. Ipse autem Archiepiscopus* (quod Alexandri partibus firmiter staret) *jam nusquam certam mansionem habebat, quia pater ejus Rex Bohemiæ* (nempe Vladislaus) *cum quo antea morabatur, jam priori anno mortuus erat* (ideoque recentes Historici, qui ejus mortem in hunc annum differunt, hallucinati sunt): *& Imperator regnum ipsum Bohemiæ caperant, in tantum, ut ad depositionem ejus intendentes, criminalia & peremptoria quædam falsò ei objicerent, & Romam ad Apostolicum adversus eum per nuncios suos clam mitterent.*

II. *In ira depositionem Adalberti Saltzburgensis Archiep.* *Apostolicus autem vera edoctus, per literas ferè omnium Prælatorum totius Episcopatus Saltzburgensis, & Episcopatus Pataviensis bonum testimonium patri suo* (nempe Adalberto Metropolitæ) *dantium, & injuriam contra eum factam conquerentium. Ipse dominus Papa perfidos illos & rebelles ab intentione sua dehortatus est scriptis & præceptis Apostolicis ad obedientiam & subjectionem memorati Episcopi eos revocabat. Sed, ut ad incœpta redeamus, Imperator collectâ Curiâ, ut ex toto & manifestè schismaticos faceret illos, qui jam ex multo tempore contra Archiepiscopum nitebantur, omnes suffraganeos ejusdem Archiepiscopi, qui aderant, ad hoc deduxit, ut in sententiam Brixinensis Electi Magistri Richeri consentirent, qui Electus ad interrogationem Imperatoris, præsente Curia, sententiam depositionis in Archiepiscopum nimis protervè dederat. Ipse enim Electus contra Archiepiscopum inflammatus erat, propter hoc, quod Archiepiscopus suffraganeos suos ab ordinatione sua retrahere nitebatur; quia sine ejus licentia, & sine permissione ejus, utpote Metropolitani, attentata, in eadem Curia peracta est: sed utrum canonicè & catholicè, ipsi viderint.*

III. *Alius in ejus locum ... traditur.* *Præfata igitur sententia Electi* (*quia & Principes regni pro gratia Imperatoris consentire cogebantur*) *excepto uno Principe Duce Austriæ Henrico, statim omnis illa congregatio Saltzburgensis, quæ aderat, simul cum ministerialibus, omnes quemdam Henricum Præpositum tunc Perthesgadimensem cum favore Principum & Imperatoris Electum collaudant, conclamant, & inthronizant, nihil reluctante illo. Imperator etiam sine mora justitiam suam ei recognovit, & Ecclesiæ Saltzburgensi toto Episcopatu cum omnibus Regalibus per sceptrum ei concessis, valde solemniter coram omni illa Curia & Principibus. Qui & omnes à primo Duce Bauvariæ & Saxoniæ incipientes, beneficia sua ab eo cum multa reverentia & honore requirentes, & hominia facientes, coram Imperatore acceperunt. Ex Prælatis autem & personis Ecclesiasticis, qui aderant, paucissimi huic infamiæ se subtraxerunt, nec electioni illius interfuerunt, nec ad eum postea unquam accesserunt; quibus tamen electio ejus facile persuaderi potuisset, si meliori tempore, &, si vacante sede illa, facta fuisset. Multum enim religiosus apparebat, & valde acceptus semper erat omnibus tam Ecclesiasticis, quam secularibus viris, propter prudentiam & eloquentiam, quibus ornatus erat, & maximè propter ac Ecclesiasticæ disciplinæ à puero conversationem suam.*

IV. *His ita peractis, & Curiâ finitâ, Imperator in expeditione cum multo exercitu, versus Longobardiam profectus est. Ecclesia Saltzburgensi parum honoris & consolationis, præter hanc dualitatem, & hoc genus scandali & scissionis relinquens. Archiepiscopus autem Adalbertus cum Prælatis suis, quibus alter mons, & sanctius propositum, consiliumque sanius erat, quorum magna multitudo adhuc cum eo stabat, coram Domino Apostolico sine dilatione querelam suam, & de hac*

hac injuria deposuit per fidelem nuncium, videlicet Erchenpoldum Capellanum suum Canonicum autem Reicherspergensis Ecclesiæ: qui jam tertia vice Legationem, & literas ejus fideliter, sed cum magno labore & periculo vitæ, ad Apostolicum deportaverat, de eodem negotio, eademque de causa. Tunc Dominus Apostolicus misit literas per eundem nuncium ipsi Archiepiscopo, & Domino Chunrado Moguntino Archiepiscopo, qui legatione Apostolica in partibus Bawariæ fungebatur, & Præposito & Choro Saltzburgensi, quas Chronographus laudatus recitat. Alexandri III literæ ad Adalbertum Saltzburgensem Archiep. datæ sunt *Anagniæ VI Idus Septemb.* usque cassat quæ adversus illum gesta fuissent; Idem Pontifex eadem die ad Conradum Moguntinum Archiep. Legatum suum, & ad Capitulum Saltzburgense eadem de re scripsit literas ibidem relatas.

V. *Gesta à Friderico Imp. in Italia.* Germaniæ rebus ita constitutis, Imperator ad Lombardorum contumaciam vindicandam in Italiam profectus est, uti narrat Baronius ex Actis Alexandri III. Mense Octobri per Segusionem Italiam intravit, quæ urbs cùm Alexandri III partes sequeretur, direpta, eversaque: *Segusionem & Astam oppressit, & octavo die ad officium redegit. Inde ad nuper conditam urbem* (nempe Alexandriam) *ducit, cujus coloni cùm sponte libertatis cupidi, tum crebris sociorum literis, nunciisque admoniti portas claudunt*, inquit Tristanus Chalchus lib. 12. Quare coactus fuit Fridericus exercitu circumfuso eam urbem obsidere, idque per hyemem, Alexandrinis omnia incommoda magnâ constantiâ perferentibus. In Chronico Joannis Ceccani hoc anno tantum legitur. *Alexander Papa venit Signias sexto Kalendas Februarii, & dedit Ecclesias Sancti Paterniani cum omnibus pertinentiis suis, Templariis.*

VI. *Ricardus consecratur Archiep. Cantuariæ.* Ad num. III & seqq. Gervasius in Chron. ad annum MCLXXIII pluribus agit de iis, quæ gesta sunt in electione Archiepiscopi Cantuariensis, concluditque eam in personam Richardi Prioris Dovoriæ cecidisse: *Multis hinc inde sermonibus prolatis, tandem Ricardus Prior Dovoriæ dominica Octavarum Pentecostes III Nonas Junii apud Westmonasterium electus est*; sed quia erant qui huic electioni opponerent, *misit Cantuariensis Electus nuncios & literas tam suas, quàm omnium Episcoporum & Electorum, & Conventûs Ecclesiæ Christi ad Dominum Papam, & ipse post modicum in propria persona subsecutus est.* Subdit enim consecratum fuisse hoc anno ab Alexandro III *dominica post Pascha, qua cantatur ad introitum*, Misericordias Domini. *Deinde more antecessorum suorum Primatu Angliæ, Legatione, Privilegiisque vallatus versus Angliam iter reflexit.*

VII. *Pœnitentia Henrici II ad Sepulchrum S. Thomæ.* Paulò post Gervasius de Henrico II verba faciens ait: *Rex Angliæ ab omnibus ferè Comitibus, fidelibus & infidelibus suis solus relictus est; adeo ut vix aliquem haberet ex omnibus charis suis, cui se committeret, vel suæ mentis arcana fidenter revelaret. Extranei & non sui sequebantur eum, non ob personæ ipsius dilectionem, sed ob pecuniæ multæ, quam effundere cogebatur, insatiabilem cupiditatem. Undique igitur coarctatus, & de transmarinis terris suis quasi in desperationem ductus, in Angliam celeriter navigavit, ut eam saltem solam sibi reservaret. Rex itaque in Angliam veniens in initio mensis Julii* (currentis Christi anni) *& feliciis sibi ductus consilio omnia regni negotia quasi postposita, & corde pœnitenti Cantuariam ad S. Thomam peregrè profectus est. Feria igitur sexta, sexto Idus Julii* (legendum, *quarto Idus Julii*, qui hoc anno in feriam sextam incidit) *in veste lanea, nudis pedibus ab Ecclesia S. Dunstani, quæ longè extra urbem posita est, usque ad tumbam Sancti Thomæ Martyris perveniens, ibidemque diutius & devotè procumbens, ab omnibus qui adstabant Episcopis, Abbatibus & Monachis singulis Ecclesiæ Christi voluntate spontanea verberatus est.* Quod etiam narrant Baronius ex Vita Sancti Thomæ Cantuariensis, & Willelmus Neubrigensis hujus temporis Scriptor lib. 2. cap. 34. qui jam cap. 33. dixerat *Willelmum* Scotorum Regem maximam Henrici II inimicum captum fuisse anno Christi MCLXXIV *tertio Idus Julii, die sabbati*, postridie nempe qua Henricus II pœnitentiam egit ad sepulchrum divi Thomæ.

Tandem actum *de pace facienda inter Regem & filios suos*, &c, ut habet Gervasius, Rex Henricus *in crastino post festum sancti Michaelis filios suos in gratiam recepit. Sicque pace Regis undique firmata, Deus in Martyre suo Thoma glorificatus est. Philippus* Flandriæ Comes Regi Anglorum restituit, quod de jure ejus bellicus ei casus contulerat. Processu verò temporis *Willelmus* Scotorum Rex datis obsidibus relaxatus est, *& coram universa multitudine nobilium utriusque regni Regem Anglorum modis solemnibus dominum suum, seque hominem & fidelem ejus declaravit*, ut latè refert Neubrigensis in fine libri 2. VIII. *Finis belli Anglici.*

IX. *Fundatio Monasterii Montis Regalis.* Baronius in Addendis & Corrigendis ad hunc Christi annum verba facit de Monasterio Sanctæ Mariæ de Monte Regali à *Wilhelmo* II Siciliæ Rege constructo, Monachis referto & magnificentia Regia dotato, cui ingentia Privilegia Alexander III ad petitionem ejusdem Regis concessit. Literas Alexandri III datas *III Kalendas Januarii, indict. VIII, Incarnat. Dominicæ anno MCLXXIV*, Pontificatûs ejus *anno XVI* rafert etiam Auctor Bullarii Casinensis, apud quem legi possunt.

X. *S. Petrus Tarantasiensis agit de pace inter Reges Franciæ & Angliæ.* Gaufridus Abbas Altecombæ in diœcesi Gebennensi sitæ in Vita sancti Petri ex Ordine Cisterciensi Tarantasiensis Episcopi creati, quæ extat tam apud Surium, quàm apud Bollandum ad diem VIII mensis Maii, cap. V testatur, Sanctum Præsulem anno superiori jussum fuisse ab *Alexandro* III pacem conciliare inter Franciæ & Angliæ Reges, eumque præsenti, antequam pax illa firmata esset, ad Deum migrasse. Hæc Gaufridi testis oculati verba: *Ecce nuncius Domini Papæ, ecce litera, ecce mandatum, ut ad Reges Francorum & Anglorum sibi reconciliandos Vir sanctus, sub quanta poterit celeritate festinet; ex quorum inimicitiis Ecclesiarum destructio, depopulatio regionum, & innumerabilis strages hominum procedebat; Nec videbatur aliud præstolandum, quàm quod, ut dicitur, fortis impegit in fortem, & ambo pariter corruerunt. Hujus necessitatis intuitu, & Apostolicæ auctoritatis reverentia, cui in omnibus & per omnia semper obtemperavit, Præsulem sanctum descendere fecit in Gallias.* Tum post varia miracula à Sancto Præsule patrata subdit Gaufridus: *adveniu interea caput jejunii Quadragesimalis* (quod hoc anno concurrit cum die sexta Februarii); *& in cœnobio Mortui-maris* (posito in silva Normanniæ Leonina (*officium illud solemne Reverendissimus celebravit Antistes*

SÆC. XII An. C. 1174. *stes. Imposuit etiam cineres benedictos capiti Regis Angliæ & Francorum, qui propter hoc ad monasterium illud advenerant ipso die.* Paulò post:

XI. *Moritur.* *Tricesimum tertium annum in Pontificatu vir beatus implebat. Accedentem igitur ad cœnobium Bella-vallis in Chrysopolitana diœcesi constitutum, ardor Febrium violentus invasit. Interea solemnitas Exaltationis sanctæ Crucis advenit, in qua dominus disposuerat ejusdem Crucis fidelissimum adoratorem, ferventissimum amatorem, præconem sedulum exaltare.* Tum narrata ejus morte ait: *In cujus transitu annus erat millesimus centesimus septuagesimus quartus*, ut legitur in MS. Monasteriensi, & in Compendio Vitæ Ultrajectino Sancti Salvatoris & habet Albericus in Chron. Adhæc Anonymus Auctor Chronici Clarævallensis ad hunc Christi annum ait: *Obiit Sanctus Petrus Tarentasiensis Archiepiscopus, anno XXIII* (legendum, anno XXXIII) *sui Pontificatus. Ejus Vitam scripsit dominus Gaufridus, Abbas quondam Clarevallensis.* Chronographus autem Clarævallensis hoc ipso tempore floruit, ut non semel insinuavi; Albericus verò Monachus Cisterciensis anno MCCXLI Chronicon suum absolvit.

XII. *Et quidem hoc anno.* Annus tamen & dies mortis ejus in controversiam vocati. Surius enim in Vita sancti Petri legit, eum obiisse anno MCLXXI, qui annus etiam in ejus Epitaphio notatur. Henschenius verò in Notis ad Vitam hujus sancti Præsulis, legendum censet annum MCLXXV, notatum in MS. Caritatis. Verùm Lectionem, quam Surius secutus est, narratio Gaufridi planè convellit, & sæpiùs monuimus, Epitaphiis fidem non adhibendam, nisi de illorum antiquitate constet; cùm plerumque à posterioribus in re Historica parùm versatis ea posita fuerint; ita ut hæc observatio tanquam certum Criticæ principium censeri debeat. At, inquit Henschenius, liquet ex Roberto de Monte, qui hoc tempore vivebat, *sanctum Petrum* hoc anno post mensem Maium adhuc in vivis fuisse, qui tamen die octava Maii animam Deo reddidit, ideoque anno sequenti. Sed Robertus de Monte qui supponit Sanctum Præsulem mense Maio currentis anni adhuc in vivis fuisse, disertè etiam testatur eum hoc anno ad superos evolasse. Ad annum enim MCLXXV habet: *Obiit anno superiore Hamo de Lanidecopio*, &c. *Archiepiscopus item Tarantasiæ, qui fuerat Monachus de Ordine Cisterciensi, per quem in nostris temporibus in exhibitione miraculorum Deus benedicitur*, &c.

XIII. *In die Exaltationis S. Crucis.* Diem ejus emortualem notavit Gaufridus in ejus Vita, nempe diem XIV mensis Septembris festo Exaltationis Sanctæ Crucis factum. Integrum locum Gaufridi mox recitavimus: *Interea solemnitas Exaltationis Sanctæ Crucis advenerat*, &c. Verum quidem est lectionem Surii habere: *Interea solemnitas Inventionis Sanctæ Crucis advenerat.* At lectio illa rejicienda, *& locus* ille corruptus vel à Surio vel ab aliquo, qui cùm videret Sanctum Petrum die Octava mensis Maii coli, autumavit illum eò etiam die è vivis abiisse, persuasus, uti Henschenius, festa Sanctorum diebus eorum emortualibus de more affixa fuisse. Sed vulgarem illum errorem, qui omnium animos occupaverat, tot exemplis in hoc Opere confutavi, ut non existimem posse imposterum aliquem decipere.

Chronographus Clarævallensis postquam hoc anno mortem Sancti Tarantasiensis Archiepiscopi narravit, addit: *Eodem anno facta est dedicatio Ecclesiæ Clarævallensis; & Canonizatio beati Bernardi: & elevatio ejus, ubi adfuit dominus Wichardus Lugdunensis Archiepiscopus, Abbas quondam Pontiniaci. Et sequenti anno, in Capitulo generali receperunt cantum beati Bernardi, & cantum de Trinitate.* Quæ ex eo exscripsit Auctor Magni Chronici Belgici pag. 164. SÆC. XII. An. C. 1175. XIV. *Canonizatio S. Bernardi.* Sanctum verò Bernardum Abbatem Clarævallensem hoc anno in Sanctorum numerum relatum fuisse docent etiam Albericus in Chron. & Annalista Mailrosensis. Literæ Canonizationis datæ sunt *Anagniæ XV Kalend. Februarii*, & legi possunt Tom. X Concil. pag. 1376. & in Operibus Sancti Bernardi. Baronius hujus canonizationis mentionem non fecit, quia ea ejus tempore magnis tenebris involuta erat.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6668. Anno Eræ Hisp. MCCXIII.

☉ 8. E. ☽ 17. P. 13. April. Indict. 8.

JESU CHRISTI 1175. Anno Hegiræ DLXXI. inchoato die 22. Julii fer. 3.

ALEXANDRI III PAPÆ 17.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 24. IMP. 21.

MANUELIS COMNENI IMP. 33.

I. *Concilium Westmonasteriense.* AD num. I. *Rex Angliæ Henricus*, inquit Gervasius in Chron. ad hunc Christi annum, *undique pace potitus unà cum filio suo Henrico in Angliam reversus est mense Maio. Ricardus verò Cantuariensis Archiep. totius Angliæ Primas & Apostolicæ Sedis Legatus convocato Clero Angliæ celebravit Concilium in Ecclesia B. Petri ad Westmonasterium XV Kal. Junii, Dominica ante Ascensionem Domini*, &c. *Ipse verò Archiepiscopus Primas & Legatus residens in sublimi, post sermonem quem tam facundè quàm disertè fecit, in communi de scripto legi fecit statuta Concilii sui.* Recitat postea Decreta XVIII ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentia, quæ in eo Concilio condita sunt, legenda Tom. X Concil. pag. 1462.

II. *Hugutio Card. Legatus in Angliam missus.* Paulò pòst subdit Gervasius: *Quinto Kal. Octob. Ricardus Cantuariensis Archiep. ad Abbatiam de Burgo veniens, manifestis ex culpis accusatum, & convictum Abbatem deposuit nomine Willelmum. Applicuit in crastino à Domino Papa missus Hugutio Legatus* (è familia Petri Leonis, dictus etiam Hugo, Hugezus, Huzezus, & Huguzen, Diaconus Card. S. Angeli, postea Presbyter Card. S. Clementis), *ut in Anglia Domini Papæ vices agens Legatione fungeretur. Hic in fine mensis Octob. in Angliam veniens à Rege & Primoribus Angliæ honorificè susceptus est. Rex enim suam exosam habens Reginam* (nempe Eleonoram), *quam sub munitissimis oppidis teneri fecit custodia, eò quod supra dicta persecutio* (de qua duobus superioribus annis) *ex ipsius Reginæ consilio emanasse dicebatur, omni conatu divortium moliri videbatur. Ideoque & prædictum Legatum dicebatur evocasse, eumque blanditiis & donis subnervavit.*

III. *Henricus II pacificam Hiberniæ dominium obtinet.* *Henricus* Angliæ Rex anno MCLXXI *Hiberniam* ingressus, littore quidem, vicinisque Provinciis potitus est; sed *Rodericus* Connactiæ Rex, qui se totius Hiberniæ Dominum jactitabat,

jactitabat, ei subesse noluit, nec eum Monarcham agnoscere. Nunc autem ejus felicitate perspecta, noluit amplius cum eo contendere; sed submissis in Angliam Tuamensi Archiepiscopo, Regnique sui Cancellario pacem petiit, omnem *Henrico* servitutem, quæ in Regem cadere posset, & tributi solutionem pollicitus. Nec abnuit Henricus II Reges sibi obsequentes. Quamobrem *Connactia* Regis Legati in Angliam appellunt; ubi Rex in publico Episcoporum & Procerum Conventu cum Hibernis paciscitur. Pactorum capita legenda apud Alfordum hoc anno num. XXIV & seq. qui ea refert ex Hovedeno pag. 545. Henricus tamen II, vel Romani Pontificis intuitu, vel suopte genio Regis Hiberniæ nomine abstinuit, Domini appellatione contentus; quo tamen titulo sequentes Reges aucti, ornatique fuêre.

IV. *Episcopatus Alexandriæ instituitur.* Ad num. II & seqq. Mediolanenses & Fridericus Imp. omnes conatus adhibebant, hoc ut Alexandriam, quam anno superiori obsidione cinxerat, illi verò ut eum ab ea obsidione dimoverent, tantumque egêre, ut Imperatorem fuga sibi consulere coegerint, uti latè narrat Baronius ex Actis Alexandri III, qui ut gratum se Alexandrinis exhiberet, eorum urbem Episcopalem declaravit: Auctor Actorum illorum ait, Pontificem Alexandrinis Episcopum concessisse *ad postulationem Mediolanensis Archiepiscopi*, cujus nomen tacet; sed Innocentius III in Privilegio anno MCCV dato, & ab Ughello Tom. IV Italiæ Sacræ Col. 449. citato ait: *In literis bonæ memoriæ Alexandri Papæ prædecessoris nostri perspeximus gratiam, quod ipse precibus, consilio populi, & Cleri Alexandrini, volens favorem benevolum impertiri, ad instantiam & petitionem bonæ memoriæ Galdini Archiepiscopi* (Mediolanensis) *Apostolicæ Sedis Legati, & Consulum Mediolanensium, Rectorum Lombardiæ & Marchiæ deliberatione prahabita diligenti Alexandrinam Ecclesiam, & ipsam pariter civitatem in honorem B. Petri constructam Pontificalis dignitatis tituli insignitatos titulo insigniri*, &c. Subdit Innocentius III prædecessorem suum statuisse, *ut Alexandrina & Aquensis Ecclesia unirentur.*

V. *Militia S. Jacobi approbatur.* Hoc anno Alexander III approbavit Ordinem militiæ Sancti Jacobi in Hispania, institutum ad defensionem Christianorum adversùs Saracenos, literis datis *Ferentini per manum Gratiani S. Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi & Notarii, III Nonas Julii, indict. VIII Incarnat. Dominicæ anno MCLXXV, Pontificatûs verò D. Alexandri Papæ III anno sexto decimo*, quibus tredecim Cardinales subscripsêre, ut videre est Tom. X Concil. pag. 1378. & seqq. ubi eæ referuntur. Gratulatur Pontifex in Præfatione suarum literarum, quod nobiles quidam non solum possessiones terrenas, sed & corpora sua dare in extrema quæque pericula pro Domino decreverunt, statuitque, ut habeantur in ipso Ordine, qui cœlibem vitam ducant, & *sint etiam qui ad procreandam sobolem, & incontinentiæ præcipitium evitandum, conjugibus suis utantur.* Legendus Rades in Historia Ordinum militarium Hispaniæ.

VI. *Initium Episcopatûs Willelmi Tyrii.* Willelmus Tyrius lib. XXI cap. IX suam promotionem ad Archiepiscopatum Tyrensem hoc modo narrat: *cùm Tyrensis Ecclesia septem vacasset mensibus continuis, consonante Cleri & populi voto, Regis quoque* (nempe Balduini IV), *ut meris est, conveniente assensu, Dei patientia potius, quam meritis nostris, ad regimen illius Ecclesiæ vocati sumus, & infra decem dies in Ecclesia Dominici Sepulchri, per manus domini Amalrici Jerosolymitani Patriarchæ, munus consecrationis, sexto Idus Junii, auctore Domino, suscepimus, licet indigni.* Hoc autem anno dies sextus Idus Junii, sive dies octavus ejusdem mensis in Dominicam incidit. Willelmo Tyrio plurimùm debet Historia Ecclesiastica; cùm ipse Princeps sit inter Historicos Belli Sacri.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6669.

☉ 9. D C. ☽ 18. P. 4. April. Indict. 9.

JESU CHRISTI 1176.

ALEXANDRI III PAPÆ 18.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 25. IMP. 22.

MANUELIS COMNENI IMP. 34.

Anno Eræ Hisp. MCCXIV. Anno Hegiræ DLXXII. Inchoato die 10. Julii fer. 7.

I. *Matrimonium Willelmi II Siciliæ Regis cum filia Regis Angliæ.* AD num. I & seq. *Willelmus* II Siciliæ Rex Joannam filiam Henrici II Anglorum Regis hoc anno uxorem accepit, uti fusè refert Radulphus de Diceto pag. 594. & seqq. *Joanna junior filia Regis*, inquit Radulphus, *Siculo Regi Nuptura VI Kal. Septemb. transfretavit, sumptus, & impensas, & itineri necessaria, copiam quoque ministeriorum providit Ricardus Vintoniensis Episcopus. Regis ex Decreto viri spectabiles assignati sunt viæ comites, quidam usque ad sanctum Ægidium* (oppidum in Occitania positum) *quidam montes Siculos & Palatium ascensuri Panormitanum.* Paulò pòst: *Filia Regis Anglorum nunciis Siculi Regis maris & fluctuum expertis sævitiam in conspectu virorum illustrium assignata est apud Sanctum Ægidium V Idus Novemb. per manum Joannis Norwicensis Episcopi, sicut ipse Panormi promiserat X Kal. Septemb.* Ait, denique Radulphus Walterum Panormitanæ urbis Archiepiscopum celebrasse Divina *Idibus Februarii*, & coronationem Reginæ magna solemnitate consummatam esse.

II. *Concilium Lumbariense adversus Hæreticos Bonos homines dictos.* A num. III ad XV. Concilium quod Lumbariæ in Gallia Narbonensi hoc anno celebratum est, fusè narrat Baronius ex Hovedeno in poster. part. Annal. Cùm enim *Alexander* III animadverteret, *Valdensium* sectam in dies magis invalescere, voluit rem in ipsis partibus malo illo infectis agitari, & ne haberent unde conquererentur, doctissimos eorum ad Concilium evocari jussit. Illi *Magistros* suos illuc delegarunt, & præterea quatuor *Judices* Disputationis & Controversiæ delegerunt, *Gerardum* Episc. Albigensem, *Rogerium* Abbatem Castrensem, *Petrum* Abbatem Ardorelli, & *Ernaldum* Presbyterum Narbonensem. Addidêre & Abbatem de Candilio, de quibus etiam Catholici cum Hæreticis convenerunt. Admissi sunt etiam Magnates & Barones plurimi illius regionis, ut utriusque partis rationes & fundamenta audirent. Interrogati qui Hæreticorum partes propugnabant de Fide & Sacramentis Vetus Testamentum audacter rejecêre; matrimonii Sacramentum nullatenus admisêre; baptismum parum curarunt; Sacerdotem peccati lethalis Labe infectum consecrare Corpus & Sanguinem Christi negarunt, neque Prælatis qui luxu diffluerent,

fluerent, parendum esse contenderunt. Hæc præcipua hæreseos capita diu agitata sunt, tandemque damnata. Verùm illi Judicio parere detrectarunt, se veritatem & viam salutis in ore habere arbitrantes, ac proinde *Bonos homines* se se appellantes. Eorum Princeps erat Olivetius quidam, cui proinde veluti Christo aut Paulo Apostolo fidem adhibebant, ut fusè narrat Baronius ex Hovedeno.

III. *Fredericus Imp. vincitur à Longobardis.*

A num. XV ad XXI. Refert Baronius ex Actis Alexandri III victoriam de *Frederico* Imp. à Longobardis reportatam, quæ diuturnis Longobardiæ calamitatibus finem tandem attulit, ac veræ pacis cum Alexandro III & fœderatis civitatibus componendæ occasionem aperuit. Baronius num. XVII rectè dicit Robertum de Monte errasse, qui hæc ponit contigisse anno sequenti, quia id legitur in Chronico ei vulgo attributo; in vero enim ejus Chronico à Dacherio edito, id neque hoc anno, neque insequenti habetur, sed ad annum MCLXXVII solùm legitur: *Nono Kal. Augusti concordati sunt dominus Papa Alexander & Fredericus Imperator Romanus in civitate Venetia in domo Patriarchæ ipsius civitatis.* Gualvancus Flamma in magno suo Chron. cap. 295. hæc in rem nostram scribit: *Alexander Papa audita Imperatoris confusione gavisus est valdè, & multas exhortatorias literas Mediolanum scripsit, quod potius erat paratus mori, quàm civitatem Mediolanensem derelinquere.* Auctor verò Chronici, cui titulus, *Flos Florum*, ait: *Papa Alexander audito quod Mediolanenses bis in campo prostraverunt Imperatorem, exultavit gaudio magno, & promisit dare civitati Mediolani magnum auxilium; & audito quod beatus Galdinus Legatus Italiæ obierat, statim instituit alium Legatum Cardinalem, quem misit in Lombardiam, & pervenit Venetias.*

IV. *Mediolanenses Bononiensibus hanc victoriam significant.*

Mediolanenses hanc victoriam, & de hostibus liberationem Bononiensibus statim significarunt literis à Radulpho de Diceto pag. 591. recitatis: *Notum sit vobis nos ab hostibus nostris gloriosum reportasse triumphum. Interfectorum vero, submersorum, captivorum non est numerus. Scutum Imperatoris, vexillum, crucem & lanceam habemus. Aurum & argentum multum in clitellis ejus reperimus; & spolia hostium accepimus, quorum æstimationem non credimus à quoquam posse definiri. Quæ quidem nostra non reputamus, sed ea domini Papæ & Italicorum communia esse desideramus. Captus est in prælio Dux Bertoldus, & nepos Imperatricis, & frater Coloniensis Archiepiscopi; aliorum autem infinitas captivorum numerum excludit, qui omnes Mediolani detinentur.* Dies, quo celeberrimum illud prælium habitum, hactenus incertus; cùm Onuphrius lib. 7. Antiquit. Veronensium *septimum Kal. Martii* fuisse dicat, Sigonius verò lib. 14. de Regn. Italiæ *tertium Kal. Junii, quo SS. Martyrum Sisinii, Martyrii, & Alexandri natalitia celebantur*, & Acta Alexandri III, quibus major fides habenda, apud Baronium num. XV asserant, illud initum *circa finem mensis Junii*. Verè autem scripsit laudatus Onuphrius: "Hoc "prælio magna illa Imperii Occidentalis vis "primùm labefactata, paulatim deinceps ad nihilum ferè redacta est; & econtrà Majestas "Pontificia mirum in modum aucta." Prætermittebam monere pugnatum esse in loco, *decimo quarto milliario ab urbe* Mediolanensi dissito, ut habent eadem Acta num. XVI.

V. *Legatio Imperatoris ad Alexandrum PP.*

Baronius num. XVIII loquitur de legatione Friderici Imp. ad Alexandrum Papam obita per W. Magdeburgensem Episcopum, Christianum Moguntinum Archiepiscopum & P. Vormariensem Electum, quorum operâ pacem Ecclesiam inter & Imperium factam esse Alexandri Papæ Acta apud eum num. XX nos edocent; sed cum conditiones illius pacis in iis desiderentur, necessarium duxi hic transcribere Cartulam originalem in pergameno quæ asservatur in armario XI capsula VII Archivi Arcis S. Angeli, cujus sumptum authenticum auctoritate Eminentissimi Francisci Cardinalis Barberini extractum die IX mensis Maii anni MDCXXXII per Joannem Baptistam Confalonerium Protonotarium Apostolicum, ejusdem Archivi Arcis S. Angeli Custodem extat in Bibliotheca Ill^mi. Domini de Mazaugues in Parlamento Aquensi Consiliarii Regii; ex ea enim discimus Legatos promisisse quod ipse Imperator Alexandro Papæ reverentiam exhibebit, securitatem dabit ejus Clericis, famulis ac rebus in eorum comitatu existentibus, in eundo Venetias, Ravennam, vel cetera loca, eidemque Pontifici præfecturam Urbis & terram Mathildæ Comitissæ restituet, & quod ea omnia quanto citius jurabit & adimplebit. Est autem tenoris sequentis.

VI. *Legati promittunt restitutionem præfecturæ Urbis & terræ Mathildis Comitissæ.*

Nos Legati domini Imperatoris C. Maguntinus & W Madeburgen. Archiepiscopus, & Warmacen. Electus sacri Aulæ Imperialis Protonotarius ad pacem Ecclesiæ, & Imperii ordinandam destinati promittimus, & fidem damus, quod dominus Imperator, & sui Dominum Papam A. recipient, reverentiam exhibebunt, & veram pacem relinquet Dominus Imperator Dño Papæ A. & successoribus suis, & toti Romanæ Ecclesiæ, & Præfecturam Urbis, & terram Comitissæ Mathildæ restituet ei, & quod ordinatum est de Calixto (Antipapa de quo vide dicta Anno MCLXVIII num. XIII, & anno MCLXXVIII num. I) *ex parte sua observabit, & quantum in se erit operam dabit efficacem, ut dominus Papa assequatur quod à Nobis, & Vobis scripto est ordinatum. Hæc omnia faciet dominus Imperator, sicut à Vobis domini Cardinales, qui ad ordinandam pacem ex parte Ecclesiæ estis constituti, & Nobis in scripto communiter dispositio, est ordinatum, pace de ceteris plene disposita, sicut scripto ordinavimus, vel ordinaverimus Nos vel alii qui ad hæc disponenda & complenda fuerint constituti. De regalibus verò beati Petri, & aliis possessionibus, quas D. Imperator abstulit, vel sui, vel alii favore ipsius juramus, quod ipsum faciemus jurare, quod scilicet ea, quæ habet de prædictis ipse, vel sui, bona fide restituet. De his, quæ alii habent bona fide operam dabit studiosam, ut similiter restituantur. Et juramus quod bona fide operam dabimus, ut ea quæ juraverit exequatur, cum pax plene fuerit disposita de Rege Siciliæ, & Lombardia, sicut ordinaverimus, vel ordinandum statuerimus. Et de ceteris quæ in scripto prædicto continentur, ut impleantur sicut ordinavimus, vel simul ordinaverimus, operam bona fide dabimus, Promittimus etiam & juramus, quod si D. Imperator (quod absit) mortuus fuerit ante complementum pacis, communi scripto disposita, Domina B.* (idest Beatrix) *Imperatrix, & Domini Henricus, atque filius ejus, & Principes formam pacis communi scripto dispositam complebunt, jurabunt, & observabunt, sicut communiter est ordinatum, vel communiter ordinabitur à mediatoribus utriusque partis à D. Papa A. & successoribus suis, & universis*

SÆC. XII. An. C. 1176. universis Cardinalibus, & toti Romanæ Ecclesiæ. SÆC. XII. An. C. 1176.

VII. *Si pax disrumpatur trium mensium inducias promittunt.*

Præterea Domino Papæ, & universis Cardinalibus, & Clericis & familiis, & rebus eorum universis in Comitatu eorum existentibus firmam, & plenam securitatem ex parte D. Imperatoris, & suorum omnium damus eundo Venetias vel Ravennam, & cetera loca, ad quæ procedere disposuerint, & in quibus fuerint & manendo & redeundo, sive pax compleatur, sive disrumpatur: & si disrumpatur (quod Deus avertat) juramus quod post disruptionem per tres menses firmam treguam observabit D. Imperator & sui D. Papæ Alex. & toti terræ suæ, quam ipse tenet, & Regi Siciliæ, vel alii per eum; & sicut promittimus & Damus cum juramentis, quod D. Imperator per se ex parte sua observabit, ita quod nec per se, nec per suos aliquod gravamen seu impedimentum, eis scienter inferet, vel inferri consentiet: & si quis eo ignorante intulerit, bona fide emendari faciet. Præcipiemus etiam, & à D. Imperatore districte mandari & præcipi faciemus per terras suas universaliter sub pœna personarum & rerum, balivis suis universis & aliis nobilibus per terras & castra constitutis, & per Balivos, aliis quibus præcipi oportebit, ut nullos ad D. Papam A. vel suos procedentes, vel ad eos venientes, vel ab eis redeuntes, vel quos miserint, offendant, vel offendi permittent: & si quis eis ignorantibus offenderit quam citius poterunt bona fide faciant emendari. Faciemus etiam quod D. Imperator in præsentia Nuntii, quem D. Papa & Cardinales Nobis direxerint, vel Cardinales suos promiserint facere jurari in anima sua, quod prædictam securitatem mutua bona fide, sicut per Nos mandatum est, observabit & faciet observari. Ceterum postquam D. Imperator juraverit ea quæ communiter dispositum est juraturum, Nos à juramento erimus absoluti, excepto quod tenebimur de his, quæ præesse juravimus, & excepto quod tenebimus juramento, quod bona fide operam dabimus, ut cetera, quæ in communi scripto continentur, impleantur.

VIII. *Adventus Frederici totam Italiam turbavit.*

Joannes de Ceccano in Chron. gesta hoc anno in aliis partibus Italiæ his verbis perstringit: *Indictione octava* (legendum, indictione decima) *XII Kal. Novembris venit Cancellarius Imperatoris* (nempe Christianus in Archiepiscopatum Moguntinum intrusus) *Teutonicorum ad Anagniam ad Papam Alexandrum; octavo Idus Decembris ibat Papa ad Venetias* (ubi Chronographus præpostere res narrat; refert enim postea quæ hujus anni initio contigêre) *Cancellarius Imperatoris Teutonicorum venit super Cellas, & eas obsedit. Comites vero regni Siciliæ cum ingenti exercitu insurrexerunt in eum, & gens quidem Alemannorum ivit super eos, & plerosque cepit, atque fugam verterunt sexto Idus Martii.* Eamdem rem, sed obscurè narrat Anonymus Casinensis: *Christianus Cancellarius Imperatoris veniens super Cellas obsedit eam. Comes Rogerius Andria, & Comes Tancredus cum aliis Comitibus contra eum perrexerunt illuc.* Denique Chronographus Aquicinctinus: *Inter Imp. Fredericum & Italienses vario eventu sæpenumero pugnatur. Christianus Cancellarius de pace inter Imperatorem & Papam reformanda valde erat sollicitus.* Quare adversus Frederici in Italiam magnas turbas concitavit.

IX. *Willelmi translatio à Sede Senonensi ad Remensem.*

In brevi Chronico Remensi à Labbeo Tom. I Biblioth. recitato anno superiori legitur: *Hoc anno decessit Dominus Henricus Francorum Regis* (nempe Ludovici VI) *filius, bonæ memoriæ Remorum Archiepiscopus.* Idem habent Chronographus Aquicinctinensis, Nangius in Chron. & Radulphus de Diceto in Imag. Hist. pag. 588. qui diem emortualem ejus his verbis expressit. *Henricus Remensis Archiep. Regis filius & Regum frater* (nempe Philippi & Ludovici VII) *II Idus Novembris diem clausit extremum.* Tum pag. 593. Radulphus scribit: *Willelmus Comitis Theobaldi filius adhuc juvenis electus in Episcopum Carnotensem, & labentibus aliquot annorum curriculis creatus Senonensis Archiepiscopus, Ecclesiam Carnotensium, indulgentiâ domini Papæ tempore longo commendatam obtinuit, annexis possessionibus. Qui postmodum Sedis infulas dignioris, ditioris, nominatioris, ut dicunt, non ambiens, ad instantem Remensium postulationem de Celtica Gallia migravit in Belgicam. Apicibus siquidem Apostolicis perurgentibus in beati Remigii Cathedra collocatus est VI Idus Augusti* (ideoque hoc anno quo dies ille Dominicalis fuit, ut rectè idem Radulphus habet), *usum Pallii quod primo habuerat, licet locum mutaverit, non immutans. Eo quidem habendus translatione facta prædicabilior, quod ad industriam, magnanimitatem, modestiam tanti viri Romana respexit Ecclesia, nec tam generositatem parentum, vel Ludovici Regis* (hujus nominis VII) *affinitatem, seu Reginæ Francorum, scilicet Alæ* (dictæ etiam passim Adelæ) *sororis ejusdem Willelmi desiderium, quam in Archiepiscopi moribus honestatem attendit.*

X. *Joannes Saresberiensis fit Episc. Carnotensis.*

Jam idem pag. 592. ad hunc Christi annum scripserat Radulphus: *Ecclesia Carnotensis personas spectabiles Cantuariam in Comitatu magno venerunt XI Kalend. Augusti. Votis igitur orationum feliciter adimpletis, ad honorem Dei, ad obsequium matris Domini, ad solamen exulum propter justitiam acceptabiles immolarunt hostias. Joannem namque à Saresberia gloriosi Thomæ Martyris quondam allateralem exilii socium, angustiarum participem, passionis testem certissimum, quem Ecclesia Carnotensis elegerat unanimiter, requirebant assentiis capituli Carnotensis, Regis Francorum, Senonensis Archiepiscopi* (nempe Willelmi de quo mox egimus) *literis publicè recitatis fidem & auctoritatem suæ postulationi præstantibus. Quibusdam itaque vices Cantuariensis Archiepiscopi tunc absentis supplentibus, Collegio Monachorum Sanctæ Trinitatis in albis sedente, viris etiam pluribus discretis, honestis, & literatis ibidem congregatis in dominum suum Electum ab Anglorum subjectione liberum & absolutum receperunt, cum hymnis & canticis, & lætitia magna, eam illic, quàm hinc in articulo temporis cursu placido navigantes tanquam ventis imperarent & mari. Consecratus est autem Senonis à Mauricio Parisiensi Episcopo VI Idus Augusti* (eodem scilicet die, quo Willelmus è Campania in Cathedra Remensi collocatus est), *Carnotis solemniter inthronizatus est in Assumptione B. Virginis.*

XI. *Willelmi translatio & Ioannis electio ab hoc anno removeri non possunt.*

Refert postea Radulphus de Diceto literas à Carnotensi Ecclesia per deputatos ad Joannem Saresburiensem missas, aliasque Ludovici VII Francorum Regis ad eum datas, in quibus ait acceptum sibi fuisse quod Capitulum Carnotense *de consilio domini Senonensis Archiep. Apostolicæ Sedis Legati* eum Episcopum elegerit, significatque Archiepiscopum Senonensem *ad hoc fideliter & efficaciter consummandum* laborasse *dominus*. His adde Gervasium in Chron. qui hoc Christi anno ait: *In die festo Mariæ Magdalenæ*

SÆC. XII. An. C. 1176. *na, venerunt Cantuariam Decanus & Cantor, Clericique plures Carnotensis Ecclesiæ, qui ob honorem & amorem Sancti Thomæ Martyris, & Cantuariensis Ecclesiæ excellentiam elegerunt in Capitulo Joannem de Salisberia ad regimen Carnotensis Ecclesiæ.* Loquitur postea Gervasius de translatione Willelmi ab Ecclesia Senonensi ad Remensem; cumque uterque Scriptor hoc ipso tempore floruerit, minimè imposterum audiendi erunt, qui *Joannis* electionem & *Willelmi* translationem in annum præcedentem retrahent, vel in sequentem different, quod non desint Scriptores, qui id literis tradiderint; eos enim errasse non dubitandum.

XII. *Infaustum prælium Manuelis Imp.* *Manuel* Imperator in bello Iconiensi cruentam adeo passus est cladem, ut nusquam deinceps corporis sospitate, usque ad mortem fruitus sit, ut pluribus refert Nicetas lib. VI; Vincentius Bellovacensis lib. 31. Spec. Hist. cap. 150. aliique hujus Cladis meminêre, quam Ægidius de Roya Abbas Montis Regalis in Chronico suo usque ad annum MCCCCLXXVIII perducto cum anno MCLXXVI conjungit; qua in re ei adhærendum; cùm Willelmus Tyrius lib. XXI postquam cap. IX de promotione sua ad Episcopatum anno superiori facta locutus est, cap. XII dicat: *Eodem quoque tempore Dominus Manuel Imp. Constantinopolitanus; &c. dum contra immanissimam Turcorum gentem, & impium eorum Ducem, Iconii Soldanum, pro ampliando Christiano nomine, pietatis commendabili mota decertat, peccatis nostris exigentibus suorum stragem infinitam, & copiarum Imperialium, quas secum supra hominum etiam opinionem trahebat, enormia circa Iconium passus est dispendia: ubi etiam de consanguineis ejus, viri illustres, & inclyta recordatione digni, in acie occubuerunt: inter quos & Joannes Protosevasto, ejusdem Domini Imperatoris ex fratre nepos, vir egregiæ liberalitatis & memorandæ magnificentiæ, cujus filiam Mariam Dominus Amalricus* (Rex Jerusalem hujus nominis III) *uxorem duxerat, dum strenue resistit hostibus, multis confossus vulneribus interiit. Ipse tamen ex prima parte receptis exercitibus, se sinistro casu, mente supra modum consternatus, in suos fines corpore incolumis se recepit*, &c.

XIII. *Hujus cladis causa.* *Ab ea die hujus tam sinistri casus prædictum Dominus Imperator ad o mentis perennem dicitur impressisse memoriam, ut de cetero nec solita mentis hilaritate, qua singulariter præeminebat, lætiorem se fatis, id admodum postulantibus, exhiberet, nec corporis sospitate, qua plurimum pollebat, usque in supremæ vitæ diem frueretur: ita sanè continua facti refricatione urebatur, ut nec animo quies, nec mentis consueta tranquillitas indulgeretur.* Jam dixerat Tyrius: *dicitur autem suorum Ducum, qui præibant agmina, magis imprudentia, quam hostium viribus id accidisse. Nam cum patentes, ampleque via, ad producendas acies, & sarcinarum moles commodius trahendas, & impedimentorum omne genus subvehendum, quod & numerum excedere dicebatur & mensuram, non deessent, incautè nimis in periculosas locorum angustias præcipites se dederunt, ubi nec hostibus, qui loca eadem jam occupaverant, dabatur resistere, nec referendi vices copia ministrabatur.* Eamdem hujus cladis causam notat Chronographus Reichersperġensis ad annum MCXC: *plus quam triginta millia Turcorum in quadam arctissima clausura convenerant, per quam transituri erant nostri; ubi Imperator Græcorum Emanuel cum maximo exercitu destructus fuit, ut nostros eodem modo interimerent.* Imò ipsemet Imperator in literis ad Henricum II Angliæ Regem datis, & ab Hovedeno, qui eas integras recitat pag. 554. accuratè cum hoc anno connexis, licet ab eo non intellectis, aliam hujus cladis causam non assignat. Epistola *data mense Novemb. indict. X*, ideoque hoc anno, non verò insequenti, quo Radulphus de Diceto pag. 596. eam exhibet.

XIV. *Legatio Viviani Cardinalis.* Hibernica *Viviani Cardinalis* legatio hoc anno cœpta, sequentique absoluta, ut anno MCLXXXIII num. IX & seq. probabimus. S. Galdinus Cardinalis hoc anno demortuus, ut sequenti videbitur num. XIV.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6670. *Anno Eræ Hisp. MCCXV Anno Hegiræ DLXXIII. inchoato die 30. Junii fer. 6.*

☉ 10. B. ☽ 19. P. 24. April. Indict. 10.

JESU CHRISTI 1177.

ALEXANDRI III PAPÆ 19.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 26. IMP. 23.

MANUELIS COMNENI IMP. 35.

I. *Reconciliatio Friderici Imp. cum Alexandro III.* ANnum I ad XXXII. Schisma *Friderici* Imperatoris operâ conflatum, quod ab initio Pontificatus Alexandri III Orthodoxos vexavit, & inceptum fuit ab Octaviano, in Guidone Cremensi, & in Joanne de Struma, qui se Apostolicæ Sedis Pontifices mentiti fuerant, continuatum, hoc tandem anno Imperatoris pœnitentia humilique ejus obsequio finitum est. Non hîc immorabor in refellenda fabula vulgò jactata, quod scilicet Fridericus osculum figens dixerit Alexandro, *Non Tibi, sed Petro*, & quod Alexander osculum admittens ejus caput presserit, reponens; *Et mihi & Petro*; cum Baronius, aliique viri doctissimi jam illam luculenter exploserint. Hîc tantum dicam Acta Alexandri III, quibus Baronius in rejiciendo illo figmento usus est, certæ & indubitatæ fidei esse; cùm Gervasius in Chron. ad hunc Christi annum quædam ex eis, licet non expressis verbis exhibuerit, ipseque Alexander III Epistola Venetiis *in Rivo alto*, *VI Kal. Augusti* ad Willelmum Remensem Archiepiscopum, Apostolicæ Sedis Legatum, & suffraganeos ejus, ac Abbates *in Remensi provincia* constitutos data, & in Chron. Aquicinctino hoc anno de verbo ad verbum relata, rem ut gesta fuit, narraverit, scripseritque: *Notum sit sollicitudini vestræ, quod charissimus in Christo filius noster Fridericus, illustris Romanorum Imperator, per inspirationem divinæ gratiæ, deposito vanitatis errore, ad viam veritatis conversus, ad obedientiam Ecclesiæ & nostram, reverenter & devotè, sicut decuit, rediit, & illam in nobis B. Petro reverentiam & devotionem exhibuit, quam antecessores ejus nostris consueverant antecessoribus exhibere, & se de cetero exhibituram promisit.*

II. *Rejicitur fabula ac confictio.* Nec prætermittendum testimonium Gaufredi Prioris Vosiensis hoc tempore viventis, qui in suo Chron. apud Labbeum Tom. II Biblioth. pag. 324. scribit: *IX Kalend. Augusti venit Fredericus coram Papa Alexandro apud Venetiam, & incredibili honore susceptus, ante illum prostratus, elevatus a Pontifice & deosculatus est. Crastino festo B. Jacobi ferià secundà, idem Augustus ab ipso Papa apud S. Marcum sacram percepit communionem.*

communionem. Nam Joannes de Struma Schismaticus, qui Guidoni de Crema vel (quod adverbium hîc, ficut non rarò alibi, idem eft ac, *&*) *Octaviano fuccefferat, eidem Apoftolico fe fubdidit, pacemque largiens* (legendum, largiente) *Deo univerfalis Ecclefia recuperavit.* Memorata itaq; fabula non minus quàm quæ poft hæc tempora de *Joanne Papiffa* conficta fuit, exibilanda.

III. *Alexandri III litera ad Presbyterum Ioannem Indorum Regem.*

A num. XXXII ad XXXVI. Cùm *Alexander* III adhuc Venetiis ageret, accepit Epiftolam à *Joanne* Indorum Rege, vulgò *Presbytero* vel *Preteianne* appellato, occafione adventûs Philippi medici fui, qui ad partes illas peregrinatus fuerat. Hic enim cùm vidiffet fidem Chriftianam, quam populi illi amplectebantur, cum Romana in omnibus confentientem non effe, id Joanni Imperatori fignificavit, qui veritatis difcendæ cupidus per eumdem in Italiam remeantem fcripfit ad Alexandrum III literas, quæ quidem periêre, fed quarum mentionem facit idem Pontifex in fuis ad illum Imperatorem literis, recitatis à Baronio ex Hovedeno in part. pofteriori pag. 581. in quibus legitur: *data Venetiis in Rivo alto quinto Kalend. Octobris*, ideoque hoc anno, non verò anno MCLXXIX, quo eas, licet mutilas, refert Radulphus de Diceto pag. 608. aut anno MCLXXXI, quo eas fummariè exhibet Matthæus Paris. Radulphus illas his verbis incipit: *Alexander Papa Chariffimo in Chrifto filio Presbytero Joanni, illuftri & magnifico Indorum Regi*, uti etiam habet Joannes Brompton in Chron. ad hunc Chrifti annum, ubi eas integras producit. Hovedenus verò: *Chariffimo in Chrifto filio illuftri & magnifico Indorum Regi, Sacerdotum fanctiffimo.* Verùm hæc ultima verba à quopiam fciolo inferta fuiffe in exemplar, quo ufus eft Hovedenus, non videtur dubitandum, cùm defint etiam in exemplari lecto à Matthæo Parifio.

IV. *Mittit ad eum medicum fuum Alexander III.*

Ait in iis Pontifex fe *jampridem referentibus multis* accepiffe eum Chriftianum nomen profiteri, & à Philippo Medico fuo, quòd ad hoc firmiter intendat, *ut tu*, inquit, *& terra Tua fublimitati commiffa, nihil unquam videamini in fide veftra tenere, quod à doctrina Sedis Apoftolica diffentiat modo quolibet vel difcedat*: fe à Philippo accepiffe eum cupere *habere Ecclefiam in Urbe*, ubi viri prudentes de Regno ejus manere poffent: optare fe eum revocare *ab iis articulis*, in quibus errat *à Chriftiana & Catholica fide*, feque præfatum Philippum Medicum à fuo latere ad illum mittere, qui eum & fuos de articulis Chriftianæ fidei, in quibus à nobis difcordat, erudiat: denique fe libentiffimè ei Ecclefiam *in Urbe* conceffurum. Hæc fumma Epiftolæ Alexandri III.

V. *Presbyteri Joannis regnum non in Africa.*

Nunc inquirendum, qua in regione *Joannis Presbyteri* Imperium fitum fuerit. Baronii ætate communis ferè opinio erat, Præsbyterum Joannem alium non fuiffe, quam Imperatorem Abyffinorum feu Æthiopiæ. Cùm enim *Petrus Covillanus* ad eum Principem à Joanne II Lufitaniæ Rege miffus, audiffet in Æthiopia Principem quemdam effe potentiffimum, qui Chriftianam profiteretur religionem, ad ipfum fe contulit; cumque multa ibidem reperiffet, quæ de vero Presbytero Joanne apud Europæos percrebuerant, credidit illum effe, qui *Presbyter Joannes* dicebatur, & eumdem errorem in Europam invexit, ac facile omnibus pervafit. Verùm progreffu temporis à viris regionum illarum peritis & qui ad illas peregrinati funt, agnitum Joannis Presbyteri Imperium non in Africa, fed in Afia fitum fuiffe, & in hunc ufque diem magni iftius olim Presbyteri Ioannis veftigia reftare in Regno Tanchut, quod *Barantola* Tartari, Saraceni *Beratai*, & incolæ *Laffa* vocant. Hæc inter alios obfervavit Kircherus part. 2. Chinæ Illuftratæ cap. 1. fed in eo erravit, ut obfervat Iobus Ludolfus in fuo ad Hiftoriam Æthiopicam Commentario pag. 218. quòd Presbyteri Joannis imperium in Chataia collocaverit, & *Chitaiam* extra Chinam; nam inter Eruditos nunc convenit, *Matthæum Riccium* Præpofitum Patrum Societatis apud Sinas rectè docuiffe, nullum extra Sinas regnum nec urbem effe Chataiæ nomine. Regnavit itaque Ioannes Presbyter non in Chataia, fed in *Tenduc*, *Argon*, *Tangut*, *Tebet*, *Kitha*, *& Mogol*, & Chriftianam religionem Neftorianorum erroribus deturpatam profitebatur.

Paulus enim Marcus Venetus, qui circa annum MCCLXX loca illa perluftravit, lib. 1. cap. 64. ait; Ab Egrigaia provincia eundo verfus Orientem, *iter ad Tenduc* (vel Tanchut) *ducit; eft autem Tanchut regnum Tartaria, quod multa alia regna implicat, uti regnum Lafa, &c. atque hoc regnum plerique Geographi cum Catnio confundunt, in qua funt civitates, & caftra multa, ubi etiam manere confuevit Rex ille magnus, & tota Orbe terrarum nominatiffimus, vulgo Presbyter Joannes dictus. Modò autem provincia illa tributa pendit Magno Cham, habens Regem de progenie Presbyteri Joannis. Et licet ibi fint aliqui Idelolatra, & Mahumetani, tamen major pars Provincia obfervat Chriftianam, & hi Chriftiani primas tenent in hac provincia.* Non loquar hîc de *Chataia* intra Sinarum limites pofita, cùm legi poffint Auctores, qui de ea verba fecerunt. VI. *Sed in Afia fitum fuit.*

„ Baronius num. XXXV fcribit; Quæ autem „ fecuta fint ifta, nos latet, nifi quod five ab ip„ fo Alexandro Papa, five ab aliis ejufdem Se„ dis Apoftolicæ Pontificibus conftat Æthiopi„ bus iftis Regni Preteiani, Abyffinis dictis, da„ tam Ecclefiam S. Stephani protomartyris und „ cum ejus habitationibus, fitam poft abfidem „ Bafilicæ S. Petri, quam in hanc ufque poffi„ dent diem. Ita Baronius. Verùm, uti jam indicavimus, Alexander III in Epiftola *ad Presbyterum Joannem* data, quando loquitur *de fuis*, non Æthiopas, feu Abyffinos, fed Sinenfes feu populos Regni Tenduc aut Tanchot intelligit. Ea porrò Ecclefia hoc tempore ab aliis poffeffa; cùm nulli Abyffini feu Æthiopes nunc Romæ morentur.

VII. *Seculo fequenti nondum everfum fuerat.*

Quo verò tempore Regnum Presbyteri Ioannis finem acceperit, nos quidem latet, fed difcimus à Nangio in Chron. Davidem, qui filius ejus fuit, regnaffe ufque ad annum MCCII, quo hic Chronographus fcribit: *Tartari ab Oriente furgentes poft occifionem Domini fui David Regis India tunc primò exierunt in populorum deftructionem.* Eundem annum fignat Marinus Sanutus lib. 3. Fidelium crucis part. 13. cap. 3. qui capite fequenti refert, Davidem *quondam Joannis Presbyteri dominatoris & Regis India filium* Indis imperantem, cùm Tartaris novas angarias imponeret, ab eis occifum fuiffe cum tota familia, exceptâ unicâ ejus filia, quam quidem filiam *Cyngis Chaam* uxorem accepit. Vincentius Bellovacenfis utroque antiquior idem fcribit, eundemque annum notat, in Spec. Hift. cap. 69. additque Cyngim, *ut dicitur, de Davidis filia filios*

SÆC. XII. An. C. 1177. *filios generavit.* Idem fusè refert Joinvilla in Hist. Sancti Ludovici Francorum Regis pag. 90. & seqq. juxta editionem Ducangii, tum quod hujus rerum conversionis annum non exprimit. Hæc epocha certa videtur. Nec Tartari isti malè Christianos habuêre. Matthæus enim Parisius anno MCCXXXVII repræsentat Epistolam à Philippo Priore Ordinis Prædicatorum ad Gregorium X scriptam, dum in Oriente versaretur, in qua postquam locutus est de aliquibus Orientis Principibus, subdit: *de alio quoque, qui præest omnibus, quos Nestoriana hæresis ab Ecclesia separavit, (cujus prælatio per Indiam Majorem, & per regnum Sacerdotis Joannis, & per regna magis proxima Orienti, dilatatur) jam plures recepimus literas, quod fratri Willelmo de Monteferrato, qui cum aliis duobus fratribus linguam illam scientibus, apud eum aliquandiu commoratus est, promisit quod velit obedire, & redire ad gremium Ecclesiasticæ unitatis.* Qui vel solus locus demonstrat, Imperium *Joannis Presbyteri* in Asia locatum fuisse, non verò in Africa.

VIII. *Regnum illud non longè post initium hujus sæculi institutum.* Longè ante hæc tempora illud stabilitum fuisse testatur Guillelmus Tripolitanus Ordinis Prædicatorum in Gerardo Mercatore, asserens anno MXCVIII, quò *Antiochia* à Crucesignatis capta, *Coirem Chanum* fuisse dominum aut Regem regionum Orientalium Asiæ, eoque demortuo quemdam Presbyterum Nestorianum Regnum illud invasisse, & *Presbyterum Joannem* appellatum esse. De Presbytero Joanne prolixè agit Albericus in Chron. & Idem facit, anno MCLXV Legatos ad *Manuelem* & *Fredericum* Imperatores destinasse. Ibi autem eum Indorum Regem appellat. Rursus de eo anno MCLXX mentionem habet. Vixit Albericus Monachus Cisterciensis anno MCCXLII, & Guillelmus Tripolitanus anno MCCLXXIII.

IX. *Originationes omnes nominis Joannis Presbyteri fictitiæ.* Denique Ludolfus laudatus pluribus differit de etymologiis Presbyteri Joannis, seu cur ita vocatus fuerit, & Scaligeri lib. 7. de Emendat. Temp. in Notis ad Computum Æthiop. Golii in Notis ad Alfraganum pag. 89. aliorumque eam è lingua Persica derivantium opiniones profert, sed omnes mera conjectura, nullaque auctoritate nixas, ut ipsemet Ludolfus ostendit, qui simpliciorem quidem hujus vocabuli expositionem ex lingua etiam Persica deductam exhibet, secundum quam *Prester-Chan* idem est ac *Adoratorum Chanus*, sive *Christianorum Princeps*, sed non veriorem; nam ideo *Presbyter* appellatus fuit, quia revera Presbyter Nestorianus erat, ut mox ex Guillelmo Tripolitano insinuavimus. Cumque in Ecclesia Orientali licitum sit Presbyteris habitare cum uxoribus ante Sacros Ordines susceptos ductis, Ioannes iste ex sua genuit filium ac successorem nomine *Davidem*. Quia verò Ioannes Presbiter hoc anno in vivis adhuc fuit, apparet eum diu regnasse, & *Coirem Chanum* ejus decessorem, nonnisi longè post Antiochiam à Christianis captam obiisse. Joannes Presbyter anno MCXLV & antea regnabat, ut eo anno vidimus. Nec aliud mysterium in voce *Joannis Presbyteri* latet, ut hactenus Visis doctissimis persuasum fuit.

X. *Nomen Presbyteri Ioannis Scriptoribus Orientalibus incognitum.* Primus omnium Scaliger vocis *Joannis Presbyteri* etymon perscrutatus est, aliisque idem faciendi viam aperuit, sed tempus & operam perdidit, & plerique ex aliis etymologiis ab eo dissensêre, ac inter se decertarunt. Hanc difficultatem ut certius solverem, petii ab amico in lectione Scriptorum Orientalium versatissimo, ut videre vellet, quid in illis de celebratissimo isto Presbytero reperiretur, qui respondit, Principem Asiaticum ab Europæis Presbyterum Joannem cognominatum, in libris Orientalium non solum eo nomine non appellari; sed neque aliquo alio, quod ad illud similitudine accedat; & vetustos Auctores Italicos, qui primi ejus mentionem fecêre, vocare eum, *Il Prete Gianni*, non verò, *Presto Gianni*; cùm tamen littera S. istis etymologiis prorsus necessaria sit, & sine illa omnia eorum systemata corruant. Denique illa evertit Otto Frisingensis, qui hujus Principis tempore vixit, quem quidem asserit nominari solitum *Presbyterum Joannem*, sed ipsemet eum *Sacerdotem* appellat, ut videre est anno MCXLV num. IX.

XI. *Adalbertus removetur ab Archiepiscopatu Saltzburgensi.* A num. LXXIII ad LXXVI. Suo loco ostendimus *Conradum* Imperatoris consobrinum Electum Archiepiscopum Moguntinum, rejectum ab eo fuisse, quod *Alexandro* III adhæreret, & *Christianum* Archicancellarium Imperatoris ab eo in sedem Moguntinam intrusum. Præterea *Conrado* Saltzburgensi Archiepiscopo anno MCLXVIII demortuo *Adalbertum* Regis Bohemiæ filium Electum, consecratumque Archiepiscopum, sed hunc pariter ob eamdem rationem admissum non fuisse. Quid verò in utriusque Archiepiscopi causa hoc anno actum fuerit, narrant Acta Alexandri III à Baronio citata, quæ confirmantur à Chronographo Reicherspergensi, qui hoc tempore florebat: *Anno MCLXXVII post multas tribulationes, multaque gravamina, quæ peccatis exigentibus perpessa est Ecclesia in illa nota dualitate per annos ferè viginti duos* (delenda vox *duos*, ut initium schismatis demonstrat) *tandem repropiciato domino; quia non in æternum obliviscetur misereri, facta est concordia inter dominum Papam & Dominum Imperatorem, mediantibus quibusdam magnis regni Principibus. Tunc ex utraque parte, Domni videlicet Papæ Synodus Episcoporum, & Imperatoris Curia Principum collaudata & indicta est. Quâ per aliquod tempus exspectatâ, tandem apud Venetiam congregata est IX Kal. Augusti præsentibus domno Papa, & domno* (legendum, Domino) *Imperatore: qui & ibidem pacificati, & pax inter eos firmata est. Domnus quoque Adalbertus Saltzburgensis Archiepiscopus vocatus per literas Apostolicas, venit illuc. Sed domnus Apostolicus nimium tunc primùm credulus verbis adversariorum ejus, statim, ut Curia Imperatoris haberi cœpit, persuasit, & jussit eum cedere loco; illeque renuti non poterat; quia non erat, qui adjuvaret. Tunc missæ sunt litteræ à domno Papa, & à Domino Imperatore omnibus in Episcopatu Saltzburgensi constitutis.*

XII. *Quo Conrado Palatium conceditur.* Refert postea Chronographus literas Alexandri III Capitulo Saltzburgensi, & Prælatis Ecclesiarum illius Metropolis datas *Venetiis in Rivo alto V Idus Augusti.* In iis ait Pontifex *Adalbertum quondam* eorum Archiepiscopum, videntem necessitatem Ecclesiæ Saltzburgensis, & quòd ipse Imperatoris gratiam recuperare non posset, resignasse in manu sua Ecclesiam Saltzburgensem, & Gurcensem ac Pataviensem Episcopos Ecclesiæ Saltzburgensis Prælatos, de celebranda electione, mandato suo recepto elegisse *Conradum* quondam Moguntinum Archiepiscopum, seque eorum electioni assensum præstitisse. Scripsit etiam *Fridericus* Imp. omnibus

Prælatis

Prælatis Saltzburgensis Ecclesiæ, Clero & populo, significavitque, quoniam per duos sibi invicem oppositos Ecclesia graviter distracta fuisset, tam domno Papæ, quàm sibi visum fuisse utile utrosque removeri, & accedere ad electionem novi Archiepiscopi, ac eam cecidisse in personam *Conradi Palatini* consanguinei sui: denique se eos commonere, ut quod tam à domno Papa quam à se factum est, ratum teneant. Literæ datæ sunt *Venetiæ.* Sicque *Adalbertus* sine Archiepiscopatu remansit; mortuo tamen *Christiano* Moguntino Archiepiscopo *Conradus* Palatinus rediit ad Ecclesiam Moguntinam, & *Adalbertus* ad Saltzburgensem, ut suo loco narrabimus.

XIII. *Eskylus Archiep. Lundensis Monachum induit.*

Ad num. XCI & seq. *Eskylus* Archiepiscopatu Lundensi, Legatione Sedis Apostolicæ, patriâ, cunctisque desertis Claramvallem iterùm venit, ibique Monachum induit, postquam antea juxta facultatem ab Alexandro III sibi factam successorem designasset. Substituit sibi *Absalonem* Roschildensem Episcopum propinquum suum, magnæ sanctitatis virum, qui non nisi pia plebis violentia perductus est ad Sedem Pontificali fastigio consecratam, uti narrat Saxo Grammaticus hujus temporis Auctor in lib. 14. & ex eo Baronius. *Eskylus* patriâ Danus, Regio genere ortus, Legatus fuit per provinciam Daniæ & Sueciæ, quam dignitatem magna cum Ecclesiæ gloria exercuit. Auctores tamen Dani pro suo quisque affectu eius actiones commendant, aut damnant. Saxo Grammaticus non paucas, neque obscuras in deteriorem partem interpretatur, sed Krantsius non solum excusat, verum extollit. Sunt tamen aliqua, quæ omnes in eo laudent, ingentem animi liberalitatem, & Zelum religionis Christianæ propagandæ, ut videre est apud Manricum in Annal. Cistere. hoc anno cap. V & seq.

XIV. *Obitus S. Galdini Cardinalis.*

Ad num. XCIV. Obitus Sancti Galdini Cardinalis & Archiepiscopi Mediolanensis anno superiori contigit, cum Auctor Anonymus ejus Vitæ coævus scribat: *Cùm omnes ferè Suffraganeos suos suis consecrasset temporibus, jamque civitas & Ecclesia sua, Domino faciente, ad pristinum statum esset restituta, capit hæresis Catharorum in civitate pullulare, distractionis & schismatis præcedentis causâ: quæ usque adeo peccatis exigentibus creverat, ut multi ipsam hæresim, aliosque errores ausu temerario publicè prædicarent, & multæ simplicium animæ laqueis diabolicæ fraudis caperentur. Huic igitur sævissimæ pesti vir sanctus se opponens, multis sermonibus, prædicationibusque populum suum ab illo stultæ errore & vesania retrahebat; atque eum rudimentis Catholicæ fides, quantum poterat, instruens, verbo proficiebat & exemplo. Cùm autem decennium in suo explesset Episcopatu, eodem die quo consecrationem, celebrata dominicæ Resurrectionis solemnitate, secundà post Pascha die dominicâ, in hæreticos zelo Dei accensus sanctæ Theclæ Ecclesiam petiit, de more divina in ea Officia peracturus. At quia corporis multa debilitate laborabat, Missarum solemnia à suprà memorato Cimiliarcha* (nempe Algisio Provano), *qui postea successit, celebrari præcepit. Ipse verò confessione cum Fratribus facta, priusquam Evangelii lectio populo recitaretur, pulpitum ascendens, contra præmemoratos Catharos, eorumque complices præclarissimam habuit orationem, eorum errores multis argumentis & rationibus apertissimè, & quantum oportebat confutans, fidemque Catholicam multis sanctorum Patrum & Evangelicis comprobans scripturis.* Post aliqua interposita subdit: *Obiit autem B. Galdinus anno Natalis dominici MCLXXVI, Aprilis XVIII.* Apud Monbritium, qui nobis hanc Vitam conservavit, legitur, *anno MCXXVI* omisso numero L; *Aprilis XIX,* loco XVIII, qui uterque error optimè à Puricello in Monument. Basil. Ambros. num. 543. & seq. emendatus.

XV. *Floret S. Benedictus fundator pontis Avenionensis.*

Ad num. XCV. Pluribus agitur de sancto Benedicto, vulgò *San Benezet*, fundatore pontis Avenionensis, in Actis SS. Bollandianis ad diem XIV Aprilis, quo colitur. Contentus ero hîc referre, quæ de eo habet Hugo Monachus Præmonstratensis cœnobii sancti Mariani Autissiodorensis, qui hoc tempore vivebat. Is in Chronico suo, cujus Collectanea edidit Nicolaus Camuzatus, eaque Roberto Autissiodorensi perperàm attribuit, uti suprà visum est, ad hunc Christi annum scribit: *Ipse anno venit apud Avenionem adolescens, nomine Benedictus, dicens se à Domino missum, ut pontem super Rhodanum construeret: qui derisus est, cùm sumptus non haberet, & cùm præ magnitudine nemo crederet hoc facturum; sed populi ab eo nutu divino commoniti, illud opus citiùs perfecerunt.* Idem fere habet Nangius in Chron. hoc anno. Dein Hugo ad annum MCLXXXIV: *Benedictus, Avenionensis pontis auctor, sanctæ admodum vitæ juvenis, obiit, sepultusque est super pontem illum mirificum, magna jam ex parte constructum, ab ejusdem pontis initio septem annis circiter jam decursis.* De Translatione corporis sancti Benedicti ab aliquot annis facta, postquam pars pontis cecidit, legenda præfata Acta SS. Bollandiana.

XVI. *Hæresis in Gallia ingravescit.*

Hoc tempore hæresis in variis Galliarum partibus invalescebat; nam Bernardus Guidonis Episcopus Lodovensis in Gestis Lemovicensium Episcoporum apud Labbeum Tom. II Biblioth. pag. 269. agens de Geraldo Episc. Lemovicensi hujus nominis II ait: *Interemit cum militia & populo terræ, Deo adjuvante, in territorio Brivensi duo millia & amplius Barbansonum seu Scotellanorum* (vel Cotarellorum), *qui terram devastantes Ecclesias quoque devastabant juxta castrum nunc inde à Malamorte appellatum, cùm antea Bellefort nuncuparetur: quod actum est in die dominica Cœnæ mense Aprilis anno Domini MCLXXVII.* Gervasius verò in Chron. hoc anno habet: *Pullulaverat his diebus in Tolosani Comitis territorio hæresis maligna, quæ fidem & orthodoxorum Patrum Ecclesiastica instituta evacuans, non solum vulgus simplex, sed & Ecclesiæ Dei Sacerdotes & Episcopos cum Principibus laicis tabe confecit nefanda. Hujus hæresis detestanda perversitas in literis Comitis Tolosæ faciliùs poterit agnosci, quas idem Comes generali Capitulo misit Cisterciensi.*

XVII. *Censet Raimundus V Comes Tolosæ ad eorum Cistercienses scribit.*

Literæ illæ scriptæ à Raimundo V Comite Tolosano nominatissimi Raimundi de sancto Ægidio nepote ex Alphonso filio, in quibus inter alia ait: *Qui sacerdotio funguntur hæresis fœditate depravantur, & antiqua olimque veneranda Ecclesiarum loca inculta jacent, diruta remanent, baptismus negatur, Eucharistia abominatur, pœnitentia parvi penditur, hominis plasmatio, carnis resurrectio abnegando respuitur, & omnia Ecclesiastica sacramenta annullantur, & quod dici nefas est, duo etiam principia introducuntur.*

cuntur. Paulò pòst · *Scuote, quia intantum hæresis virulenta inviscerata manet, quod nisi manu Dei valida, ejusque brachio extento extirpari non potest. Talium namque caput induratum quasi lapis sic manet, ut in stipulam et fundantur lapides funda. Quoniam igitur spiritualis gladii virtutem nil perficere posse cognoscimus, ad tantam hæresis pravitatem extirpandam, oportet, ut corporalis gladii animadversione compellatur. Ad quod peragendum dominum Regem Francorum* (Ludovicum VII) *accersiri vestris ex partibus persuadeo, quia per ipsius præsentiam tanta mala finem suscipere suspicor. Ipsi quippe præsenti civitates aperiam, vicos & castella sub eius censura tradam, hæreticos ostendam, & usque ad sanguinem in quocumque nostri indiguerit negotio, ad conterendos hostes, & omnes Christi inimicos illi assistam.* Huc venit anno sequenti Ludovicus VII, ut ibi videbimus.

XVIII. *Fundatio Beguinarum.* Præerat hoc tempore Ecclesiæ Leodiensi *Radulphus*, qui avaritiæ facibus succensus in foro rerum venalium vendi faciebat præbendas & beneficia, ut refert Aegidius Monachus Aureæ vallis in Episc. Leodiensibus cap. 52. Itaque cùm hujusmodi vitiis contaminatum esset Leodium, *suscitavit Deus spiritum sancti cujusdam Sacerdotis viri religiosi, qui Lambertus le Begues, quia balbus erat, de sancto Christophoro dicebatur, cujus cognomine mulieres & puellæ quæ caste vivere proponunt, Beguines* Gallicè *cognominantur, quia ipse primus extitit, qui eis præmium castitatis verbo & exemplo prædicavit*, quæ accepit Aegidius ex Auctore anonymo Vitæ sanctæ Odiliæ. Auctor magni Chronici Belgici pag. 193. ait *Lambertum* construxisse Ecclesiam sancti Christophori, & ibidem sepulturam accepisse *anno Raaulphi VI, septimo Kalendas Julii, anno sc. salutis MCLXXVII.*

XIX. *Earum institutum adhuc perseverat.* Commentitium itaque quod multi tradunt, eas à *sancta Bagga* Pippini Landensis filia & S. Gertrudis sorore nomen & originem accepisse; cùm id gratis & sola nominis similitudine innixi asserant; contrà verò eam institutionem Auctores coævi & suppares adscribant *Lamberto* apud Chapeavillum lib. 2. Episc. Leodiensium pag. 128. qui antea pag. 118. dixerat, quæ scribit Aegidius de Radulpho, hausisse ex anonymo Scriptore eruditissimo, qui tempore Hadriani IV Papæ floruit, & sequenti seculo, quo S. Odila & B. Joannes Abbatulus filius eius vixêre, Vitam eorum scripsit, quæ adhuc inedita est. In Concilio Viennensi anno MCCCXII celebrato Beguinæ damnatæ; Constitutiones, tamen *quæ Clementina communi vocabulo nuncupantur (eo quod per dominum Clementem Summum Pontificem in Concilio Viennensi edita fuissent), cùm propter multas latas excommunicationes, & ceteras juris pœnas in ipsis contentas nimis rigidæ viderentur, ad tempus suspensas, Joannes Papa XXII fecit Parisius & in aliis studiis solemnibus sub bulla publicari,* inquit Continuator Nangii ad annum MCCCXVI, qui addit, Beguinas *nonobstante condemnatione statûs earum processu temporis* convaluisse; *cùm longè melius sit eas sic esse, quàm laxatis habenis in seculi pompis & vanitatibus evagari; inter ipsas enim sunt multæ bonæ & religiosæ personæ, & inter ipsas exercentur opera pietatis.* Durat adhuc earum institutum, tam in Belgio, quam in diœcesi Leodiensi, & quæ illud profitentur, possunt ad nuptias transvolare. Hæc ad supplendos Annales Spondani & Raynaldi, qui de Beguinis parum edocti fuere. Supersunt etiam aliqua Begardorum, qui in eodem Concilio suppressi fuerant, monasteria.

XX. *Quis auctor Magni Chronici Belgici.* Porrò Auctor Magni Chronici Belgici numero penultimo à nobis laudati Opus illud scripsit anno MCCCCXCVIII, ut ipsemet non semel testatur ad annum MCCCCIX, ibique se dicit Monachum Canonicorum Regularium Ordinis sancti Augustini in monasterio prope Nussiam, quæ urbs est ad Rhenum in diœcesi Coloniensis sita. Ipse quidem potius Collector, quam Auctor, sed viderat aliquos Scriptores vel nunc deperditos, vel nunquam in lucem datos. A Christo exorditur, sed priora secula vel fabulis vel anachronismis deturpata. Opus illud publicatum à Joanne Pistorio in Collect. Script. Rerum Germanicarum.

XXI. *Rex Angliæ, Castellæ & Navarræ Reges inter se conciliat.* *In Quadragesima*, inquit Gervasius in Chron. *venerunt ad Regem Angliæ spectabiles viri juris periti, & mirabiles causidici missi a dominis suis duobus Regibus Hispaniæ, Adelphonso sc. Rege Castellæ* (hujus nominis VIII), *& Sanctio Rege Navarræ. Dum enim sibi invicem adversarentur licet cognatione conjuncti, prædis tamen & præliis operam dabant. Cum autem nulla ratione vel Sapientum industria nequirent paci consentire, vix tandem intermeantibus amicis præbuerunt assensum, ut Regis Angliæ Henrici* (hujus nominis II) *de pace facienda subirent arbitrium. Astiterunt itaque Regis Angliæ solio prædicti Nuncii Regum Hispaniæ, causas suas in contrarium proponentes, & diversis anfractibus rationibus rethoricis verisimiliter explicabant. Accepto tandem post Pascha de causa sua tanta versutia intricata Regis judicio, læti reversi sunt, dominosque suos Reges, Regumque populos paci restituerunt & tranquillitati.* Fusiùs rem narrat Hovedenus, & utriusque Regis rationes, ac sententiam ab Henrico II Rege datam exhibet pag. 562. & seqq. Moretus tamen in Investigat. Navarræ pag. 667. & seq. sententiam hanc fuisse ambiguam, obscuram, & novorum dissidiorum originem asserit. Hi Reges nonnisi post biennium inter se convenêre, & tunc Henrici Regis sententia executioni data fuit.

XXII. *Præclara de Saladino Crucesignatorum victoria.* Victus hoc anno à Crucesignatis Saladinus, uti Guillelmus Tyrius lib. 21. cap. 23. aliique referunt. Rem summariè narrat Chronographus Aquicinctinus: *Princeps Antiochenus & Philippus Comes Flandriæ, congregato undecumque exercitu copioso, castellum Harene, Christianitati superioribus annis violenter ereptum, omni ex parte obsident. Quo nunciis intervolantibus comperto, Salahadinus Princeps Damasci, putans omni militum solatio Hierosolymorum civitatem destitutam, congregatis Turcorum seu Saracenorum Admiraldis à Damasco, civitatem Hierusalem, prout superbo cogitabat animo, capturus, & totam deleturus Christianitatem, adjuncta secum sagittariorum & rusticorum innumera turba Gazam pervenit. Exhinc Hierosolymorum iter arripiens, Regem ipsius civitatis* (sc. Balduinum IV) *& Templarios milites cum cruce Dominica, parvoque armatos milite, sed fide Christi animatos, obvios excepit. A quibus victus, confusus & confuscatus, omnibus penè suis gladio seu flumine, qui interfluebat, consumtis, totus sanguineus suorum militum cæde, in Damascum sanguineam regreditur. Actum est hoc à Christianis victoriosum bellum feriâ VI ante natale B. Andreæ Apostoli*; die nempe XXV mensis Novemb. qui hoc anno

in

SÆC. XII. An. C. 1177.

in feriam VI incidit *) Philippo Comite, & Principe Antiochena cum suis exercitibus in obsidione Harenc laborantibus.* Diem etiam prælii notavit Tyrius his verbis: *Collatum nobis est hoc tam insigne & seculis memorabile beneficium, Divinitus, anno domini Balduini IV, tertio* (legendum, quinto, observandumque Librariorum errore numeros sæpe in Tyrio depravatos) *mense Novembre, septimo Kal. Decemb. die festo Sanctorum Martyrum Petri Alexandini & Katerinæ virginis*, die nempe XXV mensis Novembris. Ex hostibus præter illos qui fuga saluti consuluêre, *alii omnes aut capti, aut gladiis interempti, graviores exitus sunt consecuti*, inquit Tyrius. Sed obsidio castelli *Harenc* felicem exitum non habuit, ut anno sequenti dicetur.

XXIII. *Floret Joannes Cinnamus.*

Florebat hoc tempore *Joannes Cinnamus*, Grammaticus, idest, Notarius ac Secretarius Manuelis Imperatoris, cujus Comes fuit in expeditionibus militaribus. Libros Alexiadum *Anna Comnena* excepit, & Historiam suam exorsus ab excessu *Alexii Comneni* Imp. Annæ parentis, res à *Joanne Imperatore*, Alexii filio, & Annæ fratre compendio, diffusè verò *Manuelis*, Joannis filii gestas complexus est, ut ipsemet testatur lib. 1. cap. 1. sed incertum, an Opus suum absolverit, vel an illud ad nos mutilum pervenerit; cum usque ad *Manuelis* obitum non pertingat. Parum æquus fuit in Romanos Pontifices, Imperatores Germanicos, atque adeo in Latinos omnes, ex innato Græcanicis ingeniis in illos odio; quod ceteris etiam Scriptoribus Byzantinis familiare. Eam Historiam Cornelius Tollius Ultrajectensis post Baronii mortem Trajectensibus typis anno MDCLII in lucem protulit & post aliquot annos Ducangius typis Regiis iterum publicavit, & uterque eam Notis illustravit. De *Cinnamo* plura Allatius in in Diatriba de Simeonum Scriptis pag. 150. & ejus Interpretes citati.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6671.

Anno Eræ Hispan. MCCXVI. Anno Hegiræ DLXXIV inchoato die 19. Junii fer. 2.

Ott. A. Dr. P. 9. April. Indict. 11.

JESU CHRISTI 1178.

ALEXANDRI III PAPÆ 20.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 27. IMP. 24.

MANUELIS COMNENI IMP. 36.

I. *Callistus III pseudo-Pontificatum deponit.*

A Num. I ad VIII. Narrat Baronius finem schismatis, & accessum Alexandri III ad urbem Romanam ex Actis Alexandri III, quibus Historici mirè consentiunt. Anonymus Casinensis in Chron. hoc anno habet: *Joannes Abbas Strumensis, qui vocabatur Papa Callixtus, in Decollatione B. Joannis Baptistæ Tusculanum ad pedes Domini Alexandri Papæ III venit, qui postea Rectorem Beneventi constituit.* Joannes verò de Ceccano in Chron. *IV Kalend. Septembris Joannes Strumi Tusculanam venit, & Alexandro Papæ satisfecit, & pœnitentiam egit, circum eum permansit*, seu, ut scribit Romualdus Salernitanus Archiep. *Papa eum & in curia, & in mensa sua honorificè habuit.* Addit Marius Vipera in Archiep. Benevent. Papam eum constituisse Beneventanum Archiepiscopum, & illius urbis Præfectum, sed hoc anno demortuum esse. Joannes de Ceccano citatus meminit alius pseudo-Pontificis, nec à Baronio, nec ab Oldoino in Hist. Card. memorati, licet ejus Onuphrius in Chron. aliique quidam mentionem fecerint. Hæc Joannis de Ceccano verba: *Tertio Kalendas Octob. quidam de secta schismatica inito consilio Landum Sitinum elegerunt in Papam Innocentium, ab eodem est consecratus.*

II. *Innocentius III Antipapa in caveâ includitur.*

Schismatici, ut legitur in Auctario Aquicinctino ad annum MCLXXIX, anno scilicet uno seriùs quàm oportuit; *quietem non ferentes Ecclesiæ iterum quemdam Clericum de progenie illorum, quos Frangipanes Romani vocant, contra Papam Alexandrum, Antipapam statuunt, quem mutato nomine Innocentium III vocitarunt. Quem quidam miles, frater Octaviani, qui per contentionem cum Alexandro provectus fuerat, propter odium Papæ manu tenebat, tradita ei turri vel munitione sua, quam juxta Romanam civitatem fortissimam habebat. At istius violentiâ supra ceteros schismaticos afflictus Papa, communicato cum Cardinalibus consilio, pace cum Cardinalibus, propinquis prædicti Octaviani reformata, præfatam munitionem à prædicto milite magno pretio comparavit. Sicque per industriam Hugonis Diaconi Cardinalis, qui & ipse inter Romanos nobilissimus erat, præfatam cepit, cum sæpe facto Pseudo-Papa, munitionem: qui ad pedes Domini Papæ adductus, in cavea est perpetuo clausus.* Hugo iste, aliàs Hugutio seu Hugezus, Romanus, fuit ex familia Petri Leonis, Presbyter Cardinalis tit. S. Clementis, ac præcipuus auctor, ut populus Romanus æquas pacis conditiones Pontifici offerret. Porro Chronographus iste uno tenore narrat, quæ diversis annis accidêre; neque enim ante annum MCLXXX Innocentius Antipapa captus, ut ibidem monstrabimus.

III. *Alexander III Romam redit.*

Quarto Idus Madii, ait Joannes de Ceccano, *ibat Papa Romam cum Cardinalibus & Episcopis, quem receperunt Romani honorificè*, sed loco, *Madii*, legendum, *Martii*. Acta enim Alexandri III testantur eum in festo S. Gregorii Papæ *ante dominicam, Lætare Jerusalem*, exivisse de Tusculano, & profectum esse in Urbem *non sine multa gloria & honore*. Festum autem Sancti Gregorii Magni cadit in IV Idus Martii. De solemni ejus Romam introitu Radulphus de Diceto pag. 599. ad hunc annum scribit: *Alexander Papa, Schismaticis ad unitatem Ecclesiæ redeuntibus, solemni processione receptus est Romæ die Dominica, qua cantatur, Lætare Ierosolyma*, Dominica nempe quarta Quadragesimæ; sed aliquot ante eam dies *Alexandrum* III Romam pervenisse ejus Acta docent.

IV. *Reges Franciæ & Angliæ Tolosam adversùs hæreticos proficiscuntur.*

Ad num. XVII & seqq. diximus anno superiori *Raimundum* V Comitem Tolosanum scripsisse ad Cistercienses, ut curarent *Ludovicum* VII Francorum Regem in suas terras venire; cum nonnisi eo præsente vix hæresis, quæ eas affligebat, eradicari posset. Raimundi Comitis consilium optimum visum fuit; cùm Hovedenus pag. 573. & seqq. cujus fusam narrationem exhibet Baronius, testetur tam *Ludovicum* VII Franciæ, quam *Henricum* II Angliæ Reges hoc anno illuc profectos esse, &, ut hæresis illa extirparetur, nihil prætermisisse. Robertus de Monte in Chron. hoc anno hanc in rem scribit: *Hæretici, quos Agennenses vocant, & alii multi convenerunt circa Tolosam, malè sentientes de Sacramento Altaris, & de conjugio, & de aliis Sacramentis: ad quorum confutationem Petrus Legatus Romanus, & multa alia religiosæ per-*

sina cum prædictis Regibus (nempe Franciæ & Angliæ) *convenerunt, & parum profecerunt*, ubi Agennensium nomine Robertus Albigenses intelligit, qui variis nominibus appellabantur.

V. *Fridericus Imp. apud Arelatem coronatur.* Fridericus Imp. hoc anno in Germaniam rediit, Christiano Archiepiscopo Moguntino ad Italos in fide continendos relicto. *Frederic*, inquit hoc anno Galvaneus Flamma in magno Chronico cap. 296: *vadens in Alamaniam per quinque annos ibi moram contraxit, & transivit per civitatem Mediolanensem honorificè susceptus.* Ibi, ut habet Chronicon, cui titulus Flos florum, *treguam reformavit.* Ad quæ verba Puricellus in Monum. Basilic. Ambr. num. 571. ait, *illam utique sexennem, quæ Venetiis anno superiore sancita jam fuerat ex Augusti nunc Kalendis inchoanda.* Antequàm verò in Germaniam pergeret, profectus est in Regnum Burgundiæ, & Arelatem venit, ubi jurium omnium exemptionem Arelatensibus Canonicis aureâ bullâ concessit ipso die, quo coronatus est. Servatur ea in archivis Ecclesiæ Arelatensis, ut notavit Petrus Saxius in Pontificio Arelatensi in Raimundo à Bolena Archiepiscopo, & in ea hæc leguntur: *Acta sunt hæc anno dominicæ Incarnat. MCLXXVIII indict. XI regnante domino Federico Roma Imperatore gloriosissimo anno regni ejus XXVII, imperii autem XXIV feliciter. Amen. Datum in Palatio Arelatensi III Kalend. Augusti mensis die dominico, quo coronatus est in Ecclesia Arelatensi Imperator.* Meminit & Saxius alterius Chartæ ibidem datæ, cujus hæc est subscriptio: *Facta verò est hæc transactio in porta Sancti Stephani anno D. N. J. Christi MCLXXVIII XVII Kal. Julii regnante Imp. Federico, qui VII Kal. Augusti sequentis cum uxore natoque Philippo venit Arelatem coronandus anno XV Archiepiscopatûs Raimundi Arelatensis.* Erravit itaque Radulphus de Diceto, qui in Imag. Hist. pag. 600. de Federico ait: *In assumptione B. Virginis coronatus est Arelate.*

VI. *Castrum Harenc à Crucesignatis obsidetur.* *Philippus* Flandriæ Comes in obsidione *Harenc* anno superiori inchoata parum proficiens, præsenti procinctum solvit circa diem Paschalem, & in Flandriam rediit, inquit Chronographus Aquicinctinus hoc anno. *Comes & qui cum eo erant*, ait Tyrius lib. XXI cap. XXV, *in obsidione supradicti castri perseverabat, sed inutiliter; nam in dissolutionem dati, aleis & ceteris noxiis voluptatibus majorem dabant operam, quàm disciplina militaris aut obsidionis lex exposceret; continuis itineribus Antiochiam properabant, ubi balneis, commessationibus, & ebrietatibus & ceteris lubricis voluptatibus dediti desidiis* (legendum, *desidis*, idest, ignavi & desides) *obsidionem deserebant. Sed neque ij, qui ibi juges & assidui videbantur, negligentiâ torpentes aliquid utilitatis operabantur, terebant otia, & palustres trahebant dies* (idest, se se crapulæ dabant; *omnes enim ebriosi*, inquit S. Augustinus Serm. de tempore 231. *tales sunt, quales paludes esse videntur*, &c.) *Ipse etiam Comes singulis diebus minabatur, quod eum redire oporteret, quodque invitus ibi detinebatur: quod verbum non solum eos, qui in obsidione erant exterius, ab honesto revocabat proposito; sed etiam obsessos reddebat ad resistendum promptiores: sperantes enim in vicino solvendam obsidionem, proponebant hoc modico tempore melius esse cuncta tolerare, etsi dura viderentur quæ possent inferri, quàm municipium fides sua creditum, invisis prodere gentibus, & proditionis notam incurrere perpetuam.*

VII. *Solvitur obsidio.* *Erat autem prædictum castrum in edito loco situm, in colle constitutum, quis ex maxima parte videbatur congestum ex uno solo latere impugnantibus aditum præbens: in reliquis autem etsi assultus dare volentibus minimè pervium, tamen undique machinis liberè poterat flagellari. Post varios igitur eventus & frequentes assultus, quibus si ex animo res gesta esset, & propitia adesset divinitas, posse capi videretur, decidit res in negligentiam, ut prædiximus; & peccatis nostris exigentibus, ita omnis nostrorum emarcuit virtus, & evacuata est omnis prudentia, ut cùm jam qui inclusi tenebantur, in supremam desperationem incidissent, nostri cœperint de reditu ad propria tractare. Admirari non sufficimus (esse enim videtur amplius opinione hominum) quod tantis Principibus tantam induxit dominus mentis caliginem; & ita in indignatione sua eos cæcitate percussit, quod nemine compellente, castrum jam pene expugnatum, sola stimulante invidia & negligentia revocante, hostibus dimitterent. Videns ergo Dominus Princeps* (nempe Antiochenus) *quod ita Comes Flandriæ fixerat propositum, quodque in hoc verbo irrevocabiliter erat obstinatus, sumta ab obsessis, in incerta nobis quantitate, pecunia, obsidionem solvit.*

VIII. *Obitus S. Hildegardis.* Hoc anno *S. Hildegadis* Abbatissa in Monte Sancti Ruperti prope Bingium in diœcesi Coloniensi, ad Deum migravit, Theodoricus enim Abbas, qui anno MCC floruit, in ejus Vita cap. ult. ait, eam *LXXXII ætatis suæ anno XV Kalend. Octob.* ad cœlestem sponsum migrasse. Subdit, id contigisse *primo corpusculo noctis dominica dies*; quare cùm XV Kalend. Octob. seu dies XVII mensis Septemb. hoc anno in dominicam incidat, evidens est, Trithemium in Chron. Hirsaug. quem passim alii sequuntur, perperam hanc mortem in annum MCLXXX distulisse. Fuit ea sanctitate & revelationibus illustris, quas jussu Eugenii III literis mandavit. Richerius, qui sequenti seculo vixit, in Chron. Senoniensi relato Tom. III Spicilegii Dacheriani, lib. 4. cap. 15. *ante hos annos fere triginta*, inquit, *fuit in inferioribus Alemanniæ partibus Sanctimonialis quædam inclusa sanctissimæ conversationis & vitæ, Hildegardis nomine, cui Deus etiam inter cetera gratiam Prophetiæ contulerat, & quod mirum est dictu, quod nunquam antea didicerat, linguâ loquebatur Latinâ, & scribebat. Prophetavit quippe de statu regnorum, & eventibus futurorum & inde libros propria manu conscripsit. Scripsit etiam librum medicinalem ad diversas infirmitates, quem ego Argentinæ vidi. Scripsit siquidem de Ordine futurorum Prædicatorum, & Fratrum Minorum, qui temporibus nostris primùm esse cœperunt*, &c. Aliqua ex ejus Operibus, licet non omnia extant Tom. XXIII Biblioth. Patrum edit. Lugdun.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6672. — *Anno Eræ Hispan. MCCXVII. Anno Hegiræ DLXXV inchoato die 8. Junii fer. 6.*

☉ 12. G. ☽ 2. P. 1. April. Indict. 12.

JESU CHRISTI 1179.

ALEXANDRI III PAPÆ 21.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 28. IMP. 25.

MANUELIS COMNENI IMP. 37.

I. *Concilium Lateranense III inter generalia XI.* ANnum. I ad XIV. Concilium Lateranense III generale & Oecumenicum ordine

ne XI hoc anno celebratum, ad quem Chronographus Reicherspergensis scribit: *Alexander Papa celebravit Synodum Episcoporum generalem, & valde celebrem in urbe Roma, mediâ Quadragesimâ idest IV. Idus Martii. Hæc Synodus congregata est toto ferè superiori anno per totum Romanum Imperium, cui etiam interfuerunt sexcenti vel amplius Episcopi.* Verum loco, *sexcenti*, legendum, *trecenti*, & hic error Librariis attribuendus; cum Chronographus iste non longe ab hoc tempore vixerit, & de Episcoporum numero ferè inter Antiquos constet. Continuator verò Chronici sancti Petri Vivi, qui etiam hoc tempore vivebat, ait: *Anno MCLXXIX. dominus Alexander Papa III. celebravit Concilium Romæ IV. Idus Martii, feriâ scilicet secundâ post medium Quadragesimæ.* Sed in Chronographo Reicherspergensi loco *IV Idus Martii*, legendum IV nonas Martii; numeri verò in Chronico Sancti Petri Vivi corrupti sunt, quod utrumque ex mox dicendis elicitur.

II. *Numerus Episcoporum.* Sed hæc magis discutienda. Labbeus Tom. X Concil. pag. 1530. exhibet Catalogum Episcoporum, qui Concilio Lateranensi III interfuere, sed ille mancus & imperfectus. Dacherius Tom. XII Spicilegii pag. 638. refert alium ex Codice MS. Monasterii de Brana Ordinis Præmonstratensis, antiquum & longè ampliorem; deductum, uti existimo, ex eo quem Tyrius lib. XXI cap. XVI dicit se confecisse *diligenter ad preces Sanctorum Patrum, qui eidem Synodo interfuerunt.* In Catalogo tamen isto Dacheriano deest *Rainaldus Abbas Ecclesiæ Montis Sion*, cum quo & quibusdam aliis ibidem memoratis, Tyrius dicit se ad Synodum profectum esse. Contra verò Tyrius non meminit *W. Glambulcpcensis Episcopi* provinciæ Palæstinæ secundæ, quòd forsan ibi personas tantum septem numeret cum quibus ipse Romam venit. Sed quidquid hac de re sit, in Præfatione præclari Catalogi Dacheriani dicitur, Concilium habitum esse *anno ab Incarnat. Domini MCLXXIX, Alexandri III Pontificatûs vicesimo, mense Martio, Indictione undecima* (legendum, duodecima), *quinta, & septima, & nona decima die mensis.* Additur Episcoporum numerum fuisse *trecentorum duorum.* In Catalogo à Labbeo edito nulla mentio v. g. istorum in Catalogo Dacheriano enunciatorum: *De Oriente provincia Phœnicis. W. Tyrensis Archiep. Jocius Acconensis Episc. Romanus Tripol. Provincia Celesirya W. Glambulcptensis Episc. Provincia Palæstinæ II. Heraclius Cæsariensis Archiep. Radulphus Sabestenus. Provincia Palæstina prima. Petrus Jerosolymitanus Ecclesiæ Prior loco Patriarchæ. Albertus Belemitanus Episc.* Inter nominatos tamen à Tyrio in sua Historia sunt prædicti Heraclius, Petrus & Albertus.

III. *Tres Sessiones in hoc Concilio habitæ.* Concilium tribus Sessionibus absolutum fuisse tam Catalogus Dacherianus, cujus verba mox retulimus, quàm Hovedenus in part. posteriori pag. 582. disertè testantur. Hæc Hovedeni verba, quorum tantum partem exhibet Baronius num. XIII: *Congregatis universis Romæ in præsentia Domini Papæ Alexandri, ipse Papa in Lateranensi Ecclesia, in eminentiori loco cum Cardinalibus suis, & Præfectis & Senatoribus, & Consulibus Urbis consistentibus, feriâ secundâ tertiæ hebdomadæ Quadragesimæ, quæ tertio Nonas Martii evenit, primum Concilii sui diem celebravit* (idest, primam Sessionem). *Similiter secundum Concilii sui diem celebravit quarta feria sequentis hebdomadæ, quæ secundo Idus Martii evenit* (seu die XIV ejusdem mensis) *In quo Concilio Willelmus Remensis Archiep. factus est Presbyter Card. ad tit. Sanctæ Sabinæ, & Henricus Abbas Claravallensis factus est Episcopus Cardinalis Albanensis. Et dominus Papa tertium Concilii sui diem celebravit* (tertiam sc. Sessionem) *secunda feria ante Dominicam in Ramis Palmarum, quæ XIV Kalendarum Aprilis evenit*, die nempe decima nona mensis Martii, quæ hoc anno in feriam secundam cecidit. In Catalogo quidem Dacheriano dicitur secunda Sessio die septima Martii habita, sed quemadmodum Librarius in indictione, ita & in illa Sessione describenda peccavit. De *Guillelmo à Campania*, vulgò *ad Albas-manus* cognominato, primùm Carnotensi Episcopo & Archiepiscopo Senonensi, dein Archiepiscopo Remensi Cardinali in hoc Concilio creato non semel egimus, rursumque de eo non semel sermo redibit; de *Henrico* Cardinali Albanensi infrà agetur; fuit enim unus ex illustrioribus hujus ætatis Cardinalibus.

IV. *Causa celebrationis Concilii.* Triplicem ob causam Concilium istud generale congregatum; primò, ut schisma penitus extingueretur, secundò, ut *Valdenses* hæretici damnarentur, tertiòque ut disciplina Ecclesiastica, quæ durante schismate labefactata fuerat, restitueretur. Et quia in Ecclesiis & monasteriis simoniaca labes, in Ecclesiasticis avaritia, & in laicis usura, aliaque vitia horrendum in modum grassabantur, iis malis *Alexander* III & sacra Synodus Canonibus viginti septem Tom. X Concil. legendis occurrerunt. Gervasius quidem in Chron. refert Canones viginti sex in hoc Concilio statutos, sed duos in unum confundit, & uno tenore recitat. Anonymus verò Casinensis in Chron. rectè quidem habet viginti septem, sed numeri in aliis, quæ de hoc Concilio habet, valde corrupti: *Alexander Papa*, inquit, *celebravit Concilium in Ecclesia Lateranensi mense Martii, ubi fuerunt Episcopi numero triginta & unus, exceptis Cardinalibus, qui fuerunt viginti duo, & exceptis Abbatibus, qui præ nimia multitudine numerari non potuerunt; ubi sancta Synodus promulgavit capitula XXVII*, sed error qui in numerum Episcoporum irrepsit, Caracciolo, qui illud Chronicon primùm edidit, attribuendus; Peregrinius enim in Notis ad illum Anonymum affirmat in omnibus MSS. legi, *Episcopi numero CCCI*, & Tyrius laudatus, qui habet CCC, loquitur numero rotundo; in Catalogo verò Dacheriano aliquos prætermissos fuisse jam indicavimus. Numerus Abbatum magnus sine dubio fuit, sed nonnisi verbis generalibus ab Antiquis expressus.

V. *Epocha hujus Concilii certa.* Annus celebrati Concilii in dubium revocari non potest. Tyrius quidem citatus cap. XXVIII ait: *Anno ab Incarnat. Domini MCLXXVIII, qui erat regni Domini Balduini quarti, annus quintus* (legendum annus sextus) *mense Octob. cum anno præcedente indicta esset per universum Latinorum Orbem Romæ Synodus generalis, ad eamdem Synodum vocati*, &c. Et paulò pòst sub eodem anno: *per idem tempus Romæ celebrata est Synodus in Basilica Constantiniana, quæ dicitur Lateranum, trecentorum Episcoporum*, sed mensem Octobrem ac Martium, quo Synodus habita, ad eumdem annum refert Tyrius, quia annum à Paschate

exorditur, sicque mense Martio currentis anni, annum adhuc MCLXXVIII numerabat; quare à communi sententia non discrepat, & ex eo loco intelligimus, cum annum, quem sæpiùs à die Natali Christi inchoat, aliquando à Paschate repetere, quod & aliqui alii per hæc tempora non sine Chronologiæ detrimento indiscriminatim faciunt. Præter Tyrium negotium facessere posset *Robertus de Monte*, qui non solum in Chronico Francofurti edito; sed etiam in eo quod Dacherius publicavit, & solus genuinus ejus fœtus est, Synodum hanc Lateranensem cum anno MCLXXX connexuit. Verùm jam sæpius monuimus, in eo Chronico numeros à Librariis transpositos fuisse, indeque anno illo multa refert, quæ ad hunc pertinere inter omnes convenit. Non loquar hîc de Eclypsibus, quarum mentionem facit, quas certum est præter mentem ejus aliis annis quam quibus contigerint, notatas fuisse.

VI. *Canon XXVII adversùs hæreticos editus.*

Canon XXVII, qui & ultimus, editus est adversùs hæreticos, in eoque inter alia dicitur: *Quia in Gasconia, Albegesio, & partibus Tolosanis, & aliis locis, ita hæreticorum, quos alii Cathares, alii Patrinos* (legendum, Patarenos, vel Patarinos) *alii Publicanos, alii aliis nominibus vocant, invaluit damnata perversitas*, &c. *Eos, & defensores eorum, & receptores, anathemati decernimus subjacere*, &c. *De Brabantionibus, & Aragonensibus, Navariis* (legendum, Navarris), *Bascolis, Coterellis & Triaverdinis, qui tantam in Christianos immanitatem exercent, ut nec Ecclesiis, nec monasteriis deferant*, &c. *similiter constituimus, ut qui eos conduxerint, vel tenuerint, vel foverint per regiones, in quibus taliter debacchantur, in Dominicis, & aliis solemnibus diebus, per Ecclesias publicè denuncientur, & eadem omnino sententia & pœna cum prædictis hæreticis habeantur adstricti.*

VII. *Cathari Manichæi fuêre.*

Hæretici illi se *Catharos*, idest, puros, sicut Calvinistæ in Anglia se se Puritanos, appellabant. Henschenius tamen in Notis ad Vitam Sancti Galdini Cardinalis & Archiepiscopi Mediolanensis ad diem XVIII mensis Aprilis pag. 595. ait, credibilius esse à vulgo Germanico, propter nocturnas coitiones contumeliæ causâ (dictio enim *Caters*, idest feles, seu lemures); vel ex obsoleta jam, sed apud Othfridum invenienda voce *Quaten*, *Quetten*, *garrire* factum eis esse nomen: quod hodie omnibus in Belgio ac Germania hæreticis commune manet, ut *Ketters* dicantur, sicut etiam nunc ab ista radice usurpatur in Flandria vel Germania verbum *Quetteren*, in eadem cum primitivo significatione. Sed quidquid de hac Ethymologia sit, *Cathari* meri Manichæi erant, & non solum in Italia ac Francia; sed etiam in Germania extendebantur, ut manifestissimum fit testimonio *Eckberti* Schonaugiensis hoc tempore viventis in suis Sermonibus *adversùs Catharos* habitis, qui extant Tom. XXIII Biblioth. PP. edit. Lugdun. In Epistola enim Dedicatoria ad *Raginoldum* seu *Raimaldum Archiep. Coloniensem*, ait: *In vestra diœcesi frequenter contigit deprehendi quosdam hæreticos*, &c. Hi sunt, quos vulgò Catharos vocant, &c. In Sermone primo: *Secta eorum de quibus agimus, originem accepit à Manichæo hæresiarcha.* Hovedenus, qui antiquas hæreses non bene distinguit, ad annum MCLXXVI ait: *Damnata est Ariana hæresis* (ubi Arianos pro Manichæis usurpat), *quæ ferè totam provinciam fœdaverat*, &c. Subdit: *Erant itaque in provincia Tolosana quidam hæretici, qui se appellari faciebant Bonoshomines*, quæ vox Catharorum voci æquivalet. *Patarinorum* nomen seculo superiori Mediolani adinventum, de eoque seculo illo egimus.

VIII. *Plures provincias infecerant.*

Puricellus in Monument. Basil. Ambros. num. 595. ait hanc hæresim Mediolanum inductam à quibusdam, qui *Raynaldum* Archiep. Coloniensem & Archicancellarium Italiæ comitabantur; sed ea in re hallucinatur, quia ex Landulpho à Sancto Paulo constat ante annum MCXXX hanc hæresim in districtum Mediolanensem introductam fuisse, quam certum est valde dilatatam durante schismate Ecclesiæ Mediolanensis. Gretzerus in suis Prolegomenis ostendit, *Catharorum* sectam Coloniæ *de partibus Flandriæ* anno tantum MCLXIII apparuisse. Cùm verò Germani hanc hæresim acceperint *de Flandriæ partibus*, apparet Flandros eam à Francia, & Francos accepisse ab Italia, unde plures nefasti hæretici ultra montes à tempore *Roberti Franciæ Regis* venerant; Itali verò venenum hoc hauserant à *Dalmatis* Italiæ vicinis, & à *Bulgaris*, ubi fons & origo hujus Manichæismi fuit.

IX. *De hæreticis dictis Bascolis & Vasclis.*

Quoad *Bascolos* Oihenartus in Notitia Gasconiæ lib. 3. cap. 3. notat posteriorem ætatem *Vascos* appellasse diminutiva voce *Vasculos*, & contractè *Vasclos* vel *Basclos*. Hodie enim etiam hujus gentis nomen Galli per B, Hispani per V, consonantem proferunt, & quos illi *Bascos*, hi *Vascos* appellant. Ait Oihenartus se non reperisse antiquiores Auctores, qui Vascos *Basclos* vocarint, quàm Patres Concilii Lateranensis hoc anno coacti. Pseudo-Turpinus enim, qui in Præfatione fabulosæ suæ Historiæ de Carolo Magno ea voce utitur, paulò ante annum MCC scripsit, & homo Hispanus fuit, ut patet ex verbis Gaufredi Vosiensis hoc tempore viventis in Epistola ad Conventum S. Martialis, præfixa Vitæ Caroli M. *Gaufredus Prior Vosiensis, sacro Martialis Conventui, & universo Clero Lemovicini climatis gaudiis sempiternis perfrui. Egregios invicti Regis Caroli triumphos, ac præcelsi Comitis Rotholandi prædicandos agones in Ispania gestos nuper ad nos ex Esperia delatos gratanter excepi, & ingenti studio corrigens scribere feci, maximè quod apud nos ista latuerant hactenus, nisi quæ joculatores in suis proferebant cantilenis*, &c. *Ego tanti Pontificis* (nempe Turpini, de quo mox locutus fuerat) *orationibus mihi à Judice pio dari veniam opto.* Fabulosa itaque illa Historia antiqua non est, licet verus *Turpinus*, qui Archiepiscopus Remensis fuit, Caroli Magni tempore vixerit.

X. *De origine fabularum Romanensium.*

Petrus Daniel Huetius Vir in omni genere scientiarum excultus, antequam ad Episcopalem dignitatem eveheretur, composuit egregium Opusculum *de Origine fabularum Romanensium*, vulgò *Romans*, à Willielmo Pyrrho è linguâ Gallica in Latinam versum, & Hagæ-Comitis anno MDCLXXXIII impressum, in quo fabularum Romanensium inventionem Orientis populis, Ægyptiis nempe, Arabibus, Persis, Syrisque acceptam referri debere demonstrat, tam ex priscis fabulæ Romanensis artificibus, uti Clearcho in Cilicia nato, Jamblico apud Babylonios educato, quàm ex Heliodoro Triccæ, quæ Thessaliæ urbs, Episcopo, de quo Socrates in sua Historia Ecclesiastica, aliisque. Quomodo postea ab Orientalibus ad Italos, Francos & Hispanos, id scribendi genus transierit, fusè prosequitur, sed hæc non sunt hujus loci.

Baronius

SÆC. XII. An. C 1179.

XI. *Petrus Lombardus ante hunc annum hæreseos accusatus.*

Baronius num. XIII ait, in hoc Concilio à quibusdam delatam fuisse accusationem adversùs *Petrum Lombardum* Episcopum Parisiensem, quòd scripsisset; quòd Christus secundùm quod est homo non est aliquid. Id autem probat Baronius ex literis Alexandri III *ad Willelmum Archiepiscopum Senonensem* datis, quibus ei præcipit, ut suffraganeos suos Parisios convocet, & unà cum illis & aliis religiosis viris præscriptam doctrinam studeat *penitus abrogare*. Verùm Willelmus jam ab anno MCLXXVI ab Ecclesia Senonensi ad Remensem translatus fuerat, ut ibi demonstravimus. Matthæus Parisius, qui eas literas huic anno affixit, aliisque errandi causa fuit, non refert quid super ea propositione statutum fuerit, aitque tantùm hanc altercationem stetisse indeterminatam à diebus Alexandri III usque ad tempora Innocentii III. Paucis ante hunc annis *Magister Gualterus* Prior Sancti Victoris Parisiensis, insignis Theologus, *Petrum Abaelardum*, *Petrum Lombardum*, *Petrum Pictavinum* ejus discipulum, & *Gilbertum* Porretanum hæreseos insimulavit, quòd Trinitatis, cæteraque divina mysteria Aristotelicis regulis & præceptis enarrarent, & contra eos quatuor libros composuit, qui, ut observat Bulæus tom. II Hist. Universitat. Paris. pag. 402. extant MSS. in duobus exemplaribus asservatis in Bibliotheca S. Victoris, quorum Prologus sic incipit: *Quisquis hoc legerit, non dubitabit IV Labyrinthos Franciæ, idest, Abaelardum & Lombardum, Petrum Pictavinum & Gilbertum Porretanum uno spiritu Aristotelico afflatos, dum ineffabilia Trinitatis & Incarnationis Scholastica levitate tractarent, multas hæreses olim vomuisse, & adhuc errores pullulare.*

XII. *In Concilio Lateranensi nihil adversùs eum definitum.*

Pluribus Gualterus in libris illis refellit citatam propositionem *Petri Lombardi*, aliasque ejusdem Auctoris. Verùm nihil in hoc Concilio Lateranensi adversùs illas decretum reperitur. Audiendus idem Gualterus. *Hoc sciendum quod Alexander Papa nuper in Concilio Romano paraverat nominatim illius* (nempe Petri Lombardi) *sententias damnare, quarum argumentis & Arrii, & Sabellii, & novorum hæreticorum error recrudesceret, sc. quod Christus nihil sit secundùm quod homo. Quidam verò Cardinalium causam Dei & fidei Christianæ religionis, qua stamus & vivimus, alienis negotiis postponentes non rectè & respondentes dixerunt Venerabili Papa;* "Domine, alia majora suscepimus tractanda. " *Tunc Apostolicus*; Imò primum & maximum " de fide & hæreticis agendum est. *Quod illi* " *audientes egressi sunt de Consistorio. Quidam* " *etiam Episcopus Walensis Adam exivit cum illis dicens*; Domine Papa, ego ei Ecclesiæ & Præpositus olim scholarum ejus defendam sententiam Magistri. *Quid plura? Cessent jam putida ranarum garrulitates, Apostolica Sede de Roma ita intonante & definiente.*

XIII. *Damnatus postea fuit ab Alexandro III.*

Refert postea literas Alexandri III, quas quia breves & proposito nostro convenientissimas hîc exhibeo: *Alexander Episc. S. S. D. V. Willelmo Remensi Archiep. Apostolicæ Sedis Legato sal. & Apostol. bened. Cùm Christus perfectus Deus, perfectus sit homo, mirum est qua temeritate quisquam audet dicere quod Christus non sit aliquid secundùm quod est homo. Ne autem tanta possit in Ecclesia Dei dici abusio suboriri vel error induci; Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatinus convocatis Magistris Scholarum Parisiensium & Remensium, & aliarum circumpositarum Civitatum auctoritate nostra sub anathemate interdicas, ne quis de cetero dicere audeat Christum non esse aliquid secundùm quod homo. Quia sicut verus Deus, ita verus est homo, ex anima rationali & humana carne subsistens. Datum XII Kal. Mart.* Existimat Bulæus, qui pag. 431. eam Epistolam recitat, currenti anno datam esse; verùm cùm Willelmus Concilio Lateranensi præsens fuerit, & in eo aliqui petierint, ut Petri Lombardi *Magistri Sententiarum* doctrina damnaretur, manifestum est illum *XII Kal. Martii* præsentis anni, vel in via fuisse, vel jam Romam pervenisse, & *Alexandrum* III eo die & anno non damnasse propositionem, de qua postea in Concilio agi nollet. Ex itaque literæ vel anno sequenti, vel anno MCLXXXI, *XII Kal. Martii scriptæ.*

SÆC. XII. An. C. 1179.

XIV. *Philippus filius Ludovici VII Rex Franciæ coronatur.*

Ad num. XIV & seq. *Ludovicus Rex Francorum*, inquit de Ludovico VII Chronographus Aquicinctinus, *assumto secum Philippo Comite Flandrensium, mare transnavigans, Cantuariam pergit, sanctumque Martyrem Thomam diversis muneribus honoravit. Henricus senior Rex Anglorum* (hujus nominis II) *honorificè eum suscepit. Ludovicus Rex Francorum filium suum Philippum* (annis quindecim agentem) *in Regem sublimat Remis in festivitate omnium Sanctorum. Sequenti Dominica Willelmus Remensis Archiep. Card. presbyter, tit. S. Sabinæ, & Apostolicæ Sedis Legatus, convocatis Episcopis, & totius secundæ Belgicæ personis Concilium tenet, tractans cum suis Coepiscopis, de rebus sibi vel Ecclesiæ necessariis.*

XV. *Regis titulus Alphonso Portugalliæ Principi ab Alexandro III conceditur.*

A num. XVI ad XIX. *Alexander* III anno XX Pontificatûs sui *Regis* titulum *Alphonso* Portugalliæ Regi ob res præclarè adversùs Saracenos gestas dedit, ut narrat Baronius, qui tamen literas Alexandri III non exhibet, sicuti nec Eminent. Cardin. de Aguierre in Collect. Concil. Hispaniæ. *Alphonsus* antea ab universis Principibus *Regis* titulo cohonestabatur, sed in literis Pontificiis ad eum datis tantum *Dux* vocabatur, etiam in literis Lucii II à Baluzio lib. 2. Miscell. recitatis, quas Baronius non viderat, in quibus *Lucius* post acceptas *Alphonsi Regis*, ut se ipsum in iis appellat, literas, ad eum respondet, laudatque quod *hominium Papæ Innocentio* (hujus nominis II) fecerit, & dein sibi per literas promiserit, & per J. Bracarensem Archiepiscopum, *at tam tu*, inquit, *quàm heredes tui de terra ipsa quatuor uncias auri singulis annis Romano Pontifici persolvatis.* Jamdiu ante hunc annum Lusitaniæ Regem ab omnibus aliis Regibus hoc nomine appellatum fuisse suprà observavimus.

XVI. *Charitoni Patriarchæ Constantinop. anno MCLXXVII succedit Theodosius.*

Ad num. XX. In serie Episcoporum Constantinopolitanorum, quæ extat in Jure Græco-Romano, de *Charitone* anno MCLXXVI Patriarcha Constantinopolitano dicto, & de *Theodosio* ejus successore dicitur: *Charito Monachus, mansionis Manganorum, mens. XI. Theodosius Monachus, oriundus ex Antiochia, qui longo tempore monasticam exercuerat in cella Sancti Auxentii ann.... tandem renunciavit.* Onuphrius in Chron. Eccles. qui exemplar hujus catalogi minus mutilum in aliquibus locis quam sit exemplar, quo usus est Leunclavius in editione Juris Græco-Romani, nactus fuerat ait

Charitonem

Charitunem anno MCLXXVII obiisse ac *sedisse an. I, menses II, dies..* & Theodosium, quem perperàm hujus nominis II appellat, quod Theodorum Theodosium vocasset, *anno sexto* abdicasse, Christi nempe MCLXXXIII. Hec ad supplendos Annales, in quibus horum Patriarcharum series per hæc tempora minus accurata.

XVII. *S. Richardo puero occiso in Iudaos sævitur.*

Guillelmus Armoricus ad annum primum Philippi Augusti Franciæ Regis hoc anno à patre dicti martyrium Sancti Richardi pueri hoc modo narrat: *In diebus illis S. Richardus à Judæis crucifixus fuit, & martyrium passus: cujus corpus requiescit in Ecclesia S. Innocentii Parisius, in loco qui Campellus dicitur, & fiunt ibi per orationes ejus mirabilia usque in hodiernum diem*, idest post annum MCCXX, cum quo Historiam suam claudit. De isto sancto puero Rigordus in gestis ejusdem Philippi Augusti pag. 5. scribit: *Revolutis quampaucis diebus ex quo novus Rex post sacram inunctionem Parisius rediit; opus quod longo tempore mente gestaverat, sed pro nimia reverentia, quam Christianissimo patri suo exhibebat, perficere formidabat, aggressus est. Audierat enim multoties a Principibus, qui cum ipso pariter in Palatio fuerant nutriti, & hoc sine obliteratione memoriæ commendaverat, quod Judæi qui Parisius manebant, singulis annis Christianum unum in opprobrium Christianæ religionis, quasi pro sacrificio in cryptis subterraneis latentes in die Cœnæ, vel in illa sacra hebdomada pœnosa, jugulabant. Et in hujusmodi nequitia diabolica fraudis diu perseverantes, tempore patris sui, multoties deprehensi fuerant, & igne consumpti. Sanctus Ricardus, cujus corpus requiescit in Ecclesia S. Innocentii in Capellis* (legendum cum Guillelmo Armorico *in Campellis*) *Parisius, sic interfectus à Judæis & crucifixus feliciter per martyrium migravit ad Dominum. Ubi ad honorem Domini per preces, & per intercessionem Sancti Ricardi, multa miracula, ipso domino operante, facta fuisse audivimus. Et quia Christianissimus Rex Philippus diligenti inquisitione a majoribus hac & alia quam plurima nefanda de Judæis plenius didicerat: ideo zelo Dei inflammatus, ad mandatum ipsius, eodem anno quo Remis sacra regni Francorum suscepit gubernacula, XVI Kalendas Martii in Sabbato* (sed loco, *XVI Kalendas*, legendum, *XIV Kalendas*, ut methodus cyclica docet; anno enim sequenti quo hæc gesta dies XVI Februarii in sabbatum incidit) *capti sunt Judæi per totam Franciam in Synagogis suis. Et tunc expoliati sunt auro & argento, & vestibus, sicuti & ipsi Judæi in exitu de Ægypto Ægyptios expoliaverunt.* In Actis SS. Bollandianis ad Diem XXV Martii de hoc sancto puero Martyre agitur.

XVIII. *Pax inter Castella & Navarra Reges sancita.*

Alphonsus VIII Castellæ, & *Sanctius* Navarræ Reges hoc anno *medio mense Aprilis* de pace inter se egêre conditionibus fusè recitatis à Moreto in Investigat. Navarr. pag. 668. & seq. ex Actis publicis. Tractatui pacis subscribunt XXI Proceres ex utroque Regno electi.

XIX. *Obitus Petri Comestoris.*

Hugo in Autissiodorensi Chronico, & Nangius in suo narrant hoc anno mortem *Petri Comestoris*, Manducatoris etiam appellati, Trecis in Campania nati, ejusdem urbis Canonici & Decani, nec non Cancellarii Ecclesiæ Parisiensis, qui varia scripsit, &, ut inquit Hugo Autissiodorensis, *testamento sapienter disposito cuncta quæ habuit, pauperibus & Ecclesiis prorsùs distribuit.* De ejus Operibus Oudinus in Supplem. Scipt. Eccles. aliique agunt.

XX. *Agnes filia Ludovici VII filio Manuelis Imp. uxor destinata.*

Chronographus Sancti Petri Vivi hoc anno habet: *Henricus Comes Trecensis cum Petro de Curtinaco* (seu Curtiniaco Ludovici VII Franciæ Regis fratre), *& aliis multis Jerosolymam peregre profectus est, & filia Regis Ludovici* (Agnes appellata) *Constantinopolim ducta est, & filio Imperatoris in uxorem tradita.* Tyrius lib. XXI cap. XXVIII & seqq. fusè hæc narrat, aliaque hoc anno in Oriente gesta. Sed cùm nondum *Agnes* planè nubilis esset, illud conjugium peractum non est, ut suo loco referemus.

XXI. *Floret Theodorus Balsamon.*

His temporibus floruit *Theodorus Balsamon*, cujus meminit Baronius num. XX. Ille jussu Manuelis Imp. & Michaelis Anchiali Patriarchæ Constantinop. expositionem Nomocanonis Photii & Canonum aggressus, Opus postmodum absolutum *Georgio Xiphilino* Patriarchæ Constantinop. nuncupavit. In eo Opere Latinam Ecclesiam, ut potest, infamat, qui tamen, ut ait Allatius lib. 2. de Consenso Occident. & Orient. Eccl. cap. 13. num. IV execrabiliora evomuit in *Meditatis* cùm de Patriarcharum Privilegiis agit, & in *Responsionibus* ad Marcum Patriarcham Alexandrinum. Ea *Meditata* extant lib. VII Juris Græco-Romani, ejus verò *Responsa* ad Interrugationes Marci Alexandrini Episc. edita sunt lib. V ejusdem Operis. Præter hæc varia alia Opera Theodorus Balsamon reliquit.

XXII. *Floret Romualdus Salernitanus.*

Romualdus Salernitanus, cujus Opus hactenus MS. servatur in Bibliotheca Regia, usque ad præsentem Christi annum Chronicon suum perduxit. Mirum est Ughellum, qui Chronicon Cavense in Italia Sacra, dum de Ecclesia Salernitana verba facit, in lucem edidit, quod varias Chartas continent, quibus illius Ecclesiæ Historia lucem accipere potest, de Chronico Romualdi idem non fecisse.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6673.

☉ 13. FE. ☽ 3. P. 20. April. Indict. 13.

JESU CHRISTI 1180.

ALEXANDRI III PAPÆ. 22.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. I 29. IMP. 26.

ALEXII COMNENI IMP. 1.

Anno Eræ Hispan. MCCXVIII. Anno Hegiræ DLXXVI inchoato die 28 Maii fer. 4.

I. *Prophetissa quadam Romæ innotescit.*

Ad Num. I ad IV. Robertus de Monte in Chron. ubi res anno uno non rarò anteverruntur, loquitur hîc de Prophetissa, quæ tamen anno tantum sequenti innotuit. Gervasius enim in Chron. ad annum MCLXXXI scribit: *Mulier quadam Prophetissa, sed & prodigiosa, de Gasconia Romam veniens, Alexandro Papa literas à Deo sibi missas porrexit, in quibus quadam futura prodigia legebantur. Hac cùm mira diceret, Prælatis Ecclesiæ festinum imminere dicebat periculum. Hac in oculis domini Papa & Curia Romana intantum extitit admirabilis, ut in Papa Palatio recumbere diceretur. Nam à quarta feria usque in sabbatum omni hebdomada indesinenter dormiebat. Loquebatur dormiens aliquid spirituale labiis compressis, in gutture quippe vox resonans ad audientium perveniens notitiam. Profluebat interea sanguis ex ipsius ore, oculis simul & naribus, quem sabbato circa nonam evigilans propriis extersit manibus. Et quod incredibile est, nusquam deinde in ea sanguinis aliquati vestigia apparuerunt. Hac mihi viro dicenti vix credere potui, do-*

SÆC. XII. An. C. 1180.

nec mihi constare faceret hac propriis oculis in Papa Palatio vidisse & audisse. Addit Robertus de Monte, cùm Alexander III voluisset manifestiùs scire an mulieris sermones veritati innitentur, repetisse eor veritati consentienres esse.

II. *Res Crucesignatorum pessimo sunt loco.*

A num. XV ad XXIV. Res Crucesignatorum in magno periculo versabantur, tam anno superiori quàm currenti, ut uno teoore nattat Tyrius lib. XXI cap. XXVI & seqq. Balduinus IV Jerosolymorum Rex *castrum quoddam super ripas Jordanis, in eo loco, qui vulgo Vadum Jacob appellatur, aggressus est ædificare*, & ædificatum Templariis tradidit. Sed eùm in terras hostium ingressus fuisset, hostes ex improviso emergentes Crucesignatos aggrediuntur, & in ea congressione viri memorabiles occiduntur, Rege *de casu tam periculoso* vix à suis erepto. Interim *Saladinus* prædictum castrum obsidet; committitur pugna, Crucesignati vincuntur & ex eis quamplures capiuntur. Postea *Saladinus* castrum, quod de novo ædificatum fuerat, obsidet, & postquam illud occupavit, dirui jussit. Cùm verò *Alexander* III quam pessimo loco Christianorum res in Orieote essent, accepisset, scripsit ad Christianos Principes, nec non ad universos Catholicæ communionis Antistites, & summopere hortatus est, ut Terræ Sanctæ subsidio essent. Ejus literæ apud Baronium, qui eas ex Hovedeno recitat, legendæ.

III. *Moritur Manuel Imp.*

Ad num. XXIV. Tyrius lib. XXII cap. V postquam *Ludovici* VII Francorum Regis mortem superiori capite narravit, scripsitque eam accidisse *XIII Kal. Octob.* subdit; *eodem mense, tertia mensis die*, Manuelem Constantinopolitanum Imperatorem onus carnis deposuisse. Quoad diem tamen præferenda Hovedeni pag. 595. & aliorum sententia, qui tradunt *Manuelem* demortuum quatro post excessum ejusdem Regis die, hoc est *vigesima secunda Septembris*, ut habet Gaufridus Vosiensis pag. 326. vel, ut Codinus, seu Auctor Catalogi Imperatorum eidem subjunctus, die XXIV horâ tertiâ, currentis Christi anni, cùm paulò ante Monachicum habitum induisset, & *Matthæi* nomine donatus fuisset. Imperavit, ut ibidem rectè scribitur, *annos XXXVII, menses quinque, dies viginti tres*. In corrupta Tyrii editione, qua usus est Baronius, legebatur Manuelem *pridie nonas Octob.* è vita migrasse. Res multas in bello præclare gessit, maximè ad Neocæsaream, ut videre est apud Cinnamum lib. 2. num. 4. Uxorem duxit anno MCXLIII *Bertham* Conradi Regis Germaniæ uxoris sororem, quam ob eximias animi & corporis dotes commendant Cinnamus laudatus & Nicetas lib. 1. num. 2. Huic *Irenes* nomen indidêre postea Græci, quibus solemne aliàs erat, Latinorum nomina, suis insolita, aut quæ suo idiomate ægrè efferre poterant, aliis mutare. Huic Allegorias suas Homericas dicavit *Joannes Tzetzes*. Superduxit etiam Manuel *Mariam*, Raimundi Pictavini Principis Antiocheni ex Constantia filiam, quæ mortuo marito Monacham induit.

IV. *Ei succedit Alexius filius.*

Alexius Comnenus ex nefario Manuelis cum *Theodora* ejusdem Augusti ex Isaacio fratre nepti concubitu natus, successurus credebatur; *Alexius* tamen Comnenus ex Maria altera conjuge filius unicus patrem excepit, qui conjugem accepturus erat *Agnetem* Ludovici VII Francorum Regis filiam, sed matrimonium illud nunquam consummatum fuisse, infrà videbimus.

SÆC. XII. An. C. 1180.

V. *Religio & Imperium Orientale decrescunt.*

Manuele defuncto, ut rectè habet Allatius lib. 2. de Consensu Ecclesiæ Orient. & Occident. cap. 13. Græcorum Imperium quotidie in pejus ruere cœpit, tum propter occiduas atque orientales Barbarorum incursiones, tum propter mollitiem ac tyrannidem imperantium, continuis cædibus & fraudibus se se mutuò prodentium, tum ob Ministrorum avaritiam, tum etiam ob frequentes Magnatum & ambitiosorum hominum rebelliones. Religio quoque ipsa cum imperio, in tanta rerum vicissitudine, tristi ruina convelli visa; cùm non ratio & decor, sed malevolentia & rabies, animis perturbatis, & in furorem actis, omnia dirigerent. Tunc enim summa cum infimis, divina cum prophanis. recta cum improbis commixta, Christiani licet nomine, non Ecclesiæ dogmata, sed cædes & sanguinem adversariorum anhelabant. Locis, quæ Latini occupaverant, Sacerdotes & Antistites Latinos, ut Ecclesias eorum moribus dirigerent, exclusis etiam Græcia, si id tuto fieri poterat, præfecerunt, & Græcos contumaces ac obstinatos, si resipiscere nollent, & veritatem amplecti, pœnis mulctabant; quemadmodum & antea in Oriente fecerant, & potissimum Antiochiæ; quod ex Cinnamo lib. 4. manifestè constat. Cùm enim sub *Renaldo* Principe *Manuel Imp.* Antiochiam occupasset, inter alia illud quoque paeisci voluit, Partiarcham Antiochenum ex Byzantio mitti. Cumque in multis aliis, Antiochenis petentibus, morem gessisset, voluit ratum firmumque esse quod de Patriarcha sentierat: *Patriarcham*, inquit Cinnamus, *non alio ex loco, quàm ex Byzantio esse, nullo modo se approbaturum dixit*. Sed hac de re plura Allatius laudatus.

VI. *Obitus Ludovici VII Franciæ Regis.*

Ad num. XXXIV. Guillelmus Armoricus lib. de Gestis Philippi Augusti Francorum Regis pag. 72. ait, Philippum hoc anno, Regni ejus secundo in Ascensione Domini, imposuisse sibi iterùm coronam, & inunctam fuisse *Elizabeth* Reginam uxorem ejus filiam Balduini Comitis Hannoniæ. Addit, *XIV Kalendas Octobris feriâ quintâ* obiisse Ludovicum VII patrem ejus Parisiis, & deportatum esse *corpus ejus ad cœnobium, quod ipse fundaverat, ordinis Cisterciensis Barbeellum nomine*, quod Meloduni situm est. Chronographus Aquicinctinus narrat etiam *Isabellem* seu Elizabetham coronatam fuisse *in die Ascensionis Domini*. Verùm Guillelmus Armoricus perperàm scribit, factum id esse anno secundo ejusdem Philippi; cùm anno superiori in festo omnium Sanctorum Rex coronatus fuerit. Errat & Rigordus de Gestis Philippi Augusti pag. 7. ubi ait, *Ludovicum* VII obiisse anno sequenti *XIV Kal. Octobris, feriâ quintâ*; nam hi characteres simul juncti annum currentem certò demonstrant.

VII. *Obitus Amalrici Episc. Ierosolymitani.*

Ad num. XXXV. Baronius ait, Willelmum Tyrium tradere *Amalricum* Patriarcham Jerosolymorum *pridie Nonas Octobris* ex hac vita migrasse, sed hæc apud Tyrium non invenio, neque ex Antiquis aliquem, qui diem Amalrici emortualem annotaret. Sanutus quidem lib. 3. fidelium crucis part 6. cap. 24. annum mortis ejus notavit, sed diem mortis prætermisit. Hæc ejus verba: *MCLXXX Patriarcha Almericus moritur, cujus simplicitas modicum Ecclesia profuit; cui successit Heraclius tam perniciosi exempli, ut procedentem ornatissimam mulierem, quam publicè tenebat, vulgus Patriarchissam vocaret. In*

ejus

SÆC. XII. An. C. 1180.

ejus electione publicè dictum fuit, sub Heraclie amittendam esse Crucem, sicut sub Heraclie Imperatore recuperata fuerat, quod & accidit, ut infrà videbimus.

VIII. *Innocentius Antipapa capitur.*

Aoonymus Casinensis ad annum MCLXXX scribit: *Hoc anno homines Sancti Germani perrexerunt ad dominum Regem* (nempe Siciliæ Goillelmum II) *apud Messanam, ut concederet illis Privilegium contra monasterium*(nempe Casinense) *sed nihil profecerunt. Lando intrusus, qui est Papa Innocentius dictus apud Palumbaram cum sociis captus ad Cavas est in exilium deportatus.* Joannes verò de Ceccano in Chron. de eodem Innocentio III pseudo-Pontifice ad hunc annum scribit: *Pseudo-Lando Sitinus falsè Papa dictus, captus ab Alexandre Papa & illaqueatus est apud Caveam cum complicibus suis in exilium ductus est.* Quod vidimos etiam anno MCLXXXVIII Chronographum Aquicinctinum uno tenore narrare. Auctor Magni Chronici Belgici pag. 188. de Alexandro III loquens scribit: *Iste vicit quatuor schismaticos, sc. Octavianum, Guidonem Cremonensem* (legendum, Cremensem) *Joannem Fermensem* (legendum, Strumeosem) *& Lardonem Antipapas. Primus fecit se Victorem, II verò Paschalem, III Callistum, IV Innocentium; quorum tres fuerunt Presbyters Cardinales, qui omnes vicissim schisma fecerunt. Hac Martinus Albericus*, legendum, *Martinus & Albericus.* Nangius in Chron. qui nullam hujus Antipapæ, quemadmodum nec multi alii, mentionem fecit, anno MCLXXVIII rectè scripsit: *Cùm legitur, Romanam Ecclesiam multis schismatibus fuisse discissam, isto tamen nullum aut vehementius incanduit, aut diutius perseveravit.* Scriptores passim tradunt, schisma fuisse annorum XIX, quia nullam rationem habent pseudo-Pontificatus Innoceotii III quod paucos asseclas habuerit.

IX. *Rebellio adversus Josephum Africæ Imperatorem.*

Hoc anno Arabes, aliique Minoris Africæ populi adversùs *Josephum* Imperatorem suum rebellarunt, & *Guillelmus* II Siciliæ Rex se se huic bello immiscuit, ut ex eo aliquem, si posset, fructum caperet. Aliqui Historici, uti Fazellus in posteriori Decade lib. VII pag. 432. hujus belli narrationem aliquibus fabulis tœdarunt; ait enim Fazellus: *Willelmus contra Joseph Marocci Regem movit, & devicto Rege, captaque ejus filia, non prius in redemptionem puella consensit, quam Rex Africam urbem (quum Abdul Mumen ejus genitor Patri suo Willelmo olim abstulerat) sibi reddidit.* Addit Fazellus hæc contigisse Lucio III Sedem Romanam occupante. Verùm ista omnia commentitia, neque aliquo scripto publico probari potest, *Guillelmum* II Almhadiam vel ad instans occupasse, vel Josephi filiam captam fuisse. Robertus de Monte de rebus extra Galliam gestis parum edoctus hoc aono ait: *Rex Maroc in cujus potestate est tota Africa, & etiam Saraceni qui sunt in Hispania; mittebat filiam suam, ut quidam Rex Saracenorum duceret eam in uxorem, quam stolus & galea Regis Siciliæ invenerunt, & adduxerunt ad dominum suum* (hoc commentum ab eo valde diversum de quo mox egimus). *Unde Rex latus pacificatus est cum Patre ejus illâ redditâ; & pater ejus reddidit Regi Siciliæ duas civitates, scilicet Africam & Sibiliam, quam Saraceni abstulerant Willelmo Regi Siciliæ Patri ejus Regis.*

X. *Et paulò post.*

Verum Anonymus Casinensis Scriptor Coævus, & Willelmi II subditus nihil simile habet, sed taotum ad annum MCLXXXI scribit: *Dominus noster Rex fecit tregam apud Panormum cum Rege Maxamuciorum usque ad decem annos mense Augusti.* Quare Josephus Imperator Panormum Legatos miserat, qoi de his induciis agerent, & Willelmus II antea suos ad Josephum Imperatorem direxerat. Noveirius asserit, *Josephum* adversùs rebelles cum ingentibus copiis processisse, eos pluribus prœliis debellasse, & pepercisse domino *Capsæ*, qui rebellarat: *Josephum* Imperatorem *Almahdiam* pervenientem Siciliæ Regis Legatum excepisse, cum quo pacem sacivit anno Hegiræ DLXXVI, qui mense Maio anni Christi MCLXXXI, quo Alexander III adhuc io vivis erat, absolvitur. Josephus universa Africa in pace composita *Marochium* Sedem Imperii sui rediit.

XI. *Henricus Leo Ducatu suo spoliatur.*

Anno MCLXXX, inquit Chronographus Reichersperg ensis de Friderico Imp. loquens, *Imperator Curiam celebravit Ratisponæ III Kal. Julii, cui etiam interfuerunt tres Cardinales Legati Domini Apostolici. Ibi in præsentia Curiæ Imperator publicè questus est de Duce Bauvariæ & Saxoniæ Domino Heinrico* (Heintico Leone appellato) *cognato suo; quod videlicet jam multo tempore & regni & vitæ ipsius Imperatoris insidiator fuerit. Principes quoque Saxoniæ multas graves querimonias adversùs eumdem Ducem ibi deposuerunt. Tunc ex communi sententia Principum adjudicatum est, eum deberare moveri, quandoquidem ad justam responsionem vocatus non venerit. Itaque post finitam Curiam, Palatinus Comes Dominus Otto senior Ducatum Bauvariæ de manu Imperatoris suscepit.* Henricus Leo, qui pro Friderico Aug. pugnaverat, cùm vidit eum excommunicatum partes ejus deseruit, ut refert Urspergensis in Chroo. ad aonum MCLXXV, ubi eum perfidiæ incusat. Ab hoc Ottone Wittelspachio cognominato Bavariæ Duces & Palatini Rheni hodierni originem ducunt, & ab Henrico Leone Duces Brunsvicenses. *Henricum Leonem* in gratiam Imperatoris rediisse anno MCXC videbimus. Porrò ejus cùm res fortunaque florerent, potentissimus omnium Europæ, secundùm Imperatorem ac Reges Princeps est habitus, utpote qui à sinu penè Hadriatico ad usque Codanum mare Oceanumque Germanicum, Bojis, Suevis, Rhetis, Vindelicis, Noricis, Chaucis, totique Saxoniæ imperitaret, ut habet Pontanus lib. VI Hist. Daniæ.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6674.

☉ 14. D. ☽ 4. P. 5. April. Indict. 14.

JESU CHRISTI 1181.

LUCII III PAPÆ 1.

FRIDERICI ÆNOBARBI Reg. 30. Imp. 27.

ALEXII COMNENI Imp. 2.

Anno Eræ Hispan. MCCXIX. Anno Hegiræ DLXXVII inchoato die 17. Maii. fer. 1.

I. *Gaufridus Regis Angliæ filius deponit Episcopatum Lincolniensem.*

ANnum. I ad IV. *Gaufridus* filius nothus Henrici II electus Episcopus Lincolniensis electioni consenserat, & proventus recipiebat, quod cùm accepisset Alexander III scripsit ad Richardum Cantuariensem Archiep. ut eum compelleret electioni suæ renunciare, vel sine dilatione Ordinem Sacerdotalem & Pontificalem officii dignitatem recipere. Verùm maluit

SÆC. XII An. C. 1181. luit ipse electioni suæ renunciare, quàm sacris Ordinibus insigniri, uti refert Baronius ex Hovedeno, & confirmat Gervasius hoc anno in Chron. ubi ait: *Resignavit hoc anno Gaufridus Regis Henrici filius, sed nothus, Episcopatum Lincolniæ anno electionis suæ octavo in manum Ricardi Cantuariensis Archiepiscopi; & Regis Patris sui factus est Cancellarius. Misit autem Rex Angliæ justitias suas per totam Angliam, præcipiens ut divites & pauperiores arma sibi singuli emerent secundùm suas facultates, & hoc sacramento juramenti interposito, ne quis fugeret, firmarent, unde factum est, ut rustici imperiti vangis* (idest, lignibus) *& fossoribus assueti, armis militaribus gloriarentur inviti.*

II. *Moritur Alexander III Pp.* A num. V ad XI. *Alexander* III, qui anno MCLIX die VII Septemb. Pontifex electus, dieque vigesima ejusdem mensis consecratus fuerat, hominem hoc anno exuit *tertio Kalendas Septemb.* seu die tricesima Augusti, postquam sedisset annos viginti unum, menses undecim, dies viginti tres, à die ejus electionis deductos, ac die emortuali excluso; à die vero consecrationis suæ supra annos & menses dies decem. Sed quia dies emortualis ejus in magna controversia positus (Baronius enim ex Rogerio Hovedeno ait eum ex hac vita migrasse *XII Kalend. Octob. sive ut alii, sexto Kalend. Septemb.* die nempe XX mensis Septemb. vel die XXVII mensis Augusti, quo ultimo die Tyrius lib. XXII cap. VII. Sigonius lib. XIV de Regn. Ital. & Onuphrius in Chron. eum etiam demortuum tradunt: Papebrocius verò in Conatu Chronico-Hist. hanc mortem illigat cum die vicesima quinta mensis Augusti,) dies à nobis statutus confirmandus. In magno Chronico Belgico pag. 190. dicitur: *Epitaphium ejus fuit.*

Hunc festis auxêre suis Felix & Adauctus,
Cum quibus est Felix factus adauctus eis.

In die enim Sanctorum Felicis & Adaucti moritur discretus & multa literatura praeditus; dies autem utrique Sancto dicatus est tricesimus Augusti, seu III Kalend. Septemb. Joannes de Ceccano in Chron. *Tertio die intrante mensis Septembris Alexander Papa obiit.* Annalista Mailrosensis: *III Kalend. Septemb. obiit piæ memoriæ Alexander III Papa, Pontificatûs sui anno XXIII*, sed legendum, *anno XXII.* Porrò Anonymus Casinensis notavit Alexandrum III obiisse *apud civitatem Castelli.* Alexander Papa III *jacet juxta Sanctam Mariam de Reposo*, inquit Joannes Diaconus junior in lib. de Ecclesia Lateranensi apud Mabillonium Tom. II Musæi Ital. pag. 569.

III. *Arnulphus relinquit, Episcopatum Lexoviensem.* A num. XI ad XV. Robertus de Monte in Chron. ad annum MCLXXXI ait: *Arnulphus Lexoviensis Episcopus, cùm per XL annos eamdem Ecclesiam rexisset, & in ædificando Ecclesiam, & pulcherrimas domos laborasset: renunciavit Episcopatui, & perrexit Parisios, suos dies dimidiaturus apud Sanctum Victorem in domibus pulcherrimis, quas ibi ad opus suum construxerat.* Verùm Roberti de Monte Chronologia valde corrupta. Ipsemet enim Arnulphus in Epistola ad Lucium III Papam data, & Tom. II Spicilegii Dacheriani relata, ait: *quidam de Canonicis nostris Lexoviensibus anno præterito de paucorum, non de universitatis conscientia ad Majestatem Vestram literas pertulerunt, liberè adversum me quæcumque voluerunt mendacia conscribentes.* Paulò pòst: *Audistis eos, & magis quam expediret mihi, etiam exaudistis, quoniam absens & innocens, nulloque citatus Edicto punitus sum, & ex magna Officii mei Episcopalis parte suspensus*, &c. *Super quo vestræ gratias refero Sanctitati, quod me tam misericorditer ab importabili onere liberastis, & ad providendum animæ meæ liberiorem procedere permisistis.* In fine ait se ab eo petere, *ut quod ex injusta causa sublatum est, restitui faciatis, ut ad Fratres, ad quos concessi, pervenire possit quod eis ab initio fuerat destinatum.* SÆC. XII. An. C. 1181.

Quare cùm *Lucius III* prima die mensis Septemb. currentis anni Pontifex Rom. renunciatus fuerit, Epistola ista citius scribi non potuit quam anno sequenti, cum jam præsenti *Arnulphus* à suis Canonicis accusatus fuisset apud Lucium III. Cùm verò anno MCXLI exeunte, ut quam citiùs Episcopus creatus fuerit, ut ex dictis anno MCXLIII intelligere est, incertum, an mors ejus anno MCLXXXII, vel MCLXXXIII contigerit; at certum, toto currenti anno in vivis fuisse. In Necrologio enim Abbatiæ Sancti Victoris Parisiensis ad pridie Kalendas Septemb. legitur: *Anniversarium solemne Patris nostri piæ recordationis Arnulphi Lexoviensis Episc. qui magna devotionis affectu, quem à multis retrò annis erga Ecclesiam nostram habuerat, de Episcopatu suo ad nos veniens, Canonicus noster effectus, quietis sibi ac sepulturæ eamdem inter omnes alias Ecclesias prælegit, multis & magnis beneficiis dignum & perpetuum sui nominis & amoris memoriale posteris relinquens*, &c. Hoc verò anno pridie Kalend. Septemb. Lucius III nondum Pontifex Rom. erat.

IV. *Vexatus fuit ab Henrico Angliæ Rege.* Baronius secutus Hovedenum, qui pag. 613. ait, Arnulphum Episcopatum reliquisse *propter odium, quod Rex adversus eum habuit*, immeritò refellitur à Gussanvilla in Notis ad Epistolam XLIV Petri Blesensis ad Arnolphum datam, & à Baronio recitatam. In ea enim Blesensis rationes non approbat, quibus motus Arnulphus Episcopali administrationi cedere decreverat, inter quas odium Henrici Angliæ Regis numerat: *Si vestri Principis gratiam affectatis, eam potestis obtinere levissimè; dummodò vos habeatis circa eum humiliter & devotè.* Imò ipsemet Arnulphus in Epistola ad Abbatem Cisterciii & fratres ejus scripta de eodem secessu, ait: *Siquidem sæpiùs ad Regales cum cæteris trahor angarias, eorumque, quibus deesse non possum, frequentibus infestor injuriis.* Vide dicta superioribus annis de doctissimo hoc Præsule, & Epistolam ab eo ad Henricum Regem Angliæ senioreru scriptam, quæ recitatur Tom. II Spicilegii pag. 497. quâ ei objicit obsequia à se præstita, quò gratiam ejus sibi conciliet, quia scilicet adulatores eum adversus Arnulphum animatant.

V. *Lucius III succedit Alexandro III.* Ad num. XV. Post *Alexandri* III mortem, Sedem diem unum vacasse Onuphrius & Baronius scripsêre, & *Lucii* III ejus successoris electionem cum quarto Kalend. Septemb. connexuêre; Papebrocius verò Sedem tribus diebus vacasse credidit. Verùm Onuphrius & Baronius rectè viderunt interpontificium unius tantum diei fuisse. Gaufredus enim Prior Vosiensis, qui hoc tempore vivebat, pag. 327. hæc scribit: *Hebdomadâ ejusdem mensis* (nempe Augusti) *ultimâ Alexander urbe Castellana decedens, Lateranis tumulatur anno sui Papatûs XXIII* (legendum, XXII). *Feriâ III eligitur Humbaldus,*

qui Pontifex erat Ostia & Veliternensis urbium. Sequenti Dominica prima Septembris coronatur & insignitur à Theodino Episcopo Pertuensi, & ab Archipresbytero Ostiensi juxta consuetudinem, & ab universo populo & Clero laudatur Lucius III, Lucensis Tuscus vocatus. Quæ feria tertia intelligi non potest, quàm de prima die mensis Septembris; cùm asserat Vosiensis Lucium III *sequenti Dominica prima Septembris*, oempe die sexta ejusdem mensis, coronatum fuisse. Porrò Jnaones de Ceccano in Chron. observat, *Ubaldum* Ostiensem Episcopum io Papam Luciom ordinatum fuisse *apud Vilitras*, seu apud Velitras, quod confirmat Anonymus Casineosis, qui ait eum consecratum apud *Velletrum*.

VI. *Joannes ad Albas manus fit Archiep. Lugdun.*

Lucius III, ubi Pontificatom adeptus est, *Joannem* Pictaviensem Episcopum, magnum olim Sancti Thomæ Cantuariensis amicum, Archiepiscopum Lugdunensem creavit. Galterus enim de Brugis Ordinis Minorum à patria *Brugensis* cognominatus, Episcopus Pictaviensis, cujus meminit Spondanus anno MCCCVIII num. VII, Præsulum Sedis suæ Catalogum in tabulario antiquo Episcopatus Pictaviensis asservatum, qui ioscribitur, *Galteri Codex*, cootexuit, in quo verba faciens de Joanne de Bellesmains Episcopo Pictaviensi, ait: *Anno gratiæ MCLXXXI in Archiepiscopum Narbonensem electus est: qui cùm Romam pergeret, ut a Summo Pontifice Lucio confirmaretur, ab eo factus est Archiepiscopus & Primas Lugdunensis, & ob ejus eximiam eruditionem ab eodem in regno Franciæ creatus est Apostolicæ Sedis Legatus.* Hæc cum accepisset Stephanus Tornacensis, gratulatus est de ejus translatione Epistolâ ordine LXXV ad eum datâ: *Vidi nuper in transitu, cùm Dominus Rex Tolosam me mitteret, frequentem & ferventem in illa terra terribilem mortis imaginem, semirutos Ecclesiarum muros, ambusta sacrorum ædificiorum loca, fundamenta effossa, & ubi fuerant habitacula hominum, incultà domicilia bestiarum. Contremui, fateor, & expavi, cùm ad ea loca vos invitari audirem, in quibus etsi contingeret vos præesse, facile esset non prodesse. Audito tandem quod Rhodanusia Sidonis* (idest Lugdunum) *vos vocaret, gavisus sum gaudio magno.* Quibus confirmantur quæ anno MCLXXVII de *Cotarellis* in Septimania grassantibus in medium adduximus, constatque verum esse quod asserit Robertus de Monte in Chron. *Joannem* hoc anno Lugdunensem Archiepisc. electum.

VII. *Henricus Cardinalis Albanensis mittitur Legatus in Burgundiam.*

Huc referendum quod in Chronico Clarævallensi de Legatione Henrici Abbatis Clarævalleosis, in Concilio Lateranensi Cardinalis Albaneosis creati, hoc anno habetur: *Albanensis Episcopus Henricus, missus in Burgundiam Legatus, duos Archiepiscopos, Lugdunensem & Narbonensem deposuit: castrum hæreticorum, quod Vallis dicitur, per miraculum cepit: apud Cistercium generali Capitulo præfuit. & anno sequenti ad Curiam revertitur tempore Papæ Lucii.* San-Marthani in Archiepiscopis Lugdunensibus post Guichardum aono MCLXXIX vita functum collocant Joannem cognomento *ad Albas manus*; quare Archiepiscopus à Legato depositus, cujus nomen ignoratur, medio illo tempore Sedem occupavit; rectèque Sammarthani in Archiepiscopis Narbonensibus aote Joannem ad Albas manus memorant *Pontium de Alsatio* & *Petrum Aurelli* eodem tempore sedeotes, sed cùm tunc locum non vidisseot, *Petrum Aurelli* confictum perperam credidère.

VIII *Errores Albigensium.*

Gaufredus Prior Vosiensis in Chron. pag. 326. immediatè ante quam Alexandri III mortem narret, hæc de Legatione *Henrici* scribit, quæ demonstrant verum esse quod nuper diximus, *Catharos*, & alios hujus temporis hæreticos fuisse Manichæos, & Annales Ecclesiasticos mirè illustrant: *Legatus igitur Henricus Albanensis Episcopus tunc multo cum exercitu perrexit contra hæreticos Albigenses. Castro de la Vaur expugnato* (Castrum illud, Gallicè *la Vaur* dictum, quinque leucis à Tolosa distans, nobilissimum erat & amplissimum, ut videre est apod Hadrianum Valesium in Notitia Galliarum pag. 26.) *Raimundus de Vernoil, aliàs Venoul, occiditur: filia Tolosani Alaiz eidem tradit Castrum Legato, & Rogerius Biterrensis, vir ejus cum Principibus multis hæreticam pravitatem se deincepe abdicare profitetur. Quorum facinus erroris ad cautelam Catholicorum posteris censui significare. Hæc sunt amodò verba Cardinalis & Legati: Confessi sunt Magistri quondam erroris, plenâ prius consilio Episcoporum & Magnatum sibi libertate restituta; quòd licet fictum eorum sequentes Evangelia simplicioribus ad fallendum prædicent, tamen Christum natum haud verum fuisse hominem, nec comedisse aut bibisse, aut aliud humanæ actionis aut necessitatis in veritate sustinuisse: passum, crucifixum, mortuum resurrexisse non credunt. Sed omnia, quæ Evangelia, seu Apostoli de Christo asserunt, phantastica dicunt.*

IX. *Alii eorum errores.*

Quæ de sacrificio Altaris, baptismate parvulorum, conjugiis, aliisque sacramentis & divinis Officiis sacrosancta Romana Ecclesia constituit, & universitas Catholicorum credit, recipit, & servat, omnia reprobant & condemnant; Satanam magnum Luciferum, qui propter elevationem & nequitiam suam de throno bonorum cecidit, Angelorum creatorem, cæli & terræ, omniumque rerum visibilium & invisibilium, spirituum malorum creatorem & principem, & Deum esse profitebantur, ipsumque legem Moysi dedisse asseverant; in carnali consuetudine cujuslibet maris & fœminæ, sive parentes, sive fratres, seu communes matres, aut cujuscumque consanguinitatis, vel affinitatis mulieres existant, par dicunt esse delictum. Mulieres, quæ inter ipsas concipiunt, fœtus interimunt: tamen dicebatur à peritioribus eorum id evitari. Cùm manifestè inter illos multa conceperint, proles non comparent. Ea quæ dicta sunt, aliaque plura præfati quondam hæresiarchæ publicè coram nobis, & coram venerabilibus Fratribus nostris Gerarde Auxitano Archiepiscopo, Gerardo Caturcensi, & Gosselino Tolosano Præsulibus in conspectu populi confessi sunt. Guarino olim Archiepiscopo Bituricensi illic prædicante, Uverna conjux Sicardi de Boyssa & de Granovillet, palàm confessa est à quinquaginta religiosioribus ejusdem sectæ nocte quadam fuisse stupratam, cùm ipsa eisdem, vitæ causâ sanctioris, thoro viri spreto, se conjunxisset. Revertentibus Catholicis ad propria, sues illi repetunt antiqua volutabra luti.

X. *Albigenses in ipsam ro... ...*

Hugo Autissiodorensis in Chron. ad annum MCLXXXI narratis quibusdam miraculis de Christi Corpore, subdit: *Quamquam res ista sit abyssus multa, credi tamen tam securè quàm piè potest, id esse divinitus gestum ad confutationem perfidiæ & fidei firmamentum: nempe illorum, quos Publicanos, vel Catharos, vel Paterinos Populicanos:*

publicanos vocant, hæresis execranda, quæ Christi abnegat sacramenta, per id tempus clam quidem pluribus in locis irrepserat, sed palam in Guasconia maximè populos occuparat. Illic namque à Catholica communione præcisi castra habent quamplurima adversùs Catholicos communita, Catholico ritu posthabito suis adinventionibus inservientes, earumque virulentia quos poterint toxicantes. Quocirca ad eorum retundendam vesaniam missus ab Alexandro Papa vir lingua diserta Henricus, ex Abbate Claravallis, Episcopus Albanensis, qui prædicationis verbo militum, pedestriumque copias undecumque contraxit, præfatosque hæreticos expugnavit; verùm id frustrà. Nam ut sui compotes facti sunt, se in erroris pristino volutabro revolverunt.

XI. *Moritur Joannes Saresberiensis Episc. Carnot.*

Ad num. XVI. Robertus de Monte in Chron. tam *Joannis Saresberiensis* Episcopi Carnotensis, quàm *Guarini* Archiepiscopi Bituricensis mortem hoc anno collocat, eumque Baronius in Joannis morte recitanda sequitur; verùm hunc Chronographum viam in Chronologia tenendam ratò per hæc tempora bene indicare, quod fortè Librariis attribuendum, sæpius monuimus. Audiendus itaque Nangius in Chron. qui ad annum MCLXXX habet: *Archiepiscopus Bituricensis Guerinus* (legendum, Guarinus), *& Joannes Carnotensis obierunt; viri tam sapientia, quam animi strenuitate famosi; quorum Joannes Sancti Thomæ Cantuariensis, cujus socius fuerat, passionem descripsit.* Fuerat Guarinus Abbas Pontiniacensis, quo in monasterio Ordinis Cisterciensis, ubi hodie sepulchrum ejus cernitur, Thomam Cantuariensem excepit, & inter Sanctos coluit, ac postea translatus ad Archiepiscopatum Bituricensem magna cum laude rexit, ut videre est in Patriarchio Bituricensi. *Guarinum* anno MCLXXX demortuum confirmat Hugo Autissiodorensis in Chron. qui & diem mortis ejus notavit, nempe XX Martii. *Joannem* verò *Saresberiensem* superiori anno vita functum esse testantur etiam Hugo Autissiodorensis in Chron. & Necrologium Josaphatense, in quo & dies ejus emortualis, nempe vigesimus quintus Octobris notatur. Est autem monasterium Josaphatense Ordinis Benedictini prope Carnotum situm.

XII. *Varia composuit Opera.*

Joannes ex Anglia Parisios profectus anno MCXXXVI, in Scholis Parisiensibus annos ferè duodecim consumpsit, ut ipsemet scribit lib. 2. Metalog. cap. 10. qui addit: *Quin nobilium liberos, qui mihi amicorum & cognatorum auxilio destituto paupertatis meæ solatiante Deo alimenta præstabant, instruendos susceperam, ex necessitate officii & instantia juvenum urgebar quod audieram, ad memoriam crebrò revocare.* Egregium Opus suum *de Nugis Curialium*, seu *Polycraticum* dicavit divo Thomæ Cantuariensi adhuc Archidiacono ejusdem Ecclesiæ, Regisque Angliæ Cancellario. Passionem ejusdem Divi Thomæ, cujus meminit Nangius loco citato, dicit se vidisse MS. in Bibliotheca Regalis-Montis Ordinis Cisterciensis, Casimirus Oudinus in Supplement. de Script. Eccles., & Lupum jure merito arguit, qui testans eam haberi etiam in Bibliotheca Vaticana, ab ejus editione sibi pepercit, quando Vitam & passionem ejusdem Sancti, vulgò *Quadrilogum* appellatam, aliàsque editam, in Belgio rursùs typis dari curavit. De aliis ejus operibus legendus idem Oudinus. Successorem habuit *Joannes Saresberiensis Petrum Cellensem* Abbatem, cujus quondam Clericus fuerat, de cujus virtutibus & scientia in morte ejus agemus.

XIII. *Inventio corporis S. Virgilii Episc. Salzburgensis.*

Ad num. XVI & seqq. *Eodem anno*, inquit Cronographus Reicherspergensis ad annum MCLXXXI, *revelatum Dei nutu sepulchrum B. Virgilii III Kal. Martii, & cœperunt coruscare miracula ad sepulchrum ejus, & ad sepulchra aliorum beatorum Pontificum in civitate Saltzburgensi*, cujus vivens Episcopus fuerat. Baronius refert partem libri miraculorum ejus editi hoc seculo ab Auctore Anonymo, Sancti Eberhardi Episcopi itidem Saltzburgensis discipulo, ex Tomo II Antiquarum Lect. Henrici Canisii, quem postea idem Canisius recensuit Tomo VI, & utrobique legitur Reliquias sancti Virgilii revelatas fuisse hoc anno *XVI Kal. Martii*, sed incertum, an Auctor libri miraculorum vel Chronographus Reicherspergensis, qui hoc etiam tempore vivebat, in die exprimendo erravit. Canisius cujus verba recitat Baronius, ait se invenisse in Annalibus *Virgilium* obiisse *anno Incarnat. Domini DCLXXX*, & Tomo II se in eisdem Annalibus invenisse eum demortuum *anno Incarnat. Domini DCC.* Verùm utrobique annus Incarnationis mendosè descriptus; *Virgilium* enim anno DCCLXXXIV ad Deum migrasse ibidem monstravimus. Præterea in eodem libro, cujus verba recitat Baronius num. XVII, legitur eam revelationem factam *sub Alexandro Papa III, Apostolatus ipsius XXI & ultimo.* Sed locus ille etiam corruptus, legendumque, *XXII & ultimo.* Addit idem Anonymus, *regnante serenissimo Principe Friderico Romanorum Imp. Augusto anno regni ejus XXXIII, & conregnante sibi filio ejus Henrico Romanorum Rege gloriosissimo, Otto de Mittelinspach inclyto Duce Bavariæ Ducatum tenente*; Saltzburgum enim à Bavariæ Ducatu pendebat. At Fridericus, qui anno MCLII die quarta Martii renunciatus est Germaniæ Rex, annoque MCLV die XIX Junii Imperator coronatus, non potuit hoc anno aut Regni aut Imperii annum XXXIII numerare. In eodem libro Miraculorum Canisius Tom. VI legit, *anno regni ejus XXVIII*, sed numerus ille etiam corruptus legendumque, *anno regni ejus XXIX.* Denique apud Baronium loco, *Otto de Mittelinspuch*, legendum, *Ottone de Wittelinspach*, & locus hic confirmat quod anno superiori diximus, tunc Ottonem Bavariæ Ducatum à Friderico Imp. accepisse.

XIV. *Moritur Eskylus Monachus Claravallensis.*

Anno Domini MCXXXI apud Claramvallem mortuus est venerabilis Eskylus Danorum Archiepiscopus, sumto habitu Ordinis (nempe Cisterciensis): *qui diu manserat in Claravalle, & sibi substituerat Archiepiscopum in Dacia Absalonem nomine*, inquit Auctor Anonymus Chronici Claravallensis. *Absalon* vir piissimus, qui antea Roschildensis Episcopus erat, cum priori dignitate Lundensem Archiepiscopatum gessit, quia hoc seculo mos inductus, ut unus plures Episcopatus administraret. *Eskylus* aliàs Lundoniæ Archiep. & totius Daniæ ac Sueciæ Primas, de quo suprà egimus, tempore schismatis Daniam & Sueciam *Alexandro* III asservit, quia non audebant Reges, quem ille Regio sanguine ortus susceperat, rejicere. Episcopos, qui infidelibus Evangelium prædicarent, creavit, aluitque; reformavit Clerum, instruxit populum, & ditavit Ecclesias.

XV. *Judæi fa-*

Anno MCLXXIX Gallia Christiano sanguine

SÆC. XII An. C. 1181. *... vivunt in Anglia, sed puniuntur in Gallia.*

guine à Judæis cruentata, currenti verò Angliæ; Annalista enim Mailrosensis ad hunc annum scribit: *Miracula magna & multa apud Sanctum Edmundum, per beatum puerum Robertum, quem quidam Judæus occultè crudeliter neci tradidit. Similiter apud Huntodinam de alio puero, Herberto nomine, nova contigerunt, quem proprius pater ad stipitem impiè ligavit, & in aquam, quæ juxta ipsam villam decurrit, miserabiliter extinxit.* Gervasius in Chron. *Herberti* non meminit, sed de *Roberto* scribit, eum *hoc anno ad Pascha* à Judæis *martyrizatum* fuisse, subditque: *Honorificè sepultus, multis, ut fama fuit, claruit miraculis.* Huc referendum quod Guillelmus Armoricus narrat gestum hoc anno in Gallia à Philippo Augusto: *Quia Judæos odio habebat, & multas de eis in nomine Christi Jesu blasphemias audiebat, omnes debitores eorum à debitis absolvit, quinta parte totius summæ fisco retenta.* Idem narrat Rigordus de Gestis Philippi Augusti pag. 9. subditque: *Iste annus potest meritò vocari Jubilans; quia sicut in veteri Lege in anno Jubilæo omnes possessiones liberè revertebantur ad pristinos possessores, & omnia debita remittebantur: sic tanta relaxatione debitorum à Christianissimo Rege facta, Christiani in regno Franciæ manentes perpetuam libertatem à debitis Judæorum sunt consecuti.*

XVI. *Alphonsus VIII Infantaticum recuperat.*

Hoc anno *Alphonsus* VIII Castellæ Rex regionem Castellæ *Infantaticum* dictam, quam *Fernandus* Legionis Rex patruus eius occupabat, recuperavit: *Omnia quæ perdiderat*, inquit Toletanus lib. VII cap. 18. *acquisivit, & etiam Infantaticum, quod sub dubio vertebatur.* Annus eruitur ex Charta permutationis ab Alphonso Rege cum Ecclesia Segoviensi facta, quam refert Colmenares in Historia sua pag. 154. Ea dicitur data *apud Carrionem erâ MCCXVIIII, pridie Kal. Januarii, anno primo quo Rex serenissimus præfatus Aldephonsus Infantaticum à Rege Fernando patruo suo recuperavit.* Eodem anno die nona mensis Septembris idem Alphonsus Rex jam Chartas duas emiserat in favorem Ecclesiæ Segoviensis, recitatas à Colmenare fol. 155. datasque, ut in ejs legitur, *apud Secoviam erâ MCCXVIIII, quinto Idus Septembris, anno quinto ex quo Aldefonsus Rex serenissimus Concam fidei Christianæ viriliter mancipavit: anno primo, quo idem Rex Aldefonsus Infantaticum à Rege Fernando patruo suo acquisivit.* Alphonsus enim anno MCLXXVI Concham, vulgò *Cuenca*, Castellæ novæ oppidum munitissimum Mauris eripuit, uti refert Joannes Paulus Martyrricus in Historia eiusdem urbis pag. 31. qui addit illud expugnatum fuisse *die XXI Septemb.* divo Matthæo sacra, & ob id postea ab urbe Patrono electo. Ea non multò post Episcopatu decorata fuit.

XVII. *Carthago post excidium nunquam readificata.*

Mansamuz Rex Massamutorum, qui ferè dominabatur toti Africæ, reædificare cœpit Carthaginem antiquam; adjutus ab omnibus Agurenis, qui terram illam incolunt, inquit Robertus de Monte in Chron. ad hunc Christi annum. Verùm fictitius est ille Rex sicut fictitia illa Carthaginis reædificatio; urbs enim hæc à Saracenis, ex quo Hispaniam ingressi sunt, eversa, contemptaque ut *Tunetum* vicinum oppidum totius Africæ florentissimum celebrius redderent. Sed, uti jam monuimus, Robertus de Monte de rebus in longinquis regionibus gestis malè edoctus fuit. Massamutæ verò idem fuit ac Musmitæ seu Musmidæ positi in montibus Atlantis ad meridiem Marochii.

SÆC. XII. An. C. 1182.

XVIII. *Comitatus Provinciæ regno Aragonum iterum unitur.*

In Gestis Comitum Barcinonensium cap. XXII de Idelphonso Aragonum Rege, & de fratre eius dicitur: *Raymundo Berengario fratri suo inclyto juveni Provinciæ ducatum pro portione tribuit; qui liberalissimè tenuit dum vixit, sed à quibusdam proditoribus fuit occisus die sancto Paschæ, & deportatus ac tumulatus in Magalonensi sede anno Christi MCLXXXI. Post cujus necem Ildefonsus Rex Aragonum, &c. omnem Provinciam recuperavit, ac dum vixit potenter tenuit.* Idem legitur in Chronico Gaufredi Vosiensis pag. 326. & in Chronico Massiliensi Tom. I Biblioth. Labbei. Sic Provincia cum Regno Aragoniæ & Comitatu Barcinonensi, quem à regni sui exordio *Alphonsus* seu *Idelphonsus* obtinebat, rursus conjuncta fuit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6675.

☉ 15. C. ☽ 5. P. 28. Mart. Indict. 15.

JESU CHRISTI 1182.

LUCII III. PAPÆ 2.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 31. IMP. 28.

ALEXII COMNENI IMP. 3.

Anno Eræ Hispan. MCCXX. Anno Hegiræ DLXXVIII inchoato die 6. Maii fer. 5.

I. *Controversia de Archiepiscopatu Dolensi reviviscit.*

AD num. III. Robertus de Monte in Chron. ad annum MCLXXVII loquitur de *Rolando* Electo Archiepiscopo Dolensi, atque: *In festivitate sancti Martini Canonici Dolenses elegerunt in Archiepiscopum Rolandum, Decanum Abrincensem, virum religiosum & literatum. Cui electioni interfuerunt Henricus Bajocensis, & Richardus Abrincensis, Episcopi, & Robertus de Monte* (qui hæc scribit), *& multi viri religiosi.* Mentionem facit Rolandi Electi Dolensis Baronius ex Rogerio Hovedeno, & ex utriusque Scriptoris verbis intelligimus veterem controversiam inter Turonensem Archiepiscopum, & Dolensem Episcopum, qui Metropolitani titulum sibi deberi contendebat, renovatam fuisse. *Ludovicus* VII Franciæ Rex Turonensis Archiepiscopi causam usque ad mortem tuitus est; Stephanus enim Tornacensis in Epistola XXXIX ad Guillelmum Remensem Archiepiscopum data, inquit: *De Dolensium autem causa, quæ auctoritate sanctæ Romanæ Ecclesiæ sopita est, miratur admodum dominus Rex, & eam moveri sic movetur, ut non toleret promoveri. Satagat, obsecro, Paternitas Vestra, ut Ecclesia Turonensis, quæ usque ad senectutem sanctissimi Regis nostri* (nempe Ludovici VII, qui *Pii* cognomen tulit) *super hac quæstione tranquillitatem habuit & quietem, quasi extremis diebus eius non amittat, quam hactenus habuit dignitatem.* Hæc Epistola anno MCLXXIX data; cùm dicat Stephanus se *Turonensem Archiepiscopum ad sacrum Concilium euntem* (nempe Lateranense) Parisiis vidisse.

II. *Philippus Rex conatibus Dolensis Episc. obstat.*

Magno animorum æstu *Bartholomæus Turonensis*, & *Rolandus Dolensis* Archiepiscopi Romæ de jure Metropolico contenderunt; nolebat enim Dolensis eius suffraganeus haberi, seque ex veteri Privilegio totius Minoris Britanniæ Archiepiscopum, & Primatem esse jactitabat. Contrà verò Turonensis, & eum, & ceteros eiusdem provinciæ Episcopos inter suos connumerabat.

numerabat. Turonensi favebat *Philippus Augustus*, ejusque causam, & in Scholis Parisiensibus, & in Conventibus Prælatorum agitari & discuti voluerat. Dolensi tamen suffragabantur omnes Proceres Britannici seu Aremorici, & nonnulli Anglicani Principes. Quid in ea gestum sit ante Alexandri III obitum, incompertum; sed eo demortuo *Philippus Augustus* scripsit *Lucio III* Epistolam ordine CVII inter Epistolas Stephani Tornacensis, quia ipse eam Regis nomine exaravit. Pontifex Archiepiscopum Turonensem Romam vocarat, & in partes Dolensis Episcopi valde propendebat, sed nolebat Rex, ut Turonensis iter illud susciperet, & injuriam sibi factam putabat, si Primatus Ecclesiæ Turonensis læderetur: *Quod si fortè*, inquit Rex in ea Epistola, *quod non credimus, inexorabilem vos invenerimus, usque ad congruum tempus, quo Dominus pacem & quietem regno nostro dare voluerit, Archiepiscopo nostro Turonensi dilationes indulgeat Benignitas* Vestra, quoniam propter necessarias regno nostro causas eum retinuimus: Primò, propter difficillimam quam cum Comite *Flandria* (nempe Philippo) *guerram habemus. Secundò, propter motus plusquam civiles, qui in provincia Britannia insurgunt inter Principes ejusdem provinciæ, & Regis Anglorum filios. Tertiò, propter proximum colloquii terminum, quod cum Imperatore post Pascha, Deo volēte, sumus habituri. In quibus omnibus ipsius Archiepiscopi industriâ, præsentiâ, consilio & auxilio indigemus*, &c.

III. *Lucius III in eum propendet.*

Cùm verò *Lucius* III causas dilationis nullas accipere vellet, seque causam, quæ inter Episcopos de Primatu vertebatur, judicaturum minatus esset, juvenis Rex, extra cujus Regnum Minor Britannia erat, integritatem regni sui nova illa institutione minui existimaus, alteram Lucio III Epistolam ordine CVIII inter Epistolas Stephani Tornacensis irâ excandescens dedit: *Usque ad animam nostram pertinget gladius iste, ut exhæredati clamemus, plangamus nudati, contempti & abjecti à vobis ultionem quandoque Dei & hominum expectemus*, &c. *Et sicut antiquis temporibus occasione dissensionis hujus multorum sanguis effusus est: ita & diebus nostris, nisi per industriam vestram venienti morbo citiùs occurratur, clades communis, & generalis strages inter Francos & Britones poterit subsequi.* Scripsit in eamdem rem ad *Dominum Octavianum* in Curia Romana potentissimum Epistolam ordine CIX, & malum quod ex hujus causæ disceptatione accidere poterit, totum amolitur, & in Papam, ejusque Consilium refundit. Denique Guillelmus Remensis Archiepiscopus Philippi Regis affinis scripsit ad *Magistrum Meliorem Cardinalem*, significavitque, *Quia si dominus Papa contra Turonensem Ecclesiam processerit in facto isto, dominum Rex & omnes Barones eius indignatione, ira, & odio, plusquam credi potest animati & armati, abjectâ paulisper reverentiâ, quam Ecclesiæ Romanæ debent, nova & periculosa consilia eractare cogentur.* Ea Epistola ordine est CX inter Epistolas Stephani Tornacensis.

IV. *Epocha Epistolæ à Philippo Rege ad Lucium III datæ.*

Nunc inquirendum tempus, quo hæ omnes literæ datæ. Et quidem quoad priores non dubito, quin currenti anno scriptæ fuerint; Chronographus enim Aquicinctinus ad annum MCLXXXI ait: *Philippus puer Rex Francorum, & Philippus Comes Flandrensium, post festivitatem omnium Sanctorum, instante hyeme, quæ in isto anno & hoc mense nimis extitit pluviosa, inter se dissentiunt, & cum ipsis omnes Primores Francorum.* Hoc verò anno habet: *Post Pascha Heinricus Rex Anglorum senior, mare transito, in Normanniam venit: nam filii eius, sicut suprà diximus, Heinricus Rex & Richardus Dux Regi Francorum contra Comitem Flandriarum auxilium ferebant. Dux autem Burgundiæ, & Comitissa Campania, soror Regis, quondam uxor Heinrici Comitis, Philippo Comiti associati debellabant Regem* (nempe Franciæ). *Guillelmus vero Remensis Archiep. & Comes Blesensium Theobaldus, Regis avunculi, reformandæ paci intendebant. Igitur transactis induciis inter Regem & Comitem, pax non sperabatur, sed bellum. Ex insperato tamen Heinricus senior Rex Anglorum & Philippus Rex Francorum, Philippus etiam Comes Flandriarum, mediante Heinrico Albanensi Episcopo, Apostolicæ Sedis Legato, cum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & Francorum Proceribus, inter Crispeium, & civitatem Silvanectensem, & nunciis pacis intercurrentibus, pax inter eos firma firmatur. Nunquam nostra ætate audivimus tantum belli incendium, tam parva pacis scintilla extinctum.* Pacem hoc anno sancitam fuisse produnt etiam Gaufredus Prior Vosiensis pag. 330. & Annalista Mailrosensis, & tamen prima illa Epistola ad *Lucium* III data, quando bellum in Gallia fervebat.

V. *Hæc controversia duravit usque ad Innocentium III.*

Hoc pariter anno *Philippus* Rex ad *Octavianum*, qui tunc erat Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus, scripsit; cum Epistola data sit *Domino Octaviano*, isque testibus Ciaconio & Oldoino, in prima creatione Cardinalium mense Decembri facta Diaconus Cardinalis tit. SS. Sergii & Bacchi renunciatus sit, creatus postea Episcopus Cardinalis Ostiensis & Veliternus. Cum verò *Magister Melior* Presbyter Cardinalis SS. Joannis & Pauli tit. Pammachii in secunda creatione anno MCLXXXIV juxta Onuphrium & Baronium eo anno, dictus sit, ante eum annum *Guillelmus* Remensis Archiep. ad eum non scripsit. *Rolandus Electus* Archiep. Dolensis, quem Hovedenus pag. 617. & ex eo Baronius, testatur venisse hoc anno in Angliam cum Selvano Abbate ad pacem faciendam inter Regem Scotiæ & Joannem Episcopum sancti Andreæ, à Lucio III in secunda Cardinalium creatione factus est etiam Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Porticu; isque non *Senensis*, ut putavit Onuphrius, sed *Armoricus* fuit, sicuti *Magister Melior*; ut colligo ex Epistola laudata Guillelmi Archiep. Remensis ad Magistrum Meliorem, in qua orat & consulit, *ne propter favorem personæ illius, quæ sibi natione conjuncta est*, pacem turbari permittas. Quare *M. Melior* & *Rolandus* Galli extitère, & in minori Britannia nati sunt. Sed, ut redeam ad *Lucium* III, cùm prudentissimus esset, ac pacem Ecclesiæ turbatam nollet, causam quæ vertebatur inter Turonensem & Dolensem, quæ adhuc anno MCLXXXIV agitabatur, ut ex mox dictis liquet, indecisam reliquit, sicuti & eius Successores usque ad *Innocentium* III, qui anno MCXCIX, ut videre est apud Spondanum eo anno num. X sententiam pro Turonensi dixit, & liti, quæ medio circiter seculo nono cæpit, finem imposuit.

VI. *Mortalitas Romæ sævit.*

Roma, inquit Gaufredus Prior Vosiensis pag. 331. *mortalitas populum multum prostravit. Petrus Legatus Kalend. Augusti apud Ostiam præsente Papa Lucio decessit, & in Cœnobio, quod vocatur*

tur Fossa-nova, tumulatur. Hic dedit Sancto Martiali XX marcas argenti, eratque electus in Archiepiscopum Bituricensem. Plures quoque de Curia Clerici obierunt. Petrus iste prætermissus in Patriarchio Bituricensi, & à San-Marthanis in Archiep. Bituricensibus, qui tamen id intelligere poterant ex Chronico Alberici à se laudati, in quo ad annum MCXCVI legitur; *Civitate Biturigas post Petrum Episcopum Guarini successerem, erat Archiepiscopus, vir nobilis & religiosus Henricus* (cognominatus de Suliaco, Gallicè de Sully). *Hujus frater Odo Cantor Bituricensis in Episcopum Parisiensem post Mauricium eligitur* (de Mauricio & Odone infra sermo erit). *Erant hi duo fratres Ægidii de Sorilleio, nepotes magni Theobaldi Comitis.*

VII. *Et fames in universa Italia.*

Dum Romæ mortalitas, in reliqua Italia fames grassatur, Anonymus enim Casinensis in Chron. ad hunc annum scribit: *Tribus diebus infra Octavam Epiphaniæ tam maxima venti procella desævit per totam Italiam, quod homines plures & bestias interfecit, arbores exaruit, & herbas ad radices destruxit. A quinque annis & infra fames fuit tam valida per totam Italiam, quod diversis partibus saama tritici pro auri uncia non poterat inveniri, & omnium frugum terra sterilitas maxima, & plures homines præ nimia fame herbas comedentes agrestes deperierunt.* Famem hanc prænunciaverat anno superiori Prophetissa, de qua Baronius anno MCLXXX num. II refert ex Roberto de Monte in Chron. hæc verba: *Præterea constanter asseruit, quod in sequenti anno ab illo maxima fames ingrueret, & quod ex corruptione aëris innumerabilis hominum multitudo moritura esset*, quæ verba etiam demonstrant eam fœminam, non anno MCLXXX, ut habet Baronius, sed anno MLXXXI, uti supra ostendimus, Romæ innotuisse. Ad hanc rem facit quod Chronographus Aquicinctinus hoc anno scribit: *Luna mensis Augusti, & in accessu & in discessu nimis extitit pluviosa, & admodum frigida, quæ magnam incommoditatem per multa generavit loca. Nam segetes humidæ in horreis sunt reconditæ, fœnum vix potuit colligi, & vini maturitas & collectio tardius provenit.*

VIII. *Judæi è Gallia pelluntur.*

Hoc anno Philippus Augustus omnes Judæos de Regno suo ejecit & *possessiones eorum retinuit fisco*, inquit Guillelmus Armoricus de Gestis Philippi Aug. Franciæ Regis, quod fusiùs narrat Rigordus in Gestis ejusdem pag. 9. *Anno* inquit, *Dom. Incarnat. MCLXXXII, mense Aprili, qui ab ipsis Judæis dicitur Nisan, exiit Edictum à serenissimo Rege Philippo Augusto, quòd omnes Judæi de regno suo, usque ad sequens festum S. Joannis Baptistæ ad exeundum parati essent*, data eis licentia, ut omnem suam suppellectilem venderent, *reservatis sibi & successoribus suis Francorum Regibus possessionibus, videlicet domibus, agris, vineis, Granchiis* (idest, grangiis, utrumque enim dicitur, ut patet ex Glossario Ducangii), *torcularibus & hujusmodi. Quo audito perfidi Judæi, quidam ex ipsis regenerati ex aqua & Spiritu sancto, conversi sunt ad Dominum.* Alii in perfidia sua permanentes cùm non possent Principes, Archiepiscopos & Episcopos pecunia & promissionibus allicere, *Regis jussa complere satagentes, res suas mobiles sub mira festinatione vendiderunt; possessiones enim omnes ad fiscum Regis sunt devolutæ. Igitur Judæi venditis rebus suis, pretium habentes pro viatico, egressi sunt cum uxoribus & filiis, & universo comitatu suo, anno Domini supradicto MCLXXXII, mense Julio.* Idem tamen Rex anno postea MCXCVIII eosdem *contra omnium hominum opinionem* Parisios reduxit, inquit Rigordus ad eum Christi annum.

IX. *Andronicum de Imperio Orientis usurpando cogitat.*

Alexius Imperator Constantinopolitanus adhuc puer malè instituebatur, & ex cognatis ejus ac amicis alii *Mariæ* Imperatricis amore flagrabant, alii fiscum depopulabantur, & omnia confusa erant, *dum suum quisque negotium agit, & alteri adversatur*, inquit Nicetas Choniata. Alii *Protosebastum* suspectum habebant, alii *Protovestiarium* Alexium Comnenum Manuelis Patruelem, qui pueri Imperatoris matrem sibi conciliarat, ceterosque omnes auctoritate vincebat. Parte alia *Comnenus Andronicus* Imperatoris Manuelis Patruelis, qui ab eo in exilium missus fuerat, cùm *Manuelis* obitum & Palatina dissidia accepisset, de imperio usurpando cogitavit, indeque crebras literas ad Alexium Imp. nepotem, & ad Patriarcham Constantinop. *Theodosium*, ac ceteros, *in quibus aliqua scintilla amoris erga Manuelem defunctum apparebat*, mittit, in quibus se indignari simulabat, quod res Imperii eo in statu versarentur. Cumque omnes in suam sententiam pertraxisset, Constantinopolim venit, & ubique honorificentissimè exceptus est. Tandem, ut rem paucis absolvam, Byzantii popularis seditio excitatur, & *Imperatoris milites mensis Maii die VII, indictione XV* Joannis Theologi ædem occupant, pugna magna committitur, ægrèque pax auctoritate Theodosii Patriarchæ Constantinop. restituitur. Is postea à Protosebasto pellitur. *Non tamen successit negotium*, inquit Nicetas, *tum quod nihil in eo reperiebatur, propter quod pellendus esset; tum quod domina & alii plurimi, usque adeo omnes fere Imperatoris consanguinei, virum illum summoperè venerabantur.* Quare, ut Patriarcha in pristinam Sedem reponeretur, *Protosebastus* assentiri coactus fuit. Hæc summariè ex Niceta Choniata. Constantinopoli Græci in Latinos sæviunt, ut dicetur anno seq. num. XI.

X. *Error Willel. Tyrii in narratione Conversionis Maronitarum.*

Ad num. IV. Jam suo loco monstravimus quantum Willelmus Tyrius deceptus fuerit, imo & quanto odio erga Equites Jerosolimitanos flagraverit, dum scripsit eos sub Patrocinio *Sancti Joannis Eleemosynarii* institutos fuisse, & dein cum divitiis crevere, *Sanctum Joannem Baptistam* in locum ejus subrogasse; hîc vero nobis ostendendum, quantum peccaverit Monothelismum universæ Maronitarum nationi attribuendo. Ejus verba à Baronio recitata in summam contraho. Ait itaque Maronitas *cùm per annos pene quingentos* cujusdam Maronis Hæresiarchæ errorem fuissent secuti, *ita ut ab eo dicerentur Maronitæ*, ad cor redeuntes, *ad Patriarcham Antiochenum Haimericum, qui tertius Latinorum nunc eidem præest Ecclesiæ*, accessisse, & ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ reversos esse. Fuisse autem hujus populi turbam non modicam, *sed quinquaginta millium* dictam esse excedere quantitatem. *Maronis autem error & sequacium ejus est, & fuit (sicut ex VI Synodo legitur, quæ contra eos lata esse dignoscitur, & in qua damnationis sententiam pertulerunt), quod in Domino nostro J. C. una tantum sit & fuerit ab initio, & voluntas & operatio. Cui articulo multa alia perniciosa nimis adjecerunt. Super*

quibus

quibus omnibus ducti pœnitudine ad Ecclesiam redierunt Catholicam unà cum Patriarcha suo & Episcopis nonnullis. Hæc Willelmus Tyrius.

XI. *Tyrius traditiones fabulosas quandoque amplexus est.*

Verum Tyrius in scribenda sua Historia plura decerpsit ex Annalibus Eutychii Patriarchæ Alexandrini, in quibus minimè accuratus fuit; imò multa fabulosa habet, variaque asserit, quæ à veritate multum aberrant. Secutum se esse Eutychium ipsemet fatetur in præfatione suorum Operum: *Arabica exemplaria ministrante* (nempe Amalrico Jerosolymorum Rege) *aliam Historiam à tempore Seductionis Mahumeth usque in hunc annum, qui est nobis ab Incarnatione Domini MCLXXXIV per annos quingentos septuaginta decurrentem conscripsimus, auctorem maximè secuti virum venerabilem Seith filium Patricii Alexandrinum Patriarcham*, dictum etiam Eutychium, Medicum insignem, & Patriarcham Alexandrinum mortuum anno CMXL, quo eum obiisse diximus. Cujus integros Annales cum Seldeni Præfatione notisque Arabicè & Latinè in lucem protulit Pocockius Oxonii. Hæc Tyrii Historia periit, sed de ea quæ extat, seu de Historia Belli Sacri hæc subjicit: *In hac verò nullam aut Græcam aut Arabicam habentes præducem Scripturam, solis traditionibus instructi, exceptis paucis quæ ipsi oculata fide conspeximus, narrationis seriem ordinavimus.* Verum traditiones quas secutus est, non rarò errori obnoxiæ fuêre, constatque etiam eum. *Eutychio* fabularum pleno sæpe adhæsisse. Certe Faustus Naironus in Dissert. De origine ac religione Maronitarum num. XIX & seqq. hæc verba ex Eutychio profert, prout extant in textu Arabico: *Fuit tempore Mauricii Imp. Romanorum, Monachus quidam nomine Maron, qui asseruit Domino nostro J.C. duas esse naturas, & voluntatem unam, operationem, & Personam unam, fidemque hominum corrupit. Maxima autem eorum, qui doctrinam ipsius amplexi, & se discipulos illi præbentes, eamdem professi sunt, pars, erant, incolæ urbis Hhamah, & Kenesrin & Awasem, cum Romanorum* (hoc est Græcorum, qui sub Romano erant imperio) *nonnullis, appellatique sunt ejus asseclæ, qui idem cum ipso assererent, Maronitæ, nomine ab ipso Marone deducto, mortuoque ipso Monasterium ibi extruxerunt, & vocarunt Monasterium Maronis ejusque fidem professi sunt.*

XII. *Annales Eutychii fabulis referti.*

Verum hæc commentitia sunt; neque enim sub Mauricii, neque sub Phocæ, qui eum proxime secutus est, Imperio error de unica tantum voluntate & operatione Christi adhuc excogitatus fuerat, sed *Heraclio* duntaxat imperante, ut omnibus notum, è tenebris prodiit. Neque etiam Monasterium, de quo Eutychius loquitur, fuit ibi extructum post obitum hujus Maronis; quippe quod jam stabat ducentis fere ante annis, eratque divo Maroni Abbati dicatum; quod etiam colligit Naironus & Procopio Cæsariensi, qui lib. 5. de Ædificiis Justiniani Imperatoris memorat præcipue illa Phœniciæ, *ac supra Apamæam* (quæ est Hhamah), additque; *Pauperum hospitium Sancti Romani reparavit, & mœnia beati Maronis.* Certum est autem *Justinianum* anno DLXV vivere desiisse, & *Mauricium* anno DLXXXII creatum Imperatorem, è vita migrasse anno DCII. Quare cùm imperante Justiniano Monasterium Sancti Maronis instaurandum fuerit, tunc antiquissimum fuisse oportet. Quod confirmatur ex Actis V Generalis Synodi anno DLII coactæ sub Imperio ejusdem Justiniani, cui interfuerunt Legati Monasterii Sancti Maronis, eratque tunc celeberrimum, & caput Monasteriorum totius Syriæ secundæ, ut ejusdem Synodi Acta declarant. Imo hunc *Maronem* ostendimus fuisse Monachum ipsiusmet Monasterii, de quo agitur, ubi proprio nomini, quod erat *Joannes*, nomen Maronis superinduxit, acceperatque ex nomine Monasterii beati Maronis Abbatis. Verùm hæc fabula jam fusè à nobis anno DCXXXV confutata.

XIII. *Aliqui Maronitæ fuere hæretici.*

Reliquum est, ut hîc refellamus quæ Baronius ex Tyrio de conversione totius gentis Maronitarum ad fidem Catholicam in medium profert. Verum itaque est hæresim Monothelitarum intra Montem Libanum manasse, & Patriarcham ipsum venenum illud hausisse, ut anno MCIX latè narravimus, sed hæc circa initium hujus seculi contigêre tempore Thomæ Hharanitæ Episcopi Kfarrabensis, ut loco citato diximus.

XIV. *Ab Haymerico Antiochiæ Patriarcha hoc anno Ecclesiæ reconciliantur.*

Post hæc & alia à nobis eodem anno MCIX narrata Maronitæ Patriarcham Catholicum elegerunt, quo ab hæreticis interfecto, cum vacatiæ, uti habet idem Naironus, inter Maronitas insurrexissent divisiones pro eligendo Patriarcha accurrit *Haymericus* Latinorum Patriarcha Antiochenus; cùmque illos sedasset eos qui schisma invexerant, vel secuti fuerant, ad obedientiam reduxit, & auctoritate Summi Pontificis à vinculo excommunicationis, quam ob patratum in Patriarcham immane delictum incurrerant, absolvit; & post hæc *Maronitæ* ad electionem novi Patriarchæ integerrimæ fidei, unanimiter devenerunt. Sic enim legitur in eorumdem Chronico: *Extinxit illud venenum Haymericus bonæ memoriæ. Objurgavit eos palam apertis verbis, obedierunt ei, & à Romana Sede benedictionem eis mittendam curavit, & elegerunt sibi Patriarcham, qui habitavit in Ecclesia beatæ Virginis in Habil* (quod est Libani oppidum) *Observabat, quidquid erat in Evangelio, erat in exponendo peritus, ac varia de fide carmina componebat.* Neque damnata, imò confirmata, ac stabilita fuit fides Maronis: *Et firmi steterunt in fide Maronis, & superbi humiliati sunt, & adversarii pacem inierunt.* Quam fidem Maronitæ in præfata reconciliatione cum prædicassent coram Haymerico, nihil penitus adversus illam opposuisse legitur, indeque evidenter concluditur Maronis sententiam neq leviter Monothelismum redoluisse. Cum Tyrius accepisset Maronitas Schismatis Thomæ sectatores, errores abjurasse apud Haymericum, & cum Patriarcha pace facta Romanam fidem professos, opinatus est Maronitas omnes in Monothelitarum errore jamdiu fuisse, & toti attribuit, quod pars una minus spectata & perduellis fecerat, nisi forte deceptus fuerit ab aliquo ex Maronitis, qui Schismati Thomæ adhæserant. Ceterum inexcusabilis est in eo quod tradit collectam esse contra eos sextam generalem Synodum, & damnatum in ea Maronem; cum ne verbum quidem de eo in ea Synodo extet.

XV. *Quod de tota natione Tyrius malè intellexit.*

Præterea quomodo scribere potuit Tyrius jam à quingentis annis Maronitas Monothelitas fuisse, cum David Archiepiscopus (qui floruit anno Alexandri MCCCLXX, absoluto in

SÆC. XII. An. C. 1182. in autumno anni Christi MLIX, ut legitur in Epistola Abbatis Joseph, missa eodem anno ad præfatum David, qua eum rogat, ut ex Syriaco Arabici juris faceret Ecclesiasticas Orientalium Syrorum constitutiooes) capite primo ejusdem textûs afferat Maronitas duas in Christo voluntates admittere: *Græci concordant cum Maronitis*, inquit, *in prolatione duarum voluntatum; & Maronitæ afferunt duas voluntates consequentes duas substantias divinam & humanam.* Quo pacto igitur Tyrius hoc anno scrihere potuit eos per annos fere quingentos hæreticos fuisse. Verum quidem est quosdam ex Maroniris; dum inter se divisi essent, in Cyprum insulam pervasisse, & multos corrupisse, sed ea re nihil aliud efficitur nisi plures Maronitas bæreticos fuisse, sicuti ex eo quod multi Calvinistæ ex Gallis & Germania prodierint; non sequitur utramque nationem ooo esse Catholicam. Quod autem in Marotioarum libris aliquæ reperiantur hæreses, præsertimque de unica in Christo natura & voluntare; id contigit Jacobitarum dolo, qui cum eadem, qua Maronitæ lingua utantur Syriaca, ad hæc usque tempora horum codices corrumpentes, pravos eorum errores ioter Maronitas curaruns diffundere, uti scripsit Petrus Patriarcha Maronitarum ad Antonium Caraffam S.R.E. Cardinalem literis anno MDLXXVIII die XXV Augusti datis, & à Nairono citato oum. LXXVII relatis: *Et quia frater mi, erit aliquis, qui vobis scribet, in nostris libris invenisse aliqua verba Sanctam Ecclesiam oppugnantia, nos non recipimus, nisi quod recipit Sancta Ecclesia, & quod invenitur in exemplaribus potuerunt ingredi & immisceri in illis* (sc. libris Maronitarum) *nonnulla ex codicibus nationum, quæ sunt circa nos per multum tempus. Frater mi omnem deponas suspicionem de rectitudine nostra; ab antiquo fundati sumus in fide Sancta Ecclesia Apostolica Romana, quam semper sumus amplexi, & nequaquam vobiscum tantum ore loquimur, sed ore simul ac corde, & Deus de hoc sit testis.* Maneat itaque Tyrium & plerosque ex recentioribus Scriptoribus qui ei nimis facile fidem adhibuêse, in narrando reditu aliquorum Maronitarum ad Ecclesiam Romanam valde hallucinatos esse.

Anno Eræ Hisp. MCCXXI. Anno Hegiræ DLXXIX. inchoato die 26. April. fer. 5.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6676.

☉ 16. B. ☽ 6. P. 17. April. Indict. 1.

JESU CHRISTI 1183.

LUCII III PAPÆ 3.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 32. IMP. 29.

ANDRONICI COMNENI IMP. 1.

I. *Lucius III Româ exire cogitur.* AD num. II & seq. Sigonius in Hist. de Regn. Ital. lib. XIV ad annum MCLXXXIII refert, Romanos novo Pontificatu novum bellum movisse, rursusque exercitum ad *Tusculum* adduxisse, & *Lucium* III, cùm se Romanis odio & contemptui esse animadverteret, Româ exiisse, ac *Velitris*, proximisque in locis consedisse. Ante hæc narrat Sigonius mortem *Christiani* Archiepiscopi Moguntini. Verùm hæc omnia ad præsentem annum pertinent, quo ea consignavit Rogerius Hovedenus part. II Annal. pag. 621, & ex eo Barorius. Audiendus Joanoes de Ceccano in Chron. ubi hæc sigillatim persequitur: *Indict. XV* (legendum, indict. I) *septimo Kalend. Junii à corpore puella visibiliter in Ecclesia de Canneto B. Petrus dæmonium expulit. Romani venerunt super Tusculanum Kalendis Julii, ut eam caperent, sed minime potuerunt. Interea Cancellarius* (Christianus nempe Archiepiscopus Moguntinus) *cum magno exercitu Alamannorum* (missus à Friderico Imp.) *venit apud Tusculanum, & Romanos ibi non invenit; sed remansit ibi cum exercitu, & capit valde infestare Romam, & depredare. Tandem mense Augusto ibi mortuus est, & sepultus.* Serarius in Historia Moguntina lib. 5. pag. 816. hunc Chistiani hujus nominis II Archiepiscopi Moguntini, qui anno MCCL florebat, locum sefert, quo lucem accipiunt quæ Joannes de Ceccano de Christiano Cancellario habet: *Obiit Christianus juxta Romam. Graviter ægrotavit. Vicinus erat Summus Pontifex, qui Episcopum ut proximaret, paternis literis hortabatur. Cumque Papa ad Archiep. pervenisset, langor iu tantum prævaluerat, ut Patri sancto assurgere non valeret. Facta ergo confessione Summo Pontifici, de manu ejus communicationem sanctam accepit, aliaque Ecclesiæ sacramenta; & Dominus Papa facta & dictâ indulgentiâ, in pace abiit, & Dominus Christianus Deo animam reddens, mortem obiit.* SÆC. XII. An. C. 1183.

Conradus Moguntinæ & Adalbertus Salzburgi Archiepiscopatus recuperant. Quæ post ejus mortem hoc anno contigerint, ita narrat Chronographus Reicherspergensis: *MCLXXXIII dominus Otto Palatinus Comes, qui Ducatum Bauvariæ tenebat, obiit. Eodem quoque anno mortuus est Moguntinus Archiepiscopus Christan dictus, & dominus Chuonradus Apostolicæ Sedis Legatus in sedem suam pro eo restitutus est. Archiepiscopus etiam dominus Adalbertus ex Præcepto Imperatoris, & unanimi omnium Saltzburgensium electione cathedram suam recepit, & in XIII Kal. Decemb. rursus Ecclesiæ suæ cum favore omnium reinthronizatus est.* De Conrado è Præsulatu Moguntino, & de Adalberto è Saltzburgensi expulsis sæpius locuti sumus. Serarius loco laudato refert è MS. à se viso *Christiani* anniversarium diem celebrari in S. Victoris Ecclesia *XII Kal. Decemb.* sed Christianus mense Augusto mortuus est, certumque in Necrologiis anniversaria aliis sæpe diebus notari, quam quibus mortui fuerint iî in quorum gratiam instituta fuêre. Quod hoc exemplo, multisque aliis indubitatum redditur. Porrò Anonymus Casinensis, qui ait Christianum *apud Tusculanum* vita functum, non adversatur Joanni de Ceccano, qoia *Tusculanum* duodecim tantum milliaribus à civitate Romana dissitum. Denique Trithemius in Chron. Hirsaug. ad annum MCLXVII, & in lib. de Script. Eccles. prodit, Christianum *in omni genere doctrinæ* multum eruditum fuisse, & scripsisse *Friderici Imperatoris* I Gesta à se lecta, additque eum reliquisse etiam pulchras, & varias *ad diversos* Epistolas; sed nihil eorum ad nos pervenit. Legendus Oudinus de Christiano Abbate cum quo noster malè ab aliquibus confunditur, io Supplement. de Script. Eccles.

III. *Instituitur Archiepiscopatus Montis Regalis.* Idem Anonymus Casinensis ad hunc annum scribit: *Lucius Papa III apud Velletrum promovit Willielmum Abbatem sanctæ Mariæ Regalis de Panormo in Archiepiscopum Montis-Regalis.* De Monasterio Montis-Regalis hoc anno in Archiepi-

Archiepiscopatum evecto, anno MCLXXIV cum Baronio locuti sumus. Constitutio à Lucio III emissa extat non tantùm apud Rocchum Pyrrhum in Sicilia sacra pag. 408. & seqq. sed etiam in Bullario Casioensi pag. 197. Ait in ea Pontifex Guillelmum Siciliæ Regem Monasterium in loco, qui *Mons-Regalis* dicitur, construxisse, & *brevi tempore Templum Domino multa dignum admiratione* ædificasse, & in tantùm redditibus, aliisque rebus ampliasse, *ut simile opus per aliquem Regem factum non fuerit à diebus antiquis, & in admirationem homines adducat*; eum à se petiisse, ut eumdem locum *dignitate Metropolica* donaret, ideoque se eumdem Willelmum Abbatem in ejusdem loci Archiepiscopum *propriis manibus* consecrare, ac decernere, ut Ordo Monasticus in eodem loco constitutus ibidem inviolabiliter observetur: Episcopatum Catanensem & subesse debere se constituere, ac ei subjicere Monasterium Maniacium dictum, *quod illustris recordationis Margarita gloriosa quondam Regina in Diœcesi Messanensi construxit*. Constitutioni subscribunt Cardinales quindecim inter quos *Henricus Albanensis Episcopus*; de quo mox. In fine legitur: *Datum Velletri per manum Alberti S. R. E. Presbyteri Card. & Cancell. Nonis Februarii, indict. I, Incarnat. Dominica anno MCLXXXII, Pontificatûs verò Domini Lucii Papæ III anno secundo.*

IV. *Lucius III annum à die XXV Martii inchoavit.* Ex his perspicuum est, primò *Lucium* III hoc anno, *Veletris* commoratum esse. Secundò, errasse Cantelium in Dissert. V Metropolitanarum urbium Historiæ cap. VII. ubi scribit, *Guillelmum* anno MCLXXVIII consecratum fuisse Archiepiscopum Montis-Regalis, sed verosimile errorem in typographum refundendum esse, qui numerum X in V mutarit. Rectè tamen addit Cantelius haud multò pòst Syracusanum Episcopum ejusdem Archiepiscopatus suffraganeum dictum. Tertio, *Lucium* III annum à die XXV mensis Martii inchoasse; à quo etiam die constat *Alexandrum* III anni initium repetiisse. Quartò, *Margaritam* Navarræ, Siciliæ Reginam, *Guillelmi* II Regis matrem vitam non prorogasse usque ad diem XXXI mensis Julii hujus anni, ut Rocchus Pyrrhus laudatus ejus epitaphio innixus, arbitratus est; hoc enim epitaphium, uti & non pauca alia, à posterioribus positum, ad quod Historici & Critici animum non advertentes non rarò hallucinati sunt, aliosque in errorem traxere. Quinto, *Henricum* Cardinalem Albanensem anno superiori Legationem suam Gallicam absolvisse; cùm jam mense Februario currentis anni Velitris fuerit. Erectioni hujus novæ Metropolis meminit Baronius in Addendis & Corrigendis ad hunc annum, ubi tamen dicit Constitutioni subscripsisse Cardinales XVII.

V. *Moritur Henricus Rex filius Henrici II Angliæ Regis.* A num. IV ad VII. *Henricus* filius Henrici II Angliæ Regis, Rex ab eo anno MCLXX declaratus, de medio subtractus est *in festo sancti Barnabæ Apostoli*, in urbe Martello, quæ sita est in Cadurcensi provincia, *cùm annum ætatis vicesimum octavum complevisset*, testibus Rogerio Hovedeno à Baronio laudato, Matthæo Parisiensi, Annalista Mailrosensi, Radulpho de Diceto & Gaufredo Priore Vosiensi in Chron. pag. 190. ubi annum, quo Chronicon suum scripsit his verbis explicat: *Ego Gaufredus ista dictavi anno Incarnat. Dominica MCLXXXIII, Philippi, qui fuit filius Ludovici, tertio anno: quo videlicet anno guerra gravissima fuit in Lemovicino inter Henricum Anglorum Regem, & filium ejus Henricum Juniorem, qui tunc obiit in festo B. Barnabæ Apostoli. Ego quintum annum tunc Prioratus mei in Cœnobio Vosiensi expleveram.* Ita ille part. I cap. 22. qui tamen in Prologo & cap. ult. partis II certis characteribus insinuat, se anno tantum sequenti opus illud absolvisse. Bellum, de quo loquitur, apud Baronium legendum. Erravit itaque Rigordus pag. XI qui ait, Henricum *XIII Kal. Junii* obiisse.

VI. *Pax inter Fridericum & urbes Italiæ fœderatas.* Ad num. VII. Sigonius in Hist. de Regn. Ital. lib. XIV refert, *Fridericum* Imp. Legatos quatuor Placentiam misisse ex urbe Constantiensi, ubi mense Martio Conventum egit, qui pacem cum fœderatis Longobardiæ urbibus facerent, si illi eam peterent. Hoc nuncium Fœderati gratissimum habentes Prætores suos cum Legatis Constantiam misère, remque cum Friderico, atque Henrico filio præsentibus *septimo Kalend. Julias* confecère. In tabulis pacis Fridericus ait: *Restituimus stratam Veronensibus, & Icilinum in gratiam recipimus. Nomina urbium, quibus gratiam nostram restituimus, & præscriptam concessionem fecimus, hæc sunt. Vercellæ, Novaria, Mediolanum, Laus, Bergomum, Brixia, Mantua, Verona, Vicetia, Padua, Tarvisium, Bononia, Faventia, Mutina, Regium, Parma, Placentia.* Ita Fridericus, postquam Italiam & Ecclesiam effusis omnibus Imperii viribus oppugnavit, coactus fuit cum utraque ad æquas pacis conditiones descendere.

VII. *Cotarelli in Francia flammis addicti.* Quæ refert Baronius ex Sancto Antonino, de Cotarellis apud Bituriges detectis, desumsit ex Rigordo de Gestis Philippi Augusti, duobus fere seculis Sancto isto antiquiore. Iis addo quæ Chronographus Aquicinctinus de iisdem in alia parte Franciæ patrata, exhibet: *Transactis diebus Nativitatis dominicæ, Willelmus Remensis Archiep. & Comes Flandriæ Philippus, in civitate Attrebatensi, de secretis suis locuturi conveniunt. Ibi multarum hæresium fraudes per quandam mulierem in terra Comitis sunt detectæ. Isti hæretici nullius hæresiarchæ muniuntur præsidio: quidam dicunt illos Manichæos, alii Cataphrygas, nonnulli verò Arianos, Alexander autem Papa vocat eos paterinos* (legendum, Paterinos). *Sed quidquid sint, oris proprii confessione convicti sunt hæretici immundissimi. Multi sunt in præsentia Archiepiscopi & Comitis accusati, nobiles, ignobiles, Clerici, milites, rustici, virgines, viduæ, uxoratæ. Tunc decretalis sententia ab Archiepiscopo & Comiti* (legendum, *Comite*) *præfixa est, ut deprehensi incendio traderentur; substantia verò eorum Sacerdoti & Principi resignarentur.* Addit Rigordus pag. XI de gestis hoc anno loquens: *Combusti sunt multi hæretici in Flandria à Willelmo Reverendo Remensium Archiepiscopo tit. S. Sabinæ Presbytero Card. Apostolicæ Sedis Legato, & à Philippo illustri Comite Flandrensium.*

VIII. *Manichæorum dogmatis imbuti.* Loquitur etiam Nangius in Chron. hoc anno de Cotarellis in Provincia Bituricensi ab illius terræ incolis in unum contra Dei inimicos confœderatis, subditque: *Eodem tempore multi hæretici combusti sunt in Flandria à Guillelmo Remensium Archiep. Apostolicæ sedis Legato, & à Philippo Flandrensium Comite. Hi dicebant omnia æterna à Deo creata, corpus autem hominis & omnia*

nia

ma transitoria à Luciabelo (idest, Lucifero vel Diabolo) *creata*, *Baptismum parvulorum & Eucharistiam reprobabant*, *Sacerdotes Missas celebrare ex avaritia, & oblationum cupiditate dicebant*. Ex quibus apparet, eos Manichæorum dogmatis fuisse infectos.

IX. *Viviani Card. Legatio Hibernica.*

Ad num. VIII. Legatio Hibernica *Viviani* Presbyteri Card. tit. S. Stephani in Cœlio Monte, de qua loquitur Baronius cum Neubrigensi lib. 3. cap. 9. retrahenda ad annum MCLXXVI, ut non solum ex Neubrigensi deducitur, sed etiam ut disertè tradunt Rogerius part. II Annal. pag. 567. ad annum Christi MCLXXVII Gervasius in Chron. ad annum MCLXXVI Annalista Mailrosensis, & Bromptonus ad eumdem Christi annum. Ait Neubrigensis Henricum II Angliæ Regem post subactam Hiberniam in Angliam reversum esse (ideoque anno MCLXXII) & Præfectos, quos reliquit, commissos sibi fines paulatim dilatasse, & inter alios *Joannem de Cures* Ultoniam hostiliter invasisse. *Fortè*, subdit Neubrigensi, *illuc venerat è Scotia Vivianus, vir eloquentissimus Apostolicæ Sedis Legatus*, qui convocatis Hiberniæ Præsulibus atque Abbatibus generale Concilium celebravit, & auro Hibernico *minus onustus in Scotiam remeavit*. Scribit Neubrigensis illud Concilium *Divellini* coactum fuisse. Joannes verò Bromptonus pag. IIII. *apud Dublenniam in Hibernia*, ideoque *Divellinum*, seu, ut loquitur Gervasius in Chron. quando sermonem habet de Hibernia ab Henrico II subacta, *Duvelinum*, idem est ac *Dublinum*; Divelinum frustrà in Lexicis Geographis quæres. Inde Vivianus in Angliam se contulit, dein in Scotiam, ubi *ad castellum Puellarum* celebrato Concilio *suspendit à Pontificali officio Christianum Episcopum Condidæ casæ*, *quia ad Concilium suum venire noluit*, inquit Hovedenus. Utrumque Concilium anno MCLXXVII congregatum fuisse Hovedenus & Bromptonus testantur, cui anno Labbeus Tom. X Concil. Scoticum rectè illigavit, sed Hibernicum in hunc annum malè cum Baronio distulit ex eodem Neubrigensis loco non intellecto.

X. *Henricus II res Hiberniæ componit.*

Quoad *Joannem Curci* vel *de Curci*, *ante Purificationem S. Mariæ obsedit, & cepit civitatem de Dun, quæ est caput Ulvestræ*, inquit Hovedenus, & confirmat Neubrigensis, qui notat Hiberniam *Ulvestriam* nuncupari, additque eum totam provinciam illam subegisse. Sermonem postea habet de *Hugone de Lasci*, qui dicebatur diadema sibi Regium parasse; cujus mortem cùm Henricus Angliæ Rex accepisset, ingenti perfusus est lætitia, *moxque res Hibernicæ cautiorem ab eo ordinationem suscepêre*, ait Neubrigensis de rebus hoc anno & duobus sequentibus gestis loquens. Quare quæ antea in eodem capite de Legatione *Viviani*, de expugnatione Duni, aliisque habet, antecedentibus annis gesta fuêre, & ab hoc Historico, ut non rarò aliis in locis, uno tenore exponuntur. Non mirum autem post devictam ab Henrico Rege *Hiberniam* ejus in ea mandata spreta fuisse; cùm Matthæus Paris in Chron. ad annum MCCXX asserat, *Joannem* Angliæ Regem, ejus filium, in Hiberniam cum copioso exercitu profectum esse, & ei plus quam viginti Regulos illius regionis timore perterritos fidelitatem fecisse, quosdam verò ad eum venire contempsisse, *eo quod in locis inexpugnabilibus habitabant*. Neubrigensem sub isto anno narrare etiam una serie quæ antecedentibus & proximè subsequentibus in Hibernia accidêre nos dubitare non sinit Radulphus de Diceto in Imag. Hist. pag. 626. qui asserit Hugonem de Lasci anno MCLXXXV occisum esse: *In Hibernia Hugo de Lacejo, Dominus provinciæ, quæ Media vocatur, interfectus est à Malua Miadach infirmæ manus homine VIII Kalend. Augusti.* Quare Viviani Cardinalis Legationem, quam Neubrigensis hoc anno memorat, anno MCLXXVI cœptam esse, & anno MCLXXII absolutam certum esse debet. Iis quæ paulò ante de Legatione Hibernica Viviani dixi addenda quæ Giraldus Cambrensis lib. 2. de Hibernia Expugnata cap. 17. refert: *Vivianus Legationis vice per Hiberniam fungens, convocata Dublinia Episcoporum Synodo jus Anglorum Regis in Hiberniam, & Summi Pontificis confirmationem, viva voce publicè protestatur; tam Clero quam populo sub anathematis interminatione districtè præcipiens & injungens, ne ab ejus aliquatenus fidelitate ausu temerario resilire præsumat.* Quæ habet Giraldus antequam de Concilio Lateranensi anno MCLXXIX coacto verba faciat.

XI. *Constantinopoli sævitur in Latinos.*

Ad num. VIII & seqq. Baronius deceptus corrupta editione Willelmi Tyrii, in qua legebatur, Latinos Constantinopoli, jubente Andronico malè habitos fuisse anno MCLXXIX, eam corrigens existimavit, hæc ad præsentem annum revocanda; verum tam Tyrius in editione post Baronii mortem publicata, quàm Nicetas & Robertus de Monte ac Nangius in Chron. hanc carnificinam cum anno MCLXXXII disertè connectunt. Tyrius itaque lib. XXII cap. XII ait, invalescente Constantinopoli Andronici & eorum, qui ei præstabant favorem, conspiratione, captum esse *Protosebastum* & oculis privatum, & Latinos *timentes ne civium super eos repentina fieret irruptio*, alios *in Galeis XLIV* Græcorum effugisse molimina, alios in aliis navibus; sed seniores & infirmos in domibus suis relictos eorum rabiem perpessos esse, & inter alios *Joannem S.R.E. Subdiaconum*, quem pro negotiis Ecclesiæ Papa illuc direxerat, decollatum fuisse, ut fusè ex eo Baronius narrat. Subdit Tyrius cap. XIII *Andronicum*, postquam nullum habuit contradictorem, Alexium Imp. *cum futura uxore*, *Regis Francorum filia in die festo Pentecostes*, *solemniter fecisse coronari*, ideoque die XVI mensis Maij, in quem anno superiori festum Pentecostes incidit. Persecutionem autem Latinorum mense Aprili cœptam fuisse prodit Tyrius verbis sequentibus: *Factum est hoc, anno ab incarnat. Domini* MCLXXXII, *mense Aprili.* Nangius ad annum MCLXXXII: *Græci animati irruunt in Latinos & Francos, & quotquot inveniunt, trucidant aut urbe proturbant, & sic Andronico Palatium occupante porticus incenditur, ubi opes innumeræ & ædificia concremantur.* Nicetas annum non exprimit, sed eum ejus narratio satis designat.

XII. *Basilius Camaterus fit Patriarcha Constantinop.*

Venio nunc ad ea, quæ hoc anno gesta. Nicetas narrat *Theodosium*, qui in Patriarchatum Constantinop. anno superiori restitutus fuerat, eo cessisse: *qui cùm se nihil proficere, & mala manifestè ingruere, & partem minorem à majori vinci cerneret: è sacro Palatio in insulam Terebinthum, ubi sibi diversorium & sepulchrum extruxerat, discedit. Andronicus verò &c. cùm de successore suæ factionis Patriarcha dando deliberaret, Camatero Basilio œcumenicum Pontificatum defert: aut potius illius syngrapha impulsus vendit, quæ se promiserat*

promiserat se quidquid cordi esset Andronico, quantumvis illicitum, facturum, & ea declinaturum qua illi displicerent. Idem ferè habet Hovedenus part. II Annal.

XIII. *Andronicus Imperium Orientis tyrannicè usurpat.* Interim Andronicus Imperator designatur: *Septembris mense*, inquit Nicetas, *indictione II* (à Kalend. Septemb. inchoata) *anno à mundi exordio sexties millesimo & sexcentesimo designationi suæ adjecit animum*; verùm legendum, *sexcies millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo*, mense Septembri hujus Christi anni incœpto. *Assisterent ejus acclamationem hanc (Alexius & Andronicus Comneni Magni Imperatores & Principes Romanorum, multos annos vivunto) hiantes & plenis faucibus cecinerunt, ut parum abesset, quin clamoribus rumperentur.* Andronicus non multò pòst Senatum suum convocat, & *Imperator Alexius ab improbo illo cœtu capitis damnatur*, & quidam noctu eum adorti, nervo arcûs strangulant. Corpus in profundum maris abjicitur, *caput verò à cervice revulsum, ad Andronicum referri jubetur*, inquit Nicetas, qui addit Alexium rebus humanis exemptum esse *anno ætatis nondum decimo quinto, imperii tertio, exacto*, ideoque post diem XXIV Septembris, quo die anno MCLXXX Imperator acclamatus fuerat. Accuratè itaque Nangius in Chron. Andronici initium huic anno affixit, & Catalogus Imperatorum Codino subjunctus, in quo Alexii cædes in annum sequentem differtur, corruptus ac depravatus, vel Auctor erravit, ut ex dicendis planum fiet.

XIV. *Guido de Lisiano administrator regni Hierusalem.* *Contigit Regem*, inquit Tyrius lib. 22. cap. 25. de Balduino IV Hierosolymorum Rege verba faciens, *apud Nazareth febre repentina gravissimè laborare; morbo quoque elephantioso, quo ab initio regni sui, & à primis adolescentiæ auspiciis molestari cœperat, præter solitum ingravescente, lumen amiserat, & corporis extremitatibus læsis & computrescentibus omnino, pedes, manusque ei suum denegabant officium.* Febre igitur correptus, *convocatis ad se suis Principibus, præsente matre & Domino Patriarcha* (nempe Heraclio) *Guidonem de Lezimaco sororis suæ maritum, Comitem Joppensem & Ascalonitanum regni constituit Procuratorem, salva sibi Regia dignitate.* Tum cap. 29. *Hortante matre Balduinus adhuc puerulus, vix annorum quinque prosequente eum universa plebis suffragio, Cleri quoque qui præsens erat assensu, in Ecclesia Dominicæ Resurrectionis, Regia decoratus est unctione, & solemniter coronatus.* Paucis interpositis: *Factum est autem hoc, anno ab Incarnat. Domini MCLXXXIII, indictionis prima, mense Novembre vicesima die mensis*, quæ hoc anno in Dominicam cadebat. Dùm hæc Hierosolymis aguntur, *Saladinus* urbem Petracensem trans Jordanem obsidebat, & obsessam impugnabat hostiliter; cùmque Balduinus IV congregatis copiis ultra Jordanem festinasset, ut obsessis subveniret, *Saladinus* obsidionem solvit.

XV. *Parisiis Synagoga Judæorum in Ecclesias mutantur.* Anno superiori Judæis è Gallia expulsis, *Philippus Rex semper Augustus non immemor fratrum suorum anno Dominica Incarnat. MCLXXXIII, ætatis ipsius decimo octavo anno incæpto, opus gloriosè inceptum, Deo disponente gloriosius consummavit. Nam omnes Synagoga Judæorum, quæ scholæ ab ipsis vocabantur, ubi Judæi sub nomine fictæ religionis, causâ orationis quotidie simulatè conveniebant, prius mundari jussit, & circa voluntatem omnium Principum easdem Synagogas Ecclesias Deo dedicari fecit, & ad honorem Domini nostri J. Christi & B. Dei genitricis & Virginis Mariæ in eisdem Altaria consecrari præcepit*, inquit Rigordus de Gestis Philippi Aug. pag. 10. Jam dixerat Rigordus: *Audierant Judæi strenuitatem Regum Francorum contra inimicos & pietatem magnam erga subditos. Et ideo majores eorum & sapientiores in legem Moysi, qui ab ipsis Judæis Didascali vocabantur, Parisius venire decreverunt, ubi longam habentes conversationem in tantum ditati sunt, quod ferè medietatem totius civitatis sibi vindicaverant.* Benjamin verò Judæus in Itinerario suo ait: *In qua sapientia Discipuli sunt omnium, qui hodie in omni regione sunt doctissimi, qui diu ac noctu legis studio incumbunt.*

Rostagnus de Flayosco quem Vincentius Barralis in Chronologia Lirinensi part. 2. pag. 165. tradit hoc anno ad Abbatiam Lirinensem evectum fuisse, eamque annos duodeviginti magna cum laude & sollicitudine administrasse, videns illam à Saracenis sæpius infestari, præsertim postquam monasterium semel & iterum eversum fuit, novi Monasterii mira arte constructi fundamenta hoc anno jecit, quod successores ejus ad felicem exitum perduxêre, quodque adhuc perseverat. Consistit illud in unica turri, ad quam intercluśus est omnis aditus, continetque quatuor supra octoginta distinctas mansiones, Ecclesiam, refectorium, omnesque officinas necessarias; adeo ut non turris aut monasterium, sed prævalida munitio videatur. *Lucius III* cùm intelligeret, monasterii vires & facultates ad tantum opus non sufficere, literis datis *Veletri tertio Nonas Maij* Fideles hortatus est, ut suam hanc in rem operam conferrent: *Inde est*, inquit, *quod cùm Monasterium Lerinense ab inimicis Crucis Christi sæpiùs infestetur, & dilecti filii nostri Abbas & Monachi commorantes ibidem, locum velint communire, nec ad hoc eis ipsius monasterii sufficiant facultates, universitatem vestram per Apostolica scripta monemus, & exhortamur in domino, atque in remissionem peccatorum injungimus, quatenus divini amoris intuitu, & propriæ salutis obtentu, eisdem Fratribus ad muniendum locum suum de vestris facultatibus erogetis, ut ipsius loci munitione redditi tutiores hostium sublata formidine solius Dei servitio sint intenti.* Has literas cùm ibidem Barralis indicasset, & cum anno MCLXXXI connexuisset, integras mihi describendas ab amico curavi, comperique eas eo Christi anno dati non potuisse, cùm III Nonas Maij *Alexander III* adhuc in vivis fuerit. XVI. *Hodierni monasterii Lerinensis initium.*

In eo etiam peccavit Barralis, quod existimaverit, omnibusque persuaserit, Lerinenses Monachos turrem illam seu novum Monasterium jam ante annos nonaginta & amplius incepisse sub *Aldeberto II* hujus nominis Abbate Lerinensi, & hoc tempore nonnisi cœptum opus prosecutos esse; ex harum enim literarum lectione apparet, turris seu munitionis, vel quod idem est Cœnobii initia ad hæc tempora referenda esse, & jam anno MCVII monstravimus, literas *Honorii Papæ*, quibus injungit *Dei servis ut ad construendam contra Saracenorum impetum munitionem* auxilium porrigant, non ab *Honorio II*, ut Barralis putavit, sed ab *Honorio III* seculo sequenti scriptas esse. Quare nullum dubium esse debet, quin *Monasterium Sancti Honorati*, ut vulgò dicitur, laudato Rostagno Abbati exordium suum debeat, vel saltem Andeberto ejus decessori, quod tamen minus verosimile videtur, cùm vix annum XVII. *Refellitur vulgaris opinio.*

in

in Abbatiæ administratione compleverit. Ceterùm *Lucium III* Velitris etiam anno superiori commoratum esse, ostendunt duæ ejus Epistolæ à Rubeo in Hist. Ravenn. lib. VI memoratæ, quarum prior *Gerardo Archiep. Ravennati XII Kalend. Junii*, posterior *Kalend. Jul.* data, anno sc. MCLXXXII.

Anno Eræ Hispan. MCCXXII. Anno Hegiræ DLXXX. inchoato die 24. April. fer. 7.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6677.

☉ 17. AG. ☽ 7. P. 1. April. Indict. 2.

JESU CHRISTI 1184.

LUCII III PAPÆ 4.

FRIDERICI ÆNOBARBI Reg. 33. Imp. 30.

ANDRONICI COMNENI IMP. 2.

I. *Lucius III PP. Veronam venit.*

AD num. II. Gaufredus Prior Vosiensis, quem anno superiori diximus currenti Chronicon suum absolvisse, in parte II cap. ult. scribit: *Vigiliâ Natalis domini Geraldus filius Bernardi, sancti Aredii Decanus efficitur. Crastino festum Lucius Papa celebravit Anagniæ*, ubi de natali Christi anni superioris, à quo annum præsentem exorditur, verba facit; cùm quæ postea narrat gesta fuisse mense Februario, certam cum præsenti connexionem habeant. *Anagnia* verò Velitris, ubi toto anno manserat, proxima est: Inde *Lucius* III Veronam profectus est; Anonymus enim Casinensis in Chron. hoc anno ait: *Nono Kalendas Janii terra motus adeo magnus & terribilis fuit per totam Calabriam in valle de Grati* (Peregrinius in Notis ad hunc locum reprehendit Carraciolum, qui dicit locum hunc corruptum „esse, quia, ut ait, olim & etiamnum vallis & „regio percelebris est in Calabria superiori su„pra Consentiam ad Septentrionem, Tarenti„num ad usque sinum porrecta, quam præter„fluit flumen *Crathis*, vulgò *Grati*, unde illi „nomen) *& vallem de Sinu* (Peregrinius hunc locum corruptum asserit; sed ei non assentio; vallis enim seu regio *de Sinu* est juxta sinum Tarentinum, quæ sine addito vocatur *Sinus*, & contigua est valli *Grati* dictæ) *Ecclesiæ omnes & alia ædificia corruerant, & Rufus Cusentinus Archiepiscopus, & multi alii sub murorum ædificio suffocati sunt, &c. Lucius Papa dimisso Comite Bertoldo ad defensionem Campaniæ, per vallem Orbetis Veronam accessit ad colloquium cum Imperatore.*

II. *Malè à Romanis habetur.*

Joannes verò de Ceccano hoc anno scribit: *Indict. I hoc anno mensis Aprilis venerunt Romani super Tusculanum: XIII Kalendas Maii incenderunt Paliarum & Ferronem, Penestrum, & sic Romam reversi sunt. Postea dominus Papa ivit in Lombardiam* (ubi Verona sita), *& misit Comitem Bertoldum Legatum Imperatoris Frederici pro defensione Tusculana, & ad recolligendam Roccam de Papa, quam ipse callidè & dolosè expugnavit, & eam capere potuit; tamen de bestiis Romanis sæpe sæpiùs prædam faciebat.* Arbitratur Baronius Lucium Papam congressum cum Friderico non habuisse, nisi sequenti Christi anno, sed illud ibi examinabimus. Loquitur Chronographus Aquicinctinus hoc anno de Friderici in Italiam adventu, & de gestis à Romanis adversùs Lucium III: *Fredericus Imp. in Italiam proficiscitur. Romani Lucium Papam parvi pendentes, & Clerum despicientes, magnum commiserunt flagitium. Nam extra urbem fortè quosdam Clericos invenientes comprehenderunt, & omnes excæcaverunt, præter unum, quem ad Dominum Papam direxerunt. Quod intuens Papa ingemuit, & eos qui hoc scelus perpetraverant, perpetuo feriens anathemate, cum suis exiit ab Urbe. Qui veniens Veronam, ibi resedit usque ad diem mortis suæ.* Loquitur etiam de injuriis Lucio III factis Nangius, sed anno non suo, anno nempe MCLXXXIII: *Inter Lucium Papam & Romanos orta dissensione, idem Papa proturbatur ab urbe, & multis lacessitus injuriis a Romanis impetitur; nam multis qui erant ex parte Papæ eruentes oculos imposuerunt eis mitras, & jurare eos fecerunt quod Papæ se videndos taliter præsentarent: quo viso Papa tot conflictus ferre non valens Veronæ se contulit, sperans sibi ab Imp. Frederico auxilium proventurum.* Quo ex utroque Auctore deducitur, *Lucium* III Romam hoc anno venisse, ut Romanorum animos sedaret, sed eos magis insaniisse, quod confirmat Onuphrius Panuinius Veronensis, qui in Adnotatione ad Platinam ait, *tertio Pontificatus sui anno* Veronam, civili seditione Urbe à Senatoribus pulsum, adiisse.

Ad num. III & seqq. *Richardus* Cantuariensis Archiepiscopus obiit hoc anno, non *XIV Kal. Maii.* ut malè Baronius ex Hovedeno habet, sed *XIII Kalend. Martii, feriâ sextâ*, ut Gervasius in Chron. & Radulphus de Diceto in Imag. Hist. pag. 618. produnt. Errore quidem typographi apud Gervasium legitur, *XIV Kal. Martii feriâ sextâ noctis spiritum* exhalavit *anno XI ab electione sua*; Sed Gervasium scripsisse *XIII. Kal. Martii*, non solùm feria VI, sed etiam sequentia eius verba demonstrant: *Cujus corpus Cantuariam delatum, in Ecclesia Christi in Oratorio S. Mariæ XII Kal. Martii die sabbati honorificè sepultum est*; dies autem XII Kal. Martii, seu dies XVIII Februarii, hoc anno cum feria septima concurrit. Quod cùm non advertisset Wartonus Tom. I Angliæ Sacræ pag. 112. dicit, malè Hovedenum hanc mortem consignasse XIV Kal. Maii, rectissimè vero Gervasium die XIV Kal. Martii. *Richardum* arguit Petrus Blesensis in Epist. V ad eum data, & à Baronio recitata, quòd temporalia potius quàm spiritalia curarit, & non tantum Rogerius Hovedenus à Baronio laudatus; sed etiam Gervasius in Chron. Willelmus Thornus, Knyghton Canonicus Leycestrensis, Stephanus Birchingtonus in Vitis Archiepiscoporum Cantuariensium, quæ extant apud Wartonum laudatum, & Geraldus Cambrensis ibidem Tom. II pag. 431. referunt ei paulò ante mortem personam apparuisse, quæ exprobrarit, quòd bona Ecclesiæ dissipasset. Wartonus Tom. I pag. 57. refert *Dies Obituales Archiep. Cantuariensium, ex Martyrologio & Obituario Ecclesiæ Christi Cantuariensis*, ubi ad diem XIV Kal. Martii habetur: *Obiit piæ memoriæ Richardus Archiepiscopus, Monachus nostræ Congregationis*, quibus ex verbis intelligimus, Auctorem illius libelli fuisse Ordinis Cisterciensis, quem professus est Richardus, & seriùs illum scriptum fuisse; cùm in die mortis eius erret. *Richardum* excepit *Baldwinus* seu *Baldewinus* Ordinis etiam Cisterciensis, *Devonius* cognominatus. Plura hic Opera reliquit, quorum non pauca hactenus inedita sunt, aliaque referuntur Tomo V Bibliothecæ veterum Scriptorum Ordinis Cisterciensis, nempe

III. *Obitus Richardi Archiep. Cantuariæ.*

Tractatus

Tractatus XVI de diversis argumentis. Eius Opuscula enumerat Oudinus in Supplement. De Script. Eccles. Neubrigensis lib. 3. cap. 8. de Richardo scribit: *Homo quidem mediocriter literatus; sed laudabiliter innoxius, & ne ambularet in magnis modulo suo prudenter contentus.* De Baldwino verò antea Episcopo Wigorniensi; *Vir religiosus & literatus.*

IV. *Henricus Germaniæ Rex coronatur.*

Circa dies istos Fridericus Imp. Romanus Concilium habens prope Moguntiam urbem, regni Theutonici diadema capiti filii sui primogeniti (nempe Henrici) *fecit imponi*, inquit Radulphus de Diceto ad huc annum in Imag. Hist. pag. 625. Non solum in Gallia, & Anglia; sed etiam in Germania Reges sæpiùs coronabantur. Anno enim MCLXIX vidimus *Henricum* Friderici filium Regem ab eo electum & coronatum fuisse. Fridericum autem celebrem hoc anno Conventum Moguntiæ celebrasse testatur Anonymus in Additionibus ad Lambertum Schafnaburg. cui consentit Dodechinus Abbas, qui ait: *Imperator Pentecoste Moguntia celebrem & famosam Conventam habuit; quo peracto in Italiam perrexit.*

V. *Devastationes Saladini in regno Ierosolymitano.*

Idem Radulphus pag. 622. refert literas *Balduini* Jerosolymorum Regis ad *Heraclium* Patriarcham Jerosolymitanum, & ad *Magistrum Hospitalis Jerosolymitani* datas, quibus eisdem gratulatur, quòd jam *Brundusium* applicuerint, significatque *Saladinum* circiter nonum aut decimum diem Julii terram *Crati* intrasse & vastasse: *in vigilia sancti Petri ad Vincula* civitatem *Crati* intrasse, & castrum obsedisse; sed cognito adventu suo *Neapolim* venisse, & quæ igne potuit consumsisse: exinde *Sebasten* progressum esse, & Episcopum eiusdem civitatis, villam suam & Ecclesiam LXXX captivis redemisse, indeque venisse *Arabiam*, eamque destruxisse *viris & mulieribus captivatis.* Terra hæc *Crati* & civitas *Crati* diversæ sunt à valle seu terra eiusdem nominis, cujus paulò ante meminimus: *Neapolis* etiam diversa à Neapoli Italiæ, hujusque invasionis mentionem etiam facit Neubrigensis lib. 3. cap. 11. dicens: *Saladinus Christianos ex improviso fines aggressus, Neapolim (quæ olim Sichima dicebatur) captam evertens, & facta hominum strage non modica, dum nostri convenirent, in propria se recepit.* Idem narrat Matthæus Parisius in Chron. qui ideo Literas illas legerat. Balduinus autem Rex hoc anno *Heraclium Patriarcham* cum Magistris Templariorum ac Hospitalariorum, ad Lucium III Papam, & ad Reges Franciæ & Angliæ misit, ut anno sequenti, quo de eorum adventu Baronius verba facit, monstrabimus.

VI. *Saladinus scribit ad Lucium III de redemptione captivorum.*

Paulò antea Radulphus recitarat literas Saladini ad Lucium Papam datas, quarum hæc inscriptio: *Rex Salahadinus omnium Regum Orientalium potentissimus Domino Papæ*; initium verò: *Præsentata nobis fuit cartula de Sanctitate Vestra, quoniam noscimus & credimus, quod sitis in majori officio de hoc mundo, & scimus quòd Deus vobis tantam gratiam dederit, ut sedeatis in tanta magnitudine. Scimus autem quod omnes Christiani vobis obediunt, & vos pertimescunt.* Subdit, Oliverum Vitalem Legatum eius sibi significasse magnam amicitiam, quæ inter eos esset, & à se petiisse, ut pacem haberet cum omnibus Christianis, & omnes captivos Christianos dimitteret, Christianos, quos detinebat, dimissurum. *Notum sit Vestræ magnitudini*, subjicit Saladinus, *quod Christiani, qui à nobis detenti sunt, sunt gentiles & nobiles viri ac milites nostri, qui à Christianis detenti sunt, sunt rustici & minimi atque vilissimi homines: & si placet vobis nos appreciabimus captivos nostros, quos habemus, & Christiani apprecient suos, & quæ pars minus habuerit, restituetur ei ab altera. Deus scit quod quando vestras cartulas & Legatos à Vestra Magnitudine transmissos vidimus, per omnia gavisi fumus, & gratias referimus Deo*, &c.

VII. *Saladini frater de eadem re ad eum scribit.*

Tum Radulfus exhibet Epistulam Sifidin Regis Lucio III scriptam, in qua Sifidin se dicit Dominum *totius multitudinis Saracenorum*, & Saladinum fratrem suum appellat, ac *Regem victoriosissimum, servatorem suæ promissionis, auctorem justitiæ, Dominum legis, & omnium Sarracenorum, suscitatorem legis Sarracenorum.* Ait fratrem suum fuisse in partibus Tyri cùm Janos Dandulus eius Legatus ad se pervenit, *ubi successit ei contra hostes suos* (nempe Saladino) *secundùm votum suum, cui Deus tantam his temporibus victoriam contulit, quod omnem terram à Damasco usque Ninivea subjugavit, cui omnes vicinitate loci propinqui, & Sarracenorum universæ Potestates obediunt, cujus expeditioni, volente Deo, adhæserunt infinita nationum multitudines, ut serviant ei, qui tanta manu hostes persequitur, quanta nullus prædecessorum suorum inimicos suos valuit impugnare.* Ei etiam significat, se intelligere ex dictis Legati eius velle modis omnibus observare quæ cum beatæ memoriæ prædecessore eius Alexandro stabilivit *super negotio inter Christianos & Sarracenos ad redemptionem omnium captivorum.* Subdit: *Quod si Christiani qui habitant in Jerosolyma cum Rege suo, & in omni parte Tyri vestris obedierint præceptis cum universa Christianitate, & ordinationem inter nos factam servaverint secundùm voluntatem vestram pro facienda pace & pro dimittendis captivis qui servantur in carceribus nostris compeditis, & nos observare promittimus ea omnia, quæ ad istam faciendam pacem à nobis postulatis*, &c. *Inspiret vobis & nobis Deus præoperante gratia sua illud operari, quod ad salutem omnium Christianorum & Sarracenorum proficiat. Utinam. Amen. Scripta fuit hæc carta pridie Kal. Aprilis anno Mahometi DLXXVII. Gratias agimus Deo soli, & Mahumeto Prophetæ magno.* Is annus Hegiræ die VI mensis Maii anni Christi MCLXXXII inchoatus, & die XXVI Aprilis anni Christi insequentis absolutus, ac utraque Epistola ad Radulfum de Diceto, qui in Anglis vivebat, hoc tantum anno transmissa. Porro frater Saladini ei in omnibus expeditionibus auxilio fuit, appellatus à Sanuto, aliisque *Saphadinus*, non verò *Sifidin.*

VIII. *Josephus Almohadum Imperator Portugalliam aggreditur.*

Hoc anno *Josephus* Amiralmumenin seu Imperator *Almohadum* in Hispaniam transfretavit, & *Alphonsum* Portugalliæ Regem aggressus est. Noweirius fidem facit eum obsidione cinxisse fanum sancti Jrenæi (nunc etiam amplissimum ad Tagum fluvium situm oppidum, à sancta Jrene virgine nomen habens) *anno Hegiræ DLXXX*, ibique occisum fuisse *mense Rabii prioris* (idest, solstitio æstivo currentis Christi anni), ac hanc mortem victoriarum eius cursum interrupisse. Rodericus lib. VII cap. X

de eo scribit: *Tandem etiam in Hispaniam castrefretavit, & ferè suo dominio omnes Arabes incurvavit, & eo reverso in terram suam, mortuus est Almohadi.* Verùm mox videbimus, eum in ea obsidione interiisse. Subdit Rodericus: *Post hac mortuo Abdelmuno* (idest, Abdelmumeno) *filius eius Avena Jacob* (fallitur in nomine isto; vocabatur enim *Jacob Aben Jusef* Almansor cognominatus) *successit in regno.*

Lucas Tudensis, qui ferè coævus fuit, ait:

IX. *Fernandus Rex Legionis accurrit ad auxilium Regis Portugaliæ.*

Post hac Sarraceni videntes Adefonsum Regem Portugaliæ debilitatum, & quod offenderat Regem (sc. Legionis) *Fernandum, ipsum Adefonsum in oppido, qui dicitur Santaren, obsederunt. Rex autem Fernandus congregato exercitu magno ad auxilium Regis Adefonsi properavit: sed Rex Adefonsus, ut hac audivit, timuit valde, credens quod Rex Fernandus in auxilium Maurorum veniret, & misit ad eum nuncios supplicans pro pace. Rex Fernandus declaravit ei, quod ad eius auxilium preperaret. Quod Saraceni ut audierunt arreptâ fugâ ab obsidione turpiter recesserunt.* Noweirius dicit, novum Amiralmumenin, seu Imperatorem, in Africam transfretasse, unde patris morte audita venerat. At *Josephum* non in Africa, ut habet Rodericus, sed in obsidione Santareni interfectum fuisse affirmat Marmolus lib. 2. cap. 25. & mox ex Radulpho de Diceto confirmabitur. Sed Scriptores Arabes suæ gentis adversos casus sæpe tacuisse, jam alibi insinuavimus, & exemplis probavimus.

Radulphus de Diceto hoc anno pag. 624. de hac Lusitanorum victoria, & de morte Josephi Imperatoris, quem Regem *Massemut* appellat, loquitur, aitque:

X. *Josephus Imp. in prælio occiditur.*

Circa nativitatem B. Joannis, Rex Gamius (Regulus quidam Saracenorum) *adduxit Regem Massemut* (idest, Josephum) *Regem Regum Sarracenorum cum XXXVII Regibus* (seu Regulis); *& primò obsederunt sanctum Hyrenaum, & tribus diebus, & tribus noctibus pugnaverunt, tandem dejectis muris irruperunt,* &c. *Nocte verò sequenti, venit Episcopus Portugalensis cum filio Regis, & occiderunt XV millia Sarracenorum, & Regem Gamium,* &c. *In crastino autem, sc. in die SS. Joannis & Pauli Archiepiscopus S. Jacobi XV. millia hominum duxit, & in aurora diei occidit de Sarracenis XXX millia. Postea in die S. Margareta Sarraceni occiderunt X millia mulierum & puerorum ad Alcubaz; & illi qui fuerunt in oppido de Alcubaz occiderunt tres Reges cum omni exercitu suo. Postea Massemut vigiliâ S. Jacobi audivit quod Rex Galicia venerat, ut solus cum solo dimicaret, & cùm praparasset se ad praliandum, dum equum suum vellet ascendere, ter de eo lapsus est, & ita mortuus est. Mortuo autem illo omnis exercitus relictâ omni pecunia in fugam conversus est,* &c. Idem prorsùs refert Matthæus Parisiensis hoc anno, & pari errore Josephum Almohadum Imperatorem *Massemut* appellat.

XI. *Finis Historia Guillelmi Tyrii.*

Guillelmi Tyrii Archiepiscopi Historia Belli sacri, qua vulgò legitur, ad hunc usque annum est deducta, ut legitur in Additione Chronici Aquicinctini ad hunc annum. Historiam suam ab anno MXCV, quo Concilium Claromontanum celebratum, exorsus est, ideoque ea annos rerum per annos LXXXIX in Bello sacro gestarum narrationem complectitur.

Concilium Veronense hoc anno celebratum, ut initio sequentis probabimus.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6678. — Anno Eræ Hispan. MCCXXIII. Anno Hegiræ DLXXXI. inchoato die 3. April. fer. 4.

☉ 18. F. ☽ 8. P. 21. April. Indict. 3.

JESU CHRISTI 1185.

URBANI III PAPÆ 1.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 34. IMP. 31.

ISAACII ANGELI IMP. 1.

I. *Concilium Veronense anno pracedenti habitum.*

ANnum I ad V. Arnoldus Abbas Lubecensis, qui hoc tempore vivebat, in Chron. Slavorum lib. 3. cap. 9. narrat celeberrimum Conventum à *Friderico Imp.* celebratum, & cap. insequenti *Concilium Veronense*, cui *Lucius* Papa & idem Imperator interfuere, sed numeri apud Arnoldum corrupti, & accuratè à Krantzio lib. VI. Saxoniæ cap. 47. emendati, vel, (licet id ipse non dicat) ex genuino Arnoldi exemplari descripti. Ait enim Arnoldus de Curia illa loquens: *Celebrata est in Pentecoste, anno Verbi incarnationis MCLXXXII, imperii aut regni sui anno XXXVI*, sed legendum, *anno verbi incarnati MCLXXXIV, imperii XXIX, regni sui anno XXXIII*; certum enim, ut ex dictis anno superiori liquet, Comitia illa eo Christi anno *Moguntia* habita, & tunc in cursu fuisse annum Regni Friderici XXXIII, Imperii vero XXIX. Cùm verò postea Arnoldus scribat, *sequenti anno Imperator abiit in Italiam pro disponendis negotiis Resp. & occurrit ei dominus Papa Lucius apud Veronam pro quibusdam causis determinandis inter ipsos*, manifestum est eum Concilium Veronæ habitum cum hoc anno Christi copulasse. Et tamen Labbeus Tom. X Concil., Krantzio laudato, illud cum anno MCLXXXIV conjunxit, licet Krantzius illud disertè currenti Christi anno illigarit. At Concilium ad præcedentem annum pertinere, Krantzium errorem, qui cubat in textu Arnoldi, rectè correxisse; & Labbeum illum malè citasse apud me certum. Denique Baronius in eo peccavit, quòd nolit *Colloquium* hoc pro *Concilio* haberi. Nam jam non semel monuimus, Conventus & Colloquia, in quibus de rebus Ecclesiasticis agitur, vel quibus Episcopi intersunt, Concilia passim ab Antiquis appellata, indeque in Collectionem Conciliorum prudenter inserta.

II. *In eo decretum editum adversùs recentes hæreticos.*

Quare *Tancredus* Juris Canonici interpres in Collect. 3. Decretal. cap. 2. *De restit. spol.* citatus ab Ant. Augustino in notis Ad Collect. I Decret. loquens de constitutione Lucii III eo tempore edita, quò Veronæ cum Pontifice congressus est Fridericus Imp. ait, emissam esse *in generali Synodo*. Porrò Tancredus Bononiensis Archidiaconus Auctor fuit Quintæ Collectionis Decretalium, quæ continet Constitutiones Honorii Papæ III, sub cujus Pontificatu floruit; hæc autem Collectio anno MDCXLV ab Innocentio Cironio Tolosæ edita fuit. Eam Lucii III Constitutionem malè recitat Labbeus citatus pag. 1737. inter literas Lucii III; cùm sit pars Concilii Veronensis. In ea ait Pontifex: *Nos charissimi filii nostri Friderici illustris Roman. Imperatoris, semper Augusti, præsentia pariter & vigore suffulti, de communi consilio Fratrum nostrorum, nec non aliorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, multorumque Principum, qui de diversis mundi partibus*

CON-

SÆC. XII. An. C. 1185.

CONVENERUNT: *contra ipsos hæreticos, quibus diversa vocabula diversarum indidit professionum falsitatum, præsentis Decreti generali sanctione consurgimus, & omnem hæresim, quocumque nomine censeatur, per hujus Constitutionis seriem, auctoritate Apostolica condemnamus. Imprimis ergo Catharos, & Patarinos, & eos qui se Humiliatos, vel Pauperes de Lugduno, falsò nomine mentiuntur, Passaginos, Josepinos, Arnaldistas, perpetuo decernimus anathemati subjacere*, & cetera loco laudato legenda. Decretum itaque illud non in Colloquio inter Pontificem & Imperatorem habito, sed in Episcoporum Synodo, cui Papa præfuit, & Imperator, multique Principes interfuêre, emissum.

III. *Concilium Veronense à Sigonio suo anno redditum.*

Et quidem anno superiori, ut rectè Sigonius in Hist. de Regn. Ital. lib. XV ex aliquo optimo Auctore, quem suo more non citat scripsit: "*Lucius*, inquit, trajecto Pado *Veronam* pervenit; nec multò pòst *Fridericus* quoque, rebus Germaniæ per Conventum in Pentecoste habitum constitutis, *pridie Kalend. Augusti* accessit. Concilio convocato, cui raro exemplo Pontifex & Imperator intererant, de iis potissimum rebus, quæ Christianam ea tempestate premebant Ecclesiam, est relatum, nempe de contumacia *Romanorum*, bello *Sarracenorum*, & *Romana Ecclesia* ditione, *Romani* ut hostes Ecclesiæ, dicto Senatus consulto notati. Christianis laborantibus auxilia summittenda, omnesque ad eorum, qui quondam *Jerosolyma* receperunt, virtutem, pietatemque imitandam, excitandos esse, decretum: plus nimirum dedecoris contracturos esse Christianos, si partam fortè *Sepulchri* possessionem amittant, quàm gloriæ adepti sint, cùm pepererint. Tangit postea Sigonius quæ Arnoldus & Krantzius, qui ne verbum quidem de Jerosolymis habent, de hæreditate *Mathildis Comitissæ*, & coronatione *Henrici* filii Friderici Imp. in Concilio gesta fuisse asserunt, subditque *Fridericum III Nonas Novemb.* adhuc in villa Sancti Zenonis prope Veronam fuisse; anno nempe MCLXXXIV.

IV. *Quemadmodum & à Radulpho de Diceto & à Rubeo.*

Præterea, Radulphus de Diceto in Imag. Hist. pag. 624 ad annum MCLXXXIV ait: *Quarto die intrantis Novembris consedentibus Veronæ in Ecclesia Majori Papa & Imperatore, Cardinalibus & plerisque Ecclesiæ Rectoribus Ravennas in serie sermonis sui casum & perditionem terræ Jerosolymitana omnibus exposuit, & ad succurrendum in peccatorum remissionibus cujuslibet generis homines evocare curavit.* Archiepiscopus ille Ravennatensis erat *Gerardus*, de quo Rubeus in Hist. Raven. lib. VI loquens de gestis anno MCLXXXIV scribit: *Lucium Pontificem Max. Veronam ad Concilium, quod ipse indixerat euntem Gerardus Archiep. Ravennas prosecutus* est. Subdit Rubeus, Lucium III, *cùm Mutinæ esset, tertio Idus Julias* dedicasse Basilicam Sancti Geminiani, & jam quoque *VIII Idus*. Bononiæ de Basilica D. Petri idem fecisse; quod utrumque etiam à Sigonio laudato relatum. Tum Rubeus scribit: *Ab eodem etiam Pontifex Gerardus complura Privilegia impetravit*, &c. *in eo magno Conventu, quem Friderico etiam Cæsare præsente, eodem anno Kalend. Sextil. Veronæ habuit.* Rubeus *magni Conventus* nomine Concilium Veronense intelligit, docetque nos diem, quo illud inchoatum, scilicet primum diem mensis Augusti, festo S. Petri ad Vincula sacrum. Exhibet postea hic Historicus in notatione temporum accuratus *Lucii III* literas Gerardo Ravennati Archiep. eodem anno datas Veronæ *II Non. Septemb.* quibus declarat se ad ejus, *cui tanquam Metropoli sunt subjectæ, instantiam*, Bononiensem & Mutinensem Ecclesias dedicasse *III & VIII Idus Julii*, dum per Bononiam & Mutinam transiret.

V. *Improbabile illud in hunc annum dilatum fuisse.*

Profectò cùm anno antecedenti *Heraclius* Patriarcha Jerosolymitanus, *Ernaldus* Magister militiæ Templi & *Rogerius* Magister Hospitalariorum Legati à Rege Jerosolymitano ad Lucium III & ad Principes Christianos missi, qui lugentis patriæ calamitatem & miseriam multiformem exponerent, & auxilium postularent, in Italiam pervenerint, inde hoc anno in Galliam & Angliam profecturi, male Concilium illud in præsentem annum dilatum fuisset. Neque refert quod Arnoldus Scriptor coævus sit; cùm variis exemplis liqueat, eos qui res suo tempore gestas scripsêre, quandoque in errorem lapsos esse; quod eò magis de Arnoldo dicendum, quò longè ab Italia vixerit, constetque eum hallucinatum in eo quod scripsit, *Fridericum* anno post celebrationem Comitiorum Moguntiæ habitorum in Italiam advenisse. Adhæc Labbeus pag. 1739. recitat Ordinationem *Philippi Regis Franciæ & Henrici II Regis Angliæ, consilio Episcoporum, Comitum & Baronum terrarum suarum de contributione in subsidium Terræ sanctæ, à nativitate sancti Joannis Baptistæ, anno MCLXXXIV, in decem annos.* Quare cùm anno superiori tam in Gallia, quàm in Anglia actum sit de subsidio Terræ sanctæ, & currenti Legati inde missi in Orientem redierint, *Concilium Veronense* à Lucio III in hunc annum dilatum fuisse prorsùs improbabile. Denique Onuphrius Panvinius Veronensium suorum decus & ornamentum in Chron. Ecclesiast. ad annum MCLXXXIV habet: *Magnus Veronæ Conventus, cui Papa, Imperator, & multi Episcopi interfuerunt*; Chronicon autem illud, Notæque in Vitas Pontificum Rom. à Platina editas, ultima Onuphrii Opera sunt, in quibus ideo res quæ narrat ad exactiorem annorum rationem ab eo rediguntur.

VI. *Fridericus toto hoc anno in Italia fuit.*

Hoc anno *Fridericus*, dum adhuc in Italia versaretur, dedit Privilegium Mediolanensibus recitatum à Puricello in Monument. Basilic. Amb. num. 587. in quo dicit, se confirmare *concessiones & permissiones, quas in pace* (nempe Constantiæ facta) *sine censu* fecit, pro se, & filio suo Henrico *Romanorum Rege Augusto*, &c. *reservata paratica, quæ nobis debet præstari, & filio nostro illustri Regi Henrico & omnibus successoribus ejus, cùm primo coronam regni Mediolani aut Modoëtiæ suscipient, præstanda ab iis, qui ipsam paraticam soliti sunt præstare*, ubi paratica idem est ac parata, quæ vox prandium vel cœnam significat, ut explicat Ducangius in suo Glossario. In fine Diplomatis legitur: *Actum anno Dom. Incarnat. MCLXXXV, indict. III, regnante domno Federico gloriosissimo Romanorum Imp. Augusto. Datum apud Regium per manum Rudolphi Imperialis aulæ Proto-Notarii tertio Idus Februarii.* Ante hæc scriptum est: *Ego Godefridus Imperialis aulæ Cancellarius vice Domini Philippi Coloniensis Archiepiscopi, & Italiæ Archicancellarii recognovi anno regni ejus XXXIII, Imperii verò XXXI*, sed legendum, *imperii*

rii verò XXX. Toto hoc anno Imperator in Italia versatus, insequenti, Italiâ Henrico Regi filio commissâ, in Germaniam reversus est.

VII. *Legati Jerosolymitani anno superiori in Occidentem missi.*

A num. V ad XI. Legati à Rege Jerosolymitano missi sunt ad *Lucium Papam*, & ad Reges Galliæ & Angliæ, non hoc anno, ut arbitratus est Baronius, sed præcedenti, ut non tantum perspicuum sit ex Radulpho de Diceto, sed etiam ex Neubrigensi lib. 3. cap. 10. Matthæo Parisiensi in Chron. & Rigordo in Philippo Augusto pag. 14. Radulphus de Diceto pag. 625. de Magistro Templariorum, qui unus ex Legatis fuit, ait ad annum MCLXXXIV: *Ernaldus Magister militiæ Templi Veronæ moritur.* Eum autem unum fuisse è Legatis testatur Rogerius Hovedenus apud Baronium num. VI. Sed in Italia mortuum esse eruitur etiam ex literis Lucii III ad Henricum Angliæ Regem datis, & à Baronio num. VII & seq. recitatis, qui ait, *summos terræ illius & magnificos defensores venerabilem fratrem nostrum Heraclium Patriarcham, & dilectum filium nostrum Magistrum Hospitalis ad suam Excellentiam destinarunt*, ubi de tertio Legato non loquitur, quia jam mortuus erat, quando literas illas scripsit. Quare fallitur Baronius num. V, qui tradit *Willelmum Tyrensem Archiep.* fuisse unum ex Legatis, quod initio lib. XXIII dicat, fletus & lacrimas afflictæ patriæ silentium sibi imponere, & librum illum imperfectum relinquat; nullus enim Antiquorum id literis mandavit, & causa cur opus non absolverit, incomperta. Quod addit Baronius *Tyrum* in ea Legatione obiisse, anno MCLXXXVIII, quo in Occidentem Legatus missus est, confutabitur.

VIII. *Hoc anno in Galliam venere.*

Legati morati sunt in Italia usque ad finem circiter præcedentis anni, & currenti in Galliam venêre, ut narrat Rigordus laudatus qui ait: *Eodem anno* (nempe MCLXXXIV, quem continuat usque ad diem XXV mensis Martii) *XVII Kal. Februarii IV* (hi duo ultimi numeri abundant) *Heraclius Patriarcha Jerosolymitanus cum Priore Hospitalis transmarino, & Magistro magno Templi ad Philippum Augustum Christianissimum Francorum Regem missi Parisios venerunt.* Paulò pòst: *Qui per multa maris pericula, & frequentes incursus Pyratarum ex longo tractu terrarum, Magistro militiæ Templi interim in fata collapso, duo superstites, domino ducente, Parisius venerunt: ubi cum solemni processione à venerabili Mauritio Episc. Parisiensi, & Clero, & universo totius civitatis populo, Patriarcha receptus est quasi Angelus Domini. Sequenti die in Ecclesia B. Mariæ Missam celebravit, & sermonem ad populum fecit.*

IX. *Concilium Parisiense*

Quo audito, Philippus Augustus Francorum Rex, omnibus aliis negotiis omissis, Nunciis citissimè occurrit, & in osculo pacis honorificè recepit: diligentissimè præpositis terræ suæ, sive dispensatoribus præcipiens, quod ubicumque per terram irent, de reditibus Regis sufficientes expensas illis ministrarent. Et cognitâ causâ quare venerant, paterna pietate commotus, generale Concilium omnium Archiepiscoporum, Episcoporum & Principum terræ suæ Parisius convocari præcepit. Celebrato autem cum illis communi Concilio, Archiepiscopis, Episcopis, & omnibus Ecclesiarum Prælatis Regia auctoritate mandavit, quod ipsi per frequentes prædicationes & admonitiones populos sibi subditos admonerent, quatenus pro fide Christiana ramo defendenda contra inimicos crucis Christi pugnaturi Jerosolymam peterent. Ipse enim Philippus Rex tunc regni Francorum gubernacula solus strenuè regebat. Nondum enim ex Elizabeth venerabili Reginâ uxore sua sobolem desideratum acceperat. Et ideo de consilio Principum strenuos milites cum magna multitudine peditum armatorum, de propriis redditibus, sumptus sufficientes, prout fama referente didicimus, ministrans Jerosolymam devotè transmisit. Hæc omnia Vincentius Bellovac. lib. 29. Specul. Hist. cap. 38. uno tenore cum anno MCLXXXIV recitat; Labbeus verò Tom. X Concil. Concilium Parisiense in annum MCLXXXVI malè differt cum Roberto Guaguino; cùm eo anno Legati Jerosolymorum jam in Orientem rediissent.

X. *Iidem Legati in Angliam veniunt.*

Adventum Legatorum in Angliam narrat Baronius ex Rogerio Hovedeno num. VI & seqq. & Giraldus Cambrensis in Hibernia Expugnata lib. 2. cap. 25. & duobus seqq. de eorumdem adventu, ac in ea legatione gestis accuratè agit: *Advenit in Angliam circa Kal. Februarii mense itinere longo, ab Oriente in Occidentem vergens, vir venerabilis Patriarcha Jerosolymitanus, cui nomen Heraclius*, firmiter asseverans, *regnum universum in Saracenorum & Saladini, tam Ægyptiorum quam Damascenorum tunc Principis, manu sacrilega in brevi devolvendum*, petiitque, ut *omissis negotiis cunctis, regnisque relictis & rebus universis*, Crucem assumeret. *Die responsionis Londoniæ tandem à Rege præfixo*, responsum à Rege Patriarcha suscepit, quod Regnum suum deserere non posset, sed se ei pecuniam transmissurum, & copiosè collaturum *ad Terræ sacræ tuitionem.* Cui Patriarcha: *Principem quærere venimus, non pecuniam; qualibet enim ferè mundi pars nobis pecuniam mittit, sed Principem nulla. Verum igitur appetimus, qui pecunia indigeat, non pecuniam, quæ viro.* Et cum nullum aliud à Rege responsum elicere posset eum rogavit, ut vel saltem filium natu minorem Joannem eis in subsidium daret, sed id impetrare non potuit.

XI. *Conventus Londinensis.*

Ex Historia fundationis Hospitalis Sancti Joannis Jerosolymitani in suburbio civitatis Londoniensis, quæ extat Tom. II Monastici Anglicani pag. 505. patet eos citò in Angliam transfretasse. Ibidem enim legitur: *Anno Dominicæ Incarnat. MCLXXXV sexto Idus Martii, littera Dominicali F dedicata est Ecclesia dicti Hospitalis in honore beati Joannis Baptistæ, à venerabili Patre Heraclio Dominicæ Resurrectionis Patriarcha.* Radulphus de Diceto, qui hoc tempore Londonii florebat, pag. 625. ad hunc Christi annum de his Legatis scribit: *Heraclius Patriarcha Sanctæ Resurrectionis, & Rogerus Magister Sanctæ Domus Hospitalis Jerusalem tendentes in Occidentem, & per Italiam transitum facientes & Galliam, nec à Domino Papa, nec ab Imperatore Romano, nec à Rege Francorum aliqua planè consolatoria receperunt.* Subdit Radulphus, *ad vocationem Regis*, Cantuariensem Electum, hujus suffraganeos, Dunelmensem Episcopum, Abbates & Comites Lundoniæ convenisse apud *Fontem Clericorum XV Kal. Aprilis*; & satius visum fuisse universis, *& animæ Regis multò salubrius, quod regnum suum debita cum moderatione gubernet, & à gentibus exteris tueatur, quam saluti consulat Orientalium in propria sua persona.*

XII. *Obitus Lucii III PP.*

Ad num. XI. Anonymus Casinensis in Chron. mortem *Lucii* III hoc anno his verbis narrat:

Lucius

Lucius Papa apud Veronam obiit VII Kalendas Decembris, & Archiepiscopus Mediolanensis in Papam Urbanum substitutus est. Eumdem diem emortualem passim alii tam veteres quam recentes etiam exhibent, & legitur in auctiori Ciaconio cum ejus epitaphio, quod visitur in Cathedrali Ecclesia Veronensi, ubi ejus corpus conditum fuit. Verum hæc verba, *obiit S. Pater D. D. Lucius. Papa. III. A. MCLXXXV. D. XXV. Novembris*, illi epitaphio à posterioribus superaddita fuere; nam Joannes Franciscus Tinctus lib. 5. de nobilitate Veronensi cap. 2. illud sine illa chronologica clausula refert, non quod illam omiserit, ut arbitratus est Papebrocius in Conatu Chron-Hist. sed quia epitaphium in antiquis monumentis sine ea invenerit; & clausulam illam à paucis seculis adjectam fuisse ostendit dies XXV Novembris positus loco, *VII Kalend. Decemb.* Hinc Onuphrius Veronæ natus epitaphium illud, apud Baronium legendum, sine illa clausula recèns apposita recitat in ultimo suo Opere nempe in Nota ad Vitam Lucii III, à Platina editam, licet lib. 7. Antiquit. Veronens. pag. 184. eam Lectoribus obtrusisset.

XIII. *Sedis ejus duratio.* Verùm dies ille VII Kalend. Decemb. seu dies XXV mensis Novembris, non mortis, sed sepulturæ fuit, ut rectè notavit Radulphus de Diceto citatus pag. 629. ubi ait: *Lucius Papa VII Kal. Decembris Verona sepultus est*, quod extra dubium ponunt Varnerus in Facisc. Temp. Martinus Polonus Auctor magni Chronici Belgici, Platina, & unus ex nostris Catalogis, in quibus legitur sedisse *Lucium* III *annos quatuor, menses duos, dies octodecim*, à die sexta Septembris anni MCLXXXI, quo consecratus fuerat, deductos, & die mortis excluso. Ex quo & habemus, *Lucium* III Sedis suæ durationem, non à die electionis, sed à die consecrationis numerasse. Eum autem annos Incarnationis à die XXV mensis Martii auspicatum esse, nuper indicavimus. Onuphrius in Adnotatione ad Vitam Alexandri III dicit, in electione Lucii III eam tunc primùm redactam fuisse ad Cardinales sólos, Clero omninò & populo à Pontificis electione exclusis, legemque salutarem in Concilio generali Lateranensi anno MCLXXIX celebrato latam *de duobus tertiis* suffragiorum Cardinalium, ad evitanda imposterum schismata, executioni mandatam fuisse, quod dicit sibi constare ex ejusdem Pontificis diplomate apud se asservato. Quamvis autem non paucæ supersint hujus Pontificis Epistolæ, duæ tamen tantum in Collectione ultima Concil. exhibentur, quarum prior scripta *ad Episcopos, & Clericos Scotiæ*, de absolutione Willelmi Regis Scotiæ; secunda ad *Henricum II Angliæ* Regem. Aliæ in altera editione Conciliorum ex Ughello in Italia Sacra, aliisque supplendæ erunt. Ex sententia Baronii, cùm de electione Lucii III verba facit, quam sequitur Papebrocius laudatus, sequitur hunc Pontificem supra annos & menses sedisse dies XXVIII, à die electionis ejus, quam diei XXIX mensis Augusti alligant, numeratos; sed hæc opinio, ni valde fallor, amplius sectatores non habebit. De creatione *Urbani* III Lucii successoris, licet hoc anno facta, anno tantum sequenti juxta ordinem Baronii agemus.

XIV. *Gesta à Guil.* Ad num. XII & seqq. Anonymus Casinensis in Chron. hoc anno scribit: *Pax firmata inter Imperatorem Fridericum & Regem* (nempè Siciliæ) *Guillelmum facta est. Rex Guillelmus copiosum exercitum in Romaniam transmisit, qui civitatem Durachia, & civitatem Saloniquium* (idest, Thessalonicam) *ceperunt. Præfatus Rex Constantiam amitam suam transmisit in conjugium ad illustrem Regem Henricum, filium Friderici Imp. Novum genus hominum, qui Vendicosi dicebantur, in quadam parte regni surrexit, quos prædictus Rex suspendi fecit, & diversis pœnis affligi. Supradicto stolio Regis fraude & vi Græcorum postmodum fortuna adversata.* Joannes verò de Ceccano in Chron. hoc anno: *Indict. II Guillelmus Rex Siciliæ fecit stolum maximum per mare & per terram; super stolum maris ordinavit Capitaneum* (idest, Præfectum militum, qui est in eorum capite) *Comitem Tancredum. Super stolum terræ fecit Capitaneos Comitem Aldoinum & Comitem Richardum de Cerra, & mandavit eos omnes in Romaniam ad acquirendum imperium Constantinopolitanum. Totum stolium intravit in mare tertio Idus Julii, in festo Joannis Baptistæ ceperunt Durazzi* (seu Dyrrachium, Gallis *Duras*, Macedoniæ oppidum olim amplum). *In festo Sancti Bartholomæi adepti sunt Salonicam* (seu Thessalonicam insigne oppidum Macedoniæ) *cum multis civitatibus & castellis & roccis* (idest, castellis in rupe ex Glossario Ducangii) *de Romania, jurantes fidelitatem Regis Siciliæ. Tandem exercitus Imperatoris Isaac, super quem exercitum erat constitutus quidam Princeps, qui dicebatur Granatus, obvians eis cum verbis pacificis dicens, quod ultra procedere non poterant, tamen si vellet ad propria reverti, promisit eis securitatem, & dedit firmam pacem. Ipsi tamen acceperunt securitatem, & viceversa pacem promittentes, Comites Regis Siciliæ, in festo Sancti Leonardi* (die sc. sexta Novembris) *à Græcis decepti sunt, & Constantinopolim in captione callidè ducti sunt. Sed Imperator cognita rei veritate securitatem considerans, & pacem à Græcis non observatam Latinis, condoluit valde, & erubuit: & sic demum omnes deliberavit* (idest, liberavit), *& unusquisque superveniens reversus est ad patriam.* Quæ cœpta sub Andronico Imp. sub Isaaco Angelo ejus successore ad finem perducta.

XV. *Occiditur Andronicus Imp.* Nicetas Choniata, qui hoc etiam bellum narravit, dicit postea *Andronicum* Imperii Constantinopolitani usurpatorem, ob crudelitatem omnibus exosum, occisum fuisse ab *Isaacio Angelo* de Imperiali semine procreato *XI. Septemb. anno sexies millesimo DCCLXXXIX*, sed legendum, *sexies millesimo DCXCIV* Kalend. Septemb. hujus Christi anni inchoati. Andronico occiso Isaacius Angelus, *Cursat* etiam dictus, Imperator designatus est die XII Septemb. hoc ipso anno, ut non tantum Nicetas, sed etiam Anonymus Casinensis, Aquicinctinus, Nangius, Radulphus de Diceto, aliique tradunt, quoad annum emortualem. Extat Andronici Imp. *Dialogus contra Judæos*, quem Sirletus Cardinalis putavit eo tantum jubente ab Euthymio Zigabeon compositum fuisse; verum Lambecius Tom. V Biblioth. Cæs. pag. 170. demonstrat, *Andronicum* hujus Dialogi verum parentem esse, eumque eximia eruditione, singulari eloquentia, & exquisita scientia sacræ Scripturæ excelluisse, ac refellit Joannem Livineium, qui illum Dialogum in Linguam

Latinam vertens autumavit, illum editum esse anno MCCCCXXVII. Extat Tom. XIV Biblioth. Patrum edit. Colon.

XVI. *Imarus Card. usque ad Lucium III non pervenit.*

Baronius in Addendis & Corrigendis ad hunc annum refert, quæ leguntur in Chronico Cluniacensi in Bibliothecam Cluniacensem nunc inserto, pag. 1644. & seq. de *Imaro Cardinali* Tusculano, ab Innocentio Papa creato, & sub Lucio Papa Legato in Angliam misso, ubi *ad subvertendum judicium nullis potuit pecuniis expugnari.* Verùm cum in illo Chronico hæc referantur in Pontio I Abbate Cluniscensi, intelligenda sunt de Innocentio II & Lucio II. Jam de eodem *Imaro* suo loco verba fecimus. Eum ab Innocentio II in VI creatione anno MCXLII peracta Cardinalem renunciatum, inter omnes convenit, sed quo anno mortuus sit, hactenus omnibus ignotum. Certum tamen mortem ejus contigisse anno MCLXVI; Joannes enim Saresberiensis in Epist. CX libri primi Epistolarum S. Thomæ Cantuariensis, *Bartholomæo Exoniensi Episcopo* data hæc ei nunciat: *Episcopus Tusculanus & Humbaldus Cardinalis diem obierunt. Obiit quippe* (legendum, quoque) *Willelmus Rex Siculus.* Quare cùm Willelmus I Siciliæ Rex anno millesimo centesimo sexagesimo *sexto Idibus Maii* è vita migrarit, eo pariter anno *Imarus* Episcopus Card. Tusculanus vivere desiit.

XVII. *Moritur Balduinus IV Rex Jerusalem.*

Mortuus est hoc anno Balduinus IV Jerosolymorum Rex, *Balduino nepote ejus ex Sybilla sorore adhuc puerulo sub custodia Raimundi Comitis Tripolitani in Regem substituto*, inquit Nangius in Chron. quod antea scripserat Anonymus Casinensis ad hunc annum: *Baldoinus Rex Jerosolymitanus obiit, & Baldoinus filius sororis ejus est factus Rex.* Tum Nangius ad annum sequentem: *Balduinus Rex Jerosolymorum adhuc puerulus obiit, cui Guido Leponensis* (legendum, Joppensis) *Comes, qui Sybillam ejus matrem habebat in conjugem, in regno successit; quæ res Comiti Tripolitano, qui tutor pueri Regis fuerat constitutus, displicuit, & ob hanc tam Regi, quàm suis cœpit multimodè adversari.* Neubrigensis lib. 3. cap. 15. *Unde supra modum indignati sunt Optimates, nec æquanimiter pati potuêre hominem peregrinum, & qui non esset de stirpe Regum, levari supra capita sua, cùm de semine Regio suppeterent, à quibus regnum (ut credebant) decentius & magnificentiùs regeretur.* Subdit, Comitem Tripolitanum implorasse auxilium *Saladini*, & impetrasse. Quæ mala inde consecuta sint, infrà referemus.

XVIII. *Moritur & Alphonsus primus Portugalliæ Rex.*

Mortuus est etiam *Alphonsus* primus Portugalliæ Rex *die sexta mensis Decembris*, anno ætatis XCI, ut Garibayus in Compendio Historico lib. 34. cap. 14. vel XCIII, ut alii tradunt. Jam ab anno MCXII, *Henrico* Comiti patri in Principatum successerat, annoque MCXXXIX Rex ab omnibus agnitus fuerat, præterquam à Summis Pontificibus, à quibus tandem Regium titulum obtinuit. Universam ferè *Lusitaniam* Infidelibus eripuit, plura Cœnobia extruxit, tantisque virtutibus effulsit, ut privatim à Lusitanis veneretur, uti refert Antonius Brandaonius in sua Historia sermone Lusitano vulgata, lib. XI, cap. 38. Ei successit *Sanctius* filius, hujus nominis primus.

XIX. *Rebellio Africanorum in suum Imperatorem.*

In Africa *Ali* Duce, qui *Bugiam* occupavit, magna rebellio excitata. *Jacob* Almohadum Imperator ejus conatibus obstitit, Bugiamque recuperavit, sed impedire non potuit, quin *Ali* universam Africam Minorem, *Tuneto* & *Almahadia* exceptis, anno Hegiræ DLXXXI sibi subjecerit.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6679.

☉ 19. E. ☽ 9. P. 13. April. Indict. 4.

JESU CHRISTI 1186.

URBANI III PAPÆ 2.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 35. IMP. 32.

ISAACI ANGELI IMP. 2.

Anno Eræ Hispan. MCCXXIV. Anno Hegiræ DLXXXII. Inchoato die 24. Martii fer. 2.

I. *Dies & annus electionis Urbani III PP.*

AD num. I & seq. *Urbanus* III successor Lucii III anno superiori die vigesima quarta Novembris demortui, & die insequenti sepulti, in literis omnibus Ecclesiarum Prælatis *Veronæ secundo Idus Januarii* datis, & à Baronio recitatis, ait, *defuncto Papa Lucio, & reverendissimo ejus corpore honorificè tumulato*, habitum fuisse à Cardinalibus *de successoris electione* tractatum, seque unanimi consensu in ejus locum subrogatum. Quare cùm *Lucius* III die XXV mensis Novembris anni elapsi tumulatus fuerit, eodem die ea electio peracta; quod non tantum Sedis ejus duratio, quam ab electione repetebat, ut in morte ejus ostendemus, demonstrat, sed etiam disertè affirmat Gervasius in Chron. ad annum MCLXXXV, ubi de Lucio III scribit: *Veronæ sepultus est. Cui successit incontinenti Mediolanensis Archiepiscopus, & Urbanus appellatus est.* Quod confirmat Radulphus de Diceto pag. 629. ad eumdem Christi annum, ubi postquam asseruit, *VII Kal. Decemb. Veronæ* sepultum esse, ejus successoris coronationem, & diem quo ea facta, his verbis nos edocet: *Humbertus Mediolanensis Archiep. ipsa die Cardinalium assensu communi Papa creatus est, vocatus Urbanus; Kal. Decembris coronatus est in Ecclesia Sancti Petri montis in supercilio collocata.* Dies autem prima mensis Decembris anno superiori in Dominicam cadebat. Dies itaque mortis *Lucii* III, & dies electionis ac coronationis ejus successoris nunc certi.

II. *B. Joachimus Abbas ad Urbanum III venit.*

Urbanus III ante Pontificatum Archiepiscopus Mediolanensis erat, & Leonis IX, ac Alexandri II exemplo Archiepiscopatum retinuit, ut disertè legitur in Catalogo Archipresbyteri Metropolitani Ecclesiæ Mediolanensis apud Puricellum in Monument. Basilic. Ambr. num. DCV ubi etiam pag. 1019. exhibet Instrumentum anno MCLXXVIII exaratum, in quo memoratur Obertus Crivellus, ipsius Ecclesiæ Archidiaconus, qui postea sub Urbani III nomine Pontifex Romanus fuit. Hugo Autissiodorensis in Chron. hoc anno scribit: *Per hos dies venit ex Calabriæ partibus ad Urbanum Papam Veronæ morantem quidam Abbas nomine Joachim, de quo ferebant, quia cum prius non plurimum didicisset, divinitus accepit intelligentiæ donum, adeo ut facunde diserteque enodaret difficultates quaslibet Scripturarum. Hic itaque dicebat quadam Apocalypsis mysteria hactenus latuisse, sed modo per eum clarescere in spiritu prophetiæ, sicut ex Opusculo quod scripsit, legentibus liquet.* De beato Joachimo pluribus infrà sermo erit.

III. *Causa dissensionis in-*

A num. III ad XII. Arnoldus Abbas Lubecensis in Chron. Sclavorum lib. 3. cap. 16. & seqq.

inter Papam & Imperatorem.

seqq. fusè narrat dissidia inter Urbanum III & Imperatorem post Lucii III mortem continuata, & ex eo Baronius. Ad ea pertinent relata hoc anno à Chronographo Aquicinctino & à Joanne de Ceccano in Chron. Hæc prioris verba: *Urbanus Papa & Imperator Fredericus inter se dissentiunt. Multimoda fuerunt causa dissensionis. Pracipua, quod Patriarcha Aquileiensis, & quidam Episcopi interfuerunt, absque consensu Papa coronationi Henrici Regis* (filii Friderici Imp.), *die quodam solemni in Italia. Quos omnes Papa à divino suspendit officio. Alia, quod Formosum* (legendum, *Folmarum*, ut Brouverus in Annal. Trevirensibus ex Antiquis habet) *Electum Treverensem, electum canonicè sabbato sancto Pentecostes, in Presbyterum Cardinalem*, (nulla hujus Cardinalis apud Oldoinum in Auctiori Historia Card. mentio), *& crastino die in Archiepiscopum, contra votum Imperatoris, consecravit. Nam alter electus perperam fuerat* (nempe Rudulfus, ut videre est apud Arnoldum lib. 3. cap. 10. qui Cardinalatûs Folmari etiam non meminit), *quem Imperator manutenebat. His & aliis causis intercurrentibus inter Papam & Imperatorem in Italia Pax turbatur.*

IV. *Concilium Mosomiense.* Schisma istud Ecclesiæ Trevirensis per annos septem duravit, uti narrat Auctor Magni Chronici Belgici pag. 201. *Istis Papa Lucius auditis, nihil determinavit; cui Urbanus III mediolanensis successit, cujus progeniem Imp. Fredericus, qui Mediolanum oppugnavit, universam oppressit; qui licet Imperator Folmarum se non admissurum jurasset, tamen eum Papa approbavit & consecravit, Radulphum reprobando. Quid moror? Folmarus reversus excommunicavit Radulphum* (à paucis electum) *& suos: econtra Henricus Rex* (nempe Germaniæ) *jussu patris* (sc. Friderici) *Fautores Folmari spoliavit, & domos eorum publicavit. Folmarus impetrato Legationis officio apud Mosanum Carram* (seu castrum Mousomium vel Mosomum, quod Mosæ adjacens Archiepiscopo Remensi tum parebat, inquit Brouverus) *ut Papa Legatus, convocato Concilio & celebrato* (in Quadragesima juxta Brouverum) *Episcopum Tullensem deposuit, Petrum Virdonensem excommunicavit. Tandem Clemens III misso Sigifrido Cardinale tit. S. Maria in Via Lata ad Regem misit, ut secundùm canones compositione facta inter eos negotium Treviricum terminaret. Veniens verò prædictus Legatus omnes ab obedientia Folmari absolvit, & Episcopum de administratione, non de ordine depositum, & ab eo dejectos restituit, & excommunicatos absolvit, & amborum scilicet Radulphi & Folmari electionem sustulit, Ecclesia, at prius, eligendi Episcopum liberam tradens facultatem: & sic discordia septennio jam protracta fuit terminata. Hac ex Chronicis Pontificum*, Trevirensium, ut arbitror. Agunt & de ista Synodo, cujus in Collectione Conciliorum nulla mentio, Vassenburgius in Gallia Belgica, & Brouverus in Annal. Trevir. ex monumentis ejusdem Ecclesiæ. De Folmari morte anno MCLXXXIX sermo erit. Hujus Legationis *Sigifrids*, vel, ut alii eum appellant, *Sofreds* Oldoinus in Hist. Card. non meminit.

V. *In Comitiis Imperii Episcopi Germania malè erga Pontificem se se gerunt.* Baronius num. X. & seq. refert ex Arnoldo Lubecensi lib. 3. cap. 18. Fridericum Imp. celebrasse Comitia Imperii *in Geilenhusen* occasione dissensionum, quæ inter Imperium & Ecclesiam Romanam versabantur; Conradum Moguntinum Archiep. proposuisse, ut scriberetur Urbano III Papæ, *ex persona Episcoporum*; & consilium illud placuisse Imperatori, & omnibus Episcopis. *Et ad voluntatem Imperatoris*, inquit Arnoldus, *scripta est Epistola, signata bullis Episcoporum omnium, & perlata ad dominum Papam. Qui cùm legisset Epistolam, obstupuit de immutatione Episcoporum, quia ipse causam pro eis videbatur sumpsisse, ipsi verò de causa cecidisse. Nec minus tamen in proposito suo perstitit, & veniens Veronam, Imperatorem legitimè citatam excommunicare decrevit.* Verùm Urbanus III anno superiori Veronæ electus toto hoc anno, quo ea Epistola data, & potiori parte sequentis Veronæ resedit. Epistolam illam nobis conservavit Radulphus de Diceto in Imag. Hist. ad hunc annum pag. 632. qui tamen brevitatis causâ Episcoporum subscriptiones resecuit. Dicunt Episcopi Imperatorem in solemni Curia nuper congregata graviter conquestum esse, quòd *Cremonenses*, quos *tanquam bannitos & publicos hostes imperii* decebat Sanctitatem ejus evitare, contra honorem Imperii familiariter collegisset, *dehortando civitates universas Italia ab auxilio ferendo & expeditione promovenda*. eum firmiter in verbo Domini promisisse se nunquam consecraturum Folmarum; & in Archiepiscopatu Mediolanensi injurias multo ex tempore per eum imperio factas Imperatorem in publico proposuisse, concluduntque: *Unde & nos, qui de conservando & manutenendo jure & honore imperii ipsi & illustri filio suo Rogero* (legendum, Henrico) *Regi Augusto per sacramentum tenemur, nihilominus quoque Reverenda matri nostra S. R. E. dilectionis & obedientia debito astringimur, & paternam Sanctitatem vestram in intimis cordis sinceritate complectimur, Excellentiam Vestram obnixè rogantes, totius humilitatis & filialis devotionis studio deprecamur, quatinus ad laudem Dei & pacem & unitatem Ecclesia Dei & imperii, qua nunc toti mundo desideranda venit & exoptanda, ea qua ad gravamen imperii facta dinoscuntur, quoniam ea à Vobis sustineri aut sub silentio praeteriri fides vestra sinceritatis nullatenus conveniret, saniori, ut expedit, consilio permutari faciatis*, &c. Hæ dissensiones ex aliis Auctoribus magis explicandæ, & primò ex Chronographo Aquicinctino, qui ait.

VI. *Fridericus Cremonenses edomat.* *Fredericus Imp. Cremonenses sibi adversos, auxilio Mediolanensium, in suum invitos cogit servitium. Imperator relinquens Henricum filium suum in partibus Beneventanis, in Germaniam redit. Henricus Rex Imperatoris filius, quemdam Urbani Papa servientem, & multas secum auri & argenti pecunias deferentem, obvium ex insperato habens, aurum & argentum auferens, in contumeliam Papa nasum ei præscidit.*

VII. *Secta Vendicosorum exstirpatur.* Joannes verò de Ceccano in Chron. hoc anno scribit: *Hoc anno surrexit quadam secta, in regno Sicilia, de vanis hominibus, qui se faciebant nominare Vendicosos, & mala omnia, qua facere poterant, non in die, sed in nocte faciebant* (de hac secta Anonymus Casinensis anno præcedenti agit, ut ibidem vidimus; sed hæc factio per annos duos grassari potuit). *Ad ultimum Adinulphus de Ponte corvo, qui fuerat Magister & Princeps hujus secta, sententia Regali judicatus, suspensus est, & multi alii ferro ardenti signati sunt. Et quidam Presbyter nomine Sinhoritto depositus est ab Aquinense Episcopo; plangens Episcopus, & fere omnes homines Sancti Germani promittentes & volentes eum redimere, ut non deponeretur, sed non potuerunt.*

SÆC. XII. An. C. 1186.

VIII. Romani & Henricus Rex Urbanum III vexant.

Octavo Idus Decembris venerunt Romani in Campaniam, incenderunt Montem longum, & depradati sunt Sylvam mollem, & sic reversi sunt Romam, &c. *Hoc anno venit Rex Henricus filius Frederici Imp. & subjugavit sibi totam Campaniam prater Fummonem; & castrum Fereatinum obsedit per novem dies, & ivit super Guarcinum*, &c. *Et Rex* (nempe Henricus) *habuerat Fodrum* (annonam militarem, ut Ducangius in suo Glossario) *ab ipsis castellis. Hospitatus est in pede castri per novem dies; omnibus tam Ecclesiis, quàm castellis per circuitum omnia mala, qua inferre & facere potuit, fecit.*

IX. Agitur de Hibernia in regnum evehenda.

Ad num. XVI. Rogerius Hovedenus in part. II Annal. pag. 631. de gestis anno superiori verba faciens ait, *Henricum* II Angliæ Regem obtinuisse ab Urbano III, *quod unus, quem vellet de filiis suis coronaretur de regno Hibernia.* Tum pag. 634. de rebus currentis anni agens scribit: *Post Natale Domini* (à quo Hovedenus præsentem annum inchoat) *Urbanus Papa misit in Angliam Octavianum S. Rom. Ecclesia Subdiaconum Cardinalem, & cum eo Hugonem de Nunant* (Episcopum Duoelmensem), *quibus ipse commisit Legatiam in Hiberniam ad coronandum ibi Joannem filium Regis: sed Dominus Rex coronationem illam distulit.* Quare Legati illi ab Anglia recesserunt. Jam anno MCLXXI diximus, *Henricum* Regem *Joannem* filium in Hiberniam misisse, non quidem eo anno, sed, uti habet Giraldus Cambrensis lib. 2. de gestis suis cap. 10. anno, quo *Heraclius* Patriarcha Jerosolymorum in Anglia erat, ideoque anno MCLXXXV, quo etiam Radulphus de Diceto pag. 626. Mattheus Parisius, & Gervasius in Chron. idem narrant. Subdit Radulphus pag. 629. *Joannes filius Regis Anglorum vocatus Hibernia dominus* (sed non Rex) *redut XVI Kal. Januarii*, anni scilicet MCLXXXV.

X. Concilium Hibernicum.

Giraldus Cambrensis libri citati cap. 13. loquitur de Concilio in Hibernia celebrato, quod ad præsentem annum pertinet; cùm postea cap. 17. memoret cladem Jerosolymitanam, quæ anno sequenti contigit: *Accidit, cùm in Media quadragesima, sc. ad Latare Jerusalem Joannes Dublinensis Archiep. convocatis suffraganeis Episcopis Dublinensibus in Ecclesia S. Trinitatis Concilium teneret. Primo die sermonem fecit ipse de sacramentis Ecclesia. Secundo die Abbas de Balkinglas Albinus, qui & postea Fernensis Episcopus erat, de continentia Clericorum sermonem texens prolixiorem, totam in Clerum, qui de Wallia & Anglia in Hiberniam advenerant: denique culpam refudit; docens munditiam Cleri Hibernia quanta fuerit, donec ex contagio advenarum, (cùm à convictu mores formantur, & qui picem tangit, coinquinabitur ab ea) corruptelam contraxerunt. Ad cumulum quoque confusionis finito sermone ipsius, Clerici nostrates de Wiceforda finibus se invicem super concubinis publicè ductis, domumque eraductis & nuptiis solemniter factis, coram Archiepiscopo & universo Concilio constanter accusarunt, & accusatos incoatinenti testium productione pariter & susceptione, instigante ad hoc Archiepiscopo Giraldi consilio, ut statim publicè justitia sequeretur, cum magna Cleri Hibernici tam irrisione, quàm insultatione convicerunt. Archiepiscopus autem, ut Hibernicorum insultationem reprimeret, sibique tales immunditias & enormitates displicere probaret, in convictos illicò sententiam dedit, & ipsos omni tam officio Ecclesiastico, quàm beneficio suspendit. Die verò tertio Archiepiscopus Giraldo Archidiacono sermonem injunxit, qui de Pastorali officio materiam sumens, imprimis qua ad laudem Cleri Hibernici verè dici poterant non suppressit; deinde de vitiis eorum & excessibus, pracipuè verò de ebriositatis incommodo cunctos in commune notando; demum ad Pralatos ipsorum se convertens, eos super incuria & negligentia Pastorali irrefragabili ratione convicit. Unde & Sermonis ejusdem partem hac continentem verbis eisdem* interserit idem Scriptor, quæ apud eum legenda. Hujus Concilii nulla in Concil. Collect. mentio.

XI. Institutio Episcopatus Rigensis.

Ad num. XX & seq. Institutus est hoc anno Episcopatus Rigensis in Livonia à *Sancto Meinardo* Sigebergensi Canonico, qui antea per plures annos in reducendis ad fidem Christianam illius regionis Infidelibus magnos labores exhantlarat, uti narrat Baronius ex Arnoldo Abbate Lubecensi in Hist. Slavorum lib. 7. cap. 8. & seq. *Meinardi* socius & coapostolus fuit *Bertoldus* Monachus Ordinis Cisterciensis & *Abbas in Lucca*, ut inquit Arnoldus, non verò *in Lubeca*, ut legitur apud Baronium, errore vel typographi, vel exemplaris, quo usus est. Fuit autem *Lucca*, vel melius *Luka* monasterium situm in Saxonia, ut refert Cæsarius Heisterbacensis, Monachus Cisterciensis, qui hoc tempore vivebat, in lib. 7. Miracul. cap. 17. qui *Bertoldum*, & ejus discipulos magnis laudibus exornat. Promiserat hîc Baronius plura se infrà de *Meinardo* Livoniæ Apostolo dicturum, quod cùm postea ei è memoria exciderit, Annales nobis hac in parte supplendi.

XII. Meinardus & Bertoldus Livonia Apostoli.

Subdit itaque Arnoldus post decessum Meinardi, *qui*, inquit, *bonum certamen certavit, cursumque felicem consummavit*, Bertoldus *veniens Bremam* Rigensis Episcopus consecratur. Et quia Cœlestinus Papa hujus nominis III indulserat, ut quicumque in Livoniam pergeret *ad deprimendas gentilium vires* non minorem peccatorum remissionem perciperet, quàm si Jerosolymam proficisceretur, *fit de tota Saxonia, Westphalia, vel Frisia, Pralatorum, Clericorum, militum, negotiatorum Conventus plurimus, qui in Lubeca comparatis navibus, armis & victualibus, Livoniam usque pervenerunt. Cumque Prasul beatus exercitum produceret contra Infideles, Christi cultoribus insidiantes, in manus impiorum cum duobus tantum devolvitur, occiditur, &, ut speramus, gloria & honore coronatur.*

XIII. Instituitur militia Gladiferorum.

Addit Arnoldus, post mortem Sancti viri *Albertum* Bremensem Canonicum in Sedem ejus sublimatum fuisse; qui cùm multos parentes & amicos haberet, multos etiam *in vinea Domini cooperatores habebat*. Unde ipsum sequebatur multitudo maxima, & militum manus copiosa: *Cumque frequenter astivo tempore exercitum duceret contra Crucis inimicos, non solum Livones, verum etiam alias barbaras nationes ita sibi subjecerat, ut ab eis obsides acciperet, & pacis conditiones cum eo facerent*, &c. *Multi etiam continentiam voventes, & soli Deo militare cupientes, formà quadam Templariorum omnibus renunciantes, Christi militia se dediderunt, & professionis sua signum in forma gladii, quo pro Deo certabant, in suis vestibus praferebant.* Indeque Krantzius Bertoldi martyrio narrato lib. VI Vandaliæ cap. 10. scribit: *Inde adaucta multorum fidelium devotione, multi se spontaneos in sacram adversùs Christi hostes militiam devoverunt; novaque*

Religionis

SÆC. XII. An. C. 1186.

Religionis habitu adinvento, se Gladiferos Fratres appellavêre. Duo post invicem ejus Professionis fuêre Magistri. Sed cùm rebus satisfacere non posse viderent, succrescerentque hostes foris & intus, se magno Teutonicorum Ordini per Prussiam conjunxerunt, ut illorum captum viribus & tuerentur, & augerentur, qua res illic prosperè cessit. Bertoldi martyrium in Magno Chronico Belgico pag. 204. cum Anno MCXCIV, in Chronico verò Aquicinctino cum anno MCXCVII ab ejusdem Chronici interpolatore conjungitur. Meinardus igitur & Bertholdus Livoniæ Apostoli fuêre.

XIV. *Finis Chronici Godefridi Viterbiensis.*

A num. XXII ad XXV. *Gotefridus*, vel *Godefridus Viterbiensis*, Presbyter, Capellanus ac Notarius Conradi III, Friderici I, & Henrici VI Imperatorum Chronicon suum, quod Urbano III Papa dicavit, usque ad hunc annum perduxit; quod licet multis fabulis refertum sit, habet tamen aliqua singularia. Baronius eum *Viterbiensem, vel Vicembergensem* appellat; verum ipsemet in sua ad Urbanum III Epistola dedicatoria se se Viterbiensem Sacerdotem dicit, neque alii, quos vidi, aliam ei patriam assignant.

XV. *Finis Historiæ Saxonis Grammatici.*

Saxo etiam *Grammaticus* librum XVI & ultimum Historiæ Danicæ, narrato homagio *Canuto* VI Regi Daniæ, à *Bugislavo* Pomeraniæ Duce præstito absolvit; Stephanus autem Joannis Stephanius in Notis ad eamdem asserit, penes se esse Chronicon MS. in quo legitur: *Anno MCLXXXVI. Bugislavus Senex factus est homo Regis Canuti*, idest, vasallus & cliens feodalis. Dolendum quod Saxo optimus Historicus Chronologiam adeo neglexerit. Nobilissimum illud opus in gratiam *Absalonis* Archiep. Lundensis suorum studiorum impulsoris, suscepit, ob idque Valdemaro Regi Canuti VI Patri valde familiaris fuit, Porro post hæc *Pomerania* Regum Daniæ, uti antea *Rugia*, vectigalis extitit.

XVI. *Conjugium Henrici VI cum Constantia.*

A num. XXV ad XXXI. Factæ hoc anno nuptiæ *Constantia* filiæ Rogerii Regis Siciliæ cum *Henrico VI Rege*, Friderici Imp. filio, *Mediolani apud Sanctum Ambrosium*, uti refert Baronius ex Gotefrido Viterbiensi, in cujus Chronico dicitur illas peractas *indictione sexta*, cùm tamen legendum sit, *indictione quarta*, quod mendum Librariorum cùm non correxerit Baronius, recentes, qui loca ab eo relata transcribere solent, eumdem locum depravatum passim Lectoribus obtrudunt. Monachatum Constantiæ commentitium esse demonstrat doctissimus Cardinalis, sed num. XXX perperam reprehendit Viterhiensem, qui in suis versibus de nuptiis Henrici Regis cum Constantia, hujus ætatem his verbis exprimit: *Jamque tricennalis tempore virgo fuit*; cùm enim, inquit, constet, *Rogerium* ejus Patrem anno MCLIV demortuum, Constantiamque posthumam fuisse; evidens est eam annum ætatis XXXI paulò amplius excessisse. Verùm Viterbiensis, qui in aula Imperatoris erat, ætatem *Constantia* ignorare non potuit, ideoque versus ille confirmat quod sæpius inculcavimus, Poëtas & Historicos in annorum enumeratione sæpe loqui numero rotundo.

XVII. *Henricus VI absque consensu Papa coronatus.*

Diem, quo matrimonium celebratum, notavit Baronius num. XXV ex Viterhiensi, sextum nempe Kalendas Februarii, seu diem XXVII mensis Januarii; Præsulem verò, qui Henricum Regem coronavit, eumque & Constantiam nuptiarum solemni ritu conjuges fecit, Chronographus Aquicinctinus nos edocet loquens de causis dissensionis, quæ inter Papam & Imperatorem versabatur: *Præcipua*, inquit, *quod Patriarcha Aquileiensis, & quidam Episcopi interfuerunt, absque consensu Papæ, coronationi Henrici Regis, die quadam solemni in Italia. Quos omnes Papa à divino suspendit officio.* Godefridus itaque Patriarcha Aquileiensis, vir audax, & qui, ut inquit Ughellus Tom. V Italiæ Sacræ, Ecclesiæ suæ jura armis tuebatur, hoc munere functus est. Quare fallitur Galvaneus Flamma in Chronico Majore apud Puricellum in Monument. Basilic. Ambros. num. 597. qui asserit, *Ubertum de Crivellis* Henricum coronasse, cùm certum sit Ubertum hoc tempore sub Urbani III nomine Pontificem Romanum fuisse. Rectè etiam Puricellus ibidem rejicit Catalogos MSS. Archiepiscoporum Mediolanensium, in quibus ea *Miloni* Archiepiscopo ejusdem urbis adscribitur; cùm *Milo* nondum eam dignitatem obtineret. Denique ipsemet Puricellus fallitur, cùm scribit *Henricum* ab Uberto de Crivellis, qui Archiepiscopatum Mediolanensem non deposuit, coronam accepisse; cùm Chronographus Aquicinctinus disertis verbis affirmet, coronationem istam absque Urbani III consensu peractam fuisse.

XVIII. *A Patriarcha Aquileiensi.*

Sed audiendus Radulphus de Diceto in Imag. Hist. pag. 629. qui singula sigillatim his verbis perstringit: *Inter Henricum Regem Teutonicum & Constantiam filiam Rogeri Siculi Regis, amitam verò Guillelmi Regis Siculi, generi Regis Anglorum, matrimonium celebratum est. Sexto Kalend. Februarii Viennensis Archiep. Fredericum Imperatorem Romanum Mediolani coronavit. Eodem in die Aquileiensis Patriarcha coronavit Henricum Regem Teutonicum, & ab ea die vocatus est Cæsar. Quidam Episcopus Teutonicus coronavit Constantiam amitam Willelmi Regis Siculi generi Regis Anglorum. Hæc acta sunt in monasterio Sancti Ambrosii.* Ex Henrico & Constantia natus *Fridericus* II Imperator, qui Italiam adeo afflixit.

XIX. *Nicetas Muntanes fit Patriarcha Constantinop.*

Ad num. XXXI. *Basilius Camaterus* Patriarcha Constantinopolitanus hoc anno ab Isaacio Imp. Sede pulsus fuit, ut narrat Baronius ex Niceta in Isaacio Angelo, sed cum annos tantum tres & menses sex, non verò annos sex & menses sex, ut legitur apud Baronium, errore, uti existimo, Librariorum, Ecclesiam illam administrasse accuratè scribit Onuphrius in Chron. ad hunc annum. In ejus locum subrogatus *Nicetas Muntanes magnus Sacellarius*, ut in Catalogo Patriarcharum Constantinop. habetur.

XX. *Obitus Roberti de Monte.*

Mortuus est hoc anno *Robertus de Torigny*, vulgò dictus Robertus de Monte, cujus genuinum Chronicon Dacherius ab aliquot annis vulgavit; antea enim nonnisi interpolatum, corruptumque extabat. De hoc Chronographo in Chronico ejusdem Montis à Labbeo Tom. II Biblioth. pag. 349. publicato, ad annum MCLIV legitur: *MCLIV Mense Maio sexto Kal. Junii, feriâ V infra Octavas Pentecostes electus fuit Robertus de Torineio, Prior Claustralis Becci. Plurima bona operatus est. & fuit custos Castelli de Ponte Ursonis. Obiit MCLXXXVI.* Chronicon Roberti sub ejus nomine usque ad annum MCCX inclusivè ab Auctore anonymo continuatum.

ANNO

Anno Æræ Hispan. MCCXXV. Anno Hegiræ DLXXXIII. inchoato die 13. Martii fer. 6.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6680.

☉ 20. D. ☽ 10. P. 29. Mart. Indict. 5.

JESU CHRISTI 1187.

GREGORII VIII PAPÆ 1.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 36. IMP. 33.

ISAACI ANGELI IMP. 3.

I. *Octavianus Card. Legatus in Angliam mittitur.*

ANum. I ad IV. *Octavianus* nobilis Romanus ex Subdiacono Apostolico à Lucio III Diaconus Cardinalis SS. Sergii & Bacchi anno MCLXXXII, à Clemente verò III Episcopus Ostiensis & Veliternensis creatus est, ut videre est in Hist. Cardinalium. Variis Legationibus cohonestatus fuit, & hoc anno cum *Hugone de Nunant* Episcopo Coventrensi Legatus in Angliam venit, ut *Joannem* filium Henrici II Angliæ Regis, Hiberniæ Regem coronaret, ut superiori narravimus, & refert hîc Baronius ex Rogerio Hovedeno, apud quem *Octavianus* errore Librariorum à Baronio emendato dicitur *Subdiaconus Cardinalis*, loco *Diaconi Cardinalis*. Verùm Epistola XXIII Petri Blesensis data *Octaviano S. Rom. Ecclesiæ Cardinali Presbytero, Apostolicæ Sedis Legato*, ut testatur Gussenvilla in Notis ad eamdem legi in omnibus exemplaribus, hujus Legationis occasione, sicuti Baronius, Gussenvilla in Notis aliique passim credidêre, scripta non est, cùm *Octavianus* nondum Cardinalis Presbyter fuerit, sed tempore alterius Legationis, sedente Cœlestino III, peractæ ab eodem Octaviano in Normannia, ut anno MCXCII videbimus. In ea Petrus Blesensis dolenter queritur, passim indignos, sive scientiam, sive virtutem, sive ætatem spectes, per summam ambitionem in Episcopatus, aliasque dignitates irruere, & obtestatur *Octavianum Legatum*, ut sua auctoritate interposita ambitiosos & simoniacos omnes ab Ecclesiæ gubernaculis arceat. Ex ea Epistola manifestum fit, hac ætate Ecclesiam à simoniacis & ambitiosis oppressam fuisse, quod plura Auctorum coævorum, & Conciliorum testimonia insinuant.

II. *Induciæ cum Saladino infausto successu ruptæ.*

A num. IV ad XI. *Hoc anno incomparabilis dolor & tristitia ineffabilis universæ accidit Christianitati*, ut inquit Chronographus Aquicinctinus, & fusè refert Baronius. Rem hîc summariè ex Nangio in Chron. ad hunc annum perstringo. Anno superiori, ut apud hunc Chronographum legitur, *Reginaldus Princeps Antiochiæ, fœdus induciale, quod Christiani cum Christianis & Rege Turcorum* (nempe Saladino) *hinc inde sanxerant observandum, dirupit. Nam cùm plurimus, & opulentus Turcorum comitatus à Damasco in Ægyptum transiret, & præter limites terræ Christianorum, ob induciarum fiduciam itinerari non formidarent, in eos subitò Princeps prædictus irruit, & ipsos cum universis sarcinis minus decenter captivos abduxit.*

III. *Saladinus in Palæstinam irruit.*

Hoc verò anno, ut habet idem Nangius, *Salahadinus Babyloniæ Soldanus injuria sibi facta à Principe Antiocheno permotus, Palæstinam violenter aggreditur, Admiralium Edisse cum septem millibus Turcorum, qui Terram sacram depopularentur, præmittens. Hic autem cùm in partes Tiberiadis processisset, casu sibi obvios habuit Magistrum militiæ Templi Girardum de Bideforda, & Magistrum Hospitalis Rogerum de Molendinis, illum quidem fugatum, Rogerum verò interfectum inopino marte confecit, multis Templariis tam captis quam occisis. Salahadinus suorum victoria exhilaratus, animum totius regni Jerusalem occupandi succensum ad majora intendit. Nam Galilæam aggressus Tiberiadem obsidet, quo audito, Guido Rex Jerusalem, Templarii, Hospitalarii, Episcopi, Proceres, populusque in unum congregati hostibus occurrunt, hostes obsidionem deserunt, & ad fontes milliariis quatuor circa Tiberiadem castra ponunt. Quinto igitur Nonas Julii progrediuntur in bellum, acerrimèque concertant, sed nox prælium dirimit. Ea die nostri gessêre fortiùs, nisi quod aquam præoccupatam ab hostibus perdiderunt, diurno proinde conflictu æstu, sitique confecti laborabant, eo quod aquam non haberent: mane hostes præparant, & in nostros jam non ad bellum præparatos cœperunt irrumpere; quod videntes Principes & primi exercitus Regem adeunt festinanter, & quid facto opus sit deliberant in commune; Rex quemdam de numero equitum, qui cum Turcis militaverat, consulit quid in instanti negotio sit agendum, qui consuluit, ut totis viribus in cuneum irrumpatur, ubi Salahadini vexillum altius eminebat.*

IV. *Sanctam Crucem & Guidonem Regem capit.*

Placet consilium universis, excepto Comite Tripolitano (Remundo appellato), *de cujus consilio montana occupaverunt, & ita consilio uti dissipato nostri æstu ac splendore Solis gravantur, & telorum imbribus opprimuntur & obruuntur. Comes Tripolitanus arma dejecit, & ad Castrum quod Saphetum dicitur, se contulit* (Regem enim prodebat, ut scribit Neubrigensis lib. 3. cap. 16.). *Interim nostrorum strages miserabiliter fit, Episcopus Acconensis lethaliter vulneratus, Crucem Domini, quam ferebat, tradidit alteri, & ille Regi. Bello itaque vehementer perurgente, Guido Rex capitur, & sancta Crux Domini à Turcis asportatur. Hanc alteram post Chosdroen Regem Persarum Crux sancta propter scelera nostra contumeliam pertulit, & quæ nos à veteri captivitatis jugo absolvit, propter nos captiva ducitur, & profanis Gentilium manibus contrectatur: sed & quotquot Templarii & Hospitalarii inveniuntur, protinus decollantur.*

V. *Vitia Christianorum hujus cladis causa.*

Porrò Guido Rex, & Magister Templi in monumentum victoriæ reservantur. Princeps autem Antiochiæ Reginaldus, qui Sarracenos semper oppresserat, ab ipso Salahadino manu propria decollatur. Sic exigentibus meritis suis in manus Gentilium nostri sunt traditi, ac à Turcis subjugati. Nimis enim in luxus varios & Clerus & populus effluxerant, totaque terra illa facinoribus & flagitiis sordescebat; sed & qui Religionis habitum præferebant, regularis moderantiæ fines turpiter excesserant, rarus in Monasterio, rarus in seculo, quem non vel avaritia, vel luxuriæ morbus inficeret.

VI. *Virtutes Saladini.*

Salahadinus igitur de nostris sic habito celebri triumpho, ad pontem Tiberiadis redit, ibique manubias dividi, & in Damascum meliora deferri præcepit: postea erectis ad cœlum oculis de adeptione victoriæ gratias Deo reddidit; sic enim facere in omnibus quæ accidebant consuevit, & inter cetera hoc sæpiùs dixisse fertur, quod non sua potentia, sed iniquitas nostra hanc illi victoriam contulit. Dehinc Accon, quæ est Ptolomais, veniens obsidet, quam post biduum in deditionem recepit. Manere ibi volentibus non fuit hostilis oppressio, & recedere volentibus data est vita conductio. Id sanè Salahadini liberalitatem commendat,

SÆC. XII. An. C. 1187.

dat, quod nullum gravari sustinuit, qui vellet ei se subdere, & degere sub tributo; erat enim suorum tenax dictorum, suique custos integer juramenti, & tam liberalis, ut vix denegaret quidquam alicui. Tota quippe regio tremebat viris privata fortioribus, & suis destituta tutoribus.

VII. Reimundus Comes Tripolitanus moritur Saracenus.

Inter hæc Conradus Marchio filius Conradi de Monte-Ferrato, qui à Constantinopoli veniebat Jerusalem, ubi quia sororem habebat Imperatoris Cursat (idest, Isaacii Angeli) in conjugem, cum quodam nobili Græco, qui Cursat volebat deponere, & se in Constantinopolim intrudere, pugnaverat, eumque occiderat, & inde recedens, comperto quod Accon teneretur à Turcis, Tyrum applicuit, & eamdem urbem defensurus suscepit: cujus adventus præsentibus & venturis Christicolis processit ad commodum, & ipsi ad laudem & gloriam. Tunc Comes Tripolitanus, qui illuc post bellum Tiberiadis confugerat, videns potentiam Marchionis, omnibus suspectus, & omnes suspectos habens, Tripolim fugit; cui statim Salahadinus mandavit, ut pacta quæ sibi juraverat, jurare faceret à suis. Comes civibus convocatis jurare illos imperat, dicens cedendum esse tempori, nec posse Salahadino resisti; responderunt cives minimè se jurare nisi prius formam audiant juramenti, & super hac inducias usque ad mane petentes, acceperunt. Ea nocte Comitem illum ultio divina percussit; res dissimulari non potuit; nam corpore defuncti nudato, quia nuper Circumcisionis stigma susceperat, apparuit; unde palam fuit quod se Salahadino confœderans sectam Sarracenicam cœperat observandam. Post quem Tripolis urbis dominium filius Principis Antiochiæ de jure obtinuit parentela.

VIII. Saladinus suas victorias prosequitur.

Ludovicus filius Philippi Regis Franciæ primogenitus nascitur in vigilia Assumptionis B. Dei Genitricis Virginis Mariæ (is post patrem sub Ludovici VIII nomine regnavit; Rigordus tamen & Guillelmus Armoricus in Philippo Augusto hoc natale cum die V mensis Septembris & feria secunda connectunt, sed loco, Feria II, legendum, Feria VII, quæ hoc anno cum die V Septemb. concurrit, & hæc sententia præferenda, quia uterque Scriptor coætaneus est,). Salahadinus post Accon sibi redditam Berytum & Sydonem occupans, cum Tyrum eadem facilitate speraret sibi vendicare, à Marchise turpiter repulsus abscessit. Exinde Ascalonem urbem perveniens, eam post diversos assultus IV die Septemb. obtinuit, tali pacto ut cives liberi hinc abirent, & Rex Guido cum XV de electioribus captivis redderetur. Ipsa die qua præscripto pacto urbs tradita fuit, Sol quasi compatiens, beneficium luminis defectu Eclipsis urbi & Orbi subtraxit, ita ut stellæ sicut in nocte apparerent (hanc Eclypsim supputavit Calvisius, & invenit eam horis ante meridiem duabus accidisse). Turcomanni per hos dies Laodiciam urbem impetunt, & cum Principe Antiochiæ congressi; multos de suis occidunt. Deinde Antiochiam & circumjacentem regionem profligant cædibus & incendiis ac rapinis, terramque illam copiosam, quæ Mons-verra dicitur, rapinis & incendiis sunt depasti. Sed cum inde redirent, ab Antiochenis sunt devicti & fugati.

IX. Jerosolyma capit.

Salahadinus Ascalone munita cum Turcis suis Jerusalem properat, & eam obsidet à parte Occidentis, oppugnans eam decem diebus continuis; sed civibus fortiter resistentibus, cum nec sic Turci proficerent, per partem Aquilonis urbem sanctam iterum sunt aggressi. Tunc obsessi considerantes obsessoribus non posse resisti, in commune deliberant salvis sibi vita & mobilibus, reddere civitatem: sed Salahadinus, quia contra suam voluntatem diu se tenuerant, petiit pro redemptione eorum ab his, qui quindecim annos & suprà excreverant, decem bizantios, à mulieribus quinque, & ab infantibus unum similiter sibi reddi: quod ut ab utraque parte concessum est, secundo Octobris die, qui erat ab obsidione XXXIII (legendum cum Auctore Magni Chronici Belgici pag. 178. XIV) Feriâ sextâ urbs sancta, quod dici dolor est, Salahadino redditur. Qui statim campanas Ecclesiarum confringi fecit, & Turci equos & jumenta in Ecclesiis stabulaverunt; Suriani verò Ecclesiam Sepulchri auri pretio redemerant, ne sordibus Gentilium subjaceret. Templum autem Domini, quod Turci juxta ritus suos consueverant antiquitus venerari, fecit Salahadinus intus & extra aqua rosacea ablui, antequam vellet illuc ingredi. Multa verò millia pauperum, quia non habebant pretium, à prætaxato pretio absolvit, & infirmis jussit de fisco proprio per aliquantum tempus necessaria ministrari. Sanè Regina Sybilla, cum Heraclio Patriarcha, Templariis & Hospitalariis, ac immenso exulantium cætu apud Antiochiam est profecta; alii verò apud Alexandriam vel in Siciliam navigaverunt.

Capta est ergo Jerusalem civitas sancta post annos octoginta octo, ex quo à Turcis erepta fuit, & tantundem ferè temporis à nostris possessa, quantum prius à Turcis. Suriani verò, Georgiani, Iacobitæ, Græci, Armenii in Jerusalem remanserunt sub Turcorum dominio, addicti servituti. De die tamen captæ Jerosolymæ Scriptores inter se non conveniunt; aliqui, quos Baronius secutus est, tradunt urbem IV Kal. Octob. subactam; alii, ut Neubrigensis lib. 3. cap. 17. circa solemnia B. Archangeli Michaelis; sed Nangio suffragatur Chronographus Reicherspergensis, qui hoc tempore vixit. Imò inter Scriptores Latinos & Arabas convenit, urbem à Saladino expugnatam esse die Veneris anno Hegiræ DLXXXIII. Quare non die XXVIII mensis Septembris, qui hoc anno cum feria secunda concurrit, sed die secundo Octobris, in quem dies Veneris incidit, cùm annus Hegiræ DLXXXIII die XIII Martii inchoatus fuerit, Jerosolyma in potestatem Turcorum venit. Idem Neubrigensis cap. 14. scribit: A Christianis recepta est sub Papatu Urbani II, & recidit in manus Agarenorum, sub Pontificatu Urbani tertii, LXXXVII, ut dictum est, annis interlapsis, sed annum unum minus dicit. Christianis remansêre, ut notat Chronographus Aquicinctinus, Antiochia Syriæ, Tyrus, & Tripolis.

X. Tres tantùm urbes Latinis remanent.

Ad num. XI. Basilius Camaterus anno superiori Patriarchatu Constantinopolitano dejectus est, eodemque Nicetas Muntanes, vel Mundanus in ejus locum substitutus ab Isaacio Angelo Imp. Nicetas quidem Choniata de Isaacio loquens ait: Sed ne hunc quidem, natu maximum (nempe Nicetam) in sacra sede expirare passus, invitum expulit, senium & delirium & levitatem causatus: quibus ex verbis Baronius infert, eum statim ejectum esse. Sed hoc non dicit Nicetas; verum hunc Patriarcham ante mortem suam dignitate motum fuisse; quam usque ad annum MCXCII obtinuisse anno MCXCI ostendemus, & de Leontio ejus successore,

XI. Nicetas Muntanes post hunc annum Patriarchatu Constantinop. dejectus.

SÆC. XII. An. C. 1187

cessore, Dositheoque Jerosolymitano Patriarcha, qui eum excepit, verba faciemus, ut horum Patriarcharum series & chronotaxis clarior evadat.

XII. *Nuncium cladis Jerosolymitanæ sauciat animum Urbani III.*

Ad num. XII. Neubrigensis lib. 3. cap. 20. scribit, Urbanum III e vivis excessisse, antequam de clade Christianis Terræ Sanctæ illata nuncium accepisset: *Sanè cùm in Oriente illud Christianæ plebis exterminium atque irruptio sanctæ civitatis sub Pontificatu Urbani contigerint, eidem tamen datum est, tanta infelicitatis fama minimè sauciari. Rerum quippe infra Octavas Apostolorum Petri & Pauli, infeliciter gestarum nuncii circa festivitatem beati Lucæ Evangelistæ, ad Apostolicam sedem venerunt, Urbano paulò ante ex hac luce subtracto, & maturè substituto Gregorio.* Verùm Neubrigensi alii passim refragantur, & id in dubium non videtur revocandum. Hugo enim Altissiodorensis, qui hoc tempore floruit, ait: *Urbanus Papa cùm tam flebilem rem audisset, nimis indoluit, & ex nimio dolore animi languescens post breve moritur, sepeliturque in urbe Ferrariæ, quò nuper advenerat de Verona. Ferrarienses cives miram defuncto honorificentiam exhibuêre, & VII diebus ejus exequias cum immensis luminaribus celebrarunt.* Idem refert Rogerius Hovedenus, cujus verba recitat Baronius, animi tamen dubius, an ei vel Neubrigensi hac in re standum sit. Papebrocius in Conatu Chron-Hist. dicit Neubrigensis textum corruptum esse & loco, *paulò ante*, legendum, *paulò pòst*. Verùm Neubrigensis verba alia hujusmodi interpretationem non patiuntur, eumque Hovedeno & Hugoni Altissiodorensi adversari evidentissimè ostendunt. Adversatur & Chronographo Aquicinctino, Joanni Bromptono, & Gervasio in Chron. ubi disertis verbis idem affirmant. Ait etiam ibidem Gervasius: *Pax & concordia inter Dominum Papam & Imp. Frethericum, ut videbatur, ad honorem Dei & Ecclesiæ Romanæ formata est. Unde Dominus Papa Veronensibus vale dicens Ferrariensem adiit civitatem.*

XIII. *Moritur Urbanus III PP.*

Urbanus itaque infortunio illo accepto paulò pòst Ferrariæ obiit *XIV*, nempe *Kalend. Novembris*, seu die XIX mensis Octobris, quem diem ejus emortualem fuisse produnt Gervasius in Chron. pag. 1510. Sigonius in Hist. de Reg. Ital. Onuphrius in Chron. & Annalista Mailrosensis, qui tamen Librariorum errore loco, *XIV Kal. Novemb.* habet, *IV Kal. Novemb.* Ipsemet enim Mailrosensis, ut statim videbimus, ita se scripsisse palam demonstrat. Hovedenus à Baronio citatus, qui ait eum è vivis excessisse *XIII Kal. Novemb.* diem sepulturæ pro die emortuali, ut sæpe fit, usurpavit; quare Papebrocius in Conatu Chronico-Hist. aliique qui diem mortis & sepulturæ *Urbani* III non distinxêre, hallucinati sunt. Errarunt etiam Rigordus & Guillelmus Armoricus, qui tradidêre eum ex hac Luce subtractum *die sancti Lucæ Evangelistæ* seu XV. Kalend. Novemb. *Urbanus* enim III, qui die vicesima quinta mensis Novembris anni MCLXXXV electus fuit, sedit *annum unum, menses decem, dies viginti quinque*, ut habent Joannes de Ceccano, Martinus Polonus Anonymus Casinensis in Chron. Ptolomæus Lucensis in Chron. Urspergensis Abbas, Platina, & Auctor Magni Chronici Belgici pag. 203. ubi tamen errore Librarii loco, *annum I*, habet, *annos II.* Ex quibus Scriptoribus intelligimus, *Urbanum* III Sedis suæ durationem, non à die coronationis, sed à die suæ electionis repetiisse.

SÆC. XII. An. C. 1187.

XIV. *Gregorius VIII ei succedit.*

Urbanum III excepit *Gregorius* VIII Beneventanus, antea *Albertus*, *Presbyter Card. S. Laurentii in Lucina*, & S.Rom. Ecclesiæ Cancellarius, cujus electionis & consecrationis dies Annalista Mailrosensis nobis conservavit, scribens: *XII Kal. ejusdem electus est Gregorius VIII, & VIII Kal. ejusdem consecratus.* Electus itaque Gregorius VIII die XXI mensis Octobris, postquam sedes die uno vacasset, & consecratus die XXV ejusdem mensis, in quam dominica cadebat. Dies electionis ejus confirmatur ea Gervasio in Chron. qui ait, Albertum Cancellarium Urbano III successisse in Pontificatum *die tertio*, die nempe XXI mensis Octob., qui tertius erat à morte Urbani III. Diem verò ejus consecrationis confirmat Radulphus de Diceto in Imag. Hist. pag. 636. ubi ait: *Urbano III defuncto Papa creatus VIII Kal. Novemb.* Gregorius VIII, ubi creationis nomine consecrationem & coronationem intelligit.

XV. *Ejus Zelus.*

A num. XIII ad XX. Hugo Altisiodorensis citatus narrata Urbani III morte subdit: *Post eum Albertus Cancellarius substituitur & Gregorius VIII vocatur, vir literaturâ, facundiâque clarus, sed puritate vitæ & animi integritate præclarior, suique corporis vehemens castigator. Audita ejus promotione lætatus est admodum Fredericus Aug. eo quod virum discretum & justitiæ Zelatorem cognosceret, sibique benevolum & omnibus, si diu viveret, profuturum. Præcepit quoque Principibus & Præfectis omnem et reverentiam impendere, & transeunti per terram suam de fisco suo victualia ministrare. Pontificali itaque dignitate suscepta vias Dei pensare cœpit attentiùs, qualiter labenti rerum statui subveniret. Videlicet nempe sui temporis Ecclesiam per vitia diffluam, & in maligna prolapsam, ambitioneque & avaritia, luxuriaque necnon hæresibus quasi quibusdam pestilentissimis hostibus vineam domini totam ferè jam esse depastam. Hæc meditabatur die ac nocte, hæc ejus cura, hoc studium, ut sui negligens viveret omnibus, ut per eum cooperante domino facies Ecclesiæ marcida reflореret.* Baronius literas pro subsidio Terræ Sanctæ ad universos Christi fideles datas à Gregorio VIII, duasque alias zeli ejus plenas exhibet, quæ apud eum legendæ.

XVI. *Ejus obitus.*

Ad num. XX. In Chronico Pisano quod Tom. III Italiæ Sacræ repræsentatur, mors Gregorii VIII his verbis narratur: *Gregorius Papa VIII ingressus urbem Pisanam receptus ab iisdem Pisanis cum magno honore IV Idus Decembris, & mortuus est Pisis XVI Kalend. Januarii* Gervasius verò in Chron. *Papa Gregorius XVI. Kal. Januar. ex inopinato defunctus est* Eumdem diem Annalista Mailrosensis exhibet. Quare Gregorius VIII vita immortali dignus hominem exuit die XVII mensis Decembris postquam sedisset *mense uno, diebus XXVII*, inquiunt Bromptonus, Joannes de Ceccano & Martinus Polonus in Chron. vel *Pontificatus sui die LVII* ut habet Platina, qui uterque diem ejus emortualem excludit. Auctor Magni Chronici Belgici, qui habet mensem unum & dies XXVI, corruptus fuit à Librariis, vel diem unum omisit. Porrò licet *Clemens III* die decima nona ejusdem mensis electus fuerit post diei unius interpontificium, quia tamen Baronius electionem ejus in annum sequentem differt ibidem de ea agemus.

Ad

SÆC. XII. An. C. 1187.

XVII. *Abolitur Festum Fatuorum.* Ad num. XXI. *Odonem de Soliaco* Philippi Augusti Franciæ, & Henrici II Angliæ Regum consanguineum, & Mauricii in Episcopatum Parisiensem successorem plurimùm laudat Baronius ex Petro Blesensi Epist. CXXVI, & seq. Gussumvilla verò in fine Notarum ad easdem Epistolas pag. 778. refert literas Odonis Episcopi Parisiensis pro abolendo *Festo Fatuorum*, & restituenda solemnitate Circumcisionis Domini, in quibus Odo scribit, sibi ad mandatum fuisse à Petro S. R. Ecclesiæ tit. S. Mariæ in Via lata Cardinali, *cùm in partibus Gallicanis Legationis officio fungeretur*, & idem Legatus in suo mandato ibidem recitato se Diaconum Cardinalem sanctæ Mariæ in Via lata appellat. Abolitum festum illud, in quo plerumque enormitates abominabiles, & opera flagitiosa committi contingebat, *anno incarnati Verbi millesimo centesimo nonagesimo octavo*, inquit ibidem Odo, cui & Canonicis suis, prædictum mandatum inscriptum est. Hujus Legationis mentio in Hist. auctiori Cardinalium Oldoini, dum sub Cælestino III agit de *M. Petro Capuano Amalphitano*, Diac. Card. S. Mariæ in Via lata, anno MCXCIII ab eodem Papa in secunda creatione Card. renunciato. Mauricius Odonis decessor in Episcopatu Parisiensi III Idus Septemb. anni MCXCVI è vivis excessit, & *Petrus Capuanus* Legatus ab Innocentio III in Franciam missus exeunte anno, MCXCVIII, ut refert Rigordus, qui annum à die XXV mensis Martii incipit. Quare festum *Fatuorum* anno MCXCIX abolitum, & *Odo* annum illum vocat MCXCVIII, quia eodem, quo Rigordus die, annum exorditur.

XVIII. *Nefarius ille ritus diu adhuc perseveravit.* Nec tamen nefarius ille ritus in Kalendis Januarii de Paganorum consuetudine observatus, in Gallia cessavit; Gussunvilla enim ibidem exhibet Epistolam à Facultate Theologica studii Parisiensis ad Prælatos & Capitula Ecclesiarum Regni Franciæ datam *anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto die XII mensis Martii*, in qua decernit non licere Episcopis, vel Archiepiscopis Fatuorum derisione & cum ludibrio electorum uti insigniis Pontificum, sc. mitra & baculo Pastorali, nec eis *ante se facere portare crucem cum baculo*: nec insuper præfatis Episcopis vel Archiepiscopis *facere divinum officium in Ecclesia cum supradictis insigniis, nec dare benedictiones legentibus lectiones matutinales, nec etiam benedicere populum*; nec etiam à fortiori ratione licitum esse *facere unum Papam Fatuorum, qui similiter cum insigniis Papalibus faciat divinum servitium, aut benedicat populum*. Sed his non obstantibus, mos ille perdurabat in civitate Remensi anno MDIX, ut videre est apud Marlotum in Metropoli Remensi lib. 4. pag. 769. Legendum Glossarium Ducangii tam in voce *Cervulus*, quàm in voce *Kalendæ*, ubi complura Veterum loca hunc morem declarantia exhibet.

XIX. *Pax inter Imperatorem Orientis & Siciliæ Regem.* Ad num. XXII. Iis, quæ Baronius de Imperio Orientali ex Niceta in Isaacio Angelo narrat, addendum quod Nangius in Chron. ad hunc annum habet: *Imperator Constantinopolitanus, & Rex Siciliæ* (Guillelmus nempe hujus nominis II) *reducuntur ad pacem.*

XX. *Moritur Petrus Cellensis.* *Petrus*, vulgò *Cellensis* appellatus, primùm Monasterii Cellæ propè Trecas, & postea Sancti Remigii in suburbio urbis Remensis Abbas, qui, uti suprà ostendimus, *Joanni de Salisberia* in Episcopatum Carnotensem anno MCLXXX successit, hoc anno mortalitatem explevit. Mabillonius Tom. II Analect. refert è veteri MS. Elogia quorumdam Episcoporum Carnotensium, in quibus pag. 570. *Petrus Cellensis* Episc. Carnotensis mortuus dicitur *X Kalend. Martii*, & in quodam Indice Episcoporum ejusdem Ecclesiæ legitur, eum præfuisse Ecclesiæ Carnotensi annos septem, & anno MCLXXXVII obiisse, uti jam observatum in Præfat. ad novam Operum ejus editionem, de qua legendus Oudinus in Supplement. Script. Eccles.

Hoc anno bellum civile in Africa excitatum finem accepit, ut refert Noweirius. *Jacob* Almohadum Imperator, cùm adversus *Ali* rebellium caput copias duxisset, in primo prælio victus fuit; sed cum eas animosè collegisset, in secundo prælio *Alim* occidit, & frequentibus Africanorum rebellionibus irritatus *Capsam*, urbem olim Episcopalem Carthaginensi Archiepiscopo subditam penitus evertit anno Hegiræ DLXXXIII, & insequenti *Marochium*, Imperii sui Sedem rediit. Quare tumultus isti Christianis sub ejus dominio in Hispania Saracenica gementibus non multum profuere. XXI. *Finis belli civilis in Africa.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6681. Anno Æræ Hispan. MCCXXVI.

☉ 21. C B. ☽ 11. P. 17. April. Indict. 6. Anno Hegiræ DLXXXIV inchoato die 2 Martii fer. 4.

JESU CHRISTI 1188.

CLEMENTIS III PAPÆ 2.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 37. IMP. 34.

ISAACII ANGELI IMP. 4.

I. *Clemens III eligitur & consecratur Papa.* AD num. I & seq. Baronius, quem passim alii secuti sunt, Onuphrius in Chron. & Sigonius lib. XV de Regn. Ital. arbitrati sunt Sedem Romanam post *Gregorii* VIII mortem *dies viginti* vacasse, quot revera leguntur in Magno Chron. Belgico pag. 203. in Bromptono pag. 1147. & in octavo Catalogo nostro. Addunt, *Clementem* III ejus successorem die Epiphaniæ currentis anni electum & coronatum fuisse. Papebrocius verò in Conatu Chronico Hist. illos viginti dies tennens autumavit Sedem vacasse diem unum, *Clementem* Pisis die XIX mensis Decembris creatum, & die sexta Ianuarii hujus anni coronatum. Verùm Clementem III natione Romanum, antea Paolum Prænestinum Episcopum ac Cardinalem, anno antecedenti Pontificem Romanum electum & consecratum, ac longum illud interpontificium commentitium esse, apud me certum. Gervasius enim in Chron. ad annum MCLXXXVII, Radulphus de Diceto, Matthæus Paris, Nangius ad eumdem annum, aliique disertè scribunt, *Clementem* III illo anno Pontificem Romanum dictum, imò aliqui diem creationis exprimunt, & Annalista Mailrosensis tam diem electionis quam coronationis ejus exhibet. Hæc ejus verba ad eum Christi annum: *XVI Kal. Januarii obiit Gregorius Papa VIII, & XIV Kal. ejusdem electus est Clemens IV & in crastino consecratus*, nempe die vicesima mensis Decembris, in quam Dominica cadebat. Mailrosensis hunc *Clementem* IV appellavit, quia Guibertus Antipapa se se Clementem III nuncupabat. Denique Auctor

 brevis

SÆC. XII. An. C. 1188.

brevis Chronici Pisani apud Ughellum Tom. III ait, *XIV Kalendas ejusdem* (nempe Ianuarii) Paulum Prænestinum Episcopum Pontificalem cathedram adeptum esse, idest, electum; & Matthæus Paris in Chron. inquit: *Clemens III decimo tertio Kalendas Januarii surrogatur*, idest, Pontifex Romanus coronatur.

II. *Reges Franciæ & Angliæ crucem suscipiunt.*

A num. III ad XVII. *Rex Francorum Philippus*, inquit Matthæus Paris ad hunc annum, *& Rex Anglorum Henricus in Normannia pro subventione Terræ Sanctæ ad colloquium venientes; inter Triam & Gisortium, post longos tractatus, præsente Comite Flandrensi Philippo, in hoc pariter consenserunt; ut sumpto Crucis signaculo iter Jerosolymitanum socialiter expedirent. Rex igitur Anglorum primò Crucis signaculum suscepit de manibus Archiepiscoporum Remensis* (nempe Guillelmi) *& Willelmi Tyrensis: quorum ultimus a Domino Papa, super negotio Crucis officium Legationis susceperat in partibus Occidentis. Deinde Rex Francorum, & Philippus Comes Flandrensis crucem sumentes; exemplum aliis potissimum præbuerunt. Unde tam in imperio, quàm de utroque regno Regum prædictorum, Archiepiscopi, Episcopi, Duces, Marchiones, Barones, milites & media manus homines, vulgusque promiscuum crucem animosius susceperunt.*

III. *Guillelmus Tyrius in Franciam venit.*

De adventu *Guillelmi Tyrii* in Franciam præter Rogerium Hovedenum, cujus verba recitat Baronius, loquuntur etiam Giraldus Cambrensis in lib. de Rebus à se gestis part. 2. cap. 17. & in Hibernia Expugnata lib. 2. cap. 27. Radulphus de Diceto pag. 636. & Neubrigensis lib. 3. cap. 22. Post hæc nulla ejus in probatis monumentis mentio occurrit, ideoque anno incerto mortuus est. Bongarsius quidem, qui ultimam Tyrii Historiæ editionem curavit, in Præfatione ad eamdem num. XI, citato Scriptore Anonymo natione Gallo, ait *Heraclium* Patriarcham Jerosolymitanum electum, cum cognovisset *Tyrium* Romam venisse, ut Pontifici Romano ostenderet talem eum non esse, qui Patriarcha esse deberet, *Physicum è suis convenisse, quem ut Romam illum sequeretur, pepulit, atque veneno tolleret.* Quod cùm successisset, & Archiepiscopus Tyrensis mortuus esset, *Heraclium*, cùm Romam venisset, ab Apostolico quæ voluit impetrasse, & Jerusalem rediisse. Verùm hæc merè commentitia; *Heraclius*, enim anno MCLXXXI Patriarcha Jerosolymitanus dictus, annoque MCLXXXIV in Italiam ad Papam cum Magistris Templariorum & Hospitalariorum missus, uti alibi probavimus; & ab anno MCLXXXI usque ad præsentem Tyrius in partes Occidentis non venit. Quare miror, *Bongarsium* virum doctissimum huic fabulæ fidem adhibuisse. Oportet Baronium duos Guillelmos Tyrenses Archiepiscopos sibi invicem succedentes per hæc tempora perperam distinxisse; cum hoc anno mentionem faciat Legationis Guillelmi Tyrii, annoque MCLXXXV tradat, *Willelmum* Tyrium Archiepiscopum & belli sacri Scriptorem, tunc Legatum in Galliam missum cum *Heraclio*, aliisque Legatis, vita functum esse.

IV. *Decimæ Saladinæ in Concilio Parisiensi institutæ.*

Mense Martio, inquit Rigordus in Philippo Augusto pag. 25. *media Quadragesima Parisius celebratum est generale Concilium à Philippo Rege, convocatis omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & totius regni Baronibus. In quo innumerabilis militum multitudo seu peditum, sacratissima cruce insigniti sunt. Et propter hanc instantem necessitatem* (*oppidò enim iter Jerosolymitanum Rex affectabat*) *cum assensu Cleri & populi, quasdam decimas ab omnibus esse accipiendas eo tantum anno decrevit, quæ dictæ sunt decimæ Saladinæ.* Recitat postea instrumentum institutionis decimarum. Hujus etiam Concilii meminere Guillelmus Armoricus in Philippo Aug. & Bellovacensis lib. 29. cap. 45. qui addit, Cistercienses, Cartusienses, Fontebraldenses & Leprosos à præstatione decimarum Saladinarum exceptos fuisse. Porrò cùm Rigordus, qui annum à die XXV Martii auspicatur, Concilium Parisiense cum media quadragesima anni MCLXXXVIII conjungat, manifestum est illud habitum post diem XXV Martii. SÆC. XII An. C. 1188.

V. *Bellum inter Reges Franciæ & Angliæ.*

Sed cùm fidelium devotio ferveret, omniaque ad profectionem Jerosolymitanam pararentur, repentinum bellum Franciæ & Angliæ regna turbavit, & contra omnium expectationem duo Reges ex amicis inimici facti; urbes & castella utrimque expugnata, nec ante annum sequentem post constituta, ut ibi videbimus.

VI. *Imperator Comitia Moguntiæ cogit.*

A num. XVII ad XX. Canisius Tom. V Antiq. Lect. expeditionem Asiaticam Friderici Imp. ex Anonymo coævo hoc modo narrat: *Imperator, ut vir multivida circumspectionis, quod jamdudum intra se voverat de peregrinandi voluntate, adhuc dissimulabat, quousque major pars Principum ac aliorum virorum copia Crucem sine retractatione arriperet, quorum ope & opera annitente, faciliùs & efficaciùs posset expeditionis negotia promovere. Ad hoc igitur provida & necessaria deliberatione ordinandum peregrini specialiter in medio Quadragesimæ, quæ tunc evenit sexto Kalendas Aprilis* (ideoque hoc anno) *Curiam indixit apud Maguntiam, quam rectè* CURIAM DEI *voluit appellari. Interea vir quidam religiosus literarum scientia præclarus & suavis eloquio, Henricus scilicet Albanensis Episcopus in eadem Legatione, ut prædicator egregius, primò ut dignum, adivit Imperatorem; à quo, ut decuit, satis accuratè receptus est, & benignè. Qui cùm de bono Imperatoris ipsius animo, circa peregrinandi negotium familiari inquisitione & alloquio cognovisset, gavisus est in Domino, & abiens per Alemanniam, verbi divini semine jacto in terram bonam, multos ad viam Jerosolymitanæ expeditionis in brevi temporis spatio lucri fecit. Deinde profectus est ad Serenissimum Francorum Regem Philippum, & Henricum Regem Angliæ, qui tunc discordes erant, sed ejus sermone persuasorio, pacis revocati ad concordiam* (nempe ad inducias, de quibus anno sequenti), *cum multis utriusque regni Principibus crucis signaculum acceperunt. Inde in Germaniam redire decrevit ad præfatam Curiam Dei, cujus terminus instabat.*

VII. *Crucem accepit.*

Adveniente Curiæ termino, subdit idem Anonymus, *convenerunt plures Episcopi, Marchiones & Barones ad locum designatum cum innumerabili peregrinorum multitudine, & tum Imperator quàm ejus filius, Episcopi multi & Principes publicè se voto & promissione itineris adstrinxerunt. Sed quia tam arduum negotium moram ad præparationem itineris poscebat, visum est Imperatori, ut proposita expeditio à solemnitate instantis Paschæ in annum protelaretur, & nono Kalend. April. in festo Sancti Georgii peregrini*

omnes

omnes simul apud Ratisbonam in itinere convenirent.

VIII. *Legati ad Saladinum missi.*

Quia verò Imperator & Saladinus, *tam per nunciorum, quam per donativorum alternam missionem à longo tempore amici fuerant ad invicem; Imperator sua Majestati prospiciens honestati, duxit conveniens ad eum præmittere Legationem, & cum denunciatione belli se illum hostem fateri, nisi Sanctam* CRUCEM *in prælio Christianis ablatam, redderet cum terra Jerosolymitana, quam sua subjugaverat ditioni.* Jam dudum alii Legati ad Imperatorem accesserant, omne bonum amicitiæ *de Soldano mendosè pronunciantes, non solum pro mercato, & via securitate; verùm etiam de antiqui amoris perseverantia, ac totius honoris exhibitione, quem, ut aiebant, illi præsentialiter impendere peroptabat.* Verùm promissio illa perfidia plena erat. Interim *nono Kalendas Aprilis peregrini apud Ratisbonam, sicut statutum fuerat, convenerunt*, anno nempe MCLXXXIX. Narrat postea Anonymus profectionem Imperatoris, & quæ in ea expeditione evenere.

IX. *Legatio Germanica Henrici Albanensis Card.*

Huc etiam revocanda quæ alter Anonymus coætaneus in Chron. Claraevallensi habet ad hunc annum: *Dominus Henricus Albanensis Episc. à Papa Gregorio VIII constitutus Legatus, cum diligentia omnimoda officium sibi injunctum peragebat. Et primò quidem secundum mandatum sibi datum, instituit ut à præsenti anno in quinquennium, per omnes sextas ferias esset fidelium populus in cibo Quadragesimali; & ut ferià quartà & sabbato omnes incolumes abstinerent à carnibus. Dominus verò Papa sibi & fratribus suis Cardinalibus, & famulis, etiam secunda feria per eosdem annos usum carnium interdixit. Venit autem dictus Legatus, (post colloquium Regis & Imperatoris, quod fuit apud Tvodium) exinde Moguntiam: ubi cruce signatus est Imperator cum LXVIII magnis Principibus. Inde venit Leodium, ubi Radulphum Episcopum crucesignavit: & Clericos LXVI, qui præbendas suas in manu sua resignaverant, ita de una Ecclesia ad aliam commutavit per suam providentiam, ut & simoniam evaderent; & præbendas non amitterent. Et hoc anno assignantur ea quæ in parva Historia Wallia continentur de Archiepiscopo Cantuariensi Balduino, qui fuit de Ordine Cisterciensi, & de Legatione ejus.* Giraldus Cambrensis in lib. de rebus à se Gestis part. 2. cap. 17. & seqq. refert, *Balduinum* Cantuariæ Archiep. Walliam peragrasse; prædicationibus suis quam plurimos ad crucem suscipiendam animasse, ipsumque etiam cruce sumpta Jerosolymam profectum esse.

X. *Obitus Henrici Card. Albanensis.*

Pergit Chronographus: *Inter hæc autem & ista, Albanensis Episcopus, Dominus Cardinalis Henricus quemdam tractatum ad suos Claravallenses edidit. Laborabat autem pro pace inter Regem Franciæ & Regem Angliæ: inter Comitem Philippum Flandrensem, & Ecclesiam Atrebatensem. Et ista lucerna talis extinguitur apud Attrebatum Kalendis Januarii* (anni sc. sequentis), *cujus corpus Claramvallem cum gloria relatum, tumulatum est in medio duorum Sanctorum retrò majus altare; inter Sanctum videlicet Malachiam, & S. Bernardum*; & quidem *tertio Idus Januarii*, ut legitur in lib. Sepulchrorum Claraevall. quem diem Manricus anno MCLXXXIX cap. I de ejus die emortuali perperam interpretatur; in eo enim libro disertè dicitur, *Henricum* eodie sepultum fuisse. Henriquez in Menologio cum memorat ad diem XIV Julii, quia in hujusmodi libris Sancti & personæ illustres aliis sæpe diebus, quam quibus obierint, reponuntur.

XI. *Finis discordia inter Summos Pontifices & populum Romanum.*

A num. XX ad XXVII. Baronius num. XXI refert Privilegium à Clemente III Ecclesiæ Scotorum & Willelmo Regi concessum, ut ea nullo mediante Apostolicæ sedi subjaceat. *Datum Lateran. III Idus Martii; Pontificatus nostri anno primo.* Quare eo die jam pax Clementem inter & Romanos sancita fuerat, ut rectè ex ea subscriptione deducit Baronius. Per-
" petua, inquit Onuphrius in Adnotatione ad Vi-
" tam Clementis III, per annos plus minus quin-
" quaginta, inter populum, Pontificesque Ro-
" manos ab Innocentio II usque ad Clemen-
" tem III discordia civilis fuit, regiminis Ur-
" bani occasione excitata: cùm populus Roma-
" nus Pontifici suo urbis administratione sub-
" moto Senatores, qui Reipublicæ præessent,
" cum Patricio quodam, summa cum auctorita-
" te creassent, ut Otto Frisingensis Episc. lib.
" Hist. 7. & lib. 1. de Gestis Friderici Imp. &
" Abbas Urspergensis, item Vitarum Pontifi-
" cum incerti nominis Scriptor Bibliothecæ Pa-
" latinæ auctores sunt. Ex cujus rei occasione
" *Innocentius* II & *Cælestinus* II animi dolore
" defecerunt; *Lucius* II pene & interfectus.
" *Eugenius* III, *Alexander* III, & *Lucius*
" III urbe pulsi, *Urbanus* III & *Gregorius* VIII
" exules fuere: Donec novissimè tanti dissidii
" utraque parte pertæsa, populus Romanus
" cum Pontifice populari suo *Clemente* III pa-
" cem æquis conditionibus facit, Senatoribus
" confirmatis, Patricii verò loco Præfecto, quem
" Magistratum aboleverant, refecto. Hujus
" pacis fœdera, & conditiones cum omnibus
" subscriptionibus ex libris Censuum Cameræ
" Apostolicæ excerptæ adhuc apud me sunt.
" Diuturna deinde quies, & tranquilla Eccle-
" siæ tempora fuerunt. Ita Vir de antiquitate Ec-
clesiastica optimè meritus. Baronius num. XXIX refert literas Senatûs Romani ad Clementem III datas, quibus concordia inter utrumque inita continetur, in quarum fine legitur: *Actum XLIV anno Senatûs, indict. VI, mense Maii, die ultima.* Quare Senatus anno MCXLIV post mensem Maium restitutus fuerat.

XII. *Exoritur controversia de conversione aquæ in Sanguinem Christi.*

A num. XXVII ad XXX. Hoc tempore, qua occasione incertum, in Galliis cœpta est disputari quæstio de conversione aquæ, quæ calici ante consecrationem infundi solet; an scilicet immediatè transeat in Christi sanguinem, non secus ac vinum, etiamsi in eum liquorem non sit conversa; an maneat mixta speciebus vini substantia aquæ post verba prolata, non unquam in aliam transitura. Delata à quibusdam ad *Gaufridum* olim Sancti Bernardi secretarium, tanquam ad judicem controversia, isque *Henricum Albanensem* Episcopum hoc anno in Gallia Sanctæ Sedis Legatum consuluit literis à Baronio recitatis, quibus hæc verba ipse subjungit:
„ quid autem rescripserit ad petitam consultatio-
„ nem Cardinalis Episcopus Albanensis, non in-
„ venimus; sed aliud rescribere non potuisse cer-
„ tum est, quàm quod credidit, & custodivit
„ semper Sancta Romana Ecclesia, nimirum,
„ aquam simul & vinum transubstantiari in san-
„ guinem Christi. Ita Cardinalis eruditissimus.
Joannes, qui ab Episcopatu Pictaviensi ad Archiepi-

chiepiscopatum Lugdunensem translatus fuerat, vulgò *ad Albas manus* appellarus, de quo suo loco egimus, aliquot post annos quam Ordinem Cisterciensium, dignitate deposita, amplexus est, anno sc. MCCII eamdem quæstionem *Innocentio* III proposuit, hujusque petitionis occasione ab hoc Pontifice emissa celebris illa Decretalis de celebrat. Miss. cap. VI *cùm Martha*, quam Manricus eo anno cap. 1. & seq. in Annalibus Cisterciensibus fusè explicat, aitque, licet Pontifex nihil definierit, probabiliorem tamen censuisse sententiam *Henrico Card. Albanensi* currenti anno propositam, nempe quod aqua immediate transit in sanguinem; quæ *Ganfridi* memorari sententia fuerat, quæque Baronio probatur, qui tamen in eo aliquantum excessit, quòd dixerit, hunc totius Ecclesiæ perpetuum sensum semper fuisse, contra quem nulli liceat opinari. Ex quo cùm aliqui recentes Theologi ansam sumpserint, Baronii propositionem censuræ nota inurere, ibidem à Manrico ea solidè defenditur.

XIII. *Leontius longè post hunc annum Patriarcha Jerosolymorum factus.*

Ad num. XXX & seq. Præter Patriarchas Latinos, qui Ecclesiæ Jerosolymitanæ præerant, alii à Græcis instituebantur, & *Athanasio* Patriarcha Jerosolymitano Græco demortuo *Leontius*, qui Patriarcha Constantinopolitanus fuerat, in ejus locum subrogatus est; sed Athanasius ante annum MCXCIII à Græcis Patriarcha Jerosolymitanus constitui non potuit, ut ex dicendis ibidem constabit. Quare Epistola *Georgii* Metropolitæ Corcyræ ad *Athanasium* Patriarcham Jerosolymitanum, & hujus ad illum responsum, quæ hîc à Baronio recitantur, ad illum Christi annum revocanda.

XIV. *Moritur Radulphus Nigellus Card.*

Hoc anno, ut narrat Gervasius in Chron. pag. 1557. *Radulphus* Cardinalis cum literis Clementis III datis *Lateran. IV Idus Decemb. pontificatus* ejus *anno primo* in Angliam Legatus directus est ad decidendas controversias, quæ versabantur inter Monachos Cantuarienses & Balduinum Archiepiscopum; sed cùm *Legatus pervenisset Papiam, & prædictas Domini Papa literas Archiepiscopo præmisisset, nimia confectus abstinentia, & ex insolito itineris labore fatigatus, decidit in lectum apud Morstiers, & infra dies X defunctus & sepultus est.* Est is *Radulphus Nigellus*, cujus creationis mentionem facit Baronius anno MCLXXXIV num. 1 quo ea peracta. Scriptores Historiæ Cardinalium annum mortis ejus ignorarunt; sed ex laudatis verbis intelligimus, eum anni sequentis initio è vivis abiisse.

XV. *Legatio Germanica Iordani Card.*

In Germaniam verò *Jordanus de Ceccano* Presbyter Card. Sanctæ Pudentianæ tit. Pastoris Legatus missus est, ut testatur Joannes de Ceccano in Chron. ubi ad hunc annum scribit: *Dominus Iordanus Abbas fossa nova IV Idus Martii ordinatus est Diaconus Cardinalis; IV Nonas April. consecratus est Presbyter Cardinalis tit. Pastoris sancta Pudentiana. Mense Iunii missus est in Legatione Alemannia.* Tum ad annum sequentem: *Iordanus Card. reversus est de Legatione Alemanniæ, & applicuit Ceccanum in vigilia S. Petri IV Kal. Iulii.* de eo infrà sermo erit.

XVI. *Obitus S. Gilberti fundatoris Ord. Sempringhamensis.*

Sanctus Gilbertus fundator Ordinis Sempringhamensis in Anglia *pridie Nonas Februarii* in Monasterio Sempringhamensi à se fundato obiit, annoque MCCII ab Innocentio III in Sanctorum numerum relatus est, ut in utraque ejus Vita ab Auctoribus Anonymis scripta, quæ extant in Actis SS. Bollandianis ad diem IV Februarii dicitur. Verùm quidem est, in utraque hanc mortem cum anno sequenti connecti, sed Bromptonus in Chron. & Hovedenus pag. 649. in parte posteriori, qui hoc tempore vixêre, eam hoc anno recitant, & non constat de tempore, quo uterque Bibliographus floruerit. Quod enim prior canonizationem ejus non memorarit, non sequitur, ut putavit Henschenius, eum ante Canonizationem Vitam illam edidisse. Sed quidquid de anno ejus emortuali sit, in fundando suo Ordine Sanctum *Bernardum* adiit, & ejus consiliis in suo proposito roboratus *piis captis insistere non cessavit*, ut inquit Neubrigensis lib. 1. cap. 16. qui addit: *Servorum Dei duo, & ancillarum Dei octo non ignobilia construxit monasteria, qua & numerosis replevit collegiis; & juxta datam sibi sapientiam regularibus ornavit institutis. Et quidem circa servos Dei instituendos abundavit indulta ei divinitus gratia, in sollicitudine fœminarum. Quippe in hac parte meo judicio palmam tenet inter omnes, quos instituendis regendisque fœminis religiosam operam impendisse cognovimus*, &c. Vocatur à Bromptono *fundator alborum Monachorum Ordinis de Sempynghan.*

XVII. *Obitus Fernandi Regis Legionis.*

Hoc anno, vel erâ MCCXXVI, ut habet Lucas Tudensis hujus temporis Scriptor *Fernandus* Legionis Rex è vivis excessit. Toletanus lib. 7. cap. 23. ait: *Rex Fernandus annis triginta uno in regno feliciter consummatis obiit Beneventi* (quod oppidum in regno Legionis situm) *erâ MCCVIII*; sed numeri hi manifestè corrupti, legendumque, MCCXXVI. Successit ei filius ejus *Adelphonsus* seu *Alphonsus* hujus nominis X, quem Toletanus dicit fuisse hominem pium, & strenuum.

XVIII. *Algarbia & Sylvia urbs Saracenis erepta.*

Referunt Annales Portugalenses, cùm hoc anno Anglorum, Flandrorum, Frisonum & Danorum Classis in Tagum Fl. ingressa esset, *Sanctium* primum Portugaliæ Regem eis persuasisse, ut secum adversùs Infideles pugnarent, & valida illa classe adjutum *Algarbiam* cum urbe Sylvensi, quæ ad promontorium Sacrum posita, in potestatem redegisse. Hæc urbs, quæ hodie quadraginta tantum incolas habet, ut notat Mendez Sylva in sua Populatione Hispaniæ linguâ vulgari scripta, hoc tempore celeberrima erat. Hanc expeditionem & *Sylvia* expugnationem accuratè describit Radulphus de Diceto ad annum MCLXXXIX pag. 646. aitque, *circa dies istos* Sylviam civitatem munitissimam, & virorum ad pugnam aptorum refertam, subactam fuisse *VIII Idus Septembris*, ac Portugalensem Episcopum *die Nativitatis B. Maria* Mesquitam in honorem B. Virginis dedicasse, et ibidem Episcopum præfecisse. Cùm verò tam Nangius in Chron. quàm Garibaius lib. 34. cap. 16. *Sylviæ* expugnationem in annum sequentem differant, ea ad illum pertinere videtur.

XIX. *B. Joachimus Abbas à suis Monachis vexatus.*

Hoc tempore *beato Joachimo* Abbate Curarii Monasterii Ordinis Cisterciensis in Calabria citeriori ac diœcesi Materana positi à suis Cisterciensibus exagitato, quasi divinationibus superfluis & fictitiis, quæ ad ipsum non spectarent, diffunderetur, res ad *Clementem III* delata est, qui literis *Lateran. sexto Idus Junii, Pontificatûs sui anno primo* datis, & à Jacobo Græco Florensi Monacho, & Joachimi Vitæ Scriptore cap. 4. relatis, eum hortatus est, ut Expositionem Apocalypsis, & Opus Concordiæ jubente Lucio III inchoata, & postmodum mandante Urbano III ejus successore composita, compleret, & dili-

genter

SÆC. XII. An. C. 1188.

genter emendaret, ac postea discussioni Apostolicæ Sedis & judicio se se præsentaret. Quare *Joachimus* Curatiensi Abbatiæ renunciavit, &, ut injunctum opus ad debitum finem perduceret, aliò migrávit. Hinc, ut opinor, inquit Manricus in Annal. Cisterc. hoc anno cap. 4. num. 2. originem cœperunt longa *Joachimi* dissidia cum *Cisterciensibus*, ultra mortem producta, ipsò instituente novam Congregationem à Cistercio „ divisam, atque Florensem à primo ejus cœnobio cognominatam, & nostris in eum acriter invectis, quasi in malè scribentem *de Trinitate*: atque accusantibus in Concilio Lateranensi sub Innocentio III recèns defuncti libros, quod ipse vivens videtur prophetasse. Ita Manricus, qui fuit Ordinis Cisterciensis in Hispaniarum Observantia Generalis. Porrò Joannes Græcus loco citato cap.3. vocat castrum *Sylam*, in cujus territorio *Curatium* situm, patriam suam, & se ipsum *Syllaneum* appellat.

XX. *Habuit discipulos pietate illustres.*

Inter hæc *Joachimus* in deserta Silæ secedit, & monasterium *de Flore* dictum construit; incertum tamen an statim à Cisterciensibus desciverit. Crevit deinceps Florense monasterium, Regum Siciliæ, Ducumque Calabriæ, atque Imperatorum munificentia, illique cetera ejusdem Congregationis cœnobia subjecta esse voluit Joachimus, postquam Cistercienses reliquit. Gabriel Barrius Franciscanus, qui libros V *de Antiquitate & situ Calabriæ* patriæ suæ scripsit, in Vita Abbatis Joachimi, quæ unà cum ejus Operibus Venetiis excusa fuit, memorat his verbis ejus discipulos: *Ex Cœnobitis ejus, qui ipso* (id est, Joachimo) *vivente, docenteque, ipsius magisterio floruerunt, hi sunt. Peregrinus, & ejus frater Bonatus, quibus futuras, & proximas revelavit tribulationes. Lucas, ejus Scriba, qui postea Episcopus Cosentinus fuit. Gerardus Abbas, Joannes, & Nicolaus, quorum alter Abbas monasterii Curatii fuit, alter istius vices gerebat. Item Matthæus, qui post Joachim Abbas Florensis fuit, & postea Tarentinus Episcopus: Rogerius diaconus Ecclesiæ Sanctæ Severinæ: Petrus & Nicolaus, qui omnes Sanctâ Vitâ extiterunt.* Denique Gregorius Laurus Sagittariensis Abbas, Ordinis Cisterciensis, in Apologia B. Joachimi pag. 303. refert, *Matthæum Guerram*, post probatam in Concilio Tridentino operam suam, propter egregiam qua excelluit Theologiæ Canonumque peritiam, Fundanum creatum Episcopum, indeque ad Episcopatum Sancti Marci in Calabriam patriam suam translatum, in suis super Psalterium B. Joachimi Notulis MSS. hæc de eo scribere: *Ego Matthæus Guerra scripsi. Abbas Joachim compatriota meus Calici natus* (locus distat à civitate Consentina quatuor milliaribus) *Monachus Cisterciensis, Institutor Ordinis Florensis, in vita, in morte, & post mortem miraculis claruit.*

XXI. *Non officit ei damnatio Libelli de Trinitate.*

Nec Joachimi Sanctitati officit, quod in IV Concilio Generali Lateranensi, sub Innocentio III habito, libellus, quem edidit contra Magistrum Petrum Lombardum de unitate seu essentia Trinitatis, damnatus fuerit, quia *Joachimus* duobus ante mortem annis omnia scripta sua Apostolicæ Sedis judicio approbanda vel corrigenda subjecit, & *Honorius* III literis duabus à Jacobo Græco cap. 5. Vitæ ejus relatis vetuit, ne propter libellum illum in eo Concilio damnatum, ipsi aut Florensi Ordini detrahatur. Præterea Innocentius III in Epistola XCIX lib. XIV data anno MCCXI Joachimi demortui honorabilem mentionem facit, & Albericus Monachus trium Fontium in Chron. ad annum MCCI ea damnatione narrata, subdit: *Tamen cetera Joachim opuscula, & vitam ejus religiosam, & moram institutionem & eruditionem, quam in Florentino* (legendum, Florensi) *monasterio idem Joachim reliquerat, Papa Innocentius III non improbavit, sed approbando commendavit.* Quæ verba exscripsit Auctor Magni Chronici Belgici pag. 210. Papebrocius ad diem XXIX mensis Maij, in Comment. prævio ad Vitam B. Joachimi §.4. loquens de *Psalterio Decachordo*, ab eo composito, ostendit Joachimum magna verborum, exemplorumque claritate mysterium Trinitatis doctissimè elucidare, ac eas Scripturas atque similitudines, quas in Libello ut perperàm usurpatas damnat Concilium, in Psalterio neutiquam sic usurpari, ut redargui possint.

XXII. *Sicuti nec Ordini ejus.*

Tertiò, non sine magno fundamento suspicantur aliqui, Congregationis Florensis inimicos libellum illum suo Joachimi nomine publicasse, ut ea a oleretur: *an vero aliquid*, inquit Jacobus Græcus laudatus cap. 5. *fuisset appositum in Opere illo, antequam Concilio præsentaretur, Dei judicio examinandum relinquatur. Nam hoc ipsum apertissimè idem Joachim prædixisse videtur in caput XI super Jeremiam*, de qua prophetia mox sermo erit. Certè ordinis Florensis inimicos ea Concilii Lateranensis damnatione, ut eidem nocerent, usos indicant duæ citatæ Honorii Papæ literæ ibidem à Jacobo Græco recitatæ, quarum prior *ad Lucanensium Episcopum* directa, alteraque Cusentino Archiepiscopo & Episcopo Bisiniacensi inscripta. In primis dicit Pontifex, ad audientiam suam pervenisse eum tam Abbatem, quam Monachos ordinis Florensis de crimine hæreticæ pravitatis infamare; & à suis permitti subditis infamari; sumentem occasionem ex Libello, quem ejusdem Ordinis Institutor edidit contra Magistrum Petrum Lombardum: *Fraternitati tuæ*, subdit Honorius III *per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus Fratres Ordinis supradicti super hæreseos crimine, nec ipse infamare præsumas, nec à subditis tuis permittas, vel aliquatenus dissimules, infamari.* In secundis literis scribit Pontifex, eum *qui saluti hominum invidet*, occasione ejusdem libelli à Synodo Lateranensi damnati nonnullos tam *clericos, quàm laicos, Prælatos & subditos* concitare adversùs Ordinem Florensem, *exprobrando quod idem Abbas, qui Pater & Institutor fuit Ordinis eorumdem, hæreticus ab Ecclesia Dei habetur. Propter quod non solum simplices Laicus participes a consortio ejusdem Ordinis avertunt; sed etiam fortes, qui uti cibo solido didicerunt, & ad discretionem boni & mali exercitatos pro consuetudine habent sensus, circa institutum Ordinis ejusdem incipiunt fluctuare*, &c. *Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus per totam Calabriam faciatis publicè annunciari, quia eum fuisse virum catholicum reputamus, Sanctæ fidei orthodoxæ sectatorem.* &c.

XXIII. *Se & suum ordinem à quibusdam Monachis vexandum prædixit.*

Prædixerat Sanctus Abbas hanc nominis & Ordinis sui diffamationem, ac Libelli præfati damnationem, in Opere suo super Jeremiam cap. XI juxta interpretationem Jacobi Græci, quam & aliqui Cistercienses amplectuntur: *Lignum scandali ponent*, inquit Joachimus, *ut sacram doctrinam extinguant, & nomen Doctoris,*

SÆC. XII. An. C. 1189. *cui revelabitur sententia domini, evertant* (is Doctor est Joachimus ipse, qui Danielis prophetias enodavit ad caput XII Apocalypsis, & alibi), *futurum est enim ut Summus Pontifex veritatem insinuet, ut unus moriatur, idest, damnetur doctor pro populo, & non tota gens pereat in errore. Sic Sedechias contra Ieremiam insurgit, damnat librum, scindit Trinitatem ab unitate, & scalpello scribe sententiam doctoris.* Et post pauca: *designat summum Pontificem post Cœlestinum futurum* (Cœlestinum nempe hujus nominis III) *quicumque sit ille* (fuit autem Innocentius III), *a quo, quia stella disparuit, spiritalis intelligentia extinguetur in dolo, & per invidiam tradetur, & perimere cogitabit.* Quibus agentibus id factum, faciendumve, non multò pòst prædixisse etiam videtur Joachimus ad illa verba Ieremiæ c.11.v.21. *Propterea hæc dicit dominus ad viros Anathoth, qui quærunt animam tuam, & dicunt: Non prophetabis in nomine domini, & morieris in manibus nostris.* Quæ verba exponens Ioachimus, subdit: *sequitur ad viros Anathoth, qui quærunt animam tuam. A quibusdam Cisterciensibus egredietur iniquitas hæc, ut doctor ille non prophetet in nomine Domini; & in eorum manibus, idest operibus, & consiliis moriatur, idest, reprobetur.* Ita Joachimus de se ipso & de doctrinæ suæ de Trinitate accusatoribus, quam prædicebat damnandam. Extat etiamnum Expositio Joachimi super Jeremiam inter alia ejus Opera, annumque, quo illam composuit, ipsemet his verbis expressit: *Agitur enim nunc millesimus centesimus nonagesimus septimus annus*, &c. quo certum est, *Cælestinum* III Ecclesiæ Romanæ adhuc præsedisse.

Anno Eræ Hisp. MCCXXVII. Anno Hegiræ DLXXXV. inchoatæ die 19. Febr. fer. 1.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6682.

☉ 12. A. ☽ 12. P. 9. April. Indict. 7.

JESU CHRISTI 1189.

CLEMENTIS III PAPÆ 3.

FRIDERICI ÆNOBARBI REG. 38. IMP. 35.

ISAACI ANGELI IMP. 5.

I. *Agitur de pace inter Reges Franciæ & Angliæ.* AD num. I & seq. Radulphus de Diceto in Imag. Hist. pag. 641. & seqq. varia hoc anno gesta refert: *Inter Reges Francorum & Anglorum & Comitem Pictavorum* (Richardum Aquitaniæ Ducem, Henrici II Angliæ Regis filium) *bis habitum est colloquium prope Feritatem Bernardi.* (vulgò, *la ferté Bernard*, amplum Cenomanniæ oppidum), *sed ad ultimum post longos tractatus inimici recesserunt ab invicem.* Loquitur de hoc colloquio Annalista Mailrosensis ad hunc annum, atque: *Ioannes de Aragnia* (legendum, *Anagnia*, ut rectè Hovedenus apud Baronium habet) *Cardinalis, & IV Archiepiscopi cum multis Episcopis & diversis ordinibus Prælatis* (legendum, & de diversis ordinibus Prælatis) *ex auctoritate Domini Papæ Clementis IV* (qui melius dicitur Clemens III) *sententiam excommunicationis tulerunt in audientia duorum Regum, sc. Francorum & Anglorum, & Comitis Ricardi, & totius plebis, in omnes tam Clericos quam laicos, per quos staret quod pax non fieret inter prædictos Reges & Comitem Ricardum & iter Ierosolymitanum expediatur, in eos tanquam in vivifica ac dominica Crucis inimicos ipsam sententiam promulgaverunt, prope Feritatem Bernardi, ubi Reges suum colloquium fecerunt.* SÆC. XII. An. C. 1189.

II. *En pax restituitur.* *Tandem*, inquit Radulphus de Diceto citatus, *pax inter tantos Principes consilio Magnorum reformata fuit in hunc modum. Anglorum Regi restituentur omnia tam castrum Radulfi, quàm alia post crucem susceptam ablata, sc. intra Bituricum provinciam. Regi Francorum numerabuntur XX millia marcarum, expensarum nomine quas fecerat circa castellum Radulfi. Prædicti Reges & Comites in manus Remensis Archiepiscopi* (nempe Guillelmi de Campania) *fidem dederunt, quod in media quadragesima convenient apud Vicelacum, votum peregrinationis quod inierunt prosecuturi, nisi communis consilii mutatio, vel corporis infirmitas virorum opinionis bonæ testimonio probata fuerit impedimento*, &c. *Facta sunt autem hæc in vigilia Apostolorum Petri & Pauli inter Turonem & Aza. Postmodum Rex Anglorum hominagium fecit Regi Francorum.*

III. *Obitus Henrici II Angliæ Regis.* A num. III ad VIII. *Rex Henricus* (hujus nominis II) *filius Mathildis Imperatricis cum XXXIV annis regnasset, anno Dom. MCLXXXIX, mense Iulii in Octabis Apostolorum Petri & Pauli Luna XIX feria V apud Chinonense castrum* (in Turonensi provincia situm) *febre invalescente obiit, Princeps inter Reges Orbis terrarum nominatissimus, ac in multitudine prolis felicissimus, nisi in eum qui ex ejus femore exierant, surrexissent. Quod tamen non tam humanæ severitati, quam divinæ ultioni nonnulli adscribunt. Eadem enim mensura qua mensus est, remensum est ei, ut qui patrem suum B. Thomam Cantuariensem Archiep. usque ad mortem, & licet mortem non intulerit, persecutus est, ipsi à filiis propriis usque ad diem extremum persecutio non deesset. Et hinc hostes, qui excellentis gloria ejus & virtuti semper inviderant, ipsum extinctum lamentasse & laudasse dicuntur, omnes tamen proximi sui cùm decederet, & familiares circumstantes sua rapacitati indulserunt, ut corpus Regis diu nudum jaceret, donec puer quidam inferioris corporis partes pallio brevi contegeret*, inquit Ioannes Bromptonus in Chron. cui alii Historici Anglici consentiunt.

IV. *Richardus filius ei succedit.* Refert postea *Richardum* Londiniam venisse, & *III Nonas Septemb. die dominica Luna XIX, die mala*, idest, *Ægyptiaca* & infausta apud Westmonasterium à Balduino Cantuariensi Archiepiscopo in Regem Angliæ consecratum & solemniter coronatum fuisse. Radulphus de Diceto Auctor Historiæ à nobis sæpius laudatæ, ac laudandæ, pag. 647. dicit se huic coronationi interfuisse, docetque quod Brouverum in Hist. Treverensi & San-Marthanos in Archiep. Treverensibus latuit, *Voremarum* Archiepiscopum Trevirensem suorum persecutionem fugientem venisse in Angliam, & ibi hoc anno mortuum esse: *Cantuariensis*, inquit de Richardi coronatione loquens, *Rotomagensis, Treverensis, Dublinensis Archiepiscopi de diversis partibus convenerunt. Comes itaque Pictavorum Richardus hereditario jure promovendus in Regem, post tam Cleri quam populi solemnem & debitam electionem, involutus est triplici sacramento, sc. quod opem impendet pro viribus, ut Ecclesia Dei populusque Christianus verum pacem obtineat, quod interdicet omnibus rapacitatem, quod in Iudiciis æquitatem præcipiet & misericordiam. Cantuariensis Archiep. celebravit divina. Quia verò tunc temporis Londoniensis vacabat Ecclesia, Radulphus de Diceto Londoniensis Ecclesiæ Decanus tam*

in

SÆC XII. An. C. 1189. *in oleo sancto quàm in Chrismate ministravit Archiepiscopo.* Paulò pòst: *Treverensis Archiep. in Anglia moriens apud S. Andream sepultus est Northamtoniæ.* Vivebat tamen adhuc die XVII Septembris, quo interfuit consecrationi Ioannis Candidæ Casæ Episcopi Electi, ut videre est apud Bromptonum pag. 1162. Vulmarum coronationi Richardi Regis interfuisse testantur etiam Matthæus Paris in Chron. hoc anno, & Hovedenus pag. 656. ac denique pag. 659. apud Northamtoniam obiisse.

V. *Inconsiderata agendi ratio Richardi Regis erga Ioannem fratrem.* Præter Richardum Henricus II reliquit alium filium *Ioannem* vocatum, circa quem Richardus Rex frater ejus, *proprium egregiè declaravit affectum*, ut narrat Neubrigensis lib. 4. cap. 3. *Nam præter paterna in Hibernia adquisitionis plenitudinem, & Comitatum in Normannia Moretanensem, de quibus sc. paternam donationem ratam habuit: in regno Anglorum tanta illi adjecit, ut quasi Tetrarcha videretur. Denique Cornubiam, Devenesiram, Notegamsiram, & Loncastrum, cum adjacente provincia, atque alia plurima de Regio Dominio contulit, & nihilominus illi Glocestrensis Comitis filiam propriam, sc. in quarto gradu consobrinam, cum integritate juris paterni, quod esse amplissimum noscitur, minus quidem legitimè, & plus justo provisione desponsdit. Verùm hac in ejus fratrem immoderata atque improvida largitas; multa & gravia mala sequenti tempore peperit, & profusum largitorem profunda pœnitudine castigavit. Indulta enim Ioanni Tetrarchia fecit eum ambire monarchiam, unde & factus est de cetero fratri infidus, & ad ultimum manifestè infestus*, ut tam ipse Neubrigensis, quàm alii Historici Anglici passim narrant.

VI. *Gesta in Oriente inter Crucesignatos & Saladinum.* Ad num. VIII & seq. Agit Baronius de collectione decimarum Saladinarum, quæ eò minus differenda videbatur, quò *Saladinus* victorias suas prosequi conabatur. Anno superiori, uti narrat Nangius in Chron. Tyrum iterum impugnavit terra & mari, sed Conrado Marchione Montisferrati urbem validè propugnante, Saladinus *terra & mari à Marchione devictum recedit inglorius.* Hoc verò anno Nangius scribit: *Ravennensis & Pisanus Archipræsules cum multo Italorum agmine transfretantes, & Tyrum appulsi, Tyrensibus fuunt non modicum adjumentum.* Post aliqua interposita: *Erachium quoddam castrum duobus annis à Turcis obsessum Salahadino redditur* (certis sc. conditionibus) *& propter hoc Eufridus de Turone, qui in vinculis tenebatur, liberatur: pari facto Magister Templi Gerardus absolvitur, & pater Marchisii* (Conradi nempe Marchionis Montisferrati) *cum cambio cujusdam captivi Gentilium liber abscedit. Cùm multa millia Christianorum apud Tyrum & Tripolim applicuissent Guido Rex Jerosolymorum eos Accon* (seu Ptolemaidem totius Barbarici Imperii munimentum) *petere & obsidere fecit, quibus Salahadinus occurrit ut succurrat obsessis, & impetat obsessores: cumque nostri hostium assultus ferre non possent, valla & aggeres in gyro castrorum facientes, tutiores pugnam acerrimam cum hostibus pertulerunt; & sic in obsidione longo tempore commorantes, multi morbo dissenteria perierunt, siquidem à facie & à tergo hostilis eminebat obsidio: & aëris intemperies tanta fuit, ac inundatio pluviarum, ut præ nimia humectatione cibaria corrupta deperirent; unde miranda & perpetuo veneranda virorum illorum constantia, quæ tot malis obsita non defecit, sed permansit infracta.*

SÆC. XII. An. C. 1189. VII. *Mors Sybillæ Reginæ Ierosolymitanæ.* *In hac obsidione defungitur Regina Jerusalem Sybilla cum quatuor filiis, quos de Rege Guidone marito susceperat, & habebat solummodò. Post cujus obitum Guido Rex jus regni perdidit, & ad sororem Reginæ nomine Izabellam uxorem Eufridi de Turone obvenit, sed ab Eufrido separata, quia eam ante nubiles annos, & contra voluntatem suam duxerat, Marchioni Conrado uxor tribuitur, qui hoc modo regni Jerusalem obtinuit Principatum.* Quæ diversis annis gesta uno tenore recitat Nangius.

VIII. *Fridericus proficiscitur.* Ad num. X. *Exercitus Christianorum*, inquit ad hunc annum Chronographus Reicbersper-gensis, *magnus valdè & fortis de multis regnis & diversis regionibus congregatus, viam sancti Sepulchri aggressus est. Dominus Imperator, & filius ejus Dux Alamanniæ* (Conradus appellatus) *cum multis Principibus regni, Episcopis videlicet ac Ducibus, Marchionibus & Comitibus cum magna multitudine populi per Ungariam & Græciam iter suum direxerunt statim post transactos dies Paschæ, quod evenerat in V Idus Aprilis, ipso Imperatore navali itinere in Danubio descendente à Patavia, in prima die Rogationum, hoc est in Idibus mensis Maii. Episcopus quoque Pataviensis Dominus Dietpoldus cum Fratribus suis quibusdam Canonicis videlicet præcipuis ac majoribus de choro Pataviensi, huic viæ & labori Imperatoris se strenuè pro Domino & pro redemptione animæ suæ junxit.* Recitat postea Chronologus literas Dietpoldi Pataviensis Episcopi ad Luipaldum (seu Leopoldum) Ducem Austriæ datas, in quibus narrat exercitum intrantem *Bulgariam* male habitum fuisse à Bulgaris; Imperatorem Græcorum & fratrem ejus, necnon & exercitum eorum semper tentasse eos circumvenire: eumdem Imperatorem in literis, quas tribus vicibus *Friderico Imp.* misit, nomen ejus tacuisse, nec eum Imperatorem vocasse, & *Fridericum* Legato Græcorum ad se misso significasse, de utero se literas Imperatoris Græci non recepturum, nisi solemnitas nominis sui expressè in eis contineretur. Subdit Dietpoldus: *Exercitus in tribus locis se recepit. Græci hæreticos nos appellant; Clerici & Monachi dictis & factis maximè nos persequuntur.* Scripta hæc Epistola *circa diem III Idus Novemb.*

IX. *Canonizatio Sancti Ottonis Apostoli Pomeraniæ.* Ad num. XIII. *Sanctus Otto* Bambergensis Episcopus, de cujus in Pomerania prædicatione suo loco egimus, à Clemente III in Sanctorum numerum relatus literis datis *Laterani III Kalendas Maii, Pontificatûs ejus anno secundo*, à Baronio recitatis. Præter Anonymum, qui paucis post hujus Sancti Præsulis mortem annis Vitam ejus elucubravit, cujus mentionem fecimus anno MCXXIV, Andreas Abbas, postea Bambergensis Episcopus aliam hujus primi Pomeranicæ gentis Apostoli Vitam composuit circa annum Domini MCCCCLVII, in qua multa leguntur de fanis & simulachris sive idolis ejusdem *Gentis*, quæ omnia & singula *Sanctus Otto* pio zelo destruxit, cùm ibidem ad populum illum ad Christianam fidem convertendum versaretur. Ait idem Andreas, Abbas Monasterii Sancti Michaelis prope Bambergam, in fano Stetinensi fuisse simulachrum triceps, quod in uno corpore tria capita habebat, quodve *Sanctus Otto* destruens, ipsa capitella sibi cohærentia, corpore comminuto, secum inde pro trophæo asportavit, & postea Romam pro argumento conversionis Pomeranorum transmisit.

SÆC. XII. An. C. 1189.

X. *Moritur Guillelmus II Siciliæ Rex.*

Ad num. XIV. Joannes de Ceccano in Chron. ait, hoc anno *mense Novembri* Guillelmum II Siciliæ Regem obiisse. Eumdem mensem notavit Richardus de Sancto Germano Auctor Chronici ab hoc anno ad annum MCCXLIII perducti, & ab Ughello Tom. III Italiæ Sacræ publicati. Dies emortualis Guillelmi II notatur in antiquo Necrologio Casinensi à Caraciolo edito, in quo mors ejus inscribitur ad *XVI Kal. Decembris.* Quæ in morte ejus contigerint, narrat Chronographus Aquicinctinus hoc modo: *Obiit Willelmus Rex Apuliæ* (idest, Rex Siciliæ & Dux Apuliæ) *Christianorum transmarinorum protector & defensor, absque hærede: qui congregatis totius regni sui Principibus, hæredem regni designat Henricum Regem, filium Friderici Imperatoris, qui ejus amitam* (nempe Constantiam filiam Rogerii Siciliæ Regis, & Willelmi II avi) *habebat in conjugio. Qui omnes cum sacramento fide interposita promiserunt, sua prædicto Regi colla submissuros. Post mortem verò Regis Willelmi, fidem & sacramentum quod fecerant parvipendentes, quemdam Tancredum ex semine Regio sibi Regem creaverunt.* Loquitur & de morte Guillelmi Siciliæ Regis, & de malis quæ per illam accidêre, Neubrigensis lib. 3. cap. 17. atque, ejus religiosa & potenti operâ Christianitatis in Syria reliquias potissimùm conservatas fuisse: *Quas profectò,* subdit, *ab initio desolationis competentibus subsidiis sublevare curavit: cùm nec à regnis remotioribus quicquam possent percipere, & Saladini ob recentem victoriam vehementiùs excandesceret feritas. Et quidem illius sublatio tolerabilis utcumque fuisset, nisi post eum exitialis de regni successione altercatio emersisset, qua nimirum regiones clarissimæ ita inebriatæ sunt, & desolatæ, ut Christianis in Syria laborantibus nihil posset exinde solatii juxta morem pristinum ministrari.*

XI. *Tancredus eligitur Rex Siciliæ.*

Tancredus iste, inquit Joannes de Ceccano in Chron. ad annum MCXC, *Ducis Rogerii filius fuerat naturalis, cujus Pater Rogerius primus in regno Siciliæ Regis fortitus est nomen; & hac de re quia hunc tenebat titulum, quod stirpe Regia descendisset, inter alios Comites est electus in Regem.* Subsecutam etiam dissensionem & turbationem declarat his verbis Richardus de Sancto Germano: *Nulli eorum* (nempe Regni Comitum) *fuit æqua voluntas. Omnes inter se cœperunt de majoritate contendere, & ad regni solium aspirare; & obliti jurisjurandi quod fecerit eorum quilibet, contrà facere anhelabat. Factum est autem, ut cum fatis complicibus, ne pars Archiepiscopi* (nempe Panormitani) *prævaleret, Cancellarius obtinuerit in hac parte, & tunc vocatur Panormum Tancredus Comes Licii, Romana in hoc Curia dante assensum, est per ipsum Cancellarium* (Matthæum nominatum) *coronatus in Regem*, ut anno sequenti, quo ea coronatio peracta, videbimus.

Anno Æræ Hispan. MCCXXVIII. Anno Hegiræ DLXXXVI. inchoatus die 8 Febr. fer. 5.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6683.

☉ 23. G. ☽ 13. P. 25. Mart. Indict. 8.

JESU CHRISTI 1190.

CLEMENTIS III PAPÆ 4.

HENRICI VI REG. 1.

ISAACII ANGELI IMP. 6.

I. *Philippus Franciæ &* *Richardus Angliæ Reges pergunt in Orientem.*

ANnm. I ad V *Richardus* Angliæ Rex in Orientem profecturus, in Sicilia aliquo tempore substitit, uti accuratè narrat Baronius ex Rogerio Hovedeno, qui cùm de Philippi Augusti Franciæ Regis in eadem insula commoratione verba non faciat, hîc nobis ejus narratio ex Rigordo in Philippo Augusto supplenda: *Anno Domini MCXC in festo S. Joannis Baptistæ Philippus Rex ad Ecclesiam beatissimi Martyris Dionysii cum maximo comitatu venit, causâ licentiam accipiendi. Consueverant enim antiquitùs Reges Francorum, quod quandocumque contra hostes arma movebant, vexillum desuper altare B. Dionysii pro tutela seu custodia secum portabant, & in prima acie pugnatorum ponebant. Quod videntes adversarii, & cognoscentes territi, multoties terga dederant. Ideo Christianissimus Rex ante corpora SS. Martyrum Dionysii, Rustici & Eleutherii, humiliter super pavimentum marmoreum in oratione prostratus, Deo & B. Virgini Mariæ & SS. Martyribus, & omnibus Sanctis se commendavit. Tandem cum lachrymis ab oratione surgens, sportam & baculum peregrinationis de manu Guillelmi Remensis Archiep. avunculi sui Apostolicæ Sedis Legati devotissimè ibidem accepit. Deinde desuper corpora Sanctorum duo standalia decenter insignita pro memoria SS. Martyrum & tutela, contra inimicos crucis Christi pugnaturus propriis manibus accepit. Demum orationibus Fratrum se commendans, acceptâ benedictione clavi & spinea corona, & S. Simeonis brachii, recessit, & feriâ IV post octavas S. Joannis Baptistæ cum Rege Angliæ Richardo apud Viseliacum venit.*

II. *In Siciliam veniunt.*

Ubi acceptâ licentiâ ab omnibus Baronibus suis, Adelæ charissimæ matri suæ (Elizabeth enim uxor ejus *Idibus Martii* hujus anni obierat, ut jam retulerat Rigordus), *& Guillelmo Remensi Archiep. avunculo suo* (Adelæ sc. fratri) *pro tutela & custodia totum regnum Francorum cum filio suo dilectissimo Ludovico commendavit. Et paucis evolutis diebus apud Januam venit, ubi naves & ea, quæ erant victui necessaria, cum armamentis diligentissimè parari fecit. Richardus autem Rex Angliæ apud Massiliam cum omnibus suis mare intravit. Et sic jam dicti Catholici Reges pro sancta Christianitate defendenda, & propter amorem D. N. J. C. ventis & mari se committentes, cum multis & magnis periculis apud Messanam venerunt. Sed antequam Rex Philippus de regno Francorum exiret, Parisius convocatis amicis & familiaribus testamentum condidit, & regni totius ordinationem fecit.*

III. *Anno sequenti in Syriam pervenere.*

Recitato illo testamento ait Rigordus: *Quando Rex Philippus apud Messanam venit mense Augusto, honorificè receptus est in Palatio Regis Tancredi, & de victualibus suis abundanter ei donavit, & infinitam auri summam ei dedisset, si unam de filiabus suis ei, aut filio suo Ludovico desponsasset. Sed Rex Philippus propter amicitiam, quam erga Henricum Imp. habebat, utrique desponsationi supersedit. Postmodum contentio quædam, quam Rex Angliæ pro dotalitio sororis suæ* (Joannæ appellatæ) *cum Rege Tancredo habebat, interventu & labore Regis Philippi hoc modo terminata est,* &c. Narrat posteà tractationem habitam inter duos Reges Franciæ & Angliæ, qui cùm inter se non convenirent, cœptæ oriri inter utrumque inimicitiæ. *Rex autem Francorum Philippus cum summo desiderio volens iter perficere quod inceperat, Martio mense mare intravit, & revolutis paucis diebus, prosperis ventis, cum omnibus rebus suis, vigilia Paschæ Accon applicuit,* anno sc. sequenti.

Ad

SÆC. XII. An. C. 1190. IV. *Virtutes Joachimi Abbatis.* Ad num. V. Florebat, ut jam diximus, in Calabria *beatus Joachimus*, fundator Ordinis Florensis, ita appellari quòd primum monasterium in loco *Floris* dicto constructum sit. Is à quibusdam Sanctus, Doctor ac Propheta, à quibusdam verò illusor, hypocrita & pseudo-Propheta dictus, adeo de eo variæ fuêre sententiæ. Verùm in eo Prophetiæ Donum comprobavit eventus, sanctitatem, miracula, doctrinam libri, ut pluribus Auctoribus in medium adductis, & ejus Vitâ accuratè examinatâ ostendunt Manricus in Annal. Cisterc. Tom. I & II, & Papebrocius in Actis SS. Bollandianis ad diem XXIX mensis Maii, quo eam Vitam notis illustravit. Lucas Archiepiscopus Consentinus, seu melius Cusentinus in Calabria citeriori, ipsius Beati olim Scriba familiaris refert, se eum vidisse *anno secundo Pontificatûs Lucii Papæ*, ut legere est in prævio Commentario Papebrocii §. 3. subditque: *Tunc coram eodem domino Papa & Consistorio ejus, cœpit revelare intelligentiam Scripturarum, & utriusque Testamenti concordiam: à quo & licentiam scribendi obtinuit, & scribere cœpit,* &c. *Mox verò, ut me cognovit intelligere aliquid, & Notarium esse Abbatis mei rogavit eum, ut me sibi concederet Scriptorem: quod & actum est, quia sibi nil Abbas Geraldus negare poterat; ita eum ferventissimè diligebat.* Refert postea se ministrasse ei celebranti Missam, & pietatem ejus esse miratum, cùm nonnunquam illum lacrymantem vidit tam in celebratione Missæ, quàm cùm in ea *Passio Dominica* legebatur. Varia habet de ejus vigiliis, sobrietate, castitate, constantia in oratione, & jejunii rigore; testaturque ejus meritis solutam sibi fuisse linguam, depulsam febrim & repressam intempestivi potus appetentiam.

V. *Ejus miracula & annus emortualis.* Certè in loco ubi mortuus & primùm humatus fuit, arserunt aliàs lampades, & in monasterio *Floris* simili honore cultum fuit novum ejus sepulchrum, ad quod auxilii causâ, tum energumenos, tum alio quocumque morbo laborantes accedere solitos & juvari, plura exempla manifestant. Abbates & Monachi Ordinis Florensis anno MCCCXLVI in Monasterio Florensi congregati unum ex suis Romam misêre, qui peteret, Episcopos delegari qui inquirerent de Miraculis in vita & post mortem à Joachimo factis. In hoc usque seculum sepulchrum ejus veneratum fuit visitantium concursu, & celebratum miraculis. *Jacobus Graecus*, Monachus Florensis Patriâ Calaber, qui hujus seculi initio Vitam beati viri ex variis monumentis collegit, mortem ejus usque ad annum MCCXIV perperàm distulit. *Gregorius* enim *de Lauде* seu de Lauro, Ordinis Cisterciensis, qui Apologiam ejus edidit, detexit ex Actis publicis eum anno millesimo ducentesimo secundo ad cœlestem patriam migrasse, quod confirmat laudatus Lucas Consentinus Archiepiscopus, dicens quod ob singularem beati Joachimi devotionem, qua erga quindenam Dominicæ Passionis afficiebatur, *fortè ei datum sit, ut in Sabbato, quo* SITIENTES *cantatur, mortalis vita dolore arderet; & verum adeptus Sabbatum, ut cervus ad fontes properaret aquarum*; Gregorius autem de Lauro inquit, se in pervetustis *Floris* monasterii manuscriptis reperisse *Joachimum* die XXX mensis Martii ad æternam felicitatem transmigrasse, & anno MCCII sabbatum Dominicam Passionis præcedens, quando introitus Missæ incipit, *Sitientes venite ad aquas*, incidit in diem XXX Martii, ut methodus cyclica ostendit. Quare Albericus in Chron. annum à Paschate incipiens mortem ejus conjungit cum anno MCCI, sicuti & Auctor Magni Chronici Belgici qui Albericum exscripsit pag. 210. SÆC. XII. An. C. 1190.

VI. *Variæ prædictiones.* *Joachimum* varia spiritu prophetico prænunciasse quæ postea evenêre, certis exemplis demonstrant Manricus & Papebrocius, indeque contigisse, ut aliquas fictitias prorsùs atque inanes prædictiones quidam ei adscripserint, quarum nugacitas effecit, ut suspensi hæserint viri etiam sapientissimi, quo loco sc. haberent *Joachimum*, vel quid de spiritu illius statuerent. Nec longè nobis exempla petenda; cùm Rogerius Hovedenus in Annal. parte posteriori pag. 681. loquens de rebus hoc anno gestis scribat, quod anno MCXC *Richardus Rex Angliæ*, cùm Philippo Rege Franciæ Messanæ agens, donec in Terram sanctam transmitterent, *audiens per famam & multorum relationem, quod quidam vir religiosus erat in Calabria dictus Joachim Abbas de Curatio, de Ordine Cisterciensi, habens spiritum propheticum, & ventura populo prædicabat, misitque pro eo, & libenter audiebat verba prophetiæ ejus: eruditus enim vir erat in Scripturis divinis, & interpretabatur visiones B. Joannis Evangelistæ, quas ipse Joannes narrat in Apocalypsi, in quibus audiendis Rex Angliæ & sui multum delectabantur.* At, ut rectè Papebrocius laudatus §. 6. insanus sit, qui existimet, *Joachimum* ibi aliter Apocalypsim explicasse, quàm fecit in eo quod jam super Apocalypsim scripserat Opere, quod etiamnum extat. Interim quispiam ex iis, qui in aula videri volunt omnia scire & nosse, totius velut doctrinæ synopsim perscripsit in Angliam, qualem post citata verba Hovedenus transcripsit; addens (quod nusquam vel per umbram in Joachimi Operibus legitur, sed potius contrarium) *Saladinum*, qui tunc Jerosolymam occupabat, in proximo illam perditurum.

VII. *Falsa quædam ei prædictiones affictæ.* Quia verò tum fama spargebatur, consultantibus de successu expeditionis Regibus *Joachimum* respondisse, *quod nondum adesset tempus recuperandæ Jerosolymæ, adeoque Christianis non multùm essent ea expeditione profuturi*, id ne in Angliam delatum examinaret populus, finxêre Aulici assentatores Joachimum à Rege interrogatum, quando futura essent illa de Saladino, respondisse; *quando septem anni elapsi erunt à die captivitatis Jerusalem*, adeoque anno MCXCVI, cùm urbs anno MCLXXXVII expugnata fuerit. Ad hæc subintulisse Regem: *Ergo quare venimus huc tam citò?* cui Joachim responderit; ut videre est apud Hovedenum: *Adventus tuus valde necessarius est: quia Dominus dabit tibi victoriam de inimicis tuis, & exaltabit nomen tuum super omnes Principes terræ.* Quod putum putum esse commentum Joachimo affictum ad spem bonam Anglis immittendam, nemo dubitabit, qui infelicissimam fortunam *Richardi* Regis, in ea expeditione victi, captique, conferre vellet cum indubitata *Joachimi* sanctitate, qua nollet Regem in tanti momenti negotio falsæ revelationis prætextu decipere. Sic cùm *Joachimus* cap. 13. super Isaiam prædixisset, duos Religiosus Ordines jam jam in Ecclesia nascituros sub *SS. Dominici & Francisci* Ducatu; finxêre aliqui, priusquam Sancti ipsi Institutores nascerentur, *Joachimum* eorum imagines in habitu,

quem

quem Religiosis quique suis daturi erant, pingi curavisse Venetiis in Templo Sancti Marci; cùm tamen, ut inquit Papebrocius §. 8. constet, *Sanctos Dominicum* anno MCLXX; *Franciscum* verò anno MCLXXXII, natos esse, & Templum D. Marci, ut colligitur ex Historia Veneta Petri Justiniani lib. 2. *majori ex parte instructum, instauratumque fuisse opibus Sebastiani Zani, qui ducatum* non iniit ante annum MCLXXI, & anno regiminis VIII *excessit è vita, cùm priùs omnes fortunas opesque suas, quæ amplissimæ erant, in pias causas distribuisset*. Quis autem dubitet, quin pluribus annis fuerit in ea mole laboratum, antequam ad ornatum interiorem, qui ultimus esse solet, curandum deveniretur? ut consequens sit, Templum, quod Sancto Dominico nascente viz inchoatum erat, Sancto Francisco in lucem prodeunte necdum eo fuisse perductum, ut ejus ibi imago posset à Joachimo collocari. Quare huic commento Wadingus in Apparatu ad Annales Min. §. 2. num. VI fidem adhibere non debuit.

VIII. *Quod viris Doctis errandi causa fuit.* Baronius relato *Joachimi* cum *Richardo* Angliæ Rege colloquio ex Rogerio Hovedeno, subjungit: "Auctor ipse, qui tunc scribebat, veritatem ab eventu jure fore noscendam asserens, "ex eo planè longè diverso ab ipsa prædictione convicit, toto cœlo *Joachim* pseudo-Prophetam fuisse. Quando autem sententiam "condemnationis acceperit ipse & ejus scripta "sub Innocentio III, suo loco dicendum erit. Ita Baronius. Sed ex iis, quæ tam hoc anno, quàm anno MCLXXXVIII in medium attulimus, hæc omnia planè corruunt, constatque *Joachimi* quidem Libellum *de Trinitate* damnatum fuisse, sed eum virum Catholicum, & Sanctæ fidei orthodoxæ sectatorem declaratum. Hinc Papebrocius laudatus §. VI eam objectionem non aliis verbis solvit, quàm optando, ut ad Annales Ecclesiasticos prosequendos ulteriùs vita & otium *Baronio* suffecissent: "vix "enim, inquit, dubitamus, quin pro sua ingenuitate emolliisset sententiæ præcipitatæ rigorem: ut enim tum ex ipso Concilii decreto, "tum ex Pontificum consequentium Bullis cognovisset, unicum duntaxat, qui sub nomine "*Joachimi* ferebatur, libellum fuisse damnatum, "idque citra prætitulari Auctoris notam; ita fortassis etiam ad ipsam *Apocalypseos* Expositionem legendam aliquando applicuisset animum, "agnovissetque quam falsis præjudiciis plerique "ejus accusatores nitantur. Hæc Papebrocius.

IX. *Lapsus Auctoris Vitæ S. Thomæ de Joachimo loquentis.* Nec etiam aliquem movere debet quod legitur in Vita Sancti Thomæ de Aquino Religiosi Ordinis Sancti Dominici, vulgò attributa *Guillelmo de Thoco* ejusdem Instituti, recitata à Bollando ad diem VII mensis Martii pag. 655. In ea num. XXI sermo est de Fraterculis, diciturque: *Quia ex dictis Abbatis Joachim prædicti hæretici fomentum sumunt præfati erroris pestiferi, prædictus Doctor* (sc. S. Thomas) *in quodam monasterio petivit librum præfati Abbatis, & oblatum totum perlegit, & ubi aliquid erroneum reperit, vel suspectum cum linea subducta damnavit, quod totum legi & credi prohibuit, quod ipse suâ manu doctâ cassavit*. Nam, ut ait Papebrocius laudatus §. VIII ea linearum subductione Sanctus Doctor, minus cognitam habens *Joachimi* sanctitatem ob plurima figmenta, quæ ei imputabantur, & ex quibus aliqua memoravimus, solum monere voluit ejusmodi loca cautiùs esse legenda, quia ipsis perperam acceptis prædicti hæretici abutebantur. Quare præfatus Guillelmus videtur animo præoccupatus fuisse, cùm ea linearum subductio leniùs accipienda foret, ut fusiùs idem Papebrocius.

X. *Alter ejusdem Auctoris lapsus.* Juvabit hîc obiter observare dubitandi locum esse, an Guillelmus istius Vitæ Scriptor fuerit; cùm id tantum tueris conjecturis adstruatur, constetque ex ea ipsum anno MCCCXIX collaborasse, ut fieret processus canonizationis Doctoris Angelici, quæ postea anno MCCCXXIII peracta fuit. Nam eo tempore Doctor Subtilis Scholam suam habebat, sicuti Doctor Angelicus, & tamen in ea Vita num. XVII dicitur: *Est omnibus manifestum, quod in toto mundo inter fideles Catholicos in Philosophia & Theologia in omnibus scholis nihil aliud legitur, quàm quod de ejus scriptis hauritur: quamvis multi alii Magistri ejus stylum scribendi, quo potuerunt studio, imitantes, quasi ex ejus* (sc. S. Thomæ) *scriptis clavem habentes scientiæ, ingressi sunt Divinorum secreta cellaria: & multa volumina scripserunt, suum exercitantes studium supra positum dicti Doctoris fundamentum: Divina dispensatione mirabiliter permittente, ut quicumque ab hujus Doctoris scriptura volunt divertere, contingat eos aut in fide, aut moribus aberrare*. Quod verè dici non potuit à Guillelmo de Thoco; cùm anno MCCCXX schola Scotistarum jam viguerit, ut manifestè ostendit Codex MS. Francisci Mayronis Joannis Scoti discipuli in primum librum Sententiarum, qui asservatur in Bibliotheca Conventus nostri Cæsennæ manuscriptis divitis à me aliàs lectus, in illius enim codicis fine legitur: *Explicit lectura super primum Sententiarum Fratris Francisci Mayronis de provincia Provinciæ, Ordinis Fratrum Minorum reportata sub eo Parisiis, anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo*. Præfatum Opus, cujus initium, *Attendite popule meus legem meam*, &c. nondum lucem vidit, nec ejus apud Wadingum in lib. de Script. Minorum mentio. Quare cùm *Mayronius* tam in illo Codice, quàm in aliis omnibus libris Theologicis in lucem editis doctrinam Scoti propugnaverit, liquet scholam Scotistarum jam ab eo saltem anno floruisse. Cùm verò Joannes XXII Papa anno MCCCXXII, ut eo anno num. XXII & seq. apud Wadingum videre est, Cancellario Academiæ Parisiensis mandarit, ut *Mayronium*, qui in Parisiensi studio more Baccalaureorum legendo solitum cursum perfecerat in lectura, Magistrali honore donaret, apparet eum ante Doctoratum Reportata sua legisse.

XI. *Antiquitas Scholæ Doctoris Subtilis.* Præfato tempore Scholam Scotistarum jam institutam fuisse, ex ipsomet Mayronio in suis Quæstionibus Quolibetalibus, quas apud me habeo in Codice vetustissimo MS. in quo plures quæstiones continentur, quàm in Quolibetis editis, demonstrari potest; in quæstione enim XIV hactenus non edita, quæ est *Utrum in divinis sint duæ emanationes seu duæ* productiones, ait Mayronius: *Ponitur ratio Doctoris nostri, quæ demonstrare videtur*, &c. ubi Scotus, qui vocatur à Guillelmo Okamo ejus discipulo *Doctor Ordinis*, à Mayronio DOCTOR NOSTER appellatur. Quæstiones autem illas à Mayronio scriptas esse ante canonizationem Doctoris Angelici patet ex quæst. XVII etiam inedita, quæ est *Utrum gratia gratum faciens sit composita ex genere & differentia sicut ex partibus quidditativè distincta*, in qua citat *Fratrem Thomam de Aquino*,

no, & Fratrem Bonaventuram, argumento manifestu Doctorem Angelicum tunc nondum Sanctorum honoribus exornatum fuisse. Præterea in eadem Quæstione Mayronius loquens de distinctione inter essentiam & relationes divinas, ait in studio Parisiensi actum fuisse *de pace inter duas Scholas* (nempe Thomistarum & Scotistarum), additque dixisse se *quod inter istas Scholas erat perfecta pax secundum ista, quia positionem de rationibus formalibus, de qua fuit longa concertatio, iste socius* (cum quo disputaverat) *manifestissime declarabat, ponendo plures rationes diffinitivas, &c. & tunc ex dictis suis eliciebam quatuor conclusiones, in quibus solet impugnari* SCHOLA NOSTRA, &c. Ex quibus necessariò sequitur, aut Guillelmum de Thoco non edidisse Vitam Sancti Thomæ ipsi adscriptam, aut eum non verè scripsisse tempore, quo prosequebatur canonizationem Doctoris Angelici, anno nempe MCCCXIX, *in toto mundo inter fideles Catholicos in Philosophia & Theologia in omnibus Scholis nihil aliud* legi, *quam quod de ejus scriptis* hauriretur. Certum quidem videtur doctrinam Doctoris Angelici ante annum MCCC communiter à Professoribus lectam fuisse; sed postquam anno MCCCIV Joannes Scotus lauream Doctoratûs Parisiis accepit, quamplurimi ejus doctrinam professi sunt, tandemque ut quàm tardissimè ante annum MCCCXX Theologia & Philosophia in duas scholas divisa fuit. Vivebat adhuc *Mayronius* anno MCCCXXVII, ut constat ex Instrumento authentico in fine Sermonum divi Antonii Paduani *de Sanctis*, à me publicatorum, recitato, mortuus Placentiæ anno incerto. Quibus suppleri possunt Annales Ordinis Min. à Luca Vadingo compositi, quem scholæ Scotistatum antiquitas latuit. Hic obiter Lectorem monebo me in eorumdem Sermonum calce publicasse *Testamentum S. Ludovici Episcopi Tolosani*, ex eoque demonstrasse Summam Theologicam, cujus in eo mentio, genuinum fœtum esse Doctoris Angelici.

XII. *Fridericus Imp. in Orientem proficiscitur.* Ad num. VI & seqq. Chronographus Reicherspergensis refert expeditionem Friderici Imp. in Orientem, ubi mortuus est, ex *Tagenone* Paraviensis Ecclesiæ Decano, qui Imperatorem comitabatur, & singula notavit; prolixitatis tamen vitandæ gratiâ minus necessaria prætermittam: *Pars illa exercitus nostri, quæ hyemaverat apud Philippopolim secuta est dominum Imperatorem Arianopolim* (legendum Adrianopolim) *XVII Kal. Febr. & venit Constantiam ea die, qua cantabatur*, "Circumdederunt me gemitus mortis,, *hoc est in XII Kal. Febr. Venit autem Adrianopolim ad Imperatorem VIII Idus Febr. XVI Kal. Martis venit Nuncius Imperatoris Græcorum* (Isaacii Angeli) *ferens finalem & præcisam pacis compositionem ad Dom. nostrum Imperatorem. XIII Kal. Martis venerunt Nuncii Soldani & filii ad Dominum Imp. apud Adrianopolim morantem, bonam portantes legationem. VI Kal. Martis habuerunt peregrini nostri ventum intolerabilem & frigus asperrimum apud Adrianopolim: inde tunc missi sunt nuncii, qui explorarent securitatem transitus brachii* (nempe Sancti Georgii). *III Kal. Mart. venerunt Imperatori obsides Græcorum, quos expetierat ab eis Imperator* (nempe Fridericus. Narratis aliquot stationibus subditur: *districtum Turcorum intraverunt. Qui cum omni humanitate & hilari vultu eos excipientes forum* (idest, commeatum seu cibaria ad alendum exercitum) *pro posse exercitui ministraverunt. Tunc accesserunt ad campos Laodiciæ, quæ sita est in pede cujusdam altissimi montis ultra quam Ephesus est, ubi bonum forum habuerunt: ibique dicebatur Rex Franciæ Ludovicus* (hujus nominis VII) *quondam devictus fuisse à Turcis; & Dominus Otto Episcopus Frisingensis in expeditione Chunradi Regis* (sc. Germaniæ).

XIII. *Fridericus multum patitur in itinere.* *Inde intraverunt quædam desertissima loca Turciæ, &c. Sequenti mane invenerant eos mala mille seculis inaudita; nam Turci equites & pedites sine intermissione jaculis & incursationibus vexaverunt eos, &c. Inde VI Nonas Maii iterum persecutores Crucis Christi ceciderunt ad trecentos: & nostri in maximo defectu fuerunt. Quinto Non. Maii plusquam triginta millia Turcorum in quadam arctissima clausura convenerant, per quam transituri erant nostri: ubi Imperator Græcorum Emmanuel cum magno exercitu destructus fuit, ut nostros eodem modo interimerent, &c. Sequenti die Turci circumvallaverunt eos, & die ac nocte sagittis & incursationibus acriter infestaverunt. VI Nonas Maii validissima fames cœpit esse in exercitu, & nuncii Soldani recesserunt fraudulenter ab eis captivato Gotefrido. Tunc liquidò cognoverunt quod aurum Soldani & amicitia ipsius versuta fuit in fictam: & quod ipse & Græci in hoc convenerant, quod fraudulenter interimerent eos, quia vi non poterant, &c.*

XIV. *In gratiam recipit Henricum Leonem Ducem Saxoniæ.* *His etiam diebus in regno Romano Heinricus Dux Saxoniæ filius magni Ducis Heinrici, & nepos Lotharii Imperatoris ex filia, qui jam per decem ferè annos gratia Imperatoris Friderici & regni, indeque Ducatu Bawariæ etiam caruerat, pacificatus est cum Rege Romano* (Henrico sc. Cæsare) *filio Imperatoris, & in gratiam regni receptus est solemniter in Curia ejusdem Regis, quæ habita est post dies Paschæ, quod evenerat in VIII Kal. Aprilis.* (Ex isto Henrico cognominato Leone exorta familia Ducum Brunsvicensium). *In Nonis Maii Turci existimantes nostros omninò inedia extabuisse horâ vespertinâ, castra eorum fundis, jaculis, lanceis potenter invaserunt; sed exercitus vivificæ Crucis incursationibus ipsorum viriliter occurrit, &c. VI Idus Maii audierunt nostri tubam Soldani, & vexillum ipsius viderunt, sicut referebat Turcus ductor eorum, qui captivus ducebatur ab eis, &c. In Idibus Maii sicut prædictus itinerantes, aquam in palustribus locis invenerunt. Hic in locis illis paludosis equi eorum aliquantulum refocillati fuerunt, &c.*

XV. *Pars ejus infortuniorum tantum narratur.* *Dominus itaque Imperator, quia rei pro vita videbatur astitari, tametsi occultè aliquantulum anxiabatur de castris crastina die, quæ & habere proposuit in feriali horto & viridario Regali Soldani, &c. mane facto XVI Kal. Junii, auditis Missarum solemnitatibus, & accepta communione in nomine Domini, valde paulatim, ita etiam, quod multi debiles & infirmi sustinerent admodum tardè æquè processimus, &c.* Reliqua prætereo, ut veniam ad mortem Friderici Imp. *Sequenti die V Idus Junii, cum maximo labore ad hospitium venimus: & exercitus propter incredibilem viæ difficultatem, non servata consuetâ progressione nec expectatis Principum & societatum vexillis, unusquisque pro posse suo alium ante ire attentabat. Et nocte illa major pars exercitus quemdam altissimum montem in littore præfata aqua protensum transivit. Obscuritas enim noctis impedivit quod multa prærupta semitella pericula non poterant videri,*

videri, qua in die iter nostrum sequentes multùm terruerunt; & secundum relationem ipsorum in maximis angustiis eos fuisse intelleximus, &c. *Ibidem miserabile erat spectaculum, quomodo laudabilis, & bene remuneranda eorum, qui scutiferi decuntur, sedulitas, dominorum suorum debilitatem in sua debilitate in sudore vultuum suorum per montem illum portaverunt. In descensu montis herbarum reperta abundantia, prandium sumentes aliquandiu quieverunt.*

XVI. *Moritur apud Seleuciam.*

Accidit autem, ut dominus Imperator, & qui cum illo erant, juxta consilium eorum qui indigenæ erant, volentes evitare periculum montis, quod præ oculis erat, dum aurora radios suos spargere cœpisset, in littore aquæ descenderunt, nec in minori labore fuerunt, quam illi qui per juga montis descenderant. Nam quidam Episcopi, & alii Principes præpotentes, relictis equis in quibusdam locis, ubi aqua à dextris, præcipitium montis à sinistris periculum exitiale minabatur, manibus & pedibus, sicut quadrupedia reptabant. &c. *Exercitus qui præcesserat, ea die, hoc est IV Idus Junii, in campis Seleucia castra metatus fuit, & erat lætitia magna in populo; quia evaserant pericula multa*; &c. *Repentè autem & inopinatè gaudium eorum mutatum est in mœrorem; & versa est, heu, proh dolor, in luctum cithara eorum*. &c. *quia ibidem apud Seleuciam in illa die cecidit corona capitis nostri, & gloria decusque Imperii Romani periit. Imperator enim noster Fridericus Augustissimus, & omnium ferè Regum fortunatissimus, IV Idus Junii, ut dictum est, quod erat tunc Dominica dies, subitò debita mortis circa vesperum exsolvens, diem clausit extremum secundo anno peregrinationis suæ: anno autem regni sui quarto* (legendum, regni sui tricesimo nono) *Imperii XXXV. omnibus peregrinis, qui eum sequebantur inconsolabiliter lugentibus & flentibus.*

XVII. *Ejus exercitus dissipatur.*

Tunc sicut scriptum est, Percutiam Pastorem, & percutientur oves gregis; *sic in exercitu nostro factum est; percusso enim & amisso capite, idest Duce populi, ex magna parte dissipatus & dispersus est exercitus, quia dissoluta sunt manus eorum præ tristitia. Major tamen pars exercitus Ducem Sueviæ* (Conradum) *filium Imperatoris, & alios Principes secuta, post dies luctus Imperatoris XVIII Kal. Julii Tursam venit. Et ibi quidam mare intraverunt*, &c. *IX Kal. Julii venerunt Antiochiam*, &c. *ubi etiam ossa Imperatoris tunc primùm tumulata sunt à filio suo prædicto ante altare S. Petri. Dum autem essent Antiochia*, &c. *exercitus ille electissimorum militum, morte consumi cœpit; ita ut diatim multitudines morbo depasta caderent, intantum quod etiam non erat, qui sepeliret. Episcopi cum Clericis, Principes cum innumerabili multitudine electissimorum militum, mortem sui Principis secuti sunt.* Ita Chronographus Reicherspergensis ex *Tagenone* Pataviensis Ecclesiæ Decano, ut ibi ipsemet refert, qui anno sequenti scribit, *Conradum* Ducem Sueviæ obiisse *III Kal. Febr. apud Accon.* Friderico Imp. successit *Henricus* filius, qui jam Rex Germaniæ erat.

XVIII. *Concilium Rotomagense.*

Walterus de Constantiis Archiepiscopus Rotomagensis, post mortem Henrici II Anglorum Regis Concilium Rotomagi celebravit *anno ab Incarnat. Domini MCLXXXIX, tertio Idus Februarii, præsidente beatissimo Papa Clemente III, regnante gloriosissimo Rege Francorum Philippo, regente Normanniam invictissimo Rege Anglorum Richardo, præsentibus omnibus Suffraganeis, Abbatibus quoque quamplurimis*, multis etiam viris discretis & prudentibus, inquit Gussunvilla in fine Operum Petri Blesensis pag. 799. ubi illud recitat. Quare Concilium ad præsentem annum pertinet, annusque ille Incarnationis more Gallico adhuc in cursu erat usque ad diem XXV mensis Martii currentis anni. Neque enim mense Februario superioris Christi anni *Richardus* in Anglia & Normannia regnabat. Condita in eo Concilio capitula XXXII ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentia, cujus cùm nulla mentio sit in Collectione Conciliorum, in altera editione prætereundum non erit.

XIX. *Judæi mali in Anglia habiti.*

Multi per Angliam, inquit Radulphus de Diceto in Imag. Hist. pag. 651. loquens de gestis hoc anno, *tendere Ierosolymam properantes, prius in Judæos insurgere decreverunt, quàm invaderent Sarracenos. Igitur VIII Idus Febr. Judæi quotquot inventi sunt in domibus propriis apud Norwicum trucidati sunt; aliqui refugium habuerunt in castellum. Nonis Martii, tempore scilicet nundinarum apud Stanford occisi sunt multi. XVII Kal. Aprilis apud Eboracum, sicut dicitur, ferè quingenti neci traditi sunt, mutuis se vulneribus appetentes. Malebant enim à propria dente percuti, quam manibus incircumcisorum perire. XV. Kal. Aprilis, scilicet in Ramis Palmarum, sicut dicitur LVII jugulati sunt apud sanctum Eadmundum. Ubicumque reperti sunt Judæi manibus peregrinantium percussi sunt, nisi qui municipalium eruebantur auxilio. Necem Judæorum tam funestam, tam exitialem viris prudentibus placuisse credendum non est; cum Daviticum illud auribus nostris frequenter occurrat*, „Nec occidas „eos.

XX. *Heret Stephanus Tornacensis Episc.*

Obiit Everardus Tornacensis Episcopus; cui successit Stephanus, inquit Chronographus Aquicinctinus ad hunc annum. Idem habet Meyerus in Annal. Fland. hoc anno. Est hic Stephanus, qui ex Abbatia sancti Evurtii Ordinis sancti Augustini in urbe Aurelianensi posita translatus fuerat in Abbatiam Parisiensem sanctæ Genovefæ, quem per plures annos summa cum laude rexit. Hunc inter omnes Galliæ Præsules *Philippus Augustus* potissimum elegit, qui sponsoris, seu, ut aiunt, patrini officio in baptismate filii primogeniti *Ludovici*, qui postea in Gallia sub Ludovici VIII nomine regnavit fungeretur, ut liquet ex Epistola ejusdem Stephani CCXXXVII Ludovico Regis primogenito data. Claudius quidem du Molinet Canonicus Regularis Abbatiæ sanctæ Genovefæ, qui ab aliquot annis ejus Epistolas emendatiores edidit, & notis illustravit, in Vita ejus à se composita dicit, *Stephanum* anno MCXCII ad Episcopatum Tornacensem electum fuisse, sed gratis & sine teste. Eum tamen eo anno consecratum elicio ex Epistola ejus CCLXXXVII, qua declarat Abbatiam sancti Bartholomæi Noviomensis nullo jure teneri erga Episcopum Tornacensem: *Actum*, inquit, *anno Domini MCXCIV consecrationis nostræ anno tertio*, ab illo Christi anno, aut saltem ab anno MCXCI deducto. Idem Scriptor, passimque alii mortem ejus in annum MCCIII conferunt, sed nulla ad id probatione in medium adducta; certum tamen illum ad eum circiter annum pervenisse.

XXI. *Siciliæ bellis*

Tancredus Comes Licii, ait Anonymus Casinensis

SÆC. XII. An. C. 1190. *civilibus afflicta.*

nensis ad hunc annum, *qui apud Trojam cum quibusdam aliis juraverat fidelitatem Constantia uxori Henrici Regis Teutonicorum & filia quondam Regis Rogerii* (anno nempe MCLXXXV, quo Guillelmus II Siciliæ Rex hoc conjugium peregit) *Panormum vocatus à Magnatibus Curia de assensu & favore Romana Curia* (nempe Clementis III Germanis contrarii), *coronatur in Regem mense Januarii. Rogerius Andria & Richardus Calens Comites melius sua fidei memores cum quibusdam aliis Tancredo resistunt; sed differeate suprascripto Rege Henrico in Italiam venire, Tancredus Apuliam ferè totam, & terram Laboris sibi subjicit, cui etiam munitiones blanditiis Acerrarum Comitis cognati sui inducta se reddunt. Item Comes Acerrarum de Campania & regno collecto magno exercitu pro expugnandis Capuanis & Aversanis, terram sancti Benedicti aggreditur. Rex Henricus Henricum Testam cum exercitu mittit in regnum, qui per Amiternas & Teatinas eras intrans, plurima loca incendio, pradaque consumsit; qui junctus cum pradicto Comite Rogerio in Apuliam vadunt, locaque quam plurima depopulantur. Corittum capiunt, & incolas compellunt exulare; contra quos exercitus Tancredi munivat civitatem Arians, & loca vicina, metuentes bello campestri pugnare. Temonici verò aliquandiu eos obsidentes, tum æstatis fervore, tum penuria depressi obsidionem solvunt, & de regno exeunt. Comes Acerrarum invalescit; & supradictum Comitem Rogerium dolo ad concionem vocatum, fide rupta capit. Redit cum exercitu Capuam & Aversam; Capua se reddit improvido consilio, sicut semper usa, cùm jam Rex Henricus, cui favebat, appropinquaret.*

XXII. *Tancredus Rex laborat, ut regnum in pace disponat.*

Richardus verò de sancto Germano in Chron. ad hunc annum de Tancredo Rege scribit: *Qui postquam assumptus est, laboravit pro viribus qualiter regni fines in pace disponeret, & sibi rebelles ac adversarios subjugaret. Et primum quidem quinque Sarracenorum Regulos, qui ob metum Christianorum ad montana confugerant, de montanis ipsis Panormum redire coegit invitos, atque ut cæteros regni Comites ac Barones ad suam voluntatem converteret, & mandatum, Regales effudit opes, & diu servatas est ausus frangere gazas. Hic Richardo Acerrarum Comiti, cujus soror sua conjux erat, de qua geminam susceperat prolem, auri talenta plurima expendenda transmittit, quibus omnes de Principatu & terra Laboris eidem Regi contrarios flexit ad mandatum ipsius. Tunc & Roffridus Casinensis* (nempe Abbas) *ipsi Regi* (Tancredo) *juravit* (licet Imperialium partium sectator). *Erat ea tempestate in Apulia finibus Rogerius quidam Andria Comes, qui se non reputabat dicto Rege* (Tancredo) *inferiorem; cum tempore memorati Regis Guillemi totius regni Magister Justiciarius fuerit, & in Apulia plenum tunc Dominium exerceret. Hic telo percussus invidia de Tancredi Comitis promotione in Regem, sibique subesse dedignans, contra ipsum seditione facta turbare ad eum conversos pro viribus capit, misitque quam cito ad Henricum Alemania Regem, quod veniret, vel mitteret, regnum Sicilia sibi jure uxoris pertinens, quod Tancredus Comes Licii usurpaverat, recepturus.*

XXIII. *Henricus Germania Rex Sicilia Regnum sibi debitum credit.*

Qui absque mora periculo quemdam Henricum Testam imperii Marescalcum, cum multitudine gravi mittit in regnum, & veniens in Apuliam nullo obstante, ad ipsum Andria Comitem primùm casale quoddam, quod Cernetum dicitur, ad Abbatem Venusii pertinens pro eo quod Abbas loci ipsius in partem cesserat dicti Regis, hostiliter intrans cum pradicto Comite & suis dedit in direptionem & pradam, & qua potuit dicti Regis parti faventibus mala irrogans, tandemque cum minorificato exercitu in Alemanniam reversus est. Dictus verò Andria Comes in Apulia remanens, firmata Roccha sancta Agatha, quam tunc ipse tenebat, de suis confisus viribus se in Asculo recepit contra Regem, quem dictus Acerrarum Comes intus circumposita obsidione coarctans, cùm flectere illum precibus & promissis non posset, vocatum ipsum ad colloquium quadam die proditoriè cepit, & miserabili morte damnavit, &c. *Rex Francia & Rex Anglia crucesignati Ierosolymam petunt, qui venientes Messanam, orta inter eos discordia partem civitatis igne cremarunt, quos dictus Tancredus magnis honerans xeniis, ne civitatem Messana destruerent, cum multis precibus impetravit.*

XXIV. *Gesta in Hispania inter Lusitanos & Saracenos.*

Hovedenus parte post. Annal. pag. 669. loquens de parte copiarum Regis Angliæ quæ Jerusalem proficiscebatur, ait: *Boin Almiramisi* (legendum Jacob Amirelmumin) *Imperator Africa & Hispania Saracenica, magno congregato exercitu, venit in terram Sancii Regis Portugalensis in vindictam Imperatoris Africa patris sui* (Joseph appellati), *anno sexto proximo praterito defuncti in obsidione apud sanctam Erenam castellum Aldefonsi Regis, patris pradicti Sancii Regis Portugalensis. Cives autem Sylvia timentes adventum pradicti Imperatoris, non permiserunt juvenes illos Londonienses ab illis recedere.* Rex Portugalensis misit Legatos suus ad peregrinos illos, & petiit ab eis succursum contra Saracenos, obtinuitque, quod fusè narrat Hovedenus, & ex eo ferè de verbo ad verbum Bromptonus in Chron. pag. 1176. nisi ipsemet Hovedenus id acceperit à Bromptono. Quis Auctor fuerit Chronici à Seldeno sub *Joannis Bromptoni* nomine vulgati, ipsemet Seldenus in Præfatione ad Scriptores X Historiæ Anglicanæ, quorum unus est Auctor illius Chronici, pag. 38. investigavit, sed detegere non potuit. Verùm ut redeam ad Saracenos, Noweirius *anno Hegira* DLXXXVI refert, *Jacob* Imperatorem Africæ & Hispaniæ Saracenicæ ex Africa in Hispaniam transfretantem terras Christianorum ingressum *Sylviam* urbem recuperasse, quod Scriptores Lusitani confirmant, ajuntque hoc accidisse annis MCXC & MCXCI, & addunt, eumdem Imperatorem terram quidem illam deprædatum esse, sed *Santarenum* occupare non potuisse.

XXV. *Moritur Bela III Hungaria Rex.*

Bela hujus nominis III Hungariæ Rex hoc anno obdormivit in Domino, *Kalendis Maii, ferià tertià, postquam regnasset annis XXIII, mense uno, diebus XIX*, ut refert Joannes Thwroczius in Chron. cap. 64. Uxorem duxerat *Margaritam* Ludovici VII Francorum Regis filiam, ac viduam Henrici Regis Angliæ ab Henrico II patre dicti, sed ante patrem demortui. *Bela* successit *Emericus* filius eius, *cujus uxor Constantia*, subdit idem Auctor, *filia Regis Aragonia* (Ildefonsi nempe, ut liquet ex Gestis Comitum Barcinonensium cap. 23.) *Casari Frederico* (hujus nominis II) *per consilium Apostolica* (legendum, Apostolici) *copulatur*, post mortem nempe eiusdem Emerici Regis. Anno MCXCVI eodem Ildefon-

ſo Rege demortuo Petrus Bleſenſis ad Conſtantiam eius filiam ſcripſit Epiſtolam conſolatoriam, quæ ordine eſt CLXX.

Anno Æræ Hiſpan. MCCXXIX. Anno Hegiræ DLXXXVII. Inchoato die 29. Januar. fer. 3.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6684.

☉ 24. F. ☽ 14. P. 14. April. Indict. 9.

JESU CHRISTI 1191.

CÆLESTINI III PAPÆ 1.

HENRICI VI REG. 2. IMP. 1.

ISAACII ANGELI IMP. 7.

I. *Clementi III demortuo ſuccedit Cæleſtinus III.*

ANNum. I ad XII Ricardus de ſancto Germano, qui hoc tempore vivebat, in Chron. ad annum currentem ait: *Anno MCXCI Clemens Papa Romæ obiit menſe Martii, ac Hiacynthus Diac. Card. in Cæleſtinum Papam conſecratur.* Illum verò menſe Martio demortuum, tradunt etiam Anonymus Caſinenſis in Chron. & Chronographus Reicherſpergenſis, qui ait eum defunctum *circa mediam Quadrageſimam*, & die XXX Martii Cæleſtinum III electum. In Necrologio Caſinenſi, in quo de more aut dies mortis, aut dies ſepulturæ Pontificum Rom. quorum in eo mentio, notatur, Clementis III nomen legitur ad *V Kal. April.* diem nempe viceſimum octavum menſis Martii, quo ideo aut mortuus aut ſepultus eſt. Sed audiendus Chronographus Reicheſpergenſis, qui tam electionis Cœleſtini III ſucceſſoris eius, quam conſecrationis diem luculenter expreſſit: *Defuncto tunc Romæ Clemente Papa circa mediam Quadrageſimam, conſtitutus eſt in locum eius dominus Hiacynthus Cardinalis admodum ſenex, electus à Romanis III Kal. April. illo ſabbato quando cantabatur Officium*; Sitientes venite ad aquas. *Et in ſancta die ſolemnitatis Paſchæ, quod evenerat tunc in XVIII Kal. Maii conſecratus, Cæleſtinus eſt dictus. Rex quoque Romanorum Henricus ſextus, qui vivente adhuc patre ſuo Friderico Imperatore regnare cœperat, Romam cum exercitu veniens, ſequenti die eiuſdem Paſchalis ſolemnitatis, id eſt ſecundâ feriâ, ab ipſo Cæleſtino Papa conſecratus honorabiliter Romæ & coronatus, Imperatoris & Auguſti nomen adeptus eſt, nonageſimus quintus Regum ab Auguſto.* Quare Clemens III ſepultus eſt die XXVIII menſis Martii, Cœleſtinus III poſt duorum dierum interpontificium electus die XXX ejuſdem menſis, die decima quarta menſis Aprilis, in quam Paſcha incidit, conſecratus, & poſtridie Henricus VI Rex Germaniæ Imperator ab eo coronatus.

II. *Henricus VI Imperator coronatur.*

Cauſam cur præter morem Cæleſtinus III in decimum ſextum ab electione diem conſecrationem ſuam diſtulerit, nos edocet Arnoldus hujus temporis Scriptor lib. 4. cap. 4. ubi de Henrico VI Rege loquens ait: *Rex cum manu valida Italiam intravit cum Philippo Colonienſi, & Ottone duce Bojemiæ, & aliis multis. Cumque appropinquaret Romæ, ſuſcepturus Apoſtolicam benedictionem, dominus Apoſtolicus Clemens mortuus eſt; pro quo dominus Cæleſtinus in ſede eſt ſublimatus. Qui videns Regem cum multa jactantia veniſſe, ad protelandam eius conſecrationem, ſuam diſtulit.* Paulò pòſt: *His precibus* (nempe Romanorum) *ubi conſenſum præbuit Apoſtolicus, Cum ſummo tripudio Rex Urbem ingreditur: ſicque dominus Papa in die Paſchæ ſolemniter conſecratur, & proximâ ſecundâ feriâ cum ſumma pacis tranquillitate dominus Imperator cum Imperatrice* (nempe Conſtantia) *benedicitur & coronatur.* Cæleſtinum conſecrationem ſuam diſtuliſſe refert etiam Krantzius lib. VII Saxoniæ cap. 3.

III. *Dilatio conſecrationis Cæleſtini III varios Scriptores in errorem induxit.*

De diebus conſecrationis *Cæleſtini* III & coronationis *Henrici* VI inter omnes convenit, ſed quicumque ad dilationem conſecrationis eiuſdem Cæleſtini animum non advertêrunt, uti Baronius, Papebrocius in Conatu Chronico-Hiſt. aliique, credidêre cum Rogerio Hovedeno Clementem III obiiſſe *menſe Aprilis, quarto Idus eiuſdem menſis, feriâ quartâ*, die nempe decima illius menſis, niſi quod Papebrocius animo præoccupatus ſcribit, etiam obiiſſe Clementem die V Aprilis, & vacaſſe Sedem dies ſex. Baronius verò exiſtimavit, *Cencium*, qui Ordinem Romanum compoſuit, cujus ipſe verba de electione Romani Pontificis, ejuſque conſecratione recitat, indicare *Cæleſtinum* III die XII Aprilis electum, & biduo poſt conſecratum eſſe in die Paſchatis. Ait enim Cencius *mortuo Romano Pontifice & ſepulto* omnes Cardinales *ſecunda die convenire in Eccleſia, & tertia die* tractare de electione, & Pontifici Electo nomen imponere: *Tunc autem*, ſubdit Cencius, *accipit ipſum Electum* (ut habet accurata editio Romani Ordinis eiuſdem Cencii de Sabellis Cardinalis, à Mabillonio curata Tom. II Muſei Ital. non verò, *accepit*, ut perperam legitur apud Baronium num. III) *Prior Baſilicæ Salvatoris Patriarchatus Lateranenſis cum uno de Cardinalibus vel uno de Fratribus ſuis. Venientibus autem per eamdem porticum juxta ipſum Baſilicam Salvatoris exclamatur*: DOMINUM CÆLESTINUM S. PETRUS ELEGIT. Et poſtea dicit Cencius in proxima die Dominica Electum conſecrari in Eccleſia B. Petri. Quæ omnia Baronius exiſtimans ſervata fuiſſe in electione *Cæleſtini* III, inde deduxit eius creationem die XII Aprilis peractam; cùm certum ſit, proxima illius diei Dominica, nempe XIV menſis Aprilis, *Cæleſtinum* III conſecratum fuiſſe. Verùm res non ſic ſe habuit, & *Cencius* in Ordine Romano deſcripſit, quæ de more in electione & coronatione Pontificis Romani fiebant, & quia *Cæleſtini* III electio more ſolito peracta eſt, ipſeque Cencius ſub Cæleſtino III floruit, ex occaſione illius meminit. Sed inde nullo modo ſequitur, quæ poſtea de coronatione Romani Pontificis narrat, eidem convenire, aut *Cencium* ea in ordine ad illum ſcripſiſſe; cùm, uti jam ſuprà inſinuavimus, *Cæleſtini* conſecratio præter morem per multos dies poſt eius electionem dilata fuerit.

IV. *Duratio Sedis Clementis III.*

Illam dilationem obſervarant Onuphrius in Chron. Sigonius lib. XV Hiſt. de Regn. Ital. & Ciaconius in Hiſt. Cardinalium cùm ſcripſerint, *Clementem* III *Octavo Kal. April.* ſeu die XXV menſis Martii, vita functum, & IV Kal. ejuſdem menſis, ſeu die XXIX Martii, *Cæleſtinum* electum eſſe, & deinde die XIV Aprilis conſecratum. Verùm liquet ex dictis eos tam in die emortuali *Clementis* III, quàm in die electionis *Cæleſtini* III hallucinatos eſſe, & Chronographum Reicherſpergenſem, cui aliqui Auctores coætanei ſuffragantur, electionem *Cæleſtini* III diei XXX menſis Martii rectè aſſixiſſe, & demum in Necrologio Caſinenſi

ſinenſi diem mortis Clementis III aut ſepulturæ ejus, aut forsàn utriuſque, exactè illigatam fuiſſe cum die XXVIII menſis Martii. Quo pacto *Cencius* loquens de electione Pontificis Romani in medium adducit exemplum *Cæleſtini* III, quia ea tertia die à morte deceſſoris ejus facta fuit. Cùm itaque *Clemens* III Pontifex Romanus die decima nona menſis Decembris anni MCLXXXVII electus fuerit, ſedit *annos tres, menſes tres, & dies novem aut decem*, ſi diem ſepulturæ includas. Pauci Scriptores de integra duratione Sedi, ejus locuti ſunt; ei tamen rectè Joannes de Ceccano in Chron. annor tres & menſes tres aſſignat, ſed errore librariorum adduntur dies *XXVII.* Auctor magni Chronici Belgici pag.204.& Vernerus in Faſciculo temp. rectè ſcribunt, eum ſediſſe *annos III*, ſed prior malè addit *menſes X & dies XVI*, Vernerus verò prætermiſſis menſibus malè etiam babet *dies XVI*. Joannes Diaconus junior in libro de Eccleſia Lateranenſi Tom. II Muſei Ital. ait: *Clemens III Papa jacet ante chorum Canonicorum.*

V. *Tres alii errores emendati.* Reſtant hîc tres alii errores corrigendi, Papebrocius enim loco laudato num.II ait, Pontificem Romanum Electum non eguiſſe conſecratione, quando jam ante Epiſcopus erat, ſed tantum coronatione. Verùm jam anon MXLIX loquentes de conſecratione *Leonis IX*, qui antequam ſummus Pontifex eligeretur, conſecratus fuerat Epiſcopus Tullenſis, monſtravimus *conſecrationis* nomine Antiquus intellexiſſe Regis inaugurationem, ordinationem Epiſcopi, & ceremoniam, qua quis Papa aut Archiepiſcopus inauguratur. Quare omnes Pontifices Romani ſive Epiſcopi fuiſſent ante adeptum ſummum Pontificatum, ſive non, in laudato ſenſu conſecrabantur. Secundò, Baronius num. XI ait conſecrationi *Henrici Regis* interfuiſſe *Goſfredum Viterbienſem*, & tunc carmen ſcripſiſſe, quo explicat myſteria omnium inſignium Imperialium, cujus ſex priores verſus in medium affert. At Viterbienſis anno MCLXXXVI Chronico ſuo finem impoſuit, ut ibidem jam diximus, & Baronius tradit eo anno num.XXII & ſeqq. & tamen verſus à Baronio recitati leguntur part. 19. ejuſdem Chronici. Quare *Viterbienſis* ibi Regalia inſignis, videlicet ſanctam crucem, gladium, lanceam ſacram, ſceptrum, aliaque ſine ullo ordine ad Regem Henricum, de quo part. 17. locutus fuerat, exponit. Dici etiam poteſt, *Viterbienſem* eo anno Regalis inſignis explicaſſe, quia tunc *Henricus Rex* Lombardiæ coronatus & Cæſar dictus eſt, ut eo anno vidimus, ſed prior ſolutio magis probanda; cùm in his verſibus exponat quid ſignificet *Criſta in corona Imperiali.* Denique Puricellus in Monument. Baſil. Ambroſ. num. 616. conjicit, *Milonem* Archiep. Mediolanenſem Henricum & Conſtantiam ejus uxorem hoc anno Italiæ Regem coronâ ferreâ coronaſſe, quòd in Catalogo Eccleſiæ Mediolanenſis, & in libro, cui titulus, *Succeſſores ſancti Barnabæ* de Milone dicatur: *Henricum quintum Imp. unà cum Conſtantia Auguſta uxore in urbe Mediolani corona ferrea decoravit.* Sed inter omnes Antiquos convenit, Henricum Italiæ Regem ſemel coronatum fuiſſe anno MCLXXXVI, nulluſque duplicis illius coronationis meminit. Hinc Chalcus hoc anno ait: *Henricus Rex animo ad res Siculas adjuncto ex Germania cis Alpes venit: Conſtantiam Reginam & infantem filium adduxit. Dum Mediolani deverſatur, Privilegia à patre Papienſibus olim data affirmavit.* Mediolano Romam venit, & poſt coronam Imperialem acceptam, *Neapolim* irrito conatu aggreſſus eſt, & poſtquam Conſtantia Auguſta ab hoſtibus capta fuit, ipſe Mediolanum rediit, ut ſtatim videbimus.

VI. *Geſta in Apulia ab Henrico VI.* Ad num. XIII & ſeq. Chronographus Rejcherſpergenſis Geſta ab Henrico Imp. hoc modo ſummariè narrat: *Imp. Henricus VI profectus eſt in Apuliam cum exercitu ſtatim poſt ordinationem ſuam adverſùs Tancredum Regem* (nempe Siciliæ), *qui Apuliam ſibi vendicabat, ſed in caſſum. Tunc Imperator rediit circa menſem Novembrem; quia exercitum ſuum pene totum peſtilentia & aliis infortuniis perdidit, captivata inſuper Regina uxore Imperatoris, ad quam hæreditario jure Apulia pertinebat. Epiſcopus Colonienſis* (Philippus), *Dux Bohemiensis* (nempe Otto); *Cancellarius Imperatoris ibi mortui ſunt, & alii Principes multi. In eadem expeditione, dum Imperator detineretur in expugnatione unius civitatis Apuliæ, filius Ducis Saxoniæ Henrici nepotis Lotharii Imperatoris receſſit in ira & indignatione ab Imperatore, ideoque civitas non eſt expugnata.*

VII. *Geſta in Apulia à Tancredo Siciliæ Rege.* Fuſius de Henrico Richardus de Sancto Germano ad hunc annum: *Rex dictus Tancredus de Sicilia in Apuliam veniens ſolemni Curia apud Thermulas habita* (ſita hæc urbs ad mare Adriaticum in continiis Apuliæ & Abrutii), *in Aprutium vadit, Comitem Raynoldum obſidet, eumque ad ſuam redire fidelitatem coegit; & exinde Brundiſium ſe conferens de altero filiorum ſuorum, Rogerio ſcilicet, cum Iſcahio* (ideſt, Iſaacio) *Conſtantinopolitano Imperatore de Urania filia ſua contraxit, & nuptiis apud Brundiſium magnificè celebratis, ibique dicto filio ſuo coronato in Regem Rex dictus cum triumpho & gloria in Siciliam remeavit; & tunc Roccham Bantre, & Roccham Guillelmi Roffrede Abbati Caſinenſi aſſignari mandavit*, &c. *Henricus cum Conſtantia conſorte ſua, ad quam regnum Siciliæ jure hæreditario pertinebat, Romam venit, quem dictus Cæleſtinus Papa apud S. Petrum in Imperatorem, & conſortem ſuam in Imperatricem coronavit, dato ab ipſo Imperatore Tuſculano Romanis, quam funditus deſtruxerunt* (ut fusè narrat Baronius ex Hovedeno num. XI, & qua de re Radulphus de Diceto pag.659. ſcribit, *Paſchali feria IV Romani civitatem Tuſculanam* funditus diruerunt). *Tunc Imperator ipſe regnum intrat menſe Martio* (legendum, *menſe Maio*; cùm Imperator poſt coronationem ſuam menſe Aprili peractam regnum Neapolitanum ingreſſus ſit, & error ille attribuendus Librariis, quæ ſæpe Maium in Martium & econtra mutant) *Papa prohibente & contradicente, & per Campaniam venit in Rocham Arcis, quam Matthæus Burrellus pro ipſo Rege* (nempe Tancredo) *tenebat, à bellatoribus ſuis aggredi faciens, vi cepit eamdem. Quod tanti cauſa timoris fuit, ut qui ſe in Caſino receperant, cum rebus ſuis homines Sancti Germani, quos ad eumdem Imperatorem mittunt, fidelitatem jurant.*

VIII. *Imperator fruſtrà tentata Neapoli in Germaniam redit.* *Tunc enim dictus Roffridus Caſſinenſis Abbas in monaſterio Caſſinenſi graviter infirmabatur, quem urgentibus ipſis hominibus Sancti Germani oportuit ipſi Imperatori jurare. Sorella quoque* (ſeu Soræ arx) *Atinum, caſtrum Cœli, metus*

SÆC. XII. An. C. 1191.

causâ ipsi Imperatori se reddunt, in quibus ipse suos posuit Capellanos (sed legendum puto, Castellanos); tunc Comes Fundorum & Comes Molisii fidelitatem præstant eidem: & procedens in terram Laboris (hic Auctor Campaniam à terra Laboris juxta novam Geographiam distinguit), Theano, Capua, & Aversa sibi dantibus manum, Willelmum Caserta Comitem recepit & Aversam. Et exinde super Neapolim vadens, eam posita obsidione coarctat, coadsistentibus ei dictis hominibus & Baronibus Principatus (nempe Capuani), nec non & Abbate Casinense prædicto cum viribus suis. In qua (nempe urbe Neapolitana) cùm se recepisset dictus Acerrarum Comes, pro sæpe dicto Rege satis strenue defendit eamdem. Tunc Salerni civitas ipsi Imperatori se reddidit, ubi Imperatricem consortem suam moraturam transmisit, & ipse civitatem ipsam Neapolim crebro aggreditur & impugnat. Cumque nec viris nec viribus pugnando proficeret, superveniente ægritudine digressus est abinde vel invitus, qui relicta Imperatrice consorte sua Salerni, & Muscam Cervelle in castello Capuæ constituto, ad S. Germanum veniens cum debilitate exercitu sui, dictum Casinensem Abbatem, toto tunc Conventu sibi fidelitatem præstante, secum in Alemanniam ducit, Gregorio fratre ejus ad majorem securitatem obside relicto apud Ducem Spoleti, & quibusdam de melioribus terræ Sancti Germani captis obsidibus, quos Diopuldo (seu Diepoldo) cuidam Teutonico in Rocca arcis relicto, & Conrado de Marlei in Sorella constitutæ custodiendos commisit, & tunc per terram Patri Colani Comitis sub illius fide Ducatu de regno exiens in Alemanniam reversus est mense Septembri.

IX. Siciliæ Rex amissa recuperat.

Tunc is, quem præfatus sum, Acerrarum Comes de Neapoli exiens cum Neapolitanis, & aliis undique collectis militibus venit Capuam, castellum obsidet, in quo Muscan Cervellus se pro Imperatore receperat, qui cùm non haberet victus necessaria, tam Comite ipso componens, tradito sibi ac resignato castello ipso, abiit securus quò voluit. Tunc & Aversam recipit, Theanum & Sanctum Germanum ad Regis dicti (Tancredi) revocavit fidelitatem, & Casinum conscendens vallum monasterii nullo obstante intravit. Qui cum blandè satis alloqueretur Adenulphum Casertanum Decanum Casinensem, ut illum ad dicti Regis fidelitatem converteret, & hoc ab eo precibus obtinere & promissis non posset, de loco descendit & abiit. Tunc Comitem Molisii recepit, & ponens in S. Germano & in S. Angelo Theodociæ masnedam (id est, catervam militum præsidiariorum) quantum potest pro servitio dicti Regis fortiter sibi laborat. Tunc Richardus Fundanus Comes pro eo quod ab Imperatore Suessam emerat, & Theanum metus causâ comitatu relicto in Campaniam (nempe Romanam) secessit, & Comitatum Fundanus cuidam, fratri Aligerni Cottroni de Neapoli ab ipso Rege conceditur. Adenulphus Casertanus Decanus Casinensis, pro eo quod in partem non cessit ipsius Regis, à Cælestino Papa excommunicatus est, & monasterium suppositum interdicto (quia Cælestinus Papa Tancredi Regis partibus favebat). Salernitani ad captandam Tancredi Regis gratiam, detentam Imperatricem ipsi Regi in Siciliam mittunt: Idem narrat Anonymus Casinensis, & ex parte Joannes de Ceccano in Chron.

X. Reges Fran-

A num. XV ad XXI Philippus Franciæ Rex hoc anno vigilia Paschæ Accon applicuit, & cum summo gaudio ab universo exercitu, qui in obsidione Accis (seu Ptolemaidis) longo tempore sederat, cum hymnis & laudibus, & effusione lacrymarum multa, receptus est quasi Angelus Domini, inquit Rigordus de Gestis Philippi Regis pag. 32. Postea verò quam Richardus Rex Angliæ advenit, civitas adeo impugnata fuit, ut Satrapæ Saladini eam sub certa pactione dediderint mense Julio, quod fusè refert Rigordus. Diem notavit Nangius in Chron. Accon, inquit, tertio Idus Julii a nostris recipitur, post decursum ferè biennium ex quo cœperat obsideri. Porrò Turci intra urbem reperti, cùm pacta quæ cum Rege Franciæ inierant, tenere non possent, alii evasêre redempti, alii ad serviendum compedibus sunt detenti, alii gladio truncati. Audita ergo captione Accenis timor irruit super hostes, & Ascalonem atque quædam castella, quæ nostris abstulerant, diruunt vacuaque dimittunt. Baronius num. XV existimat Accon olim Joppen dictam fuisse. Verùm sunt hæ duæ urbes longè inter se dissitæ; Joppe, nunc Jaffa, urbs est Palæstinæ cum portu in ora maris Mediterranei, & Ptolemais seu Accon, hodie Saint Jean d'Acre, eò quòd Equites Sancti Joannis Jerosolymitani ibi sedem habuerint per multos annos, est etiam emporium à Gallis frequentatum, sed plus CCCC stadiis distat à Joppe. Utriusque urbis mentio est in literis Richardi Angliæ Regis à Baronio num. XVII, & in aliis num. XX recitatis.

SÆC. XII. An. C. 1191 cia & Angliæ Accon expugnant.

XI. Exordium Regni Cypri.

Richardus verò, inquit Nangius in Chron. Rex Angliæ cum ratibus & Galeis suis post Regem Franciæ de Sicilia movens, venit in Cyprum, ibique inveniens quemdam Pseudo-Imperatorem Insulæ dominantem, ipsum cepit; Cyproque sic subjugata, gente sua eam munivit. Tum anno sequenti: Richardus Rex Angliæ vendidit insulam Cypri, quam acquisierat, Guidoni quondam Jerusalem Regi, qui Rex fuit ibidem constitutus. Hoc initium Regni Cypri, cujus postea sæpe occurrit mentio in Scriptoribus Latinis. Porrò tyrannus ille vocabatur Isaacius Comnenus, qui ab Isaacio Angelo Imp. defecerat, ut legere est apud Nicetam in fine libri 3. De capta Cypro loquitur Baronius num. XVI, & fusè Neubrigensis lib. 4. cap. 19. qui, uti & Chronographus Aquicinctinus, refert, Guidoni anno sequenti attributam fuisse.

XII. Discessus Philippi Franciæ Regis à Palæstina.

Quando Accon subacta Philippus Galliæ Rex gravabatur morbo gravissimo, inquit Rigordus, & ex alia parte Regem Angliæ valde suspectum habebat: quia Rege celato frequenter nuncios ad Salahadinum mittebat, & mutua dona ab eo accipiebat. Qua de causa habito cum Principibus suis familiari consilio, ordinato suo exercitu, acceptaque à suis licentia, &c. ad partes Apuliæ, Deo volente transvectus est, &c. Et transitum faciens per Romanam civitatem, visitatis Apostolorum liminibus, & accepta benedictione a Romano Pontifice Cælestino, in Franciam rediit circa Nativitatem Domini quam apud Fontem Ebraldi celebravit.

XIII. Absente Rege Anglia turbata.

A num. XXI ad XXXIX. Turbas in Anglia absente Richardo Rege exortas fusè narrat Baronius, quæ cùm diversimodè ab Historicis Anglicis literis mandatæ fuerint, & res amplioris sit discussionis, quam brevitas hujus Operis patiatur, sufficiet legere, quæ de iis Baronius habet.

A num.

SÆC. XII. An. C. 1191.

XIV. *Discessus Regis Angliæ à Palæstina.*

A num. XXXIX ad XLV. Discessum *Richardi* Angliæ Regis à Terra Sancta, ejus captivitatem, aliaque ad utrumque pertinentia recitat hîc Baronius; sed cùm ea ad sequentem annum pertineant, majoris claritatis gratiâ ibidem de iis agemus.

XV. *Floret S. Hugo Episc. Lincolnien.*

A num. XLV ad XLIX. De virtutibus *Sancti Hugonis* ex Ordine Cartusiensi jam ab aliquot annis Episcopi Lincolniensis creati agit Baronius, sed cùm anno MCXCIV iterum de eo verba faciat; quæ de eo dicenda habemus, ibi uno tenore in medium adducemus.

XVI. *Chronotaxis Patriarcharum Constantinop.*

Ad num. XLIX. In Serie Episcoporum Byzantii, quæ lib. 4. Juris Græco-Romani extat, Patriarchæ Constantinopolitani, qui per hæc tempora Ecclesiam illam rexêre, hoc modo digeruntur: *Dominus Nicetas Muntanes, magnus Sacellarius, qui renunciavit. Leontius huic successit, qui Monachorum in collis S. Auxentii mansione SS. Apostolorum Abbas, & Ecclesiæ Diaconus fuit. Cumque menses VII exegisset, renunciavit. Post hunc Dominus Dositheus Monachus, Jerosolymorum Patriarcha, translatus est ad Patriarchatum Constantinopolitanum dispensatione Principis, Domini Isaacii Angeli, consilio & etiam adsensu. Cumque annos .... exegisset, deturbatus est, & substitutus in ejus locum Georgius Xiphilinus, magnus vasorum Custos.* Onuphrius, qui diversum exemplar ab eo quo usus est Leunclavius in editione præfatæ Seriei, nactus erat, in Chron. initium *Nicetæ Mundani* cum anno MCLXXXVI connectit, atque eum post annos sex & menses sex abdicasse. Quare Patriarchatum administravit usque ad annum MCXCII, quo *Leontius* Sedem iniit, annoque MCXCIII postquam anno uno sedisset, abdicavit. Tum *Dositheus* ex Patriarcha Jerosolymorum factus est Patriarcha Constantinopolitanus, & post annum abdicavit, anno sc. MCXCIV, cui *Georgius Xiphilinus* in Sedem illam successit. Ex his facile est respondere ad ea, quæ præcedentibus annis Baronius de duratione Sedis *Mundani*, *Leontii*, & *Dosithei*. habet. Nec video hos Patriarchas melius digeri posse.

XVII. *Donatio Constantini M. commentitia.*

Ad num. L & seqq. de *Balsamone* & donatione *Constantino Magno* attributa suis locis egimus, & Lectorem ad ea, quæ jam diximus remittere satius erit, quàm rursùs hîc fabellas omnibus notas refellere.

XVIII. *Heraclio Patriarchæ Ierusalem succedit Albertus.*

Tam Hovedenus pag. 685. quam Joannes Bromptonus in Chron. pag. 1191. referunt *nomina nobilium defunctorum in obsidione Acræ; videlicet Sybilla Regina uxor Guidonis Regis Jerusalem & duæ filiæ ejus. Eraclius Patriarcha Jerusalem. Baldewinus Cantuariensis Archiep. Archiep. de Nazareth. Archiep. de Besanson*, &c. Hæc quidem uterque refert ad annum MCXC, sed ex iis quæ ipsimet ibidem habent, & ex aliis hujus temporis Scriptoribus constat, tam *Sybillam* Reginam, quàm alios ibidem memoratos præsenti anno mortalitatem explesse. Quare accuratè Interpolator Chronici Aquicinctini ad hunc Christi annum scribit: *Albertus Eremita, Petri Eremitæ, qui belli sacri auctor Urbano II Pontifici fuit, pronepos, ex Episcopo Bethlehemitano Patriarcha Jerosolymitanus post Heraclium à Cælestino III Papa constituitur.* Est hic Albertus Bethlehemita Episcopus, qui teste Willelmo Tyrio lib. XXI cap. XXVI anno MCLXXIX Concilio Oecumenico Lateranensi III interfuit, ideoque diversus à *Beato Alberto* primùm Bobiensi, postea Vercellensi Episcopo, annoque MCCIV Patriarcha Jerosolymitano constituto. Porrò locum illum Interpolatoris Chronici Aquicincti & duo alia citata non vidit Papebrocius; cùm in Serie Patriarcharum Ierosolymitanorum Tomo III SS. mensis Maii præfixa pag. 51. dicat: *de Heraclio, ubi vel quando obierit, incompertum est, propter Auctorum silentium.* Albertum verò fuisse Latinum, ostendit electio ejus facta à Cælestino III, & cognatio cum *Petro Eremita*, qui Gallus erat.

Tom. IV.

SÆC. XII. An. C. 1192.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6685.

☉ 25. E D. ☽ 15. P. 5. April. Indict. 10.

JESU CHRISTI 1192.

CÆLESTINI III PAPÆ 2.

HENRICI VI REG. 3. IMP. 2.

ISAACII ANGELI IMP. 8.

Anno Eræ Hispan. MCCXXX. Anno Hegiræ DLXXXVIII. inchoato die 17. Januar. fer. 7.

I. *Canonizatur S. Ubaldus.*

AD num. I. De *Sancti Ubaldi* Episcopi Eugubini, & Eugubinorum patroni, quem hoc anno *Cælestinus* III in Sanctorum numerum retulit, virtutibus & canonizatione egimus anno MCLX, ideoque ibi legenda quæ de iisdem in medium adduximus.

II. *Rescriptum Clementis III. Cælestino malè attributum.*

Ad num. II. Anno MCLXXXVIII *Clemens* III Ecclesias regni Scotiæ exemit à jurisdictione Metropolis Anglicanæ, ut liquet ex rescripto ejusdem Pontificis ibidem à Baronio recitato. Is tamen memoriæ lapsu sursùs illud hîc exhibet sub *Cælestini* III nomine. Idem præstitum à Labbeo Tom. X Concil. ubi illud tam sub *Clementis* III, quam sub *Cælestini* III nomine refert. Clementi III Privilegium illud attribuit Bromptonus in Chron. ad annum MCXCI, qui ultimus fuit Clementis III, omissa parte subscriptionis. Neque dubitandum, quin illud ab hoc Pontifice emissum fuerit; cùm jam antea sub ejus prædecessoribus inter *Joannem Dunkeldensem*, & *Hugonem Sancti Andreæ Episcopos* dissensio exorta fuerit, ut videre est apud Hovedenum in Annal. ubi Privilegium, de quo agimus, *Clementi* III adscribit, & apud Baronium variis in locis. Error inde processisse videtur, quod cùm Librarius quispiam prima rescripti verba hoc modo expressisset, *C. Episcopus servus servorum Dei*, aliqui postea per litteram C. *Cælestinum* interpretati fuerint, scripserintque, *Cælestinus Episc. servus servorum Dei*, &c.

III. *Duo Legati in Normanniam missi non recipiuntur.*

A num. VIII ad XIII. *Octavianus* Cardinalis bis in Angliam Legatus missus est. Primùm anno MCLXXXVII, ut eo anno num. I ostendimus. Secundò, currenti Christi anno, ut utrobique rectè Baronius. Hujus anni Legationem hoc modo Bromptonus narrat pag. 1238. sed malè eam ad annum MCXCI refert. *Dominus Papa Cælestinus duos Legatos à latere suo in Normanniam* (quæ Regi Angliæ parebat) *misit quorum unus dicebatur Octavianus Ostiensis Episcopus, & alter Jordanus Abbas de Fossa* (legendum, *de fossa nova*, ut ea sequentibus, & ex Historia Cardinalium liquet) *tit. S. Anastasiæ Presb. Card. ad litem controversiæ, quæ erat*

Nnn 3 *inter*

inter Willelmum Eliensem, & Walterum Rotomagensem Archiepiscopum, & quosdam alios dirimendam. Quibus in Normannia ad Gisortium venientibus, milites castelli & Burgenses portis villa per praceptum Willelmi filii Radulphi Senescalli Normannia clausis, illos intus accipere noluerunt, dicentes quod Rex Ricardus illorum dominus nondum de peregrinatione rediens omnes terras suas cismarinas & transmarinas sub protectione Dei & Romana Ecclesia & Domini Papa posuerat, nec aliquem Legatum in terra sua recipi praceperat, & ideo illos, neque alios hujusmodi viros sine illius mandato recipere voluerunt. Cardinales verò hac contradicentes dixerunt, quod illi advenerunt portantes facem, & illuminantes patriam, dare pacem gentibus & liberare populum Domini. Sed neque propter hoc, neque propter illorum minas milites pradicti vel Burgenses eos recipere voluerunt, imò illos retrò ire cum gladiis & fustibus coegerunt.

IV. *Normannia ob id interdicto supposita.*

Illi autem ibant gaudentes à conspectu populi, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Quibus de Normannia exeuntibus, Octavianus Ostiensis Episc. sententiam interdicti in Normanniam dedit, & pradictum excommunicavit Normannia Senescallum, & omnes complices suos fautores, consiliarios; ac dicta prasumptionis auctores. Jordanus verò de fossa nova Regem Anglia diligens noluit in Normanniam sententiam dare, nec quiquam molestè inferre, unde Rex Francia iratus eum à Regno suo fugavit, & cetera latè ibi narrata. Ex quibus intelligimus, quam pessimo loco essent res Ecclesiasticæ in regno Angliæ, sed multò magis ex Epistola XXIII Petri Blesensis ad eumdem *Octavianum* data, ubi accepit eum Legatum in Angliam mitti. Hanc quidem Epistolam Baronius, aliique ad priorem ejus Legationem, ad annum nempe MCLXXXVII, referunt, sed ibidem certo argumento ostendimus, eam secundæ ejus Legationis tempore datam esse, anno sc. currenti.

V. *Cælestinus III de Terra sancta conservanda sollicitus.*

Epistola verò Cælestini III hîc à Baronio recitata ad annum sequentem pertinet; his enim verbis clauditur: *Datum Roma apud S. Petrum III Idus Januarii, Pontificatus nostri anno secundo,* qui adhuc mense Januario anni sequentis in cursu fuit usque ad diem XXX mensis Martii. In ea Pontifex universis Orbis Principibus in remissionem peccatorum injungit, ut si quis adversus aliquem concepit rancorem Creatori dimittat, & omnes toto animi studio procurent, *ut illud tantillum terra domini portionis, qua adhuc sub Christianorum potestate tenetur,* servari possit, & *accingatur denuò multitudo Fidelium, qua illuc sub debita & devota humilitate iturn totam possit terram, & Sepulchrum dominicum, devicto & conculcato penitus occupantium furore, liberare.* Jure merito verebatur *Calestinus* ne in Terra Sancta res peisum irent; Hovedenus enim ad hunc annum pag. 716. ait: *Post Pascha orta est gravis dissensio inter Pisanos & Jennuenses* (legendum, Genuenses), *qui erant in Accon, & mutuò se interfecerunt; & Dux Burgundia* (nempe Odo) *per exhortationem Jennuensium misit Tyrum pro Conrado pro Marchione* (nempe Montis Ferrati) *volens levare eum in Regem, & Pisani miserunt pro Rege Anglia* (sc. Richardo), *qui tunc temporis morabatur in Scalona, significantes ei propositum Ducis Burgundia.*

VI. *Crucesignati valde inter se dissidet.*

Sed præstat audire Neubrigensem narrantem, cur minus sit à Crucesignatis in Oriente profectum, & loquentem de repatriatione peregrinorum lib. 4. cap. 26. *Interea exercitus Christianus Regis Regum in Oriente militans, in multo labore & periculorum experimento agebat. Verumtamen Christianum negotium minus procedebat, tum propter dissensiones, amulationesque ducum (ut dictum est) tum propter difficultates plurimas, tanquam Deo minus propitio, obsistentes. Decernebant quidam adeundam, totisque oppugnandam viribus, sanctam civitatem, quam impii profanabant. Aliis verò hoc impossibile videbatur certis ex causis. Terra quippe, qua paulò ante fertilissima fuerat, & quasi omnimoda copia promptuarium, maligna & callida Saladini provisione, redacta erat in solitudinem, ne scilicet Christianus exercitus quantulumcumque ex ea subsidium caperet; unde nec poterat à mari ad aliquod majus negotium longius progredi, cum solum ei mare navigiis necessaria ministraret. Rex autem Anglorum exacta hyeme in montanis, cum aliud non posset, urbes maritimas, quas Turci eversas reliquerant, & maximè Ascalonam summo studio & profusis opibus instaurare cœpit, carpentibus eum amulis, & rumores de illo pessimos per totum ferè orbem Christianum spargentibus, scilicet quod Regem Francorum insidiis appetisset; quod Conradum Marchionem* (Montis ferrati) *virum Christianissimum nefariè per sicarios peremisset; quod cum Saladino de proditione Terra sancta nequissimè collusisset, atque ideo ad expugnandam civitatem sanctam accedere noluisset. Porrò ille cœptis insistens pro animi magnitudine amulantium maledicta & molimina contemnebat.*

VII. *Conradus Marchio Montisferrati occiditur.*

Neubrigensis autem jam cap. 22. narrarat, quomodo *Conradus* Marchio Montis ferrati à sicariis interfectus fuerit; quod hoc anno contigisse Chronographus Aquicinctinus, Nangius in Chron. aliique tradunt, priorque tempus quo nefarium scelus commissum, indicat, nempe *in diebus Paschalibus III Kal. Maii.* Incertum, inquit Neubrigensis citatus, *à quo malignante immissi duo sicarii in ejus obsequio sub schemate militantium diutiùs fuerant: patrandi vel cum proprio periculo sceleris opportunitatem jugiter observantes. Qua inventa clarissimum virum solito paucioribus fortè stipatum ministris, in medio propria civitatis* (nempe Tyri, cujus Conradus Princeps erat) *cum prope tanquam noti assisterent, repente aggressi: clandestinis cultris extractis mactarunt.*

VIII. *Henricus Campania Comes fit Rex Ierusalem.*

Tum Neubrigensis cap. 26. continuans sermonem de dissidiis, quæ erant inter Crucesignatos, inquit: *Sanè post memorati Marchionis interitum, cùm & Guido quondam Rex Jerosolymorum, qui cum eo contenderat, uxore sublata, solo jam Regis nomine esset contentus: deliberavit Rex Anglorum cum ducibus & nobilibus universis, quinam fines Christianos crederent, maturè ad propria reversurus. Et concordi decreto constituerunt Principem Christiana acquisitionis Henricum, illustrem Gallicana Campania Comitem* (filium Theobaldi Magni anno MCLII demortui, ut ibidem diximus), *utriusque Regis, Francorum scilicet & Anglorum communem ex communi Germana nepotem, tantis condignum avunculis. Quo facto & novo Principi integrè traditis munitionibus Christianis, ordinatisque prasidiis urbium: Princeps & populi, tanquam expleto militia tempore, cùm jam sumptus ad moram deficerent,*

SÆC. XII. An. C. 1191. deficerent, certatim repatriare cœperunt, anno ab expugnatione Ptolemaidis secundo (hoc sc. anno) tempore autumnali. Veruntamen eorum, qui post Christiana in Terra sancta plebis excidium, propter Christum peregrinati fuerant, ne quarta quidem pars ad propria rediit. Cùm enim ex omni ferè orbe Christiano infinita hominum millia ad illam peregrinationem sanctæ devotionis fervor accendisset: vel morbus, vel gladius vel inedia, vel laboris intolerantia majorem longè partem absumpserat.

IX. Discessus Angliæ Regis à Palæstina. A num. XIII ad XIX. Neubrigensis laudatus cap. 27. de Richardi Angliæ Regis discessu à Palestina verba faciens, ait, eum ante discessum firmasse inducias cum Saladino inter Christianos & Turcos, à Paschali solemnitate proxima in tres annos, additque: Quibus actis idem Rex repatriandi propositum declaravit, insulam Cyprum Guidoni olim Jerosolymorum Regi viro strenuissimo mira liberalitate donavit (alii tamen, ut anno superiori narravimus, dicunt vendidisse): Dilecto nepoti (sc. Henrico Comiti Campaniæ) quem finibus Christianis præfecerat, suam, Christo propitio, reversionem circa induciarum expletionem sollicitus, charactere dominico, quo insignitus advenerat, in argumentum propositæ reversionis retento infidis se flatibus credidit; & quidem hoc anno, ut Hovedenus, Bromptonus, Radulphus de Diceto, Matthæus Paris, aliique produnt, præsertimque Neubrigensis lib. 4. cap. 29. scribens: Captus Rex nobilis à Duce nequissimo anno gratiæ MCXCII, mense Decembri. Diem notavit Radulphus de Diceto ad hunc annum pag. 668. Captus est in civitate, quæ Wena dicitur, XIII Kalend. Januarii, sc. die XX Decemb.

X. Capitur à Duce Austriæ. Quomodo autem in via captus fuerit, hoc modo refert Chronographus Reicherspergensis ad hunc annum: Cum Dux Austriæ (nempe Leopoldus) in partes Austriæ rediret cum suis comperit per certos nuncios, quod Rex Angliæ naufragus & profugus devenisset in terram ditionis suæ. Statim missis, qui veritatem in hac re inquirerent inventus est idem Rex apud Vuiennam (nunc Viennam) occultans se in tugurio cujusdam pauperis, & cibos propriis manibus sibi & sociis suis paucissimis in officina rustica præparans. Quo comprehenso tradidit eum Dux hominibus suis custodiendum, hac de causa, quod ipse Rex graviter injuriaverat, dum simul fuissent superiori anno in transmarinis partibus in expugnatione Acris civitatis, quæ per eundem tamen Regem expugnata erat. Inde autem idem Rex eam (legendum, jam) impatiens consortii erat, & societatis ibi, quia ipse valde regali apparatu & majori quam Rex Franciæ, & alii Principes, venerat illuc, & sub manu ejus erat multitudo exercitus usque ad sexaginta & amplius, ut fama erat, millia.

XI. Occasione naufragii à se passi. Repatriante autem Rege Franciæ, cum ipse solus ibi disposuisset potenter, quæcumque voluisset, & pacem per triennium inter Christianos & Saladinum firmasset, redire & ipse ad patriam simili quo venerat apparatu, cogitavit. Sed Deus aliter ordinavit, nam cùm prosperè aliquanto tempore navigasset, posteà subitò correptus tempestate illa sævissima, de qua supra dictum est, & disjectis navibus, quæ eum multa sequebantur more Regio, ipse solus cum navi sua, vento validissimo impellente, projectus est in partes vicinas Aquilegiensibus. Ibi à majoribus terræ illius valde injuriatus & spoliatus bonis, quæ ei mare iratum reliquerat, occisis etiam & captivatis hominibus suis, ipse cum paucissimis evadens, per partes Karentiæ, nesciens, quò iret, terram Ducis Austriæ ignorans ingressus est. Baronius num. VIII meminit Epistolarum Petri Blesensis, à se anno sequenti recitatarum, quibus Eleonora Angliæ Regina vehementer à Pontifice Romano petiit, ut ipse Rex captivus conjux ejus vinculis solveretur. Verùm Eleonora, non Richardi Conjux, sed mater erat, ut anno sequenti disertè asserit Baronius, & inter omnes constat. Quare typographus vel fortè amanuensis Baronii, loco matris, conjugem animo distractus posuit.

SÆC. XII. An. C. 1191.

XII. Cencius composuit librum censuum Eccles. Rom. Ad num. XIX. Onuphrius in Præfatione, quam libro Cencii præfixit, in magno suo Ritualium veterum Opere, quod Romæ extat in Bibliotheca Vaticana, ait librum Censuum ante annos plus minus quadringentos collectum, & in unum corpus redactum fuisse à Cencio quodam diacono Cardinali S. Luciæ in Orpheo, & S. R. E. Camerario sub Cœlestino Papa III, & tandem Pontifice Romano Honorio III nominato. In eo, subdit Onuphrius, cum omnibus S. R. E. redditibus, vectigalibus, & censibus ab eodem Cencio summâ diligentiâ, cum singulorum publicis instrumentis, in unum redactis, hic etiam omnium vetustissimus Ritualis sive Ceremonialis liber descriptus est: in quo Sanctæ illius & venerandæ vetustatis puritas & sinceritas, atque Romana Ecclesia in tractandis sacris, & re divina celebranda, summa cura & observantia inspicitur. Subjungit, se illum in brevem formam contraxisse. Prima pars continet omnes ritus, qui ab Adventu domini ad Exaltationem S. Crucis in Ecclesia Romana usitati sunt. Secunda est de presbyteriis per annum erogari solitis, deque variis Officialibus Pontificis. Ultima denique de electione & consecratione Pontificis, ac de coronatione Imperatoris. Purum putum Cencii librum Mabillonius Tom. II Musæi Italici sub nomine Romani Ordinis, & Baronius præfationem libri censuum Romanæ Ecclesiæ exhibent.

XIII. Bellum in Apulia gestum inter Cæsareos & Tancredum Regem. Ad num. XX. Anno superiori diximus, Henricum Imp. ex Apulia discedentem reliquisse Diepoldum, ut suo tempore contra hostes pugnaret. Quæ hoc anno gesserit, refert Richardus de Sancto Germano in Chron. dictus Adenulphus Cassinensis Decanus, facta compositione cum Diepoldo Roccæ arcis Castellano, qui se pro Imperatore gerebat, congregato militari & pedestri exercitu in Campaniam, quos prece, pretioque conduxerat, de Cassino veniens mense Januario vi cepit castrum Sancti Petri monasterii, & bonis propriis spoliavit, de civitate Sancti Germani usque ad Ecclesiam omnium Sanctorum occupavit, non tamen absque strage plurima Campanorum, & pace tandem hinc inde clamata, tota terra ipsi Decano se reddidit, & tunc de Sancto Germano nonnulli, qui dicti Regis (Tancredi) partem fovebant, in alteram partem secesserunt, quorum bona omnia à Teutonicis sunt direpta. Tunc idem Decanus cum præfato Diepoldo terram equitans cum insignis monasterii relictum castrum Plumbareolæ occupavit, vi cepit castrum Pignatarium, & quædam alia castra. Legendus hac de re Anonymus Casinensis.

XIV. Constantia Augusta in libertatem restituitur. Qui etiam scribit: Imperator Bertoldum Comitem cum exercitu mittit in Italiam, & cum eo remittit supradictum Abbatem (nempe Roffridum Casinensem Abbatem); sed Bertoldus in Tuscia demorans milites Abbati concedit; cum quibus-

SÆC. XII. An. C. 1192

dam rediens Ceperani adloquitur supradictam Imperatricem jam à Rege remissam, ducentibus eum Cardinalibus ad hoc missis à Papa, qui patabat Roma cum ea de concordia tractare (de Siciliæ tegno cum Tancredo). *Sed eadem Augusta Urbis declinat ingressum, & per Tiberim in partes Spoleti recipitur. Applicat Abbas* (nempe Casinensis) *cum militibus, qui die quadam cum Decano euntes Atinum, Cancellos diruunt, magnam partem Atini depradantur & comburunt, cepissentque castrum, si consilio Decani stetissent. Sed Teatmicus furor eodem quo venit impetu recessit. Iterum eadem via Comunum intrant, Gallinarium capiunt & subhabitant. Post dies aliquot milites, qui conduxerant Abbatem, recedunt paucis remanentibus*, quæ fusiùs idem Anonymus prosequitur.

XV. *Rediens in Germaniam Roma ingressum declinat.*

Joannes de Ceccano à Baronio citatus in tribus peccat. Scribit enim: *Anno MCXCIII indict. X dominus Cœlestinus Papa misit dominum Ægidium Diaconum Cardinalem Anagnia* (apud Baronium Librarii errore loco, *Anagnia*, legitur, *Aragmia*) *Panormum retulit Imperatricem Constantiam, quam Salernitani dederant Regi Tancredo, & honorificè duxit eam Romam* (verum Cœlestinus III non unum, sed plures Cardinales misit in Siciliam, & Imperatrix noluit ire Romam). *Et sic dominus Papa honorificè remandavit eam cum suis expendiis Imperatori in Alemanniam.* Sed hoc quidem verum, at non anno MCXCIII, ut habet Ceccanus, cujus errorem Baronius corrigit, sed anno currenti, ut *indictio X* demonstrat. Baronius existimavit, hoc anno *Henricum Imp.* classem parasse in *Tancredum* Siciliæ Regem, huncque & *Rogerium* ejus filium hoc anno obiisse. Verum hæc ad annum MCXCIV pertinent, ut suo loco dicetur.

XVI. *Ingens de Eucharistia miraculum.*

Ad num. XXI & seqq. Arnoldus Abbas lib. 4. cap. 14. narrat quoddam de Eucharistia miraculum suo tempore, idest, hoc seculo desinente accidisse in quadam Turingiæ puella, quæ cùm suscepto à Sacerdote viatico *Portiunculam Eucharistiæ in Biccrium*, in quo Sacerdos data communione manus suas abluerat, decidisse animadvertisset, & sibi ad bibendum jussisset afferri, totam aquam *in sanguinem mutatam* deprebendit, & portiunculam ipsam versam *in cruentam carnem*. Baronius hoc facto narrato concludit: *Hæc de transsubstantiatione aquæ in sanguinem Christi, per commistionem Christi corporis divinitus facta: quod semper fieri in vino, cum commistio intercederet, Antiquitas existimavit. Unde illud Romani Ordinis:* VINUM, ETIAM NON CONSECRATUM, &c. Refert etiam istud miraculum Mabillonius Tom. II Musei Italici Comment. in Ordinem Romanum pag. 89. & seqq. Verùm perperam uterque hanc narrationem Helmoldo Abbati attribuit; Helmoldus enim non Abbas, sed Presbyter Buzoviensis fuit, & Chronicon Slavorum anno MCLXVIII absolvit, quod postea Arnoldus Abbas Lubecensis continuavit, uti jam diximus.

XVII. *Quæritur an consecratio ex contactu fieri possit.*

Sed quod Baronius Antiquitati tribuit, ut ibidem animadvertit Mabillonius, non ita accipiendum est, quasi generalis fuerit totius Antiquitatis ea persuasio. Nam præter quam quod in primis octo seculis nulla hujusce opinationis apparent vestigia, imò in iis illa conversio non nisi verbis Christi à Sacerdote prolatis fieri semper & ubique credita est; in subsequentibus seculis, quo tempore apud nonnullos hæc opinio invalescere cœpit, multi Auctores, iique gravissimi in contrariam abierunt sententiam; alii verò media via incedentes, rem sub dubio reliquerunt. Inter Auctores partis negantis quasi princeps censendus est Sanctus Bernardus, qui ex immissa in vinum non consecratum particula, vinum quidem *sacrum*, sed non verè ac propriè consecratum fuisse dicit in Epist. LXIX. Huic occasionem præbuit factum cujusdam Abbatis Sacerdotis, qui cum super solam aquam in calice temere positam verba consecrationis protulisset, atque errore animadverso postea vinum infudisset, ac consecratæ Eucharistiæ particulam in calicem immisisset ad consecrationem supplendam; Bernardum, quid super hac re sentiret, consuluit, hocque responsum impetravit: *Nec sub tanto articulo melius fieri potuisse putamus, arbitrantes, liquorem, etsi non ex consecratione propria atque solemni in sanguinem mutatum, sacrum tamen fuisse ex contactu corporis sacri.* Ubi cùm Bernardus dicit, vini liquorem, *non ex consecratione propria atque solemni in sanguinem fuisse mutatum*, cave, inquit Mabillonius, eum existimes sensisse transmutationem factam ex consecratione minus propria, minusque solemni, quæ fieret per contactum corporis sacri. Nam *sacrum* tantum fuisse ex hoc contactu liquorem, non consecratum, palam est eum existimasse.

XVIII. *Negant S. Bernardus, Iacobus de Vitriaco & Beletus.*

Eamdem sententiam confirmat Jacobus à Vitriaco in Hist. Occident. cap. 38. *non dicimus*, ait, *quod ex tactu sanguinis vinum ablutionis convertatur in sanguinem: sed remanet purum vinum, licet ex contactu sanctæ rei sit sanctificatum, sicut aqua fluminis aqua benedicta commixta, dicitur sanctificari.* Quibus præmissis hæc subdit, quæ in rem nostram magis expresè faciunt: *Mentiuntur ergo, qui dicunt, quod in die parasceve Corpus Christi ex contactu mutat vinum in Sanguinem. Illo enim die Corpus, sed non Sanguis sumitur: neutrum autem conficitur, eo quod die illo in veritate immolata fuit hostia: & ideo non immolatur in figura.* Non poterat Jacobus magis affirmatè sententiam pronunciare. Vitriaco præivit *Ioannes Beletus*, qui teste Alberico in Chron. anno MCLXXXII in Ecclesia Ambianensi vivebat. Ipse negantem sententiam ratione confirmat in cap. XCIX: *Si quis autem roget, num istud vinum quod eo die* (sc. Parasceves) *sumitur, ex Dominici Corporis contactu consecretur, quamvis* COMPLURIUM *scripta illud asserere videantur; nos tamen veritatem magis sequentes, & ea quæ Sancti Patres tradiderunt, dicimus, vinum illud omnino non esse consecratum ex illo contactu, sed sanctificatum.*

XIX. *Partem negativam tuetur etiam Durandus.*

Rationes hujus sententiæ subjicit idem Beletus, easdemque totidem ferè verbis repetit Guilielmus Durandus in Rationalis lib. 6. cap. 75. *Sed nunquid vinum, quod in die Parasceves cum Dominico Corpore servato sumitur, in altari consecratur, & Sanguis Christi efficitur per immissionem ipsius Corporis in calicem & per ejus tactum: Super hoc dicunt quidam* (in quibus Amalarium & Micrologum haud dubiè intelligit) *quod per Dominicam orationem, quæ tunc dicitur, fit consecratio sive commutatio vini in Sanguinem. Nam Gregorius assignans causam, quare Dominica oratio in die illa à Sacerdote dicatur, dicit, quod in primitiva Ecclesia Apostoli sola dominica oratione utebantur in consecratione. Nos tamen hoc non dicimus, quia si hoc jam esset, non esset necesse Cor-*

pus

pus Domini ad diem illum servari (nempe quia æque panis ac vinum per Dominicam orationem consecraretur). *Præterea ex his, quæ in Canone Dominicam orationem præcedunt, satis patet, quod ad prolationem ipsius orationis transsubstantiatio non fit; & nullo tempore Missa fuit celebrata sine illis verbis*, Hoc est corpus meum, &c. *quæ sola in principio nascentis Ecclesiæ proferebantur ab Apostolis, qui post modum orationem Dominicam superaddiderunt. Dicimus ergo illud non consecrari, sed sanctificari. Differt autem inter hæc; nam consecrare est consecratione transsubstantiare: sanctificare est ex contactu, seu admistione sacræ rei reverendum & sanctum effici, ut patet in aqua benedicta*, &c.

XX. *Hæc sententia affirmativa præferenda.* Ex his quædam elici possunt. I, variam & inconstantem fuisse Auctorum & Ritualium librorum de consecratione per contactum sententiam, aliis affirmantibus, negantibus aliis, aliis verò rem in medio relinquentibus: nec proinde ejusmodi consecrationem ut dogma receptum fuisse. II, affirmantem partem ab Ecclesia Romana nequaquam fuisse traditam aut propugnatam, neque in libellis Romani Ordinis certò assertam; imò verba hæc, *sanctificatur enim vinum non consecratum*, &c. Quæ Auctoribus affirmantis opinionis fundamentum præbuerunt, à quodam Glossatore fuisse inserta. III, non immeritò *Beletum* dicere affirmantem illam sententiam pugnare contra ea, *quæ Sancti Patres tradiderunt:* quorum hæc concors & unanimis sententia est, veram utriusque speciei consecrationem nonnisi verbis Christi Domini à Sacerdote prolatis perfici posse: ac tandem jacere *Hieronymi* argumentum adversus diaconos, qui se efferebant supra Presbyteros, *ad quorum preces Christi Corpus, Sanguisque conficitur*, si ex contactu (qui Diaconis etiam, imò & laicis tribui poterat, & revera tribuebatur in communione domestica) verus sanguis consecrari poterat. Hæc solidè Mabillonius, qui concludit, validè hinc refelli Heterodoxorum argutationem, ex commistione particulæ cum vino haud consecrato, communionem sub altera specie suppleri contendentium.

XXI. *Martyrium S. Alberti Episc. Leodiensis & Card.* *Sanctus Albertus* Episcopus Leodiensis & S. Rom. Ecclesiæ Cardinalis Remis occiditur ab apparitoribus missis ab Henrico Imp. qui cùm ab eo fuissent amanter recepti, nacti spatiandi occasionem, extra muros civitatis eductum interfecerunt *VIII Kalend. Decemb.* ut fusè narrat Ægidius Aureæ vallis Monachus in Hist. Episcoporum Leodiensium; verebatur enim Imperator, ne Dux Lovaniensis frater ejus contra imperium junctis sibi fraternis viribus intumesceret. Annus occisi *Alberti* Ecclesiasticam libertatem defendentis accuratè à Ciaconio in Hist. Cardinalium notatus fuerat, præsens scilicet, sed Olduinus in illustratione ejusdem Historiæ hoc martyrium in annum sequentem distulit hoc unico fundamento, quòd in Sacrario Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis *Albertus* anno MCXCIII dicatur Remis occisus. Verùm hujusmodi annotationes, ut identidem insinuavimus, à posterioribus, iisque sæpiùs rei chronologicæ imperitis positæ. Motus fuit etiam, opinor, his verbis Ægidii cap. 86. *Passus est Martyrium idem Albertus VIII Kalend. Decemb. anno Domini MCXCIII*; verùm locus ille corruptus, legendumque, *anno Domini MCXCII*. Ipsemet enim Ægidius cap. 64. dicit Albertum Episcopum Leodiensem consecratum *die dominica, quæ erat vigilia Sancti Matthæi Apostoli & Evangelistæ*, ideoque hoc Christi anno. Tum cap. 73. inquit: *Hæc lucta luctabatur ab exilii sui primo die usque ad diem mortis suæ, per dies circiter sex atque sexaginta*; à die autem XX mensis Septemb. in quem vigilia S. Matthæi incidit, usque ad VIII Kalend. Decemb. seu diem XXIV mensis Novembris, quo interfectus fuit, totidem dies fluxêre. Denique Ægidius cap. 79. loquens de ultima Missa, quam *Albertus* ante mortem in monasterio Sanctæ Cæciliæ virginis celebravit, scribit: *Venerat Dominica dies, quâ occurrerat Sanctæ Cæciliæ virginis & martyris festum*, qui uterque dies præsenti anno concurrerunt. Hæc itaque epocha extra omne dubium posita. Anno MDCXII *Albertus & Isabella* Archiduces Austriæ, consentiente Ludovico XIII Franciæ Rege, Sancti Martyris corpus à Ludovico Cardinali de Guisia Archiepiscopo Remensi, & Capitulo ejusdem urbis obtinuêre, & piissimus Princeps *Bruxellis* illud suis humeris in Carmelitanarum Ecclesiam à se extructam deportavit, ut narrat Marlotus in Metropoli Remensi.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6686.

☉ 16. C. ☽ 16. P. 28. Mart. Indict. 11.

JESU CHRISTI 1193.

CÆLESTINI III. PAPÆ 3.

HENRICI IV. REG. 4. IMP. 3.

ISAACII ANGELI IMP. 9.

Anno Eræ Hispan. MCCXXXI. Anno Hegiræ DLXXXIX inchoato die 6. Januar. fer. 4. Anno Heglræ DXC. inchoato die 17 Decemb. fer. 2.

I. *Gesta anno superiori inter Tancredum Siciliæ Regem & Cæsareos.* AD num. I. Richardus de Sancto Germano in Chron. verba facit de expeditione Bertholdi Comitis exeunte autumno superioris Christi anni suscepta, eitque: *Bertholdus Comes ex parte Imperatoris in regnum* (nempe Neapolis) *Legatus mittitur; qui veniens cum electis militibus & bellatoribus de Florentia sic ei faventibus, qui partem Imperatoris fovebant, & convenientibus ad eumdem, Venafrum in festo beati Martini vi cepit, & suis dedit in direptionem & prædam. Tunc Comes Rogerius de Molisio metûs causâ, quia se in partem Regis* (nempe Tancredi) *dederat, in Roccam Magenul recipit.* Idem Richardus de Sancto Germano hæc ad currentem annum refert, quæ etiam ad præcedentem pertinent: *Roffridus dictus Casinensis Abbas de Alemania rediens, relicto ibidem obside Gregorio germano suo, cum nonnullis quos secum duxerat electis militibus, Casinum intrat. Atinum foris devastat, incolatum occupans Sancta Maria de Atino, & dirui faciens muros Castelli & portam ejus. Vi cepit Gallinarium, & bonis propriis spoliavit: rediens verò ad terram monasterii, castrum Sancti Angeli Theodicus sibi contrarium, quia partes Regis Tancredi fovebat; cum Conrado Castellano Sorellæ & cum gente sua, licet non profecerit, vehementer impugnat, faciens quam potuit in exterioribus vastitatem.* Sed hæc ad annum præcedentem pertinent; cùm ipsemet Richardus de Sancto Germano disertè asserat, hunc Abbatem Casinensem in regnum Neapolitanum rediisse *eo anno, quo Rex Angliæ ab Jerosolymis rediens à Duce Austriæ retentus & captus est*, quod certum est anno præcedenti contigisse.

Quæ

SÆC. XII. An. C. 1193. II. *Gesta hoc anno inter eosdem.*

Quæ verò currenti contigere, Anonymus Casinensis hoc modo narrat. *Bertoldus relictus in Comitatu Molisii Conrado Muscancervello redit, & ducit in uxorem sororem Comitis Berardi, relictam Comitis Roberti de Caserta. Diopulsus* (seu Diopoldus) *in prædam discurrens versus Campaniam gradientem contra se Comitem Calem capit, & transductum in Rocca arcis captivum servat, & præda tali gloriosus usquequaque per terram Laboris licenter jam discurrit & deprædatur. Supra scriptus Abbas* (nempe Casinensis) *exercitu collecto recuperat Castellum novum & alia vicina castra, pacto de reddendo se statuto tempore, nisi erit eis à Rege* (nempe Tancredo) *succursum. Castrum sancti Angeli foris devastat.* Idem Auctor hæc etiam narrat: *Bertoldus coadsistentibus ei Muscancervello, Diopulde, & Conrado* (Sorellæ Gubernatore) *prædictis, nec non & Abbate Casinense; Fundano & Casertano Comitibus cum viribus suis castrum Sexti, ubi Landus de Montelongo Comestabulus erat, cum quibusdam Campanis militibus, pro parte Regis Tancrede vi cepit, ipsoque castro bonis propriis spoliato, ipsum Landum cum sociis suis captivum duxit; quorum libertati post multa supplicia pietatis causa non profuit, nisi redimi profuisset. Roccam etiam Ravenulæ aggrede à suis bellatoribus faciens per insultum cepit Vatranum acriter impugnans, ubi quidam erat Rogerius de Theate pro Rege statutus in nullo profecit. Demum succrescentibus ei viribus regnum Imperiali nititur subjicere servituti.*

III. *Alia eorumdem gesta militaria.*

Idem Anonymus etiam scribit: *Bertoldus redit in Comitatum Molisii. Rex Tancredus in Apuliam veniens recepit filiam Imperatoris Constantinopolitani in uxorem Rogerio filio suo dudum in Regem coronato. Exinde collecto exercitu venit ad Montem Fuscum, contra quem Bertoldus castra movens tentoria figit apud Paludam, ubi die belli condicto pugnare volentem Regem quidam de suis retrahunt. Inter morat autem exercitus Imperialis penariæ coactus redit in Comitatum Molisii. Rex verò transiens vi capit Roccam sanctæ Agathæ, & castrum Sabinianum, ubi plures de Teutonicis captos extremo supplicio damnat. Bertoldus castrum Montis Rodonis obsidet, quia fidem ruperat; sed die quadam suas machinas exteriùs instruens de machina interiori emisso lapide percussus moritur. Conradus supradictus* (Muscancervello) *parte quadam exercitûs dilapsa, dux eligitur ab aliis, obsidionem non deserit, donec castrum vi cepit, proditores in circuitu suspendit, consumptisque rebus castrum ipsum incendio primùm, deinde ruina usque ad solum evertit. Rex Tancredus prosperis successibus animatus venit in terram Laboris, obsidet Casertam, donec Comes Guillelmus reddit se: deinde obsidet Tersam, & ipsi se reddunt obsidibus datis. Conradus transit in vallem Forconis, exercitum recreat captis terris, quæ reddiderant se Regi. Rex venit Theanum sperans ad se revocare supradictum Abbatem* (nempe Casinensem); *sed vir consilii futurorum providus & justitiæ conscius, nec muneribus Regis, nec terroribus Sedis Apostolicæ* (quæ Tancredo Regi favebat) *potuit inflecti. Rex ægritudine correptus redit Siciliam; quo recedente Conradus Cominum intrat & devastat, & deducto Comite Calem recipit. Diopulsus Roccam Montis Draconis, Conradus verò in Apuliam transiens loca immunita capit, munita deprædatur & devastat.*

IV. *Annales*

Baronius ad hunc annum revocat adventum *Henrici Imp.* in Campaniam, mortem *Tancredi Regis*, ejusque filii, & sævitiam Imperatoris in Tancredum & Rogerium Reges jam demortuos. Verùm hæc omnia ad annum sequentem pertinent, ut ibidem videbimus.

SÆC. XII. An. C. 1194. *emendantur.*

V. *Tres Epistolæ Eleonoræ Reginæ ad Cælestinum PP.*

A num. II ad XIX Recitat Baronius Epistolas tres ab *Eleonora* Angliæ Regina, ac Richardi Regis matre, ad *Cælestinum Papam* datas, quibus hunc lamentis atque querelis urget, ut *Richardo Regi* filio in captivitate detento opem ferat. Baronius num. XVII rectè quidem arbitratur, hoc anno à Petro Blesensi Reginæ nomine scriptas fuisse, sed quod addit eas emissas *post subjugatam ab Imperatore Siciliam* subsistere non potest; cùm nonnisi anno sequenti Sicilia in Henrici Imp. potestatem venerit, & ante hujus anni finem inter Henricum Imp. & Richardum Regem convenerit de conditionibus, quibus hic liberandus esset. Quare hoc tantum verum est de tertia, quæ ideo ante initium anni sequentis non data, ut ibidem monstrabimus.

VI. *Richardus Rex Henrico Imp. traditur.*

Rex Richardus, inquit Matthæus Paris in Chron. *remansit in custodia Ducis Austriæ, donec ipsum vendidit Imperatori Romanorum Henrico pro sexaginta millibus librarum argenti ad pondus Coloniensium. Quem feriâ tertiâ post Ramos Palmarum adducens, diligentissimè custodiri fecit. Et ut Regem ad immoderatum redemptionem pecuniæ impelleret quantitatem, retrudi eum præcipit in Triballis, à quo carcere nullus ante dies istos exivit, qui ibidem intravit*, &c. *Ubi sub copiosa militum & servientium multitudine, quievit in locis omnibus, nec defuêre, qui etiam die noctuque strictis comitarentur gladiis. Lectum autem Regis ambiebant deputati, nemineque suorum cum eo pernoctare permiserunt.* Idem ferè narrat Radulphus de Diceto in Imag. Hist. pag. 668.

VII. *A quo pessimè habetur.*

Illustris Rex Anglorum, inquit Neubrigensis lib. 4. cap. 31. *à Duce Austriæ, qui paulò ante illi in Syria contra Turcos militaverat, tenebatur in vinculis. Imperator allegans Regem non debere teneri à Duce, nec esse indecens, si ab Imperatoria Celsitudine decus Regium teneretur, insignem ad se trahere curavit captivum. Et cùm negari non posset, à Duce resignatum in propriam avarus Imperator traducit custodiam, pactus tamen Duci competentem ex proveniente commodo portionem.* Post aliqua interposita: *Imperator quidem avaritiam pallians, & quod fœdissimè faciebat, adumbrata justitiæ colore obducens illustrem captivum concinnatis maculabat mendaciis, & gloriabatur voluntate Dei incidisse in manus suas plectendum severiùs hostem imperii & Terræ sanctæ, in cujus medio Dominus salutem operatus est, proditorem. Denique circa dominicam Palmarum solemniter sibi præsentatum, coram omni frequentia nobilium & populi, gravium objectu excessuum terrere tentavit. Ille verò hilari fretus conscientia, constanti & libera responsione ita objecta diluit, ut Imperator quoque non solùm ad misericordiam, verùm etiam ad venerationem ejus flecti videretur. Multis enim præ gaudio in lachrymas resolutis, inclinatum Regem dignanter erexit, uberiorem de cetero gratiam, & fusiora solatia pollicens, re autem vera ingentis summæ, mediante Duce Austriæ ab ipso Rege pro sua liberatione promissæ, sitibundè inhians. Unde nec relaxandum duxit, quem sic honorare voluit, nullum commodius judicans pignus promissionis, quam corpus promissoris.*

A nun.

VIII. *Wormatia conventus habitus pro redemptione Regis Angliæ.*

A num. XIX ad XXIV. *Totius Alemanniæ generalis Conventus*, ait Radulphus de Diceto pag. 670. *Magnates solummodo comprehendens, habitus est apud Warmatiam tertio Idus Julii. Tractatum est ibi de redemptione Regis Anglorum: tandem sub audientia plurimorum propalatum est pretium appretiati, quem appreciavit Henricus Imp. Romanus ab Austria Duce Limpolde* (legendum, Leopoldo) *sc. quinquaginta millia marcarum argenti. Sed ut Imperator egregius fenerator legitimarum usurarum summam, quæ per annum æquiparantur sorti, per unum diem in duplum excederet, centum millia marcarum sibi suo tempore solvendarum extorsit à Rege. Summa redemptionis Regis Anglorum est argenti centum millia librarum, ad pondus Coloniæ monetâ publicè probata. Quæ pecunia certis temporibus & distinctis quinquaginta datis obsidibus persolvetur.* De eius liberatione anno sequenti sermo erit.

IX. *Philippus Franciæ Rex filiam Daniæ Regis uxorem accipit, & mox repudiat.*

Ad num. XXIV. *Philippus Rex* (Franciæ), inquit Chronographus Aquicinctinus, *secundam duxit uxorem, Ingelburgem Regis Daciæ filiam, in vigilia Assumptionis sanctæ Mariæ, Ambianis. In die autem Assumptionis eiusdem die dominica, præsente Willemo Archiepiscopo Remensi* (Cardinali tit. S. Sabinæ anno MCLXXIX creato, ut ibidem num. XIII ostendit Baronius; sed ante annum MCC Historici de Episcopis aut Archiepiscopis Cardinalibus loquentes plerumque Cardinalatûs mentionem non faciunt, indeque factum, ut Historia Cardinalium ante seculum duodecimum manca hactenus fuerit, quod observare juvat), *Petro Attrebatensi, Joanne Cameracensi, Theobaldo Ambianensi, Lamberto Morinensi, Stephano Tornacensi, & aliis suffraganeis Archiepiscopis, & multis Franciæ Principibus astantibus, Regio diademate coronata est, in totius civitatis gaudio & conspectu. Octogesimo autem & secundo die post has nuptias, quorumdam consilio, apud Compendium Rex cum suis Archiepiscopis, Episcopis & Baronibus colloquium habuit. Ibi quidam consurgentes, consanguinitatem inter primam Reginam & secundam juraverunt. Quo juramento Rex accepto, absque ulla dilatione & consilio, dimisit eam.* Ingelburge, seu Ingeburga, ab Historicis Gallicis sæpè *Gerberga* appellata, nunquam verò *Botilda*, uti eam Baronius Hovedenum secutus nuncupat. Error inde procedit, quod eius proavia *Botilde* dicta fuerit. Hæc enim *Ingeburgæ* prosapia, ut videre est apud Pontanum lib. 6. Rer. Danicarum pag. 288. *Ericus* cognomento Bonus *Botildem* Suecicam uxorem duxit, quo ex matrimonio natus *sanctus Kanutus Lawordus* Rex Obotritorum & Dux Slesvicensis de quo anno MCXXXI actum. Ex Kanuto & Ingeburga Ruthenica genitus *Woldemarus* eius nominis I Daniæ Rex, & ex eo & Sophia conjuge ortus *Kanutus* Daniæ Rex hujus nominis III, & *Ingeburga* Philippo Augusto Galliarum Regi hoc anno nupta. *Elizabeth* enim seu Isabella prima ejus uxor ab anno MCLXXXIX, uti jam diximus, demortua.

X. *Series Patriarcharum Constantinop.*

Ad num. XXV & seq. *Nicetas Mundanus* seu *Mundanes* Patriarcha Constantinop. non hoc anno, sed superiori Patriarchatu dejectus est, uti anno MCXCI ostendimus; Nicetæ Mundano successit *Leontius Monachus*, qui cùm hoc anno abdicasset, substitutus ei *Dositheus*, à Sede Jerosolymorum ad Constantinop. translatus, isque cùm anno sequenti etiam abdicasset, successorem habuit *Xiphylinum Georgium*, seu *Georgium Xiphilinum*, ut ibidem exposuimus, & Baronius hoc loco uno tenore refert. Jam Cardinalis doctissimus anno MCLXXXVII num. XI scripserat, eo anno *Mundanum* subrogatum fuisse in locum *Basilii Camateri*, eumque statim ejectum, sed id eo anno, & anno MCXCI refellimus, & accuratam horum Patriarcharum seriem exhibuimus.

XI. *Post Saladini mortem Saracenorum imperium divisum.*

Salahadinus Soldanus Babyloniæ & Damasci obiit, qui moriens jussit, ut signifer eius portans sudarium suum super lanceam per Damascum „(ubi mortuus est) *clamaret:* Rex totius „Orientis nihil amplius de suis omnibus secum portat. *Post quem filii eius regno compertito cum Safadino Salahadini fratre, diutius de regno concertant*, inquit Nangius in Chron. ad hunc annum, & extra omne dubium ponit Epistola Gaufridi Magistri Hospitalis Jerusalem hoc anno à Chronographo Aquicinctino recitata, in qua ait: *In prima septimana Martii, die qui dicitur Mercurii, mortuus est persecutor noster Salahadinus, in cujus morte genti suæ factus est timor & perturbatio, & inter filios eius exorta est ira & dissensio. Quilibet enim illorum, quorum alter est in Halapia, alter in Damasco, alter in Babylonia commoratur, se fratri suo subjectum esse fastidit, sed alter ad dominium alterius & terræ eius potius intendit. Unde veraciter cognoscimus, quod à tempore perditionis Terræ, hæreditas Christi sic de levi non potuit recuperari. Terra quam tenet Christianitas in treugis, manet ferè penitus habitatoribus destituta. Factum anno Domini MCXCIII in exitu Aprilis.*

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6687.

☉ 27. B. ☽ 17. P. 10. April. Indict. 12.

JESU CHRISTI 1194.

CÆLESTINI III PAPÆ 4.

HENRICI VI REG. 5. IMP. 4.

ISAACII ANGELI IMP. 10.

Anno Eræ Hispan. MCCXXXII. Anno Hegiræ DXCI. Inchoato die 16. Decemb. fer. 6.

I. *Richardus Rex Angliæ in libertatem restituitur.*

A Num. I ad IV. *Anno gratiæ MCXCIV, qui erat secundus annus captionis Richardi Regis Angliæ, idem Richardus fuit adhuc in captione Henrici Romanorum Imp. in Alemannia apud Spiram die Natalis Domini, qui Sabbato evenit: & ibi mansit usque ad tempus liberationis suæ, quod statuerat ei Imperator, videlicet à secunda feria post diem Nativitatis Domini in tres septimanas*, inquit Hovedenus in part. post. pag. 733. qui paulò pòst addit: *Imperator distulit diem liberationis Regis Angliæ, & alium diem liberationis suæ statuit ei in Purificatione S. Mariæ apud Maguntium*, id est, Maguntiam. Tum pag. 734. refert Hovedenus Henricum Imp. cum Magnatibus imperii sui & Richardum Regem Angliæ cum Eleonora matre eius, & Waltero Rotomagensi Archiep. aliisque convenisse apud Moguntiam in *Purificatione B. Mariæ*, & Imperatorem voluisse à pacto resilire *propter cupiditatem pecuniæ, quam Rex Franciæ, & Comes Joannes* (Richardi Regis frater & inimicus) *ei obtulerant.* Tandem datis obsidibus *de residuo pecuniæ redemptionis suæ* Maguntinus & Coloniensis *Archiepiscopi tradiderunt eum in manu Alienor matris suæ liberum & quietum ex parte Imperatoris, pridie Nonas Februarii, feriâ sextâ, die Ægyptiaca, quam moderni diem malam vocant; & sic in die mala liberavit eum Dominus.* Post aliqua interposita

II. *Flores S. Hugo Lincolniensis Episc.* A num. IV ad X V I I. *Cælestinus* I I I de pietate & sapientia *Sancti Hugonis* Lincolniensis Episcopi certus, ei & duobus aliis commisit inquisitionem faciendam de excessibus *Gaufredi* Eboracensis Archiep. ut videre est apud Baronium, qui ad hanc accusationem spectantia in medium producit. Anno MCLXXXVI num. X V I I & seqq. varia de eo habes ex Auctore anonymo, qui Vitam ejus à Surio ad Diem X V I I Novemb. recitatam scripsit, putatque illum ejus æqualem esse. Scribit Anonymus *Hugonem* genere Burgundum & Priorem Cartusiensis Ordinis in Anglia consecratum esse illo Christi anno Episcopum Lincolniensem *in festo Sancti Matthæi*, cui ea in re Matthæus Paris consentit. Giraldus Cambrensis apud Wartonum in Anglia Sacra part. II de Vitis Episcoporum Lincolniensium cap. 26. qui eo vivente Opus illud edidit, de Hugone inter alia literis mandavit: *Personas egregias, literatura & honestate præclaras, per regni amplitudinem quasi studio quodam ad hoc electas, fideles Ecclesiæ suæ columnas erexit; non sanguinem imprimis ut ceteri; non sobolem carnaliter sapiens, sed duce spiritu ac ratione prævia literas potius & merita pensans. Item cupiditatis omnis & ambitionis expers, ab omni munere subjectorum gravamine & exactione potenter manus excutiens, adeo simonia laqueos, quibus cuncti hodie ferè Majores irretiuntur, exhorruit, ut sponte oblata plerumque donaria, ne sinistra suspicione ulla saboriri nota valeret, ex consuetudine recusaret, etiam ad antidota teneri, & vel mentaliter ac naturaliter obligari plurimùm cavens.*

III. *Annus mortis ejus ac canonizationis.* *Sed quid per singula curro? Tot bonitatis & probitatis ejusdem, tot virtutibus & honestatis indiciis tam insignis enituit, ut tanquam unica suis diebus Anglicanæ Ecclesiæ columna, singulareque speculum divina* (legendum, divini) *repercussione luminis elucescens, & propemodum ut omnibus non petere exemplum, sed dare dignus existens, inter Lincolnienses Antistites usque ad sua jam tempora post Beatum Remigium merito primus & præcipuus, si principio finis assenserit, habeatur. Utinam ergo talarem indutus tunicam, qua tam laudabiliter inchoavit, felici fine concludat, & in anteriora se constanter extendens & non reficiens, operam adhibeat, opemque divinam ad hoc exposcat; quatinus vitæ commendabilis cursus primo ne medium, medio ne discrepet imum.* Hæc Giraldus testis ocularis de Sancto Hugone, qui ut videre est apud Spondanum anno MCC ad Deum migravit, ut etiam habent Matthæus Paris & Bromptonus in Chron. Hovedenus pag. 811. non tantum annum; sed etiam diem ac feriam, quibus mortuus est, expressit, & ad annum MCC scripsit: *Mense Novembris XVI Kal. Decembris feria V obiit Hugo Lincolniensis Episcopus Lundoniæ.* Addit, corpus ejus *IX Kal. Decemb.* Lincolniis delatum esse *ibidem tumulandum.* Nomen ejus Martyrologio Romano ad diem XVII mensis Novemb. inscriptum. Quoad verò *Beatum Remigium* cujus ibidem meminit Giraldus, is ejus Vitam composuit, ibidem pag. 412. & seqq. legendam. *Remigius* sedem suam Cathedralem à loco nimis incongruo & obscuro cùm vir Sanctus tanquam unà cum Domino cælos ascendit, ideoque anno M X C I I, ut Simeon Dunelmensis de Gestis Reg. Angl. & Hovedenus pag. 463. observarunt, Sancti Præsulis mors contigit. *Hugo* verò anno M C C X X ab Honorio I I I inter Sanctos relatus, ut videre est apud Raynaldum eo anno.

Ad num. X V I I. Hoc anno ad petitionem Theodorici Abbatis Sancti Michaelis Archangeli apud Hildensheimium *Bernwardus Hildensheimensis Ecclesiæ quondam Episcopus, cœnobii verò B. Michaelis Archangeli primus fundator* relatus est in numerum Sanctorum, ejusque Reliquiæ translatæ, uti narrat Arnoldus lib. 4. cap. 23. & ex eo Baronius. Sed quia Arnoldi locus à Librariis corruptus fuit, hîc emendandus: *Facta est hæc Translatio, non sine virtute signorum, à domno Bernone Episc. anno Præsulatûs ejus VII, anno Verbi incarnati MCLXXXIV* (legendum, M C X C I V, ut Baronius locum illum correxit) *Romæ præsidente D. Papa Cælestino, Pontificatûs ipsius anno IV, Henrico vero Imp. anno regni ejusdem à morte patris, qui in peregrinatione Jerosolymitana gloriosè obierat, septimo* (legendum, quarto) *imperii vero quarto, anno quoque depositionis Sancti memorati CLXXXVIII*; sed cùm Sanctus Bernwardus die vicesima mensis Novembris anni M X X I I, ut ibidem demonstravimus, obierit, apparet, legendum esse, *anno quoque depositionis Sancti memorati CLXXII.* Denique annus V I I Præsulatûs Bernonis etiam corruptus; cùm Alexandro I I I Papa federit; sed primus ejus Præsulatûs annus incompertus. IV. *Canonizatio & Translatio S. Bernwardi Episc. Hildesheimensis.*

Ad num. X V I I I & seqq. Richardus de Sancto Germano ad annum M C X C I I I scribit: *Rex Tancredus castrum Sabiniam vi cepit, & quemdam Sarolinum capiens ipsius castri dominum, qui de Rege ipso inultam fuerat oblocutus, suspendi jussit: recepit etiam Roccham Sanctæ Agathæ, quam quidam Robertus de Calagio dicti Comitis Andriæ filius contra eum tenebat* &c. *Exinde veniens in terram Laboris Comitem Casertæ recepit & Aversam, Sanctagathensis quoque civitas ac Telesia, quæ tota postmodum combusta est, venerunt ad mandatum ipsius. Tunc accersito ad se Roberto de Apulia abstulit ei Roccham Willelmi, & quemdam in ea Andream de Theano posuit Castellanum: sicque relictis in pace Apuliæ finibus, & terra Laboris, Rex ipse in Siciliam remeavit; ubi ordine præpostero Rogerius filius ejus, qui coronatus in Regem fuerat, viam est universæ carnis ingressus, & frater ejus Guillelmus in Regem successit eidem* (tertius hujus nominis inter Siciliæ Reges) *Ipse quoque Rex doloris punctus aculeo, brevi post tractum temporis infirmitate correptus obiit*, initio præsentis anni, sed Richardus de Sancto Germano res inter se connexas uno tenore refert. Quantum conjectura assequi possum, exeunte anno Juliano M C X C I I I *Rogerius* fato functus est, & *Guillelmus* frater ejus Regni coronâ donatus, idque post festum Natalis Christi. Anonymus enim Casinensis, qui ab eo die annum exorditur, ait: *Anno MCXCIV Rogerius filius Tancredi obiit, postquam & ipse coronato Willelmo filio suo decessit.* Dies quidem emortualis V. *Mors Rogerii & Tancredi Siciliæ Regum.*

*malis Tancredi Regis nos latet; sed certum eum mense Maio hujus anni in vivis non fuisse, ut demonstrat Charta à Pyrrho in Sicilia Sacra lib. 3. not. 2. recitata: *In nomine Christi anno ab Inc. Dom. MCXCIV mense Madii indict. XIII anno primo dom. nostri Willelmi tertii filii Regis Tancredi*, &c.

VI. *Henricus Imp. occupat regnum Siciliæ.*

Idem Anonymus Casinensis ad hunc annum habet: *Imperator exercitu collecto mense Junio Italiam ingreditur; Pisis & Janua parat exercitum navalem, & eo misso ipse in regnum descendit, omnibus se reddentibus præter Atinum & Roccham Willelmi. Capuani & Aversani nec se reddunt, nec obsidentur. Neapolitani ex pacto jam Pisis habito se reddunt; Imperator transiens Salernum vi cepit, & in ultionem suæ injuriæ habitatores partim gladio, partim carcere, nonnullos exilio damnat, rebus publicatis, & in prædam exercitûs addictis. Deinde transit in Apuliam, & nullo resistente per Calabriam venit Messanam. Willelmus novus Regulus dimisso Palatio matri recipit se in castrum munitum, quod dicitur Calatabillotta: quo viso populus Panormitanus Imperatorem vocat. At ille, præmissis nunciis & fœdere facto cum Regina de dando sibi Comitatu Licii & filio Principatu Tarenti properat, & magnificè Panormum ingrediens in Palatium recipitur. Nec multò pòst idem Regulus* (nempe Guillelmus III) *fortunam cum corona deponens ad pedes ejus venit.* Radulphus de Diceto in Imag. Hist. ad hunc annum scribit: *Januensium & Pisanorum tam auxilio quam consilio roboratus* (sc. Henricus Imp. *Bonefacium Marchionem de Monte ferrato totius navigii sui, quod excreverat in immensum, signiferum ordinavit. Bonefacius itaque dum hac ora fulcares intrepidus, & Salernitanos pro viribus paratos resistere cognovisset, irruit super eos, & non modica strage peracta victoriam reportavit, urbem succendit, prædavit, Ecclesiis non pepercit, Ecclesiam Sancti Matthæi violenter intravit, asportavit thesaurum, sine delectu cives in ore gladii trucidavit, quosdam truncavit capite, quosdam suspendit patibulo, mulieres omnes indifferenter prostituit. Civitate vastata, transit in Siciliam; civitates omnes in deditionem accepit. Willelmus Tancredi Regis filius in ætate puerili sublimatus in Regem, cum matre sua præsidium adiit, sicut fertur, tutissimum, castrum sc. Sancti Joannis. Imperator Henricus iter dirigens ad urbem Panormitanam, in sede Metropolitana solemni processione receptus est, X Kal. Novemb.* (qui hoc anno in Dominicam incidit) *regni diadema suscepit.*

VII. *Detinet Guillelmum III Siciliæ Regem.*

Ad hunc annum etiam pertinent quæ Anonymus Casinensis, qui annum à die natali Christi inchoat, narrat initio anni MCXCV: *Imperator solemni Curia in Palatio habita ostensis literis, quas conspiratione quorumdam Magnatum regni factas dicebat adversus eum, eumdem Willelmum quondam Regem modo Principem factum, & plures Comites ac regni Magnates in vincula conjecit. Constantia Imperatrix filium parit in Marchia Anconitana, quem in auspicium cumulandæ improbitatis inculcatis avorum nominibus* (Friderici sc. Barberossæ avi paterni, & materni Rogerii, qui schismatici fuêre) *Fredericum Rogerium, seu Rogerium Fredericum vocat.* Inutile non erit narrare hîc quæ Richardus de Sancto Germano ad hunc annum scribit: *Dictus Henricus Imperator parato navali & terrestri exercitu regnum intrat. Illum Roffridus Casinensis Abbas* (vides hunc Chronographum Cardinalatum *ejus tacere*) *magnificè excipit, nec non & Fundanus Comes, ac alii omnes Teutonici & Latini suum præstolantes adventum: cum quibus terram Laboris ingrediens Neapolim recipit, Salernum sibi renitentem vi cepit, ac suis dedit in direptionem & prædam. Tunc dictus Adenulphus Casinensis Decanus procurationem Abbatiæ Venusii ab Imperatore recepit. Imperator verò Apuliæ fines nullo obstante ingrediens omnes Apuliæ recipit civitates ad mandatum & fidelitatem suam convertens, dicto Casinense Abbate præeunte, cujus fides puritia satis erat Imperatori experta, cui certam procuram, auctoritatem & potestatem contulerat, ut venire ad suam fidelitatem volentes per eum veniam mererentur.*

VIII. *In Siculos sævit.*

Tunc ipsi Abbati castrum Malvesi ad opus contulit monasterii Casinensis, & pharam prætoriens navigio Messanam recipit, totamque Siciliam. Et Panormum properans recipit civitatem ipsam, & cunctum Palatii diripuit apparatum. Tunc uxor Regis (sc. Tancredi) *soror dicti Comitis Acerrarum cum filio suo parvulo Guillelmo præfato propter metum Imperatoris ad locum tutiorem se contulit, & Panormum deserens cum qua facta compositione, cum per vim locum in quo erat* (nempe Regina) *obtinere non posset, Imperator ipse securitate præstita recipit eam, & filium ad manus suas, quas Muscancervelli custodiæ tradidit, & ex eis fecit suæ beneplacitum voluntatis.* Richardus de Sancto Germano scribit etiam: *Imperator ipse in die Natalis Domini regens Panormi Curiam generalem, præfatam Reginam & filium ejus, nec non & alios quamplures Præsules & Comites regni, quibus ipse proditionis notam imponebat, judicio Petri Celani Comitis capi fecit, & ex ipsis quosdam orbavit, quosdam incendio, quosdam suspendio, & quosdam in Alemaniam & alio destinavit. Tunc Imperatrix in civitate Marchiæ filium peperit nomine Fredericum mense Decembri in festo Sancti Stephani.* Quæ omnia placuit referre, ut constet Joannem de Ceccano, quem Baronius anno MCXCIII num. I secutus est, pleraque ex his perperàm in eum annum retrahere, ut ibidem apud Baronium videre est. Accuratè tamen idem Joannes de Ceccano tam prosa quam versibus gesta hoc anno narrat, & tam ex iis, quæ ipse habet, quam ex iis quæ mox retulimus, refelluntur aliquæ fabulæ de crudelitate Henrici Imp. confictæ à recentioribus Historicis.

IX. *Joachimus Abbas exterminium Tancredo, ejusque familiæ prædixerat.*

Indignè tamen *Henricus Imp.* in Domum Regiam, aliosque omnis conditionis sævit. Hanc *Tancredi* familiæ infelicitatem ei prædixerat Beatus Joachimus Abbas Florensis. Cùm enim Tancredo suspectus esse cœpisset, quasi Henrici Imp. partibus contra ipsum favens, excanduit adversus virum Dei, easque minas jacere auditus est, de quibus amicus quidam Messanensis Joachimum admonens, hoc responsum *Nonis* Octobris anno MCXCI scriptum accepit: *Accepi literas tuas, ex quibus Tancredi Regis minas contra me & contra familiam meam intellexi. Sed præsidium Altissimi non modo servabit cœnobium patriamque meam; sed omnia in bonum convertet. Suscitabit ab Aquilone potentiam, & rursum confringetur cornu superbi*; quod nempe in prima Neapolitani regni occupatione per Henricum Imp. utcumque fractum, comminutum est, penitus in ejusdem Henrici reditu feliciori, cujus favore Joachimo & Florensi Ordini ad votum fermè fluxerunt omnia. Quod multò clariùs, distinctiùsque ipsimet Tancredo denunciavit;

scripsit in hunc modum ... *stolam Majestatis tuæ, cui nunquam officere volui, sed voluntatem Regis Regum Dei adimplevi. Hæc dicit Dominus: Egredietur rursus ut ignis indignatio mea, & succendetur Rex impius. Cadet qui sedet in axe, & ob desperationem tabescet. Nares ejus flavlescent ferro, & oculi eorum igne perdentur, ut pereat memoria generationis suæ. Oro tamen incessanter, ut avertat Deus iram suam à Majestate tua, quam humillimè, ut par est, revereor.* Profertur utraque Epistola ex libro MS. Abbatiæ Florensis à Gregorio de Lauro Sagittariensi, Abbate ordinis Cisterciensis, in Apologia B. Joachim Abbatis, & ex eo à Papebrocio ad diem XXIX Maij in comment. prævio in ejus Vitam §. 5.

X. *Eleonora Regina scribit ad Cælestinum III.* Epistola CXXVI *Eleonora* Angliæ Reginæ ad *Cælestinum* III data, quæ legitur inter Epistolas Petri Blesensis, quæque refertur à Baronio anno MCXCIII num. XI & seqq. ad initium præsentis anni pertinere videtur, ut ibidem suspicatus est Baronius. Ex ejus enim lectione perspicuum fit, eam ab *Eleonora*, dum adhuc in Anglia versaretur, datam, & eo tempore, quo Richardus Rex ejus filius adhuc in potestate Imperatoris erat. *Richardus* autem, ut suprà diximus, hoc anno die quarta mensis Februarii Eleonoræ Moguntiæ existenti redditus est. Præterea in ea Epistola Eleonora num. XVI inter alia, de quibus culpat Imperatorem, inquit: *Siciliam, quam à temporibus Constantini constat esse patrimonium Sancti Petri, post legationes, post supplicationes, post comminationes Apostolicæ Sedis, in perpetuum Romanæ Ecclesiæ præjudicium, usurpatione tyrannica occupavit.* Hujus anni initio nondum Henricus Imp. Siciliam occuparat, sed Regina iræ impotens aggressionem Siciliæ occupationem vocat. Nec video quem sensum alium verba ejus pati possunt.

XI. *Mors Absalonis Archiep. Lundensis.* *Hoc dierum curriculo*, inquit Arnoldus Lubecensis lib. 4. cap. 18. *ex hac vita subtractus est dominus Absalon, Lundensis Archiepiscopus vir religiosus & magni consilii sive discretionis & præcipuè honestatis. Hujus industria omnes Ecclesiæ totius Daniæ prius discordantes in Officiis divinis factæ sunt. In cathedrali sede crucifixum super affigi præcepit, ut accedentibus & recedentibus reverentia crucifixo magis quam sibi ipsi fieri videretur. Præterea largè sua Ecclesiis & Monasteriis conferens, maximè Cathedralem Ecclesiam B. Laurentii Martyris Lundis ditare & ornare studebat coronis pretiosis, & campanis maximis, ut nunc cernitur* (scribebat Arnoldus initio seculi sequentis) *& diversis ornamentis. Et quia erat, ut dictum est, vir religionis amator, Monasterium Cisterciensium Monachorum in Sora ædificare, & ditare satagebat, ubi etiam circa finem dierum suorum molestia corporis tractus ægrotabat. Ordinatis autem Ecclesiæ suæ rebus, in die B. Benedicti Abbatis diem clausit extremum. Cujus morte omnis Dania non parum indoluit, & quia multos discordantes ad pacem in Vita sua reformaverat, ipsius exitum Jesu Christo pacis auctori commendabat.*

XII. *Post septennium contigit.* Porrò licet Arnoldus capite laudato & sequentibus de rebus hoc anno gestis verba faciat, non tamen existimandum, *Absalonem* hoc anno vivendi finem fecisse; cùm lib. I. Epi-

regno Sueciæ, his verbis absolvatur: *Datum Laterani per manum Reinaldi Domini Papæ Notarii, Cancellarii vicem agentis, IX Kalend. Decemb. indict. II Incarnat. Domin. anno MCXCVIII, Pontificatûs verò Domini Innocentii Papæ III anno primo.* Præterquam quod ibidem recitantur postea variæ ad Absalonem Archiep. Lundensem literæ ab Innocentio III datæ. His igitur loquendi formulis, quas sæpius Viros doctos in errorem impulisse animadverti, *hoc dierum curriculo*; vel *his diebus*, aliisque hujusmodi intelligendum *circa hæc tempora*, easque magnam latitudinem habere pro certo tenendum. Hinc Pontanus lib. 6. Hist. Rer. Danicarum ad annum MCCI ait, Absalonem *XII Kal. April.* ejusdem anni è vivis abiisse, quod videtur ex probis documentis exscripsisse. Vixit *Absalon* sub Regibus Daniæ Valdemaro I & Canuto VI hujus filio, quibus bonam operam navavit in bellis, & religionem Christianam in illis partibus valde promovit.

Albertus Patriarcha Jerosolymitanus hujus nominis primus usque ad præsentem annum pervenit, quo Willelmus Armoricus in gestis Philippi Augusti scribit: *Anno incarnat. Domin. MCXCIV Michael Decanus Parisiensis, vir Theologus & Sanctus in Patriarcham Jerosolymorum est electus, sed antequam illuc iter arriperet, factus est Archiepiscopus Senonensis.* Idem scribunt Rigordus in Gestis ejusdem Regis, & Albericus in Chron. Post illam electionem *Monachus* in Florentina diœcesi natus Sede Ierosolymitana donatus est Papebrocius in Hist. Patriarcharum Ierosolymit. qui *Albertum* prætermisit, plura de *Monacho* habet. XIII. *Monachus fit Patriarcha Ierosolymitanus.*

Sanctius cognomento *Sapiens* Rex Navarrorum hujus nominis VII, hoc anno è vivis excessit, ut Garibayus in Compendio Historiali lib. 24. cap. 14. & Oyenartus in Notitia Wasconiæ pag. 331. tradidere. In libro Fororum Navarræ, ut observavit Moretus in Investigationibus Navarræ, hæc verba leguntur: *Anno D. MCXCIV obiit piæ recordationis Sanctius illustris Rex Navarræ, vir magnæ sapientiæ.* Garybayus verò notat, eum die Lunæ vigesimo septimo mensis Iunii è vivis excessisse, ideoque hoc anno. Regnavit annos quadraginta tres, menses septem, ac dies sex, ut idem Moretus probat. Ei successit *Sanctius* cognomento *Fortis* filius ejus. XIV. *Moritur Sanctius VII Navarræ Rex.*

Ante hujus anni finem *Alphonsus* hujus nominis VIII Castellæ Rex, consilio & impulsu *Martini* Archiepiscopi Toletani pacem cum Mauris fregit. *Martinus* Archiep. exercitûs Præfectus magnas strages in Andalusia edidit, & ita Mauros persecutus est, ut coacti fuerint à *Jacobo* Almohadum in Africa & Hispania Saracenica Imperatore, qui Marochii degebat, auxilium postulare. Quo tempore cùm *Alphonsus* Rex literas ad *Jacob* Imperatorem jactantiæ plenas, quibus eum ad certamen provocabat, misisset, ejus animum valde exasperavit, ut habet Nowairius. Abulpharaius in Latina editione suæ Historiæ pag. 277. eas literas exhibet. *Jacob.* collectis copiis fretum in Hispaniam trajecit, annoque sequenti acriter cum Castellanis pugnavit, ut ibi videbimus. XV. *Alphonsus VIII Castellæ Rex bellum Mauris indicit.*

ANNO

SÆC. XII. An. C. 1195. Anno Eræ Hispan. MCCXXXIII. Anno Hegiræ DXCII. inchoato die 6. Decemb. fer. 4.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6688.

☉ 28. A. ☽ 18. P. 2. April. Indict. 13.

JESU CHRISTI 1195.

CÆLESTINI III PAPÆ 5.

HENRICI VI REG. 6. IMP. 5.

ALEXII ANGELI COMNENI IMP. 1.

I. *Mors Leopoldi Austriæ Ducis.*

ANum. I ad VI. Baronius anno superiori num. III refert ex Hovedeno flagellasse Deum terram *Leopoldi* Austriæ Ducis hujus nominis IV propter captionem *Richardi Regis*, excommunicati & impœnitentis. Hoc verò anno narrat ex Matthæo Paris ad hunc annum Richardum Regem Nuncios ad *Celestinum* III misisse, & ab eo petiisse, ut ejus jussu *Leopoldus* obsides suos liberos exire permitteret, & pecuniam, quam excommunicatus recepit, ex *integro* restitueret. Cælestinus III ipsum Ducem excommunicavit, terramque ejus Ecclesiastico supponens interdicto *Veronensi Episcopo dedit in mandatis*, quatenus interdicti & excommunicationis sententiam per totum Austriæ Ducatum faceret publicari. Sed præfatus Dux mandata Apostolica sibi *ab Episcopo Veronensi* rite denunciata aspernatus est. Verùm ultione divina die sancti Stephani equus, cui insidebat, tibiam ejus cum pede insanabiliter contrivit, nec valuit ulla medicorum arte sanari. Ante mortem tamen cùm *Celestini* III præcepta implesset, à sententia excommunicationis absolutus fuit, uti præter Matthæum Parisiensem narrant etiam Neubrigensis lib. 5. cap. 6. & Hovedenus. Baronius in margine suspicatur, loco *Episcopi Veronensis* legendum esse *Episcopum Viennensem*. Verùm Radulphus de Diceto in Imag. Hist. pag. 675. refert literas Cœlestini III *Veronensi Episcopo* inscriptas, datasque *Romæ apud S. Petrum VIII Idus Junii, Pontificatûs* ejus *anno quarto* anno sc. Christi superiori. Quare Episcopus Veronensis à Cælestino III in hac causa delegatus fuit, & quidem anno præcedenti.

II. *Cælestinus III irritat sententiam divortii inter Regem & Reginam Galliæ.*

Ad num. VI. Refert hoc anno Matthæus Paris, & ex eo Baronius fragmentum literarum à Cælestino III *ad Archiepiscopum Senonensem* datarum, quibus ei significat, se sententiam divortii inter Philippum Franciæ Regem, & Ingelburgem uxorem, ab Episcopis Galliæ datam cassasse, & penitus irritasse, eique præcipit, ut si Philippus *ea vivente aliquam superducere fortè voluerit*, id ei auctoritate Apostolica inhibere firmiter procuret. At hæc Epistola non hoc anno à Cælestino Papa scripta, sed insequenti. Radulphus enim de Diceto citatus pag. 681. eam integram recitat cum hac subscriptione: *Dat. Lateran III Idus Martii Pontificatus nostri anno V*, ideoque anno Christi sequenti, quo Cælestinus III die XXX mensis Martii sextum Pontificatus annum exorsus est. Ait inter alia Cælestinus III: *Non est à temeritatis vitio alienum, quod in tam arduo & difficili negotio non fuit censura Sedis Apostolicæ requisita, per quam vel ipsum canonicè finiretur, vel committeretur aliquibus, qui idem servato juris ordine secundùm statuta canonica terminarent. Hic revera contra Sanctorum Patrum veneranda Concilia processum est manifestè, qui majores & difficiliores quæstiones ab universis ad Sedem Apostolicam censuerunt debere præferri, quod usque in hodiernum diem non solum à Gallicana Ecclesia præterquam in præsenti articulo; verùm etiam à longè remotioribus devotissimè observatur.* Uxorem, quam dimisit Philippus Rex, Hovedenus pag. 759. & sæpe alibi *Botildam* appellat, sed manifesto errore, ut jam ostendimus ex Historicis rerum Gallicarum & Danicarum, iterumque confirmatur ex præfatis literis Cælestini III Senonensi Archiepiscopo datis, in quibus eam vocat *J. Reginam illustrem sororem Karissimi in Christo filii nostri K. Regis Danorum illustris*, idest, Ingelburgem sororem Canuti Regis Danorum. Erat verò hoc tempore Archiepiscopus Senonensis *Michael de Corbolio*, cujus anno præcedenti meminimus.

III. *Concilium Eboracense.*

A num. VII ad XXI. Pluribus agit Baronius de rebus ad Ecclesiam Anglicanam spectantibus, quibus addendum Concilium Eboracense, cujus Canones duodecim pro reformandis Ecclesiæ illius moribus statutos recitat hoc anno Hovedenus, & ex eo Labbeus Tom. X Concil. pag. 1791. *Venit*, inquit Hovedenus verba faciens de Huberto Cantuariæ Archiep. & Apostolicæ Sedis Legato, *Legatus Eboracum, die dominica festo Sancti Barnabæ Apostoli*, ideoque hoc anno, quo festum illud in diem dominicam incidit. Loquitur & de hoc Concilio Neubrigensis lib. 5. cap. 10. aitque: *Hubertus Cantuariensis Archiep. vices non tantum Regias in regni moderatione; verùm etiam Apostolicas in Ecclesiastica ordinatione per totam habens Angliam: ostentaturus gloriam utriusque potestatis, Eboracum Metropolim adiit: Prælatos totius Provinciæ, ut sibi solemniter occurrerent atque assisterent, præmissa auctoritate imperavit, suppresso pro tempore Primatis nomine, ipsam Ecclesiam Metropolitanam nomine Legati Apostolicæ Sedis cum pompa ingressus: potestatem in ea magnam exercuit, & nullo obsistente vel reclamante, eo quod omnes vel terrore ejus perstricti, vel Metropolitano proprio minus essent devoti: Concilium magnificè celebravit, quibus actis, & seculari quoque pro tempore ibidem jurisdictione expleta, propriæ se provinciæ reddidit.*

IV. *Alexius Angelus fit Imperator Orientis.*

Ad num. XXVI. *Isaacius Angelus* Orientis Imperator ab *Alexio* fratre Imperio & oculis privatus est, *nondum annos XL natus cùm regno pelleretur*; postquam imperasset *annos IX & menses VIII*, ut scribit Nicetas, qui tribus libris Gesta ejus enarravit. Alexius Angelus frater gentilitio nomine repudiato *Comneni* nomen assumpsit. Quod hoc anno contigisse inter omnes convenit.

V. *Concilium Monspeliense.*

Anno Domin. Incarnat. MCXCV mense Decembri Magister Michael Apostolicæ Sedis Legatus apud Montem Pessulanum Concilium celebravit, cui interfuêre Prælati Ecclesiarum Provinciæ Narbonensis. In eo Privilegiis ornavit eos, qui in Hispaniam pergerent adversus *Saracenos*, & pœnas constituit adversus eos, qui arma seu armamenta vel lignamina Galearum aut navium deferrent Saracenis. Recitat istud Concilium Labbeus Tom. X Concil. pag. 1796 ubi etiam exhibet Notam Baluzii existimantis illud coactum à *Michaele* cùm in Hispaniam proficisceretur, Legationem illuc obiturus nomine Cælestini III, & hujus Legationis occasionem fuisse, quòd ut narrat Godefridus Monachus Sancti Pantaleonis ad Coloniam,

hoc anno facta fuerit irruptio Paganorum valida & ingens contra Christianos in finibus Hispaniæ & Gallæciæ, ita ut Rex Hispaniæ metu periculi, conditione cum eis facta, in regnum Regis Franciæ demigraret, pacta pace cum Ethnicis usque in Pentecoste sequentis anni.

VI. *Victoria Saracenorum de Christianis ad Alarcum.*

Quod contingere non potuit, nisi postquam à Saracenis in fugam datus est. *Jacob* enim Imperator Africæ & Hispaniæ Saracenicæ *anno Hegiræ DXCI* cum formidando exercitu ex Africa in Hispaniam venit, & primò prælio Christianos superavit, uti narrat Nowcirius. Cùm verò *Alphonsus* VIII Castellæ Rex collectis omnibus copiis suis prope Calatravam *ad Alarcum oppidum* nimia sui confidentia ad decretoriam pugnam venisset, fusus fugatusque fuit *nona die mensis Schaban*, qui octavus est anni Arabici, idque anno Hegiræ DXCI seu die decima octava mensis Julii currentis Christi anni. *Cumque* inquit Rodericus lib. 7. cap. 29. *congressi fuissent exercitus, succubuit exercitus Christianus, & nobiles Rex à suis violenter eductus à bello, suorum industria est salvatus, licet ipse mori potius eligeret, quàm salvari. Obtinuit etiam Agarenus post prælium quædam castra. Hoc est bellum Alarcuris, quod fuit era MCCXXXIII, quindecimo Kalend. Augusti, sedente Cælestino Papa III.* Christiani ita hoc tempore inter se discordes erant, & hac clade ita attriti, ut *Jacob* universam Hispaniam, non minus facile, quam alias *Tarek & Musa*, sibi subdere potuisset; sed cum victoria in manibus ejus esset; *Alphonso Regi* sui colligendi, & ad defensionem accingendi facultatem reliquit.

VII. *Henricus Imp. sævit in Siculos.*

Ex Hispania in Italiam transeo: *Hoc anno*, inquit Joannes de Ceerano in Chron. *Imp. Henricus per sacramenta decepit Regem* (Siciliæ, Willelmum III), *& omnes Comites, & posuit eos in vinculis & in ergastulis* (die Nativitatis Christi, quo sequens annus inchoatur), *& omne aurum & argentum, quod de regno ad manus habere potuit, congregavit, & per terras & per mare in Alemanniam misit, & ipse per terram reversus est in Alemanniam, ducens secum ligatos, Regem & Comites, & quamplures alios in captivitatem.*

VIII. *In Germaniam redit.*

Richardus verò de sancto Germano in Chron. hoc anno ait: *Roffridus Casinensis Abbas tractatu quorumdam de Atino nocturno tempore introductus Atinum recepit, dictum Rogerium de Foresta Castellanum intus arctat & obsidet, qui cum non haberet victui necessaria, recepta de persona & rebus suis securitate ab Abbate prædicto, & compositione facta cum eo de castro Sancti Petri in fine, quod recepit ab ipso, & fidelitatem juravit, eidem castrum Atini in manus resignavit ejusdem, Roccham Guilelmi etiam ab Andrea de Theano recipiens, fidelitate quoque ab eo recepta, & castrum Cucului concessit. Illud tamen de Imperiali mandato cuidam Tancrede de Vero concessit, fidelitatis ab eo juramento recepto. Hoc anno dictus Casinensis Abbas castrum Tirolli vi capiens igne crem avit.* Neque prætermittendum quod Anonymus Casinensis hoc anno habet: *Imperator in Apulià redit, & conjunctus cum Imperatrice Curiam solemnem habuit; qua finita ipse in Teutoniam redit, Imperatrix in Siciliam vadit*, quibus absolvit Chronicon suum. Caraciolus, qui illud notis illustravit, ait in uno exemplari MS. in Monasterio Casinensi asservato extare continuationem hujus Chronici, quam ipse descripsit; verùm ejus Auctor annos inter se non rectè distinguit, & cum anno MCXCVI quæ ad duos sequentes pertinent, immiscet.

IX. *Obitus Bernonis Episc. Suerinensis, & Henrici Leonis Ducis Saxoniæ.*

Arnoldus lib. 4. cap. 24. postquam capite præcedenti narravit Translationem corporis *Sancti Bernwardi* anno superiori factam, ait: *Hoc dierum curriculo mortuus est Dn. Berno Suerinensis Episcopus* (urbs est in Saxonia inferiori & Ducatu Meckelburgensi seu Megalopolitano) *primus ejusdem tituli Antistes. Qui enim nunc est Suerinensis, olim tempore Otthonum dicebatur Magnopolitanus. Una eadem sedes propter timorem Slavorum translata est: à quibus idem Antistes sæpius contumeliatus. Qui à Duce Henrico* (Henrico Leone appellato) *Episcopus eis præfectus, primus nostris in temporibus Doctor illis Catholicus extitit, alapas, colaphos pertulit, ita ut frequenti ludibrio habitus ad sacrificia Dæmonum arctaretur. Ille tamen per Christum confortatus, culturas dæmonum eliminavit, lucos succidit, & pro Genedracto Godehardum Episcopum* (Hildeshemensem, in Sanctorum numerum relatum) *venerari constituit, ideoque bono fine cursum certaminis terminasse fidelibus placuit. Post cujus discessum Dn. Bernhardus ejusdem Ecclesiæ Decanus, Pontificali honore sublimatus est. Circa ipsos dies mortuus est famosus ille Dux Henricus* (Henricus Leo appellatus) *in Brunswic* Quam utramque mortem hoc anno contigisse, rectè vidit Krantzius lib. 6. Vandaliæ cap. 36. ubi ab eo dicitur Berno, *Apostolus præcipuus Vandalorum*. Mors *Henrici Leonis* huic etiam anno affixa in Chron. Citizensi.

X. *Elogium utriusque.*

Berno constitutus fuerat Episcopus *in terra Obotritorum*, idest, Meckleburgensis oppidi, ab *Henrico Leone* tunc Saxoniæ & Bavariæ Duce, Hadriano IV Ecclesiam Romanam regente, ut testatur Helmoldius lib. 1. Chron. Slavorum cap. 88. nam à capite 81. usque ad caput XCI verba facit de iis, quæ sub Hadriani IV Pontificatu contigêre. Arnoldus verò lib. 2. cap. 1. Helmoldi Chronicon continuans ab eodem Henrico, in quo anno MCLXVIII Helmoldus illud absolvit, de illo & de Episcopatibus ab eo institutis ait: *Super omnes, qui ante ipsum fuerunt, duritiam Slavicam perdomuit, & non solum ad tributa solvenda coegit; sed etiam erga veri Dei cultum, relictis superstitionibus idololatriæ humiliatis cervicibus promptissimos fecit. Pacem etiam maximam in omni terra Slavorum firmavit: & omnes provinciæ Aquilonares Wagirorum, Holzatorum, Polaborum, Obotritorum, otio & quiete vacabant, & prohibita sunt furta & latrocinia terrâ marique, & fruebantur mercationibus & negotiationibus mutuis, & habitabat unusquisque sub vite & ficu suâ, præsidente in Racesburg Reverendissimo patre Evermodo Episcopo, in Lubeke verò Conrado Episcopo, viro illustri; in Zuerin quoque Bernone, viro religioso, qui Ecclesias novellæ plantationis, quas Henricus Dux memoratus instituit, Domino incrementum dante, doctrinâ plantare, & opere irrigare instantissimè satagebant.* Porrò *Polabi* oppidum habuêre primarium Raceburgum, postea Episcopatu clarum: *Wagiri* habitarunt ad Adelburgum, quo ex oppido Episcopatus Lubecam deinde translatus; *Obotriti* iidem, qui hodie Meckelburgenses, ubi etiam *Suerinum* seu *Zuerin* positum; quod pace Monasteriensi subest hodierno Duci Meckelburgensi.

ANNO

Anno Eræ Hispan. MCCXXXIV. Anno Hegiræ DXCIII. inchoato die 24. Novemb. fer. 1.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6689.

☉ 1. GF. ☽ 19. P. 21. April. Indict. 14.

JESU CHRISTI 1196.

CÆLESTINI III PAPÆ. 6.

HENRICI VI REG. 7. IMP. 6.

ALEXII ANGELI COMNENI IMP. 2.

I. *Episcopus Bellovacensis in bello captus.*

AD Num. I ad V. *Philippus* Episcopus Bellovacensis hoc quidem anno à *Joanne* Comite Moretonii, Richardi Angliæ Regis fratre, captus est cum multis aliis, dum *XIV Kal. Junii Feriâ II* in hostem processisset urbi suæ insultantem, ut narrat Hovedenus hoc anno pag. 768. & cum eo Matthæus Paris in Chron. sed anno tantum sequenti Cælestinus III ejus liberationem à Richardo Rege petiit literis à Baronio num. III & seqq. recitatis. Ad eas literas respexère Chronographus Aquicinctinus & Neubrigensis lib. 5. cap. 22. qui hujus Præsulis captivitatem in annum sequentem conferunt. *Bellicosus Pontifex servabatur in vinculis*, loquit Neubrigensis, *& tractabatur ab hostibus mitiùs fortè quàm meruerat, sed planè duriùs, quàm Episcopum decebat. Interpellavit autem per suos Romanum Pontificem, ut Ecclesiastici vigoris instantiâ liberaretur de manibus detentoris. Idem verò summus Pontifex prudenter considerans, quod Rex Anglorum Episcopum non prædicantem sed præliantem cepisset; & rigidum magis hostem, quam pacificum Præsulem teneret in vinculis, ut vinctum relaxaret, illi molestus esse noluit, sed interpellanti sapienter & discretè respondit improperans, quod secularem militiam Ecclesiasticæ prætulisset, & pro baculo Pastorali lanceam, pro mitra galeam, pro alba loricam, & clypeum pro stola sumsisset, & gladium ferreum pro gladio spiritus, quod est verbum Dei: negansque se pro eo imperaturum Regem Anglorum, sed opportunè supplicaturum pollicens. Vinctus itaque Pontifex relaxationem suam citra Regum concordiam desperabat, atque ideo pacem, quam prius incenter bellis oderat; in illo vinculorum tædio suspirabat.*

II. *Anno sequente frustra petita ejus Liberatio.*

Bromptonus verò in Chron. etiam ad annum MCXCVII: *Pro quo cùm Papa scriberet, ut liber à carcere dimitteretur, curialiter Regem increpans, quod Philippum Belvacensem Episcopum fratrem suum Karissimum sic cepit & detinuit; Rex ergo missâ loricâ Episcopi in qua captus fuit, Domino Papa pro fratre suo scribenti in Epistolâ sua dixit*, Vide si tunica fratris tui sit an non: *Et Papa desinente pro eo amplius petere, per redemptionem postea Episcopus liberatur*, anno scilicet MCCII, ut prodit Matthæus Paris ad eum annum. Literas Episcopi Bellovacensis ad Cœlestinum III, & Pontificis ad Episcopum Bellovacensem responsum anno etiam sequenti refert Hovedenus. Castris intererant Prælati, ut pro Rege ac patria militantes suis exhortationibus ad rem præclarè gerendam accenderent, iisque benedictionis gratiam impertirentur, ac denique pro faustis rerum successibus Deum exorarent, sed nunquam eis licuit præliis interesse, nisi cùm contra Paganos pugnandum erat, tunc enim Prælati ac Sacerdotes id Canonum sancitis contrarium non censuère. Hinc passim bellis sacris interfuère, & in iis sæpe vel vulnerati vel cæsi, ut videre est apud Abbonem lib. 1. & 2. de Bello Parisiaco, Historicos Sacrarum expeditionum, Flodoardum in Chron. ad annum MCXXV, Rodericum Toletanum lib. 8. cap. 3. 9. & seq. ac innumeros alios.

III. *Gesta ob Imperatore in Regno Neapolis.*

Ad num. V. Richardus de S. Germano in Chron. ad annum MCXCVI, parum accuratè scribit, Henricum Imp. in Alemannia reduisse; is enim anno superiori in Alemanniam reversus est, & , ut narrat Chronographus Aquicinctinus ad annum MCXCVI, *Henricus Imp. hieme transacta* (nempe in Germania seu Alemannia) *iterum ad Siciliam & Apuliam proficiscitur; & quidquid in regno corrigendum erat, ab eo corrigitur.* De Imperatore scribit etiam Richardus: *De Alemannia Vormaciensem Episcopum misit Legatum in regnum, qui Neapolim veniens cum jam dicto Casinensi Abbate* (nempe Roffredo) *Latinis etiam aliis & Teutonicis Imperiale implens mandatum, Neapolis muros, & Capua funditus fecit everti.* Hoc eodem anno Joannes de Ceccano in Chron. rem suo tempore gestam his verbis narrat: *Tempore Domini Joannis dein Ceccano Ecclesia S. Mariæ Fluminis honorificè dedicata est & consecrata; ad quam consecrationem fuit tanquam pater Dominus Jordanus Presbyter Cardinalis, &c.* Et dein refert Chartam donationis huic Ecclesiæ die dedicationis ejus à se factæ: *In nomine Domini anno Domin. Incarnat. MCXCVI Pontificatûs Dom. Cælestini III Papa anno VI Indict. XIV mense Julii die XXIV. hac die ego Joannes de Ceccano in præsentia Domini Jordani Cardinalis S. Pudentianæ charissimi patris mei & venerabilium Episcoporum*, &c. Post donationem legitur: *MCXCVII. Hoc ipso anno.* Verum numerus ille à Librariis transpositus; hæc enim verba, *hoc ipso anno*, denotant seriem rerum eodem anno gestarum, ideoque loco, *anno MCXCVII*, legendum, ut sequitur: *MCXCVI. Hoc ipso anno Henricus Imperator egressus Alemannia pridie Kalendas Decembris advenit Ferentinum, & per septem dies ibi moratus est cum pace & æquitate. Postea ivit Capuam, & invento ibi Comite Richardo de Cerra* (legendum, de Acerra) *in ergastulis fecit eum judicare*, & cetera recitata à Baronio, qui transpositionem illam emendavit, Lectore tamen non monito.

IV. *Principium Chronologicum magis confirmatum.*

Ad num. VI. Baronius anno MCXXX num. XLIX & seq. Ostendit ex Actis publicis *Anacletum* II Antipapam consecrasse Ecclesiam Sancti Laurentii in Lucina; hoc verò anno dicit, Cælestinum III eamdem Ecclesiam iterum restitutam dedicasse, quod probat ex inscriptione, in qua dicitur id factum *anno Domin. Incarnat. MCXCVI Pontificatûs D. Cælestini III Pap. Anno ejus VI Indict. XIV mense Martii die XXVI.* Verùm hæc inscriptio majusculis literis scripta, longè post hoc tempus ab aliquo rei Chronologicæ imperito posita fuit; *Cælestinus* enim die XXX mensis Martii anni MCXCI Pontifex Romanus electus fuit, ideoque hoc anno die vicesima sexta ejusdem mensis quintum Pontificatûs annum adhuc numerabat. Hujusmodi inscriptiones, Epitaphia, & id genus alia tam crebrò recentes Scriptores in errorem induxerunt, ut licet jam sæpiùs monuerim nullam eorum rationem habendam, nisi de eorumdem antiquitate constet, operæ tamen pretium duxi huic Operi

finem imponens, iterum hoc principium inculcare.

V. *Gesta ab Alphonso Castella Rege adversus Saracenos.*

Hoc anno, vel *anno Hegiræ DXCII, mense Rabiei prioris*, inquit Nowerius, idest, mense Februario, *Jacob* Imperator Africæ & Hispaniæ Saracenicæ *Toletum* obsidione cinxit, sed fortiter repulsus est; nec aggressio Matriti, Cuençæ & Alcalæ ei feliciùs successit; cùm eas sibi subjicere non potuerit. *Alphonsus* VIII Castellæ Rex, qui pace indigebat, eam à *Jacob Imperatore* postulavit, eamque ab illo eò faciliùs obtinuit, quò acceperat Africanos quodam nomine *Tabia* sibi præfecto rebellasse. Quare in Africam anno Hegiræ DXCIII, seu mense Decembri hujus anni, *Jacob* transfretavit. Hoc enim anno, eraque MCCXXXIV Saracenos in Africam reversos esse demonstrat Moretus in Investigat. Navarr. pag. 675. ex testamento cujusdam Dynastæ, in quo legitur: *Testamentum quod fecit D. Rodrige de Argaiz, in exitu Sarracenorum. Facta charta sub Erâ MCCXXXIV regnante Rege Sancio in Navarra.* Fallitur itaque Rodericus lib. 7. cap. 30. Dum ait, hoc bellum annos tres durasse, & *Jacob* bis Toletum obsedisse; cùm Saraceni Africæ initio anni MCXCV in Hispaniam ingressi ante hujus Christi anni exitum ex ea exierint. Scribit idem Rodericus *Jacob Imperatorem* inter alia oppida *Placentiam* à paucis annis ab Alphonso Rege ædificatam Christianis eripuisse, sed non diu custodisse. Quam tùm in prædam dedisset, postea & pulchrior & fortior circa annum MCC reædificata fuit, ut prodit Auctor Historiæ Placentinæ lib. 2. cap. 8. Tunc Legionis & Navarræ Reges adversus Castellanos pugnabant; sed, ut inquit idem Rodericus, *Rex nobilis Aldefonsus dignum judicans furori cedere vementi, ad tempus cum Rege Arabum fecit eregam, ut posset tutiùs vicinis Regibus obviare.*

VI. *Obitus Alphonsi Aragonia Regis.*

Ildefonsus Rex Aragonum & Comes Barcibonæ ac Provinciæ mortuus est hoc anno *Perpiniani die Jovis vigesimo quinto mensis Aprilis*, uti tradit Garibayus lib. 32. cap. 3. Quid paulò ante mortem gesserit, narrat Anonymus de Gestis Comitum Barcinonensium cap. 22. *Fuit à Domino Papa Calestino sancitum, quatenus ipse Ildefonsus cum aliis Hispania Regibus Arabes impugnarent, & prohibitum à dicto Domino Papa fuit, ne fœdus cum Sarracenis aliqui illorum haberent. Et quia tunc temporis Hispania Reges inter se omnes erant discordes, & eorum quidam fœdus dilectionis cum Sarracenis habebant, prædictus nobilis Dominus Ildefonsus, qui providus in omnibus bonis erat, proposuit in suo animo Beati Jacobi limina visitare, & Reges Hispania invicem convocare, ut dilectionis fœdus mitteret inter eos, ut faciliùs valerent contra Agarenos præceptum Apostolicum ducere ad effectum. Hoc denique prosequens propositum, tam ab ipsis Regibus, quàm ab omnibus illius terra Magnatibus benignè & honorificè est susceptus, & quisq; per suum regnum strenuissimè & nobilissimè illum duxit. Divino siquidem actu quosdam Regum in fœdus amoris conjunxit; alios autem ad tam magnum & optimum actum nullatenus valuit concordare. Et quando fuit reversus ad terram suam peregrinatione perfecta, &c. venit Perpinianum, ubi mandaverat Curiam omnibus Principibus, & Baronibus Provincia Comitatûs; & ibi febre arreptus gloriosissimè obiit in Domino J.Ch. anno Domini MCXCVI.* Subdit Anonymus *Petrum* filium natu majorem ei successisse in Regnum Aragoniæ, ac Comitatum *Barcinona* & Rossilionis; *Alphonsum* verò alterum filium habuisse *Ducatum Provincia.* Sicque *Provincia* iterùm à Comitatu Barcinonensi disjuncta fuit.

VII. *Expeditio Ierosolymitana ab Henrico Imp. decreta.*

Per totam Alemanniam fit ingens commotio ad liberationem regionis transmarina, Archiepiscopo Moguntia (sc. Conrado), *& Duce Saxonia* (nempe Henrico Juniori Henrici Leonis filio), *nec non pluribus Episcopis, & Principibus voto se Sancta Crucis obligantibus. Imperator quoque Henricus per Apulia & Sicilia littora tam navibus, quam in victualibus copiosum exhibuit apparatum*, inquit Nangius in Chron. ad hunc annum, cui suffragatur Arnoldus Lubecensis lib. 5. cap. 1. qui de Imperatore scribit: *Sicut pater ejus priorem, ita ipse secundam devotus ordinavit peregrinationem. Qui apud Argentinam in Curiali colloquio, acceptis Epistolis Dn. Papa Calestini à venerabili Cardinale Gregorio, omni devotione se huic peregrinationi obsecuturum affirmavit.* Verùm non potuit Imperator desiderium suum implere, quia, ut subdit idem Arnoldus, *intolerabilis guerra ibidem* (idest, in Apulia, quò ex Germania hoc anno venit) *exorta est. Nam uxore Imperatoris* (sc. Constantia) *ab ipso dissidente, grandis conspiratio à Primoribus terra, à consanguineis etiam ipsius Imperatoris contra eum exorta est*, ut anno sequenti, quo Crucesignati se viæ dedêre, videbimus.

VIII. *Floret in Gallia Fulco Presbyter.*

Superiori anno, ut tradit Rigordus de Gestis Philippi Augusti, *Sacerdos quidam Fulco nomine in Gallias prædicare capit: per cujus prædicationem & frequentem populi admonitionem, multi ab usuris sunt revocati, pauperibus Christianis usuras restituentes.* Erat Fulco Presbyter & Pastor Neulliacus in Diœcesi Parisiensi, qui usque ad annum MCCII, (quo vivere desiit, Nangio in Chron. & Bellovacensi lib. 29. cap. 68. testibus) miraculis & virtutibus inclaruit. *Per idem tempus*, inquit Hugo Autisiodorensis testis oculatus ad annum MCXCVIII, *Sacerdos de Parisiensi Episcopatu Fulco, vir magna fidei vitaque honesta celebri opinione clarebat. Is Domino inspirante de licentia sui Episcopi vicinas peragrans regiones, Franciam, Flandriam, Burgundiam perlustrabat. Verbum sana doctrina & veritatis instanter seminans, & duo pracipuè crimina usurarum atque luxuria vehementer infestans; sanè verbis ejus attestabantur miracula, ut per eum cooperante Domino non modo animabus; sed & corporibus influeret medicinam.*

IX. *Persequitur hareticos.*

Recalescebat proinde fides in populis, & tanquam cœli distillassent à facie Dei, ad tempus mota est terra, sicque afficiebantur erga jam dictum virum, ut eum quocumque se verteret, & nimis gratulanter exciperent, & verba ejus nimis sitienter haurirent. Currente igitur velociter verbo Dei, multas ex his, qua peccabant publicè, multos ex his, qui fœnus publicum exercebant, solo verbo convertit ad Dominum, qui præ multitudine sua censurà Ecclesiasticâ non poterant coerceri. Sed & de haresi Populicana omnium hæreseon faculentissima, qua virulentas radices suas latè quidem, sed latenter hoc tempore propagarat, multi ad fidem conversi sunt, eorumque confessione plures ex eadem haresi sunt detecti. Inter eos haresiarcha Terricus magnus Diaboli laqueus, qui apud Corbiniacum in specu subterraneo diu latuerat, pluresque subverterat, tunc productus è latebris,

& convictus

SÆC. XII. An. C. 1196.

& convictus incensus est. Apud urbem quoque Nivernis Abbas S. Martini & Decanus Majoris Ecclesiæ de hoc pestilentissimo errore notati, Episcoporum Concilio sistuntur Senonis convocato, ibique Abbas deponitur, Decanus suspenditur: & sic ad Sedem Apostolicam destinantur. Apud vicum quoque, qui dicitur Charitas, quidam viri prædivites hæresis prædictæ notabiles cùm se absentassent die quo citati fuerant, ut ab hac infamia se purgarent, ab Ecclesia sunt præcisi, & expositi publicæ potestati. Innocentius III anno Pontificatus sui primo scripsit ad eum Epistolam CCCXCVI Libri primi, quam inscribit *Fratri Fulconi*, quâ *plenam* ei *auctoritate Apostolica* concedit *facultatem, ut*, inquit, *tam de Monachis nigris quàm albis sive Canonicis Regularibus aliquos*, &c. *liberè sibi possis coadjutores adjungere*, &c. Pergit Hugo Autissiodorensis.

X. *Judæi & usurarii.*

Per hos præterea dies Judæi gravi direptione & afflictione vexati sunt: nam cùm vir Dominus Fulco ad extirpationem vitiorum, insertionemque virtutum totus insisteret, & usurarios penitus abhorreret, Judæos detestabatur omnimodo, quia plerosque nostrorum infinitis & gravibus attenuassent usuris. Ipsius proinde instantia & fervente instinctu, Episcoporumque annisu res eò usque deducta est, ut omnium debitorum quæ Judæis debebantur, dimitteretur dimidium, & dimidium statutis terminis solveretur. Sed & aliqui de Baronibus eos de terra sibi subdita expellere curaverunt: qui tamen expulsi, à Rege recepti sunt, & retenti: quod quidem famæ Regis non modicum derogavit, dum eos quos jam pridem expulerat, iterum receptavit (anno sc. MCXCVIII, ut alibi diximus). *Eodem anno prædictus Fulco Crucis sibi signum affigit, & instanti prædicatione populum ad transmarinam profectionem adsciscit. Nec modo per prædictum Fulconem in tanta erat magnificentia verbum Dei; sed & quidam alii dum prædicationis instarent officio, desideratissimè concurrebat ad auditum verbi populi multitudo. Verùm non diu perstitit illa fervens audiendi frequentia: sed processu temporis citò deferbuit, & multi, qui à vitiis resilire jam cœperant, in eadem sunt relapsi.*

XI. *Moritur Mauricius Episc. Parisiensis.*

III Idus Septemb. inquit Rigordus de Gestis Philippi Augusti ad hunc annum, *Mauricius veneranda memoria Parisiorum Episcopus, pater pauperum & orphanorum feliciter migravit ad Dominum. Hic inter innumera bona quæ fecit, quatuor Abbatias fundavit, & propriis sumptibus devotissimè dotavit.* Successerat Petro Lombardo, &, ut inquit Hugo Autissiodorensis in Chron. *ob industriam & literaturam eximiam, & disertitudinem linguæ præcipuam, de infimo magnæ paupertatis, ad Pontificalis demum evectus est apicem dignitatis. Hic inter præclara opera, suam Ecclesiam cui præerat, à fundamentis extruxit.* Mirabile illud ædificium etiamnum perseverat. *Huic successit*, inquit Rigordus, *Odo natione Soliacensis, frater Henrici Bituricensis Archiepiscopi, longè à prædecessore moribus & vita dissimilis.* Labbeus in Chron. putavit oscitantem Librarium omisisse particulam negativam *non*, quòd Odo fuerit Præsul religiosissimus, & sanctis moribus conspicuus. Verùm cùm Bellovacensis, qui sequentis seculi initio floruit, quique aliorum opera exscribere solet, lib. 29. cap. 58. totidem verbis idem de *Odone* referat, non dubium, quin illud à Rigordo mutuatus fuerit. Existimo itaque Rigordum, qui in Aula Philippi Augusti, cujus Medicus erat, *Odone* Episcopum Parisiensem regente, vixit, quique ideo ignorare non potuit quod alii de illo scripsêre, iniquo animo id in literas misisse; Scriptores enim quandoque calamo abuti, & falsa narrare omnibus notum. De *Odone* suprà egimus.

SÆC. XII. An. C. 1196.

XII. *Philippus Franciæ Rex uxore dimissa aliam superinducit.*

Rigordus de Gestis Philippi Augusti ad hunc Christi annum scribit: *Eodem anno, & eodem mense* (nempe Junio cujus supra mentionem fecerat) *Philippus Rex* (Francorum) *duxit uxorem nomine Mariam, filiam Ducis Meraniæ, & Bohemiæ, Marchionisque Istriæ.* Nangius in Chron. ubi hoc conjugium perperàm in annum sequentem differt, vocat Mariam *filiam Ducis Meraniæ & Bremiæ, Marchionisque Istriæ*, & Gussunvilla, qui exemplar MS. hujus Chronici, quod unicum, ni fallor, superest, legerat, in Notis ad Epistolam CXXXVI Petri Blesensis, loco, *Bremiæ*, legit, *Brennæ*, sed vox illa corrupta, ut videtur. Aliqui eam non *Mariam*, sed *Agnetem* appellant, quia forsàn binominis erat. Ingelburgæ uxor Philippi Regis questa est apud Cælestinum III, quod maritus aliam uxorem superinduxisset, sc. Mariam Baluzius Tom. I Miscell. pag. 422. refert Ingelburgis Epistolam ad Cælestinum III Papam, in qua ait: *Jam triennium est elapsum, quòd Rex Franciæ me in ætate nubili desponsavit, & mihi, prout naturalis ordo requirit, debitum reddidit maritale. Postmodum verò instigatione diabolica, & quorundam malitiosorum Principum persuasione seductus filiam Ducis S.* (littera illa corrupta, nisi ad proprium Ducis nomen referatur) *superinduxit, & retinet pro uxore; me verò in quodam castello incarcerari præcepit, ubi sic proscripta, dego, quod ad Cælos levare oculos non audeo, neque possum*, &c. *Proh dolor! spernere Vestræ Sanctitatis literas non formidat, audire Cardinalium jussa recusat, Archiepiscoporum & Præsulum dicta contemnit, & admonitiones religiosorum quorumlibet aspernatur*, &c. *Unde nisi vestra misericordia mihi misereri dignetur, morti succumbam in proximo temporali.* Huc refero verba Rigordi ad annum MCCI scribentis Regem Mariam tenuisse *quinque annis contra legem & Dei decretum*; quæ eo anno demortua, ad petitionem Regis Francorum Innocentius III infantes à Philippo Rege ex ea susceptos, nempe Philippum & filiam nomine Joannam *legitimos heredes esse mandavit*, quia Willelmus Archiepiscopus Remensis uti Legatus Apostolicus prius matrimonium dissolverat, non quidem contra jus, testes enim coram se producti fuere consanguinitatem asserentes, sed contra ordinem juris: unde sententia ab eo lata postmodum abrogata fuit. Philippus Augustus anno MCCXIII Isemburgem uxorem suam, *à qua jam per annos XVI & amplius dissenserat*, inquit Nangius ad eundem annum, in gratiam recepit, ut videre est apud Spondanum in Continuatione Annal. Baronii.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6690. — Anno Æræ Hispan. MCCXXXV.

☉ 2. E. ☽ 1. P. 6. April. Indict. 15. — Anno Hegiræ DXCIV, inchoato die 13. Novemb. fer. 5.

JESU CHRISTI 1197.

CÆLESTINI III PAPÆ 7.

HENRICI VI REG. 8. IMP. 7.

ALEXII ANGELI COMNENI IMP. 3.

I. *Henricus Imp. sævit*

ANNum. I ad IV. Joannes de Ceccano in suo Chronico anno superiori à nobis emen-

in Siculos adversùs se conjuratos.

emendato hæc narrat: *Post Nativitatem Domini Henricus Imp. egressus Capuam ivit in Siciliam XVII Kalendas Februarii*, currenti scilicet Christi anno. Imperator, qui ex Germania in Italiam redierat, *assignatum sibi à Diopuldo Rocca Arcis Castellano dictum Acerrarum Comitem, cùm apud Capuam Curiam regeret generalem, trahi ab equo primùm per plateas Capuæ, & demum verso deorsum capite suspendi vivum jubet. Quem viventem post biduum quidam Imperatoris histrio Teutonicus cognomine Follis, ut ipsi Imperatori placeret, ligato ad guttur ejus non parvo lapidis pondere ipsum turpiter exhalare coegit. Tunc Imperator ipse generalem toti regno collectam imponit*, inquit Richardus de Sancto Germano in Chron. Magnates Regni Siciliæ validam adversus Henricum Imp. conspirationem conflarant sub Constantiæ Imperatricis auspiciis; sed Imperator prudentiâ suâ tumultus omnes compescuit. Rebelles contra Imperatorem *Regem creaverant*, sed Imperator *diademate imposito clavis acutissimis eum ipso diademate caput transfixit, filios autem aut suspendio aut incendio, aut aliis damnavit suppliciis*, inquit Arnoldus lib. 5. cap. 2. qua de re legendus etiam Hovedenus ad hunc Christi annum à Baronio citatus.

II. *Hæc conjuratio paulò ante mortem ejus facta.*

Tunc ipse Diopuldus (seu Diepoldus, inquit Richardus laudatus) *per Imperatorem factus est Comes Acerrarum. Tunc etiam Odo frater ipsius ad expugnandam Roccham Siccam, in qua se Raynaldus, & Landulphus de Aquino fratres contra Imperatorem receperant, ab ipso Imperatore dirigitur, & ipse se confert in Siciliam Imperator, ubi ad se Duci Imperatricem jubet, qua in Panormi Palatio constituta, quidam Guillelmus Monachus, qui Castellanus erat castri Joannis, rebellavit Imperatori; ad quem obsidendum cùm ipse personaliter accederet Imperator, superveniente ægritudine, ab inde infirmus discedens, sicut Domino placuit, diem clausit extremum. Et tunc fama discurrente per regnum dictus Odo frater Diopuldi Comitis, rupta obsidione Roccha Sicca, discedit, & se contulit ad Roccham Arsisi.*

III. *Obitus Henrici VI Imp.*

A num. IV ad XI. Hovedenus in parte posteriore pag. 773. de Henrico Imperatore scribit; *obiit in Sicilia apud Messanam in vigilia Sancti Michaelis* (quæ incidit in diem XXVIII mensis Septemb.) *excommunicatus à Cælestino Papa propter captionem & redemptionem Richardi Regis Angliæ.* Dies tamen mortis ejus in Emortuali Casinensi à Caraciolo vulgato inscribitur diei V Octobris, nempe *tertio Nonas Octobris*. Propheticum *Beati Joachimi* fundatoris Ordinis Florensis spiritum, veris rerum eventis in Henrico VI, ejusque posteris comprobatum fuisse ostendit Papebrocius ad diem XXIX mensis Maij, ubi Vitam ejus illustrat, in disquisitione Historica §. 5. Baronius num. IX fragmentum testamenti Henrici Imp. recitat, in quo indicat se pœnitere persecutionis Romanæ Ecclesiæ illatæ, statuitque, ut si Fredericus filius suus *sine herede decesserit, regnum Siciliæ ad Romanam Ecclesiam deveniat.* Baronius num. VIII dicit, inconstantem esse Antiquorum sententiam circa annum quo *Fredericus* in lucem prodiit, concluditque eum natum anno MCXCIII, & currenti quadrimum fuisse. Verùm Albertus Stadensis Abbas ab eo laudatus accuratè scripsit in Chron. eum natum anno MCXCV; ad enim confirmant Auctores coævi à nobis eo anno laudati, qui etiam diem nativitatis ejus notarunt, nempe festum Sancti Stephani proto-Martyris. Addicit Baronius varios Auctores tradere *Fredericum*, qui hujus nominis II fuit, mortuum esse die Sanctæ Luciæ Martyris, die sc. XIII mensis Decembris anni MCCL suæ ætatis anno quinquagesimo septimo. Sed Auctores illi adversus coævos non audiendi, ideoque *Fridericus* II anno ætatis quinquagesimo quinto demortuus, & currenti tertium ætatis ingressus est. *Filius ejus puer parvulus*, inquit Continuator Aquicinctinus ad hunc Christi annum loquens de Henrico VI, *à Siculis in Regem jure paterno suscipitur. Porrò Philippus frater Henrici Imp. tutor pueri constituitur.*

IV. *Expeditio Crucesignatorum infelix fuit.*

A num. XI ad XIV. *Teutonici*, inquit Nangius in Chron. ad hunc Christi annum, *qui in Terram Transmarinam transierant, dum omnia turbulenter agitant, inducias, quas nostri cum Turcis inierant, abrumpunt, urbemque Berytum oppugnant & capiunt. quo Turci permoti Joppen civitatem pervadunt, obtruncant omnes, munitionem diruunt, soloque coequant.* Post aliqua interposita subjungit: *Teutonici, qui mare in Terram Sanctam transierant, cùm grandia se facturos sperarent, audita morte Imperatoris repatriant.* Idem narrat Abbas Urspergensis, qui hoc tempore vivebat, ad annum MCXCVII: *Alemanni in Terram Promissionis venerunt, bellicosi, crudeles, expensarum prodigi, rationis expertes, voluntatem pro jure habentes, ensibus invicti. In nullis nisi hominibus suæ gentis confidentes; Ducibus suis fidelissimi, & quibus vitam potius, quam fidem possis auferre. Hi cùm venissent in Terram Promissionis, treugas fregerunt, quas Rex Angliæ, ut dictum est, in recessu suo statuerat. Urbem Berentum* (legendum, *Berytum*, ut ex loco Nangii laudato liquet) *recuperaverunt, Joppen perdiderunt.*

V. *Moritur Henricus à Campania Rex Jerusalem.*

His diebus Comes Henricus (de Campania cognominatus), *qui Dominus terræ Jerosolymitanæ extiterat, de quadam fenestra sui Palatii cecidit, & mortuus est. Hujus uxorem nomine Ysabellam, quæ regnum hereditabat, accepit Americus Rex Cypri* (legendum, *Aymericus*, qui frater erat Guidonis de Lusignano Regis Cypri), *& coronatus est in regnum Jerosolymitanum* (idque in urbe Acconensi, ut habet idem Nangius). *Alemanni verò ad obsidionem Teroni* (vox illa corrupta) *castelli accesserunt, ibique mensibus aliquot commorati, audita morte Imperatoris Henrici recesserunt. Quorum Principes fuerunt isti, Chunradus Moguntinus Archiepiscopus, Chunradus Cancellarius Imperatoris* (qui erat Episcopus Herbipolensis), *Henricus Dux Saxoniæ, Liupoldus Dux Austriæ*, aliique Magnates & Episcopi ibidem nominati. Porrò vides, *Conradum* Archiepiscopum Moguntinum, qui Episcopus Cardinalis Sabinus erat, vocari tantùm Archiepiscopum, quia, uti jam non semel insinuavimus, horum temporum Scriptores de Episcopis & Archiepiscopis Cardinalibus verba facientes plerumque Cardinalatum tacent. *Conradus* verò Moguntinus in Historia Ecclesiastica nominatissimus vitam produxit usque ad annum millesimum ducentesimum, ut notarunt Conradus Moguntinus in suo Chron. & Hovedenus in parte post. Annal. ad annum MCC pag. 804.

VI. *Obitus Petri Canterio.*

Petrus Cantor Parisiensis, inquit Nangius hoc anno in Chron. *Vita & scientia clarus apud Cœnobium*

nobinum, quod Longus pons dicitur, obiit. Hoc etiam anno Bellovacensis in Spec. Hist. lib. 29. cap. 59. & Albericus in Chron. hanc mortem consignant, & Petrum plurimùm laudant. Abbatia Longi pontis, à Josleno Suessionensi Episcopo anno MCXXXII in Suessionensi diœcesi fundata fuit, quò è divi Bernardi familia Monachos misit. *Petrum* virum sanctissimum, velut oraculum omnes consulebant, & Jacobus de Vitriaco Cardinalis, qui hoc tempore vivebat, inter alia de eo scribit: *Capit facere, & docere velut lucerna ardens & lucens, & civitas supra montem posita, & candelabrum in domo domini aureum, de cujus fonte limpidissimo beatissimus vir Fulco Presbyter potavit.* Ita ille in Historia Occident. cap. 8. Cùm Monachum in Longo ponte induisset, tempore Probationis nondum expleto migravit è corpore, *Cantor* cognominatus, quòd Cantor in Ecclesia Cathedrali Parisiensi fuerit. Varia Opera composuit, quæ in diversis Bibliotheciis adhuc MSS. asservantur, ut videre est apud Oudinum in Supplem. de Script. Ecclef. Sola ejus *Summa*, quæ dicitur *Verbum Abbreviatum*, eò quòd ab his verbis incipiat, impressa fuit Montibus Hannoviæ anno MDCXXXIX in 4. quæ in Bibliothecam Patrum inserenda videbatur.

VII. *Quatuor Scriptores Angli Opera sua absolvunt.* *Willelmus Neubrigensis* Canonicus Regularis Sancti Augustini, &, ut ipse asserit lib. 1. cap. 15. in provincia Eboracensi natus, hoc anno Historiæ suæ à Stephano Angliæ Rege inchoatæ finem imposuit; *Radulphus* verò de Diceto Archidiaconus Londoniensis ante annum sequentem suam non terminavit. Anno etiam sequenti *Joannes Bromptonus* Abbas Jornalensis, & denique anno MCXCIX *Gervasius* Monachus Dorobernensis seu Cantuariensis Chronica sua absolverunt, quæ cùm Baronii tempore adhuc in tenebris laterent, in ejus Annalibus illustrandis non parvo nobis subsidio fuère.

VIII. *Constitutio Petri Aragoniæ Regis adversùs hæreticos.* *Petrus* Aragoniæ Rex & Comes Barcinonensis novi Principatus initio constitutionem edidit adversùs hæreticos, qua statuit, ut à consortio Sanctæ Ecclesiæ & Catholicorum omnium excludantur, & ubique damnentur. Eam eruit Baluzius ex archivo Ecclesiæ Gerundensis, & in Appendice Marcæ Hisp. num. 487. publicavit: *Præcedentium*, inquit Petrus, *Patrum nostrorum in fide imitatores, sacrosancta Romana Ecclesia canonibus obtemperantes, qui hæreticos à consortio Dei, & S. Ecclesia & Catholicorum omnium exclusos ubique damnandos ac persequendos censuerunt, Valdenses videlicet, qui vulgariter dicuntur Sabatati, qui & alio nomine se vocant Pauperes de Lugduno, & omnes alios hæreticos, quorum non est numerus, nec nomina sunt nota, à S. Ecclesia anathematizatos, ab omni regno & potestativo nostro tanquam inimicos Crucis Christi, Christianæque fidei violatores, & nostros etiam regnique nostri publicos hostes exire ac fugere districtè & irremeabiliter præcipimus*, &c. *Data Gerundæ in præsentia Raymundi Terraconensis Archiepiscopi*, & trium Episcoporum ibidem nominatorum, *per manum Joannis Beaxnensis Domini Regis Notarii, & mandata ejus scripta anno Domini MCXCVII.*

IX. *Perperàm Alphonso patri ejus attributa.* Eamdem Constitutionem referunt Franciscus Pegna in Direct. Inquisit. part. 2. & Joannes Mariana Præfatione in Lucam Tudensem exemplari usi, cujus initium est: *Ildefonsus Dei gratiâ Rex Aragonum* &c. finis verò: *Signum ✠ Ildefonsi Regis Aragonum, Comitis Barchinonis, Marchionis Provinciæ. Signum ✠ Petri Regis Aragonum, & Comitis Barchinonis in originali hujus charta*, &c. *Et fuit facta charta illa apud Ilerdam à Guillelmo de Bassia Regio Notario, anno Domini MCXCIV.* Verùm hæc omnia nomina, annusque quo Charta data, additiria sunt; cùm Petrus anno tantum superiori Aragoniæ Rex dictus fuerit. Usserius quidem in Tractatu *de Christianorum Ecclesiarum successione & statu* cap. 8. num. 47. & seq. eam Chartam ex Pegna & Mariana referens dicit, videri *Petrum* post mortem patris *Alphonsi* hoc edictum renovasse, priusquam Albigensium patrocinium susciperet, vel saltem simul cum patre regni consortem fuisse: Sed neutra conjectura admittenda; cùm nullus rerum Hispanicarum Scriptor tradiderit, *Petrum* cum patre conregnasse. Charta itaque illa à quodam imperito interpolata, & quoad annum mutata. Verum quidem est, *Petrum* occisum fuisse in pugna adversus Crucesignatos anno MCCXII commissa, sed antea valdè orthodoxus fuerat, & nonnisi ad juvandas sorores Comiti Tolosano sese adjunxit, inquit Auctor de Gestis Comit. Barcinon. cap. 23. in hoc reus, quòd Legato Apostolico, ut ab ea societate discederet, præcipienti morem gerere noluerit.

X. *Hæretici in Hispania Sabatati dicti.* Porrò Valdenses in Hispania *Sabbatati* & *Insabbatati* appellabantur, ut ibidem Usserius num. 4. ex Nicolao Eymerico in part. 2. Directorii Inquisitorum refert. Hæc Nicolai verba: *Insabbatati* dicuntur, *qui in sotulari, quod Zabbati vulgò dicitur, signum singulare quoddam, ut cognoscerentur ab eorum complicibus, deferebant.* Hoc longè ante Nicolaum notarat Ebrardus Bethuniensis in Antihæresi contra Valdenses cap. 25. *Quidam autem qui Vallenses se appellant, eo quod in valle lachrymarum maneant*, &c. *& etiam Zabatenses à Zabata potius, quam Christiani a Christo, se volunt appellari. Sotulares cruciant, cùm membra potius debeant cruciare; calceamenta coronant, caput autem non coronant.* Vixit autem Ebrardus anno MCCXII, cujus liber extat Tom. XXIV Biblioth. Patrum edit. Lugd. pag. 1525. Hæretici isti in Concilio Tarraconensi anno MCCXLII habito *Inzabatati* semper dicuntur, quam appellationem sortiri videntur, inquit Ducangius in Gloss. ab ea calcearum specie, quos Galli *Sabots* vocant, idest, calceis ligneis, quibus potissimum utebantur.

XI. *Floret in Hispania Averroës.* Florebat hoc tempore in Hispania Saracenica *Averroes* in civitate Cordubæ natus; ipsemet enim fatetur se anno MCXCVIII paraphrasim in Aristotelem *de partibus & generatione animalium* absolvisse. Tanta ejus fama fuit, ut Melchior Canus, qui seculo XVI vixit, de præcedentibus seculis loquens lib. 10. cap. 5. scribat: *Superiore seculo, & paucis anterioribus, oraculi loco erat Averroes in scholis, & præsertim in Italia, qua occasio fuit magnorum in illis oris errorum, & inutilis diligentiæ, qua aliqui non minùs in pervolutando Averroe collocabant opera, quam in sacris literis ponunt, qui his maximè delectantur. Nunc Averroes in scholis omnino jacet.* Joannes Leo Africanus in libello *de Viris quibusdam Arabum illustribus*, mortis ejus annum his verbis notavit: *Mortuus est Averroës in civitate Marochi, & fuit sepultus extra portam corsariorum, tempore Mahumedis Manzoris Pontificis ac Regis* (in Africa & Hispania Saracenica regnantis) *anno sexcentesimo tertio de Egira*, die

VIII

VIII Augusti nostri anni Christi MCCVI inchoam. De *Averrois* libris legendus Nicolaus Antonius in Bibliotheca Arabico-Hispana pag. 240. & seqq.

Anno Eræ Hispan. MCCXXXVI. Anno Hegiræ DXCV inchoato die 5. Novemb. fer. 3.

ANNO PERIODI GRÆCO-ROMANÆ 6691.

☉ 3. D. ☽ 2. P. 19. Mart. Indict. 1.

JESU CHRISTI 1198.

INNOCENTII III PAPÆ 1.

VACAT IMP. OCCIDENT.

ALEXII ANGELI COMNENI IMP. 4.

I. *Moritur Cælestinus III PP.*

AD num. I. Innocentius III in Epistola de electione sua Anglis & Scotis data apud Hovedenum pag. 777. ait: *Cælestino patre ac prædecessore nostro VI Idus Januarii viam universæ carnis ingresso, & in Lateranensi Basilica, sicut moris est, honorificè tumulato*, &c. Quare Cælestinus III, qui die tricesima mensis Martii anni MCXCI Pontifex Rom. electus fuerat, obiit hoc anno die VIII mensis Januarii, postquam sedisset *annos sex, menses novem, & dies novem*, emortuali excluso. Menses & dies, quibus supra annos sedit, à paucis ex Antiquis notati, iique à Librariis mendosè descripti. Ex recentioribus unus Onuphrius in Chron. *menses novem* rectè habet, sed quia electionem ejus uno die prævertit, unum etiam diem plus justo ei attribuit; Papebrocius verò in Conatu Chron. Hist. ubi electionem ejus cum die XII mensis Aprilis connectit, Pontificatum ejus non potuit aliquot diebus non mutilare; de die enim emortuali *Cælestini III* inter omnes convenit. Denique in libro Joannis Diaconi junioris de Ecclesia Lateranensi apud Mabillonium Tom. II Musei Ital. pag. 569. legitur: *Cælestinus Papa III jacet juxta Sanctam Mariam de Reposo.*

II. *Confirmavit institutionem militiæ Teutonicorum.*

Ad num. II. Cùm vidissem apud Onuphrium in Chron. institutionem *Ordinis militaris Teutonicorum* cum anno MCXIX copulatam, suspicatus sum eum in sententiam adeò à communi alienam sine aliquo fundamento non abiisse. Verùm re diligenter discussa comperi eum hîc, sicuti & quandoque alibi, id solum conjecisse ex eo sc. quod eo circiter tempore aliqui alii Ordines militares instituti fuerint. Annum hujus Ordinis fundati rectè notavit Interpolator Chronici Aquicinctini ad annum MCXCI, ubi scribit: *Ordo militum Teutonicorum inchoatur: quem anno MCXCI, Februarii die XXII Cælestinus Papa confirmavit. Primus hujus ordinis Magister creatus fuit Henricus Vualpot.* Verùm Diploma illud Cælestini III ad nos non pervenit, & ad annum MCXCII pertinet; cùm *Cælestinus* III annos Christi à die XXV mensis Martii exordiatur; quod eò magis dicendum, quò *Cælestinus* III anno MCXCI die tantum XXX mensis Martii Pontifex Rom. dictus fuerit. Is itaque Ordo anno quidem MCXCI institutus fuit, sed nonnisi anno insequenti die XXII Februarii confirmatus. Petrus de Dusburg Sacerdos Ordinis Teutonici anno MCCCXXVI *Chronicon Prussiæ*, in quo de origine Ordinis Teutonici & rebus ab eo gestis agit, publicavit, in quo Pontificatûs *Cælestini* III initio hanc militiam erectam tradit, sed annum non determinat, & Christophorus Hartknoch, qui anno MDCLXXIX Francofurti & Lipsiæ Chronicon laudatum typis dedit, & Notis illustravit, in parte I. pag. 20. ait tantùm Jacobum de Vitriaco lib. I. Hist. Jerosol. cap. 66. scribere Ordinem Teutonicum institutum fuisse in urbe Jerosolymitana, antequam Ptolemais sive Accon obsidione cingeretur à Crucesignatis; Verum Vitriacus loquitur quidem eo in loco de institutione Ordinis Teutonicorum, sed nec *Acconis* ibidem meminit, nec temporis, quo hic Ordo fundatus fuit. Rectè tamen idem Christophorus existimat, standum esse Joanni Nauclero, qui volum. 2. Chronographiæ scribit: *Anno Domini MCXCI apud Acam* (ita enim Ptolemais & Accon, etiam appellata) *quidam Bremenses & Lubecenses cives Hospitale in honore B. Mariæ Virginis ad opus infirmorum tempore obsidionis ex velis navium fecerunt, obtinuerunt auxilio Friderici Ducis Sueviæ à Cælestino Papa, cooperante ad hoc Henrico Rege Rom. Ordinem istum sub titulo Hospitalis B. Mariæ Virginis Domûs Teutonicorum in Jerusalem confirmari. Ex eo tempore incepit habere magistrum ordinis generalem prosapiâ nobilem.* Huic Ordini postea unitum fuisse Ordinem *Ensiferorum* adversus Infideles Livonos institutum suprà diximus. Legendus Trithemius in Chron. Hirsaugiensi ad annum MCXCII, ubi accuratè Ordinis Theutonici initia narrat.

III. *Innocentius III Papa eligitur.*

Innocentius III Cælestino III in Pontificatum successit, & quidem eodem die, quo Cælestinus sepultus. Anonymus enim à Bosqueto postea Episcopo Monspeliensi editus, qui eo adhuc vivente ejus res gestas scripsit: *Celebrata est*, inquit, *ejus electio VI Idus Januarii, anno Incarnat. dominica MCXCVII* (à die XXV mensis Martii deducto, qui ideo nobis est MCXCVIII), *& quia tunc diaconus erat, dilata est ejus ordinatio in Presbyterum usque ad sabbatum quatuor temporum IX Kal. Martii; & sequenti Dominica, in qua tunc occurrit festum Cathedræ Sancti Petri* (die nempe XXII mensis Februarii) *fuit apud S. Petrum in Episcopum consecratus, & in ejusdem Apostoli Cathedra constitutus.* Idem habet Radulphus de Diceto pag. 701. nec illud in dubium revocari debet. Et tamen in antiquis quibusdam Breviariis Ordinis S. Trinitatis dicitur *Sanctum Joannem de Matha* ejusdem Ordinis Institutorem cum *Sancto Felice Valesio* Romam profectum petiisse ab Innocentio III recèns Electo sui Ordinis confirmationem, & Pontificem *in festo Sanctæ Agnetis secundo*, sc. die XXVIII mensis Januarii, dum in Ecclesia Lateranensi Missam celebraret, ad Sacræ hostiæ elevationem, Angelum ei candida veste, cruce bicolori, specie redimentis captivos apparuisse; quo viso, Pontificem novum institutum approbasse.

IV. *Apparitio ei facta in dubium revocari non potest.*

Dum aliàs Romæ versarer, Franciscus à Sancto Augustino Macedo Ordinis Minorum de Observantia, qui ante aliquot annos Vitam utriusque Sancti Romæ, ubi Sancti Officii Qualificator erat, typis mandarat, à me ex eadem urbe discessuro etiam atque etiam petiit, ut examinarem, an certum & indubitatum esset, quod in Vita Innocentii III passimque in aliis monumentis legitur, hunc Pontificem Presbyteratu insignitum non fuisse ante diem vicesimam primam mensis Februarii; tunc enim coram Sacra Congregatione agebatur de cultu ab immemorabili tempore Joanni de Matha & Felici Valesio tanquam Sanctis exhibito, & jam Clemens Papa IX Religiosis Ordinis Sanctissimæ Trini-

tatis

tatis Redemptionis Captivorum rescripto dato anno MDCLXIX facultatem fecerat Officium & Missam de iisdem recitandi illa apparitione Innocentio III facta jam examinata & approbata. Macedo cùm nodum illum solvere non potuisset, illum secuerat in laudata Joannis de Matha Vita, asseveratque, quod & aliquot post annos Bonaventura Baro ejusdem Congregationis ac Macedo, tradidit in Annalibus ejusdem Ordinis Trinitariorum à se Romæ vulgatis, verum non esse quod passim dicitur *Innocentium* III qui Diaconus tantum erat, quando summus Pontifex die VIII Januarii creatus est, distulisse ordinationem suam in Presbyterum usque ad diem vicesimam primam mensis Februarii; cùm revelatio, de qua agimus, certa sit, ideoque die vicesima octava Januarii jam Presbyter esset.

V. *Omnis de ea difficultas tollitur.* Pollicitus sum viro docto, mihique amico me in hanc urbem Aquensem reducem quæcumque ad hanc difficultatem enucleandam conducere possent, per otium ad examen vocaturum, quod eo jam Româ digresso, & postea demortuo præstiti, comperique negari non posse, quin apparitio illa die XXVIII mensis Januarii hujus anni contigerit; quin tunc *Innocentius* III tantum Diaconus fuerit; eumque eo die Missam non celebrasse, sed audivisse. Verùm Scriptores mediæ & infimæ Latinitatis utramque actionem unius *celebrationis* nomine quandoque expressêre, ut varia exempla demonstrant. In Vita *Sanctæ Gertrudis* Abbatissæ Nivellensis in Brabantia, recitata in Actis SS. Bollandianis ad diem XVII mensis Martii, de cujus anno emortuali anno DCLXIV egimus, cap. 4. num. 19. dicitur, quandam nobilem matronam nomine *Adulam*, in omnibus verè Christi ancillam de miraculis à Sancta Gertrude patrari solitis dubitantem venisse ad monasterium Nivellense, cùm festum Sanctæ hujus virginis appropinquaret, cumque filius ejus adhuc infans in quodam fonte submersus fuisset, eaque cujusdam Sanctimonialis hortatu Sanctæ Gertrudis opem implorasset, *surrexit infans, qui ante fuerat mortuus. Ex illa autem die prædicta matrona cœpit credere virtutibus S. Gertrudis. Et in crastinum* MISSAM CELEBRAVIT *in honore virginis Christi Gertrudis*, idest, *missam audivit*. Ea autem Vita ab Auctore synchrono anonymo elucubrata.

VI. *Celebrare & audire Missam aliquando unum & idem.* Præterea Gregorius Turonensis Anonymo illo antiquior, in lib. de Gloria Martyrum cap. 75. referens miracula Sancti Sigismundi Burgundiæ Regis, ait: *Si qui nunc frigoretici* (melius quàm frigoritici, quod aliqui codices habent, idest, *Febricitantes*, uti variis exemplis explicat Ducangius in Glossario) *in ejus honore Missas devotè celebrent* (idest, Missas audiant) *ejusque pro requie offerant oblationem, statim compressis tremoribus, restinctis febribus, sanitati pristinæ restaurentur.* Denique idem Gregorius lib. de Gloria Confess. cap. 65. verba faciens de quadam muliere, quæ singulis diebus Missam audiebat, licet in ea non communicaret, scribit: *Mulier per annum integrum ad hoc templum degens, assiduè orationi vacabat, celebrans quotidie Missarum solemnia, & offerens oblationem pro memoria viri, non diffisa de Domini misericordia, quòd haberet defunctus requiem; in die qua Domino oblationem pro ejus anima delibasset, semper sextarium gazeti vini* (idest, vini à Gaza Palæstina, quod olim in pretio erat, ut ostendit Ducangius laudatus in voce Gazetum) *præbuit in sacrificium Basilicæ Sanctæ. Sed Subdiaconus nequam reservans gulæ gazetum, acetum vehementissimum offerebat in calice, muliere non semper ad communicandi gratiam accedente*, &c. Quibus exemplis difficultas, quæ Francisci Macedo animum adeo torserat, & nunquam hactenus superata fuerat, certò enodatur, & corriguntur Auctores, quos citat & sequitur Spondanus anno MCCIX num. X, ubi agit de confirmatione Ordinis SS. Trinitatis, asserentes prædictam visionem contigisse V Kalend. Febr. currentis anni, dum Innocentius III rem divinam faceret. Porrò hic loquendi modus à Ducangio in suo Glossario prætermissus.

VII. *Moritur Jacob Imperator Africæ & Hisp. Saracenicæ.* Exeunte hoc Christi anno è vivis excessit *Jacob* Imperator Almohadum seu Saracenorum Africæ & Hispaniæ Saracenicæ, *Almansor* cognominatus. Noweirius enim hanc mortem anno Hegiræ DXCV copulat, affirmatque amorem justitiæ & religionis Musulmanæ magnum ei nomen peperisse. Successit Patri *Mahomet* filius, cognominatus Annasor Ledinillah, idest, *defensor legis Dei*, qui *Tahia*, & factionarios, quorum caput erat, anno Hegiræ DXCVI, seu circa initium Martii anni Christi MCC superavit, & Africanos tam ex minori Africa, quàm ex Mauritania expulit, ac montes Atlantis transire coegit. Tandem cùm *Mahomet* Christianum nomen in Hispania delere, & *Alphonsus* VIII Castellæ, *Petrus* Aragoniæ, & *Sanctius* Navarræ Reges sua tueri statuissent, anno MCCXII ad *Ubedam* in confiniis Castellæ novæ pugnatum, & Saraceni cum suo Imperatore fusi fugatique, ut videre est apud Spondanum eo Christi anno, tuncque magnum illud Imperium, cui *Almumenin*, Omarus, Juceph seu Joseph, Jacob & Mahometes successivè præfuerant, in Hispania finitum & dissipatum. Rodericus enim lib. 7. cap. 10. hac Christianorum victoria narrata subjungit: *Qua victoria dissessionis & exterminii Almohadibus causam dedit*, in Hispania nempe tunc ab Africa separata. Cumque postea Hispaniæ Saracenicæ Reguli corpus amplius non conflarent, & quilibet sibi consuleret, Christianis facilius fuit gentem ferocem & barbaram tam memorabili clade attritam paulatim debellare.

Usque ad hujus anni & Pontificatûs Innocentii III initium Eminentissimus Cardinalis Baronius Annales Ecclesiasticos herculeo labore elucubratos perduxit; qui licet in eo scribendi genere excelluerit, quia tamen nihil ex omni parte perfectum, ut vulgò dicitur, eosdem supplevisse ac illustrasse inutile, uti spero, non erit.

FINIS TOMI QUARTI ET ULTIMI.





INDEX RERUM
TOMO QVARTO
CRITICÆ HISTORICO-CHRONOLOGICÆ
Contentarum.

In quo Nota Numeralis communis, Annum Christi, *Romana verò*, Numerum Marginalem *significat*.

A



BAELARDVS, *vide*, Petrus Abaelardus.

Abasidarum Calipharum in Aegypto Dominii finis 969. XII.

S. Abbo Floriacensis Abbas floret 971. IV. Adest Concilio San-Dionysiano 997. XII. De tumultu in eo excitato se purgat *ibid.* XIII. Primam profectionem Romanam quo anno susceperit 998. XI *& seq.* Scribit ea de re ad Leonem monasterii S. Bonifacii Abbatem *ibid.* XII & XIV. Romam secundò proficiscitur pro causa Arnulphi Remensis Episcopi depositi *ibid.* XIII. Arnulphum sedi suæ restituit *ibid.* Scribit hac de re ad Gregorium PP. *ibid.* à Wasconibus martyrio coronatur 1003. IV. Ejus Opera *ibid.* & 971. IV.

Abdelmumen fit Almohadum Africæ Princeps 1110. XXX. Hispaniæ Saracenicæ dominatur 1145. XIV *& seq.* Victorias suas in Africa prosequitur 1147. XXV. Marochium expugnat & Almorabitas destruit 1148. XIX & 1149. VII. Mauris Hispaniæ auxilium mittit 1150. VII. Mauritaniam Sitifensem aggreditur 1151. XIV. Victorias suas in Africa prosequitur 1152. XVI. Mahomerem filium successorem designat 1154. XIX. Tunetum sibi subjicit 1159. XVIII. Tripolim & alias Africæ urbes expugnat *ibid.* XIX. In Hispaniam excensionem facit 1161. XIX. Gibraltar oppidum ædificat *ibid.* Moritur 1163. XIV.

Abengania Ab Alphonso VII. Hispaniarum Imperatore fit Rex Cordubensis 1146. XXVI *& seq.* In eum rebellat 1148. XX.

Absalon Roschildensis Episcopus fit Archiepiscopus Londensis 1177. XIII. Moritur 1194. XI *& seq.*

Abubeker Fit Imperator novæ Sectæ Almorabitarum in Africa 1058. XVI. Moritur *ibid.*

Accon, *vide*, Ptolemais.

Adalbero Remensis Archiepiscopus moritur 988. V.

Adalbero, Metensis Episcopus hujus nominis primus moritur 965. XIII.

Adalbero Hujus nominis II fit Episcopus Metensis 984. VIII & X. Monasteria plurima reædificat 992. V. Romam pergit *ibid.* Spinaleosc monasterium fundavit *ibid.* Ejus in Synodo Tremoniensi magnanimitas 1005. III *& seqq.* Adalbero moritur *ibid.* VI.

Adalbero Hujus nominis III S. Leonis IX Papæ patruelis fit Episcopus Metensis 1046. VIII.

Adalbero Laudunensis Episcopus, *vide*, Ascelinus.

Adalbero S. Udalrici Augustensis Episcopi nepos ex sorore in Synodo Ingelheimensi accusatus absolvitur 972. II.

Adalbertus Russorum Episcopus ordinatus Vicemburgensi monasterio præficitur 966. I. Fit Archiepiscopus Magdeburgensis & pallio donatur Romæ 967. VI. quo anno inthronizatus *ibid.* VIII *& seq.* In duos non distinguendus 971. VII. Moritur 983. VII. Annus mortis ejus probatur *ibid.* XI *& seq.*

Adalbertus Archiepiscopus Moguntinus quó anno dictus sedis Apostolicæ Legatus 1133. V. quo anno mortuus 1135. XI.

Adalbertus Bohemiæ Regis filius fit Archiepiscopus Saltzburgensis 1167. XXXI. Archiepiscopatum Friderico Imp. resignare cogitur 1169. VII. in Archiepiscopatum restitui frustrà petit 1172. III. in Comitiis Ratisponensibus Archiepiscopatu deponitur 1174. I *& seqq.* Ad Alexandrum III Papam confugit qui acta contra eum cassat *ibid.* IV. Ab Alexandro PP. & à Friderico Imp. removetur ab Archiepiscopatu 1177. XI. in eum restituitur 1183. II.

S. Adalbertus Pragensis Episcopus quo anno dictus 980. I & III & 983. XIII. Episcopatum deserit 983. XIV & 990. II. Fit Monachus Benedictinus 983. XV & 990. II. jubente Papa Pragam redit 989. I & 994. VI. iterum Episcopatum abdicat & Romam pergit 995. VIII. Ejus prædictio adimpletur *ibid.* IX. Polonis, Bohemia & Hungaris fidem annunciat 996. VIII. Geisam Hungariæ Regem & Stephanum ejus filium baptizat *ibid.* in Prussia martyrio coronatur 997. I. S. Adalberti corpus Poloni & Bohemi se habere gloriantur *ibid.* & 999. V. S. Adalbertus non fuit Archiepiscopus Guelnensis 999. VII. Ejus vitam non scripsit Silvester II Papa 1003. II Ejus corpus Pragam transfertur 1036. IV.

Adaldagus Archiepiscopus Hamburgensis jubente Ottone Imp. Benedictum V Papam Hamburgum ducit & usque ad mortem cum honore detinet 965. I. Moritur 988. I. Brema ei ab Ottone M. concessa fuit *ibid.*

Adalgerus Presbyter jubente Arnulpho Archiepiscopo Remensi Remos Carolo Lotharingiæ Duci tradit 988. V & 990. V. Excommunicatur à Synodo Silvanectensi *ibid.*

Adam Sancti Dionysii in Francia Abbas quo anno mortuus sit 1120. XVII.

Adana urbs à Nicephoro Phoca Imp. Saracenis eripitur 964. VIII.

Adela Theobaldi IV Campaniæ Comitis filia nubit

Ludovico VII Francorum Regi 1160. IX. Ab Archiepiscopo Senonensi coronatur *ibid.*

Adelais Praxedes etiam dicta Henrico IV Germaniæ Rege marito cogente à multis stupratur 1093. II. Querelam suam ad Constantiensem Synodum defert 1094. III. in Placentina Synodo absolvitur 1095. I.

Adelais Humberti II Maurianensis Comitis filia quo anno Ludovico VI Francorum Regi nupserit 1119. V. Ejus anni in diplomatis à Ludovico Rege quandoque numerati 1120. XIX.

Adelais De Monteferrato Rogerii Siciliæ Comitis vidua Bal luino Jerosolymorum Regi nubit, priori uxore adhuc vivente 1113. IX. Ab eo dimissa in Siciliam redit 1117. XXVI.

Adelais cognomento *Blanca* uxor Willelmi I Provinciæ Comitis & mater Constantiæ Reginæ Franciæ 998. VI. Soror erat Gaufridi Grisagonelli Patris Fulconis Andegavorum Comitis *ibid.* Benedictionem recipit à Benedicto VIII Papa 1018. VIII. Tutrix fuit Willelmi II filii *ibid.* IX *& seq.*

Adelbertus Italiæ Rex Romam à Joanne XII PP. intromittitur 963. I. Ex ea pulsus in Corsicam revertitur *ibid.* Conjurat in Ottonem Imp. 966. II.

Adelbertus Tusciæ Marchio Theobaldi Tusciæ Ducis pater 1002. IV.

S. Adelhais Ottonis II. Imp. mater S. Majolum Abbatem Cluniacensem sollicitat ad Pontificatum Romanum suscipiendum 975. I *& seq.* Ottonis filii odium incurrit & in Provinciam pergit 980. VII. in Italiam petit & cum filio reconciliatur *ibid.* VIII. Moritur 998. XVI & 1000. IV. Ejus fratter *ibid.* Ejus Vita à S. Odilone scripta *ibid.*

Adelhais Hugonis Capeti Francorum Regis uxor 998. II. Ejus pietas *ibid.* Ejus genus incertum *ibid.*

S. Adelheidis Abbatissa Vilicensis in diæcesi Coloniensi moritur 1015. V. Ejus vitæ synopsis *ibid.*

Adelmannus Leodiensis Ecclesiæ Scholasticus postea Brixiensis Episcopus Fulberti Carnotensis Episcopi discipulus fuit 1007. I. Berengarium monet ut errores suos revocet 1035. IV & 1045. IV. Paulini Metensis Primicerii operâ utitur *ibid.* V.

Ademarus Podiensis Episcopus cum Crucesignatis ad bellum Sacrum pergit 1096. XII. Legationis Apostolicæ munere fungens moritur 1099. XIII.

Ademarus Monachus Sancti Eparchii Chronicon suum quo anno absolvat 1027. VII.

Aeditha Godwini Cantiæ Comitis filia S. Eduardo Angliæ Regi nubit & cum eo caste vivit 1020. IV & 1043. V.

Apud S. Aegidium in Provincia Narbonensi Concilium celebratur pro confirmanda Treuga Dei 1056. III.

Aegyptus in Caliphæ Africani potestatem venit 969. XII.

Aelfredus Ethelredi Angliæ Regis & Emmæ filius cum matre in Normanniam fugit 1013. V. Ab Haraldo Angliæ Rege conficta Emmæ matris Epistola accersitur & ab eo occiditur 1036. VIII.

Aelnotus Cantuariensis Archiep. Haraldum Angliæ Regem electum coronare recusat 1036. VII.

Africa Minor proprio Regi paret 1073. XIII & 1076. VII. Rogerio Siciliæ Regi subjicitur 1146. XXV.

Africana Ecclesia in finem vergit 1053. XIV. dissidiis laceratur 1073. XIII. Seculi XII initio nondum penitus destructa 1114. III *& seq.* penitus destruitur 1149. VIII *& seq.*

Africani Episcopi post Almorabidarum destructionem fuêre tantum titulares *ibid.* IX.

Agatha Henrici II Imp. filia Eduardo Edmundi Angliæ Regis filio nupta Edgarum cognomento Ethelim parit 1016. IV. item S. Margaritam Scotorum Reginam 1054. XI. Ex Anglia fugit & Margaritam filiam Malcolmo III Scotiæ Regi conjugem dat 1067. VIII *& seq.*

Agnes Caroli Lotharingiæ Ducis uxor ab Hugone Franciæ Rege cum marito capitur & in custodia detinetur 990. VI *& seq.* Carolum & Ludovicum filios in carcere parit *ibid.*

Agnes Willelmi Pictavorum Ducis filia nubit Henrico Germaniæ Regi 1043. VI. à Clemente II Augusta coronatur 1046. II. in Italia filiam parit 1047. II. S. Wiboradam à Clemente II Canonizari impetrat *ibid.* IV. Henricum filium parit 1050. XX. Conradum alterum filium parit 1052. XVIII. Bajoariæ ducatum privato jure possidendum à marito recipit 1056. I. post Henrici mariti mortem rebus præest *ibid.* II. Cadolum Antipapam eligi curat 1061. III. Romanam Ecclesiam afflictam tuetur 1074. I. Moritur 1077. XVI. Ejus pietas *ibid.*

Agnes Ludovici VII Francorum Regis filia Manuelis Imp. filio uxor destinatur 1179. XX. Cum Alexio futuro sponso coronatum 1183. XI.

S. Agnetis Virginis & Martyris Reliquiæ revelantur, & Ultrajectum, indeque Parisios transferuntur 964. X.

S. Ailredus Rievallensis Abbas declamat in Victorem IV Antipapam 1160. III. Electionem ejus vitiosam esse ostendit *ibid.* IV. Alexandri verò III. legitimam *ibid.* V. Moritur 1166. XXV. Ejus Opera *ibid.*

Aimericus II Vicecomes Narbonensis Mathildem Roberti Guiscardi filiam Raimundi Berengarii II Comitis Barcinonensis relictam uxorem ducit 1079. VI.

Airiacense Concilium in pago Autissiodorensi celebratur 1020. II. Ab illo repetendus mos Sanctorum Reliquias ad Synodos deferendi *ibid.*

Albanum à Romanis destruitur 1168. XVIII & 1169. III.

Albericus Card. Ostiensis Episcopus Legatus Innocentii II in Anglia & Scotia 1138. XI. Apud Londinum Concilium celebrat *ibid.* XII *& seq.* Invitat Episcopos & Abbates ad Concilium Lateranense Oecumenicum *ibid.* XIII. Agit de pace inter Angliæ & Scotiæ Reges *ibid.* Romam ad Concilium Lateranense pergit 1139. V. à Lucio II Legatur in Franciam mittitur 1144. III *& seq.* Ab Eugenio III Tolosam legatus contra Henricum Hæreticum 1147. XVII.

Albericus fit Episcopus Catalaunensis 1129. IX.

Albericus à S. Roberto fit Abbas Cisterciensis 1098. XII. Arctissimam S. Benedicti Regulæ observationem instituit 1100. XVII.

Albero Archiepiscopus Trevirensis quo anno dictus sedis Apostolicæ Legatus 1133. V. Ejus legatio quo anno finita 1135. XI.

Albertus Card. postea Papa sub Gregorii VIII nomine ab Alexandro III PP. Legatus missus Henricum II Angliæ Regem à cæde S. Thomæ absolvit 1172. I. Pontifex Romanus eligitur 1187. XIV. Ejus zelus & virtutes *ibid.* XV. Ejus obitus *ibid.* XVI.

Albertus Eremita Episcopus Bethlehemitanus à Cælestino III PP. fit Patriarcha Jerosolymorum 1191. XVIII. Petri Eremitæ pronepos erat *ibid.* Diversus à B. Alberto Vercellensi Episcopo postea Jerosolymorum Patriarcha *ibid.* Moritur 1194. XIII.

Albertus seu Adalbertus fit Archiepiscopus Hamburgensis 1043. I. Suenoni II Daniæ Regi excommunicationem minatur nisi dimittat consanguineam quam uxorem duxerat *ibid.* Hamburgum unde recesserat redit & Regi reconciliatur *ibid.* I & seq. moritur 1072. V.

S. Albertus, Episcopus Leodiensis & Cardinalis Ecclesiasticam libertatem defendens martyrium patitur 1192. XXI. Ejus corpus Bruxellam transfertur *ibid.*

Albertus Bremensis Canonicus fit Episcopus Rigensis in Livonia 1186. XIII. Gladiferorum militiam in Livonia instituit *ibid.*

Albertus quidam mortuo Guiberto Antipapa eligitur Antipapa 1100. IV. Apud S. Laurentium retruditur *ibid.*

Albertus Aquensis Historiam Jerosolymitanæ expeditionis quo anno absolvit 1126. XII.

Albigenses hæretici damnantur in Concilio Lumbariensi 1176. II. in Comitatu Tolosano grassantur 1177. XVI. Ea de re Raimundus V Comes Tolosanus scribit ad Cistercienses *ibid.* XVII. Adversùs Albigenses Franciæ & Angliæ Reges Tolosam proficiscuntur 1178. IV. Albigenses damnantur in Concilio generali Lateranensi 1179. VI. Albigensium errores recensentur 1181. VIII & seq. Albigenses in suis erroribus obstinantur *ibid.* X.

S. Albinus Sabionensis Episcopus sedem Sabionâ Brixinam in Tirolium transfert 1015. VI. Moritur *ibid.*

Alcoranum ex Arabica in Latinam linguam vertitur Petri Venerabilis Cluniacensis Abbatis curâ 1143. XV. à Roberto Retenensi in Epitomen redigitur *ibid.*

Aldredus Archiepiscopus Eboracensis quo anno dictus 1059. VI & seq. Secundo Concilio Romano sub Nicolao II PP. interfuit *ibid.* VII & *seqq.* Simoniæ accusatus non fuit *ibid.* VIII. à Nicolao PP. pallium accepit *ibid.* Româ discedens à latronibus spoliatur & Romam redit *ibid.* X. In Angliam revertitur 1060. I. Moritur 1069. IV.

Adulphus Eboracensis Archiepiscopus S. Oswaldi decessoris ossa elevat 1002. X.

Alexander II Papa, *vide*, Aoselmus Lucensis Episcopus.

Alexander III Papa, *vide*, Rolandus Paparo.

Alexander Malcolmi III Scotorum Regis filius quo anno Scotiæ Rex dictus 1124. XXII. Moritur *ibid.*

Alexandria Aegypti ab Amalrico Jerosolymorum Rege expugnatur 1167. XXXII.

Alexandria Palearis dicta in Longobardia conditur 1168. XIV. Romanæ Ecclesiæ à populo traditur 1170. V. à Friderico Imp. obsidetur 1174. V. Obsidione liberatur 1175. IV. Ab Alexandro III Papa fit Episcopalis *ibid.*

Alexius Monachus Studita fit Patriarcha Constantinopolitanus 1015. VII. Constantinum Monomachum Imperatorem coronat 1042. IV. Moritur 1043. VIII.

Alexius Comnenus fit Imperator 1080. XVI. Coronatur à Cosma Patriarcha Constantinopolitano *ibid.* XVII. Isaacium fratrem Sebastoeratorem dicit *ibid.* XVIII. Alias dignitates instituit *ibid.* Cum Turcis imperium Orientale vastantibus pacem facit 1081. XVI & *seq.* à Roberto Guiscardo Calabriæ Duce vincitur *ibid.* VII. Pro bello contra Robertum Ecclesiæ thesauros accipit 1082. VIII. Henricum Germaniæ Regem ad fœdus adversùs Robertum sollicitat *ibid.* IX. à Boamundo Duce vincitur 1083. VI. Turcarum auxilio eum vincit *ibid.* Literas in Oriente restituit *ibid.* VIII. Nefaria cujusdam Itali dogmata Constantinopoli damnari curat *ibid.* IX.

Alexius Venetorum auxiliis adjutus varia fortunâ in Illyrico pugnat cum Roberto Calabriæ Duce 1084. XIII & *seq.* Ab Urbano II non fuit excommunicatione absolutus 1089. I. Eustratium Garidam Patriarchatu Constantinopolitano deturbat *ibid.* VIII. Aximorum usum Latinis interdicit *ibid.* IX. Joannem Comnenum filium imperii consortem dicit 1091. XV. Occidentalium Principum auxilium contra Turcas implorat 1092. XI. Crucesignatos Hellespontum transfretare cogit 1096. IX & XIV. Gaudet de Strage Christianorum à Saracenis facta *ibid.* XI. Crucesignatis insidiatur *ibid.* XIV & 1097. X & 1107. X. Cum Boamundo Antiochiæ Principe concordiam init 1108. IV. Manichæis ad fidem convertendis operam dat 1114. IX. Innumeros ab errore revocat *ibid.* X. Alexius Comnenus moritur 1118. XXIV. Literis excultus fuit *ibid.* XXV. Nilum Monachum hæreticum ad sanam doctrinam reducere conatus est *ibid.* XXVI. Synodum adversus eum cogendam curavit *ibid.* XXVII. Qua arte Bogomilorum hæresim detexerit *ibid.* XXVIII & *seqq.* Dogmaticam panopliam contra eorum hæresim componi curavit *ibid.* XXXII & *seqq.* Basilium Medicum Monachi habitu incedentem primatium hujus hæresis Auctorem comburi curavit *ibid.* XXXIII.

Alexius Comnenus Manueli patri in Græcorum imperium succedit 1180. IV. Cum Agnete futura uxore coronatur 1183. XI. Andronici jussu occiditur *ibid.* XIII.

Alexius Angelus Isaacio fratre imperio & oculis privato fit Imperator 1195. IV. Comneni nomen assumit *ibid.*

S. Alfernus Monasterium Cavense Salernitanæ urbi vicinum fundat 1050. XXVI. Moritur *ibid.*

Alfuinus Vintoniensis Episcopus moritur 1047. X. Incontinentiæ cum Emma Regina falsò accusatur *ibid.* X & *seq.*

Algerus Leodiensis Scholasticus & postea Monachus Cluniacensis floret 1132. XV & 1152. XVIII. Ejus Opera *ibid.*

Alhacan Hispaniæ Calipha Christianos quosdam martyrio afficit & moritur 975. VI.

Ali in Jacob Almohadum Imperatorem rebellat 1185. XIX. Universam ferè Africam minorem sibi subiicit *ibid.* à Jacob occiditur 1187. XXI.

Aligernus Abbas Casinensis moritur 986. III.

Alis Abulhasenus fit Calipha Ægypti 1020. V. Moritur 1036. V.

Alis Abulmansor fit Calipha Ægypti 1101. XI.

Alis seu Halis Josepho patri succedit in imperium Almorabitarum Africæ & Hispaniæ 1106. X. Alphonsi VI Duces in prælio vincit 1108. VI. Toletum frustra obsidet 1110. IV. In eum Saraceni Hispaniæ & Africæ rebellant 1119. XVIII & *seq.*

Allelengium tributum à Basilio Imp. impositum in quo consisteret 1019. III & *seq.* Duravit usque ad Romanum Argyrum Imp. *ibid.*

Almanzor datur coadjutor Isen Hispaniæ Caliphæ adhuc puero 975. VI. Christianos graviter affligit *ibid.* Barcinonem & Legionem expugnat 985. VII. Vincitur à Garsia Fernando Castellæ Comite & moritur 998. XV.

Almenon Toletanus Rex Saracenus Ferdinando Magno Castellæ Regi tributarius redditur 1038. VIII.

Almoezz Africæ Calipha moritur 1063. IX.

Almohades ab Almorabitis diversi 1108. IX. Almohadum in Africa & Hispania origo 1119. XVIII & *seqq.* Almohades Abdelmumen in Principem eligunt 1120. XXX. Hispaniæ Saracenicæ dominantur 1145. XIV & *seq.* In Africam Dominationem suam extendunt 1147. XXV. Almorabitas destruunt 1148. XIX & 1149. VII. Christianam religionem in Africa & Hispania Saracenica exstinguunt 1149. VIII. Almohadum dominationis in Hispania finis 1198. VII.

Almorabitarum sectæ apud Saracenos Africæ Initium 1058. XVI. Almorabitæ Hispanias sibi subiiciunt 1077. XVII & 1091. XII. Cum Almohadibus confundi non debent 1108. IX. Hispaniæ Saracenicæ dominantur *ibid.* X. Eorum in Hispania & Africa pessimus status 1145. XIV & *seq.* & 1147. XXV. Ab Abdelmumen destruuntur 1148. XIX. & 1149 VII.

Almostathed fit Calipha Babyloniensis 1118. XXXVI.

Alphonsus V Veremundo patri in regnum Legionis succedit 998. XV. Adest Concilio Leginnensi cum Geloira uxore 1012. VIII. Contra Saracenos pugnans occiditur 1027. VII.

Alphonsus VI Ferdinandi M. Filius fit Rex Legionis 1065. III. Garsiam fratrem regno spoliat illudque cum Sanctio fratre partitur 1071. XVIII. à Sanctio fratre Ca-

stellæ Rege capitur & in monasterium truditur *ibid.* XVIII *& seq.* è monasterio fugit & Toletum pergit *ibid.* Sanctio fratre mortuo Legionis & Castellæ regnæ recipit 1072. XII. Garsia fratre in carcerem conjecto Gallæciæ & Lusitaniæ regnum occupat *ibid.* Episcoparum Auscensem in urbem Burgensem transfert 1074. XI. Ad Alphonsum scribit Gregorius VII petens officium Romanum in regnis Castellæ & Legionis recipi *ibid.* X. Sanctio IV Navarræ Rege occiso quasdam ejus Provincias recipit 1076. XII.
Romanum officium in regno suo recipi optat 1080. XI. Contra Saracenos auxilium à Francis petit 1087. XIV *& seq.* Toletum expugnat & quo anno 1088. V. Christianam religionem ea in urbe restituit *ibid.* VI. Bernardum Toleti Archiepiscopum dicit & Romam pro Pallio mittit *ibid.* Romanum Officium in Hispaniis recipi jubet 1090. II & 1101. IX. Isabella quarta uxore mortua quintam ducit Beatricem dictam 1107. XI. Ejus Duces ab Almotabitis vincuntur 1108. VI. Ejus uxores & liberi *ibid.* Zarda non fuit ejus uxor sed concubina *ibid.* XI *& seq.* Saracenos vincit & Cordubam capit *ibid.* XII. Moritur 1109. I.
Alphonsus VII postea Imperator Hispaniarum Raymundi Comitis & Urracæ filius quo anno natus, incertum 1106. IX. post Alphonsi VI mortem à Castellanis Rex agnoscitur 1109. III. Ab Urraca matre dissidet & à regni magnatibus Rex agnoscitur 1122. VIII. Alphonsum Aragoniæ Regem bello appetit 1123. XI. Cum eo pacem facit 1124. XVIII. Berengariam Raimundi III Barcinonensis Comitis filiam uxorem ducit *ibid.* XIX. Concilium Palentinum celebrat 1129. XVI *& seq.* Imperatorem se vocat *ibid.* XVI. primam in Saracenos expeditionem suscipit 1130. LVI. Innocentio II Concilium Remis celebranti per Legatos obedientiam præstat 1131. XIII. In regiones Saracenorum excursiones facit 1132. XVII.. Rebelles ad obsequium redigit *ibid.* XIX. Mortuo Alphonso Aragoniæ & Navarræ Rege Aragoniam & Navarram sibi deberi contendit 1134. XXXVIII. Cum Garsia Ramire Navarræ Rege pacem facit 1135. XLI. Item cum Ramire Monacho Aragoniæ Rege *ibid.* In Legionensi urbe Imperator coronatur *ibid.* XLI. Episcoporum & Procerum Conventum congregat *ibid.* XLIII. Communi consensu Hispaniarum Imperator agnoscitur *ib.* XLIV. Infelicem expeditionem in Saracenos suscipit 1138. XIV. Moleste fert Alphonsum Portugalliæ Comitem ab exercitu Regem proclamatum 1139. XXIV. Innocentium Papam sollicitat ut eum excommunicet *ibid.* Garsiæ Ramiro Navarræ Regi bellum infert 1140. XXII. Ab eo vincitur *ibid.* Cum eo pacem init *ibid.* XXIV. In Alphonsum Regem Portugalliæ expeditionem suscipit *ibid.* XXIII. Cum Raimundo IV Barcinonensi Comite & Aragoniæ, Principe fœdus init *ibid.* XXII. Sanctium filium natu majorem Blancæ Garsiæ Ramiri Navarræ Regis filiæ nubit *ibid.* XXIV. Cordubam & Calatravam Saracenis eripit 1146. XXVI *& seq.* Inter Garsiam Navarræ Regem & Raimundum IV Barcinonensem Comitem inducias facit *ibid.* XXVII. Cum Crucesignatis multa Hispaniæ oppida expugnat 1147. XXI *& seqq.* Palentinum Concilium celebrat & plures Episcopos ad Concilium Remense mittit 1148. VII. In Mauros movet & Cordubam obsidet 1150. VII. Gesta ab eo contra Saracenos 1151. XIII.
Sanctium & Ferdinandum filios Castellæ & Legionis Reges designat 1152. XVII. Ricæ Uladislai Poloniæ Ducis filiæ nubit *ibid.* & 1153. XVII. Constantiam filiam Ludovico VII Franciæ Regi uxorem dat 1154. XVIII. Ejus familia 1155. X. Ludovicum VII Franciæ Regem orationis causa ad S. Jacobum euntem magnificè suscipit *ibid.* X *& seq.* diviso inter filios regno moritur 1157. VII.
Alphonsus VIII Sanctio III Castellæ Regi patri succedit, 1158. VIII. Toletum recuperat 1166. XX. Cum Sanctio Navarræ Rege inducias facit 1167. XXIII. Eas ante præfinitum tempus rumpit 1173. III. Leonoram Henrici II. Angliæ Regis filiam uxorem duxit *ibid.* Henrici operâ cum Sanctio reconciliatur 1177. XXI. & 1179. XVIII. Infantaticum à Ferdinando Legionis Rege recuperat 1181. XVI. Saracenis bellum indicit 1194. XV. Ab iis in prælio profligatur 1195. VI. Cum iis pacem facit 1196. V.
Alphonsus IX fit Rex Legionis 1188. XVII.
Alphonsus Petro fratri succedit in regnum Aragoniæ 1104. XVII. à Saracenis vincitur 1106. X. Urracam Alphonsi VI. Legionis & Castellæ Regis filiam uxorem ducit 1108. XI. Alphonso VI succedit 1109. I & III. Ab Urraca uxore dissidet *ibid.* III. & IIII. X. Cæsaraugustam obsidet 1114. XV. Tutelam Francorum opecapit *ibid.* XV. *& seq.* Eam Rorroco II Comiti Perticensi in fortitudinis præmium dat *ibid.* XV *& seqq.* Cæsaraugustam obsidet & capit. 1118. XVI. *& seq.* Gastonem Vicecomitem Bearnensem urbis Dominum sub certis conditionibus constituit *ibid.* XVIII. Ordinem militarem S. Sepulchri instituit 1120. XXVIII. Insignem de Saracenis ad Curandam victoriam reportat *ibid.* XXXI. Saracenos memorabili prœlio profligat 1123. X. Ab Alphonso Castellæ Rege bello appetitur *ibid.* XI. Cum eo pacem facit 1124. XVIII. Ad eum Mozarabes confugiunt *ibid.* XX.
Alphonsus Francorum auxilio adjutus Saracenos ad Pennecadel profligat 1125. XV *& seqq.* Alphonsum Portugalliæ Comitem ad hominium sibi præstandum cogit 1127. XIX. In Saracenos expeditionem suscipit 1129. XVIII. Innocentio II Concilium Remis celebranti per Legatos obedientiam præstat 1131. XIII. Baionam obsidet & Testamentum condit 1131. XVIII. Mequinenciam Saracenis eripit & Fragam obsidet 1133. XXII & 1134. XXVII. Vincitur à Saracenis & moritur 1134. XXVIII. Dies ejus mortis *ibid.* XXIX. Ejus elogium *ibid.* XXX.
Alphonsus hujus nominis II fit Rex Aragoniæ & Comes Barcinonensis 1162. XXIII. Raimundo in Comitatum Provinciæ succedit 1181. XVIII. Moritur 1196. VI. Non est auctor Constitutionis adversus hæreticos latæ 1197. VIII *& seq.*
Alphonsus succedit Alphonso patri Aragoniæ Regi in comitatum Provinciæ 1196. VI.
Alphonsus Henricus Patri in comitatum Portugalliæ succedit 1112. IX. Alphonso VII Castellæ Regi hominium præstat 1127. XIX. Episcopo Portuensi donationem facit 1138. XV. In Mauros Hispaniæ expeditionem suscipit 1139. XXIII. Eos profligat *ibid.* Ab exercitu Rex proclamatur *ibid.* Cum Garsia Ramire Navarræ Rege fœdus init *ibid.* XXIV. Regnum suum Romanæ Ecclesiæ vectigale reddit 1140. XXIII & 1144. V. Crucesignatorum auxilio Santarenum & Ulyssiponam Saracenis eripit 1147. XXI & XXIV. S. Vincentii Martyris Reliquias Ulyssiponam transferri curat 1173. II. Regis titulum ab Alexandro III PP. obtinet 1179. XV. à Josepho Almohadum Imperatore bello appetitur 1184. VIII. à Ferdinando Legionis Rege auxilium accipit *ibid.* IX *& seq.* Moritur 1185. XVIII.
Alphonsus Raimundi S. Ægidii Comitis & Elviræ filius Comes Tolosanus 1096. XIX. Cum Raimundo III Barcinonensi Comite pacem facit operâ Galteri Magalonensis Episcopi Apostolicæ Sedis Legati 1125. IV.
Alphonsus Rogerii Siciliæ Regis filius Capuæ Princeps à patre dicitur 1135. XXIV. Moritur 1144. VII.
S. Altmannus Episcopus Pataviensis moritur 1091. VIII.

Adversus

Adversus factiones Schismaticorum acerrimus propugnator fuit Pontificiom Romanorum *ibid.*

Amalphia urbs à Melphia diversa 1059. XV.

Amalricus natione Francus fit Patriacha Jerosolymorum 1159. XVI. Moritur 1180. VII.

Amalricus succedit Balduino III fratri in regnum Jerosolymorum 1163. VIII. Boamundum III Antiochiæ Principem captivum liberat 1164. XXVI. à Ludovico VII Francorum Rege ausilium petit *ibid.* XXVII. Manuelis Græcorum Imperatoris neptem uxorem ducit 1167. XXXII. Alexandriam Ægypti capit *ibid.* Paneadensem urbem frustrà obsidet 1173. IV. Moritur *ibid.* VI.

Amatus Oloronensis Episcopus à Gregorio VII. Legatus in Hispaniam mittitur 1077. XII. Bisulduni in Catalaunia Concilium celebrat *ibid.*

S. *Ambrosii* corpus in destructione urbis Mediolanensis per Fridericum Imp. Mediolanensibus non fuit ereptum 1162. XXXI & 1170. VII.

Amedeus Archiepiscopus Lugdunensis Apostolicæ sedis in Gallia Legatus 1144. XIII.

Anacletus Antipapa, *vide* Petrus Leonis

Anastasius IV fit Pontifex Romanus 1153. V. Non fuit Monachus vel Abbas S. Rufi in Gallia *ibid.* VI. Neque etiam fuit Monachus Ordinis S. Benedicti *ib.* VII. fuerat Canonicus Regularis & Veliternensis Monasterii Prior *ibid.* VIII. S. Willelmum in Archiepiscopatum Eboracensem restituit *ibid.* XIV. Moritur 1154. I. Erga Ecclesiam Lateranensem beneficus fuit *ibid.* II. Equitibus Jerosolymitanis privilegium concessit quod caussa fuit eorum dissidii cum Clero 1155. VII & *seqq.*

Anastasius Monachus Andegavensis suspectus de hæresi Berengariana fidei suæ professionem edere cogitur 1081. XXIII.

Anazarba Ciliciæ urbs à Nicephoro Imp. Saracenis eripitur 964. VIII & *seq.*

Andegavense Concilium contra Berengarium 1055. VI.

S. *Andreas* Apostolus Poloniam fidei lumine illustravit 964. VI.

B. *Andreas* Abbas Vallumbrosæ S. Arialdi vitam scripsit 1061. VI & *seq.* S. Herlembaldi Vitam non scripsit *ibid.* VII.

Andreas Petro Hungariæ Rege consanguineo oculis privato fit Rex Hungariæ 1046. VI. Cum Henrico Imp. pacem facit 1052. I. Invasà à Bela Hungariâ uxorem & Salomonem filium ad Henricum Germaniæ Regem mittit 1061. X. moritur *ibid.* & 1066. VII.

Andronicus de imperio invadendo cogitat 1182. IX. In Latinos Constantinopoli sævit 1183. XI. Basilium Camaterum Patriarcham CP. dicit *ibid.* XII. Alexium Imp. coronari facit *ibid.* XI. Eum occidi jubet & imperium arripit *ibid.* XIII. Cum Willelmo II Siciliæ Rege bellum gerit 1185. XIV. Occiditur *ibid.* XV. Auctor est Dialogi contra Judæos *ibid.*

Angelramnus Centulensis monasterii Monachus Fulberti Episcopi Carnotensis discipulus fuit 1007 I.

Anglia per annos amplius LX à Danis miserè dilacerata 978. VII. in eam irrumpunt Dani 980. VI. Iterum à Danis vexatur 981. IV & 982. I. Angli censum Danis solvere coguntur 986. V & 991. V. Anglia à Danis devastatur 993. X. Ex ea recedunt 994. IV. Angli à Danis & tandem à Normannis subacti 1000. VIII. Angliam devastant Dani 1003. V & 1004. VII & 1006. III. Anglia Danis tributaria redditur 1007. III. Iterum ab iis invaditur 1009. VIII. Ad summas angustias reducitur 1010. III. Angli indignam pacem cum Danis faciunt 1012. V.

Anglia à Suenone Danorum Rege occupatur 1013. III & *seqq.* Ad Ethelredum Regem redit 1014. VI. à Kanuto Suenonis filio occupatur 1016. I & *seqq.* Anglia Normannis subditur 1066. VI. Anglorum consuetudines à Normannis immutantur 1067. X. Angli cum Scotis pacem faciunt 1068. II. Anglia post Willelmi Conquestoris mortem civili bello laceratur 1088. XV. ob intestina bella in miserum statum reducitur 1139. XX, 1140. XVIII & *seq.* 1144. X & 1149. V. Intestino bello liberatur 1153. XI. Richardo Rege absente turbatur 1191. XIII.

Anglicanum Concilium contra incontinentiam Clericorum non contra eorum nuptias quo anno celebratum 970. VII & *seq.*

Anglicanum Concilium à Willelmo Angliæ Rege coactum 1070. I & *seqq.*

Anglicanum alterum Concilium sub eodem Rege 1072. II.

Anglicana Ecclesia ad summas angustias redacta à Danis 1010. III. Sub Willelmo Rege afflicta 1070. V.

Anglicanæ Ecclesiæ primatus Cantuariensi Archiepiscopo adjudicatur 1070. IV & 1072. II.

Angliæ Reges à S. Eduardo habent quod scrophulas curent 1066. III.

Aniciense Concilium Anacletum Antipapam excommunicat 1130. XXXIX.

Anlafus Rex Norwegiæ Angliam vastat 994. IV. Christi fidem suscipit *ibid.*

Anna Romani Jun. Imp. & Theophanonis filia nascitur 963. IV. Volodomiro Russorum seu Moscoviæ Regi nubit 987. XVI & *seq.* quo tempore mors ejus contigerit *ibid.* VII & 1015. VIII.

Anna Jaroslavi Russorum Regis filia Henrico Francorum Regi nubit 1036. V.

Anna Comnena Alexii Comneni Imp. filia nascitur 1083. VII. Literis exculta fuit 1118. XXV. Nicephorum Bryennium Cæsarem maritum habuit *ibid.*

Annasir Mauritaniæ Sitifensis Rex Christianis favet 1076. VII. Servandum Episcopum consecrandum ad Gregorium VII Papam mittit *ibid.* quo anno mortuus sit *ibid.*

S. *Anno* fit Archiepiscopus Coloniensis 1055. VIII. Ad schisma sedandum Henricum Germaniæ Regem à matre subducit 1062. II. Ab Henrico Rege bis in Italiam missus est 1064. III. Concilio Mantuano interfuit *ibid.* I & II. Ab Henrico Rege rerum administrationi præficitur 1072. I.

Annus Ecclesiæ millesimus nullis solemnibus frequentatur 1000. I.

Anselmus Lucensis Episcopus à Stephano IX Legatus Mediolanum mittitur 1057. XI. à Nicolao II mittitur ad conciliandam Ecclesiam Mediolanensem cum Romana 1059. XI. Succedit Nicolao II, in Pontificatum Romanum & Alexander II appellatur 1061. I. Incertum an sedis suæ annos à die electionis numerarit *ibid.* II. Factus Rom. Pontifex Lucensem Ecclesiam retinuit *ibid.* S. Herlembaldum, dato vexillo, Ecclesiæ defensorem constituit *ibid.* V. Ejus electio in Concilio Osboriensi præsente Henrico Germaniæ Rege confirmatur 1062. II. Petrum Damiani Legatum in Gallias mittit pro causa Cloniacensis Monasterii 1062. III Eum Legatum mittit pro sedando schismate Ecclesiæ Florentinæ 1063. I.

Petrum Florentinum Episcopum deponit 1063. II. Romæ Concilium celebrat *ibid.* Berengarium monet ut resipiscat *ibid.* V. Indulgentiam & vexillum Rogerio Comiti Calabriæ contra Saracenos pugnanti mittit *ibid.* IX. Mantuæ Concilium celebrat 1064. I & *seqq.* & 1067. I. in eo verus Pontifex agnoscitur & Cadolus Antipapa damnatur 1064. I. Hugonem Candidum Cardinalem Legatum in Hispaniam mittit *ibid.* VI & 1068. VII. Godefridum Ducem contra Normannos mittit 1066. I. Vexillum S. Petri Willelmo Normanniæ Duci dirigit *ibid.* V. Mediolanum pergit & S. Arialdum canonizat 1067. I. Legatos Mediolanum

mittit contra Simoniacos & Clericos incontinentes *ibid.* Uratislao Bohemiæ Duci usum mitræ concedit 1068. IV. Concilium quartum Romæ celebrat & in eo monasterii Vissegradensis in Bohemia fundationem confirmat 1070. XVII.

Primatum inter Cantuariensem & Eboracensem Archiepiscopos controversum Cantuariensi adjudicat 1071. V. Prohibet ne Monachi in Ecclesiis Cathedralibus Angliæ turbentur *ibid.* VI. Ad extirpandum schisma Legatum Constantinopolim mittit, sed frustra *ibid.* XIV. Petrum Damiani Legatum Ravennam mittit 1072. VI. Communem Canonicorum Regularium vitam renovavit in Basilica lateranensi 1073. III. Gualdum Cardinalem Legatum in Galliam mittit *ibid.* IX. Quintum Concilium Romæ celebravit in quo Gothofredum Ecclesiæ Mediolanensis invasorem excommunicavit *ibid.* XI. Moritur 1073. III. Ejus virtutes *ibid.*

S. *Anselmus* Lucensis Episcopus Mathildæ Comitissæ permittit ut bona Ecclesiæ à se data ad bellum pro defensione Gregorii VII insumat 1082. IV. S. Anselmi curæ Mathildis à Gregorio VII commendatur *ibid.* V. S. Anselmus scribit ad Guibertum Antipapam *ibid.* à Gregorio VII successor in sedem Romanam designatur 1085. VII. Moritur 1086. II. Ejus exequiis Bonizo Sutriensis Episcopus interfuit *ibid.* III. Ejus scripta *ibid.* IV.

S. *Anselmus* Cantuariensis Archiepiscopus ordinatur 1093. V. Scribit contra errorem Roscelini de mysterio Trinitatis 1094. XII *& seq.* Concilium Hibernicum celebrat 1097. II. Malchum Waterfordiensem Episcopum consecrat *ibid.* Romam proficiscendi licentiam à Rege extorquet *ibid.* III & seq. Romam advenrat & quo anno *ibid.* V. Librum *Cur Deus homo* componit *ibid.* VI. Frustra ab Urbano PP. petit Episcopatus dimissionem 1097. I. à Rogerio Comite Capuam obsidente honorificè suscipitur *ibid.* VII *& seq.* Barensi Concilio interest *ibid.* I, XI *& seq.* Impedit ne Urbanus II PP. Willelmum Angliæ Regem excommunicet 1098. I. Concilio Romano interest *ibid.* II. in Angliam ab Henrico Rege revocatur 1100. XIV *& seq.* Archiepiscopatum de manu ejus recipere recusat *ibid.* XV. inter Henricum & Robertum Normanniæ ducem pacem conciliat 1101. I. Ab Henrico Rege pro investituris dissidet *ibid.* I *& seq.*

Londinense Concilium præcipuè pro Clericorum cœlibatu celebrat 1101. IV *& seq.* Henrico Regi resistit pro investituris *ibid.* V. Romam pergit 1103. II. à Paschali PP. honorificè suscipitur *ibid.* III. Româ rediens Lugduni residet *ibid.* V & 1104. XIII. Ejus reditus fisco Regio addicuntur 1104. XIII. à quibusdam immeritò culpatur *ibid.* XIII *& seq.* Cum Henrico Rege in Normannia colloquium habet 1105. VIII. Regi reconciliatur & in Angliam redit 1106. VIII. in Concilio Londinensi cum Rege Henrico de investituris convenit 1107. VI. Henrico Regi consulit ut Presbyterorum incontinentiam reprimat 1108. II. Moritur 1109. IV *& seq.* Ejus Opera & Vitæ scriptor *ibid.* Eo mortuo Cantuariensis sedes per quinquennium vacavit 1114. V.

Anselmus III fit Archiepiscopus Mediolanensis 1085. V. Catholicus fuit *ibid.* Conradum Henrici Imp. filium coronavit 1093. II & VI. Romanæ Ecclesiæ addictissimus fuit *ibid.* VI. Moritur *ibid.*

Anselmus IV Mediolanensis Archiepiscopus Cruciatam in Longobardia prædicat 1100. XX *& seq.* Grossulanum Savonensem Episcopum Mediolani Vicarium constituit *ibid.* In Orientem proficiscitur *ibid.* XIX Annus ejus profectionis *ibid.* XIX *& seqq.* & 1101 VI. Constantinopoli moritur 1101. VII. quo anno Episcopatum inierit *ibid.*

Anselmus V. fit Archiepiscopus Mediolanensis 1120. VIII. Romam pro Pallio obtinendo petit 1125 XIX. Apud Mediolanenses se purgat prævaricationis culpa *ibid.* XX. Comensem urbem capit & diripit 1128. XI. Conradum Sueviæ Ducem Modoætiæ & Mediolani Regem coronat *ibid.* XIII. Ob id à Joanne Cremensi Card. Legato Sedis Apostolicæ excommunicatur *ibid.* XIV. Anacleto Antipapæ adhæret & ab ejus Legato Pallium recipit 1130. XLVII. Quosdam mediolanenses excommunicat 1133. XV. Seditio in eum commovetur *ibid.* XV *& seq.* Fugit in Domum paternam *ibid.* XVII. Urbe excedere cogitur *ibid.* XVIII. Ejus depositio firmatur ab Innocentio PP. 1134. VI. Capitur & Romam mittitur ibid. XI. Moritur *ibid.* XII *& seq.*

Anselmus Apostolicæ sedis legatus ab Henrico Rege Angliam ingredi prohibetur 1116. XIII & 1117. XI. Ex Abbatia S. Edmundi ad Episcopatum Londinensem assumitur à quibusdam Canonicis 1135. XXXIX. Ad suam Abbatiam redire jubetur *ibid.* Nepos erat Sancti Anselmi Cantuariensis Archiep. *ibid.* & 1141. XIII.

Anselmus Abbas Sancti Vincentii Laudunensis ab Eugenio III Papa Tornacensis Episcopus consecratur 1146. XX.

Anselmus Magister Laudunensis Decanus moritur 1117. XXVIII. Ejus elogium *ibid.* Ejus Opera *ibid.*

Antiochia à Nicephoro Phoca Imp. tentatur 968. V & VII. Capitur & diripitur 969. II. à Crucesignatis obsidetur 1097. XVI. Ab iis expugnatur 1098. VII. Antiochiæ dominium Boamundo conceditur *ibid.* VIII.

S. *Antonii Magni* Reliquiæ in Galliam transportantur 1089. VII. S. Antonii ope sacro igne tacti sanantur *ibid.*

S. Antonii Congregatio in Gallia instituitur 1095. XVII. Ad statum religionis evehitur *ibid.*

Antonius Studites fit Patriarcha Constantinopolitanus 975. XVI. Ejus virtutes *ibid.* Patriarchatum abdicat 976. III & 981. I.

Apamea à Joanne Tzimisce Imp. capitur atque evertitur 975. VII.

Apulia ab Ottone Magno recipitur 968. I. Apuliam sibi vendicare frustrà tentat Otto II imp. 981. III & 983. I *& seqq.* in Normannorum potestatem venit & in ea duodecim Comites constituuntur 1041. IV. Bello flagrat 1157. V & 1158. I *& seq.*

Aqua cum vino transsubstantiatur in sanguinem Christi 1128. XII.

Aquilejensis Patriarcha Conrado Sueviæ Duci adhærens ab Honorio II PP. deponitur 1118. X.

Aquitani loco nominis Papæ Salomonis nomen substituunt 964. V.

Aquitania Franciæ regno adjungitur 1136. IX & 1137. XXI. Ab eo iterum separatur 1151. III *& seq.*

Aragonia in regnum erigitur ejusque primus Rex Ramirus constituitur 1032. VII.

Aragoniæ Reges quatuor Regum Maurorum capita in insignius usurpant & quare 1104. XVII.

Aragonense Concilium sub Ramiro Rege quo tempore celebratum 1062. IX.

Archembaldus Subdecanus Aurelianensis nefariè occiditur & quo anno 1135. IX *& seq.*

Ardoinus Eporediensis Marchio mortuo Ottone III fit Rex Italiæ 1002. VII. Regnum sponte abdicat 1014. I.

Arefastus Manichæorum hæresim in urbe Aurelianensi deregit 1017. III.

Arelatense regnum in plures principatus dividitur 1081. VIII.

S. *Arialdus* Mediolanensis Clericus simoniam & Sacerdotum conjugia abolere conatur 1057. IX *& seqq.* à Guidone Archiep. Mediolanensi excommunicatur *ibid.* X. S. Arialdi sectatores *Patarini* dicti à sacerdotibus concubinariis 1058. III *& seq.* inter pejores Hæreticos

reticos ab iis numerantur *ibid.* V. S. Arialdus audita Alexandri II creatione Romam pergit 1061. V. S. Arialdi Vita tam à Syro præsbytero, quàm à B. Andrea Abbate Vallumbrofæ fcripta *ibid.* VI *& feq.* S. Arialdus martyrio coronatur 1066. VIII. Adversùs Arialdum fcripfit Arnulphus Mediolanenfis Hiftoricus *ibid.* IX. Arialdus ab Alexandro II Canonizatur 1067. I. Arialdi fepulchrum gloriofum *ibid.* II. Ejus corpus ex Ecclefia S. Celfi ad S. Dionyfii Mediolanenfe monafterium transfertur *ibid.*

Aribertus Mediolanenfis Archiepifcopus moritur 1045. VII. Non fuit uxoratus *ibid.* VII *& feq.*

Aribo Moguntinus Archiepifcopus Synodum Saleguoftadii ad Mænum celebrat 1022. V. S. Godehardum Hildensheimenfem Epifcopum ordinat *ibid.* VII. Moguntiæ Synodum celebrat 1023. I. Synodum Geizlenfem cogit 1028. XIV.

Armeni ad Eugenium III Papam legationem mittunt 1145. VII *& feq.* Cum Ecclefia Conftantinopolitana uniuntur 1170. V.

Arnaldiftæ hæretici Romæ graffantur 1144. VI. Conradum Regem Romam vocant *ibid.* Antiquam Reipublicæ formam reftituere conantur 1145. VI.

Arnaldus de Brixia Petri de Bruis difcipulus in Concilio Lateranenfi II Œcumenico damnatur 1139. IX. è Gallia & Germania fugere cogitur 1140. I *& feq.* Ecclefiafticorum magnus inimicus erat *ibid.* II. Romanos impellit ad antiquam Reipublicæ formam reftituendam 1145. VI. Factiones Romæ excitat 1148. XIII.

Arnaldus Archiepifcopus Narbonenfis Sedis Apoftolicæ legatione in Galliis fungitur 1132. XVI.

Arnoldus fit Archiepifcopus Mediolanenfis 1093. VI. Ab Urbano II Pallium accipit *ibid.* VI *& feq.* Ab uno tantum Catholico Epifcopo fuit confecratus *ibid.*

Arnoldus fit Archiepifcopus Moguntinus in locum Henrici depofiti 1153. I. à Victoris Antipapæ partibus ftat & occiditur 1160. VI.

S. Arnulphi Sueffionenfis Epifcopi Reliquiarum Tranflatio 1120. XXIV.

Arnulphus fit Jerofolymorum Patriarcha à Crucefignatis 1099. XIII. Dignitate movetur *ibid.*

Arnulphus dicitur Jerofolymorum Patriarcha 1112. V. Auctor eft nuptiarum Balduini Regis cum Adelaide vivente priori uxore 1113. IX. in Concilio Jerofolymitano deponitur 1115. VIII. Moritur 1118. XXIII.

Arnulphus Archiepifcopus Mediolanenfis Conftantinopolim mittitur ad Theophaniæ & Ottonis Jun. matrimonium 971. V.

Arnulphus II Archiepifcopus Mediolanenfis Conftantinopolim legatur ut petat in uxorem filiam Conftantini Imp. 997. VIII *& feq.*

Arnulphus filius naturalis Lotharii Francorum Regis 986. I. Ab Hugone & Roberto Regibus fit Remenfis Archiep. 988. V. à Roberto Rege deficit & ftat à partibus Caroli Lotharingiæ Ducis *ibid.* & 990. IV. Captivum fe fingit in urbe Laudunenfi & Remenfis urbis prædatores excommunicat 988. V. Cum Carolo arma fociat 990. IV. Regi Hugoni reconciliatur & fidem fallit *ibid.* VI. Deponitur à Synodo Remenfi 992. I *& feq.* Ab eo libellus abdicationis extorquetur *ibid.* in ejus caufa Synodi Mofomenfis & Remenfis celebrantur 995. II *& feq.* Arnulphus ante Hugonis Regis mortem è cuftodia liberatus non eft *ibid.* II. è cuftodia liberatur & fedi fuæ reftituitur 998. XIII & 999. XI. Pallium à Gregorio V PP. miffum recipit 998. XIII. Moritur 999. XII & 1023. II.

Arnulphus Archidiaconus Sagienfis fcribit Tractatum de fchifmate orto poft Honorii II PP. mortem 1130. IV. Innocentii Papæ electionem & mores defcribit *ibid.* VII *& feqq.* item mores & flagitia Anacleti Antipapæ *ibid.* XIII *& feqq.* fit Epifcopus Lexovienfis 1143. V. Cæleftino II Gratulatur de adepto Pontificatu *ibid.* Scribit ad Alexandrum III PP. Henricum Angliæ Regem ei favere 1161. II. Ad S. Thomam Archiep. Cantuarienfem fcribit pro pace 1165. IV *& feq.* Lexovienfem Epifcopatum relinquit 1181. III. Ab Henrico Angliæ Rege vexatus fuit *ibid.* IV. Ejus mortis annus incertus *ibid.* III.

Arnulphus Hiftoricus Mediolanenfis Arnulphi primi Mediolanenfis Archiepifcopi pronepos 997. IX. Adverfus S. Arialdum & Cœlibatus defenfores fcripfit, fed poftea errorem emendavit 1066. IX.

Aroafienfis Canonicorum Regularium congregatio fundatur 1097. XIX.

Arfenius Mariæ Azizi Billæ Aegypti Caliphæ uxoris frater Patriarcha Alexandrinus 1009. VI.

Afcalona à Crucefignatis expugnatur 1153. XIX.

Afcelinus Seu Adalbero Laudunenfis Epifcopus cum Emma Lotharii Francorum Regis uxore adulterii infimulatur 986. II. Laudunum Hugoni Regi tradit 990. VI. Ejus carmen ad Robertum Francorum Regem 998. III Varia ejus fortuna 999. XII.

Afcelinus cum Berengario difputat 1050. XII. Ad Afcelinum fcribit Berengarius *ibid.* XIII. Afcelinus ad eum refpondet *ibid.* XIV.

Afcelinus Doveriæ Prior quo anno Epifcopus Roffenfis dictus 1142. XII. Ad Afcelinum fcribit S. Bernardus *ibid.* Afcelinus quo anno mortuus fit *ibid.*

Aftrolabius filius Petri Abaëlardi & Heloiffæ 1113. XIV.

Athanafius Patriarcha Jerofolymitanus Græcorum quo anno dictus 1188. XIII.

Atho eligitur Archiepifcopus Mediolanenfis 1072. VIII. dicitur juvenis licet ætate maturus *ibid.* IX. à Mediolanenfibus male habitus electioni fuæ renunciat *ibid.* X. Ejus electio Romæ confirmatur *ibid.* Adverfus Athonem Gothofredus ordinatur Archiepifcopus Mediolanenfis 1072. XI. Atho Romam ad Gregorium VII pergit & ab eo defenditur 1073. XII.

S. Atto Epifcopus Piftorienfis floret 1133. XIV. Ecclefiæ privilegiorum confirmationem ab Innocentio II obtinet *ibid.* Moritur *ibid.*

Attrebatenfis Epifcopatus reftituitur ab Urbano II PP. 1094. XVII *& feqq.* Attrebatenfi Ecclefiæ privilegium ab Urbano conceffum *ibid.* XX.

Attrebatenfis Conventus Epifcoporum præfente Ludovico VI Francorum Rege 1118. XVIII.

Avenionenfe Concilium ab Hugone Cluniacenfi Abbate Apoftolicæ Sedis Legato celebratur 1060. V *& feq.* In eo Gerardus Siftaricenfis Epifcopus eligitur *ibid.* Avenionenfe Concilium II in quo S. Hugo eligitur Epifcopus Gratianopolitanus 1080. XV.

Averroes in Hifpania floret 1197. XI. Ejus mortis annus *ibid.*

Averfa urbs à Normannis conditur 1022. II. à Rogerio Siciliæ Rege deficit 1135. XVI. Ab eo capitur & deftruitur *ibid.* XVIII. Reædificari ab eo præcipitur *ibid.* XX.

Auguftenfes petunt à Berengario Gerundenfi Epifcopo Reliquias fancti Narciffi primi Auguftenfis Epifcopi 1087. VII.

Auguftodunenfe Concilium in quo Hagano Auguftodunenfis Epifcopus cum Roberto Burgundiæ Duce reconciliatur 1055. II. Quo tempore celebratum *ibid.* III. Auguftodunenfe alterum Concilium Philippum Francorum Regem excommunicat 1094. XI.

Aurelianenfis Synodus contra novos hæreticos Manichæos celebratur & quo anno 1017. III.

Aurelianenfes Decem Canonici Manichæi igne cremantur *ibid.* II *& feq.*

Aurelianenfe Concilium ab Humbaldo Archiepifcopo Lugdunenfi fedis Apoftolicæ Legato celebratur 1126. X.

Aufcienfes Archiepifcopi Navarræ Metropolitæ fuerunt 1032. IV.

Ausciense Concilium ab Hugone Cardinali Apostolicæ sedis Legato celebratur 1068. VII *& seq.*

S. Aybertus Monachus Reclusus in Hannonia floret 1131. XVII. Quo anno mortuus sit *ibid.*

Aymericus Guidonis Cypri Regis frater fit Rex Jerosolymorum 1197. V.

Aymo Bituricensis Archiepiscopus Bituricis Concilium celebrat & S. Martialis Apostolatum statuit 1034. V. Illum confirmat in Concilio II Lemovicensi *ibid.* VII *& seq.*

Azizus Billa fit Calipha Ægypti 975. XVIII. Moritur 996. XX. Uxorem Christianam Melchiticam Mariam nomine duxerat 1009. VI.

B.

B*Agianus* Græcorum in Apulia Præfectus Melum & Normannos vincit 1018. I & III.

Bajoaria ingenti terræ motu concutitur 1021. IV.

Bajoariæ Duces hodierni ab Ottone Comite Palatino originem ducunt 118?. XI.

Baldricus Trajectensis Episcopus S. Agnetis & S. Benigni Episcopi Carnotensis Reliquias Ultrajectum transfert 964. X.

Balduinus Godefridi Buillonii frater pergit ad bellum sacrum 1096. IX. Græcos Crucesignatos invadentes occidit *ibid.* XIV. Jerosolymorum Rex eligitur & coronatur 1100. XIII. Ptolemaidem capit 1104. XIX. Tripolim capit 1109. XV. Ejus ad Paschalem PP. & Paschalis ad eum litteræ suis annis redduntur 1113. VI *& seq.* Adelaidi de Monte ferrato nubit priore uxore adhuc vivente *ibid.* IX. Eam dimittit 1117. XXVI. Moritur 1118. XXIII.

Balduinus II Comes Edessenus fit Rex Jerosolymorum 1118. XXIII. à Saracenis capitur 1123. XV. Libertati restituitur 1124. XIII. Boamundo genero Antiochiæ Principe mortuo Antiochiæ Principatum suscipit 1130. XLV. Moritur 1131. XIX.

Balduinus III Cum Milesende matre Jerosolymorum Rex coronatur 1142. III. Ascalonam expugnat 1153. XIX. Moritur 1163. VIII.

Balduinus IV dicitur Rex Jerosolymorom 1173. VI. Saladinum profligat 1177. XXII. Morbo elephantioso laborans Guidonem de Lusiniano regni administratorem dicit 1183. XIV. Heraclium Patriarcham Jerosolymorum cum magistris Templariorum & Hospitalariorum in Occidentem pro auxilio mittit 1184. V. Moritur 1185. XVII.

Balduinus V. Fit Rex Jerosolymorum 1185. XVII. Moritur *ibid.*

Balduinus IV Flandriæ Comes Emmam Angliæ Reginam Haraldi Angliæ Regis crudelitatem fugientem honorificè suscipit 1037. V.

Balduinus V Flandriæ Comes fit tutor Philippi Francorum Regis 1059. XVII.

Balduinus Abbas Reatinus diversus à Balduino Cardinali & Archiepiscopo Pisano 1157. XVIII.

Baldwinus Devonius dictus fit Archiepiscopus Cantuariensis 1184. III. Ejus Opera *ibid.* Cruciatam in Wallia prædicat 1188. IX. Crucem suscipit *ibid.* In Palæstina moritur 1191. XVIII.

Balgentiacense Concilium pro absolutione Philippi Franciæ Regis re infecta solvitur 1104. III.

Balgentiacense Concilium in quo Ludovicus VII Franciæ Rex Eleonoram uxorem repudiat quo anno habitum 1151. III.

Bamberga fit civitas Episcopalis 1006. I.

Bambergensis Ecclesia dedicatur 1011. I. Hæc dedicatio diversa ab altera à Benedicto VIII facta *ibid.* II.

Bamberga fit juris Imperialis 1052. IV.

Barbasta Hispaniæ urbs à Francis diripitur 1062. XI. Ab Ermengando Urgellensi Comite capitur 1064. IX. Saracenis iterum à Petro Aragoniæ Rege eripitur 1100. XVIII.

S. Barbati Episcopi Beneventani Reliquiarum Translatio 1124. XVII.

Barcino à Saracenis expugnatur 985. VII. à Borrello Comite recipitur *ibid.* Barcinonensis Ecclesia dedicatur 1058. XV. Barcinonenses Ludovici VI Francorum Regis auxilium implorant adversus Barbaros 1109. XIII *& seq.* Barcino à Saracenis obsidetur 1114. XII.

Barcinonense Concilium ab Hugone Card. Sedis Apostolicæ Legato quo anno celebratum 1064. VI *& seq.* & 1068. VIII. Romanum officium recipit & Clericos in perpetua continentia vivere statuit 1064. VI *& seq.*

Barcinonensis Conventus in quo Gothicæ leges abrogatæ & Usatici Barcinonenses conditi 1064. VII. à Concilio Barcinonensi distinguendus *ibid.*

Barcinonensia comitia à Raimundo III Comite celebrantur 1126. XIV. Secularium adversus Ecclesiasticos excessus emendant *ibid.*

Barcinonenses Comites Regni Francorum feudatarios se amplius non dicunt 1135. XLI.

Barda Nicephori Phocæ Imperatoris Pater Cæsar dicitur 963. X.

Bardas Leonis Curopalatæ filius tyrannidem arripit 970. V. à Joanne Tzimisce Imp. relegatur *ibid.*

Bardas Sclerus seu Scleri dictus à Joanne Tzimisce Imp. contra Russos mittitur 970. IV. Mittitur ab eodem in Asiam contra Bardam tyrannum *ibid.* V. In Basilium & Constantinum Imperatores rebellat, ejusque rebellio reprimitur 976. I. Iterum rebellat 987. V. Cum Basilio Imp. reconciliatur & fit Curopalates *ibid.* VI.

Bardas Phoca in Basilium & Constantinum Imperatores rebellat & ejus rebellio comprimitur 976. II. à rebellibus Imperator acclamatur 987. V. à Basilio Imp. vincitur & moritur *ibid.* V. *& seq.*

Barium à Saracenis frustra obsidetur 1002. XIII. Græcis eripitur à Normannis 1068. IX.

Barensi Ecclesiæ Canusina unitur 1089. II.

Barense Concilium quo anno ab Urbano II PP. celebratum 1097. I, XI *& seq.* In eo de processione Spiritus Sancti actum *ibid.* XIII.

Bartholomeus Turonensis Archiepiscopus cum Rolando Dolensi electo contendit de jure Metropoleos 1182. I *& seqq.*

Bascli hæretici damnantur in Concilio Lateranensi III Æcumenico 1179. VI & IX.

Basilius Monachus fit Patriarcha Constantinopolitanus 970. II. Deponitur & in exilium mittitur 975. XV. Ejus virtutes *ibid.*

Basilius Camaterus dicitur Patriarcha Constantinopolitanus 1183. XII. Patriarchatu pellitur 1186. XIX.

Basilius Romani Junioris Imperatoris filius patri succedit 963. IV. Mortuo Joanne Tzimisce imperium init 975. XIV. Rebelles reprimit 976. II. Constantinum fratrem Imperii collegam nomine tenus assumpsit *ibid.* IV. Eruditos sprevit *ibid.* Infaustam expeditionem in Bulgaros suscipit 981. II. Russorum auxilio rebelles comprimit 987. V. *& seq.* Annam sororem Volodomiro Russorum Regi nubit ea lege ut fiat Christianus *ibid.* V *& seq.* Samuelem Bulgarorum Regem per Uranium Ducem profligat 996. VI. Plures de Bulgaris victorias reportat 1001. IV. Bulgaros vincit & quindecim millibus eorum captivis oculis erutis ad Samuelem Regem eos mittit 1014. VII.

Thessalonicam à Bulgaris captam suæ potestati subdit 1015. VII. Achridam Bulgarorum Regiam expugnat 1018. VI. Mortuo Joanne Bulgarorum Rege universam Bulgariam recipit *ibid.* VII. De Bulgaris triumphat 1019. III. Allelengium tributum abolere

recufat *ibid.* III & *feq.* Croatiam fibi fubjicit 1021. III. Alexium Monachum Studitam Patriarcham CP. dicit 1025. VII. Moritur *ibid.* Ejus tempore Menologium Bafilii Imp. dictum elucubratum *ibid.*
Bafilius Præfes omnia moderatur in Orientali imperio 976. IV.
Bafilius Medicus Monachi habitu incedens præcipuus auctor hærefis Bogomilorum 1118. XXVIII & *feq.* Ab Alexio Imperatore accerfitur *ibid.* XXIX. Qua arte ejus dogmata detecta *ibid.* XXIX & *feq.* Bafilius in impietate animum obfirmat *ibid.* XXXI. & *feq.* Vivus comburitur *ibid.* XXXIII.
Beatrix Friderici Lotharingiæ Ducis uxor pacem in Germania procurat 984. IX.
Beatrix ex Bonifacio Tufciæ Marchione Mathildem Comitiffam genuit 1070. VI. Secundis nuptiis Godefrido Barbato Lotharingiæ Duci conjuncta fuit *ibid.* Cum eo cafte vixit *ibid.* VII & X. Frederici II fuperioris Lotharingiæ Ducis & Mathildis Suevicæ filia fuit *ibid.* IX & *feqq.* Ejus proavi *ibid.* X. Ejus confanguinitas cum duobus Henricis Impp. *ibid.* XIV. Romanam Ecclefiam affictam tuetur 1074. I. Moritur 1076. XI.
Beatrix quinta Alphonfi VI Regis Legionis uxor 1107. XI.
Beatrix Rainaldi Comitis Burgundiæ filia Friderico Imp. nubit 1156. VIII. Romæ à Pafchali Antipapa Augufta coronatur 1167. VIII.
Beguinæ fundantur à Lamberto Presbytero 1177. XVIII. In Concilio Viennenfi Œcumenico damnatæ *ibid.* XIX. Earum inftitutum adhuc perfeverat *ibid.*
Bela Hungariæ regnum invadit 1061. X. Moritur 1063. VII & 1066. VII.
Bela II Cæcus fit Rex Hungariæ 1131. XX. Piè moritur 1141. XV.
Bela III Hungariæ Rex dicitur 1172. VI. Moritur 1190. XXV.
Bella inter privatos multorum malorum caufa 1027. XII. Horum malorum origo 1034. III. Ad ea bella tollenda varia Concilia in Galliis celebrata *ibid.* I & *feq.* Contra ea bella adinventa eft Treuga Dei 1041. VI & *feqq.* Eorum bellorum difcrimen à bellis publicis *ibid.* XI. Bellum facrum inchoatur 1096. IX & *feqq.*
Bellovacenfe Concilium fictitium 1034. VI.
Bellovacenfe Concilium à Canone prænestino Apoftolicæ Sedis Legato celebratur 1114. VII. Henricum Imp. anathematizat *ibid.*
Bellovacenfe alterum Concilium ab eodem Conone Apoftolicæ Sedis Legato celebratur 1120. XXII.
Bellovacenfe Concilium à Petro Leonis Card. Apoftolicæ fedis Legato cogitur 1124. III & *feq.*
Benedictio pro confecratione ufurpatur 1049. VI & *feq.* Tam de Imperatore quam de Epifcopo dicitur *ibid.*
Benedictus V fit Papa & deponitur 964. III. Exul in Germaniam mittitur *ibid.* IV & 965. I. Hamburgi moritur 965. I. Ejus epitaphium recens *ibid.* Offa ejus Romam transferuntur 999. IX. Benedictus V fuit legitimus Pontifex *ibid.*
Benedictus VI fuccedit Joanni XIII in pontificatum Romanum 972. I. Occiditur 974. I. Diuturnior Pontificatus ei perperam affignatur 975. IV.
Benedictus VII non fucceffit Bonifacio feptimo 974. I. Pontifex Romanus creatur 975. III. Synodum celebrat in qua Bonifacium VII excommunicat *ibid.* V. Ad Epifcopos Germaniæ fcribit de Hungarorum converfione 979. VI & *feq.* Salisburgenfis & Laureacenfis Metropoleon divifionem confirmat *ibid.* VIII. Romæ Concilium celebrat 983. IX & *feqq.* Moritur 984. I.
Benedictus VIII fit Pontifex Romanus 1012. I. S. Henricum Imperatorem coronat 1014. I. Benedicti confilio Leothericus Senonenfis Archiep. Senonenfem urbem Roberto Regi tradit 1015. III. Benedictus Meli Normannos in Apuliam evocantis confilia promovet 1016. VII. Saracenos ex Hetruria pellit *ibid.* X. In Germaniam proficifcitur & ab Henrico Imp. Bambergæ recipitur 1019. I. Ejus profectionis caufa *ibid.* II. Bambergenfem S. Stephani Ecclefiam dedicat 1011. II & 1019. I. Moritur 1024. I.
Benedictus IX ordinatur Pontifex Romanus 1033. IV & *feq.* Simoniacus fuit & pravis moribus imbutus *ibid.* IV & VII. Concilium Romæ celebrat *ibid.* VII. S. Symeonem Syracufanum in Sanctorum numerum retulit *ibid.* V. è fede deiicitur 1038. II. In fedem à Conrado Rege reftituitur *ibid.* II & *feq.* Permittit Cafimirum Monachum & Diaconum in regnum Poloniæ reftitui & uxorem ducere 1041. V. Pontificatu pellitur 1044. I. Pontificatum vendit *ibid.* Romæ fedit eodem tempore quo Silvefter III & Gregorius VI. *ibid.* Sæpe Pontificatum refumfit *ibid.* II. In Synodo Sutrienfi depofitus fuit 1046. I. Pontificatum iterum invadit 1047. VIII. Ex eo pellitur 1048. I.
Benedictus X. Antipapa Romanam fedem invadit 1058. VI & VIII. In Concilio Sutrienfi deponitur 1059. I.
Benedictus Cardinalis à Pafchali II Legatus in Gallias miffus Valentiæ & Pictavis Concilia celebrat 1100. I & VII.
S. Benedictus Avenionenfis pontis fundator floret 1177. XV. Moritur *ibid.*
Beneventum fit fedes Archiepifcopalis 969. XI. Eidem Principi paret ac Capua 968. I & 969. XI. Fit juris Pontificii 1052. IV.
Beneventani à Leone IX PP. excommunicantur & Ecclefiæ reftituuntur 1050. II.
Beneventanorum Scriptorum duæ Collectiones prodierunt 1113. I & *feq.* Beneventanorum tumultus à Pafchali II PP. coercentur *ibid.* III & *feqq.* Beneventani à Roberto Sclavo & à Normannis vexantur *ibid.* VIII & 1114. I.
Beneventani Rectorem fuum occidunt 1128. VIII. Beneventi Girardus Card. Rector præficitur ab Honorio II PP. *ibid.* IX. Beneventani Honorii PP. odium incurrunt 1129. IV & VI. Anacleto Antipapæ adhærent 1131. XXV. Seditiones excitant *ibid.* XXVI. Innocentio II fidelitatem jurant 1137. II & *feq.* Anacleti partes iterum fequuntur *ibid.* IX & XII. Beneventanum Concilium à Nicolao II PP. celebratur 1059. XIII.
Alterum à Victore III Papa 1087. IV & VII.
Alterum ab Urbano II PP. 1091. I.
Alterum à Pafchali II contra inveftituras 1108. I.
Alterum ab eodem Pafchali PP. 1117. II. & *feq.*
Alterum à Landulpho Beneventano Archiepifcopo 1119. XVI.
S. Benignus Carnotenfis Epifcopi Reliquiæ Ultrajectum transferuntur 964. X.
Benno Saxoniæ Dux moritur 1012. II. Ecclefiarum defenfor fuit *ibid.*
Berbacenfis Conventus Catholicorum & Henricianorum in Germania celebratur 1085. I.
Berengaria Raimundi III Barcinonenfis Comitis & Dulciæ filia Alphonfo VII Caftellæ Regi nubit 1114. XIX.
Berengarius Agathenfis Epifcopus propter communionem cum Guitfredo Narbonenfi Epifcopo excommunicato excommunicatur 1077. XII. Guitfredi partes deferit *ibid.*
Berengarius Pictavienfis Epifcopus fcribit Apologiam Petri Abælardi plenam acrimoniæ contra Sanctum Bernardum 1140. IV & *feq.* à multis ob id reprehenfus fe excufat *ibid.* IV.
Berengarius Italiæ Rex in monte S. Leonis ab Ottone Imp.

Imp. obsidetur 963. I. Capitur cum uxore & in Bajoariam mittitur 964. I. Moritur 966. II.

Berengarius Raimondi III Barcinonis & Provinciæ Comitis filius patri in Comitatum Provinciæ succedit 1131. XXI.

Berengarius Archidiaconus Andegavensis Fulberti Carnotensis Episcopi discipulus fuit 1007. I. Sub initium Henrici Regis Franciæ hæresim suam non publicavit 1035. II. Adversus eum scribit Deoduinus non Durandus Leodiensis Episcopus *ibid.* III & 1050. XIX. Berengarius monetur ab Adelmanno Leodiensi Scholastico ac dein Episcopo Brixiensi ut errores suos revocet 1035. IV & 1045. IV. Berengarii hæresis initium à quo anno repetendum 1045. V. Berengarius Paulino Metensi Primicerio amicitia conjunctus erat *ibid.* à Frollando Silvanectensi Episcopo Regi conciliatur *ibid.* VI.

Berengarius in Synodo Romana II sub Leone IX damnatur 1050. VI & *seq.* Ejus ad Lanfrancum Epistola in ea Synodo lecta *ibid.* IX. Berengarius hæresim suam in Normannia spargit *ibid.* X. Adversus eum Brionensis conventus cogitur *ibid.* XI. item Synodus Vercellensis *ibid.* XII. Berengarii ad Ascelinum epistola *ibid.* XIII. Ad Berengarium Ascelini responsio *ibid.* XIV. Adversus Berengarium celebratur Concilium Parisiense *ibid.* XV. Berengarii epistola in eo Concilio lecta *ibid.* XVI. Ejus epistola ad Richardum *ibid.* XVIII. Adversus eum scribit Hugo Lingonensis Episcopus 1051. IV. Berengarius in Turonensi Concilio hæresim abjurat 1055. V. Contra eum duo alia Concilia celebrata *ibid.* VI.

Berengarius in Concilio Romano sub Nicolao II hæresim abjurat 1059. II. Joannis Scoti librum comburit *ibid.* III. Ad vomitum redit *ibid.* II & 1060. III & 1063. V. Ab Alexandro II. monetur ut resipiscat 1063. V. Contra Berengarium Rotomagense Concilium celebratur *ibid.* VI. Item Concilium Pictaviense 1075. XIV. In Synodo Romana V sub Gregorio VII auditur 1078. IV. Secundam in ea fidei professionem emittit *ibid.* V. iterum abjurat in Concilio Rom. VI sub Gregorio & tertiam fidei professionem emittit 1079. I & *seq.* Literas commendatitias à Gregorio PP. obtinet *ibid.* II. à S. Brunone postea Signiensi Episcopo & B. Wolphelmo Abbate confutatur *ibid.* III.

Berengarius redit ad vomitum 1080. XX. in ejus sectatores inquiritur 1081. XXIII. Moritur 1088. X. Verè de sua hæresi pœnituit *ibid.* X & *seq.* Berengario quotannis justa persolvunt Canonici Turonenses S. Martini *ibid.* XII. Berengarii epitaphium composuit Hildebertus postea Cenomanensis Episcopus *ibid.* X.

Bernardus fit primus Patriarcha Latinorum Antiochiæ 1098. VIII. Scribit ad Paschalem PP. de injuria Ecclesiæ suæ facta & responsum accipit 1113. VI & *seq.*

Bernardus Monachus S. Benedicti ab Alphonso VI dicitur Archiepiscopus Toletanus 1088. VI. Ab Urbano II fit Primas totius Hispaniæ *ibid.* VII. Tarraconensis & Narbonensis Archiepiscopi ei parere coguntur *ibid.* VIII. Fit Legatus Apostolicæ sedis *ibid.* Concilio Palentino præest *ibid.* XVI. Mesquitam Toletanam in Ecclesiam convertit 1090. I & *seq.* Ejus virtute Christiani Toletum servant post Alphonsi VI mortem 1109. III & 1110. IV. Subscribit Concilio Overensi 1115. XVII. Ejus dissensio cum Burdino Archiepiscopo Bracarensi explicatur 1117. V & *seq.* Fabulæ de eo confictæ refelluntur *ibid.* IX. Moritur 1128. XX.

Bernardus Abbas S. Victoris Massiliensis ab Alexandro II PP. Cardinalis creatur 1072. VIII. Legatus Mediolanum mittitur & præsens est electioni Athonis Archiep. Mediolanensis *ibid.* è seditione contra Athonem excitata vix evadit *ibid.* X. à Gregorio VII Legatus ad conventum Forcheimensem mittitur 1077. VII. Ejus mortis annus 1080. XI.

S. Bernardus Parmensis Episcopus & Cardinalis Conradum Sueviæ Ducem excommunicat 1130. XLIX & *seq.* moritur 1133. XIX.

Bernardus Menevensis Episcopus à Cantuariensi Archiepiscopo consecratur 1115. X.

Bernardus Hildesheimensis Episcopus S. Godehardi prædecessoris sui canonizationem ab Innocentio II petit 1131. II. Eam obtinet *ibid.* XIV.

Bernardus Paderbornensis Episcopus usum pallii ab Innocentio II PP. recipit 1133. I.

Bernardus Abbas Bonævallis in diœcesi Carnotensi Ivoni Episcopo Carnotensi reconciliatur operâ Roberti de Arbrissello 1116. XVIII.

S. Bernardus molestè fert nepotem suum ad Cluniacenses transiisse 1126. II. Ejus Epistola ad Humbaldum Archiepiscopum Lugdunensem Sedis Apostolicæ Legatum quo anno scripta *ibid.* XI. S. Bernardus Concilii Trecensis mandato Templariis Regulam dat 1127. XII. Henrico Catalaunensi Episcopo suadet ut Episcopatum dimittat 1129. VIII. Ejus prima ad Honorium II Papam Epistola quo anno data *ibid.* IX. Alia ejus Epistola ad Petrum Cardinalem *ibid.* X. Willelmum IX Aquitaniæ Ducem ad partes Innocentii II pertrahere frustra tentat 1130. XLIV. Innocentium PP. sequitur 1131. I & III. Brunoni postea Coloniensi Archiep. summa necessitudine conjunctus fuit 1132. X. Ejus Epistolæ VI ad Brunonem epocha *ibid.*

S. Bernardus Innocentium II PP. Romam euntem comitatur 1133. VI. Hortatur Ludovicum VI Franciæ Regem ne Concilium Pisanum impediat 1134. III. Rogatur à Mediolanensibus ut eorum pacificationi cum Innocentio II incumbat *ibid.* V. Ab Innocentio II Mediolanum legatur *ibid.* VII. Archiepiscopatum Mediolanensem recusat *ibid.* VIII. Legatus mittitur ad pacificandos Cremonenses cum Papiensibus *ibid.* IX. Cistercienses Mediolanum introducit *ibid.* X. Tertium Ordinem Humiliatorum Mediolani fundat *ibid.* XIV & *seq.* Item Claram-Vallem monasterium Cisterciensium *ibid.* XI. XIV & *seq.* Excusat Robaldum Archiep. Mediolanensem electum quod pallium ab Innocentio II recipere recusaret *ibid.* XVII. Hortatur Mediolanenses ad constantiam *ibid.* XVIII. S. Bernardus rex in Italiam perrexit *ibid.* XX.

Cum Gaufrido Episcopo Carnotensi in Aquitaniam proficiscitur & Willelmum IX Ducem à schismate retrahit 1135. I & *seq.* Scribit ad Innocentium PP. de cæde Thomæ prioris S. Victoris Parisiensis & Archembaldi Subdecani Aurelianensis *ibid.* III & IX. Ejus Epistola CXXXI ad Mediolanenses explicatur 1134. XVIII & 1135. XXVIII & *seq.* Trium ejus Epistolarum epocha 1135. XXXII & *seqq.* in Italiam ab Innocentio II iterum vocatur 1136. III. Lugdunenses arguit quod inconsulta Sede Apostolica festum conceptionis Beatæ Virginis instituissent *ibid.* VIII. Rogerium Siciliæ Regem adit ad sedandum schisma, sed frustra 1137. X & XIII. Brevi tempore Romæ mansit *ibid.* XIV. Hortatu Bernardi Cartusiani priores Sermones in Cantica absolvit *ibid.* XV & *seq.* Epistolam CLI ad Philippum Turonensis Ecclesiæ invasorem quo anno scripserit *ibid.* XVII.

S. Bernardus sedato schismate Claramvallem redit 1138. V. Scribit ad Constantiensem Episcopum ut Arnaldum de Brixia è sua diœcesi pellat 1140. I. Scribit ad Innocentium PP. & ad Guidonem Card. Sedis Apost. in Galliis Legatum contra Arnaldum & Petrum Abaëlardum *ibid.* Cum Abaëlardo publicè congredi recusat & quare *ibid.* III & *seq.* Cum eo operâ Petri Venerabilis reconciliatur *ibid.* V. Falsis declarationibus

deceptus

decepeus putat electionem Willelmi in Archiepiscopum Eboracensem esse illegitimam *ibid.* XVI *& seq.* scribit ad Mathildem Angliæ Reginam Eustachii III Bononiæ Comitis filiam *ibid.* XX. Robertum de Sigillo Episcopum Londinensem Innocentio II commendat 1141. XIII & 1142. XI. Quo anno ejus Epistola CCXI ea de causa ad Innocentium data 1141. XIII. Scribit ad Innocentium PP. adversus Radulphum Veromanduorum Comitem qui legitimam uxorem repudiaverat 1141. I. Alias epistolas eadem de re scribit *ibid.* II. Varias ad Melisendem Jerosolymorum Reginam Epistolas scribit *ibid.* III *& seq.*

Scribit ad Cælestinum II contra Willelmum Archiepiscopum Eboracensem 1143. VIII. Item ad Willelmum Abbatem Rievallis 1144. XI. Ymaro Apostolicæ sedis Legato suggerit ne Willelmo Eboracensi Pallium tradat *ibid.* Scribit ad Romanos & ad Conradum Regem pro Eugenio Papa 1145. VI & 1146. I. Scribit ad Robertum Pullum Card. & Cancellarium, non verò ad Rolandum 1145. X *& seq.* Cruciatam prædicat 1146. III *& seq.* Quæritur quod Eugenius PP. Samsonem Archiep. Remensem usu pallii privasset *ibid.* VII. in Germania Cruciatam prædicat *ibid.* IX *& seqq.* cum S. Hildegarde colloquium habet *ibid.* X. Conradum Regem crucesignat *ibid.* XI.

Scribit adversus quosdam hæreticos Coloniæ exortos 1146. XVII *& seq.*

Tolosam proficiscitur cum Legato Apostolico contra Henricum hæreticum 1147. XVII. S. Malachiæ Archiepiscopi Armachani mors Bernardo revelatur 1148. XIV Bernardus sacrificium pro eo offerens collectam Sanctorum Pontificum dicit *ibid.* Libros de Consideratione diversis temporibus scripsit 1152. II. Moritur 1153. IX. Ab Alexandro III Canonizatur 1174. XIV.

S. Bernardus Postea Tironiensis Abbas Episcopis Concilii Pictaviensis fugientibus furorem Willelmi Aquitaniæ Ducis immobilis remanet 1100. VII *& seq.* presbyterorum matrimonia abolere conatur 1108. III. Congregationem Tironiensem dictam instituit *ibid.* V. Willelmum II Comitem Nivernensem in carcere visitat 1117 XX. Moritur *ibid.* XXIV.

Bernardus Cartusianus Portarum prior & Episcopus Bellicensis hortatur S. Bernardum ut Sermones in Cantica absolvat 1137. XV *& seq.*

Bernhardus fit Dux Saxoniæ 1012. II. Vandalos Saxonum tributarios nimis gravat *ibid.* Cum S. Henrico Germaniæ Rege bellum gerit *ibid.* Ei reconciliatur 1013. I. Moritur 1065. I.

Berno Episcopus Suerinensis moritur 1195. IX. Ejus elogium *ibid.* X.

S. Bernwardus Episcopus Hildensheimensis moritur 1022. VII. Transfertur & canonizatur 1194. IV.

Berta Conradi Burgundiæ Regis filia Odonis Campaniæ Ducis relicta nubit Roberto Francorum Regi 998. IV. Ejus nuptiæ à Gregorio V reprobantur *ibid.* In Regium torum à Landrico Nivernensi Comite reducitur 1018. XII.

Bertha Ottonis Italiæ Marchionis filia Henrico IV Germaniæ Regi nupsit 1069. I. Bertham repudiare frustra tentat Henricus *ibid.* Bertha à Guiberto Antipapa Romæ Augusta coronatur 1084. II.

Bertha Florentii Comitis Frisiæ filia Philippo Francorum Regi nubit 1094. IV. Ludovicum Francorum postea Regem parit *ibid.* Repudiatur à Philippo *ibid.* IV. *& seq.* Moritur *ibid.* VIII.

Bertoldus Livoniæ Apostolus Rigensis Episcopus consecratur 1186. XI *& seq.* Martyrium patitur *ibid.* XII. Annus ejus martyrii ibid. XIII.

Bertrada Fulcone Andegavensi Comite marito vivente nubit Philippo Francorum Regi 1094. IV *& seqq.* à Philippo dimittitur 1096. II & VII. Ab eo iterum recipitur 1099. VI. Consentiente ut videtur Fulcone marito 1110 *ibid.* VII. Jurat se ad Philippi contubernium non redituram & ab excommunicatione absolvitur 1104. V.

Bertrandus Provinciæ Comes se suumque Comitatum Apostolicæ sedi submittit 1081. VIII. Quo tempore mortuus sit *ibid.* IX *& seq.*

Bertrandus Raimundi Comitis S. Aegidii filius nothus Comes Tolosanus dictus 1096. XIX & 1103. III.

Bertrandus Comes adversus Alphonsum VII Castellæ Regem rebellat 1127. XIX. Diversus à Bertrando notho Tolosæ Comite *ibid.* XX.

Bibliothecarii Romanæ Ecclesiæ munus à Cancellarii officio distinctum 1061. IV.

Bisuldunense Concilium in Catalaunia celebratur 1077. XII. In eo Guitfredus Archiepiscopus Narbonensis iterum excommunicatur *ibid.* XII *& seq.*

Bituricense Concilium 1034. V. Canones viginti condit *ibid.* Canone primo statuit S. Martialem inter Apostolos numerandum *ibid.* Ei non interfuit Jordanus Lemovicensis Episcopus *ibid.*

Bituricense alterum Concilium 1123. XXI.

Bituricensis conventus à Ludovico VII Francorum Rege celebratur pro expeditione in Terram Sanctam 1145. XII *& seq.* & 1146. VII.

Blanca Garsiæ Ramiri Navarræ Regis filia nubit Sanctio Alphonsi VII Castellæ Regis filio 1140. XXIV.

Boamundus à Roberto Guiscardo patre Illyrici ditionibus donatur 1082. X *& seq.* Alexium Comnenum Imp. vincit & ab eo vincitur 1083. VI. Ex Illyrico in Italiam ad patrem redit 1084. XIII. Patre mortuo cum Rogerio fratre bellum gerit 1088. IV. Bario, Tarento & aliis oppidis à fratre donatur *ibid.* Crucem accipit & ad bellum sacrum proficiscitur 1097. X. Constantinopolim obsidendam censet *ibid.* Scribit ad Rogerium fratrem Apuliæ Comitem 1098. VI. Antiochiam cum aliis Crucesignatis obsidet & capit *ibid.* VII. Antiochiæ Princeps dicitur *ibid.* VIII. In Galliam venit & Constantiam Philippi Francorum Regis ex Berta Regina filiam uxorem ducit 1106. VII. Ad bellum sacrum redit 1107. X. Avalonem capit, sed Durrachium frustrà obsidet *ibid.* cum Alexio Imp. concordiam init 1108. IV. In Apuliam redit *ibid.* Moritur IIII. VIII.

Boamundus II Antiochiæ Princeps Balduini Jerosolymorum Regis gener à Saracenis occiditur 1130. XLV.

Boamundus III in Antiochiæ Principatum Rainaldo succedit 1163. IX. à Turcis capitur & libertati restituitur 1164. XXVI.

S. Bobo adversùs Saracenos Fraxineti pugnat 972. VI.

Bogomilorum hæresis in oriente grassatur 1118. XXVIII *& seq.* Bogomili ad incendium à plebe postulantur *ibid.* XXXIII. Adversùs Bogomilorum hæresim Euthymius Zigabenus schismaticus Panopliam Dogmaticam composuit *ibid.* XXXII *& seq.* Contra Bogomilos Concilium cogit Michael Oxites Patriarcha CP. 1143. XII.

Bohemia Moguntino Archiepiscopo usque ad medium seculum decimum quartum subjecta fuit 965. XI. Bohemi gloriantur se habere corpus S. Adalberti Pragensis Episcopi martyris 997. I & 1036. IV.

Bohemiæ Dux Uratislaus dicitur Rex 1086. X. Ejus successores Ducis tantum titulum sumsêre *ibid.* XI. Regius titulus Bohemiæ Ducibus sub Friderico Ænobarbo rursùs concessus *ibid.* & 1158. III *& seq.*

Boleslaus sævus Bohemiæ Dux moritur 967. XIII.

Boleslaus Pius Boleslao sævo patri in Ducatum Bohemiæ succedit 967. XIII. Ejus virtutes *ibid.* Pragensem Episcopatum instituit *ibid.* XIV. Dietmarum Episcopum ei præficit *ibid.* XV. Monasterium Monialium Pragæ instituit *ibid.* Ab Henrico Germaniæ Rege deficit 1003. VI. Ab eo ad tributi solutionem adigitur 1004. V.

Boleslaus Miesconi patri succedit in Ducatum Poloniæ 991.

1004. V. Moritur 1025. I X.

Boleslaus II fit Poloniæ Dux 1058. X. Ad eum scribit Gregorius VII Papa 1075. XII. Poloniæ Regem se dicit 1077. XXIII. S. Stanislaum Cracoviensem Episcopum à quo excommunicatus fuerat, occidit 1079. X. à Gregorio VII Regia dignitate privatur *ibid.*

Boleslaus III Crivoustus cognominatus fit Poloniæ Dux 1102. VIII Henrici Imp. sororem uxorem ducit 1124. I. S. Ottonem Bambergensem Episcopum rogat ut Pomeranorum conversioni incumbat *ibid.* II. Moritur 1139. VII.

Bonavallis monasterium in diœcesi Viennensi fundatur 1115. IV.

Boni homines, vide, Valdenses.

Bonifacius VII sedem Romanam invadit & ab ea pulsus Constantinopolim pergit 974. I. Excommunicatur à Benedicto septimo 975. V. Item à Synodo Remensi *ibid.* Joannem XIV Papam in Castello S. Angeli includit & fame enecat 985. I. Pontificatum denuò invadit *ibid.* Ejus Pontificatus duratio *ibid.* III & V.

S. Bonifacius Romæ consecratus Archiepiscopus in Russia Prussiæ vicinis Evangelium annunciat 997. II & IV. In Russis martyrio coronatur 1008. III.

Bonifacius Alberti filius Theobaldo in Ducatum Tusciæ succedit 1002. IV & *seq.* diversus est à Bonifacio Mathildis Comitissæ Patre *ibid.*

Bonifacius Mathildis Comitissæ pater non successit immediate Theobaldo patri in Ducatum Tusciæ 1002. IV & *seq.* Beatricis primus maritus fuit 1070. VI & X. Quo anno mortuus sit 1076. XI.

Bonizo Sutrinus Episcopus scripsit Epitomen Historiæ Rom. Pontificum usque ad Urbanum II PP. 1044 VIII & *seqq.* Alia ejus Opera *ibid.* Gregorium VI pro simoniaco habet *ibid.* Ab Henrico IV Episcopatu Sutrino Deturbatur 1082. II. Quo anno dictus sit Episcopus Placentinus. *ibid.* Doctrina & pietate claruit *ibid.* III. S. Anselmi Lucensis Episcopi exequiis interfuit 1085. III. à Schismaticis martyrio coronatur 1089. V.

Borise seu Bures Bulgarorum Rex à Joanne Tzimisce Imp. capitur 971. X. Constantinopolim ducitur & Regiis insignibus privatur 973. XI. Interficitur *ibid.* XII.

Borrellus Barcinonensis Comes à Saracenis profligatur & Barcinonem amittit 985. VI. Eam urbem postea recepit *ibid.*

Bosonus Cardinalis tituli quatuor Coronatorum Apostolici Legati operâ Majorica Saracenis eripitur 1114. XIII.

Bracarensis Ecclesia Archiepiscopalem dignitatem recuperat 1109. II. Ei Conimbricensis Ecclesia subjicitur 1117. V & *seq.*

Brandeburgensis Episcopatus fundatio 967. VII.

Brema cum mero & mixto imperio Hamburgensi Archiepiscopo subjecta 988. I & *seq.* Quo tempore Archiepiscopatus Hamburgensis Bremam translatus sit 1043. II. Brema Hamburgo vastato Archiepiscopalis tituli usum arripit 1072. V. Sueciæ & Daniæ Episcopi Bremensi Archiepiscopo subjiciuntur 1133. XX.

Briennus à Roberto Guiscardo Calabriæ Duce Constabularii dignitate donatur 1082. XI.

Brionensis Conventus contra Berengarium Andegavensem 1050. XI. Ad annum MLIII revocari non potest *ibid.* VIII.

Britannia minor transit in potestatem Henrici II Angliæ Regis 1168. XXIII.

Bruno Archiepiscopus Coloniensis 1132. X. S. Bernardo magna familiaritate conjunctus fuit *ibid.*

Bruno Tullensis Episcopus, *vide*, Leo IX PP.

S. Bruno Coloniensis Archiepiscopus Ottonis Magni frater moritur 965. XII.

S. Bruno Russorum Apostolus dicitur baptizasse Geisam & S. Stephanum Hungariæ Reges 993. III. Russis Prussiæ vicinis Evangelium annunciavit *ibid.* IV. In Prussia martyrio coronatur 1008. I & *seq.* Gebhardi Quinfortensis Dynastæ frater erat 1045. III.

Bruno Andegavensis Episcopus quo tempore dictus 1035. II. Adversus eum scripsit Deoduinus non Durandus Leodiensis Episcopus *ibid.* III. Moritur 1081. XX. Non favit hæresi Berengarii *ibid.* XXI. Ejus epitaphium à Marbodo Viro piissimo postea Redonensi Episcopo compositum *ibid.* XXII.

Bruno Augustensis Episcopus Henrici III Germaniæ Regis designati tutelam suscipit 1026 II. Moritur 1029. V. Henrici Imp. frater erat *ibid.*

Bruno in Episcopatum Metensem intruditur 1085. III. Ex eo pellitur *ibid.* III & *seq.*

S. Bruno postea Signiensis Episcopus in Concilio Romano VI sub Gregorio VII contra Berengarium disputat 1079. III. Legatus à Paschali II in Galliam mittitur 1104. X. Pictavis Concilium celebrat & Cruciatam promovet 1106. VII. Paschalis PP. investituras Henrico Germaniæ Regi concedentis factum improbat 1111. V. Moritur 1125. XIV. à Lucio III in Sanctorum numerum relatus fuit *ibid.* Ejus Opera *ibid.*

S. *Bruno* Herbipolensis Episcopus Conradi Carinthiæ Ducis filius moritur 1045. II & *seq.*

S. *Bruno* Coloniensis ac dein Remensis Canonicus Manassem Archiep. Remensem simoniæ accusat 1080. XII. Cartusiensem Ordinem fundat 1086. V. Quo anno *ibid.* VI & *seq.* Ejus conversionis causa fictitia *ibid.* VIII. S. Bruno ab Urbano II Romam vocatur 1092. VIII. Archiepiscopatum Rhegiensem recusat 1095. XVI. Curiam Romanam relinquit & in Calabriæ eremum secedit *ibid.* Moritur 1101. VIII.

Bruno S. Henrici Germaniæ Regis frater in eum rebellat 1003. VI. Ei reconciliatur *ibid.*

Brunsvicenses Duces hodierni ab Henrico Leone Bavariæ & Saxoniæ Duce originem ducunt 1180. XI.

Bulgari à Nicephoro Phoca Imp. bello appetuntur 964. XVI. à Sphendosthlabo Russorum Rege debellantur 968. IX. Nicephori Phocæ legationem suscipiunt 969. I. Christi fidem profitebantur *ibid.* Bulgarorum Regia cum eorum Rege à Joanne Tzimisce Imp. expugnatur 971. IX & *seq.* Bulgaria Græcorum imperio subjicitur 973. VIII & *seqq.* Bulgariæ regnum postea restauratur *ibid.* XII. Bulgarorum Rex Samuel Græcorum terras devastat *ibid.* & 981. II. Bulgari Basilium Imp. fugant 981. II. Ab Urano Basilii Imp. Duce profligantur 995. VI. à Basilio Imp. ejusque Ducibus sæpius victi 1001. IV. à Basilio vincuntur & quindecim millibus eorum captivis oculi eruuntur 1014. VII. Bulgaria Basilio Imp. deditur 1018. VII.

Burchardus fit Episcopus Wormatiensis 1008. VI. Olberto Monacho Laubiensi adjutore veteres Ecclesiæ canones in unum redigit *ibid.* Conradi postea Imperatoris institutor fuit 1026. I. Moritur *ibid.*

Burdegalense Concilium celebratur in quo Berengarius fidei suæ rationem reddit 1080. XX.

Burdinus S. Geraldo succedit in Archiepiscopatum Bracarensem 1109. II & 1117. V. Pallium à Paschali PP. accipit

cipit

cœpit 1117. V. Dissidet à Bernardo Toletano Archiep. *ibid.* Conimbricensem Ecclesiam suæ Metropoli subjicit *ibid.* VI. à Paschali PP. ad Henricum Imp. Legatus Romam mittitur *ibid.* VII. Henricum Imp. coronat *ibid.* IV. Ea de causa à Paschali excommunicatur *ibid.* VII. Antea ab eodem Papa Episcopali officio interdictus fuerat *ibid.* VIII. Fabulæ de eo confictæ refelluntur *ibid.* IX.

Burdinus fit Antipapa 1118. VII & XIII. Gregorium VIII se appellat *ibid.* VIII & XIII. Henricum Imp. coronat *ibid.* VIII. Excommunicatur à Callisto PP. in Concilio Remensi 1119. X. Sutrium fugit 1120. VI. à Callisto II capitur 1121. I. Romam ducitur *ibid.* I & III. Ab aliquibus in Anglia Pontifex agnitus fuit *ibid.* II. Quo fundamento *ibid.* III. In monasterium truditur *ibid.* IV.

Burgense Concilium in Hispania pro Romani Officii receptione quo anno celebratum 1080. XI *& seq.*

Burgense alterum Concilium à Guidone Card. Apostolicæ Sedis Legato celebratur 1136. XVI.

Burgundia Rodulpho III Rege mortuo ab Odone II. Campaniæ Duce invaditur 1032. VIII *& seq.* à Conrado Imp. recipitur 1033. II & 1034. XI.

Burgundiæ Comitatus unitur ditionibus Friderici Ænobarbi Imp. 1156. VIII.

C.

Cabilonense Concilium à Petro Damiani celebratur 1062. IV. In eo Cluniacensis monasterii privilegia confirmantur *ibid.* Plura ad disciplinam Ecclesiasticam spectantia in eo tractata *ibid.* V

Cabilonense alterum Concilium Lancelinum Episcopum Diensem simoniacum deponit & Hugonem ei substituit 1073. IX.

Cadirus Billa fit Calipha Babyloniensis 991. VI. Moritur 1031. V.

Cadolus Parmensis Episcopus in Pseudo-Synodo Basileensi eligitur Antipapa 1061. III. Honorii II nomen sumit *ibid.* Romam frustrà obsidet 1062. I. Damnatur in Concilio Osboriensi *ibid.* II. Item in Concilio Mantuano 1064. I. In castello circumcluditur & moritur *ibid.* IV *& seq.*

Cadurcus consentiente Ludovico VII Franciæ Rege eligitur Episcopus Bituricensis 1141. III. Ab Innocentio II rejicitur *ibid.*

Cælestinus II Papa, *vide*, Guido de Castellio.

Cælestinus III Papa, *vide*, Hiacyntus Bobocard.

Cæsaraugusta ab Alphonso Aragoniæ Rege obsidetur & capitur 1118. XVI *& seq.* Ejus dominium Gastoni Vicecomiti Bearnensi datur *ibid.* XVIII. Episcopus Cæsaraugustæ præficitur *ibid.* XIX.

Caimus Biamvilla fit Calipha Babyloniensis 1031. V. Moritur 1074. XVII.

Cairus Ægypti urbs ædificatur 969. XII.

Calabria ab Ottone M. recipitur 968. I. Eam sibi vindicare frustra conatur Otto II Imp. 981. III & 983. I *& seqq.* Calabria à Saracenis vastatur 986. VI.

Calatrava ab Alphonso VII Hispaniarum Imperatore capitur 1146. XXVII. Raimundo Fiterli Abbati traditur 1158. X.

Calatravæ Ordo militaris instituitur 1158. XI.

Calepenses cum Romano Argyro Imp. fœdus faciunt 1031. III.

Calesiense monasterium à S. Hugone Gratianopolitano Episcopo fundatum 1132. XII. In Prioratum redigitur *ibid.* Majori Cartusiæ unitur *ibid.*

Callistus II Papa, *vide*, Guido Archiep. Viennensis.

Callistus III Antipapa, *vide*, Joannes Abbas Strumiensis.

Calvense Concilium in causa Clericorum & Monacho-

Tom. IV.

rum Angliæ 979. II.

Calocyrus fit Patricius & ad Tauroscythas seu Russos à Nicephoro Imp. mittitur 965. XVI. Ejus rebellio 968. IX.

Cameracensis Synodus contra quosdam hæreticos Sacramenta negantes 1025. XI.

Canadiensis Episcopatus à S. Stephano Hungariæ Rege fundatur 1042. II.

Cancellarii Romanæ Ecclesiæ officium à Bibliothecarii munere distinctum 1061. IV.

Canonici Regulares ante seculum undecimum non instituti 1039. VIII. Nullum certum habent institutorem *ibid.* IX. Primum eorum monasterium Avenione fundatum in Ecclesia S. Rufi *ibid.* Eorum priores Abbates ignoti *ibid.* XI. Canonici Regulares multiplicantur 1091. XII. Monachi & fratres quandoque dicti 1159. VIII.

Canonicorum Regularium Aroasiensis Congregatio fundatur 1097. XIX.

Canonicorum Regula] à B. Petro Damiani impugnatur 1063. III. defenditur *ibid.* IV.

Canonizationis Sanctorum forma 993. II. Canonizationes insigniores ante Alexandrum III factæ recensentur *ibid.* III *& seq.* Ante Alexandrum III Metropolitani canonizabant *ibid.* V. Canonizationes ab Alexandro III Sedi Apostolicæ reservatæ *ibid.* VI Certi ritus in Canonizatione adhibiti *ibid.* VII.

Cantandi nova methodus à Guidone Aretino excogitatur 1022. VIII.

Cantuaria à Danis capitur & devastatur crudeliter 1011. III *& seq.*

Cantuariensis Ecclesiæ privilegia à Paschali II PP. confirmantur 1117. X.

Cantuarienses Archiepiscopi è monasteriis de more assumti 1123. XVIII nonnisi ter è Clero *ib.* XVIII. *& seq.*

Canusina Ecclesiæ unio cum Barensi ab Urbano II PP. confirmatur 1089. II.

Canutus postea Angliæ Rex nascitur ex Suenone Daniæ Rege 994. V. Angliæ Rex salutatur 1014. V. Ab Ethelredo Rege in patriam redire compellitur *ibid.* VI. In Angliam irrumpit 1015. I. *& seq.* Mortuo Ethelredo ab Anglorum parte Rex Angliæ salutatur 1016. I. Frustrà Londoniam obsidet *ibid.* II. Cum Edmundo Ethelredi Regis filio regnum partitur *ibid.* III. Mortuo Edmundo solus in Anglia regnat *ibid.* IV. In universa Anglia Rex agnoscitur 1017. IV. Emmam Ethelredi Regis viduam uxorem ducit *ibid.* V. Ejus virtutes *ibid.* VI. Ecclesiis & monasteriis favit *ibid.* VII. S. Elphegi Cantuariensis Episc. Corpus de tumulo levat 1023. III. Alia ejus pia opera *ibid.* Norvegiam sibi subjicit *ibid.* IV.

Romam orationis causa pergit 1027. V. Coronationi Conradi Salici in Imperatorem præsens adest *ibid.* II. Olavum Regem Norvegiæ è regno pellit 1028. VIII. Moritur 1035. VII. Swanum filium Norvegiæ & Hardecanutum alterum ex filiis Daniæ Reges ante mortem dicit *ibid.*

S. *Canutus* Daniæ Rex martyrium facit 1081. XIV. Patruus fuit non pater S. Canuti Junioris *ibid.* XV. Beatum Carolum Bonum Flandriæ Comitem filium habuit *ibid.*

S. *Canutus Junior* martyrium patitur 1130. I. & 1133. XXI. Fuit Rex Obotritorum & Slevicensium Dux 1130. I. *& seq.* S. Canuti Daniæ Regis ex fratre nepos non filius fuit *ibid.* Ab Alexandro III in Sanctorum numerum refertur 1164. XII *& seq.*

Capua à Joanne XII PP. Fit Metropolis 965. III. Antea erat tantum Metropolis civilis *ibid.* IV *& seq.* Eidem Principi paret ac Beneventum 968. I. & 969. XI.

Cara vallis monasterium prope Mediolanum fundatur 1134.

1134. X, XIV & *seq.* & 1135. XXXI.

Cardinalibus attribuitur Romani Pontificis electio 1059. IV. Ad solos Cardinales restringitur 1185. XIII.

Carnotense Concilium à Petro Leonis Card. Apostolicæ Sedis Legato celebratur 1124. III & *seq.*

Carnotensis Conventus pro expeditione in Terram sanctam 1146. VI.

Carolus Constantiensis Ecclesiæ Episcopus designatus ab Henrico IV Germaniæ Rege simoniæ accusatur 1071. I Adversus eum Sigefridus Moguntinus Archiep. Concilium Moguntiæ celebrat *ibid.* II. Carolo favet Henricus Rex *ibid.* III. Episcopatum abdicat *ibid.* IV.

Caroli Magni corpus incorruptum reperitur 1000. II. & *seq.* Carolus M. Officio Ecclesiastico colitur & à quo tempore *ibid.* III. Solium ejus ab Ottone III mittitur Boleslao Poloniæ Duci pro brachio S. Adalberti *ibid.* Carolus M. à Paschali III Antipapa canonizatur 1166. XXII. Ejus canonizatio ab Ecclesia Romana tolerata *ibid.* XXIII.

Carolus Lotharii Francorum Regis frater cum Ottone II contra eum conjurat 978. I. Ab Ottone fit Lotharingiæ Dux *ibid.* Francorum animos à se alienat *ibid.* IV. Adversus eum scribit Gerbertus *ibid.* Carolus S. Gudilæ corpus Bruxellam transfert 978. VIII. Emmam Lotharii Regis uxorem adulterii insimulat 986. II. Cum Arnulpho Remensi Archiep. jungitur & civitatem Remensem aliosque occupat 990. IV. Cum uxore ab Hugone Rege capitur & in carcere detinetur *ibid.* VI. Moritur in carcere & liberos relinquit *ibid.* VII Ejus liberi è Francia pelluntur *ibid.*

Carolus Caroli Lotharingiæ Ducis filius Regium nomen affectat 990. VII. E Francia pellitur *ibid.*

B. *Carolus Bonus* Flandriæ Comes filius S. Canuti Senioris Daniæ Regis & Martyris 1081. XV. Ad regna Germaniæ & Jerosolymorum postulatur 1125. IX & XIII. Occiditur 1127. XXII. Nomen ejus variis martyrologiis inscriptum est *ibid.* XXIII.

Carrofensis Synodus ad extinguendam Manichæorum hæresim à Willelmo IV Aquitaniæ Duce congregatur 1027. XII.

Carthago postquam à Saracenis eversa fuit nunquam amplius reædificata 1181. XVII.

Cartusiensis Ordo à S. Brunone fundatur 1085. V. Annus fundationis *ibid.* VI & *seq.*

Cartusienses Innocentio II Remis Concilium celebranti obedientiam præstant 1131. XIII.

Cassiliense Concilium in Hibernia celebratur 1171. V & *seq.*

Casimirus Miesconis II Poloniæ Regis filius & successor Cluniacum pergit & Monachum induit 1034. XVI. In regnum Poloniæ restituitur 1041. V. à Benedicto IX dispensatur ut uxorem accipiat licet Diaconus *ibid.* Mariam Volodomiri Russorum Regis filiam uxorem ducit *ibid.* Poloniam Sanctæ Sedi vectigalem facit 1045. I. Moritur 1058. X.

Castella in regnum erigitur 1032. VII. Primus Castellæ Rex Ferdinandus Magnus *ibid.* Castellæ & Legionis regna uniuntur 1037. IV. Iterum dividuntur 1065. III. Iterum uniuntur 1072. XII. Iterum dividuntur 1157. VII.

Castellum Cluniaco vicinum ab Hugone discalceato constructum terræ motu absorptum non est 1150. III.

Catalaunense Concilium à Conone Apostolicæ Sedis Legato celebratur 1115. X. Henricum Imp. damnat *ibid.* Episcopos quosdam Normanniæ excommunicat *ibid.* XI. Catalaunense alterum Concilium à Matthæo Cardinali Albanensi Apostolicæ Sedis Legato celebratur 1129. VIII. In eo Henricus Virdunensis Episcopus Episcopatum dimittit *ibid.*

Catana terræmotu subvertitur 1169. VIII.

Cathari hæretici damnantur in Concilio Lateranensi III Generali 1179. VI. Manichæi erant *ibid.* VII. Plures Provincias infecerant *ibid.* VIII.

Cedrenus Historiam suam absolvit 1057. V.

Cencius Auctor est libri censuum Ecclesiæ Romanæ 1192. XII.

Cenomanenses Henricum quemdam Hæreticum suscipiunt ejusque erroribus adhærent 1126. XIX & *seqq.* Cenomanensis civitas tota incendio conflagrat 1134. XL.

Chariton fit Patriarcha Constantinopolitanus 1179. XVI. Moritur *ibid.*

Chinonensis Conventus in Provincia Turonensi Henrici II Angliæ Regis jussu celebratur 1166. IV. In eo ad Alexandrum III appellatur *ibid.* Quo anno celebratus sit *ibid.* & 1167. XVII.

Christi Sandalia à Joanne Tzimisce Imp. in Syria reperiuntur & Constantinopolim mittuntur 975. VII. Christiani quidam Hispaniæ martyrio afficiuntur ab Albaca Calipha 975. VI.

Christiani ab Almanzor Præfecto Hispaniæ sub Isen Calipha graviter afflicti *ibid.*

Christiani ab Hakemo Ægypti Calipha crudeliter vexantur 1009. IV & *seqq.*

Christiani à Saracenis ad Cordubam vincuntur 1010. I. In Saxonia à Leuticis Paganis graviter affliguntur 1033. I. & 1034. XVII & *seqq.*

Christiani Saracenos Africæ profligant & spolia ad Cluniacense monasterium mittunt 1033. XII.

Christiani Jerosolymam adire prohibentur 1056. VI. In Saxonia persecutionem patiuntur 1065. I. Magni nominis viri in ea persecutione occiduntur *ibid.* II.

Christiani in Africa seculi duodecimi initio nondum penitus extincti 1114. III & *seq.*

Christiani in Catalaunia à Saracenis vincuntur 1126. XV. Ab iis vexantur 1128. XXI.

Christiana religio in Africa & in Hispania Saracenica extinguitur 1149. VIII.

Christianus Archiepiscopus Moguntinus eligitur 1160. VII. Conradus frater Ottonis Palatini Christiano à Friderico Imp. præfertur *ibid.* Christianus sedem Moguntinam invadit 1165. VI. Quo anno *ibid.* VII. In Italiam cum exercitu à Friderico Imp. mittitur 1169. III. De manu Lucii III Papæ communione accepta moritur 1183. I & *seq.* Ejus Opera *ibid.* II.

Christianus Lesmoricensis in Hibernia Episcopus Concilium celebrat pro institutione quatuor Archiepiscopatuum 1152. XII.

Christophorus Patriarcha Antiochenus à Saracenis occiditur 970. I.

Chronici Magni Belgici quis Auctor 1177. XX.

Chunelindis, vide, Gunilda.

Cincius civis Romanus pro antiqua libertate recuperanda tumultus excitat 974. II. Benedictum VI PP. in vincula conjicit & mori cogit *ibid.*

Cisterciensis Ordo à S. Roberto Molismensi Abbate fundatur 1098. IX & *seqq.* Huic institutioni Monachi Molismenses adversantur *ibid.* S. Roberto Molismum redeunte Albericus fit Cistercii Abbas *ibid.* XII. Cisterciensis Ordo confirmatur à Paschali II PP. 1100. XVII. Cisterciensis ordinis quatuor priores Abbatiæ fundantur 1115. XIII.

Cistercienses à Cluniacensibus dissident & quare 1116. II. Mediolanum à S. Bernardo introducuntur 1134. X.

Cistercienses Alexandrum III PP. agnoscunt 1160. II. à Friderico Imp. ea de causa vexantur *ibid.*

Claravallis Abbatia Cistercii tertia filia in Diœcesi Lingonensi fundatur 1115. XIII.

Clarendonense Conciliabulum in Anglia celebratur 1164. I.

Clarius Monachus non est Auctor totius Chronici Sancti Petri Vivi 1120. XXII *& seq.*

Claromontanum Concilium ab Urbano II PP. celebratur 1095. IV. valde numerosum fuit *ibid.* V. Prohibet communionem per intinctionem factam *ibid.* VI. Necessitatis casum excipit *ibid.* VI *& seq.* Presbyterorum filios à sacris ordinibus arcendos censet sine dispensatione Apostolicæ Sedis *ibid.* IX *& seq.* Jerosolymitana expeditio Claromontani Concilii præcipua causa *ibid.* XI.

Claromontanum Concilium Philippum Franciæ Regem excommunicat *ibid.* XIV. Simoniam prohibet *ibid.* XV.

Claromontanum alterum Concilium à Gregorio Cardinali Sedis Apostolicæ Legato celebratur 1124. III & V.

Claromontanum alterum Concilium ab Innocentio II Papa celebratur 1130. XXXVIII.

Clemens II creatur Pontifex Romanus 1046. I *& seq.* Henricum Germaniæ Regem Imperatorem coronat *ibid.* Romæ contra Simoniacos Concilium celebrat 1047. I. In Germaniam cum Imperatore pergit *ibid.* II. Ibi Concilium celebrat *ibid.* III. Sanctam Wiboradam canonizat *ibid.* IV. In Italiam redit *ibid.* II & V. Moritur *ibid.* Et quidem in Italia *ibid.* V *& seq.* Bambergæ sepultus fuit *ibid.* VI. Pontifex Romanus dictus Episcopatum Bambergensem non dimisit *ibid.* VII.

Clemens III eligitur & consecratur Pontifex Romanus 1188. I. Cum Romanis pacem facit *ibid.* XI. Scotorum Ecclesias Sedi Apostolicæ immediate subiicit 1192. II. Jordanum de Ceccano Card. Legatum in Germaniam mittit 1188. XV. S. Ottonem Bambergensem Episcopum Pomeraniæ Apostolum canonizat 1189. IX. Moritur 1191. I. Sedis ejus duratio *ibid.* IV.

S. Clementis Metensis Episcopi primi Reliquiarum translatio 1090. V.

Clericorum incontinentia maxima 1100. IX & XI & 1108. II *& seq.*

Cluniacensis monasterii privilegia confirmantur in Synodo Cabilonensi 1062. IV. Cluniacensis monasterii majus Altare ab Urbano II consecratur 1095. IV.

Cluniacenses à Cisterciensibus dissident & quare 1126. II.

Cluniacensis Ecclesia ab Innocentio II Papa consecratur 1130. XXXVII.

Colbergensis Episcopatus quo tempore fundatus 999. VI Guesnensi Metropoli subiicitur *ibid.*

S. Colomannus Scotus in Austria martyrio coronatur 1012. VIII.

Colomannus fit Rex Hungariæ 1095. XXI. Rogerii Siciliæ Comitis filiam uxorem duxit *ibid.* Moritur 1114. XIX.

Colonia cum mero & mixto imperio Archiepiscopo Coloniensi subjecta 988. I.

Colonienses Archiepiscopi S. Romanæ Ecclesiæ Archicancellarii dicti 1049. XIII.

Coloniensi Ecclesiæ privilegia ab Eugenio III Papa conceduntur 1151. I.

Coloniense Concilium à Conone Prænestino Episc. Apostolicæ sedis Legato coactum Henricum Imp. damnat 1115. IX.

Coloniense alterum Concilium à Theoderico sedis Apostolicæ Legato habitum & quo anno 1115. IX.

Coloniense Concilium à Conone Prænestino Episc. Apostolicæ sedis Legato habitum Henricum Imp. excommunicat 1118. XXI. Quo anno celebratum *ibid.*

Comenses à Mediolanensibus bello appetuntur 1118. XXXVII *& seq.* Comensis urbs à Mediolanensibus capitur & diripitur 1128. XI.

Cometes trium fere mensium apparet 975. IX *& seq.*

Communia ad defensionem publicam in Francia instituuntur 1108. XIII.

Compostella Metropolica dignitate donatur à Callisto II PP. 1055. III. & 1123. VIII. Suffraganei eidem subjecti 1123. IX.

Compostellanum Concilium 1056. III. Ei præfuit Cresconius Iriensis non Compostellanus Episcopus *ibid.*

Concathedrales duæ Ecclesiæ in eodem Episcopatu multis in locis reperiuntur 1060. VI.

Conceptionis Beatæ Virginis festum à Lugdunensibus instituitur 1136. VIII. In Novella de feriis à Manuele Græcorum Imp. data numeratur inter dies feriarum 1166. XVIII.

Conimbria à Ferdinando Castellæ Rege expugnatur & quo anno 1040. III *& seq.* Metropoli Bracarensi subiicitur 1117. V *& seq.*

Conon Prænestinus Episcopus Apostolicæ Sedis Legatus Concilium Bellovaci celebrat 1114. VII. Henricum Imp. in eo anathematizat *ibid.* Remis concilium cogit 1115. VIII. Item aliud Suessionis *ibid.* Item aliud Coloniæ in quo Henricum Imp. damnat *ibid.* IX. Item aliud Catalauni *ibid.* X. In eo quosdam Normanniæ Episcopos excommunicat *ibid.* XI. Coloniense & Fritislariense Concilia celebrat 1118. XXI. Pontificatum recusat & Callistum II eligi curat 1119. VI. Bellovaci Concilium cogit 1120. XXII.

S. Conradus cognomento Gebehardi Salisburgensis Episcopus Henrici Germaniæ Regis Papam vexantis factum improbat 1111. V. In sedem à qua pulsus fuerat post novem annos reducitur *ibid.* Moritur *ibid.*

Conradus Frater Ottonis Frisingensis quondam Episcopi fit Archiepiscopus Salisburgensis 1164. XX. Paschalem Antipapam agnoscere recusat *ibid.* Moritur 1167. XXXI.

Conradus frater Ottonis Palatini fit Archiepiscopus Moguntinus 1160. VII. In Galliam ad Alexandrum PP. pergit & quo anno 1163. VI *& seq.* Ab Alexandro Cardinalis Presbyter creatur 1167. XXX. Primus fuit qui ex Archiepiscopo dictus fit Presbyter Card. *ibid.* Fit Episcopus Sabinensis & Soranus *ibid.* Primus ex Cardinalibus plurium Episcopatuum titularis fuit *ibid.* Legatione Apostolica fungitur in Bajoariis 1174. IV. Fit Archiepiscopus Salteburgensis 1177. XII. In Archiepiscopatum Moguntinum restituitur 1183. II. In Terram sanctam proficiscitur 1197. V. Ejus mortis annus *ibid.*

Conradus Salicus Germaniæ Rex eligitur 1024. VI. Consecratur *ibid.* à proceribus Germaniæ non à Septem Electoribus electus fuit *ibid.* V. à Luidgarda Ottonis M. filia originem ducebat *ibid.* VI. *& seqq.* Conrado Itali se submittunt 1025. I. Conradus Simoniaca labe infectus fuit, sed postea pœnitentiam egit *ibid.* II. Italiam petit 1026. I. Omnem Italiam eis Romam subigit *ibid.* I. *& seqq.* Henricum filium Germaniæ Regem designat *ibid.* II. Luca civitate capta Romam pergit 1027. I. à Joanne XIX. coronatur Imperator præsentibus Regibus Angliæ & Burgundiæ *ibid.* II. Italiâ pacatâ in Alemanniam redit *ibid.* II. *& seq.* Regnum Burgundiæ à Rodulpho Rege recipit *ibid.* III. Conradum patruelem Austrasiæ Ducem rebellem in gratiam recipit *ibid.* Eum Carentanorum Ducem dicit *ibid.* Wernherum Argentinensem Episcopum Constantinopolim Legatum mittit *ibid.* IV.

Henricum filium Regem coronari curat 1028. XIII. Stephano Hungariæ Regi bellum infert 1030. I *& seq.* Bellum illud Henrici filii operâ sopitur *ibid.* II. Mortuo Rodulpho III Burgundiæ Rege ad Conradum insignia Regalia deferuntur 1032. VIII. Conradus Ottonem Micsconis Poloniæ Ducis fratrem patriæ restituit & Ducem creat 1032. X. Poloniam in tetrarchiam

1035. I. ... git *ibid.* VIII. Eos punit de impietate in Christum *ibid.* In Italiam bellis civilibus laceratam pergit *ibid.* IX & 1036. I. Italicos compescit 1037. I. Tres Episcopos exilio mulctat *ibid.* II. Parmenses rebelles punit 1038. I. Dissensiones Italiæ sedat *ibid.* Romam pergit *ibid.* II. Pandulphum Capuanum Principem deponit *ibid.* III. In Burgundiam petit & Henricum filium Burgundiæ Regem dicit *ibid.* V. Moritur 1039. I.

Conradus Burgundiæ Transjuranæ Rex moritur 993. IX.

Conradus Comes Montisferrati Saladinum vincit 1189. VI. Fit Rex Jerosolymorum *ibid.* VII. Occiditur 1192. VI & *seq.*

Conradus Austrasiæ Dux in Synodo Tremoniensi ob nuptias cum Mathilde in gradu prohibito pactas ab Henrico Germaniæ Rege objurgatur 1005. I & *seq.* Ejus Genealogia explicatur *ibid.* III. Plures Episcopi ejus illicitis nuptiis favent *ibid.* IV. Conradus ex Ludgarda Ottonis M. filia, non verò ex Ludolfo ejusdem Imp. filio originem ducebat *ibid.* III. Moritur *ibid.* & 1070. XIV.

Conradus superioris filius proponitur pro Rege Germaniæ cum Conrado Salico 1005. III & 1024. VI. In Conradum Regem rebellat & in gratiam recipitur 1027. III. Carentanorum Dux creatur *ibid.*

Conradus Henrici III. Imp. & Agnetis filius nascitur 1052. XVIII. Moritur 1056. I.

Conradus Henrici IV Imp. filius in patrem rebellat & quare 1093. II. Mediolani Rex coronatur *ibid.* Ejus virtutes 1099. XIX. Rogerii Siciliæ Ducis filiam uxorem duxit *ibid.* Cum ea castè vixisse creditur *ibid.* Quo anno mortuus sit 1100. XXI. & *seqq.* & 1101. III & *seq.*

Conradus Franconiæ Dux ad regnum Germaniæ aspirat 1125. IX. à quibusdam contra Lotharium II eligitur *ibid.* X. De tumultibus excitandis cogitat *ibid.* XI. Ab Honorio II. PP. excommunicatur *ibid.* X. Pergit in Italiam 1128. XII. ab Anselmo Archiep. Mediolanensi Rex coronatur *ibid.* XIII. à S. Bernardo Episcopo Parmensi excommunicatur & quo anno 1130. XLIX & *seq.* Cum Lothario Imp. reconciliatur 1135. XII. Germaniæ Rex eligitur 1138. VI & 1139. I & *seq.* Annus & dies ejus electionis 1139. I & *seqq.* à S. Bernardo Crucem accipit pro expeditione in Terram sanctam 1146. XI. In Orientem proficiscitur 1147. II. Exercitum pene totum amittit *ibid.* III. à Turcis male habetur *ibid.* XII. Constantinopolim pergit 1148. I. In Germaniam redit 1149. I. Moritur 1152. III. Fridericum nepotem post se eligi suadet prætcrito Friderico filio *ibid.*

Conradus Alemanniæ Dux cum Friderico Imp. Patre in Orientem proficiscitur ad Terræ sanctæ auxilium 1189. VIII. Moritur 1190. XVII.

Consecratio ex contactu an fieri possit examinatur 1192. XVII & *seqq.*

Consentia à Saracenis capitur & flammis traditur 965. XIX & 1009. VII.

Constantia nubit Roberto Regi Francorum 998. V. Post annum millesimum conjugium illud peractum *ibid.* X. Constantia filia fuit Willelmi I. Provinciæ seu Arelatensis Comitis *ibid.* V & *seqq.* Ei apparet S. Savinianus primus Episcopus Senonensis eamque solatur 1018. XI. Constantiæ erga S. Savinianum devotio *ibid.* XII. Constantia Hugone filio Rege mortuo Robertum filium Juniorem Regem dici peroptat 1028. IV. Moritur 1053. X.

PP. Augusta coronatur 1191. II. à Tancredo Siciliæ Rege captiva detinetur *ibid.* VI & IX. In libertatem restituitur 1192. XIV. In Germaniam rediens Romæ ingressum declinat *ibid.* XV.

Constantia Alphonsi Aragoniæ Regis filia Emerico Hungariæ Regi nupta fuit 1190. XXV.

Constantiensis Synodus 1043. VI.

Constantiensis altera Synodus à Gebehardo Constantiensi Episcopo celebratur 1094. III.

Constantinopolitana Synodus adversus Constantini Chrysomali hæreses 1140. XXV.

Constantinopolitanus Patriarcha à Romano Pontifice petit, ut Ecclesia Constantinopolitana dicatur universalis sicut Romana 1024. II.

Constantinus Lichnudes fit Patriarcha Constantinopolitanus & quo anno 1059. XII & *seq.* Moritur 1066. X. In ejus laudem Michael Psellus orationem composuit *ibid.*

Constantinus Chiliarenus Patriarcha Constantinopolitanus Lucam Chrysobergem successorem habet 1155. XII.

Constantinus Romani Jun. Imp. filius patri succedit 964. IV. Mortuo Joanne Tzimisce imperium init 975. XIV. Mortuo Basilio Imp. fratre solus imperat 1025. VIII. Ejus pravi mores *ibid.* Constantinus Conradi Salici Imp. Legatum suscipit & ad eum rescribit 1027. IV. Cogit Romanum Argyrum, ut uxore repudiata Zoen filiam uxorem accipiat 1028. XI. Moritur *ibid.*

Constantinus Monomachus exilio revocatur & fit Imperator 1042. IV. Uxorem ducit & coronatur ab Alexio Patriarcha *ibid.* Ejus tempore Ecclesia Græca à Latina nondum divisa erat 1053. XI. Constantinus Humberti Legati Apostolici responsionem ad Michaelis Cerularii calumnias Græcè edi curat *ibid.* XII. Legatis S. Leonis PP. adhæret *ibid.* XIII. Affines & amicos Michaelis Cerularii è Palatio ejicit *ibid.* Constantini virtutes 1054. VII. Constantinus moritur *ibid.* VIII.

Constantinus Ducas fit Imperator 1059. XVIII. Moritur 1067. VI.

Constantinus Michaelis Calaphatæ Imp. frater nobilissimus dicitur 1042. III. Oculis privatur & in monasterium relegatur *ibid.* IV.

Constantinus Afer Monachus Casinensis floret 1087. XIII.

Constantinus Chrysomali hæreses in Synodo à Leone Stypita Patriarcha CP. coacta damnantur 1140. XXV. Ejus absurdæ hæreses recensentur *ibid.* XXVI & *seq.* Ejus libri comburuntur *ibid.* XXIX.

Corduba à Christianis Hispaniæ expugnatur 1058. XII. Ab Alphonso VII Hisp. Imperatore capitur 1146. XXVI & *seq.*

Corsica Metropoli Pisanæ subjicitur 1118. X & *seq.*

Cosmas succedit Joanni Xiphilino in Patriarchatum CP. 1080. XVII. Alexium Comnenum & Irenem ejus uxorem coronat *ibid.* Episcopatum abdicat 1086. IX.

Cosmas Atticus fit Patriarcha Cpolitanus 1146. XVI. Ob Bogomilorum hæresim sede pellitur *ibid.*

Cotarelli hæretici in Septimania grassantur 1177. XVI & *seq.* In Francia flammis addicuntur 1183. VII & *seq.* Manichæorum erroribus infecti erant *ibid.* VIII.

Cremenses Legatos Friderici Imp. pellunt 1159. III. Crema à Friderico evertitur 1160. XIII.

Cremonenses inter & Mediolanenses bellum ardet 1136. V & VII. à Robaldo Archiepiscopo Mediolanensi excommunicantur *ibid.* V. Cremonensium excommuni-

nicationem solvit Innocentius PP. *ibid.* VII. Cremonenses domantur à Friderico Imp. 1186. VI.

Crescentius Theodoræ filius Benedictum VI Papam occidi curat 974. I.

Crescentius Numentanus Romæ tyrannidem exercet & à quo tempore 996. V. Ejus consilio Joannes Placentrinus Episcopus fit Antipapa 997. V. Ab Ottone III in arce inclusus expugnatur & decollatur 998. XVIII *& seq.*

Cresimirus Petrus Dalmatiæ & Croatiæ Rex 1062. VII & 1068. III. Ejus mortis annus incertus 1073. XVI.

Croatia Græcorum imperio subjicitur 1021. III.

Croatia Dalmatiæ unita proprio Regi paret 1062. VII. & 1068. III.

Croatiæ Reges dicti etiam Slavorum Reges 1068. III.

Croatæ universum Illyricum infestant 1073. XV.

Croatia à Ladislao Hungariæ Rege occupatur 1077. XV.

Crucesignati in Orientem pergunt 1096. IX. Eorum exercitus prima pars à Turcis male habetur *ibid.* X *& seq.* Secunda pars male etiam habetur *ibid.* XII.

Crucesignati Nicæam capiunt & Antiochiam obsident 1097. XV. Antiochiam expugnant 1098. VII. Jerosolymam pergunt 1099. X. Eam obsident & capiunt *ibid.* XI.

Crucesignati Longobardiæ, Genuæ & Aquitaniæ in Terram sanctam proficiscuntur 1101. VI *& seq.*

Crucesignati in Oriente à Turcis male habiti 1102. VI. Tortosam in Syria capiunt *ibid.* Ptolemaidem occupant 1104. XIX.

Crucesignati alii in Terram sanctam proficiscuntur 1106. VII. Tripolim capiunt 1109. XV. Saracenos vincunt 1123. XV. à Saracenis vincuntur 1130. XLV. Edessâ à Turcis pelluntur 1144. XIV *& seq.* Legationem ad Eugenium PP. mittunt & Christianorum Principum auxilium implorant 1145. VII.

Crucesignatorum exercitus in Galliis congregatur 1146. III *& seqq.* Crucesignati à Turcis & Græcis male habiti 1147. III & XII.

Crucesignati alii in Hispaniam pergunt 1147. XX. multa oppida capiunt *ibid.* XX *& seqq.* Crucesignati Saxoniæ in Slavos pugnant *ibid.* XXVIII *& seq.* Eorum militaris tessera *ibid.* XXIX. Crucesignatorum Galliæ & Germaniæ expeditio parum fausta 1148. I. & 1149. I. Crucesignati Ascalonam expugnant 1153. XIX. In Syria ad summas angustias rediguntur 1163. IX. à Noradino male habentur 1164. XXV *& seqq.* Præclaram de Saladino victoriam reportant 1177. XXII. Castrum Harenc obsident *ibid.* & 1178. VI Obsidionem solvunt 1178. VII. à Saladino male habentur 1180. II. inducias cum Saladino rumpunt 1187. II. Ab eo profligantur *ibid.* III. *& seqq.* Jerosolymam amittunt *ibid.* IX. Eis post hanc cladem tres tantum urbes remanent *ibid.* X. Saladino fortiter resistunt 1189. VI *& seq.* Valde inter se discordant 1192. V *& seq.* Crucesignatorum Alemanniæ expeditio infelix 1197. IV.

Crux Domini à Turcis capitur 1187. IV.

S. Cunegundis S. Henrici Germaniæ Regis & postea Imp. uxor Regina coronatur 1002. VI. Virginitatem in conjugio servavit *ibid.* à Benedicto VIII coronatur Augusta 1014. I. S. Henricum maritum mortuum Sanctimonialium monasterii Confugiensis à se fundati precibus commendat 1024. IV. Moritur 1040. I. Bambergæ sepelitur *ibid.* II. Ab Innocentio III Canonizatur *ibid.* Post mariti mortem facta est Sanctimonialis monasterii Confugiensis *ibid.* I *& seq.*

Cyperani Concilium à Paschali II PP. celebratur 1114. II.

Cypri regni exordium 1191. XI.

Cyriacus Carthaginensis Episcopus verberibus nudus cæditur 1073. XIII. Ejus constantiam laudat Gregorius VII PP. *ibid.* Ad eum scribit idem Papa 1076. VII.

D.

Daimbertus Senonensis Archiepiscopus electus consecrari prohibetur ab Hugone Lugdunensi antequam primatum ejus recognoscat 1079. VIII & 1099. I *& seq.* Daimbertus id recusat 1079. VIII. & 1099. II. Ab Urbano II Romæ ordinatur 1099. III. Lugdunensis Ecclesiæ Primatum agnoscit *ibid.* V.

Dalmatia duobus Metropolibus decorata 1062. VI. Proprio Regi paret *ibid.* VII & 1068. III. Imperio Græcorum onitur 1062. VII.

Dalmatiæ Reges dicti etiam Sclavorum Reges 1068. III.

Dalmatia à Venetis occupatur 1077. XV.

Damascum Joanni Taimisei Imp. deditur 975. VII.

Damasus II. antea dictus Poppo Brixinensis Episcopus fit Pontifex Romanus & moritur 1048. I.

Danegildum tributum Anglis impositum usque ad medium seculum undecimum duravit 991. V.

Dani in Angliam irrumpunt 980. VII. 981. IV & 982. I. Anglos ad censum solvendum cogunt 986. V & 991. V. Angliam devastant 993. X. cum Anglis pacem faciunt 994. IV. Angliam vexant 1000. VII. Dani omnes una die in Anglia nefariè trucidantur 1002. XI *& seq.* Angliam vastant 1003. V. Exestriam funditus evertunt *ibid.* Eboracum, Cantuariam & Londoniam capiunt *ibid.* Angliam vexare non desinunt 1004. VII. In eam ad deprædandum iterum revertuntur 1006. III. Angliam sibi tributariam reddunt 1007. III. in eam iterum irrumpunt 1009. VIII. Angliam ad summas angustias reducunt 1010. III. Cantuariam obsident & diripiunt 1011. III. Crudeliter in Cantuarienses sæviunt *ibid.* IV. S. Elphegum Cantuariensem Archiep. capiunt & male habent *ibid.* Ab eo mitiores redduntur *ibid.* V. Eum crudeliter occidunt 1012. IV. Cum Anglis pecuniâ acceptâ pacem faciunt *ibid.* V. Angliam occupant 1013. III *& seqq.*

Daniæ Episcopi Hamburgensi Archiepiscopo subjiciuntur 1133. XX.

Dani Crucem accipiunt & in Slavos pugnant 1147. XXVIII *& seq.*

Dapiferi dignitas in Francia eadem cum dignitate Senescalli seu Majoris Domus 1127. XIV.

Datus Archiepiscopus Mediolanensis nullum Chronicon composuit 1045. XI.

Datus Chronographus Mediolanensis Auctor personatus 1045. XI. Chronico ei attributum est Landulphi senioris Historici Mediolanensis *ibid.*

David Bulgariæ Archiepiscopus à Maria Regina ad Basilium Imp. mittitur 1018. VII.

David Alexandro fratri in regnum Scotiæ succedit 1124. XXII. Anacleto Antipapæ contra Innocentium II adhæret 1130. XXVIII.

Mathildis quondam Imperatricis contra Stephanum Angliæ Regem defensionem suscipit 1136 XIV. Stephano Regi bellum infert *ibid.* XV. Cum exercitu in Angliam intrat & multa nefanda patrat 1138 VIII. Cum Anglis pugnat *ibid.* IX. Memorabili clade afficitur *ibid.* X. Albericum Cardinalem Innocentii Papæ legatum suscipit *ibid.* XII. Cum Stephano Rege pacem facit 1139. XIX Moritur 1153. X. Ejus virtutes *ibid.*

Daymbertus Pisanus Archiepiscopus Ademaro Podiensi Episcopo mortuo fit Legatus Apostolicus in exercitu Crucesignatorum 1099. XIII. Jerosolymorum Patriarcha eligitur *ibid.* Moritur 1107. X.

Decima Saladina dictæ in Concilio Parisiensi instituuntur 1188. IV.

Decretum juris ab Ivone Carnotensi Episcopo compositum 1117. XV.

Decretum juris Canonici à Gratiano editur 1151. X.
Decretalium quintæ collectionis Auctor Tancredus Archidiaconus Bonnniensis 1185. II.
Deodericus Episc. Metensis, *vide*, Theodericus.
Deoduinus seu Theotuinus Leodiensis Episcopus adversùs Brunonem Episcopum Andegavensem & Berengarium scripsit ad Henricum Franciæ Regem 1035. III & 1050. XIX.
Desiderius postea Casinensis Abbas & Papa sub nomine Victoris III in monasterio Cavensi Monachum induit 1050. XXVI. à Nicolao II PP. fit Cardinalis 1059. I. inter Robertum Calabriæ Ducem & Jordanem Capuæ Principem pacem conciliat 1074. VIII. à Gregorio VII successor in sedem Romanam designatur 1085. VI. Invitus Papa eligitur 1086. I. Consecratur 1087. II. Exercitum in Africam contra Saracenos mittit *ibid.* II *& seq.* Synodum Beneventi celebtat *ibid.* IV & VII. Eum calumniantur Hugo Episc. Lugdunensis, Richardus Massiliensis & Hugo Flaviniacensis Abbates *ibid.* IV, VI *& seq.* Calomniis purgatur *ibid.* V. Hugonem Lugdunensem & Richardum Massiliensem à fidelium communione suspendit *ibid.* VII. Moritur *ibid.* Nomen ejus martyrologio Benedictino inscriptum est *ibid.* Ante mortem Cardinales hortatur ut Ottonem Ostiensem Episcopum Papam eligant *ibid.*
Dialectici in Reales & Nominales dividuntur 1091. XIII & IIII. VII.
Dictatus Gregorii VII Regesto insertus ei suppositus 1077. VIII.
Dietmarus fit primus Episcopus Pragensis 967. XV. à Willelmo Moguntino Archiepiscopo consecratur *ibid.* Moritur 983. XIII.
S. Dionysii Parisiensis Episcopi manus Henrico Aucupi Germaniæ Regi datur 1052. VII. S. Dionysii corpus se invenisse fingunt Monachi Ratisponenses *ibid.* VIII. Fictæ huic inventioni Franciæ Regis Legati ex occasione adsunt *ibid.* IX *& seq.* S. Dionysii Reliquiæ in Sandionysiano monasterio repertæ *ibid.* XI. Literæ Leonis IX judicantis S. Dionysii Reliquias fuisse in Germania, à Monachis Ratisponensibus confictæ *ibid.* XII. S. Dionysii & sociorum Reliquiæ transferuntur 1444. XII *& seq.* S. Dionysii Ecclesia præsente Ludovico VII Franciæ Rege dedicatur 1140. XXI.
Dionysius Cardinalis Romæ in Sanctum Arialdum invehitur 1057. XI & 1058. III.
Divionense Concilium à Guidone Archiepiscopo Viennensi Apostolicæ Sedis Legato celebratur 1115. IV.
Doda Godefridi Barbati Lotharingiæ Ducis prima uxor 1070. VI. Ex eo genuit Godefridum Gibbosum & Beatam Idam *ibid.* VI *& seq.*
Dolensis Synodus à Girardo Engolismensi Episcopo Sedis Apostolicæ Legato celebratur 1128. XXVII.
Dolensis Episcopus in Britannia Minori de jure Metropoleos contendit cum Archiepiscopo Turonensi 1182. I *& seqq.* Causa in favorem Turonensis eandem decisa *ibid.* V.
Domestici dignitas apud Græcos quid significaret 962. VIII.
S. Dominicus Abbas juxta Soram in Italia moritur 1031. II.
Dominicus Abbas Calciati floret in Hispania 1054. XII. Garsiam Navarræ Regem cum Ferdinando Castellæ Rege fratre conciliare frustra tentat *ibid.* Quo anno mortuus sit 1125. XVIII.
S. Dominici de Calciata urbs fundatur 1125. XVIII.
Donus II fit Pontifex Romanus 974. I. Moritur 975. I. Diuturnior Pontificatus ei perperam assignatus *ibid.* IV.
Dositheus Patriarcha Jerosolymorum Græcorum fit Patriarcha Cpolitanus 1191. XVI. Abdicat *ibid.* & 1193. X.
Drogo Matisconensis Episcopus jus sibi in monasterium Cluniacense arrogans repellitur 1062. IV. Ejusdem monasterii privilegia confirmat in Synodo Cabilonensi *ibid.*
Drogo fit primus Abbas monasterii S. Joannis Laudunensis ex eo ejectis monialibus 1128. XVIII. Ab Innocentio II dictus est Cardinalis & Episcopus Ostiensis *ibid.*
S. Drogo Reclusus in Hannonia combustâ cella non comburitur. 1058. XIV.
Dublinense Concilium à Viviano Cardinali Apostolicæ Sedis Legato celebratur 1183. IX *& seq.*
Dulcia Gilberti Comitis Provinciæ & Gerbergæ filia Raimundo III Comiti Barcinonensi nubit 1112. X *& seq.*
S. Dunstanus Cantuariensis Archiepiscopus Regulam composuit pro uniformi ritu servando in omnibus Angliæ monasteriis 966. VI. Edgarum Angliæ Regem coronat 973. VII. Eo mortuo Eduardum ejus filium in Regem ungit 975. XVII. Ethelredum ejus fratrem Regem consecrat 978. V. Moritur 988. III.
Durandus Leodiensis Episcopus quo anno dictus 1035. III. Quo anno mortuus *ibid.* I. Non scripsit adversùs Brunonem Andegavensem Episcopum & Berengarium *ibid.*
Durandus Troarnensis Abbas floret 1050. VIII. Composuit libellum de corpore & Sanguine Christi *ibid.* Moritur 1088. XIV.

E.

EAdgarus Malcolmi III & S. Margaritæ filius fit Rex Scotiæ 1093. IX. Quo anno 1124. XXII. Quo anno mortuus *ibid.*
Eadmerus S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi Vitam scripsit 1109. IV. Libros VI Novorum absolvit 1122. IX.
Ebalus succedit Willelmo de Campellis in Episcopatum Catalaunensem 1121. XII. Quo anno mortuus sit 1129. IX.
S. Eberhardus Archiepiscopus Salzburgensis stat à partibus Alexandri III contra Victorem Antipapam 1160. V. Moritur 1164. XX.
Eberhardus Brunoni succedit in Episcopatum Augustensem 1029. V.
Eboracensis Ecclesia declaratur libera à professione quam Archiepiscopus Cantuariensis petebat 1120. V. Mortuo Turstino Archiepiscopo in duas partes scinditur 1140. XV *& seqq.*
Eboracense Concilium ab Huberto Cantuariensi Archiepiscopo Apostolicæ Sedis Legato celebratur 1195. III.
Ebulus laicus fit Archiepiscopus Remensis 1024. II. Ejus ordinatio à Fulberto Carnotensi Episcopo non improbatur *ibid.*
Ebusus insula à Pisanis & Raimundo III Comite Barcinonensi Saracenis eripitur 1114. XII *& seq.*
Ecclesia Africana in finem vergit 1053. XIV. penitus destruitur 1149. VIII *& seq.*
Ecclesia Græca Constantini Monomachi Imp. tempore à Latina nondum divisa 1053. XI. Ejus schismatis origo *ibid.* XII *& seq.* & 1054. I *& seq.*
Edessa à Turcis capitur 1144. XIV *& seq.*
Edgari Angliæ Regis pietas 966. V. Edgarus Concilium Vintoniæ cogi jubet & sanctionem publicat pro uniformi ritu servando in monasteriis Angliæ *ibid.* VI. Concilium Anglicanum contra Clericorum incontinentiam celebrari curat 970. VII. Patres Concilii alloquitur *ibid.* VIII. Edgari septennalis pœnitentia ad quod tempus pertineat *ibid.* IX. Wlfridam è monasterio abstrahit & thoro suo collocat *ibid.* Ex ea S. Editham genuit *ibid.* Monasteria Glastoniensis monasterii

ſteria confirmat 971. I & *ſeq.* Angliæ Rex coronatur à SS. Dunſtano & Oſwaldo 973. VII. Vicinos Principes in obſequium trahit *ibid.* Moritur 975. XVII.

Edgarus cognomento Ethelin Eduardi filius ad regnum Angliæ poſt S. Eduardi confeſſoris mortem aſpirat 1066. IV Ex Anglia fugit 1067. VIII. S. Margaritam ſororem Malcolmo III Scotiæ Regi in conjugium dat *ibid.* VIII & *ſeq.*

S. Editha Alfredi Angliæ Regis ſoror ſanctimonialis 984. VII.

S. Editha Eduardi ſenioris Angliæ Regis filia Sanctimonialis 984. VII.

S. Editha Edmundi Angliæ Regis filia Sanctimonialis 984. VII.

S. Editha Edgari Angliæ Regis & Wlfridæ filia 970. IX. Moritur 984. VII. Fuit Sanctimonialis *ibid.*

Edmundus Ethelredi Angliæ Regis filius Canuto in Angliam irrumpenti fruſtrà ſe opponit 1015. I & *ſeq.* Ethelredo patre mortuo à parte Anglorum Angliæ Rex ſalutatur 1016. II. Regnum cum Canuto dividit *ibid.* III. Moritur *ibid.* IV.

Edricus Dux Aethelſtanum Ducem nefariè occidit 1006. III. Duo ejus filii Ethelredi Angliæ Regis juſſu excæcantur in hujus cædis ultionem *ibid.* Ab Ethelredo fit Mercionum Dux 1007. III. Patriæ proditor fuit *ibid.* & 1009. VIII. Ad Canutum Regem contra Ethelredum deficit 1015. I. Mortis Edmundi Regis auctor perhibetur 1016. IV.

S. Eduardus cognomento Martyr à SS. Dunſtano & Oſwaldo Angliæ Rex ungitur 975. XVII. Ab Elfrida noverca occiditur 978. V & *ſeq.* Miraculis coruſcat *ibid.* Martyr appellatur *ibid.* Crebreſcentibus miraculis corpus ejus cum magna Pompa transfertur 982. II.

S. Eduardus cognomento Confeſſor Ethelredi Angliæ Regis & Emmæ filius cum matre in Normanniam fugit 1015. V. Ab Haraldo Angliæ Rege conficta Emmæ matris Epiſtola accerſitus non venit 1036. VIII. Ad Emmam matrem in Flandriam pergit 1039. VI. Cum Hardecanuto fratre in Angliam proficiſcitur *ibid.* VII. Angliæ Rex eligitur 1043. III. Coronatur *ibid.* Emmam matrem ſuppellectili ſpoliat *ibid.* IV. Eo regnante multa inordinate facta *ibid.* V. Eduardus Godwini Comitis filiam uxorem ducit & cum ea caſtè vivit 1020. IV & 1045. V. Emmam matrem propter incontinentiam carceri non mancipavit 1047. X & *ſeq.* Epiſcopum unum & Abbates duos ad Concilium Remenſe mittit 1049. X I.

S. Eduardus Angliam vectigalem Daniæ Regi non reddidit 1050. XXIII. à S. Leone PP. vom Romam eundi diſpenſatur 1051. V. Weſtmonaſterienſe monaſterium reſtituit *ibid.* Malcolmum Scotiæ Regem dicit 1054. XI. Eduardum Edmundi fratris filium in Hungaria exulem repetit *ibid.* Eum ſucceſſorem conſtituere cogitat *ibid.* & 1057. VIII. Aldredum Archiepiſcopum Eboracenſem Romam cum aliis duobus Epiſcopis mittit 1059. VII & *ſeqq.* à Nicolao PP. privilegium recipit *ibid.* VIII. Willelmum Normanniæ Comitem ſucceſſorem deſignat 1065. V. Conventum Londini celebrat *ibid.* VI. Moritur 1066. II. in Sanctorum numerum relatus eſt *ibid.* Ab eo Reges Angliæ habent quod ſcrophulas curent *ibid.* III.

Eduardus Edmundi Angliæ Regis filius Agatham Henrici II Imp. filiam uxorem duxit 1016. IV & 1054. XI.S. Margaritam ex ea ſuſcepit 1054. XI. in Angliam venit à S. Eduardo Rege vocatus 1057. VIII. Moritur *ibid.*

Egbertus Schonaugienſis Abbas S. Elizabethæ ſororis vitam ſcribit 1163. XI. Alia ejus Opera *ibid.*

Egilbertus Trevirenſis Archiepiſcopus Uratislaum Bohemiæ Ducem Regem coronat 1086. X. Quo anno mortuus ſit 1104. XI.

Einshamenſis in Anglia Synodus 1009. VIII.

Electores ſeptem non ſunt inſtituti in Synodo Romana ſub Gregorio V PP. 996. X. Electorum jus à Romano Pontifice emanat *ibid.* XI. Electores ſeptem Friderico II imperante inſtituti *ibid.* XIII. Non ſine contradictione *ibid.* XIV. Electorum ſeptenarius numerus circa medium ſeculum XIII prævaluit *ibid.* XV. Electorum nulla mentio in Concilio Lugdunenſi *ibid.* XVI. proceres Germaniæ non ſeptem Electores Conradum Salicum elegêre 1024. V.

Eleonora Willelmi IX Aquitaniæ Ducis filia Ludovico VII Francorum Regi nubit 1136. IX & XI & 1137. XXI. Ab eo repudiatur 1151. III & *ſeq.* Nubit Henrico Andegavenſi Normanniæ duci & poſtea Regi Angliæ *ibid.* IV. Plures filios & filias ex eo genuit *ibid.* Scribit ad Cæleſtinum III PP. pro liberatione Richardi Angliæ Regis filii ſui 1193. V. Iterum ſcribit ad eumdem papam 1194. X.

Elfrida Edgari Angliæ Regis ſecunda uxor S. Eduardi noverca Ethelredum filium ad ſolium Angliæ evehere tentat 975. XVII. S. Eduardum occidit 978. V & *ſeq.* duo monaſteria conſtruit & pænitentiam agit. 982. II.

S. Elgiva Edgari Angliæ Regis mater moritur 972. VIII.

S. Elizabetha Abbatiſſa Schonaugienſis moritur 1165 XI. Vita ejus ab Egberto fratre ſcripta *ibid.*

Elizabetha Balduini Comitis Hannoniæ filia Philippi Auguſti Franciæ Regis uxor coronatur 1180. VI. Moritur 1190. II.

Elphegus Archiepiſcopus Cantuarienſis Einshamenſem Synodum celebrari curat 1009. VIII. Decreta ab Elphego condita in ea Synodo leguntur *ibid.* Ejus vitæ primordia & Epiſcopatus initium 1011. III. Elphegus à Danis capitur & crudeliter vexatur *ibid.* III & *ſeq.* Miraculum patrat *ibid.* V. à Danis occiditur 1012. IV. Ejus corpus à Canuto Angliæ & Daniæ Rege è tumulo levatur 1020. III.

Elvira Ferdinandi M. Caſtellæ Regis filia urbe Tauro à patre donatur 1065. III.

Emericus Belæ III patri in Hungariæ regnum ſuccedit 1190. XXV. Conſtantiam Alphonſi Aragoniæ Regis filiam uxorem duxit *ibid.*

Emma Lotharii quondam Italiæ Regis filia nubit Lothario Francorum Regi 966. III. Adulterii cum Aſcelino Laudunenſi Epiſcopo inſimulata à Ludovico filio male habetur 986. I.

Emma Richardi Normanniæ Ducis filia Ethelredo Angliæ Regi nubit & in Angliam appellit 1002. XI. Angliâ jà Danis occupatâ in Normanniam cum filiis fugit 1013. V. Canuto Angliæ Regi poſt Ethelredi mortem nubit 1017. V. in Eccleſias & monaſteria eſt munifica 1020. III. Aelfredo filio ab Haraldo Angliæ Rege occiſo in Flandriam ſecedit 1037. V. à Balduino Flandriæ Comite honorifice ſuſcipitur *ibid.* Herdecanutum & Eduardum filios ad ſe vocat 1039. VI. Haraldi Regis mortis nuncium accipit *ibid.* In Angliam reditum parat *ibid.* VII. Ab Eduardo Rege filio ſuppellectili ſpoliatur 1043. IV. Cum Alfuino Vintonienſi Epiſcopo incontinentiæ falsò accuſatur 1047. X & *ſeq.* Moritur 1052. XVII.

Enneco Oniæ Abbas floret in Hiſpania 1054. XII. Garſiam Navarræ & Ferdinandum Legionis & Caſtellæ Reges fratres conciliare fruſtra tentat *ibid.*

Enſiferorum militia, *vide*, Gladiferorum militia.

Eon hæreticus damnatur in Concilio Remenſi ſub Eugenio III PP. 1148. VI & IX.

S. Epiphanii Ticinenſis Epiſcopi Reliquiæ Ticino Hildesheimium transferuntur 963. XIII. An ea Tranſlatio juſta *ibid.* XIV.

Epiſcopi plures Germaniæ juriſdictionem civilem in ſuis urbibus obtinent 988. I. Epiſcoporum juriſdictio civilis limites ſuos habebat *ibid.* II. Epiſcopi habebant Advocatos qui civilibus judiciis præſidebant *ibid.*

Episcopi Remensis diœceseos ad Joannem XV PP. scribunt contra Arnulphum Remensem Archiep. 990. IV & 991. I & *seq.* Episcopi ejusdem provinciæ contra bonorum Ecclesiasticorum pervasores Synodum celebrant 992. III.

Episcopi qui Arnulphum Remensem deposuerant à sacris abstinere jubentur à Joanne XV PP. 994. I. Legatum ad eum mittunt *ibid.*

Episcopi seculo undecimo Cardinales non creabantur 1048. V.

Episcopi plures illustres in Gallia florent 1098. V.

Episcopi Africæ & Hispaniæ Saracenicæ post Almorabidarum destructionem fuêre tantum titulares 1149. IX.

Equitum Hospitalariorum institutio 1099. XIV. facta fuit sub patrocinio S. Joannis Baptistæ *ibid.* XV & *seqq.* Equites Hospitalarii Privilegium ab Anastasio IV obtinent 1155. VII. illud privilegium causa dissidii eorum cum Clero Jerosolymitano *ibid.* VIII. Willelmus Tyrius Equitibus Hospitalariis parum æquus *ibid.* VIII & *seq.*

Equitum Templariorum ordo ab Hogone de paganis & Godefrido de S. Audomaro instituitur 1118. XXII. iis Regula datur in Concilio Trecensi 1127. XI & *seq.* Templarii Raimundo IV Comiti Barcinonensi cedunt jus suum in Aragoniæ regnum 1141. XIV.

Equitum S. Sepulchri ordo militaris in Aragonia instituitur ab Alphonso Rege 1120. XXVIII. Equires S. Sepulchri magnam sibi gloriam pariunt in prælio contra Saracenos ad Pennecadel 1125. XVII.

Era secundum Evangelium annis XXII Dionysianam antecedit 1098. XIII.

Erchembaldus Turonensis Archiepiscopus conjugii Roberti Francorum Regis cum Berta consecratore à Romano Concilio à sacra communione suspenditur 998. IV Ad sedem Apostolicam pergit & pœnitentiam suscipit *ibid.*

S. *Erhardus* Episcopus à S. Leone IX papa canonizatur 1052. III.

Ericus cognomento *Bonus* fit Daniæ Rex 1092. IX Lundensem Archiepiscopatum fundat *ibid.*

S. *Ericus* Daniæ Rex S. Henrici Upsalensis Archiepiscopi magnus amicus 1151. VII. Martyrium patitur *ibid.* VIII. Annus & dies ejus martyrii *ibid.*

Ermengaudus Urgellensis Comes adversus Saracenos infeliciter pugnat 1010. I. Testamentum condit & bona inter Ecclesiam & monasteria distribuit *ibid.* Occiditur *ibid.*

Ermengaudus Urgellensis Comes fœdus iniit cum Raimundo Barcinonensi Comite adversus Alchagibum Saracenum Cæsaraugustæ ducem 1058. XV. iterum fœdus init cum eodem Raimundo 1064. IX. Barbastreose castrum Saracenis eripit & cum eis pugnans occiditur *ibid.*

S. *Ermenoldus* Abbas Prufemingensis prope Ratisponam occiditur 1121. X.

Erualdus Magister militiæ Templi à Balduino IV Jerosolymorum Rege in Occidentem mittitur pro subsidio Terræ Sanctæ 1184. V. Veronæ moritur 1185. VII.

Eskylus Lundensis Archiepiscopus Daniæ Primas floret 1152. XIII. Româ rediens in Germania capitur & spoliatur 1157. III. Monachum induit 1177. XIII. Moritur 1181. XIV.

Ethelredus occiso S. Eduardo Rege fratre Angliæ Rex coronatur 978. V & *seq.* & 979. I. Ab Episcopo Roffensi argenti summam extorquet 986. V. Danis censum solvere cogitur *ibid.* & 991. V. Joannis XV PP. operâ cum Richardo Normanniæ Duce pacem facit 990. I. Cum Danis pacem init 994. IV Cambriam populatur 1000. VII. Emmam Richardi Normannorum ducis filiam conjugem accipere cogitat *ibid.* VIII. Eam accipit 1002. XI. Omnes Danos qui in Anglia erant proditoriè occidi curat *ibid.* Ex ea carnificina *Ignavi* nomen sortitur *ibid.* XII. Angliam devastantibus Danis perpetuam cum Richardo Normanniæ Duce pacem facit 1003. V.

Angliam Danis tributariam reddit 1007. III. Edricum Merciorum Regem constituit *ibid.* Einshamensem Synodum celebrat 1009. VIII. Indignam cum Danis pacem facit 1012. V. Angliâ à Suenone Daniæ Rege occupatâ in Normanniam fugit 1013. V. Emmam uxorem in Normanniam cum filiis antea mittit *ibid.* Mortuo Suenone Eduardum filium cum Legatis ad Anglos dirigit 1014. VI. in regnum restituitur *ibid.* Canutum Suenonis filium in patriam redire compellit *ibid.* Nobilissimos duos Danorum viros occidi jubet 1015. I. in Canutum Angliam depopulantem procedere non audet *ibid.* Moritur 1016. I.

S. *Ethelwoldus* Vintoniensis Episcopus S. Swithuni Vintoniensis pariter Episcopi Reliquias transfert 970. X. Monasteria reformat *ibid.* Moritur 984. VI. Ecclesia Anglicana ei debèt monasticæ vitæ restitutionem *ibid.*

Etic fit Episcopus Augustensis 983. II.

De Eucharistia fides Catholica sancitur in Cameracensi Synodo antequam Berengarius hæresim suam publicaret 1025. X.

Eucharistia per intinctionem dari prohibetur à Concilio Claromontano 1095. VI. Necessitatis casus excipitur *ibid.* VI & *seq.* Eucharistia sub solo panis symbolo datur *ibid.* VIII.

Eucharistiæ ingens miraculum in Thuringia 1192. XVI.

Eudocia Constantini Duca Imp. marito mortuo cum filiis imperat 1067. VII. Romano Diogeni nubit 1068. V. Ab eo spernitur *ibid.* V & *seq.* in monasterium relegatur 1071. VIII.

Everuinus Steinfeldensis Canonicus prope Coloniam contra quosdam Hæreticos ad S. Bernardum scribit 1146. XVII.

Eugenius III fit Pontifex Romanus 1145. III. Româ fugit & consecratur in monasterio Farfensi *ibid.* IV & *seq.* Romam redit *ibid.* IV. Orientalium legationes suscipit *ibid.* VII & *seq.* Rolandum Paparonem postea Papam Alexandrum III dictum Cardinalem creat *ibid.* XI. Ludovicum VII Franciæ Regem ad profectionem in Terram sanctam sollicitat *ibid.* XII. Iterum Româ fugit 1146. I. in Franciam venit *ibid.* II. Samsonem Archiep. Remensem Pallii usu privat & quare *ibid.* VII. Tornacensem Episcopatum restituit & Anselmum Episcopum consecrat 1146. XX. Divione à Ludovico VII Rege honorifice suscipitur 1147. V & VIII. Ejus itinerarium *ibid.* VIII & *seqq.* Virduni S. Vitoni Reliquias transfert *ibid.* XI. S. Genovefæ Ecclesiam Parisiensem reformat *ibid.* VI & *seq.* & 1148. XIII.

Parisiis Concilium celebrat in quo audit Gilbertum Porretanum 1147. XIII. in eo S. Willelmum Archiepiscopatu Eboracensi deponit *ibid.* XIV. Henricum de Murdac in ejus locum consecrat *ibid.* XV. Treviros pergit *ibid.* XV & *seq.* Templum S. Matthiæ Treviris consecrat 1148. II. Treviris Concilium celebrat *ibid.* III. S. Hildegardis Abbatissæ scripta in eo examinat & eam ad scribendum animat *ibid.* Fuldensem Abbatem in eo deponit *ibid.* IV. Remense Concilium celebrat *ibid.* V & *seqq.* Ejus itinerarium post Concilium Remense *ibid.* XI. Cistercium & Claramvallem invisit *ibid.* XII. Ejus elogium *ibid.* è Galliis discedit *ibid.* XII & *seq.* Romam redit 1149. II. Româ egreditur 1150. I.

Coloniensi Ecclesiæ privilegia concedit 1151. I. Duplicem modum annos Christi numerandi adhibet *ibid.* II. Quatuor Archiepiscopos in Hibernia instituit & ad

eos

eos pallia mittit *ibid.* VII. pace cum Romanis facta Romam redit 1152. I. cum Frederico Ænobarbo Romanorum Rege concordiam init *ibid.* IV. Ægrè fert Fredericum ad sedem Magdeburgensem transtulisse Guicmannum Cicensem Episc. *ibid.* V. S. Henricum Imp. canonizat *ibid.* VI. Legatos in Germaniam mittit pro causa Henrici Archiep. Moguntini 1153. I. Moritur *ibid.* II. Ejus sedis duratio *ibid.* III. Miraculis clarus fuit *ibid.* IV.

Eustachius Comes Boloniensis Mariam Malcolmi III Scotiæ Regis & S. Margaritæ filiam uxorem duxit 1093. IX.

Eustachius hujus nominis II Comes Boloniensis pater Godefridi Bullonii 1070. VII. Maritus B. Idæ Godefridi Barbati Lotharingiæ Ducis filiæ *ibid.*

Eusthatius fit Patriarcha Cpolitanus 1019. V. diversus est ab Eusthatio Homeri interprete *ibid.* VI. à Joanne XIX PP. obtinere conatur ut Ecclesia Cpolitana universalis dicatur sicut Romana 1024. III. Moritur 1025. VII.

Eustratius Garidas fit Patriarcha Cpolitanus 1086. IX. è sede deturbatur 1089. VIII.

Eutychius Zigabenus Schismaticus panopliam dogmaticam contra hæreticos composuit 1118. XXXII *& seq.*

Eutychii Patriarchæ Alexandrini Annales fabulis referti 1182. XI *& seq.*

Exonia fit sedes Episcopalis 981. IV.

F.

F*Abularum* Romanensium origo 1179. IX *& seq.*

Falco Beneventanæ Historiæ Scriptor à quo anno Chronicon suum exordiatur 1113. I. Non fuit Clericus Beneventanus, sed Judex *ibid.* II. Anni initium à die prima Martii repetit *ibid.* I. Chronicon suum absolvit 1140. XIII.

S. Fara monasterii Monialium incontinentia maxima 1100. IX *& sep.* Moniales è monasterio S. Faræ ejiciuntur *ibid.* X *& seq.* S. Faræ monasterium in pristinum splendorem restituitur *ibid.* X.

Fastradus septimus Abbas Cisterciensis moritur & quo anno 1164. XXIII *& seq.*

Fatuorum Festum in Francia aboletur 1187. XVII. Nefarius ille ritus postea tamen perseveravit *ibid.* XVIII.

S. Felix Valesius Ordinis SS. Trinitatis fundator Romam pergit ejus confirmationem petiturus 1198. III. Eam obtinet *ibid.*

Ferdinandus Magnus fit primus Rex Castellæ 1032. VII. Castellæ & Legionis regna unit 1037. IV. Varias urbes Saracenis in Lusitania eripit 1038. VIII. Almenonem Toletanum Regem Saracenum vectigalem facit *ibid.* Conimbriam capit & quo anno 1040 III *& seq.* Corpus S. Isidori Episcopi Hispalensis Legionem transferri curat 1053. XV *& seq.* Garsiæ Navarræ Regi fratri in partem Castellæ non in Navarræ regnum succedit 1054. XII. Moritur 1065. III.

Ferdinandus seu Fernandus Alphonsi VII Hisp. Imperatoris filius à patre Legionis Rex designatur 1151. XVII. Patri in regnum illud succedit 1157. VII. Toletum per annos octo tenuit 1166. XX. Infantaticum Alphonso VIII Castellæ Regi restituit 1181. XVI. Accurrit in auxilium Alphonsi Portugalliæ Regis contra Saracenos 1184. IX. Moritur 1188. XVII.

Fermentaceorum hæresis initium 1053. XII. Eam scripto tuentur Michael Cerularius & Leo Achridanus Episcopus *ibid.* XII *& seq.*

Firmitas Abbatia Cistercii prima filia in Diœcesi Cabilonensi fundatur 1115. XIII.

Florensis Ordo à B. Joachimo Curatii Abbate fundatur 1188. XX. à quibusdam immeritò diffamatur *ibid.* XXII *& seq.*

Florentina Reipublicæ initium 1004. VI. Florentinæ Ecclesiæ schisma 1063. I.

Florus Philippi Francorum Regis & Bertradæ filius spurius 1094. IV & 1104. VII.

Foderum tributum erat Imperatoribus solvi solitum ab Italiæ populis 962. V *& seq.*

Folmarus ab Urbano II Cardinalis & Archiepiscopus Trevirensis ordinatur contra Imperatoris voluntatem 1086. III. Fit Legatus Sedis Apost. & Concilium Mosomii celebrat *ibid.* IV. Ejus electio à Legato Clementis III PP. cassatur *ibid.* Moritur in Anglia 1189. IV.

Fontebraldensis ordo à Roberto de Arbrissellis fundatur 1100. XXVII.

Forcalqueriensis Ecclesia in Provincia fit Concathedralis 1060. V *& seq.*

Forcheimensis Conventus Principum Germaniæ Rudolphum Germaniæ Regem eligit 1077. IX *& seq.* Germaniæ regnum electivum declarat *ibid.* XI.

Fraga Aragoniæ urbs ab Alphonso Aragoniæ Rege obsidetur 1133. XXII & 1134. XXVII. Raimundo IV Barcinonensi Comiti deditur 1149. VI.

Franci stant à partibus Ottonis III contra Henricum Bajoariæ Ducem 984. III. IX *& seq.*

Franci primam expeditionem suscipiunt in Saracenos Hispaniæ 1062. XI. Secundam suscipiunt & Tudelam obsident 1084. XV. Tertiam expeditionem suscipiunt 1087. XIV. Stellam capiunt *ibid.* XV. Franci in Terram sanctam proficiscuntur 1096. IX *& seqq.* Joppem expugnant 1101. XI.

Franci pergunt ad auxilium Alphonsi Aragoniæ Regis contra Saracenos 1125. XV *& seq.* Franci complures sedes in Hispania figunt *ibid.* XVII. Franciæ Reges à quo habeant quod strumosos sanent 1136. X.

Franciæ regnum ab Innocentio II interdicto supponitur & quare 1141. III *& seq.* Interdicto absolvitur à Cœlestino II PP. 1143. VI.

Francofordiense Concilium in quo Bambergensis Episcopatus institutio confirmata quo anno habitum 1006. I.

Fredericus Romanæ Ecclesiæ Cancellarius Legatus à S. Leone IX PP. Constantinopolim mittitur 1053. XIII. Michaelem Cerularium Patriarcham Constantinop. excommunicat *ibid.* & 1054. I *& seq.* Casinensis Abbas creatur 1057. I. à Victore II PP. fit Cardinalis *ibid.* II. Pontifex Romanus consecratur & Stephanus IX. appellatur *ibid.* II. Petrum Damiani Episcopum Ostiensem & Cardinalem dicit *ibid.* III. Marsorum Episcopatum in duos divisum in priorem statum restituit *ibid.* IV. Moritur 1058. I. Annos suæ sedis à die electionis deduxit *ibid.* II.

Fredericus in Concilio Ravennensi Saltzburgensis Archiepiscopus confirmatur in locum Heroldi depositi 967. III.

B. Fredericus Episcopus Leodiensis occiditur 1121. XI.

Fredericus Conradi Romanorum Regis nepos à S. Bernardo crucem accipit 1146. XI. Mortuo Conrado eligitur Rex Romanorum 1151. III. Quare dictus Ænobarbus *ibid.* Cum Eugenio PP. concordiam init *ibid.* IV. Guicmannum Cicensem Episcopum ad Ecclesiam Magdeburgensem, inconsulto Eugenio, transfert *ibid.* V. Laudensium protectionem adversus Mediolanenses suscipit 1153. XVIII. à Mediolanensibus spernitur *ibid.* In Italiam pergit 1154. XII. Ejus gesta fabulis admixta *ibid.* XIII *& seq.* Mediolani coronatus non fuit 1154. XV. Longobardiæ Rex Papiæ coronatur 1155. I *& seq.* Romæ imperii coronam suscipit *ibid.* I & III. Relicta uxore Beatricem Comitis Burgundiæ filiam

filiam ducit & Burgundiæ comitatum acquirit 1156. VIII. De divortio ab Hadriano PP. arguitur *ibid.* Cardinalibus introitum regni sui interdicit *ibid.*

Frederici cum Hadriano PP. dissidii origo 1157. I *& seqq.* Fredericus in Mediolanenses bellum decernit *ibid.* IV. Cum Hadriano PP. pacem facit 1158. I. Mediolanum obsidet *ibid.* II. Illud recipit *ibid.* V. Uladislaum Bohemiæ Ducem Regem dicit *ibid.* III *& seq.* Frederici Legati à Mediolanensibus & Cremensibus pelluntur 1159. I *& seqq.* Fredericus Victori Antipapæ favens contra Alexandrum III Conciliabulum Papiæ convocat *ibid.* X. Illud celebrat & rejecto Alexandro Victorem Antipapam agnoscit 1160. I. Sævit in sectatores Alexandri *ibid.* II. Ab Alexandro PP. excommunicatur *ibid.* VI. Cremam evertit & Mediolanenses vexat *ibid.* XIII. Mediolanum iterum aggreditur 1161. XVI. Frustrà laboratur Alexander III in regno Franciæ non recipiatur 1162. II. Tentat Alexandrum & Victorem deiicere & alium Papam creare *ibid.* III. Latonensem Conventum convocat *ibid.* III *& seqq.* Comitatum Provinciæ Raimundo Comiti in feudum concedit ex conditione ut Victorem Antipapam recipiat *ibid.* XXIII. Mediolanum recipit *ibid.* XXVI. Illud solò æquat *ibid.* XXVII. Cives aliò amandat *ibid.* XXVIII. Urbe eversa Papiam redit *ibid.* XXIX. Variis Longobardiæ urbibus magistratus præficit *ibid.* XXXII.

Fredericus in Germaniam & inde in Italiam redit 1163. XIII. Paschalem III Antipapam eligi præcipit 1164. VIII. Veronenses frustrà aggreditur *ibid.* XI. In Germaniam *ibid.* Pontificios in Italia persequitur 1165. VII. Herbipoli Conventum celebrat pro recipiendo Paschali Antipapa 1166. I *& seqq.* In Italiam expeditionem suscipit *ibid.* XIX. Conventum Roncaliæ cogit contra Alexandrum PP. *ibid.* Carolum Magnum à Paschali Antipapa canonizari curat *ibid.* XXIII *& seq.* Romam à Paschali Antipapa vocatur 1167. VI *& seq.* Eam obsidet *ibid.* I *& seq.* Varias Italiæ urbes affligit *ibid.* III. Contra Fredericum variæ Lombardiæ urbes fœdus ineunt *ibid.* IV *& seq.* Fredericus exercitu pestilentia consumpto Româ discedere compellitur *ibid.* VIII. De urbibus Lombardiæ fœderatis ultionem sumit *ibid.* XII. à Mediolanensibus in fugam conjicitur *ibid.* XIII. Ab Alexandro PP. in Concilio Rom. deponitur & excommunicatur 1168. VI. Ex Italia fugit *ibid.* IX.

Henricum filium Bambergæ coronari facit 1169. VI. Archiepiscopatum Saltzburgensem usurpat *ibid.* VII. Illum reddere recusat 1172. III. Ratisponæ Comitia celebrat 1174. I. In iis Adalbertum Saltzburgensem Archiepiscopum deponit *ibid.* II. Alium in ejus locum intrudit *ibid.* III. In Italiam pergit *ibid.* V. Alexandriam obsidet *ibid.* à Mediolanensibus ingenti clade profligatur 1176. III *& seq.* Legatos pro pace ad Alexandrum PP. mittit *ibid.* V. Frederici Legati promittunt restitutionem præfecturæ urbis & terræ Mathildis Comitissæ *ibid.* VI. Trium mensium inducias promittunt si pax rumpatur *ibid.* VII. Fredericus Imp. Alexandro PP. reconciliatur 1177. I. Fabula de ea reconciliatione conficta reiicitur *ibid.* I. *& seq.* In Germaniam redit 1178. V. Apud Arelatem coronatur *ibid.* Henricum Leonem Bavariæ & Saxoniæ Ducem ditionibus privat 1180. XI. Ottonem Comitem Palatinum Bavariæ Ducem dicit *ibid.* Cum fœderatis Lombardiæ civitatibus pacem facit 1183. VI. In Italiam pergit 1184. II. Moguntiæ Conventum celebrat & Henricum filium Regem Germaniæ coronari curat *ibid.* IV & 1185. I.

Concilium Veronense cum Lucio III PP. celebrat & quo anno 1185. I *& seqq.* Toto anno in Italia mansit *ibid.* VI. Cum Willelmo II Siciliæ Rege pacem facit *ibid.* XIV. Ejus cum Urbano III PP. Dissidii origo 1186. III *& seq.* Fredericus imperii comitia celebrat in quibus Episcopi Germaniæ erga Pontificem male se gerunt *ibid.* V. Cremonenses edomat *ibid.* VI. Moguntiæ Comitia celebrat 1188. VI. In iis crucem accipit *ibid.* VII. Legatos ad Saladinum mittit *ibid.* VIII. In Orientem proficiscitur 1189. VIII. Græcorum Legatis significat se literas Isaacii Angeli non recepturum nisi in iis Imperator appelletur *ibid.* Fridericus in itinere multum patitur 1190. XII *& seqq.* Moritur *ibid.* XVI.

Fredericus postea Imperator hujus nominis II nascitur 1194. VII & 1197. III. Henrico VI patri succedit 1197. III.

Fredericus Lotharingiæ Dux uxorem duxit Beatricem Hugonis Capeti Francorum Regis sororem 1070. X *& seq.*

Fredericus II Lotharingiæ Dux Mathildem Hermanni Sueviæ Ducis filiam uxorem duxit 1070. XIV. Ex ea genuit Beatricem Mathildis Comitissæ matrem *ibid.* IX *seqq.* Ejus epitaphium Gerberto malè attributum *ibid.* XII. è Regio sanguine ortus dici potest *ibid.* XII *& seq.* Quo anno mortuus sit *ibid.* XII.

Fredericus Alemanniæ Dux ad Germaniæ regnum aspirat 1125. IX. Conradum fratrem Regem creat *ibid.* X. Ab Honorio II PP. excommunicatur *ibid.* Bellum cum Lothario per Conradum fratrem facit *ibid.* XI. Cum Lothario Imp. reconciliatur 1135. XII.

Fritislariense Concilium in Hassia à Conone Apostolicæ Sedis Legato quo anno celebratum 1118. XXI. In eo Sanctus Norbertus accusatur *ibid.*

Frodoardus Remensis Ecclesiæ Presbyter moritur 965. IV. Ejus Opera *ibid.*

Frollandus Silvanectensis Episcopus Berengario Henricum Franciæ Regem conciliat 1045. VI.

Frotmundus Senonensis Comes moritur 1015. III.

Frotmundus Rainardi Senonensis Comitis frater Senonas defendens à Roberto Franciæ Rege capitur & in carcere moritur 1015. III.

Fulbertus Magister Scholarum Ecclesiæ Carnotensis veram de Eucharistia sententiam propugnat 1004. I & III. S. Abboni Floriacensi Abbati familiaris fuit *ibid.* II. à Leotherico Senonensi Archiepiscopo Carnotensis Episcopus ordinatur 1007. I. Episcopus à docendo non destitit *ibid.* Complures viros insignes discipulos habuit *ibid.* Ejus consilio Leothericus Senonensis Archiep. urbem Senonensem Roberto Regi tradit 1015. IV. Fulbertus orationis causa Romam perrexit & quo anno 1017. III. Constantiæ Reginæ odium incurrit & quare 1028. IV & 1031. I. Moritur 1028. VI. Ejus epitaphium *ibid.* VII. Romanus aut saltem Italus natione erat *ibid.*

Fulcherius Tyri Archiepiscopus fit Patriarcha Jerosolymorum 1146. XV. Moritur 1159. XVI.

Fulco Presbyter in Gallia floret 1196. VIII. Hæreticos persequitur *ibid.* IX. Item Judæos & usurarios *ibid.* X.

Fulco Andegavensis Comes queritur in Concilio Claromontano quod Philippus Franciæ Rex Bertradam uxorem sibi subtraxisset 1095. XIV. Pater fuit Fulconis postea Jerosolymorum Regis *ibid.* Florem aureum ab Urbano II recipit 1096. III.

Fulco superioris filius Comes Andegavensis Jerosolymam pergit relicto comitatu Gaufredo filio 1127. XXIV. Balduini II Jerosolymorum Regis filiam primogenitam uxorem accipit *ibid.* Fit Rex Jerosolymorum 1131. XIX. Moritur 1142. III.

S. Fulcrannus Lodovensis Episcopus moritur 1006. II. pluries Romam accessit pænitentiæ causa *ibid.*

Fuselense Concilium, *vide* Palentinum Concilium.

G

GAbriel Samueli patri in Bulgariæ regnum succedit 1014. VII. Occiditur 1015. VII.

S.Galdinus Subdiaconus & Cancellarius Ecclesiæ Mediolanensis 1144. XVI. Stat à partibus Alexandri III & ad eum pergit cum Oberto Mediolanensi Archiep. 1162. XXIV *& seq.* Ab Alexandro Papa Presbyter Cardinalis S.Sabinæ ordinatur 1165. VIII. Mediolanensis Archiep. dictus in sua Ecclesia recipitur 1167. XI. S.Sedis Legatus creatur 1168. VII. Ejus Gesta Mediolani & Papiæ *ibid.* VIII. Ab Alexandro III obtinet ut Alexandria fiat civitas Episcopalis 1175. IV. Moritur 1177. XIV.

Gallia totius Primatus Archiepiscopo Senonensi restituitur 1000. VI. Gallicanum Concilium incerto loco habitum à Gauzleno Archiep. Bituricensi 1021. II

Gallicana plura Concilia celebrantur ob bella privata & frequentes cædes 1034. I *& seqq.* In iis actum non est de Treuga Dei *ibid.* IV.

Gallicana Ecclesia à multis summis viris illustratur 1139. XXII.

Galo Episcopus Bellovacensis è Legatione Polonica redit 1104. I. Quo tempore dictus sit Episcopus Parisiensis *ibid.* I & V.

Galterus Episcopus Magalonensis non est Auctor libri de floribus Psalmorum 1102. XII. Cum Galtero Poëta non confundendus *ibid.* XIII. Fit Legatus Sedis Apostolicæ & pacem facit inter Alphonsum Tolosæ, & Raimundum III Provinciæ & Barcinonis Comites 1125. IV.

Galterus Poëta confundi non debet cum Galtero Magalonensi Episcopo 1102. XIII. Composuit Vitam Alexandri Magni decem libris *ibid.*

Garsia I. Navarræ Rex uxorem habuit Onnecam Terasiam Endragotm 970. XII.

Garsia II Navarræ Rex moritur 970. XII.

Garsia III succedit Sanctio II in regnum Navarræ 995. XVIII. Anno Christi millesimo jam mortuus erat *ibid.* XIX. Tremulus dictus est *ibid.* Veremundo Legionis Regi exercitum mittit 998. XV.

Garsia IV dictus Nagerensis Sanctio III Patri in regnum Navarræ succedit 1032. VII. Occiditur 1054. XII.

Garsia Ferdinandi Magni filius fit Rex Gallæciæ & Lusitaniæ 1065. III. Ab Alphonso & Sanctio fratribus regno spoliatur 1071. XVIII *& seq.* In regnum restituitur, sed ab Alphonso fratre in vincula conjicitur 1072. XII. Moritur *ibid.*

Garsia Fernandi Castellæ Comes Veremundo Legionis Regi junctus insignem de Saracenis victoriam reportat 998. XV.

Garsias Ramiri à Navarræis Rex eligitur post mortem Alphonsi Aragoniæ Regis 1134. XXXVI. à Sanctio Majore Navarræ Rege genus ducebat *ibid.* XXXVI *& seq.* Com Alphonso VII Castellæ Rege pacem facit, seque ejus benaficiarium dicit 1135. XLI. Ab Alphonso bello appetitur 1140. XXII. Alphonsi exercitum profligat *ibid.* Cum eo pacem init *ibid.* XXIV. Blancam filiam Sanctio Alphonsi filio uxorem dat *ibid.* Cum Raimundo IV Barcinonensi Comite inducias facit 1146. XXVII. Pergit ad auxilium Alphonsi VII Castellæ Regis contra Saracenos *ibid.* Alphonso VII & crucesignatis junctus multa oppida Saracenia in Hispania eripit 1147. XXI *& seqq.* Moritur 1150. VIII.

Garsias Ramirez Margaritam Rotroci Particensis Comitia naptam uxorem ducit & Tutelam ab eo obtinet 1114. XVII.

Gasto Vicecomes Bearnensis Cæsaraugustæ Dominio sub certis conditionibus ab Alphonso Aragoniæ Rege donatur 1118. XVIII.

S. Gaudentius fit primus Archiepiscopus Guesnensis 999. V *& seqq.* Ejus corpus Pragam transfertur 1036. IV.

Gaufredus Lugdunensis Archiepiscopus qui incertis Concilio Augustodunensi sedit ante Humbertum 1055. IV.

Gaufredus Abbas S. Rufi fit primus Episcopus Dertusensis 1151. XII.

Gaufredus Fulconis filius fit Comes Andegavensis 1127. XXIV. Mathildem olim Imperatricem Henrici Angliæ Regis filiam uxorem ducit *ibid.* Normanniæ Dux dicitur 1143. V. Moritur 1150. VI.

Gaufredus Malaterra Historicus Floret 1099. XX.

Gaufredus Carnotensis Episcopus ab Innocentio II fit Legatus Apostolicæ Sedis in Galliis 1132. III. Ab eodem Innocentio cum S.Bernardo Mediolanum legatur 1134. VII. In Aquitaniam cum S. Bernardo pergit & Wuilelmum IX Ducem à schismate retrahit 1135. I *& seq.* Jotri Concilium celebrat contra parricidas Thomæ Prioris Sancti Victoris Parisiensis *ibid.* IV *& seq.* Post Concilium Lateranense II œcumenicum legationem exercet in Galliis 1139. XIII. & 1142. V. Anno MCXLIV Legatione amplius non fungebatur 1144. XII *& seq.* Cum S. Bernardo Tolosam contra Henricum Hæreticum pergit 1147. XVIII. Moritur *ibid.*

Gaufridus Henrici II Angliæ Regis filius Conani Britanniæ Comitis filiâ in uxorem acceptâ fit Comes Britanniæ 1168. XXIII.

Gaufridus Henrici II Angliæ Regis filius nothus Episcopatum deponit ac sacris ordinibus insignitur 1181. I.

Gaufridus S. Bernardi olim Secretarius Henricum Albanensem Episcopum consulit an aqua transsubstantietur in sanguinem Christi 1188. XII.

Gauzlenus Bituricensis Archiepiscopus Concilium celebrat & totum Lemovicinum excommunicat 1021. II. Excommunicationem solvit, *ibid.*

Gebehardus Archiepiscopus Salisburgensis Apostolicæ sedi addictus Pallium ab Alexandro II PP. recipit 1062. VIII. Fit Legatus Sedis Apostolicæ in Germania *ibid.* Moritur 1088. XIII.

S. Gebehardus Constantiensis Episcopus floret 989. II.

Gebehardus Constantiensis Episcopus Urbani II PP. Legatus Constantiæ Synodum celebrat 1094. III.

Gebuinus Archiep. Lugdunensis à Gregorio VII PP. Primatum obtinet 1079. VIII.

Geisa S. Stephani pater Hungariæ Rex 979. IX. à Sancto Adalberto Pragensi Episcopo baptizatur 996. VIII. Ab Ademaro dicitur baptizatus à S. Brunone 997. III. Moritur *ibid.*

Geisa Hungariæ regnum invadit Salomone expulso 1075. XII. Ad Gregorium VII PP. scribit *ibid.* Moritur 1077. XV.

Geisa II fit Hungariæ Rex 1141. XV. Alexandrum III pro vero Papa agnoscit 1161. XVIII. Moritur *ibid.*

Geizlatensis Synodus ab Aribone Moguntino Archiep. celebratur 1028. XIV.

Gelasius II eligitur Pontifex Rom. 1118. II & IV Adveniante Henrico Imp. Româ fugit *ibid.* IV *& seq.* Ordinatur Cajetæ *ibid.* V *& seq.* Romam secretò intrat *ibid.* VIII. Ravennensi Ecclesiæ pristina jura restituit *ibid.* VIII *& seq.* Era Pisana utitur *ibid.* IX. Illam à Paschata inchoat *ibid.* XII & XV. Pisas pergit *ibid.* X. Pisanam Ecclesiam Metropolim facit *ibid.* Corsicam ei subjicit *ibid.* X *& seq.* Genuam adventat & S. Laurentii Ecclesiam dedicat *ibid.* XII. Burdini intrusionem Galliæ Episcopia significat *ibid.* XIII. In Galliam venit *ibid.* XII & XIV. Ejus itinerarium *ibid.* XIV *& seq.* & 1119. III. Ægrotat & Cluniacum se deferri poposcit 1118. XV. Scribit ad exercitum Christianorum Cæsaraugustam obsidentem *ibid.* XVI. B. Oldegarium Tarraconensem Archiep. constituit *ibid.* XX. Nullum Viennæ Concilium celebravit 1119. I. Remis Concilium celebrare decreverat *ibid.* II. Cluniaci moritur *ibid.* III. Sedis ejus duratio *ibid.* III. *& seq.*

S. Genovefa

S. Genovefæ meritis Ignis sacer seu Igneus morbus Parisiis miraculosè sanatur 1131. VII. Festum Excellentiæ S.Genovefæ instituitur *ibid.*

S. Genovefæ Ecclesia Parisiensis reformatur & Canonici Regulares S. Victoris in eam introducuntur 1147. VI *& seq.*

Genuensis Reipublicæ initium 1004. VI. Genuenses Pisanis juncti Saracenos è Sardinia ejiciunt 1016. X. à Pisanis ex ex pelluntur *ibid.* Africam devastant 1087. II *& seq.*

Genuensium expeditio in Terram sanctam diversa ab expeditione Longobardorum 1101. VII. Felix fuit *ibid.*

Genuensis Episcopus ab Innocentio II PP. fit Metropolitanus 1132. IV.

Georgius Xiphilinus fit Patriarcha Constantinopolitanus 1191. XVI & 1193. X.

Georgius Elmacinus Historiam suam Saracenicam absolvit 1018. XXXVI. Christianus fuit *ibid.*

Gerardus Archiep. Ravennensis in Concilio Veronensi à Lucio III Privilegia impetrat 1185. IV.

B. Geraldus fit Episcopus Bracarensis 1109. II. Metropolicam dignitatem Ecclesiæ suæ restitui curat *ibid.* Quo anno mortuus sit *ibid.*

S. Geraldus Congregationis Silvæ majoris fundator moritur 1095. XXIII à Cælestino III PP. in Sanctorum numerum relatus fuit *ibid.*

S. Gerardus Episcopus Tullensis moritur 994. III. à S. Brunone Coloniensi Archiep. invitus ad Episcopatum assumtus fuerat *ibid.* à S. Leone IX PP. Canonizatus fuit 993. III & 1050. II. Ejus corpus ab eodem Papa transfertur 1050. XX *& seq.*

Gerardus Cameracensis Episcopus Synodum cogit contra novos hæreticos sacramenta negantes 1025. XI.

S. Gerardus Episcopus Canadiensis in Pannonia floret 1042. I *& seq.* Martyrio coronatur 1047. IX. Ejus corpus elevatur *ibid.*

Gerardus Sistaricensis Episcopus in Concilio Avenionensi electus à Nicolao II PP. ordinatur 1060. V *& seq.* à Sistaricensibus non recipitur *ibid.* V. Canonicos Sistaricenses & Forcalquerienses separat *ibid.*

Gerardus Hospitalariorum Equitum Ordinem instituit sub Patrocinio Sancti Joannis Baptistæ 1099. XIV *& seqq.* Moritur 1120. XXV. Corpus ejus Manuascam in Provincia translatum *ibid.*

Gerardus Comes in secundo Concilio Romano sub Nicolao II PP. excommunicatur 1059. X.

Gerberga Willelmi II Provinciæ Comitis vidua à Benedicto VIII. PP. benedictionem recipit 1018. VIII. Willelmi III filii tutrix fuit *ibid.* IX. *& seq.*

Gerbertus postea Papa sub Silvestri II nomine scribit adversus Carolum Lotharii Francorum Regis fratrem 978. IV. fit Archiepiscopos Remensis 991. II. Illegitimè ordinatur *ibid.* III. Contra bonorum Ecclesiasticorum pervasores Synodum celebrat *ibid.* Præceptor fuit Roberti Franciæ & Ottonis III Germaniæ Regum *ibid.* II *& seq.* & 999. II. Se excusat apud Joannem Papam 994. I. Remensem sedem relinquit 995. I. Scribit ad Adelhaidem Augustam & ad suffraganeos suos *ibid.* Caussam suam defendit in Synodo Mosomensi *ibid.* II. à sacris abstinere jubetur usque ad Synodum Remensem *ibid.* Ottonis III favore fit Archiep. Ravennensis 998. XXI. Ravennæ Concilium celebrat *ibid.* XXII Ottonis III constitutionem publicat *ibid.* XXIII. Libellum contra simoniacos scribit & ad suffraganeos mittit *ibid.* XXIV.

Gerbertus creatur Pontifex Romanus & Silvester II dicitur 999. I. Ejus varia fortuna *ibid.* II. Gerbertus non fuit creatus Pontifex Rom. ab Ottone tertio *ibid.* III. Joannem non Remigium Autisiodorensem Episcopum discipulum habuit *ibid.* II. Arnulphum Remensem Archiep. in sedem suam non restituit *ibid.* XI. Leotherico Senonensi Archiep. totius Galliæ Primatum concedit 1000. VI. Moritur 1003. I. Non est Auctor primævæ vitæ S. Adalberti Episcopi Pragensis & martyris *ibid.* II.

Germania regnum successivum simul & hæreditarium fuit usque ad Gregorii VII tempora 996. XII.

Germania simoniaca labe infecta 1025. II.

Germanicum Concilium contra simoniacos ab Henrico Imp. celebratur 1047. III.

Germaniæ miser status sub Henrico IV Rege 1073. I *& seq.*

Germaniæ Reges rite electi post Ottonem M. Imperatores designati habebantur 1073. VI.

Germaniæ Principes ad Ulmam conveniunt 1077. VI. Forcheimensem conventum indicunt *ibid.* Illum celebrant *ibid.* X. Rudolphum Germaniæ Regem eligunt *ibid.* X. Regnum electivum declarant *ibid.* XI.

In Germania Episcopi tantum quinque Catholici inveniuntur 1077. XXI.

In Germania plerique à Guiberto Antipapa contra Gregorium VII PP. stant 1084. VIII.

In Germania Catholici à schismaticis graviter affliguntur *ibid.* VIII *& seq.*

In Germania novæ turbæ exoriuntur 1115. VI.

In Germania agitur de schismate tollendo 1121. VIII.

In Germania de electione Regis tractatur post Henrici V mortem 1125. VIII *& seq.*

Germundus fit Patriarcha Jerosolymorum 1118. XXIII. Cum Venetis ad Tyri expugnationem pergit 1124. XIII. Moritur 1128. XV.

S. Gervasii corpus intactum fuit destructâ à Friderico Imp. urbe Mediolanensi 1162. XXXI.

Gervasius Dorobernensis Scriptor Anglus Chronicon suum absolvit 1197. VII.

Gerundense Concilium ab Hugone Cardinali Apostolicæ sedis Legato Treugam Dei confirmat 1068. VIII.

Gibelinus Arelatensis Archiep. fit Patriarcha Jerosolymorum 1107. X. Moritur 1112. V. Ejus ad Paschalem PP. & Paschalis ad eum litteræ suo anno redduntur 1113. VI *& seq.*

Gibraltar ab Abdelmumen Almohadum Imperatore ædificatur 1161. XIX.

Gilbertus Porretanus Pictaviensis Episcopus accusatur apud Eugenium PP. quod male de Trinitate sentiat 1146. II. In Concilio Parisiensi auditur 1147. XIII. Ejus causa ad Concilium Remense remittitur retractanda *ibid.* Gilbertus in Concilio Remensi damnatur 1148. X.

Gilbertus de Hoillandia moritur 1172. V. Sermones S. Bernardi in Cantica Canticorum continuavit *ibid.*

S. Gilbertus fundator Ordinis Sempringhamensis moritur 1188. XVI. Ab Innocentio II in Sanctorum numerum relatus fuit *ibid.*

Gilbertus Comes Æmiliani Gilbergam Bertrandi Provinciæ Comitis sororem uxorem duxit 1081. IX. Cum Raimundo S. Ægidii de Provinciæ comitatu contendit *ibid.* Dominatus est in Provincia *ibid.* X. Pacificus non fuit in Provincia ante bellum sacrum *ibid.* XI. *& seqq.* Cum Raimundo pacem facit & Comitatum Provinciæ pacificè obtinet 1096. XIX. Annus mortis ejus incertus 1112. X. Duas filias reliquit *ibid.* XI.

Giraldus Cardinalis Episcopus Ostiensis Legatus ab Alexandro II missus Concilium Cabilone celebrat 1073. IX. Episcopum Diensem simoniacum deponit & alium ei substituit *ibid.* Pictavis contra Berengarium Concilium cogit 1075. XIV.

Girardus Engolismensis Episcopus Apostolicæ sedis Legatus Lauduni Concilium celebrat 1109. XII. In Lateranensi

teranenſi Concilio cenſet inveſtituras revocari poſſe, ſed Henricum Imp. non eſſe excommunicandum 1112. II. Girardi Concilium ſequitur Lateranenſe Concilium *ibid.* II *& ſeq.* Girardus à Calliſto II Aquitaniæ Legatus creatur 1120. XXI. Sub Honorio II in Galliis Legatione fungitur 1126. XI. Dolenſem Synodum celebrat 1128. XXVII. Innocentio II contra Anacletum Antipapam adhæret 1130. XIX, XXXIV *& ſeq.* Anacleto adhæret & quare *ibid.* Ejus flagitia *ibid.* XVII & XIX. Ante obitum Honorii II in quinque Provinciis Galliæ graſſatus erat *ibid.* XVIII. Ab Anacleto univerſæ Galliæ Legatus conſtituitur *ibid.* XIX. Epiſcopos & Abbates deponit *ibid.* XX. per aliquot menſes in carcere recluditur *ibid.* XXI.

In Archiepiſcopatum Burdegalenſem ſe intrudit *ibid.* XXI *& ſeq.* Willelmi IX Aquitaniæ Ducis potentia abutitur *ibid.* XXIII *& ſeq.* Henricum Angliæ Regem in favorem Anacleti ſollicitat *ibid.* XLI. Ab Henrico rejicitur *ibid.* XLII. Moritur 1135. II. Ordinati ab eo interdicuntur in Concilio Lateranenſi II generali 1139. VII.

Girardus Cardinalis ab Honorio II Beneventi Rector conſtituitur 1128. IX.

Giſela Conradi Salici uxor Regina coronatur 1024. XI. à Joanne XIX. PP. Auguſtæ coronam recipit 1027. II. Moritur 1143. VII.

Giſilerus Merſeburgenſis Epiſcopus S. Adalberto ſuccedit in Archiepiſcoparum Magdeburgenſem 983. VIII. Pergit ad Concilium Romanum & Pallium recipit *ibid.* IX. Vindicatur à calumnia *ibid.* X. Ejus cauſa agitatur in Concilio Rom. ſub Gregorio V & remittitur ad Concilium Germanicum 999. IV.

Giula Tranſilvaniæ Princeps à S. Stephano nepote cum uxore & filiis capitur 1002. VIII.

Gladiferorum militia in Livonia inſtituitur 1186. XIII. Ordini Teutonicorum unitur *ibid.*

Godefridus Patriarcha Aquileienſis Henricum Regem Friderici Imp. filium ſine conſenſu Papæ coronat 1186. XVII *& ſeq.*

S. Godefridus fit Epiſcopus Ambianenſis 1104. VIII. Monachos San-Valaricenſes ad obſequium redigit 1109. VII *& ſeqq.* Epiſcopatum relinquit 1114. VII. Ad illum redire jubetur *ibid.* & 1115. VIII. Moritur 1118. XXXIV.

B. Godefridus Ordinis præmonſtratenſis Canonicus moritur 1126. VIII. Ejus virtures *ibid.* IX.

Godefridus de S. Audomaro cum Hugone de Paganis Templariorum Ordinem inſtituit 1118. XXII.

Godefridus Viterbienſis Chronicon ſuum abſolvit 1186. XIV & 1191. V.

Godefridus Bullonius Euſtachii II Comitis Bolonienſis filius 1070. VII. Primam Crucesignatorum exercitus partem ducit 1096. IX. Conſtantinopolim pergit *ibid.* XIV. Cogitur ab Imperatore Græcorum Helleſpontum transmeare *ibid.* Jeroſolymam expugnat 1099. XI. Fit Rex Jeroſolymorum *ibid.* XII. Moritur 1100. XIII.

Godefridus Barbatus dictus Hetruriæ & Lotharingiæ Dux contra Normannos pro Alexandro II PP. exercitum movet 1066. I. Moritur 1070. VI. Ejus uxores & liberi *ibid.* VI & X. Cum Beatrice ſecunda conjuge caſtus vixit *ibid.* VII.

Godefridus Gibboſus Godefrido Barbaro patri in Ducatum inferioris Lotharingiæ ſuccedit 1070. VI. Mathildem Comitiſſam Beatricis & Bonifacii filiam uxorem ducit *ibid.* VIII. In Italiam pergit 1073. X. Gregorio VII maximè addictus fuit *ibid.* Ejus cum Mathilde divortium fictitium 1074. I *& ſeq.* Moritur 1076. XI.

Godefridus Virdunenſis Comes à Lothario Francorum Rege capitur 984. III. Libertati reſtituitur *ibid.* IV. Non fuit Dux Lotharingiæ 1070. XV.

S. Godehardus Abbas monaſterii Altahenſis in Bajoaria ſuccedit S. Bernuvardo in Epiſcopatum Hildenſheimenſem 1022. VII. Moritur 1036. II. Ejus canonizatio ab Innocentio II remittitur ad Concilium Remenſe 1131. II. Canonizatur *ibid.* XIV. & 1036. III. Ejus Reliquiæ transferuntur 1132. IV.

S. Godricus Eremita in Anglia moritur 1170. III. S. Thomæ Archiep. Cantuarienſis martyrium ei revelatum fuerit *ibid.*

Godwinus Cantiæ Comes S. Eduardum Angliæ Regem eligi curat 1043. III. Eum in Emmam matrem commovet *ibid.* IV. Multas violentias in Anglia exercet *ibid.* Godwini filiam uxorem duxit S. Eduardus *ibid.* V.

Goffridus Vindocinenſis Abbas ordinatur 1094. II. Romam pergit, ſuamque operam confert ut Urbanus II Lateranenſe Palatium recuperet *ibid.* Goffridi ad Robertum de Arbriſſellis Epiſtola an ſuppoſititia 1117. XXII. Scribit ad Girardum Engoliſmenſem Epiſcopum Apoſtolicæ Sedis Legatum eique flagitia ſua exprobrat 1130. XXV. Fuit Cardinalis 1132. XIV. Moritur *ibid.* Ejus Opera *ibid.*

Gotfridus è ſede Carnotenſi dejicitur 1092. III.

Gotfridus Pariſienſis Epiſcopus quo anno mortuus 1093. III.

Gothefridus II fit Archiepiſcopus Burdegalenſis 1027. VII & XII.

Gothicum Officium ægrè in Aragonia abrogatur 1060. II. 1063. X. 1064. VI & 1073. VIII.

In Barcinonenſi Comitatu abrogatur 1064. VII.

Item in ditionibus Alphonſi VI Legionis & Caſtellæ Regis 1090. II.

Gothofredus eligitur Archiepiſcopus Mediolanenſis 1067. IV. à Mediolanenſibus rejicitur *ibid.* Apud Caſtilionum obſidetur 1071. XV *& ſeq.* Conſecratur Archiepiſcopus 1072. XI. Ab Alexandro II in Concilio Romano excommunicatur 1073. XI. Item à Gregorio VII in primo Concilio Rom. *ibid.* XII. Adverſus Gothofredum agit Herlembaldus 1074. VII. De Archiepiſcopatu ab Henrico Rege inveſtitur 1075. XI.

Gozuinus Aquicinctenſis monaſterii Abbas moritur 1166. XXIV.

Gradenſis Patriarcha dicitur Primas totius Iſtriæ & Venetiæ 1050. IV. Gradenſis Patriarchatus Seculo XV Venetias translatus *ibid.* V. Ampliatur ab Hadriano IV. PP. 1157. VIII.

Gradus Scholaſtici ab Eugenio III ſuggerente Gratiano inſtituuntur 1151. X.

Græci à Saracenis in Sicilia vincuntur 963. XII. Ottonem II in Calabria vincunt 983. I *& ſeqq.*

Græcorum fraus ut Normannos ex Apulia pellant 1053. IX.

Græca Eccleſia tempore Conſtantini Monomachi Imp. à Latina nondum diviſa 1053. XI.

Græcorum ſchiſmatis initium 1053. XII *& ſeq.*

Græcorum imperium ad maximas anguſtias redactum ſub Michaele Duca Imp. 1073. XIV *& ſeq.*

Grammaticorum penuria initio ſeculi duodecimi in Gallia maxima 1100. XII.

Grandimontenſis Ordo fundatur à Sancto Stephano de Mureto 1174. XVI.

Gratianus Monachus Decretum ſuum edit 1151. X. Gradus Scholaſticos ab Eugenio III inſtitui curat *ibid.* Non fuit frater Petri Lombardi *ibid.* Ejus patria 1164. XIX.

Gregorius V. Bruno antea dictus fit Pontifex Romanus 996. I & III. Quo tempore ordinatus *ibid.* IV. à Luitgarda Ottonis M. filia originem ducebat *ibid.* & 1005.

III & 1024. VI *& seqq.* Ottonem III Imperatorem coronat 996. I & VII. Romæ Syno um celebrat *ibid.* VIII. S. Adalberto permittit ut ad extera gentes prædicandi causa se conferat *ibid.* Herluinum Cameracensem Episcopum consecrat *ibid.* IX. Non instituit septem Electores *ibid.* X *& seqq.* In Longobardiam secedit ob tyrannidem Crescentii 997. X Concilium Ticini celebrat & Crescentium excommunicat *ibid.* V. Sedem Apostolicam recipit 998. XVIII. Romæ Concilium cogit 998. IV & 999. IV. Roberti Francorum Regis nuptias cum Berta reprobat 998. IV. Arnulphum Remensem Archiep. suæ sedi restitui curat & Pallium ei mittit *ibid.* XIII. Moritur 999. I.

Gregorius VI Pontificatum emit 1044. I. Romæ eodem tempore sedit quo Benedictus IX & Silvester tertius *ibid.* I *& seq.* Inter legitimos Pontifices numeratur *ibid.* III *& seq.* Simoniacus fuit *ibid.* V *& seqq.* Quanto tempore sederit *ibid.* XIII. In Synodo Sutriensi deponitur 1046. I. Verè Antipapa fuit *ibid.* I *& seq.*

Gregorius VII, vide, Hildebrandus.

Gregorius VIII, vide, Albertus Cardinalis.

Gregorius Vercellensis Episcopus ob incontinentiam à S. Leone IX in Synodo Rom. III excommunicatur 1050. II.

Gregorius Cardinalis S. Angeli in Germaniam pro pace à Callisto II PP. Legatus mittitur 1121. VI & IX. Tum ab eodem PP. legatur in Gallias 1122. VII. Claromontanum & Viennense Concilia celebrat 1124. III & V. Quo anno ejus legatio finita 1126. VI. Pontifex Romanus eligitur & Innocentius II appellatur 1130. III. dies ejus electionis *ibid.* IV *& seq.* Sedis suæ anno à die electionis repetiit *ibid.* VI. Ejus mores ante Pontificatum *ibid.* VII. Semel & iterum Pontificatum recusat *ibid.* VIII. Quibus rationibus *ibid.* IX. Urgetur ut electioni acquiescat *ibid.* X. Ejus excusationes non admittuntur *ibid.* XI. Renitens & invitus Pontificatum admittit *ibid.* XII. Consecratur *ibid.* V. à Francis in Concilio Stampensi legitimus Pontifex agnoscitur *ibid.* XXXIV *& seq.* In Galliam venit *ibid.* XXXVI. Cluniacensem Ecclesiam consecrat *ibid.* XXXVI *& seq.*

Claromontanum Concilium celebrat 1130. XXXVIII. à Ludovico VI Franciæ & Henrico Angliæ Regibus salutatur *ibid.* XL. Lotharii Germaniæ Regis Legatos suscipit *ibid.* XXXVIII. Ejus electio in Concilio Herbipolense confirmatur *ibid.* LVIII. Ad Mantiniacum monasterium in suburbio Autisiodori pergit 1131. I. Inda Leodium *ibid.* Concilium Leodiense cum Lothario celebrat *ibid.* II. Promittit se in Concilio Remensi acturum de canonizatione S. Godehardi Hildensheimensis Episcopi *ibid.* Lotharium Imp. coronat *ibid.* III. Parisios pergit *ibid.* IV. In monasterio S. Dionysii Cœnam Domini celebrat *ibid.* V. Item Pascha *ibid.* VI. Festum Excellentiæ seu miraculorum S. Genovefæ Parisiis instituit *ibid.* VII. Varias urbes lustrat *ibid.* IX. Ecclesiam S. Medardi Suessione consecrat *ibid.* X. Remis Concilium celebrat *ibid.* XI. Ludovicum Lodovici VI filium Franciæ Regem consecrat *ibid.* XII. Ab Imperatore & Regibus Angliæ & Hispaniæ obedientiam recipit *ibid.* XIII.

S. Godehardum Hildensheimensem Episcopum canonizat *ibid.* XIV. Lothario Imp. investituras non concessit *ibid.* XV. Noviomii receptus fuit *ibid.* XVI. Monasterium Pataclerì sub Apostolicæ Sedis protectione suscipit *ibid.* XXIV. in Italiam redit 1132. I. Astæ Pascha celebrat *ibid.* II. Placentiæ Concilium cogit *ibid.* Ante discessum è Gallia Gaufridum Carnotensem Episcopum Legatum in Galliis Creat *ibid.* III. Cum Lothario in Longobardia colloquium habet *ib.* IV Genuensem Episcopum Metropolitanum dicit *ibid.* Romam intrat & Lotharium Imp. coronat 1133. I. Bernardo Episcopo Padrebornensi Pallium dat *ibid.* Pisas redit, ibique manet usque ad mortem Anacleti Antipapæ *ibid.* IV. usque ad mensem Octobrem in territorio Romano versatur est, *ibid.* V. Pistoriensis Ecclesiæ privilegia confirmat 1133. XIV. Daniæ & Sueciæ Episcopos Hamburgensi Archiep. subjicit *ibid.* XX.

Pisis generale Concilium celebrat 1134. I. Qua de causa illud convocarit *ibid.* II. Anselmi Archiep. Mediolanensis depositionem confirmat *ibid.* VI. Conradi Sueviæ Ducis coronationem abrogat *ibid.* à Mediolanensibus pro vero Papa agnoscitur *ibid.* V. Confirmat Acta Concilii Jotrensis contra parricidas Thomæ prioris S. Victoris Parisiensis celebrati 1135. IV. Thomam honorificè sepeliri jubet *ibid.* VII *& seq.* Lotharium Imp. in Italiam vocat 1135. XXVII & 1136. II. Stephani Angliæ Regis electionem confirmat 1135. XL. S. Bernardum in Italiam vocat 1136. III. Excommunicationem in Cremonenses à Robaldo Archiep. Mediolanensi latam relaxat *ibid.* VII. Romam versùs proficiscitur 1137. I. Beneventum pergit *ibid.* II. Beneventanorum fidelitatem suscipit *ibid.* III. Progressus facit in Apulia *ibid.* IV. Salernum recipit *ibid.* V. discordat à Lothario Imp. sed discordia sopitur *ibid.* VI. Rainulphum Comitem Apuliæ ducem eligit *ibid.* Gregorium Beneventanum Episcopum electum consecrat *ibid.* VII. Romam adit *ibid.* VIII. S. Bernardum & Cardinales duos Legatos in Apuliam ad sedandum schisma frustrà mittit *ibid.* X & XIII.

A Rogerio Siciliæ Rege verus Pontifex agnoscitur 1138. III. fratres Anacleti Antipapæ ei fidelitatem jurant *ibid.* V. Concilium Lateranense II Oecumenicum celebrat 1139. IV *& seqq.* à Rogerio Siciliæ Rege capitur *ibid.* XIV *& seq.* Rogerium Regem declarat *ibid.* Romam redit *ibid.* XVI. Scribit Archiepiscopis Remensi & Senonensi contra Arnaldum de Brixia & Petrum Abaelardum 1140. I. Dissidium ejus cum Rogerio Siciliæ Rege componitur *ibid.* X *& seq.* Iterum ab eo dissidet ob monetarum immutationem *ibid.* XII. In eum Tiburtes rebellant 1141. I. Eos non excommunicavit *ibid.* Petrum de Castro contra Ludovici VII Franciæ Regis voluntatem Archiepiscopum Bituricensem consecrat *ibid.* III. Franciæ regnum interdicto supponit *ibid.* III *& seq.* In eum Romani rebellant 1142. XIII. Moritur 1143. II. Dies ejus mortis *ibid.* II & IV. Ejus sepulturæ locus & beneficia in Ecclesiam Lateranensem *ibid.* III.

Gregorius de Crescentio Diaconus Cardinalis ab Honorio II Legatus in Daniam mittitur 1129. VII.

Gregorius Episcopus Beneventanus electus ab Innocentio II PP. consecratur 1137. VII.

Grosulanus quo anno dictus Episcopus Savonensis & Archiepiscopi Mediolanensis Vicarius 1100. XX *& seqq.* Archiepiscopatum Mediolanensem invadit 1102. VII. Synodum Mediolani celebrat *ibid.* Grosulanum esse simoniacum probare offert Luitprandus presbyter ignis examine 1102. VII & 1103. VI *& seqq.* Grosulanus Luitprandum à proposito dimovere frustrà conatur 1103. IX. Luitprando per ignem illæso transeunte Grosulanus Mediolanum relinquit *ibid.* X *& seq.* Romæ à Paschali PP. honorificè recipitur 1104. XV. Mediolani plures adhærentes habet *ibid.* XVI. Ejus causa agitatur in Concilio Lateranensi II sub Paschali PP. 1105. V. Grosulanus in eo Concilio restituitur in Archiepiscopatum *ibid.* VI. Per septem annos in eo pacificè mansit *ibid.* VII. Jerosolymitanam profectionem suscipit 1110. II. Henricum Regem Mediolani non coronavit *ibid.* III. à Canonicis Mediolanensibus dignitate dejicitur 1112. VI. Ejus causam tuetur Paschalis PP. *ibid.* VII. Grosulanus ex Oriente Mediolanum redit 1113. X. Mediolano exire cogitur *ibid.* XI.

Ejus

Ejus causa agitatur in Concilio Lateranensi V sub Paschali PP. 1116. II. Grosulanus ad Episcopatum Savonensem redire jubetur *ibid.* III. Toto vitæ tempore Romæ remansit *ibid.* IV. Scripsit Tractatum de processione Spiritus Sancti *ibid.* V.

S. *Gualfardus* solitarius Veronæ moritur 1127. XVIII.

Gualterius II Meldensis Episcopus ordinatur 1082. VI. usque ad annum MCII Ecclesiam illam rexit *ibid.*

Guarinus Archiep. Bituricensis moritur 1181. XI.

Guastallense Concilium à Paschali II PP. celebratum 1106. IV.

S. *Gudila* Virginis corpus Bruxellam in Ecclesiam Sancti Gaugerici transfertur 978. VIII.

Guesna ante annum millesimum non fuit sedes Archiepiscopalis 965. XI. Moguntino Archiepiscopo subjecta erat *ibid.* Ab Ottone III dicta est Archiepiscopalis 999. VI. Sed Apostolica auctoritate *ibid.* VIII.

S. *Guibertus* Gemblacensis monasterii fundator moritur 962. VII. Corpus ejus elevatur *ibid.* Ejus Vitam scripsit Sigebertus *ibid.*

Guibertus Ravennensis Archiep. schismaticus in Concilio Rom. VII sub Gregorio VII PP. deponitur 1080. II. Brixiæ eligitur Antipapa *ibid.* III. Italiam intrat *ibid.* IV. Romæ inthronizatur & quo anno 1083. II & 1084. II. Clemens dicitur *ibid.* In Actis publicis modo se Clementem, modo Wigbertum dicit 1083. III. à quo anno suos deducat *ibid.* IV. Henricum Regem Imperatorem Romæ coronat 1084. I. *& seq.* Româ aufugit *ibid.* XI. à Synodo Romana X anathematizatur *ibid.* XII. Româ pellitur 1089. I. Romam iterum intrat 1091. I. Româ iterum pellitur 1094. II. Moritur 1100. II. Duratio schismatis ab eo conflati *ibid.* VI. Eo mortuo tres Antipapæ electi *ibid.* IV.

Guibertus Abbas Novigenti in diœcesi Laudunensi moritur 1124. XVI. Ejus Opera *ibid.*

Guicmannus Cicensis Episcopus à Friderico Aenobarbo ad sedem Magdeburgensem transfertur inconsulto Eugenio III PP. 1152. V.

Guido Archiepiscopus Viennensis Legatus in Angliam missus rejicitur 1100. XVI. Viennæ Concilium celebrat in quo Henricus Imp. excommunicatur 1112. IV. Tornorcii & Divione Concilia cogit 1115. III *& seq.* Pontifex Romanus eligitur & Callistus II appellatur 1119. V. Filius erat Willelmi Burgundiæ Comitis *ibid.* Viennæ coronatur *ibid.* VI. Tolosæ Concilium celebrat *ibid.* VII. Ejus itinerarium ante Concilium Remense *ibid.* VIII & XIII. Remis Concilium cogit *ibid.* IX. In eo Burdinum Antipapam & Henricum Imp. excommunicat *ibid.* X. Turstinum Eboracensem Episcopum consecrat *ibid.* XI. Cum Henrico Angliæ Rege colloquium habet *ibid.* XII. Era Pisana aliquando utitur *ibid.* XIII. Ejus itinerarium post Concilium Remense *ibid.* XIV & 1120. I. & *seqq.* Viennensi Archiepiscopo Primatum in septem provincias concedit 1120. IV *& seq.* Eboracensem Ecclesiam à professione quam petebat Cantuariensis liberam declarat *ibid.* V. Romam pergit *ibid.* VI. Ei obviam procedit Jordanus Archiep. Mediolanensis *ibid.* VII. Romæ magno cum gaudio excipitur *ibid.* XI. Beneventum pergit 1120. XII. Ioannem S. Sophiæ Abbatem consecrat *ibid.* XIII. Troiam proficiscitur *ibid.* XIV. Romam redit *ibid.* XV. Girardum Episcopum Engolismensem legatum Aquitaniæ dicit *ibid.* XXI. Burdinum Antipapam capit & Romam ducit 1121. I & III. in monasterium Cavense eum relegat *ibid.* IV. Legatos pro pace in Germaniam mittit *ibid.* VI & IX. secundò in Apuliam pergit & qua de causa *ibid.* VI. Primatum Ecclesiæ Lugdunensis amplificare studet *ibid.* XVIII. Petrum Leonis Legatum in Galliam & Angliam mittit *ibid.* XXI & 1122. VII. Cum Henrico Imp. pacem facit 1122. II *& seq.* Lateranense Concilium Oecumenicum indicit *ibid.* III. Dirimit litem Abbatissarum S. Mariæ & S. Petri urbis Beneventanæ *ibid.* IV. Lateranense Concilium celebrat 1123. I *& seqq.* Henricum Imp. excommunicatione absolvit *ibid.* V. Remissionem peccatorum concedit Jerosolymitanum vel Hispanicum iter suscipientibus *ibid.* VI. Beneventum pergit *ibid.* VII. Compostellam in Metropolim erigit *ibid.* VIII *& seq.* Improbat matrimonium Willelmi filii Roberti Normanniæ ducis 1124. VI. Moritur *ibid.* VII. Dies mortis ejus *ibid.* VIII. Sedis ejus duratio *ibid.* IX.

Guido de Castello Cardinalis S. Sedis in Galliis Legatus 1140. I. Fit Pontifex Romanus sub Cælestini II nomine 1143. IV. Ei de adepto Pontificatu gratulatur Arnulphus Sagiensis Episcopus *ibid.* V. Cælestinus Legatos Ludovici VII suscipit & Franciæ regnum interdicto absolvit *ibid.* VII. Willelmo Archiep. Eboracensi Pallium denegat *ibid.* VIII. Moritur 1144. I.

Guido Archiepiscopus Mediolanensis Synodum celebrat 1057. X. S. Arialdum & Landulphum Cottam reformationi Cleri collaborantes excommunicat *ibid.* Ab Alexandro II PP. excommunicatur 1066. IX. à Sacerdotum cœlibatus fautoribus malè habetur *ibid.* Archiepiscopatum abdicat 1067. III *& seq.* Illum Gothofredo remittit *ibid.* IV. Eum resumere tentat *ibid.* V. In monasterium ab Herlembaldo detruditur *ibid.* Moritur 1071. XVII.

Guido Ecclesiæ S. Quintini Vermandensis Decanus fit Episcopus Bellovacensis 1067. XI. Abbatiam S. Quintini dictam Bellovaci fundat *ibid.* S. Quintini corpus ad eam transfert *ibid.*

Guido de Via Cardinalis ab Innocentio II. Legatus in Hispaniam mittitur ad Reges inter se conciliandos 1136. XVI. Burgis Concilium celebrat *ibid.* Item aliud Vallisoleti 1137. XXIV.

S. *Guido* Abbas Pomposiani monasterii in Ducatu Ferrariensi siti moritur 1046. III. Corpus ejus ab Henrico Imp. Spiram transportatur *ibid.*

Guido Aretinus Monachus scribit librum de methodo cantandi quem Micrologum inscripsit 1022. VIII.

Guido de Lusiniano Comes Joppensis fit administrator regni Jerosolymorum 1183. XIV. Fit Rex Jerusalem 1185. XVII. à Saladino capitur 1187. IV. Libertati restituitur *ibid.* VIII. Uxore mortua jus in regnum Jerosolymitanum perdit 1189. VII. Cypri regnum à Richardo Angliæ Rege emit 1191. XI.

Guido succedit Willelmo IV Fratri in Comitatum Nivernensem 1168. XIX.

Guigo Cartusiæ quintus Prior moritur 1137. XXII. Vitam S. Hugonis Episcopi Gratianopolitani aliaque Opuscula scripsit *ibid.*

Guillelmus, *vide*, Willelmus.

Guifredus Archiepiscopus Narbonensis ob simoniam jam excommunicatus iterum in Concilio Bisuldunensi excommunicatur 1077. XII. *& seq.*

Guitmundus postea Aversanus Episcopus cum Apostolicæ sedis Legatis ad Conventum Forcheimensem pergit 1077. VII. Christianus etiam dictus est *ibid.* Moritur 1105. IX. Sedente Gregorio VII Aversanum Episcopatum adeptus erat *ibid.*

Gundisalvus fit Rex Soprarbæ & Ripacurtiæ 1032. VII. Occiditur *ibid.*

Gunilda Canuti Angliæ Regis & Emmæ filia Heotico Germaniæ Regi nubit 1035. VII. Moritur 1038. I.

Gunildis Suenonis Daniæ Regis soror Palingo Comiti nupta & Christiana cum Danis omnibus in Anglia jugulatur 1002. XII. Mortem fortiter perfert *ibid.*

H.

H *Adrianus IV* Papa, *vide*, Nicolaus de Brekspere. *Hæretici* quidam sacramenta negantes in Cameracensi

censi Synodo damnantur 1015. XI.

Hæretici novi in Longobardia deteguntur 1015. V.

Hæretici quidam in diœcesi Trevirensi detecti 1116. XXX.

Hæretici prope Coloniam exorti in duas classes distincti erant 1146. XVII *& seq.* Ad eorum capita respondet S. Bernardus *ibid.*

Hæretici Petragoricenses seu Apostolici dicti in Concilio Turonensi sub Alexandro III damnantur 1163. III *& seq.* Eorum dogmata *ibid.*

Haimericus Antiochiæ Patriarcha Latinus quosdam Maronitas hæreticos Ecclesiæ reconciliat 1181. XIII *& seq.*

Hakemus Biamvilla fit Calipha Aegypti 996. XX. Templum Jerosolymitanum destruit 1009. IV *& seq.* Illud reædificat *ibid.* Christianos persequitur *ibid.* Occiditur 1020. V.

Halinardus Abbas S. Benigni Divionensis suadet Henrico Imp. ut Odolricum Lugdunensem Archiepiscopum dicat 1034. X. Ordinatur Archiepiscopus Lugdunensis 1046. V. Henrico Germaniæ Regi sacramentum præstare recusat *ibid.* à Romanis Papa expetitur 1049. I. Electionem declinat *ibid.* cum S. Leone PP. ad Garganum montem pergit *ibid.* VIII.

Hamburgensis S. Mariæ Ecclesia à Vandalia solo adæquatur 1012. III.

Hamburgensis Archiepiscopatus quo tempore Bremam translatus 1043. II.

Hamburgum devastatur & ad nihilum fere redigitur 1072. V.

Hamburgensi seu Bremensi Archiepiscopo Sueciæ & Daniæ Episcopi subjiciuntur 1133. XX.

Hardecanutus Canuti Angliæ Regis & Emmæ filius Daniæ Rex à patre dicitur 1035. VII. Gunildam sororem Henrico Germaniæ Regi uxorem tradit *ibid.* cum Haroldo de regno Angliæ disputat 1036. VI. Ad Emmam matrem in Flandriam pergit 1039. VI. Mortuo Haroldo fit Rex Angliæ *ibid.* VII & 1040. V. Haroldi corpus effodi & in Tamesim projici jubet 1040. V. Gravissimum tributum imponit *ibid.* Moritur 1043. III.

Harigerus Laubiensis Abbas moritur 1007. II. Ejus Opera *ibid.*

Haroldus Daniæ Rex à Suenone filio occiditur 980. IV. *& seq.*

Haroldus fit Daniæ Rex 1077. XIV. S. Canutum Martyrem successorem habuit 1081. XIV.

Haroldus seu Haraldus Canuto Angliæ Rege patre mortuo ab Anglis Rex eligitur 1035. VII & 1036. VI. Haroldum coronare recusat Ælnotus Archiep. Cantuariensis 1036. VII. Haroldus Ethelredi quondam Regis filios fictâ Emmæ Reginæ Epistola in Angliam vocat *ibid.* VIII. Helfridum minorem natu impiè occidit *ibid.* Moritur 1039. VI & 1040. V.

Haroldus Godwini Comitis filius in Normanniam ex Anglis pergit 1065. V. Jurat se regnum Willelmo Normanniæ Duci conservaturum post S. Eduardi Regis mortem *ibid.* S. Eduardo mortuo Regium nomen & insignia sumit 1066. IV. à Willelmo vincitur & in prælio occiditur *ibid.* VI.

Hartmannus Brixinensis Episcopus stat à partibus Alexandri III contra Victorem Antipapam 1160. V. Moritur 1164. XXII.

Hartisburgense castrum contra Saxones ab Henrico IV Germaniæ Rege ædificatur 1073. I. Ab iis diripitur *ibid.* II.

B. Hedelmarus Aroasiensis Congregationis Canonicorum Regularium fundator floret 1097. XIX.

Helena Roberti Guiscardi filia Constantino Michaelis Ducæ Imp. filio desponsatur 1073. XIV. à Nicephoro Botoniate Imp. ad patrem remittitur 1078. VIII.

Helenense Concilium Treugam Dei confirmat 1065. IV.

Helmoldus Historiam suam absolvit 1168. XXII.

Heloissa ex Petro Abaëlardo Astrolabium filium parit 1113. XIV. In monasterio Argentoliensi recluditur *ibid.* Ejectis ex eo monialibus ob incontinentiam, recedit 1129. XII. Monasterii Paracleti Abbatissa constituitur *ibid.* XIV. à Petro Venerabili post Abaëlardi mortem visitatur 1142. VI. Moritur *ibid.* Binominis fuit *ibid.* VII *& seq.*

Henricus fit Archiep. Ravennensis 1052. VI. Ad eum scribit Petrus Damiani *ibid.*

Henricus Archiep. Moguntinus à Legatis Apostolicæ sedis deponitur 1153. I. Moritur *ibid.*

Henricus Episcopus Augustensis S. Udalrici successor in prælio contra Græcos occumbit 983. II.

Henricus Episcopus Virdunensis in Concilio Catalaunensi S. Bernardo suadente Episcopatum dimittit 1129. VIII.

Henricus Stephani Angliæ Regis frater Episcopus Vintoniensis fit Legatus Sedis Apostolicæ in Anglia 1139. XXI. Frustrà de pace agit inter Stephanum Regem & Mathildem olim Imperatricem 1140. XIX. Mathildem Angliæ Reginam agnoscit 1141. IX. Eam in Concilio Vintoniensi agnosci curat *ibid.* X. Eam deserit *ibid.* XI. Concilium Westmonasterii contra eam celebrat *ibid.* XII. Ejus operâ pax conciliatur inter Stephanum Regem & Henricum Comitem Andegavensem 1153. XI. S. Thomam Archiepiscopum Cantuariensem consecrat 1162. XXI. Moritur 1171. VII.

Henricus de Murdach Fontanensis Abbas eligitur Archiepiscopus Eboracensis contra Willelmum itidem electum 1140. XV & XVII. Willelmo deposito iterum eligitur 1147. XIV. Ab Eugenio Papa ordinatur *ibid.* XV. Moritur 1153. XIII.

S. Henricus Finlandiæ Apostolus ordinatur Episcopus Upsalensis in Suecia 1148. XV. Martyrio afficitur 1151. VIII.

Henricus Ludovici VII Francorum Regis frater Monachus Clarævallensis fit Episcopus Bellovacensis 1149. III. Fit Archiepiscopus Remensis 1162. XIII *& seq.* Fortiter stat à partibus Alexandri III contra Victorem Antipapam *ibid.* Remensem urbem durè habet 1167. XXVII. Moritur 1176. IX.

Henricus Abbas Clarævallensis in Concilio Œcumenico Lateranensi sub Alexandro III fit Cardinalis Albanensis 1179. III. Legatus in Burgundiam mittitur 1181. VII. Albigenses hæreticos ad Catholicam fidem perducere frustra tentat *ibid.* VIII *& seqq.* Pacem conciliat inter Philippum Franciæ & Henricum Angliæ Reges 1181. IV. Legationem suam quo tempore absolverit 1183. III *& seq.* Legationem in Germaniam suscipit 1188. VI & IX. Consulitur an aqua transsubstantietur in sanguinem Christi *ibid.* XII. Moritur *ibid.* X.

Henricus Abbas Fuldensis in Concilio Trevirensi ab Eugenio III PP. deponitur 1148. IV.

Henrici Tornacensis Canonici visio examinatur in Concilio Senonensi 1140. VI *& seq.*

S. Henricus postea Imperator fit Dux Bajoariæ 995. VII. Ottoni III in regnum Germaniæ succedit 1002. I. Dies ejus coronationis *ibid.* VI. Henricus Hermannum Sueviæ Ducem ad regnum aspirantem sibi subjicit 1003. VI. Henricum Berthaldi Comitis filium custodiæ mancipat *ibid.* In Italiam expeditionem suscipit & Papiam expugnat 1004. V. Bohemiæ & Poloniæ Duces ad obsequium redigit *ibid.* Tremoniæ in Westphalia Synodum congregat 1005. I. Episcopos objurgat ob nuptias in grado prohibito pactas *ibid.* I *& seq.* Bambergensem Episcopatum instituit 1006. I. Bambergensem Ecclesiam dedicari curat 1011. I. Item Ecclesiam

fiam S. Stephani Bambergensis *ibid.* II & 1019. I. S. Henrici nativitatis annus 1011. I.

S. Henricus Romam pergit 1014. I. à Benedicto VIII PP. Imperator coronatur *ibid.* Pippini, Caroli M. & Ottonum donationes Ecclesiæ Rom. factas confirmat *ibid.* II. Statuit ut Romani Pontificis ordinatio coram Legatis Cæsareis fiat *ibid.* III. Viros sanctos præcipuè coluit *ibid.* IV. Benedictum VIII PP. Bambergæ suscipit 1019. I. Sancto Heriberto Coloniensi Archiep. reconciliatur 1020. I. In Italiam expeditionem suscipit 1022. I. Plures urbes ad deditionem cogit *ibid.* Troiam post trium mensium obsidionem capit *ibid.* Monasterium Casinense visitat *ibid.* IV. S. Godehardum Altahensem Abbatem Episcopum Hildensheimensem ordinari curat *ibid.* VII. Animam Deo reddit 1024. IV. Ejus Vitam scripsit Adelbodus Monachus Laubiensis & Episcopus Ultrajectinus *ibid.* S. Henricus cum S. Cunegunde uxore castè vixit *ibid.* Ab Eugenio III PP. canonizatur 1152. VI.

Henricus Conradi Imp. filius Germaniæ Rex designatur 1026. II. Rex coronatur 1028. XIII. Simoniam in Germania extirpare conatus est 1025. II. Conrado patre inscio cum Stephano Hungariæ Rege pacem facit 1030. II. Odolricum Archidiaconum Lingonensem Archiepiscopum Lugdunensem dicit 1034. X. Bohemiæ Ducem ad obsequium redigit *ibid.* XVII. Gunildam Canuti Angliæ Regis filiam uxorem ducit 1035. VII. Burgundiæ Rex à patre dicitur 1038. V. Conrado patri succedit 1039. I. Petri Hungariæ Regis è regno pulsi patrocinium suscipit 1042. I. Agnetem Willelmi Pictavorum Comitis filiam uxorem ducit 1043. VI. Hungariam post Petri Regis mortem possidendam recipit 1045. II. Sutrii Synodum congregat & tres Antipapas deponit 1046. I.

Romam pergit 1046. I. Clementem II Papam eligi curat *ibid.* Ab eo Imperator coronatur *ibid.* II. S. Guidonis Abbatis Pomposiani corpus Spiram transfert *ibid.* III. Halinardum Lugdunensem Archiep. ordinari facit 1046. V. In Germaniam redit 1047. II. Germanicum Concilium celebrat contra simoniacos *ibid.* III. Conventum Wormatiæ cogit & S. Leonem IX Papam designat 1049. II. Cum Andrea Hungariæ Rege pacem facit 1052. I. Bambergam & alia loca à S. Leone IX PP. recipit *ibid.* IV. Beneventum S. Leoni cedit *ibid.* Henricum filium Regem dicit 1053. XVII. Bajoariæ Ducatum ei tradit *ibid.* In Italiam pergit ibique per annum integrum moratur 1055. IX. In Germaniam redit 1056. I. Bajoariæ Ducatum dat Imperatrici privato jure possidendum *ibid.* Moritur *ibid.* à Goxelino Scholastico Moguntino laudatur 1060. IV.

Henricus IV Henrici III Imp. filius à S. Hugone Cluniacensi Abbate baptizatur 1051. III. Ab Henrico patre Rex dicitur & Bajoariæ Ducatu donatur 1053. XVII. Henrico patri succedit 1056. I. Cadolum Antipapam eligi curat 1061. III. Interest Concilio Osboriensi in quo Alexandri II electio confirmatur & Cadolus Antipapa damnatur 1062. II. Salomonem in regnum Hungariæ restituit 1063. VII. Juditham sororem ei in conjugium dat *ibid.* In Concilio Mantuano Ecclesiæ reconciliatur 1064. I. Bertham Ottonis Italiæ Marchionis filiam in uxorem accepit 1069. I. Eam repudiare frustra tentat *ibid.* Carolum Constantiensem Episcopum à se designatum, licet simoniacum defendit 1071. I & *seqq.* In eum rebellat Otto Bajoariæ Dux 1072. I. Henricus Ottonem in gratiam recipit *ibid.* Annonem Archiep. Coloniensem rerum administrationi præficit *ibid.* In Henricum conjurant Germaniæ Principes *ibid.*

Saxones in servitutem mittere cogitat 1073. I. Ottonem Bajoariæ Ducatu privat, quia Saxo erat *ibid.* Velfonem ei substituit *ibid.* Castrum Hartiburgense construit *ibid.* Episcopatus & omnia Ecclesiastica officia vendit *ibid.* II. In eum Saxones rebellant *ibid.* Investituras dimittere Gregorio VII promittit 1075. XI. Saxones vincit & ad vomitum redit *ibid.* X & *seq.* Gothofredum Mediolanensi Archiepiscopatu investit *ibid.* XI. Tedaldum Mediolanensem Archiep. dicit *ibid.* XV. à Gregorio VII PP. urgetur ut promissis stet 1076. I. Conciliabulum Wormatiæ celebrat *ibid.* II. In eo Gregorium Papam deponit *ibid.* III & V. à Synodo Romana III deponitur & anathematizatur *ibid.* IV. Impedire tentat ne Gregorius ad Germanicum colloquium pergat *ibid.* VI. à Gregorio PP. absolutionem impetrat 1077. I. Cum eo fraudulenter agit *ibid.* II. Coronari frustra petit *ibid.* IV. Promissis non stat *ibid.* V.

Henricus cum Rodulpho Germaniæ Rege dicto bis pugnat 1078. II. Synodo Romanæ V per Legatos promittit se non impediturum colloquium Legatorum sedis Apost. *ibid.* III. Adversus eum querelæ deferuntur ad Concilium Romanum VI sub Gregorio Papa 1079. IV. Item ad Concilium Romanum VII sub eodem Papa 1080. I. Henricus in hoc Concilio excommunicatur *ibid.* II. Apud Brixiam Guibertum Ravennensem Archiep. Antipapam creat *ibid.* III. Guiberti electionem in Conciliabulo Moguntino confirmari curat *ibid.* IV. Rodulphum Regem vincit & occidit *ibid.* VIII. In Italiam pergit & eam terrore implet *ibid.* VIII & *seq.* & 1081. II. Ejus excommunicatio confirmatur in Synodo Rom. VIII sub Gregorio PP. 1081. I. Henrico sola Mathildis Comitissa se opponit *ibid.* III. Henricus Lucensi civitati privilegia concedit *ibid.* IV. à Roberto Calabriæ Duce frustra auxilium petit *ibid.* V & *seq.* Romam obsidet *ibid.* III & VI & 1082. I. Bonizonem Episcopatu Sutrino deturbat 1082. II.

Tertio Romam obsidet 1083. I. Eam capit *ibid.* II. Guibertum Antipapam inthronizat & quo anno *ibid.* & 1084. II. Ab Antipapa cum Bertha Regina Imperator coronatur 1084. I & *seq.* Gregorium PP. in castro S. Angeli obsidet *ibid.* III. Romà discedit *ibid.* VI. à Synodo Rom. X anathematizatur *ibid.* XII. Moguntiæ Pseudo-Synodum celebrat in qua statuit Uratislaum Bohemiæ Ducem ungendum 1086. X. Urbanum II Papam agnoscere recusat 1088. II. à Saxonibus recipitur *ibid.* IX. Mathildis Comitissæ terras occupat 1091. II. Mantuam sibi subjicit *ibid.* III. Inter Henricum & Mathildem pax frustra tentatur 1092. I. Henricus Adelaidem conjugem multis stuprandam tradit & Conrado filio imperat ut idem faciat 1093. II. In eum Conradus filius rebellat *ibid.*

Henricus in Italiam redit 1094. I. Eam relinquere cogitur 1097. XVIII. Henricum filium Juniorem reprobato Conrado coronat 1099. XIX. In Henricum patrem sententia promulgatur in Concilio Lateranensi primo sub Paschali II PP. 1102. I. In eum Henricus filius rebellat 1105. I. Henricus ab Henrico filio regno privatur *ibid.* II. Anathema in Henricum latum confirmatur à Legatis Apostolicæ sedis in Moguntinensi Conventu *ibid.* Henricus ab Henrico filio detinetur 1106. I. Ad Hugonem Abbatem Cluniacensem scribit *ibid.* III. Moritur *ibid.* II.

Henricus V Henrici IV Germaniæ Regis filius Mathildis Comitissæ exercitum vincit 1080. VIII. Ab Henrico patre Rex coronatur 1099. XIX. In patrem rebellat 1105. I. Quintilineburgensem Conventum celebrat *ibid.* Patrem imperio deponit *ibid.* II. Patrem detinet 1106. I. Legatos ad Paschalem PP. in Gallia agentem mittit pro investituris 1107. III. Mathildem Henrici Angliæ Regis filiam uxorem ducit 1110. I & 1114. XVIII. Legatos ad Paschalem PP. mittit 1110. I.

In Italiam pergit *ibid.* Mediolani coronatus non fuit à Grosulano Archiep. Mediolanensi *ibid.* III. Romam intrat 1111. I. Paschalem Papam captivum detinet *ibid.* I & *seq.* Ab eo coronatur Imperator *ibid.* III & *seq.* Ejus factum improbatur à S.Conrado Gebehardo dicto *ibid.* V. Henricus à Paschali Papa investituras extorquet *ibid.* VI. In Concilio Viennensi excommunicatur 1112. IV.

Romam pergit & à Burdino Archiep. Bracarensi Imperator coronatur 1117. IV. Romam secretò intrat 1118. IV. Gelasium Papam hortatur ut Romam veniat *ibid.* V. Burdinum Antipapam creat *ibid.* VII. Ab eo Imperator coronetur *ibid.* VIII. In Liguriam pergit *ibid.* In Coloniensi Concilio excommunicatur *ibid.* XXI. Item in Concilio Remensi à Callisto II Papa 1119. X. Apud Herbipolim Conventum celebrat pro schismate tollendo 1121. VIII. Cum Callisto PP. pacem facit 1122. II & *seq.* In Concilio Lateranensi à Callisto excommunicatione absolvitur 1123. V. Ludovico VI Francorum Regi bellum infert 1125. V. Moritur *ibid.* VI. Annus mortis ejus *ibid.* VII.

Henricus VI Friderici Imp. filius Bambergæ Rex coronatur 1169. VI. Iterum coronatur 1184. IV. Quemdam Urbani III Papæ domesticum male habet 1186. VI. Urbanum PP. vexat *ibid.* VIII. Nubit Constantiæ Rogerii Siciliæ Regis filiæ 1185. XIV & 1186. XVI. à Patriarche Aquileiensi Mediolani sine consensu Papæ coronatur 1186. XVII & *seq.* à Willelmo II Siciliæ Rege Siciliæ Rex designatur 1189. X. Henricum Leonem Saxoniæ Ducem in gratiam recipit 1190. XIV. Frederico patri succedit *ibid.* XVII. Siciliæ regnum sibi deberi contendit *ibid.* XXIII. à Cœlestino III PP. Imperator coronatur 1191. I. & *seq.* Ab Archiepiscopo Mediolanensi coronâ ferreê coronatus non fuit *ibid.* V. In Apuliam cum exercitu intrat *ibid.* VI. frustrà tentata Neapoli in Germaniam redit *ibid.* VIII.

S. Albertum Episcopum Leodiensem & Cardinalem occidi curat 1192. XXI. Gesta ab ejus exercitu contra Tancredum Siciliæ Regem 1193. I & *seqq.* Richardum Angliæ Regem à Leopoldo Austriæ Duce emit *ibid.* VI. Illum pessime habet *ibid.* VII. Pro ejus liberatione Conventum Wormatiæ celebrat *ibid.* VIII. Eum in libertatem restituit 1194. I. Siciliæ regnum occupat *ibid.* VI. Willelmum III. Siciliæ Regem detinet *ibid.* VIII & 1195. VI. In Germaniam redit 1195. VII & *seq.* In regnum Neapolitanum redit 1196. III. Jerosolymitanam expeditionem decernit *ibid.* VII. In Siculos conjuratos animadvertit 1197. I & *seq.* Moritur *ibid.* III.

Henricus Roberti Francorum Regis filius Francorum Rex dicitur & quo anno 1028. IV & *seq.* Cum Roberto fratre adversus patrem bellum gerit 1031. I. Roberto patri succedit 1033. VIII. Robertum fratrem Burgundiæ Ducem dicit *ibid.* X. Annam Russorum Regis filiam uxorem accipit 1036. V. Contra Berengarium Concilium Parisiis celebrari jubet 1050. XV. Philippum filium Regem coronari curat 1059. XVI. Moritur *ibid.* XVII. Balduinum V Flandriæ Comitem Regis & regni tutorem ante mortem testamento dicit *ibid.*

Henricus Willelmi Angliæ Regis filius nascitur 1068. I. Mathildem Malcolmi III Scotiæ Regis filiam uxorem duxit 1093. IX & 1100. XIV & *seq.* Willelmo fratri in Angliæ regnum succedit 1100. XIV. S. Anselmum in Angliam revocat *ibid.* Ab eo petit ut Archiepiscopatum de manu sua recipiat *ibid.* XV. S. Anselmi operâ cum Roberto Normanniæ duce in concordiam redit 1101. I. à Sancto Anselmo pro investituris dissidet *ibid.* I & *seq.* Anselmo frustrà jubet ut consecret Episcopos à se per investituram electos 1102. V. S. Anselmo Romam ire jubet 1103. II. Ejus animum quidam Episcopi exasperant *ibid.* III. Legatum Romam mittit *ibid.* IV. S. Anselmi reditus fisco addicit 1104. XIII. Cum eo in Normannia colloquium habet 1105. VIII. S. Anselmo reconciliatur & eum in Angliam revocat 1106. VIII. Normanniam sibi subigit *ibid.* & 1107. V. Londini Concilium celebrat 1107. VI. In eo investituras dimittit *ibid.*

Contra Clericos concubinarios alterum Concilium Londini celebrat 1108. II. Mathildem filiam Henrico V Germaniæ Regi uxorem tradit 1110. I. & 1114. XVIII. Rodulphum Roffensem Episcopum Cantuariensem Archiep. dicit 1114. V. Walliam sibi subjicit *ibid.* V. Walliæ Ecclesias Metropoli Cantuariæ submittit 1115. X. Commovetur ob gesta contra Episcopos Normanniæ in Catalaunensi Concilio *ibid.* XI. Querela inde inter eum & Paschalem PP. orta citò sopita *ibid.* XII. Henricus Willelmum filium regni hæredem dicit 1116. XII. Anselmo Sedis Apostolicæ Legato Angliæ ingressum prohibet *ibid.* XIII. Theobaldi Campaniæ Comitis causam contra Ludovicum VI Franciæ Regem tuetur *ibid.* XIV & *seq.* Cum Ludovico bellum gerit ob Normanniæ ducatum *ibid.* XXXV. Angliæ Episcopos ad Concilium Remense ire permittit 1119. XI. Turstino Eboracensi Archiepiscopo prohibet ne in suas ditiones redeat *ibid.* Cum Callisto PP. Colloquium habet *ibid.* XII.

Cum Ludovico Franciæ Rege pacem facit 1120. XXVI. In Angliam rediens filius ejus Willelmus naufragio perit *ibid.* XXVII. Athelaidem Gotfredi Lotharingiæ ducis filiam uxorem ducit 1121. XIX. Rodulphum Eboracensem in suam Ecclesiam redire permittit *ibid.* XX. Petrum Leonis Card. Legatum sua munera obire non patitur *ibid.* XXI & *seq.* à Willelmo nepote Flandriæ Comite sibi præcavet 1127. XXIV. Mathildem filiam Henrici Imp. viduam Gaufredo Comiti Andegavensi nubit *ibid.* Londini Concilium celebrat contra uxores Presbyterorum 1129. XV. In eo Episcopos fallit *ibid.* Innocentio II PP. apud Carnotum reverentiam exhibet 1130. XL. Girardum Engolismensem Episcopum in favorem Anacleti Antipapæ sollicitantem rejicit *ibid.* XLI & *seq.* Innocentio Remis Concilium celebranti obedientiam præstat 1131. XIII. Moritur in Normannia 1135. XXXV. Corpus ejus in Angliam defertur *ibid.*

Henricus postea Angliæ Rex hujus nominis II Gaufredi Comitis Andegavensis & Mathildis olim Imperatricis filius in Angliam à patre mittitur 1142. IX. Iterum in Angliam redit 1149. V. Fit Normanniæ & Andegavensium dux 1150. VI. Ludovico Franciæ Regi hominium facit *ibid.* Nubit Eleonoræ à Ludovico Rege Franciæ repudiatæ 1151. IV. Cum Stephano Angliæ Rege pacem init & Rex Angliæ post ejus obitum designatur 1153. XI. Angliæ Rex Londini coronatur 1154. IX. Wallenses sibi hominium præstare cogit 1156. V & *seq.* In Galliam venit & obtinet Margaretam Ludovici Regis filiam Henrico filio desponsandam 1158. VI & *seq.* Tolosam obsidet 1159. XVII. Oxonii contra Veldenses Concilium congregat eosque Anglia pellit 1160. XIV & *seq.*

Alexandrum III pro vero Pontifice agnoscit 1161. I. Et quidem in Concilio Tolosano *ibid.* IX & *seqq.* Laudatur quod primus eum agnoverit *ibid.* V. Cum Ludovico Franciæ Rege pacem facit *ibid.* VII & *seq.* Alexandri III efflagitatu Ludovico auxilium promittit 1162. XI. S. Thomam Archiepiscopum Cantuariensem eligi curat *ibid.* XXI. Ejus cum S. Thoma dissidii origo 1164. VI. Henricus nuncios ad Alexandrum III dirigit *ibid.* I. Conciliabulum Clarendonense cogit *ibid.* S. Thomam in causam trahit *ibid.* II. Apud Northamptoniam aliud Conciliabulum celebrat *ibid.* III.

III. Ad Alexandrum PP. contra S. Thomam Legatos dirigit *ibid.* IV. Pecuniam ad Terræ Sanctæ subsidium in suis ditionibus colligi jubet *ibid.* XXVIII. in propinquos & amicos S. Thomæ sævit 1165. I. Infaustam expeditionem in Walliam suscipit *ibid.* II Legatos ad Herbipolensem Conventum mittit & Antipapam Paschalem agnoscit 1166. II. Chinonii in provincia Turonensi Conventum celebrat *ibid.* IV *& seq.* & 1167. XVII.

Londini Conciliabulum cogit 1166. VI & 1167. XVIII. post Conventum Herbipolensem Legatos ad Alexandrum PP. mittit 1166. VII *& seq.* Commonetur & comminatur à S. Thoma *ibid.* X. Episcopos Angliæ & Normanniæ ad Papam appellata facit *ibid.* XIII. S. Thomam è Pontiniaco monasterio pelli curat *ibid.* XIV & 1167. XX. Ad Alexandrum PP. Legatos mittit 1166. XIII & 1167. XIX & XXI. de Henrici cum S. Thoma pace frustra agunt Legati Alexandri Papæ 1168. III *& seq.* Henricus cum Ludovico Franciæ Rege bellum gerit *ibid.* III. Nuncios ad Alexandrum PP. mittit *ibid.* XI. Cum S. Thoma coram Ludovico Rege colloquium habet *ibid.* XVI *& seq.* Cum Ludovico pacem facit *ibid.* Minorem Britanniam acquirit 1168. XXIII. Ejus cum S. Thoma reconciliatio frustra tentata 1169. I. Alexandri PP. literæ ad Henricum hac de re scriptæ *ibid.* II. Henricus Mediolanensibus favat contra Fredericum Imp. *ibid.* IV. Henricum filium ab Eboracensi Archiep. coronari facit 1170. I. S. Thomam in Angliam redire permittit *ibid.* II. Queritur quod nemo de injuriis sibi à S. Thoma illatis ultionem capiat *ibid.*

Hiberniam expugnare jamdiu decreverat 1171. II. Eam subjugat *ibid.* III. Ejus expeditionis epocha *ibid.* V. Reguli & Præsules Hiberniæ Henrico fidelitatem jurant *ibid.* IV. de cæde S. Thomæ à Legatis Alexandri PP. absolvitur 1172. I. In eum filii & Eleonora uxor conjurant 1173. I. Henricus ad Alexandrum PP. confugit *ibid.* Ad S. Thomæ sepulchrum pœnitentiam agit 1174. VII. Cum filiis reconciliatur *ibid.* VIII. S. Petri Tarantasiensis operâ cum Ludovico Franciæ Rega pacem facit *ibid.* X. divortium cum Eleonora uxore meditatur 1175. II. Pacificum Hiberniæ dominatum obtinet *ibid.* III. Joannam filiam Willelmo II Siciliæ Regi nubit 1176. I. Castellæ & Navarræ Reges inter se conciliat 1177. XXI. Tolosam proficiscitur adversùs Albigenses hæreticos 1178. IV. Cum Philippo Franciæ Rege pacem init 1182. IV. Hiberniæ res componit 1183. IX *& seq.* Legatos Balduini Jerosolymorum Regis suscipit 1185. X. pro subsidio Terræ Sanctæ Londini Conventum celebrat *ibid.* IX *& seq.* Joannem filium in Hiberniam mittit 1171. II & 1186. IX. Crucem suscipit 1188. II. Cum Philippo Franciæ Rege bellum gerit *ibid.* V. Cum eo pacem facit 1189. I *& seq.* Moritur *ibid.* III.

Henricus Henrici II Angliæ Regis filius ab Archiepiscopo Eboracensi Rex coronatur 1170. I. in patrem conjurat 1173. I. à patre in gratiam recipitur 1174. VIII. Moritur 1183. V.

Henricus Davidis Scotiæ Regis filius à Stephano Angliæ Rege Northumbriæ comitatu donatur 1139. XIX.

Henricus Henrici Ottonis Magni fratris filius se Germaniæ Regem dicit 983. VI & 984. II. in Bajoariæ ducatum restituitur 985. VI. Moritur 995. VII.

Henricus Berthaldi Comitis filius S. Henrico Regi rebellis custodiæ mancipatur 1003. VI.

Henricus Portugalliæ Comes Therasiam Alphonsi VI. Legionis & Castellæ Regis filiam uxorem duxit 1108. VI. Cum Raimundo Gallæciæ Comite pactum facit de partiendo regno post Alphonsi VI mortem *ibid.* VIII. Moritur 1112. IX. Alphonsi Portugalliæ Regis primi pater fuit *ibid.* Filius erat Henrici filii Roberti Burgundiæ Ducis *ibid.*

Henricus Bajoariæ Dux Lotharii Imperatoris gener fit Tusciæ Marchio 1134. I. Lothario mortuo imperium usurpare nititur 1138. VI.

Henricus Theobaldi IV Campaniæ Comitis filius fit Comes Campaniæ & Trecarum 1152. XV. Ludovico VII Franciæ Regi fraudulenter suggerit ut Latonensem Conventum adeat pro reformanda Ecclesiæ pace 1162. III, V *& seqq.* Jerosolymam petit 1179. XX. fuit Rex Jerosolymorum 1191. VIII. Moritur 1197. V.

Henricus Leo Bajoariæ & Saxoniæ Dux à Frederico Imp. ditionibus privatur 1180. XI. Ab eo Brunsvicenses duces hodierni originem ducunt *ibid.* Henricus Leo cum Henrico VI reconciliatur 1190. XIV. Moritur 1195. IX. Ejus elogium *ibid.* X.

Henricus quidam Hæreticus agnoscitur in vicinia Cenomani 1116. XIX. Ejus præsentiam Cenomanenses expetunt *ibid.* XX. Henricus duos ex suis discipulis Cenomanum mittit *ibid.* XXI. Cenomanum venit & hæresim suam prædicat *ibid.* XXII. Plebem adversùs Clerum commovet *ibid.* XXIII. à Clero excommunicatur *ibid.* XXIV. Errores disseminare non desistit *ibid.* XXV. Mores corrumpit *ibid.* XXVI *& seq.* Ejus sectatores adversus Hildebertum Episcopum Cenomanensem rebellant *ibid.* XXVII. Ejus inscitia in apertum profertur *ibid.* XXVIII. Henricus è Diœcesi Cenomanensi pellitur *ibid.* XXIX. Damnatur in Concilio Pisano 1134. IV. in Comitatu Tolosano errores suos disseminat 1147. XVII.

Heraclius fit Jerosolymorum Patriarcha 1180. VII. à Balduino IV Rege mittitur ad Lucium III & ad Reges Franciæ & Angliæ 1184. V. & 1185. VII. in Galliam appellit 1185. VIII *& seq.* Inde in Angliam *ibid.* X *& seq.* Moritur 1191. XVIII.

Herbipolense Concilium Innocentii II PP. electionem confirmat 1130. LVIII.

Herbipolensis Conventus à Frederico Imp. cogitur 1166. I. Quo anno celebratus *ibid.* I & III. in eo Paschalis Antipapa recipitur & Alexander III abjuratur *ibid.* I *& seq.*

S. Heribertus Ottonis III Cancellarius fit Archiep. Coloniensis 998. XX. Pallium à Silvestro II recipit *ibid.* Ejus ordinationis annus probatur 1001. I *& seq.* S. Adelhaidi Vilicensi Abbatissæ summa charitate conjunctus fuit 1015. V. Ejus funus curavit *ibid.* S. Henrico Imp. reconciliatur 1020. I. Moritur 1021. I.

Heribertus Archiep. Mediolanensis à Conrado Salico Imp. detinetur & quare 1037. I. à Benedicto IX excommunicatur 1038. IV.

Herbertus Trecarum Comes pater Agnetis Caroli Lotharingiæ Ducis uxoris 990. VI. Arnulphi Remorum Archiepiscopi patrocinium suscipit *ibid.* VII.

Hericus Sueonum Dux Daniam invadit & Sueonem Regem pellit 980. VI. Moritur 994. IV.

Herimannus Archiep. Coloniensis fit Archicancellarius Romanæ Ecclesiæ 1049. XIII.

Herimannus Episcopus Metensis Gregorii VII defensor in Moguntina pseudo-Synodo deponitur 1085. III *& seq.* In sedem restituitur *ibid.* IV. S. Clementis Metensis Episcopi primi Reliquias transfert 1090. V. Moritur *ibid.* VI.

S. Herlembaldus Sacerdotum Mediolanensium conjugia & simoniam detestatur 1057. IX. Accepto ab Alexandro II PP. vexillo Ecclesiæ defensor constituitur 1061. V. Ejus Vitam non scripsit B. Andreas Vallumbrosæ Abbas *ibid.* VII. Sententiam excommunicationis Guidonis Mediolanensi Archiep. defert 1066. IX. Romam iterum pergit 1067. IV. Guidonem Archiep. in monasterio detinet *ibid.* V. Gothofredum Archiepiscopatus invasorem in castro Castilioni obsidet 1071. XV *& seq.* Athonem Archiep. Mediolanensem eligi procurat 1072.

1072. VIII. Adversus Gothofredum invasorem agit 1074. VII. Martyrio coronatur 1076. VIII. Ab Urbano II in Sanctorum numerum refertur 1096. XVI.

Herluinus Cameracensis Episcopus consecratur à Gregorio V. PP. 996. IX.

Hermannus Præpositus Halberstadensis fit Hamburgensis Archiepiscopus 1034. IX.

Hermannus Lotharingus fit Germaniæ Rex à Catholicis 1082. VII. In Moguntina pseudo-Synodo majestatis reus declaratur 1085. III. Moritur 1088. IX.

Hermannus Sueviæ Dux ad regnum Germaniæ aspirans Argentinam capit & incendit 1003. VI. Henrico Regi se submittit *ibid.*

Hermannus Dux Alemannorum Giselæ Augustæ filius. Moritur 1038. I.

Hermannus Contractus Augiensis Monachus moritur 1054. X. Wolferadi Comitis Veringensis in Suevia filius erat *ibid.* Chronici ejus variæ sunt editiones *ibid.*

Heroldus Saltzburgensis Archiep. depositus damnatur in Concilio Ravennensi 967. III.

Hervaus Monachus Burgidolensis in diœcesi Bituricensi floret 1149. IV. Ejus Opera *ibid.*

Hiacynthus Bobo Cardinalis à Petro Blesensi laudatur 1164. IX. Alexandri III electioni interfuit *ibid.* X. Eligitur Pontifex Romanus & Cælestinus III appellatur. 1191. I. Consecrationem suam differt, & quare *ibid.* II & *seq.* Consecratur *ibid.* I & *seq.* Henricum VI Imperatorem coronat *ibid.* Albertum Eremitam Patriarcham Jerosolymorum dicit *ibid.* XVIII. S. Ubaldum Episcopum Eugubinum in Sanctorum numerum refert 1160. X & 1192. I. Cælestino PP. male attribuitur rescriptum Clementis III quo Ecclesias Scotiæ sedi Apost. immediate subjicit 1192. II. Cælestinus duos Legatos in Normanniam mittit qui non recipiuntur *ibid.* III & *seq.* Cælestinus de Terra Sancta conservanda sollicitus est *ibid.* V. plures Cardinales in Siciliam misit pro liberatione Constantiæ Augustæ 1192. XIV & *seq.* Constantiam in Alemanniam remittit *ibid.* XV.

Veronensem Episcopum mittit ad excommunicandum Leopoldum Austriæ Ducem 1195. II. Eum ab excommunicatione absolvit *ibid.* Scribit ad Michaelem de Corbolio se cassare sententiam divortii inter Regem & Reginam Franciæ *ibid.* II. Philippi Bellovacensis Episcopi in bello capti liberationem à Richardo Angliæ Rege frustrà petit 1196. II. Ecclesiam S. Laurentii in Lucina non dedicavit *ibid.* IV. Cælestinus PP. moritur 1198. I. Teutonicorum militiam confirmavit *ibid.* II.

Hibernia ab Henrico II Angliæ Rege subjugatur 1171. III. Hiberniæ Reguli & Præsules Henrico fidelitatem jurant *ibid.* IV. Hiberniæ expugnatæ epocha *ibid.* V. Hibernia tota Henrico subditur 1175. III. de Hibernia in regnum evehenda agitur 1186. IX.

Hibernicum Concilium pro institutione Episcopatus Watafordiensis quo anno celebratum 1097. II.

Hibernicum Concilium pro institutione quatuor Archiepiscopatuum 1152. XII.

Hibernicum alterum Concilium celebratur 1186. X.

Hildebertus fit Episcopus Cenomanensis 1097. XIII. Laudatur *ibid.* XIV. Berengarii epitaphium composuit 1088. X. à Willelmo II non ab Henrico Angliæ Rege vexatus fuit 1107. VII. Romam petit *ibid.* VIII. à Rogerio Siciliæ Comite honorifice suscipitur *ibid.* Romam pergit 1116. XIX. Ejus profectionis causa *ibid.* XXIX. Henricum quendam hæreticum ad verbum Dei annunciandum Cenomannum ire permittit *ibid.* XXI. Româ redit *ibid.* XXVII. Henrici hæretici sectatores in eum rebellant *ibid.* Hildebertus Henrici inscitiam in apertum profert *ibid.* XXVIII. Eum è diœcesi sua pellit *ibid.* XXIX. Fit Archiepiscopus Turonensis 1131. XXIII. Moritur *ibid.*

Hildebrandus Monachus postea Papa Gregorius VII dictus cum S. Leone Romam pergit 1049. V. Gebehardum Aistetensem Episcopum Victorem II appellatum de consensu Cleri & populi Rom. Pontificem eligit & Romam ex Germania ducit 1055. I. Turonis Concilium celebrat in quo Berengarius hæresim suam abjurat *ibid.* V. à Stephano IX Legatus Mediolanum mittitur 1057. XI. Tempore mortis Stephani IX Ecclesiæ Rom. Subdiaconus erat & Abbas monasterii S. Pauli 1058. I & *seq.* Nicolaum II Papam eligit & cum eo Romam pergit *ibid.* VII. Ab eo fit Archidiaconus Ecclesiæ Rom. 1059. XI & XIII. fit Cancellarius Ecclesiæ Rom. 1061. IV. Ratione Archidiaconatus Cardinalis erat 1072. X. Ejus operâ Athonis Archiep. Mediolanensis electio à Papa confirmatur & Gothofredi electio rejicitur *ibid.* Pontifex Romanus eligitur & Gregorius VII appellatur 1073. IV. Presbyter ordinatur *ibid.* Inthronizatur invitus & mœrens *ibid.* V. Pontifex consecratur coram Legato Regio *ibid.* IV & VI. Ejus patria, parentes & probitas *ibid.* VII. Gregorius Hugonem Candidum Legatum in Hispaniam mittit & Romanum Officium in Aragonia recipi curat *ibid.* VIII.

Gothofredum Mediolanensis Ecclesiæ invasorem in Synodo Romana prima excommunicat 1073. XII. Ad Africanos & ad Cyriacum Carthaginensem Episcopum scribit *ibid.* XIII. Mathildem Tusciæ Comitissam plurimum laudat 1074. I. Concilium primum Romæ celebrat in quo edit decreta contra Sacerdotes simoniacos & incontinentes 1074. IV & *seq.* Adversus eum sacerdotes simoniaci & concubinarii tumultuantur *ibid.* V. Purgatur à calumnia ipsi à Sigeberto conficta *ibid.* VI. Robertum Calabriæ Ducem ob Beneventi obsidionem excommunicat *ibid.* VIII. Eum absolvit & quo anno *ibid.* VIII & *seq.* Petit Officium Romanum recipi in regnis Castellæ, Legionis & Navarræ *ibid.* X. Ottonem Constantiensem Episcopum Romam citat *ibid.* XV. Eum excommunicat & deponit *ibid.*

Secundum Romæ Concilium celebrat contra investituras 1075. I & *seqq.* Hugonem Diensem Episcopum Legatum in Gallias mittit *ibid.* IV. De Hungaria & Polonis sollicitus est *ibid.* XII. Legatos ad Russorum Regem mittit *ibid.* XIII. Prohibet Tedaldum ab Henrico Rege Archiep. Mediolanensem dictum consecrari *ibid.* XVI. Henricum Regem Germaniæ urget, ut promissis stet 1076. I. in Conciliabulo Wormatiensi deponitur *ibid.* III & V.

Tertium Romæ Concilium celebrat in quo Henricum Regem deponit & anathematizat 1076. IV. à Principibus Germaniæ ad Colloquium invitatus pergere promittit *ibid.* VI. Scribit ad Luitprandum Presbyterum Mediolanensem à Clericis concubinariis mutilatum *ibid.* IX. Henricum Regem absolvit 1077. I. Legatos Mediolanum mittit *ibid.* III. Henricum coronari non permittit *ibid.* IV. Ad Forcheimensem Conventum Legatos mittit *ibid.* VII. Dictatûs ei falsò attributi Auctor non est *ibid.* VIII. Amatum Oloronensem Episcopum in Hispaniam Legatum dirigit *ibid.* XII. Cum Roberto Duce Calabriæ colloquium habet *ibid.* XVIII. Imperialem coronam ei promittit *ibid.* XVIII & *seq.* Ejus colloquii tempus *ibid.* XX. & *seq.*

Quartum Romæ Concilium celebrat 1078. I. Ex eo Legatos in Germaniam mittit ad terminandam causam Henrici & Rodulphi Regum *ibid.* I & III. Quintum Romæ Concilium habet *ibid.* III. in eo Berengarium audit *ibid.* IV & *seq.* Sextam Romanam Synodum cogit 1079. I. Berengarium hæresi abjurata literis suis commendat *ibid.* II. Legatos in Germaniam mittit *ibid.* IV & *seq.* Queritur quod Hugo Burgundiæ Dux Mona-

Monachum Cluniaci induerit 1079. VII. Logdunensi Archiepiscopo Primatum tribuit *ibid.* VIII. Boleslaum Poloniæ Regem Regia dignitate privat ob cædem S. Stanislai Cracoviensis Episcopi *ibid.* X.

Septimum Concilium Romæ celebrat 1080. I. In eo Henricum Regem excommunicat *ibid.* II. Tres Episcopos schismaticos deponit *ibid.* Rodulphum in Regia dignitate confirmat *ibid.* Decretum de investituris in secundo Concilio Rom. latum confirmat *ibid.* Calabriæ & Siciliæ investituram dat Roberto Guiscardo 1080. V. pseudo-Michaelem Imp. Episcopis Calabriæ & Apuliæ commendat *ibid.* VI. Cum Roberto Duce alterum colloquium habet & fœdus facit *ibid.* IX *& seq.* Richardum Cardinalem Legatum in Hispaniam mittit *ibid.* XI. In Concilio Romano VIII Henrici excommunicationem confirmat 1081. I. à Roberto Calabriæ Duce auxilium frustra petit *ibid.* V *& seq.*

Nonum Concilium Romæ cogit 1083. V. In castellum S. Angeli se recipit 1084. I. in eo obsidetur *ibid.* III. à Roberto Calabriæ Duce liberatur *ibid.* V. Salernum ab eo ducitur *ibid.* VI. Ante discessum Henricum Regem & Guibertum Antipapam in Concilio Romano X anathematizat *ibid.* XII. Salerni moritur 1085. VI. Sententiam in Henricum Regem latam ante mortem non rescidit *ibid.* VII. Annos suos à die electionis dedusit *ibid.* à bonis laudatur *ibid.* VIII. Nomen ejus Martyrologio Rom. inscriptum *ibid.* Ejus Vitæ scriptor *ibid.*

S. *Hildegardis* Bingis in Germania Abbatissa floret 1146. X. à S. Bernardo visitatur & laudatur *ibid.* Ejus scripta in Concilio Treviseosi ab Eugenio III PP. examinantur 1148. III. Hildegardis ad scribendum ab Eugenio Papa animatur *ibid.* Eugenio pacem cum Romanis prædicit ejusque prophetia adimpletur 1152. I. Moritur 1178. VIII.

Hildevvaldus Halberstadensis Episcopus assentitur institutioni Archiepiscopatus Magdeburgensis in Concilio Ravennensi 967. V.

Hispaniæ Regum filii & filiæ quare Infantes dicti 1065. III. Hispaniæ Episcopi Concilio Remensi sub Eugenio III Papa intersunt 1148. VII.

Honorius II Papa, *vide*, Lambertus Ostiensis Episcopus.

Honorius Augustodunensis floret 1130. LIII. Ejus Opera *ibid.*

Hospitalarii, *vide* Equites Hospitalarii.

Hubertus Cantuariensis Archiep. Apostolicæ Sedis Legatus Eboraci Concilium celebrat 1195. III.

Hubertus Hugonia Italiæ Regis ex Wandelmolda concubina filius pater fuit Hugonis Tusciæ Marchionis 1002. IV.

Hugo Lugdunensis Camerarius eligitur Episcopus Diensis in Concilio Cabilonensi 1073. IX. à Giraldo Legato commendatur Gregorio VII PP. *ibid.* Ab eodem Papa fit Legatus S. Sedis in Galliis 1075. IV. Prohibet Daimbertum Senonensem electum consecrari antequam Primatum Lugdunensis Ecclesiæ recognoscat 1079. VIII *& seq.* & 1099. II. Manassem Archiep. Remensem in Lugdunensi Concilio deponit 1080. XIII *& seq.* Concilium Avenione celebrat in quo S. Hugonem Gratianopolitanum Episcopum eligit *ibid.* XV. quo anno dictus sit Archiep. Lugdunensis *ibid.* & 1082. VI. à Gregorio VII successor in sedem Romanam designatur, sed ob absentiam non eligitur 1085. VI. Victorem III Papam calumniatur 1087. IV. Ab eo à communione fidelium suspenditur *ibid.* VII. Popponem Metensem Episc. consecrat 1090. VI. Fit Legatus Urbani II PP. 1094. XI. Augustoduni Concilium celebrat in quo Philippum Franciæ Regem excommunicat *ibid.* Pictavis alterum Concilium congregavit & quo anno 1100. VIII.

Hugo de Stampis quo anno dictus Archiepiscopus Turonensis 1131. XXIII. Anno MCXXXIII nondum pacificam possessionem Episcopatus inierat 1134. XX.

Hugo Archiepiscopus Rotomagensis floret 1134. II. Ejus Opera *ibid.*

Hugo Tuciacensis quo anno dictus Archiepiscopus Senonensis 1144. XIII.

Hugo Lingonensis Episcopus scribit adversus Berengarium 1051. IV.

Hugo Presbyter Cardinalis Candidus dictus ab Alexandro II Legatus in Hispaniam mittitur 1064. VI & 1068. VII. Plura Concilia ibidem celebrat *ibid.* Iterum à Gregorio VII Legatus in Hispaniam dirigitur 1073. VIII Stat à partibus schismaticorum qui Gregorium VII deposuerant 1076. III.

Hugo de Folieto Cardinalis floret 1134. XLI. Ejus opera *ibid.*

S. *Hugo* Canonicus Valentinus in secundo Concilio Avenionensi eligitur Episcopus Gratianopolitanus 1080. XV. Hugoni Romam pro consecratione petenti Mathildis Comitissa necessaria subministrat *ibid.* S. Hugo moritur 1132. XI. Monasterium Casilieose fundavit *ibid.* XII. Ab Innocentio II canonizatur 1134. II.

Hugo Cartusiensis succedit S. Hugoni in Episcopatum Gratianopolitanum 1132. XI. Scribit ad patres Concilii Jotrensis contra parricidas Thomæ Prioris S. Victoris Parisiensis 1135. IV & VIII.

Hugo Pontiniacensis Abbas postea Autissiodorensis Episcopus nomine Cartusianorum in Concilio Remensi Innocentio II obedientiam præstat 1131. XIII.

Hugo de Nonant Coventrensis postea Episcopus S. Thomæ Cantuariensis discipulus fuit & cum eo exulavit 1172. II.

S. *Hugo* Lincolniæ Episcopus floret 1191. XV & 1194. II. Annus mortis ejus & canonizationis 1194. III.

Hugo Abbas S. Martialis contendit S. Martialem dicendum esse Apostolum 1023. II & 1024. XII *& seqq.* Moritur 1025. X.

S. *Hugo* fit Cluniacensis Abbas 1048. V. Cum B. Petro Damiani & Desiderio Abbate Casinensi postea Papa necessitudine conjunctus fuit *ibid.* Henricum Henrici Imp. filium de sacro fonte levat 1051. III. à S. Leone PP. Legatus missus pacem conciliat inter Henricum Imp. & Andream Hungariæ Regem 1052. I. Haganonem Augustodunensem Episcopum cum Roberto Burgundiæ Duce reconciliat 1055. II. Fit Legatus Nicolai II Papæ in Galliis & Concilium Avenione celebrat 1060. V *& seq.* Romam petit & Petrum Damiani Legatum obtinet pro confirmatione privilegiorum Cluniacensis Monasterii 1062. III *& seq.* Moritur 1109. V.

Hugo II fit Cluniacensis Abbas & moritur 1122. VI.

Hugo Catalaunensis Auctor est Pannormiæ seu Epitomes decreti juris ab Ivone Carnotensi Episcopo compositi 1117. XVI *& seqq.*

Hugo de Sancto Victore floret 1140. IX. Ejus patria & annus emortualis *ibid.*

Hugo Metallus Canonicus Regularis 1132. XIII.

Hugo puer in Anglia à Judæis crucifigitur 1146. VIII.

Hugo de Paganis cum Godefrido de S. Audomaro Templariorum ordinem instituit 1118. XXII.

Hugo Capetus fit Rex Francorum 987. II. Hugoni regnum prænunciatum fuerat à S. Walarico *ibid.* III. Hugo originem ducebat à Childebrando Caroli Martelli fratre *ibid.* IV. In Aquitaniam cum exercitu properat *ibid.* I. Robertum filium regni consortem facit 988. V. Arnulphum Lotharii Regis filium naturalem Remensem Archiep. dicit *ibid.* Contra eum scribit ad Joannem XV Papam 990. IV & 991. I *& seq.* Landunum cum Carolo Lotharingiæ Duce capit 990. VI. Synodum Remensem convocari curat & Arnulphum Remensem Episcopum deponi 992. II. Gerbertum Arnulpho substitui postulat *ibid.* Legatum in favorem

Gerberti

Gerberti ad Joannem XV mittit 994. I. Moritur 998. I. Ejus uxor *ibid.* II.

Hugo Roberti Francorum Regis filius ab Italis Rex postulatur 1025. III. Quo anno Franciæ Rex unctus 1028. I. quo anno mortuus *ibid.* II & 1025. III. Quo ætatis anno 1028. III.

Hugo Herruriæ Dux laudatur 1002. III. Filius erat Huberti Hugonis Italiæ Regis filii *ibid.* IV. Sine liberis mortuus est *ibid.*

Hugo filius Henrici Roberti Burgundiæ Ducis filii fit Dux Burgundiæ 1033. X. Fit Monachus Cluniacensis 1079. VII.

Hugo Magnus Philippi Francorum Regis frater ad bellum sacrum cum Crucesignatis proficiscitur 1096. XIII. Tarsi Moritur 1102. VI.

Hugo Vicecomes Puteolensis adversus Rotrocum Comitem Perticensem querelam defert ad Paschalem PP. 1104. IX. Ad bellum sacrum proficiscitur *ibid.* Querela ejus ab Jvone Carnotensi Episcopo dirimitur *ibid.*

Hugutio Cardinalis Legatus in Angliam mittitur 1175. II.

Humbaldus Lugdunensis Archiepiscopus Apostolicæ sedis in Galliis Legatus 1126. X. Aurelianis Concilium celebrat *ibid.*

Humbertus postea Cardinalis Romam pergit cum S. Leone IX PP. 1049. XIV. à S. Leone Legatus Constantinopolim mittitur 1053. XII. Scribit pro Ecclesia Latina contra calumnias Michaelis Cerularii Patriarchæ CP. *ibid.* Eum excommunicat *ibid.* XIII & 1054. I & *seq.* Jam Cardinalis & Episcopus Sylvæ Candidæ composuit professionem fidei à Berengario in Concilio Romano editam 1059. III. Moritur 1067. I.

Humiliatorum tertius ordo à S. Bernardo Mediolani fundatur 1134. XIV. Ante S. Bernardum Humiliati nec habitum nec Regulam habebant *ibid.* XV.

Hunfredus Normannorum Comes omnem Apuliam victis Italis subigit aut sub tributum mittit 1053. X. Robertum Guiscardum fratrem in Calabriam mittit *ibid.*

Hunfridus Ravennensis Episcopus S. Leonis IX PP. inimicus divinitùs punitur 1052. V & *seq.*

Hungari ad fidem Christianam suscipiendam dispositi 979. III & *seq.* In Hungaria fides Christiana dilatatur *ibid.* VII.

Hungaria Henrico Germaniæ Regi reddita 1045. II.

Hungari sumptus necessarios in eundo & redeundo Apostolicæ Sedis Legatis solvere recusant 1102. II.

Hungari à Joanne Comneno Græcorum Imperatore vincuntur 1123. XVI.

Hydruntum à Polyeucto Patriarcha Constantinopolitano fit sedes Archiepiscopalis 968. XII.

I.

I*Accetanum* Concilium quo anno celebratum 1060. II & 1063. X. In eo Gothicum Officium abrogatum & Romanum admissum 1060. II. in eo sedes Episcopalis Osca Jaccam translata est *ibid.* & 1094. XXII.

Jacob Aben Jucef fit Imperator Almohadum Africæ & Hispaniæ 1184. VIII. in eum Africani rebellant 1185. XIX. Jacob Alim rebellium ducem occidit & bello civili finem imponit 1187. XXI. Algarbiam & Sylviam urbes in Hispania amittit 1188. XVIII. Sylviam recuperat 1190 XXIV. Alphonsum VIII Castellæ Regem profligat 1195. VI. cum eo pace facta in Africam redit 1196. V. Moritur 1198. VII.

S. *Jacobi* ordo militaris in Hispania 1158. XII. Ab Alexandro III PP. confirmatur 1175. V.

Jaroslaus Russiæ Dux Poloniam infestat 1034. XVI. Moritur 1036. V. S. Volodomiri Russiæ Regis filius erat *ibid.* Anna ejus filia Henrico Francorum Regi nupta fuit *ibid.*

B. Ida Boloniæ in Picardia Comitissa Godefridi Barbati Lotharingiæ Ducis & Dadæ filia 1070. VI & *seq.* Uxor Eustachii II Comitis Boloniensis *ibid.* VII.

Ieremias frater Mariæ Azizi Billæ Caliphæ Aegypti uxoris Jerosolymorum Patriarcha 1009. VI. Occiditur à Saracenis *ibid.* IV. Martyr dicitur *ibid.* VI Sedit post Joannem Patriarcham 1011. VI.

Jerosolymitanum Templum à Saracenis destruitur 1009. IV. Ab iis reædificatur *ibid.* V & *seq.* à Romano Argyro Imp. instauratur 1031. IV.

Jerosolymitanum sepulchrum frequentari incipit 1035. V. à Calipha Aegypti clauditur & ejus aditus Christianis prohibetur 1056. VI.

Jerosolyma usque ad annum MLX paruit Aegypti Caliphæ 1056. VI. Venit in potestatem Caliphæ Babylonis *ibid.* Iterum transit in potestatem Caliphæ Aegypti *ibid.*

Jerosolymitana expeditio præcipua causa Concilii Claromontani 1095. XI. Hujus expeditionis Auctor vel incentor Petrus Eremita *ibid.* XII. Ad eam omnes hortatur Urbanus II Papa *ibid.* XIII.

Jerosolyma à Crucesignatis expugnatur 1099. XI. Jerosolymorum Rex creatur Godefridus Bullonius *ibid.* XII.

Jerosolymitanum Concilium Arnulphum Patriarcham deponit 1115. VIII.

Jerosolyma à Saladino capitur 1187. IX & *seq.*

Ignis Sacer delatis S. Genovefæ Reliquiis miraculosè sanatur 1131. VII. Diu in Gallia sævit *ibid.* VIII.

Ilerda Raimundo IV Barcinonensi Comiti deditur 1149. VI. Ilerdensis Episcopatus instauratur *ibid.*

Imber Solito copiosior Constantinopoli erumpit 968. IV.

Imperium Orientale per quadriennium civilibus bellis affligitur 976. I & *seqq.* Novis bellis civilibus ardet 986. IV.

Imperatorum Italiam ingredientium jura 962. VI.

Imperatores Græcorum Occidentali nomen Imperatoris tribuere recusant 968. XII.

Infantaticum Alphonso VIII Castellæ Regi restituitur 1181. XVI.

Ingeburga Daniæ Regis filia Philippo Franciæ Regi nubit 1193. IX. Ab eo repudiatur *ibid.* Ejus prosapia *ibid.* Ingeburga apud Cœlestinum PP. queritur quod Philippus aliam superinduxerit uxorem 1196. XII. à Philippo postea in gratiam recepta fuit *ibid.*

Ingelheimensis Synodus celebratur 972. II.

Ingulphus Croylandensis Abbas moritur 1109. XVI.

Innocentius II Papa, *vide* Gregorius Card. S. Angeli.

Innocentius III Antipapa à Schismaticis creatur 1178. I & *seq.* Capitur & in exilium deportatur 1180. VIII.

Innocentius III Pontifex Romanus creatur 1198. III Apparitio ei facta pro confirmatione Ordinis SS. Trinitatis in dubium revocari non debet *ibid.* IV & *seqq.*

Investituras Episcopis tribuendi facultas à Leone VIII non est concessa Ottoni Imp. 964. VI & *seq.*

Investituræ à Concilio Romano II sub Gregorio VII PP. prohibentur 1075. I & *seqq.* Decretum contra investituras prioribus Conciliis conforme *ibid.* III. In Concilio Rom. VII sub Gregorio PP. confirmatur 1080. II.

Investituræ à Paschali II PP. in Anglia prohibentur 1101. I & *seq.* & 1103. IV & *seq.*

Investituræ ab Henrico Angliæ Rege dimittuntur 1107. VI. Prohibentur in Concilio Beneventano sub Paschali PP. 1108. I. Item in Concilio Lateranensi II sub eodem Papa 1110. I. Henrico Imp. à Paschali PP. conceduntur 1111. V. In Concilio Lateranensi V sub eodem Papa revocantur 1112. II & *seq.* Prohibentur in Concilio Viennensi *ibid.* IV. Ab Henrico Imp. dimittuntur 1122. II & *seq.*

B. Joachimus Abbas Curatii ad Urbanum III PP. pergit 1186.

1186. II. à fuis Monachis vexatur 1188. X I X. Florenfem ordinem fundat *ibid.* X X. Difcipulos fanctitate illuftres babuit *ibid.* Ei nec ejus Ordini officit Damnatio libelli ejus de Trinitate *ibid.* XXI *& feq.* Joachimus fe & fuum Ordinem à quibufdam Monachis vexandum prædixit *ibid.* XXIII. Joachimi virtutes 1190. IV. Ejus miracula & annus mortis *ibid.* V. Varia prædixit *ibid.* V I. Ei quædam prædictiones afficta *ibid.* VI *& feqq.* Joachimus Tancredi Siciliæ Regis ejufque familiæ exterminium prædixit 1194. IX.

Joanna Henrici II Angliæ Regis filia nubit Willelmo I I Siciliæ Regi 1176. I.

S. Joannis Baptifta crines à Joanne Tzimifce Imp. in Syria reperiuntur & Conftantinopolim mittuntur 975. VII.

Ejus caput in urbe Angeriaca invenitur 1018. V & 1025. V I *& feq.*

S. Joannes Baptifta Ordinis Equitum Hofpitalariorum patronus 1099. XIV *& feqq.*

Joannes X I I Papa Ottonem Germaniæ Regem Imperatorem coronat 962. I. Adalbertum Italiæ Regem Romam intromittit 963. I. In Romana Pfeudo-Synodo exauctoratur *ibid.* Illegitime exauctoratus fuit *ibid.* II. à Berengarianis Romam intromittitur 964. I. Moritur *ibid.* I *& feq.*

Joannes X I I I fit Pontifex Romanus 965. II. Româ pulfus Capuam pergit *ibid.* I I I. Capuam in Metropolim erigit *ibid.* Concilium Ravennæ celebrat 967. I *& feqq.* Romam redit *ibid.* I. Ottonem Germaniæ Regem Romam invitat *ibid.* X. Eum Imperatorem coronat *ibid* X I. Mladam fororem Boleslai Pii Bohemiæ Ducis Abbatiffam confecrat *ibid.* XIV. Ad Boleslaum fcribit pro inftitutione Epifcopatus Pragenfis *ibid.* Anno CMLXVIII Capuæ non fuit 968. X I V. Concilium Romæ celebrat & Beneventum in Metropolim erigit 969. X I. Londinenfis Concilii acta confirmat 971. I *& feq.* Moritur 972. I.

Joannes X I V creatur Pontifex Romanus 984. I. à Bonifacio VII in caftello S. Angeli includitur & fame necatur 985. I. Ejus epitaphium *ibid.* II.

Joannes Roberti filius Bonifacio VII fuccedit in Pontificatum Romanum 985. I I. Joannes X V non eft appellandus & quare *ibid.* IV & 993. I.

Joannes XV fit Papa 985. V. Legatum mittit pro pace inter Ethelredum Angliæ Regem & Richardum Ducem Normanniæ 990. I. Synodum Romæ congregat in qua S. Udalricum Augoftenfem Epifc. canonizat 993. I *& feq.* Joannem hujus nominis X V fe appellat *ibid.* I. Epifcopos qui Arnulphum Remenfem Epifc. depofuerant à facris abftinendus jubet 994. I. Leonem Abbatem Legatum in Galliam mittit pro caufa Arnulphi 995 I I. Moritur 996. I. Dies mortis ejus incertus *ibid.* II.

Joannes X V I Græcus vir corruptis moribus fit Placentinus Epifcopus 997. VI & X. Ab Ottone III Conftantinopolim mittitur ad petendam filiam Conftantini Imp. in uxorem *ibid.* VII & I X. Concilio Crefcentii Apoftolicam fedem invadit *ibid.* V *& feq.* Menfis ejus invafionis *ibid.* X. Ottonem I I I & Gregorium V è facro fonte fufceperat *ibid.* Ab Epifcopis Italiæ, Germaniæ & Franciæ excommunicatur *ibid.* V. capitur & excæcatur 998. X V I I I *& feq.* Joannes X V I appellandus eft & quare *ibid.*

Joannes X V I I fit Pontifex Rom. 1003 III. Joannes Sicco antea vocabatur *ibid.* Moritur *ibid.*

Joannes X V I I I Fafanus dictus Papa creatur 1003. III. Confirmat inftitutionem Epifcopatus Bambergenfis 1006. I. Moritur 1009. I.

Joannes X I X fuccedit Bonifacio V I I I fratri in Pontificatum Romanum 1024. I. Antea erat laicus *ibid.* I I. Univerfalis titulum Conftantinopolitanæ Ecclefiæ concedere recufat *ibid.* I I I. à Jordano Lemovicenfi Epifcopo confulitur de Apoftolatu S. Martialis 1025. X. Redarguit eos qui contradicunt S. Martialem effe Apoftolum 1029. I I. Petro Gerundenfi Epifc. Pallium concedit 1030. V. Jubet S. Martialem Apoftolum dici 1032. I. Moritur 1033. I V.

Joannes Xiphilinus fit Patriarcha Conftantinopolitanus 1066. X. Diverfus eft à Joanne Xiphilino Dionis Epitomatore *ibid.* X I. Moritur 1080. XVII. Ejus Opera *ibid.*

Joannes Hieromnemon Cognomento Chalcedonii fit Patriarcha Conftantinopolitanus 1117. XXVII. Moritur 1134. XLII.

Joannes Patriarcha Græcorum Antiochenus Thomam Hharanitam Monothelifmum apud Maronitas inducere tentantem refellit 1109. XVII *& feqq.*

Joannes Patriarcha Jerofolymorum S. Macarium Archiep. Antiochiæ Pifidiæ honorifice detinet 1011. VI. Sedit ante Jeremiam itidem Jerofolymorum Patriarcham *ibid.*

Joannes Patriarcha Aquileienfis Bambergenfem Ecclefiam dedicat 1011. I.

Joannes Ravennenfis Archiep. Ottonem III Germaniæ Regem confecrat 983. VI.

Joannes Rotomagenfis Archiepifcopus Rotomagi Concilium celebrat 1072. VII.

Joannes ad Albas manus Epifcopus Pictavienfis fit Archiepifcopus Lugdunenfis & Apoftolicæ fedis in Francia Legatus 1181. V I.

Joannes hujus nominis II eligitur Epifcopus Aurelianenfis 1099. VI. Contra eum Ivo Carnotenfis fcribit ad Urbanum Papam *ibid.* Joannes per plures annos Aureliaœ fedit *ibid.*

Joannes Salisberienfis fcribit ad Joannem Pictavienfem Epifcopum & quo anno ejus Epiftola XXV inter Epiftolas S. Thomæ data 1167. X I I I. S. Thomæ difcipulus fuit & cum eo exulavit 1172. I I. à Mauricio Parifienfi Epifc. Carnotenfis Epifcopus confecratur 1176. X *& feq.* Moritur 1181 XI Varia Opera compofuit *ib.* XII.

B. Joannes poftea Morinorum Epifcopus invitus & cenfuris coactus fit Archidiaconus Ecclefiæ Attrebatenfis 1094. XIX. Ejus in Morinorum Epifcopum electio in Synodo Romana I I fub Urbano PP. confirmatur 1098. IV. B. Joannes moritur 1130. XLVI.

Joannes Abbas Strumienfis fub Callifti III nomine Antipapa creatur 1168. XIII. Pfeudo-Pontificatum deponit 1178 I. Moritur *ibid.*

Joannes Presbyter Cardinalis Legatus Mediolanum ab Alexandro II PP. mittitur 1067. I. Decreta contra fimoniacos & Clericos incontinentes edit *ibid.*

Joannes Cardinalis à Pafchali I I Legatus in Gallias miffus Valentiæ & Pictavis, Concilia celebrat 1100. II & V I I.

Joannes Cremenfis Presbyter Cardinalis Sedis Apoft. Legatus Londini Concilium celebrat 1125. XII Romam redit *ibid.* Anfelmum Mediolanenfem Archiep. qui Conradum Sueviæ Ducem Regem coronaverat, Papiæ excommunicat 1128. XIV.

Joannes Paparo Card. Eugenii III Legatus quatuor Pallia pro quatuor Archiepifcopis in Hiberniam defert 1151. VII. à S Bernardo laudatur *ibid.* In Hibernia Concilium celebrat & quatuor Archiepifcopatus inftituit 1152. XII.

Joannes Neapolitanus Card. Siciliæ Legatus fua auctoritate abutitur 1167. XXIV.

S. Joannes Gorzienfis Abbas moritur 973. VI. Ejus Vita à Joanne Abbate Metenfi fcripta *ibid.*

S. Joannes Gualbertus fundator Congregationis Vallis umbrofæ floret 1051. I. Petrum Florentinum Epifcopum fimoniæ & hærefis accufat 1063. I. Ab ejus communione fe fegregat *ibid.*

S. Joannes de Matha Ordinis SS. Trinitatis fundator Romam petit ut ejus confirmationem obtineat 1198. III. Eam obtinet *ibid.*

Joannes Presbyter, vide, Presbyter Joannes.

Joannes Canaparius Monachus monasterii Romani SS. Bonifacii & Alexii moritur 1004. IV.

Joannes Cinnamus floret 1177. XXIII.

Joannes Xiphilinus Dionis Epitomator diversus à Joanne Xiphilino Patriarcha CP. 1066. XI.

Joannes Scylitzes Curopalata dictus Compendium suum Historicum ab imperio Isaaci Comneni ad Alexium Comnenum auget 1057. V.

Joannis Scoti Liber de Eucharistia diversus non est ab eo qui sub Ratramni nomine circumfertur 1059. III.

Joannis Hagustaldensis Historia cautè legenda 1141. VIII. Joannes Hagustaldensis Historiam suam terminat 1153. XII.

Joannes Bromptonius Scriptor Anglus Historiam suam absolvit 1197. VII.

Joannes de Oxenefordia ab Henrico Angliæ Rege ad Conventum Herbipolensem mittitur 1166. II. In eo Paschalem Antipapam agnoscit *ibid.* à S. Thoma Cantuariensi excommunicatur *ibid.* III & 1167. XVI. Fuit tantum Clericus non Episcopus 1166. VIII. Ab eodem Rege Romam legatur *ibid.* VII & 1167. XIX. Româ redit 1166. XV.

Joannis Scoti Doctoris Subtilis nuncupati scholæ antiquitas 1190. X *& seq.*

Joannes Tzimisces à Nicephoro Imp. Orientis domesticus creatur 963. X. Laudatur 965. XV. Nicephorum Phocam Imp. occidi curat 969. III. Fit Imperator *ibid.* V. Cur dictus Tzimisces *ibid.* VI. Ejus virtutes *ibid.* VII. Ioannes à S. Polyeucto Episcopo Constantinop. coronatur *ibid.* VIII. Theophanonem Augustam in Proteft Insulam relegat *ibid.* Ejus liberalitas & Pietas *ibid.* IX. Ioannes Theophaniam Romani quondam Imperatoris filiam Ottoni III Imp. conjugem dat *ibid.* X. Theodorum Eremitam Antiochiæ Patriarcham ordinari curat 970. I. Basilium Monachum Constantinop. Patriarcham designat *ibid.* II. Ad Russos Legationem mittit *ibid.* III. In eos bellum decernit *ibid.* IV. Bardam tyrannum in exilium mittit *ibid.* V. Leonem Curopalatum oculis privat *ibid.* Theodoram Constantini Porphyrogennetæ filiam uxorem ducit *ibid.* VI.

Cum Ottone Imp. fœdus facit 971. V. In Russos seu Moscovitas expeditionem suscipit *ibid.* VIII. Regiam Bulgarorum aggreditur *ibid.* IX. Eam cum Rege & filiis capit *ibid.* X. Petit à Russorum Rege ut è Bulgaria discedat *ibid.* XI. Sphendostlabum Russorum Regem vincit *ibid.* XII. In Ioannem rebellio excitata reprimitur *ibid.* XIII. Ioannes Sphendostlabum iterum vincit 973. VIII *& seq.* Mysiam seu Bulgariam recipit *ibid.* Cum Sphendostlabo pacem facit *ibid.* X. De Bulgaris triumphat *ibid.* XI. Ejus in Beatam Virginem pietas *ibid.*

Ioannes Tzimisces Borisi Bulgarorum Regi cultûs Regii insignia adimit *ibid.* Expeditionem in Syriæ Saracenos suscipit 974. III. Constantinopoli triumphat *ibid.* IV. Mempetzem Syriæ urbem occupat 975. VII. Christi sandalia & S. Ioannis Baptistæ crines reperit ac Constantinopolim mittit *ibid.* Apameam & Damascum capit *ibid.* Libani oppida expugnat *ibid.* VIII. Tripolim expugnare frustra tentat *ibid.* Ioanni venenum propinatur *ibid.* XI. Ioannes Byzantium petit *ibid.* XII. Moritur *ibid.* XIII. Quo anno *ibid.* XIV. Basilium è Patriarchatu Constantinopolitano removit & quo anno *ibid.* XV.

Joannes Comnenus Alexii Imp. filius nascitur 1091. XV. Fit consors imperii *ibid.* Patri in imperium succedit 1118. XXV. Irenem Ladislai Hungariæ Regis filiam uxorem antea duxerat *ibid.* In Persas bellum movet 1119. XV. Cum Venetis pacem facit eorumque privilegia confirmat 1123. XIV. De Hungaris victoriam reportat *ibid.* XVI. De Persarmeniis triumphat *ibid.* XVII. Imaginem B. Virginis in curru triumphi collocat *ibid.* Moritur 1143. IX. In Ecclesiam Romanam propenso animo fuit 1161. XIV.

Joannes quidam Aaronis filius Gabrielem Bulgariæ Regem occidit & fit Rex Bulgariæ 1015. VII. Ultimus fuit Bulgariæ Regum *ibid.* Moritur 1018. VI.

Joannes Henrici II Angliæ Regis filius in Hiberniam à patre mittitur 1171 II & 1186. IX. Apud Richardum fratrem Angliæ Regem summa auctoritate pollet 1189. V. Philippum Bellovacensem Episcopum in bello capit 1196. I.

Joppe urbs Palæstinæ à Ptolemaide diversa 1191. X. à Francis expugnatur 1101. XI.

Jordanus Archiepiscopus Mediolanensis eligitur 1112. VI. Pallium à Paschali PP. obtinet *ibid.* VII *& seq.* Grosulanum Mediolano exire cogit 1113. X. *& seq.* Ejus causa agitatur in Concilio Lateranensi V sub Paschali PP. 1116. II. Virgam Pontificalem à Paschali recipit *ibid.* IV. Villanum Episcopum Brixiensem consecrat *ibid.* Mediolani Concilium celebrat 1117. XII. Mediolanenses ad bellum adversus Comenses excitat 1118. XXXVIII. Callisto II Romam pergenti obviam procedit 1120. VII. Moritur *ibid.* VIII.

Jordanus Lemovicensis Episcopus consecratur sine auctoritate Gauzleni Archiep. Bituricensis 1021. II. à Gauzleno excommunicatur *ibid.* Veniam petit & absolvitur *ibid.* S. Martialem Confessorem non Apostolum appellandum censet 1023. II. Ad Joannem XIX hac de re scribit 1025. X. Adest Concilio Lemovicensi hac de re celebrato 1029. II. Bituricensi Concilio non interfuit 1034. V.

Jordanus de Ceccano Cardinalis Legatus in Germaniam mittitur 1188. XV.

Jordanus Abbas de Fossa nova Cardinalis Legatus in Normanniam à Cœlestino III PP. missus non recipitur 1192. III. Normanniam interdicto supponere recusat *ibid.* IV.

Jordanus de Ursinis ab Eugenio III Legatus ad Conradum Imp. mittitur 1151. VII. à S. Bernardo vituperatur *ibid.*

Jordanus Richardo Patri in Capuæ principatum succedit 1074. VIII. à Roberto Guiscardo dissentit & Gregorio VII favet *ibid.* Cum Roberto pacem facit operâ Desiderii Card. Abbatis Casinensis *ibid.*

Jordanus II fit Capuæ Princeps 1120. XIV. Moritur 1127. VII.

Jordanus Arianensis Comes cum Willelmo Apuliæ Duce bellum gerit 1122. IV.

Jordanus Petri Leonia filius à Romanis rebellibus Patricius creatur 1144. VIII.

Josephus Eben Tesshin Tachesini filius fit Imperator sectæ Almorabitarum in Africa 1058. XVI. Marochii regnum instituit 1077. XVII. Hispanias sibi subjicit *ibid.* & 1087. XIV. & 1091. XII. Moritur 1106. X.

Josephus Abdelmumeni filius fit Imperator Almohadum 1163. XIV. Totam Africam sibi subjicit 1166. XXI. In Hispaniam transfretat, & varias de hostibus victorias reportat 1168. XXI. Subditos in Africa rebelles domat 1180. IX *& seq.* Cum Willelmo II Siciliæ Rege pacem init *ibid.* X. In Hispaniam contra Alphonsum Portugalliæ Regem transfretat 1184. VIII. In prælio occiditur *ibid.* VIII & X.

Josephus Bolguinus è familia Ziridum Minorem Africam obtinentium à Muazzo Lidinilla Africæ præficitur 969. XII.

Josephus Accubitor Nicephoro Phocæ infensus 963. V, VI IX.

Iofrense

Jofrense, Concilium adversùs parricidas Thomæ Prioris S. Victoris Parisiensis celebratur 1135. IV. Hujus Concilii Epocha *ibid.* V *& seqq.*

Irene Alexii Comneni Imperatoris uxor coronatur 1080. XVII. Litteris exculta fuit 1118. XXV. Sub vitæ exitum Monachæ habitum sumpsit *ibid.*

Isaacius Comnenus fit Imperator 1057. V & VII. Michaëlem Cerularium Patriarcham Constantinopolitanum relegat 1058. XI & XIII. Constantinum Lichnudem ei substituit *ibid.* XII *& seq.* Constantinum Ducam Imperatorem designat, & fit Monachus 1059. XVIII.

Isaacius Angelus Cursar dictus fit Græcorum Imperator 1185. XV. Basilium Camaterum Patriarchatu Constantinopolitano dejicit 1186. XIX. Cum Willelmo II Siciliæ Rege pacem facit 1187. XIX. Frederici Imperatoris exercitum circumvenire tentat 1189. VIII. Fredericum non appellat Imperatorem *ibid.* ab Alexio Angelo fratre Imperio & oculis privatur 1195. IV.

Isaacius Comnenus ab Alexio Comneno Imp. fratre fit Sebastocrator 1080. XVIII. Qua arte Bogomilorum hæresim detegit 1118. XXIX *& seq.*

Isabella Alphonsi VI. Legionis Regis quarta uxor moritur 1107. XI.

Isambardus Aurelianensis Episcopus Berengarii litteras in Concilio Parisiensi Legi postulat 1050. XVI.

Isen fit Calipha Hyspaniæ 975. VI.

S. Isidori Episcopi Hispalensis corpus Legionem transfertur 1053. XV. Quo anno *ibid.* XVI.

S. Isidorus Agricola Madritensis moritur 1130. LVII. à Gregorio XV. In sanctorum numerum relatus est *ibid.*

Italiæ regimen quale fuerit à tempore Ottonis M. 962. V. Itali Robertum Francorum Regem aut Hugonem ejus filium Regem petunt 1025. III. Willelmum IV Aquitaniæ Ducem frustrà etiam tentant *ibid.* IV. Conrado Salico se submittunt *ibid.* I.

Italia à Conrado Salico subigitur 1026. I *& seqq.*

Italia simoniâ infecta 1033. VI. Domesticis bellis dilaceratur 1035. IX.

Italia Transtyberina Apulia quandoque dicta 1117. III.

Italia magno terræ motu concutitur 1117. XII. Fame affligitur 1182. VII.

Italiei belli à Frederico Imperatore suscepti origo 1153. XVIII.

Italus quidam nomine & origine sub Michaële Psello Litteris operam dat 1083. VIII. Ejus dogmata hæretica Constantinopoli damnantur *ibid.* IX. Italus dogmata sua revocat *ibid.* Fuit Princeps Philosophorum in Aula Constantinopolitana *ibid.* X. Joannes nuncupatus fuit *ibid.*

Judæi diversis temporibus plures pueros Christianos crucifigunt 1146. VIII. 1179. XVII & 1181. XV. In Judæos sævitur in Francia 1179. XVII. Judæi in Francia puniuntur 1181. XV. à Philippo Augusto è Gallis pelluntur 1182. VIII. Judæorum Synagogæ in Ecclesias mutantur 1183. XV. Judæi in Anglia malè habentur 1190. XIX.

Juditha Henrici IV Germaniæ Regis soror Salomoni Regi Hungariæ nubit 1063. VII.

S. Julians de Peuero Ordo militaris in regno Legionis instituitur 1158. XII.

Juliobonense Concilium in territorio Caletensi celebratur pro confirmatione Treugæ Dei 1080. XIX.

Ivo posteà Carnotensis Episcopus fit primus Abbas Abbatiæ Bellovacensis S. Quintini 1067. XI. Ab Urbano II ordinatur Episcopus Carnotensis 1092. III. & X. Ordinationis ejus annus *ibid.* IV. *& seqq.* & 1099. IV. Ivo ante Episcopatum Canonicus & Abbas Regularis fuit 1092. VII. Scribit ad Urbanum II pro Willelmo Parisiensi Episcopo electo 1093. III. Frustrà contra eum Stampis Concilium celebrat Richerius Senonensis Archiep. 1093. IV. Quo anno Ivo à Carnotensi Comite captus 1094. VII. & 1095. I. Ivonem è Carcere Liberari petit Urbanus Papa 1094. VII. Ivonis Epistola ad Turgedum quo anno scripta *ibid.* X. Ivo Richerium Senonensem Archiep. arguit quod Conventui Remensi præfuerit *ibid.* IX. Roscelino de mysterio Trinitatis malè sentienti suadet ut Palinodiam canat 1094. XIV. Quo anno è carcere liberatus sit 1095. II. Quædam ejus Epistolæ suis annis redditæ *ibid.* II *& seq.* Ivo scribit ad Urbanum II pro consecratione Daimberti Senonensis Archiep. electi 1099. II. Scribit ad eumdem PP. se Episcopatui velle renunciare *ibid.* IV. Scribit contra electionem Joannis Aurelianensis Episcopi *ibid.* VI. Scribit ad Meldensem Episcopum Gualterium de Incontinentia Monialium Monasterii S. Faræ 1100. IX. Trecas ad Concilium pergere non potest 1104. II. Ivonis efflagitatu Concilium Balgentiaci cogitur pro absolutione Philippi Regis *ibid.* III. Ivo præsens est Concilio Parisiensi & juramento Philippi Regis *ibid.* V. De mandato Paschalis II dirimit Litem quæ versabatur inter Rottocum Comitem Perticensem & Hugonem Vicecomitem Puteolensem *ibid.* IX. Paschalem II PP. Carnotum invitat & suscipit 1107. III. Usque ad annum MCXVII in vivis fuit 1114. VIII. & 1116. XVIII. Bernardo Abbati Bonævallis reconciliatur operâ Roberti de Arbrissello 1116. XVIII. Moritur 1117. XIII *& seq.* Ejus elogium *ibid.* XIV. Ejus festum Romæ celebratur *ibid.* XV. Ivo auctor est decreti juris *ibid.* Auctor non est ejus Epitomes seu Pannormiæ *ibid.* XVI *& seqq.*

Ivo Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus in Galliis 1142. V.

L

S. *Ladislaus* fit Rex Hungariæ 1077. XV. Croatiam occupat *ibid.* Moritur 1095. XXI.

Laici virtutibus insignibus præditi in Episcopos, imò & in Romanos Pontifices aliquando electi 1024. II.

Lambertus Ostiensis Episcopus pro pace inter regnum & Sacerdotium in Germaniam à Callisto II Legatus mittitur 1121. VI & IX. Pontifex Romanus eligitur & Honorius II appellatur 1124. X *& seqq.* Pontium olim Abbatem Cluniacensem custodiæ mandat 1125. II & 1126. I. Petrum Cardinalem Legatum mittit qui eum excommunicat 1125. III. Conradum Franconiæ & Fredericum Alemanniæ Duces Lothario rebelles excommunicat *ibid.* X. Rogerium Siciliæ Comitem ob invasionem Apuliæ Ducatus post mortem Willelmi II excommunicat 1127. V. Rogerio Apuliæ Ducatum jure negat *ibid.* VI. Nec vi nec muneribus ab eo flecti potest *ibid.* VII. Troiam pergit *ibid.* VII *& seq.* Troiæ Concilium celebrat & in eo Rogerium iterum excommunicat *ibid.* IX. Ad arma contra Rogerium se parat *ibid.* X.

Romam redit 1128. I. Cum copiis Beneventum pergit *ibid.* III. Cum Rogerio pacem facit *ibid.* IV. Rogerium Apuliæ Ducem creat *ibid.* IV *& seq.* Ejus hominium suscipit *ibid.* Romam redit *ibid.* VIII. Girardum Cardinalem Rectorem Beneventi præficit *ibid.* IX. Aquilejensem & Venetiarum Patriarchas Conrado Suevæ Duci adhærentes deponit 1128. X. Anselmum Archiep. Mediolanensem qui eum coronavit excommunicat *ibid.* XIV Beneventum pergit 1129. IV. Beneventanis irascitur & quare *ibid.* IV. & VI. Romam redit *ibid.* IV. Gregorium de Crescentio Cardinalem Legatum in Daniam mittit 1129. VII. Moritur 1130. I. Dies mortis ejus *ibid.* I & V. Sedis ejus duratio *ibid.* II.

Permisit Molismensibus officium celebrandi de S. Roberto Abbate Molismensi & Cisterciii fundatore 1109. VI.

Lambertus eligitur primus Episcopus Attrebatensis 1094. XVII. Romæ ab Urbano II invitus ordinatur *ibid.* XVIII *& seq.* B. Ioannem Morinorum postea Episcopum censuris coactum Archidiaconum suum constituit *ibid.* XIX. Privilegium pro Ecclesia sua ab Urbano Papa recipit *ibid.* XX. Fit Legatus Sedis Apostolicæ pro absolutione Philippi Franciæ Regis 1104. IV. Concilium Parisiis celebrat eumque absolvit *ibid.* V *& seq.* Mortis ejus annus & dies 1094. XIX.

S. Lambertus Venetiensis Episcopus moritur 1154. XVII.

Lambertus Le Begues Presbyter Beguinas fundat 1177. XVIII *& seq.*

Lancea Domini à Crucesignatis reperitur 1098. VII.

Lancelinus simoniacus Episcopatu Diensi deponitur in Concilio Cabilonensi 1073. IX.

Landavensis Synodus celebratur 988. IV.

Landricus Nivernensis Comes Bertam in Roberti Regis Franciæ torum reduxit 1018. XII. Ab eo Nivernenses Comites originem ducunt 998. IX & 1018. XII.

Landulphus Beneventanus Archiepiscopus ordinatur à Paschali II PP. 1108. I. Ab Archiepiscopatu depositus ab eodem Papa in illum restituitur 1116. VI *& seq.* Beneventi Concilium celebrat 1119. XVI. Moritur *ibid.*

Landulphus Cotta Clericus Mediolanensis simoniam & Clericorum conjugia abolere conatur 1057. IX *& seqq.* à Guidone Mediolanensi Archiep. excommunicatur *ibid.* X.

Landulphus fit socius in principatu Pandulphi Capuæ & Beneventi Ducis 968. I & 969. XI.

Landulphus senior Historicus Mediolanensis Chronicon composuit Datio Mediolanensi Archiep. perperàm attributum 1045. XI. Historiam suam absolvit 1100. XXVI.

Landulphus Junior Historicus etiam Mediolanensis à quo anno Historiam suam inchoat 1100. XX. Eam absolvit 1136. VII.

Lanfrancus è Lombardia in Galliam venit 1050. VI & 1070. III. Berengarium refutat 1050. VI. à Berengario accusatus in Synodo Rom. II sub Leone IX absolvitur *ibid.* VI *& seq.* Berengarii ad Lanfrancum Epistola in ea Synodo lecta *ibid.* IX. Lanfrancus Berengarium in Synodo Turonensi convincit 1055. VII. Dum esset Abbas monasterii Cadomensis in Normannia eligitur Archiepiscopus Cantuariensis 1070. III. Dignitatem illam coactus admittit *ibid.* IV. Ordinatur *ibid.* Cum Eboracensi Episcopo de primatu contendit & illum obtinet 1071. V. Petit ab Alexandro II Papa ut prohibeat Monachos ab Episcopalibus sedibus pelli *ibid.* VI. Primatus Angliæ ei adjudicatur 1072. II Moritur 1089. VI.

Lateranense Concilium primum sub Paschali II PP. 1102. I. Sententiam in Henricum IV latam confirmat *ibid.*

Lateranense Concilium II sub Paschali PP. contra eos qui Henricum Angliæ Regem ad investituras retinendas impellebant 1105. IV. In eo causa Grosulani Archiep. Mediolanensis & Luitprandi agitata *ibid.* V. In eo Grosulanus in Archiepiscopatum restituitur *ibid.* VI.

Lateranense Concilium III à Paschali PP. contra investituras celebratur 1110. I.

Lateranense Concilium IV sub Paschali PP. 1112. I. Investituras à Paschali Henrico Imp. concessas revocat *ibid.* II *& seq.* Henricum non excommunicavit *ibid.* III.

Lateranense Concilium Quintum sub Paschali PP. investituras damnat 1116. I. In eo causa Grosulani & Iordani de Archiepiscopatu Mediolanensi contendentium agitatur *ibid.* II *& seqq.*

Lateranense Concilium primum Æcumenicum à Calisto II PP. indicitur 1122. III. Celebratur 1123. I. Duabus sessionibus constat *ibid.* II. Quo die finitum *ibid.* III. Gesta in eo summariè narrantur *ibid.* IV. Numerus Episcoporum & Canonum in eo editorum *ibid.* V. In eo Henricus Imp. excommunicatione absolvitur per Legatos *ibid.* Remissionem peccatorum concedit Ierosolymitanum, vel Hyspanicum iter suscipientibus *ibid.* VI. Simoniacas ordinationes prohibet *ibid.* VII.

Lateranense Concilium secundum Oecumenicum ab Innocentio II. PP. celebratur 1139. IV. Mille circiter Patres ei interfuere *ibid.* Ad illud Angliæ Episcopi invitantur 1138. XIII. Et pauci Angliæ Episcopi interfuerunt 1139. V. *& seq.* In eo ordinationes ab Anacleto Antipapa factæ rescinduntur *ibid.* VII. In eo Rogerius Siciliæ Rex excommunicatur *ibid.* VIII. In eo Petrus de Bruis & Arnaldus de Brixia damnantur *ibid.* IX. Damnantur & Petrobusiani *ibid.* X. In eo Canones XXVIII ad disciplinam Ecclesiasticam restituendam editi *ibid.* XI. Canones illi observari non fuere *ibid.* XII.

Lateranense Concilium tertium Oecumenicom ab Alexandro PP. III. celebratur 1179. I. Episcoporum numerus *ibid.* I, II & IV. Concilium Lateranense tribus sessionibus absolutum *ibid.* III. Ejus Celebrationis causa *ibid.* IV. Ejus Epocha *ibid.* I. II & V. Ejus Canon XXVII contra Hæreticos editus *ibid.* VI *& seq.* In eo nihil definitum contra Petrum Lombardum *ibid.* XI *& seq.*

Latinam Ecclesiam Græci calumniantur de Azymo, de Sabbato, & de Nuptiis Sacerdotum 1053. XII *& seq.* & 1054. I *& seq.*

Latini ab Andronico Imp. malè habentur 1183. XI.

Latonensis Conventus à Frederico Imp. indicitur in causa Alexandri III PP. & Victoris Antipapæ 1162. III *& seqq.* Indecorè solvitur *ibid.* VIII. Conventus in Decollatione S. Ioannis Baptistæ coactus *ibid.* XII & XIX. Ab eo Conventu causa Antipapæ pejoris conditionis facta est *ibid.* XVI.

Laudenses Frederici Romanorum Regis protectionem adversus Mediolanenses implorant, & obtinent 1153. XVIII.

Laudunensis Conventus pro expeditione in Terram sanctam celebratur 1146. VI.

Laureacensis Metropolis divisio à Salisburgensi confirmatur à Benedicto VII PP. 979. VIII. Laureacensis Ecclesiæ Metropolitana dignitas ab Ottone II confirmatur *ibid.* IX. Laureacensis Metropolis usque ad annum CMXCII duravit *ibid.*

Lausdunense Concilium propè Pictavos celebratur 1109. XII.

Legatis Apostolicæ Sedis sumptus necessarii solvebantur ab iis ad quos mittebantur 1102. II. Illos sumptus solvere recusant Hungari *ibid.* Legati quidam indebitas contributiones hac occasione petunt *ibid.* III.

Legio Urbs Hispaniæ à Saracenis expugnatur 985. VIII.

Legionense Concilium celebratur 1012. VIII.

Legionense alterum Concilium sub Alphonso VI Rege 1092. *IX & seqq.*

Legionense Regnum Castellæ Regno unitur 1037. *IV.* Ab eo separatur 1065. III. Iterùm ei unitur 1072. *XII.*

Leirense Concilium ab Hugone Cardinali sedis Apostolicæ Legato quo anno in Hispania celebratum 1064. VI & 1068. VIII.

Lemovicense Concilium celebratur 1029. II. In eo S. Martialis Ecclesiæ consecratur & ejus corpus transfertur *ibid.*

Lemovicense Concilium II quo anno habitum 1034. VII. S. Martialis Apostolatum confirmat *ibid.* VII & *seq.* Lemovicensis Diœceseos milites excommunicat pacem cum Episcopo suo facere renuentes *ibid.* VII.

Lemovicense alterum Concilium ab Urbano II PP. celebratur 1095. XIX. Humbaldum Lemovicensem Episcopum deponit *ibid.*

Leo IV PP. statuit ut Pontifex Romanus coram Legatis Cæsareis ordinetur 962. III & *seq.*

Leo VIII fit Antipapa 963. I & *seq.* Româ aufugit & Imperatorem in Ducam Camerino existentem adit 964. I. Romam redit *ibid.* III. Benedictum V Papam deponit, & exulem in Germaniam mittit *ibid.* III & *seq.* Constitutio Leonis VIII qua concedit Ottoni Imp. facultatem Pontificem Rom. eligendi, & investituras Episcopiis tribuendi, commentitia *ibid.* VII & *seq.* Leo VIII moritur 965. II.

Leo posteà Papa hujus nominis IX Bruno ante Pontificatum dictus fit Episcopus Tullensis 1016. V Ante Pontificatum non fuit Cardinalis 1048. II. In Conventu Wormatiensi Papa designatur 1049. II & IV. Romæ Papa creatur & inthronizatur *ibid.* III & *seq.* Consecratur *ibid.* IV. Papa factus Tullensem Episcopatum non deposuit 1050. XXI. Cum Hildebrando Monacho Romam habitu peregrino perrexit 1049. V. Ad Montem Garganum pergit & quo anno *ibid.* VIII. & 1050. I. Romæ Pascha celebrat & Udalricum Augiensem Abbatem benedicit 1049. IX Romæ Concilium celebrat *ibid.* X. In Franciam venit *ibid.* XI. Papiæ & Remis Concilia celebrat *ibid.* Item Moguntiæ *ibid.* XII. Herimannum Coloniensem Archiep. S.R.E. Archicancellarium dicit *ibid.* XIII. In Italiam redit *ibid.* Humbertum posteà Cardinalem antè Pontificatum Romam Tullo duxit *ibid.* XIV. S. Arnulphi Ecclesiam Metis consecravit *ibid.* XV. Responsoria de S. Gorgonio martyre composuit *ibid.* Indictionem à Septembri exorsus est *ibid.* XVI & *seq.* Charta ejus in favorem Ecclesiæ S. Arnulphi supposititia *ibid.* XV & *seqq.*

S. Leo IX Synodum Romanam II celebrat 1050. II. In ea S. Gerardum Tullensem Episcopum Sanctorum honoribus donat *ibid.* Iterum in Apuliam proficiscitur & quo anno 1050. III. Beneventanos jam à se excommunicatos Ecclesiæ restituit *ibid.* Litem dirimit inter Gradensem & Forojuliensem Episcopos in Concilio Rom. IV. *ibid.* IV & 1053. IV, Patriarchalem sedem Gradensem Venetias non transtulit 1050. V. Vercellis contra Berengarium Synodum celebrat *ibid.* XII. in Franciam venit *ibid.* XX. S. Gerardi Tullensis Episcopi corpus transfert *ibid.* XX & *seq.* Apostolatûs & Episcopatûs Tullensis annos in suis diplomatis numerat *ibid.* XXI. S. Robertum Casæ-Dei Monasterii Abbatem invitum constituit *ibid.* XXV. Romam redit & Synodum celebrat 1051. II. Eduardum Angliæ Regem voto Romam eundi dispensat *ibid.* V. S. Hugonem Cluniacensem Abbatem in Hungariam mittit pro pace inter Henricum Imp. & Andream Hungariæ Regem 1051. I.

Tertiò in Franciam pergit 1052. II. SS. Wolfangum & Erhardum canonizat *ibid.* III. Beneventum per concambium Ecclesiæ Rom. acquirit *ibid.* IV. Duo Episcopi ejus inimici divinitùs puniuntur *ibid.* V & *seq.* Litteræ Leonis judicantis S. Dionysii Reliquias fuisse in Germania, supposititiæ *ibid.* XII. Leo quosdam Manichæos in Germania deregit & punit *ibid.* XIII. redit in Italiam 1053. II. Contra Normannos auxilia ab Henrico Imp. obtinet *ibid.* Mantuæ Concilium celebrat *ibid.* S. Andreæ Ecclesiam Mantuæ dedicat *ibid.* III. Particulam Sanguinis Christi Mantuâ Romam transfert *ibid.* Dum Mantuæ exstitit duplex seditio excitatur *ibid.* II & *seq.*

S. Leo quartam Romæ Synodum celebrat 1053. IV. Normannicum bellum ei infaustum fuit *ibid.* V. Normannorum crimina Imperatori Cpolitano significat *ibid.* VI. Ejus Comitatus à Normannis malè habetur *ibid.* VII. S. Leo à Normannis Beneventum ducitur *ibid.* VIII & X. Petri Antiocheni Episcopi electionem admittit *ibid.* XI. Scribit adversus Græcorum calumnias *ibid.* XII. Legatos Cpolim misit *ibid.* XIII. & 1054. I. Scribit ad Episcopos Africanos 1053. XIV. Romam pergit 1054. III. Pro Benedicto IX PP. Simoniaco preces fundit *ibid.* IV. Moritur *ibid.* III. Annos sedis ab inthronizatione numeravit *ibid.* V. Erâ Incarnationis usus est *ibid.* VI.

Leo Styopita fit Patriarcha Cpolitanus 1134. XLII. Synodum adversus Constantinum Chrysomalum celebrat, ejusque hæreses damnat 1140. XXV & *seqq.* Moritur 1143. XI.

Leo Episcopus Archiepiscopi Trevirensis Vicarius à Joanne XV PP. missus, pacem componit inter Angliæ Regem & Normanniæ Comitem 990. I.

Leo Achridanus Episcopus scribit pro Græcis contra Latinam Ecclesiam 1053. XII.

Leo Marsicanus Cardinalis Ostiensis Scriptor Historiæ Casinensis Monasterii non confundendus cum alio Leone pariter Cardinali qui composuit registrum Epistolarum Urbani II PP. 1088. III.

Leo Abbas Monasterii Romani SS. Bonifacii & Alexii floret 990. III. Cum Leone Exabbate Nonantulano confundi non debet *ibid.* à Joanne XV. Legatus in Galliam missus Mosomii Synodum celebrat 995 II.

Leo Lucensis fit Abbas Monasterii Cavensis 1050. XXVI.

Leo Exabbas Nonantulanus floret Romæ in Monasterio SS. Bonifacii & Alexii 990. III. Non confundendus cum Leone Abbate ejusdem Monasterii *ibid.*

Leo Diaconus historiam suam absolvit in Joanne Tzimisce Imp. 975. XIV.

Leo Nicephori Phocæ germanus frater fit Curopalata & Magister 963. X. à Joanne Tzimisce Imp. Oculis privari jubetur 970. V. Rebellat in Imperatorem & oculis privatur 971. XIII.

Leo Patritius & Drungarius Leonis Curopalatæ rebellionem Cpoli comprimit, 971. XIII.

Leodiense Concilium ab Innocentio II. & à Lothario Imp. celebratur 1131. II. In eo Lotharius Imp. coronatur *ibid.* III.

Leontius Longe post annum MCLXXXVIII Græcorum Patriarcha Jerosolymitanus dictus 1188. XIII.

Leontius fit Patriarcha Cpolitanus 1191. XVI. Abdicat *ibid.* & 1193. X.

S. Leopoldus hujus nominis IV Austriæ Marchio floret 1131. XVIII. Numerosam prolem reliquit *ibid.* Ab Innocentio VIII Canonizatus fuit *ibid.*

Leopoldus Austriæ Dux Richardum Angliæ Regem captivum detinet 1192. IX & *seq.* qua de causa *ibid.* X. qua occasione *ibid.* XI. Illum Henrico Imp. vendit 1193. VI & *seq.* à Cælestino PP. excommunicatur 1195. I. Absolvitur ab eodem Papa *ibid.* Moritur *ibid.*

Leotbericus fit Archiepiscopus Senonensis & totius Galliæ Primas 1000. VI. Increpatur à Roberto Franciæ Rege ob motam de Eucharistia quæstionem 1004. I. à Rainaldo Senonensi Comite vexatus Senonensem urbem Roberto Regi tradit 1015. III. Id agit Benedicti VIII PP. & Fulberti Carnotensis Episc. consilio *ibid.* III & *seq.* Synodo Aurelianensi contra Manichæos præsidet 1017. III. S. Saviniani Senonensis Episc. corpus transfert 1018. XII & 1029. I. Concilium Airiacense in pago Autissiodorensi celebrat 1020. II.

Lerinense monasterium à Saracenis sæpius eversum fuit 1107. IX.

Lerinensis monasterii hodierni initia ad Lucii III Pontificatum

tificatum referenda 1183. XVI *& seq.*

Letbertus fit Abbas monasterii S. Rufi 1102. X. Auctor est libri de floribus psalmorum *ibid.* X I. Successorem habet S. Oldegarium *ibid.* XIII.

Leutici pagani Christianos in Saxonia graviter affligunt 1033. I. & 1034. XVII & XIX. à Conrado Imp. comprimuntur 1034. XVIII. Eorum situs in Germania *ibid.* X I X *& seq.* Leutici à Conrado Imp. coguntur ad tributi solutionem 1035. VIII. Eorum in Christi effigiem impietas à Conrado severè punita *ibid.* Eorum verus situs explicatur 1128. XXIII *& seqq.*

Libentius fit Archiepiscopus Hamburgensis 988. I. Moritur 1012. VI & 1013. I.

Libentius hujus nominis II Archiep. Hamburgensis seu Bremensis creatur 1028. IX. Moritur 1034. I X.

Liemarus fit Archiep. Hamburgensis 1072. V.

Liudboldus Archiep. Moguntinus moritur 1060. III. à Gozelino Scholastico Moguntino laudatur *ibid.* I V.

Lombardus domesticus S. Thomæ Cantuariensis diversus à Petro Lombardo Parisiensi Episcopo 1167. XXII. Ab Alexandro III Cardinalis dictus est *ibid.* à Lucio III Beneventanus Archiep. creatus *ibid.*

Londinense Concilium à Romano confirmatur 971. I. Londinense Concilium à S. Anselmo Archiep. Cantuariensi celebratur 1102. IV. In eo de Clericorum cœlibatu præcipue actum *ibid.* I V *& seq.*

Londinense Concilium in quo Henricus Angliæ Rex investituras dimittit 1107. V I.

Londinense Concilium contra Clericos concubinarios 1108. II.

Londinense Concilium à Joanne Cremensi Sedis Apostolicæ Legato celebratur 1125. XII.

Londinense Concilium pro reformandis Ecclesiasticorum moribus & contra uxores presbyterorum 1127. XV.

Londinense Concilium contra Clericos concubinarios 1129. XV.

Londinense Concilium à Stephano Angliæ Rege congregatur 1135. XXXVII *& seq.* quo anno habitum *ibid.* XXXIX. In eo decreta se servaturum jurat Stephanus Angliæ Rex *ibid.*

Londinense Concilium ab Anselmo Card. Apostolicæ sedis Legato celebratur 1138. XII *& seq.*

Londinense Concilium à Theobaldo Cantuariensi Archiep. sedis Apostolicæ Legato cogitur 1151. X I.

Londinensis Conventus contra S. Thomam Archiep. Cantuariensem 1166. V I & 1167. XVIII.

Londinensis Conventus pro subsidio Terræ Sanctæ 1185. I X *& seq.*

Longobardi crucem accipiunt & ad bellum sacrum proficiscuntur 1100. X I X *& seqq.* & 1101. V I *& seq.*

Lotharingia causa belli inter Ottonem I I & Lotharium Francorum Regem 978. I *& seq.* Ottoni II in beneficium à Lothario datur *ibid.* III & 980. I I. Lotharingia cedit Ottoni III Germaniæ Regi 984. I V *& seq.* In duos ducatus dividitur *ibid.* V.

Lotharingia superior dicta Mosellanica *ibid.* Ejus Ducum sedes Metæ *ibid.* Appellata fuit Gallis Mediana 984. I X *& seq.*

Lotharingiæ inferioris caput Aquisgranum 984. V. Lotharingiæ hodiernæ ducatus quando institutus *ibid.*

Lotharius Francorum Rex Emmam Lotharii Italiæ quondam Regis filiam uxorem ducit 966. III. Occasione Lotharingiæ ab Ottone II diffidet 978. I. Ludovicum filium Regem dicit *ibid.* II. Cum Ottone bellum in Lotharingia gerit *ibid.* Ottoni Lotharingiam in beneficium dat *ibid.* I I I & 980. II. Stat à partibus Ottonis III contra Henricum Bajoariæ Ducem 984. III, I X *& seq.* Virdunum & ejus Comitem Godefridum capit *ibid.* I I I. Virdunum Ottoni reddit *ibid.* I V. Moritur 986. I. Ludovicum filium Hugoni Capeto ante mortem commendat *ibid.*

Lotharius post Henrici V mortem Germaniæ Rex eligitur 1125. VIII *& seqq.* Adversus Lotharium Fredericus Sueviæ & Conradus Franconiæ Duces tumultuantur *ibid.* Lotharius Legatos ad Innocentium PP. in Galliam mittit 1130. XXXVIII. Herbipoli Concilium congregat in quo Innocentii PP. electio confirmatur *ibid.* LVIII. Leodii cum Innocentio Concilium celebrat 1131. II. Ab eo coronatur *ibid.* III. Innocentio Remis Concilium celebranti rursus per Legatum obedientiam præstat *ibid.* XIII. Ab Innocentio investituras non recepit *ibid.* XV. In Italiam pergit & in Longobardia cum Innocentio PP. colloquium habet 1132. I V. promittit Innocentio se illum in sedem restituturum 1133. III. Romam intrat *ibid.* I. Ab Innocentio Imperator coronatur *ib.* In Germaniam redit *ib.* II. Literas encyclicas de iis quæ Romæ egit, scribit *ibid.* V I I *& seq.* Lotharius Anacleti Antipapæ sectatores Regiæ majestatis reos declarat *ibid.* VIII. Secunda ejus coronatio ab Archiepiscopo Mediolanensi facta suppositicia 1134. X I X.

Lotharius cum Principibus Imperii pacem facit 1135. XII. Ab Innocentio PP. vocatus promittit se in Italiam venturum *ibid.* XXVII & 1136. II. Expeditionem in Italiam suscipit 1136. I *& seq.* Scribit ad Neapolitanos se ad eorum auxilium pergere *ibid.* I V. Ad Cremonam castra ponit *ibid.* II. Papienses in gratiam recipit *ibid.* V I. Romam versùs pergit 1137. I. Apuliam ingreditur *ibid.* In ea progressus facit *ibid.* I V. Salernum recipit *ibid.* V. discordat ab Innocentio PP. sed discordia sopitur *ibid.* VI. Ex Apulia discedit *ibid.* VIII. Moritur *ibid.* XIV & 1138. VI. dies mortis ejus 1138. VII.

Lucas Chrysoberges fit Patriarcha Cpolitanus 1155. XII. Moritur 1166. XVII.

Lucenses à partibus Henrici I V contra Mathildem Comitissam stant 1081. I V. Privilegia ab Henrico accipiunt *ibid.*

Lucius II fit Pontifex Romanus 1144. II. Magnis dotibus præditus fuit *ibid.* III. Legatos in Galliam & Angliam mittit *ibid.* III *& seq.* S. Sabæ monasterium Romanum Petro Venerabili Cluniacensi Abbati ejusque successoribus committit *ibid.* V. Annum Incarnationis à die XXV Martii exortus est *ibid.* Vexatus à Romanis adversus eos Conradum Regem interpellat *ibid.* V I. Cum Rogerio Siciliæ Rege concordat *ibid.* VII. Willelmo Eboracensi Archiep. pallium mittit *ibid.* XI. à Romanis ictu lapidis percussus moritur 1145. I. Fuerat Canonicus Regularis S. Augustini *ibid.* II.

Lucius III PP. *vide* Ubaldus Cardinalis.

Ludovici Pii Donatio Ecclesiæ Romanæ facta soppositicia 1014. II.

Ludovicus V Lotharii Francorum Regis filius Rex à patre dicitur 978. II. Stat à Partibus Ottonis III contra Henricum Bajoariæ Ducem 984. III, IX *& seq.* Mortuo Lothario patre Emmam matrem male habet 986. II. dicitur Ludovicus *Iners ibid.* moritur 987. I.

Ludovicus VI cognomento *Grossus* Philippi Francorum Regis & Berthæ filius quo anno natus 1094. IV. à Philippo patre Rex dicitur 1099. XXII. Ejus anni ab hac electione deducti rarò in actis publicis numerati *ibid.* XXIII. Ludovicus Philippo patri succedit & quo anno 1106. VI. Aurelianis ungitur *ibid.* à Ludovico Barcinonenses auxilium petunt adversus Barbaros 1109. XIII *& seq.* Ludovicus in seditiosos pugnat 1115. XIX *& seq.* Ab Henrico Angliæ Rege diffidet occasione Theobaldi Campaniæ & Blesensis Comitis 1116. XIV. *& seq.* de Theobaldo queritur ob captionem Willelmi II Nivernensis Comitis *ibid.* XVI *& seq.* Sugerium Gelasii II PP. in Franciam venienti obviam mittit 1118. XIV. Cum Henrico Angliæ Rege bellum gerit

ob

ob Ducatum Normanniæ *ibid.* XXXV. Concilio Remensi sub Callisto II adest 1119. IX. In eo queritur de Henrico Angliæ Rege *ibid.* X. Adelaidem Humberti II Maurianensis Comitis filiam quo anno uxorem duxerit *ibid.* V. Adelaidis Reginæ annos in diplomatis quandoque numerat 1120. XIX. Cum Henrico Angliæ Rege pacem facit *ibid.* XXVI. Willelmi Henrici Regis filii pro Ducatu Normanniæ hominium recipit *ibid.*

Ludovicus petit à Callisto PP. ne Ecclesia Senonensis subjiciatur Primatui Lugdunensi 1121. XVIII. Adversus Ludovicum bellum movet Henricus Imp. 1125. V. Ludovicus à Stephano Parisiensi Episcopo excommunicatur 1127. XIII. Cum eo reconciliatur *ibid.* Willelmum filium Roberti Normanniæ ducis Flandriæ Comitem constituit 1127. XXII *& seq.* de interfectoribus B. Caroli Boni vindictam sumit *ibid.* Philippum filium Franciæ Regem coronari facit 1129. XI. Concilium Stampis convocat ut statuatur an Innocentio vel Anacleto adhærendum esset 1130. XXXIV. Innocentio PP. adhæret *ibid.* XXXV. Sugerium S. Dionysii Abbatem Innocentio in Gallias venienti obviam mittit *ibid.* XXXVI. Eum in monasterio Floriacensi suscipit & ut Christi Vicarium veneratur *ibid.* XL. Parisiis eum honorificè suscipit 1131. IV. Concilio Remensi cum Innocentio adest *ibid.* XI *& seq.* Ludovicum filium Regem ab eo consecrari curat *ibid.* XII. Cogitat de impediendo Concilio Pisano 1134. III. Moritur 1136. IX & 1137. XXI. Strumosos sanabat 1136. X.

Ludovicus VII cognomento *Junior* ab Innocentio II PP. Franciæ Rex Remis consecratur 1131. XII. Ludovico VI patri succedit 1136. IX & 1137. XXI. Eleonoram Willelmi IX Aquitaniæ Ducis filiam uxorem ducit *ibid.* Petro de Castro Bituricensi Archiep. consecrato regni introitum interdixit 1141. III. ob id regnum Franciæ interdicto supponitur *ibid.* III *& seq.* Ludovicus Theobaldo Campaniæ Comiti qui Petrum de Castro recepit, bellum infert *ibid.* IV. Vitriacum capit & incendit *ibid.* Tolosam obsidet *ibid.* V. Constantiam sororem Raimundo V Comiti Tolosano uxorem dat *ibid.* Cum Theobaldo pacem facit 1143. I & VII. Cum Cælestino II Papa reconciliatur *ibid.* VI. Bituricensem Conventum pro expeditione in Terram sanctam cogit 1145. XII. Eam expeditionem ex voto suscepit *ibid.* XIII. Vezeliaci Conventum celebrat & crucem accipit 1146. III *& seq.* Carnoti alium Conventum cogit *ibid.* VI.

Stampis Conventum indicit & regni curam in sua absentia Sugerio Abbati S. Dionysii & aliis relinquit 1147. I. In Orientem proficiscitur *ibid.* II *& seq.* Ante discessum Eugenium PP. Divionæ honorificè suscipit *ibid.* V & VIII. Cum eo Pascha Parisiis celebrat *ibid.* VIII. Ejus expeditio infausta 1148. I. Ludovicus Jerosolymis moratur *ibid.* In Franciam redit 1149. I *& seq.* Henrici Normanniæ Ducis hominium suscipit 1150. VI. In Concilio Balgentiacensi Eleonoram conjugem repudiat 1152. III *& seq.* Ejus vitam non scripsit Sugerius Abbas S. Dionysii *ibid.* V. Ludovicus Constantiam Alphonsi VII. Hispaniarum Imp. filiam uxorem ducit 1154. XVIII. Orationis gratiâ cum uxore ad S. Iacobum proficiscitur 1155. X *& seq.* Henricum II Angliæ Regem honorificè suscipit 1158. VI *& seq.* Margaretam filiam Henrico filio desponsandam tradit *ibid.* Constantiâ uxore mortua Adelam Theobaldi Campaniæ Comitis filiam uxorem ducit 1160. IX. Alexandrum III pro vero Pontifice agnoscit 1161. I. Et quidem in Concilio Tolosano *ibid.* IX *& seqq.* Laudatur quod primus Alexandrum PP. agnoverit *ibid.* V & X. Cum Henrico Angliæ Rege pacem init *ibid.* VII *& seq.*

Legationem mittit ad Alexandrum III in Gallias venientem 1162. I. Frustrà à Frederico Imp. sollicitatur, ut eum rejiciat *ibid.* II. Cum Alexandro apud Silviniacum colloquium habet *ibid.* III *& seq.* Monetur ab Alexandro ne Conventui à Frederico Imp. indicto intersit *ibid.* IV. In Alexandrum irascitur *ibid.* V. Frustra Alexandrum monet ut Conventui intersit *ibid.* VI. Ludovico pactiones illicitæ proponuntur *ibid.* VII. Ludovicus in laqueos sibi paratos incidit *ibid.* IX. Ex illis evadit *ibid.* X. Pecuniam ad Terræ sanctæ subsidium in Francia colligi jubet 1164. XXV *& seqq.* S. Thomam Cantuariensem Archiep. summo cum honore excipit 1166. III. Cum eo pacem facit *ibid.* XVI *& seq.* Rebellionem filiorum Henrici Angliæ Regis fovet 1173. I. S. Petri Tarantasiensis Archiep. opera cum Henrico pacem init 1174. X. Tolosam proficiscitur adversus Hæreticos Albigenses 1178. IV. In Angliam pergit S. Thomam veneraturus 1179. XIV. Philippum filium Regem coronari curat *ibid.* Moritur 1180. VI.

Ludovicus VIII postea Franciæ Rex nascitur 1187. VIII.

Ludovicus Caroli Lotharingiæ Ducis Filius è Francia pellitur 990. VII. Landgraviorum Thuringiæ parens fuit *ibid.*

Lugdunensis Ecclesiæ Primatus instituitur 1079. VIII. huic institutioni intercedit Senonensis Archiep. *ibid.* VIII *& seq.* Primatus Ecclesiæ Lugdunensis à Senonensi Archiep. agnoscitur 1099. V.

Lugdunensis Ecclesia Conceptionis B. Virginis festum instituit 1136. VIII. Lugdunenses redarguuntur à S. Bernardo quod festum illud inconsulta Sede Apostolica instituerint *ibid.*

Luitprandus Ticinensis Diaconus & postea Cremonensis Episcopus quo tempore Historiam suam scripserit 963. III. Chronicum & Adversaria ei attributa supposititia *ibid.* Luitprandus ad Nicephorum Imp. mittitur pro conciliandis nuptiis Ottonis junioris cum Theophaniâ Romani junioris filia 968. XI.

Luitprandus Presbyter Mediolanensis stat contra Clericos concubinarios 1076. VIII. Ab iis naso & auribus truncatur *ibid.* IX. Ad Luitprandum scribit Gregorius VII PP. *ibid.* Luitprandus judicium per ignem offert ut probet Grosulanum Ecclesiæ Mediolanensis invasorem esse simoniacum 1102. VII. & 1103. VI. Prævio jejunio ad illud se parat 1103. VII. Pergit ad locum in quo examen faciendum erat *ibid.* VIII. Luitprandum à proposito removere conatur Grosulanus *ibid.* IX. Luitprandus per ignem illæsus transit *ibid.* X. Ejus causa cum Grosulano agitatur in Concilio Lateranensi II. Sub Paschali PP. 1105. V *& seqq.* Luitprandus sanctè moritur 1112. VI *& seq.*

Lumbariense Concilium contra Valdenses Hæreticos se *Bonos homines* appellantes 1176. II.

Lundensis Archiepiscopatus in Dania fundatur 1092. IX.

M.

S. *Macarius* Antiochiæ Pisidiæ Archiepiscopus à Saracenis malè habitus Gandavum venit 1011. VI. Moritur 1012. VII. Ejus ossa elevantur *ibid.*

Machetadus seu Macbetha Scotorum Rex Romam pergit 1050. XXIV. Pias Leges edit *ibid.* Occiditur 1054. XI.

Magdeburgum quo anno ab Ottone M. ædificatum & monasterium in eo conditum 971. VI.

Magdeburgensis Archiepiscopatus instituitur ab Ottone Imp. in Concilio Ravennensi 967. II & IV. & 968. XV. Huic institutioni assentitur Hildiwaldus Episcopus Halberstadensis in alio Concilio Ravennensi 967. V.

Maginulphus Archipresbiter invitus fit Antipapa 1100. IV.

IV. Silvester quartus appellatur *ibid.* à Romanis reprobatur *ibid.*

Magister Melior quo anno à Lucio III dictus Cardinalis 1181. V. Patriâ Armoricus erat *ibid.* Ad eum scribit Willelmus Remensis Archiep. De causa Turonensis Archiep. cum Dolensi Episcopo *ibid.* III.

Magnus Norvegiæ Rex ab invadenda Anglia impeditur 1050. XXII.

Magorum Regum corpora Mediolani inveniuntur 1159. III. à Rainaldo Coloniensi Archiep. Coloniam transferuntur 1163. XII. *& seq.*

Mahomet Eben Tumart Saracenos in Africa reformat 1119. XIX Marochii Alcoranum prædicat *ibid.* XX. Dictus etiam fuit Almohadi *ibid.* XIX. Ab eo Almohades originem ducunt *ibid.* XXI. Mahomet ad universum Africæ Imperium anhiat 1120. XXIX. Ejus Sectatorum principatus initium à quo anno repetendum *ibid.* XXX.

Mahomet Abdelmumeni filius designatur Imperator Saracenorum Africæ 1154. XIX. à Patre moriente de gradu dejicitur 1163. XIV. Iosephum Almohadum Imp. bello lacessit 1168. XXI.

Mahomet fit Imperator Almohadum Africæ & Hispaniæ 1198. VII. à Christianis magno prælio profligatur in Hispania *ibid.*

Mainardus Sylvæ Candidæ Episcopus Legatus ab Alexandro II Mediolanum mittitur 1067. I. Decreta adversus Simoniacos & Clericos incontinentes edit *ibid.*

S. Maiolus Cluniacensis Abbas à Saracenis Fraxineti capitur & redimitur 972. IV. Ejus occasione Saraceni è Fraxineto pelluntur *ibid.* S. Maiolus Romanum Pontificatum recusat 975. I *& seq.* S. Maïoli opera Otto II cum Adelhaide matre reconciliatur 980. VII *& seq.* S. Maïolus S. Odilonem sibi substituendum curat in Abbatiam Cluniacensem 993. VIII. Moritur *ibid.* Ejus vitæ scriptores *ibid.*

Majorica Insula à Pisanis & Raimundo III Barcinonensi Comite obsidetur & capitur 1114. XII *& seq.* & 1115. XIV *& seq.* Majoricani ad infidelitatem redeunt *ibid.*

S. Malachias floret in Hibernia 1124. XIV. Connerctensis Episcopus eligitur *ibid.* Fit Archiep. Armachanus 1137. XIX. Romam petit & quo anno *ibid.* XX. apud Claramvallem moritur 1148. XIV. Quo anno sit canonizatus *ibid.*

Malcolmus III fit Scotiæ Rex 1054. XI. S. Margaritam uxorem ducit *ibid.* & 1067. VIII *& seq.* Ex iis Scotiæ & Angliæ Reges nostræ ætatis originem ducunt 1057. VIII. Malcolmus cum Willelmo Angliæ Rege pacem facit 1068. II. Occiditur 1093. VIII. Ejus liberi *ibid.* IX.

Malcolmus IV fit Scotiæ Rex 1153. X. Moritur 1165. VI.

Manasses Archiepiscopus Remensis ab Hugone Diensi Episcopo Sedis Apostolicæ Legato in Concilio Lugdunensi deponitur 1080. XIII *& seq.* Remis Concilium celebrat 1109. VII *& seqq.*

Manichæi quidam in Germania inventi à S. Leone puniuntur 1052. XIII.

Manichæorum novæ hæresis in Gallia initium ad quem annum referendum 1017. I. Manichæorum hæresis plures Galliarum urbes infecit *ibid.* II. Manichæorum errores *ibid.* Manichæi Aurelianis & Tolosæ igne cremantur *ibid.* I. *& seqq.* Synodus Aurelianensis adversus eos celebratur *ibid.* III. Carrofensis Synodus à Willelmo IV Aquitaniæ Duce adversus eos celebratur 1027. XII.

Manichæi multi Alexii Comneni Imp. operâ ab errore revocantur 1114. IX *& seq.*

Mansionaticum tributum erat ab Italis solvi solitum pro exercitu Imperatoris 962. V.

Manso fit Abbas Casinensis 986. III. Moritur 995. IV.

Mantuanum Concilium à S. Leone IX. PP. celebratur 1052. II.

Mantuanum Concilium in quo Cadolus Antipapa damnatur & Alexander II verus Pontifex agnoscitur quo anno celebratum 1064. I *& seqq.* & 1067. I.

Mantua Henrico Imperatori deditur 1091. III.

Manuel Patricius Nicephori Imperatoris Phocæ nepos à Saracenis in Sicilia vincitur & occiditur 963. XII. & 965. XVII *& seqq.*

Manuel Comnenus fit Imperator Græcorum 1143. X. Michaelem Oxitem Patriarcham Constantinopolitanum dicit *ibid.* XI. Ab eo coronatur *ibid.* Cum Willelmo Siciliæ Rege pacem facit 1188. I. Leges emittit in favorem Ecclesiæ *ibid.* XIII. Alexandrum III Romanum Pontificem agnoscit 1161. XIII. In Romanam Ecclesiam propensius fuit *ibid.* XIV. Novellam de feriis dat 1166. XVIII. Legatos ad Alexandrum III mittit, eique offert unionem Ecclesiæ Græcæ cum Latina, si Imperium Occidentale ei conferre velit 1168. XII. & 1170. IV. Mediolanensibus auxilio est contra Fredericum Imp. 1169. IV. Theorianum in Armeniam mittit, ut Armenos cum Ecclesia Constantinopolitana uniat 1170. V. Ingenti clade à Turcis profligatur 1176. XII *& seq.* Moritur 1180. III.

Marbodus Scholæ Andegavensis Magister postea Redonensis Episcopus Brunonis Andegavensis Episc. Epitaphium composuit 1081. XXII. Moritur 1123. XX. Ejus Opera *ibid.*

S. *Margarita* Eduardi & Agathæ filia Malcolmo III Scotiæ Regi nubit 1054. XI. & 1067. VIII *& seq.* Ex ea Scotiæ & Angliæ Reges nostræ ætatis originem ducunt 1057. VIII. Moritur 1093. VIII. & 1097. XVII. à Clemente X PP. Scotiæ Patrona declarata fuit 1093. IX. Ejus Liberi *ibid.*

Margarita seu Margareta Ludovici VII Francorum Regis filia Henrico Henrici II Angliæ Regis filio desponsatur 1158. VI *& seq.* Henrico mortuo nupsit Belæ III Hungariæ Regi 1190. XXV.

Margarita Willelmi II Siciliæ Regis mater ante annum MCLXXXIII. Mortua 1183. IV.

S. Maria Ecclesia *Rotunda* dicta diversa ab Ecclesia S. Mariæ de Turribus 1087. I.

Maria Aragoniæ Principis filiæ cum Ottone III conjugium commentitium 998. XVII.

Maria Christiana Melchitica Azizi Billæ Caliphæ Ægypti uxor 1009. VI.

Maria Joannis Bulgariæ Regis vidua Bulgariam Basilio Imp. cedit & ad eum cum filiis & filiabus venit 1018. VII.

Maria Wolodomiri Russorum Regis filia Cazimiro Poloniæ Regi nubit 1041. V. Boleslaum parit *ibid.*

Maria Comnena Isaacio patre Imperium abdicante cum matre in monasterium secedit 1059. XVIII.

Maria Michaëlis Ducæ Imp. uxor Constantino Rotoniatæ nubit 1078. VII. Ejus virtutes *ibid.*

Marochiani Regni institutio 1077. XVII.

Maronitas ad Monothelismum inducere tentat Thomas Hharanita Episcopus Kfartabensis 1109. XVII *& seqq.*

Maronitarum Patriarcha post Thomæ Hharanitæ mortem ejus doctrinam amplectitur *ibid.* XXIV. Maronitæ ab ejus communione se separant *ibid.*

Maronitæ non fuerunt hæretici 1182. X *& seqq.* Maronitæ aliqui hæretici Haimerico Antiochiæ Patriarcha Latino Ecclesiæ reconciliantur *ibid.* XIII *& seq.* Eorum Libri à Jacobitis depravati *ibid.* XV.

Marsicanus Episcopatus in duos divisus à Stephano IX in priorem statum restituitur 1057. IV.

S. Martialis an dicendus sit Confessor vel Apostolus inter Clericos & Monachos Lemovicenses controvertitur

tur 1023. II. Concilium Pictavis hac de causa congregatur *ibid.* Parisiense Concilium definit dicendum esse Apostolum 1024 XII & *seqq.* Eum dici Apostolum vetat Jordanus Episcopus Lemovicensis 1025. X. Ejus corpus transfertur & Ecclesia consecratur à Patribus Concilii Lemovicensis primi 1029. II. à S. Symeone Syracusano asseritur esse unus ex LXXII discipulis 1029. III. Apostolus à Joanne XIX appellari jubetur 1032. I. Primo seculo in Gallias venit *ibid.* II. Eum inter Apostolos numerandum statuit Concilium Bituricense 1034. V. Item Concilium II Lemovicense *ibid.* VII & *seq.*

Massalianorum primus Auctor dicitur Petrus seu Lycopetrus 1118. XXXIII.

Matera à Saracenis expugnatur 994. VII.

Mathilda Ottonis M. filia Abbatissa Quidiliburgensis floret 997. XI. Ottone III Nepote Romam pergente Regni Germanici administrationem suscipit *ibid.* V. Quo tempore mortua *ibid.* XI.

S. Mathildis Ottonis M. mater moritur 973. II.

Mathildis Herimanni Alemanniæ Ducis filiæ cum Conrado Austrasiorum Duce nuptiæ ab Henrico Germaniæ Rege illicitæ dicuntur in Synodo Tremoniensi 1005. I & *seq.* Ejus genealogia explicatur *ibid.* III. Ejus illicitis nuptiis plures Episcopi favent *ibid.* IV. Mathildis Conrado marito mortuo Frederico II Lothoringiæ Duci nupsit 1070. XIV. Beatricem Mathildis Tusciæ Comitissæ matrem ex eo genuit *ibid.*

Mathildis Conradi Imp. filia Henrico Franciæ Regi desponsata moritur 1036. V.

Mathildis Balduini V Flandriæ Comitis filia Willelmo Normanniæ Duci & postea Angliæ Regi nupta 1068. I. Angliæ Regina coronatur *ibid.* Henricum filium parit *ibid.*

Mathildis Beatricis & Bonifacii Tusciæ Marchionis filia 1070. VI. Godefrido Gibboso Lothoringiæ Duci nubit *ibid.* VIII. Ejus materna Genealogia explicatur *ibid.* IX & *seqq.* Ejus cum duobus Henricis Impp. consanguinitas *ibid.* XIV. Mathildis Ecclesiam Romanam tuetur 1074. I. Ejus cum Godefrido Duce marito divortium prorsus fictitium *ibid.* 1. & *seq.* Mathildis diversa est à Mathilde Azonis Marchionis uxore *ibid.* III Sola à Gregorii VII partibus stat contra Henricum Germaniæ Regem 1080. VIII. Ejus exercitus ab Henrico Henrici Regis filio vincitur *ibid.* Mathildis S. Hugoni Romam pergenti ut Gratianopolitanus consecraretur Episcopus necessaria subministrat *ibid.* XV. Henrico Regi se opponit 1081. III. In armis est ad defensionem Gregorii PP. 1082. IV. Bona Ecclesiæ Canusinæ à se data ad bellum pro ejus defensione insumit *ibid.* S. Anselmi Lucensis Episcopi curæ à Gregorio PP. commendatur *ibid.* V. Mathildis in Italia pro Gregorio PP. pugnat 1084. X. Scribit ad Germanos ut caveant ne ab Henrico decipiantur *ibid.* XI. Urbani II PP. suasu Velphoni Bajoariæ Duci nubit 1089. IV. Ejus terras eis Alpes occupat Henricus Rex 1091. II. Mathildis Henricum in prælio vincit *ibid.* III. inter Mathildem & Henricum pax frustrà tentatur 1092. I. Mathildis castra in suis ditionibus ab Henrico occupata recuperat *ibid.* II. Contrado suadet ut in Henricum patrem rebeller 1093. II. Urbanum PP. in Tusciam invitat 1094. I. Henricum Regem Italiam relinquere cogit 1097. XVIII. Moritur 1115. VII. Ejus Vitæ scriptor *ibid.* Ejus ossa jussu Urbani VIII PP. Romam sunt asportata *ibid.*

Mathildis Azonis Marchionis uxor diversa à Mathilde Comitissa Beatricis filia 1074. III.

Mathildis Henrici Angliæ Regis filia Henrico V Germaniæ Regi nubit 1110. I. & 1114. XVIII. Marito defuncto ad patrem redit 1125. XII. Nubit Gaufredo Andegavensi Comiti 1127. XXIV. Henrico Angliæ Rege patre mortuo Davidis Scotiæ Regis opem implorat ad obtinendum regnum 1136. XIV. In Angliam pergit cum Roberto Glocestriæ Comite fratre notho 1139. XX. Inter Mathildem & Stephanum Angliæ Regem frustra de pace agitur 1140. XIX. Mathildis Angliæ Regina agnoscitur 1141. IX & *seq.* à multis rejicitur *ibid.* XI & *seq.* in Castello Oxoniensi obsessa ex eo fugit 1142. IX & *seq.* moritur 1167. XXVI.

Mathildis Roberti Guiscardi filia nubit Raimundo II Comiti Barcinonensi 1079. VI. & 1091. VII. Secundis nuptiis nubit Aimerico II Narbonensi Vicecomiti 1079. VII.

Mathildis Rogerii Calabriæ Comitis filia Raimundo S. Ægidii Comiti nubit 1081. X.

Mathildis S. Margaritæ Scotiæ Reginæ filia Henrico postea Angliæ Regi nupsit 1093. IX. 1097. XVII. & 1100. XIV & seq. moritur 1118. XXXV.

Mathildis Willelmi VIII Aquitaniæ Ducis filia Aimerici Vicecomitis Toarcii vidua nubit Ramiro Monacho Aragoniæ Regi 1134. XXXIII. & XXXV. Petronillam filiam ex eo suscipit *ibid.*

Mathildis Stephani Angliæ Regis uxor laudatur 1140. XX. filia erat Eustachii III Bononiæ Comitis *ibid.* ad eam S. Bernardus scripsit *ibid.*

Matthæus Albanensis Episc. Cardinalis Legatus Apostolicus Trecis Concilium habet 1127. XI & *seq.* Præsente Henrico Rege Rotomagi Concilium celebrat 1128. XVI & *seq.* Quo anno Cardinalis creatus *ibid.* XVI. Catalaunense Concilium celebrat 1129. VIII. Parisiis aliud Concilium habet *ibid.* XII. Item aliud Moguntiæ 1131. XXII. Cum Innocentio PP. in Italiam redit 1132. I & *seq.*

Matthæus Malmesburiensis in hist. Novel. cautè legendus 1141. VIII. historiam suam absolvit 1142. X.

Mauri Hispanias incolentes Vandali dicti 965. X.

Mauricius Archidiaconus Ecclesiæ Parisiensis Petro Lombardo in Episcopatum Parisiensem succedit 1164. XVIII. Joannem Salisberiensem Episcopum Carnotensem consecrat 1176. X. quo anno mortuus sit 1187. XVII. & 1196. XI.

Maurilius Rotomagensis Archiep. Rotomagi contra Berengarium synodum celebrat 1063. VI.

Mauritania Sitifensis proprio Regi paret 1076. VII.

Mediolanenses Archiepiscopi nunquam fuere uxorati 1045. VIII & *seq.* Mediolanensis Archiep. cum Ravennensi frustra contendit sibi deberi primum locum in Conciliis post Romanum Pontificem 1047. I. Mediolanensis Archiep. Sacerdotum conjugia tuetur 1057. IX & *seqq.*

Mediolanenses Sacerdotes uxorati erant 1045. IX & *seq.* eorum conjugia & simoniam abolere conatur S. Arialdus Mediolanensis Clericus 1057. IX & *seq.* Mediolanensis Populus se à Cleri simoniaci communione segregat *ibid.* XI. Mediolanensis Ecclesia cum Romana conciliatur 1059. XI. Mediolanensis Clerici ad vomitum redeunt *ibid.*

Mediolanensis Ecclesiæ turbæ augentur 1166. VIII & *seq.* & 1067. III & *seqq.*

Mediolanensis Urbs incendio conflagrat 1071. XVI. iterum conflagrat 1074. VII.

Mediolanenses Tedaldum Archiepiscopum eligunt 1075. XV. Eum suscipiunt 1076. X. à Papa absolutionem petunt & obtinent 1077. III.

Mediolanenses in gratiam Henrici Imp. congregantur 1118. XXXVII. Comensibus bellum indicunt *ibid.* XXXVIII. Comensem urbem capiunt & diripiunt 1128. XI. Anacleto Antipapæ adhærent 1130. XLVII & *seq.* In Anselmum Archiep. seditionem excitant 1133. XV & *seqq.* Scribunt ad S. Bernardum se Innocentium II PP. agnoscere 1134. IV. S. Bernardum Ar-

chiepiſcopum Mediolanenſem eligunt *ibid.* VIII. Eo recuſante eligunt Robaldum *ibid.* XI. In gratiam Innocentii II redeunt 1135. XXX. Cum Cremonenſibus bellum gerunt 1136. V & VII.

Mediolanenſes Canonici de jure pulſandarum campanarum diſſident à Monachis 1144. X V I.

Mediolanenſium in Fredericum Romanorum Regem inſolentia 1153. XVIII. Mediolanenſium ſcriptorum fabulæ de geſtis Frederici refutantur 1154. XIII *& ſeqq.* Mediolanum à Frederico obſidetur 1158. III. Ab eo recipitur *ibid.* V. Mediolanenſes Frederici Imp. Legatos urbe pellunt 1159. I *& ſeq.* Alexandri III partes amplectuntur & à Frederico Imp. vexantur 1160. XIII.

Mediolanum iterum à Frederico obſidetur 1161. XVI. Mediolanenſes Eccleſiæ ſuburbanæ quo anno everſæ *ibid.* XVII. Mediolanum Frederico Imp. deditur 1162. XXVI. Solo æquatur *ibid.* XXVII. Mediolanenſes cives aliò amandantur *ibid.* XXVIII. Mediolanenſis urbis ſuburbia non fuêre everſa *ibid.* XXX. Mediolanenſes cum præcipuis Lombardiæ civitatibus fœdus ineunt contra Fredericum Imp. 1167. IV. Mediolanum reædificant *ibid.* V. Fredericum in fugam conjiciunt *ibid.* XIII. Frederico ex Italia fugato fœdus cum aliis civitatibus firmant 1168. X. Mediolanum munitionibus firmant auxilio Manuelis Græcorum Imp. & Henrici Angliæ Regis 1169. I V. Mediolanenſium matronarum pietas *ibid.* V. Mediolanenſes inclytam de Frederico Imp. victoriam reportant 1176. III. Bononienſibus eam ſignificant *ibid.* I V. Mediolanenſes & fœderatæ urbes cum Frederico Imp. pacem faciunt 1183. V I.

Mediolanenſe Concilium à Jordano Archiepiſcopo celebratur 1117. XII.

S. Meinardus Epiſcopatum Rigeoſem in Livonia inſtituit 1186. XI. Livoniæ Apoſtolus dicitur *ibid.*

Meldenſe Concilium in quo Robertus ordinatur Epiſcopus Meldenſis 1082. VI.

Melita quo tempore Chriſtiani juris facta 1091. XIII *& ſeq.*

Melphia urbs diverſa ab Amalphia 1059. XV. à Nicolao II PP. fit ſedes Epiſcopalis *ibid.*

Melphitanum Concilium à Nicolao II PP. contra Clericos uxoratos celebratur 1059. XIV.

Melphitanum alterum Concilium quo anno ab Urbano II PP. celebratum 1090. III *& ſeq.*

Melus civitatis Barenſis vir primarius Normannos in Apuliam accerſit 1016. V I *& ſeqq.* Cum Græcia variâ fortuna pugnat 1018. I *& ſeqq.* Ad Henricum Imp. pergit ad auxilium petendum *ibid.* I & III *&* 1019. II. Moritur 1020. V I.

Mempetze Syriæ Urbs à Joanne Tzimiſce Imp. expugnatur 975. VII.

Menevenſis Eccleſia & aliæ Walliæ Cantuarienſi Metropoli ſubjiciuntur 1115. X.

Meſquinencia Aragoniæ urbs ab Alphonſo Rege Aragoniæ Saracenis eripitur 1133. XXII.

Meſſana à Rogerio Calabriæ Comite expugnatur 1060. I X.

Metaphraſte, vide Simeon Metaphraſte.

Mezquita Toletana in Eccleſiam convertitur 1090. I.

Michael Cerularius fit Patriarcha Cpolitanus 1043. VIII. queritur quod alii Patriarchæ Eccleſiæ Rom. communionem retineant 1053. X I. Scribit contra Romanam Eccleſiam quod in azimis conſecraret *ibid.* XII. Refutatur à S. Leone I X & ab Humberto Sylvæ Candidæ Epiſcopo *ibid.* Excommunicatur à Legatis Apoſtolicis *ibid.* XIII. Conſtantini Monomachi Imp. odium incurrit *ibid.* Papæ nomen è Diptychis delet 1054. I. Alios Patriarchas ab ejus communione divellere conatur *ibid.* Ab Iſaacio Comneno Imp. in exilium pellitur & moritur 1058. XI. quo anno ejus depoſitio contigerit *ibid.* XIII. Schiſmatis Græcorum auctor eſt *ibid.* XI.

Michael Oxites à Manuele Comneno Imp. fit Patriarcha Cpolitanus 1143. X I. Manuelem Imp. coronat *ibid.* Adverſus quoſdam Bogomilos Concilium cogit *ibid.* XII. Patriarchatum abdicat 1146. XVI.

Michael hujus nominis III dictus Patriarcha Cpolitanus 1166. XVII. Charitonem ſucceſſorem habet 1179. X V I.

Michael De Corbolio Decanus Pariſienſis eligitur Patriarcha Jeroſolymorum 1194. XIII. Antequam Jeroſolymam pergat fit Archiep. Senonenſis *ibid.* Ad eum ſcribit Cæleſtinus III PP. ſe caſſare ſententiam divortii inter Regem & Reginam Franciæ 1195. II.

Michael Paphlago Zoës Imperatricis amaſius fit Imperator 1034. X I I. Morbo ſontico laboravit, ſed non fuit dæmoniacus *ibid.* X I I I. Ægrotat 1039. I I. Templa ædificat *ibid.* III. Magiæ falsò incuſatur *ibid.* I V. Philoſophos & gravibus morbis affectos colit *ibid.* V. Monachum induit 1041. I. Moritur *ibid.* II. Antequam monaſterium adeat Michaelem Calaphatam nepotem Cæſarem creat *ibid.* III.

Michael Calaphata Michaelis Paphlagonis nepos dicitur Cæſar 1041. III. à Zoe Auguſta in filium adoptatur *ibid.* Michaeli Paphlagoni ſuccedit *ibid.* Conſtantinum fratrem *Nobiliſſimum* creat 1042. III. Joannem alterum fratrem & Zoen Auguſtam in exilium mittit *ibid.* Imperio deponitur *ibid.* I V.

Michael Stratioticus fit Imperator 1054. I V *& ſeq.* Imperio deponitur 1057. V *& ſeq.* Moritur *ibid.* VII.

Michael Ducas Conſtantino patre mortuo cum Eudocia matre aliquot menſibus imperat 1067. V I I & 1068. V. Romano Diogene excæcato fit Imperator 1071. IX. Nicephorum ſpadonem rebus præficit *ibid.* X. Imperio parum aptus erat *ibid.* à Michaele pſello literis imbuitur *ibid.* Cum Normannis ſocietatem init 1073. XIV. Filiam Roberti Apuliæ Ducis Conſtantino filio deſpondet *ibid.* Sub eo imperium ad ſummas anguſtias reducitur *ibid.* XIV *& ſeq.* Michael imperio deponitur 1078. VI. Fit Monachus & Archiepiſcopus Epheſi *ibid.* Ad monaſterium redit & moritur *ibid.*

Michael quidam ſe Michaelem Ducam Imp. ſimulat 1080. V I *& ſeq.* à Gregorio PP. & Roberto Calabriæ Duce ſuſcipitur *ibid.* à Roberto in expeditione Delmatica ducitur 1081. VII.

Michael Pſellus Simeonis Metaphraſte encomiaſtes 975. X. Hiſtoriam Byzantinam uſque ad Conſtantinum Ducam continuavit 976. V. Schiſma Eccleſiæ Græcæ non parum promovit 1054. II. Orationem laudatoriam in Conſtantinum Lichudem Patriarcham CP. compoſuit 1066. X. Michaelem Ducam Imp. literis imbuit 1071. X. Literas in Oriente reſtituit *ibid.* XI. *& ſeq.*

Micrologus Guidonis Aretini continet novam cantandi methodum 1022. VIII.

Micrologi de divinis Officiis Auctor vixit ſub finem ſeculi undecimi *ibid.* I X. Micrologi voce quid intelligatur *ibid.* VIII. Micrologus de rebus geſtis Caroli M. à duobus prioribus diverſus *ibid.* I X.

Mieſco ſeu Miſico vel Miecislaus Poloniæ Dux fit Chriſtianus 965. VII. Moritur 991. III. Princeps fuit pietate inſignis *ibid.* I V.

Mieſco II fit Poloniæ Dux 1025. I X. Cum S. Richeza uxore divortium fecit *ibid.* Ottonem fratrem in Ruſſiam pellit quod Conradi Regis partibus faveret *ibid.* Regium nomen aſſumit *ibid.* à Conrado domatur & Poloniæ parte privatur 1032. X. Moritur 1034. X V.

Meliſendes Balduini II Jeroſolymorum Regis primogenita Fulconi Andegavenſi Comiti nubit 1127. XXIV. fit Regina Jeroſolymorum 1131. XIX. Cum Balduino

III filio coronatur 1142. III. Varias S. Bernardi Epiſtolas recepit *ibid.* III *& ſeq.* Moritur 1163. VIII.

Minda cum mero & mixto imperio Mindenſi Epiſcopo ſubjecta 988. I.

Miſſarum plurium in die celebratio in Moguntina diœceſi Presbyteris permiſſa 1022. V. Hujus uſus alia exempla occurrunt 1131. XVII. Miſſam celebrare & audire aliquando unum & idem 1198. V *& ſeq.*

Mitra uſus Principibus à Romanis Pontificibus conceſſus 1068. IV.

Mlada Boleſlai Pii Bohemiæ Ducis ſoror Romam pergit & à Joanne XIII PP. Abbatiſſa conſecratur 967. XIV S. Georgii Martyris Eccleſiam à Boleſlao fratre obtinet *ibid.* XV.

Moguntia cum mero & mixto imperio Moguntino Archiepiſcopo ſubjecta 988. I.

Moguntino Archiep. uſque ad annum milleſimum ſubjecta fuit Polonia 965 XI. Bohemia uſque ad medium ſeculum decimum quintum *ibid.*

Moguntinus Archiep. Bohemiæ Reges coronabat *ibid.*

Moguntinum Concilium ſub Aribone Archiep. 1023. I.

Moguntinum Concilium à S. Leone IX PP. celebratur 1049. XII. In eo actum de S. Servatio Epiſcopo Tungrenſi *ibid.*

Moguntinum Concilium à Sigefrido Archiep. cogitur contra Carolum Conſtantienſem Epiſc. deſignatum 1071. II *& ſeqq.*

Moguntinum Concilium contra Sacerdotes fornicarios 1075. IX.

Moguntinum Conciliabulum Guiberti Antipapæ electionem confirmat 1080. IV.

Moguntinum alterum Conciliabulum à Guiberti Antipapæ Legatis celebratur 1085. III. Hermannum Germaniæ Regem majeſtatis reum declarat *ibid.* Herimannum Metenſem Epiſc. Gregorii VII defenſorem deponit *ibid.*

Moguntinum Conciliabulum jubet Uratiſlaum Bohemiæ Ducem in Regem ungi 1086. X.

Moguntinenſis Conventus ſententiam anathematis in Henricum IV latam confirmat 1105. II.

Moguntinum Concilium à Matthæo Albanenſi Apoſtolicæ ſedis Legato celebratur 1131. XXII. In eo Innocentius II verus Pontifex agnoſcitur *ibid.*

Moliſmenſes Monachi Ciſtercienſis Ordinis fundationi adverſantur 1098. IX *& ſeq.* Urbani II auxilium implorant *ibid.* XI.

Monachi Ratiſponenſes fingunt ſe inveniſſe corpus S. Dionyſii Pariſiorum Epiſcopi 1052. VIII. Literas ſupponunt quibus Leo IX judicat id verum eſſe *ibid.* XII.

Monachi Florentini à Petri Epiſcopi Florentini communione ſe ſegregant & quare 1063. I.

Monachos ab Epiſcopalibus Angliæ ſedibus pelli vetat Alexander II PP. 1071. V.

Monachi San-Valaricenſes S. Godefrido Ambianenſi Epiſcopo ſubjici nolentes cauſa cadunt 1109. VII. *& ſeqq.*

Monachus in Florentina Diœceſi natus fit Patriarcha Jeroſolymorum 1194. XIII.

Monialium incontinentia ſeculi duodecimi initio 1100. IX *& ſeqq.*

Moniales monaſterii S. Faræ è monaſterio ejiciuntur ob incontinentiam 1100. IX *& ſeqq.*

Moniales ob eandem cauſam ejiciuntur è monaſterio S. Joannis Laudunenſis 1128. XVIII. Item è monaſterio Argentolienſi 1129. XII.

Monſpelienſe Concilium ab Alexandro III PP. celebratur 1162. XX. In eo Victor Antipapa excommunicatur *ibid.*

Monſpelienſe alterum Concilium à Michaele Apoſtolicæ ſedis Legato cogitur 1195. V.

Montis Regalis monaſterium à Willelmo II Siciliæ Rege fundatur 1174. IX. Ingentia privilegia ei ab Alexandro III conceſſa *ibid.* Montis Regalis monaſterium in Archiepiſcopatum evehitur 1183. III. Ei Epiſcopatus Catanenſis ſubditur *ibid.* Item Epiſcopatus Syracuſanus *ibid.* IV.

Mopſueſtia à Nicephoro Phoca Imp. expugnatur 964. IX.

Morimundus Abbatia Ciſtercii quarta filia in Lingonenſi diœceſi fundatur 1115. XIII.

Mortuorum feſtum Mediolani inſtituitur ab Olrico poſtea Archiepiſcopo Mediolanenſi 1120. IX.

Mortuorum commemoratio Mediolani juxta uſum Eccleſiæ Rom. introducta *ibid.* XI.

Moſci, vide, *Ruſſi.*

Moſomenſe Concilium à Leone Joannis XV Legato in cauſa Gerberti celebratur 995. II.

Moſomienſe alterum Concilium à Folmaro Archiep. Trevirenſi Sedis Apoſtolicæ Legato habetur 1186. IV.

Motus terræ ingens 968. III. Alter terræ motus in Bajoaria 1021. IV. Alter in Oriente 1032. XI. Alter in Occidente & præcipuè in Italia 1117. XII.

Mozarabes Chriſtiani in Hiſpania ad Alphonſum Aragoniæ Regem confugiunt 1124. XX. Mozarabes qui remanſerunt à Saracenis peſſimè habiti *ibid.* XXI.

Muazzus Ledinilla Africæ Calipha Ægyptum occupat 969. XII. Joſephum Bolquinum Africæ præficit *ibid.* Moritur 975. XVIII.

Muſtadirus Billa fit Calipha Babylonienſis 1094. XVI. Moritur 1118. XXXVI.

Muſtadis Billa fit Calipha Babylonienſis 1074. XVII. Moritur 1094. XVI.

Muſtalis Billa fit Calipha Ægypti 1094. XVI. Moritur 1101. XI.

Muſtanzirus Billa fit Calipha Ægypti 1036. V. Moritur 1094. XVI.

Mutius Lilla Babylonienſis Calipha dignitatem abdicat 974. V.

Myſi, *vide* Bulgari.

N.

NArbonenſe Concilium capitula XXIX conſtituit 1054. IX. Treugam Dei confirmat *ibid.*

Narbonenſis Archiepiſcopus Toletani primatum agnoſcere cogitur ab Urbano II PP. 1088. VIII. Tarraconenſis Archiepiſcopatus reſtitutionem impedire fruſtra tentat 1091. IV *& ſeqq.*

S. Narciſſi Epiſcopi primi Gerundenſis reliquias Auguſtenſes petunt à Berengario Gerundenſi Epiſcopo 1087. XII.

Navarra Epiſcopi Auſcienſi Epiſcopo tanquam Metropolitano parent 1032. IV.

Navarræ Regnum Aragonenſi unitur 1076. XII.

Navarræi mortuo Alphonſo Aragoniæ & Navarræ Rege Garſiam Ramiri ſibi Regem eligunt 1134. XXXVI.

Nazarenum Concilium Alexandrum III Pontificem agnoſcit Victore Antipapa excommunicato 1159. XI.

Nazarius Laicus Mediolanenſis S. Arialdo ſe adjungit contra Clericos Mediolanenſes concubinarios 1057. X.

Nemauſenſe Concilium ab Urbano II PP. celebratur 1096. VII. Philippum Galliarum Regem Eccleſiæ reconciliat *ibid.* II & VII.

Neophytus incluſus fit Patriarcha Conſtantinopolitanus 1153. XX. Moritur 1155. XII.

Nicæa à Crucesignatis expugnatur 1097. XVI.

Nicephorus Phocas Saracenos vincit 962. VIII. Domeſtica dignitate augetur *ibid.* de Saracenis triumphat 965. V.

V. Josephi Accubitoris potentiam suspectam habet *ibid.* De Imperio arripiendo cogitat *ibid.* V. & *seq.* Fit Dux totius Asiæ *ibid.* VII & *seq.* à Josepho Accubitore dissidet *ibid.* V & IX. Imperator acclamatur *ibid.* X. Theophanonem Romani Junioris viduam uxorem accipit *ibid.* XI. Ejus virtutes *ibid.* Nicephorus Bardam patrem Cæsarem creat *ibid.* X. Joannem Tzimiscem Orientis Domesticum dicit *ibid.* Leonem Germanum Curopalatam & magistrum creat *ibid.* Tarsensem urbem in Cilicia obsidet 964. VIII. Anazarbam, Adanam & Mopsuestiam capit *ibid.* VIII & *seq.* Tarsum obsidet & capit 965. XIV & *seq.*

Constantinopolim redit *ibid.* XV. Expeditionem in Bulgaros seu Mysos suscipit *ibid.* XVI. Equestres Ludos in Circo edit & Byzantinorum in se odium concitat *ibid.* Classem in Saracenos Siciliæ mittit, sed infausto exitu *ibid.* XVII & *seqq.* Antiochiam Syriæ tentat 968. V. & VII. Tegulam Christi effigie impressam Constantinopolim Edessâ transfert *ibid.* V. Multa oppida in Syria capit *ibid.* Byzantium revertitur *ibid.* VIII. Legationem ad Bulgaros mittit 969. I. Nicephoro mors prædicitur *ibid.* II. Nicephorus Joannis Zimiscis operâ occiditur *ibid.* III. Ejus virtutes *ibid.* IV.

Nicephorus Botoniata Imperator salutatur 1077. XXII. Coronatur Imperator 1078. VII. Mariam Michaëlis Ducæ uxorem sibi copulat *ibid.* Helenam Constantino Michaëlis Ducæ filio desponsatam ad Robertum Guiscardum patrem remittit *ibid.* VIII. Imperio deponitur 1080. XVI. In monasterium secedit & moritur *ibid.*

Nicephorus Bryennius Dyrrachii Dux se Imperatorem dicit 1077. XXII. à Nicephoro Botoniata Imp. capitur & excæcatur 1078. IX. Nicephori Bryennii Historici avus non patet fuit *ibid.*

Nicephorus Bryennius Historicus Nicephori Bryennii Tyranni non filius seu ex filio nepos fuit 1078. IX. Annam Alexii Comneni filiam uxorem duxit 1118. XXV. Cæsar fuit *ibid.* Ejus historia è tenebris eruta *ibid.*

Nicetas Mundanus fit Patriarcha Constantinopolitanus 1186. XIX. Quo tempore Patriarchatum abdicarit 1187. XI & 1191. XVI & 1193. X.

Nicetas Monachus Constantinopolitanus *Pectoratus* dictus scribit contra Latinam Ecclesiam de Azimo 1053. XIII. Scripta sua comburere cogitur *ibid.* à Legatis Apostolicis in communionem recipitur *ibid.*

Nicetas Patricius in Siciliam à Nicephoro Phoca Imp. contra Saracenos missus ab iis vincitur & capitur 965. XVII & *seqq.* Nicephoro Imp. redditur 968. VIII.

S. *Nicolai* Episcopi corpus Myra Barium transfertur 1087. IX.

Nicolaus II eligitur Pontifex Rom. 1058. VII. Dies ejus electionis *ibid.* VIII. Dies & annus intronizationis *ibid.* VIII & *seq.* Sutrii Concilium celebrat & Benedictum X Antipapam deponit 1059. I. Petri Damiani demissionem admittere recusat *ibid.* Desiderium Abbatem Casinensem Cardinalem creat *ibid.* Romæ Concilium celebrat in quo Berengarius hæresim abjurat 1059. II. Romani Pontificis electionem Cardinalibus attribuit *ibid.* IV. Decretum in favorem Imperatoris emittit *ibid.* IV & *seq.*

Secundum Concilium Romæ celebrat 1059. VI & *seqq.* Regum Angliæ privilegia confirmat *ibid.* VIII. Petrum Damiani & Anselmum Lucensem mittit ad conciliandam Ecclesiam Mediolanensem cum Romana 1059. XI. Fœdus cum Normannis init *ibid.* XII. Beneventi Concilium celebrat *ibid.* XIII. Aliud Melphiæ Concilium cogit *ibid.* XIV. Robertum Guiscardum Calabriæ Ducem dicit *ibid.* XII. & XIV. Moritur 1061. I. Annos sedis suæ in rescriptis à Die inthronizationis deduxit *ibid.*

Nicolaus de Brekspere Anglus postea Papa sub nomine Hadriani IV in Galliam venit 1146. XXI. Fit Canonicus Regularis in Monasterio Avenionis S. Rufi *ibid.* XXII. Ejusdem monasterii fit Abbas *ibid.* ab Eugenio III creatur Cardinalis & Episcopus Albanensis *ibid.* XXIII. Legatus in Norvegiam missus in ea & in Suecia Metropoles erigit 1148. XV. Pontifex Rom. eligitur & Hadrianus IV appellatur 1154. III. Fredericum Ænobarbum Imperatorem coronat 1155. I & III.

Cum Willelmo Siciliæ Rege bellum gerit 1155. IV & *seqq.* & 1156. I. Cum eo pacem facit 1156. II & *seq.* Fredericum Imp. arguit quod uxorem legitimam dimiserit *ibid.* VIII. Ejus cum Frederico Imp. dissidii origo 1157. I & *seqq.* Hadrianus Patriarchatum Gradensem ampliat *ibid.* VIII. Cum Frederico Imp. pacem facit 1158. I. Moritur 1159. IV. Sedis ejus duratio *ibid.* V. Litteræ ejus ad Henricum II Angliæ Regem quibus eum laudat quod in Hiberniam intrare velit, quo anno datæ *ibid.* V. Hadrianus non fuit Monachus Benedictinus *ibid.* VIII. Ejus opera *ibid.*

Nicolaus II Dictus *Chrysoberges* fit Patriarcha Constantinopolitanus 976. III & 981. I. Moritur 995. V.

Nicolaus III dictus *Grammaticus* fit Patriarcha Constantinopolitanus 1089. VIII. Moritur 1117. XXVII. Synodum adversus Nilum Hæreticum celebravit, eumque anathemate damnavit 1118. XXVII. Eo vivente Bogomili detecti & condemnati sunt *ibid.* XXXI & *seqq.*

Nicolaus IV dictus *Muzalo* fit Patriarcha Constantinopolitanus 1147. XIX. Patriarchatum abdicare cogitur 1151. XV.

Nicolaus succedit Nicolao de Brekspere in Abbatiam S. Rufi 1146. XXIV. Gaufredum successorem habet 1151. XII.

Nicolaus Claravallensis Monachus quo anno conversus 1146. XII & *seq.* Lapsus ejus ad quem annum pertineat *ibid.* XIV.

Nidrosia in Norvegia fit sedes Metropolitana 1148. XV.

S. *Nilus Junior* Hegumenus Græcus Casinum venit & Vallis-Lucii monasterio donatur 986. III. Quindecim annos in eo Monasterio exegit *ibid.*

Nilus Monachus Hæreticus hæresim suam in Oriente docet 1118. XXVI. Eum ad sanam doctrinam reducere frustra tentat Alexius Imp. *ibid.* Nilus in Synodo anathematizatur *ibid.* XXVII.

Nivernenses Comites à Landrico originem ducebant 1018. XII.

Nizo Episcopus Frisingensis S. Leonis IX PP. inimicus divinitùs punitur 1052. V & *seq.*

Nominalium secta exoritur 1092. XIII & IIII. VII. Eorum Auctor & Institutor Roscelinus vulgò habetur 1094. XII.

Noradinus Crucesignatorum terras vastat 1157. IX. Pacem ab iis poscere compellitur *ibid.* Crucesignatos vincit & multos Principes capit 1164. XXVI. Paneadem expugnat *ibid.* Moritur 1173. IV.

S. *Norbertus* in Concilio Fritislariensi coram Conone Apostolicæ Sedis Legato accusatur 1118. XXI. Præmonstratensem Ordinem instituit 1120. XX. à Canonicis Antuerpiensibus S. Michaëlis Ecclesiâ donatur, ut Tanchelini Hæresim extinguat 1124. XV & 1126. III & *seq.* Fit Archiepiscopus Magdeburgensis 1126. III & 1127. XVI. Innocentium Papam Romam euntem secutus est 1133. VI. In litteris Encyclicis Lotharii Imp. dicitur Cancellarius *ibid.* VIII. In Germaniam redit *ibid.* VI. Moritur 1134. XXVI.

Normanni quo anno in Italiam advenerint 1002. IX & 1016. VI & *seqq.* Non ex urbe Jerosolimytana, sed ex

monte

monte Gargano venere 1016. VI & IX. A (ve-)sus Græcos non adversus Saracenos pugnarunt *ibid. ibid.* IX & 1022. III. Primam expeditionem in Apuliam suscipiunt 1018. I. Cum Græcis variâ fortunâ pugnant *ibid.* I & *seqq.* Auxilii spe destituti Ranulphum Ducem eligunt 1022. II & *seq.* Aversam urbem condunt *ibid.* II. Primum in Siciliam adveniunt 1038. VII. Apuliâ potiuntur & in ea duodecim Comites constituunt 1041. IV. In Apulia bello appetuntur 1053. V. Eorum crimina S. Leo PP. scribit Imperatori Constantinopolitano *ibid.* VI.

Normanni S. Leonis comitatum malè habent *ibid.* VII. S. Leonem Beneventum ducunt *ibid.* VIII. & X. Græcorum fraudes devitant *ibid.* IX. Italos vincunt & quo anno *ibid.* X. Cum Nicolao II PP. fœdus ineunt 1059. XII. Beneventanos vexant 1113. VIII & 1114. I. Normanni Rogerio quodam Duce expeditionem suscipiunt adversus Hispaniæ Saracenos 1018. IV.

Normanni Angliâ potiuntur 1066. VI. Anglorum consuetudines immutant 1067. X.

Normannia Angliæ adjungitur 1106. VIII & 1107. V. Interdicto supponitur & quare 1192. III & *seq.*

Nortamptonense Conciliabulum in Anglia contra S. Thomam Cantuariensem Archiep. celebratur 1164. III.

Norvegia à Canuto Angliæ & Daniæ Rege subigitur 1020. IV. Metropolitana sede decoratur 1148. XV.

Noterus Archidiaconus Parisiensis Thomam Priorem S. Victoris Parisiensis nefariè occidi curat 1135. III & *seqq.*

Notgerus Episcopus Leodiensis moritur 1008. VII. Canonicorum Collegium instituit *ibid.*

O.

OBertus fit Archiep. Mediolanensis 1144. XVII. Anno MCLIV. Fredericum Rom. Regem Mediolani non coronavit 1154. XV. Alexandri PP. partes sequitur & ad eum pergit 1162. XXIV & *seq.* Alexandrum III in Italiam redeuntem sequitur 1165. VIII.

Ocensis seu Aucensis Episcopatus in Hispania diversus ab Oscensi 1074. XI. In urbem Burgensem transfertur *ibid.*

Octavianus Cardinalis Presbyter S. Cæciliæ à duobus tantum Cardinalibus Antipapa eligitur & sub nomine Victoris IV consecratur 1159. VII. à Frederico Imp. in Conciliabulo Papiensi suscipitur 1160. I. Ab omnibus aliis Regibus rejicitur *ibid.* II. Ejus electionem vitiosam esse ostendit Ailredus Rievallensis Abbas *ibid.* III & *seq.* Octavianus in Concilio Tolosano excommunicatur 1161. IX & *seqq.* Ad Conventum Latouensem ducitur 1162. VIII. Ab eo conventu causa ejus pejor evasit *ibid.* XVI. Octavianus ab Alexandro III in Concilio Monspeliensi excommunicatur *ibid.* XX. à Raimundo Provinciæ Comite agnoscitur *ibid.* XXIII. Ab Oberto Mediolanensi Archiep. & S. Galdino rejicitur *ibid.* XXIV. Moritur 1164. VII. à Schismaticis pro Sancto habitus est *ibid.* VIII. Pravis moribus imbutus fuit *ibid.* IX.

Octavianus R.E. Subdiaconus à Lucio III fit Cardinalis & quo anno 1182. V. Ad eum scribit Philippus Franciæ Rex *ibid.* III. Octavianus ab Urbano III Legatus in Hiberniam mittitur 1186. IX. & 1187. I. à Cælestino III Legatus in Normanniam missus non recipitur 1192. III. Normanniam interdicto supponit *ibid.* IV.

S. Odilo fit Cluniacensis Abbas 993. VIII. Scripsit vitam S. Adelhaidis Ottonis M. uxoris 1000. IV. Odilonem summopere coluit S. Henricus Imp. 1014. IV. S. Odilo apud Benedictum VIII PP. queritur de invasoribus sui Monasterii & Literas contra eos obtinet ab eo 1018. VIII & *seqq.* Lugdunensem Archiepiscoparum recusat 1034. X. Moritur 1048. III. Vivente S. Maiolo Abbas (d)ictus fuerat *ibid.* IV. Ejus scripta *ibid.*

Odo Scholæ Tornacensis Magister Abbatiæ S. Martini Tornacensis initium dat 1092. XII. In Dialectica eminuit *ibid.* XIII. In Concilio Remensi Cameracensis Episc. consecratur 1109. VIII. è Sede pellitur *ibid.* XI. Moritur *ibid.* Ejus opera *ibid.*

Odo de Soliaco Episcopus Parisiensis festum fatuorum abolet 1187. XVII. Quo anno dictus sit Episcopus Parisiensis 1196. XI.

Odo II Campaniæ Comes filius Bertæ sororis Rodulphi III Burgundiæ Regis, eo mortuo Burgundiæ Regnum invadit 1032. VIII. & *seq.* à Conrado Imp. ad obsequium reducitur 1033. II. & 1034. XI.

Odo hujus nominis primus fit Burgundiæ Dux 1079. VII. Erga Monachos Cistercienses munificus fuit *ibid.* In Hispaniam contra Saracenos pergit 1084. XV. & *seq.*

Odolricus Lingonensis Archidiaconus dicitur Archiep. Lugdunensis ab Henrico Imp. 1034. X.

Odolricus quo anno dictus sit Episcopus Aurelianensis 1017. III & 1018. XI.

Odolricus Cluniacensis Monachus floruit sub Gregorio VII PP. 1091. VIII. Ejus opera *ibid.*

Officium Romanum Gothico abrogato ægrè in Aragonia recipitur 1060. II. 1063. X. 1064. VI. & 1073. VIII. Item in Comitatu Barcinonensi 1064. VII. In Hispaniis recipi vult Alphonsus Legionis & Castellæ Rex 1090. II. & 1101. IX.

Olavus Suconum Rex Sucnonem Danorum Regem è regno pellit 994. V. Eum in regnum restituit ea Lege ut Christianus fiat *ibid.* Eo regnante S. Sigfridus Episcopus Suecis Evangelium prædicavit 1028. IX & *seq.*

S. Olavus Norvegiæ Rex à Canuto Angliæ Rege regno pellitur 1028. VIII & *seq.* à subditis injustè perimitur *ibid.* S. Sigfridum Episcopum ad prædicandum Evangelium in Sueciam misit *ibid.* IX & *seqq.*

Olavus cognomento *Famelicus* fit Rex Daniæ post S. Canuti mortem 1092. IX. Moritur *ibid.*

Olbertus postea Burchardi Wormatiensis Episcopi Magister, *Fulberti* Carnotensis Episc. Discipulus fuit 1007. I. Olberti operâ Burchardus veteres Ecclesiæ Canones in unum volumen redegit 1008. VI.

B. Oldegarius succedit Letberto in Abbatiam S. Rufi & quo anno 1102. XIII. Invitus fit Episcopus Barcinonensis 1116. IX. à Gelasio II PP. fit Archiepiscopus Tarraconensis 1118. XX. Fit Legatus S. Sedis in Hispania 1123. VI. Totus est in restauranda Tarracona *ibid.* XII. Obtinet à Raimundo III Comite Barcinonensi Comitia generalia celebrari pro emendatione excessuum Secularium adversus Ecclesiasticos 1126. XIV. Robertum Bordet Tarraconæ Principem constituit 1128. XXII. Innocentium II PP. in Galliis sequitur 1131. IX & XIV. Moritur 1137. XXIII.

Olricus fit Archiepiscopus Mediolanensis 1120. VIII Festum mortuorum Mediolani instituit *ibid.* IX & *seq.* Quo anno mortuus sit *ibid.* VIII.

Onneca Terasia Ondiogotto Garsiæ I Navarræ Regis uxor 970. XII.

Ordelaphus Phaletto Venetorum Dux cum Classe in Terram Sanctam proficiscitur 1104. XVIII.

Orientalis Ecclesia Alexandrum III agnoscit & Victorem Antipapam cum sequacibus excommunicat 1159. XI. Oriens magno terræ motu concutitur 1170. VIII.

Osboriense Concilium in Germania Cadolum Antipapam damnat & Alexandri II electionem confirmat 1062. II.

Osca à Sanctio Aragoniæ Rege obsidetur 1094. XXI. à Petro ejus successore capitur *ibid.* XXII & 1096. XVII. Ad eam transfertur sedes Episcopalis Jaccensis 1094. XXII.

S. *Osvvaldus* Vigorniensis Episcopus Clericos è Monasterio Vigorniensi pellit & Monachos substituit 970. VII. Fit Archiepiscopus Eboracensis, non dimisso Vigorniensi Episcopatu 971. III. Pallium à Joanne XIII Romæ recipit *ibid.* Edgarum Angliæ Regem coronat 973. VII. Edgaro mortuo Eduardum ejus filium Regem ungit 975. XVII. Ethelredum Eduardi fratrem Regem consecrat 978. V. Moritur 992. IV. Ossa ejus ab Aldulpho successore elevantur 1002. X.

Otto Ostiensis Episcopus Apostolicæ sedis Legatus Quintilinburgi in Germania Synodum celebrat 1085. II. à Gregorio VII successor in sedem Romanam designatur, sed ob absentiam non eligitur *ibid.* VI. Victorem III PP. consecravit 1087. VI. Eum in Papam eligi jubet Victor Papa *ibid.* VII. Otto Pontifex Rom. creatur & Urbanus II vocatur 1088. I. Ab omnibus agnoscitur præterquam ab Henrico Germaniæ Rege *ibid.* II. Gallus natione erat *ibid.* I. Bernardum Toletanum Archiep. pallio donat & totius Hispaniæ Primatem instituit 1088. VI & *seq.* Tarraconensem & Narbonensem Episcopos ei parere cogit *ibid.* VIII. Bernardum Apostolicæ sedis Legatum dicit *ibid.*

Primam Romæ Synodum celebrat 1089. I. Alexium Græcorum Imp. ab excommunicatione non absolvit *ibid.* Confirmat unionem Ecclesiæ Canusinæ cum Barensi *ibid.* II. Concilium Troianum celebrat & quo anno *ibid.* III. & 1093. I. In Siciliam pergit 1089. IX. Rogerii Comitis Siciliæ operâ utitur ad Græcorum Schisma extinguendum *ibid.* Melphiæ Concilium habet & quo anno 1090. III & *seq.* Beneventi Concilium celebrat 1091. I. Metropolicum jus Tarraconensi sedi restituit *ibid.* IV & *seq.* Ivonem Carnotensem Episcopum ordinat 1092. III & *seqq.* & X. S. Brunonem Cartusiensium fundatorem Romam vocat *ibid.* VIII. In Tusciam pergit 1094. I. Palatium Lateranense recuperat operâ Goffridi Vindocinensis Abbatis *ibid.* II.

Philippi Francorum Regis divortium cum Bertha Regina & Nuptias cum Bertrada improbat 1094. IV & *seqq.* Petit ut Ivo Carnotensis Episc. è carcere liberetur *ibid.* VII. Attrebatensem Episcopatum restituit *ibid.* XVII. Lambertum Attrebatensem Episcopum invitum consecrat *ibid.* XVIII & *seq.* Eidem Sedi privilegium concedit *ibid.* XX. Annos Incarnationis diversimodè inchoat *ibid.* Synodum Placentiæ celebrat 1095. I. In Galliam venit *ibid.* IV. Cluniacensis Monasterii majus Altare consecrat *ibid.* Claromontanum Concilium celebrat *ibid.* Statuit Presbyterorum filios cum dispensatione Apostolicæ Sedis ad Sacros Ordines promoveri posse *ibid.* IX & *seq.* Cum Petro Eremita agit de expeditione Jerosolymitana *ibid.* XII. Omnes ad eam hortatur *ibid.* XIII. Injunctas pro delictis pœnitentias relaxat arma sumentibus *ibid.* Philippum Franciæ Regem excommunicat *ibid.* XIV. Simoniam prohibet *ibid.* XV. Ejus itinerarium annotatur 1095. XIX & *seq.* & 1096. I & *seqq.* Lemovicis Concilium celebrat & Humbaldum Lemovicensem Episcopum deponit *ibid.* XIX. Erâ Pisanâ quandoque usus est *ibid.* XX.

Turonis Concilium celebrat 1096. I & *seq.* Philippum Franciæ Regem in amicitiam suscipit *ibid.* II & VII. Gesta ab eo apud Andegavos *ibid.* III. Gesta apud Turonos & Pictavos *ibid.* IV. Gesta Tolosæ *ibid.* V. Gesta Magalonæ *ibid.* VI. Urbanus II Nemausi Concilium celebrat *ibid.* VII. Romam redit *ibid.* XV. S. Herlembaldum in sanctorum numerum refert *ibid.* XVI. Capuam & Salernum petit 1097. VII & *seqq.* Barense Concilium habet *ibid.* I, XI & *seq.* Romanum Concilium II anno tantum MXCIX celebravit 1098. I. & *seqq.* & 1099. VIII. Willelmo Angliæ Regi ante Concilium Rom. excommunicationem minatur 1098. I. Joannis Morinensis Episcopi electionem confirmat *ibid.* IV. S. Robertum Cisterciensis Ordinis fundatorem Molismum redire jubet *ibid.* XI. Daimbertum Senonensem Archiep. Romæ consecrat 1099. III. Moritur *ibid.* IX.

Otto Episcopus Gerundensis in prælio contra Saracenos occiditur 1010. I.

Otto Episcopus Constantiensis à Gregorio VII monetur de Decretis in Synodo Rom. prima contra Sacerdotes simoniacos & incontinentes editis 1074. IV & VI. Fautor est Presbyterorum Simoniacorum & fornicariorum *ibid.* XV. A Gregorio VII Romam citatur *ibid.* Episcopatu deponitur & moritur *ibid.*

S. *Otto* à Paschali PP. ordinatur Episcopus Bambergensis 1103. I. Auctor est Boleslao III Poloniæ Duci, ut sororem Henrici Imp. uxorem ducat 1124. I. Uratislaum Pomeraniæ Ducem ejusque filios baptizat *ibid.* II. Pomeranorum Apostolus dicitur, *ibid.* Iterum in Pomeraniam & Leutitiam pergit 1128. XXIII. Multos ad fidem perduxit *ibid.* XXV. S. Adalberti Pragensis Episc. venerationem in illis partibus restituit *ibid.* XXVI. Moritur *ibid.* Concilio Moguntino in quo Innocentius II verus Papa agnitus adfuit 1131. XXII. à Clemente III PP. Canonizatur 1189. IX.

Otto Tridentinus Episcopus Legatus ab Anacleto Antipapa in Galliam mittitur 1130. XXVI.

Otto Frisingensis Episcopus moritur 1159. XII. Mortis ejus annus probatur *ibid.* XII & *seqq.* Ottonis Frisingensis genus, virtutes & dignitates *ibid.* XV.

Otto Diaconus Cardinalis ab Alexandro III Legatus in Angliam mittitur 1167. XIX & XXI. S. Thomæ suspectus est *ibid.* XXIII. In Galliam venit 1168. I & *seq.* Frustra agit de pace inter Angliæ Regem & S. Thomam *ibid.* III & *seq.* Romam redit *ibid.* IV. & *seq.*

Otto Germaniæ Rex à Joanne XII PP. Imperator coronatur 962. I. Oppida Ecclesiæ jam recuperata Joanni XII PP. restituit *ibid.* Donationes Pippini & Caroli M. confirmat *ibid.* II. Statuit ut Pontificis Rom. ordinatio coram Legatis Cæsareis fiat *ibid.* III. Berengarium Italiæ Regem in monte S. Leonis obsidet 963. I. Romam pergit *ibid.* Joannem XII PP. in Pseudo-Synodo Romana deponi & Leonem VIII ordinari curat *ibid.* I & *seq.* Montem Leonem capit 964. I. Berengarium Italiæ Regem cum uxore in Bajoariam mittit *ibid.* Romanos rebelles ad obsequium reducit *ibid.* Romam obsidet & capit *ibid.* III. Quartò Romam pergit 966. I & *seq.* Adalbertum Russorum Episcopum Vicemburgensi Monasterio præficit *ibid.* I. Siguvultum Placentinum Episcopum relegat *ibid.* II. Romanos qui Joannem XIII expulerant, punit 967. I. Magdeburgensem Archiepiscopatum instituit *ibid.* II.

Joannem XIII PP. Romam remittit 967. I. Nicephori Phocæ Imp. Legatos suscipit *ibid.* X. Legatum Constantinopolim dirigit pro matrimonio Ottonis filii cum filia Romani quondam Imp. *ibid.* Romam cum Ottone filio pergit *ibid.* XI. Calabriam & Apuliam recipit 968. I. Diù in Apulia manet *ibid.* II. Luitprandum Legatum Constantinopolim mittit pro nuptiis Ottonis filii cum Theophania Romani Junioris filia *ibid.* XI. Cum Joanne Tzimisce Imp. fœdus facit 971. V. Quo anno Magdeburgum ædificarit & in eo monasterium condiderit 971. VI. Moritur 973. III. Ejus Liberi ex S. Adelhaide *ibid.* à Willelmo Moguntino Archiep. filio non fuit excommunicatus *ibid.* IV.

Otto II Germaniæ Rex Romam petit 967. X. à Joanne

XIII

XIII PP. Imperator coronatur *ibid.* XI. Theophaniam Romani Junioris filiam uxorem accipit 969. X & 971. V. Imperii ejus duæ sunt Epochæ 973. V. Ejus auctoritas Romæ vilescit 974. II. Otto S. Majolum Abbatem Cluniacensem sollicitat ad suscipiendum Pontificatum Rom. 975. I *& seq.* Carolum Lotharii Francorum Regis fratrem Lotharingiæ Ducatu donat 973. I. Cum Lothario bellum gerit pro Lotharingia *ibid.* II. Lotharingiam à Lothario in beneficium recipit *ibid.* III & 980. II. Metropolitanam Laureacensis Ecclesiæ dignitatem confirmat 979. IX. Romam pergit 980 II. Inter Ottonem & Adelhaidem matrem jurgium exoritur, sed à S. Majolo sedatur *ibid.* VII *& seq.* Otto Apuliam & Calabriam sibi subjicere tentat 981. III. In Calabria cum Græcis dimicat & vincitur 983. I *& seqq.* Ad novam expeditionem se præparat *ibid.* IV. Moritur *ibid.* V.

Otto III Ottone II patre mortuo Germaniæ Rex Aquisgrani consecratur 983. VI. Ab Henrico Bajoariæ Duce capitur, sed in regnum restituitur *ibid.* & 984. II. Virdunum recipit 984. IV. Lotharingiam acquirit *ibid.* V. Ejus ad Gerbertum Epistola 992. III. Otto Gerberti discipulus fuit *ibid.* & 999. II. à Gregorio V Imperator coronatur 996. I & VII. Romam contra Crescentium pergit 997. V. Joannem Placentinum Episcopum Constantinopolim mittit ad petendam in uxorem filiam Constantini Imp. *ibid.* VII. Arnulphum Mediolanensem Archiep. eamdem in rem Legatum dirigit *ibid.* VIII *& seq.* Mathildæ amitæ Regni Germaniæ administrationem relinquit *ibid.* V & XI. Nunquam uxorem duxit 998. XVII. Crescentium in Arce inclusum expugnat & decollari jubet *ibid.* XVIII. Ravennensem Archiepiscopatum Gerberto procurat 998. XXI. Constitutionem decretalem edit pro utilitate Ecclesiarum *ibid.* XXIII. Gerbertum Pontificem Rom. non creavit 999. III. In Poloniam pergit S. Adalberti Pragensis Episc. & Martyris Reliquias veneraturus *ibid.* V. & 1000. II. Guesnam Metropolim declarat 999. VI. & 1000. II. Romam tertiò pergit 1000. II. Caroli M. corpus incorruptum reperit *ibid.* II *& seq.* Solium aureum Caroli M. mittit Boleslao Poloniæ Duci *ibid.* III. Ab eo brachium S. Adalberti Martyris recipit *ibid.* Regis nomen Boleslao Poloniæ Duci non dedit *ibid.* V. Romam relinquere cogitur 1001. III. Moritur 1002. I. Ejus virtutes & sepulturæ locus *ibid.* II.

Otto Francorum Dux Ottonis M. ex filia nepos pater fuit Gregorii V. Henrici Conradi Salici patris, Conradi Austrasiæ Ducis & Willelmi Argentinensis Episcopi 1005. III. & 1024. VI *& seqq.*

Otto de Hamerstein ab Erkanboldo Moguntino Archiep. ob illicitas nuptias anathematizatur 1020. I. à S. Henrico Imp. in castro suo obsidetur *ibid.* De ejus nuptiis agitur in Concilio Moguntino sub Aribone Archiep. 1023. I.

Otto Miesconis II Poloniæ Ducis frater à Conradi Salici partibus stans in Russiam à fratre pellitur 1025. IX. Patriæ restituitur à Conrado & Dux creatur 1032. X. Occiditur *ibid.*

Otto Bajoariæ Dux in Henricum Regem rebellat 1072. I. In ejus gratiam redit *ibid.* Ab Henrico Ducatu privatur, quia genere Saxo erat 1073. I. Saxones in Henricum rebellare facit *ibid.* II.

Otto Comes Palatinus fit Bajoariæ Dux 1180. XI. Ab hoc Ottone Duces Bajoariæ & Palatini Rheni originem ducunt *ibid.*

Otwinus Hildesheimensis Episcopus S. Epiphanii Ticinensis Episc. Reliquias Hildesheimium transfert 963. XIII. *& seq.*

Ovetense Concilium à Pelagio Ovetensi Episc. celebratur 1115. XVI. à multis præsulibus & laicis subscribitur *ibid.* XVII.

Ovo Petrum II Hungariæ Regem regno pellit & tyrannidem arripit 1042. I. Bajoariæ fines populatur *ibid.* quo anno occisus sit *ibid* & 1045. II.

Oxoniense Concilium contra Valdensium seu Publicanorum dogma celebratur 1160. XIV *& seq.*

P.

PAlatini Rheni ab Ottone Comite Palatino Bajoariæ Duce originem ducunt 1180. XI.

Palentinum seu Fuselente Concilium in Hispania pro divisione diœceseon Osmensis & Burgensis 1088. XVI. Palentinum Concilium alterum à Richardo Apostolicæ sedis Legato celebratur pro Bracarensis Ecclesiæ restitutione in Metropolim 1109. II.

Palentinum Concilium ab Alphonso VI Castellæ Rege cogitur 1129 XVI *& seq.*

Palentinum alterum Concilium ab eodem Alphonso celebratur 1148. VII.

Pampilonense Concilium quo anno à Sanctio III Navarræ Rege coactum 1032 III. Pampilonensi Concilio non præfuit Episcopus Ovetensis *ibid.* IV. Pampilonensi civitati Episcopalis sedes redditur *ibid.* III.

Pandulphus Agaunensis Abbas magna est in existimatione apud S. Henricum Imp. 1014. IV.

Pandulphus Pisanus Subdiaconus Apostolicus Guillelmum Bibliothecarium supplevit 1100. I. Diversus est à Pandulpho Masca à Lucio III Cardinali creato 1181. IX.

Pandulphus Beneventanus Dux simul & Capuanus 968. I. Landulphum filium in principatûs societatem ascivit 969. XI.

Pandulphus Capuæ Princeps Casinense monasterium deprædatur 1038 III. à Conrado Imp. deponitur *ibid.*

Pannormia seu Epitome decreti juris ab Hugone Catalaunensi non verò ab Ivone Carnotensi Episc. composita 1117. XVI *& seqq.*

Panormum à Roberto & Rogerio Normannorum Ducibus capitur 1071. XX *& seq.* Cultus Divinus ea in urbe ab iis restituitur *ibid.* XXI.

Papiense Concilium à S. Leone IX PP. celebratur 1049. XI. Papiense Conciliabulum Victorem Antipapam recipit 1160. I.

Paracleti Monasterium in Diœcesi Trecensi Heloissæ & Monialibus à Petro Abaelardo datur 1129. XIV. Ab Innocentio II sub protectione Sedis Apostolicæ suscipitur 1131. XXIV. Paracletensium Abbatissarum Catalogus corrigitur 1142. VI *& seq.*

Parata Tributum erat ab Italis solvi solitum Imperatoribus in Italiam advenientibus 962. V.

Parisiense Concilium Roberto Rege præsente 1024. XII. Definit S. Martialem dici debere Apostolum *ibid.* XII *& seqq.*

Parisiense Concilium adversus Berengarium celebratur 1050. XV. In eo legitur Epistola Berengarii *ibid.* XVI. Celebratum fuit post Vercellense *ibid.* XVII.

Parisiense Concilium à Lamberto Attrebatensi Episc. Apostolicæ Sedis Legato celebratur 1104. V *& seq.* In eo Philippus jurat se ad Bertradæ contubernium non rediturum *ibid.* Philippum absolvit ab excommunicatione *ibid.*

Parisiense Concilium à Matthæo Albanensi Cardinali Apostolicæ Sedis Legato 1129. XII. Moniales è Monasterio Argentoliensi ob incontinentiam pellit *ibid.*

Parisiense Concilium in quo Gilbertus Porretanus auditus 1147. XIII. S. Willelmum Eboracensi Archiepiscopatu deponit *ibid.* XIV.

Parisiense Concilium pro subsidio Terræ Sanctæ à Philippo Aug. celebratur 1185. IX.

Parisiense Concilium in quo Decimæ Saladinæ institutæ 1188. IV.

Paschalis II PP. *Vide* Raynerius.

Paschalis III antea Guido de Crema Antipapa creatur 1164. VIII. ab Henrico Leodiensi Episc. consecratur *ibid.* Carolum M. canonizat 1166. XXII *& seq.* Fredericum Imp. Romam vocat 1167. VI *& seq.* Romæ Imperatricem coronat *ibid.* VIII. Româ ob pestilentiam discedere cogitur *ibid.* Ei Romani urbem subjicere recusarunt *ibid.* X. Moritur 1168. XIII.

Patarinorum Origo in Ecclesia Mediolanensi 1058. III. Patarinorum nomen primum defensoribus Cælibatus Presbyterorum datum *ibid.* III *& seq.* 1084. VIII. & 1100. XXII Deinde hæreticis datum 1058. IV.

S. Paternus Reclusus Paderbornæ igne comburitur 1058. XIV.

Paulinus Ecclesiæ Metensis Primicerius Berengarii magnus amicus 1045. V. & 1050. XVI.

Pelagius Overensis Episcopus Sampiri Chronicon usque ad Alphonsum VI Hisp. Regem continuavit 985. VI. Oveti Concilium celebrat 1115. XVI. *& seq.*

Petrobusiani in Concilio Tolosano sub Callisto II damnati 1139 X. Item in Concilio Lateranensi II. Oecumenico *ibid.*

S. Petrocus Monachus quo tempore floruerit & mortuus sit 981. IV.

Petronilla filia Ramiri Monachi Aragoniæ Regis & Mathildis 1134. XXXIII & XXXV. Raimundo IV Comiti Barcinonensi nubit 1137. XXV.

Petrus Antiochenus Patriarcha fidei suæ professionem ad S. Leonem IX PP. mittit 1053. XI. Michaelis Cerularii objectiones in Romanam Ecclesiam redarguit, sed tamen Latinos carpit 1054. I.

Petrus Amalphitanus Archiep. à S. Leone PP. Legatus Cpolim mittitur 1053. XIII & 1054. I. Michaelem Cerularium Latinam Ecclesiam calumniantem excommunicat 1053. XIII & 1054. I *& seq.*

Petrus Archiepiscopus Viennensis quo anno dictus Legatus Apostolicæ Sedis in Galliis 1116. X & 1125. IV.

Petrus Leonis in Galliam & Angliam Legatus à Callisto II mittitur 1121. XXI. In Anglia honorificè excipitur, sed non admittitur *ibid.* XXI *& seq.* Jam Presbyter Cardinalis erat *ibid.* XXIII. Iterum Legatus in Galliam mittitur 1122. VII. Carnoti & Bellovaci Concilia celebrat 1124. III *& seq.* A Judæis originem ducebat *ibid.* fuit Monachus Cluniacensis *ibid.* IV. A Paschali II non vero à Callisto II Cardinalis creatus fuit *ibid.* IV *& seq.* Quo anno ejus Legatio finita 1126. VI. Eligitur Antipapa sub Anacleti II nomine 1130. III *& seq.* Consecratur *ibid.* V. Mores ejus & Leonis Avi *ibid.* XIII. Petrus pravis moribus in juventute infectus fuit *ibid.* XIV. Legationis Apostolicæ munere pessimè functus est *ibid.* XV. Impurè & flagitiosè vixit *ibid.* XVI. Girardum Engolismensem Episcopum sibi adhærentem universæ Galliæ Legatum constituit *ibid.* XVII. & XIX. Ottonem Episcopum Tudertinum Legatum in Galliam mittit *ibid.* XXVI Reges Galliæ, Germaniæ & Angliæ ad suas partes pertrahere frustra tentat *ibid.* Scotos adhærentes habet *ibid.* XXVIII. Cardinalem de Comitibus Legatum mittit qui Rogerium Siciliæ Regem coronat 1130. XXIX *& seqq.* In Concilio Stampensi à Galliis rejicitur *ibid.* XXXIV *& seq.* In Concilio Aniciensi excommunicatur *ibid.* XXXIX. Item in Concilio Remensi 1131. XI. Beneventi Auctoritatem suam firmat *ibid.* XXV *& seq.* Ejus Sectatores Regiæ Majestatis rei declarantur à Lothario Imp. 1133. VIII. Petrus damnatur in Concilio Pisano 1134. II. Tres ex suis Cardinalibus ad tractatum de pace coram Rogerio Siciliæ Rege habendum mittit 1137. XIII. Moritur 1138. I. Ordinationes ab eo factæ rescinduntur in Concilio Lateranensi II Oecumenico 1139. VII.

Petrus de Castro ab Innocentio II PP. Bituricensis Archiep. consecratur 1141. III. Introitus regni Franciæ ei à Ludovico VII prohibetur *ibid.* Petrus recipitur à Theobaldo Campaniæ Comite *ibid.* IV.

S. Petrus Tarantasiensis Archiep agit de pace inter Franciæ & Angliæ Reges 1174. X. Moritur *ibid.* XI. Ejus mortis annus *ibid.* XII. Dies mortis *ibid.* XIII.

Petrus Gerundensis Episcopus à Joanne XIX PP. pallium obtinet 1030. V.

Petrus Florentinus Episcopus à S. Joanne Gualberto ejusque Monachis simoniæ accusatur 1063. I. Ab Alexandro II Episcopatu deponitur *ibid.* II.

Petrus de Librana fit Episcopus Cæsaraugustanus 1118. XIX. Indulgentiam tribuit iis qui Ecclesiæ suæ eleemosynas mitterent *ibid.*

Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis gradus scholasticos in Theologia instituit Gratiani exemplo 1151. X. Non fuit frater Gratiani *ibid.* Ante mortem Episcopatum abdicavit 1164. XVIII. Moritur *ibid.* Ejus patria & scripta *ibid.* XIX. Ante Concilium Lateranense III Oecumenicum hæreseos accusatus fuit 1179. XI. In eo Concilio nihil contra eum definitum *ibid.* XII. Post Concilium ab Alexandro III PP. damnatus fuit *ibid.* XIII.

Petrus Cardinalis ab Honorio II Legatus in Gallias missus contra Pontium olim Abbatem Cluniacensem diversus à Petro Leonis 1125. III. Idem est cum Petro diacono Cardinali ad quem S. Bernardus plures Epistolas scripsit *ibid.*

Petrus Eremita Jesosolymam pergit 1095. XI. Cum Symeone Patriarcha de Terræ Sanctæ liberatione agit *ibid.* XII. Urbanum II PP. hac de re convenit *ibid.* Occidentales Principes adit *ibid.* Urbano PP. in Concilio Claromontano suggerit ut omnes in Concilio existentes ad eam expeditionem hortetur *ibid.* XIII. Cum Crucesignatis Cpolim pergit 1096. IX *& seqq.* Ex Oriente reversus fundat monasterium Canonicorum Regularium & moritur. 1115. XXII *& seq.*

Petrus Venerabilis fit Abbas Cluniacensis 1122. VI. Inter Alphonsum VII Castellæ & Alphonsum Aragoniæ Reges pacem conciliat 1124. XVIII. Romam pergit ab Honorio II accitus 1125. II. In Abbatiam restituitur 1126. I. Scribit ad Heloissam eamque impensè laudat 1129. XIV. Cluniacensibus austeriores leges imponit 1132. XVII. Scribit ad Innocentium PP. se composuisse dissidia inter S. Bernardum & Abaelardum & hunc Cluniaci retinuisse 1140. V. Corpus Abaelardi ad monasterium Paracletense mittit 1142. VI. Heloissam Abbatissam visitat *ibid.* Alcoranum ejus curâ ex Arabica in Latinam Linguam vertitur 1143. XV. Monasterium Romanum S. Sabæ à Lucio II recipit 1144. V. Romam pergit qua de causa incertum 1150. II. Moritur 1156. VII.

B. Petrus Damiani Monachus Congregationis S. Crucis Avellanæ floret 1046. III *& seq.* Scribit ad Henricum Archiep. Ravennensem 1052. VI. à Stephano IX invitus fit Episcopus Ostiensis & Cardinalis 1057. III. Nicolao PP. libellum frustra porrigit pro ea dignitate abdicanda 1059. I. à Nicolao PP. mittitur ad conciliandam Ecclesiam Mediolanensem cum Romana *ibid.* XI. In eremum secedit 1061. IV. Legatus in Galliam ab Alexandro II mittitur 1062. III. Cabilone Synodum celebrat pro causa Cluniacensis monasterii *ibid.* IV *& seq.* Ad sedandum Florentinæ Ecclesiæ schisma Legatus mittitur 1063. I. Scribit adversus Canonicos *ibid.* II *& seq.* ab Alexandro PP. Legatus in Germaniam mittitur 1069. I. Item Ravennam ad componenda Ecclesiæ illius dissidia 1072. VI. Moritur *ibid.*

Petrus Vallis umbrosæ Monachus *Igneus* dictus ad S. Joannem *Gualbertum* pergit 1051. I. Sacris vestibus indutus per ignem illæsus transit 1063. I. Episcopus & Cardinalis postea dictus est *ibid.* Non fuit è gente Aldobrandina *ibid.*

Petrus Abaelardus in Gallia floret 1113. XIII. Ejus cum Heloiffa amores *ibid.* XIV. Petrus Aftrolabium filium ex ea fufcipit *ibid.* Fit eunuchus *ibid.* Fit Monachus in monafterio S. Dionyfii *ibid.* In odium Monachorum incurrit *ibid.* XV. In Concilio Sueffionenfi damnatur 1121. XIV *& feqq.* In carcerem conjicitur *ibid.* XVI. Suam de S. Dionyfio Areopagita fententiam retractat *ibid.* XVII. Suas calamitates deplorat 1129. XIII. Fit Abbas monafterii S. Gildafii Ruienfis *ibid.* Monafterium Paracleti Heloiffæ donat *ibid.* XIV. Innocentium II PP. fequitur 1131. I & XXIV. Arnoldi de Brixia Magifter fuit 1140. I. Libri ejus ab Innocentio PP. comburi jubentur & ipfe carceri mancipari *ibid.* Senonenfe Concilium contra eum cogitur *ibid.* III. Abaëlardus cum S. Bernardo publice congredi petit *ibid.* ad Sedem Apoftolicam appellat *ibid.* IV. Ejus dogmata damnantur *ibid.* Cluniacum fe recipit *ibid.* V. Petri venerabilis operâ cum S. Bernardo reconciliatur *ibid.* Errores fuos emendat *ibid.* Moritur 1142. VI. Corpus ejus ad monafterium Paracletenfe defertur *ibid.*

Petrus de Honeftis Inftitutor Canonicorum Regularium in Agro Ravennenfi moritur 1119. XVII. Peculiarem Regulam fuis Canonicis fcripfit *ibid.* Cum Petro Damiani confundi non debet *ibid.*

Petrus de Bruis hærefim fuam diffeminat 1126. IV. Damnatur in Concilio Lateranenfi II Œcumenico 1139. IX.

Petrus Blefenfis laudat Infigniores Cardinales qui electioni Alexandri III interfuêre 1164. IX *& feq.* Victoris IV Antipapæ pravos mores defcribit *ibid.* IX. Petrus Blefenfis floret 1167. XXV.

Petrus Comeftor non fuit frater Gratiani & Petri Lombardi 1164. XIX. Ejus patria *ibid.* Moritur 1179. XIX. Ejus Opera *ibid.*

Petrus Cellenfis Abbas Henricum Archiep. Remenfem Ludovici VII Franciæ Regis fratrem impellit adverfus Victorem Antipapam 1162. XIV *& feq.* Fit Epifcopus Carnotenfis 1181. XII. Moritur 1187. XX.

Petrus Cafinenfis Hiftoriam fuam abfolvit 1140. XIII. Alia ejus Opera *ibid.*

Petrus Cantor Moritur 1197. VI. Ejus Opera *ibid.*

Petrus Bulgarorum Rex moritur 973. XII.

Petrus S. Stephani Hungariæ Regis filius patri in regnum fuccedit 1038. VI. Ab Ovone tyranno pellitur 1042. I. Defenditur ab Henrico Germaniæ Rege *ibid.* Hungariam Henrico Regi reddit 1045. II. Ab Andrea confanguineo regno & oculis privatur 1046. VII.

B. Petrus Urfeolus fit Venetiarum Dux 977. I. Fit monachus *ibid.* II. Ejus mortis annus incertus *ibid.*

Petrus Urfeolus Venetiarum Dux Barium à Saracenis obfeffum liberat 1002. XIII. Moritur *ibid.*

Petrus Sanctium Ramirum Aragoniæ & Navarræ Regem patrem lethaliter vulnerat 1094 XXI. Ei fuccedit & Ofcam Saracenis eripit *ibid.* XXII. Saracenos ad Ofcæ auxilium venientes profligat *ibid.* & 1096. XVII. Ofcæ Regem fe dicit 1094. XXII. Barbaftam Saracenis eripit 1100. XVIII. Moritur 1104. XVII. Quatuor Reges Arabum in prælio occidit, indeque Aragoniæ Reges eorundem Regum capita in infignius ufurpant *ibid.*

Petrus Alphonfo patri fuccedit in regnum Aragoniæ & Comitatum Barcinonenfem 1196. VI. Conftitutionem emittit contra omnes hæreticos 1197. VIII *& feq.*

Phalempins Abbatia Canonicorum Regularium in diœcefi Tornacenfi poft San-Rufenfem antiquiffima 1039. XII.

Philippus Gifleberti Archiepifcopi Turonenfis nepos eo mortuo Turonenfem fedem invadit 1131 XXIII.

Philippus Bellovacenfis Epifcopus à Joanne Richardi Angliæ Regis fratre in Bello capitur 1196. I. Ejus liberatio à Cæleftino III PP. fruftra petitur *ibid.* II.

Philippus Abbas Bonæ Spei Galliæ & Angliæ Reges follicitat, ut Alexandrum III. Pro vero Pontifice agnofcant 1161. I.

Philippus Henrici Francorum Regis filius feptennis Rex coronatur 1059. XVI. Henrico patri fuccedit fub tutela Balduini V Flandriæ Comitis *ibid.* XVII. Abbatiæ S. Quintini Bellovacenfis fundationem confirmat 1067. XI. Bertham Florentii Frifiæ Comitis filiam uxorem duxit 1094. IV. Ludovicum filium ex ea fufcepit *ibid.* Cum ea divortium facit *ibid.* quo anno *ibid.* V. Ejus divortium improbat Urbanus II PP. *ibid.* VI. Philippus Bertradam Fulconis Andegavenfis Comitis adhuc viventis uxorem fibi conjugio copulat *ibid.* IV. Tres liberos ex ea fufcepit *ibid.* Conventum Remenfem convocat *ibid.* VIII. Qua de caufa *ibid.* IX. Ab Hugone Apoftolicæ fedis Legato excommunicatur *ibid.* XI. Ei Placentinum Concilium inducias concedit in caufa fuarum inceftarum nuptiarum 1095. I. Philippus in Concilio Claromontano ab Urbano II excommunicatur *ibid.* XIV.

Bertradam dimittit & in amicitiam Urbani II redit 1096. II & VII. Ad Bertradæ confuetudinem redit 1099. VI. Confentiente ut videtur Fulcone marito *ibid.* VIII. Ludovicum filium Regem dicit & quo anno *ibid.* XXII. ob illegitimas cum Bertrada nuptias in Concilio Pictavienfi excommunicatur 1100. VII *& feq.* Moniales è S. Faræ monafterio ob incontinentiam ejicit *ibid.* X. pro ejus abfolutione fruftrà Concilium Balgentiaci cogitur 1104 III. Philippus excommunicatione abfolvitur *ibid.* II. In Concilio Parifienfi jurat fe ad Bertradæ contubernium non rediturum *ibid.* V *& feq.* Ejus ex Bertrada filii fuêre fpurii *ibid.* VII. Pafchalem II in Galliam venientem honorificè fufcipit 1107. II *& feq.* Moritur & quo anno 1106. VI.

Philippus Philippi Francorum Regis & Bertradæ filius fpurius 1094. IV & 1104. VII.

Philippus Ludovici VI Francorum Regis primogenitus Franciæ Rex coronatur 1129. XI *& feqq.* Moritur 1131. XII.

Philippus Auguftus dictus Ludovici VII Francorum Regis filius nafcitur 1165. X. Franciæ Rex coronatur 1179. XIV. In Judæos animadvertit *ibid.* XVII & 1181. XV. Iterum coronatur cum Elizabetha uxore 1180. VI. Turonenfis Archiep. caufam contra Dolenfem Epifc. jus Metropolicum fibi afferentem tuetur 1182. III *& feq.* Cum Henrico Angliæ Rege & Philippo Flandriæ Comite pacem facit *ibid.* IV. Judæos è Francia pellit *ibid.* VIII. Eorum Synagogas in Ecclefias mutat 1183. XV. Balduini Jerofolymorum Regis Legatos Parifiis fufcipit 1185. VIII. Parifiis pro fubfidio Terræ fanctæ Concilium celebrat *ibid.* IX.

Crucem fufcipit 1188. II. In Concilio Parifienfi decimas dictas Saladinas inftituit *ibid.* IV. cum Henrico Angliæ Rege bellum gerit *ibid.* V. cum eo pacem init 1189. I *& feq.* Pergit in Orientem 1190. I. In Siciliam appellit *ibid.* II In Syriam adventat *ibid.* III. cum Richardo Angliæ Rege Ptolemaidem expugnat 1191. X. In Franciam redit *ibid.* XII. Ingeburgam Daniæ Regis filiam uxorem ducit 1193. IX. Eam repudiat *ibid.* Sententiam pro Philippi divortio ab Epifcopis Galliæ latam caffat Cæleftinus III PP. 1195. I. Philippus aliam uxorem fibi copulat 1196. XII. Ingeburgam poftea in gratiam recepit *ibid.*

Philippus fit Flandriæ Comes 1157. IX. Rebellionem filiorum Henrici II Angliæ Regis fovet 1173. I. Henrico Regi reconciliatur 1174. VIII. Cum Ludovico VII Franciæ Rege Cantuariam pergit S. Thomam veneraturus 1179. XIV. Cum Philippo Augufto pacem facit 1182. IV. Cotarellos hæreticos igni addicit 1183.

VII *& ſeq.* Crucem ſuſcipit 1188. II.

Phrygium præcipuum capitis Summi Pontificis ornamentum 1107. II & 1131. V & XII.

Pictavienſe Concilium de Apoſtolatu S.Martialis 1023.II.
Pictavienſe Concilium contra Berengarium 1075.XIV. Pictavienſe alterum Concilium à Joanne & Benedicto Cardinalibus Paſchalis II Legatis celebratur 1100.VII. Willelmi VIII Aquitaniæ Ducis furore diſturbatur *ibid.* Philippum Franciæ Regem excommunicat *ibid.* VIII. Canones XVII condit *ibid.*
Pictavienſe Concilium à S. Brunone Signienſi Epiſcopo Apoſtolicæ Sedis Legato celebratur præcipue pro bello ſacro 1106. VII.

Piligrinus Archiepiſcopus Laureacenſis à Benedicto VII PP. Pallium petit 979. III. Hungarorum converſioni incumbit *ibid.* III *& ſeq.* Petit ut in Hungariam mittantur prædicatores *ibid.* V. Fuit ultimus Laureacenſis Archiep. *ibid.* IX.

Piſana Reipublicæ initium 1004. VI.
Piſani juncti Genuenſibus Saracenos è Sardinia pellunt 1016. X. Genuenſes ex ea pellunt *ibid.* Saracenos Siciliæ bello maritimo vincunt 1063. VIII. Africam devaſtant 1087. II *& ſeq.* In Baleares & Ebuſum Inſulas expeditionem faciunt 1114. XI. Majoricam aggrediuntur *ibid.* XII *& ſeq.* Ebuſum & Majoricam capiunt *ibid.* XIII & 1115. XIV *& ſeq.* Occiſos in obſidione Majoricæ Maſſiliæ ſepeliunt 1114. XIV.
Piſana Eccleſia fit Metropolitana 1118. X. Corſica ei ſubjicitur *ibid.* X *& ſeq.*
Piſanum Concilium ab Innocentio II PP. celebratur 1134. I. Ejus convocationis cauſa *ibid.* II. De illo impediendo cogitat Ludovicus VI Franciæ Rex *ibid.* IV. In eo Anacletus Antipapa damnatur *ibid.* II. Damnatur & Henricus hæreticus *ibid.* IV.
Piſani Roberto Capuæ Principi auxilium præbent contra Rogerium Siciliæ Regem 1135. XIV *& ſeqq.* Amalphiam depopulantur *ibid.* XXI. A Rogerio malè habentur *ibid.* XXII.

Placentinum Concilium ſub Urbano II Canones edit contra ordinationes ſimoniacas 1095. I. Adelaidem Imperatricem abſolvit *ibid.* Philippo Franciæ Regi inducias concedit in cauſa inceſtarum cum Bertrada nuptiarum *ibid.*
Placentinum Concilium ab Innocentio II PP. celebratur 1132. II.

Polonia à S. Andræa Apoſtolo fidei Lucem accepit 965. VI. Poloniæ Dux Mieſco fit Chriſtianus *ibid.* VII. Polonia à Vandalia non diſtinguenda *ibid.* VIII. Prima Vandalorum ſedes non fuit *ibid.* IX. In Polonia ante annum milleſimum nullus fuit Archiepiſcopatus *ibid.* XI & 999. VII.
Poloni contendunt ſe habere corpus S. Adalberti Pragenſis Epiſcopi & Martyris 997. I. 999. V & 1036. IV.
Polonia à Conrado Salico Imp. in Tetrarchiam erigitur 1032. X. Polonia poſt Mieſconis II mortem civilibus & externis bellis affligitur 1034. XV *& ſeq.* à Bohemis vaſtatur 1036. IV. Sanctæ ſedi Vectigalis redditur 1045. I.
Poloniæ Principes Gregorio VII PP. ſedente Regium titulum nondum conſecuti erant 1075. XII.
Poloniæ Dux Boleſlaus II Regem ſe dicit 1077. XXIII.
Polonia, occiſo Staniſlao, Seante ſeculum XIII Reges non habuit *ibid.* & 1079. X.

S. *Polyeucti* Epiſcopi Cpolitani ſtudium in bonum publicum 963. VI *& ſeq.* S. Polyeuctus Nicephorum Imperatorem coronat *ibid.* X. Theodorum Eremitam Antiochiæ Patriarcham conſecrat 970. I. Moritur *ibid.* II.

Pomerania Chriſti fidem ſuſcipit per S. Ottonem Bambergenſem Epiſcopum 1124. II.

Pontiniacum Abbatia Ciſtertii ſecunda filia prope Autiſiodorum fundatur 1115. XIII.

Pontius Bellicenſis Epiſcopus ante Epiſcopatum Majorævi Cartuſiam fundavit 1116. X. Abdicato Epiſcopatu in Monaſterium rediit, ibique ſanctè obiit *ibid.*

Pontius fit Abbas Cluniacenſis 1109. V. Abbatiam abdicat & Jeroſolymam pergit 1122. VI. Cluniacenſem Abbatiam invadit 1125. I. Romam pergit ab Honorio PP. accitus *ibid.* II. à Petro Cardinali Sedis Apoſtolicæ Legato excommunicatur *ibid.* III. Carceri mancipatur *ibid.* II & 1126. I. Moritur Romæ 1126. I.

Pontius Willelmo ſuccedit in Abbatiam S. Rufi 1116. X.

Poplicani Hæretici in Burgundia graſſantur 1167. XXVIII. Item in Flandria *ibid.* XXIX.

Poppo Brixinenſis Epiſcopus, *vide* Damaſus II PP.

Poppo Henrici Comitis Palatini frater quo anno Metenſis Epiſcopus ordinatus 1090. VI.

Poppo Abbas Stabulenſis magna eſt in exiſtimatione apud S. Henricum Imp. 1014. IV. Moritur 1048. VI. Ejus vitæ ſynopſis *ibid.*

Populetum Monaſterium in Diœceſi Tarraconenſi à Raimundo IV Barcinonenſi Comite fundatur 1153. XV.

Portugalliæ Comes ab exercitu Rex proclamatur 1139. XXIII. Portugalliæ Reges quinque ſcuta minora in Clypeo cæruleo in inſignius uſurpant & quare *ibid.*
Portugalliæ Regnum Romanæ Eccleſiæ vectigale redditur 1140. XXIII.

Poſnanienſis Epiſcopatûs fundatio 967. VII.

Potho Presbyter Prumienſis floret 1152. XI.

Prædiſlaus Bohemiæ Dux Poloniam infeſtat 1034. XVI. Eam devaſtat & corpora SS. Adalberti, Gaudentii & aliorum quinque Pragam transfert 1036. IV.

Præmonſtratenſis Ordo à S. Norberto fundatur 1120. XX.

Preſ-Laba Bulgarorum ſeu Myſorum Regia à Joanne Tzimiſce expugnatur 971. IX *& ſeq.*

Praga fit ſedes Epiſcopalis 967. XIV *& ſeq.* à Clemente V PP. facta eſt Archiepiſcopalis 965. XI.

Praxedes Imperatrix, *vide* Adelais.

Presbyter Joannes regnat in Aſia 1145. IX. Scribit ad Alexandrum III PP. 1177. III. Presbyteri Joannis Regnum non in Africa, ſed in Aſia ſitum erat *ibid.* V *& ſeq.* Seculo XIII ineunte nondum everſum erat *ibid.* VII. Poſt initium ſeculi XII inſtitutum fuerat *ibid.* VIII. Presbyteri Joannis originationes fictitiæ *ibid.* IX. Presbyteri Joannis nomen Orientalibus incognitum *ibid.* X.

Presbyterorum incontinentia medio ſeculo XI maxima erat 1052. XIV. Presbyterorum conjugia in diverſis regionibus diu tolerata *ibid.* XV. Conjugiorum Presbyterorum origo à Normannis *ibid.* XVI.
Presbyterorum filios ad ſacros ordines promoveri poſſe cum diſpenſatione Apoſtolicæ Sedis decernitur in Concilio Claramontano 1095. IX *& ſeq.*

Propheteſſa quædam Romæ innoteſcit 1180. I.

S. *Protaſii* corpus intactum fuit everſa urbe Mediolanenſi à Frederico Imp. 1162. XXXI.

Provincia aliquando Aquitania dicta 998. V, VIII *& ſeq.* Ab Henrici IV Germaniæ Regis juriſdictione ſe ſubducit 1081. VIII. De Provinciæ Comitatu contendunt Gilbertus & Raimundus S. Ægidii Comes 1081. IX *& ſeqq.*
Provincia unitur Comitatui Barcinonenſi 1112. X *& ſeq.* Ab eo ſeparatur 1131. XXI. Iterum ei unitur 1181. XVIII. Iterum ſeparatur 1196. VI.

Ptolemais à Cruceſignatis capitur 1104. XIX. A Turcis expugnatur 1187. VI. Iterum à Cruceſignatis capitur 1191. X.

Q.

Quintilinburgenſis Synodus ab Ottone Sedis Apoſtolicæ Legato celebratur 1085. II. Wecilonis in Archiepiſcopatum Moguntinum intruſi & aliorum

ſchiſmat-

schismaticorum ordinationes irritat *ibid.* Guiberti Antipapæ excommunicationem confirmat *ibid.* Canones septem edit *ibid.*

Quintilinburgensis Conventus ab Henrico Germaniæ Rege celebratur 1105. I. In eo Clerici uxorati Divina officia celebrare prohibentur *ibid.*

S. Quintini Martyris corpus Bellovacum transfertur 1067. X I.

S. Quintini Abbatia Bellovaci fundatur à Guidone Bellovacensi Episcopo 1067. X I. Ad eam S. Quintini corpus ex pago Vermanduensi transfertur *ibid.* Ejus primus Abbas Ivo postea Carnotensis Episcopus *ibid.* Ejus fundationem confirmat Philippus Franciæ Rex *ibidem.* Ex ea Canonici Regulares in Diœcesim Trecensem evocantur *ibid.*

R.

R*Adulphus* eligitur Archiepiscopus Trevirensis 1186. III. à Folmaro itidem electo excommunicatur *ibid.* I V. Ejus electio à Clementis I I I. PP. Legato cassatur *ibid.*

Radulphus Nigellus Cardinalis moritur 1188. X I V.

Radulphus de Diceto Scriptor Anglus Historiam suam absolvit 1197. VII.

Radulphus Veromanduorum Comes uxorem legitimam repudiat 1142. I. Ejus divortium improbatur à Theobaldo Campaniæ Comite *ibid.* II. Radulphus Ludovico VII in Orientem proficiscente adjungitur Sugerio in regimine Regni 1147. I.

Raimundus Barcinonensis Comes cum Saracenis ad Cordubam infeliciter pugnat 1010. I.

Raimundus Berengarii Barcinonensis Comes cum Ermengaudo Urgellensi Comite fœdus init contra Alchagibum Saracenum Cæsaraugustæ Ducem 1058. X V. Barcinone Concilium celebrari curat 1064. VII. Ibidem Conventum cogit in quo Leges Gothicas abrogat *ibid.* V I I *& seq.* Codicem Legum condit, *Usatici Barcinonenses* vulgò dictum *ibid.* Cum Ermengaudo iterum fœdus init *ibid.* I X. Moritur 1077. XX 1079. V I.

Raimundus Berengarii II Raimundo patri succedit in Comitatum Barcinonensem 1079 VI. Mathildem Roberti Guiscardi filiam uxorem duxit *ibid.* & 1091. VII. à fratre interficitur 1079. V I.

Raimundus Berengarii III Raimundo Berengarii II Patri succedit in Barcinonensem Comitatum 1079. V I. Ludovici V I Francorum Regis auxilium implorat contra Barbaros 1109. XIII *& seq.* Nubit Dulciæ filiæ Gilberti Comitis Provinciæ, & fit Provinciæ Comes 1112. X *& seq.* In Majoricam excensionem facit 1114. XII. Majoricam & Ebusum Insulam capit *ibid.* XIII. Saracenos Barcinonem obsidentes magna clade profligat *ibid.* XII. A Paschali PP. in tutelam Sedis Apostolicæ suscipitur & valdè ab eo laudatur 1116. VIII. Tarraconem restituit, eique B. Oldegarium Archiepiscopum præfici curat 1118. X X. Cum Alphonso Tolosæ Comite operâ Galterii Magalonensis Episc. Sedis Apost. Legati pacem facit 1125. IV. Comitia in Catalaunia celebrat 1126. X I V. Civitatem Tarraconensem B. Oldegario donat 1128. X X I I I. Moritur 1131. XXI.

Raimundus Berengarii hujus nominis IV fit Comes Barcinonensis 1131. XXI. Petronillam Ramiri Monachi Aragoniæ Regis filiam uxorem ducit & Aragoniam obtinet 1137. XXV. Cum Alphonso Castellæ Rege fœdus init 1140. XXII. à Templariis jus in regnum Aragoniæ obtinet 1141. XIV. Novum Ordinem militarem instituit sub obedientia Magistri Templariorum ad defensionem Ecclesiæ Occidentalis 1143. XIII. Regis Aragoniæ titulum nunquam sumpsit *ibid.* XIII *& seq.* Cum Garsia Ramire Navarræ Rege inducias facit 1146. XXVII. Tortosam Saracenis eripit 1148. X V I I I. Item Siuranam 1153. X V. Populetum Monasterium in Diœcesi Tarraconensi fundat *ibid.* Cum Raimundo nepote Comite Provinciæ paciscitur 1161. X X I I I. Moritur *ibid.*

Raimundus S. Ægidii Comes cum Gilberto de Comitatu Provinciæ contendit 1081. I X. *& seq.* Mathildem Rogerii Calabriæ Comitis filiam uxorem duxit *ibid.* X. Crucesignatorum exercitûs partem ducit 1096. X I I. Tolosanum Comitatum Bertrando filio notho commendat *ibid.* X I X. Pacem facit cum Gilberto Provinciæ Comite *ibid.* Secundis nuptiis conjunctus fuit cum Elvira Alphonsi V I Castellæ Regis filia *ibid.* Eam cum Alphonso filio ad bellum sacrum ducit *ibid.* Moritur 1105. I I I.

Raimundus Gallecıæ Comes Urracæ Alphonsi V I filiæ maritus quo anno obierit 1106. I X. Cum Henrico Comite de partiendo Alphonsi VI Regno pactum fecit 1108. V I I I. Filius fuit Willelmi I I Burgundiæ Comitis *ita.* IX.

Raimundus Provinciæ Comes Comitatum Provinciæ & Forcalquerii ac Civitatem Arelatensem in feudum accipit à Frederico Imp. 1162. XXIII. Victorem Antipapam agnoscit *ibid.* Occiditur 1181. XVIII.

Raimundus Comes Tolosanus scribit ad Cistercienses de Albigensibus hæreticis 1176. X V I *& seq.*

Raimundus Comes Tripolitanus ægrè fert Guidonem de Lusiniano Regem Jerosolymorum erectum 1185. XVII. Saladini auxilium implorat *ibid.* Cum Guidone Jerosolymorum Rege proditoriè agit 1187. IV. Moritur Saracenus *ibid.* VII.

Raimundus de Podio Gerardo succedit in Præfecturam Ordinis Equitum Hospitalariorum 1120. X X V. Regulam pro Equitibus edit *ibid.*

Raimundus S. Rufi Abbas Abbatiam Avenione Valentiam transfert 1151. XII.

Raimundus Firerii Abbas Calatravam à Sanctio III Castellæ Rege obtinet 1158. X. Militiam Calatravæ dictam instituit *ibid.* XI.

Rainaldus Remensis Archiepiscopus Suessionense Concilium celebrat 1094. XIII. In eo Roscelini errorem de Mysterio Trinitatis damnat *ibid.*

Rainaldus Archiepiscopus Coloniensis electus dicitur Archi-Cancellarius Imperii in Italia 1159. I. In Papiensi Conciliabulo Victorem antipapam agnoscit 1160. II. Trium Magorum corpora Mediolano Coloniam transfert 1163. X I I *& seq.* contra Alexandrum I I I PP. Romam cum exercitu pergit 1167. I. Romæ Pestilentiâ moritur *ibid.* IX.

Rainaldus Princeps Antiochenus ab Infidelibus capitur 1163. I X. Inducias cum Saladino pactas rumpit 1187. I I. à Saladino decollatur *ibid.* V.

Rainardus fit Comes Senonensis 1015. III. Leotherium Senonensem Archiep. & Ecclesiam vexat *ibid.* Senonensi urbe privatur *ibid.* III *& seq.*

Rainerius postea Papa Sedis Apostolicæ Legatus Legionense Concilium celebrat 1091. I X *& seq.* Fit Pontifex Romanus & Paschalis I I appellatur 1099. I X & 1100. I. Ejus vitam scripsit Petrus Pisanus non Pandulphus 1100. I. Paschalis Joannem & Benedictum Cardinales Legatos in Franciam mittit 1100. II & VII. Guidonem Viennensem Archiep. Legatum in Angliam dirigit *ibid.* X V I. Cisterciensem Ordinem confirmat *ibid.* XVII. Investituras in Anglia prohibet 1101. I *& seq.* Concilium primum Lateranense celebrat 1102. I. Richardum Albanensem Episcopum Legatum in Gallias mittit *ibid.* IX. S. Ottonem Episcopum Banbergensem ordinat 1103. III *& seq.* Ob discessum Richardi Legati ex Gallis absolutionis Philippi Regis causam committit Lamberto Attrebatensi

Episc. 1104. IV. Rotroci Comitis Perticensis & Hugonis Puteolensis Comitis controversiam Jvoni Carnotensi Episc. committit *ibid.* IX. S. Brunonem Sigoiensem Episc. Legatum in Galliam mittit *ibid.* X. Grosulanum Mediolanensem Archiep. honorificè suscipit 1104. XV.

Lateranense Concilium II celebrat 1105. IV. Eos qui Henricum Angliæ Regem ad investituras conservandas impellebant Anathematizat *ibid.* Grosulanum in Archiepiscopatum Mediolanensem restituit *ibid.* V. *& seqq.* Guastallense Concilium celebrat 1106. IV. In Galliam venit *ibid.* V. Ejus itinerarium 1107. I *& seq.* Paschalis à Philippo & Ludovico Regibus honorificè suscipitur *ibid.* II. Auxilium petit adversus Henricum V Germaniæ Regem *ibid.* III. Trecis Concilium celebrat *ibid.* IV. Beneventi contra investituras Concilium habet 1108. I. Henrici Germaniæ Regis Legatos suscipit 1110. I. Adversus investituras Laterani Concilium celebrat *ibid.* Ab Henrico Germaniæ Rege captivus Romæ detinetur 1111. I *& seq.* Henricum Imperatorem coronat *ibid.* III *& seq.* Investituras ei concedit *ibid.* V. Paschalis factum à S. Brunone Signiensi Episc. & ab aliis improbatur *ibid.* V *& seq.* Paschalis quartum Laterani Concilium celebrat 1112. I. In eo investituras prohibet *ibid.* II *& seq.* Henricum Imp. non excommunicat *ibid.* III. Grosulani Mediolanensis Archiep. causam tuetur *ibid.* XII *& seqq.* Beneventum secundò pergit 1113. III. Ibi Synodum celebrat & Seditiosos coërcet *ibid.* IV. Urbis securitati consulit *ibid.* V. Paschalis quædam Epistolæ in Orientem missæ suis annis redduntur *ibid.* VI *& seq.* Paschalis Willelmum Calabriæ & Apuliæ Ducem constituit in Concilio Cyperani habito 1114. II. Pisanos ad expeditionem contra Saracenos Insularum Balearium excitat *ibid.* XII *& seq.* In Paschalem seditio Romæ oritur & quo anno 1115. I. & 1116. VI. Quærela inter Paschalem & Henricum Angliæ Regem nata citò Sopita 1115. XI *& seq.*

Paschalis in Concilio Lateranensi V investituras damnat 1116. I. Landulphum in Archiepiscopatum Beneventanum restituit post Concilium *ibid.* VII. Raimundum Berengarii Barcinonensem Comitem in tutelam Apostolicæ sedis suscipit *ibid.* VIII. B. Oldegarium cogit ad Barcinonensem Episcopatum acceptandum *ibid.* IX. Quo anno Troianum Concilium celebratit 1115. II & 1117. I *& seq.* Burdino Archiepiscopo Bracharensi pallium dat *ibid.* V. Conimbricensem Ecclesiam ei subjicit *ibid.* V *& seq.* Burdinum Legatum ad Henricum Imp. Romam mittit *ib.* VII. Eum excommunicat quod Henricum coronasset *ibid.* Ab officio Episcopali eum anteà interdixerat *ibid.* VIII. Cantuariensis Ecclesiæ privilegia confirmat *ibid.* X. Moritur 1118. I. Duratio Sedis ejus & Interpontificii *ibid.* II. Ejus sepulturæ locus *ibid.* III.

Rainulphus Comes ab Innocentio II PP. fit Apuliæ Dux 1137. VI. Rogerium Regem vincit *ibid.* XI *& seq.* Eum in Siciliam transfretare cogit 1138. V. Moritur 1139. XIV.

Ramecha à Saracenis capitur 965. XIX.

Ramirus III Sancio Crasso Patri succedit in Regnum Legionis 967. XII. Moritur 965. VI.

Ramirus Sanctii III Navarræ Regis filius fit primus Aragoniæ Rex 1032. VII. Regnum Soprarbiæ & Ripacurciæ suo addit *ibid.* Moritur 1063. X. Primus officium Romanum in Hyspaniam introduxit *ibid.*

Ramirus Monachus fit Aragoniæ Rex 1134. XXXI. Nec Abbas nec Episcopus fuit *ibid.* XXXII. Sed Monachus *ibid.* XXXI *& seqq.* Mathildem Willelmi VIII Comitis Aquitaniæ filiam uxorem duxit *ibid.* XXXIII & XXXV. Petronillam filiam ex ea suscipit *ibid.* Invitis proceribus ad monasterium redit *ibid.* XXXIV. Cum Alphonso VII Castellæ Rege pacem facit 1135. XLI. Regno abdicato filiam suam Raimundo IV Barcinonensi Comiti in conjugem dat cum Regno Aragoniæ 1137. XXV. Eligitur Tarraconensis Archiepiscopus *ibid.* In monasterium suum redit & in eo moritur *ibid.*

Rannulfus post mortem Meli à Normannis auxilii spe destitutis Dux eligitur 1022. II *& seq.*

Ratramnus non est Auctor Libri de Eucharistia, qui sub ejus nomine circumfertur 1059. III.

Ravenna Occidentis Imperatoribus subdita 968. XIII. Ravennense Concilium celebratur 967. I & IV. In eo Magdeburgensis Archiepiscopatus instituitur *ibid.* II. In eo Heroldus Archiepiscopatu Salzburgensi depositus excommunicatur *ibid.* III.

Ravennense alterum Concilium *ibid.* V. In eo confirmatur institutio Archiepiscopatus Magdeburgensis *ibid.* VI.

Ravennense Concilium à Gerberto Archiepiscopo celebratur 998. XXII. Canones tres disciplinam Ecclesiæ spectantes in eo conditi *ibid.*

Ravennense Concilium ab Honorio II PP. celebratur 1128. X. Aquileiensem & Venetiarum Patriarchas Conrado Sueviæ Duci adhærentes deponit *ibid.*

Ravennensis Archiepiscopus absente Imperatore primum post Romanum Pontificem locum obtinet in Synodo Romana 1047. I.

Ravennensi Ecclesiæ pristina jura restituuntur à Gelasio II PP. 1118. VIII *& seq.*

Reimbaldus Canonicus Leodiensis censet in causa Innocentii II & Anacleti Antipapæ suspendendum esse judicium 1130. XXVII.

Reinaldus Comes Nivernensis Hugonis Capeti filiam uxorem duxit 1018. XII. Autisiodorensem Comitatum acquisivit *ibid.*

Reinbernus primus Colbergensis Episcopus Guesnensi Metropolitano subjectus 999. VI. In Russiam mittitur 1008. IV. Reliquias idololatriæ extirpare conatur *ibid.* V. Moritur in carcere *ibid.* Incompertum an successores habuerit *ibid.* IV.

Reliquias Sanctorum ad Synodos deferendi mos quo tempore cœperit 1020. II.

Remense Concilium Bonifacium VII excommunicat 975. V.

Remense Concilium in causa Arnulphi Archiep. Remensis quo anno coactum 992. I. Arnulphum deponit & Gerbertum ei substituit *ibid.* II.

Remense alterum Concilium eadem de causa celebratur 995. III.

Remense Concilium à S. Leone IX PP. cogitur 1049 XI. Remensi Conventui à Philippo Franciæ Rege indicto Richerius Senonensis Archiep. præsidet 1094. VIII. Qua de causa convocatus sit *ibid.* IX.

Remense Concilium à Manasse Archiep. Remensi celebratur 1102. VII *& seq.* Fictitium non est *ibid.* IX. Quo anno celebratum *ibid.* X.

Remense Concilium à Conone Prænestino Episc. Apostolicæ Sedis Legato habetur 1115. VIII.

Remense Concilium à Callisto II PP. celebratur 1119. IX. Burdinum Antipapam & Henricum Imp. excommunicat *ibid.* X.

Remense Concilium ab Innocentio II PP. habitum Anacletum Antipapam excommunicat 1131. XI. Quo tempore inchoatum *ibid.* Quo tempore finitum *ibid.* XIV. Post Leodiense habitum *ibid.* XV.

Remense Concilium ab Eugenio III PP. celebratur 1148. VII. Canones XVIII in eo sanciti *ibid.* VI. Ei intersunt Episcopi Hispaniæ *ibid.* VII. Item quidam ex Anglia *ibid.* VIII. In eo Eon hæreticus damnatur *ibid.* VI & IX. Damnatus & Gilbertus Porretanus *ibid.* X. Concilium Remense Saviniacenses Monachos ad ordinem Cisterciensem transire jubet *ibid.* XI. Re-

mense Coocilium ab Alexandro III PP. pro subsidio Terræ sanctæ ferendo celebratur 1164. X X V *& seqq.*

Remensis urbis turbæ sedantur 1167. XXVII.

Rica Uladislai Polooiæ Ducis filia nubit Alphonso Hisp. Imperatori 1152. XVII & 1153. XVII.

Ricardus Cantuariensis Archiep. ab Alexandro I I I PP. consecratur 1174. V I. Westmonasterii Concilium celebrat 1175. I. Moritur 1184. III.

Ricardus Abbas Fontanensis adest Concilio Lateranensi II Oecumenico 1139. V. *& seqq.*

Richardus Cardinalis Presbyter quo anno dictus Abbas S. Victoris Massiliensis 1080. XI. Duas Legationes in Hispaoiam suscepit *ibid.* Concilium Burgense celebrat *ibid.* Victorem PP. calumniatur 1087. IV. Ab eo à communione fidelium suspenditur *ibid.* V II. Ab Urbano I I Legatus in Hispaniam missus Concilium Palentinum celebrat 1088. X V I. Legatione privatur 1090. I I. Secundo Concilio Palentino seu Fuselcosi præfuit 1109. II.

Richardus Albanensis Episcopus à Paschali II Legatus in Gallias mittitur 1102. I X. Balgentiaci Concilium celebrat pro absolutione Philippi Fraociæ Regis 1104. III. Re iofecta ex eo discedit *ibid.* Galliam relinquit *ibid.* IV *& seq.* Ante discessum Treceuse Concilium celebrarat *ibid.* VIII.

Richardus Abbas Virdunensis magna est in existimatioe apud S. Henricum Imp. 1014. I V. Romam petit ne impediat oe Ecclesia Constantinopolitana dicatur universalis sicut Romana 1024. I I I. Jerosolymitanam profectionem suscipit 1027. V I I I. Cum S. Symeone Syracusano Monacho amicitiam contrahit *ibid.* I X. Jerosolymis à Patriarcha honorificè suscipitur *ibid.* X. Cum eodem S. Symeooe in Galliam redit *ibid.* X I. à Roberto Normanniæ Duce maximè colitur 1026. I V. Treugam Dei in Normannia recipi frustrà curat 1041. VII. Plures ægrotos divina virtute sanat *ibid.* Moritur 1046. VI.

Richardus Abbas S. Vitoni floret 1010. II.

Richardus de S. Victore floret 1140. VIII. Quo anno mortuus sit *ibid.* Ejus Opera *ibid.* & 1134. XLI.

Richardus de Ilvestria Clericus ab Henrico I I. Angliæ Rege ad Conventum Herbipolensem missus Paschalem Antipapam agnoscit 1166. I I. à S. Thoma Archiep. Cantuariensi excommunicatur *ibid.* III & 1167. X V I.

S. Richardus puer à Judæis Parisiis occiditur 1179. XVII. Miracula patrat *ibid.*

Richardus Pictavorum Comes Henrico II patri in Angliæ regnum succedit 1189. I V. Nimiam potentiam Joanni fratri tribuit *ibid.* V. In Orientem proficiscitur 1190. I. In Siciliam appellit *ibid.* I I. In Syriam advenit *ibid.* III. Cum Philippo Franciæ Rege Ptolemaidem expugnat 1191. X. Guidoni Jerosolymorum quondàm Regi Cypri regnum vendit *ibid* XI. Eo absente Anglia turbatur *ibid.* XIII. Richardus è Palæstina discedit *ibid.* XIV. & 1192. I X. à Leopoldo Austriæ Duce capitur 1192. I X *& seq.* Qua occasione *ibid.* X I. Henrico Imp. traditur 1193. V I. Ab eo pessime habetur *ibid.* V I I. Pro Richardi liberatione Wormatiæ Conventus celebratur *ibid.* VIII. Richardus in libertatem restituitur 1194. I.

Richardus Normanniæ Dux cum Ethelredo Angliæ Rege pacem facit Joannis XV PP. Operâ 990. I. Moritur 996. XVII. Ejus elogium *ibid.*

Richardus II fit Normanniæ Dux 996. XVII. Ejus elogium *ibid.* Pacem perpetuam facit cum Ethelredo Angliæ Rege 1003. V. Emmam Angliæ Reginam & Ethelredum ejus maritum fugientes honorificè suscipit 1013. V. Moritur 1026. IV.

Richardus III fit Normanniæ Dux & moritur 1026. I V. Ejus virtutes 1027. VIII.

Richardus Roberti Guiscardi frater à Nicolao II PP. Capuæ Princeps confirmatur 1059 X I I. Campaniam & Capuam sibi subjicit 1062. X. Romanæ urbis Patriciatum ambit 1066. I. Vicina Romæ loca armis appetit *ibid.* Moritur 1074. VIII.

Richardus Capuæ Princeps moritur 1120. XIV.

Richerius Senonensis Archiep. Lugdunensis Ecclesiæ primatum agnoscere recusat 1079. VIII. Robertum sine suo consensu Meldensem Episcopum ordinatum excommunicat 1082. V I. Gualterium II Meldensem Episc. consecrat *ibid.* Ivonem Carnotensem Episc. coosecrare renuit 1092. III. Contra Ivonem Concilium Stampis celebrat 1093. I V. Conventui Remensi pro nuptiis Philippi Franciæ Regis cum Bertrada præsidet 1094. VIII *& seq.* Moritur 1099. I.

B. Richeza Miesconis I I Poloniæ Ducis uxor facto cum Marito divortio ad Conradum Salicum pergit 1025. I X. à calumnia vindicatur 1034. X V. Fit Sanctimonialis & moritur 1058. X.

Rigensis Episcopatus in Livonia à S. Meinardo fundatur 1186. X I.

Ripacurcia & Soprarbæ regoum à Sanctio I I I Navarræ Rege instituitur 1031. V & VII. Aragoniæ regno unitur *ibid.* VII.

Robaldus Albensis Episc. eligitur Mediolanensis Archiep. 1134. X I. Pallium ab Inoocentio II recipere recusat *ibid.* XVI. à S. Bernardo excusatur *ibid.* X V I I. Lotharium Imp. non coronavit *ibid.* X I X. Cremonenses excommunicat 1136. V. Ejus excommunicationem solvit Innocentius PP. *ibid.* V I I. Robaldus moritur 1144. XVII.

Robertus Resbacensia Ecclesiæ Abbas Meldensis Episcopus ordinatur Richerio Senonensi Archiep. inconsulto 1082. V. à Richerio excommunicatur *ibid.*

Robertus de Sigillo fit Episcopus Londinensis 1141. XIII. Ab Aoselmo jam antea Londinensi Episc. electo vexatur *ibid.* & 1142. X I. à Galfrido de Mandevilla capitur 1142. X I.

Robertus Pullus postea Cardinalis floret 1142. XII. Fuit Romanæ Ecclesiæ Cancellarius sub Eugenio PP. 1145. X *& seq.* Ad eum scribit S. Bernardus *ibid.*

S. Robertus à S. Leone I X PP. fit Abbas Casæ-Dei monasterii in Diœcesi Claromontana 1050. XXV. quo anno mortuus sit indicatur *ibid.*

B. Robertus Molismense Cœnobium fundat 1098. XII. Fundat & Ordinem Cisterciensem *ib.* IX *& seqq.* Molismum redire ab Urbano II PP. jubetur *ibid.* X I *& seq.* Albericum Cistercii Abbatem instituit *ibid.* XII. Cisterciensis ordinis confirmationem à Paschali II obtinet 1100. X V I I. Moritur 1109. V I. de eo officium celebrant Molismenses Monachi *ibid.*

Robertus de Arbrissello Episcopis è Concilio Pictaviensi fugientibus furorem Willelmi VIII Aquitaniæ Ducis immobilis remanet 1100. VII *& seq.* Fontebraldensem Ordinem fundat *ibid.* XXVII. Ivonem Carnotensem Episc. & Bernardum Abbatem Bonævallis inter se reconciliat 1116. XVIII. Mortuo Ivone Carnotum pergit 1117. X I X. Willelmum Comitem Nivernensem captivum visitat *ibid.* XX. Moritur *ibid.* Annus & dies mortis ejus *ibid.* XXI. Purgatur à calumnia in eum conficta *ibid.* XXII *& seq.*

Robertus Abbas de Torineio *de monte* vulgò dictus moritur 1186. X X. Ejus genuinum Chronicon à paucis annis vulgatum *ibid.*

Robertus nepos S. Bernardi ad Cluniacenses transit 1126. I. Claramvallem redit *ibid.* Domus-Dei Abbas in diœcesi Bisuntina à S. Bernardo instituitur *ibid.*

Robertus Monachus S. Remigii Remensis Historiam expeditionis Jerosolymitanæ quo anno absolverit 1126. X I I.

Robertus Hugonis Capeti Francorum Regis filius à patre in regni consortium assumitur 988. V. Arnulphum Lotharii quondam Regis naturalem filium Remensem Archiep. dicit *ibid.* Hugoni patri succedit 998. I. Ejus dotes *ibid.* III. Ejus cum Berta nuptiæ à Gregorio V PP. reprobantur *ibid.* IV. Robertus Constantiam Willelmi I Provinciæ Comitis filiam uxorem ducit *ibid.* V *& seqq.* Et quidem post annum millesimum *ibid.* X. Leothericum Senonensem Archiep. increpat ob motam de Eucharistia quæstionem 1004. I. Senonensem urbem ab eo recipit 1015. III. Manichæos in Gallia detegit & igne cremari jubet 1017. I *& seqq.* Contra eos Synodum Aurelianis celebrari curat *ibid.* III. In urbem Angeriacam pergit ad venerandum caput S. Joannis Baptistæ 1018. V. Romam petit *ibid.* VIII. Literas in favorem Cluniacensis monasterii à Benedicto VIII PP. obtinet *ibid.* VIII *& seqq.* Ejus Romanæ profectionis tempus *ibid.* XI *& seq.* Robertus Betram in suum thorum reduxisse creditur *ibid.* Aiviacense Concilium in pago Autisiodorensi celebrat 1020. II. Ab Italis Rex exposcitur 1025. III. Quo anno Hugonem filium in Regem ungi curaverit 1028. I. Hugone mortuo Henricum alterum filium reluctante Constantia Regina Regem dicit *ibid.* IV *& seq.* Ab Henrico & Roberto filiis bello impetitur 1031. I. Moritur & quo anno 1133. VIII *& seq.* & 1034. VIII.

Robertus Roberti Francorum Regis filius adversus patrem bellum cum Henrico fratre movet 1031. I. Ab Henrico fratre fit Dux Burgundiæ 1033. X. Est caput primæ stirpis Ducum Burgundiæ *ibid.* Haganoni Augustodunensi Episcopo à S. Hugone Cluniacensi Abbate reconciliatur 1055. II. quo anno mortuus fit 1033. X.

Robertus Richardi II frater fit Normanniæ Dux post Richardum tertium 1026. IV. Canuti Anglorum Regis sororem uxorem duxerat 1035. VI. Cum ea divortium fecit *ibid.* Ex concubina Willelmum filium parit *ibid.* Jerosolymam proficiscitur *ibid.* Nicææ moritur *ibid.*

Robertus Willelmi Conquestoris Angliæ Regis filius patri in solum Normanniæ ducatum succedit & quare 1087. XI. Cum Crucesignatis ad bellum sacrum proficiscitur 1096. XIII. Fratri Willelmo Angliæ Regi Normanniam committit & quo anno 1097. II. Ex Palæstina redux Angliæ regnum sibi deberi contendit 1101. I. S. Anselmi operâ cum Henrico Angliæ Rege conciliatur *ibid.* Ab Henrico bello impetitus capitur & Normanniam amittit 1106. VIII & 1107. V. Moritur 1134. XXXIX.

Robertus Flandriæ Comes quo anno Jerosolymitanam profectionem suscepit 1092. XI. Ad eum pro auxilio contra Turcas scribit Alexius Comnenus Imp. *ibid.* Cum Crucesignatis ad bellum sacrum proficiscitur 1096. XIII.

Robertus Guiscardus ab Honfredo fratre Normannorum Apuliæ Comite in Calabriam contra Græcos mittitur 1053. X. Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ Dux dicitur à Nicolao II PP. 1059 XII & XIV. Totam ferè Apuliam sibi subjicit 1061. VIII. Siciliæ plura oppida occupat *ibid.* Saracenos Siciliæ persequitur *ibid.* IX. Panormum frustrà tentat 1064. X. Barium Græcis eripit 1068. IX. Panormum obsidet & capit 1071. XX *& seq.* cultum divinum ea in urbe restituit *ibid.* XXI. Cum Michaele Duca Imp. fœdus init 1073. XIV. Filiam suam Helenam Constantino Michaelis Imp. filio despondet *ibid.* ob Beneventi obsidionem à Gregorio VII in prima Synodo Romana excommunicatur 1074. VIII. quo anno ab eo absolutus *ibid.* VIII *& seq.* dissentit à Jordane Capuæ Principe *ibid.* VIII. Cum eo pacem facit operâ desiderii Card. & Abbatis Casinensis *ibid.* Cum Gregorio VII PP. colloquium habet 1077. XVIII *& seq.* Colloquii tempus *ibid.* XX *& seq.* Ejus patria & stirps 1078. VIII. Robertus Mathildem filiam Raimundo Berengarii II Comiti Barcinonensi nubit 1079. VI. Calabriæ & Siciliæ investituram à Gregorio VII. recipit 1080. V. Pseudo-Michaelem Imperatorem Cpolitanum suscipit *ibid.* VI *& seq.* Cum Gregorio VII alterum colloquium Beneventi habet & fœdus init *ibid.* IX *& seq.* Henrici Germaniæ Regis & Gregorii PP. Legatos auxilium postulantes dimittit 1081. V *& seq.* Expeditionem in Dalmatiam suscipit *ibid.* VII. Pseudo-Michaelem secum ducit *ibid.* Dyrrachium capit *ibid.* Alexium Comnenum Imp. acie vincit *ibid.* In Italiam redit 1082. X. Boamundo filio dat ditiones Illyrici *ibid.* X *& seq.* Gregorium PP. in castello S. Angeli obsessum liberat 1084. III & V. Eum Salernum ducit *ibid.* VII. In Illyricum pergit & variâ fortunâ cum Alexio Comneno & Venetis pugnat *ibid.* XIII *& seq.* Moritur in Illyrico 1085. IX. Ejus uxores & liberi *ibid.* X.

Robertus de Bordet nobilis Normannus subsistit Tarraconæ contra Saracenos 1123. XII. à B. Oldegario Tarraconæ principatu donatur 1118. XXII.

Robertus Capuæ Princeps moritur 1120. XIV.

Robertus II Capuæ princeps inungitur 1127. VIII. Rogerio Apuliæ Duci hominium facit 1129. II & V. Anacleto Antipapæ adhæret 1131. XXV *& seq.* Innocentii II partes sequitur & à Lothario Imp. contra Rogerium auxilium petit 1133. IX. Pisanorum auxilium implorat *ibid.* XIII. à Pisanis & Genuensibus auxilium impetrat 1134. XXI. Rogerii Regis mortis falso rumore deceptus bellum renovat 1135. XIV *& seqq.* Ad Lotharium Imp. pergit *ibid.* XXVII *&* 1136. II & IV. In Capuæ principatum ab Innocentio PP. restituitur 1137. II. Ex eo à Rogerio Rege pellitur *ibid.* IX. Principatum iterum recipit 1153. IV *& seqq.* à Willelmo Siciliæ Rege captus in Siciliam deportatur 1156. I *& seq.* Moritur *ibid.* IV.

Robertus Glocestriæ Comes Henrici quondam Angliæ Regis filius nothus cum Mathilde sorore in Angliam pergit 1139. XX. Stephanum Angliæ Regem capit 1141. VII. Capitur à fautoribus Stephani *ibid.* XI. Libertati restituitur *ibid.*

Robertus Retenensis Anglus Petrum Venerabilem adjuvat in versione Alcorani 1143. XV. Alcoranum in Epitomen redigit *ibid.*

Robertus puer in Anglia à Judæis martyrizatur 1146. VIII & 1181. XV. Miraculis coruscat *ibid.*

Rodericus Diaz vulgò *Cidus* appellatus fit vexillifer Sanctii Castellæ Regis 1071. XIX. Ximenam Alphonsi V Regis Legionis neptem uxorem ducit *ibid.* Valentiæ quinque annis præfuit 1099. XXI. Moritist *ibid.*

Rodulphus Roffensis Episc. fit Archiep. Cantuariensis 1114. V. Romam pergit & quare 1116. XIII. Ecclesiæ Cantuariensis privilegiorum confirmationem à Paschali PP. obtinet 1117. X. Moritur 1122. IX.

Rodulphus III in Burgundiæ Transjuranæ regnum Conrado patri succedit 993. IX. Romam pergit ad coronationem Conradi Salici Imp. 1027. I *& seq.* Burgundiæ regnum Conrado Salico certis pactis tradit *ibid.* III. Moritur 1032. VIII. Ignavus dictus est *ibid.* Fuit ultimus Burgundiæ Rex *ibid.*

Rodulphus Sueviæ Dux strenuissime contra Saxones dimicat 1075. X. In Forcheimensi Conventu Germaniæ Rex eligitur 1077. X. Cum Henrico Germaniæ Rege bis pugnat 1078. II. Synodo Romana V per Legatos promittit se non impediturum Colloquium Legatorum Apostolicæ Sedis *ibid.* III. ad Synodum Romanam VI querelam defert contra Henricum Regem 1079. IV. Item ad Synodum Romanam septimam 1080. I. In Regia dignitate confirmatur ab eadem Synodo *ibid.* II. In

prælio

prælio contra Henricum Regem occiditur *ibid.* VIII.

Rofridus fit Beneventanus Archiep. 1119. XVI. Adest Concilio primo Lateranensi œcumenico 1123. IV. Accusatur quod simoniacè Archiepiscopatum adeptus sit *ibid.* VII. S. Barbati Episcopi Beneventani Reliquias transfert 1124. XVII.

Rogerius Comes Calabriæ Roberti Guiscardi frater Siciliam invadit 1059. XIV. Saracenos Siciliæ persequitur 1060. VIII. Messanam capit *ibid.* IX. à Roberto Guiscardo fratre Siciliæ præficitur 1061. VIII. Saracenos Siciliæ persequitur *ibid.* IX. Eos ad magnas angustias redigit 1062. XII. Semel & iterum eos vincit 1063. IX. Indulgentiam & vexillum ab Alexandro II PP. recipit *ibid.* Panormum frustra tentat 1064. X. Progressus in Sicilia facit 1066. XII. Panormum cum Roberto fratre capit 1071. XX & *seq.* Cultum divinum ea in urbe restituit *ibid.* XXI. Tauromenium Saracenis eripit 1078. X. Mathildem filiam Raimundo S. Ægidii Comiti uxorem dat 1081. X. Syracusas occupat 1087. II. Pacem conciliat inter Rogerium & Boamundum Rogerii Guiscardi fratris filios 1088. IV. Urbano II in Siciliam pergenti obviam procedit 1089. IX. Operam suam præbet ad extinguendum schisma Græcorum *ibid.* Buteram capit *ibid.* Saracenos ex universa Sicilia pellit 1091. XIII. Capuam obsidet & capit 1097. VII. quo anno *ibid.* VIII. Urbanum PP. & S. Anselmum Cantuariensem Archiep. honorificè suscipit *ibid.* Moritur 1101. X.

Rogerius à Roberto Guiscardo patre in Illyricum missus Aulonem & Buthrotum occupat 1084. XIII. Roberto patri in Apuliæ Ducatum succedit 1085. X. Cum Boamundo fratre pacem facit 1088. IV. Barium, Tarentum aliasque urbes ei tradit *ibid.* Moritur 1111. VIII.

Rogerius Rogerii Calabriæ & Siciliæ Ducis frater fit Dux Calabriæ & Siciliæ 1101. X. Willelmi Apuliæ Ducis ditiones occupare tentat 1121. VI & *seq.* Willelmo mortuo substitui petit 1127. I & *seq.* à Salernitanis civibus recipitur *ibid.* III. Recipitur & in reliqua Apulia *ibid.* IV. Ab Honorio II PP. excommunicatur *ibid.* V. Nec vi nec muneribus Honorium flectere potest *ibid.* VII. In Concilio Trojano ab Honorio II iterum excommunicatur *ibid.* IX. Se ad bellum parat *ibid.* X. In Apuliam redit 1128. I. Cum Honorio PP. pacem facit *ibid.* IV. Ab eo Apuliæ Dux creatur *ibid.* IV & *seqq.* Honorio hominium facit *ibid.* Apuliam paulatim sibi subjicit *ibid.* VII & 1129. I & *seqq.* In Siciliam redit 1129. III. Redit in Apuliam & omnia terrore implet *ibid.* V. In Siciliam remeat *ibid.* à Cardinali de Comitibus Anacleti Antipapæ Legato Siciliæ Rex coronatur 1130. XXIX & *seqq.* Duplex ejus coronatio fictitia *ibid.* Ab universis proceribus decernitur Rogerium in Regem promovendum *ibid.* XXXII. Rogerius Siciliæ & Italiæ Regem se dicit *ibid.* XXXIII. Rogerius totam Apuliam sibi subjicit 1132. V. Proceres hortatur ut in sua permaneant fidelitate *ibid.* VI. Ei se subdit Sergius Magister militum Neapolis & ab eo deficit *ibid.* VII. Rogerius Mathildem sororem Ranulphi Comitis uxorem in Siciliam mittit *ibid.* VIII. Salernum redit *ibid.* IX. Ab eo Apuliæ Magnates deficiunt 1133. IX. Rogerius sævit in conjuratos *ibid.* X. Varia oppida expugnat *ibid.* XI. Aliqua funditus destruit *ibid.* XII. Neapolim debellare tentat 1134. XXII. Capuanum Principem sibi subjicit *ibid.* XXIII. Beneventum occupat *ibid.* XXIV. Tum Capuam & alia oppida *ibid.* XXV. Ejus uxores 1135. XIII. Rogerius ægrotat & falsus rumor de ejus morte magnorum motuum causa *ibid.* XIII & *seqq.* Summo cum Gaudio in Apulia recipitur *ibid.* XVII. Aversam capit & evertit *ibid.* XVIII. Neapolis suburbana depopulatur *ibid.* XIX. Eam frustrà obsidet *ibid.* XX. Pisanos male habet *ibid.* XXII. Beneventum petit *ibid.* XXIII. Alphonsum filium Capuæ Principem designat *ibid.* XXIV. Alios liberos habuit *ibid.* XXV. Pergit ad monasterium Telesinum *ibid.* XXVI. Neapolim obsidet 1136. IV. Amissa in Apulia recuperat 1137. IX. à Ranulpho Duce vincitur *ibid.* XI. & *seq.* Cum S. Bernardo de Schismate sedando frustra tractat *ibid.* X & XII.

Rogerius Innocentium II Pontificem agnoscit 1138. III. Rogerii gesta in Apulia *ibid.* IV & *seq.* Rogerius in Concilio Lateranensi II œcumenico excommunicatur 1139. VIII. Innocentium II PP. capit *ibid.* XIV & *seq.* Ab eo Siciliæ Rex declaratur *ibid.* Barium capit *ibid.* XVII. Neapolitanos se submittentes recipit *ibid.* XVIII. Vindictâ de inimicis sumptâ Panormum transfertur *ibid.* XVII. Rogerii cum Innocentio PP. dissidium componitur 1140. X & *seq.* Rogerius iterum ab eo dissidet ob monetarum immutationem *ibid.* XII. Rogerii gesta in regno Neapolitano 1144. VI & *seq.* Rogerius Willelmum filium Tarenti Principem Capuæ principatu donat *ibid.* VII. Africam minorem sibi subjicit 1146. XXV. Tripolim & alias urbes Saracenis eripit 1147. XXVI & *seq.* In Græciam expeditionem suscipit 1148. XVI. Ejus uxores & filii 1150. IV & *seq.* Rogerius Willelmum filium Apuliæ Regem dicit *ibid.* Imperatorii nominis valde cupidus fuit 1152. X. Anno MCLII mortuus non est 1152. VII & 1153. IX. Tunetum & alias urbes in Africa expugnat 1153. XVI. Moritur 1154. IV. Annus mortis ejus probatur *ibid.* IV & *seq.* Inter illustriores Principes numerari debet *ibid.* VI.

Rogerius Tancredi filius Siciliæ Rex coronatur 1191. VII. Nubit filiæ Isaaci Angeli Imperatoris Græcorum 1193. III. Moritur 1194. V.

Rogerius Magister Hospitalariorum à Balduino IV Jerosolymorum Rege pro subsidio Terræ sanctæ in Occidentem mittitur 1184. V. In Galliam venit 1185. VIII & *seq.* Inde in Angliam *ibid.* X & *seq.* à Saladino interficitur 1187. III.

Rolandus Paparo Senensis fit Cardinalis presbyter tituli S. Marci ab Eugenio PP. 1145. XI. quo tempore dictus sit Cancellarius Romanæ Ecclesiæ *ibid.* X & *seq.* Pontifex Romanus eligitur & Alexander III appellatur 1159. VI. Non fuit Monachus Cisterciensis, sed Canonicus Pisanus *ibid.* IX. Ab Orientali Ecclesia verus Pontifex agnoscitur *ibid.* XI & 1161. II. In Conciliabulo Papiensi rejicitur 1160. I. Ab omnibus Regibus præterquam à Frederico recipitur *ibid.* II. & 1162. I. Ejus electionem legitimam Antipapæ verò vitiosam ostendit Ailredus Rievallensis Abbas 1160. III & *seqq.* Fredericum Imp. excommunicat *ibid.* VI. Gesta ab eo in Campania *ibid.* XII. Alexander à Regibus Franciæ & Angliæ Pôtifex agnoscitur 1161. I. Scribit ad Arnulphum Lexoviensem Episc. & narrat quam male Fredericus Imp. Ecclesiæ Rom. sit affectus *ibid.* III. Victoris Antipapæ intrusionem ipsi adscribit *ibid.* IV. In Concilio Tolosano solemniter recipitur à Francis & Anglis *ibid.* IX & *seqq.* à Manuele Græcorum Imp. agnoscitur *ibid.* XIII. Item à Geisa II Hungariæ Rege *ibid.* XVIII.

Alexander III in Galliam venit 1162. I. Cum Ludovico Rege apud Silviniacum colloquium habet *ibid.* III & *seq.* Laudunensi Conventui interesse recusat *ibid.* VI. Monspelii Concilium celebrat & Victorem Antipapam excommunicat *ibid.* XX. Convenitur ab Oberto Mediolanensi Archiep. & à S. Galdino *ibid.* XXIV & *seq.* Parisios pergit 1163. I. & XI. Claromontanum Concilium celebrat *ibid.* I. Item Concilium Turonense *ibid.* II & *seqq.* aliquo tempore manet in monasterio Dolensi *ibid.* XI. Inde Senonas pergit & ibi longam moram facit *ibid.* X. S. Canutum Juniorem Sanctorum catalogo adscribit 1164. XII & *seq.* Rugiam insulam Absoloni Episcopo Roschildensi subjicit *ibid.* Theologiæ puritati in Francia consulit *ibid.* XXI. Pa-

risios

riſios iterum pergit *ibid.* XXIII. Remis Concilium celebrat pro Terræ ſanctæ ſubſidio *ibid.* XXV *& ſeqq.* In Siciliam & inde Romam redit 1165. VIII. *& ſeq.* S. Galdinum Cardinalem Presbyterum ordinat *ibid.* VIII. Romæ cum magno gaudio excipitur *ibid.* IX. Legatos in Angliam mittit pro cauſa S. Thomæ 1166. XV *& ſeq.* & 1167. XIX. Româ à Frederico Imp. obſeſſa Beneventum fugit 1167. I. *& ſeq.* Willelmi II Siciliæ Regis Legatos ſuſcipit *ibid.* XIII. Fredericum Imp. in Concilio Romano excommunicat 1168. VII. S. Galdinum Archiep. Mediolanenſem Sedis Apoſt. Legatum creat *ibid.* Manuelis Græcorum Imp. poſtulata rejicit *ibid.* XII & 1170. IV. Alios Legatos pro reconciliatione S. Thomæ cum Henrico Angliæ Rege mittit 1169. I. Scribit ad Henricum Regem *ibid.* I *& ſeq.* Tuſculanam civitatem recipit 1170. IV. Item Alexandriam Palearem dictam *ibid.* VI. Henricum Angliæ Regem à cæde S. Thomæ per Legatos abſolvit 1172. I. Cum Romanis pacem facit *ibid.* IV. S. Thomam canonizat 1173. I. Acta in Comitiis Ratiſponenſibus contra Adalbertum Archiep. Saltzburgenſem caſſat 1174. IV. Ricardum Archiep. Cantuarienſem conſecrat *ibid.* VI. Ad petitionem Willelmi II Siciliæ Regis ingentia privilegia concedit monaſterio Montis Regalis *ibid.* IX. S. Petro Tarantaſienſi Archiep. jubet ut agat de pace inter Franciæ & Angliæ Reges *ibid.* X.

S. Bernardum Abbatem Claræ vallenſem canonizat 1174. XIV. Hugutionem Card. Legatum in Angliam mittit 1175. II. Alexandriam Epiſcopatu ornat *ibid.* S. Jacobi militiam in Hiſpania confirmat *ibid.* V. Concilium Lumbarienſe contra Valdenſes hæreticos celebrari curat 1176. II. Frederici Imp. legationem pro pace recipit *ibid.* V *& ſeqq.* Vivianum Card. Legatum in Hiberniam mittit 1176. XIV. Fredericum Imp. ad obedientiam redeuntem honorificè ſuſcipit 1177. I *& ſeq.* Presbyteri Joannis Indorum Regis litteras recipit *ibid.* III. Ad eum ſcribit & medicum ſuum mittit *ibid.* IV *& ſeq.* Calliſtum III Antipapam honorificè ſuſcipit 1178. I. Innocentium III Antipapam in cavea includi jubet *ibid.* II. Romam redit *ibid.* III. Lateranenſe Concilium III Oecumenicum celebrat 1179. I. *& ſeqq.* Poſt illud Concilium Petrum Lombardum damnavit *ibid.* XIII. Regis titulum Alphonſo Portugalliæ Principi concedit *ibid.* XV. Chriſtianos Principes hortatur ut Terræ ſanctæ auxilium ferant 1180. II. Gaufridum Henrici II Angliæ Regis filium nothum Epiſcopatui renunciare cogit, vel ſacros ordines ſumere 1181. I. Moritur *ibid.* II. Alexander III canonizationes ſanctorum Apoſtolicæ Sedi reſervavit 993. VI.

Rolandus Tarviſenſis Epiſcopus ſchiſmaticus in Concilio Romano VII ſub Gregorio PP. deponitur 1080. II.

Rolandus Dolenſis in Britannia minori Archiepiſcopus eligitur 1182. I. Cum Turonenſi Archiep. de jure Metropolico contendit *ibid.* I *& ſeqq.* à Lucio III dictus eſt Cardinalis & quo anno *ibid.* V. Armoricus fuit non Senenſis *ibid.*

Roma ab Ottone Imp. obſidetur & capitur 964. III. Roma Imperatoribus Occidentis ſubdita erat 968. XIII. à Frederico Imp. obſidetur 1167. I *& ſeq.* Peſte affligitur *ibid.* VIII *& ſeq.* Item magna mortali. 1182. VI.

Romani pro antiqua libertate recuperanda tumultuantur 974. II. In Innocentium II PP. rebellant 1142. XIII. Lucium II vexant *ibid.* VI. Jordanum Petri Leonis filium Patricium creant eique tributa ſolvunt *ibid.* VIII. Lucium PP. è Capitolio ejiciunt & lapidibus obruunt 1145. I. Antiquæ Reipublicæ formam reſtituere nituntur *ibid.* VI. In Eugenium PP. rebellant 1145 VI. 1146. I & 1150. I. Cum eo pacem faciunt 1152. I. Paſchalem Antipapam in urbe recipere recuſant 1167. X. Lucium III PP. urbe pellunt 1183. I. & 1184. I *& ſeq.* Urbanum III PP. vexant 1186. VIII. Cum Clemente III PP. pacem faciunt 1188 XI.

Romani Pontifices poſt renovationem imperii ſupremum Urbis dominium in Imperatores tranſtulerunt 962. II.

Romani Pontificis ordinationem coram Legatis Cæſareis fieri ſtatuitur 962. III *& ſeq.* & 1014. I.

Romanus Pontifex poterat eligi etiam diſſentiente Imperatore 999. IX.

Romanus Pontifex à nemine judicari poteſt 964. II.

Romanum Pontificem eligendi facultas à Leone VIII non eſt conceſſa Ottoni Imp. 964. VI *& ſeq.*

Romanus Pontifex ſine Imperatoris auctoritate creatur mortuo Ottone M. 974. II. Iterum ordinatur præſentibus Legatis Cæſareis 975. III.

à Romano Pontifice emanat jus Electorum imperii Romani 996. XI.

Romanus Pontifex poteſt approbare aut reprobare electiones Imperatorum 996. XV.

Romani quidam Pontifices licet ſimoniaci inter legitimos Pontifices Rom. numerantur 1044. III *& ſeqq.*

Romani Pontificis conſecratio explicatur 1049. VI & 1191. V. Diverſa erat ab inthronizatione 1049. VI. Romani Pontificis conſecratio fiebat in Eccleſia S. Petri *ibid.* Inthronizatio in Baſilica S. Joannis Lateranenſis *ibid.*

Romani Pontificis electio Cardinalibus attribuitur 1059. IV. Imperatori notificari debet *ibid.* IV *& ſeq.* Ad ſolos Cardinales reſtringitur 1185. XIII. Lex lata de duobus tertiis ſuffragiorum executioni mandatur *ibid.*

Romanos Pontifices coronandi mos antiquus 1049. VI & 1073. V.

Romanum Conciliabulum Joannem XII Papam deponit & Leonem VIII intrudit 963. I *& ſeq.*

Romanum Concilium ſub Joanne XIII PP. 969. XI.

Romanum Concilium confirmat Londinenſe 971. I.

Romanum Concilium ſub Benedicto VII PP. 983. IX. In eo leguntur canones adverſus ſimoniacos editi *ibid.* X. Quo anno celebratum ſit *ibid.* XI *& ſeq.*

Romanum Concilium in cauſa Adalberti Pragenſis Epiſcopi 989. I & 994. VI.

Romanum Concilium à Gregorio V celebratur 996. VIII. S. Adalberto injungit ut ad Epiſcopatum redeat *ibid.* Herluini Cameracenſis Epiſcopi querelam ſuſcipit *ibid.* IX. Septem Electorum inſtitutio ad hoc Concilium non eſt referenda *ibid.* X *& ſeqq.*

Romanum Concilium ſub Gregorio V Roberti Francorum Regis cum Berta conjugium reprobat 998. IV. Epiſcopos qui huic conjugio interfuerant à communione ſuſpendit *ibid.* In duo perperam diviſum 999. IV. Ejus canon IV eſt de Giſilerio Magdeburgenſi Archiep. *ibid.*

Romanum Concilium ſub Benedicto IX PP. 1033. VII.

Romanum Concilium ſub Clemente II PP. adverſus ſimoniacos 1047. I. Ravennenſi Epiſcopo ſecundum à Romano Pontifice locum tribuit *ibid.*

Romanum Concilium primum ſub S. Leone IX PP. 1049. X.

Romanum Concilium II S. Gerardum Tullenſem Epiſc. in Sanctorum numerum refert 1050. II. Berengarium damnat *ibid.* VI. Lanfrancum abſolvit *ibid.* VII. Hujus Concilii epocha *ibid.* VIII. In eo Epiſtola Berengarii ad Lanfrancum lecta *ibid.* IX.

Romanum Concilium III sub S. Leone Gregorium Vercellensem Episc. excommunicat 1051. I.

Romanum Concilium quartum sub S. Leone 1053. IV Litem dirimit inter Gerundensem & Forojuliensem Episcopos 1050. IV.

Romanum Concilium sub Victore II PP. 1057. IV.

Romanum Concilium sub Nicolao II PP. 1059. II. In eo Berengarius hæresim abjurat *ibid.* In eo electio Romani Pontificis Cardinalibus attribuitur *ibid.* IV.

Romanum Concilium secundum sub Nicolao PP. 1059. VI *& seqq.*

Romanum Concilium sub Alexandro II PP. 1063. II.

Romanum Concilium IV sub eodem Papa 1070. XVII. Vissegradensis monasteris fundationem confirmat *ibid.*

Romanum Concilium quintum sub eodem Gothofredum Ecclesiæ Mediolanensis invasorem excommunicat 1073. XI.

Romanum Concilium primum sub Gregorio VII edit decreta contra Sacerdotes simoniacos & incontinentes 1074. IV *& seq.* Gothofredum Ecclesiæ Mediol. invasorem excommunicat 1073. XII. Item Robertum Calabriæ Ducem ob Beneventi obsidionem 1074. VIII.

Romanum Concilium II adversus investituras coactum 1075. I *& seqq.* Decretum etiam edit contra Sacerdotes fornicarios *ibid.* VIII.

Romanum Concilium III Henricum Germaniæ Regem deponit & excommunicat 1076. IV.

Romanum Concilium IV sub Gregorio PP. 1078. I. Legatos in Germaniam mittit pro terminanda causa Henrici & Rodulphi Regum *ibid.* I & III.

Romanum Concilium V sub Gregorio 1078. III. In eo Legati Henrici & Rodulphi jurant se colloquium Legatorum Sedis Apost. non impedituros *ibid.* In eo Berengarius auditur & secundam fidei professionem emittit *ibid.* IV *& seq.*

Romanum Concilium VI in quo Berengarius hæresim iterum abjurat 1079. I *& seq.*

Romanum Concilium VII sub Gregorio 1079. I. Henricum Regem excommunicat *ibid.* II. Tres Episcopos simoniacos deponit *ibid.* Rodulphum in Regia dignitate confirmat *ibid.* Decretum Concilii Romani secundi de investituris confirmat *ibid.*

Romanum Concilium VIII Henrici Regis excommunicationem confirmat 1081. I.

Romanum Concilium IX sub Gregorio 1083. V.

Romanum Concilium X sub Gregorio Henricum Regem & Guibertum Antipapam anathematizat 1084. XII. Romanum Concilium primum sub Urbano II Papa 1089. I.

Romanum Concilium II sub eodem Papa quo anno celebratum 1098. I *& seqq.* & 1099. VIII. Joannis Morinorum Episcopi electionem confirmat 1098. IV.

Romanum Concilium sub Paschali II PP. Brunonem Trevirensem Archiep. per manum laicam investitum deponit 1104. XI. Illum in sedem restituit *ibid.* Romanum Concilium in quo Fredericus Imp. deponitur & ab Alexandro III excommunicatur 1168. VI.

Romanum officium ægrè in Aragonia recipitur 1060. II. 1063. X. 1064. VI & 1073. VIII. In Comitatu Barcinonensi recipitur 1064. VII. Recipitur & in ditionibus Alphonsi Legionis & Castellæ Regis 1090. II & 1101. IX.

Romanus Junior Græcorum Imperator moritur 963. IV.

Romanus Argyrus à Constantino Imp. cogitur ut dimissa uxore Zoën filiam suscipiat 1028. XI. Eo hæsitante uxor ejus seculo renunciat *ibid.* Romanus Zoën uxorem ducit *ibid.* Constantino Imp. succedit *ibid.* XII. Ejus virtutes *ibid.* Romanus infaustam expeditionem in Saracenos suscipit 1030. III *& seq.* Cum Calepensibus fœdus init 1031. III. Templum Jerosolymitanum instaurare incipit *ibid.* IV. à Zoë uxore veneno conficitur 1034. XII. Zoës obscœnos amores toleravit & quare *ibid.* XIV.

Romanus Diogenes fit Imperator 1068. V. In Turcas bellum movet *ibid.* VI. Ab iis vincitur, capitur, & in libertatem asseritur 1071. VII. Excæcatur & in monasterium truditur *ibid.* IX. Moritur *ibid.*

Romanus Petri Bulgarorum Regis filius Constantinopoli aufugit 973. XII. Constantinopolim redit *ibid.* Scopias urbem Basilio Imp. tradit 1001. IV. à Basilio fit Patricius & Abydi oppidi præfectura donatur *ibid.*

S. Romualdus Camaldulensis Ordinis fundator vitæ Ereniticæ tyrocinium ponit 977. I. Moritur 1027. VI.

Romualdus Salernitanus floret 1179. XXII.

Roscelinus Compendiensis Canonicus Nominalium Auctor vulgò habetur 1094. XII. Ejus error de mysterio Trinitatis *ibid.* Roscelinus in Concilio Suessionensi damnatus & errorem abjurat *ibid.* XIII. Ad vomitum redit *ibid.* Contra eum scribit S. Anselmus postea Cantuariensis Archiep. *ibid.* XII *& seq.* Roscelino suadet Ivo Carnotensis Episc. ut palinodiam canat *ibid.* XIV. Roscelinus culpatur à quodam Theologiæ Professore *ibid.* XV. Presbyterorum filios ad sacros ordines non promovendos censet 1095. IX. Refellitur à Theobaldo Stampensi *ibid.* IX *& seq.*

Rosierus Auctor libri de stemmate Lotharingico nihili faciendus 1070. VII & XVI.

Rotomagense Concilium adversùs Berengarium 1063. VI.

Rotomagense alterum Concilium viginti quatuor canones condit 1072. VII.

Rotomagense Concilium in quo Claromontanum confirmatur 1096. XVIII. Treugam Dei custodiri statuit *ibid.*

Rotomagense alterum Concilium 1118. XIV & XXI.

Rotomagense Concilium à Matthæo Albanensi Apostolicæ sedis Legato celebratur 1128. XVI *& seq.*

Rotomagense Concilium à Waltero de Constantiis Rotomagensi Archiep. cogitur 1190. XVIII.

Rotrocus Comes Perticensis jura possessionis ad Hugonem Puteolensem Vicecomitem pertinentis invadit 1104. IX. Accusatur apud Paschalem PP. *ibid.* Ejus controversia dirimitur ab Ivone Carnotensi Episcopo *ibid.* Rotrocus B. Bernardo Abbati Tironiensi locum dat pro construendo monasterio 1108. V. Tutelam Saracenis eripit 1114. XV. In fortitudinis præmium eam ab Alphonso Aragoniæ Rege recipit *ibid.* Eam tradit Garsiæ Ramirez regni Navarræ restauratori cum Margarita nepte sua in conjugem *ibid.* XVII.

S. Rudesindus Dumiensis Episc. Episcopatûs Compostellani administrationem reluctans suscipit 967. XII. Normannos è Gallæcia expellit & Mauros reprimit *ibid.* à Siloando Episcopatu pellitur 970. XI. fit Monachus & postea Abbas *ibid.* Moritur 977. III. à Cœlestino III PP. inter sanctos refertur *ibid.* IV.

S. Rufi Abbatia Canonicorum Regularium Avenione fundatur 1039. VIII *& seqq.* Valentiam transfertur 1151. XII.

Rugiani idololatriæ addicti 1164. XIV. à Valdemaro Daniæ Rege vincuntur *ibid.* XV. Fidem christianam amplecti coguntur *ibid.* XV *& seq.* & 1168. XXII. Rugianorum conversionis epocha 1164. XVII.

Rugia insula Absoloni Roschildensi Episcopo ab Alexandro III in spiritualibus subjicitur 1164. XII *& seq.*

Rupertus Tuitiensis Abbas prope Coloniam floret 1111. IX. Auctor est librorum XII de Divinis Officiis *ibid.* De Eucharistiæ sacramento rectè sensit *ibid.* Mortis ejus annus *ibid.*

Russi seu Mosci Joannis Tzimiscis Imp. Legationem spernunt 970. III. Ab ejus ducibus vincuntur *ibid.* IV. Ab eodem Imperatore bello appetuntur 971. VIII. Ab eo vincuntur *ibid.* XI *& seq.* Iterum à Joanne Tzimisce profligantur 973. VIII *& seq.* Pacem cum eo ineunt *ibid.* X. Russi fiunt Christiani 987. VI. Fidem à Græcis tunc Catholicis acceperunt *ibid.* IX. Quo tempore facti sint schismatici *ibid.* Cerularii schismati non adhæsêre 1075. XIII.

Russis Prisciæ vicinis Evangelium annunciat S. Bonifacius 997. II. Item S. Bruno *ibid.* IV.

S.

S. *Saba* monasterium Romanum à Lucio II PP. Cluniacensi Abbati committitur 1144. V.

S. Sabini Episcopi Canusini Reliquiarum inventio 1091. VII.

Sabionensis Sedes à S. Albino Episcopo Brixinam in Tirolium transfertur 1015. VI.

Sacerdotes Simoniaci & concubinarii fremunt contra primam Synodum Romanam Gregorii VII PP. 1074. V *& seq.* Decretum Concilii Romani II rejiciunt 1075. IX.

Saladinus fit totius Ægypti Princeps 1172. VII. Mortuo Noradino uxorem ejus sibi matrimonio copulat 1173. IV. Noradini regnum occupat *ibid.* IV *& seq.* à Crucesignatis profligatur 1177. XXII. Crucesignatos male habet 1180. II. Jerosolymitanum regnum devastat 1184. V. Scribit ad Lucium III PP. De captivorum redemptione *ibid.* VI. post ruptas à Crucesignatis inducias in Palæstinam irruit 1187. II *& seq.* Sanctam Crucem & Guidonem Regem capit *ibid.* IV *& seq.* Ejus virtutes *ibid.* VI. Saladinus victorias suas prosequitur *ibid.* VIII. Jerosolymam obsidet & capit *ibid.* IX *& seq.* à Conrado Montis Ferrati Marchione vincitur 1189. VI. Tyrum frustra obsidet *ibid.* Moritur 1193. XI.

Salegunstadiensis Synodus ad Mænum celebratur 1022. V. Plurium quam trium in die missarum celebrationem prohibet *ibid.*

Salernitana Schola celebris habetur 1087. XIII.

Salernum à Saracenis frustra obsidetur 1016. V.

Salomon Andreæ Hungariæ Regis filius invasâ à Bela Hungaria ad Henricum Germaniæ Regem à patre mittitur 1061. X. Ab Henrico in regnum restituitur 1063. VII. Juditham Henrici sororem uxorem ducit *ibid.* & 1066. VII. à Geisa regno pellitur 1075. XII.

Salomonis nomen loco nominis Papæ ab Aquitanis usurpatum 964. V.

Salvus Abbas Albaildensis in regno Navarræ floret & moritur 962. IX. Ejus Opera *ibid.*

Sampirus Asturicensis Episcopus Chronicon suum in morte Ramiri III Legionis Regis absolvit 985. VI.

Samson Archiepiscopus Remensis ab Eugenio III Pallio privatur & quare 1146. VII. Ludovico VII ad bellum Sacrum proficiscente Sugerio adjungitur in regni regimine 1147. I. Moritur 1162. XIV.

Samuel Petri Bulgariæ Regis frater Græcorum Provincias incursionibus vexat 973. XII & 981. II. In eum Basilius Imp. expeditionem infaustam suscipit 981. II. Samuel ab Urano Basilii Imp. Duce profligatur 995. VI. à Basilio Imp. sæpius vincitur 1001. IV. à Basilio victus & Bulgaris captivis ab eodem Basilio excæcatis moritur 1014. VII.

Sancius Crassus Legionis Rex Sisnandum Episcopatu compostellano pellit & S. Rudesindum ei præficit 967. XII. Moritur *ibid.*

Sanctia Veremundi III Legionis Regis soror Ferdinando postea Castellæ Regi nubit cum jure successionis in regnum Legionis 1037. IV.

Sanctius II Abarca dictus fit Rex Navarræ 970. XII. Ejus uxor Urraca dicta *ibid.* Sanctius post annum CMXCII mortuus est 996. XVIII.

Sanctius III Major dictus Garsiæ III Patri in regnum Navarræ succedit 996. XIX. In urbem Angeriacam pergit ad venerandum caput S. Joannis Baptistæ 1018. V. Hispaniam Saracenicam devastat 1027. VII. Pampilonæ Concilium celebravit 1032. III. Primus Soprarbæ & Ripacurciæ Rex fuit *ibid.* V. Tria regna pro tribus filiis instituit *ibid.* VII Moritur *ibid.* VI.

Sanctius IV fit Rex Navarræ 1054. XII. Ab eo petit Gregorius VII officium Romanum in regno Navarræ recipi 1074. X & XII. Occiditur 1076. XII.

Sanctius cognomento *Sapiens* Garsiæ Ramiro patri in regnum Navarræ succedit 1150. VIII. Cum Alphonso VIII Castellæ Rege inducias facit 1167. XXXIII. Apud Henricum II Angliæ Regem queritur quod Alphonsus eas ruperit 1173. III. Henrici Regis operâ cum Alphonso reconciliatur 1177. XXI & 1179. XVIII. Moritur 1194. XIV.

Sanctius cognomento *Fortis* fit Navarræ Rex 1194. XIV.

Sanctius Ramiri filius fit Aragoniæ Rex 1063. X. Romanum Officium in Aragonia recipi curat *ibid.* & 1064. VI & 1073. VIII. Foros seu Leges municipales condit 1074. XIII. Sedi Apostolicæ se tributarium facit *ibid.* Fit Rex Navarræ 1076. XII. Cum Saracenis ad Tudelam pugnat 1084. XVI. Oscam obsidens à Petro filio occiditur 1094. XXI.

Sanctius Samora dictus Ferdinandi M. filius fit Castellæ Rex 1065. III. Cum Alphonso fratre Legionis Rege Garsiam fratrem regno spoliat 1071. XVIII. Alphonsum fratrem bello impetit & in monasterium trudit *ibid.* XVIII *& seq.* Rodericum Diaz vulgò *Cidum* vexilliferum suum creat *ibid.* XIX. Occiditur 1072. XII.

Sanctius Alphonsi VII Hisp. Imperatoris filius nubit Blancæ Garsiæ Ramiri Navarræ Regis filiæ 1140. XXIV. Castellæ Rex à Patre designatur 1152. XVII. Patri in regnum illud succedit 1157. VII. Moritur 1158. VIII.

Sanctius fit Portugalliæ Rex 1185. XVIII. Algarbiam & Sylviam urbes Saracenis eripit 1188. XVIII.

Sanctius Infans Alphonsi VI Regis Legionis & Zaidæ filius in Prælio contra Almorabitas occiditur 1108. VI.

San-Dionysianum Concilium pro decimis restituendis 997. XII. De seditione in eo orta se purgat Abbo Floriacensis Abbas *ibid.* XIII.

Saphadinus Saladini frater scribit ad Lucium III PP. De captivorum redemptione 1184. VII. Cum Saladini filiis regnum partitur 1193. XI.

Saraceni Græcos in Sicilia vincunt 963. XII à Nicephoro Phoca Imp. vincuntur 964. VIII *& seq.* Nicephori Imp. Duces in Sicilia profligant 965. XVII *& seqq.* Cum Græcis pacem faciunt *ibid.* XIX. Tauromenium, Rametham & Consentiam capiunt *ibid.* Saraceni à Willelmo Provinciæ Comite profligantur & è Fraxineto pelluntur 972. IV *& seqq.* Saraceni in Syria à Joanne Tzimisce debellantur 974. III *& seq.* & 975. VII *& seq.*

Saraceni in Hispania Barcinonem & Legionem expugnant 985. VII. Saraceni Materam expugnant 994. VII. Frustra Barium obsident 1002. XIII. Templum Jerosolymitanum evertunt & Christianos crudeliter vexant 1009. IV *& seqq.* Christianos ad Cordubam vincunt 1010. I. Salernum frustrà obsident 1016. V. Ex Hetruria &

ria & Sardinia pelluntur *ibid.* X. In Sicilia bellis civilibus inter fe digladiantur 1016. X I. In Hifpania è Normannis vincuntur 1018. I V. Romanum Argyrum Imp. profligant 1030. III *& feq.* In Sicilia vincuntur 1032. X I. Iterum à Chriftianis profligantur 1033. XII. A Ferdinando Caftellæ Rege multis urbibus in Lufitania pelluntur 1038. VIII. Saraceni inter fe divifi à Turcia fubiguntur 1048. VII.

Saracenorum nova fecta *Almorabitarum* dicta exoritur 1058. XVI. Saracenorũ res in Sicilia funt in peffimo loco 1060. VIII Normannis pluries vincuntur 1061. VIII *& feq.* In Saracenos Hifpaniæ expeditionem Franci fufcipiunt 1062. XI. Saraceni in Sicilia ad magnas anguftias redacti *ibid.* X I I. Saraceni à Pifanis vincuntur 1063. V I I I. A Rogerio Calabriæ Comite femel & iterum profligantur 1063. I X. Inter Saracenos bellum exoritur 1066. XII. Saraceni in Calabriam & Siciliam excenfiones faciunt 1074. XVIII. Saracenis Tauromenium à Rogerio Calabriæ Comite eripitur 1078. X. In Saracenos Hifpaniæ Franci iterum expeditionem fufcipiunt 1084. X V *& feq.* Saraceni à Chriftiania in Africa & Sicilia vincuntur 1087. I I *& feq.* In eos iterum Franci expeditionem faciunt & Stellam eis eripiunt *ibid.* X I V *& feq.* Saracenis Toletum eripitur 1088. V.

Saraceni ex universa Sicilia pelluntur 1091. XIII. Tum ex infula Melitenfi *ibid.* XIV. A Petro Aragoniæ Rege profligantur 1094. XXII, 1096. XVII & 1100. XVIII. In Hifpania Chriftianos vincunt 1106. X. Lerinenfe monafterium fæpius everterunt 1107. I X. Chriftianos in Hifpania profligant 1108. VI. Ab iis vincuntur *ibid.* XII. Toletum fruftra obfident 1110. IV. Barcinonem obfident 1114. XII. à Raimundo III Barcinonenfi Comite profligantur *ibid.* Ebufum infulam & Majoricam amittunt *ibid.* XIII & 1115. XIV *& feq.* Amittunt & Moriellam in Hifpania 1115. XVIII. Item Cæfaraugustam 1118. XVI *& feq.* In Africa & Hifpania rebellant 1119. XVIII. In Africa à Mahomet Eben Tumart reformantur *ibid.* XIX *& feqq.* Ab Alphonfo Aragoniæ Rege infigni prælio profligantur 1120. X X X I. Iterum ab eodem Rege vincuntur 1123. X.

Saraceni in Syria à Venetis profligantur 1123. XIV. Balduinum Jerofolymorum Regem capiunt *ibid.* X V. A Crucefignatis vincuntur *ibid.* In Hifpania Chriftianos Mozarabes peffimè habent 1124. X X I. Ab Alphonfo Aragoniæ Rege Francis auxiliantibus profligantur 1125. X V *& feqq.* Chriftianos in Catalaunia vincunt 1126. X V. Chriftianos vexant 1128. X X I. Crucefignato vincunt 1130. XLV. Alphonfum Aragoniæ Regem profligant 1134. XXVIII. Saraceni plures in Sicilia fiunt Chriftiani 1141. I I. In Hifpania inter fe digladiantur 1145. XIV *& feq.* Ab Alphonfo VII vincuntur 1146. XXVI *& feq.* A Crucefignatis in Hifpania male habentur 1147. XX *& feqq.* In Africa bellis civilibus lacerantur *ibid.* XXV *& feqq.* A Rogerio Siciliæ Rege multis in locis vincuntur *ibid.* XXVI *& feq.* Tunetum, Tripolim & alias Africæ urbes expugnant 1159. XVIII *& feq.* In Hifpania maxima clade profligantur 1198. VII.

Savinacenfis congregatio fundatur à B. Vitali 1117. XXV. Ciftercienfi unitur 1148. XI *& feq.*

S. Savinianus primus Senonenfis Epifcopus Martyr Conftantiæ Franciæ Reginæ apparet 1018. XI. Ejus corpus à Leotherico Senonenfi Archiep. transfertur 1018. XII & 1029. I.

Saxo Grammaticus Hiftoriam fuam abfolvit 1186. X V.

Saxonia à Leuticis Paganis infeftatur 1033. I. & 1034. XVII *& feqq.*

Saxones ab Henrico Germaniæ Rege malè habentur 1073. I. In Henricum rebellant *ibid.* I I. Caftrum Hartiburgenfe capiunt & diripiunt *ibid.* Ab Henrico Rege vincuntur 1075. X. Hermannum Germaniæ Regem eligunt 1081. V I.

Saxones crucem accipiunt & in Slavos pugnant 1147. XXVIII *& feq.*

Sbigneus fit Poloniæ Dux 1102. VIII.

Schifma inter Gregorium V PP. & Joannem Placentinum Antipapam 996. VI. Finitur 998. XVIII *& feq.* Schifmatis Græcorum initium 1053. X I I *& feq.* & 1054. I.

Schifmatis Ecclefiæ Mediolanenfis initium occafione Clericorum conjugatorum & fimoniacorum 1057. I X *& feqq.* Finem accipit 1076. I X.

Scoti cum Anglis pacem faciunt 1068. II. Anacleto Antipapæ adhærent 1130. XXVIII. Innocentium Papam agnofcunt 1138. XII.

Scoticum Concilium à Viviano Cardinali Apoftolicæ Sedis Legato celebratur 1183. IX *& feq.*

Sebaftocratoris dignitas in quo confifteret 1080. XVIII. A quo inftituta *ibid.*

Seguinus Archiep. Senonenfis Arnulphi Archiep. Remenfis depofitioni non confenfit 992. I I. è Concilio Sandionyfiano aufugit 997. XII. Moritur 1000. VI. Primatum Galliæ Sedi fuæ reftituit *ibid.*

Senefcalli dignitas in Francia eadem cum dignitate Dapiferi & Majoris domûs 1127. XIV.

Senonenfis urbs à Leotherico Archiep. Senonenfi Roberto Franciæ Regi traditur 1015. III.

Senonenfis Archiepifcopus Primatûs Lugdunenfis inftitutioni intercedit 1079. VIII *& feq.* Eum agnofcit 1099. V. Senonenfe Concilium contra Petrum Abaëlardum celebratur 1140. I I I. In eo Petri Abaëlardi dogmata damnantur *ibid.* IV. Hujus Concilii epocha *ibid.* VI. In eo examinatur vifio Henrici Tornacenfis Canonici *ibid.* VII.

Septimi mafculi nullo interjecto partu fœmineo nati fcrophulas curant 1066. III.

Sergius IV Pontifex Romanus creatur 1009. I. Antea os porci vocabatur *ibid.* Moritur 1012. I.

Sergius fit Patriarcha Conftantinopolitanus 999. X. Allelengium tributum aboleri fruftra petit à Bafilio Imp. 1019. III *& feq.* Moritur *ibid.* V. Schifma renovare conatus eft *ibid.* VI.

Sergius Magifter militum Neapolis Rogerio Siciliæ Regi fe fubdit 1132. V I I. Ab eo poftea deficit *ibid.* & 1135. X I V *& feqq.* & 1136. I. In urbe Neapolitana à Rogerio Rege obfidetur 1136. IV. Ad Rogerii partes redit 1137. IX. In Prælio occiditur *ibid.* XI.

Servandus à Gregorio V I I PP. Hipponenfis Epifcopus ordinatur 1076. VII.

Severus Pontio fuccedit in Abbatiam S. Rufi 1116. X I.

Sicilia diffenfionibus turbatur 1161. X V.

Sigebertus Chronographus Gemblacenfis in Brabantia Monachus moritur 1113. XII. Auctor eft Vitæ S. Guiberti Gemblacenfis monafterii fundatoris 962. VII.

Sigefridus Archiep. Moguntinus fcribit Alexandro I I PP. fe in faciem reftitiffe Henrico Germaniæ Regi uxorem repudiare volenti 1069. I. Accufatur à Lamberto Schafnaburgenfi caufam Regis tutum effe *ibid.* Scribit ad Alexandrum PP. fe noluiffe confecrare Carolum Conftantienfis Ecclefiæ Epifcopum defignatum & fimoniacum 1071. I. Fit Legatus Sedis Apoftolicæ & Moguntiæ contra Carolum Concilium congregat *ibid.* I I *& feqq.* Alterum Concilium Moguntiæ celebrat contra Sacerdotes fornicarios 1075. I X. Conciliabuli Wormatienfis in quo Gregorius VII PP. depofitus præcipuus auctor eft 1076. I I. In Prælio contra Henricum Regem à Rodulphi partibus ftans capitur 1078. I I. Hermannum Germaniæ Regem electum ungit 1082. V I I.

S. Sigfridus Episcopus cum sociis Evangelium Danis & Suecis annunciat 1028. IX *& seq.* Non fuit Archiep. Eboracensis *ibid.* X. Vixit usque ad tempora Adalberti Archiep. Bremensis *ibid.*

Sigevulfus Placentinus Episcopus ab Ottone Imp. in exilium mittitur 966. II.

Silva-Majoris Congregatio à S. Geraldo fundatur 1095. XXIII.

Silvanectensis Synodus Adalgerum Presbyterum & Remensis urbis prædatores excommunicat 988. V & 990. V.

Silvester II Papa, *vide* Gerbertus.

Silvester III eodem tempore Romæ sedit quo Benedictus IX & Gregorius sextus 1044. I. Pontificatu pellitur *ibid.* I *& seq.* & 1046. I. Simoniacus fuit 1044. III.

Silvester IV Antipapa, *vide*, Maginulfus.

Simeon Metaphraste Protosecretarius Imperatoris Græcorum 968. XII. Joannis Tzimiscis Imp. tempore adhuc in vivis erat 975. X. Ejus plura Opera *ibid.*

Simon Rogerii Calabriæ & Siciliæ Comitis filius patri succedit 1101. X. Moritur *ibid.*

Simonia grassatur in Germania 1025. II. Maximè etiam grassatur in Italia 1033. VI. Item in Galliâ & alibi 1095. XV.

Sipontinum Concilium à Leone IX PP. celebratur 1050. I.

Siruana à Raimundo IV Barcinonensi Comite expugnatur 1153. XV.

Sisinnius fit Patriarcha Constantinop. 995. V. Moritur 999. X.

Sisnandus à Sancio Crasso Legionis Rege Episcopatu Compostellano pellitur & carceri mancipatur 967. XII. E carcere fugit & S. Rudesindum Episcopatum administrantem pellit 970. XI. Occiditur *ibid.*

Sistaricensis Episcopatus duas Ecclesias Concathedrales complectitur & à quo tempore 1060 V *& seq.*

Slavi à Saxonibus & Danis Crucesignatis bello appetuntur 1147. XXVIII *& seq.*

Sol Eclypsim patitur 968. VI. Solaris altera eclypsis multorum malorum prænuncia 1033. III.

Soprarba & Ripacurciæ regnum à Sanctio III Navarræ Rege instituitur 1032. V & VII. Aragoniæ regno unitur *ibid.* VII.

Sphendosthlabus Helenæ Russorum Reginæ filius in Mysos movet 968. IX. à Moscis Suvatoslavus dictus *ibid.* X. Ex concubina Wolodomirum suscepit *ibid.* Legationem Joannis Tzimiscis Imp. spernit 970. III. A Joannis Ducibus vincitur *ibid.* IV. à Joanne Tzimisce Imp. profligatur 971. XI *& seq.* & 973. VIII *& seq.* Pacem cum eo facit *ibid.* X. Perimitur *ibid.* XII.

Spira cum mero & mixto imperio Spirensi Episcopo subjecta 988. I.

Stampense Concilium contra Ivonem Carnotensem Episc. 1093. IV.

Stampense alterum Concilium à Ludovico VI Francorum Rege cogitur 1130. XXXIV. Anacletum Antipapam rejicit & Innocentio II adhæret *ibid.* XXXV.

Stampensis Conventus à Ludovico VII Franciæ Rege celebratur 1147. I.

S. Stanislaus Cracoviensis Episc. à Boleslao II Poloniæ Rege quem excommunicaverat ad Altare occiditur 1079. X. Ab Innocentio IV PP. canonizatus fuit *ibid.*

Stella à Francis Hispaniæ Saracenis eripitur 1087. XV.

Stephanus IX Papa, *vide*, Fredericus Rom. Ecclesiæ Cancellarius.

Stephanus Carnotensis fit Patriarcha Jerosolymorum 1128. XV. Moritur *ibid.* & 1130. XLV.

Stephanus Presbyter Cardinalis Apostolicæ sedis in Galliis Legatus Turonis Concilium celebrat 1060. VII.

Stephanus Parisiensis Episcopus Ludovicum VI Franciæ Regem excommunicat 1127. XIII. Cum eo in gratiam redit *ibid.* Diversus est à Stephano Anselli Dapiferi fratre *ibid.* XIV. Interdictum Noterii Archidiaconi Parisiensis relaxat 1135. III. Scribit ad Gaufridum Carnotensem Episcopum Apostolicæ Sedis Legatum de cæde Thomæ Prioris S. Victoris Parisiensis *ibid.*

Stephanus Tornacensis Episcopus floret 1190. XX.

S. Stephanus de Mureto Grandimontensem ordinem fundat 1074. XVI. Moritur 1116. V *& seqq.* à Clemente III PP. in Sanctorum numerum relatus fuit *ibid.* VII.

S. Stephanus postea Hungariæ Rex à S. Adalberto Pragensi Episcopo baptizatur 996. VIII. Ab Ademaro dicitur à S. Brunone baptizatus 997. III. Patri in regnum Hungariæ succedit *ibid.* Giulam Transilvaniæ Principem capit & Transilvaniam Christi fidem suscipere cogit 1002. VIII. A Conrado Salico Imp. bello appetitur 1030. I *& seq.* Cum eo pacem facit operâ Henrici Germaniæ Regis *ibid.* II. Moritur 1038. VI. Ejus festum die secunda Septembris celebrandum statuit Innocentius XI PP. *ibid.* S. Stephanus Canadiensem Episcopatum in Pannonia fundavit, eique S. Gerardum præfecit 1042. II.

Stephanus II fit Hungariæ Rex 1114. XIX. Moritur 1131. XX.

Stephanus III fit Rex Hungariæ 1161. XVIII. Moritur 1172. VI.

Stephanus IV paucis mensibus Hungariæ regnum usurpavit 1172. VI.

Stephanus Comes Bononiæ fit Rex Angliæ 1135. XXXVI. Londinii Concilium convocat *ibid.* XXXVII *& seq.* Jurat se servaturum decreta in eo Concilio edita *ibid.* XXXIX. Ejus electio confirmatur ab Innocentio PP. *ibid.* XL. Stephanus à Davide Scotiæ Rege in bello impetitur in favorem Mathildis Henrici Angliæ Regis filiæ 1136. XIV *& seq.* Davidem memorabili prælio vincit 1138. IX *& seq.* ob regni turbationem paucos Episcopos & Abbates ad Concilium Lateranense II Oecumenicum mittit 1139. IV. Cum Davide Scotiæ Rege pacem facit *ibid.* XIX. Henrico ejus filio Northumbriæ Comitatum dat *ibid.* de commissis in Episcopos pœnitentiam accipit in Concilio Vintoniensi *ibid.* XXI. Frustra agitur de pace inter Stephanum Regem & Mathildem 1140. XIX. Stephanus in prælio contra Mathildis fautores capitur & carceri mancipatur 1141. VI *& seq.* è carcere liberatur *ibid.* XI. Westmonasteriense Concilium adit *ibid.* XII. Oxonium incendit 1141. IX. Oxoniense castellum obsidet & capit *ibid.* IX *& seq.* Theobaldo Archiepiscopo Cantuariensi vetat ne ad Remense Concilium pergat 1148. VIII. Eum Angliâ pellit *ibid.* Cum Henrico Andegavensium Comite pacem facit 1153. XI. Moritur 1154. VIII.

Stephanus Theobaldi IV Campaniæ Comitis filius fit Comes Sancerræ 1152. XV.

Stephanus Heresiarcha Manichæus detectus Aurelianis igne crematur 1017. I *& seqq.*

Stigandus in Concilio Vindleshorensi Archiepiscopatu Cantuariensi deponitur 1070. I.

Suecia sede Metropolitana decoratur 1148. XV. Sueciæ Episcopi Hamburgensi Archiep. subjiciuntur 1133. XX.

Sueno Haroldi Daniæ Regis filius Christi fidem ejurat 980. IV. *& seq.* In patrem rebellat eumque occidit *ibid.* Christianos persequitur *ibid.* è Daniæ regno pellitur & in Angliam irrumpit *ibid.* VI. Vastatâ Anglia in Daniam redit 994. IV. Regnum recipit & fit Christianus *ibid.* V. Henrici viduam uxorem accipit ex qua Canutum filium suscipit *ibid.* Gunildis sororis & Danorum in Anglia proditorie occisorum vindictam me-

ditatur

ditatur 1002. XI & *seq.* Angliam devastat 1003. V. Exestriam funditus destruit *ibid.* Eboracum, Cantuariam & Londinium capit *ibid.* Iterum in Angliam irrumpit 1004. VII. Angliam invadit 1013. III. Angliæ Rex appellatur *ibid.* IV. Ethelredum Regem ex Anglia fugere compellit *ibid.* V. Moritur 1014. V. Ante mortem filium Canutum Regem dicit *ibid.*

Sueno Canuti Angliæ Regis filius à patre Norvegiæ Rex constituitur 1035. VII. Consanguineam uxorem ducit 1043. I. Ei excommunicationem minatur Albertus Hamburgensis Episc. nisi eam dimittat *ibid.* Sueno cum Alberto reconciliatur *ibid.* In Norvegiam irrumpit 1050. XXII. Daniam recipit *ibid.* XXIII. Moritur *ibid.*

Suenus Hardecanuti filius Daniæ Rex in Angliam exercitum mittit ut eam sibi subjiciat 1069. II. Ejus expeditio infelix fuit *ibid.* III. Suenus moritur 1077. XIV.

Suessionense Concilium Roscelini errorem de mysterio Trinitatis damnat 1094. XIII.

Suessionense Concilium à Conone Apostolicæ Sedis Legato celebratur 1114. VII & 1115. VIII. S. Gudefridum Ambianensem Episcopum ad sedem suam redire jubet *ibid.*

Suessionensis Concilii contra Abaëlardum epocha 1121. XIV. In eo Abaëlardus damnatur *ibid.* XV.

Sugerius jussu Ludovici VI Franciæ Regis Gelasium II PP. in Franciam venientem apud Magalonam convenit 1118. XIV. Ejus Legatio ad Callistum II & consecratio in Abbatem S. Dionysii 1120. XVI & *seqq.* Sugerius à Ludovico Rege Innocentio II PP. in Franciam venienti obviam mittitur 1130. XXXVI. Innocentium PP. in suo monasterio honorifice suscipit 1131. V. S. Dionysii Ecclesiam dedicari curat 1140. XXI. S. Dionysii & sociorum Reliquias transfert 1144. XII & *seq.* à Ludovico VII in Orientem proficiscente regni administratione donatur 1147. I. Ecclesiam Parisiensem S. Genovefæ reformat introductis in eam Canonicis Regularibus S. Victoris *ibid.* VI & *seq.* Vitam Ludovici VII non composuit 1151. V. Annus & dies mortis ejus *ibid.* VI.

Suidas Grammaticus floret 975. XIX. Lexicon composuit *ibid.*

Suidgerus Bambergensis Episc. *vide*, Clemens II PP.

S. Suithuni Vintoniensis Episcopi Reliquiarum Translatio 970. X. Miracula tunc patrata *ibid.*

Sultanorum imperium à quo tempore repetendum 1048. VII & *seq.* Sultanus est vox Persica Regem Regum significans *ibid.*

Sutrinum Concilium tres Antipapas deponit 1046. I.

Sutrinum alterum Concilium à Nicolao II PP. celebratur 1059. I. Benedictum X Antipapam deponit *ibid.*

Sybilla cum Theodorico marito Flandriæ Comite Jerosolymam proficiscitur 1157. IX. Ibidem fit Monialis & moritur *ibid.*

Sybilla Jerosolymorum Regina cum quatuor filiis moritur 1189. VII & 1191. XVIII.

S. Symeon Syracusanus Monachus cum Richardo Virdunensi Abbate Jerosolymam pergente amicitiam contrahit 1027. IX. Cum eo in Galliam venit *ibid.* XI. In Gallia floret 1029. III. Cum Poppone Archiep. Trevirensi Jerosolymam pergit *ibid.* IV. Asserit S. Martialem apud Græcos haberi unum ex LXXII discipulis *ibid.* III. Moritur 1037. III. à Benedicto IX fuit canonizatus 1033. V.

Syria à Joanne Tzimisce Imp. incursatur 974. III & *seq.* Syriæ plures urbes ab eo expugnantur *ibid.* & 975. VII & *seq.*

Syrus Presbyter S. Arialdi vitam scripsit 1061. VI & *seq.*

T.

T*Ajus Rilla* fit Calipha Babyloniensis 974. V. deponitur 991. VI.

Tamimus fit Calipha Africæ 1063. IX. Filios cum classe in Siciliam mittit qui à Roberto Calabriæ Duce vincuntur *ibid.* Tauromenio à Normannis obsesso frustra succurrere tentat 1078. X.

Tanchelinus hæreticus occiditur 1115. XVI. Ejus sectatores Antuerpiæ grassantur 1124. XV & 1126. III & *seq.*

Tancredus nepos Boamundi Antiochiæ Principis ei in principatum succedit 1111. VIII.

Tancredus Rogerii Siciliæ Regis filius Bari Princeps à patre dictus 1135. XXV. quo anno mortuus sit 1150. V.

Tancredus Rogerii ducis filius naturalis Siciliæ Rex eligitur 1189. X & *seq.* Rex coronatur 1190. XXI. Laborat ut regnum in pace disponat & rebelles opprimat *ibid.* XXI & *seq.* Rogerium filium Regem coronat 1191. VII. Urbes ab Henrico Imp. captas recuperat *ibid.* IX. Constantiam Imperatricem captivam detinet *ibid.* Cum Cæsareis bellum gerit 1192. XIII. Constantiam libertati restituit *ibid.* XIV. Gesta à Tancredo contra Cæsareos 1193. I & *seqq.* Tancredus moritur 1194. V. Tancredi familiæ exterminium prædixerat B. Joachimus Abbas *ibid.* IX.

Tancredus Archidiaconus Bononiensis Auctor quintæ collectionis decretalium 1185. II.

Tarasia Alphonsi Portugalliæ Comitis mater moritur 1130. LV. Regina dicebatur & quare *ibid.*

Tarraconensis Archiepiscopus Toletani primatum agnoscere cogitur ab Urbano II PP. 1088. VIII.

Tarraconensis Archiepiscopatus restitutionem ab Urbano II petit Berengarius Episcopus Ausonensis 1091. IV. Huic restitutioni intercedit Narbonensis Archiep. *ibid.* V.

Tarraconensi Archiepiscopo jus Metropolicum restituitur *ibid.* V & *seq.*

Tarracona à Raimundo Berengarii III Barcinonensi Comite restituitur, eique B. Oldegarius Archiepiscopus præficitur 1118. XX. Ab Oldegario restauratur 1123. XII. à fœmina defenditur *ibid.* XIII.

Tarracona Aragoniæ urbs à Tarracona Catalauniæ diversa 1120. XXXI.

Tarsum Ciliciæ urbs à Nicephoro Phoca Imp. obsidetur 964. VIII. Iterum obsidetur & capitur 965. XIV. & *seq.*

Tauromenium à Saracenis capitur 965. XIX. Ipsis à Rogerio Calabriæ Comite eripitur 1078. X.

Techesinus seu Tessephinus Almorabitarum Imperator ex Africa in Hispaniam transit 1139. XXV. Variâ fortunâ adversus Christianos bellum gerit *ibid.* XXV & *seq.* Moritur 1145. XIV.

Tedaldus fit Archiepiscopus Mediolanensis ante S. Herlembaldi martyrium 1075. XV & *seq.* Eum consecrari prohibet Gregorius VII PP. *ibid.* XVI. Consecratur *ibid.* XV. à Mediolanensibus suscipitur 1076. X à Concilio Romano VII sub Gregorio PP. deponitur 1080. II. Moritur 1085. V.

Tegula Christi effigie impressa Edessâ Constantinopolim à Nicephoro Phoca Imp. defertur 968. V.

Templarii, *vide*, Equites Templarii.

Teutonicorum Equitum ordo instituitur 1198. II. à Cælestino III PP. confirmatur *ibid.*

Thangvvardo Presbyter S. Epiphanii Ticinensis Episc. Reliquias furatur & ad Otwinum Episcopum Hildensheimensem in Italia existentem mittit 963. XIII. & *seq.*

Theodwinus S. Rufinæ Cardinalis Apostolicæ Sedis in Germania Legatus 1135. XI & XXXIV.

Theobaldus Bucapecus Cardinalis tituli S. Anastasiæ sub

Cælestini II nomine Papa electus eodem die abdicat 1124. XIII & 1124. X.

Theobaldus Beccensis Abbas fit Archiepiscopus Cantuariensis 1138. XIII. Adest Concilio II Lateranensi Oecumenico 1139. V. Contra Stephani Regis voluntatem ad Concilium Remense pergit 1148. VIII. Anglia exire jubetur *ibid.* Londinii Concilium celebrat 1151. XI. pacem conciliat inter Stephanum Angliæ Regem & Henricum Comitem Andegavensem 1153. XI. Ejus precibus & consilio S. Thomas fit regni Angliæ Cancellarius 1158. VII. Theobaldus moritur 1161. VII & 1162. XXI.

Theobaldus Abbas S. Germani Parisiensis à Ludovico VII Franciæ Rege ad Alexandrum III in Galliam venientem mittitur 1162. I. moritur *ibid.* V.

Theobaldus Archidiaconus Parisiensis, *vide,* Noterius.

Theobaldus Stampensis Oxoniæ in Theologia professor censet contra Roscelinum Presbyterorum filios ad sacros ordines promovendos 1095. IX *& seq.*

Theobaldus Adelberti Tusciæ Marchionis filius Hugoni succedit in Tusciæ Ducatum 1002. IV. Bonifacium Alberti filium successorem habet *ibid.* IV *& seq.*

Theobaldus Blesensis & Campaniæ Comes rebelles in Ludovicum VI Franciæ Regem tuetur 1115. XIX *& seq.* Henricum Regem Angliæ in auxilium vocat 1116. XIV *& seq.* de Theobaldo queritur Ludovicus Rex *ibid.* XVI. Et quidem ob captionem Willelmi II Nivernensis Comitis *ibid.* XVII. Nisi Comitem Nivernensem reddat excommunicatur *ibid.* Theobaldo bellum infert Ludovicus VII Franciæ Rex & quare 1141. IV. Theobaldus à S. Bernardo laudatur quod Radulphi Veromanduorum Ducis divortium improbet 1142. II. Cum Ludovico pacem facit 1143. I & VII. Moritur 1152. XIV. Ejus filii & virtutes *ibid.* XV.

Theobaldus Theobaldi superioris filius fit Comes Carnotensis & Blesensis 1152. XV.

Theodora Constantini Porphyrogennetæ filia Joanni Tzimiscæ Imp. nubit 970. VI.

Theodora Constantini Imp. filia à Zoë Augusta sorore in monasterium truditur 1031. III. Varia ejus fortuna *ibid.* Theodora à populo è monasterio evellitur & Augusta salutatur 1042. III. Cum Zoë sorore imperium partitur *ibid.* IV. Imperio abdicatur *ibid.* V. Post Constantini monomachi mortem iterum imperium administrat 1054. VIII. Moritur 1056. IV. Michaelem Stratioticum ante mortem Imperatorem elegit *ibid.* V.

Theodericus fit Episcopus Metensis 965. XIII. Moritur 983. II. & 984. VIII. Ejus corpus trecentis post hunc annis inventum 984. X.

Theodericus II fit Episcopus Metensis 1005. VI. Brunonem postea Papam sub Leonis IX nomine Tullensem Episcopum ordinat 1016. V. Moritur 1046. V. & VIII.

Theodericus quidam post mortem Guiberti Antipapæ eligitur Antipapa 1100. IV. In monasterium truditur.

S. Theodericus Aurelianensis Episcopus Episcopatum abdicat 1018. XI. Annus mortis ejus incertus *ibid.*

Theodericus Apostolicæ Sedis Legatus Coloniæ Concilium celebrat & moritur 1115. IX.

Theodericus Alsatius fit Flandriæ Comes 1128. XIX. Comitatum Philippo filio relinquit & cum Sybilla uxore Jerosolymitanam expeditionem suscipit 1157. IX. Noradinum ad pacem compellit *ibid.* Ejus industriâ Boamundus III Antiochiæ princeps è captivitate liberatur 1164. XXVI.

Theodorus Eremita à S. Polyeucto Episc. Constantinopolitano consecratur Patriarcha Antiochenus 970. I.

Theodorus Balsamon floret 1179. XXI.

Theodosius fit Patriarcha Constantinopolitanus 1179. XVI. è Sede removetur & in eam restituitur 1182. IX. Patriarchatum abdicat 1183. XII.

Theodorus fit Patriarcha Constantinopolitanus 1151. XV. Moritur 1153. XX.

Theophanes Cerameus Episcopus Tauromenitanus floret sub Rogerio Siciliæ Rege 1152. VIII. Seculo nono non vixit *ibid.* IX *& seq.*

Theophania Romani Junioris Imp. uxor Basilii & Constantini Impp. mater Annam filiam parit 963. IV. Nicephoro Imp. nubit *ibid.* XI. Nicephorum occidi curat 969. III. à Joanne Tzimisce Aula pellitur & in Proten insulam relegatur *ibid.* VIII.

Theophania Romani Junioris Imp. filia nubit Ottoni II Imp. 969. X & 971. V. à Joanne XIII PP. Augusta coronatur 971. V. Romam pergit & moritur 989. III.

Theophilactus Bulgariæ Metropolita floret 1071. XIII. Ejus Opera *ibid.* Mariæ Augustæ hortatu commentarios in quatuor Evangelia composuit 1078. VIII.

Theorianus à Manuele Græcorum Imp. in Armeniam mittitur 1170. V. Armenos cum Ecclesia Constantinopolitana unit *ibid.*

S. Thetmarus Presbyter S. Vicelini Aldenburgensis Episc. discipulus quo anno obierit 1154. XVI.

Thiemo S. Petri Abbas fit Episcopus Salisburgensis 1088. XIII. Multa pro Ecclesia patitur 1090. VII & 1091. VIII.

Thomas fit Episcopus Eboracensis in Concilio Vindleshorensi 1070. I.

S. Thomas Cantuariensis Archidiaconus fit Cancellarius regni Angliæ 1158. VII. In Galliam ab Henrico II Rege Legatus mittitur *ibid.* VI *& seq.* Fit Archiepiscopus Cantuariæ 1162. XXI. S. Thomæ Epistolæ publici juris factæ *ibid.* XXII. S. Thomas fastum S. Trinitatis instituit *ibid.* XXI. Ad Concilium Turonense pergit 1163. V. Honores ei deferuntur *ibid.* Ejus cum Henrico Rege dissidii origo 1164. VI. Ab Henrico in causam trahitur *ibid.* II. In Concilio Northamptonensi ad Papam appellat *ibid.* III. è regno exit *ibid.* Coram Papa comparet *ibid.* V. Pontiniaci residet 1165. I. In ejus amicos & propinquos sævit Henricus Rex *ibid.* Duæ ejus Epistolæ suo anno redditæ *ibid.* III. Ad Thomam scribit Arnulphus Lexoviensis Episc. pro pace *ibid.* IV *& seq.* Thomas Legatos Henrici Regis ad Conventum Herbipolensem excommunicat 1166. III & 1167. XVI. Alios excommunicare minatur 1166. VI. Legatus Sanctæ Sedis dicitur & quo anno *ibid.* XI *& seq.* Henricum Regem monet & comminatur *ibid.* X. De ejus comminatione Episcopi ad Papam appellant *ibid.* XIII. S. Thomas è Pontiniacensi monasterio pellitur *ibid.* XIV & 1167. XIX. Nuncios ad Alexandrum Papam mittit *ibid.* XIII. Senonis recipitur *ibid.* XIV.

S. Thomas multos ex Regis aula excommunicat & quo anno 1167. XIV *& seq.* Cum Legatis Alexandri PP. colloquium de pace frustra habet 1168. IV. Ad Alexandrum nuncios mittit *ibid.* XI & XV. Cum Henrico Rege coram Ludovico VII colloquium habet *ibid.* XVI *& seq.* Ejus cum Henrico Rege reconciliatio frustra tentata 1169. I *& seq.* In Angliam permittente Rege redit 1170. II. à quatuor militibus Regi familiaribus occiditur *ibid.* Ejus martyrium S. Godrico Eremitæ revelatum fuerat *ibid.* III. S. Thomas miraculis coruscat 1171. I. Ejus coexules & discipuli 1172. II. S. Thomas canonizatur 1173. I.

Thomas Bharanita Episcopus Kfartabensis apud Maronitas Monothelismum inducere tentat 1109. XVI. à Joanne Patriarcha Græcorum Antiocheno refellitur *ibid.* XVIII. Respondet ad eumdem Joannem *ibid.* XIX. Fingit se esse Maronitam *ibid.* XX. Fingit S. Maximum duas in Christo voluntates excogitasse *ibid.* XX *& seq.* Eam in rem Eutychium falsò citat *ibid.* XX *& seqq.* Sectatores invenit *ibid.* XXIII. Post

ejus

ejus mortem Maronitarum Patriarcha ejus doctrinam amplectitur *ibid.* XXIV.

Thomas Prior S. Victoria Pariſienſis à Noterio Archidiacono nefariè trucidatur 1135. III. Quo anno hæc cædes acciderit *ibid.* V *& ſeq.* Thomam honorificè ſepeliri jubet Innocentius II Papa *ibid.* VII *& ſeq.*

S. Thomæ Aquinatis Vitæ Auctoris lapſus deteguntur 1190. IX *& ſeqq.*

Thomas de Marna Ludovico VI Franciæ Regi rebellis 1115. XX. In Concilio Bellovacenſi excommunicatur 1116. XVI. Ob rapinas & incendia iterum excommunicatur *ibid.* XVII. Interficitur 1130. LIV.

Tiburtes Innocentio II PP. rebelles 1141. I. Ab eo non ſunt excommunicati *ibid.*

Ticinenſe Concilium à Gregorio V PP. celebratum Creſcentium tyrannum excommunicat 997. V.

Tironienſis Congregatio à B. Bernardo Abbate fundatur 1108. V.

Toletum quo anno ab Alphonſo VI Caſtellæ Rege Saracenis ereptum 1088. V. Toleti Chriſtiana religio reſtituitur *ibid.* VI. Toletum fruſtra à Saracenis obſidetur 1110. IV.

Toletanus Archiepiſcopus fit Primas totius Hiſpaniæ 1088. VI *& ſeqq.*

Toloſanum Concilium pro diſciplina Eccleſiaſtica reſtituenda 1056. III.

Toloſanum Concilium quo anno ab Hugone Card. Apoſtolicæ Sedis Legato celebratum 1064. VI. Epiſcopatum Lectorenſem integrum reſtituit 1068. VIII.

Toloſanum Concilium pro ſacra expeditione contra Saracenos Hiſpaniæ 1118. XXI.

Toloſanum Concilium à Calliſto II PP. celebratur 1119. VII. Toloſanum alterum Concilium cogitur in cauſa Alexandri III PP. & Victoris IV Antipapæ 1161. IX. Ei Reges Franciæ & Angliæ interſunt *ibid.* X. In eo Alexander III Papa agnoſcitur & Victor Antipapa excommunicatur *ibid.* IX *& ſeqq.*

Toloſa ab Henrico II Angliæ Rege obſidetur 1159. XVII.

Tornacenſis S. Martini Abbatia fundatur 1092. XII.

Tornacenſes Noviomenſis Epiſcopi jugum excutere tentant 1146. XIX. Tornacenſis Epiſcopatus reſtituitur ab Eugenio III PP. *ibid.* XX.

Tortoſa Syriæ urbs à Cruceſignatis expugnatur 1102. VI.

Tortoſa ſeu Dertoſa ad Iberum fluvium poſita à Raimundo IV Barcinonenſi Comite capitur 1148. XVIII.

Tranſilvani fidem Chriſti ſuſcipere compelluntur à S. Stephano Hungariæ Rege 1002. VIII.

Trecenſe Concilium à Richardo Albanenſi Apoſtolicæ Sedis Legato celebratur 1104. VIII.

Trecenſe alterum Concilium à Paſchali II PP. cogitur 1107. IV.

Trecenſe Concilium in quo Templariis Regula datur 1127. XI *& ſeq.*

Tremonienſis Synodus in Weſtphalia 1005. I. Celebratur ob nuptias in gradu prohibito factas *ibid.* II. Præcipue propter nuptias Conradi Auſtraſiæ Ducis & Mathildis *ibid.* III. In ea Synodo elucet magnanimitas Adalberonis Metenſis Epiſcopi *ibid.* III *& ſeq.*

Trenorcienſe Concilium in cauſa Eccleſiarum Veſontionenſium S. Joannis & S. Stephani à Guidone Viennenſi Archiep. Apoſtolicæ Sedis Legato celebratur 1115. III.

Treuga Domini quo anno inſtituta 1034. I & IV & 1041. VI. à Normannis rejecta 1042. VII. Ab iis poſtea recepta *ibid.* VIII. Ab Epiſcopis & Proceribus decreta *ibid.* à Variis Conciliis confirmata *ibid.* IX. Treugæ Domini violatores qua pœna puniti *ibid.* X. Treuga non reſpiciebat bella publica ſed privata *ibid.* XI. Treuga Domini confirmatur in Concilio Narbonenſi 1054. IX. Item in Concilio apud S. Ægidium in Provincia Narbonenſi 1056. III. Item in Concilio Helenenſi 1065. IV. Item in Concilio Gerundenſi 1068. VIII. Item in Concilio Juliobonenſi 1080. XIX. Tum in Concilio Melphitano 1090. III. Tum in Concilio Troiano ſub Urbano II PP. 1093. I. Item in Conciliis Claromontano & Rotomagenſi 1096. XVIII. Tum in Concilio Troiano ſub Paſchali II. PP. 1115. II. Tum in Concilio Remenſi ſub Calliſto II PP. 1119. X. Item in Concilio Lateranenſi œcumenico 1123. IV. Tum in Concilio Remenſi ſub Innocentio II PP. 1131. XI. Item in Concilio Lateranenſi II œcumenico 1139. XI & XIII.

Trevirenſe Concilium ſub Eugenio III PP. celebratur 1148. III. In eo S. Hildegardis ſcripta examinantur *ibid.* In eo Henricus Abbas Fuldenſis deponitur *ibid.* IV.

Triburienſe Concilium quo anno celebratum 1035. I. In duo non dividendum *ibid.*

Sanctiſſimæ Trinitatis Ordo ab Innocentio III Papa confirmatur 1198. III *& ſeqq.*

Tripolis in Phœnicia à Cruceſignatis capitur 1109. XV.

Tripolis in Africa à Rogerio Siciliæ Rege expugnatur 1147. XXVI *& ſeq.* à Saracenis capitur 1159. XIX.

Troia à S. Henrico Imp. obſidetur & capitur 1022. I.

Troianum Concilium quo anno ab Urbano II Papa celebratum 1089. III & 1093. I.

Troianum Concilium ſub Paſchali II PP. Treugam Dei confirmat 1115. II & 1117. I *& ſeq.*

Troianum alterum Concilium Rogerium Siciliæ Comitem excommunicat 1127. IX.

Tudela in Hiſpania à Chriſtianis obſidetur 1084. XVI. Ab Alphonſo Caſtellæ & Legionis Rege pendet *ibid.* Iterum ad Saracenos tranſit *ibid.* Eis eripitur 1114. XV. Garſiæ Ramires à Rotroco Perticenſi Comite datur *ibid.* XVII.

Tunetum à Rogerio Siciliæ Rege expugnatur 1153. XVI. à Saracenis capitur 1159. XVIII.

Turcæ Græcos vincunt 1048. VII. Perſidem occupant *ibid.* Suos Principes Sultanos appellant *ibid.* VII *& ſeq.* à quo tempore Turcarum potentia repetenda *ibid.* Cum Romano Diogene bellum gerunt 1068. VI. Græcorum imperium affligunt 1073. XIV & 1081. XVI. Cum Alexio Comneno Imp. pacem faciunt *ibid.* XVII. Turci Orientales in varias Tribus diviſi *ibid.* XIX. Orientale imperium vaſtant 1087. VIII. Turcis debacchantibus corpus S. Nicolai Myra-Barium transfertur *ibid.* IX. Totum ferè Orientem vaſtant 1092. XI. Conſtantinopoli minantur *ibid.* Partem exercitûs Cruceſignatorum male habent 1096. X *& ſeq.* & 1097. XV. à Cruceſignatis profligantur 1097. XVI. Cruceſignatos male habent 1102. VI. Edeſſam capiunt 1144. XIV *& ſeq.* Conradi Germaniæ Regis exercitum male habent 1147. III & XII. è regno Babylonico pelluntur 1167. XXXII. Inſignem de Manuele Græcorum Imp. victoriam reportant 1176. XII *& ſeq.*

Turketulus Croylandenſis Abbas pro monaſterio ſuo chartam obtinet ab Edgaro Angliæ Rege 966. V. Moritur *ibid.*

Turnicius Græcorum in Apulia præfectus cum Melo & Normannis variâ fortunâ pugnat 1018. I *& ſeqq.*

Turonenſe Concilium ab Hildebrando Subdiacono contra Berengarium celebratur 1055. V.

Turonenſe alterum Concilium contra eumdem *ibid.* VI.

Turonenſe Concilium ſub Nicolao II PP. edit capitula decem diſciplinam Eccleſiaſticam reſpicientia 1060. VII.

Turonenſe Concilium ab Urbano II PP. celebratur 1096. I *& ſeq.*

Turstinus contra fidem datam consecratur Eboracensis Archiep. in Concilio Remensi 1119. X I. In Angliam redire ab Henrico Rege prohibetur *ibid.* à Callisto II honorificè excipitur 1120. I. Ab eo obtinet Ecclesiam suam fore liberam à professione quam petebat Archiepiscopus Cantuariensis *ibid.* V. In Ecclesiam suam redit 1121. XX. Moritur 1140. XIV.

Tuscia aliquot Ducum successio 1002. I V *& seq.*

Tusculana civitatis mœnia evertuntur 1168. X V I I I. Tusculana civitas Alexandro III PP. donatur 1170. I V.

Tyrum à Venetis expugnatur 1124. X I I I Latinus Episcopus ei præficitur 1127. XVII.

V.

V*Aldemarus* Daniæ Rex ad Alexandrum III PP. Legatos mittit pro canonizatione S. Canuti patris 1164. X I I *& seq.* Rugianos idololatras vincit & ad Christi fidem suscipiendam cogit *ibid.* X I V. *& seqq.*

Valdenses seu publicani hæretici in Angliam veniunt 1160. X I V. Adversus eos Oxonii Concilium congregatur *ibid.* XV. Valdenses ex Anglia ab Henrico Rege pelluntur *ibid.* Damnantur in Concilio Lumbariensi 1176. I I. Bonos homines se appellant *ibid.* Contra eos Constitutionem emittit Petrus Aragoniæ Rex 1197. VIII *& seq.* Valdenses in Hispania Sabatati dicti *ibid.* V I I I & X.

Valentinum Concilium in Galliis celebratur 1100. I I.

Vallisoletanum Concilium celebratur 1133. XXIV.

Vallisoletanum alterum Concilium ab Hyacintho Apostolicæ Sedis Legato cogitur 1155. X.

Vandalia à Polonia minime distinguenda 965. VIII. Vandalorum prima sedes non fuit Polonia *ibid.* IX. Vandalorum nomen Barbaris omnibus attributum *ibid.* X Vandali à fluvio Vandalo sic dicti *ibid.* VIII. Vandali Saxonum tributarii se in libertatem asserunt 1012. II Abjectâ Christi fide Ecclesias vastant *ibid.* III. Hamburgensem S. Mariæ Ecclesiam solo adæquant *ibid.* Ad obedientiam reducuntur 1015. I.

Ubaldus Cardinalis Ostiensis Episcopus à Petro Blesensi laudatur. 1164. I X. Alexandri I I I electioni interfuit *ibid.* Pontifex Romanus creatur & Lucius I I I vocatur 1181. V. Joannem ad Albas manus Pictaviensem Episc. Lugdunensem Archiep. & Apostolicæ Sedis Legatum dicit *ibid.* V I. In causa Turonensis Archiep. & Dolensis Episc. in hunc propendet 1182. III. Româ exire cogitur 1183. I. Monasterium Montis Regalis in Archiepiscopatum evehit *ibid.* I I I. Annum à die X X V. Martii inchoavit *ibid.* IV. Fideles hortatur ad constructionem monasterii Lerinensis hodierni *ibid.* X V I. Româ pulsus Veronam pergit 1184. I *& seq.* Scribit ad Saladinum & ab eo responsum accipit pro captivorum redemptione *ibid.* V I. Eadem de re Saphadini literas recipit *ibid.* V I I. Veronæ cum Frederico Imp. Concilium celebrat & quo anno 1185. I *& seqq.* Moritur *ibid.* XII. Sedis ejus duratio *ibid.* X I I I.

S. Ubaldus Episcopus Eugubinus moritur 1160. X. à Cœlestino I I I PP. in Sanctorum numerum relatus est *ibid.* & 1192. I.

S. Udalricus Augustensis Episcopus transgressionis canonum accusatus in Synodo Ingelheimensi absolvitur 972. II. Moritur *ibid.* I I I. à Joanne X V PP. canonizatur 993. I *& seq.*

Udalricus à S. Leone I X Papa Augiensis Abbas Romæ benedicitur 1049. IX.

Udalricus Bohemiæ Dux moritur 1034. XVI.

Velfo ab Henrico I V. Germaniæ Rege fit Bajoariæ Dux 1073. I. Mathildi Tusciæ Comitissæ nubit 1089. IV.

Vendicosorum secta in regno Siciliæ oritur 1185. X I V. à Willelmo Rege extirpatur 1186. VII.

Veneti stant ab Alexio Comneno contra Robertum Guiscardum 1081. V I I. Venetorum Dux Regium Dalmatiæ titulum consequitur *ibid.* Veneti in auxilium Alexii Comneni in Illyricum pergunt 1084. X I I I. Variâ fortunâ cum Roberto Guiscardo Calabriæ Duce in Illyrico pugnant *ibid.* X I I I *& seq.* Expeditionem in Terram sanctam suscipiunt 1104. XVIII. Venetorum potentia & divitiæ augentur *ibid.* Cum Joanne Græcorum Imperatore pacem faciunt 1123. XIV. Saracenos in Syria profligant *ibid.* Tyrum expugnant 1124. XIII. Venetiarum Patriarcha Conrado Sueviæ Duci adhærens ab Honorio II PP. deponitur 1128. X.

Vercellensis Synodus contra Berengarium 1050. X I I. Ad annum MLIII revocari non potest *ibid.* VIII.

Veremundus II hujus nominis fit Rex Legionis 985. VI. cum Almansore Caliphæ Hispaniæ Prorege prælium magnum init & moritur 998. XV.

Veremundus III Alphonso V Patri succedit in regnum Legionis 1027. V I I. Eo occiso Legionis & Castellæ regna uniuntur 1037. IV.

Veronenses Frederico Imp. resistunt 1164. XI.

Veronense Concilium à Lucio I I I PP. & à Frederico Imp. celebratur 1185 I. In eo editum decretum adversùs hæreticos *ibid.* II. Annus celebrati Concilii *ibid.* III *& seqq.*

Vesontionensium Canonicorum S. Stephani & S. Joannis controversia de sede Metropolitana agitatur in Conciliis Trenorciensi & Divionensi 1115. I I I *& seq.* Quo tempore & quo modo finita *ibid.* V.

Vezeliacensis Conventus pro expeditione in Terram Sanctam à Ludovico VII Francorum Rege indicitur 1145. XII. Celebratur 1146. III *& seqq.*

S. Vicelinus Aldenburgensis Episcopus moritur 1154. XVI. In Holsatia per plures annos fidem prædicavit *ibid.*

Victor II fit Pontifex Romanus 1055. I. Hildebrandum Subdiaconum Legatum in Galliam mittit pro celebrando Turonis Concilio contra Berengarium 1055. V. In Germaniam pergit 1056. I. In Italiam redit & moritur in Tuscia 1057. I. Romæ Concilium celebraverat *ibid.* I V.

Victor III Papa, *vide*, Desiderius Casinensis Abbas.

Victor III dictus creatus Antipapa abdicat 1138. II.

Victor IV Antipapa, *vide*, Octavianus Cardinalis.

Viennense Concilium à Guidone Archiep. Viennensi sedis Apostolicæ Legato celebratur 1112. I V. Investituram de manu laica susceptam hæresim declarat *ibid.* Henricum Imp. excommunicat *ibid.*

Viennense Concilium sub Gelasio II Papa commentitium 1119. I.

Viennense alterum Concilium à Gregorio Cardinali Apostolicæ Sedis Legato celebratur 1124. III & V.

Viennensis Archiepiscopus Primatum in septem provincias à Callisto II PP. obtinet 1120. IV.

Viennensium octo provinciarum in Notitiis origo 1120. V.

Vilicense Canonicarum monasterium in Coloniensi diœcesi situm 1015. V. Vilicensis monasterii Canonicæ omnes genere illustres *ibid.* Earum numerus *ibid.*

S. Vincentii Levitæ & Martyris Reliquiæ Ulyssiponam transferuntur 1173. II.

Vindleshorensis seu Vindsoriensis in Anglia Synodus à Willelmo Rege & Legatis Apostolicis celebratur 1070. I. Stigandum Cantuariensem Archiep. deponit *ibid.* Thomam Eboracensem Episcopum dicit *ibid.*

Vindleshorensis altera Synodus ab Henrico Angliæ Rege cogitur 1114. V. In ea Rodulphus dicitur Archiepiscopus Cantuariensis *ibid.*

Vintoniense Concilium in quo stabilitur concordia de

uniformi

uniformi ritu servando in omnibus Angliæ monasteriis 966. VI.

Vintoniense Concilium in quo Stephanus Angliæ Rex pœnitentiam accipit pro patratis in Episcopos 1139. XXI.

Vintoniense alterum Concilium ab Henrico Vintoniensi Episcopo S. Sedis Legato celebratur 1141. X. In eo mathildis aliàs Imperatrix Angliæ Regina agnoscitur *ibid.*

S. Virgilii Salisburgensis Episcopi Reliquiæ revelantur 1181. XIII.

Vissegradensis Ecclesia ab Uratislao Bohemiæ Duce fundatur 1070. XVII. Vissegradensis Ecclesiæ præpositus fit Cancellarius in perpetuum regni Bohemiæ *ibid.*

B. Vitalis fundator Congregationis Saviniacensis floret 1117. XXV. quo anno mortuus fit *ibid.*

Vivianus Cardinalis Legatus in Hiberniam mittitur 1176. XIV. & 1183. IX. Dublini & in Scotia Concilia celebrat 1183. IX *& seq.*

Uladislaus Boleslao II Poloniæ Regi successit 1077. XXIII. moritur 1102. VIII.

Uladislaus Bohemiæ Dux à Frederico Imp. Rex coronatur 1158. III *& seq.*

Vlyssipona ab Alphonso Portugalliæ Rege expugnatur 1147. XX & XXIV.

Vnwanus fit Archiepiscopus Hamburgensis & Bremensis 1013. I. Bernhardum Saxoniæ Ducem cum S. Henrico Rege reconciliat *ibid.* Hamburgum reparat *ibid.* II. Moritur 1028. IX.

Volmarus Archiep. Trevirensis, *vide*, Folmarus.

Vpsalensis Ecclesia in Suecia fit Metropolitana 1148. XV.

Vranus à Basilio Græcorum Imp. missus Bulgaros profligat 995. VI.

Vratislaus Bohemiæ Dux ab Alexandro II PP. mitræ usu donatur 1068. IV. Vissegradi monasterium fundat 1070. XVII. pro hac fundatione Legatum ad Alexandrum II PP. mittit *ibid.* Rex appellatur 1086. X *& seq.* Moraviæ Episcopatum Pragensi unit *ibid.* X.

Vratislaus Pomeraniæ Dux à S. Ottone Bambergensi Episcopo cum filiis baptizatur 1124. I.

Vrbanus II Papa, *vide* Otto Ostiensis Episc.

Vrbanus III fit Pontifex Romanus 1186. I. Ad eum pergit B. Joachimus Abbas *ibid.* II. Urbani cum Frederico Imp. dissidii origo *ibid.* III *& seq.* Urbanus ab Henrico Rege Frederici Imp. filio & à Romanis vexatus *ibid.* VI & VIII. Legatum in Angliam mittit ad coronandum Joannem filium Henrici II Hiberniæ Regem *ibid.* IX & 1187. I. Cladis Jerosolymitanæ accepto nuncio moritur 1187. XII *& seq.*

Vrraca uxor Sanctii II Navarræ Regis 970. XII.

Vrraca à Ferdinando M. Castellæ Rege patre Zamora urbe donatur 1065. III.

Vrraca Alphonsi VI Legionis Regis filia Raimundo Comite marito mortuo nubit Alphonso Aragoniæ Regi 1108. XI. Alphonso VI patre mortuo ab Alphonso marito dissidet 1109. III & 1111. X. Concilio Ovetensi subscribit 1115. XVII. Ab Alphonso filio dissidet 1122. VIII. moritur 1126. XIII.

Vsera cum Ariberto Archiepiscopo Mediolanensi conjugium commentitium 1045. VII *& seq.*

VV.

W*Allia* Henrico Angliæ Regi subjicitur 1114. VI. Walliæ Ecclesiæ Cantuariensi Metropoli subjiciuntur 1115. X. Wallenses Angliæ Regis jugum excutere tentant 1156. V. Henrico Regi hominium præstare coguntur *ibid.* VI. Ei resistunt 1165. II.

Walterus de Constantius Archiepiscopus Rotomagensis Concilium Rotomagi celebrat 1190. XVIII.

Waterfordiensis Episcopatus institutio 1097. II.

Wecilo Moguntinæ Ecclesiæ invasor partes Henrici Regis in conventu Barbacensi defendit 1085. I. Ejus ordinatio irritatur in Synodo quintilinburgensi *ibid.* II.

Wernerus Magdeburgensis Episcopus occiditur in prælio inter Henricum & Rodulphum Germaniæ Reges habito 1078. II.

Wernherus Argentinensis Episcopus à Conrado Salico Imp. Legatus ad Constantinum Imp. Græcorum Imperatorem mittitur 1027. IV. Moritur *ibid.*

Westmonasteriense monasterium à S. Eduardo Angliæ Rege in integrum restituitur 1051. V.

Westmonasteriense Concilium ab Henrico Vintoniensi Episcopo Apostolicæ Sedis Legato celebratur 1141. XII.

Westmonasteriense alterum Concilium à Ricardo Archiepiscopo Cantuariensi cogitur 1175. I.

Wibertus Antipapa vide, Guibertus Ravennensis Archiep.

S. Wiborada à Clemente II PP. canonizatur 1047. IV.

Willa Berengarii Italiæ Regis uxor cum marito capitur & in Bajoariam mittitur 964. I. Marito mortuo fit Sanctimonialis 966. II.

Willegisus Moguntinus Episcopus Ottonem III Germaniæ Regem consecrat 983. VI.

Willelmus Flandrensis fit Patriarcha Jerosolymorum 1128. XV & 1130. XLV. Moritur 1146. XV.

Willelmus Ottonis M. filius naturalis Archiepiscopus Moguntinus moritur 973. I *& seq.* Ottonem patrem non excummunicavit *ibid.* IV.

Willelmus Eboracensis Ecclesiæ Thesaurarius eligitur Archiepiscopus Eboracensis 1140. XV. Ab Henrico Vintoniensi Episcopo Apostolicæ Sedis Legato consecratur *ibid.* Contra Willelmum eligitur Henricus de Murdacb *ibid.* Willelmus à Romano Pontifice pallium obtinere non potuit *ibid.* XVI. Usque ad Pontificatum Eugenii III præfuit Eboracensi Ecclesiæ *ibid.* XVII. Willelmo Pallium denegat Cælestinus II PP. 1143. VIII. Willelmus pallium sibi à Lucio II missum non recipit & quare 1144. XI. Ab Eugenio III in Concilio Parisiensi deponitur 1147. XIV. Mortuo Henrico de Murdacb ab Anastasio IV PP. in Archiepiscopatum restituitur 1153. XIV. Vintoniam redit *ibid.* Eboracum petit 1154. X. Moritur *ibid.* Ab Honorio II Sanctorum catalogo adscribitur *ibid.* Ejus reliquiæ longe post canonizationem translatæ *ibid.* XI.

Willelmus Archiepiscopus Ausciensis Sedis Apostolicæ Legatus Treugam Dei observari præcipit 1139. XIII. ad quem annum pervenerit 1168. XX.

Willelmus Corbuliensis Canonicus Regularis fit Archiepiscopus Cantuariensis 1123. XVIII.

Willelmus Theobaldi IV Campaniæ Comitis filius fit Archiep. Senonensis 1169. IX. Ad Remensem Archiepiscopatum transfertur 1176. IX & XI. In Concilio Lateranensi œcumenico sub Alexandro III fit presbyter Cardinalis S. Sabinæ 1179. III. Philippum Ludovici VII filium Francorum Regem coronat *ibid.* XIV. Cotarellos hæreticos flammis *addicit* 1183. VII *& seq.*

Willelmus Abbas fit primus Archiepiscopus Montis Regalis 1183. III.

Willelmus Ottonis Francorum Ducis filius, Gregorii V PP. frater Episcopus Argentinensis 1024. VI & VIII & 1027. IV.

Willelmus Parisiensis Episcopus electus cathedram recusare instituit 1093. III. Pro Willelmo Jvo Carnotensis ad Urbanum II scribit *ibid.*

Willelmus de Campellis fit Episcopus Catalaunensis 1113. XIII. Moritur 1121. XII. Ejus scientia & virtutes *ibid.* XIII.

Willelmus natione Anglus fit primus Episcopus Latinus Tyri 1127. XVII.

Willelmus dictus *Tyrius* Equitibus Hoſpitalariis & Hadriano IV PP. parum æquus 1155. VIII *& ſeq.* Ejus Epiſcopatus Tyri initium 1175. VI. Tyrii error in narratione converſionis Maronitarum detegitur 1182. X *& ſeqq.* Tyrius Hiſtoriam Belli ſacri terminat 1184. XI. pro Terræ Sanctæ ſubſidio Legatus in Occidentem mittitur 1188. II. In Franciam venit *ibid.* II *& ſeq.* Mortis ejus annus incertus *ibid.* III.
Willelmus Præneſtinus Epiſcopus Apoſtolicæ ſedis in Germania Legatus 1132. X. Brunonem Colonienſem Archiep. conſecrat *ibid.*
Willelmus Cardinalis Papienſis Legatus in Angliam ab Alexandro III PP. mittitur 1167. XIX & XXI. S. Thomæ ſuſpectus *ibid.* XXIII. In Gallism adventat 1168. I *& ſeq.* Inter Angliæ Regem & S. Thomam fruſtrà de pace agit *ibid.* III *& ſeq.* Romam redit *ibid.* IV *& ſeq.*
S. Willelmus Firmatus Moritur 1090. VIII. Vitæ ejus ſynopſis *ibid.*
Willelmus Abbas Hirſaugienſis moritur 1091. VIII.
Willelmus Divionenſis monaſterii Abbas magna eſt in exiſtimatione apud S. Henricum Imp 1014. IV. ſcribit ad Joannem XIX credens eum conceſſiſſe Patriarchæ CP. ut univerſalis diceretur 1024. III. Moritur 1031. VI. Cluniacenſem congregationem plurimùm propagavit *ibid.* VII & 1031. XI.
Willelmus ſuccedit B. Oldegario in Abbatiam S. Rufi 1116. X.
Willelmus II Abbas S. Rufi 1157. XXIII.
S. Willelmus Abbas Roſchildenſis floret in Dania 1161. XII.
S. Willelmus Eremita floret 1136. XII. Cum Willelmo IX Aquitaniæ Duce male confunditur *ibid.* XII *& ſeq.* Moritur 1157. VI.
Willelmus puer Chriſtianus à Judæis in Anglia crucifigitur 1146. VIII.
Willelmus Neubrigenſis ſcriptor Anglus Hiſtoriam ſuam terminat 1197. VII.
Willelmus Roberti Normanniæ Ducis filius nothus patre mortuo fit Normanniæ Dux 1035. VI. Conventum Brionenſem celebrari curat in cauſa Berengarii 1050. X *& ſeq.* à S. Eduardo Angliæ Rex deſignatur 1065. V. Mortuo S. Eduardo regni inſignis ab Haroldo petit 1066. IV. Alexandrum II legatione miſſa conſulit *ibid.* V. Veſillum S. Petri ab eo recipit *ibid.* In Angliam cum exercitu pergit & Haroldum vincit *ibid.* VI. Angliæ Rex coronatur *ibid.* S. Eduardi leges confirmat *ibid.* II. Anglorum conſuetudines immutat 1067. X. Mathildem Balduini V Flandriæ Comitis filiam in uxorem duxit 1068. I. Eam ex Normannia in Angliam vocat & Reginam coronari curat *ibid.* Cum Malcolmo III Scotiæ Rege pacem facit *ibid.* II. Danos in Angliam irrumpentes ad ſua redire cogit 1069. III. Cum Alexandri II Legatis Vindleshorenſem Synndum celebrat 1070. I. Eccleſiæ Anglicanæ bono conſulit *ibid.* II. Lanfrancum Cantuarienſi Eccleſiæ præficit *ibid.* III. Sub eo Eccleſis Anglicana afflicta *ibid.* V. Willelmus Concilium Juliobonenſe pro Treuga Dei celebrari curat 1080. XIX. Moritur 1087. X. Ejus filii, virtutes & vitia *ibid.* XI. Willelmus ante mortem Robertum primogenitum regno privat & ſolo Normanniæ ducatu donat *ibid.* XI. Willelmum filium regni ſucceſſorem dicit *ibid.*
Willelmus II dictus *Rufus* Willelmo patri in Angliæ regnum ſuccedit 1087. XI. Rebelles ad obſequium redigit 1088. XV. Morientibus Prælatis Eccleſias invadit 1089. VI. Gravi morbo correptus S. Anſelmum Cantuarienſi ſedi præficit 1093. V. Normanniæ regimen à Roberto fratre recipit 1097. II. S. Anſelmo facultatem concedit Romam eundi *ibid.* III *& ſeq.* Nuncium ad Urbanum PP. mittit ut reddat cauſam ſpoliationis S. Anſelmi 1098. I. Willelmo excommunicationem minatur Urbanus PP. *ibid.* Occiditur 1100. XIV. Hildebertum Cenomanenſem Epiſcopum vexavit 1107. VII.
Willelmus III ab Henrico patre Angliæ Rege regni hæres dicitur 1116. XII. Pro Ducatu Normanniæ Ludovico VI Francorum Regi hominium facit 1120. XXVI. In Angliam ex Normannia rediens naufragio perit *ibid.* XXVII.
Willelmus Malcolmo IV fratri in regnum Scotiæ ſuccedit 1165. VI. Rebellionem filiorum Henrici II Angliæ Regis fovet 1173. I. Ab Henrico Rege capitur 1174. VII. Relaxatur *ibid.* VIII.
Willelmus Rogerii Siciliæ Regis filius Tarenti Princeps principatum Capuanum à patre recipit 1144. VII *& ſeq.* à Rogerio patre fit Rex Apuliæ 1150. IV. Rogerio patri 1154. VI. Patri valde diſſimilis fuit *ibid.* VII. Cum Hadriano IV PP. bellum gerit 1155. IV *& ſeqq.* & 1156. I. Cum eo pacem facit 1156. II *& ſeq.* Item cum Manuele Græcorum Imp. 1158. I. Moritur 1166. IX.
Willelmus II cognominatus *Bonus* fit Siciliæ Rex 1166. IX. Ad Alexandrum PP. Legatos mittit 1167. XIII. Monaſterium Montis Regalis fundat 1174. IX. Joannam Henrici II Angliæ Regis filiam uxorem ducit 1176. I. Cum Joſepho Africæ Imperatore pacem facit 1185. XIV. Conſtantiam amitam Henrico Frederici Imp. filio conjugem dat *ibid.* Cum Andronico Imp. bellum gerit *ibid.* Vendicoſorum ſectam extirpat 1186. VII. Cum Iſaacio Angelo Græcorum Imp. pacem facit 1187. XIX. Henricum Frederici Imp. filium Siciliæ Regem deſignat 1189. X. Moritur *ibid.*
Willelmus III Tancredi filius fit Siciliæ Rex 1194. V. Ab Henrico Imp. detinetur *ibid.* VI *& ſeqq.* In Germaniam captivus ducitur 1195. VII.
Willelmus I Provinciæ Comes Saracenos è Fraxineto pellit & magnam eorum ſtragem facit 972. IV *& ſeqq.* Moritur 998. VI. Pater fuit Conſtantiæ Roberti Franciæ Regis uxoris *ibid.* V *& ſeqq.* Anno MXVIII jam mortuus erat 1018. IX *& ſeq.*
Willelmus II Provinciæ Comes Patri ſuccedit 998. VI. Moritur 1018. X.
Willelmus Aquitaniæ Dux Hugonem Capetum Regem agnoſcere recuſat 987. I & 990. VII. Cum Hugone poſtea pacem facit 990. VII.
Willelmus IV Aquitaniæ Dux Pictavia Synodum congregat de Apoſtolatu S. Martialis 1023. II. Ab Italis Rex expoſcitur 1025. III *& ſeq.* & 1028. II. Carrofenſe Concilium congregat 1027. XII. fit Monachus & moritur *ibid.*
Willelmus V Aquitaniæ Dux in Saracenos Hiſpaniæ expeditionem ſuſcipit 1062. XI.
Willelmus VIII Aquitaniæ Dux Concilium Pictavienſe turbat 1100. VII *& ſeq.* Pater fuit Willelmi IX ultimi Aquitaniæ Ducis *ibid.* VIII. Crucem ſuſcipit &ad Bellum ſacrum proficiſcitur 1100. XVIII & 1101. VI. In prælio contra Turcas periculum mortis vix evadit 1102. VI. Inſignem de Saracenis Hiſpaniæ victoriam reportat 1120. XXXI. Ejus mortis annus 1130. XLIII. quædam ejus facinora Willelmo IX ejus filio perperam attributa *ibid.* XLIII *& ſeq.*
Willelmus IX Aquitaniæ Dux Girardo Engoliſmenſi Epiſcopo Legato Anacleti Antipapæ auxilium præſtat 1130. XXIII. à Willelmo VIII diſtinguendus *ibid.* XLIII. Stat à partibus Anacleti *ibid.* XLIV. Eum fruſtra S. Bernardus tentat ut ad Eccleſiæ Catholicæ partes pertrahat *ibid.* à ſchiſmate retrahitur operâ S Bernardi & Gaufridi Carnotenſis Epiſc. 1135. I *& ſeq.*

Pega

Pergit in Hispaniam ad S. Jacobum 1136. IX & XI. Moritur *ibid.* & 1137. XXI. cum S. Willelmo Eremita male confunditur 1136. XII. & *seq.*

Willelmus cognomento *Otto* Comitum Burgundiæ radix à Benedicto VIII benedictionem accipit 1018. VIII. & *seq.*

Willelmus Rogerio patri in Apuliæ ducatum succedit 1111. VIII. à Paschali PP. Calabriæ & Apuliæ ducatu investitur 1114. II. Ducatum Callisto II PP. commendat & Cpolim petit 1121. VI & *seq.* In Apuliam sedit *ibid.* cum Jordano Arianensi Comite bellum gerit 1122. IV. Moritur 1127. I. Ducatum Apostolicæ Sedi ante mortem concedit *ibid.* VI.

Willelmus-Jordanus Bertrandi Comitis Tolosani filius fit Comes Tripolitanus 1105. III.

Willelmus II Nivernensis Comes à Theobaldo Comite Blesensi capitur & detinetur 1116. XVI. Ejus defensionem suscipit Ludovicus Franciæ Rex *ibid.* XVI & *seq.* à B. Roberto de Arbrissellis & à B. Roberto Abbate Tironiensi visitatur in carcere 1117. XX. Ei Ludovicus VII in Orientem proficiscens regni curam demandat 1147. I. Willelmus fit Cartusianus *ibid.* IV.

VVillelmus III Comes Nivernensis quo anno mortuus 1168. XIX.

VVillelmus IV Comes Nivernensis crucem suscipit 1167. XXVIII. Jerosolymis moritur 1168. XIX.

VVillelmus Roberti Normanniæ ducis filius Fulconis Andegavensis Comitis filiam uxorem ducit 1124. VI. Illud matrimonium improbat Callistus PP. *ibid.* Willelmus excommunicatur *ibid.* Joannam Rainerii Comitis Montisferrati filiam Adelaidis Reginæ Franciæ uterinam sororem uxorem accipit 1127. XXI. à Ludovico VI Franciæ Rege Comes Flandriæ constituitur *ib.* XXII. & *seq.* à Willelmo sibi præcavet Henricus Angliæ Rex *ibid.* XXIV. Willelmus moritur 1128. XIX.

VVifrida ab Edgaro Angliæ Rege per vim è monasterio abstrahitur & ex eo parit S. Editham 970. IX.

S. *Wistani* Eboracensis Episcopi decreta in Synodo Ensihamensi promulgantur 1009. VII.

S. *Wolfangus* fit Episcopus Ratisponensis 972. VII. Literes & mores Christianos variis in locis restituit *ibid.* Monasteria reformavit *ibid.* S. Wolfangi miraculum in gratiam Ottonis II Imp. 978. II. S. Wolfangus moritur 994. II. è S. Leone IX PP. canonizatur 1052. III.

Wolodomirus post Sphendosthlabum in Russia seu Moscovia regnat 973. XII. Christianam religionem amplectitur 987. VI & *seq.* Annam Basilii Imp. sororem uxorem ducit *ibid.* Cum duobus filiis à Moscis ut sanctus colitur *ibid.* VIII. Volodomiriam condidit & Metropolim Russiæ constituit *ibid.* VII. Moritur *ibid.* VIII.

B. *Wolphemus* Abbas Brauvillerensis prope Coloniam floret 1079. III. Adversus Berengarium scribit *ibid.* Annus mortis ejus *ibid.*

Wormatiensis Conventus in quo S. Leo IX Papa designatur 1049. II.

Wormatiense Conciliabulum in quo Gregorius VII PP. deponitur 1076. II & *seqq.*

Wormatiensis Conventus in quo pax restituitur inter Callistum II PP. & Henricum Imp. 1122. II & *seq.*

S. *Wulstanus* Vigorniensi Episcopatu deponitur in Concilio Vindleshorensi 1072. III. In dignitatem miraculosè restituitur *ibid.* IV & 1074. XIV. Moritur 1095. XXII.

X.

X*imena* Alphonsi V Regis Legionensis neptis nubit Roderico Diaz Cido vulgò dicto 1071. XIX.

Y.

Y*Marus* Cardinalis Tusculanensis à Lucio II Legatus in Angliam mittitur 1144. III & XI. Promittit S. Bernardo se pallium Willelmo Archiep. Eboracensi non redditurum *ibid.* XI. In Galliis etiam Legatus fuit *ibid.* IV & XIII. Octavianum Antipapam sub nomine Victoris IV consecrat 1159. VII. Quo anno obierit 1185. XVI.

Z.

Z*Aida* Abenabeth Hispalensis Regis filia non fuit uxor sed concubina Alphonsi VI Legionis & Castellæ Regis 1108. VI. Sanctium Infantem genuit *ibid.* In Baptismo Elizabeth vocata fuit *ibid.* Ejus epitaphium à quopiam imperito scriptum *ibid.* VII.

Zoe Constantini Imp. filia Romano Argyro nubit 1028. XII. Theodoram sororem in Monacharum ordinem redigit 1031. III. Michaëlis Paphlegonis amore correpta Romanum maritum veneno lentissimo conficit 1034. XII. Eo mortuo Michaëlem Imperatorem salutari jubet *ibid.* Obscœnis amoribus dedita fuit *ibid.* XIV. Michaëlem Calapharam in filium adoptat 1041. III. Ab eo relegatur 1042. III. Cum Theodora Augusta sorore Imperium partitur *ibid.* IV. Imperio abdicatur *ibid.* Moritur 1054. VII.

Zuonimerus fit Dalmatiæ & Croatiæ Rex 1073. XVI. Sine liberis moritur 1077. XV.

FINIS.

ADDENDA ET EMENDANDA IN HOC QUARTO TOMO.

Pagina 5. col. 1. num. IV lin. 18. *ex hac*, lege, & hac.
Ibid. col. 2. num. VIII lin. 5. *juvamentis*, lege, juramentis.
Pag. 8. in margine numer. V lege, *Nomen Salomonis loco nominis Papæ usurpatum.*
Pag. 10. col. 1. num. IV. lin. 24. *more*, lege, jure.
Ibid. lin. 26. *In laudibus*, lege, in laudatis.
Pag. 32. col. 2. num. IX lin. 14. *qui dictum sit*, lege, cui dictum sit.
Pag. 33. col. 1. num. II lin. 15. *motu*, lege, metu.
Pag. 34. col. 2. num. I lin. 32. *alernis*, lege, alternis.
Pag. 35. col. 1. num. III lin. 17. CMXXXI, lege, CMLXXXI.
Pag. 47. col. 1. num. VI lin. 1. dele, *ut* Ibid. lin. 3. *editur* lege, editus.
Ibid. col. 2 lin. 3. *affecerunt*, lege, effecerunt.
Pag. 50. col. 1. lin. 3. *Catalogus verò XII*, lege, Catalogus verò VII.
Ibid. num. III lin. 17. *coronavi*, lege, conati.
Pag. 60. col. 1. num. VI lin. II. *Comites.* lege Comitis.
Pag. 70. col. 1. lin. 6. *a ipse*, lege, & ipse.
Pag. 76. col. 1. num. XII lin. 22. *Saxonum*, lege, Senonum.
Ibid. lin. 26. *unicoque*, lege, uni quoque.
Pag. 87. col. 2. num. VII lin. 3. *hoc anno Normannorum & sequenti* lege, hoc anno Normanniam petit, & sequenti.
Pag. 89. col. 1. lin. 2. *fratri*, lege, fratre.
Pag. 96. col. 2. num. I lin. 11. *afficiar.* lege afficiat.
Pag. 98. col. 1. num. IV lin. 1. *hujus nominis secundus Dux aut Rex Christianus*, lege, hujus nominis primus, secundus Dux aut ex Christianus.
Pag. 98. col. 2. lin. 16. dele sequentia *ibique anno millesimo fundatus Episcopatus Colbergensis, ut suo loco ostendi*, & scribe, ibique anno CMLXV fundatus Episcopatus Colbergensis, qui anno millesimo Guesnensi Archiep. subjectus fuit, ut suis locis ostendi.
Pag. 99. col. 2. num. II lin. 18. sequentia dele, *monasterium construxit anno millesimo decimo, ut docet Chronicon Turonense MS. ac diploma eodem anno datum; cum verò*; & scribe, monasterium construxit, cujus consecrationis ritum cum Hugo Turonensis Archiepiscopus, in cujus &c.
Pag. 110. col. 2. num. II lin. 1. *An cives*, lege, At cives.
Pag. III col. 2. lin. 37. *adhibet*, lege, exhibet.
Pag. 115. col. 2. lin. 2. *Monachai*, lege, Manichæi.

Pag.

Pag. 117. col. 1. num. XII lin. 37. anno CMXCIX, lege, anno CMXCVIII num. IX.
Pag. 142. col. 2. num. II lin. 28. *atate*, lege, æstate.
Pag. 144. col. 1. num. IX lin. 20. *potuit*, lege, patuit.
Pag. 158. col. 2. num. I lin. 17. *circiter MXI*, lege, circiter MXL.
Pag. 160. col. 2. num. VI lin. 1. *cum viderem*, lege, cum viderent.
Pag. 161. col. 2. num. VIII lin. 15. *leges A quibus*, lege, leges, à quibus.
Pag. 164. col. 1. lin. 8. *Bopponem*, lege, Popponem.
Pag. 175. col. 2. num. VII lin. 16. *alios oppugnasse*, lege alios alios oppugnasse.
Pag. 179. col. 2. num. XI lin. 5. *tum*, lege, tàm.
Pag. 180. col. 2. lin. 10. *currentis anni*, lege, superioris anni. Tum lin. 22. *ut anno sequenti dicetur*, lege, ut mox diximus.
Pag. 183. col. 2. lin. 29. *Beventi*, Lege, Beneventi.
Pag. 195. col. 2. num. XIII lin. 1. *Fradericus*, lege, Fredericus.
Pag. 196. col. 2. num. 2. lin. 15. *cum eo Christi legationem*, lege, eum eo Christi anno legationem.
Pag. 198 col. 1. num. VII lin. 7. *honestate*, lege, honestare.
Pag. 218. col. 1. Num. X lin. 12. *& hoc anno*, lege, & Andream hoc anno.
Pag. 222. col. 1. lin. 1. *suspici*, lege, suscipi.
Pag. 223. col. 2. num. I lin. 28 lege, nec in Historia, nec in notatione temporum.
Pag. 226. col. 1. num. II lin. 8. *defectum*, lege, defectum.
Pag. 235. col. 1 num. III lin. 18. *In aque*, lege, in multis Guillelmum nostra lubenter exulit oratio: sed in hoc quod una justum & injustum tabidæ famis lancea æque transfixit &c.
Pag. 236. col. 1. num. III lin. 12. *Ladomensium*, lege, Cadomensium.
Pag. 237. col. 2. num. IX lin. 10. *ac*, lege, at.
Pag. 241. col. 1. num. VI lin. 20. *Edmerus lib. 1. Novo*, lege Edmerus lib. 1. Novorum.
Pag. 243. col. 1. lin. 3. *foculo decimo*, lege, seculo undecimo.
Pag. 247. col. 2. num. X lin. 13. *Sedi Ambrosiani*, lege, sedi Ambrosianæ.
Pag. 251. col. 2. num. XIII lin. 22. *CCCCLIII*, lege, CCCCLV.
Tum linea seq. *MLXI*, lege, MLXIII.
Pag. 267. col. 2. num. XIX lin. 21. *Accumulatas*, lege, Accumulata.
Pag. 268. col. 1. num. XXIII lin. 3. *Boleslaus III*, lege, Boleslaus II.
Tum col. 2. lin. 1. *Boleslai III*, lege, Boleslai II.
Pag. 276. col. 1. num. XII lin. 34. *anno MXC*, lege, anno MXCI.
Pag. 279. col. 1. num. VI lin. 9. *obsiderat*, lege, obsederat.
Pag. 284. col. 1. num. VII lin. 8. *scribens*, lege, scribunt.
Pag. 291. col. 1. num. II lin. 15. *Rex nominasset*, lege, Rex non nominasset.
Pag. 311 col. 2. num. VIII lin. 22. *sed in tamen*, lege, sed ita tamen.
Pag. 332. col. 2. num. XIX lin. 6. *Canone*, lege, Conone.
Pag. 335. col. 1. num. XIII lin. 6. *MXCVII*, lege, MXCVIII.
Pag. 336. col. 1. lin. 7. dele, nem.
Ibid. col. 2. lin. 14. *in neligendo*, lege, in eligendo.
Pag. 343. col. 2. num. XVI lin. 3. *sub Christi II*, lege, sub Callisti II.
Pag. 348. col. 2. in margine num. V *Ivonis Episc.* lege, Ivonis Epist.
Pag. 348. col. 1. lin. 10. *publica erant S. Bernardus*, lege, publica erant ut S. Bernardus.
Pag. 350. col. 2. num. IV lin. 9. *aquā*, lege, qua.
Pag. 353. col. 2. num. IV lin. 9. peragendum, lege, peragendam.
Pag. 357. col. 1. num. II lin. 7. *pœnitentiam*, lege, sententiam.
Pag. 370. col. 2. lin. 14. *atque*, lege, atque.
Pag. 372. col. 1. lin. 11. dele, Mediolani.
Pag. 376. col. 2. num. IX lin. 51. dele hæc verba, qui patri in principatum successit.
Pag. 377. col. 2. num. III lin. 13. *Apostolus*, lege, Apostolicus.
Pag. 383. col. 1. num. XIII lin. 19. *Theobaldo*, lege, Theobaldus.
Pag. 393. in margine num. XVII, *Guillelmi III*, lege, Guillelmi II.
Pag. 392. col. 2. lin. 18. *festinet*, lege, festinat.
Pag. 397. col. 1. num. IX lin. 29. *Roderici anno*, lege, Rodericianæ.
Pag. 401. col. 1. num. 1. lin. 27. *ceream*, lege, certam.
Pag. 418. col. 1. num. VIII lin. 23. *in annum MCXXII*, lege in annum MCXXIII, & in fine numeri adde. Obiit eo, eodem anno MCXXIII successit Anselmus hujus nominis V.
Pag. 419. col. 2. lin. 17. *Richardi III*, lege, Richardum III.
Pag. 422. col. 1. num. XXV lin. 16. *Podio*, lege, Podio.
Pag. 436. col. 2. num. VII lin. 19. *Christi II mortem*, lege, Callisti II. mortem.
Pag. 438. col. 2. num. XV lin. 19. post hæc verba. *locuti sumus*, dele sequentia usque ad finem numeri, & scribe, annoque MCXXVI rursus verba faciemus.
Pag. 458. col. 1. num. II lin. 13. *ab ipsa ora*, lege, ab ipsa hora.
Pag. 466. col. 1. num. XXIV lin. 25. *tenebris*, lege, tenebaris.
Pag. 480. col. 2. num. IX lin. 25. *& cetera num. V*, lege, & cetera num. VI.
Pag. 481. in fine num. XV *adde* Huc retrahenda quæ anno MCLII num. XVIII, memoriæ lapsu, de Algero diximus.
Pag. 491. col. 2. num. XVIII lin. 4. *opero*, lege, operæ.
Pag. 491. col. 2. lin. 19. *Translationem Episcopii in Archiepiscopatum*, lege Translationem Episcopi in Archiepiscopum. Tum dele totam parenthesim sequentem, & ejus loco scribe, Translationem nempe Roboaldi Episcopi Albensis ad Ecclesiam Mediolanensem.
Pag. 494. col. 1. lin. 16. *num. XX ostendi*, lege, num. XVI ostendi.
Pag. 511. col. 1. num. II lin. 1. *Ex his aȈis*, lege, Ex his actis.
Pag. 513. col. 2. in margine num. XII *Rogerius*, lege, Rainulphus.
Pag. 514. col. 1. in margine num. XIV, lege, mors Lotharii & S. Bernardi brevis in Urbe mora.
Pag. 520. col. 2. in margine num. III, *Conradus in Cathedra*, lege, post Cathedram.
Ibid. num. III lin. 5. *donatum*, lege, d natum.
Pag. 525. col. 1. num. 2. lin. 18. in Ruiendi cœnobio, lege, in Ruiensi cœnobio.
Pag. 546. col. 1. lin. 20. *SS. Cosme & Damiani*, lege, tituli S. Marci.
Pag. 556. col. 2. num. XIX lin. 27. *hujus nominis III*, lege, hujus nominis IV.
Pag. 569. col. 1. num. XV lin. 2. *Nicolaus III*, Lege, Nicolaus IV.
Pag. 572. dicta anno MCLII num XVIII de Algero retrahe ad num. XV anni MCXXXII.
Pag. 576. col. 2. num. XX lin. 4. *Nicolao III*, lege, Nicolao IV.
Pag. 587. col. 1. num. IX lin. 10. *Regem Amalricum*, lege Regem Balduinum.
Ibid. col. 2. num. III lin. 15. *inanimatus*, lege, iis animatus. Tum lin. 18. *cohors à nona*, lege, alia cohors à nona.
Pag. 601. col. 2. lin. 5. *damnorum*, lege, damnosum.
Pag. 612. col. 2. num. II lin. 6. *ut quos Episcopos*, lege, ut quos Episcopus.
Pag. 618. col. 2. lin. 13. *ficuti*, lege, Siculi.
Pag. 620. col. 2. lin. 8. *dicunt SScola pus*, lege, dicunt se caput.
Pag. 636 col. 1. in margine num. IX, *Theobaldi III*, lege, Theobaldi IV.
Pag. 642. col. 1. num. VI lin. 3. *Amalricum III*, Dele, III sicuti lin. 11. 14. 15. & in margine ejusdem numeri.
Pag. 645. col. 2. num. IV lin. 2. *hoc*, lege, hic.
Pag. 648. col. 2. num. XII lin. 28. dele hæc verba, hujus nominis III.
Pag. 651. in margine num. XVII, dele. censet.
Pag. 657. col. 2. lin. 18. *agi novit*, lege, agi noluit.
Pag. 670. col. 2. lin. 10. *anno MCLXXII*, lege, anno MCLXXVII.
Pag. 676. col. 2. num. X lin. 22. *Verum*, lege, virum.
Pag. 688. col. 2. num. XVII lin. 10. nominis, X, lege, nominis IX.
Pag. 691. col. 2. num. VIII lin. 30. *de utero*, lege, de cetero.
Pag. 703. col. 1. num. X lin. 14. injuriaverat, dum, lege, injuriaverat ducem, dum.
Pag. 707. col. 1. num. IX lin 42. ab anno MCLXXXIX, lege, ab anno MCXC.
Pag. 713. col. 2. num. III lin 19. Joannis Deis Ceccano, lege, Joannis de Ceccano.
Pag. 719. col. 1. lin. 7. *asseveratque*, lege, asseveratque.

FINIS.



